





Lapsus in homine obscuravit mentem et depravavit voluntatem.

C[redacted] bona fide &
titulo possidet. Anno [redacted] 1584
pridie Calendas Maij.

Jupiter nobiscum non rationibus certat, sed fulminibus.

BIBLIA

INTERPRETE SEBASTIANO CASTALIONE.

VNA CVM EIVSDEM Annotationibus.

Totum opus recognouit ipſe, & adiecit ex Flauio Ioſepho hiſtoriæ ſupplementum ab Eſdræ temporibus uſq; ad Machabæos, itemq; à Machabæis uſq; ad CHRISTVM.

Acceſſit quoq; rerum & uerborum tam in ipſis Biblijs, quàm Annotationibus & Historiæ ſupplemento præcipuè memorabilium INDEX.



BASILEAE, PER IOANnem Oporinum. 1556.

a 2 eſt, ſe-



AD LECTORES ADMONITIO.



OVVM foedus de Græco transtulimus: Vetus de Hebræo, exceptis Iuditha, Sapientia, Ecclesiastico, tertio Esdræ, epistola Ieremiæ, Barucho, Machabæis, & parte Esterę & Danielis: quę cum in Hebræo non extent, de Græco transtulimus. Sunt & in Daniele capita sex Syriacè scripta, uidelicet à secundo ad septimũ: & in primo Esdræ quatuor, à quarto ad septimũ: quę nos, quoniam Syriacum sermonem non didicimus, ex aliorum translationibus sumus interpretati. Quartum Esdræ ex Latino in Latinum transtulimus, quoniam in alio sermone non inuenimus. Quod si quid in Gręca aut Latina uetere trãslatione libri alicuius, qui Hebraicè extaret, reperimus, quod in Hebræo non esset, id interseruimus, & Græca prænotauimus litera G, Latina autẽ litera L. aut utraq;, ambabus, G.L. usq; ad H. qua significetur fieri ad Hebræum sermonem reuersio. Atq; idem fecimus in libris de Græco translatis, si quid in Latino amplius inuenimus. Et quoniam Bibliorum historia mutila est (quippe quæ nihil cõtineat earum rerum, quæ ab Esdræ temporibus usq; ad Machabęos, itemq; à Machabęis usq; ad CHRISTVM gestæ sunt) eam suppleui ex Iosepho scriptore Iudæo, qui Græcè scripsit, uixitq; quo tẽpore excisa est Hierosolyma ab Imperatore Vespasiano. Neq; uerò id feci, quo supplementũ hoc pro sacris literis habeatur: sed ut ijs satisfacerem, qui temporum illorum gesta libenter cognituri sint, cum in eis magnæ acciderint in Iudæorum republica mutationes, & Iudæi in Romanorum potestatem (sub quibus CHRISTVS crucifixus est) uenerint. Quod si cui tamen displicebit hoc supplementum, licebit nõ legere. Cæterùm quia is Iosephus alicubi lõgior est, quàm pro argumento nobis proposito, scribitq; aliena quædam ab historia sacra, eum nos in huiusmodi locis contraximus. Itemq; quoniam in libro de bello Iudaico (in quo eadem scribit) nonnunquã apertior est, aut aliquid ad rem pertinens dicit, quod in libris Antiquitatum (ex quibus nos hæc excerpsimus) desit, illo nos alicubi usi sumus. Cæterùm ut sciatis, quatenus meæ translationi fidendum sit, aut diffidendũ: sciendum est, in his libris multam esse difficultatem, partim in uerbis, partim in re, partim in utroq;. Verborum difficultas aut est simplicium, aut compositorum. Simplicia uerba plerunq; obscura sunt, earum rerum quę uel rarò, uel duntaxat usurpantur, non etiam describuntur: ut sunt pleraque stirpium, & animaliũ: itemq; earum rerum, quarum forma uel natione uel tempore mutatur, ut uestium & uasorum, & instrumentorũ. In his nos sæpe quid affirmemus, non habemus: non magis quàm qui Catonem interpretãtur, nesciunt quid apud eum sit nassiterna, scutriscum, urpex, & alia quædam: aut apud Ciceronem quid sit lessum facere, id quod ipse Cicero ignorare se fatetur. Itaq; quod alicubi uespertilionẽ, & mergum, & ardeolam, & cętera quæ sunt eius generis, interpretamur, in his interpretationẽ nostram pro certa haberi nolumus: tantum quod uerisimile

a 2 est, se-

est, sequimur, & nobis ueniam dari postulamus: præsertim cum in huiusmodi uerbis errare, non sit usqueadeò periculosum. Sed huiusmodi dubitationes intellige in Hebræis uerbis esse. Nam quod ad Græca pertinet, quoniam ea lingua magis culta, magisq; cognita est, in ea minus dubitamus. Atq; hæc de uerbis simplicibus. Compositorum autem uerborum difficultas plerunq; à rei difficultate pendet: ac nisi cognita re, discuti non potest. qualis est in Esaiæ 27. Nunquid eum cædet simili cæde cæsoris sui? aut, Nunquid occidetur simili occisorũ suorum occisione? Ibi enim, propter ignorantiam rei, nescio an pro Sui & Suorum, sit ponendum, Eius: quoniam Hebræum relatiuũ ambiguum est, ut & Gallicum, si ad uerbum transferas, son tueur. Atq; huiusmodi difficultates nonnunquam à uatibus adhibentur de industria. Nos aliquoties in margine significauimus, ne quem falleret interpretatio nostra. Sunt autem res aliæ humanæ, aliæ diuinæ. Humanas uoco, quæ humano ingenio, etiam sine fatidico spiritu possunt intelligi: cuiusmodi sunt ceremoniæ, & Mosis tabernaculi descriptio, & templi Solomonis ac Ezechielis, & Vatum uisiones, & CHRISTI similitudines, & Apocalypsis tota. Sunt enim narrationes rerum gestarum, aut quasi gestarũ, quæ quid significent, quamuis non intelligas, non tamẽ obstat ea ignoratio, quo minus hæc in quem uelis sermonem transferre possis. Itaque si quæ extiterunt in hoc genere difficultates, fuerunt explicabiles. Quanquam fieri potest, ut alicubi aliquod uerbum significãtius adhiberi possit ab eo cui res nota sit. Diuinas autem res eas appello, quæ humanarum rerum umbra teguntur ac delineantur. cuiusmodi est quod docet Moses, circuncidenda esse corda: & Dauid, uerum sacrificiũ esse, animum abiectum & afflictum: & CHRISTVS, renascendum esse: & Paulus, moriendum mundo, & abijciendum malitiæ fermentum: & cætera huiusmodi, in quibus sacrorum librorum fructus & finis situs est, & sine quibus sacras literas legere, tam nihil prodest, quàm inutilis est corporis circuncisio, aut lotio, si animus sit incircuncisus ac illotus. Sed hic meminisse decet, quod scribit Petrus in capite primo epistolæ secundæ: Habemus, inquit, firmiorẽ fatidicum sermonem, in quem rectè facitis quod estis intẽti, tanquam in lucentem in obscuro loco lucernam, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in uestris animis: dum tamen hoc primùm intelligatis, nullum fatidicum scriptum priuatæ explanationis esse. Non enim hominis uoluntate editum est unquam oraculum: sed sancti Spiritus instinctu locuti sunt homines diuini. Ex his Apostoli uerbis intelligi potest, sacrarum literarum mentem, diuinumq; sensum nullis artibus, nullis scientijs, nulla humana industria, aut memoria, aut ingenio, posse percipi. Res est diuina, quã unus Dei spiritus, idem qui dictauit, nouit, atq; docet: & quidem eos ferè docet, qui sunt hominum indoctissimi, infirmissimi, contemptissimi, pauperrimi, ac ignobilissimi: ne quid inde nostræ eruditioni aut artibus & excellentijs arrogemus. Itaq; ego, qui fatidicum illum spiritum non habeo, res illas sacras in Annotationibus non ferè attingo, nisi quatenus pertinent ad intelligendum orationis cursum. Aut si quando extra hos

limites

limites egredior (id quod facio, ut qui uolet, ſciat ecquid animaduerterimus) rationem illam ſequor, quæ quarta eſt in oratione, de qua nonnihil in 1. Corinth. 14. ſcripſimus: quæ cum ſit periculoſiſsima, ſi à cæteris deſtituatur, id non niſi parcè, & multis euidentibusq; rationibus inducti facimus: ac ne noſtris quidem rationibus temerè credendum iudicamus, quoniam ſæpe laboramus ignorãtia, & nobis bonæ rationes uidentur eſſe quæ non ſunt. Itaque ſi quis meliora habebit, licebit, quod ad nos attinet, Annotationes noſtras omittat, & nuda trãſlatione utatur. Quod autem alicubi ſcribo, me aliquem locum non intelligere: id non ita accipi uolo, quaſi cætera planè intelligam: ſed ut ſciatur, me in alijs aliquid ſaltem obſcuræ lucis habere, in illis nihil: tum autem, ut meæ tranſlationi in quibuſdam huiuſmodi locis non nimium confidatur. Neq; tamen ubiq;, quid non intelligam, oſtendo: eſſet enim hoc infinitum. Rurſum quod in Vatibus quædam oracula explano, ut in Eſaia de Emmanuele, de Cyro, de Senacheribo, & talia, non ita declaro, quaſi nihil ibi abſtruſius ac diuinius lateat: ſed humana, & uerbis aut euentu oſtenſa, expono: & diuiniora, quæ ibi tecta ſunt, ijs relinquo, quibus Deus ſpiritum ſuum largius impertiuerit. Interea mea nulli obeſſe (meo quidem iudicio) pôterunt: præſertim cum profitear, me non eſſe uatem, ſed uatum & ueritatis ſtudioſum. Supereſt, ut te, Lector, orem, ut noſtrum hunc laborem boni conſulas. Quod ſicubi tibi minus ſatisfacio, da ueniã. feci, quod potui: & quod tibi diſplicebit, id alij forſitan placebit: & rurſum, quod tu probabis, id alius damnabit. Quod ſicubi errorem aliquem noſtrum inuenies (erunt autem in tam difficili, tamq; longo opere, fortaſſe non pauci) da ueniam, & admoneto nos amicè, ſicuti nos tibi amicè prodeſſe ſtuduimus: aut ſi noles, aut non licebit, ſaltem alios, quos hac tranſlatione uti uidebis, admoneto erroris noſtri quamprimùm, præſertim ſi in eo erit aliquid periculi. Neminem enim fallere uolumus, ſi fieri poteſt. Itaque quanquam in hoc opere multos annos, cõtinenter, ſummo ocio, proſpera ualetudine, magna alacritate uſi, elaborauimus: tamen deinceps, uolente Deo, dabimus operam, ut ſi quid erratum, uel ab alijs moniti, uel per nos ipſos cognouerimus, id corrigamus. Quòd ſi quis meliorem tranſlationem proferet in lucem, ei libenter cedemus.

ORDO LIBRORVM
Veteris fœderis.

ORDO LIBRORVM
Noui fœderis.

FINIS.

DE SEB. CASTALIONIS BIBLIO-
rum translatione, Friderici Furij Cæriolani
Valentini Carmen.

Nescio quis ueterum uoluit, sermone Latino
Biblia cum priscis ut loquerentur auis.
Tentauit, fecitq; suis pro uiribus omnem
Conatum. At fantur Biblia barbaricè.
Eusebius tentauit idem, tentauit Erasmus:
Frustra opera est. Fantur Biblia barbaricè.
Pagninus tentauit idem cognomine Sanctes:
Frustra opera est. Fantur Biblia barbaricè.
Tentarunt hoc ipsum alij, sed non bene cessit:
Frustra opera est. Fantur Biblia barbaricè.
En tibi Castalio tentat, cœlo auspice, id ipsum:
Successit. Ponunt Biblia barbariem.
O opus egregium: Latio sermone loquuntur
Biblia nunc tandem Castalionis ope.

GENESIS



Act.14.f. 17.c Psal.32.a 135.a Eccl.18.a Mundi creatio. RINCIPIO creauit DEVS cœlum & terram. Quũ autem esset terra iners atque rudis, tenebrisq; offusum, profundũ, & diui-
Heb.11.a nus Spiritus se se super aquas
libraret, iussit Deus ut existeret lux, & extitit lux: quã cum uideret Deus esse bonã, lucem secreuit à tenebris, & lucẽ Diem, & tenebras Noctem appellauit. Ita extitit ex uespere & mane dies primus.
Psal.135.a Deinde iussit Deus, ut existeret liquidũ
Iere.10.b inter aquas, quod aquam ab aqua disiunge-
Psal.148.a ret: fecitq; liquidum quod diuideret aquam quę subter liquidum est, ab ea quę super est. Quo facto, liquidum, Cœlum nuncupauit: ita extitit ex uespere & mane dies secũdus.
B Deinde iussit Deus, ut aqua quę sub cœ-
Psal.32.b lo esset, unũ in locum conflueret, ut appare-
& 88.b ret siccum. Quo facto, siccum Terram nomi-
Iob 38.a.d nauit, & aquæ affluẽtiam Mare. Eamq; rem
Psal.135.b bonam esse animaduertens, iussit ut pareret terra stirpes, herbas frugiferas, & arbores fructiferas, quæ suo quæq; in genere fructũ ederent, & in quibus suum semen inesset in terris. Atq; ita factum est: edidítq; terra stirpes, id est, herbarũ frugiferarũ & arborũ fructiferarum genera; in quibus suum semẽ inesset. Quã etiam rem bonã esse animaduertit: ita extitit ex uespere et mane dies tertius.
Psal.135.b Deinde iussit Deus, ut existerẽt luminaria in liquido cœlo, ad discernendũ diẽ à nocte, quæ & signa, & tẽpora, & dies & annos efficerent, & in liquido lucẽtia cœlo terras collustrarẽt. Id quod factũ est. Fecitq; Deus duo luminaria magna, maius ad diei, minus ad noctis moderationem: tum etiam stellas: eaq; in liquido cœlo collocauit, ad collustrã-
C das terras, & diem noctemq; moderandam, lucemq; & tenebras discernendas. Et hoc quoq; uidit esse bonum. Ita extitit ex uespere & mane dies quartus.

Deinde iussit Deus, ut aqua natatiles ederet animãtes, & uolucres, quæ supra terram per aerẽ uolarẽt. creauítq; Deus ingentia cete, & omne genus fluitantiũ animaliũ, & alatarũ uolucrum, quęcunq; ex aqua originem trahentia mouentur. Quam rem cum uideret esse bonã, ea fœcundauit his uerbis: Fœtificate, multiplicamini, replete aquas in mari, & uolucres multiplicentur supra terras. Ita extitit ex uespere & mane dies quintus.

Deinde iussit Deus ut ederet terra animãtiũ genera, uidelicet pecorum, & serpentiũ, & terrestrium ferarum. Id quod factum est: fecítq; Deus diuersa genera terrestriũ ferarum, & pecorum, & omnium humi serpentium. Quam rem cum uideret esse bonã, ita fatur: Faciamus hominem ad imaginem no- Hominis creatio.
stram, nostri similẽ, qui dominetur piscibus
aquatilibus, uolucrib. aereis, pecudibus, de- D
niq; toti terrę, & quicquid in terra mouetur. Eccl.3.b
Itaq; hominem Deus ad sui, id est ad diuinã Colos.3.b
imaginem creauit, scilicet marẽ & fœminã. Infra 5.a. 9.a
quibus deinde fœcunditatem dedit, sic eos 1.Cor.11.b
alloquẽs: Fœtificate, multiplicamini, reple- Matt.19.a
te terrã, eãq; subigite: & in pisces aquatiles, Eccl.17.a
uolucresq; aereas, et omnes quę in terris mo- Infra 8.c 9.a
uẽtur bestias imperiũ habete. En ego uobis trado (inquit) omnes herbas, quę sunt in omni terrę solo frugiferæ, omnesq; arboreo fœtu præditas arbores, semen pariẽtes, quibus ad alimoniam utamini. Bestijs autem terrestribus omnibus, aerisq; uolucribus, et quęcũq; uitali spiritu animata mouentur in terris, his omnem herbarum uiriditatem ad
pastum do. His effectis animaduertit Deus Eccl.39.c
omnia, quęcunq; fecerat, esse admodũ bona. Matth.7.d
Ita extitit ex uespere & mane dies sextus.

CAPVT II.

ITa perfecti sunt cœli, & terra, eorumq; o- Exod.20.b
mnes copiæ. absoluitq; Deus die septimo Heb.4.b
suum quod fecerat opus: & die septimo, ab omni opere à se effecto feriatus est. Ideoq; septimum diem faustũ sacrumq; fecit, quòd in eo ab omni opere, quod creauerat, feceratq;, feriatus esset.

Ortus quidem & creatio cœli & terræ sic habet. Cũ terram cœlũq; fecisset Ioua Deus, nulla adhuc in terris planta terrestri, nulla adhuc herba exorta, (quippe cum neque Ioua Deus pluisset in terrã, neq; homo esset ad humum colendã) exhalauit ex terra uapor, qui uniuersum eius solũ irrigauit. Hominem aũt Ioua Deus cũ ex terræ puluere formauisset,
& in eius nares spiritum uitalem inspirauis- B
set, ex quo esset animans homo effectus, eũ 1.Cor.15.f
in pomario, quod in Edene ad orientem cõ- Paradisus.
seuerat, collocauit. Procreauerat autem Ioua Deus ex terra cùm omnis generis arbores, & ad aspectum pulchras, & ad uescendum accommodas: tum arborem uitalem in medio pomario, arboréq; scientiæ boni atq; mali. Ex Edene aũt manabat flumen ad pomarium irrigandũ, & inde fissum euadebat in capita quatuor: quorũ uni nomẽ est Phi-
son, quod flumẽ totã obit Heuilã, ubi aurũ Eccl.24.c
est (est autem eius regionis aurũ probatissimũ) ubi etiam bdellium, & onyx gemma. Alterum flumẽ Gehon uocatur, quod omnem
Aethiopiam peragrat. Tertium Tigris dici- C
tur: fluit in orientẽ, quà est Assyria. Quartũ est Euphrates. In hoc pomarium Edenis Ioua Deus hominẽ adduxit, ibiq; eum constituit, ut id coleret, & tueretur. eiq; ita præ-

cepit: Omnibus pomarij arborib. uescêris, præter arborē scientiæ boni atq; mali. nam si ea uescêris, moriere. ¶ Dixerat aūt Ioua Deus: Non conuenit Adamū esse solum: faciam ei adiumentum accommodatum. Nam cum ad eū bestias omnes terrestres, quas ex

D terra formauerat, omnesq; aereas uolucres adduxisset, ut uideret quomodo eas nuncuparet, ut quo quæq; animantiū nomine Adamus appellasset, id esset eius nomen: cumq; imposuisset Adamus nomina pecoribus, uolucrib. terrestribusq; bestijs omnibus, [a] ipsi Adamo adiumentum idoneum non suppetebat. Quamobrem arctissimo eum somno Ioua Deus cōsopiuit, eiq; unā ex costis detraxit, ex qua costa (compresso in eius locū corpore) mulierem construxit, eamq; adduxit ad Adamū. Tum Adamus: Nūc demum (inquit) os de ossibus meis, & caro de carne mea est. Hæc uocabitur mulier, quia sumpta de uiro est. Itaque uir, relicto suo patre atq; matre, adhærebit uxori suę, coalescentq; in unam carnem.

a Cū cætera animantia fœminas sui quęque generis haberēt, solus Adamus hoc adiumento carebat.

1. Cor. 11. b
Matth. 19. a
Mar. 10. a
Ephes. 5. g
1. Cor. 6. d

CAPVT III.

Serpens.

Caeterùm cū essent Adamus & eius cōiunx ambo nudi, tamen nihil erubescebāt. Serpens aūt, qui esset omniū terrestrium bestiarū, quas Ioua Deus fecerat, uersutissimus, mulierē his uerbis aggressus est: Curnam uetuit uos Deus uesci omnibus arboribus pomarij? Cui mulier: Fructibus arborū pomarij uesci nobis licet: sed fructū arboris, quæ est in medio pomario, Deus nos uesci, aut tangere uetuit, ne morte plectamur. Et serpens: Nequaquam morte mulctabimini, inquit. Sed scit Deus, si de eo comederitis, tum oculos uobis apertum iri, atque ita uos fore quasi deos, scientes boni atq; mali. Hic mulier, cum uideret arborē esse & ad uescēdum accommodam, & oculis gratam, & ad discēdum optabilē, sumpsit de fructu eius, comeditq;: & pręterea suo quoq; uiro dedit, qui & ipse comedit. Tū apertis eorū oculis, ambo animaduerterunt se esse nudos: cōsertisq; ficulneis folijs, fecerūt sibi subligacula.

1. Cor. 11. a
Eccl. 25. d
1. Tim. 2. d

B deinde audita Iouę Dei uoce in pomario inambulantis ad aurā diei, Adamus & eius uxor sese ex eius cōspectu in medias pomarij arbores abdiderūt. Sed Ioua Deus Adamū inclamans: Vbi es? inquit. Cui ille: Audita per pomariū tua uoce, territus, utpote nudus, abscōdi me. Et ille: Quis ostēdit tibi, te esse nudū? Num'nā de arbore, de qua tibi pceperam ne comederes, comedisti? Cui Adamus: Quam tu mihi mulierem attribuisti, ea mihi de arbore dedit, et ego comedi. Et Ioua

C Deus mulieri: Cur tu istud fecisti? Cui mulier: A' serpēte decepta comedi ¶ Tum Ioua Deus ad serpētē ita loquit: Quoniā istud fecisti, eris omnium terrestriū bestiarum tum cicurarū tum ferarū execrabilissima: in uentrem ambulabis, puluerēq; comedes, quandiu uiues. Quin eas inimicitias inter te & mulierem, inter'que tuū & eius semen cōciliabo, ut illud tibi caput, tu illi calcē illidas. Deinde ad mulierē: Ego te multis dolorib. inquit, ærumnisq; afficiam: tu natos cum dolore paries, & pēdebis à uiro tuo, tibiq; ipse imperabit. Deinde ad Adamū: Quia uxori tuæ morē, inquit, gerēs, de arbore comedisti, cuius ego tibi esu interdixeram, erit humus infelix pter te, quęresq; ex ea uictū laboriose per omnē uitā: cum ipsa interea carduos tibi pcreabit, & sentes, tuq; terrestrib. herbis uescêris. Cū uultus tui sudore uictū tolerabis, donec redeas in humū, ex qua ortus es. Nam puluis es, & in puluerē redibis. Imposuit autē Adamus suę coniugi nomen Eua, quòd uiuētium omnium mater fuit. Et Ioua Deus tunicas Adamo & eius uxori fecit pelliceas, quibus eos induit. deinde ipse sic loquitur: Cū sit homo quasi unus de nobis, boni maliq; sciens, periculū est ne manū admoueat etiā arbori uitali, ut eius decerpto & gustato fructu, uiuat in sempiternū. Itaq; eū ex Edenis pomario abegit, ut humū unde ortus erat, coleret: & eiecto homine, collocauit ab oriētali parte pomarij Cherubos, & flammeum ensem uibrantem, ad arboris uitalis aditum custodiendum.

1. Cor. 4. f

D

CAPVT IIII.

Adamus autē cum Eua uxore rem habuit, quæ grauida facta Cainum peperit: sic ideo nominatum, quòd illa eū enixa dixisset, Adepta sum uirū à Ioua. Peperit pręterea eius germanum Abelē. Hic Abel opilio, Cainus fuit agricola. ¶ Aliquāto tēpore pôst, cū Iouæ munus libauisset Cainus de terræ frugibus, Abel autem de pecorū suorum primigenis, & maximè opimis, respexit Ioua Abelē, et eius munus: Cainū, eiusq; munus nō respexit. quam rem ita acerbè tulit Cainus, ut ei facies sublaberetur. Et Ioua: Quid ita acerbè fers? inquit: aut cur tibi facies sublabitur? Certè si rectè facies, litabis: si nō rectè facies, peccatū p forib. cubat, idq; à te pendebit, & tu ei imperabis. At Cainus Abelem fratrē suum suis uerbis, G. L. rus seduxit, H. ibiq; eū aggressus interfecit. Tum sic Cainum Ioua allocutus est: Vbi est Abel frater tuus? Cui ille: Nescio, inquit. nūquid ego mei fratris sum custos? At Ioua: Quid fecisti? inquit: [a] sanguis ipse tui fratris ad me ex terra uoce cōquerit. quaobrē infelix eris ab humo, ut quæ aperto ore suo tui fratris sanguinē de tua manu acceperit, ea tibi colēti uim suā deinceps nō prębeat, utq; extorris per orbē terrarū uageris. Hic Cainus: Maior est mea culpa, inquit Iouę, quàm ut remittatur. En ego hodie à te ex ipso terrę solo exterminatus, tuū cōspectum euitans, extorris per orbē terrarum uagabor, ut qui me cunq; repererit, occidat. At Ioua: Imò uerò quicūq; Cainū occiderit, septupli pœnā subibit. Itaq; ei notā apposuit, ne si quis in eum incidisset, necaret eū. Igitur digressus è cōspectu Iouæ Cainus, habitauit in terra Noda, quę est Edeni ad orientē. Suscepit aūt ex uxore sua Henochum,

Cainus.
Abel.
Heb. 11. a

B
Sap. 10. a
Matt. 3. e
1. Ioan. 3. b
Iudæ 1. d

a Ad pœnā moueor quadā qua si sanguinis querela. Vide marginem Habac. 2. in litera c.

C

nochū, à cuius Henochi nomine urbē à se cōditā appellauit. Huic Henocho natus est Iradus: qui porrò Iradus genuit Mahuiaelē, Mahuiael Mathusaelē, Mathusael Lamechū. Hic Lamechus duas uxores duxit, quarū uni nomen fuit Ada, alteri Silla. Ada Iabalē peperit, qui primus tabernacula habitauit, et pecuariā fecit. Eius frater nomine Iubal, fuit inuentor tangendę citharæ, & testudinis. Silla quoque peperit Tubalcainum, omnis ęrarij & ferrarij opificij fabricatorem: cuius Tubalcaini soror fuit Noema. Lamechus autē Adam & Sillam uxores suas sic aliquādo commonuit: Audite meam orationem, uxores Lamechi, & quæ dicam attendite. Si quē ego hominem plagis, si quē mortalem uulneribus interficerē, cum in Caino septupli pœna sit, profectò in Lamecho esset septuagecupli septupli. ¶ Adamus præterea ex uxore sua filiū sustulit, cui ipsa nomen imposuit Sethus, dicēs, Deum sibi reposuisse prolem alteram in locum Abelis, à Caino perempti. Setho quoque natus est filius, quem Enossum appellauit. Tunc cœptum est Iouæ nomen inuocari.

Lamechus. *Sethus.* *Enossus.*

CAPVT V.

SEquitur ut enumerāda sit progenies Adami, post id tempus quo creauit Deus, & ad diuinam similitudinē effecit hominem, scilicet marem & fœminam, eisq; fœcunditatē dedit, & eos hominis uocabulo ipso illo die creationis appellauit. ¶ Erat igitur Adamus annos natus centū triginta, cum sui similē ad suam imaginem procreauit eum quē Sethum nominauit. Post quem genitū uixit octingentos annos, aliosq; interea utriusq; sexus liberos progenuit. Ita nongentesimū trigesimum ætatis annū agens, mortuus est. ¶ Sethus cētesimo quinto ætatis anno genuit Enossum, B post quē natum cum septē & octingentos annos cōpleuisset, aliosq; interea liberos utroq; sexu progenuisset, ita demū annū agens nongentesimūduodecimū, mortuus est. ¶ Enossus cum nonaginta uixisset annos, procreauit Cenanē: deinde quindecim & octingētos annos uixit. atq; ita alijs interim genitis filijs tū maribus tū fœminis, cū nongentesimū quintum ætatis annū peregisset, mortuus est. ¶ Cenan septuagesimo anno genuit Mahalaleelē: post quē genitū uixit octingētos quadraginta annos. aliosq; interea filios & filias cū procreauisset, anno ætatis suæ nongētesimodecimo mortuus est. ¶ Mahalaleel sexagintaquinque annos natus, genuit Iaredū. Deinde cum C alios genuisset, octingētis triginta annis post natū Iaredū, id est octingentesimo nonagesimoquinto ætatis suæ anno mortuus est. ¶ Iaredus centū sexagintaduos annos natus, genuit Henochū. Deinde octingētos annos, alijs interea generādis, uixit: & ita anno suæ uitæ nongētesimo sexagesimosecūdo mortuus est. Henochus sexagesimūquintū annū agēs, genuit Mathusalā, & post eum genitum per trecētos annos ad Dei uoluntatem uitā agēs, filios alios, filiasq; procreauit. Cumq; iam tre

Sap. 2.d Eccl. 17.a Suprà 1.d Infrà 9.a

Henochus. Eccl. 44.c Heb. 11.a

centesimū sexagesimumquintū annum, sese ex Dei uoluntate gerēs, ageret, à Deo sublatus, nusquam extitit. ¶ Mathusala aūt cētesimo octogesimoseptimo anno genuit Lamechū, quo genito uixit adhuc septingētos octogintaduos annos, alijs interea utriusq; sexus liberis procreādis. Ita cū nongētos sexaginta nouē cōfecisset annos, mortuus est. ¶ Lamechus centesimū octogesimūsecundū annum agens, filiū genuit cui nomen imposuit Noa, dicēs: Hic nos recreabit à negocijs nostris, & manuū laboribus quos nobis exhibet terra, à Ioua infelicitata. Post natum Noam uixit Lamechus quingētos nonagintaquinq; annos, aliosq; item filios procreauit, & ita peractis septingētis septuagintaseptē annis mortuus est. Noa quingētenarius genuit Semum, deinde Chamum & Iaphetum.

Noa.

CAPVT VI.

ETiam hominum multitudo per orbē crescere incipiebat: quibus cū filiæ nascerētur, earum pulchritudine capti hominū potētissimi, eligebāt ex omni numero quas ducerent uxores. Tum Ioua dixit: Non perpetuò contendā animo cū hominibus, qui quidē caro sint: itaq; erit eorū ætas cētum uiginti annorū. ¶ Erāt ea tēpestate in terris Gigantes. Accedebāt eò ex illis potentū cōnubijs nati Heroes, homines ab omni memoria celebres. Cū igitur uideret Ioua hominū uitia in terris crescere, eosq; omnē animi conatū & cogitationē ad deteriora in dies singulos conferre, pœnituit eū fecisse homines in terris, animoq; indoluit, eamq; ob rem statuit ipse secum homines à se creatos de terræ solo delere: nec solum homines, sed etiā pecora, & reptilia, atq; uolucres: usq; adeò ea fecisse pœnitebat. Noę tamē fuit propitius, cuius Noę progenies sic se habet. ¶ Noa uir ætatis suæ iustissimus ac integerrimus, & qui se ex Dei uolūtate gereret, tres filios genuit, Semū, Chamū, & Iaphetum. Cęterùm orbis terrarū aduersus Deū deprauatus, & iniustitiæ plenus erat. Quod cū uideret Deus, orbē terrarum esse corruptissimū, omniūq; in terris mortaliū perditissimos mores, cū Noa sic locut⁹ est: Omniū mihi rerū humanarū interitus statutus est, ut quorū iniustitia terra ipsa referta est, eos ego cum terra ipsa aboleā. Tu cōstruito tibi arcā ex terebinthina materia, eāq; loculatā, & pice intus forisq; illitā. Construēdi autē ratio hæc esto, ut longitudo trecētos cubitos pateat, latitudo quinquaginta, altitudo triginta. In ea fenestrā facito,[a] eā supernè in cubitū absoluito: portā arcæ in eius latere collocato: arcam infima, altera, tertiaq; cōtignatione distinguito. Nam equidē in terras aquarum diluuiū immittam, quo uniuersa, quæ sub cœlo uitalē spiritū ducunt, corpora perdantur, & omnia quæ sunt in terris extinguātur. Sed tecum pactionem faciam, ut tu in arcā intres unà cum tuis filijs, uxore, & nuribus. Eōdem etiā de omnibus uita prēditis corporib. cōiuga paria inferes, ut tecū in uita superſint. De singulis inquam uo-

Gigantes. B *Infrà 8.a* *Eccl. 44.c* C *Arca Noe.* *a Hunc locum non intelligo.* D

lucrum quadrupedumq́ generibus, breuiter de omnibus quæ in terra mouētur, paria ad te introibūt, ut cōseruentur. Tu uerò omnis generis cibaria, quæ sunt edendo, tū ad tuū, tum ad illorum uictum cōparata, ad te cōportato.

CAPVT VII.

[1.Pet.2.b] HAec omnia Dei mādata cū fecisset Noa, Ioua eū ita est alloquutus: Ingredere tu, unà cum omni tua familia, in arcā, quoniam quidem te animaduerti esse omnium huius seculi in meo conspectu facilè iustissimū. Ex omnibus quadrupedib. mūdis septena tibi paria promiscui sexus assumito: ex immūdis autem bina. Ex uolucribus item septena, etiam promiscui generis, ut eorū semen toto in orbe conseruetur. Nam hinc ad septem dies, ego in terras per quadraginta dies & totidē noctes [B] depluam, & omnem quam feci rerū naturā ex [Mat.24.d] orbe terrarū abolebo. ¶ Hęc omnia Noa ex [Luc.17.f] Iouæ pręcepto fecit. Erat autem annos natus [1.Par.3.d] sexcētos, cum aquis inundata terra est: cuius diluuionis euitandæ gratia intrauit in arcā unà cū suis filijs, uxore, & filiorum cōiugibus. De quadrupedibus quoq́, tum mūdis, tū immundis, atq́ etiam de uolucribus, tum aūt de omnib. humi repētibus, paria ad eū in arcam conuenerunt, ex maribus & fœminis congregata, quemadmodum Deus ei pręceperat. Igitur cum septem illi dies præterijssent, terram [Diluuium.] aquarum diluuies inundauit. ¶ Anno ætatis Noæ sexcentesimo, die secundi mensis septimodecimo proruperunt omnes Oceani fontes: [C] reclusisq́ cœli meatibus, quadraginta dies noctesq́ in terras perpluit. Eodē illo die, quo Noa, & unà eius filij Semus, Chamus, & Iaphetus, & uxor, & tres nurus ingressi sunt arcā, cū eòdem intrauissent etiam ex omni genere bestiarū & pecorū, & humi serpentium, & uolucrū[a] tum oscinum, tum alitum, ex omnibus inquam uitali spiritu præditis corporibus cùm paria ad Noam in arcā intrauissent, & ea quidē omnia cōiuga, sicut ei præceperat Deus, conclusit eū Ioua. Deinde per quadraginta dies tāta terras inundauit eluuio, ut arca multitudine aquarū mota loco, & à terra sublata, postremò aquis magis magisq́ super [D] terras ualescētib. ac succrescentibus, per undas ferretur: quæ quidē tāto auctæ sunt incremento, ut earum redundantia omnes altissimi mōtes, quicunq́ sunt sub omni cœlo, non solū obruerētur, sed ad quindecim cubitorū altitudinē obruerētur. Ita extincta sunt om- [Sap.10.a] [Eccl.39.c] nia, quæ in terris mouebātur corpora, tam uolucrū, pecorū, bestiarum, & omnium humi repentiū, quàm hominū. Omnia inquā quęcūq́ in terra uitalem spiritū naribus ducebāt, mortua sunt. Ita deleta, & ex orbe terrarum sublata omni tam hominum, quàm pecorū, serpentium, uolucrumq́ natura: Noa tātum, & quæ cum eo capiebat arca, superfuerunt.

[a & minorum & maiorum.]

CAPVT VIII.

POstquam aūt uiguerūt in terris aquæ centum quinquaginta dies, recordatus Noę Deus, & omnium quę cū eo erant in arca animalium & pecorum, uentū in terras immisit ad coercendas aquas. Itaq́ obstructis ꝓfundi fontibus, cœliq́ meatibus, cessauit pluuia de cœlo: tum aquæ huc illuc ex terra diffluētes, iam tandē præteritis centū quinquaginta diebus decrescebāt, & arca die septimodecimo mēsis septimi super montes Ararat substitit. Fiebāt autē aquarum decremēta usq́ ad mensem decimū, cuius mēsis die prima extabāt capita montiū. [B] ¶ Et post quadraginta dies Noa aperta arcæ fenestra, quā fecerat, emisit coruū: qui egressus reuertit, donec ab aquis exiccata terra foret. Dimisit itē columbā, ad explorandū utrū esset aquis leuata terra. Quę cum ubi uestigiū poneret, nō inueniret, ꝙ undiq́ aquis erat cooperta terra, redijt in arcam ad Noā: qui illā extēsa manu exceptā, ad se in arcā intulit. Postea expectatis septē dieb. alijs, emisit iterū columbā de arca, quę sub uespertinum tēpus ad eū redijt, euulsum oliuę foliū rostro ferēs: ex quo Noa terrā esse detectā aquis intellexit. Expectauit tamē septem alteros dies, [C] deinde columbam emisit, quæ nunquā postea ad eum redijt. ¶ Vno autē & sexcentesimo anno, primi mēsis die primo, cum è terra effluxissent aquę, Noa amoto arcę tegmento, uidit ex aquis emersisse terrę superficiē. ¶ Secūdi autē mēsis die septimodecimo siccata terra, Deus Noæ pręcepit, ut exiret de arca, [Exit Noa.] unà cum sua cōiuge, & filijs, eorumq́ cōiugibus: educeret etiā secum omnia quę cum eo erāt animalia, uolucres, quadrupedes, & quęcunq́ humi serperēt, [D] ut per terras propagarētur, & multiplices fœtus ederent. Itaq́ exijt [Suprà 1.c.d] Noa unà cū suis filijs, uxore, & nuribus, cūq́ [Infrà 9.a] omni bestiarum, serpētum, uolucrum, breuiter cum omni genere eorum quæ mouētur in terris. ¶ Deinde Iouæ cōstruxit aram, in qua adhibitis hostijs de omni mundorū pecorum, uolucrūq́ genere, solidum fecit sacrificium: cuius odoris suauitate delectatus Ioua, statuit ipse cum suo animo, nunquā deinceps terram tāta diritate ꝓsequi, propter homines (quorū [Mat.15.b] conatus essent & studia praua, iā à pueris) ut [Suprà 6.a] iterū mortalia omnia perimeret, quēadmodū fecerat. Nec unquā deinceps (inquit) quādiu erit terra, semētis & messis, frigora et calores, ęstates & hyemes, dies & noctes intermittēt.

CAPVT IX.

ITaq́ Noę, & filijs eius fœcunditatem dedit [Suprà 1.e 8.c.] Deus, ita dicēs: Fœtificate, & terras numerosa sobole cōplete. Timori etiā et terrori este omnibus, tum terrestribus bestijs, tum aereis uolucribus. Omnia mouētia quęcunq́ terra edit, omnesq́ pisces aquatiles in uestrā potestatē permittūtur. Omnia quæcūq́ uita prædita mouētur, ad cibū adhibetote: cūcta uobis, sicut herbarū uiriditatē, cōcedo. Tantùm ne carnē[a] cū suæ animæ sanguine comedatis. Vestri quidem sanguinis, & ereptæ uitæ pœnas [Homicidij pœna.] cùm ab omnib. bestijs expetā, tū hominū inter ipsos necē in autorē cuiusq́ uindicabo: ut [Mat.26.e] quoniam ad diuinā imaginē factus homo est, [Apoc.13.e] qui hominis sanguinem fuderit, ipsius inui- [B]

[a cum sanguine, qui est anima.]

cem

Sap.1.d.5.d Sap.1.c.d s.d Esa.54.c

cem sanguis per hominē fundatur. At uos ꝓcreate, terrāq; genere uestro multipliciter propagando frequētate. ¶ Tū illud addidit: Atq; ego iā fœdus stabilio nō modò uobiscū, & cū uestro in posterū semine, uerūetiā cū omnib. animalibus, q̄ uobiscū sunt: cū uolucribus, cū quadrupedibus, cū uniuersis deniq; animalibus terrestribus, tū māsuetis, tū feris, unà uobiscū: deniq; cum omnib. ex arca egressis, hoc est, cū omnibus animalib. terrestribus: quo fœdere uobis satisdo, nunq; amplius orbē terrarū diluuio aquarū ita corruptū iri, ut animalia cūcta perdant. Pignus aūt, inquit, quo pignore uolo hoc inter me & uos, & omnia quę uobiscū sunt animalia fœdus in omnē æternitatē sanciri, arcus meus est, quē pono in nubibus, C quò sit icti inter me & terrarum orbē fœderis indiciū. Eccl.43.b Hoc enim arcu uidēdo, siquando terras obnubilauero, in memoriā redibo fœderis inter me & uos, omneq; animantiū genus facti. Ita fiet, ut nunq; amplius aquę in tantā illuuiē excrescāt, ut omnes res humanas corrumpāt, cū ego hūc in nubib. arcū aspiciēs, memoria repetā fœdus hoc æternū, factū inter Deū & omnia quæ in terris uiuūt animalia. Hoc igitur, inquit, huius inter me, & omnia terrarū animalia, pacti fœderis signū esto. Ergo ab illis trib. Noe filijs qui ex arca exierunt, Semo, Chamo, & Iapheto (quorū Chamus pater fuit Chanaanis) totus terrarū orbis frequētatꝰ est.

Noa autē agriculturā ingressus, uineā cōseuit: ex qua uinū cū potauisset, inebriatus, uirilitatē in medio tabernaculo nudatā habuit. Noa potus. Patris natura uisa, Chanaanis ille pater Chamus id foras ad suos duos fratres retulit. At Semus & Iaphetus palliū suis amborū humeris imponūt, & retrò gradiētes, sui patris uerēda tegūt, ita auersis uultibus, ut patris uerēda non uiderēt. Noa autē edormito uino, ubi minimi natorū factum cōtra se resciuit, sic effatus est: Infelix Chanaan, seruus seruorū fratrum suorū esto. [b] Grates Iouæ Deo Semi, inquit, isq; Chanaanē uectigalem habeto. Iaphetū quoq; amplificet Deus, efficiatq; ut in Semeis tabernaculis habitet, & Chanaanem uectigalē habeat. Vixit autem Noa post diluuium annos trecentos quinquaginta: cōpletisq; nongentis quinquaginta annis, mortuus est.

[b] Semus Ioui habeat propitium ac benignū, ut ei grates agantur.

CAPVT X.

Noe progenies. 1.Par.1.a

SEquitur de progenie filiorū Noe, scilicet Semi, Chami, & Iapheti, quibus post diluuium nati sunt filij: Iapheto Gomer, Magogus, Madæus, Iauā, Thubal, Mesecus, & Thiras. Gomeri Ascanas, Riphatus, & Thogorma. Iauani Elisa, Tharsis, Cittimus, & Dodanimus. Ab his [a] diuisi sunt gētium insularum fines, cum suā quisq; linguā traherēt, et uarias uariarū gentiū efficerēt nationes. ¶ Chamus aūt filios habuit, Chum, Misraimū, Phutum, & Chanaanem. Chus Sabam, Heuilam, Sabatam, Ragmam, & Sabathacā. Ragma Sabam, & Dodanem. Nēbrodus. Item Nembrodū genuit Chus, B eū qui primus fuit in terris fortissimus, & ita fortis in Ioue cōspectu uenator fuit, ut ex eo dictū illud natū sit, Vt Nembrodus fortis in Ioue cōspectu uenator. Eius regni caput fuit Babylon, Erecha, Accada, & Calane in terra Sānara, ex qua terra ortus Assur Niniuē condidit, & Robothir, & Chalā, & Resem inter Niniuē et Chalā, urbē maximā. Misraimus genuit Ludim, Anamim, Lahabim, Naphtuim, Pathrusim, Casluhim, unde orti sunt Palęstini, & Caphthorim. Chanaā aūt genuit primogenitum Sidonē, Hetū, Iebusem, Amorrem, C Gergesem, Heuem, Arcē, Sinem, Aruadem, Samarem, & Hamathem. Postea disperse sunt Chananęorum nationes, qui his finibus cōtinētur. A Sidone, quà uergunt ad Gerara, attingunt Gazam: quà spectant ad Sodomā & Gomorrā, & Admam, & Saboim, pertinēt ad Lasam. Atq; hi quidē fuerunt à Chamo nati, qui in diuersas colonias & gentes, diuersis familijs & linguis euaserūt. ¶ Semo quoq; (qui fuit autor omniū Hebręorū, & fuit maior natu quàm frater eius Iaphetus) nati sunt Elamus, Assur, Arphaxadus, Lydus, & Aramus. Aramus filios habuit, Vsum, Hulē, Getherē, & Massum. Arphaxadus Salā. Sala Hebrem. D Heber duos, unū Phalegum, à diuidendo nominatum, quòd eius tēpore diuisa terra est: alterum Ioctanem. Ioctā Almodadū, Salephū, Hazarmotū, Iaram, Hadoramū, Vzalem, Declam, Obalem, Abimaelē, Sabā, Ophirē, Heuilam, & Iobabū. Hi omnino fuerūt filij Ioctanis, quorū sedes initiū capit à Mesa, uergit ad Sapharam montē orientalē. Hi quidē à Semo nati, uarias familias et linguas diuersis gentiū regionib. effecerūt. Hę sunt natorū Noę familiæ, generibus & nationib. uariæ, à quibus gētes per terras post diluuium propagatæ sunt.

[a] scilicet post inuectā linguarum differentiam.

CAPVT XI.

CVm autē uniuersus terrarū orbis eodem sermone atq; oratione uteretur, cūilli ab oriente discederent, nacti sunt quendam campum in terra Sanaara, ubi cōmorati cœperunt inuicem cohortari, ut lateres facerent, coquerentq;: quib. pro lapidibus, & bitumine pro arenato usi, instituerunt urbē ædificare, & turrim, quę fastigio cœlum attingeret, ut sibi famam pararent, antequā per omnes terrarum tractus dispergerētur. Ad illā urbē & turrim, quę ab hominū genere cōstruebatur, uisendā descendit Ioua. Sic enim dicebat: En populus unus, qui eodem sermone cunctus utitur, hęc audet facere, nihil iam erit, quod conātes non efficiant. Age iam, descēdamus, & ibi eorum B sermonem ita cōfundamus, ut alij aliorū orationem nō intelligant. Itaq; eos illinc per omnes terras dissipauit: ita urbis omissa constructio est, ex q̄ Babylon nominata fuit, quia ibi cōfudit Ioua omniū mortalium linguas, & indidē eos in omnes terrarū regiones disiecit.

Sap.10.a Babylon.

Sequitur de Semi progenie. Semus cētum annos natus genuit Arphaxadū, biēnio post diluuium: post quē genitum uixit quingētos annos, alios interea ꝓmiscuo genere liberos C procreās. Arphaxadus anno ętatis suę quinto & trigesimo genuit G. Cainanem, uixitq; Arphaxadus

Semi progenies.

phaxadus pòst genitũ Cainanẽ annos trecentos triginta, alios interim liberos pcreãs: atq; ita mortuus est. Cainã anno ætatis suæ cẽtesimo trigesimo, genuit H. Salã, uixitq; quadringẽtos tres annos pòst, alijs interea liberis procreãdis. Sala anno trigesimo genuit Hebrẽ, uixitq; insuper annos tres & quadringẽtos, aliosq; liberos habuit. Heber anno trigesimo quarto genuit Phalegũ, uixitq; annos quadringentos triginta pòst, aliosq; interea liberos habuit. Phalegus anno trigesimo genuit Reũ, uixitq; postea annos ducẽtos supra nouẽ, aliosq; interea liberos habuit.

1.Par.1.b

Reus anno trigesimosecũdo genuit Sarugum, uixitq; postea annos septẽ & ducẽtos, aliosq; interea liberos habuit. Sarugus anno trigesimo genuit Nachorem, uixitq; ducentos annos postea, aliosq; interea liberos habuit. Nachor anno uigesimonono genuit Tharã uixitq; postea annos centũ nouẽdecim, aliosq; interea liberos habuit.

Abramus. D

¶ Tharę genus sic se habet. Thara septuagenarius genuit Abramum, deinde Nachorẽ, & Haranẽ: quorũ Haran genuit Lotũ. mortuusq; est Harã pͤsente Thara patre suo in terra patria, Vre Chaldęorũ. Abramus aũt, & Nachor, duxerunt uxores. Abramus Saraim nomine, Nachor Melcã, Haranis filiã (habuit enim ille Melcã, & Iscã.) Sed erat Sarais sterilis, & sine sobole. Thara aũt adhibitis Abramo filio, & Loto suo ex Harane nepote, & Sarai sua nuru, Abrami cõiuge, ab Vre Chaldæorũ pfectus, in terrã Chananęã ire cõtẽdit: & ad Charrã peruenerũt, ibiq; cõmorati sunt. Ibi Thara quintũ & ducẽtesimum ætatis annũ agens moritur.

1.Par.1.b Iosu.24.a Nehem.9.b Iudith 5.a

CAPVT XII.

Act.7.a

Abramũ aũt Ioua sic allocutus est: Emigra ex tua terra, ex patria, ex domo paterna, in terrã quã tibi ostendã. Ego ex te magnã gentẽ deducã, te beabo, te magno faustoq; nomine augebo, tuis etiã fautorib. fauebo, tuos detestatores detestabor, in te omnes orbis beabũtur nationes.

Gal.1. Heb.11.b Abramus Charra proficiscitur. B

¶ Igitur Abramus, ut est ei præceptũ à Ioua, pfectus est comite Loto. Erat aũt annos quinq; & septuaginta natus, cũ Charra profectus est, secũ duces Saraim uxorem, & Lotũ fratris filiũ, cũ omnib. quas pepererãt facultatibus, atq; [a] animantibus quas apud Charrã cõparauerãt, & in Chananæã ire cõtendit. Postq; in Chananęã peruenerũt, ubi Abramus in eã terrã pgressus, peruenit ad Sichemã, locũ quendã ad planiciẽ Morę, cum essent tũ in terra illa Chananæi, apparuit ei Ioua, promisitq; sese eius semini terrã illã daturũ. Itaq; ille arã ibidẽ cõstruxit Iouæ, qui ei apparuerat.

a seruitio & pecore.

Deut.34.d

Inde se in mõtem quendã, qui erat Betheli ad orientẽ, cõtulit, & tẽtoriũ fixit, Bethel à mari, Haim ab oriẽte habẽs: ibiq; extructa Iouę ara, Iouę nomẽ inuocauit.

C

Abramus descẽdit in Aegyptũ.

Ita dũ pergẽs ad meridiẽ accedit, orta in ea regione fame, coactus est, ea ingrauescẽte, descẽdere in Aegyptũ, illic peregrinaturus. Quò iã appropinquans, cũ Sarai uxore sua sic loquitur: Video te mulierẽ esse formosam. Quòd si te uiderint Aegytij, & intellectũ fuerit meã esse cõiugem, me interficiẽt, te incolumi. Quãobrẽ dicito, te meã esse sororẽ, ut tua causa atq; opera meæ utilitati salutiq; cõsulatur.

Infrà 20.a

D

Ergo ubi peruenit Abramus in Aegyptũ, & uiderũt Aegyptij mulierẽ forma esse tã elegãti, uisamq; etiã Pharaonis proceres apud Pharaonẽ laudauerunt, accersita mulier est domũ Pharaonis: qui eius causa Abramũ ipsum beneficijs prosequutus, eũ ouibus, capris, bubus, asinis, seruis, ancillis, asinabus, & camelis donauit. Sed cũ magnis à Ioua cladibus, pter Saraim Abrami coniugẽ, Pharao eiusq; domus afficerẽt: Abramũ euocat, & apud eũ uerbis expostulat, ꝙ suã esse coniugẽ ipsi nõ indicasset: & quòd sororẽ dicẽdo, in causa fuisset, ut ipse eã sibi in matrimoniũ copularet. Sed tamẽ nunc suã sibi uxorẽ haberet, & abiret. Mandauit etiã certis hominibus, ut eũ & uxorẽ cũ omnib. suis facultatib. deducerẽt.

CAP. XIII.

Ita ascendit ab Aegypto Abramus, & eius uxor, cũ omnibus suis copijs, comitãte Loto: & cõtendit in meridiẽ, pecore, argẽto, auroq; locupletissimus: peruenitq; suis itineribus à meridie ad Bethel, in eũ locũ in quo antè tẽtoriũ habuerat, inter Bethel & Haim: quo in loco prius altare fecerat, ibiq; Iouæ nomen inuocauit.

Sup.12.a

Lotus quoq; Abrami itineris comes, ouibus, & capris, & bubus, & tẽtorijs ita abũdabat, ut cũ iã præ multitudine copiarum una regione capi, & simul habitare nõ possẽt, exoriretur cõtrouersia inter Abrami & Loti pecorũ pastores, Chananæis tũ & Pherezeis terrã illã incolẽtibus.

Infrà 36.a B Inter Abrami & Loti pastores cõtrouersia.

Qua de re Abramus cũ Loto sic egit: Equidẽ nolim esse dissidiũ inter me & te, interq; meos & tuos pastores, qui homines simus cõsanguinei. Iã uniuersa tibi regio patet: liberũ tibi facio à me quam uelis in partẽ discedere, ipse in diuersam abiturus. Tũ Lotus animaduertẽs omnẽ Iordanis planiciẽ esse irriguã (nã Sodomã & Gomorrã Ioua nõdum euerterat) & [a] Iouani pomarij similẽ, aut Aegyptij soli, uergentẽ ad Sigorim, eã omnẽ sibi delegit, & ab oriẽte discessit.

a Edenis. C

Ita alius aliò digressi sunt: & Abramus in Chananæa, Lotus in oppidis cãpestrib. habitauit: tetenditq; ad Sodomã, cuius Sodomæ homines erãt improbissimi, & in Iouã flagitiosissimi. ¶ Post digressum ab Abramo Lotum, Ioua cũ Abramo sic locutus est: Erige oculos, & istinc circũspice ad septẽtriones, ad austrũ, ad orientẽ, & ad occidentẽ.

D

Nã quãcunq; tu terrã uides, eã omnem tibi ego dabo, & tuo semini in sempiternũ: quod quidẽ semen pulueri terræ coęquabo, ut id qui numerare possit, idẽ possit & puluerẽ numerare. Quare age, terrã longẽ lateq; peragra: nã eam quidem tibi dabo. Abramus autẽ in uallem Mambrę, quæ est in Hebrone, migrauit, ibiq; cõsedit, & Iouę aram extruxit.

CAPVT XIIII.

Bellum Codralomoris cum Sodomitanis.

Commissum est autẽ prælium quoddam inter Amraphelẽ Sanaaræ, Ariochũ Elaseris, Codralomorẽ Elamitarũ, & Thadalem Goiorũ regulos: & Baram Sodomæ, Bersam Gomorræ, Saneabum Admæ, Semebrem Seboimorum

boimorũ regulos, & Balæ (quæ eadẽ Sigoris) regulũ, in ualle Siddea, qui nũc est lacus salsus. Cũ enim hi posteriores reguli Codralomori duodecim annos seruiuissent, et anno decimotertio defecissent, Codralomor anno decimoquarto, & eius comites reguli, domo egreßi fuderũt Raphaenses apud Astarotha in Carnanibus, & Zuzenses apud Hamũ, & Emenses apud Sauem in Cariathensibus: & Chorios in mõtanis Seiris ad Pharanẽ, quæ planicies est ad deserta. Inde reuersi uenerũt ad fontẽ Mispat, id est, Cadẽ, omnemq; Amalechitarũ agrum, atq; etiã Amorræos, qui Hasasonthamar incolebãt, uicerũt.

B ¶ Tũ illi quinque reguli posteriores domo egreßi, prælio cũ his quatuor decertarũt, in ualle Siddæa, q̃ uallis puteis bituminis abũdabat. Ibi pulsis superatisq; Sodomæ & Gomorræ regulis, reliqui fuga mõtes petiuerũt. Victores aũt omnibus Sodomæ & Gomorræ fortunis, et cõmeatu direpto, abibãt: secũ etiã Lotũ fratis Abrami filium, Sodomæ incolã, cum suis facultatibus abigẽtes.

C ¶ Ea res ut est Abramo Hebręo per quendã, qui ex prælio euaserat, nunciata (incolebat aũt Abramus in planicie Mãbræ Amorręi fratris Escolis, & Aneris, qui erant cũ ipso Abramo fœdere cõiũcti) & intellexit captũ esse cognatũ suum, uernas, quos domi natos habebat, trecẽtos octodecim expedit, illosq; ad Danẽ usq; consequitur: & suis seruis in aciẽ instructis, eos noctu aggressus superat: quos deinde p̃sequutus ad Chobã (quæ ad sinistrã Damasci posita est) rediit cũ omni prẽda, Lotumq; cognatũ suum cũ suis fortunis, necnõ mulieres, & reliquos homines reduxit. Ei ex hac Codralomoris, & eius socio-

D rũ regulorũ cæde reuertenti, Sodomæ rex ob uiã processit in Sauẽ, q̃ uallis est regia.

Melchisedechus. ¶ Melchisedechus quoque Solymæ rex, & supremi Dei sacerdos, panẽ ꝓtulit et uinũ, Abramũq; faustis ominibus prosequẽs inquit: Gratulor Abramo à supremo Deo autore cœli atq; ter-

Heb.7.a ræ: & simul ipsi supremo Deo grates ago, qui tuos hostes tibi in manus cõpegerit. Ei Abramus quoq; decumas omniũ rerũ dedit. Tũ ab Abramo petiit Sodomæ rex, ut homines sibi redderet, cæteras res ipse sibi retineret. At Abramus: Iouã ego tibi, inquit, summũ Deum, cœli terrarumq; cõditorẽ, sublata ad eum manu testor, me ex tuis omnibus ne pilũ quidẽ ablaturũ, ne tu fortè dicas Abramũ abs te esse ditatum: præter uictum duntaxat iuuenũ, & partem eorum qui mecũ profecti sunt, Aneris, Escolis, & Mambræ. nam hi suam partem auferent.

CAP. XV.

Ioua Abramo prolem promittit.

HIs rebus gestis, Ioua cũ Abramo per uisum locutus est ad hũc modũ: Bono animo es Abrame, ego tibi præsidium, & abũdè magnum præmiũ ero. Cui Abramus: Domine Ioua, inquit, quid nam mihi dabis, cum orbus agam, sitq; meæ domus successor futurus Damascenus Eliezer? En tu mihi nullã prolem dedisti, inquit, & est mihi meus famulus hæres futurus. At Ioua: Nõ iste, inquit, sed ex tuis uisceribus enascetur, qui tibi hæres erit. deinde eo foras educto: Aspice, inquit, in cœ-

lum, & stellas enumera, si enumerare potes. B *Rom 4.a*

Atqui tã numerosa futura est tua progenies, inquit. Tũ ille Iouæ credidit. id quod Ioua ei iustitiæ duxit, & eum sic affatus est: Ego sum Ioua, qui te Vre Chaldęorũ eduxi, ut huius tibi terrę possessionẽ traderẽ. *Rom.4.a Gala 3.a Iaco.2.d. Sup.11.d.* Cui ille: Domine Ioua, inquit, unde sciã eã esse me possessurũ? Tũ Ioua ei præcepit, ut sumeret iuuencã trimulã, & caprã trimulã, & arietẽ trimulum, & turturẽ, & pipionẽ: quæ omnia ubi cæpit, cætera dissecuit media, & partes singulas singu-

lis ex aduerso opposuit, sed aues nõ dissecuit: C *Iere.34.d*

tũ alites ad cadauera deuolantes abegit. Sub occasum aũt solis, somno oppressum, & magno tenebrarũ terrore correptum Abramũ, ille sic alloquutus est: Scito posteros tuos peregrinos futuros esse in terra extraneorum, & eorum seruitutem ac iniurias annis quadringentis perpessuros. *Act 7* Sed illã ego gentẽ, cui seruiet, ulciscar, exibuntq; tandẽ cũ magnis opibus. tu uerò ad maiores tuos quietè discedes,

& bene acta senectute sepelieris. D

Huc aũt redibunt quarto seculo, q̃niã [a] nõdũ ad summũ peruenit improbitas Amorræorũ. *Exo.12.f.* Post solis occasum oborta caligine, ecce quoddã fumidum incendiũ, & fax ignea, inter frusta illa intermeauit. Eo die ferijt Ioua cum Abramo fœdus, in hæc uerba: Hãc ego tuo semini terrãdo à flumine Aegypti, ad flumẽ magnũ, id est, Euphratẽ: uidelicet Cenæos, Cenezæos, Cadmonæos, Hettęos, Pherezęos, Raphaenses, Amorræos, Chananæos, Gergesæos, & Iebusæos.

[a] Nõ antè uolo delere chananęos, quàm uenerint ad summũ improbitatis, id quod non fiet ante quartũ seculũ. Propterea tuos posteros (per quos hoc facturus sum) nõ antè ex Aegypto reuocabo.

CAP. XVI.

SArais aũt Abrami coniunx cũ nihil ex eo peperisset, & ancillã haberet Aegyptiam, nomine Hagarẽ, Abramum summonuit, ut (quoniã se Ioua gignere ꝓhiberet) cũ ancilla rem haberet, si fortè per eã posset ipsa liberos cõsequi. *Deut.34.b 2 Para.9.f 3 Reg.4.c* Ad quod consentiente Abramo, illa ei Hagarẽ Aegyptiã, ancillã suã, in matrimonium dedit, annis decẽ postq; ille Chananææ incola erat. *Hagar.* Ille cũ Hagare rem habuit, grauidamq; fecit. Atq; illa grauidã se factã sentiẽs, herã suã præ se contẽnebat. Qua de re Sarais apud Abramũ questa est his uerbis: Mihi per te fit iniuria. Ego tibi meã ancillã in cõplexũ tradidi, cui nũc grauidã se esse sentiẽti in contẽptũ ueni. Ioua sit inter me & te uindex. Ad hæc Abramus Sarai respõdit: Ancillã tuã in potestate habes: ei facito quod tibi uisum fuerit. Itaq; cũ deinceps eã Sarais duriꝰ tractaret, illa ab ea aufugit. quã nactus Iouæ genius ad fõtẽ aquę in solitudine, apud uiã qua Sur it, sic locutus est: Hagar ancilla Sarais, undènã

uenis? & quò tendis? C

Et illa: Saraim ego herã meã fugio, inquit. Tũ genius: Reuertere ad herã tuã, et eius te manui summittito. Equidẽ ita numerosam prolẽ tibi cõciliabo (inquit ei Iouæ genius) ut p̃ multitudine numerari nõ posit. Iã uerò conceptũ geris filiũ, quem ubi pepereris, Ismaelẽ nomine appellabis: q̃niam exaudiuit Ioua tuã miseriã. Is erit ferꝰ homo,

omnibus infestus, ab omnibus infestatus, & D aduersus oẽs fratres suos consistet. Igitur illa Iouã, qui se allocut⁹ erat, sic nominauit: Deus es uidens me: hic nimirũ à tergo uidi, inquit, uidentẽ me. Atq; inde puteus Lahærois nominatus est. Is est inter Cadẽ & Barad. Postea Abrahamo filiũ peperit, quem Abrahamus Ismaelẽ nomine uocauit, in cuius natiuitate agebat ipse annũ sextũ supra octogesimum.

Lahærois puteus. *Ismael nascitur.* *Gala.4.c*

CAPVT XVII.

DEinde nonum & nonagesimum annum agẽti, apparuit Ioua, & sic cũ eo locutus est: Ego sum Deus omnipotẽs: Viue ad meũ præscriptũ, & esto integer, & faciam fœdus tecum, teq; maiorem in modum amplificabo. Hic Abramus in faciem procubuit, & Deus ut loqui cœperat, dixit: Mihi iã fœdus initur tecũ, ut tu multitudinis gentium pater euadas: nec amplius Abrami nomine uocaberis, sed[a] Abrahami, quia te patrem multitudinis gẽtium effecturus sum. Te ego ingẽti sobolis incremẽto augebo, atque ex te gentes, etiamq; reges orientur. Fœdus autẽ eiusmodi facio, ut nõ solum ad te, sed etiã ad profecturum ex te posterorũ genus pertineat, idq; in perpetuũ, ut Deus & tibi sim, & illis: utq; terram, cuius tu peregrinus es, uidelicet totam B Chananæã, & tibi & tuis posteris tradam, in possessionẽ sempiternã, simq; eis Deus. ¶ Tu quoq; uicissim (inquit Deus Abrahamo) & tuorũ omne futurũ genus, fœdus meum conseruato te, quod erit huiusmodi: Omnes uestri mares circũcidentur. Circũcidetis autẽ mẽbri uestri præputiũ, quod sit icti inter me & uos fœderis indiciũ: idq; facietis octauo post natiuitatẽ die, cuiuscunq; generis mares erunt, siue domi nati, siue argẽto coempti, & alienigenæ, ex alio quocunq; genere quàm ex tuo orti: ut ita circũcisis omnibus tam domi natis, quàm pecunia cõparatis, uestra corpora signata sint nota huius mei fœderis sempiterni. Mares autẽ præputiati, & præputia nõ circuncisa habẽtes, ex suorũ numero tollentur, ob uiolatũ fœdus meũ. Saraim quoq; uxorẽ tuã (inquit) iam nõ Saraim uocabis, sed ei Sara nomen erit: quam ego fœcundabo, & tibi ex ea filium dabo, ut ea fœcunditate gentes ex sese progeneret, & ex ea etiã reges populorũ oriãtur. Hic Abrahamus, cũ in faciẽ subridens incubuisset: Scilicet (inquit ipse secũ) aut centenarius gignet, aut nonagenaria Sara pariet. Vtinã modò facias (inquit, Deũ alloquens) ut propagetur Ismael. ¶ Et Deus: Imò Sara ipsa uxor tua (inquit Deus) pariet ex te filiũ, C quẽ tu[b] Isaacũ nomine uocabis: cum quo ego fœdus, & quidẽ sempiternũ, inibo, in quo fœdere eius quoq; futura progenies cõprehendetur. De Ismaele quoq; te exaudiam, eumq; fœcũdabo, et tãto sobolis incremẽto augebo, ut genitis duodecim principibus, ꝑ me in gẽtem magnã euadat. Sed cũ Isaaco, quẽ tibi Sara hoc proximi anni tẽpore pariet, fœdus faciam. Hæc locutus Deus, finẽ fecit, & ab A- D brahamo discessit. ¶ Abrahamus, assumpto

Eccl.44.e *Rom.4.c* *Abrami nomen mutatur.* *a hoc est multiparẽtis, cũ Abramus altipa rentem sonet.* *Acto.7.a* *Circũcisio instituitur.* *Leuit.12.a* *Luc.2.c* *Rom.4* *Sarais est, princeps mea. Sara, princeps, quod latius patet.* *b ridẽdo.*

Ismaele filio suo, & omni sua familia tũ uernaculorũ, tum emptitiorũ, & alienigenarũ marium, illo ipso die, quo Deus eum allocutus est, omniũ præputia circũcidit, ipseq; annum agẽs nonagesimumnonum, circumcisus est: Ismael autem, decimumtertium. Ita eodẽ die circũcisi sunt Abrahamus & eius filius Ismael, & unà cum eo omnes domestici, tũ uernæ, tum ex natione peregrina coempti.

CAPVT XVIII.

PRæterea apparuit ei Ioua in planicie Mãbræ. Cũ enim per æstũ diei ad ianuã tabernaculi sederet, conspexit homines tres, qui ei ex aduerso erant. quibus uisis, ex tabernaculi ostio occurrit obuiã, eisq; summissè salutatis, dicit: Domine, si uis mihi gratissimũ facere, noli me tuũ pręterire. Lauabitis pedes paucula aqua adhibita, deinde sub arbore requiescetis. Ego interea depromã frustũ panis, quo animos uestros recreetis, postea perrecturi. Nã hæc uobis ad uestrũ me deflectendi causa est. Cui illi: Fac ut dixisti. Atq; ille in tabernaculũ ad Sarã festinat, eiq; mãdat ut tria satha farinę siligineę ꝓperet, & ea depsita panes depstitios cõficiat. Ipse ad armẽtũ currit, uitulũque tenerũ, et bene habitũ tradit famulo, qui eũ facere ꝓperet. deinde illis butyrũ, & lac, et B quẽ fecerat uitulũ apposuit: ipse eis sub arbore comedẽtibus astabat. ¶ Tũ illi, Vbi est Sara uxor tua? inquiũt. Adest, inquit Abrahamus, in tabernaculo. Atq; ille: Cum reuisam te (inquit) anno uertẽte, habebit Sara uxor tua filiũ. Hæc Sara ex postico tabernaculi audiẽs, & ꝙ Abrahamus & Sara senes erãt, atq; ętate prouectiore, & quòd ipsa iam mẽstrua pati desierat, risit ipsa secũ. Postq; iam uieta sum (inquit) indulgebo credo uoluptati, cũ meus etiã dominus iã sit senex. Tũ Ioua Abrahamo: Cur tãdẽ ridet Sara, inquit, negans se genituram, quia cõsenuit? Est'ne res ulla quã Ioua non possit? Futurum est, inquã, ut cũ ego te hoc tẽpore anno uertẽte reuisam, habeat Sara filiũ. Sara uerò negauit: Nõ risi, inquit: metuebat enim. Cui ille: Imò uero risisti. ¶ Deinde homines inde cõsurgũt, & ad Sodomã se cõuertũt. quos cũ Abrahamus deducendi gratia comitaretur, Ioua sic loquitur: Ego'ne ut Abraha- C mum celẽ de eo quod sum facturus? cum sit Abrahamus gẽtis maximæ & potẽtissimę futurus autor, cumq; in eo oẽs orbis nationes sint felicitãdę? Nã certò scio, suis eũ liberis, et porrò suæ in posterũ stirpi pręcepturũ esse, ut ad Iouę normã uitam dirigentes, iustitiam colant, atque ius, ut Ioua Abrahamo promissa præstet. Deinde sic loquitur: Video magnas esse querelas de tot tantisq; Sodomitarum flagitijs. Itaq; statui illò descẽdere, & explorare, utrum, quemadmodum querelis ad me perlatũ est, sint planè profligati, an non sint. Hic[a] hominibus inde digressis, & Sodomam ire contendentibus, Abrahamus, qui adhuc ante Iouã stabat, accedit, et: Etiam'ne bonos (inquit) unà cum improbis perdes? Si erunt quinquaginta uiri boni in urbe, an etiã perdes?

Abraham genios hospitatur. *Heb.13.a* *Rom.9.b* *a duobus geniis.*

des? neq; ignosces illi loco propter illos quinquaginta bonos, qui erũt in eo? Absit ut cõmittas, ut interficias bonos cũ malis, eodẽq; numero probos habeas & improbos. Absit ut qui totum orbem terrarũ æquitate modera-

D tur, is ęquitate nõ utatur. Cui Ioua: Si in urbe Sodoma quinquaginta uiros bonos (inquit) inuenero, eorũ gratia toti loco ignoscam. Et Abrahamus: Audacter (inquit amplius loquẽs) facio, qui Dominũ meũ alloquar, cum sim ipse puluis & cinis. Sed tamẽ de quinquaginta bonis aberũt forsitã quinq;, an propter quinq; euertes totã urbem? Nõ euertam (inquit ille) si illic quadragintaquinq; inuenero. Quid (inquit rursum Abrahamus) si quadraginta? Etiã propter quadraginta abstinebo. Quęso Domine (inquit Abrahamus) ne ęgrẽ feras, si pergo quærere. Quid si triginta? Nõ faciã (inquit ille) si illic inuenero triginta. Et Abrahamus: Næ ego audax, qui cũ Domino meo colloquar. Quid si uiginti? Et ille: Etiã propter uiginti non excindã. Tum Abrahamus: Hoc te postremum interrogabo Domine, si tibi grauis nõ sum: Quid si decẽ? Etiam propter decem non euertam, inquit.

CAPVT XIX.

TVm Ioua, facto cũ Abrahamo loquendi fine discessit. Abrahamus eodem, unde digressus erat, reuersus est. Genij aũt illi duo ad Sodomã sub uesperum peruenerunt. Eos conspicatus Lotus, qui tũ in porta Sodomæ sedebat, processit eis obuiã: cumq; summisso ad terrã uultu salutauisset, rogat, Domini eos nomine appellans, ut ad se in eam noctem diuertãt, lauaturi pedes, & postridie reliquum itineris aggressuri. Recusantes, et sese in foro pernoctaturos dicentes, adeò urget, ut ad eũ diuerterint: eisq; domũ deductis cœnã dedit, coctis sine fermento panibus. ¶ Capto cibo, nondũ cubitũ discesserant, cũ Sodomitani iuuenes, senes, deniq; uniuersus ad unũ populus domũ obsidebant, & Lotum nomine uo-

Lotus genios domũ inuitat.

Heb.13.a

B cãtes clamabãt: Vbi sunt homines isti, qui ad te in hanc noctem uenerunt? Produc ad nos, ut eos cognoscamus. Tũ Lotus ad eos extra fores egressus, clauso post se ostio dicit: Noli te quæso, fratres, scelus facere. Sũt mihi filiæ duæ, quæ uiri notitiã nõ habuerũt. Eas malo uobis ad uestrã libidinẽ producere, quàm si quid in hos homines grauius consulatis, qui ideo sese sub mei tecti præsidiũ commiserunt. Tũ illi, iusso paulisper recedere Loto: Enimuerò non ferendũ esse dicere, ut qui unus ad peregrinandũ uenisset, is alijs facienda præscriberet: simulq; ei grauiora quàm hospitibus, minantes, magno impetu in hominẽ facto, ad ostium perrumpendum accedũt. Sed hospites Loto manibus suis intrò ad se recepto, ostium obserauerũt: tum illis, qui pro fo-

2.Pet.2.b

Sap.19.c

C ribus erant, à minimo ad maximũ, tantã cæcitatẽ iniecerunt, ut ostium inuenire frustra conarẽtur. ¶ Deinde Lotũ admonuerunt, ut si quẽ præterea habebat illic generũ, aut liberos, quicquid denique in urbe habebat, illinc educeret. Nam sese iã eum locũ esse perdituros, ad hoc ipsum à Ioua missos, qui tãtorum flagitiorũ querelis offensus esset. Tum Lotus egressus, generos suos qui eius filias duxerant, conuenit, hortaturq; ut ex eo loco emigrẽt: Iouã enim euersurũ esse urbẽ. Sed illi eũ iocari sunt arbitrati. Et iam sub auroræ ortũ urgebant genij Lotũ, ut uxorẽ, & duas, quæ in præsentia aderãt, filias educeret, ne ciuitatis culpã lueret. Cunctantem homines manu D

prehendũt, necnon eius cõiugem, atq; filias, propterea quod ei parcebat Ioua, & extra urbẽ educunt atq; sistunt. Eo educto: Caue (inquit [a]ille) si tuã salutem amas, ne post tergum respicias, ne'ue usquam toto in cãpo cõsistas, sed euadas in montẽ, ne pereas. Quibus Lotus: Hoc mihi quæso, inquit, remitte Domine, postquã pro tua benignitate tanto me obstringis beneficio, ut meã salutem conserues. Ego certè in montẽ euadere nõ potero, quin exitio correptus exanimer. Est hic ꝓpinquũ quoddã oppidulũ, ad confugiendũ opportunum. Liceat mihi eò me recipere, & ita saluti meæ prospicere: [b]est sanè perparuũ. Cui ille: Etiã hac in re, inquit, tibi indulgebo, ut oppidum istud non eruam. Matura eò te recipere. E

Sap.10.a

a alter geniorum.

b Eadem opera peto, ut ei oppido parcatur. alioquin, ego quoq; perirẽ. uerùm nõ magna peto, cùm sit oppidũ perparuũ.

Neq; enim mihi fas est quicquã facere, donec eò perueneris. Atq; [c]hâc ob causam oppidum Sigoris nominatũ fuit. in quod postquàm Lotus terris oriente sole ingressus est, Ioua ab se de cœlo sulphur et ignẽ in Sodomã et Gomorrã depluit, urbesq; illas & totũ planũ tractũ, omnesq; urbiũ incolas, & terrę stirpes funditus euertit. Vxor autẽ Loti q̃ eũ sequebat, respexit, & in statuã salis uersa est. ¶ Manè ubi surrexit Abrahamus, ex eo loco, ubi in Iouæ cõspectu steterat, aspiciẽs Sodomã et Gomorrã uersus, & omnẽ campũ, cõspicit exhalantẽ ex terra uaporẽ, qualis esse solet calcariæ. Et F

Sap.10

c à paruitate, quòd Lotus paruum esse dixisset.

Sodomæ euersio.

Esa.13.

Iere.50

Ezech.16

Osee 11

Amos 4

Luc.17

Abrahami quidẽ recordatione Deus Lotum è media emisit ruina, dũ urbes illius planiciei, quarũ Lotus erat incola, euertit. ¶ Lotus aũt Sigori degere nõ ausus, ab ea discessit, & in mõte cũ duabus suis filiabus in quadã spelunca habitauit. Earũ autẽ filiarũ natu maior cũ minore egit, ut quoniã pater consenuisset, nec quisquam in terra uir superesset, à quo, sicut ferret omniũ mortaliũ natura, cõprimerẽtur, patrẽ uino inuitarẽt, & ex eius cõcubitu proli cõsulerẽt. Ergo ei uinũ ea nocte largius miscent, & cũ patre grãdior natu filia cõcumbit. neq; ille eã neq; cubantẽ sensit, neq; sur-

Iudæ 1

Suprà 18

Lotũ filiæ inebriant.

gentẽ. Postridie demõstrat grandior iuniori, G sese pridie cũ patre cubuisse: hortatur ut ei uinũ etiã in proximã noctẽ largius præbeat, & cum eo ipsa uicissim cubet, ut ex patre soboli prospiciãt. Quod cùm illa fecisset, & idẽ euenisset, ut neq; cubantẽ ille, neq; surgentẽ sentiret, cõceperũt ex patre duæ Loti filiæ: quarum grandior filiũ peperit, quem Moabum nũcupauit. ex eo ꝓgnati sunt Moabitæ, qui etiamnũ manent. Minor item filium, cui Benammi nomen fecit: à quo natum est genus Ammonitarum, qui hodie etiam durant.

CAPVT

CAPVT XX.

Abimelechus Sarā accersit.

ABrahamus autē inde uersus meridiem profectus, consedit inter Cadē & Sur, & Geraris peregrinatus est. Ibi cū Saram pro uxore sororem esse diceret, curauit Abimelechus rex Gerarorū eam ad se accersendā. Sed eū Deus noctu in somnis cōuenit, his uerbis: Scias tibi moriēdum esse propter eam, quam duxisti, mulierem, quæ quidē habeat maritū. Hic Abimelechus, qui eam nō attigisset: Domine (inquit) etiam'ne insontes interficies?

B

nonne cū mihi & ipse sororē, & ipsa fratrem suum esse dixerit, hoc sincera mēte, intemeratis'que manibus feci? Cui Deus in somnis: Et ego scio (inquit) istud te sincera mēte fecisse, & ideo te facinus cōtra me admittere prohibui, neq; ut cū ea rē haberes permisi. Sed nūc redde mulierē uiro, qui uates est, ut eo deprecatore salutē impetres. Quod nisi reddis, scias & tibi & tuis omnibus esse moriēdum. Manè surgit Abimelechus, cōuocatisq; suis omnibus, rem omnem apud eos exponit, qua ex re magnus eos metus incessit.

C

Deinde euocatū Abrahamū sic alloquitur: Quid fecisti nobis, aut quid aduersum te commisi, ut mihi meoq; regno tantā noxā importares? certè contra officiū aduersus me fecisti. Quid tibi ueniebat in mētem, cū istud faceres? Cui Abrahamus: Verebar (inquit) ne, si fortè nulla hoc in loco uigeret religio, uxoris meæ causa occiderer. Quanquā etiam uerè mea soror ex patre est, ex matre nō item, uerùm ea sum usus cōiuge. Sed cū me Deus à domo paterna abstraheret,

D

ab ea in beneficij loco petiui, ut quæcunq; in locū ueniremus, suum me esse fratrē diceret. ¶ Tū Abimelechus Abrahamo pecora, & boues, & seruos, & ancillas dedit, & Sarā uxorē reddidit, atq; ita dixit: Mei tibi fines patēt: ubicunq; uisum erit, habites licet. Deinde Sarā alloquēs: Fratri tuo (inquit) dedi mille argēteos, qua tu tui pudoris defensione apud oēs & tuos utaris, et alienos. Deinde Abrahamo deprecāte, Abimelechū Deus, eiusq; uxorē & ancillas sanauit, et eis gignēdi uim restituit. Nā propter Sarā Abrahami cōiugē omnes Abilmelechi domus uteros obsignauerat.

CAPVT XXI.

Nascitur Isaacus. Gala.4.c. Heb.11.c. Matth.1.d.

SAræ autē Ioua adfuit, ut prædixerat, eiq; promissa præstitit, ut conceptū ex Abrahamo iam sene filiū ad promissum illi à Deo tempus pareret: quem Abrahamus Isaacum nominauit, & octauo à natiuitate die (ut erat à Deo iussus) circūcidit, ipse tū annum agens centesimū, cum ei Isaacus filius natus est. Sara autē hęc uerba ꝓtulit: Ridere me fecit Deus: hoc quicunq; audiet, arridebit mihi. Quis unquam (inquit) dixisset Abrahamo, Sarā liberos esse lactaturam? & tamen [a] eius senectæ filium peperi. Cum autē grandescēs iam puer Isaacus esset ablactandus, ipso ablactādi die magnū Abrahamus fecit cōuiuiū. ¶ Cumq; animaduertisset Sara filiū Hagaris Aegyptię, quē ex Abrahamo pepererat G. L. Isaaco filio

B

suo H. illudentem, ita dixit Abrahamo: Eijce hanc ancillam, eiusq; filiū: neque enim huius ancillæ filius cū filio meo Isaaco in hęreditatem ueniet. Ea res cum Abrahamo propter suum filiū magnopere displiceret, Deus eum sic monuit: Noli pueri & ancillæ tuæ uicē dolere, sed Saræ hoc toto in negocio obtēpera. nā tibi ex Isaaco denominabitur progenies: quanquam ancillæ quoq; filiū in gentē propagabo, quia tua proles est. ¶ Igitur manè surgit Abrahamus, panemq; & aquæ lagenā Hagari dat, & eius, pueriq; humeris imponit, eāque amādat. Quę cū in deserta Bersabę uenisset, ibiq; erraret, cōsumpta lagenæ aqua, puerum sub quendā fruticē abijcit: ipsa ne moriētem uideret recedit: et cū ab eo teli iactū distaret, è regione sedēs ploratū edere incipit. Sed audita à Deo pueri uoce, Dei genius Hagarem de cœlo appellauit: Quid habes Hagar?

C

inquit. Bono es animo: nā pueri uocē Deus ex eo, in quo est, loco exaudiuit: Surge, & puerum manu prehēsum alleua: nā ex eo magnam ego gentē efficiam. Deinde diuinitùs apertis eius oculis, animaduertit aquæ puteum, ad quem accessit: & repleta lagena aquę, puero bibere dedit. Hic puer Deo secūdo creuit, & syluestrē uitā agēs, fuit sagittarius. Incoluit autē in solitudine Pharane. Ei mater uxorē locauit ex Aegypto. ¶ Per id tēpus Abimelechus cū sui exercitus duce Phicole, Abrahamū huiusmodi uerbis adortus est: Quoniā quidē adest tibi Deus in omnibus tuis negocijs, iura mihi per Deū in pręsentia, te neq; mihi, neq; meis natis aut nepotibus nociturum: contraq;, qua ego sum benignitate erga, te usus, eadē te erga me, & terrā, quæ te peregrinū accipit, esse usurū. Hic Abrahamus iureiurando cōdicto, cū illo expostulat de aquę puteo, quē illius serui per uim occupauerāt. Et Abimelechus: Ego uerò nescio, inquit, quis rem

D

istam fecerit: neq; tu de ea fecisti me certiorē: neq; ego ante hodiernum diem audiui. Tum Abrahamus oues & boues sumpsit, & Abimelecho tradidit, atq; ita fœdus inter se percusserunt. Cumq; seorsum statuisset Abrahamus agnas septē, dixit Abimelechus: Quorsum istas septē agnas seposuisti? Cui ille: Vt tu his septē agnis de mea manu acceptis, inquit, testis mihi sis, hūc à me esse depressum puteū. Et hāc ob causam uocatus est locus ille [b] Bersaba, quòd illic duo illi iurauissent. Igitur icto apud Bersabā fœdere, Abimelechus & Phicol in Palæstinos redire contenderunt. Abrahamus autē nemus apud Bersabam seuit, & ibi Iouæ Dei nomen immortalis inuocauit, estq; diu in Palæstinis commoratus.

CAPVT XXII.

Abrahamꝰ iubetur immolare filium.

HIs rebus ita peractis, Deus Abrahamū tētauit adhūc mōdū: Abrahame, inquit. Cui ille: Quid est? Adhibe, inquit, filiū tuū unicū, quē deamas, Isaacū, & in terrā Moriā ꝓfectꝰ eū mihi illic immolato sup quodā mōte, quē ego tibi ostēdā. Manè surgit Abrahamus, et clitellato asino, adhibitis duobꝰ famulis, et Isaaco filio, scissisq; sacrificalib. lignis, in eum

Marginal notes:

a ei seni.

Gal.4.d.

Heb.11.d

Amādatur Hagar.

Abimelechi cum Abrahamo fœdus.

b iurisiurandi puteus.

a Et tamen habebat etiam Ismaelem. Sed ab Ismaele nō ducuntur Abrahamidæ. Iudith.8.c Heb.11.d

in eum locum ire cōtendit, quem ei dixerat
B Deus. Die tertio locũ procul animaduertẽs, famulis iubet ut ibi cũ asino prẹstolẽtur, dũ ipse et puer illò eãt, adoraturi, et inde ad eos redituri. deinde sacrificalibus lignis Isaaco filio suo impositis, ipse secũ ignẽ fert, & cultrum. atque ita ambo simul eunt. Et Isaacus: Mi pater, inquit Abrahamo. Cui ille: Quid uis mi fili? Hic quidem est ignis & ligna, inquit ille, sed ubi est agnus immolandus? Et Abrahamus: Deus prouidebit ipse sibi agnũ ad immolandum fili, inquit. Ita pergunt ire simul. Vbi in locũ à Deo ei significatũ peruentũ est, ibi Abrahamus aram extruit, dispositisq; lignis Isaacũ filium suum constringit, & lignis in ara superponit: deinde cultro manũ admouet ad filiũ suũ immolandũ. Sed eũ Iouæ genius de cœlo reuocãs, Abra-
C hame, Abrahame, inquit. Cui ille: Quid est? Noli (inquit ille) puero manũ afferre, aut in eũ quicquã cōmittere. Nam satis iam mihi explorata tua religio est, qui mea causa ne à filio quidẽ, eoq; unico, abstineas. Tũ Abrahamus erectis oculis pone conspexit arietẽ cornibus in dumo hærentẽ, ad quẽ accessit, & comprehensum, pro filio suo immolauit, eumq; locum Iouareã, à Ioua uidente denominauit, hodieq; etiam mons à Ioua uidẽdo uocatur. Abrahamũ autẽ Iouæ genius iterũ de cœlo sic interpellauit: Per me iuro, inquit Ioua, quoniam fecisti ut te ne ab unico quidẽ filio abstineres, ego & tibi fauebo, & tuã stirpem ad stellarum cœlestiũ, & arenarum
D littoris marini numerũ augebo, perficiamq; ut hostiũ suorũ [a] portis potiatur, utq; in tuã stirpe omnes orbis terrarũ gẽtes sese beatas ferant, quoniã tu mihi dicto audiens fuisti. Deinde Abrahamus ad famulos suos rediјt, indeq; profecti ad Bersabã unà peruenerũt, ibiq; habitauit Abrahamus. Postquam hæc gesta sunt, Abrahamo nunciatur, Nachorẽ eius fratrẽ ex Melca liberos sustulisse, Vsum primogenitũ, Busum, Camuelẽ, à quo Syri orti: Casedũ, Hasonẽ, Pheldam, Iedlaphum, & Bathuelem, qui porrò genuit Rebeccam. Præter hos octo ex Melca procreatos, Nachor ex cōcubina sua nomine Ruma genuit Tabã, Gahamũ, Thahassum, & Maacham.

Psal.104.a. Luc.1.g. Eccl.44.d. Heb.6.c. 1.Mach.2.f. Luc.1.d. a hoc est, urbibus. Sup.12.d.8. c. Inf.26.d. Acto.3.d

CAPUT XXIII.

Sara moritur.

Sara autẽ cōpletis centũ uigintiseptem annis, mortua est Cariatharbæ, quæ eadem Hebrō est, in Chananæa, ad quã lugendã & deplorãdã accessit Abrahamus. deinde omisso defuncto suo, Hettæos his uerbis cōuenit: Ego sum peregrinus & aduena inter uos: tribuite mihi apud uos possessionẽ sepulturæ, ubi meũ sepeliam mortuum, & è conspectu meo amoueam. Ad hæc Hettæi: Attende nos Domine, inquiũt Abrahamo respondẽtes. Tu inter nos es princeps quidã diuinus, elige de nostris sepulchretis, ubi tuum sepelias mortuũ. Nostrũm quidem ne-
B mo suo te sepulchro prohibebit, quo minus in eo sepelias. Hic Abrahamus, cum assurrexisset, & incolis Hettæis honorẽ summissẽ habuisset: Si uobis cordi est, inquit, ut meũ defunctum sepulchro condã, hoc mihi præterea cōcedite, ut pro me cũ Ephrone Seoris filio agatis, ut mihi cauernã duplicẽ, quam habet in extremo sui fundi, uobis prẹsentibus addicat, et addicat iusto argẽto, in usum sepulchri. Hic Ephron Hettæus, qui tũ aderat inter eos, audientibus Hettæis omnibus quotquot in curiã uenerant, Abrahamo re- C spōdet his uerbis: Ausculta mihi potius, Domine. ego tibi & fundũ, & fundi cauernã dono, idq; in præsentia meorũ populariũ, ubi tuũ sepelias mortuũ. Tũ Abrahamus honore incolis summisse prẹbito, ijsdẽ audiẽtibus Ephroni respondet: Imò tu potius ausculta mihi: Ego tibi pro fundo pecuniã dabo: hãc tu à me accipe: ita illic meũ mortuũ sepeliã. Cui Ephrō: Domine attẽde, inquit. fundus hic, quo de inter me & te agitur, est quadringentis argẽti siclis, si tanti uis humare. Hoc audito, Abrahamus Ephroni argentũ ex illius taxatione appẽdit, prẹsentibus Hettẹis D uidelicet quadringẽtos siclos argẽti cōmercialis. Ita Ephronis fundus duplici cauerna, qui fundus est è regione Mambræ, cum ipsa cauerna, & omnibus arboribus quæ circũquaque in toto eius spacio erãt, Abrahamo emancipatus est in possessionẽ, prẹsentibus Hettæis omnibus quotquot in curiã uenerãt. Postea in ea cauerna, quæ è regione Mãbræ siue Hebronis est, Abrahamus Sarã cōiugẽ suã sepeliuit, in terra Chananæa. Hoc pacto fundus ei, unà cum cauerna, in usum sepulturæ ab Hettæis addictus est.

CAPUT XXIIII.

Abrahamus seruũ obtestatur ut Isaaco uxorẽ det, eius popularem.

Cum autẽ consenuisset Abrahamus, & ætate processisset, omnia ei bene fortunante Ioua, seruũ, quẽ domi seniorẽ tum habebat, et omnibus suis prẹfecerat, his uerbis alloquitur: Suppone manũ tuã meo femori, ut te per Iouã cœli terræq; Deũ obtester, ne filio meo Isaaco uxorẽ ex Chananæis, apud quos ego habito, asciscas: sed in terrã meam patriam profectus, inde ei accersas. Cui seruus: Quid si nolet me mulier in hãc regionẽ sequi? inquit. tuum'ne ego filium in eam regionem reducam, ex qua tu oriũdus es? Caue (inquit Abrahamus) ne filium meum illò reducas. Ioua Deus cœlestis, qui me à domo paterna, & natali solo distraxit, qui mecum collocutus, iurauit se meæ stirpi daturũ hãc terrã, is inquam suo tibi præmisso genio efficiet, ut illinc cōiugẽ meo filio capias. Quòd si te mulier sequi noluerit, huius certè iurisiurãdi religione solutus eris, modò ne filiũ meũ illò reducas. Tum seruus manu femori Abrahami domini sui subiecta, in rem illam iurauit. deinde adhibitis decẽ ex dominicis B camelis, profectus est, secũ ferens de omnibus domini sui bonis, et in Mesopotamiã ad oppidũ Nachoris puenit. Ibi camelis extra oppidũ stabulatis ad puteũ aquæ sub uesperum, quo tẽpore aquatrices prodeunt, sic loquitur:

Sup.12.b.

quitur: Ioua Deus domini mei Abrahami, da mihi prosperos hodie successus, et hoc beneficiũ Abrahamo hero meo cõcede, ut me nunc ad fontem stante, cum oppidanorum puellæ ueniunt aquatũ, sic res cadat, ut quæ mihi puella petẽti urnã ad bibẽdũ deponet, & meos præterea camelos adaquãdos suscipiet, ea sit quã tu Isaaco tuo destinasti, & ex eo intelligã te in herũ meũ benignitate uti.

Rebecca. Nondũ ea finierat, cum Rebecca nata ex Bathuele filio Melcæ, coniugis Nachoris, fratris Abrahami, urnam in humeris ferẽs exibat, puella facie elegãtissima, uirgo, & ignara uiri. Hęc ad fontẽ descẽdit, repletaq; urna ascendebat. Tum seruus obuiã ei occurrẽs: Heus, inquit, da mihi bibere paulum aquæ ex tua urna. Cui illa: Bibe, inquit, domine, simulq; demissa confestim in manum suam C urna, dat ei bibere. atq; ubi is perbibit: Etiã tuos, inquit, camelos adaquabo ad satietatẽ bibẽdi. statimq; trãsfusa in aquarium urna, recurrit ad puteũ ad hauriẽdũ, & ad omnes haurit camelos. Homo interea eam silentio cõtemplari, ut exploraret utrum id sibi iter prosperaret Ioua, nec'ne. Deinde postquam perbiberũt cameli, auream profert inaurem dimidij sicli põdo, & duas ad eius manus armillas denûm aureorum pondo, eamq; alloquitur: Cuius es filia? indica mihi an sit domi patris tui locus nobis ad pernoctãdum. Cui illa: Filia sum Bathuelis, quẽ ex Melca Nachor sustulit. Straminis autem & pabuli apud nos affatim est, necnõ locus ad pernoctandum. Hic ille Iouã suppliciter uenerãs: Gratias ago Iouæ, inquit, Deo domini mei Abrahami, qui dominũ meum sua benignitate & fide non destituerit, cum meũ iter ad domũ cognatorũ eius direxerit. At puella domum matris rem enunciatũ cucurrit. Habebat autẽ Rebecca fratrem nomine Labanem, qui ad hominem foràs ad fontẽ cursu D contendit. Cumq; inaurẽ & armillas in manibus Rebeccæ sororis suæ uidisset, & eam uerba illius referẽtem audiuisset, adit hominem, stantẽ apud camelos ad fontem: eumq; à Ioua saluere iussum, hortatur ne foris maneat. nam sese ei domum, & camelis locum præparasse. Itaq; hominẽ domum abducit, solutosq; camelos stramine curat, & pabulo. Ipsius autẽ, & eius comitũ pedes aqua lauandos curat: deinde cibum ei apponit. At ille cibum capturũ se negat, nisi prius negocium suum proposuerit. Et iubente Labane ut proponeret, sic uerba facit: Ego sum seruus Abrahami, hominis summas à Ioua fortunas & amplitudinẽ consequuti: tum ouibus & capris, bubusq;, tũ argẽto atq; auro, tum seruitio & camelis atq; asinis dotati. Is ex Sara uxore iam uetula filiũ sustulit, quem hæredem ex asse constituit, meq; iureiurãdo astrinxit, ne filio suo uxorẽ conciliarem ex Chananęis, quorũ ipse in finibus incoleret: sed domũ suam patriã profectus, ex suorum E cognatorum familia asciscerẽ. Cui cum ego dicerem, futurum esse forsitan ut me non sequeretur mulier: respõdebat, Iouã, ad cuius ipse normã uitam suã instituisset, missurum esse mecum geniũ suum, ad secundandum meum iter, & ad uxorẽ filio suo ex sua gente, & domo paterna, conciliandã: ac fore me illo sacramẽto liberum, si modò ad suos consanguineos uenissem, etiam si non impetrauissem. Hodie ubi ad fontẽ ueni, Iouã Deum domini mei Abrahami orabam, ut si placeret hoc mihi institutũ iter prosperare, efficeret, ut me ad fontem astante, quæ puella ad aquandũ egrederetur, si mihi petẽti paulum aquæ ex sua urna ad bibendum, & daret, & camelos etiam sese adaquaturam diceret, ea esset quã ipse heri mei filio in cõiugium destinasset. Vix ea cũ animo meo locutus erã, cum ecce egressa Rebecca, urnã in humeris ferẽs, ad fontẽ descẽdit, atq; haurit. Et cum ex ea potum petiuissem, confestim deposita urna offert, & camelos etiam adaquãdos suscipit, meq; & camelos adaquaui. quærẽtiq; cuius esset filia? respõdit, Bathuelis, filij Nachoris ex Melca. Tũ ego eius faciei inaurẽ, F & manibus armillas accõmodaui: Iouamq; heri mei Abrahami Deũ summissè ueneratus, ei gratias egi, quòd me tã certa uia deduxisset ad herilis cognati filiam, herili filio conciliandã. Nunc si in animo habetis, hoc beneficio atque officio dominum meum demereri, facite ut sciã: sin minus, nihilo secius ut aliquam aliam uiam insistã. Tum Laban & Bathuel: Hęc planè à Ioua orta res est, (inquiunt respondentes) neq; nos tibi omnino repugnare possumus. Proinde Rebeccã tibi permittimus: hanc tu domini tui filio nupturam, sicuti Iouæ uisum est, ducito. His illorum uerbis auditis, seruus Abrahami, Iouam summissè ueneratus, argentea aureaq; uasa uestesq; profert, & Rebeccę dat, eiusq; etiã fratri & matri strenas. Tum demũ ipse & eius comites cibũ capiunt: deinde cubitũ discedunt. Postridie ubi surrectũ est, petit ut ad dominũ remittatur. Puellæ frater & mater respondent, profecturũ, postquã ea cum ipsis dies circiter decẽ fuisset. Ille cõtrà hortatur, ne se remorẽtur: debere se, dũ ab Ioua id sibi iter secundatur, dimitti, & ad dominũ redire. Tum illi puellã se euocaturos dicũt, G & eius sententiam percontaturos. simulq; euocãt, & ex ea quærũt, uelit'ne cũ homine discedere? Illa uerò, uelle dicit. Sic illi Rebeccam sororẽ suã, unà cum eius nutrice, Abrahamiq; seruum, & eius comites dimiserunt, Rebeccęq; fausta precati sunt his uerbis: Prolem tibi, nostra soror, optamus cẽties centenariam millenariã, & eam quidem quæ hostiũ suorũ portas obtineat. Igitur Rebecca, eiusq; puellæ in camelis equitãtes, hominẽ sequutę sunt. Ita seruus ille, assumpta Rebecca, profectus est. Isaacus autẽ, qui tũ ad meridiem incolebat, à puteo Lahæroi reuertẽs (nam per tempus pomeridianum rus animi gratia exierat) uenientes camelos animaduertit

uertit: & simul Rebecca Isaacum conspicata, desilit de camelo, & seruum interrogat, Quisnam uir ille sit, qui per agrum aduersum ipsos tendat? Ille dominum suũ esse respõdet: atque illa flameo expedito sese obuelat. Seruus autẽ Isaaco quę fecerat, exposuit omnia. Isaacus Rebeccam in tabernaculũ matris suæ introduxit, eamq; in matrimoniũ duxit, & eius amore dolorem quem capiebat ex Sara matre, leniuit.

CAPVT XXV.

1.Para.1.c. Cetura.

Abrahamus autem aliam item uxorem duxit, nomine Ceturã: ex qua sustulit Zamranem, Iocsanem, Madanẽ, Madianem, Isbocum, & Suam. Iocsan genuit Sabam, & Dodanẽ. Dodan Assurin, Latusim, & Laumim. Madian Epham, Ephrem, Henochum, Abidã, & Eldaam. Hi omnes nati sunt ex Cetura. Dedit autem Abrahamus omnia sua Isaaco, & côcubinarũ quos habebat filios muneribus donatos orientem uersus, donec adhuc in uita erat, ab Isaaco amandauit. Ac postquam centum septuaginta quinque compleuisset annos, peracta feliciter ætate, maturaq; senectute, uita emigrauit, & ad suos populares est aggregatus. Eum Isaacus & Ismael filij sepeliuerunt in duplici cauerna fundi Ephronis, filij Seoris Hettæi, qui fundus est è regione Mãbræ, ab Abrahamo emptus ex Hettęis, ubi ipse & eius uxor Sara sepulti sunt. Mortuo Abrahamo, Isaacus eius filius fortunãte Deo, puteo Lahæroi accoluit. Ismaelis autem, Abrahami ex Hagare Aegyptia, Saræ ancilla filij, multiplicis filiorũ generis nomina hæc sunt. Primigenius Nabaiothus, Cedar, Adbeel, Mabsamus, Masma, Duma, Massa, Hadar, Thema, Ietur, Naffis, & Cedema. Hi duodecim Ismaelis filij, sui quisq; populi principes, uarijs uicis & castellis fuerũt, atque inter Heuilã & Sur cõtra Aegyptũ habitarunt, uergentes ad Assyriam. Ipse Ismael confectis centũ triginta septẽ annis uita defunctus, et ad maiores suos est allectus, cũ ad obitũ usq; suis omnibus fratribus inuitis cõstitisset.

Moritur Abrahamus.

B

Ismaelis progenies. 1.Para.1.b.

C

Iam de genere Isaaci Abrahami filij dicendum est. Abrahamus Isaacum genuit. Isaacus quadraginta annos natus Rebeccam Bathuelis & Labanis Syrorum, illius filiam, huius sororem, ex Mesopotamia in matrimonium accepit, posteaq; ut conciperet (erat enim sterilis) Iouam precibus exorauit. Sed cũ fœtus in eius utero conflictarentur, illa dixit: Si ita sit [a]quorsum tandem uiuo? deinde ad Iouæ oraculum percontandũ adit, quod fuit huiusmodi: Duę sunt gẽtes in uentre tuo, duoq; ex utero tuo populi [b] diuidẽtur, quorum alter altero plus poterit, minoriq; seruiet maior. Deinde confecto ad pariendum tẽpore, ferebat in utero gemellos: quorum prior egreditur, rufus totus, & uillosi cẽtonis instar. ei nomẽ Esaus impositũ est. Deinde exijt eius frater, Esai calcem manu tenẽs. is Iacobus nominatus est. Ii, sexagesimum annum agente Isaaco, nati sunt. quibus pueris iam adultis, fuit Esaus uenãdi peritus, & agrestis: Iacobus autem, uir integer, tabernaculorũ habitator. Illũ Isaacus, quod [c] ferinam habebat in ore: hũc Rebecca adamabat.

Roma. 9.d.

a Satius est me mori, quàm ita cruciari.

Osee 12.d.

b diuersi orientur.

Mat.1.a.

D

Esai & Iacobi natiuitas.

c Esai ferina uescebatur.

Cum coxisset aũt Iacobus edulium, Esaus, qui rure lassus redierat, sic ei dixit: Imperti mihi quæso de rufo, de rufo isto: nã defessus sum (ex quo etiã à rufi uocabulo Idumi nomen inuenit.) Cui Iacobus: Vẽde mihi, inquit, in præsentia, tuæ ætatis pærogatiuam. Et Esaus: Ego iam iamq; emorior, quo mihi istam prærogatiuã? At Iacobus: Iura mihi in præsentia, inquit. Ille uerò iurat, & Iacobo ætatis prærogatiuã uendit, pro qua panẽ ab eo, & confectum ex lentibus eduliũ accepit, ciboq; & potu refectus discessit: eò usq; pręrogatiuã contempsit.

Idumus. Heb.1.d. Abdiæ 1.a.

CAPVT XXVI.

Extitit autẽ in ea regione fames altera, pręter illam superiorẽ, quæ temporibus Abrahami fuerat. Tum Isaacus Gerara ad Abimelechum Palæstinorum regem descendit. & ei Ioua apparuit, eumq; monuit ad hũc modum: Noli in Aegyptum descendere, sed in regione, quam tibi ostendero, consideto. in ista commorare. Ego tibi secundus adero, tuoq; etiã semini, non modò tibi has omnes terras dabo, idq; semen (ut fidem Abrahamo patri tuo iureiurãdo datam conseruem) ad numerum stellarum augebo, & tuo semini has omnes terras dabo, & in tuo semine omnes orbis terrarum gentes beatas se ferent: quoniam mihi dicto audiens fuit Abrahamus, meaq; instituta, præcepta, decreta, legesq; conseruauit. Ita Isaacus Geraris habitauit. & interrogatus ab eius loci incolis de uxore sua, respõdit sororem esse: ueritus uidelicet, ne si uxorem esse dixisset, cum esset Rebecca formosa, ipse propter eam ab illis interficeretur. Sed eis ibi dies aliquot commoratis, Abimelechus Palæstinorũ rex per fenestram aspiciens, animaduertit eum cũ Rebecca uxore sua ludentem. Itaque eum euocauit, et cũ eo uerbis expostulauit in hunc modum: At uxor tua est, & tamẽ tu sororẽ esse dixeras. Cui Isaacus: Eo, inquit, cõsilio feci, ne propter eam necarer. Et Abimelechus: Ita' ne uerò factum in nos oportuit? periculum erat, ne quis hominũ cum uxore tua concumberet, in quo tu nobis noxam importasses. Deinde omni populo edixit, ne quis hominẽ, aut eius coniugem tangeret, & id sub pœna capitis.

Isaacus ob famem Gerara contendit.

Sup.12.b.13 d.15.d.18.c. 22.d.

B

C

Fecit aũt Isaacus in ea terra sementem, eoq; anno fruges percepit cũ centesimo, & fauente Ioua in dies magis magisq; crescebat, ita ut opulentissimus factus sit. Abundabat ouium & caprarũ, abundabat boum pecore, & seruitio. Qua re inuidia in eũ cõmoti Palæstini, puteos omnes, ab Abrahami seruis eo uiuente fossos, peræquarunt, & terra compleuerunt. Ipse Abimelechus Isaacũ iussit ab ipsis discedere, quòd esset longè eis potẽtior. Igitur Isaacus inde profectus, ad torrentẽ Gerarẽsem cõstitit, & ibi locũ domicilio cępit, puteosq; temporib. Abrahami patris sui depressos, & post eius mortẽ à Palęstinis cõpletos, rursum depressit: & ijsdẽ nominibus appellauit, quibus fuerant à patre nũcupati. Sed ubi eius serui ad torrentẽ fodientes, aquæ uiuæ puteum inuenerunt, Gerarẽses

D

Isaacus patris puteos instaurat.

pastores cum Isaacinis rixantes, contendebant
E suam esse aquam: ex quo puteus Essecus, quòd
illi cum eo iurgati essent, nomen habuit. Item
alium puteum cauauerunt, de quo etiam fuit
cõtrouersia: unde ab inimicitijs Satnas dictus
est. Inde digressus, alium puteum demisit, de
quo nulla fuit controuersia, ob eamq; causam
eum Rohobota à latitudine uocauit: quoniam
nũc demum, inquit, explicuit nos Ioua, ut per
terram propagemur. Atque illinc Bersabam

Ioua Isaacum alloquitur.

ascendit. Illa nocte Ioua ei apparuit, eumq; his
uerbis est allocutus: Ego sum Deus Abrahami
patris tui. bono es animo: nam tibi secundus
adero, tuamq; stirpem Abrahami mei causa
F multiplicabo. Igitur Isaacus ibi aram extruxit,
Iouæq; nomen inuocauit, & tabernaculum col
locauit. Ibidem Isaaci serui puteũ perfoderunt.
Abimelechus autem à Geraris unà cũ Ocho-
zatto familiari suo, & Phicole sui exercitus du
ce eum conuenit. & quærenti cur ad se accede-
rent, quem præ odio ex suo consortio expulis-

Abimelechi fœdus cũ Isaaco.

sent, sic respondent: Videmus adesse tibi Io-
uam, itaque constituimus tecum sacramento
agere, & fœdus percutere, ut tu nihil nobis no
ceas: quemadmodum nos te nõ tetigimus, nec
G ulla re nisi bona affecimus, incolumemq; dimi
simus. Quare age, bene fortunante Ioua. Tum
ille eos conuiuio accepit, ciboq; & potione cu-
rauit. Postridie ubi ex somno surrectum est, iu-
reiurando inuicem dato, illi pacato animo ab
Isaaco dimissi discesserunt. Eodem die ad Isaa-
cum serui ueniunt, eumq; de puteo, quem fo-
diebant, certiorem faciunt, & sese aquam inue-
nisse docent: quem puteum ille Sabeam no-

a iusiurandi puteus.

minauit, ob eamq; rem nomẽ illi oppido a Ber-
saba est ad hunc diem. Esaus autem quadra-
ginta annos natus, Iuditham Beeris, & Base-
matham Elonis Hettæorum filias in matri-

Infra 27. g.

monium duxit, quæ quidem Isaaco & Rebec-
cæ acerbitati animi fuerunt.

CAPVT XXVII.

ISaacus autem cum iam præ senio cæcutiret,
Esaum natorum grandiorem ad se uocatum,

Isaacus Esaum uenatum mittit.

sic alloquitur: Nate. Quid uis? inquit ille. Vi-
des, inquit, ut consenuerim, & mortem quoti-
die expectem. Quare sume tuas sagittas, pha-
retramq; & arcum, & pete rus ad uenandũ mi-
hi ferinam, ex qua pulpamentum ex eo gene-
re, quo delector, conficies, mihiq; comeden-
dum afferes, ut tibi bene precer, antequam mo
rior. Hæc Isaaci ad Esaum uerba audiebat
Rebecca. Itaque illo ad uenationem profecto,
cum filio suo Iacobo sic colloquitur: Audiui
cum pater tuus Esaum fratrem iuberet petere
ferinam, ex eaq; confectum pulpamentum si-
bi dare comedendum, ut ei à Ioua bene prece-
tur, antequam moritur. Nunc, fili, obtempera
mihi in eo quod tibi præcipiam. Adi pecus, &
mihi inde duos hœdos opimos afferto, ex qui-
B bus edulium patri tuo tale parabo, quali dele-
ctatur: quod tu ei comedendum offeres, ut tibi
bene precetur, prius quàm è uita emigret. At
Iacobus: Verùm Esaus frater hirsutus est (in-
quit matri) ego depilis. quòd si me fortè pater
attrectauerit, uidebor ei illudere: ita mihi im-
precationem conciliauero, non faustam pre-
cationem. Et mater: Istam, inquit, imprecatio-
nem ego prestabo, nate: tu modò mihi morem
gere, & pete. Tum ille petijt, & matri attulit,
quæ pulpamentum parauit, quo illius pater li-
benter uesceretur. Deinde uestimenta Esai sui
maioris filij elegantiora, quæ domi habebat,
deprompsit, & eis Iacobum filium suum natu
minorem uestiuit. Manus autẽ, & ceruicis læ-
uorem, hœdorũ pellibus muniuit, & ei pulpa-
mentum & panem à se confectũ tradidit. Igi- C
tur ille patrẽ aggressus: Mi pater, inquit. Cui
ille: quid est? Quis es tu fili? Ego sum Esaus
(inquit Iacobus) primogenitus tuus. feci si-
cut tu mihi iusseras. Age sede, & uescere ferina
mea, ut mihi bene preceris. Et Isaacus: Quo nã
pacto tam citò nactus es, fili? Cui ille: Ioua mi-
hi Deus tuus obiecit. Atque Isaacus: Accede
huc, inquit, ut te contrectando noscitem, fili,
utrũ sis ipse filius meus Esaus, nec ne. Cumq;
ille accessisset, Isaacus eum cõtrectans dicebat,
Vocem quidem Iacobi esse, sed manus Esai.
eoq; incognito propter manus, quas, tãquam
Esaus esset, hispidas habebat, ei bene precatu-
rus inquit: Tu ergo es ipse natus meus Esaus? D
Planè. Appone ergo mihi propius, ut cum ex
filij mei ferina comedero, tibi bene precer. Tũ
ille apposuit, & pater comedit, ministratumq;
sibi à filio uinum bibit. deinde filiũ sic alloqui-
tur: Accede, & me osculare, fili. Atque ille ac-
cedit, eumq; osculatur. Et Isaacus olfacto uesti
mentorum eius odore, ei bene precatus est his
uerbis: Hic mei filij odor est, qualẽ à Ioua fœ-
cundatus ager efflat. Deus tibi & cœli rorem,
& terrę pinguitudinem, multumq; frumenti at
que uini impertiat. Tibi seruiant nationes, te *Heb. 11. d.*
populi colant: dominus esto fratrum tuorum,
teq; colãt ex eadem tecum matre nati. Qui tibi
malè optabit, ei malè esto: qui tibi bene opta-
bit, ei bene esto. Postquam Isaacus Iacobo be-
ne precandi finem fecit, simul ac Iacobus è con
spectu patris abijt, Esaus eius frater à uenatio-
ne redierat, paratumq; pulpamẽtum patri ipse
quoque obtulit, & patrem appellans hortaba- E
tur ut assurgeret, & filij ferina uesceretur, ut ei
bene precaretur. Tum pater: Quis tu es? Et il-
le: Esaus, inquit, natorum tuorũ grandior. Hic
Isaacus maiorem in modum obstupefactus:
Quis ergo est is, inquit, qui modò ferinam ue-
natus mihi attulit? ex qua prorsum comedi an-
te tuum aduentum? eiq; sum bene precatus, &
sanè fortunatus erit. Hac patris oratione audi-
ta, Esaus clamorem maiorem cum magno an-
gore edidit, & patrem appellans: Bene precare
etiam mihi, pater. Cui ille: Tuus me frater cal-
lidè aggressus, tuã felicitatem præripuit. Tum
Esaus: Nę ille meritò Iacobus nominatur, in-
quit, qui me iam bis supplãtauerit. primũ enim F
meæ ætatis prærogatiuam interuertit, deinde
nunc meam felicitatem intercepit. Sed tamen
nullam'ne mihi felicitatem reliquã fecisti? Cui
Isaacus: Profectò illi & principatum in te de-
di, & omnes fratres seruos redegi: eumq; fru-
mento

mento muniui, atque uino: quid tibi iam faciam fili? Et Esaus: Vnam'ne felicitatem habebas? inquit patri: bene precare etiam mihi, pater. Hæc cum dicens eiulare cœpisset, sic infit Isaacus: Tua quidem sedes à terrę pinguitudine & à supero cœli rore aberit, gladioque uictũ *Heb. 11.d.* parabis, & fratri tuo seruies. Sed erit cum do- G minaberis, eiusque iugum de tua ceruice excu- *Abdie 1.c.* ties. Ex eo Esaus odio in Iacobum concepto, propter eam quam ille erat à patre consequutus felicitatem, in hæc uerba ipse secum euasit: Patri quidem meo lugendi tempus appropinquat: nam Iacobum fratrem meum interficiã.

His Esai, maioris natu filij, uerbis Rebeccæ nunciatis, Iacobum minorem filium ad se uocatum huiusmodi uerbis admonet: Esaus frater tuus mortem tibi minitatur. Quare fili ausculta mihi: aufuge ad meum fratrem Labanem in Haranem, acturus cũ eo aliquandiu, dum fratris tui ira deferueat. Pòst fratre tibi pacato, & huius tui in se facti oblito, illinc te accersendũ curabo, ne fortè utroque uestrûm orber aliquando. Deinde Isaaco demonstrat, se Hettæarum pertæsam, suæ uitæ tædere. Quòd si Iacobus quoque ex Hettæis incolis uxorẽ duceret, non fore cur in uita diutius esse uellet.

CAPVT XXVIII.

Isaacus Iacobum mittit in Mesopotamiã.

TVm Isaacus Iacobum uocat, eumque faustis ominibus prosequutus, his præceptis instruit: Nolito uxorẽ ducere ex Chananæis, sed in Mesopatamiam domũ Bathuelis, tui ex matre aui, concedito, & uxorem ex Labanis auunculi tui filiabus sumito. Et Deus omnipotens tibi faueat, teque tanta sobole augeat, ut in multiplices populos euadas: eodemque, quo Abrahamum, studio tam te, quàm tuã stirpem prosequatur, ut in tuę peregrinationis terrę posses- *Osee 12.d.* sionem uenias, quam Deus Abrahamo dedit. Ita dimissus ab Isaaco Iacobus, in Mesopota- B miam ad Labanem Bathuelis Syri filium, Rebeccæ suæ & Esai matris fratrem, ire cõtendit.

At Esaus ubi animaduertit Isaacum Iacobo fausta precatum esse, & postquã ei fausta precatus est, in Mesopotamiam ad ducendã illinc uxorem misisse, & ne de Chananæis duceret uetuisse: illum autẽ parenti utrique obsequentem, profectum esse: uiditque Chananæas patri suo nõ placere, ad Ismaelem Abrahami filium se recepit, & eius filiam Mahalatham, Nabaiothi sororem, pręter eas quas habebat uxores, in matrimoniũ accepit. ¶ Iacobus autem à Bersaba Haranem contendens, in locum quendam peruenit, & ibi, quòd sol occiderat, pernocta- C uit: & saxis, quæ in eo loco erant, pro puluino *Scala à terra cœlum attingens.* usus cubuit. Ei in somnijs uisa est scala, quę terrę innixa, capite cœlum pertingeret: per quam diuini genij ascendentes & descendentes conspiciebantur. Atque illi imminens Ioua sic loquebatur: Ego sum Ioua Deus Abrahami patris tui, & Isaaci: cui tu incubas terræ, eam tibi, tuæque stirpi dabo, qua stirpe pulueris in modum aucta ad mare, ad oriẽtem, ad septentriones, & ad meridiem propagaberis, & in te inque tua progenie omnes orbis terrarum gentes fortunabuntur. Atque ego (ut tu scias) tibi adero, *Deut. 12.c. 19.c.* teque quocunque concesseris tuebor, & in hanc terram reducam: nec enim unquã te deseram, quin tibi promissa præstem. Tum Iacobus à somno expergefactus: Certè hoc, inquit, in lo- D co Ioua est, id quod ego nesciebam. At quàm terribilis est hic locus? (inquit territus) nihil aliud est quàm Dei domus, & porta cœli. Deinde manè ubi surrexit, quod saxum capiti suo supposuerat, id in cippum erexit, oleoque caput eius saxi perfudit, & locum Bethel nominè uocauit, cum id oppidum Luza antea diceretur. Votum quoque nuncupauit, in hæc uerba: Si mihi adfuerit Deus, meque in hoc meo itinere conseruauerit, uictumque mihi ad uescẽdum, & uestitum ad induendum dederit, sicque domum paternam saluus rediero: erit mihi Ioua Deus, atque hoc, ex quo cippum erexi, saxũ domus Dei erit: omniumque quæ tu mihi dederis, decumas tibi dabo.

CAPVT XXIX.

Iacobus Haranem peruenit.

DEinde illinc profectus, & ad orientalium partes contendens, uidet in agro tres pecorum greges ad puteum quendam cubantes: nam ex eo puteo greges adaquari solebant. Cum enim putei os ingenti saxo obstructum esset, eòdem congregabantur omnes greges, auolutoque saxo adaquabãtur pecora, rursumque saxum ad os putei in suum locũ reponebatur. Et Iacobus: Fratres, inquit, unde estis? Ex Harane, inquiunt. Ecquid nostis Labanem Nachoris filium? Nouimus. Valet ne? Valet, atque ecce tibi eius filiam Rachelem, cum pecudibus uenientem. Tum ille: Hem, inquit, diei multum adhuc est, ut non sit tempus cogendi pecoris, adaquate, & pastum ite. Ad quem illi: Non possumus, inquiũt, nisi coactis omnibus gregibus amoueatur saxum ex ore putei, ut ita adaquemus. Adhuc cum eo illis colloquente, B ecce aderat cũ pecore paterno Rachel: pasce- *Rachel.* bat enim. Ea cum pecore Labanis auunculi sui uisa, Iacobus ad puteum accedit: & auoluto ab ore putei saxo, auunculi pecus adaquat. Deinde eam fletum edendo osculatus, indicat se patris eius consanguineum, & Rebeccæ filium esse. Quod cum illa patri renunciatum cucurrisset, Laban audito Iacobi nomine, sororis suę filij, ei obuiã currit, eumque complexus & osculatus, domum suam deducit. Ille Labani rem omnem exposuit: à quo ut consanguineum cognatumque decebat acceptus, postquam ei per unius mensis spacium conuixit, Laban cum eo loquitur: negat eum, quia sit cognatus, propterea debere seruire gratis: hortaturque ut quã si- C bi uelit ab eo mercedem dari, statuat. Habebat Laban duas filias, quarum natu maior Lia, mi- *Lia.* nor Rachel nominabatur. Sed erat Lia oculis *Rachel.* infirmis. Rachel autem specie erat, & facie formosa atque honesta. Hanc cum amaret Iacobus, septem annorũ seruitium pro ea cum Labane paciscitur. Laban præfatus, præstare eam se illi, quàm alteri dare, hominem secum retinet. Ita seruiuit Iacobus pro Rachele septem annos: quod spacium ei perinde uisum est, ac si pau-

si pauci dies fuissent: tantopere eam amabat. Deinde à Labane postulauit, ut, quoniam peractum spacium esset, suam sibi coniugem in coniunctionem traderet. Laban congregatis omnibus loci incolis, conuiuium dedit. Vesperi Liam ei in cōgressum supposuit, & Liæ Zilpam ancillam suam attribuit, quæ ei ancillaretur. Manè Iacobus ubi Liam esse deprehendit, cum Labane expostulat, sese ei pro Rachele seruiuisse ostendit, ab eo decipi non debuisse. Cui Laban respondit, nō esse moris apud eos, ut iuniores antè collocarent, quàm grandiores: *D* peragerèt proximum septenarium, se etiam illam ei pro alterius septennij seruitute traditurum, Id quod fecit Iacobus: completisq; alteris septem annis, Rachelem à patre in matrimonium accepit, cui Racheli pater Balam (quam famulam habebat) in ancillam adiunxit. Ille cum Rachele etiam congressus, eam plus amauit quàm Liam, ut pro qua alterum Labani septennium seruiuisset. Sed Ioua Liam inuisam esse uidens, ei (Rachele sterili) uterum aperuit. *Nascitur Ruben.* Itaque grauida facta, filium peperit, quem Rubenem appellauit: Quoniam respexit Ioua (inquit) miseriam meam, ut meus me uir nunc sit amaturus. Deinde alium habuit, &: Audiuit Ioua me esse inuisam (inquit) mihiq; hunc quoque dedit. *Simeon.* eoq; Simeonem uocauit. Alium item genuit, & dixit: Nunc tandem meus se mihi uir maritabit, cui tres pepererim filios. *Leuis.* eamq; ob causam Leuim nuncupauit. Insuper alium peperit, &: Nunc tādem (inquit) Iouæ gratias agam. *Iudas.* qua de causa ei Iudæ nomen dedit, deinde parere destitit.

CAPVT XXX.

Rachel cum se nullos ex Iacobo liberos habere uideret, inuidia in sororem permota, à Iacobo petijt, ut sibi liberos conciliaret: alioqui sese emorituram. Cui Iacobus iratus: Quasi uerò ego pro Deo sim, inquit, qui te uentris fœtu prohibet. At illa: Est, inquit, Bala ancilla mea, cum ea congredere, ego partum gremio excipiam, prolemq; per eam ipsa quoque consequar. Itaque eam illi in matrimonium tradidit: cuius ex congressu Bala filiū peperit. Tum Rachel: Vindicauit me Deus, inquit, meamq; uocem exaudiuit, & filiū mihi dedit, *Dan.* quapropter Danem eum nominauit. Item alterum Bala ex eodem Iacobo habuit. Tum Rachel: *B* Diuinis certaminibus (inquit) certaui cum sorore mea, atque etiā uici. *Nephthalis* propterea Nepthalim uocauit. At Lia uidens se gignere desijsse, Zilpam ancillam suam Iacobo in coniugium dedit. Quæ cum ex eo filium peperisset: Bene uertat, inquit Lia. *Gadus.* eumq; Gadum appellauit. Alterū item Iacobo peperit. Tum Lia: Ad meam beatitudinem, inquit, quoniam beatam me ferent mulieres. *Aser.* eoq; Aserem nominauit. Cum autem triticeæ messis tempore rus profectus Ruben mandragoras inuenisset, & eas Liæ matri attulisset, Rachel ab ea petebat ut sibi daret de mandragoris filij. Cui illa: Parum' ne est, inquit, ut uiro meo potiaris, nisi potiaris etiam mandragoris filij mei? Ergo pro filij tui (inquit Rachel) mandragoris ille tecum nocte hac cubato. *C* Igitur uespere Iacobo rure uenienti Lia obuiam egressa, ita dicit, Ad me uenies: te enim filij mei mandragoris emi. eaq; nocte ille cum ea cubuit. Lia à Deo exaudita, quintum ex Iacobo filium peperit, &: Dedit mihi Deus mercedem, inquit, pro tradita uiro ancilla. *Issachar.* eam ob rem Issacharem nominauit. Deinde sextum, &: Dotauit me Deus dote bona, inquit. Nunc tandem mecum uersabitur uir meus, cui sex filios pepererim. *Zabulon.* Eumq; appellauit Zabulonem. Postea filiam genuit, quam Dinam nuncupauit. *D* Tum Rachelis memor Deus, eam exaudiuit, eiq; uterū aperuit. Quæ filium cum peperisset, dixit: Aboleuit Deus meum opprobrium. *Iosephus.* Eumq; Iosephum uocauit, sic dicens: Addat mihi alterum Ioua filium.

Nato Iosepho, Iacobus Labanem huiusmodi uerbis aggressus est: Da mihi meas coniuges, & natos, pro quibus coniugibus tibi seruiui, & mihi fac in meam patriam discedendi potestatem. Nam tute scis, quo tibi pacto seruiuerim. Cui Laban: Atqui pergratum mihi feceris, inquit, si (quoniam tua causa Iouam expertus sum certè secūdiorem) tuę mihi mercedis æstimationem feceris, quam tibi uelis à me dari. *E* Et Iacobus: Tute scis, inquit, ut tibi seruiuerim, & quanta tuæ rei per me facta sit accessio. Nam cum esset ante me tenuis, multum amplificata est, & tibi Ioua ad meum aduentum factus prosperior. Sed quando ego tandem meæ domui consulam? Et Laban: Quid tibi dabo? inquit. Nihil (inquit Iacobus) si modò sic mecum agere uoles. Ego tuum pecus iterum pascam, atque curabo: sed totum hodie perlustrabo, *Iacobi merces.* & omnes pecudes ex ouibus pullo notatas, ex capris autem uersicolores & maculosas, ab alijs remouebo, atque hanc mercedem habebo: ad quam cùm postea uentū erit, ipsa me apud te innocentia mea defendet. Ac quicquid aut in capris non uersicolor & maculosum erit, aut in ouibus nulla pulli nota uariabit, id à me abiudicabitur. *F* Tum Laban, id sibi perplacere dixit: & eo ipso die cinctos notis, & maculis uariantes capros, omnesq; uersicolores, & maculosas, & omnino albo capras, & fusco notatas oues secreuit, & suis liberis tradidit: triduiq; itinere inter se & Iacobum interposito, pecudes reliquas Iacobo pascendas dedit. *Iacobi astutia.* At Iacobus ex populeis & colurnis, & castaninis uirgis uirentibus partem corticis detrahebat, & earum album nudabat, deinde eas ponebat in canalibus aquariorum, *G* è regione pecorum, ut cum eò potum uenissent, in aspectu uirgarum inirentur: quod cum fiebat, uarios, & maculosos, & uersicolores fœtus edebant: quos deinde segregabat, & quicquid maculis & fusco in Labanis pecore distinctum erat, id in pecoris aspectu collocabat: sibi autem separatim lacinias constituebat, quas à Labanis pecore seponebat. Ac quoties generosiora incicebant pecora, uirgas in eorum aspectu in alueis deponebat, ut ad eas salirentur, in admissura autem parum generosorum

non

non ponebat. Ita fiebat, ut parum generosa Labanis, generosa autē Iacobi essent. Hoc pacto homo rem suam plurimùm auxit, & numerosum pecus ouillum & caprinum, seruitiaq;, & camelos atque asinos comparauit.

CAPVT XXXI.

SEd dictitabant Labanis filij, Iacobum omnes patris ipsorum facultates abstulisse, & ex eis omnem illum splendorem comparasse. Hęc cùm audiebat Iacobus, tum etiam Labanem animaduertebat non esse eodem erga se uultu, quo solitus fuerat. Tum autem Ioua eum monuit, ut in terrā patriam & natalem reuerteretur, sese ei adfuturum promittens. Igitur Iacobus Rachelem & Liam rus ad pecus suum accersit, & cum eis huiusmodi uerbis agit: Video ego non esse eundem uestri patris in me uultum, qui erat ante hac: cui ego (ut uos scitis) Deo me patrio iuuante, summa ope seruiui, cum ille me interea fefellerit, & mercedem mihi uel decies mutauerit. Sed non permisit ei Deus, ut ea me iniuria afficeret. Si mihi uersicolores præmio destinabat, pariebat omne B pecus uersicolores: sin autē notis cinctos, pariebat omne pecus notis cinctos. Ita ereptum patri uestro pecus, Deus ad me transtulit. Iam uerò tempore admissuræ uidebar mihi in somnis uidere pecoris admissarios notis cinctos, & coloris uarietate, maculisq; distinctos albicantibus. Tum Dei genius sic me interpellabat in somnis: Iacobe. Quid uis? inquam. Erige oculos, inquit, & aspice ut omnes admissarij, qui oues & capras ineunt, notis cincti, & colorum uarietate, maculisq; albicantibus distincti sint. Video enim tot Labanis erga te iniurias. Ego sum Deus ille Bethelis, ubi tu cippum conspersisti, & mihi uotum nuncupasti.

Iacobus cū uxoribus de discessu agit.

Quare age, emigra ex hac terra, & in terram patriam remigra. ¶ Tum Rachel & Lia his uerbis ei responderunt: Quasi uerò quicquam iuris aut hæreditatis in domo parentis nostri retineamus. An non ei alienarum sumus habitæ numero, qui non solum nos uendiderit, sed etiam argentum nostrū comederit? Nam quascunque à patre nostro facultates Deus abstu- C lit, nostræ sunt, & nostrorum liberûm. Quo circa sicut à Deo iussus es, planè facito. Tum Iacobus liberos suos, & coniuges in camelos tollit, & omne suum peculium, omnesq; quas in Mesopotamia comparauerat facultates secum ducens, ad patrem suum Isaacum in Chananæam ire contendit. Rachel autem, patre suo Labane ad tonsuram ouium profecto, eius surripuerat [a] penates. Iacobus igitur, inscio Labane Syro, neque de fuga admonito, cum omnibus suis copijs profectus aufugit, traiectoq; flumine ad Galaadum iter aduertit. Hac Iacobi fuga Labani tertio die nunciata, propinquos suos adhibet, & illum septem dierū uiam persequutus, in monte Galaado comprehendit. Sed Deus Labanem Syrum aggressus, noctu per somniū monet, ut caueat ne Iacobum ulla minima re offendat. Tetenderat autem Ia- D cobus in monte, cum eum Laban assequutus, cum suis propinquis in eodem monte Galaado tetendit, & illum tali oratione aggressus est: Quę nam te ratio induxit, ut inscio me, meas filias, tanquam ferro partas, abduceres? Cur clam, & nesciente me aufugisti, neque me certiorem fecisti, ut te carminum, tympanorum, cythararum uoluptate prosequerer? neque mihi, ut meos natos & natas oscularer, permisisti? Stultè sanè fecisti. Et mihi quidem erat in manu nocere uobis: sed me Deus uester patrius heri monuit, ut cauerem, ne Iacobum ulla minima re offenderem. Verùm esto: profectus sis sanè præ desiderio quod capiebas ex domo paterna. Deos uerò meos cur furatus es? Ad hæc Iacobus huiusmodi uerbis respōdet: Illud metu adductus feci, ueritus ne tu mihi tuas filias eriperes. Nam deos quidem tuos, si quem penes inueneris, is uita priuetur. Noscita coram propinquis nostris, si quid tui apud me est, atque id auferto. Nesciebat autē Rachelem eos E esse furatam. Tum Laban in Iacobi & Liæ, & duarum ancillarum tabernacula ingressus est: in quibus cum illos non inuenisset, ex Liæ in Rachelis tabernaculū transijt. At Rachel sumptos lares stercore camelino obruerat, superq; sederat. Cumq; perscrutatus Laban omne tabernaculum, nusquam eos inuenisset, illa patrem sic alloquitur: Noli Domine ægrè ferre, si tibi assurgere non possum: sum enim in menstruis. Igitur cum Laban diligenter rimatus, lares non inuenisset, Iacobus iratus eum huiusmodi oratione obiurgauit: Quòd nam scelus cōcepi, inquit, aut quod in me facinus admisi, ut tu me sic persequerere? Omnia mea utensilia scrutatus es: si quid de ulla tuæ domus supellectile inuenisti, huc prome coram nostris utriusque propinquis, ut ipsi litem inter nos dirimant. Iam uiginti annos apud te egi: tuæ oues & capræ nunquam fuerunt infœcundæ: tuæ ouiariæ arietes non comedi: feris ereptum ad te nihil retuli: meo periculo detrimenta fa- F cta sunt, tu mihi imputabas: ego diei, ego noctis damna præstiti. Denique ea fui conditione, ut & de die æstu, & de nocte conficerer gelu, oculis interea somno carentibus. Hic mihi iam uigesimus annus agitur, cum sum domi tuæ: annos quatuordecim tibi pro tuis duabus filiabus seruiui, & sex pro pecore, cum tu mihi interea mercedem uel decies mutauisti. Quòd nisi Deus mihi patrius, deus Abrahami, & [b] terror Isaaci, adfuisset, tu quidem uacuum me dimisisses. Sed respexit ille miserias & labores quibus ego sum perfunctus, id quod heri satis [c] ostendit. Et Laban respondens: Meæ sunt hæ filię, inquit: mei filij, meum pecus, denique quicquid uides meū est. Quare age: nam hac re meis his filiabus, & earū natis optimè consulturus hodie uideor, si inter nos fœdus feriamus, quod sit utrique nostrûm testimonio.

Hic Iacobus saxum in cippum erexit, itemq; eius propinqui congestis ipsius iussu lapidibus tumulum effecerunt, super quo cibum cæ-

Sup. 18. d.

a hoc nomen etiam de uno dicitur penatium simulachro, 1. Reg. 19.

Laban Iacobum persequitur.

b formidatus Isaaco Deus.

c dum te mihi nocere uetuit.

d tumulum testimonij, quod idem est Hebraicè Galaad.

perunt, & eum tumulum Laban [d] Iegarsahadutham, Iacobus Galaadum denominauit. Galaadus autem à testimonio propterea dictus est, quòd hic tumulus hodie testis inter me &
G te futurus est (inquit Laban.) Et ab aspiciendo

e Specula.

[e] Maspha, quod speculaturus est Ioua (inquit idem) quid à me & à te fiat, cum discesserimus alter ab altero. Quòd si tu meas filias asperius tractabis, aut si alias præter eas in matrimonium duces, nemo apud nos adest, atque huius quidem rei nobis Deus testis esto. Vides hunc tumulum (inquit) uides & hunc quem egò inter me & te cippum extruxi. Hic tumulus & hic cippus, testes sunto, neque te aduersum me, neque me aduersum te transiturum hunc tumulum & hunc cippum, nocendi ergò. Deus Abrahami, & Deus Nachoris, utriusque patrius, uindices nostri sunto. Iacobus autem per Isaaci patris sui [f] terrorem iurauit. Deinde sacrificium in monte fecit, & propinquos suos ad epulas inuitauit. Itaque cibum cæperunt, & noctem illam in monte fuerunt. ¶ Mane Laban cum surrexisset, nepotes & filias suas deosculatus, & eis fausta precatus, domum reuersus est.

f Deum.

CAPVT XXXII.

AT Iacobus iter suũ perrexit, in quo cum ei diuini Genij occurrissent, ille eis uisis ita dixit: Hoc diuinum agmen est. Itaque locum inde [a] Mahanaim appellauit. Deinde nuncios ad Esaum fratrem suum in terram Seiriam, in agrum Idumęæ pręmisit, eisq; mandauit, ut Esao, domini eum nomine appellantes, nunciaret, seruum ipsius Iacobum apud Labanem peregrinando hactenus commoratum, ibi boues, asinos, oues, capras, seruos atque ancillas
B comparasse, ad quæ nuncianda ipsius beneuolentiæ conciliandæ gratia ad eum nuncios mitteret. Nuncij ad Iacobum reuersi, retulerunt, sese ad eius fratrem Esaum uenisse, illum ei obuiam cum quadringentis hominibus uenire. Qua re non mediocri metu perturbatus Iacobus, in tanta angustia homines, quos secum habebat, & pecora, & boues, & camelos in duo agmina distribuit, eo consilio, ut si Esaus alterum agmen adortus occidisset, reliquum saltem euaderet. Deinde inquit: Deus aui mei
C Abrahami, Deus mei patris Isaaci, Ioua qui me in terram meam patriam redire iussisti, te mihi benignum fore pollicẽs, equidem impar sum tantis beneficijs & officijs, quibus tu me tuum affecisti, quippe cum qui Iordanem hunc cum baculo transieram, nunc duo agmina habeam. Defende me, quæso, ab iniuria mei fratris, ab iniuria Esai, quem metuo, ne me, ne li-
D beros cum matribus adortus trucidet. Certè tu tuum mihi fauorem, tu sobolem arena maris numerosiorem, & planè innumerabilem promisisti. Hæc ille: eamq; ibi noctem egit, & ex his quæ in præsentia suppetebant, Esao fratri munus adornauit, uidelicet capras & oues ducenas, capros & arietes uicenos, camelos matrices cũ suis pullis triginta, uaccas quadraginta, tauros decem, asinas uiginti, asellos decem. Hæc in lacinias partitus suis seruis tradit, eosq; præire iubet, interiecto inter lacinias spacio.

a agmina.

Iacobus nũcios ad Esaum præmittit.

Tum primo seruo præcipit, ut si incurrerit in E
Esaum fratrem, quærenti cuius sit, quò contendat, & cuius sint ea quæ ante se agat: respondeat, se esse Iacobi illius serui, à quo id munus Esao domino mittatur: ipsum autem Iacobum subsequi. Idem alteri etiam, & tertio præcipit, & omnibus lacinias sequentibus, ut eodem modo cum Esao, ubi ei occurrerint, loquantur, ipsumq; Iacobũ post se uenire dicant: idq; eo consilio faciebat, ut illius in se animum præmisso munere pacaret, & ita demum receptum ad eius conspectum haberet. Ita præmisso munere, ipse ea nocte in agmine fuit, & de nocte surrexit, adhibitisq; duabus coniugibus suis, F
& duabus ancillis, & undecim natis, uadum Iabboci transijt. Atque illis, & omnibus suis flumen traductis, cum ipse solus restaret, colluctatus est cum eo uir quidam usque ad ortum auroræ: qui uir cum uideret eum à se non posse superari, eius [b] cauum femoris perstrinxit, ex quo contractum est Iacobi cauum femoris in colluctãdo. Atque ille: Omitte me, inquit, nam oritur aurora. Et Iacobus: Non omittam, quin tu me felicitaueris. At ille: Quod est tibi nomẽ? Iacobi, inquit. Tum ille: Iam non Iacobus uocaberis, sed [c] Israel, quòd & in Deum & in homines te [d] principaliter gesseris, ac uiceris. Hic Iacobus uicissim ab illo petiuit, ut nomen indicaret suum. Sed ille nomen suum exquirere uetans, G. L. quippe quod esset mirabile, G
H. eum ibi felicitauit. Iacobus autem locum illum [e] Phanuel appellauit, quòd ibi Deum præsens præsentem uidisset, & tamen incolumis euasisset. Eo loco præterito, sol ei ortus est, altero crure claudicanti. Ex eo fit, ut hodie Israelitæ neruo contrahente, qui est in cauo femoris, non uescantur, quòd in eo perstrictum fuit illius cauum femoris.

Iacobi cum Deo lucta.

b inguen.

c hoc est princeps diuinus.

d ut principẽ decet.

e præsentia Dei.

CAPVT XXXIII.

CVm autem Esaum ad se cum quadringentis hominibus uenientẽ uidisset, pueros Liæ & Racheli & duabus ancillis distribuit, ita ut ancillas primo loco, deinde Liam, cum suis utrasque natis, postremò Rachelem cum Iosepho collocaret. Ipse eos antecessit, & ad fratrem suum appropinquando, septies se ad terram summisit. Tum Esaus ei obuiam cucurrit, & in eius collum insilijt, eumq; complexus, & flens flentem deosculatus est. Deinde fœminas & pueros conspicatus, ita dixit: Qui sunt isti? Cui ille: Pueri sunt, quos mihi tuo B
Deus largitus est. Deinde ancillæ cum suis natis accedunt, honoremq; prębent. Lia quoque cum suis natis accedit, seq; honoris causa summittunt. Postremò accedunt Iosephus & Rachel, honoremq; summisse prębent. Tũ Esaus: Quorsum autem tibi totus ille grex, cui ego occurri? Ad tuam, domine, beneuolentiã conciliandam, inquit ille. Et Esaus: Satis multa habeo, inquit, frater, habe tibi tua. Cui Iacobus:

Iacobi & Esai congressus.

At si

At si quid apud te autoritatis habeo, facies mihi hanc gratiam, ut id à me munusculum accipias. Nam tuum uidisse uultum perinde habeo, ac si Dei uultum uidissem. C Quamobrem patere hoc à te impetrari, ut meum, quod tibi oblatum est, donum accipias, postquam pro Dei munificẽtia omnia habeo. Sic ille coactus est accipere, & Pergamus, inquit, ego te comitabor. Cui Iacobus: At tu scis, domine, me pueros habere teneros, ouesq;, & capras, & boues prægnantes. Quòd si uel unum diem fatigentur, omnes oues & capræ morientur. Quamobrem rogo te, domine, ut me tuum ante eas: ego placidè incedam, ad eorum quæ præ me duco, & ad puerorum gressum, donec ad te in Seir perueniam. At Esaus: Saltem de meis tibi D comitibus aliquos relinquam. Quid opus, inquit ille, domine, ut tu conferas in me hoc beneficij? Ita Esaus eo die, qua uenerat uia, in Seir reuertit. Iacobus autem Sochotha profectus, domum sibi, & tegetes pecori ædificauit, à quibus tegetibus loco Sochotha nomen fecit. Postea ad Solymam uenit, urbem Sichemi, sitam in Chananæa, ex Mesopotamia reuersus, & ante urbem consedit: agriq; fundum, in quo tetenderat, ab Hemoris Sichemi patris filijs centum quesitis emit: ubi altare extruxit, quod Deum Israelitarũ Deum nuncupauit.

CAPUT XXXIIII.

Dinæ raptus.

Dina autem, quam Iacobus filiam ex Lia sustulerat, ad spectandas eius regionis mulieres egressa est. Eã ut uidit Sichemus Hemoris Heuæi, terræ illius principis, filius, rapuit, eiq; stuprum intulit: & puellæ intimò amore correptus, uerbis eam blandis appellat, cumq; Hemore patre suo agit, uti eam sibi in matrimoniũ accipiat. Iacobus audita filiæ corruptela, cum filij eius ruri apud pecus abessent, tacuit usque ad eorum aduentum. Hemor autem Sichemi pater Iacobum ad colloquendum adijt. Et iam Iacobi filij re audita redierant rure, & magno dolore exarserant, tantum in Israelitos cõmissum esse flagitium, ut Iacobi filia B contra fas esset constuprata. ¶ Apud eos Hemor hac oratiõe usus est: Sichemus filius meus puellæ uestræ amore captus est, huic eam in matrimonium date, & nobiscum affinitatem contrahite, filias uestras nobis dando, & nostras uicissim accipiendo: tum nobiscum habitatote, & nostros fines uestro arbitratu incolitote, eis pro uestra possessione utentes. Sichemus quoque patrẽ & fratres puellę alloquens: Hanc mihi, inquit, gratiam facite, & quicquid mihi imposueritis, dabo. Quamuis grandem à me dotem, & donum postulate: dabo uestro arbitrio, modò puellam mihi detis in coniugium. Ad hæc Iacobi filij oratione insidiosa (quoniam Dina soror eorum stuprata fuerat) Sichemo & Hemori eius patri responderunt, non posse se eorum postulata facere, ut suam sororem homini præputium habenti darent: id enim sibi turpe fore. Sese tamen hac conditione illorum desiderio indulturos, si illi se ipsis in eo accommodarent, ut omnes suorum mares circumciderent. C Ita se filias illis suas daturos, & illorum uicissim accepturos, simulq; habitantes in unum populum coalituros. Quòd si id sibi non dedissent ut circumciderentur, sese puella abducta abituros. Placuit Hemori & Sichemo Hemoris filio oratio, nec rei confectionem distulit adolescens: adamabat enim Iacobi filiam, tum autem totius paternæ domus plurimum poterat. ¶ Igitur in curiam oppidi ueniunt Hemor & Sichemus eius filius, & ciues suos docent, illos homines esse pacato erga se animo, posse eam terram incolere, eaq; uti, satis enim se latos habere fines pro illis: quare illorum filias asciscant sibi coniuges, & suas illis inuicem tradant. Cęterùm illos sibi ita demum concessuros, ut secum habitent, & in unum populum coalescant, si, quemadmodum illi circumcisi essent, ita ipsi omnes suos mares circumcidant. Hoc pacto illorum pecora, facultates, iumenta omnia sua fore, tantum ut eos ad communem habitationem obsequendo pelliciant. Hac eorum oratione inducti omnes Hemoris & eius filij ciues, cunctos ex suis mares circumciderunt. ¶ Tertio D die pòst, cum illi in dolore essent, duo ex Iacobi filijs Simeon & Leuis, Dinæ germani, gladios capiunt, oppidum audacter inuadunt, mares omnes perimunt, Hemorem & Sichemum eius filium ferro trucidant, & abducta ex Sichemi domo Dina exeunt. *Sichemæ excidium.* Reliqui Iacobi filij ad cædem superueniunt, & oppidum, in quo stuprata eorum soror esset, deprædantur: oues, capras, boues, asinos, omnia quæq; in oppido, quæq; in agris erant, diripiunt, omnesq; illorum facultates, omnes impuberes atque mulieres, omnia denique quæ in domibus erant deprædati, in captiuitatem abducunt. ¶ At Iacobus Simeonem & Leuim incusans, ostendit sese ab eis in magnas difficultates coniectum, atque in capitale odium Chananæorum, & Pherezæorum incolarum esse uocatum: perpaucos enim se habere numero, illos contra se coituros, & se suamq; familiam perdituros. Cui illi responderunt, non esse æquum, ut pro meretrice habita esset soror ipsorum.

CAPUT XXXV.

Iubetur Iacobus ire Bethel.

Postea admonitus à Deo Iacobus, ut Bethel se conferret ad habitandum, & illic aram faceret Deo, qui ei Esaum fratrem suum fugienti apparuisset: domesticis & suis omnibus imperauit, ut remotis, quos habebant, dijs peregrinis, lustrarentur, & uestimenta mutarent: profecturos enim Bethel, seq; ibi aram facturũ Deo, à quo in suis difficilimis tẽporibus exauditus, & in suo itinere adiutus esset. Illi omnes quos habebãt deos peregrinos, nec nõ inaures, quas in auriculis habebant, Iacobo tradunt: quibus ab illo sub quercu ad Sichemam occultatis, profecti sunt, tanto finitimis ciuitatibus terrore diuinitùs incusso, ut Iacobeos

B non persequerentur. Ita peruenit Iacobus Luzam, in Chananæa sitam, quæ eadem est Bethel, cum omnibus suis hominibus: ibiq; aram extruxit, & locũ [a] El Bethel appellauit, quòd illic ei fratrem fugienti Deus sese ostendisset.

a Deus Bethel. Est autem Bethel domus Dei.

Deboræ mors.

Infra Bethel Rebeccæ nutrix Debora uita defuncta, sepulta est sub robore, quod Iacobus fletus robur nominauit. Et Deus Iacobo ex Mesopotamia uenienti, iterũ apparuit, eumq; felicitauit. & deinceps non Iacobum (quo nomine antea diceretur) sed Israelem uocari instituit. Ego sum Deus omnipotẽs, inquit: Propagato genus tuum multipliciter, ita ut ex te gens, uel potius gentium multitudo proficiscatur,

C regesq; etiam ex tuis renibus oriantur. Et quidem quam Abrahamo & Isaaco terram dedi, eam ego terram tibi & tuæ posteritati securæ dabo. Sic locutus Deus, ab illo ex eo loco discessit. Iacobus autem eodẽ in loco cippum statuit ex saxo, eumq; conspersit, & oleo perfudit, locumq; in quo Deus secum locutus esset, Bethel nũcupauit. ¶ Cum autem Bethele profecti, ab Ephrata una statione abessent, peperit Rachel, & quidẽ difficulter.

Rachelis mors.

In quo partu cum ægrè enitentem obstetrix sine metu esse iuberet, quòd is quoque mas esset: illa animam agẽs (nam in eo nixu mortua est) natum [b] Benonim uocauit, pater autem [c] Beniaminem.

b filiũ mei doloris. c filiũ dexteræ.

Ita mortua Rachel sepulta est in uia Ephratæ, quæ eadem Bethlehema est: cuius sepulchro Iacobus imposuit cippum, qui etiamnum cippus sepulchri Rachelis dicitur. ¶ Inde profectus Is-

D rael, ultra turrim Edrem tetendit. Israele in illis finibus habitante, Ruben in Balæ patris sui concubinæ concubitum uenit, quæ res audita Israeli G. displicuit H.

Ruben patris concubinã comprimit.

Iacobi filij.

Habuit igitur Iacobus filios duodecim. Ex Lia primùm omnium Rubenem, deinde Simeonem, Leuim, Iudam, Issacharem, & Zabulonem. Ex Rachele Iosephum, & Beniaminem. Ex Bala Rachelis ancilla, Danem & Nephthalim. Ex Zilpa Liæ ancilla, Gadum & Aserem. Hos Iacobus filios in Mesopotamia procreauit. Deinde ad patrem suum Isaacum peruenit in Mambrem Cariatharbæ, id est Hebronem, ubi commorati fuerunt Abrahamus & Isaacus.

Moritur Isaacus.

Ac postquam Isaacus centum octoginta compleuit annos, uita defunctus, suorumq; popularium numero senex & maturus æui additus, & ab Esao & Iacobo filijs sepultus est.

CAPVT XXXVI.

Esai propago.

1. Para. 1. c.

SEquitur iam de progenie Esai, siue Idumi. Esaus uxores duxit ex Chananæis, Adam Elonis Hettæi filiam, Oolibamam Anæ filiæ Sibeonis Heuęi filiam, & Basematham Ismaelis filiam, sororem Nabaiothi. Ex Ada sustulit Eliphazum: ex Basematha Raguelẽ: ex Oolibama Ieussum, Ialamum, & Coram. Hos Esaus filios procreauit in Chananæa. Deinde adhibitis coniugibus suis, & liberis, & omni denique familia sua, omniq; peculio & iumentis, & omnibus facultatibus, quas in Chananæa comparauerat, aliò se contulit, ubi à fratre suo Iacobo longius abesset. Tantæ enim erant eorum facultates, ut simul habitare, & eadem suæ peregrinationis terra capi non possent: tantæ erant eorum cõpiæ.

1. Para. 1. c.

¶ Habitauit autem Esaus (qui idem est Idumus, Idumæorum autor) in monte Seire, in quo deducta ab eo soboles hęc est: B

Filios sustulerat ex Ada uxore Eliphazum, ex Basematha Raguelem. Eliphazus porrò genuit Themanem, Omarem, Saphonem, Gathamum, & Cenazum. Eliphazus porrò Esai filius, Thamnam concubinam habuit, ex qua sustulit Amalecum. Et hi quidem sunt ex Ada Esai uxore nati. Raguel filios habuit, Nahatum, Zaram, Sammam, & Mizam. Hi sunt ex Basematha Esai coniuge progeniti. Ex Oolibama autem sustulit Ieum, Ialamum, & Coram. ¶ Hi fuerunt igitur Esai filiorum duces. Eliphazi Esai primogeniti filij fuerunt duces, Theman, Omar, Sapho, Cenazus, Cora, Gatamus, & Amalecus. Hi fuerunt Eliphaziani duces in Idumæa, ex Ada nati. Raguelis autem Esai filij, duces filij fuerunt, Nahatus, Zara, Samma, & Miza. Hi fuere Ragueliani duces in Idumæa, nati ex Basematha Esai uxore. Oolibamę Esai uxoris filij duces fuere, Ieus, Ialamus, & Cora. Hi fuere duces Oolibamæ Anæ filiæ Esai uxoris. Atque hi quidem fuerunt C

Esai (qui & Idumus) filij, eorumq; duces. Ex Seire autem Horio nati sunt incolę, Lotan, Sobal, Sibeon, Ana, Dison, Eser, & Disan, Horiorum duces, Seiris filij in Idumæa. Lotan filios habuit, Horium & Hemanem: & sororem Thamnam. Sobal habuit Aluanem, Manahatum, Ebalem, Saphonem, & Onamum. Sibeon habuit Aiam, & Anam, eum qui [a] mulos inuenit in syluis, cum asinos patris sui Sibeonis pasceret: filiumq; habuit Disonem, & filiam Oolibamam.

Mulorum inuentor.

a rationem procreãdi mulos.

Dison habuit Hemdanem, Esbanem, Iethranem, & Caranem. Eser Baleanem, Zauanem, & Acanem. Disan Vzum, & Aranem. Et hæc quidem de ducibus Horijs, qui suos principatus in Seiria tenuerunt: qui quidem fuere, Lotan, Sobal, Sibeon, Ana, Dison, Ezer, & Disan. ¶ Sequitur iam de regibus qui in Idumæa regnarunt, antequam regem haberent Israelitæ.

Idumææ reges.

Igitur in Idumæa regnauit Bela Beoris filius, ex oppido Denaba. Mortuo D

Bela, regnauit pro eo Iobabus Zaræ filius, ex Bosra. Huic successit Husamus, ex terra Themania: cui item Hadadus Badadi filius, is qui Madianitas superauit in agro Moabitarum, cuius oppidum fuit nomine Auita. Mortuo Hadado, successit in regno Samla ex Masreca: quo mortuo, regnauit in eius loco Saulus, à Robotho flumine profectus. Saulo successit Baalhanan Achoboris filius. Huic item Hadadus ex oppido Pao, qui uxorem habuit nomine Meetabelem, Matredis filiæ Mezaabi filiam. Ex Esao autem nati duces, & gẽtilitatũ capita, sedibus locorũ, suisq; nominibus distincti, sunt hi: Thãna, Alua, Iethethus, Olibama, Ela, Phinõ, Cenasus, Themã, Mabar, Magdiel & Iramus. Atq; hi fuere duces, Esao Idumæorum

rum

rum parente prognati, suis sedibus in sua patria distributi.

CAPUT XXXVII.

IAm ad Iacobi genus ueniamus, qui terram Chananæam, in qua eius pater commoratus fuerat, incoluit. Iosephus annos septemdecim natus, pecuariam cum fratribus suis exercebat. Et dum puer adhuc inter Balę & Zilpæ, uxorũ patris sui filios uersatur, eorum fœdam turpitudinem ad patrem deferebat. Israel autem Iosephum, quòd eum senex genuerat, præ cæteris omnibus suis filijs amabat, eiq́; tunicã uersicolorem fecit: quod cum uiderent eius fratres, eum patri omnium esse fratrum charissimum, tantum in eum odium conceperunt, ut eum amicè appellare non possent. Auxit odiũ,
B quòd somnium quoddam fratribus suis enarrauit ad hũc modum: Audite somnium quoddam, quod ego somniaui. Videbamur mihi in medio agro manipulos facere, & ecce meus manipulus surgebat, & rectus astabat, eumq́; uestri circumdantes uenerabantur. Et fratres: Tune ergo regnum in nos, & principatum obtenturus es? eoq́; maiore in eum odio exarserunt, propter eius somnia, atque uerba. Item usus est alio somnio, quod etiam fratribus exposuit his uerbis: Iterum somniaui, & mihi uisus sum à sole & luna & undecim stellis ado-
C rari. Id cum patri & fratribus retulisset, obiurgauit eum pater dicẽs: Quorsum spectat istud somnium? an ego, & [a] mater tua, atque fratres, te summisse ueneratum ueniemus? Itaque ei inuidebant fratres: sed pater eam rem obseruabat. ¶ Igitur eius fratribus aliquando profectis Sichemam, ad pascendum paternum pecus, Israel Iosepho ostendit, uelle sese eum mittere ad eius fratres, qui essent apud Sichemam. Ille paratum se esse dicit: & pater ei mandat, ut uisat quomodo sese habeant tam ipsi, quàm pecus, & rem ad se referat. Ita dimissus ex ualle
D Hebronis Iosephus, ad Sichemam peruenit. Ibi eum quidam ruri errantem reperit, & rogat quid quærat? Fratres meos quæro, inquit ille: indica mihi quæso, ubi nam pascant. Tum ille: Discesserunt hinc, inquit. nam audiui eos dicere, Eamus ad Dothain. Igitur Iosephus fratres subsequutus, eos apud Dothain inuenit.

a Liam uocat Iosephi matrem, nã Rachel obierat.

Iosephus fratres uisit.

Quo procul uiso, illi, antequàm ad eos perueniret, cœperunt inter se in eius mortem conspirare, dicentes aduentare somniatorem illum: interficiendum esse, & in aliquam uora-
E ginem deijciendum, dicendumq́; ab aliqua fera esse deuoratũ: ita uisuros esse quorsum euaderent eius somnia. Quod audiens Ruben, eum de manibus eorum eripere conabatur, & eos ab eius nece deterrebat: hortabaturq́; ne sanguinem facerẽt, sed eum potius in puteum, qui erat illic in solitudine, demitterent, & saltem manus ei non afferrent: scilicet ut eum manibus eorum ereptum, ad patrem reduceret. Vbi ad fratres peruenit Iosephus, illi eum tunica illa uersicolore, qua erat indutus, spoliant, & in puteum ab aqua uacuũ detrudunt. ¶ Ibi
F sedentes ad cibum capiẽdum, animaduertunt cœtum Ismaelitarum à Galaado uenientium, quorum cameli aromata portabãt, & resinam, atque stacten, qui in Aegyptum descendebant. Tum Iudas fratribus suis inquit: Quid proderit nobis fratrem nostrum interficere, etiam ut eius sanguinem celemus? Agite, uendamus eum Ismaelitis, & ab eo manus abstineamus: nam frater noster est, & consanguineus. Hac eius oratione adducti eius fratres, Iosephum prætereuntibus mercatoribus Madianitis, extractum, eductumq́; è puteo, uiginti argenteis nummis uendunt, à quibus Ismaelitis ille in Aegyptum abducitur. ¶ Postea Ruben ad puteum reuersus, cum in eo Iosephus non adesset, scissis uestimentis ad fratres reuertitur, dicit puerum nusquam adesse, sese quò se uertat nescire. At illi occiso capro, Iosephi uersicolorem tunicam sanguine cruentant, eamq́; ad patrem mittunt, & ei significant sese eam reperisse: recognoscat sit'ne filij tunica, nec' ne. Ille ea agnita, dixit filij esse tunicam, eum ab aliqua agresti esse fera deuoratum, Iosephum esse discerptum. Itaque discissis uestimentis, & succinctis centone lateribus filium luxit diu. Cumq́; ad eum consolandum uenissent omnes eius filij, atque filiæ, consolationem respuit, ad inferos se ad filium suum lugendo descensurum esse dicens, eumq́; pater deplorans. Illum autem [b] Madianitæ in Aegypto Potiphari Pharaonis eunucho, magistro equitum uendiderunt.

Sap. 10. c. Psal. 104. b

G *Iosephus uenditur.*

b Ismaelitæ erant Madianitæ. Vide Iud. 8.

CAPUT XXXVIII.

IVdas autem aliquando à fratribus suis digressus, recepit se ad quẽdam Adulamitam nomine Hiram: ubi cum uidisset Chananæi cuiusdam nomine Suæ filiam, eam duxit, & ex eius congressu filium sustulit, quem Erem nomine appellauit. Deinde alterum, quem ipsa Onanem nũcupauit. Tertium item, quem Selam uocauit, cuius in natiuitate erat ipse Chezibi. ¶ Eri autem, qui erat natu maximus, Thamarem quãdam nomine in matrimonium tradidit. Sed Er Iouæ displicuit, itaque Ioua eum interfecit: & Iudas Onani imperauit, ut cum fratris uxore cõgrederetur, & suam fratris iure faceret, fratriq́; prolem suscitaret. Sed Onan, qui sciret non suam futuram esse prolem, cum fratris uxore rem habiturus, semen in terram effundebat, ne fratrẽ progenie donaret. Quo facto offensus Ioua, eũ quoque necauit. Tum Iudas Thamarem nurum suam iussit uiduam domi paternæ manere, donec Iudæ filius Sela adoleuisset, ueritus ne & is moreretur, sicut eius fratres. Igitur Thamar domum paternam se recepit, ibiq́; fuit. ¶ Multo pòst tempore moritur Suæ filia, Iudæ uxor: & Iudas se cõsolatus, ad tõsores ouium suarũ ascendebat ad Thamnam, unà cum familiari suo Hira. Quæ res ut nũciata est Thamari, eius socerum Thamnam ad tonsuram ouium ire, uestimenta sibi uiduitatis detrahit, peploq́; se uelat, & simulato uestitu in propatulo propter uiã, qua itur Thamnam, prostitit. Videbat enim Selam adoleuisse, neque tamen sese ei nuptum collocatam esse,

1. Paral. 2. a

B *Thamar.*

Num. 26. c

C

D se. Ea uisa, Iudas scortum esse ratus, quòd erat inuoluta facie, ad eã de uia deflectit, & ut admittatur petit, nesciens esse nurum. Et illa: Quid dabis mihi, inquit, ut ad me admittare? Hœdum tibi mittam de pecore, inquit ille. At illa: Modò des arrabonem, donec miseris. Quem nam (inquit ille) dem arrabonẽ? Anulum tuum, & uittam, & quem manu geris baculum.
E Tum ille dat: & cum ea congressus, grauidam facit. Ipsa illinc digressa, uelum exuit, & indumenta uiduitatis resumit. Iudas autem hœdum per familiarem suum Adulamitam misit, ut arrabonem à muliere repigneraret. Ea ille non inuenta, quærit ex loci illius hominibus, ubi nam sit meretrix illa, quæ ad uiam prostabat? Cumq́ illi negassent ibi fuisse meretricẽ, ad Iudam reuertitur, eam à se nõ inuentam renunciat, loci etiam homines negare ibi fuisse
F meretricem. Tum Iudas: Habeat illa sibi, inquit, [a] ne hoc nobis probro sit: ego hunc hœdum misi, sed tu eam non inuenisti. ¶ Tribus ferè mensibus pòst Iudæ nũciatur, Thamarem eius nurum esse stupratam, atque inde esse grauidam. Tum Iudas eam iubet duci, ut igni cremaretur. Illa cum iam duceretur, anulum socero suo cum uittis & baculo mittit, iubetq́ ut recognoscat cuius illa sint: ex eo enim se esse
G grauidam. Quæ ubi Iudas agnouit, sese illi iniuriam facere confessus est, quòd eam cum Sela filio suo non locasset: eiusq́ postea notitiam non habuit. ¶ Exactis ad pariendum temporibus, ecce geminos in utero ferebat. Atque in ipso partu alter manum protulit, quam prehensam obstetrix [b] cocco alligauit, dicens priorem exiturum. Sed cum is manũ reduxisset, & eius frater emergeret, obstetrix dixit: Quare obiectum tibi interstitiũ interrupisti? eoq́ [c] Phares appellatus est. Deinde exijt alter, is qui coccũ in manu habebat, qui [d] Zara nominatus est.

a si amplius eam quæremus, rescisceretur hoc, & nobis probro erit scortã esse me

b ut à fratre discerni posset. Mat. 1. a.

c ab interrumpẽdo.

d ab oriendo.

CAPVT XXXIX.

1. Par. 2. a. *Iosephus à Potiphare emptus.*

IOsephum autem in Aegyptum abductum emit Potiphar eunuchus Pharaonis, magister equitum, homo Aegyptius, ab Ismaelitis à quibus eò erat abductus. Vsus est autem Iosephus secundo Ioua, fuitq́ fortunatus. quod cũ animaduerteret herus, in cuius domo erat, eũ ita propitium habere Iouam, ut quicquid tractaret, id ei prosperè caderet: tantam in eum beneuolentiam concepit, ut eius ministerio uteretur, eumq́ suæ domui præfecerit, & omnia sua in eius manum tradiderit. Quod postquam fecit, Ioua Aegyptij domum Iosephi causa benè fortunauit, & omnes ei fortunas domi forisq́ prosperauit. Itaque ille omnia sua Iosepho permisit, nihil ut iam curaret ipse, nisi ut uictũ
B haberet. ¶ Erat autẽ Iosephus formæ uenustate singulari. Eamq́ ob rem, his rebus ita constitutis, eius domini uxor adiectis in eum oculis, eum ad concubitum sollicitauit. Ille enimuero renuere: Vides, inquit, ut herus tantam mihi rerum omnium fidem habeat, ut nesciat ipse quid domi habeat, nec sit ipse in hac domo maior quàm ego sum, nec mihi ulla re interdixerit, nisi te una, quæ quidẽ sis eius uxor: & me tanto flagitio obstringam? tantumq́ in Deum scelus admittam? Dum illa ad hũc modum Iosepho indies instat, & ille in eius concubitum & congressum non consentit: accidit C
quodam die, ut ipse domũ ad suum negotium administrandum intraret, absentibus omnibus domesticis. Hic illa prehenso eius pallio, hortari ut secum concumberet. Ille uerò relicto in eius manu pallio, fugere, ac se foràs proripere. Tum uerò mulier, ubi uidit relictum sibi in manũ pallium, & illum foràs profugisse, domesticos inclamat, &: Videte, inquit, ut nobis adductus sit iste Hebræus ad illudẽdum, qui quidem ad me uenerit, ut me comprimeret. Sed cum ego maiorem clamorem edidissem, ille eo audito, relicto apud me pallio suo, fugit, & sese foràs extulit. Itaque pallium penes se retinuit, donec Iosephi dominus domum ueniret, cui reuerso narrat eadem, seruum illum Hebræum eis ab illo adductum, uenisse ad se illudendam, eaq́ clamorem tollẽte, suum pallium D
apud ipsam reliquisse, forasq́ fugisse. Iosephi herus audita uxoris oratione, serui illius contra se iniuriam accusantis, facinore serui iratus, Iosephum in carcerem inclusit, quo in loco uincti regis erant in uinculis. ¶ Ibi quoque Ioua præsens ei, & benignus adfuit: tantumq́ erga Psal. 104. b
eũ studium magistri carceris conciliauit, ut ille omnes eius domus uinctos in Iosephi potestatem committeret, eiq́ rerum omnium, quæ ibi fierent, administrationem mandaret: nec quicquam omnino post eum retractaret, propterea quòd aderat Iosepho Ioua, & omnia eius facta prosperabat.

Iosephus ab hera sollicitatur.

CAPVT XL.

HIs ita gestis, accidit ut duo quidam Pharaonis regis Aegyptiorũ eunuchi, quorum alter prægustatorum, alter pistorum magister erat, in custodiam darentur iussu regis, irati propter eorum quoddã in se facinus: quæ custodia carcer erat in domo magistri equitũ, quo in loco Iosephus conclusus erat. Eis magister equitũ Iosephum præfecit, qui eis ministraret. ¶ Illi postquam aliquot dies in ea custodia fuere, somniarunt eadẽ nocte suũ uterque somnium, diuersæ sentẽtiæ. Manè ad eos Iosephus uenit, & mœstos animaduertẽs, quærit quamobrem eo die uultu sint adeò mœsto. Illi respondent, somniauisse se, & carere coniectore. Et Iosephus: At habet Deus interpretationes, inquit: enarrate modò mihi. Tum prægustatorum magister somnium suum exponit ad hunc modum: Videbatur mihi in somnis ob oculos esse uitis, & in uite tres palmites. ea quasi germinans eliciebat florem, unde uuarum racemi maturescebant. Ego autẽ uuas capiebam, & in poculum Pharaonis, quod mihi erat in manu, exprimebam, eiq́ in manũ porrigebam. Et Iosephus: Hic est sensus, inquit, Tres palmites, tres dies sunt. Hinc ad triduum iubebit te Pharao produci, & in antiquum statum restituet, ut ei stes ad cyathos, quemadmodum solebas antea, cum esses prægustator. Quamobrem facito, ut cum erit tibi bene, C
mei

Eunuchorum Pharaonis somnia. B

mei memineris,mihiq; hāc gratiam referas, ut
mei mentionem apud Pharaonē iniĳcias, meq;
ex hac domo eripias. Nam ex Hebræorum fini
bus furto surreptus sum: neque hic etiam quic-
quā feci, quaōbrem in carcerem compingerer.
¶Hic pistorū magister, qui uideret bene esse in
terpretatū: Ego quoque, inquit, somniaui tria
candida canistra esse super capite meo, in quo-
rum summo inerat Pharaonis omne genus ci-
borum pistoriorum, quos aues ex canistro su-
per capite meo comedebāt. Tū Iosephus: Hæc
D est, inquit, eius significatio. Tria canistra tres
dies sunt. Tu abhinc tres dies, iussu Pharaonis
securi ferieris, & ad palū affigeris, ubi tuū cor-
pus depascentur alites. ¶ Igitur tertio pòst die
Pharao, cui is dies natalis erat, quū suis omni-
bus conuiuium daret, iussit prægustatorum pi-
storumq; magistros in medium suorū produci,
& illum in locū muneris pristinum reposuit, ut
sibi esset à cyathis: hunc autem ad palum alli-
gauit, quomodo eis fuerat interpretatus Iose-
phus. Sed immemor prægustatorum magister,
Iosephum obliuioni tradidit.

CAPVT XLI.

Pharaonis somnia. POst bienniĳ spacium Pharao in somnis sibi
uisus est astare flumini, & ecce de flumine
emergebant septem uaccæ uisu formosæ, & cor
pore opimo, atque in carecto pascebātur. Ecce
autem totidem alteræ post eas, è flumine item
ascendētes, aspectu deformes, & tenui corpo-
re, quæ apud illas ad fluminis ripā consistebāt,
& deformes atque macræ formosas & opimas
deuorabant. Hic Pharao euigilauit. Iterumq;
dormiens somniauit, septē spicas enasci in uno
calamo, pingues & elegātes: quibus succresce-
bant alteræ exiles & exesæ uredine, quæ exi-
les generosas & plenas consumebāt. Tum ex
perrectus Pharao, somniū esse uidit. ¶Manè a-
nimo cōmotus, iubet cōuocari omnes Aegypti
B hariolos & sapiētes, eisq; somniū narrat: quod
cum illorū nemo interpretari posset, pistorum
magister apud Pharaonem hoc modo locutus
est: Hic ego peccatum meum commemorabo.
Cum tu me, Pharao, & magistrum pistorū, no-
bis iratus, in custodiam tradidisses, in domum
magistri equitū, fuit utrique una nocte diuersi
sensus somnium. Erat autem ibi nobiscū iuue-
nis quidam Hebræus, magistri equitū seruus,
cui cum narrauissemus suū uterque somnium,
interpretatus est utriq;: eiusq; interpretationē,
& me in integrū restituto, & illo in crucē acto,
euētus cōprobauit. ¶ Tum Pharao Iosephum
euocari iubet: qui continuò ex carcere expedi-
tus, tonsa coma, mutatisq; uestimentis, ad eum
uenit. Atque illū Pharao sic alloquitur: Som-
niaui quiddā, quod qui explicet nemo est. Ad
te autem ut somniĳ interpretationē deferrem,
admonitus sum. Cui Iosephus: Sine me Deus
Psal.104.b tibi, Pharao, salutaria respondebit. Et Pharao:
C Videbar mihi astare ripę fluminis, inquit, cum
de eo exibant septem uaccæ bene habitæ, &
aspectu pulchræ, quæ carectum depascebant.
Tum ecce septem alteræ post eas exorientes,
tanta corporum macie & tenuitate deformes,
ut nihil unquam fœdius in Aegypto uiderim:
quæ absumebant, strigosæ & turpes, septem il-
las priores, obœsas: quas cum in sua uiscera de-
misissent, tamen id non apparebat, adeò infor-
mes adhuc erant, ut prius. Ego somno solutus
sum, eoq; iterum oppressus, uidebar mihi cer-
nere septem spicas eodem in culmo crescētes,
plenas & decoras, secūdum quas sese subĳcie-
bant pari numero alteræ graciles & minutę, &
ardoribus perustæ, quæ generosas illas cōsum-
pserunt. Hæc ego retuli ad hariolos, sed nō est
qui declaret. ¶ Tum Iosephus: Somniū tuum
unum est, Pharao: Deus te eorum quæ factu-
rus est, præmonet. Septem uaccę generosæ, se-
ptem anni sunt: itemq; septem spicæ generosę,
idem uolunt: unum idemq; somnium est. Al-
teræ autem graciles & perustæ, anni sunt toti-
dem, quibus fames uigebit. Deus tibi (quem-
admodum dixi) quid facturus sit demonstrat.
Igitur septem proximis annis maxima erit in D
uniuersa Aegypto frugum feracitas: quos se-
quentur totidem alteri tanta fame infesti, ut il-
lius tantæ ubertatis in Aegypto nihil superfu-
turum sit. tanta inquam laborabitur cibi penu-
ria, ut tantæ rerum abundantiæ ne uestigium
quidem ullū reliquum fiat. Nā quod bis som-
niasti, Deo ita facere omnino in animo est, idq;
breui. Quare dispice, Pharao, uirum aliquem
sciētem & peritum, quem Aegypto præficias.
Tum autem facito, ut constitutis annonę cura-
toribus, quintas in Aegypto septem proximis
annis uberibus legas, quibus annis tantus fru-
mēti numerus tuo nomine cogatur, & in oppi-
dis conditum seruetur, ut in alterum septenni- E
um sufficiat, & Aegyptum futura fame perni-
cieq; defendat. ¶ Eā rem Pharao cum suis om
nibus probauit: eisq; confessus est, neminē ex-
tare Iosepho mentis diuinitate parem. Et quia Psal.104.b
ista tanta diuinitùs edoctus (inquit iam Iose- 1.Mac.2.f.
pho) neminē habes prudentia & sapientia pa- Act.7.b.
rem, habebis meæ domus gubernationem, ut
meus tibi populus omnis ad nutum obediat,
teq; ego solio tantum superem. En trado tibi,
inquit, curā totius Aegypti. simulq; detractum
de sua manu anulum, Iosephi manui induit:
eumq; byssina ueste ornatum, collo aurea tor-
quæ insignito, in currum dignitate secundum
imponit, ut ante eum proclamaretur, Genua
flectite: eiq; potestatem in omnem Aegyptum
permittit. Et ita Pharao, uiuam, inquit, ut ne- F
mo in tota Aegypto digitum contra tuam uo-
luntatem proferet. Tum eum [a]Saphnathopa- a id est, occultorū repertorem.
neam appellauit, eiq; Asenatham Potipheræ
pontificis Heliopolitani filiā in matrimonium
dedit. ¶ Ita Iosephus à Pharaone digressus, an-
nos natus triginta (tot enim habebat, cum an-
te Pharaonem cōstitit) totam Aegyptū obĳt,
& illis septem annis (quibus terra cumulatissi-
mè tulit) totum Aegypti commeatum coegit,
& finitimi singulorum oppidorum agri ciba-
ria in ipsa oppida contulit: tantumq; frumenti
numerū comportauit, ut quia arenæ instar erat
innumerabile, iam numerari desineret. ¶ Su- Infra 46.c.
stulit autē ex Asenatha filios duos, antequam
orta

Iosephi filij.

orta annonę penuria est, quorum grandiorem uocauit Manassem: quòd ei Deus omniũ do-
G lorum, ipsiusq; patrię domus obliuionem attulisset. Alterũ autem Ephraimum nuncupauit, quòd eũ fœcũdasset Deus in terra suę miserię.

Finitis in Aegypto septem annis copiosis, cœpit famelicum oriri septennium, quemadmodum prædixerat Iosephus: quo cum omnibus in terris fames esset, toti Aegypto cibus suppetebat. Tum Aegyptij, ingrauescente per uniuersam Aegyptũ annona, Pharaonem ob cibum interpellant: quos omnes ille ad Iosephum remisit, iubens illius dicto obtemperari: Iosephus urgente per omnem terram fame, omnibus horreis apertis, cœpit Aegyptijs fame laborantibus diuendere.

CAPVT XLII.

Act.7.b. Iacobus filios in Aegyptum mittit.

IAmq; omnibus ex terris (urgente ubiq; fame) ad Iosephum in Aegyptũ, emendi ab eo cõmeatus gratia, conueniebatur: cum Iacobus intelligens cibum esse in Aegypto uenalem, filios admonet, accepisse se in Aegypto uenalia esse cibaria: proinde abiecta omni dubitatione, eò descendãt, & sibi comparent quo uictum tolerent, mortemq; declinẽt. Itaq; descenderunt Iosephi fratres decem, ad frumẽtum ab Aegyptijs coemẽdum. nam Beniaminem Iosephi germanũ nõ dimisit Iacobus cum fratribus, ueritus ne quid ei aduersi accideret. Profecti sunt autem Israelis filij unà cum alijs, qui eódem eadem de causa ibant, uigente in Chananæa fame. Vbi ad Iosephũ fratrem suũ peruenerunt, regionis illius præfectum, & omni populo frumentum diuendentẽ, eum demisso ad
B terrã uultu uenerati sunt. Iosephus ubi fratres conspexit, agnouit: sed alienũ se esse simulans, durè cum eis loquitur, & quærit unde adsint? Illi respondent, sese ex Chananęa uenire ad uictũ cõparandũ. Et Iosephus, qui fratres agnosceret, nec ipse ab eis agnosceretur, redijt in memoriã somniorũ, quę de illis somniauerat. Et, Exploratores estis, inquit, ad exploranda regionis parum firma loca uenistis. Cui illi: Pace tua, inquiunt, domine: ad emendum commea-
C tum uenimus. nos omnes hominis unius filij sumus, ueraces, non exploratores. Atque ille: Imò ad immunita regionis speculãda uenistis. Et illi: Nos duodecim fratres sumus, ex uno homine nati in Chananæa: quorum minimus hodie cum patre nostro est, unus autem iam nusquam est. Tũ Iosephus: Idipsum est quod ego uobis dixi, uos esse exploratores. Sed ita uiuat Pharao (sic enim probabimini) ut uos hinc nõ abibitis, quin frater uester natu minimus huc uenerit. Mittite ex uobis unũ, qui fratrem uestrum accersat: uos interea eritis in uinculis, ut uestra oratio probetur, sciaturq; an sit à uobis ueritas. Quòd si nõ facitis, ne uiuat Pharao, ni uos exploratores estis. Tũ eos in custodiã con-
D iecit ad triduum. Deinde tertio die cum eis huiusmodi oratione usus est: Vt conseruemini, sic facietis (nam ego Deũ reuereor) Si ueraces estis, unus ex uobis fratribus in uinculis erit, in ea custodia in qua fuistis: uos autem commeatum domum exportabitis, ad propellendã famem, fratremq; uestrum natu minimũ ad me adducetis. Ita fidem faciet oratio uestra, mortemq; effugietis. Hanc illi cõditionem acceperunt, cœperũtq; inter sese dicere, se certè in fratrẽ suum fuisse sceleratos, cuius cum animi angorem uiderent, cum ab eo obsecrarentur, tamen nõ audiuissent, propterea in eas angustias esse redactos. Ruben uerò testari eos à se monitos, ne id scelus in puerum cõmitterent, sibi nõ obtemperasse: nũc sanguinis illius pœnas expeti. Hæc Iosephus intelligens, eis nesciẽtibus, (nam intercedebat interpres) digressus ab illis fleuit. Deinde redit ad eos, & cum eis locutus, comprehensum ex eis Simeonem in eorum cõspectu colligauit. Deinde iussit eorum uasa frumento impleri, & in suum cuiusque saccum pecuniam reponi, eisq; uiaticum dari. His ita constitutis, illi suam mercem in asinos tollunt, & illinc abeunt. Sed in diuersorio, cum unus ex eis saccũ aperuisset, ut pabulũ asino suo daret, animaduertit argentũ in ore sacci: & fatres admonet, suã sibi pecuniã reportatã, esse in suo sacco. Hic illi terrore exanimati, inter sese dubitare, cur nã sibi Deus id fecisset. Atque ubi in Chananæam ad patrem suum Iacobum peruenerunt, omnem ei fortunam suam exposuerũt, ut cum eis dominus regionis asperè egisset, & eos numero exploratorum habuisset: utq; cum ueraces se esse respondissent, nõ exploratores, sese duodecim fratres esse ex eodem patre, unũ iam nullum esse, minimum autem hodie cum patre esse in Chananęa: ille dixisset, sese ita sciturum eos ueraces esse, si uno ex ipsis apud eũ relicto, commeatum exportantes domum repeterent, fratremq; suum natu minimum ad se adducerent: hoc pacto sese cogniturũ, non esse exploratores, sed integros, fratremq; eis redditurum, & regionis usum concessurum. In deplendis autem saccis, cum suo quisque in sacco argentum suum in loculis reperisset, & liberi & parens metu perculsi sunt. Atque Iacobus eorum pater: Vos me orbum redigitis, inquit. Iosephus nunquam est: de Simeone actum est, & uos Beniaminem abducitis: hęc omnia in me incũbunt. Cui Ruben: Duos filios meos interficito, nisi eũ ad te adduxero. committe eum in meã fidem, ego ad te reducam. At ille: Non descẽdet filius meus uobiscum. nam germano eius mortuo, ipse unus superstes est: cui si quod infortunium in isto itinere occureret, uos ad inferos miserè demitteretis canos meos.

Sup.37.d.

E

Simeõ colligatur.

F

G

CAPVT XLIII.

Iacobus filios in Aegyptum iterum ire iubet.

POstea infestante regionẽ fame, postquam deportata ex Aegypto cibaria consumpserunt, pater iterũ filios hortatur, ut ad mercandum aliquantũ cõmeatus reuertantur. Cui Iudas: Affirmauit homo, nos in suum conspectũ
B non esse uenturos, nisi frater adesset nobiscũ. Si placet tibi fratrẽ nostrum dimittere nobiscũ, descendemus, & tibi cibum cõparabimus. Sin autem nõ dimittis, non descendemus: quia negauit ille nos suum conspectũ esse uisuros, nisi fratrem nobiscũ haberemus. At Israel: Cur me in hoc,

Sup.42.d.

in hoc, inquit, malũ coniecistis, ut ei diceretis, uos alium insuper habere fratrem? Cui illi: Homo nos, inquiunt, de nobis, deq; nostro genere interrogauit, uiueret ne adhuc parẽs noster, an fratrẽ præterea haberemus? nos uerò ei rem omnẽ exposuimus. Nunquid scire poteramus, eum iussurum esse, fratrem nostrum adduci? Atq; hic Iudas, Dimitte, inquit, puerum mecum, ut proficiscamur, uitæq; nostræ consulamus, & mortem tum à nobis, tum à te & paruulis nostris depellamus. Ego pro eo fideiubeo, à me tu eum repetito: nisi eum ad te reduxero, & in tuo cõspectu cõstituero, tibi per omnem uitã obnoxius ero. Nam nisi cunctati essemus,
C iam secundò rediissemus. Et Israel: Si quidem ita est, inquit, sic agite: ex eis quæ in hac ora habentur rarissima, munus homini cõficite, eiq; in uestris uasis resinæ aliquantum & mellis ferte, aromata & stacten, & terebinthum, atque amygdala. Argentum autem duplum uobiscum auferte, & quod in ore saccorum uestrorum relatum est, reportate, si fortè imprudentia peccatum est: assumptoq; fratre uestro, proficiscimini, & ad hominem reuertimini: quem uobis hominem mitiget omnipotens Deus, ut uobis & alterum illum fratrem, & Beniaminem remittat. Quòd si ego liberis priuor, pri-
D uer. ¶ Tum homines munus & duplex argentum capiunt, assumptoq; Beniamine in Aegyptũ descendunt. Postquã in conspectu Iosephi cõstiterunt, Iosephus uiso cum eis Beniamine, dispensatori suo mãdat ut homines in domum ducat, & lanienam curet, atq; præparet: eos enim secum cibum meridianum esse capturos. Id quod ille, ut iusserat Iosephus, fecit, eosq; in domum Iosephi introduxit. Illi cum uiderent se duci in Iosephi domum, arbitrati sese eò duci propter argentum primo itinere in saccis reportatum, ut ita per calumniam circumuenti, unà cum asinis suis in seruitutem retinerẽtur: accedunt ad illum Iosephi dispensatorẽ, eumq;
E dominum appellantes, in introitu domus alloquuntur: demonstrant sese antea ad comparan-
Sup.42.a da cibaria profectos, cum in diuersorium aduenissent, & saccos suos aperuissent, reperisse suo quemq; in sacco argẽtum suum ad libram: id autem secum nũc retulisse, & aliud argẽtum ad cõmeatum emendum attulisse: nescire quis illud in saccos reposuisset. Ille homines consolatus, metuere uetat: Deum eorum patrium pecuniam in saccos eorum immisisse, argentum quidem ad sese peruenisse. tum ad eos Simeonem educit, hominesq; domum Iosephi introducit: & aquam pedibus lauandis, pabulumq;
F ad asinos dat. Illi autem munus adornãt ad aduentum Iosephi in meridiem (audiuerãt enim sese ibi cibum capturos) eiq; ingresso, munus, quod in manibus habebant, domum introtulerunt, eum suppliciter uenerantes. Tum ille ex eis de ualetudine quærit, &: Vt ualet pater uester senex, quem dixeratis? inquit: uiuit'ne adhuc? Illi suppliciter, & demisso ad terrã uultu, ualere respondent, & adhuc esse in uita. Tum ille, ubi Beniaminem conspexit, suum fratrem eadem matre: Est'ne hic uester ille natu minimus frater, de quo mihi locuti fuistis? Deus tui G
misereatur fili, inquit: simulq; miseratione erga fratrem commotus, locũ statim ubi fleret quæsiuit, & penetrale ingressus ibi plorauit. Deinde lota facie egressus, sese continuit, iussitq; cibum apponi: qui ei separatim, & illis separatim, itemq; Aegyptijs, eius conuictoribus, separatim appositus est. *Iosephus cum fratribus cibum capit.* Aegyptijs enim non licet cum Hebræis cibum capere, idq; ducunt turpissimum. Vt autem quisq; ætate antecellebat, ita primo ante eum loco collocatus est: id quod illi inter sese admirabantur. Tum ille ex sibi appositis suam cuiq; portionem decidit, ita ut Beniaminis esset quintuplo maior, quàm ullius cæterorum.

CAPVT XLIIII.

DEinde postquam liberaliter cum eo potauerunt, dispensatori negocium dat, ut illorum saccos frumento compleat, quantum possent capere plurimum, & in uniuscuiusque sacci ore argentũ eius ponat: tum autem in natu minimi, præter argenteum precium, etiam scyphum suum aureũ. quod ille, sicut erat iussus, ita fecit. ¶ Manè diluculo cum dimissi homines cum suis asinis, nondũ lõgè ab urbe abessent, mandat Iosephus dispensatori, ut eos persequatur: & quid fieri uelit, ostẽdit. Ille eos assequutus, quærit ex eis, cur bonũ malo pen- B
sarint? G. L. cur sibi scyphum argenteum furati sint? H. eũ esse, quo suus herus potare, quoq; uti in diuinationibus soleret: eos improbè fecisse. Tum illi: Bona uerba domine, inquiunt: absit à nobis istud facinus. Nos etiam argentum, in ore saccorum nostrorum repertum, ad te usq; è finibus Chananæoru mretulimus, nedum ut ex tui domini domo argentum, aut aurum surripuerimus. si quem penes deprehensus fuerit, capite plectatur, nos autẽ tibi serui-
tutem seruiamus. At ille: Istud agemus, inquit. C
Quem penes furtum deprehendetur, mihi seruus erit: uos extra pœnam eritis. Hic illi confestim suum quisq; saccum ad terram deponunt, & aperiunt: atque ille à maximo ad minimum conquirere exorsus, scyphum in sacco Beniaminis inuenit. ¶ Tum uerò illi dilaceratis uestimentis, suum quisq; asinum denuò onerant, & in urbem reuertuntur: ingressiq; domum Iosephi, qui ibi adhuc erat, Iudas & fratres eius an-
te eum ad terrã procidunt. Et Iosephus: Quod D
facinus admisistis? an nesciebatis me unum ex eis esse, qui diuinãt? Cui Iudas: Quid dicemus domine, inquit, quid afferemus? quomodo nos tibi purgabimus? deprehendit nostrũ crimen Deus: ecce tibi seruos tã nos, quàm eum apud quem inuentus scyphus est. At ille: Ego uerò non faciam, inquit: imò ipse quem penes inuẽtus est scyphus, mihi seruus erit. Vos abite salui ad patrem uestrũ. Tum Iudas accedit,
& apud eum huiusmodi orationem habuit: Peto à te, domine, ut mihi apud te, alterum Pharaonem, pauca dicere liceat cum bona uenia. *Iudæ ad Iosephum oratio.*
Cũ tu ex nobis quæsiuisses, esset'ne nobis pa- E
ter, aut frater: respõdimus tibi domine, patrẽ *Sup.42.c*

esse iam senem, & iuuenem puerũ in eius senecta natũ, qui (mortuo eius fratre) solus ex matre superesset, quemq; pater amaret. Tũ tu nobis iussisti, ut eum ad te adduceremus, ut eum *Sup.43.a* tuis ipse oculis cerneres. Nos respõdimus, patrem ab eo deseri nõ posse, quin moreretur. At F tu nos in tuum cõspectum redire uetuisti, nisi minimus natu frater nobiscũ descẽdisset. Nos ubi ad patrẽ, seruũ tuum, peruenimus, tua illi uerba Domine, retulimus. Cumq; iuberet nos ad comparandũ aliquantum cõmeatus reuerti, respondimus, nõ licere, nisi fratre nostro minimo comitante: aliter enim in tuum conspectum admitti nõ licere. At pater noster, seruus *Sup.37.c* tuus, dicere: cum ex duobus filijs, quos ex una cõiuge sustulisset, alterum (quemadmodũ nos sciebamus) ab se digressum, à feris deuoratum deplorasset, nec eum unquã postea uidisset, si nos etiã illum ab se abduceremus, & ei aliquid humanitùs accideret, fore ut suam caniciẽ mi- G serè demitteremus ad inferos. Nunc si ueniam ad patrem meũ, seruum tuum, nec puer nobiscum adsit, cuius amore deuinctũ animum habet, simulatq; non adesse puerum uiderit, morietur: Ita nos tui in orcum deduxerimus mœrore confectum & senem & patrem. Ego autẽ patri uas factus sum pueri sistendi, ut si eum illi nõ reduxissem, ei sempiternum obstrictus essem. Quare oro te, ut ego tibi pro puero seruus remaneã, ipse cum fratribus discedat: neq; enim sustineo ad patrẽ sine eo redire, ne mihi uidenda sit calamitas, quæ erit patri perferẽda.

CAPUT XLV.

HIc Iosephus, qui se iam apud tam multos, qui præsentes aderant, cõtinere non posset, clara uoce pronũciat, ut omnes foras emittantur. nec quisquam cum eo remansit, cum est à fratribus agnitus. Tum uocem in fletũ erumpit, quòd Aegyptij, quòd Pharaonis domus au- *Acto.7.b.* diret, &: Ego sum Iosephus, (inquit, fratres al- B loquens) uiuit'ne adhuc pater meus? At fratres eius præsentia conturbati, respondere nihil poterant. Tum ille: Accedite ad me. Cumq; *Iosephus se se fratribus indicat.* accessissent: Ego sum germanus uester Iosephus, inquit, quem uos in Aegyptum uendidistis. Sed ne angimini, néue dolenter ferte me huc à uobis esse uenditũ. Nam Deus me uobis salutariter præmisit. Etenim præter hoc, quo fames in terra dominatur, biennium, restant adhuc quinque anni, quibus neq; sementis fiet, neque messis. eamq; ob rem misit me Deus ante uos, ut in terra reliqui fieretis, & hac tã mira C ratione conseruati euaderetis. Itaq; nõ uos huc me misistis, sed Deus, qui effecit ut essem Pharaoni pro patre, toti eius familiæ pro domino, & omni Aegypti oræ pro principe. Festinate ad patrem, & ei à Iosepho eius filio renunciate, ut ad me (cui Deus dominiũ in omnes dedit Aegyptios) sine mora descendat, habitaturus in Gossene, ut mihi uicinus sit, unà cũ filijs & nepotibus, & minoribus maioribusq; pecori- D bus, deniq; cum omnibus copijs. Ibi me ei alimenta præbiturũ, ne (quoniam adhuc quinq; annos fames futura est) miserè unà cum familia, cumq; omnibus suis pereat. Ecce uos uidetis oculis uestris, uidet frater meus Beniamin, ut ego meo ipsius ore uobiscũ colloquar. Vos quanta sim in gloria in Aegypto, quæq; uidetis, omnia patri renunciabitis, eumq; huc continuò adducetis. Hęc loquutus, in Beniaminis sui fratris collũ cum lachrymis inuadit, & Beniamin eius collum uicissim plorans complexus est. Deinde fratres suos collachrymans singulatim deosculatus est Iosephus: qui tũ demum cum eo loquuti sunt. ¶ Hac fama de aduentu fratrum Iosephi domũ Pharaonis perlata, Pharao ea re cum suis delectatus, Iosephum inuitat, ut fratres iubeat incitatis iumentis in Chananæam contendere, & assumpto patre, atque familijs suis, ad se uenire: dicatq; sese cum illis Aegyptia bona communicaturum, et regionis ubertatem ad alimẽta concessurum. Tum hoc ei mandat, ut illis Aegyptiorum uehiculorum copiam faciat, quibus paruuli & mulieres uehantur, & impositus pater adducatur. Supelle- F ctilem ne morentur: nam totius Aegypti bona in eorum potestate futura esse. ¶ Itaque filij Israelis paruerunt, eisq; dedit Iosephus ex mandato Pharaonis uehicula, atq; uiaticum. dedit etiam omnibus singulas uestes de splendidioribus: sed Beniamini quinq;, cũ trecentis nummis argenteis. Patri quoq; misit asinos decem, Aegyptia bona portantes: & totidem asinas, quæ far & panem, obsoniumq; ferrent ad eius iter. Ita dimissi ab eo fratres, profecti sunt: cum pręcepto, ne tumultuarẽtur in uia. ¶ Qui post- G quam ex Aegypto in Chananæam ad patrem suum Iacobum peruenerunt, narrant ei, Iosephum adhuc in uiuis esse, & principatum tenere in omni Aegypto. Ad quem ille nunciũ exanimatus, fidem eis non habebat. Sed cum illi omnia Iosephi uerba exponerẽt, quibus apud eos usus esset, simulq; missa à Iosepho uehicula ad se uehẽdum conspiceret, collegit ipse se, &: Satis est (inquit Israel) postquam uiuit adhuc filius meus Iosephus: adibo, eumq; uidebo antequam moriar.

CAPUT XLVI.

ERgo profectus Israel cum omnibus suis copijs, Bersabam peruenit, & ibi Deo patris sui Isaaci sacrificium fecit, & Deus eum noctu per uisum sic monuit: Iacobe, Iacobe. Quid me uis? inquit ille. Ego sum Deus, inquit, Deus *Iacobum iubet Deus in Aegyptum migrare. Act.7.b* tui patris: ne uerere in Aegyptum descendere. nam ibi te in magnam gentem propagabo: ego tecum descendam in Aegyptum, ego idẽ te reducam, & Iosephus tibi claudet oculos. ¶ Ergo profectus est Iacobus Bersaba, missis ad eũ ferendũ à Pharaone uehiculis impositus ab Israelitis filijs suis, unà cum eorũ paruulis & fœminis, adhibitis etiã pecoribus eorum, & facultatibus, quas in Chananæa cõparauerant. Veneruntq; in Aegyptũ Iacobus, & eius uniuersa progenies, illo secum filios & nepotes, secũ filias & neptes ex filijs, suã deniq; stirpem uniuersam secum ducente in Aegyptum. quorum B nomẽclatura hæc est: Iacobus, & eius filij: quorum natu maximus Rubẽ filios habuit, Henochum, *Iacobi progenies.*

Exo.1.a.6.b Num.26.a 1 Paral.2.a 4.a.5.a & 6.a Sup.38.a 1.Par.7.a

chum, Phallum, Hesronem, & Carmim. Simeon aūt Iamuelē, Iaminem, Oadum, Iachinē, Soharem, & ex Chananæa natū Saulum. Leuis Gersonē, Cahathū, & Merarim. Iudæ filij fuerant Er, Onan, Sela, Phares, & Zara: sed Er & Onan in Chananæa mortui sunt. Phares autem, Hesronem & Hamulem habuit. Issachar Tholam, Phuuam, Iobum, & Simeronē, Zabulon Seredum, Elonem, & Iahelem. Hos Iacobus filios ex Lia in Mesopotamia procreauerat, necnon Dinam filiam: quorum omnium tum filiorum tum filiarum ab eo prognatorum summa est triginta tres. Gadus autem habuit Sipheonem, Haggim, Sunim, Esbonē, Erim, Arodim, & Areelim. Aser Imnam, Isuam, Isuim, Beriam, & eorum sororem Serā: quorum porrò Beria Hebrem, & Malcielem. Hos uidelicet sexdecim Iacobus ex Zilpa habuit, quam Laban Liæ filiæ suæ attribuerat. Rachelis filij, uxoris Iacobi, fuerunt Iosephus & Beniamin. Iosepho nati sunt in Aegypto ex Asenatha Potipheræ filia pontificis Heliopolitani, Manasses & Ephraimus. Beniamin habuit Belam, Becherem, Asbelem, Geram, Naamanē, Ehim, Rossum, Muppim, Huppim, & Aredū. Hos Iacobus filios habuit ex Rachele, numero quatuordecim. Dan habuit Husim. Nephthalis Iaseelem, Cunim, Ieserem & Sillemum. Hi Iacobo orti sunt ex Bala, quam Laban Racheli filiæ suę cōtribuerat, uidelicet numero septē. Igitur omnium ex Iacobi femore ortorum, qui cum eo in Aegyptum uenerūt, præter eius nurus, summa erat, capita sexaginta sex. Iosephi autem filij, quos in Aegypto procreauit, duo. Summa familiæ Iacobi, quæ in Aegyptum uenit, fuit capitū septuaginta.

1.Par.7.f — C — Sup.41.f — 1.Par.7.b. & 8.a — Deut.10.d — D

¶ Præmisit autē Iudam ad Iosephum, ut eius iter ad Gossenem dirigeret. Ita in Gossenem peruenerūt. Iosephus autem parato curru Israeli patri suo obuiam ad Gossenem ascendit, eoq; uiso protinus in collum eius insilijt, & aliquandiu collachrymatus est. Tum Israel Iosephum alloquitur: Nūc moriar licet, inquit, postquā tuum adhuc uiuentis uultū conspexi.

Iosephus patri occurrit.

¶ Et Iosephus, fratres paternāque familiā alloquens: Ibo, inquit, nunciatum Pharaoni, fratres meos, familiamq; patriā, quę erat in Chananæa, uenisse ad me, homines uidelicet pastores, & pecuarios, qui pecorū greges & armenta, suasq; omnes copias adduxerint. Quòd si uos conuocauerit Pharao, & de arte uestra interrogauerit, dicetis, à teneris semper fuisse pecuarios, tā uos, quàm patres uestros, ut Gossenem incolatis: nam à pastoribus omnibus abhorrent Aegyptij.

CAP. XLVII.

Iosephi fratres apud Pharaonē.

DEinde profectus ad Pharaonē, narrat ei, patrem suum & fratres cum suis maioribus minoribusq; pecoribus, cumq; omnibus suis copijs, ad se ex Chananæa uenisse, & nunc esse in Gossene. Adhibuit autem de fratribus suis quinq; de [a] postremis, quos ante Pharaonem constituit: qui Pharaoni quærēti, quæ nā esset eorum conditio? responderunt, pastores & se esse, & patres suos fuisse: uenisse autem in eam terram ad cōmorandum, quòd pastionem pecoribus non haberēt, propterea quòd uigeret in Chananæa fames: petere, ut sibi eius seruis liceret Gossenem incolere. Tum Pharao Iosepho dixit ita: Pater tuus, & fratres ad te uenerūt, patet tibi Aegyptia terra: eos tu in optimo eius tractu colloca: habitent sanè in Gossene: & si quos ex eis nosti uiros egregios, mei pecoris magistros facito. B

a ne si generosiores adduxisset, Pharao eis uteretur in re militari.

¶ Tum Iosephus patrem suum Iacobum adduxit, & in conspectu Pharaonis statuit. qui Pharaone salutato, ab eo interrogatus quot annos uixisset, ita respōdit: Centum triginta annos peregrinatus sum, paucos & malos annos uixi, neq; maiorum meorū uitæ annos assecutus sum, quibus peregrinati sunt. Deinde Pharaoni bene precatus, discessit ab eo. C

Iacobus Pharaoni.

¶ Iosephus autē patrem & fratres collocauit, eisq; possessionem assignauit in Ramesse, optimo terræ Aegyptiæ solo, quemadmodū præceperat Pharao, patriq; & fratribus & toti paternæ familiæ alimoniam pro numero capitum assignauit. Iam uerò cum tāta cibi penuria ubique laboraretur, ut Aegyptus & Chananæa languerēt, coegit Iosephus eo mercatu omnem pecuniā, quę in illis duabus regionibus inuenta est, eamq; in Pharaonis fiscū retulit. Qua Aegypti & Chananææ pecunia exhausta, Aegyptij omnes ad Iosephū conueniunt, petūtq; ut se cōmeatu iuuet, nisi uelit eos in suo conspectu emori: nā defecisse pecuniā. D Iosephus iubet, ut si pecunia deficiuntur, pecora adducant, sese pro eis uictum daturum. Itaq; faciunt: deditq; eis Iosephus alimenta pro equis, & pro ouino caprinoq; & pro bouino pecore, proq; asinis, pro quibus omnibus eorum pecoribus illos alimentis in eum annū sustentauit. Eo finito, sequenti anno ad eum se recipiunt, demonstrant (Dominū eum appellantes) consumpta in eum pecunia & pecore, sibi præter corpora, & agri solū, nihil esse reliqui, quod ei possint dare. Quare ne & ipsi in eius oculis moriātur, & terra deseratur, se suasq; possessiones cōmeatu emat: sese cum suis agris Pharaoni seruituros esse, modò semen ministret, quo uitā tueantur, ne & ipsi pereant, & terra in solitudinem redigatur. E Igitur omnem Aegyptiorum agrum Pharaoni coemit Iosephus, Aegyptijs, fame domināte, suum unoquoq; fundum uendere coactis. Ita facta Pharaonis terra est: populum autem, quàm longē lateq; patebat Aegyptus, in oppida transtulit. Tantum sacerdotū possessiones mercatus non est, quòd descriptis à Pharaone demensis aliti, eas non uendiderūt. Tum Iosephus sic ad populum uerba facit: Videtis ut ego uos hodie, possessionesq; uestras Pharaoni coemerim. Iam semen uobis subministrabo, quo sementes faciatis, ea conditione, ut prouētuum quintas Pharaoni pendatis, quatuor autē partes uobis habeatis ad conserendos agros, F & ad uos uestrosq; domesticos & paruulos alendos. Tum illi uitam ei ferre acceptā, & maximo se ab eo beneficio affici prædicare, & se in Pharaonis potestate futuros dicere. Quam rem Iosephus in legem uocauit,

Iosephus pecuniā omnem ex frumento cogit.

qua hodie etiamnum Aegypti solum tenetur, ut quintas Pharaoni pēsitet, præter unas sacerdotum poſſeſsiones, quæ in Pharaonis iure nō ſunt. ¶ Iſraelitæ autem habitauerunt in Goſſene Aegyptiorum terra, eamq; poſſederunt, & magno ſtirpis incremēto aucti ſunt. Vixitq; Iacobus in Aegypto annos ſeptemdecim: cumq; G centum quadraginta ſeptem ętatis compleuiſſet annos, & iam ei ad moriendum dies propinquaret, Ioſephū filium euocauit, & cum eo ſic locutus eſt: Si quam habes in me beneuolentiam, ſuppone meo femori manum tuam, & mihi hanc ueniam & officiū concede, ut me non in Aegypto ſepelias: ſed cum obdormiuero cū patribus meis, tum me ex Aegypto in illorū monumēta humandum transferas. Cui ille: Faciā iſto modo, inquit. Et pater: Iura mihi. Atq; ille iurauit, & Iſrael ſeſe ad pluteum uenerabūdus acclinauit.

Iacobus Ioſephū obteſtatur, ut ſe in Chananæa ſepeliat.

CAPVT XLVIII.

Ioſephus patrem ægrotum uiſit.

His rebus ita peractis, Ioſepho nūciatur patrem ægrotare. Tum ille duos filios ſuos, Manaſſem & Ephraimum ſecum adhibet. quæ res ubi Iacobo nūciata eſt, filiū eius Ioſephum ad eum uenire, confirmauit ipſe ſe, & in lecto aſsidēs Ioſephum ita eſt alloquutus: Deus omnipotens mihi Luzę in Chananæa apparuit, & felicitatem dedit, & incrementum, amplificationemq;, et populorū multitudinis à me deductionē promiſit, ſeq; pollicitus eſt illius terræ poſſeſsionem meę poſteritati daturum ſempiternam. Et nunc duo filij tui, qui tibi in Aegypto ante meum aduentū nati ſunt, mei erūt: Ephraimus & Manaſſes perinde mihi erunt, atque Ruben & Simeon. quos autem poſt eos procreaueris, tui erunt, & in tenenda hęreditate in ſuorum fratrum nomine cenſebuntur. Et B mihi quidem ex Meſopotamia uenienti mortua eſt Rachel in Chananæa, in itinere, cum ab Ephrata una itineris māſione abeſſem. Ibi eam ſepeliui in uia Ephratæ, id eſt, Bethlehemę. Deinde filios Ioſephi intuitus Iſrael, dixit: Qui ſunt iſti? Cui Ioſephus: Mei filij ſunt, quos Deus hic mihi largitus eſt. Atque ille: Applica eos mihi, inquit, ut eis bene precer. (iam enim Iſrael, præ ſenio cæcutientibus oculis, perſpicere non poterat) cumq; ille eos propius admouiſſet, Iſrael eos deoſculatus, atq; cōplexus, ſic Ioſepho loquitur: Viſurū me faciem tuam nunquam dixiſſem, cuius etiam progeniem mihi Deus oſtendit. Hic Ioſephus eos de Iſraelis genibus eduxit, & ad terram uultum honorificè C inclinauit. Deinde cum Ephraimū ad dextram ſuam, & ad Iſraelis ſiniſtrā: Manaſſem autē ad ſiniſtrā ſuam, & ad Iſraelis dextrā conſtituiſſet, ambos ad illum applicuit. Sed Iſrael traducta iam dextram capiti Ephraimi impoſuit, qui erat minor natu: ſiniſtrā autē capiti Manaſsis, manus de induſtria ita cōponens: nam erat Manaſſes natu grādior. tum Ioſepho bene precatus, hæc dixit: Deus, cuius ad uoluntatem uitam ſuam direxerunt patres mei Abrahamus & Iſaacus, Deus qui me ex quo natus ſum adhunc diem rexit, Genius qui me ex omni malo eripuit, pueros bene fortunet, fiat'que in eis mei nominis & meorum patrum Abrahami & Iſaaci mentio, magnoq; incremento per terras augeātur.

Ioſ.13.a. 17.d.b.& 20.a

Iacobus Ioſephi natis bene precatur.

Heb.11.d Matt.12.b

D At Ioſephus ubi animaduertit patrē dextram capiti Ephraimi impoſuiſſe, offenſus ea re, patris manū prehendit, ut eam ab Ephraimi capite ad Manaſsis traduceret: Nō ita mi pater (inquit) nam hic grandior eſt, huius capiti dexteram tuam impone. Sed pater recuſauit: Scio, inquit, fili, ſcio: hic quoq; erit populi autor, magnuſq; euadet: eum tamen frater natu minor magnitudine ſuperabit, cōplebitq; eius propago gentes. Ita eis illo die bene precatus eſt, &: Per uos, inquit, bene precentur Iſraelitæ, hoc modo: Det tibi Deus fortunā Ephraimi & Manaſsis. atq; ita Manaſsi præpoſuit Ephraimum. Deinde Ioſephū alloquens Iſrael: Ego iam moriar, inquit. Sed aderit uobis Deus, uoſq; in terram ueſtrā patriam reducet: & ego tibi poſſeſſionem unam do ſupra fratres tuos, quā ex Amorræis [a] gladio & arcu meo comparaui.

Ioſ.13.a. 14.b.& 16 a.

a ui & armis.

CAPVT XLIX.

Iacobi teſtamētum.

Deinde cōuocatis filijs ſuis, ſic effatur: Cōgregamini, ut uobis prænunciem ea quæ ſunt olim uobis euentura. Conuenite, & attendite filij Iacobi, & Iſraelem patrem ueſtrum audite. ¶ Ruben tu primogenitus meus es, meæ uires, & meę uirilitatis initiū: quanto dignior, tanto impotentior, fluidus, ut aqua, non excelles, quia patris tui cubile conſcendiſti, quo cōſcendēdo meum lectum polluiſti. ¶ Simeonis & Leuis fratrum gladij, tela ſunt crudelitatis: eorū nolim aut in fidem uita mea ueniat, aut in ſocietatem honos cōmittatur, qui iracūdia cædem fecerint, & libidine murū ſubruerint. Deteſtanda eſt eorū tam impotēs ira, & tam effrenatus furor. Eos inter Iacobeos diſtribuam, & inter Iſraelitas diſsipabo. ¶ Iuda, te tui celebra B bunt fratres, manum in hoſtium ceruicibus habentem: te colent ex eodem tecum patre nati. Tu leonis catulus es, fili mi Iuda, quem à præda recentem, humi cubantem, ceu leonem aut leænam, quis excitet? A Iuda ſceptrum non recedet, nec de eius interfeminio rector, donec ueniat ſoſpitator, cuius erit populorum cōgregatio. Viti aſinum, palmæ aſinæ ſuæ pullum alligabit: ueſtem ſuam uino, indumentū ſanguine uuarū lauabit: oculis uino rubentibus, dentibus lacte candētibus. ¶ Zabulon littus maris accolet, & portus nauium: eius latus ad Sidonē uerget. ¶ Iſſachar, aſinus oſſeus, cubans inter ſarcinas, qui ocij ſuauitate et regionis amœnitate perfecta, dorſum ſubmittet ad portandum, & tributi ſeruituti ſubijcietur. ¶ Dan populum ſuū ulciſcetur, ſicut una de tribubus Iſ- C raelitarū. Erit Dan ſerpēs propter uiā, coluber propter iter, qui admorſo equi calce, equitem retrò excutit. Salutem à te expecto Ioua. ¶ Gadus à cuneo diſijcietur, ſed diſijciet & ipſe tandem. ¶ Aſer, ciborū lautorū ferax, delicias dabit regias. ¶ Nephthalis, laxatę ceruę ſimilis, elegātia uerba proferet. ¶ Fœcundus Ioſephus, fœcundus ad fontē, puellis ſuper muros gradientibus: quę cum infeſtis telis prouocaſſent ſagittarij,

1.Par.5 Sup.34.d

Ioſ.19.a.21.a.

1.Paral.5.a

Ioan.1 g. 7.g Matth.2.a

1.Paral.5. sagittarij, eius & arcus ualentissime perstitit, & manuum lacerti corroborati sunt à manibus numinis Iacobi, unde pastor lapis Israelis. à Deo patris tui, qui tibi auxiliũ tulit: ab omnipotente, qui te exuberabit ubertate cœlorum supernè, ubertate profundi iacẽtis infrà, ubertate uberũ atq; uuluarum. Hæ tui patris ubertates, quæ montes ubertatis, atq; adeò sempiternorũ collium uoluptatem superãt, in caput Io-
D sephi, in uerticẽ excellentissimi fratrum suorũ exũdabũt. ¶ Beniamin ceu lupus prædabitur: manè prædam uorabit, ad uesperum spolia diuidet. ¶ Hæ sunt omnino Israelitarũ tribus, uidelicet duodecim, atque hęc sunt quæ dixit eis pater eorum: & singulis, alij alio genere, bene precatus est. Deinde sic eis præcepit: Ego iã ad meos populares aggregabor: sepelitote me cũ patribus meis in cauerna quæ est in fundo E-
Sup.23.d. phronis Hettæi, quem duplicẽ fundum contra Mambrem in Chananæa situm, emit Abrahamus ab Ephrone Hettęo in usum sepulchri. Ibi sepultus fuit Abrahamus, & eius uxor Sara: ibi Isaacus, & eius uxor Rebecca: ibidem ego Liã sepiliui. Eius fundi, & illius quæ in eo est cauernæ possessio ab Hettæis uenit. ¶ Postquã
Iacobi mors. Iacobus filijs præcipiendi finẽ fecit, pedibus in lectũ contractis expirauit, & ad suos cõcessit.

CAPVT L.

TVm Iosephus in patris faciem illapsus, & eum cum fletu osculatus, seruis suis, quos medicos habebat, præcepit, ut eum condirent. Ita cõdito à medicis Israele, quadraginta in eo dies completi sunt: nam id erat conditurae spaciũ. Eum Aegyptij quoq; septuaginta dies defleuerunt: quibus flendi diebus elapsis, Iosephus à Pharaonis familiaribus contendit, ut si qua se prosequantur beneuolentia, (quoniam
Sup.47.g. à patre suo iam ad mortem propinquo iureiurando obstrictus esset, se eum inhumaturũ in sepulchro, quod ille sibi in eum usum fodisset in Chananæa) pro se peterent à Pharaone, ut sibi liceret illò ire, & patri iusta persoluere, sese
Iacobi funus. deinde esse rediturũ. Cumq; Pharao permisisset ut proficisceretur, patremq; suum, sicut ille eum obtestatus erat, sepeliret, profectus est Iosephus ad funus paternum: cum quo profecti
B sunt etiam omnes serui Pharaonis, domestici senatores, omnesq; Aegyptij senatores, necnon cũcta Iosephi familia & fratres, paternaq; familia, paruulis tantum, & minoribus maioribusq; pecoribus in Gossene relictis. Aderãt & quadrigarij, & equites, ita ut permagnus esset comitatus. Qui postquã ad aream Atadi peruenerunt, quæ est trans Iordanem, ibi multo maximum, tristissimumq; ploratum ediderũt, integrauitq; patri Iosephus luctum dierũ septẽ. Hunc in area Atadi luctum uidentes incolæ Chananææ, dicebant eum luctum tristem esse Aegyptijs: qua ex re locus ab Aegyptiorũ luctu nomẽ habuit, qui locus est trans Iordanem. Fecerunt igitur Iacobo filij, sicut eis erat ab eo præceptum: eumq; in Chananæam delatum, sepeliuerunt in cauerna duplicis fundi, quę fun-
Acto.7.b. dum Abrahamus in usum sepulchreti emerat ab Ephrone Hettæo, positum è regione Mam- Sup.13.d
bræ. ¶ Patre sepulto, redijt Iosephus in Aegy- C
ptum, unà cum fratribus suis, & omnibus qui cum eo ad patris funus iuerant. Eius autem fratres cum uiderent mortuum esse patrem, ueriti ne ipse eis infensus, eos pro tanta ab ipsis accepta iniuria ulcisceretur, eum certiorem faciũt, Iosephi fratres ab eo ueniam petunt.
patrem eius præcepisse, antẽ quàm moreretur, ut eum rogarẽt, ut fratribus suis, à quibus esset uiolatus, peccatum illud & scelus ignosceret: nunc petere se, ut id sibi facinus, eiusdem cum eo Dei patrij cultoribus, remitteret. Ad quę eorum uerba fleuit Iosephus. Et cum ipsi etiã fratres uenissent, & sese ante eum abiecissent, seq; ei in potestatem obtulissent: Nolite (inquit Iosephus) timere: quasi uerò ego sim idem quod Deus, qui quod uos in me malo animo cogitaueratis, id conuertit in bonũ, ut (quemadmo- D
dum res ipsa ostendit) tot homines conseruaret. Quare nolite timere: ego uos, uestrasq; familias alam. Hac Iosephus humanitate orationis eorũ animos consolatus est. ¶ Habitauit autem in Aegypto ipse, & domus eius patria, uixitq; annos centũ decem, uiditq; etiam pronepotes Ephraimi, et Machiris quoq; filij Manas- Nu.32.g.
sis filios natos gremio accepit. ¶ Postremò fratres cõmonuit, sese iamiam esse moriturũ: Deũ Heb.11.d
autem eis subuenturũ, & ex ea terra in terram quam Abrahamo, Isaaco, & Iacobo iurauisset, Exod.13.d.
eos educturum. Itaq; Israelitas iureiurãdo ob- Iosu.24.g.
ligauit, cũ eis subuenisset Deus, illinc sua ossa deportaturos esse. Mortuus est Iosephus annos natus decem supra centum, conditusq;, & in feretro repositus in Aegypto.

EXODVS.

CAPVT I.



[I]GITVR filiorum Israelis nomina, qui cum Iacobo in Aegyptum cum singulis familijs uenerunt, hęc sunt: Ruben, Simeõ, Leuis, Iudas, Issachar, Zabulõ, Beniamin, Dã, Nephthalis, Gadus, & Aser: fuitq; omnium Iacobi femore procreatorum numerus capitum septuaginta, quorum Iosephus iam erat in Aegypto. Mortuo Iosepho, eiusq; fratribus & toto illo genere, Israelitæ tanto numero & multitudine aucti, propagati, corroborati sunt, ut eis regio illa cõpleretur. ¶ Tũ extitit rex nouus in Aegy- Gen.46.d Act.7.e B
pto, qui Iosephum non nouerat. Is populo suo persuasit, ut Israeliticũ populũ, à quo ipsi et numero & uiribus superarentur, circumuenirẽt, ne si amplius creuisset, & bellum aliquod ortũ fuisset, hostibus sese coniungeret, & sibi ex ea terra exitũ bello quæreret. Ita impositi sunt populo Israelitico quęstores tributi, qui eũ oneribus opprimerent: coactusq; est urbes ad arma- Israelitarũ seruitus.

ria ædificare Pharaoni, Pitomā, & Ramessem. Sed quanto grauius premebatur, tanto magis C crescebat, magisq; propagabatur. Quare Israelitarum pertæsi Aegyptij, cœperunt in eos maiorem imperij asperitatem adhibere, & uitam eis acerbam reddere, arenatum & lateres durius exigendo, & omne rusticani operis genus & seruitiū asperius cogēdo. ¶ Tum autē rex Aegypti Hebræarum obstetricibus (quarum uni Siphra, alteri Phua nomen erat) mandauit, ut Hebræis mulieribus obstetricando, in ipso enixu, si animaduerterent mares esse, necarēt: sin fœminas, conseruarent. Sed obstetrices Deum ueritæ, regi dicto audientes nō erant, pueroscq; conseruabant. Cumq; eas euocasset rex Aegypti, & ex eis quæsiuisset, cur ita pueros conseruarent? responderunt, multū differre inter Hebræas mulieres & Aegyptias: illas enim uiuidas esse, & antequā adsit obstetrix, parere. Itaque & Deus obstetricibus benefecit, & populus crescebat, multūq; inualescebat, atq; ita fiebat ut eis Deus per illam obstetricū pietatē[a] familias pararet. Tum imperauit Pharao omni suo populo, ut omnes Hebræorū mares natos in flumen deijcerent, ac fœminas conseruarēt.

Sap. 18. b.

a progenie

CAPVT II.

Mosis natiuitas.

QVidam autem de familia Leuitica, uxorem item Leuiticā duxerat, quæ mulier cum filiū ex eo peperisset, & elegantē esse uideret, occultum habuit tres menses. Sed cum amplius occultare non posset, sumit cistā iunceā, quam bitumine & pice oblinit, & positū in ea puerū in papyro ad ripam fluminis exponit, astante procul pueri sorore, ut exploraret quid eo fieret. Tum Pharaonis filia, quæ in fluuium ad lauandū descēderat, pedissequis eius secundum flumen ambulantibus, conspicata cistam inter papyrū, mittit ancillā quæ eam petat. Aperta cista, uidet infantē uagientē: eiusq; miserta, dicit eum ex pueris Hebræorū esse. Ac quærenti pueri sorori, uellet'ne ut ei accerseret mulierē nutricē de Hebræis, quæ ei puerum nutriret? permisit. Igitur puella matrē pueri euocauit, cui illa puerū sibi educandū & enutriendū tradidit, pollicita mercedē. Mulier puerū accepit, eumq; nutriuit. iamq; factū grādiusculum, ad filiā Pharaonis adduxit, quæ eū habuit pro filio, & Mosem nominauit, quòd eū extraxisset ex aqua. ¶ Quodā autem tempore Moses, ut ex pueris excessit, agnatos suos inuiserat: eorumq; cognitis oneribus, cum uidisset Aegyptiū quendā, qui Hebreū unum de agnatis suis cædebat, huc illucq; circumspexit, & cum neminē adesse uideret, Aegyptiū occidit, & arena obruit. Altero die egressus, uidet duos Hebræos inter se contendentes, & ex eo qui alteri faciebat iniuriā, quærit, cur alterū cædat? At ille: Quis te nobis principē, inquit, & iudicem constituit? an istud dicis, quo me interficias, quemadmodū interfecisti Aegyptiū? Hic Moses territus, ubi rem cognitā esse intellexit, cum Pharao audita re eum ad suppliciū quæreret, sibi fuga consuluit, & in Madianitis consedit. ¶ Ibi eo ad puteū sedēte, filiæ pontificis Madianitarum, quas ille septē habebat, eò uenerunt, & hausta aqua alueos impleuerunt, ut paternū pecus adaquarēt. Quas cū uenientes pastores depellerent, surrexit Moses, & eas tutatus, earum pecus adaquauit. Tum illæ Raguelem patrem suū adeunt, & quærēti qua ratione eo die tam citò uenerint? respondent, se ab Aegyptio quodā ab iniuria pastorum esse defensas, qui etiam ipsis aquam hauserit, & pecus adaquauerit. Ille quærit ex filiabus, ubi sit? cur hominem D reliquerint? iubetq; ut eum accersant, quò cibum capiat. Cum illo homine Mosi habitare placuit, eiq; ille Sephorā filiam suam elocauit: ex qua filium sustulit, quem Gersomū appellauit, quia peregrinus esset in terra extranea. G. L. Item alterū, quē Eliezerē nominauit, quòd Deus patrius ei subuenisset, eumq; à Pharaonis iniuria liberasset. H. Per id longi temporis spaciū Aegypti rege mortuo, Israelitæ sub seruitute gementes conquerebantur. Horū querimoniæ, quas seruitus exprimebat, ad Deū peruenerūt, et Deus eorum suspiria exaudiuit: recordatusq; fœderis quod ei cū Abrahamo, Isaaco & Iacobo intercedebat, respexit Israelitas, eorumq; rationem habuit.

Num. 23. g
1. Paral. 13. c.

Act. 7. c
Heb. 11. d

B

Heb. 11. e
Act. 7. c

Moses Aegyptiū occidit.

C

Moses in Madianitas fugit.

1. Paral. 23. b.

CAPVT III.

Genius Mosi in dumo apparet.

CVm enim Moses pasceret pecus Iethronis soceri sui, sacerdotis Madianitæ, eoq; pecore post saltum ducto, uenisset in diuinum montem Horebum, apparuit ei Iouæ Genius in flamma ignis de medio rubo: quem rubum ignie ardere Moses, neq; tamen cōsumi uidens, tentabat accedere, & tantum ostētum uidere, qua'nam ratione non exureretur rubus. Sed ubi uidit Ioua eum ad spectandum accedere; B clamauit ad eum Deus de medio rubo: Moses, Moses. Quid est? inquit ille. Ne huc appropinqua, inquit: detrahe tibi calceos de pedibus. nā locus in quo tu astas, sacra terra est. ¶ Ego sum Deus tui patris (inquit) De9 Abrahami, Deus Isaaci, Deus Iacobi. Hic cum Moses faciem suam abscondisset, Deū aspicere reformidans, Ioua sic loquitur: Cum uiderem calamitatem populi mei qui est in Aegypto, querelamq; audirem; quam exprimunt exactores, & eius labores cognoscerem, descendi ad eum eripiendū Aegyptijs, & deducendū ex ea terra in terram bonam & amplam, in terram lacte & melle affluentem: in locum Chananæorū, Hettæorum, Amorræorū, Pherezæorū, Heuęorum, & Iebusæorū. Quare hac Israelitarum imploratione accepta, perspectaq; uiolentia qua ab Aegyptijs urgētur, statui te ad Pharaonem mittere, qui Israelitas meos ex Aegypto educas. ¶ At Moses: Nam quis ego sum, inquit, Deum alloquens, ut Pharaonē adeā, utq; Israelitas ex Aegypto educam? Et ille: At adero ego tibi: atq; hoc erit signi, à me te esse missum, quòd postea quàm populum ex Aegypto eduxeris, Deum hoc ipso in monte coletis. Hic Moses: Esto, inquit Deo, uenero ad Israelitas, dixero me ab eorum Deo patrio ad eos mitti: quærēt, quod sit eius nomen? hic ego quid illis respondeā? Cui Deus: Ero qui ero, inquit. Dices Israelitis, Ero mittit

Act. 7. d

Matt. 22. c
Mar. 12. c
Luc. 20. f.

C

D

Ioua suum nomen indicat.

E

At alius apud Eusebium, interrogatus, quid Deo nomen esset: Respondit: Qui pluribus [illegible] nominibus discernuntur: Qui Unus est non indiget nomine.

mittit me ad uos. Sic dices Israelitis, inquit porrò Mosi Deus, te à Ioua Deo patrum ipsorum, Deo Abrahami, Deo Isaaci, Deo Iacobi ad eos mitti. Hoc meum nomen sempiternū, hoc mei in omnē æternitatē monimentum est. I modò, conuocatisq; Israelitarū senatoribus, dicito, Iouam Deum eorū patriū apparuisse tibi, Deum F Abrahami, Isaaci, & Iacobi: & demonstrauisse, sese de eis, & eorū conditione, quam in Aegypto perpetianī, uelle cognoscere, eosq; ex Aegyptijs miserijs educere in terrā Chananæorū, Hetteorū, Amorræorū, Pherezæorū, Heuæorum, & Iebusæorū, terram lacte melleq; circūfluentem. Postquam hoc illis persuaseris, cōuenietis regem Aegypti, tu unà cum senatoribus Israelitis, & ab eo petetis nomine Dei Hebræorum, in quem incideritis, ut uos sinat tridui iter per deserta progredi, & Iouæ Deo uestro sacri- G ficare. Scio ego nō permissurū Aegypti regem ut abeatis, nisi ui coactū. Itaq; uim adhibebo, Aegyptiosq; tot inter eos editis portentis percutiā, ut tandem uos dimittat. Ac ne dum discedetis, inanes discedatis, ponam populum istum in gratiam cum Aegyptijs, ut mulieres à suis uicinis & contubernalibus mulieribus exorent uasa aurea & argentea, atq; uestem, quæ uos liberis uestris imponetis, Aegyptumque compilabitis.

CAPVT IIII.

Virga Mosis in serpentem uersa.

TVm Moses: Quid si meæ orationi fidē nō habuerint, negauerintq; mihi apparuisse Iouam? Et Ioua: Quid habes in manu? Virgam, inquit. Abijce eam ad terram. Cūq; abiecisset, mutata est in serpentem. quem fugienti Mosi, Deus inquit: Prehende manu caudā eius. quod cū fecisset, facta uirga est in eius manu. Vt credant (inquit Deus) Iouā tibi Deū patrū eorum Abrahami, Isaaci, Iacobi apparuisse: Age ite- B rum, immitte manū in sinum tuum. quod ubi fecit, eamq; eduxit, erat leprosa, & niui similis. Iterūq; Dei iussu relata in sinū, & educta, erat reliquo corpori similis reddita. Quòd si primo portento non adducentur ut tibi fidem habeant, at adducentur altero. Sin ne duobus quidem istis prodigijs fuerit eis persuasum, sumes aquam de flumine, quam effundes in terram, C & ea humi uertetur in sanguinem. Et Moses: At disertus neq; antea fui Domine, inquit, neque nūc sum, postquam tu mecum locutus es; nam oris & linguæ tarditate laboro. Cui Ioua: Ecquis dedit os homini? inquit, aut quis facit mutum, aut surdum? quis perspicacem, aut cæcum? an non is ego Ioua sum? I modò: ego tuo ori moderabor, tibiq; suggeram quid sis dicturus. At ille: Quæso te Domine, mitte idoneum aliquē. Tum Ioua Mosi iratus: Habes, inquit, D fratrem Aharonem Leuitam, quem ego hominem scio esse dicendi peritum: qui tibi etiā pro cessurus est obuiam, teq; libenti animo uisurus. Cum eo tu colloqueris, eumq; uerbis instrues: ego uerò & tuæ & eius orationi moderabor, & quid uos facere oporteat docebo. Ipse ad populū pro te uerba faciet, tibiq; erit pro ore, tu ei pro Deo. Virgam quoq; istam manu

Mosis manus leprosa.

Matt. 10.c

Eccl. 43.4

feres, qua portenta facias. ¶ Tum Moses inde digressus, ad Iethronem socerum suum reuersus est, & ab eo petiuit, ut sibi ad cōsanguineos suos, qui essent in Aegypto, redire liceret, & prouisere utrum adhuc uiuerent: quem Iethro E cum bona pace dimisit. Moses igitur à Ioua in Madiania admonitus, ut Aegyptum repeteret, (mortuos enim esse omnes illos, qui eius uitam petebant) uxorem suam adhibet, & filios, e sq; in asinum illatis, in Aegyptum redire contendit, diuinam illam uirgam secum ferens, & à Ioua huiusmodi uerbis admonitus: Cum redieris in Aegyptum, uideto ut omnia ostenta, quę tibi ego in manu posui, apud Pharaonem edas: ego eius animum obfirmabo, ut populum non dimittat. Tu uerò hoc ei à me Ioua referes, filiū F meum primogenitū esse Israelem: itaq; me ei iubere, ut filium meum dimittat, ad me colēdum. quem si dimittere recuset, dices me eius filium primogenitum esse occisurum. ¶ In itinere autem in diuersorio, Ioua eum petebat ad necem: sed corripuit Sephora silicem, & filij sui præputium circumcidit: eoq; præputio illius pedibus admoto, inquit: At tu mihi maritus es sanguinarius. Tum Deus ab illo petendo destitit. G Maritum autem illa sanguinarium dixit, propter circumcisionem ¶ Aharon autem Iouæ monitu, Mosi obuiam processit in deserta, & ei in monte diuino occurrit, eumq; deosculatus est. Cumq; Moses illi omnia Iouæ mandata, à quo mittebatur, omniaq; portenta quæ edere iussus erat, exposuisset, iuerunt ambo: congregatisq; omnibus senatoribus Israelitis, proposuit Aharon omnia quæ Mosi Ioua dixerat, & Moses ostenta in oculis populi fecit, quę res illis fidem fecit, Deum Israelitis auxiliatum uenire, eorumq; miserias respexisse. Itaque honorem uultu demisso præbuerunt.

Moses à Iethrone missionem petit.

Ioua Mosi præcepta dat ad Pharaonem.

Ioua Mosem petit ad necem.

CAPVT V.

Moses & Aharon Pharaonē adeunt.

POstea adeunt Moses & Aharon Pharaonem, & cum eo sic agunt: Iubet Ioua Israelitarum Deus, ut populum suum dimittas, ut ei festum agat in desertis. Quibus Pharao: Quis est iste Ioua? inquit, ad cuius ego iussum Israelitas dimittā? Ego uerò neq; Iouam noui, neque Israelitas dimittam. Atque illi: Occurrit nobis Deus Hebræorum (inquiunt) cuius nomine petimus à te, ut liceat nobis trium dierum iter facere in deserta, & Iouæ Deo nostro sacrificare, ne nos peste bello'ue petat. Quibus rex: Quare, Moses & Aharon, populū à suo opere auocatis? Ite ipsi ad munus uestrum, qui mihi tam multos, inquit, incolas à suis negocijs abstrahitis. Præcepitq; Pharao eo ipso die magi- B stratibus & exactoribus populi, ne deinceps paleam populo ad cōficiendos lateres, sicut antea, suppeditarent, sed ipsos eam sibi collectum ire iuberet: & tamen eandem summā laterum, quam præstare erant soliti, ab eis exigeret, neq; de eo quicquam deonerarent: esse enim ociosos, eoq; missionē ad sacrificiū Deo suo faciendum flagitare. Quapropter opus aggrauādum hominib. esse, ut in eo occupati, minus in uerborum uanitatem intenderet. Igitur magistratus, &

tus, & præfecti, homines adeunt, demonstrant Pharaonē eis paleæ suppeditationem denegare: irent ipsi, & paleā sibi peterent, undecunq; nancisci possent: sese tamē de eorum penso nihil esse diminuturos. C ¶ Tum populus per uniuersam Aegyptū dispersus est ad stipulas pro palea colligendas: urgētibus insuper magistratibus, ut suū opus singulis diebus absoluerent, non minus quàm cum paleæ copia fieret. Ipsi quoq; Israelitarū præfecti à Pharaonis magistratibus constituti, uerberabantur, quòd per eos dies solitā operis lateritij summā non præstarent. Quare Pharaonē adeunt, & cum eo de iniuria expostulant: sibi neq; paleā ministrari, & tamen laterū confectionē exigi: ita illius seruos & populū uerberari, & indignè mulctari. Quibus Pharao: Estis estis, inquit, ociosi, propterea ad Iouæ sacrificiū ire postulatis. D Quamobrem ite ad operandū: neq; uerò palea uobis suggeretur, & tamen laterū numerum præstabitis. Ita Israelitarū præfecti uultu tristi Israelitis renunciauerunt, nihil eis de laterum opere quotidiano detrahi. Atq; à Pharaone digressi, cum Mosi & Aharoni aduersis occurrissent, ita cum eis expostulāt: Iouam uindicē cōtestamur, nos à uobis in odiū Pharaonis & suorum esse uocatos: uosq; eis gladium, quo nos conficeremur, tradidisse. ¶ Tū Moses ad Iouam regressus, ita cum eo loquitur: Domine, cur populum hunc malo afficis? Cur me tandem misisti? qui ex quo Pharaonē tuo nomine cōueni, eum ille peius tractat, neq; tu tuos liberas. Cui Ioua: Iam uidebis, inquit, ut ego Pharaonē accipiam, ut ui coactus eos non solum dimittat, uerùm etiam suis finibus expellat.

CAPVT VI.

EGo sum idē Ioua, inquit, qui Abrahamo, qui Isaaco, qui Iacobo ut Deus omnipotens apparui, quibus tamen nomen meū Ioua non declaraui. Illis interposito fœdere promisi Chananæam, qua in terra peregrini commorabantur, cuius modò fœderis, auditis Israelitarū de Aegyptiaca seruitute querimonijs, recordatus sum. Quapropter hæc à me Israelitis renunciato, me Iouam eos & Aegyptiorū oneribus esse subducturū, & seruitute liberaturum, exertoq; brachio & ingentibus exemplis assert urum, mihiq; populum asciturum, & eis Deum B futurū, ut intelligāt me Iouam suū esse Deum, qui eos oneribus Aegyptijs leuauerim. Ducturum etiam eos in terram quam Abrahamo, Isaaco, & Iacobo me daturum esse [a] promiserim, eiusq; terræ possessionem eis esse traditurum. Hæc ego Ioua. ¶ Hæc Moses ad Israelitas ad eum modum detulit: sed illi in tanto angore animi, & duritate seruitutis, Mosem non audierunt. Tum Ioua Mosi mādauit, ut Pharaonem Aegypti regem adiret, ab eoq; peteret, ut Israelitas à suis finibus dimitteret. Cui Moses: Ipsi me Israelitæ non audiunt, inquit, nedum ut au- C diat Pharao, hominem præsertim sermonis impediti. ¶ Israelitarum autē (ad quos Ioua, & ad Pharaonem, Mosi & Aharoni præcepta de eis ex Aegypto educendis dedit) familiarū capita sic se habent: Rubenis primogeniti Israelis filij fuerunt, Henochus, Phalus, Hesron, & Charmis: hinc Rubeninæ cognationes. Simeonis autem, Iamuel, Iamin, Ohadus, Iachin, Sohar, & ex Chananæa generatus Saulus: à quibus dictæ sunt Simeoniæ cognationes. Leuis filios habuit totidem stirpium autores, Gersonā, Cahathum, & Merarim, uixitq; annos cētum triginta septem. Gerson habuit Lebnim & Simeim, autores cognationum. Cahathus Amramum, Isaarem, Hebronem, & Ozielem, uixitq; Cahathus annos centū triginta tres. Meraris Moholim, & Musim. Ex his Leuitici generis cognationes natæ sunt. Habuit autē Amramus Iocabedam amitam suam in matrimonio, ex qua sustulit Aharonem & Mosem G. L. & Mariam eorum sororem, H. uixitq; Amramus annos centum trigintaseptem. Isaaris filij fuere Cora, Nephegus, & Zechris. Ozielis autem, Misael, Elsaphan, & Sethris. Aharon uxorem habuit Elisebā Amminadabi filiā, Nahasonis sororem: ex qua procreauit Nadabum, A- D bium, Eleazarum, & Ithamarū. Coræ filij fuerūt Asir, Elcana, & Abiasaphus, à quibus originem trahunt Coranæ cognationes. Eleazarus autem Aharonis filius ex una filiarum Phutielis, quam in matrimonio habebat, sustulit Phineem. ¶ Et hæc quidem de Leuiticarum familiarū capitibus atq; autoribus, ex quibus Aharon & Moses orti sunt, ij quibus mandatum à Ioua est, ut Israelitas cum suis copijs ex Aegypto educerent. Hi Moses & Aharon cum Pharaone Aegypti rege de Israelitis ex Aegypto deportandis locuti sunt.

Israelitarū præcipui.
1.Par.4.d
Gen.46.b
Num.26.a
1.Par.5.a
1.Par.6.a
23.a
Num 3.e
16.g
1.Par.6.a
23.b
Num.3.a

[a] Hebraicè, manum sustulerim.

CAPVT VII.

AC quo die Ioua Mosi in Aegypto mandata dedit, quæ ad Pharaonem Iouæ nomine deferret omnia, tum cum ei Moses respondit sibi, qui lingua hæsitaret, Pharaonem non esse obtēperaturum, Ioua sic cū eo locutus est: En ego te Pharaoni Deum efficio, Aharon tibi frater tuus uates erit. Tu ei omnia tibi à me præcepta eloquēris, ipse ea ad Pharaonem deferet, ut Israelitas de suis finibus emittat. Atq; ego Pharaonis animum indurabo, multaq; in Aegypto ostenta & miracula edam. Ac ne sic quidem obtemperante uobis Pharaone, afferam manū Aegypto: measq; ex Aegypto copias, id est, meos Israelitas, per magna exempla extrahā, ut sciāt me Iouā esse Aegyptij, cum eis manū attulero, & Israelitas de medio eorū eduxero. ¶ Tum Moses & Aharon Iouæ præcepta exequuti sunt, annū ætatis agētes, Moses octogesimum, Aharon octogesimum tertium, tum B cum Pharaonem conuenerunt. Erat autem eis à Ioua mandatum, ut si poposcisset Pharao miraculū, Aharon Mosis iussu uirgam suā ante illum abijceret, quæ draco fieret. Igitur Pharaonē adiuerunt Moses & Aharon, Iouæq; præceptum executi sunt. uirgamq; suam proiecit Aharon ante Pharaonē & Pharaonios, quæ mutata est in draconem. Tum Pharao sapientes etiam, & præstigiatores euocauit, qui Aegyptij magi suis carminibus idem etiam fecerunt, ab-

Ioua Mosen alloquitur.
Virga in draconem.
2.Tim.3.b

iectaq;

iectæꝗ à singulis uirgæ in totidē dracones euaserunt: quas illorum uirgas Aharonis uirga deuorauit. Hic Pharao obfirmato animo eis nō paruit, sicut Ioua prædixerat. ¶ Tum Ioua Mosem alloquitur: Pharao obstinato animo populum non dimittere perseuerat: conuenito eum
C mane, eiꝗ ad ripam fluminis occurrens (nam exibit ad aquas) & uirgam, quæ in serpentem mutata est, manu ferens, dicito, te à Ioua Deo Hebræorum ad ipsum mitti, qui Ioua iubeat suum sibi populū ad se in desertis colendum ab illo emitti. Quòd si ne sic quidē parebit, hoc ei à me renūciabis, eum intellecturū qui sit Ioua: quòd cū tu uirga, quam in manu habebis, fluminis aquā percusseris, uertetur in sanguinem, ut enectis piscibus, flumen ita puteat, ut ex eo aquam bibere nequicquā uelint Aegyptij. Tu uerò Aharoni præcipito, inquit, ut suā uirgam capiat, manumꝗ ad aquas Aegyptias, ad amnes, ad flumina, ad stagna, ad omnem deniꝗ a-
D quæ multitudinem intēdat, ut fiat sanguis, qui per uniuersam Aegyptū etiam in ligneis sit, & saxeis uasis. Hæc Iouæ iussa cum Moses & Aharon fecissent, cumꝗ ille sublata uirga aquam
Psal.77.c fluminis ante oculos Pharaonis eiusꝗ assecla-
Flumina in rum percussisset, mutata est omnis aqua flumi-
sanguinem. nis in sanguinem: mortuisꝗ fluminis piscibus
I. tantus extitit fœtor fluminis, ut Aegyptij de eius aqua bibere nō possent, totaꝗ Aegyptus sanguine redundauit. Quod cum idē magi Ae-
Sap.17.b gyptij suis carminibus effecissent, Pharao obdurato animo non paruit, sicut antè Ioua dixerat: sed domū suam repetijt, neꝗ ei etiā rei animum adiecit. Aegyptij autem omnes undiꝗ circum flumen aquam ad potionem effoderunt, quòd de flumine bibere non poterant.

CAPVT VIII.

PRæteritis septem diebus post ictum à Ioua flumē, Moses iterum Pharaonem de populo ad Iouæ cultum emittendo, ipsius Iouæ iussu conuenit. Recusanti minatus est, Iouam omnes eius fines petiturum esse ranis: quarū tanta
Ranæ. copia flumen scateret, ut in eius & suorum, & populi domos, cubiculorum penetralia, cubilia, furnos, mactras penetrarent, ipsumꝗ & po-
B pulum, & omnes illi subditos peruaderet. Ius-
II. sitꝗ Aharoni, eodem Ioue mandato, ut manu uirgā protēderet in fluuios, flumina, lacus, quo nascerentur in Aegypti solo ranæ: quo facto, tot extitere ranæ, ut eis Aegypti solum cooper
Sap.17.b tum sit. quod idem carminibus imitati magi, ranas in Aegypti terrā exciuerunt. ¶ Tum Pharao Mosem & Aharonem euocat, hortaturꝗ ut Iouam pro depellendis à se, suoꝗ populo ranis, deprecentur: sese illi populum ad sacra Iouæ facienda dimissurum. Cui Moses: Defini mihi tempus, inquit, quando pro te, tuisꝗ & po-
C pulo precer, ut à te tuisꝗ domibus ranæ propulsentur, ac tantùm in flumine relinquantur. In crastinum, inquit. Et Moses: Isto modo fiet, ut intelligas Iouam Deum nostrum incōparabilem esse: facessent à te, tuisꝗ domibus & asseclis & populo ranæ, sic ut restent tantum in flumine. Ita Mose & Aharone à Pharaone digressis, Moses Iouam exorauit de ranis, quas ille Pharaoni immiserat. Itaque illæ domesticatim, pagatim, & per agros mortuę sunt, & in cu- D
mulos coaceruatæ, ita ut fœteret regio. ¶ At Pharao ubi uidit datam esse respirationem, animum obfirmauit, nec illis morem gessit, sicut erat à Ioua prædictum. Tum Aharon iubente Mose, cui porrò mandatum erat à Ioua, uirgam manu prehendit, eaꝗ porrecta terræ puluerem percussit, qua percussione omnis totius Aegy
ptiæ terræ puluis in pediculos conuersus est, Pediculi.
quibus tum bipedes, tum quadrupedes scatue- III.
runt. Hāc pediculorum effectionem magi cum E
suis carminibus imitari frustra tentauissent, pediculis tum homines tum bestias infestātibus, apud Pharaonem cōfessi sunt, digitū esse Dei: sed ille occaluit animo, neꝗ illis auscultauit, sicuti fore Ioua prædixerat. ¶ Manè Moses ubi primū surrexit, Iouæ iussu Pharaoni ad aquas, sicut Ioua prædixerat, egresso præstò fuit, eiꝗ Iouæ mandatum exposuit, ut illius populū ad illum colēdum dimitteret. Quòd si non dimitteret, proposuit Iouā in eū, & in eius asseclas, &
populum, & domos, immissurum insecta, qui- Insecta.
bus & domus Aegyptiorū, & terra ipsa quam incolerent, repleretur. Ac tum Gossenem (qua in terra Iouæ populus maneret) excepturū, & F
ab insectis immunem esse facturum: ut intelligeret Pharao, quantus in terris esset Ioua, qui tantum discrimen inter suū & illius populum
posuisset. Id autem portentum fore postridie. Sap.16.b.
Atꝗ ita fecit Ioua, estꝗ tanta insectorū uis im- IIII.
missa domui Pharaonis, & Pharaoniorum, totiꝗ Aegypto, ut ab eis regio deuastaretur. ¶ Itaque euocauit Pharao Mosem & Aharonem, eisꝗ permisit ut Deo suo irent sacrificatum, sed ijs in finibus. Cui Moses respondit, id cōmodè fieri non posse: ea enim sacra Iouæ Deo suo facturos, quæ detestarentur Aegyptij: quæ si in
eorum præsentia facerent, non posse quin ab il- G
lis lapidarentur. Sed tridui iter in solitudinem progressos, Iouæ Deo suo sacrificaturos esse, ut eis Ioua mandaturus esset. Et Pharao: Ego uos dimittam, inquit, ut Iouæ Deo uestro sacrificetis in desertis, sed ea lege, ne longius procedatis: Precamini pro me. Cui Moses: Et ego à te digressus Iouam exorabo, ut cras à te tuisꝗ stipatoribus, & populo insecta abigat: uerùm ne tu nos amplius frustra habeas, populum ad sacrificiū Iouæ faciendum ire nō sinendo. Indeꝗ digressus, precibus à Ioua obtinuit, ut insecta ab illis abigeret, ne uno quidē relicto. Sed Pharao tū quoꝗ populū pertinaci animo retinuit.

CAPVT IX.

ITaque Moses, iubente Ioua, eum Iouæ Dei Hebræorum nomine admonitum iuit, ut illius populū ad illū colēdum emitteret. Quòd si de emittendo recusaret, atꝗ eos adhuc detineret, sciret Iouam eius pecori, quod in agris ha- Pecorum lues.
beret, uidelicet equis, asinis, camelis, bubus, V.
ouibus, caprisꝗ, perniciosissimam luem esse importaturum, tanto inter Israeliticum & Aegyptiū pecus discrimine, ut nihil prorsus esset de Israelitico periturum. Et quidē ad eam rem

tempus

B tempus à Ioua constitui posterum diem. Idq;
postridie Ioua fecit, ut mortuo omnis generis
pecore Aegyptio, de Israelitico ne unum qui-
dem interiret. Quod cũ Pharao missis eò nun-
cijs comperisset, Israelitici pecoris ne unũ qui-
dem interijsse, obstinato tamẽ animo populum
non dimisit. ¶ Tum Ioua Mosi & Aharoni iuss-
sit, ut fauillã de calcaria plenis uolis sumerent,
quam Moses in aerem præsente Pharaone spar-
geret: quæ in puluerem per uniuersam Aegy-
Pustulæ. ptum mutata, tam homines quàm bestias pu-
C stulis exulceraret. Id cum fecissent, tum homi-
VI. num tum pecudum corpora pustularum ulce-
ribus cõspersa sunt, eousq;, ut ne magi quidem
præ ulceribus, quibus non minus quàm omnes
Aegyptij, afficiebantur, ante Mosem possent
consistere. Sed obstinauit Ioua animum Pha-
raonis, ut quemadmodum Mosi prædixerat,
non obtemperaret illis. ¶ Tum Ioua: Surgito
cras mane (inquit Mosi) Pharaoni prẹstò futu
rus, eiq; ita dicturus: Hæc tibi Ioua Deus He-
bræorum dicit: Dimitte populum meũ, ut mihi
D seruiat. Alioquin nunc denique omnes meos
impetus in tuum cor, inq; tuos asseclas & po-
pulum consumam, ut intelligas nullum esse mi
hi in omni orbe terrarum parem. Et quidẽ iam
te tuosq; peste ictos mea manu ex orbe terra-
rum sustulissem, nisi te ad meam potentiam de-
clarandam, meumq; nomen in uniuerso terra-
Rom.9.d rũ orbe prædicãdum, nominatim destinassem.
Quòd si etiamnum populum meum impedis,
neq; amittis, sic habeto, me cras tãtam esse uim
Grando. grandinis pluturũ, quanta adhuc in Aegypto
post eam conditam nulla fuit. Quamobrẽ mit-
te qui cogant pecus tuum, & omnia quæ sub
dio habes. Nam omnes & homines, & peco-
E ra, quæ tum sub dio deprehensa tectũ non sub-
ierint, grandine oppressa interibunt. Hẹc Mo-
ses. Ac si qui ex Pharaonijs Iouẹ minas timue-
runt, seruitia pecoraq; sua in domos compule-
runt: qui autem neglexerũt, ea in agris reliqué-
Sap.16.c runt. Tum Mosem iussit Ioua manũ in cœlum
19.d tendere, ut tota in Aegypto in homines, in pe-
VII. cora, in herbas omnes grandinaret. Atq; ubi il
le uirgam in cœlum tetendit, emisit Ioua frago
res, & tantam uim grandinis, emicantibus in
terram fulguribus, & inter grandinẽ coruscan
tibus, in Aegyptum effudit, quanta post homi
nes natos nulla in omni Aegypto extiterat:
quæ grando per omnem Aegyptũ omnia quæ
sub dio erant contudit, homines, pecudes, ter-
restres herbas omnes contriuit, arboresq; per-
fregit: cum interea Gossen, quam Israelitæ par-
tem tenebãt, expers grandinis fuerit. ¶ Tum
uerò Pharao cõuocatis Mose & Aharone: Nũc
peccaui, inquit, pro Ioua facit æquitas, contra
me meosq; iniquitas. Deprecamini Iouam, ut
tonare & grandinare desinat, ego uos sine ulla
G mora dimittam. Cui Moses: Simulac ex urbe e-
gressus, manus ad Iouam protendero, cessa-
bunt fragores, desinetq; grandinare, ut cogno
scas hunc orbẽ Iouæ ditionis esse: etsi satis com
pertum habeo, te tuosq; nondum Iouã Deum
reuereri. Ea autem calamitate linum & hor-
deum afflicta sunt, quòd hoc adhuc in herba e-
rat, illud siliquabatur. At triticum & zea non
item, quòd erant tardiora. Postquam Moses, re
licto Pharaone, ex urbe egressus, palmas ad Io
uam expandit, sedata sunt tonitrua & grando,
pluuiaq; in terrã fluxio cohibita. Quod post-
quam uidit Pharao, perseuerauit in suo pecca-
to, animumq; cum suis obfirmauit, & Israeli-
tas obstinatè retinuit, ut Ioua per Mosem præ-
dixerat.

CAPVT X.

TVm Ioua Mosi: Adi (inquit) Pharaonem.
nam ego & eius & suorum animum obfir-
maui, ut hẹc mea miracula apud eos edam: utq;
uos uestris natis & nepotibus narretis, quæ e-
go in Aegyptios patrauerim, & quantis eos
portentis infestauerim, sciatisq; me esse Iouam.
Ergo Pharaonem aggressi Moses & Aharon,
quærunt ex eo, nomine Iouæ Dei Hebrẹorum,
quousq; tandẽ illi se submittere pernegetꝰ di-
mittat illius populũ, ad illum colẽdum. Quòd Sap.16.b
si renuat, sciat illum postridie tot esse locustas Locustæ.
in eius fines immissurum, ut earum multitudi-
ne obducta terra perspici non possit: quæ qui- B
dem locustæ residuum reliquiarum, quod illis
à grandine reliquum factum sit, omnesq; in a-
gris natas arbores consumpturæ sint, eiusq; &
suorum omnium Aegyptiorũq; domos cõple-
turæ, quale nihil eius patres aut maiores ab o-
mni memoria uiderint. Hæc fatus Moses, à Pha
raone conuersus discedebat. ¶ Hic Pharaonis
asseclæ Pharaonẽ sic alloquuntur: Quem ad fi-
nem nobis hic erit detrimentoꝰ Dimitte homi-
nes, ut Iouam Deum suum colant. an nondum
perijsse Aegyptum sentisꝰ Tum Pharao, Mo- C
se & Aharone reuocatis: Ite, inquit, colite Io-
uam Deum uestrum. Sed quinam sunt ituri, &
qui nonꝰ Cui Moses: Cum iuuenibus, & seni-
bus nostris, inquit, ibimus: cum filijs & filia-
bus, cum minoribus maioribusq; pecudibus
ibimus, quoniam festum Iouẹ sumus acturi. At
ille: Ita uobis adsit Ioua, inquit, ut ego uos cum
uestris paruulis dimittam. Iam iam satis perspi-
cua est uestra malicia. Ite potius uiri ad Iouæ
cultum, postquam id flagitatis. Tum eos à suo
conspectu eiecit. ¶ At Ioua Mosi iussit, ut ma- D
nũ in terram Aegyptiã intenderet, ad excitan-
das locustas, quæ per Aegyptum nascerentur,
& omnes eius regionis herbas, omnesq; gran-
dinis reliquias perederẽt. Atq; ubi Moses uir-
gã in Aegyptũ porrexit, excitauit Ioua eurum
in eam regionem, qui cum totum illum diem
noctemq; flauisset, primo mane locustas inue-
xit: quarum tãta copia tota regione extitit, atq; VIII.
in omnibus Aegypti finibus consedit, quanta E
neq; antea unquam fuerat, neq; postea futura
est. Ab his uniuersa terræ facie cooperta atque
obtenebrata, omnes herbæ terrestres, omnesq;
arborum fructus, quæ reliqua grando fecerat,
cõsumpti sunt, neq; ulla uel arborũ uel herba-
rum uiriditas in uniuersa superfuit Aegypto.
¶ Tũ uerò Pharao Mosem & Aharonẽ prope-
rè accersit: Peccaui, inquit, in Iouam Deum ue-
strũ, & in uos. Sed ignosce quẹso mihi etiã hoc
peccatum:

peccatum: & orate pro me Iouam Deum uestrum, ut hanc demum à me mortem propulset. Ille à Pharaone digressus, Iouam precatus est: qui eò uētum marinum uehementissimum conuertit, à quo uento sublatæ locustæ, in ma-
F re rubrum abreptæ sunt, ne una quidem in totis Aegypti finibus relicta. ¶ Sed cum Pharao ne sic quidem (eius animum obfirmante Ioua)
Tenebræ. IX. Israelitas dimitteret, Moses, iubente Ioua ut essent in Aegypto tenebræ, etiam tactiles, manum in cœlum porrexit: quo facto, tanta per
Sap.17.a 18.a omnem Aegyptum tenebrarum caligo per triduum extitit, ut toto illo triduo neminem ho-
G minē homo uiderit, neꝗ se loco mouerit, cum interim Israelitæ omnes lucem suis in sedibus haberēt. ¶ Tum Pharao euocato Mose: Ite cultum Iouam, inquit, etiam cum uestris paruulis, relictis tantum maioribus minoribusꝗ pecoribus. Cui Moses: Imò & tu nobis uictimas, & ea quæ ad rem diuinam opus sunt suppeditabis, quibus Iouæ Deo nostro operemur: & nos pecus nostrum ne ungula quidem relicta ducemus, ex quo capiamus quæ ad rem diuinam erunt necessaria. Neque enim compertum habemus, qua re simus Iouam culturi, donec eò peruenerimus. At Pharao (Ioua ei pertinaciam immittente, ne illos dimitteret) Facesse à me, inquit: caue ne posthac meum conspectum subeas. nam si feceris, moriere. Et Moses: Vt dixisti, inquit, posthac tuum conspectum nunquam subibo.

CAPVT XI.

MOsem autē præmonuerat Ioua, Pharaonem uno duntaxat ei Aegyptijsꝗ insuper illato uulnere, tandem eos illinc omnino esse emissurū, uel potius eiecturū. Eiꝗ propterea mandauit, ut populum præmoneret, à suo ut quisꝗ & uir uicino, & fœmina à uicina peteret argentea aureaꝗ uasa: ipsiꝗ populo be-
B neuolentiā Aegyptiorum cōciliauit: neꝗ non
Eccl.45.a Moses primogenitorum mortē minatur. Moses ipse uir erat in Aegypto tā Pharaoniorū, quàm populi existimatione, maximus. ¶ Ergo in ea oratione hoc modo Iouæ mandata exposuit, Iouam circa mediam noctē Aegyptios obiturum, omnesꝗ in Aegypto primogenitos esse mortē obituros, ab ipsius Pharaonis, qui in solio sederet, ad seruarū primogenitos, quæ molas truderent: necnon omnium etiam pecorum: ac maiorem fore in Aegypto tumultum,
C quàm unquam uel antea fuisset, uel postea futurus esset: cum interim in omnibus Israelitis nihil neꝗ bipedum omnino, neꝗ quadrupedum moueretur: ut intelligerēt, quantam Ioua differētiam statueret inter Aegyptios & Israelitas: Eousꝗ (inquit Moses Pharaoni) ut tui isti omnes ad me sint descensuri, & ut unà cū omni populo mihi commēdato exeā, submissè rogaturi: Tum demum exibo. simulꝗ à Pharaone ira-
D tus discessit, quoniā à Ioua didicerat, illū non esse obtemperaturū, quo plura Iouæ prodigia fierent in Aegypto, quoniamꝗ omnibus illis à se & ab Aharone editis in eius cōspectu portentis, tamen (comprimente eius animum Ioua) Israelitas de suis finibus non emittebat.

CAPVT XII.

TVm Ioua ad Mosem & Aharonem in Ae-
gypto hac oratione usus est: Hic uobis mē *Pascha lex.*
sis caput mensium, id est, primus anni mensis esto. Colloquimini cum omni Israelitarū multitudine, ut huius mensis die decimo omnes patresfamiliàs agnos aut hœdos mansionatim sumant. Quod si quæ familia ad agnum non sufficiat, paterfamiliàs uicinum eum, qui erit domui suæ proximus, adhibeto, subducta ratione numeri capitū, & summa ad agnū comedendū accōmodata. Is agnus esto intemeratus, mas, annulus, nec refert àgnus sit an hœdus: qui postquā in custodia habitus fuerit ad diem huius mensis decimumquartum, mactabitur ab omni Israelitarum ciuitatis multitudine sub
crepusculum. Tum eius sanguine conspergē- B
tur postes ambo, & superliminaria domorum, in quibus comedetur. Caro autem ea nocte comedetur igne tosta, & panes sine fermento, & comedetur cum cichoreis. Sed ne quid ex eo crudum, neue elixum aqua comeditote: sed tantum igne tostum unà cum capite, cruribus, & intestinis. Neu quid in posterum diem reliqui facitote: ac si quid postridie reliqui fuerit, igni cremabitis. Comedetis autem hoc habitu, succinctis lateribus, calceatis pedibus, bacillos manibus tenentes, idꝗ facietis trepidanter: quoniam Iouæ transitus est. Ego uerò transibo per Aegyptum illa nocte, & omnia Aegypti primogenita tam hominum quàm pecudum interficiam, deꝗ omnibus Aegyptiorum dijs Iouæ ego pœnas sumam. Ac animaduerso sanguine, quo domus in quibus eritis, notatæ erunt, præteribo uos, neꝗ perniciali uulnere afficie-
mini, me in Aegyptios grassante. ¶ Vos autem C
illius diei memoriam coletis, eumꝗ festum Iouæ celebrabitis, & uestræ stirpi celebrandū perenni religione prodetis. Septem dies non fermentatis panibus uescemini, statimꝗ primo illorum dierū fermētum de uestris domibus tolletis: ac quisquis à primo ad septimum diē fermētatum gustauerit, is de numero Israelitarum tollatur. Primo autē die, itēꝗ septimo, sacrum conuentum facietis, neꝗ ullum opus illis diebus patrabitis: præterquā quod cuiꝗ necessa-
rium erit ad uictū, id solū facere licebit.[a] ¶ Pa- *a panum festum*
nes autē sine fermēto seruabitis, quòd illo ipso die eduxerim uestras copias de Aegypto, quē uos diē perpetua lege uestræ posteritati sancie-
tis. A' uespera diei decimiquarti mensis primi, *Leuit 23.a*
ad uesperā uigesimiprimi eiusdē mensis, uesce- *Num.28.c*
mini nō fermentatis, neꝗ ullū per illos septem dies fermentū domi habebitis: ac quisquis fermentū gustauerit, is de numero Israelitarū tol-
latur, siue peregrinus fuerit, siue indigena. Ni- D
hil in quā fermētatum comedetis: sed ubicunꝗ degetis, non fermentatis uescemini. ¶ Igitur Moses conuocato omni senatu Israelitarū, uerba fecit ad hūc modum: Seponite & segregate uobis singulas balantes in familias, quibus
immoletis pascha. Deinde fasciculo hyssopi in *Heb.11.e*
sanguinē peluis immerso, inficite superliminaria, & utrosꝗ postes, neꝗ extra fores domorū uestrarum

uestrarum prodite ante crastinum mane. Et Ioua cum ad cædendos transibit Aegyptios, ostia quorum in superliminaribus & postibus sanguinem conspexerit, præteribit, neq; sinet exterminatorem domos uestras intrare, & cladem inferre. Atque hanc rem solennem uobis, uestrisq; natis instituite in æternum. Cumq; perueneritis in terram, quam uobis Ioua dabit, quemadmodum promisit, hanc ceremoniam seruatote. Quærentibusq; liberis uestris quid sibi uelit ista ceremonia? respondetote, sacrificium esse transitus Iouæ, qui in Aegyto, cum Aegyptios cæderet, Israelitarum domos transierit, uestrasq; domos liberauerit. Tum populus sese honoris causa submisit.

Moriuntur primogeniti.

¶ Cumq; digressi Israelitæ fecissent sicuti Ioua Mosi & Aharoni præceperat, media nocte Ioua omnes in Aegypto primogenitos occidit, à primogenito Pharaonis, [b] in solio sedentis, ad primogenitos captiuorum, qui in ergastulis erant, omniumq; etiam pecorũ. Tum uerò Pharao ea nocte surgit, omnesq; eius stipatores & Aegyptij: fuitq; ille maximus in Aegypto tumultus, quippe nulla domo funeris experte. accersitoq; noctu Mose & Aharone: Agite, inquit, exite de meo populo & uos & Israelitæ: ite, colite Iouam uestro arbitrio: pecora minora maioraq; abducite, ut postulastis: ite, & mihi quoq; bene precamini. Aegyptij quoque populum urgere, eum de suis finibus emittere properantes, & sese omnes perijsse dicentes.

E
X
b hoc est regnantis.
Sap. 18.b

Israelitarũ exitus.

¶ Itaque Israelitæ non fermentatam massam, ueste sua inuolutam, humeris suis extulerunt in mactris: uasisq; argenteis atq; aureis, & ueste ab Aegyptijs ex mandato Mosis petitis, & (Ioua eis Aegyptiorũ beneuolentiam conciliante) impetratis, Aegyptios spoliauerunt, & à Ramese Sochotha peruenerunt circiter sexcenta millia peditum uirorum, præter imbellem turbam, comitante etiam magna promiscui uulgi frequentia, maximisq; pecorum gregibus, & armentis. Ibi ex ea massa, quam secũ ex Aegypto deportauerant, depstitios panes fecerunt, nullo fermento. nam ea nõ erat fermentata, propterea quòd urgentibus Aegyptijs, morari, & uiaticum sibi parare non potuerant.

F
Suprà 11.a

¶ Spacium autem quo Israelitæ in Aegypto commorati sunt, fuit annorum quadringentorum triginta. Quo spacio confecto, illius diei nox (quo die omnes Iouæ copiæ ex Aegypto exierant) dicata Iouæ est, qui eos eduxisset ex Aegypto, & ab uniuerso Israelitarum genere æternum obseruatur.

430

G

Itẽ Pascha lex.

Hanc autem agni (quod à transitu Pascha dictum est) rationem Mosi & Aharoni tradidit Ioua: Ne quis eo uesceretur extraneus: ut omnibus coemptitijs seruis, si modò essent circuncisi, uesci fas esset. Ne quis aduena, ne'ue mercenarius comesset. Vna in domo comederetur. Néue quid carnis domo efferretur: néue ullum eius os frangerent. Vt idem cuncta Israelitarũ ciuitas operaretur. Si qui inter eos peregrini agerent, ij ut Iouæ Pascha facturi, omnes suorum mares circumcisos haberent, & tum demũ ad id aditum haberent, eademq; essent conditione qua indigenæ: Ne quis præputiatus eo uesceretur. Eadem lex esset indigenarum, & peregrinorũ inter eos agentiũ. Hæc omnes Israelitæ fecerunt, sicut à Ioua Mosi & Aharoni fuerãt præcepta.

Num. 9.b
Ioan. 19.f

CAPVT XIII.

Infrà 34.c
Num. 8.c
Luc. 2.d
Leuit. 27.c

ATq; illo ipso die, quo Israelitas ex Aegypto cum eorum copijs eduxit Ioua, Mosi præcepit, ut sibi primogenita omnia consecraret: nam quicquid Israelitarum esset, quod uuluam aperuisset, id omne, siue hominũ esset, siue pecudum, suum esse.

Moses populo de Azymalibus præcipit.

Et Moses ad populum huiusmodi concionem habuit: Mandate hunc diem memorię, quo die ex domicilio seruitutis Aegyptiæ emersistis. unde à Ioua magna ui educti, nolite uti fermẽto. Hodie uos exiuistis, mense uerno. Cum igitur uos introduxerit Ioua in terram Chananæam, Hetteã, Amorręam, Heuæam, & Iebusæam, quam sese uobis daturum maioribus uestris iurauit, terram lacte & melle abundantem, hunc ritum hoc mense seruatote. Septem dies azymis uiuitote, quorum dierum septimus festus Iouæ esto. Atque illis septem diebus, per quos non fermentatis uiuetur, nihil fermentatũ, neq; fermẽtum omnibus in uestris finibus extato.

B

¶ Tum causam liberis uestris exponitote, uidelicet quid uobis Ioua fecerit, cum ex Aegypto exijstis. Atq; hoc & ad manum signum, & inter oculos monumentum habetote, ut sit lex Iouæ uobis in ore, qui uos tanta ui ex Aegypto eduxerit. Hanc uos ceremoniã seruatote suo tempore quotannis.

Primogenitorum lex.

Ac postquam uos Ioua introduxerit in terrã Chananæam, sicut uobis uestrisq; maioribus iureiurando confirmauit, eamq; uobis tradiderit, quicquid uuluã aperuerit, id Iouæ seponitote, & cæterorũ quidem pecorum mascula omnia prima Iouæ sunto. Asinorũ autẽ, agno aut hœdo redimitote: sin minus redimetis, ceruices frãgitote. At hominum primogenitos, uestros filios, omnes redimitote. Et si quando (ut fit) ex uobis liberi uestri quæsiuerint, quid nam istud rei sit? respondetote, uos à Ioua magna ui ex Aegypto, domicilio seruitutis, esse eductos, qui Ioua, Pharaone pertinacius uos retinente, omnia Aegypti primogenita tum hominum tum pecudũ interfecerit. eam ob rem uos Iouæ immolare ex maribus quicquid uuluã aperuerit: sed uestros omnes natos primogenitos redimere. quare eius rei & indicium ad manum, & frontale inter oculos habeant, quòd tanta ui ex Aegypto à Ioua sitis educti.

C

Dimissum autem à Pharaone populum Deus non duxit Palæstinam uersus, quę uia erat expeditissima: idq; eo consilio, ne uiso exercitu, conuersis animis Aegyptum repeterẽt: sed longiore circuitu, ea uia quæ ferebat in solitudinẽ maris rubri. Discesserunt autẽ procincti Israelitæ ex Aegypto, Mose secũ deportãte ossa Iosephi: quoniã ille, ut illinc (cũ eis Deus subuenisset) ea secũ asportarẽt, Israelitas iureiurando obligauerat.

D
Gen. 50

Ignis & nubis coluna
Num. 14.c
1.Cor. 10.a
Nehem. 9 d

¶ Igitur à Sochothis profecti, castra posuerunt in Ethamo, in solitudinis extremo, Ioua eos antecedẽte interdiu in columna nubis, uiæ ostendendæ gratia: noctu in columna ignis, prælucẽdi causa, ut

ſa, ut diem noctemq́ iter faceret: neq; unquam nubis interdiu, neq; ignis noctu columna defuit, quæ populum præcederet.

CAPVT XIIII.

ET Ioua Moſi negocium dedit, ut Iſraelitas iuberet iter cōuertere, & ante fauces Ahirotha inter Magdol & mare, è regione Baalſephonis ſecundum mare caſtra facere, ut Pharao eos arbitratus regionum ignaros hærere, & ſyluis cōcluſos teneri, Me eius animum op-
B primente (inquit) perſequatur, mihiq́ & ipſe, & omnis eius exercitus gloriæ ſit: & diſcant Aegyptij, quantus ſit Ioua. Id quod illi fecerunt. Quę res ubi Pharaoni Aegypti regi nunciata eſt, illos fugere, conuerſæ ſunt & eius & ſuorū mentes in illos, querebanturq́ ſeſe Iſraelitas, qui eis ſeruiebant, amiſiſſe. Itaq; currum adornat, adhibitisq́ ſuis hominibus, & ſexcentis curribus electis, & omnibus Aegypti curribus, quibus omnibus ueherentur duces, Ioua eius animum obfirmante, Iſraelitas cum ingēti manu egreſſos perſequitur. Atq; illos Aegyptij, omnesq́ Pharaonis equites, & quadrigarij, atq; milites aſſecuti ſunt ad fauces Ahirotha, è regione Baalſephonis ad mare caſtra facientes. Iſraelitæ, appropinquante Pharaone, conſpicati ſubſequentes Aegyptios, magno timore correpti, Iouā appellare cœperunt. Moſem etiam uulgò incuſare: An quaſi in Aegy-
C pto ſepulchra nō eſſent, tu nos in ſolitudinē ad mortē adduxiſti? cur feciſti ut nos ex Aegypto educeres? An non hoc ipſum eſt de quo nos te monebamus in Aegypto, petentes ut nos Aegyptijs ſeruire ſineres? præſtare enim Aegyptijs ſeruire, quàm in ſolitudine mori. Quibus Moſes: Nolite metuere, inquit: cōfirmate uos, & quam uobis hodie Ioua uictoriam afferet, ſpectate. nam quos hodie uidetis Aegyptios, eos nūquam poſthac uiſuri eſtis: Ioua pro uo-
D bis quieſcentibus prælium cōficiet. ¶ Tum Ioua cum Moſe loquitur: Quid me appellas? inquit. Iube Iſraelitas proficiſci: tu elata uirga tua manum in mare intende, illudq́ diuide, ut Iſraelitæ per medium mare in ſicco ambulent, quos Aegyptij (me pertinaciam inijciente) conſequantur, ut ego in Pharaone, cūctoq; eius exercitu, & curribus, equitibusq́ gloriam conſequar, atque ex tam glorioſo in eos facto Ioua ego notus Aegyptijs fiam. Genius autem diuinus, qui Iſraelitarum agmen præcedebat, poſt eos receſsit, remotaq́ ex eorum conſpectu nubes à tergo cōſtitit, mediaq́ inter Aegyptia & Iſraelitica caſtra interceſsit: ſic ut hinc nube, il-
E linc caligine interpoſita, noctē illuſtraret, neq; alteri ad alteros tota nocte propius accederet. Et cum Moſes manum in mare protendiſſet, Ioua mare uehementiſsimo Euro tota nocte perflauit: eo'que in ſiccum redacto, & diſcluſa aqua, ingreſsi ſunt Iſraelitæ per medium mare in ſicco, aqua murum illis dextra ſiniſtraq́ præbente. quos Aegyptij & Pharaonis equites, quadrigarijq́ omnes medium in mare inſecuti ſunt. Et Ioua eorum agmen de columna ignis
F & nubis de matutina uigilia conſpicatus, perturbauit, detractisq́ rotis curruū, magno cum impetu iactauit. Conantibus Iſraelitas fugere, quòd dicerent Iouā contra ſe pro Iſraelitis propugnare, Ioua Moſi imperauit, ut manum in mare protenderet, ut aqua in Aegyptios, inq; quadrigarios & equites reflueret. itaq; cū Moſes manum in mare extendiſſet, mare ſub matutinum in ſuam uim redibat: contra quod fu- G
gientes Aegyptios, Ioua in medium mare deturbauit, & refluēs æſtus totius Pharaonis exercitus currus & equites, qui illos in mare ſecuti fuerant, ita obruit, ut nec unus euaderet: cum interea Iſraelitæ, aqua eis ad dextram ſiniſtramq́ uſum præſtante muri, medium mare ſicco pede perambularunt. Eo die Iſraelitæ, Iouæ præſidio ab iniuria Aegyptiorum conſeruati, cum illos in littore mortuos ſpectarent, & tam illuſtre Iouæ contra illos factum perſpicerent, Iouam reueriti ſunt, ei'que & eius ſeruo Moſi fidem adiunxerunt.

Pharao Iſraelitas perſequitur.

1. Mac. 4. a

Primus populi in Moſem fremitus.

Genius inter Iſraelitica & Aegyptia caſtra.

Mare rubrum ſicco pede traijcitur.

Pſal. 113. a. Pſal. 77. b. & 104. d. Heb. 11. e. Sap. 18. b.

CAPVT XV.

TVm Moſes unà cum Iſraelitis carmen hoc Iouæ ſic cecinit: Iouam canto, qui pro ſua pręſtantia & equos & equites in mare deiecerit. Vires meæ, carmenq́ Ioua eſt, qui mihi ſaluti fuit. Hic meus eſt Deus, quē celebro: Deus patrius, quem extollo. Ioua uir bellicoſus, Ioua inquam qui nominatur, Pharaonis & currus & copias in mare deturbauit, ita ut illius duces lectiſsimi in mare rubrū demerſi, & undis obruti, in fundum tanquam ſaxa ſubſederint. Tu iſta dextera, ô Ioua, decus tibi ſortiſsime peperiſti: iſta dextera, Ioua, hoſtē oppreſsiſti, & tua ſingulari præſtantia infeſtos tuos euertiſti, laxataq́ ira tua quaſi ſtipulam cōfeciſti. Ergò ad B
tuorum narium flatum coaceruatæ ſunt aquæ: ſtetere fluctus in cumulum, inq; mari medio undæ cōcreuerunt. Dixerat hoſtis: Perſequar, aſſequar, diuidam prædam, animum meum ex illis explebo, gladiū ſtringam, illos mea manu peruertam. At te ſpiritu iſto flante, obruti ſunt mari, & plumbi ritu in aquas nobiles demerſi. Quis tibi deorum par eſt, ô Ioua? quis cū ſacro iſto decore conferendus? ô terribilis, laudabilis, mirifice, qui extenſa dextera tua, illis humo abſorptis, populum hunc à te redemptum pro tua clementia abducis, et tua ui in tuum ſacrum perducis domiciliū. Hoc audito cohorreſcant nationes, inuadat incolas Palæſtinæ trepidatio, tum perturbentur duces Idumæi, Moabitarum proceres terrore corripiantur, omnes incolæ Chananææ exanimentur, tantoq́ pauore labefactentur, ut ad tui brachij magnitudinem tanquam cautes obmuteſcant: dum tran- C
ſit tuus, Ioua, populus, dū trāſit populus quem tu tibi comparaſti: quem in tuæ poſſeſsionis montem perductum, ibi quaſi plantes: quam tuæ habitationis ſedē, Ioua, paraſti, ſacrarium, Domine, tuis manibus conditum. Regnet in omnem æternitatem Ioua, qui in Pharaonis equos cū ſuis & curribus & equitibus in mare ingreſſos, maris undas conuerterit, cum Iſraelitæ in ſicco medium mare perambulauerint.
¶ Maria quoq; uates, Aharōis ſoror, tympanū

Moſis carmen.

Sap. 10. d. Eſa. 12. a. Pſal. 117. c.

manu ferens, subsequentibus omnibus mulieribus, & choros cum tympanis agentibus, illis respondit ita: Iouam cantate, qui pro sua præstantia & equos & equites in mare deiecerit.

¶ A mari rubro profecti Moses & Israelitę, & D in Sur solitudinem tridui iter progreßi, aquam non inueniebant. Vbi ad Maram uentum est, eam aquam bibere propter eius amaritudinem

Mara locus

non poterāt (ex quo etiam locus Mara dictus est, ideocꝫ contra Mosem fremebant, requirentes quid biberent. Et Ioua à Mose appellatus, ei lignum quoddam mōstrauit, quo in aquam iniecto facta dulcis est. Ibi eos periclitatus, his institutis & præceptionibus instruxit: Si sibi Iouæ Deo suo dicto audientes essent, suæcꝫ & uoluntati parērent, & præceptis intenderent, & instituta omnia seruarēt, sese eis nullum morbum, cuiusmodi Aegyptijs importasset, esse illaturum: sese enim eum esse Iouam, qui eis mederetur. Deinde ad Elimum uenerūt, ubi duodecim aquæ fontes erāt, & septuaginta palmę, Ibi castra collocarunt ad aquas.

Ligno facta dulcis aqua. Iudith 5. c. Eccle. 38. a. Elimum. Num. 33. b

CAPVT XVI.

AB Elimo profecta omnis Israelitarū multitudo in Sinem solitudinem, positā inter Elimū & Sinam, peruenit quintodecimo die secundi mensis, ex quo Aegypto excesserant. Ibi uulgò Israelitæ in Mosem & Aharonem fremebāt: optare sese, si fieri posset, ut in Aegypto à Ioua essent occisi, cum ollis carniū asiderent, cum panem ad satietatem comessent. nunc in eam esse solitudinē ab illis adductos, ubi tota illa multitudo fame conficeretur. At Ioua Mosi denūciauit, sese illis panem pluturum esse de cœlo, cuius singulis diebus certum modum egreßi colligerent: ut eorū periculum faceret,

Sin. Israelitæ Aegyptum desiderant. Ioua Mannam promittit.

B utrum ex sua lege uicturi essent, nec ne. Sexto autem die curarent, ut quod ad se importarent, id duplo amplius esset, quàm quātum reliquis diebus consuessent. Et Moses atcꝫ Aharon ad omnes Israelitas uerba faciunt, Eos & uespere se à Ioua ex Aegypto eductos esse cogituros, & manè eius etiā claritatem spectaturos, postquam uestros in se fremitus audiuit (nam nos quidem quid sumus, ut in nos frematis?) cum ille uobis & uespere carnem ad uictum (inquit Moses) & manè panem dabit ad satietatem: quorum quidem querelas contra se, à quo estis ex Aegypto educti, audiuerit. Nā nos quidem qui sumus, ut de nobis expostulare uideami-

C ni? non nos incusatio ista, sed Iouam petit. Deinde mandat Aharoni, ut uniuersam Israelitarum multitudinem iubeat in Iouę conspectum accedere, qui eorum querimonias audiuerit. ¶ Atcꝫ Aharone ad uniuersam multitudinem uerba faciente, in solitudinem conuersi, Iouæ splendorem in nube conspiciunt, cum Mose colloquentis ad hūc modum: Audiui fremitus Israelitarum: renunciato eis, sub uesperum comesuros carnem, & manè satiendos esse pane, cognituros que quantus eorum Deus Ioua sit.

Populus Iouæ splendorem uidet. Eccle. 45. a Coturnices.

D Igitur uespere tot exortæ sunt cothurnices, ut castra obtegerent. Manè autem circum castra, solum cōstratum erat rore, qui ubi ros euanuit, conspiciebatur quiddā in solo syluæ minutum, rotundū, tenue, perinde ac si pruina esset conspersa humus. Eo uiso, Israelitæ sic inter sese dicere: Man hu? quid hoc? neque enim sciebant quid esset. Quibus Moses: Hic panis est, inquit, quem uobis Ioua dat ad uictum, de quo ita præcepit, ut colligatis ex eo quantum cuicꝫ opus erit ad uictum, uidelicet gomerem in singula capita, inita ratione numeri eorū, qui sunt in cuiusque contubernio. Id quod illi fecerunt, collegeruntcꝫ partim largius, partim parcius. Sed cum gomere metirentur, necꝫ ei qui plus collegerat, supererat, necꝫ ei qui minus, deerat.

Manna. Num. 11. b. Psal. 77. c. Sap. 16. c. Ioan. 6. d. 1. Cor. 10. a 1. Cor. 8. d.

tantumcꝫ quisque collegerat, quātum ei ad uictum opus erat. Interdixerat autem Moses, ne quis ex eo reliquum faceret in crastinū. cuius præcepto neglecto, nonnulli reseruauerunt: sed id enatis uermibus fœtebat. His cum Moses succensuisset, colligebant deinceps singulis matutinis, quod cuiusque uictui satis esset: postea calescente sole liquefiebat. ¶ At sexto die duplicem uictū collegerūt, uidelicet duos gomeres in singulos. Id cum omnes ciuitatis magistratus ad Mosem retulissent, respondit illud ipsum esse dēnunciatum à Ioua. postridie enim Sabbati ferias Iouæ sacras fore: coquerēt & elixarent quod opus esset, reliquum omne sibi in posterum diem reponerent, ac reseruarent. Idcꝫ cum ab illis esset administratum ad E

F præscriptum Mosis, postridie quod repositum fuerat, id necꝫ fœtebat, necꝫ in eo uermes erāt. Eo Moses iußit ut illo die uescerentur, quòd Sabbatum Iouæ esset, necꝫ essent ruri inuēturi. sex diebus enim colligi debere: septimo autem die, quòd Sabbatum esset, non fore. Quidam tamen de populo etiam septimo die exierunt ad colligendum, sed nihil inuenerunt. Hicꝫ à Mose iussu Iouæ castigati sunt, quòd tam diu illius pręcepta & leges seruare nollent: perspicuum esse, Iouam, quia ipsis Sabbatum tradidisset, propterea sexto die uictū prębere bidui: manerent in suis sedibus, neu quis se loco moueret die septimo. Itacꝫ eo die feriati sunt. Nominauerūt autem illud Israelitæ Manna, quod

G similitudinem habebat seminis coriandri, album, gustu placentarum ex melle. Id que sibi Moses dixit à Ioua in mandatis datum, ut ex eo quantum gomer caperet, seponeret, conseruandum ad posteros, ut uiderent quo eos uictu ille tolerasset in desertis, eductos ex Aegypto. mandauitcꝫ Aharoni, ut gomeris mensuram Mannæ in phialam immitteret, idcꝫ apud Iouam ad posteros custodiendum reponeret. Quod ille fecit, quemadmodū Ioua Mosi præceperat, idcꝫ apud Oraculum asseruandum reposuit. Hac Manna Israelitæ per quadraginta annos usi sunt, quibus ad extremam Chananæam, quæ terra habitabatur, peruenerunt. Est autem gomer, decima pars ephi.

Nehem 9. d Iudith 5. c.

CAPVT XVII.

IGitur à Sine profecti, ad Iouæ præscriptum iter facientes, castra habuerunt in Raphidimo. Ibi cum ad bibendum aqua non esset, petebant à Mose in iurgio, ut sibi aquæ ad bibendum

dum copiam facerent. A' quibus cum Moses
quęreret, cur secũ contenderent, quid'ue Iouã
Nume.20.a tentarent? quęrebant ipsi ex eo, siti & aquæ
desiderio laborantes, cur se ex Aegypto extra-
xisset, ut & ipsos & liberos, & pecora siti ne-
caret. Tum Moses Iouam appellans: Quid fa-
B ciam huic, inquit, populo, à quo parum abest
quin lapider? Cui Ioua: Antecede populum,
inquit, adhibitisq; nõnullis senatorum, & uir-
Sup.14.c. gam tuam, qua flumẽ percussisti, manu ferens:
Psal.77.b. perge. Illic ego tibi in conspectu astabo in pe-
tra in Horebo, quam petram ubi tu percusse-
1.Cor.10.a ris, manabit ex ea aqua ad populi potionem.
Id quod Moses in oculis Israelitarum senato-
Meriba rum fecit, eumq; locum Massam & Meribam,
locus. hoc ab Israelitarum iurgio, illud à tentãdo, no-
minauit: quòd ibi Israelitæ tentassent, uersare-
C tur'ne inter eos Ioua, an non. ¶ Amalechus au
Iudith 4.d. tem ad Raphidimum prælio cum Israelitis di-
Sup.11.a. micaturus uenit. & Moses Iosuæ præcepit, ut
Deut.25.d. uiros deligeret, cum quibus Amalecho prælio
Israelitarũ occurreret: postridie sese in iugo collis astatu-
cum Ama- rum, uirgam diuinam secum habentem. Igitur
lecho pu- Iosua, sicut erat iussus, prælium cum Amale-
gna. cho commisit: Moses, Aharon, & Hur, iu-
gum collis conscenderunt, ubi Mose manum
attollente, uincebãt Israelitæ: remittente, Ama-
lechus. Sed cum manus eum grauarent, illi sa-
D xum ei supposuerunt, in quo sederet. Deinde
Aharon & Hur manus eius alter altera ex par-
te fulciunt, quibus manibus eo habitu ad solis
occasum continenter sustentatis, Iosua Ama-
lechum & eius copias ferro perdomuit. ¶ Tum
Ioua Mosi mandauit, ut id in monimenta lite-
rarum referret, & Iosuę auribus inculcaret. Sese
enim Amalechi memoriam esse de rerum na-
tura deleturũ. Et Moses aram extruxit, quam
Signiiouium appellauit: quia Iouæ manus si-
gno admota est (inquit) Iouę bellum cum A-
malechitis susceptum est æternum.

CAPVT XVIII.

Iethro Mo- IEthro autem Madianitarum pontifex, Mo-
sem adit. sis socer, ubi intellexit quantis Ioua Deus
beneficijs Mosem & suos Israelitas affecisset,
qui Israelitas ex Aegypto eduxisset, adhibuit
secum Sephoram Mosis uxorem (quam ille
postea remiserat) & duos Sephorę filios, quo-
rum uni nomen erat Gersomus, quòd dixisset
Sup.2.d. Moses peregrinum se esse in terra extranea: al-
teri Eliezer, quòd Deus patrius ei fuisset au-
xilio, eum'que è gladio Pharaonis eripuisset.
Cum his ad Mosem peruenit in solitudinem,
ubi ille castra habebat ad montem diuinum,
eumq; certiorem fecit, se socerum eius Iethro-
nem ad eum uenire, unà cum eius uxore &
duobus uxoris filijs. Ei Moses exijt obuiam,
eum'que honorificè deosculatus est: cum'que
alter alterum de ualetudine percontati essent,
in tabernaculum ingressi sunt. Ibi Moses soce-
B ro suo narrauit, quibus Ioua modis accepisset
Pharaonem & Aegyptios, Israelitarum causa,
& quantis casibus iter infestũ habuissent, qui-
bus essent à Ioua liberati. His tot Iouæ in Israe-
litas beneficijs delectatus Iethro, quòd eos eri-
puisset Aegyptijs: Grates ago Iouæ, inquit, qui
uos ab Aegyptijs & Pharaone liberauit, qui
populum potestati Aegyptiorũ eripuit. Nunc Supra 1.b.c
deniq; intelligo, Iouam omnium esse deorum d.5.b.c.d.
maximum, & illis propter eorum in uos super- 14.b.
biam meritò accidisse. Simulq; rem diuinam
Deo & sacrificium cõfecit, cumq; eo Aharon,
& cũcti senatores Israelitæ epulas apud Deum C
iniuerunt. ¶ Postridie cum Moses sedens po-
pulo ius redderet, eiq; populus à manè ad ue-
sperum astaret, ea re animaduersa socer eius ita
dixit: Quid'nam est, quod tu populo præstas?
quãobrem solus tu sedes, & populus tibi cun-
ctus à manè ad uesperum assistit? Cui Moses:
Conuenit ad me ad sciscitandum Oraculum,
inquit. Si quod est eis negociũ, ad me uenitur:
ego eorum lites dijudico, diuina'que instituta
& leges aperio. Et socer: Non rectè facis, in-
quit, stultum'que tuum & istorum institutum
est: nam difficilior res est, quàm ut eam unus
administrare possis. Sed audi quid mei consilij Deut.1.b.
sit, bene iuuante Deo. Tu populi rem apud Iethronis
Deum agito, & causas ad Deũ referto, illosq; consilium.
institutis & legibus erudito, & ad officij mu- D
nus instruito. Tum ex omni populo uiros for
tes & religiosos dispicito, fideles, & auaritiæ
inimicos, ex quibus alios tribunos, alios cen-
turiones, alios semicenturiones, alios decurio-
nes cõstitues, qui populo ius dicãt omni tem-
pore: ac si quę res paulo maior existat, ad te de
ferant: de minoribus omnibus iudicent ipsi,
te'que subleuent, & munus tecum unà susti-
neant. Ita fiet, ut & tibi præcipiat Deus, & tu
stare ualeas, & omnis iste populus in suum lo-
cum pacatus discedat. Hoc soceri cõsilium se-
quutus Moses sic planè fecit: delegitq;'de om-
ni Israelitarum numero uiros fortes, quos po-
puli gubernationi præfecit, & tribunos, centu-
riones, semicenturiones, decurionesq; consti-
tuit, qui populo ius assiduè redderent: si quid
esset difficilius, ad Mosem deferrent, omnia mi
nora negocia dijudicarent ipsi. Tum dimissus
à Mose socer, in patriam redijt.

CAPVT XIX.

MEnse tertio post exitum Israelitarum de
Aegypto, quo die à Raphidimo profe-
cti peruenerunt in solitudinem Sinam, & ibi Num.33.c.
castra contra montem fecerunt: castris collo-
catis Moses ad Deum conscendit, ad quem Io- Acto.7.c.
ua de monte clamans: Hęc, inquit, Iacobi stirpi
referes, hæc Israelitis renunciabis: ipsos uidere
quo pacto tractatis Aegyptijs, eos mihi quasi
aquilinis alis sublatos asciuerim. Quare si mihi Deut.29.a.
dicto audientes erunt, meum'que fœdus con-
seruabunt, me eos habiturum esse pro peculio, Psal.23.a.
ab omnibus populis separato (nam meus est
uniuersus orbis terrarum) procq; regno sacer- B
dotum, & gente sancta. Hæc sunt quæ Israeli-
tis referes. Hæc omnia Iouæ præcepta Moses 1.Pet.1.b.
conuocatis populi senatoribus exposuit. Cui
populus uniuersus unò ore respondit, factu-
rum se quicquid Ioua iussisset. Quę populi uer
ba cũ Moses ad Iouam retulisset, sic Ioua sub-
iecit: Ego iam ad te ueniam in densitate nubis,

ut populus me tecum loquentem audiat, tibiq; fidē habeant in perpetuū. Responso populi ad Iouam per Mosem relato: Adi ad eos (inquit Ioua) eosq; hodie & cras lustra, & cura uti sua uestimēta perluant, sintq; in tertiū diem parati. Nam tertio die descendet Ioua in oculis totius populi in montem Sinam. Tu eis terminum circumscribito, & edicito ut caueāt ne in montem ascendant, ne' ue montis extremum attingant: si quis montē attinget, capitis pœna erit.

C Proinde ne quis omnino attingat, aut uel lapidibus obruatur, uel sagittis cōfigatur: siue pecus sit, siue homo, uita priuetur. *Heb.12.c.* Cùm tractim clangetur, tum ascendent ipsi in montē. ¶ Tum Moses ad populum de monte descēdit, eumq; lustrauit, & ut indumenta sua lauarent, curauit, iussitq; ut essent parati in diem tertium, & se à mulieribus abstinerent.

Ioua in Sinam descendit.

Die tertio ubi manè fuit, extiterunt fragores, & fulgura, & densa nubes in monte, tum tubæ sonitus uehementissimus, quo cunctus in castris populus tremefactus est, atque à Mose obuiam Deo è castris eductus, *Deut.4.b.* ad radices montis Sinæ constitit, toto fumante monte (propterea quòd eò Ioua in igne descenderat) fumumq; calcariæ instar emittente,

D & toto magnopere cōtremiscente. Tum uehementer gliscens tubæ sonitus exaudiebatur, inter quem sonitum Deus loquenti Mosi respondit. Cum enim in montis Sinæ cacumen Ioua descendisset, Mosem eòdem euocauit: qui Moses ubi eò ascendit, Ioua eum iussit descendere, & populum commonefacere, ne ad Iouam uisendi gratia eniterentur, ne frequentes caderent: utq; etiam sacerdotes ad Iouam accessuri lustrarētur, ne eos Ioua profligaret. Cui Moses: Non licebit populo (inquit) montem Sinam conscendere, propterea quòd ut tu nobis præcepisti, certos ei terminos statui, eum'que purificaui. At Ioua: Descende modò, inquit, ascensurus unà cum Aharone. Sacerdotes autem & populū prohibe ad Iouam ascendere conari, ne à me profligentur. Igitur Moses ad populum descendit, eiq; rem exposuit.

CAPVT XX.

Decē legis præcepta.

ET Deus hęc omnia ad hunc modum effatus est: Ego sum Ioua Deus tuus, qui te eduxi ex domicilio seruitutis Aegyptiæ.

Deut.5.a. Psal.80.c. 96.b. & 113.b. Leuit.26.a.

Deos alios nullos, præter me, habeto.

Simulachrum ullius rei, quæ extet aut suprà in cœlo, aut infrà in terra, aut in aquis sub terra, ne facito, ne' ue ea uenerator, ne' ue colito. Nā ego sum Ioua Deus tuus, Deus impatiens socij, qui parentum culpam etiam in liberos persequor, uel ad tertiam usq; quartamq; stirpem osorum mei: clementiaq; utor ad millesimam usque stirpem erga mei amantes, meaq; præcepta conseruantes.

B Iouæ Dei tui nomen inaniter ne adhibeto: neq; enim sinet impunitum Ioua, qui eius nomen inaniter adhibuerit.

Deut.5.b. Leuit.19.c. Matth.5.e. Exo.20.b. Infrà 31.b.

Diem Sabbati sanctè agere memento. Sex diebus agito, tua'que opera omnia patrato. Septimo autem die, quòd Iouę Dei tui Sabbatum est, nullum opus facito, neu tu, neu tuus filius, aut filia, neu tuus seruus, aut ancilla, neu tuum iumentum, neu apud te degens peregrinus. Nam cum sex diebus fecisset Ioua cœlum, terram, mare, quæ'que in eis sunt omnia, feriatus est die septimo: qua de causa diem Sabbati faustum sacrumq; fecit. *Gen.1.a.* C

Parentem utrūque honorato, ut diu ætatem producas in terra, quam tibi Ioua Deus tuus donat. *Deut.9.b.*

Ne hominem occidito. *Matth.5.c.*

Ne adulterato.

Ne furator.

Falsum testimoniū contra alterum ne dicito.

Alterius domum ne concupiscito: alterius uxorem ne concupiscito, ne' ue seruum, aut ancillam, ne' ue bouem, aut asinum, nihil deniq; quod sit alterius. *Rom.7.a. & 13.b.c.*

Hic uniuersus populus uisis fragoribus, fulgetris, tubæ sonitu, & montis fumo, perterriti abscedere, & procul stantes à Mose petere, ut ipse eis audientibus loqueretur, non Deus, ne emorerentur. *Heb.12.e. Deut.18.c.* Quibus Moses: Ne metuite, inquit. nam ad uos tentandos uenit Deus, utq; uos eius timor ob oculos propositus à peccando deterreat. ¶ Igitur procul stante populo, accessit ad illā caliginem, ubi Deus erat. Et Ioua Mosi sic fatus est: Commemorato Israelitis, ut me secum de cœlo uiderint loquētem, ne præter me Deos sibi argēteos aut aureos fabricentur: sed mihi cespitium altare fiat, in quo solida sacrificia & pro salute balantibus bubus' ue faciatis, *Infrà 27.b. 38.a.* quocunque in loco mei nominis monimentum posuero, ibi uos aditurus, uobis' que prosperaturus. Quòd si mihi altare lapideum fiet, ne ex quadrato lapide excitatote: nam id ferramenta admouendo profanaretis. *Deut.27.a. Iosu.8.f.* Ne' ue per gradus ad meum altare ascenditote, ne in eo obscœna uestra appareant.

CAPVT XXI.

Lex seruitutis. Deut.15.a. Iere.34.c.

HAec autem eis iura propones: Si emeris seruum Hebræum, sex annos seruito, septimo autem anno manumittitor gratuitò. Si cœlebs uenit, cœlebs manumittitor: sin maritus, uxor cum eo manumittitor. Si dominus ei uxorem dederit, ex qua filios aut filias procreauerit, fœmina & nati domini sunto: ipse solus manumittitor. Quòd si seruus captus amore sui domini, & uxoris, & filiorum, noluerit manumitti, eum dominus ad recuperatores adducito, ei'que ad ualuam aut ad postem applicato, B aurem subula perforato, & ille ei perpetuū seruito.

Si quis filiam suam uēdiderit in famulatum, ea ne seruorum in morem manumittitor. Si ea domino displicebit, nec is eā desponderit, redhibeto. in extraneam gentem emācipandi potestas ne esto, quia eam affecit ignominia. At si eam filio suo destinauerit, eodem iure cum ea, quo cum liberis, agito. Si [a] aliam duxerit, hanc uictu, uestitu, [b] congressu ne fraudato. Si tria hæc ei non confecerit, manumittitor gratis sine precio.

a scilicet præter eā. b scilicet maritali.

C *Pulsationis pœna.*

Qui hominem pulsauerit, si is mortuus fuerit, capitale esto. At qui non captauerit, sed in eum

Leui 24. c Deut. 19. a

eum forte fortuna incurrerit, statuam uobis locum quò confugiat. At si quis alterius necem per dolum de industria machinatus fuerit, is uel ab ara mea ad necem abstrahitor.

Leuit. 20. b

Qui patrem aut matrem pulsauerit, capitale esto.

D

Qui hominem clepserit, eumq́ uendiderit, aut is apud eum inuentus fuerit, capitale esto.

Prouer. 20. c. Mat. 15. a. Mar. 7. b.

Qui patri aut matri maledixerit, capitis pœna esto.

Si quis alterum orta contentione percusserit lapide, aut pugno, si ille non fuerit mortuus, sed in lectum decubuerit: si surrexerit, & foras baculo innixus iuerit, percussor sine fraude esto, tantum illius cubatum & medicationem præstato.

Si quis seruum suum, aut ancillam baculo percusserit, si præsens mors sequuta fuerit, tenetor. Verùm si unum aut alterum diem superstes fuerit, ne tenetor, quoniam [c] pecunia eius est.

c id est, eius iuris est.

E

Si qui dimicando mulierem grauidam uulnerauerint, & abortum intulerint, si pernicies non fuerit, ad æstimationem mariti mulieris mulcta esto, & ad eam rem arbitri sunto. Sin autem pernicies fuerit, uitam pro uita pendito, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, suggillationem pro suggillatione, uulnus pro uulnere, uibicem pro uibice.

Lex talionis. Mat. 5. f. Leui. 24. d Deut. 19. d

Si quis serui sui, aut ancillæ oculum percusserit, eumq́ corruperit, eum manumittito pro oculo. Et si serui sui, aut ancillæ dentem decusserit, eum manumittito pro dente.

F

Si bos pulsauerit.

Si quem bos uirum, aut fœminã, cornu petiuerit, & is mortuus fuerit, bos lapidator, eius caro ne comestor: dominus bouis impunitus esto. At si bos antea fuerit petulcus, & eius dominus admonitus fuerit, neque tamen custodiuerit, si uirum aut fœminam occiderit, & bos lapidator, & eius dominus morte plectitor. Sin ei mulcta imponetur, tantum uitæ suæ precium dato, quãtumcunq́ ei fuerit impositum. Siue puerum petiuerit, siue puellam, idem iuris esto. Si seruum petiuerit bos, aut ancillam, argenti triginta sicli domino soluuntor: bos dilapidator.

G

Si quis fossam uel aperuerit, uel demiserit, nec obduxerit, & eò deciderit bos aut asinus, autor fossæ præstato, argentum domino illius soluito: ipse mortuum habeto.

Si cuius bos alterius bouem uulnerauerit, & ille mortuus fuerit, bouem uiuum uendunto, & eius precium diuiduto, & mortuũ etiam diuidunto. Aut si notum fuerit, bouem antea esse petulcum, neque eum dominus eius custodierit, [d] bouem boue pẽsato, ipse mortuum habeto.

d scilicet uiuũ uiuo.

CAPVT XXII.

Furti pœna.

Si quis bouem pecus'ue clepserit, mactaueritq́, aut uendiderit, quinq́ boues pro uno reddito, & quatuor balantes pro una.

2. Reg. 12. b

Si fur in surripiendo deprehensus ictus fuerit, & inde mortuus, homicidij pœna ne esto, nisi orto sole: tum homicidij pœna esto. Si habet unde reddat, reddito: sin non habet, uenditor pro suo furto.

Si deprehensum fuerit furtum penes eum, bos, asinus, ouis, capra uiuens, duplũ reddito.

Si quis emisso pecore compauerit fundum aut uineam alterius, damnũ sarcito de optima parte fundi sui, aut uineæ.

Si in spinas immissus ignis, metam, aut segetem, aut messem corruperit, autor ignis detrimentum præstato. B

Lex depositi.

Si quis apud alterũ argentum, supellectilem'ue deposuerit, idq́ de illius domo surreptum fuerit, si fur deprehensus fuerit, duplum reddito. Sin autem fur non deprehensus fuerit, tum dominus domus ad recuperatores uocator, ni rem alterius interuerterit. Quacunq́ in re crimen statuetur, in boue, in asino, in oue, in capra, in ueste, quæcunque res erit amissa, quæ cuia dicatur, causa amborum ad recuperatores defertor: utrum condemnauerint recuperatores, alteri duplum reddito.

Si quis alterius fidei asinum, bouem, ouem, caprã, aut quoduis pecus commiserit, si id nullo uidente fuerit mortuum, aut fractum, aut [a] abactum, iusiurãdum Iouæ interponitor, illum rem alterius ad se non auertisse, eamq́ satisfactionem dominus rei accipito, neque fiduciarius rem reddito. Quòd si ei [b] furto ablatũ fuerit, damnum præstato domino rei. Sin raptum à feris fuerit, testem exhibeto, neque raptum præstato.

a scilicet furi ab abactoribus, aut hostibus.

C

Gen. 31. f

b scilicet domo.

Si quis quid ab altero utendũ acceperit, & id fractum, aut mortuum fuerit, domino rei absente, damnum præstato. At præsente, ne præstato, si cõductitium, & precio addictum erat.

Raptus. Deut. 22. d

Si quis uirginem non sponsam pellexerit, & cum ea concubuerit, eam sibi in matrimonium dotato.

Si puellæ pater eam locare illi nolet, argentum pendito, ut fert dos uirginum.

Sagas uiuere ne sinitote.

Quicunque rem habuerit cum bestia, capitale esto.

Leui. 19. g

Qui dijs sacrificauerit, sacratus intereat, nisi uni Iouæ.

Officia erga inopes.

Peregrinum ne premito, ne'ue angito: nam peregrini fuistis in Aegypto.

D

Zach. 7. e.

Viduam nullam aut pupillum premito. Si presseris, cum ad me cõquerentur, eorum ego querelas exaudiam, iratus'que ferro uos trucidabo, eruntq́ uestræ coniuges uiduæ, & liberi pupilli.

Si cui meorum pauperi tecum uersanti pecuniam mutuaueris, ne te ei fœneratorẽ præbeto: ne ei usuram imponito.

Si alterius uestem in pignus acceperis, ante solis occasum reddito. nam id unũ habet operimentum, eum cuticulæ amictum, in quo recubet: qui si apud me questus fuerit, exaudiã, ut sum misericors.

Erga maiores. Acto. 23. a.

Magistratui ne maledicito.

Ne eum execrator, qui est in tua natione princeps.

Fruges & liquorem tuum ne auertito.

Erga Deũ: Primogenitum filiorum tuorum mihi dato. Leuit.22.b Idem in bubus & balantibus facito. Septẽ dies Exo.44.g cum matre sua esto, octauo die id mihi dato.

Præstatote uos mihi puros homines, & carnem ruri raptam ne gustatote, sed ad canes proijcitote.

CAPVT XXIII.

Officiũ erga homines. AVditionem falsam ne accipito.

Societatem cum impio ne coito, ut sis testis iniurius.

Multitudinem in uitio ne sequitor, ne'ue in lite de recto in sententiam multitudinis deflectito. Inopi in lite ne indulgeto.

Deut.22.a Si aduersarij tui bouem, asinum'ue offenderis errantem, ei reducito. Si inimici tui asinum uideris oneri succubuisse, ne ei auxilium denegato, sed opitulator.

Inimici tui ius in lite ne deprauato.

B A re falsa abesto. Insontem & iustum ne interficito: nam ego iniquum non absoluam.

Dan.13.f Deut.16.d Ecclés.20.d Ne'ue donum accipito: nam donum cęcat etiam perspicaces, bonorumq́ uirorum orationem peruertit.

Gen.46.a Peregrinum ne uexato. scitis enim uos, quæ sit mens peregrinorum: ut qui peregrini fueritis in Aegypto.

Sabbatum. Sex annos aruum tuum conserito, eius'que prouentum percipito. At septimo intermittito, remittitoq́ ad cibatum egenorum popularium tuorum, & (si quid illis superfuerit) bestiarum terrestrium. Idem in uinea & oliueto facito.

C Sex diebus opus tuum patrato: at septimo feriator, ut requiescat bos tuus, asinusq́, utq́ respiret natus ancillæ tuæ, peregrinusq́.

Omnia quæcunq́ dixi uobis, seruatote.

Nominis alienorum deorum memoriam ne usurpato, ne'ue in ore habeto.

Festi dies. Tribus temporibus in anno mihi festa agito. Azymalia seruato, perq́ septem dies azymis uescêris (ut præcepi tibi) statuto tempore Infra 34.c Deut.16.d Eccl.35.a mẽsis uerni, quia in eo emigrasti ex Aegypto: ergo corã me uacui ne apparento. Item messalia primitiuarum frugum operis tui, quas in a- D gro seueris. Item conditalia in exitu anni, ubi tuas fruges ex agris condideris.

Ter quotannis omnes tui mares in conspectum Domini Iouæ sistuntor.

Cum meę uictimæ sanguinem, eam mactando, effundes, fermentum ne habeto.

Mei festi adeps in posterum diem ne pernoctato.

Deut.14.c Infra 34.c Principium primitiuarum frugum tui fundi in ædem Iouæ Dei tui inferto.

Hœdum in sanguine matris suæ ne coquito. Ego sum tibi præmissurus Genium, qui te Iouæ Genius. tueatur in itinere, & perducat in locum à me præparatum. ab hoc tibi caueto: huic pareto: hunc ne irritato: neq́ enim ignoscet peccatis E uestris, quoniam meo nomine præditus erit.

Si eius dictis obedieris, & omnia exequutus fueris quæ iussero, tuis perduellibus per- Infra 33.a duellis ero, & tuos infestos infestabo. Nã meus tibi Genius uiam præibit: teq́ ducabit in Ios.24.c Amorræos, Hetteos, Pherezæos, Chananęos, Deut.7.c Heuæos, & Iebusæos, quos ego profligabo.

Eorum deos ne ueneratur, ne'ue colito, ne'ue eorum mores imitator: at contrà euertito, eorumq́ statuas perfringito, & Iouã Deum tuum colito, & is tibi cibum potionemq́ exuberabit, & morbos à te depellã. Nulla quæ abortũ F faciat, nulla sterilis erit in tuis finibus. Aeui tui Deut.7.c numerum cõplebo, mei formidinem tibi præmittam, & exanimabo omnes ad quos adibis populos, omniumq́ perduellium ceruices tibi subdam: præmittamq́ tibi crabrones, qui Heuæos & Chananæos & Hettæos in aduentum tuum expellant. Illos tibi non expellam uno anno, ne deserta terra, frequentes existant tuo periculo agrestes bestiæ. Paulatim eos tibi expel- G lam, dum tu fœtifices, & regionem occupes: cuius tibi regionis pomœria terminabo mari rubro, & mari Palæstino, tum solitudine & [a] flumine. a Euphrates Eius enim tibi regionis incolas in manũ tradam, quos tu è tuo conspectu extermines. Cum eis, neque cum eorum diuis, fœdus ne percutito. Deut.7.a In tuis finibus ne habitanto, ne te mihi Infra 34.b corrumpant, si eorum deos colueris, quod tibi sit detrimento.

CAPVT XXIIII.

IGitur Moses iussus erat ad Iouam ascendere unà cũ Aharone, Nadabo, Abio, & septuaginta Israelitarum senatorum, qui procul uenerarentur. Ipse igitur ut solus ad Iouam accesserat (nam illi non accesserãt, & populus cum eo non ascenderat) ad populum uenit, eiq́ omnia Iouę uerba, omniaq́ iura exposuit. Et populus uniuersus una uoce respondit, facturum se omnia, quæcunque Ioua iussisset. Ergo Moses omnia Iouæ dicta perscripsit: & postridie ubi surrexit, aram sub monte extruxit, et cippos duodecim pro numero tribuum Israeli- B tarum: iuuenibusq́ Israelitis mandauit, ut solidum sacrificium facerent, & Iouæ iuuencos pro salute immolarent. Ipse dimidium sanguinis in crateribus excepit, altero dimidio aram perfudit: Fœderis ritus. sumptumq́ librũ fœderis in auribus populi perlegit, & populus dixit sese omnia Iouæ iussa facturum, atque obtemperaturum.

¶ Et Moses sanguinẽ sumpsit, eoq́ populum aspersit, & hæc uerba pronunciauit: Hic est sanguis fœderis, Heb.9.e quod Ioua uobiscum in hæc omnia uerba ferit. Qui Deũ uiderint. Et Moses quidem, & Aharon, & Nadabus, & Abius, & septuaginta de senatoribus Israelitis, qui in montem ascende- C rant, Deum Israelitarum uiderunt (cuius pedibus suberat similitudo operis sapphirini coctilis, speciesq́ cœli sereni) neque quicquam ab eo grauius passi sunt hi Israelitarum primates, uisoq́ Deo cibũ cæperunt. Tum Moses à Ioua iussus ad eum in montem ascẽdere, & illic esse, ab illoq́ accipere tabulas lapideas, & legem ac doctrinam ab ipso Ioua ad eorum disciplinam conscriptam, senatoribus præcepit, ut ibi suum reditum præstolarentur: demonstrauitq́ eos Aharonẽ et Hurem habere, ad quos si quis causam haberet, se reciperet. Deinde assumpto

Iosua

Iosua famulo suo, sese in mõtem diuinum subduxit. Quò postquam ascendit, montem Sinam nubes obduxit, & in eo Iouę splendor insedit. Ac postquam sex diebus obductum nubes tenuit, uocauit Ioua Mosem die septimo

Infra 34. d

de media nube. Erat autem Iouæ splẽdor aspectu similis ardenti igni in uertice mõtis, in aspectu Israelitarum. Tum Moses in mediã nubem

Deut. 9. c. b

intrauit, fuitq; in eo monte, postquam in eum ascendit, dies quadraginta, & totidem noctes.

CAPVT XXV.

Ioua Mosi præscribit tabernaculi sacriq; instrumẽti rationem.

Infra 35. a

TVm Ioua cũ Mose sic locutus est: Dic Israelitis, ut mihi honorariũ conferant, idq; ab omnibus qui ultro conferent. Hæc autem in id honorarium accipietis: aurum, argentum, æs, hyacinthum, purpuram, coccum iteratum, byssum, uellera caprina, pelles arietinas rubro infectas, pelles melium, ligna cedrina, oleum lucernarium, aromata ad unguentum unctorium, & ad suffimenta odorata, gemmas onychas, & gemmas cęlaturæ idoneas ad ephodũ, & ad monile: mihiq; sanctuarium faciant, quo

Heb. 9. a

inter eos habitẽ: ac sicut tibi tabernaculi exemplar, & omnis eius apparatus ostendã, ita fiat.

Arca.

Fiat igitur arca ex lignis cedrinis in longitudinem duorũ cubitorum & dimidij, in latitudinem sexquicubitalem, tantundemq; in altitudinem.

B

Eam puro auro tum intus, tum extrà inducito, aureaq; corona cingito. Tum quatuor anulos aureos cõflato, quos quatuor eius angulis utroque in latere binos applicabis: uectesq; cedrinos facito, eosq; inaurato, & per anulos illos ad latera arcæ ad eam portandam traijcito, ita ut in anulis arcę hæreant, neque ex ea detrahantur. In ea arca Oraculum quod tibi tradam, ponito. Propitiatorium quoq; ex puro auro facito, longitudine duorum cubitorum et dimidij, latitudine sexquicubitali. Tum duos Cherubos aureos solidos, alterum ex altero propitiatorij extremo, & eos ex ipso propitiatorio facito, qui expansis alis propitiatorium obtegant, alterius aspectu in alterum per propitiatorium conuerso. Propitiatorium autem arcæ desuper imponito, posito in arca Oraculo,

C

quod tibi tradã. Hinc ego tibi oracula reddam, & de propitiatorio inter duos Cherubos arcæ oraculi imposito omnia effabor, quę tibi

Mensa.

ad Israelitas præcipiam. ¶ Item mensam facito cedrinam, longitudine bicubitali, latitudine cubitali, altitudine sexquicubitali. Eam auro puro incrustato, aureaq; corona circundato, facta margine quadrãtali per ambitũ, cui margini auream coronam undiq; applicabis. Tum quatuor anulos aureos facito, & eos quatuor angulis quatuor eius pedum applicato, ita ut secundum marginem collocati præbeant uectibus receptacula ad portandam mẽsam. Vectes autem, quibus mensa portabitur, ex cedro

Candelabrum.

facito, & auro tegito. Facito item eius scutellas, discos, pateras & phialas, quibus libetur, &

D

ea ex auro puro. Ei mensę imponito panem apposititiũ ante me perpetuò. ¶ Item candelabrũ ex auro puro facito, idq; * solidum, ita ut eius crus, scapi, scutulæ, globi, & lilia sint ex eodẽ,

* unũ, non ex multis partib. cõpositum.

exeantq; sex scapi ex eius lateribus, uidelicet ex utroque trini, qui singuli trinas habeant scutulas ad instar putaminis amygdali concauas, tum singulos globos, atque lilia. In ipso autem candelabro quatuor concauæ scutulę sint, globiq; & lilia: & subter tria sex scaporum paria ex candelabro oriẽtia, singuli globi, ut & globi, & scapi, ex ipso sint candelabro, ut totum solidum unumq; sit ex auro puro. Facito item lucernas septem, quibus accensis candelabrum ante se luceat, earumq; forcipes & foculos ex puro auro. Hæc omnia uasa unà cum ipso candelabro ex uno talento auri puri fiant: ac uideto ut ad exemplar facias, quod tibi in monte monstratum est.

Heb. 8. b Act. 7. f

CAPVT XXVI.

Tabernaculi lintea.

AD tabernaculum autem decem lintea facito ex bysso bilice, hyacintho, purpura, & cocco iterato, Cherubis picturata, opere phrygionis: quorum singulorum longitudo uigintiocto cubitorum sit, latitudo quatuor, eadem omnium mensura. Ea quina inter se connexa sunto. Tum ligulas hyacinthinas facito

B

per oram lintei, quod erit ultimum in una parte commissuræ: similiterq; in ora ultimi lintei, alterius commissuræ: easq; utrobiq; quinquagenas, sibi inter se respondentes. Tum totidem uncos aureos, quibus uncis lintea inter se connectes, ut efficiatur unum tentorium. Facito item stragula ex caprinis uelleribus, ad contegendum tabernaculum, undecim, in longitudinem trigenûm cubitorũ, in latitudinem quaternûm, eadem omniũ mensura: quorũ quinq;

C

seorsum, & sex seorsum coniũges, sextumq; in frontem tabernaculi replicabis. Pręterea quinquaginta ligulas per oram unius ultimi straguli in commissura, & totidem per oram ultimi straguli alterius commissuræ, per quas ligulas totidem factos ex ære uncos traijcies, & ita tegmentum in unum copulabis. Eius autem straguli tegmẽti reliquum, uidelicet dimidiũ straguli, quod restabit, id redũdet post tabernaculum. At duo cubiti alter altera ex parte de stragulorum lõgitudine superfluẽtes, redũdabunt in tabernaculi latera, ut id hinc inde operiant. Huic item tegumento operimentum facito, ex pellibus arietinis rubro tinctis, itemq; insuper operimentũ alterũ ex pellibus melium. ¶ Item

Tabernaculi asseres.

facito asseres ad tabernaculũ cedrinos, arrectarios, in longitudinem denûm cubitorũ, latitudine sexquicubitali, qui singuli binos cardines

D

habeant sibi mutuò cohærẽtes. Facito autẽ uiginti asseres ad partẽ tabernaculi meridianam, quibus quadraginta spiras argẽteas suppones, uidelicet singulis duas pro numero cardinum: totidemq;, & eodẽ modo, ad alterum latus in parte aquilonari. Ad partẽ autem occidẽtalem

E

facito sex asseres, & duos, quos in utraq; angulari tabernaculi flexura & in imo & in summo simul uno anulo coaptabis. His octo asseribus suberunt argenteæ spiræ sexdecim, singulis bi-

F

næ. Præterea facito cedrina repagula quina, ad duo tabernaculi latera: totidemq; ad partem occidẽtalem, quorum medianum per medios

asseres traiectum, ad utrunq; finem pertineat. Asseres autem inaurato, eorum'que anulos ex auro facito, qui capiant repagula, quæ item repagula auro tegito. Igitur tabernaculum erigito ad eum modũ, quẽ in monte uideris. ¶ Item

Siparium. *Sup. 24. c.*

siparium facito ex hyacintho, purpura, cocco iterato, & bysso bilice, opere phrygionis, Cherubis uariegatum: quod appẽdes quatuor cedrinis columnis, auro opertis, capitellis aureis, & basibus quatuor argenteis.

G

Idq; uncis suspendito, & eò arcam Oraculi intra siparium inferto, ut id siparium uobis sanctuarium à sanctiore sanctuario diuidat. Imponito autẽ propitiatorium arcæ Oraculi in sanctiore sanctuario. Sed mẽsam extra siparium ponito, & candelabrum è regione mensæ, ad meridianum tabernaculi latus: mensam autem ad aquilonem.

Aulæum.

Item facito aulæum ad ostium tabernaculi ex hyacintho, purpura, cocco iterato, & bysso bilice, opere polymito: & ad aulæum quinque columellas cedrinas, auro illitas, capitellis aureis, earum'que totidem bases ex ære conflato.

CAPVT XXVII.

Ara. *Infr. 31. a. b*

ITem facito aram cedrinam quinq; cubitos longam, & totidem latam, ut sit quadrata: tres cubitos altam, eius'que cornua in quatuor eius angulis, quæ quidẽ ex ipsa sint, eamq; ære incrustato. Tũ eius cacabos ad cineres, & scopulas, & pollubra, & fuscinas, & batilla, quæ omnia eius uasa ex ære facito. Eius autẽ focum opere cãcellatim reticulato ex ære facito: tum cãcellis ad quatuor extrema totidẽ æreos anulos addito: eumq; focũ subter aræ contracturã ita collocato, ut ad medium aræ pertingat. Præterea uectes ad aram, uidelicet cedrinos, ære

B *Sup. 20. d.*

superinductos, quos per anulos immittes, ut hæreant in duobus aræ lateribus, cum erit portanda. Aram autem concauam facito ex tabulis, ea'que fiat quemadmodum tibi in monte fuerit monstratum.

Atrium.

¶ Item atrium tabernaculi, cuius atrij unius lateris, uidelicet meridiani, uela sint ex bysso bilice, in longitudinem centum cubitorum: columnæ autem uiginti, totidem basibus æreis, capitellis autem & præcinctionibus argenteis. Eodem'que modo in latere septentrionali. Et ista quidem duo latera longitudinem efficient. Ad latitudinem autem atrij in parte occidentali lintea erunt cubitorum

C

quinquaginta, colũnæ decem, totidemq; bases. Ad orientem atrium patebit in latitudinem item quinquaginta cubitos. Sed utrinque uela erunt quindenûm cubitorum, & columnæ ternæ, totidem'que bases. In ostio atrij erit aulæum cubitorum uiginti, ex hyacintho, purpura, cocco iterato, & bysso bilice, opere po-

D

lymito, columnæ autem quatuor, totidem basibus, ita ut omnes undique atrij columnæ habeant præcinctiones & capitella argentea, bases æreas. longitudo atrij erit centum cubitorum, latitudo quinquaginta, [a] utrobiq;: altitudo quinq;, ex bysso bilice; basibus æreis. Tum omne ad ædis ministerium pertinens instrumentum, omnesq; tam ædis quàm atrij paxil-

a hoc est, et ad oriẽtem & ad occidẽtẽ, ut paulo antè dictũ est. Vide, quod ad húc Hebraismum attinet, Ezec. 4

li ex ære sunto. Et tu Israelitis præcipito, ut tibi afferant oleum oliuum putum, expressum ad illucendum, ad accendendas lucernas perpetuas, quas in tabernaculo oraculi extra siparium, quod erit ad oraculum, statuet Aharon, & eius filij ante Iouam à uespere ad manè, qui ritus sempiternus posteris eorum prodatur per Israelitas.

CAPVT XXVIII.

TVm tu mihi Aharonem fratrem tuum, & eius filios Nadabum, Abium, Eleazarum, & Ithamarum, ex alijs Israelitis secernito, qui mihi sacerdotio fungantur: ipsi'que Aharoni fratri tuo sacras uestes facito, quibus splendidè exornetur. & cum peritissimis quibusque agito, per me peritia præditis, atque plenis, ut Aharoni uestes ad eum cõsecrandum faciant, quo mihi sacerdotium gerat. Quæ uestes erunt hæ: Monile, ephodus, prætexta, tunica circumtexta, infula, & cinctus. has sacras Aharoni fratri tuo uestes faciant, eius'que filijs, ut mihi sacerdotium obeant, ad quas aurum, hyacinthum, purpuram, coccum iteratum, & byssum adhibeant.

Ephodus. B

¶ Ephodum igitur ex auro, hyacintho, purpura, cocco iterato, & bysso bilice, opere phrygionis faciant: quod habeat humeralia duo ad utramque extremitatem suam copulata, atque ita coniunctum sit. Textura autem limbi, qui in eo erit, ex ipso eiusdemq; cum eo operis esto, ex auro, hyacintho, purpura, cocco iterato, & bysso bilice. Tum duas gemmas onychas, Israelitarum nominibus incidito, uidelicet utranq; senis nominibus, pro ratione ætatis eorum: eas'que cælato opere opificis gemmarij, cælatura sigillari.

Sup. 18. d.

Facitoq; ut ipsa Israelitarum nomina circulis aureis sint conclusa. Eas duas gẽmas humeralibus ephodi imponito, ut sint Israelitarum monimẽtum, quorum nomina Aharon in duobus humeris suis ante Iouam recordationis ergò feret.

C

Circulos autem aureos facito, & duas catenulas ex auro puro, finitas, opere perplexo, quas circulis inseres.

Monile.

¶ Facito item monile iudiciale, opere quoque phrygionis, sicut ephodum, ex auro, hyacintho, purpura, cocco iterato, & bysso bilice, quadratum, duplum, longitudine & latitudine palmi: id'que quatuor illigatarum gemmarum ordinibus completo. In primo ordine sardonyx, topazius, & smaragdus sunto: in secundo carbunculus, saphyrus, & adamas: in tertio ligyrius, achates, & amethystus: in quarto chrysolithus, onyx, & iaspis. Hæ gemmæ suis in ualuulis auro includantur, & sint pro numero Israelis filiorum, id est, duodecim: & duodecim nominibus, uidelicet quot sunt tribus, singulæ singulis cælentur, ut fit in sigillis.

D

Tum ad monile habenas finitas facito opere catenato, ex auro puro. Præterea duos anulos aureos, quos duabus monilis extremitatibus affigas, & in eos duas illas argenteas catenulas ibidem inseras, earumq; catenularum duo altera capita in duos circulos indita, in humeralia ephodi anteriore parte subducas. Deinde duos anulos au-

reos

reos facito, eos' que alligato duabus extremitatibus monilis, interius, in ora quæ ad ipsum ephodum pertinet. Alteros' que item aureos, quos duobus humeralibus ephodi per anteriorem partem subijcias, quà est commissura, super ipsius ephodi texturam: & monile à suis anulis ad anulos ephodi uitta hyacinthina alligetur, ita ut super textum ephodi sit, neque ab E eo dimoueatur. In hoc monili iudiciali Aharon Israelitarum nomina pectori suo applicata feret, cum in sanctuarium intrabit, ut sit monimentum in Iouæ cõspectu sempiternum. Atq; in eo monili iudiciali ponito, CLARITAS ET INTEGRITAS, quæ Aharon ad pectus habeat, quandocunque in Iouæ conspectum ueniet: ferat' que iudicium Israelitarum ad pectus suum in conspectu Iouæ perpetuò. Item facito *Prætexta.* prætextam in qua erit ephodus, totam hyacinthinam: cuius summæ mediũ os limbo circumdetur, opere textili, ad modum loricæ, ne F rumpatur. Eius in lacinia mala punica circumquaq; facito, ex hyacintho, purpura & cocco iterato, G. L. & bysso bilice H. & eis tintinna- *Eccl. 45. b.* bula aurea alterna interponito. Ea Aharon in ministerio utetur: audito' que eius sonitu, siue in sacrum ante Iouam intrantis, siue exeuntis, *Lamina.* à morte uindicabitur. ¶ Item facito laminam ex auro puro, & in ea cælatura sigillari insculpito, IOVAE SACRVM. Eam uitta hyacinthina infulæ à fronte adaptato, quam Aharon in fronte habeat, ferat' que culpã donariorum, quæcunque Israelitæ consecrauerint, eam in fronte perpetuò habens, ad Iouæ fauorem eis G conciliandum. Tunicam autem bysso circumtexito, & infulam byssinam, & cincturam ope- *Sacerdotũ uestes.* re polymito facito. Aharonis quoque filijs tunicas facito, cincturasq;, & galeros, quibus decenter exornentur. his uestimentis Aharonem fratrem tuum, eiusq; filios iuduito, eosq; ungito: & initiatis eorum manibus, mihi in sacerdotium consecrato. Tum eis linea femoralia facito, quę corporis uerẽda tegant, & ab ilibus ad femora pertineant, quibus tam Aharon, quàm eius filij utantur, quando uel in tabernaculum Oraculi ingredietur, uel ad aram procurandorum sacrorum gratia accedent, ne capite dent pœnas. Atque hunc ritum ipsi, eorum' que posteri sempiternum tenento.

CAPVT XXIX.

Sacerdotũ initiandorum ritus. HAec autem, cum eos mihi sacerdotes cõsecrabis, facito. Taurum unum, & arietes duos uitij expertes adhibeto. Tum panes *Leuit 8. a.* sine fermento, & placentas sine fermento, in oleo subactas, & crustula sine fermento oleo conspersa, ex simila adorea facito, eaq; in canistro posita afferto, taurum' que & duos arietes adducito. Deinde Aharonem, & eius filios ad ostium tabernaculi Oraculi adductos, aqua lauato. Tum sumptis uestimentis Aharoni tunicam induito, ephodi' que prætextam, & ephodum, & monile, eum' que per contextum ephodi amicito, & eius capiti infulam imponito, & infulæ coronam sacram applicato. Tum oleo unctorio caput ei perfundito, eum' que inungito. Deinde eius filios adhibeto, eosq; tunicis uestito, & cinctura tam Aharonem quàm filios constringito, atque illos galeris obnubito, ut perpetuum sacerdotij ius obtineant: & Aharonis manum eius' que fi- B liorum initiato, & taurum ante tabernaculum Oraculi sistito. cum' que eius capiti Aharon, *Leuit. 1. b* & eius filij manus suas imposuerint, eũ in conspectu Iouę ante ostium oracularis tabernaculi mactato, eius sanguine digito tuo cornua altaris intingito, reliquum omnẽ sanguinem ad radices altaris inuergito. Deinde totum omen- *Leuit. 3. a* tum sumito, fibram' que iecoris, & ambos renes, atque eis inhærẽtem pinguitudinem: hæc in altari adoleto. Carnem tauri, coriumq;, & fimum igni extra castra cremato, quod piaculum sit. Postea arietem alterum adhibeto: eum, cum eius capiti Aharon eius' que filij manus imposuerint, immolato: sanguinem in ara circumfundito: ipsum in frusta discindito: intestina & crura lauato: & super frustis capiteq; po- C nito, totum' que arietem in ara adoleto. Talis uictimæ solida crematio Iouæ fit, eum' que suaui odore delinit. Deinde alterum arietem adhibeto: eum similiter, cum eius capiti Aharon & eius filij manus imposuerint, mactato: eius sanguine auriculam infimam Aharonis dextram, eius' que filiorum, item' que dexterarum manuum pedum' que pollices intingito: reliquum super aram per ambitum fundito. Deinde sanguine, qui erit in ara, & oleo unctorio Aharonem unà cum filijs, eorumq; uestimenta aspergito, ut & ipse & eius uestimenta, eius' que filij, & eorum uestimenta sacra sint. Item desumito de eo ariete adipem, D caudam, omentum, fibram iecoris, & renes ambos, eis' que adhærentem pinguitudinem, & dextrum armum (quia agnus initiatorius est) panem' que unum, & placentam ex pane & oleo unam, & crustulum unum ex panum non fermentatorum canistro Iouæ apposito. Hæc omnia palmis Aharonis & eius filiorum imposita, Iouæ porricito: tum de eorum manibus excepta, in ara super uictimam adoleto, ad Iouam odore deliniendum. Hæc Iouæ res diuina fit. Postea sumito pectusculum initiatorij arietis Aharonis, id' que Iouæ porricito, & eam tibi portionem habeto, consecrato' que pectusculum porrectitium, et armum excepti- E tium, quod porrectum, & qui exceptus fuerit ex initiatorio ariete, tam Aharonis quàm eius filiorum. Atque hoc Aharon eiusq; filij æterna lege ab Israelitis habento. Nam hoc exceptitiũ donarium erit, & id donarium quod Israelitarum nomine in sacrificijs pro eorũ salute susceptis Iouæ destinabitur. Vestes autẽ sacræ Aharonis cedant eius natis post eũ, ut in eis & ipsi inungantur, & eorũ manus initientur. Septem diebus eas induito põtifex, qui ei ex eius natis succedet, in oraculare tabernaculum ad rem sacram administrandam intraturus. Arietem autem initiatorium capito, eiusq; carnem in loco sacro coquito. Eam Aharon, & eius filij, nec non panem canistri, in introitu oracularis ta-

Leuit.8.f. ris tabernaculi comedunto, & ideo comedunto, quia propitiatoria sunt, ad eorum manus initiandas, ipsorum consecrandorum gratia. F Alienus ne gustato, quia sacra sunt. Quòd si quid ex carne initiatoria, & ex pane, in posterum diem superfuerit, id reliquum igni cremato: ne'ue comedi fas esto, utpote sacrum. Igitur ad hunc omnino modum circa Aharonem & eius filios facito, quomodo ego tibi præcipio. Septem diebus eorum manus initiato, & unoquoque die tauro piaculari propitiato, aramque in ea propitiando expiato, & ad consecrationē inūgito. Per septē dies in ea propitiato, eamque consecrato, ut sit sacrosancta, ut ōnes ad eam accessuri consecrentur. ¶ Hæc autem in ara procurato. Quotidie semper binis agnis anniculis facito, altero manè, altero uespere: & priori agno addito decimam similaginis, depsitæ in olei expressi quarta parte hinis, item'que uini libamentum hinis quartam partem. *Num.28.* G In altero agno, quo agno uespere facies, idem fertum, uini'que libationem adhibeto, ut eo rei diuinæ odore Ioua deleniatur. Atque hic solidi sacrificij ritus uestro generi solēnis esto in ingressu tabernaculi oraculi, ante Iouam, ubi ego te affando, uobis responsa dem, & Israelitis reddam oracula, ut splendore meo sacrum reddatur tabernaculū: id quod ego sacrabo, aramque & Aharonē, & eius filios mihi sacerdotes consecrabo, & in Israelitis habitabo, me'que eis Deum exhibebo, ut inter eos habitante me, intelligant me illum Iouam Deum suum esse, à quo sint educti ex Aegypto. Hæc ego Ioua Deus eorum.

CAPVT XXX.

Ara suffitoria. ITem aram suffitoriam cedrinam facito, longitudine & latitudine cubitali, ut sit quadrata, altitudine bicubitali, cuius cornua sint ex ipsa. Eam, id est, eius superficiem, & laterum ambitū, cornua'que auro puro operito, eamque corona aurea cingito. Tum in utroque eius latere binos anulos aureos binis angulis subter coronam affigito, per quos anulos uectes ad eam portandam traijciantur. Ipsos uectes cedrinos facito, & inaurato. Hāc aram ante siparium, quod erit apud arcam Oraculi, ponito ante propitiatoriū Oraculi, unde ego tibi sum oracula redditurus. Ad hanc Aharon suffitum odoratum matutinis omnibus, adornatis lucernis, facito: similiter'que uespere cum lucernas accenderit, quæ perennis ante Iouam suffitio, posteritati uestrę mādetur. Ad hanc aram alienum suffimentum fieri ne liceat, ne'ue hostia aut ferto fieri, ne'ue uinum prolibari. Sed B ad eius cornua Aharon sanguine piaculari propitiatorio supplicato: sed non nisi semel quotānis supplicato, id quod etiam posteris uestris tradatur. Hoc Iouæ sacrosanctum esto. ¶ Item *Census.* hęc Mosi dixit Ioua: Cum Israelitarum censum *Num.1.a. & 3.g.* habebis, in eo censu pro suo quisque capite propitiatorium Iouæ pendito, cladis ab eis ita *Leui.27.c.* censendis auertēdæ gratia: uidelicet sicli sacri *Exo.45.d.* semissem, qui siclus ualet obolos uiginti, qui semisses erunt Iouæ honorarium, quo defungantur omnes qui in censum ueniēt, id est, qui uigesimum ætatis annū excesserint, ita ut neque diuites plus, neque pauperes minus semisse singuli conferant, ad Iouam huius honorarij collatione uobis propitiandum. Hoc propitiatorium argentum cum ab Israelitis redegeris, in opus oracularis tabernaculi conferto, ut proposito eo monimēto Ioua Israelitarum admonitus, eorum uitæ sit propitius. ¶ Item facito la- *Labrum eluacrum.* brum æreum, inquit, scapo ęreo, ad lauandum, idque inter oraculorum tabernaculum & aram C ponito, & eò aquam ingerito, unde Aharon & eius nati manus & pedes aqua abluant: idque faciant tabernaculum oraculorum ingressuri, aut etiam ad altaris ministerium accessuri, & Iouæ rem diuinam crematuri, ut ea lauatione ab sese necem auertant. Hunc morem ipse & eius posteritatis progenies ęternū tenēto. Prętera sumito primę notæ aromata (inquit Ioua *Vnguentū unctorium.* Mosi) myrrhę ingenuę siclos sacros quingentos, cinnamomi aromatici dimidiū, id est, ducentos quinquaginta: calami aromatici ducentos quinquaginta: iris quingentos, sacri ponderis: præterea olei oliui hinem. Ex his sacræ unctionis unguentum facito, confectura unguentaria, eo'que ungito tabernaculum oraculare, & arcam Oraculi, mensam'que cum omni suo instrumento, & candelabrum cum omni suo instrumento, & aram suffitoriam, & aram uictimariam, eiusque instrumētum omne, labrum'que cum suo scapo, ea'que consecrato ut sint sacrosancta, ut omnes qui ea tangent, cōsecrentur. Aharonem quoque & eius filios D ungito, & mihi ad sacerdotale munus consecrato. Tum Israelitas admoneto, ut huiusmodi unguentum mihi sacratum in posterū ducant, ne'ue eo hominū corpora perfundantur, ne'ue eadem confectura unguentum faciant, sed id pro sacro (ut est) habeant. Qui tale concinnauerit, aut qui eo alienum perfuderit, is de suorum numero tollatur. Insuper odores sumito (inquit) stacten, crocum, galbanū odoratum, & purum thus, tantundem ex omnibus, inde'que sacrum suffimen arte unguentaria tempe- *Suffimen.* ratum purum, facito, & ex eo in puluerem contuso ante Oraculum in tabernaculo Oraculi ponito, unde ego sum tibi oracula editurus: id'que sacrosanctum habetote. Ad istud exemplum suffimen uobis ne concinnatote, sed id sacratum Iouę ducitote. Qui tale fecerit ad suaueolentiam, is ex suorum numero tollatur.

CAPVT XXXI.

Beselel. DEstinaui autem huic, inquit, rei nominatim Beselelem Vris filium, Huris nepotem, ex tribu Iudaica, cui plenam omnis opificij peritiam, intelligentiam, scientiam diuinitùs aspiraui, qui negocium ingeniosissimè cōficiat, aurumque & argentum & æs fabrefaciat: qui'que gemmas artificiosè illiget, & lignum fabricetur, atque omne artificium exerceat. Huic addidi Oholiabum Achisamachi filium, *Oholiabus* ex Dania tribu: in'que omnium solertium ani- B mos peritiā immisi, qui omnia quę tibi præcepi conficiant, oraculare tabernaculum, oraculi arcam,

li arcam, & propiatorium ei imponendum: atq; omne tabernaculi instrumentum, mēsam, purum candelabrum, utrunque cum omni suo instrumento, aram suffitoriam, aram uictimariam cum suo omni instrumento, labrum cum suo scapo: tum uestes superuacaneas, & uestes sacras Aharonis pontificis, uestes'que eius filiorum sacerdotales. Ad hæc unctorium unguentum, & suffimen odoratum, ad sacrarium: qui hæc inquam, quemadmodum tibi præce-
C pi, sic planè conficiant. Tu uerò Israelitas com-
Sabbatum. moneto, inquit, ut mea quidem Sabbata obseruent: hoc enim inter me & eos interpositum
Supr. 20. b. esse signum ad posteros, quo intelligatur eos à
Exo. 20. b. me Ioua sanctos fieri. Proinde Sabbatum conseruanto, sanctumq; habento. Id qui uiolarit, capitale esto: ac quicunque in eo opus ullum fecerit, de numero suorum excinditor. Sex diebus opera patrāto, septimo die Iouæ sacra Sabbati feriatio est: die Sabbati quisquis opus fe-
D cerit, capitis pœna esto. Quocirca uidento Israelitæ, ut Sabbati fœdus sempiternum & ipsi & eorum posteri colant. hoc inter me & Israelitas pignus est sempiternū: quia cum sex die
Gen. 1. b. bus fecisset Ioua cœlum & terram, septimo die
Deut. 9. b. feriatus est, & respirauit. Hęc omnia Mosi effatus Ioua in monte Sina, tradidit ei duas tabulas oraculi lapideas, diuino digito inscriptas.

CAPVT XXXII.

INterea populus, cū uideret Mosem tam diu de monte non descendere, ad Aharonem conuenerat, flagitantes ut sibi præituros deos
Act. 7. c. faceret. nam Mosi quidē illi, à quo uiro essent ex Aegypto educti, nescire se quid accidisset. Et cū iussisset Aharon, ut inaures aureas, quas eorum uxores & liberi in auribus habebant, cōcerperent, & ad se afferrent: paruerāt, suasq; discerptas inaures cuncti ad Aharonem con-
Psal. 105. c. tulerant. Id ille aurum ab eis acceptum cælo
Vitulus aureus. configurarat, uitulum'que conflauerat, de quo illi sic prædicare: Hi sunt dij tui, Israelita, qui te ex Aegypto eduxerunt. Ea animaduertens
B Aharon, aram ante uitulum excitauerat, & diem Iouæ festum in posterum diem indixerat. Igitur postridie eius diei, ut primùm surrexe-
1. Cor. 10. b runt, solida sacrificia, & pro salute faciunt. De-
Deut. 9. b. inde cum discumbentes cibum potionem'que cæpissent, sese ad ludendum erexerant. ¶ Tum Ioua Mosi: Age iam, inquit, descende. nam deprauati sunt tui populares, à te ex Aegyptia terra educti: deflexerunt citò de uia, quam eis tradideram: cōflarunt sibi uitulum, quem adorant, cui sacrificāt, & eos esse Israelitarum deos iactant, à quibus sint ex Aegypto educti. Video, inquit, populum hunc esse duræ ceruicis.
3. Reg. 13. g Quare sine me in eos irasci, ut eos conficiam, & te in magnam gentem propagem. At Mo-
Psal. 105. b. ses Iouam Deum suū deprecans: Cur in tuum
C populum Ioua sæuies, inquit, quem tanta ui, támque ualida manu ex Aegypto extraxisti? Cur dictitēt Aegyptij, eductos à te perniciosè, ut eos in montibus interficeres, atque ex orbe
Num. 14. c terrarum tolleres? Comprime istius iracundiæ sæuitiam, & pœnam populo tuo remitte, Me-
mento tuorū Abrahami, Isaaci, & Israelis, qui- Gen. 12. b.
bus per temetipsum iuratus promisisti, te eo- 15. b. 48. c.
rum sobolem stellis cœlestibus numero exæquaturum, ei'que soboli totius illius à te designatæ regionis possessionē daturum esse sem-
piternam. Tum Ioua supplicium, quod de po- D
pulo suo sumere statuerat, reuocauit. ¶ At Moses cōuersus de monte descendit, duas oraculi tabulas in manu habens, utraq; margine hinc atq; illinc inscriptas. Opus tabularū diuinum, scriptio diuina, in tabulis exarata. Hic Iosua populi uocem perstrepentis exaudiens, dixit Mosi: Pugnantium uox in castris auditur. Cui ille: Vox ista neque uincentes sonat, neque cedentes: uocem audio cantantium. Sed ubi ad castra propius accessit, & uitulū saltationesq; cōspexit, tum uerò ira percitus, tabulas de manu abijcit, easq; sub radice montis perfringit.
Deinde uitulum, quem illi fecerant, corripit, E
eumq; igni exustum in puluerem contundit, eò que puluere cōspergit aquam, & eam Israelitas bibere cogit. & Aharonem alloquitur: Quid tibi fecit iste populus, ut eum tanto scelere obligares? Cui Aharon: Ne irascere Domine: tute nosti populum, quàm sit peruersus. Cum à me flagitarent, ut sibi præituros deos facerem, quòd Mosi isti, à quo uiro essent ex Aegypto educti, nesciret quid accidisset: iussi ut qui aurum haberent, dispescerent, & ad me referrent. Id aurum cum in ignem coniecissem,
effectus est hic uitulus. ¶ Hic Moses populum F
animaduertens spoliatū ornamētis (spoliauerat enim Aharon, ut illos apud inimicos ignominia notaret) in porta castrorum astitit, & ita pronunciauit. Si quis à Ioua est, huc ad me. Cumq; ad eum conuenissent omnes Leuitæ, sic loquitur: Iubet Ioua Deus Israelitarum, ut uos suo quisque ense femori accommodato, per castra ostiatim grassemini, & uestrorum fratrum, familiarium, uicinorum promiscuam cædem faciatis. Igitur Leuitæ, ut iusserat Moses, faciunt, ceciderunt'que de populo eo die circiter tria millia. Tum Moses Leuitis ait: [a] Expiate hodie manus uestras Iouæ, quas in uestris filijs & consanguineis promiscuè cruentastis, ut hodie fausta uobis optentur. Postridie populum alloquitur, sceleris ab eis perpetrati magnitudinem ostendit: eamq; ob causam sese ad Iouam ascensurum esse demōstrat, si quà ueniam eorum peccato possit impetrare. Deinde ad Iouam reuersus, sic loquitur: Ingens quidem flagitium admisit hic populus, dum sibi deos aureos fecit. Sed tu aut ei peccatum condona, aut me de libro, quem scripsisti, dele. At Ioua: Qui in me peccauerit, inquit, eum ipsum de libro meo delebo. Quare perge populum eò ducere, quò ego tibi iussero, meo tibi præeunte Genio. Cum meæ ultionis dies uenerit, flagitium in autores uindicabo. [b] Ita cladem intulit populo Ioua, propter uitulum quem illi per Aharonem fecerant.

a Talis expiatio fit et Num. 31. etiam post interfectos eos quos deus iusserat interfici.

b ut narratū est paulo ante.

CAPVT XXXIII.

INterim proficiscere hinc, inquit, unà cum populo, quem ex Aegyptiorū finibus eduxisti,

Gen.12.b. & 13.c Iosu.24.c. Deut.7.c. Supr.32.b.

xisti, in terram quam ego Abrahamo, Isaaco, & Iacobo iureiurando confirmaui, me eorum proli esse daturum, terram lacte & melle affluentem: ex qua præmisso uobis Genio expellam Chananæos, Amorræos, Hetteos, Pherezeos, Heuæos, & Iebusæos. Nam ipse quidem inter uos, tam duræ ceruicis homines, non proficiscar, ne uos in itinere consumam. Hoc tam triste dictum postquam acceperunt homines, ad luctum conuersi, à cultu corporis cuncti abstinuerunt. Nam Ioua eis, internuncio Mose, cõtumaciam obiecit, per quam futurũ esset, ut si inter eos proficisceretur, eos momento consumeret: eamq; ob causam iussit, ut ab sese cultum corporis deponerẽt, quo ipse uideret quid sibi de eis statuendum esset. Itaq; ornatu sese exuerũt Israelitæ, à monte Horebo.

B

Moses tabernaculũ tendit.

¶ Moses autem tabernaculũ cæpit, & extra castra procul à castris tetendit, & oraculare tabernaculum appellauit. Ad hoc oraculare tabernaculum omnes Iouam consulere uolentes exibant extra castra. Ac prodeunte Mose ad tabernaculum, assurgebant omnes, & pro tabernaculis uulgò astantes, Mosem à tergo prospectabant, donec in tabernaculum ingrederetur. Eo autem ingresso, descendebat columna nubis, & pro tabernaculo astabat, illo Mosem alloquente. quam pro tabernaculo stantem uniuersus populus aspectans assurgebat, utq; ante suum quisq; tabernaculum steterant, sese summitebant.

C

Alloquebatur aũt Mosem Ioua præsens præsentem, sicut homines solent inter sese: deinde Moses in castra se referebat, cũ interim eius administer Iosua Nunis filius adolescens, nusquam se ex medio tabernaculo moueret.

Iouam orat Moses, ut ipse cũ populo proficiscatur.

Moses autem ad Iouam huiusmodi uerba habuit: En tu iubes me hunc populũ deducere, nec mihi ostẽdis quem sis mecum missurus: & ais me tibi nominatim esse notum, & apud te ualere gratia. Ergo si apud te ualeo gratia, doce me tuam uiam, quo te cognoscã, ut apud te ualeam gratia: & simul considera, gentem hanc tuũ esse populũ. Tum ille: Egomet præsens ibo unà, teq; quietum reddam. Et Moses: Nam nisi tuipse præsens is, ne nos hinc abduxeris. Ecqua tandem re cognoscetur, me, tuumq; populum apud te ualere gratia? Nonne si ipse nobiscum eas, ut ita ego populusq; tuus populos omnes, quos terra sustinet, antecellamus? Cui Ioua: Istud quoq; postulatum tuum faciam, inquit: tanti tua apud me gratia est, & familiaritas singularis.

A Ioua petit Moses, ut sibi suũ splẽdorem ostendat.

Et Moses: Ostende mihi quæso splendorem tuum. Cui ille: Ego omnia bona mea præter conspectum tuum traijciam, & Iouæ nomen in conspectu tuo appellabo, qui gratiam facio, & misericordiam tribuo cuicunq; mihi collibitum sit. Sed faciem meam tibi uidere non licet, inquit: neq; enim homini fas est uidere me, quin uitã amittat. Habeo autem locum quendam, inquit, ubi in petra astabis, in cuius petræ cauum, prætereunte splendore meo, te abstrudam, tibiq; manum meam obtendam, donec prǽteriero: qua deinde amota, à tergo me ita uidebis, ut anterior mei pars non cernatur.

Rom.9.c.

CAPVT XXXIIII.

Duæ secundæ tabulæ. *Deut.10.b.*

CAeterùm incide duas tabulas lapideas, inquit, prioribus similes, in quibus ego eadem uerba scribam, quæ erant in prioribus quas tu fregisti: & esto paratus in crastinũ manè, cõscensurus montem Sinam, & ibi in montis cacumine mihi præstò futurus. Sed ne quis hominum tecum ascendat: neu quis toto in monte cõspiciatur: neu pecora minora, maiorà ue secundum montem hũc pascant. ¶ Igitur Moses duas tabulas lapideas prioribus similes incidit, & manè, ubi surrexit, montem Sinam, sicut erat à Ioua iussus, secum lapideas tabulas habens, cõscendit. Eò Ioua in nube descendit, & apud eum astitit, Iouæq; nomen appellans, præter eum transijt, ita pronuncians: IOVA IOVA DEVS MISERICORS, ET EXORABILIS, AD IRAM TARDVS, AD CLEMENTIAM ET AVXILIVM PROPENSVS: QVI CLEMENTIA IN MILLE VSQVE AETATES VTITVR, VITIA ET PECCATA ET DELICTA CONDONANS: IN POENA AVTEM IRROGANDA PARENTVM CVLPAM IN NATOS ET NEPOTES, AD TERTIAM ET QVARTAM STIRPEM PERSEQVITVR.

Dei natura *Psal.142.a.* *Hier.32.c.* *Deut.5.a.*

Tum Moses ad terram extemplò supplex procumbens, inquit: Si quid igitur apud te gratia ualeo, Domine, oro ut tu, Domine, inter nos uenias. ut quoniam populus duræ ceruicis est, uitijs nostris & peccatis ignoscas, nosq; possideas. B

Cui ille: Iam nunc pactionem facio, inquit, coram omni isto populo, ut ego miracula faciam, quanta in omni orbe terrarum apud ullas gentes edita non sunt: spectetq; uniuersus, inter quem tu uersare, populus, factum planè Ioua dignum, id est, horribile, quod ego sum erga uos facturus: & uos omnia obseruetis quæ ego hodie præcipio. Ego igitur uobis expellam Amorræos, Chananæos, Hettæos, & Iebusæos. Vos cauetote ne fœdus percutiatis cum eius terræ incolis, in quam inuasuri estis: ne ea res uobis afferat detrimentum. Quin eorum aras eruitote, statuas perfringitote, lucos succiditote. Nam cum Deum peregrinum adorare prohibeamini (habet enim Ioua nomen obtrectantis, Deus est riualis impatiens) periculum est, ne si cum incolis fœdus faciatis, illi impudica suis dijs sacrificia facientes, uos ad polluctum pertrahant, perficiantq; ut suas filias uestris filijs adsciscatis: quos ille porrò, pudicitiam suis dijs prostituendo, ad eandem pertrahant impudicitiam. Deum conflatilem ne facito. Azymalia obseruato. Septem dies azymis uescitor, quod tibi præcepi in statum tempus mensis uerni: nam in mẽse uerno egressus es Aegyptũ. Quicquid uuluam aperit, meum esto. Omnem tui pecoris masculum primigenium tum bouilli, tum ouilli & caprini, mihi assignato. Asini primigenium oue aut capra redimito: Si nõ redimes, ceruicem frangito. Omnem primogenitum filiorum tuorum redimito, ne'ue coram me uacui comparento. Sex diebus operator: septimo die feriator, idq; seu

Quomodo cũ Chananæis agi debeat. *Deut.7.a.* *Suprà 23.d* *3.Reg.12.a* *Azymalia.* C *Supra.23.b* *Deut.16.a.* *Eccle.35.a.*

Septimanalia. seu aratio, seu messis erit. Itẽ Septimanalia agito in primitijs triticeæ messis. Item Conditalia Conditalia. in clausula anni. Ter quotannis omnes tui mares in conspectũ domini Iouæ Dei Israelitarum sistuntor. Nam ego exactis tua causa gẽtibus, fines tuos amplificabo, neq; quisquã tuam terram concupiscet, tum cum ad comparendum coram Ioua Deo tuo ter quotãnis proficisceris. Cum meæ uictimæ sanguinem, eam mactando, effundes, fermentum ne habeto. Victima festi Paschæ in posterum diem ne superesto.

Sup.23.c Deut.14.c D Principium primitiuarum frugum tui fundi in ædem Iouæ Dei tui afferto. Hœdum in sanguine matris suæ ne coquito. Hæc tu uerba (inquit, Mosen alloquens) perscribito. nam in hæc uerba fœdus tecum, & cum Israelitis ferio. Ita Moses illic apud Iouam quadraginta dies Sup.14.d. noctesq; fuit, nullo interim neque cibo usus, neque potione: perscripsitq; in tabulis dicta fœderis, quæ dicta sunt decem. ¶ Deinde cum Deut.4.b de monte Sina, duas secum ferens oraculi tabulas, descenderet, eius faciei cutis, eo ignorante, radiabat ex diuino colloquio: quo splendore Mosis facies rediãs. præstricti Aharon & omnes Israelitæ, eius congressum reformidabant. Sed reuocante Mose, reuerterunt ad eum Aharon & omnes reipublicæ principes: cum quibus loquuto Mose, tum demum accesserunt omnes Israelitæ, quibus ille omnia, quæ à Ioua in monte Sina acceperat, mandata exposuit. Deinde dicendi finem fecit, E cum quidem faciei suæ uelamen obtendisset. Cum autem in Iouæ conspectũ ad colloquium ueniebat, uelamen usque ad abitum detrahebat. Deinde cum ad mandata Israelitis referenda pergebat, quoniam eius faciei cutis fulgore 2.Cor.3.c suo illorum oculos perstringebat, uelamentum ante faciem suam referebat, donec ad Iouæ colloquium rediret.

CAPVT XXXV.

Coacta autem uniuersorum Israelitarum concione, ad hunc modũ uerba fecit: Hęc Sabbathũ. sunt quæ uos Ioua facere iubet. Sex diebus opera patranto: septimũ autem diem Iouæ sacrum ferijs Sabbathi agendis habetote. In eo quisquis opus fecerit, moriatur. [a] Ignem in uniuersum per domos in die Sabbathi ne incenditote. Hoc insuper iubet Ioua, inquit, ut sibi à uobis Honorarium conficiatis, prout cuiusque animus ad conferendũ in id Iouæ honorarium sua sponte feretur: uidelicet aurum, argentum, æs, hyacinthum, purpuram, coccum iteratum, uellera caprina, pelles arietinas rubro tinctas, pelles melium, ligna cedrina, oleum lucernarium, aromata ad unguẽtum unctorium, & ad suffimentum odoratũ. Præterea gemmas onychinas, & gemmas ad includendum idoneas, B ad ephodum, & monile. Tum autẽ ut uestrũm scientissimi quique adsint, & omnia quæ iubet Ioua conficiant: tabernaculum cum suo tentorio, operimento, uncis, assamentis, repagulis, Summa operis. columnis, & earum basibus. Item arcam, eiusq; uectes, & propitiatorium, & siparium obtendendum. Item mensam cum suis uectibus, & omni instrumẽto, & pane apposititio, Item candelabrum ad illucendum cum sua dote, cumq; lucernis, & oleo lucernario. Item aram suffitoriam, eiusq; uectes, & oleum unctorium, suffimenq; odoratum, & tabernaculi ostiarium aulæum. Item aram uictimariam, & eius focum æreum, & uectes, & omnia armamenta: tum labrum cum suo scapo. Item atrij uela, & columnas cum suis basibus: necnon atrij portæ aulæum, & tabernaculi & atrij paxillos atque funes. Tum uestes superuacaneas ad operandum sacris, et sacras uestes Aharonis põtificis, eiusq; C filiorum uestes sacerdotales. ¶ Igitur dimissa à Mose uniuersa concione, Israelitæ uoluntarij, prout suus quemq; uolũtarius animus & mens exhortabatur, & impellebat, uulgò ad id Iouæ honorarium conferebant, ad oracularis tabernaculi, totiusq; eius ornamenti, & sacrarum uestium opus: uulgoq; non solum uiri, sed etiam Collata ad sacrum opus. fœminæ sua sponte afferebant, partim fibulas, inaures, anulos, armillas, & cætera huius generis quæcunq; ornamenta aurea, si qui auro Iouam munerabantur: partim hyacinthum, purpuram, coccum iteratum, byssum, caprina uellera, & rubro imbutas arietinas pelles, meliũq;, ut cuiq; copia erat. Alij argentum atq; æs, pro sua quisq; facultate ad id munus præstabant. Si qui ligna cedrina habebant, ea ad totius rei opus suggerebant. Fœminarum etiam peritissimæ quæque hyacinthum, purpuram, coccum iteratum, & byssum suis ipsæ manibus nebant, netaq; subministrabant. Nonnullæ (si quæ huius rei scientia præstabant) uellera caprina nebant. Primates autem, onychas, & cæteras gemmas cælaturæ accõmodas, ad ephodum & monile suppeditabant: itemq; aromata, & oleum tum lucernarium, tum ad unctorium unguentum, & ad odoratum suffimentum. Ita Israelitæ non solum uiri, sed etiam fœminæ, prout sua quemq; uoluntas mouebat, ad conficiendum totum illud opus, quod per Mosen fieri Ioua D iusserat, omnes uoluntario ad Iouam munere fungebantur. Quibus Moses demonstrauit, ut Ioua Beselelem Vris filium, Huris nepotem, Beselel. ex tribu Iudaica nominatim delegisset, eumq; omnis artificij prudentia, scientia, peritia diuino afflatu cumulauisset, qui aurum, qui argentum, qui æs subtilissimè elaboraret, gemmas arte cõcluderet, ligna fabrefaceret, ad faciendum Sup.31.a omne intestinum opus: utq; ei industriam docendi alios dedisset. necnon Oholiabo Achisamachi filio de tribu Dania, & eos singulari Oholiabus animi peritia ornauisset: cuius ope fabrilia, phrygia, plumaria opera in omni genere facerent: hyacinthumq;, purpuram, coccum iteratum, byssum, textiliaq; elaborarent, & omne opus solerti perficerent industria.

[a] scilicet ad opera facienda. Nã cibum quidem parare licere suprà docuit. Honorarium. Sup.25.a

CAPVT XXXVI.

Perfecerũt igitur Beselel, & Oholiabus, & ingeniosissimi quiq; homines, quos Ioua peritia, prudẽtia, agendiq; scientia donauerat, uniuersum sacri ministerij opus ad Iouæ præscriptum. Ad id opus aggrediendũ cum essent illi à Mose euocati, prout cuiusq; uoluntas ad id procliuis erat, omnem Israelitarũ collectam

f apud

apud Mosen ad eam rem positam abstulerunt, aggressuri negocium, sacrumꝗ opus facturi. Sed cum ad id plura in dies ultrò cōferrentur, artifices illi omnes, omissis quibus fungebantur operibus, Mosen adeunt, demonstrantꝗ plus à populo conferri, quàm quantum postulet operis à Ioua imperati cōfectio. Quare Moses proclamari per castra iussit, ne quis deinceps aut uir aut fœmina quicquam ad sacrum honorarium adderet. Ita conferri à populo desitum est, quòd iam satis superꝗ erat unde totum opus absolueretur. Fecerunt igitur omnes illi periti operis artifices ad tabernaculum de- *Lintea.* cem lintea ex bysso bilice, hyacintho, purpura, & cocco iterato: eaꝗ Cherubata, opere pluma- B rio, quorum singulorū longitudo uiginti octo cubitorum erat, latitudo quatuor, eadem omnium mensura. Hæc ille quina inter se connectebat. Tum ligulas hyacinthinas faciebat, per oram unius lintei in commissuræ parte, similiterꝗ in ora ultimi lintei in altera commissura, easꝗ utrobique quinquagenas, sibi mutuò respondētes. Tum quinquaginta uncos aureos, quibus uncis lintea inter sese connectebat, ut unum fieret tentorium. Faciebat item undecim *Stragula.* stragula caprina ad contegendum tabernaculum, in longitudinem trigenûm cubitorum, in latitudinem quaternûm, eadem omnium mensura: quorum quinque seorsum, & sex seorsum coniungebat. Deinde quinquaginta ligulas per oram ultimi straguli in commissura, & to- C tidem per oram straguli alterius commissuræ: & itē uncos aureos quinquaginta, ad tegumētum in unum coniungendum. Huic tegumēto operimentum faciebat ex pellibus arietinis rubro tinctis: itemꝗ insuper operimentum ex *Asseres.* pellibus melium. Item asseres faciebat ad tabernaculum cedrinos, arrectarios, in lōgitudinem denûm cubitorum, latitudine sesquicubitali, qui omnes binos cardines inter sese aptos habebant. Quorum asserum uiginti faciebat ad partem tabernaculi meridianam, quibus quadraginta spiras argēteas supponebat, uidelicet singulis duas, quot erant cardines: totidemꝗ & eodem modo ad alterū latus, in parte aquilonari. Ad partem autem tabernaculi occidentalem sex asseres faciebat, & duos in angularibus tabernaculi uersuris, qui & in imo & in summo uno anulo inter se copulabantur. Ita octo asseres erant, & eorum spiræ argenteę sexdecim, singulorum binæ: deinde cedrina repagula faciebat, utrique tabernaculi lateri quina, totidemꝗ parti occidentali, quorum repagulorum medianū per medios asseres traiectum ab altero extremo ad alterū pertinebat. Et asseres autem faciebat auratos, & eorum anulos D aureos, qui anuli repagula etiam aurata cape- *Siparium.* rent. ¶Faciebat & sipariū ex hyacintho, purpura, cocco iterato, & bysso bilice, opere phrygionis, idꝗ Cherubatum: cui sipario quatuor faciebat columellas cedrinas, auratas, capitellis aureis, quibus quatuor bases conflabat argenteas. Tum aulæum faciebat ostio tabernaculi ex hyacintho, purpura, cocco iterato, & bysso bilice, opere polymito: eiusꝗ columnas quinque cum capitellis, quæ capita nec nō ornamenta inaurabat, basibus quinque æreis.

CAPVT XXXVII.

FAciebat item Beselel arcam cedrinam, in *Arca.* longitudinem duorum cubitorū & dimidij, latitudine autem & altitudine sesquicubitali, quā puro auro intus forisꝗ inductam, aurea corona circundabat. Tum ei quatuor anulos aureos conflabat ad quatuor eius angulos, quos anulos binos utrique eius lateri applicabat. Item cedrinos uectes, quos inaurabat, & per anulos ad arcæ latera traijciebat ad eam gestandam. ¶Item propitiatorium ex auro puro, longitudine duorum cubitorum & dimidij latitudine unius & dimidij. Tum duos Cherubos aureos, eosꝗ perpetuos hinc inde ex utro- B que propitiatorij extremo, uidelicet alterum ex altero, & eos ex ipso propitiatorio utrinque faciebat, qui super expāsis alis propitiatorium obtegerēt, alterius aspectu in alterum per propitiatoriū conuerso. ¶Item mensam cedrinam, *Mensa.* longitudine bicubitali, latitudine cubitali, altitudine sesquicubitali, eamꝗ auro puro incrustabat, & aurea corona ambiebat, quā auream coronam margini dodrantali accommodabat, qua margine eam circundederat. Ad hāc mensam quatuor aureos anulos conflabat, eosꝗ quatuor eius pedum angulis alligabat, ita ut essent secundum marginem, qui uectes ad gestandā mensam acciperent: quos uectes etiam cedrinos faciebat, auroꝗ incrustabat. Deinde uasa faciebat, quæ super mensa ponerētur, scu- C tellas, capedines, phialas & pateras, in quibus libaretur, ex auro puro. ¶Item candelabrum ex *Candelabrum.* auro puro solidum, ita ut eius crus, scapus, scutulæ, globi & lilia essent ex eodem, sex scapis ex eius lateribus prodeuntibus, ex utroque trinis: qui sex scapi trinas habebant scutulas in modum putaminis amygdali concauas, singulosꝗ globos, atque lilia. In ipso autem candelabro quatuor erant scutulæ, globi & lilia: & subter tria scaporum paria ex eo prodeūtia singuli globi, ita ut & globi & scapi essent ex ipso candelabro, solido atque uno, eoꝗ ex auro puro. Item eius lucernas septem, earumꝗ forci- D pes & foculos ex auro puro. Hoc candelabrū, *Ara suffitoria.* & omne eius instrumentum ex auri puri talento faciebat. Item aram suffitoriam, cedrinam, longitudine & latitudine cubitali quadratam, altitudine bicubitali, ita ut ex eadē eius essent cornua: eamꝗ auro puro incrustabat, uidelicet superficiem, costas undiꝗ, & cornua: aureaꝗ corona circundabat, & sub corona binos anulos aureos faciebat, in utrisque duorum eius laterum costis, qui uectibus ad eam portandam præberent receptacula, quos uectes cedrinos faciebat, & incrustabat auro. Item unguentum unctorium sacrum, suffimenꝗ odoratum purum, opere unguentarij.

CAPVT XXXVIII.

ITem aram uictimariam cedrinam, quinque *Ara uictimaria.* cubitorum longitudine ac latitudine quadratam, in altitudinem trium cubitorū, & eius

cornua

cornua super quatuor eius angulis, quæ quidē erant ex ipsa, eamq; ære integebat. Item omne aræ instrumentū, cacabos, scopulas, pollubra, fuscinas, & batilla, eaq; omnia ærea. Aræ autē focum opere cancellatim reticulato faciebat ex ære, eumq; subter aræ crepidinem ad eius mediū collocabat. Tum quatuor anulos quatuor foci extremis ex ære conflabat, qui uectes acciperent, quos uectes ex cedro faciebat, æreq; inducebat. Item uectes per anulos ad aræ costas traijciebat ad aram gestandā, quam ex tabulis inanem fecerat. *Exod.20.d* Item labrū æneum, eiusq; scapum ęneum ex mulierū speculis, quæ pro oraculi tabernaculo excubabant. *Atrium.* Item atrium, cuius in meridiana parte uela erāt ex bysso bilice, cententûm cubitorum. Columnæ eorum uicenę, basibus uicenis ęreis, capitellis autē & pręcinctionibus argenteis. Atq; idem fecit in parte septentrionali. At in occidentali parte uela B erant quinquaginta cubitorum, quorū columnæ decem, totidemq; bases, capitellis, & præcinctionibus argenteis. Itemq; in orientali parte quinquaginta cubitorū uela in utroq; portę atrij latere hinc inde quindenûm cubitorū trinis utrinq; columnis, totidem basibus: quæ omnia per atrij circuitum uela, erant ex bysso bilice. Columnarum autem bases æneę, capitella & præcinctiones argenteæ, earum capitibus argento inductis, erantq; omnes atrij columnarum pręcinctiones argenteę. *Aulæum.* Aulęum autem atrij ostiariū fiebat opere polymito, ex hyacintho, purpura, cocco iterato, & bysso bilice, C uiginti cubitos longum, altitudine (quę eadem erat latitudo) quinq; cubitorum, secundū atrij uela. Columnę a eorū quatuor, totidem basibus ęreis: capitulis autem argenteis, capitibus & pręcinctionibus argēto incrustatis. Omnes autē tabernaculi & atrij undique paxilli ęnei.

a scilicet uelorū, ex quibus cōstabat aulæum.

Hæc est summa impensorum in oraculorum tabernaculum, ratione subducta iussu Mosis, ministerio Leuitarum, opera Ithamari Aharonis filij sacerdotis, cum quidem Beselel filius Vris, filij Huris de tribu Iudę omnia fecisset, quę Mosi Ioua pręceperat, unà cum Oholiabo, Achisamachi filio, ex tribu Dania, fabro, & plumario, & phrygione, in hyacintho, in purpura, in D cocco iterato, & bysso. *Impensa.* ¶ Auri oblati in uniuersum sacrum opus impensa sunt omnino talenta undetriginta, & sicli sacri septingenti triginta. Argenti aūt, quod ciuiū censu habito redactum est, talenta centū, & sicli sacri mille septingenti septuagintaquinq;, sicli sacri semissibus uiritim imperatis, duntaxat in eos qui in cēsum ueniebāt: id est, qui uiginti annis maiores erāt, quorū hominū fuit numerus sexcenta tria millia quingenti quinquaginta. Huius argenti talenta centum impensa sunt in conflandas totidem bases columnarū sanctuarij, & siparij, singula uidelicet in singulas. Ex mille autē septingentis septuaginta quinq; siclis argenti capitella fecit columnarū, earumq; capita incrustauit, & ipsas exornauit. Aeris oblati fuere talēta septuaginta, & siclorū duo millia quadringenti, ex quo fecit bases columnarum portę oracularis tabernaculi, & aram ęream, eiusq; focum ęreum, & omne arę instrumentum: pręterea bases columnarum atrij tam ambientium, quàm ostiariarum, omnesq; ędis paxillos, & qui undique per atrium sunt adhibiti.

CAPVT XXXIX.

EX hyacintho autem, & purpura, & cocco iterato fecere superuacaneas uestes ad ministrandum in fano, & sacras uestes Aharonis, quemadmodum Mosi Ioua præceperat. *Ephodus.* Igitur ephodum ex auro, hyacintho, purpura, cocco iterato, & bysso bilice faciebāt: ductaq; ex auro in bracteolas diducto fila, hyacintho, purpurę, cocco iterato, & bysso intertexebant, opere plumarij. Huic humeralia duo faciebant, quę utrique eius extremo cōnexa hęrerent. Textura autem limbi, qui ei addebatur, ex ipso erat, eiusdemq; cum eo operis, ex auro, hyacintho, purpura, cocco iterato, & bysso bilice, sicut Mosi Ioua pręceperat. B Faciebant & gemmas onychas, aureis conclusas circulis, opere cęlatas sigillari nominibus Israelitarū, easq; ephodi humeralibus imponebant, quę gēmę essent Israelitarum monimentū, sicut Mosi Ioua pręceperat. *Monile.* Faciebāt & monile, opere quoq; phrygionis, sicut ephodū, ex auro, hyacintho, purpura, cocco iterato, & bysso bilice: idq; quadratum, duplum, longitudine & latitudine palmi, & id quatuor gemmarum ordinibus complebant. C In primo ordine erant, sardonyx, topazius, & smaragdus. In altero carbunculus, sapphirus, & adamas. In tertio ligyrius, achates, & ametystus. In quarto chrysolithus, onyx, & iaspis. Hę gemmę suis in ualuulis includebantur aureis circulis: & pro numero Israelis filiorum, id est duodecim erant, duodecim nominibus ad rationem duodecim tribuum, singulę singulis cęlatę, cęlatura sigillari. ¶ Deinde monili faciebant habenas duas, finitas, opere catenato, ex auro puro. Item duas fibulas aureas, & duos anulos aureos, quos anulos duobus monilis extremis applicabant, D eisq; duas illas aureas catenas ad monilis extrema annectebant, & earum duo capita duabus fibulis inserebant, & in ephodi humeralia anteriori parte subducebant. Deinde duos anulos aureos faciebant, quos duabus monilis extremitatibus alligabāt interius, in ora quę ad ipsum ephodū pertinebat. Tū duos alteros aureos, quos subter duo ephodi humeralia à fronte qua eius erat commissura, subijciebāt super ipsius ephodi textura: & monile à suis anulis ad ephodi anulos hyacinthina uitta alligabant, ut super ephodi textura hęreret, neq; ab eo dimoueretur, quēadmodum Mosi Ioua pręceperat. *Prætexta.* Deinde faciebant ephodi prętextam opere textili, totam hyacinthinā, cuius in medio os erat loricæ instar limbo circumseptum, ne rumperetur. E In huius lacinia faciebāt mala punica ex hyacintho, purpura, cocco iterato, & bysso bilice: deinde ex auro puro tintinnabula, quæ malis punicis alterna circumquaque per prętextæ laciniam interponebant ad ministrandum, sicut Mosi Ioua præceperat. *Vestes sacerdotales.* Item tunicas byssinas opere textili

textili Aharoni, & eius filijs, & infulam byssinam, & capitalia ad redimiēdum, & linea subligacula ex bysso bilice. Tum cincturā ex bysso bilice, hyacintho, purpura, & cocco iterato, opere polymito, sicut Mosi Ioua præceperat.

Lamina.

Deinde sacri coronamenti laminam ex auro F puro, in qua cælatura sigillari inscribebant, IOVAE SACRVM. Eam uitta hyacinthina infulę supernè alligabant, sicut Mosi Ioua præceperat. Ita perfectum est omne opus tabernaculi tētorij oracularis: fecerūtq; Israelitæ planè quemadmodum Mosi Ioua præceperat, & tabernaculum ad Mosem attulerunt, tentorium, & omne eius instrumentum, uncos, asseres, repagula, columnas, bases, tegumentum ex pellibus arietum rubro tinctis, tegumentū ex melium pellibus, siparium obtendendum, arcam oraculi, & eius uectes, atque propitiatorium, G mensam, & omne eius instrumentum, panesq; appositítios, candelabrum purum, eius lucernas scilicet ordinarias, & omne instrumētum, oleumq; lucernarium, aram auratam, unguentum unctorium, suffimentum odoratum, aulæum ostiarium tabernaculi, aram ęratam, eius focum æreū, uectesq;, & omne instrumentum, labrū cum suo scapo, atrij uela, columnas cum suis basibus, atrij aulæum ostiarium, funes, paxillos, denique omnia ad tabernaculum oracularis tentorij pertinētia. Tum autem uestes superuacaneas ad ministrādum in sacro, uestes sacras Aharonis pontificis, eiusq; filiorum, ad obeūdum sacerdotium. Breuiter rem omnem, quemadmodum Mosi Ioua præceperat, sic fecerunt Israelitę. Itaque cum uideret Moses uniuersum opus ab illis ad Iouæ præscriptionem esse accuratum, bene eis precatus est.

Operis summa.

CAPVT XL.

Iubetur Moses erigere tabernaculum.

DEinde Ioua sic Mosi præcepit: Prima die mensis primi tabernaculū oracularis tentorij erigito. Ibi arcā oraculi collocato, & propitiatorio tegito. Tum mensam suo apparatu instructam, & candelabrum inferto, eiusq; lucernas accendito. Altare auratum ad suffitionem ante arcam oraculi statuito. Aulæū in introitu tabernaculi ponito. Aram uictimariam ante ostium tabernacularis oraculi locato. Inter oraculare tabernaculum & aram, labrū ponito, eò aquam imponito. Atrium circumponito, atrij ostium aulæo obtendito. Oleum unctorium sumito: eo tabernaculū & omnia quæ in eo sunt ungito, idq; cū omni suo instrumento, B ut sacrum sit, consecrato. Aram quoque uictimariam cum omni suo instrumento ungito, & consecrato, ut sit ara sacrosancta. Itē labrum cū suo scapo ungito, & consecrato. ¶ Tum Aharonem & eius filios ad ostium tabernaculi oracularis adductos aqua perluito. Aharonem sacris indumentis uestito, & inungito, mihiq; sacerdotem cōsecrato. Itemq; eius filios adhibitos tunicis induito, & sicut patrē inungito, ut mihi sacerdotes sint, ut ea unctione in sacerdotium inaugurentur ęternum, & posteris eorum cessurū. Hæc omnia Moses ex mandato Iouæ fecit. ¶ Igitur primo die mēsis primi anno secundo erectum est tabernaculum. Primū tabernaculum erexit, bases collocauit, assamenta & repagula digessit, colūnas erexit, tentorium super tabernaculo extendit, ipsi tentorio tegumentum superimposuit, sicut ei Ioua præceperat. Tum oraculo in arcam illato uectes arcę accommodauit, & eam insuper propitiatorio texit, & in tabernaculum illatam sipario obuelauit, sicut ei Ioua pręceperat. Extra sipariū mensam in tabernaculo oraculi, parte tabernaculi C septentrionali cōstituit, & panibus Iouę appositis instruxit, sicut ei Ioua præceperat. Candelabrum autem in tabernaculo oraculi è regione mensæ posuit in tabernaculi parte meridiana, & lucernas ante Iouā accendit, sicut ei Ioua præceperat. Aram inauratam in eodem tabernaculo ante siparium posuit, & in ea odorato suffimine suffiuit, sicut ei Ioua præceperat. Tabernaculi portę aulęum obtendit. Aram uictimariam in introitu oracularis tabernaculi collocauit, & in ea solido sacrificio & ferto operatus est, sicut ei Ioua præceperat. Labrum inter oraculorum tabernaculū & aram statuit, & eò aquam infudit ad lauādum, unde ipse & Aharon Aharonisq; filij & manus & pedes suos lauarent, D uel in tabernaculum oraculorum intraturi, uel ad aram accessuri, sicut ei Ioua præceperat. Atrio etiam tabernaculum & aram cinxit, eiusq; portam aulæo obtēdit. ¶ Postquam negocium Moses confecit, nubes tabernaculum oraculorum obduxit: & tātus Iouæ splendor tabernaculum repleuit, ut propter eum splendorem, & propter nubem, quæ tabernaculo insederat, Moses eò penetrare non posset. Ea nubes quandocunque sese à tabernaculo in altum subuehebat, Israelitę castra mouere semper solebant, quoties iter faciebant. Ea autem non ascendente, non mouebant: sed diem, quo die attolleretur, expectabāt. Nam Iouæ nubes tabernaculo interdiu incubabat, noctu ignis in oculis totius Israeliticæ stirpis, quandiu in itinere fuerunt.

Num. 7. a.

Num. 9. e. 3. Reg. 2. b.

LEVITICVS.

CAPVT I.



VOCAVIT autem Ioua Mosem, & cum eo ex oraculi tabernaculo uerba fecit ad hunc modum. Edissere apud Israelitas his uerbis: Si quis uestrûm Iouæ munus afferet (hoc autem cum ex pecore facietis, ex boue & balante facitote) si solidum sacrificium erit munus ex boue, marem integrum adducito, eum ad ostium oracularis tabernaculi sistito, ad Iouæ fauorem sibi cōciliandum: uictimæq; capiti manum suam imponito, ut ea supplicatione

Solidi sacrificij lex. Exo. 29. b.

tione

B tione fauor ei concilietur. Tum boue natus ante Iouam immolator, eiusque sanguinem Aharonis filij sacerdotes afferunto, & eum circumspergunto super aram positam ad ostium oracularis tabernaculi. Victima deglubitor, & frustulatim dissecator. Tum Aharonis pontificis filij ignem super ara statuunto, ligni struem in ignem excitanto: ex frustis caput & sebum super ligna igni imposita congerunto. Intestina autem & crura aqua lauentur, & omnia sacerdos in ara adoleto, cuius cremandæ uictimæ C odore Ioua deleniatur. ¶Sin ex balantibus erit munus, ex ouibus, aut capris, marem integrum ad solidum sacrificium afferto: isque ad latus altaris aquilonare ante Iouam immolator: sanguinem Aharonis filij sacerdotes super aram circumspergunto: uictima in frusta dissecator. Caput & sebum sacerdos super struem igni in altari impositam statuito. Intestina & crura aqua lauanto. Totum sacerdos libato, & in ara adoleto, cuius solidi sacrificij odor Iouam deleniat. ¶Sin ex auibus solidū sacrificium Ioue fa- D ciet, de turturibus, aut de columba natis afferto. Id sacerdos ad aram sistito, eiusque caput extorqueto, & in ara adoleto: Sanguis in costam altaris exprimitor: ingluuiē cum ipsis plumis eximito, & apud aram ad orientem in cinerarium abijcito. * Corpus alis diuellito, neque diuidito, & in ara adoleto superstrue rogali, ut eius solidi sacrificij odore Ioua deleniatur.

a ita cõuellat alas, ut tamen adhuc hęreāt corpori.

CAPVT II.

Fertum. a fertū uocat, quod sine sanguine fit: hoc est, ex rebus inanimatis.

Eccl.7.d

SI quis autem Iouæ * ferti munus offeret, ex simila libamen esto: eam oleo conspergito, & thus superimponito, atque ad filios Aharonis sacerdotes afferto. Sacerdos inde plenū pugillum similaginis & olei, cum toto thure comprehendito, & monimentum illud in ara adoleto, ut eius flagrantiæ odore Ioua delectetur. Reliquum ex ferto Aharoni & eius natis cedat, ex Ioue re diuina sacrosanctum. ¶Si ferti munus clibanarium facies, similagineę placentę sine fermento in oleo subactę, & crusta non B fermentata oleo illita sunto. ¶Sin patellariū, similagineum in oleo subactum, non fermentatum esto. Id in paruula frusta comminuito, & oleo inspergito. Hoc fertum erit. ¶Sin sartaginarium facies, ex simila in oleo fiat. Ex his factum fertum Iouæ afferto, & pontifici offerto, qui porrò pōtifex id ad aram obmoueat, & ex eo monimentum eximat, & in ara adoleat, cuius flagrantiæ odore Ioua deleniatur. Reliquię C ferti Aharoni & eius natis cedunto, ex Ioue re diuina sacrosanctę. ¶Omne fertum quod Ioue libabitis, sine fermēto fiat: nihil enim uobis fas est aut ex fermento, aut ex melle, Ioue in re diuina adolere. Primigeniorum libamen Iouæ libatote tātum: super ara quidem ad odoris suauitatem ne ponatur. ¶Omne tui ferti libamentū sale condito: tuum fertum sale fœderis Dei tui ne defraudato, quin in omni tuo libamine sa- D lem libes. ¶Si uerò de primitijs fertū Iouæ obmouebis, de primore fructu igne tosto, de polenta contusa fertum primitiarum tuarum obmoueto: oleum adhibeto: thus imponito: huiusmodi fertum esto: eius monimentum pontifex de illa polenta & oleo, unà cum toto thure comburito. Huiusmodi Iouæ res diuina erit.

CAPVT III.

Sacra pro salute.

SI autem pro salute sacra faciet, si bubus faciet, marem fœminam'ue integrum in conspectum Iouæ adducito, & sui muneris capiti manum imponito, idque in introitu oracularis tabernaculi immolator. Sanguinem Aharonis filij sacerdotes in aram circunfundunto. Ipse ex hostia salutari Iouæ in re diuina obmoueto omentum, & totos lactes, & ambos renes, unà cum eorum adipe, lumbis adhærente, fibramque iecoris, cum renibus exemptam. Hoc Aharonis filij in ara adolento, super uictimam rogali strui impositam, cuius flagrantiæ odore Ioua deleniatur. ¶Quòd si ouino caprino'ue munere Iouæ sacra pro salute faciet, marem fœminam'ue integrum afferto. Si ouem afferet, eam ante Iouam sistito: capiti eius manum imponito, eamque ante oraculare tabernaculum mactato. Sanguinē Aharonis filij in aram circumfundunto. Ipse ex hostia pro salute Iouæ libato adipem, caudam totam à spina penitus reuulsam, omentum, & totos lactes, ambos renes cum eorum adipe lumbis adhærente, fibramque iecoris cum renibus exemptam. Hoc pontifex in ara adoleto, Iouæ dapem rei diuinæ. ¶Si caprinum munus erit, id ante Iouam sistito: eius capiti manum imponito, idque ante oraculare tabernaculum mactato. Sanguinem filij Aharonis in aram circumfundunto. Ipse ex eo Iouæ libato omentum, & lactes totos, ambos renes, cum eorum adipe, qui est super lumbis, fibramque iecoris cum renibus exemptam. Hæc pontifex in ara adoleto, Iouæ dapem rei diuinę iucundi odoris, ut omnis adeps Ioue sit. Hoc institutum in posterum ubicunque habitabitis tenetote, ne ullo adipe, ne'ue ullo sanguine uescamini.

Exod.29.b B C D

CAPVT IIII.

Noxæ sacerdotis expiatio.

ET hæc Israelitis eloquere, inquit. Si quis quid per imprudentiam deliquerit, & aliquid illicitum contra quodlibet Iouæ præceptum fecerit, si pontifex unctus deliquerit in noxiam populi, afferto pro illo à se commisso delicto, taurum bouillum integrum Iouæ ad piaculum. Illum taurum ad ostium oracularis tabernaculi coram Ioua sistito: eius capiti manum imponito, & eum coram Ioua mactato. Sanguinem ipse pontifex unctus partim in oraculare tabernaculum inferto, & digito suo illo sanguine intincto, septies ante Iouam contra siparium sanctuarij spargito: B partim imbuito cornua aræ suffitus odorati coram Ioua, quę est in oraculari tabernaculo: reliquum omnem tauri sanguinem effundito ad radicem aræ uictimariæ, quæ est in introitu oracularis tabernaculi. Omnem autē piacularis tauri adipem ex eo detrahito: omentum & totos lactes, & ambos renes, cum eorum adipe lumbis adhærente, fibramque iecoris cum renibus demptam, C quemadmodum detrahitur in boue pro salute immolādo. Ea sacerdos in ara uictimaria adoleto.

leto. Corium autem tauri, & totū corpus, cum
capite & cruribus, & interaneis, atque fimo,
denique totum taurum extra castra efferto in
locum purum, quò eijcitur cinis, ibiq; eum su-
per strue super cinerario igni cremato. ¶Sin

Publicae noxae expiatio.

autem cuncta Israelitarum respublica impru-
dens insciensq; aliquid illicitum contra quod-
uis Iouae praeceptum fecerint, & noxam con-
traxerint, postquam commissum delictum in-
notuerit, tum ciuitas taurum bouillum pro de-
licto afferunto, & eum ante oraculare taberna
culum adducunto. Eius capiti ciuitatis senato-
D res manus suas coram Ioua imponunto. Eum
pontifex unctus coram Ioua mactato. Sangui-
nem partim in oraculare tabernaculum infer-
to, & digito suo illo sanguine intincto septies,
coram Ioua ante siparium irrorato: partim im-
buito cornua arae, Iouae appositae in oraculari
tabernaculo. Reliquum omnem effundito ad
radicem arae uictimarię, quę est in introitu ora-
cularis tabernaculi, & detractum ex eo om-
nem adipem in ara adoleto. Tauro facito item
uti faciet tauro piaculari, illisq; ueniam suppli-
cando exorato. Taurum extra castra efferto,
eumq; cremato item, uti cremauerit taurum
priorem. Et haec quidem ciuitatis erit expia-
E tio. ¶Si magistratus deliquerit, & aliquid illici-

Noxae magistratus expiatio.

tum contra quoduis Iouae Dei sui praeceptum
inscienter fecerit, ita uti in noxa sit, ubi ei deli-
ctum ab ipso commissum innotuerit, adduci-
to munus suum, caprum caprinum marem, in-
tegrum. Eius capiti manum imponito, eumq;
mactato in loco, in quo solent solidi sacrificij
uictimā coram Ioua, quòd sit piaculum. Tum
de sanguine piaculi pontifex digito sumito, &
arae uictimarię cornua imbuito: reliquum ad ra
dicem eiusdem arae effundito. Adipem om-
nem in ara adoleto, uti adipem sacrificij pro sa-
lute, & illi delicti ueniam exorato.

Noxae hominis priuati expiatio.

F Item si quis incola priuatus homo per im-
prudentiam deliquerit, aliquid illicitum con-
tra quoduis praeceptorum Iouae committen-
do, ita uti sese noxia obligauerit, cognito deli-
cto munus suum adducito, caprum foeminam
integrum, ad expiationem delicti à se commis-
si. Eius capiti manum imponito, eaq; macte-
tur eodem in loco ubi mactabitur solidi sacri-
ficij uictima. Sanguine pontifex digito suo arae
uictimariae cornua inficito, reliquum omne ad
arae radicem effundito. Adipem omnem adimi
G to, uti adimitur adeps ex hostia pro salute, & in
ara pontifex adoleto, uti eo odore Iouam dele-
niat, proq; illo supplicando ei ueniam exoret.
Quòd si ouem pro delicto afferet, foeminam
integram ducito, eius capiti manum imponi-
to, eaq; pro delicto immoletur in eodem loco,
in quo immolatur solidi sacrificij uictima. San-
guine illius piaculi pontifex digito suo cornua
arae uictimariae imbuito, reliquum omne ad ra-
dicem arae effundito. Adipem omnem detra-
hito, uti detrahitur adeps ouis in sacrificio pro
salute. Ea in ara adoleto ad Iouae rem diui-
nam, & pro illius commisso peccato supplicet,
ut ei ignoscatur.

CAPVT V.

Culpae expiatio.

SI quis deliquerit, ut si ad iusiurandum uo-
catus de re quapiam, cuius conscius sit, seu
uiderit ipse, seu aliunde didicerit, tamen non
indicauerit, ita uti culpam commiserit: aut si
quis ullam rem immundam tetigerit, ut cada-
uer animalis immundi, ut cadauer pecoris im-
mundi, ut cadauer serpentis immundi, & id in-
scienter, in quo inquinatus & in noxia sit: aut
denique si tetigerit quoduis hominis iniquina
mentum, quo inquinari possit, & id per insci-
tiam, quod cum resciuerit, in noxia sit: aut si
quis inconsideratis uerbis iurauerit, * siue ad
malum, siue ad bonum, ad quiduis in quo te-
merè iurant homines, & id per inscitiam, quod
ubi resciuerit, in noxa sit ob aliquod illorum: B
si noxam inquam commiserit in aliquo illo-
rum, tum se in eo deliquisse confessus, ducito
pro illace culpa ad Iouam piaculum, pro deli-
cto quod commiserit, ouem, aut caprum foemi
nam piacularem, & pontifex pro eius peccato
supplicet. Quòd si eius facultas non erit adi-
piscendo pecori, afferto pro commissa culpa
duos turtures, aut duos columba natos ad Io-
uam, unum ad piaculum, alterum ad solidum
sacrificium. Eos ad pontificem adducito, qui
eum qui erit piacularis priorē obmoueat, eiq;
caput secundum ceruicem intorqueat, neque
auellat, & de sanguine piaculari ad arae latus ir-
roret: reliquū sanguinis ad imam arā effundat.
Haec expiatio erit. Alterum autem, ut ritus est,
solidum faciat, & pro illius commisso delicto
supplicet, ut ei remittatur. Quòd si eius facul- C
tas non perueniet ad duos turtures, aut duos
columba natos, afferto libamen pro commisso
delicto, siliginis ephi decimā partem, in quam
neque oleo utatur, neque thus adhibeat, quo-
niam piaculum est. Eam ad pontificem affer-
to. Pontifex eius siliginis plenum suum pugil-
lum sumito in monimentum, & in ara re diui-
na Iouae adoleto (haec expiatio erit) & pro il-
lius commisso in aliquo illorum delicto suppli
cato, ut ei remittatur. libamen autem pontifici
pro ferto erit. ¶Si quis autem (inquit porrò Io-
ua Mosi) crimen subiuerit, Iouae sacris per im-
prudentiam defraudatis, adducito pro noxa
sua ad Iouam, arietem integrum de pecore no- D
xalem, qui aestimetur argenti siclis duobus, sa-
cri ponderis. Et quod de sacro detraxerit, red-
dito, & praeterea quintā partem addito, & pon
tifici dato. Pontifex pro eo supplicato ariete il-
lo noxali, ut ei remittatur. Deinde si quis deli-
querit, & aliquid illicitū contra quodlibet prę
ceptorum Iouae fecerit insciens, ut in noxa sit,
culpamq; subiuerit, ducito arietem integrum
de pecore habita aestimatione, pro noxa ad sa-
cerdotem, qui supplicet pro cōmissa ab eo im-
prudentia, ut ei remittatur. haec procuratio erit
commissae contra Iouam noxię.

a hoc est, quauis de re.

Qui consecrata defraudarit.

CAPVT VI.

Periurij expiatio.

ITem Mosem Ioua sic alloquutus est: Qui de
liquerit, & crimen in Iouam cōmiserit, com-
missumq; aut depositum alteri abnegauerit,
qui ue

qui'ue quid alteri eripuerit, aut fraudem fecerit, aut inuenerit amissum & abnegauerit, atque peierauerit in unoquouis eorum, in quibus committendis homines delinquunt, *Num. 5. 6* si deliquerit inquam, & noxam contraxerit, reddito ereptum, aut fraudatum, commissum, aut repertum: denique quicquid peierauerit, reddito summam addita parte quinta, eamq; rei domino reddito, quo die noxã procurabit: proq; sua noxa ducito ad Iouam, arietem integrum de grege, habita æstimatione pro mulcta ad pontificem, illicq; pōtifex apud Iouam ueniam exorato uniuscuiusuis rei, in qua mulctã commiserit.

B *Solidi sacrificij lex.*

¶Porrò Aharoni & eius natis hoc modo præcipito, inquit: Hæc solidi sacrificij lex esto: Victima in rogo super ara esto totam noctem ad mane, igne aræ in ea ardēte. Pontifex lineum indusium, lineaq; subligacula corpus indutus, cinerem redactum ex incensione uictimæ ex ara tollito, & apud aram ponito. Deinde depositis illis uestimentis, alia induito, & cinerem extra castra in locum purum exportato. Ignis aũt in ara inextinctus ardeto, struemq; in ea sacerdos omnibus matutinis incendito, et uictimam insuper ordinato, in eaq; adipes uictimarum pro salute adoleto, igni semper in ara inextincto ardente.

Ferti lex.

¶Ferti autem lex hæc esto. Qui de filijs Aharonis id coram Ioua ante aram libabit, sumito pugillum eius, uidelicet de siligine ferti, & oleo, & omne thus impositum ferto, eaq; in ara ad odoris suauitatem adoleto, monimentum ad Iouam. C Reliquum ex ea Aharon & eius filij comedunto, idq; cum panibus sine fermento, in loco sacro, uidelicet in atrio oracularis tabernaculi: ne'ue id cum fermento coquitor. Hanc ego portionem de mea re diuina illis assigno, quæ sit sacrosancta, siue delictum, siue noxa procuretur. Hac uescũtor omnes Aharone nati mares, quod quidem institutum posteris uestris circa Iouæ rem diuinam æternum tradatur, ut ea non nisi consecrati attingant.

Pontificis consecrandi libamē. ** eius qui ei ex filijs succedet.*

¶De libamine autem Aharonis, aut * eius filiorum, inquit, quod Iouæ libabunt quo die ungētur, sic accipe. Decima pars ephi similaginis perpetuum fertum esto, cuius dimidium manè, dimidium uespere libetur, ita ut in patella cum oleo paretur, & sic tostum fertum, & coctum atq; comminutum, Iouæ ad odoris suauitatem libetur. Hoc pōtifex in eius locum unctus de filijs eius facito, ita ut æterno ritu Iouæ totum adoleatur. Atque etiam omne sacerdotis fertum solidum esto, ne'ue comeditor.

D *Peccati expiandi lex.*

Hæc itē Aharoni & eius filijs exponito ad hunc modũ, inquit: Hæc piaculi lex esto: Quo in loco immolabitur solidi sacrificij uictima, inibi immolator piaculum ante Iouam, quod sit sacrosanctum. Pontifex qui expiabit, eo uescitor, & uescitor in loco sacro, in atrio oracularis tabernaculi. Quisquis piaculi corpus attinget, consecrator. Quòd si quod uestimentum eius sanguine aspersum fuerit, uestimentum illud lauator in loco sacro. Vas autem in quo coctum fuerit, si erit fictile, frangitor: si ęreum, detergetor, & aqua abluitor. Omnes mares de sacerdotibus eò uescuntor, ut quod sit sacrosanctum. At nullum piaculum, de cuius sanguine illatum fuerit in oraculare tabernaculum, ad supplicandum in sacrario, comeditor, sed igni cremator. *Heb. 13. b* *Suprà 4. d*

CAPVT VII.

Noxæ lex.

NOxæ autem hæc lex esto: Noxa sacrosancta est. Quo in loco immolatur solidi sacrificij uictima, inibi noxam immolanto. Eius sanguinem pontifex in aram circumfundito. Adipem omnem ex ea libato, caudam, omentum, renes ambos, & adipem qui eis supra lumbos adhæret, fibram'que iecoris cum renibus ademptam, & ea in ara adoleto. Hoc pro noxa Iouæ sacrificium fiet. Eo omnes mares de sacerdotibus uescuntor, & uescuntor in loco sacro, ut quod sacrosanctum sit. Delicti & noxæ legem unam habento. Pontifex qui eo supplicabit, id habeto. Et sanè pontifex qui alicuius solidum sacrificium faciet, pellem uictimæ quam immolabit, sibi habeto. B Omne fertum clibano coctum, omnéque sartaginarium aut patellarium pontifex, qui id libabit, sibi habeto. Omne autem fertum in oleo subactum, & aridum, omnes Aharonis filij pariter habento.

Lex sacrificij pro salute.

¶Hostiæ autem, quam quis Iouæ pro salute obmouebit, hæc lex esto: Si gratitudinis ergò obmouebit, libato pręter hostiam gratitudinis, placentas non fermentatas, in oleo subactas, & crustula sine fermento, oleo conspersa, tostam'que similam: placentas in oleo subactas, supra placentas panis fermentati libationem facito, præter hostiam gratitudinis pro eius salute. Ex eo unum libato, ex tota libatione, exceptum Iouę: id'que sacerdos, qui sanguinem uictimę pro salute fundet, sibi habeto. Carnem autem hostię gratitudinis pro salute, quo die libabitur, comedunto, ex ea nihil reliqui in diem posterum faciunto. Sin autem uotiuum aut uoluntarium sacrificium faciet, quo die hostiam immolabit comedunto, aut postridie reliquias comedunto. Quod autem de carne hostiæ in tertium diem superauerit, igni cremator. Quòd si comesum fuerit de carne hostię pro salute die tertio, qui id libauerit, non litabit, neque id ei ducetur, sed erit tetrũ: quicq; id gustauerit, pœnas dabit. C Carne quoque, quę quid immundum attigerit, ne uescuntor, igni cremator: illa carne non nisi mundi uescuntor. Si quis dum erit in impuritate, gustauerit carnem hostię Iouę pro salute factę, is de suorum numero tollitor. Si quis post contactum aliquid impurum, siue ea impuritas hominis, siue bestię immundę fuerit, aut quęcunque impurę rei fœditas est, gustauerit carnem hostię Iouę pro salute factę, is de suorum numero tollitor.

¶Hoc quoque Israelitis ad hunc modum exponito, inquit: Adipe bouis, aut ouis, aut caprę nullo uescimini. Adipem morticinij, aut raptitij ad rem quamlibet adhibere liceto, uesci ne liceto. Nam quisquis uescitur adipe pecoris quo Iouę sacra facta fuerint, is qui uescetur, de

numero suorum tollitor. Sanguine nullo usquam uescimini, neu uolucris, neu pecoris. Quisquis ullum sanguinẽ gustauerit, is de numero suorum tollitor. ¶Hæc quoque ad hunc (inquit) modum Israelitis dicito: Qui hostiam pro salute sua Iouæ obmouebit, de ea pro salute hostia libamen suum Iouæ dato, & dato
D suis manibus, Iouæ rem diuinam: uidelicet adipem cum pectore, pectus ut Iouæ porriciatur: adipem pontifex in ara adoleto, pectus Aharon & eius filij habento. Armum dextrũ pontifici de hostijs pro uestra salute exceptum datote, quem armum dextrum is de filijs Aharonis, qui sanguinem hostiæ & adipem libabit, habeat sibi in portionem. Nam pectus porrectitium, & armum exceptitium ego sumo ab Israelitis de eorum pro salute hostijs, quę Aharoni pontifici & eius filijs æterno instituto ab Israelitis asignem. Atque hæc quidem est unctio Aharonis, & eius filiorum ab Iouæ re diuina, quo die stati sunt ad gerendum sacerdotium Iouæ, quæ Ioua eis in quem diem ungerentur, ab Israelitis asignauit instituto perpetuo, & ad posteros quoque peruenturo. ¶Hæc lex est solidi sacrificij, ferti, expiationis, noxæ, initiationis, & sacrificij pro salute, quam tradidit Ioua Mosi in monte Sina, tum cum in solitudine Sina Israelitis præcepta dedit de eorum muneribus Iouæ obmouendis.

CAPVT VIII.

Sacerdotes consecrantur.

DEinde Mosi præcepit Ioua, uti adhibito Aharone, unà cum eius filijs, uestibusq́ & oleo unctorio, & piaculari tauro, duobusq́ arietibus, & canistro panum sine fermẽto, omnem multitudinem ante oraculare tabernaculum couocaret. Id quod fecit Moses, sicut à Ioua iussus est: conuocataq́ concione pro oraculari tabernaculo, eis quid Ioua fieri pręcepisset, exposuit. Deinde Aharonẽ & eius filios produxit, eosq́ aqua abluit: tum illi tunicã accommodauit, eumq́ cinctu succinxit, prætexta uestiuit, ephodum imposuit, eumq́ ephodi textura illa subtili cinxit, & eo amiciuit. Tum moni-
B le adiecit, & in monili posuit, CLARITAS ET INTEGRITAS. Eius capiti infulam imposuit, & in infula secundũ frontem auream sacri coronamenti laminam, sicut iussus à Ioua fuerat. ¶Deinde sumpto oleo unctorio tabernaculũ, & omnia quę in eo cõtinebantur inunxit, atque consecrauit. Tum de eo in aram septies effudit, aramq́ cum omni sua supellectile, & labrum cum suo scapo ad ea consecran-
Eccl.45.c da unxit. Deinde oleo unctionis caput Aharonis perfudit, eumq́ ungendo consecrauit. Postea filios Aharonis produxit, tunicis ornauit, cinctibus succinxit, galeris obnupsit, quo modo à Ioua fuerat ei mandatũ. ¶Deinde taurum piacularem admouit. eum, cum eius capiti Aharon, & eius filij manus imposuissent, immolauit, sanguinem sumpsit, & eo cornua aræ undique suo digito intinxit, atque eam expiauit: reliquum sanguinem ad aræ radicem effudit, eamq́ lustrauit, ut in ea supplicari posset. Deinde sumpsit totos lactes, fibramq́ iecoris, & renes ambos cum eorum adipe, eaq́ in ara adoleuit. Taurum autem, eiusq́ pellem, & carnem, & stercus igni cremauit extra castra, sicut ei Ioua præceperat. Item produxit arietem ad solidum sacrificium, eumq́, ubi eius capiti manus suas imposuerunt Aharon & eius filij, mactauit: sanguinem in aram circumfudit, arietem frustatim lacerauit. caput, frusta, seuum adoleuit, intestina & crura aqua abluit, totũq́ arietem in ara adoleuit. Hoc est solidum suauis odoris sacrificiũ: hæc est Iouæ res diuina, qualem fieri Ioua Mosi præcepit. ¶Deinde arietem alterum, uidelicet initiatorium, produxit, cuius capiti ubi Aharon & eius filij manus suas
imposuerunt, eũ Moses immolauit, sumpsitq́ D
de eius sanguine, & eo infimam auriculam Aharonis dextram, pollicemq́ tum manus tum pedis dextrum intinxit. Tum Aharonis filios produxit, & eorum item auriculas infimas de-
xtras, pollices' que & manuum & pedum de- E
xtros sanguine intinxit: reliquum sanguinẽ in aram circumfudit. Deinde sumpsit adipem, & caudam, totosq́ lactes, & fibram iecoris, & renes ambos cum suo pingui, & armũ dextrum: tum de canistro panum sine fermento Iouæ appositorum sumpsit placentam sine fermento unam, placentam panis oleo confecti unam, crustum unum, eaq́ adipibus & armo dextro imposuit, omniaq́ palmis Aharonis & eius fi-
liorum imposuit, & coram Ioua porrexit. De- F
inde ex illorum manibus desumpta in ara adoleuit super solidi sacrificij uictima. Hæc est initiatio ad odoris suauitatem: hęc est Iouę res diuina. Postea sumpsit Moses pectus, idq́ ante Iouam porrexit, quam partem Moses ipse ex ariete initiatorio habuit, sicut ei pręceperat Ioua. ¶Deinde sumpsit Moses de oleo unctorio, & de sanguine qui erat super ara, eoq́ Aharonem cum suis uestimentis, unà cum eius filijs, eorumq́ uestimentis conspersit, & cum suis utrosque uestimentis consecrauit. Tum eis ad hunc modum præcepit: Coquite carnem ad portam oracularis tabernaculi, & inibi eam comedite, panemq́ qui est in canistro initiatorio, quemadmodum pręceptum mihi est, ut eo A-
haron & eius filij uescantur. Reliquias autem *Exod.29.f*
carnis atque panis igni crematote. Ne'ue ex
introitu oracularis tabernaculi disceditote per G
septem dies, donec peractum sit uestræ initiationis spacium. nam uobis septem diebus manus initiabuntur: quod ut hodie fit, iussit Ioua fieri, ad supplicandum pro uobis. Manete autem in introitu tabernacularis oraculi interdiu noctuq́ per septem dies, & Iouæ mandata conseruate, ne morte plectamini. nam mihi ita præceptum est. Fecit igitur Aharon & eius filij ea omnia quæ præceperat Ioua per Mosem.

CAPVT IX.

VBi dies octaua uenit, conuocauit Moses Aharonem, & eius filios, & senatores Israelitas, Aharoniq́ mãdauit uti uitulum boue
natum ad expiationem, & arietem ad solidum *Exod.29.*
sacrificiũ, sumeret integros, quos ante Iouam sisteret,

sisteret, utꝗ Israelitis mandaret, uti sumerent
caprum ad expiationem, uitulumꝗ & ouem,
anniculos, integros, ad solidum sacrificium. bo
uemꝗ item & arietem ad sacrificium pro salu-
te: quibus coram Ioua sacrificarent, fertumꝗ
in oleo subactum. eo enim die Iouam eis esse
B apparituru. ¶Tum illi sumpserunt quæ iusse-
rat Moses, in conspectu oracularis tabernacu-
li, accessitꝗ cœtus uniuersus, & ante Iouã con-
stitit. Tum Moses, quid eis faciendũ Ioua præ-
cepisset, exposuit. nam Iouę splendorem eis es-
se apparituru. Deinde Aharoni iussit, ut ad
aram accederet, suumꝗ piaculum & solidũ sa-
crificium faceret, & pro se, proꝗ populo sup-
plicaret, populiꝗ libationẽ procuraret, & pro
eo supplicaret, quemadmodum præceperat Io-
ua. Tum Aharon ad aram accessit, uitulumꝗ *Aharon sacrificat.*
sui piacularẽ immolauit, & sanguine sibi à suis
filijs subministrato digitum suũ intinxit, & eo
aræ cornua imbuit: reliquum ad arę radicem ef
fudit. Adipem, renesꝗ, & fibram iecoris ex pia
culo in ara adoleuit, sicut Mosi Ioua præcepe-
rat. Carnem & pellem igni cremauit extra ca-
C stra. Tum uictimam ad solidum sacrificiũ im-
molauit, sanguinemꝗ suppeditatum à filijs in
aram circumfudit, & uictimam sibi ab ijsdem
cum frustis & capite traditam adoleuit in ara.
Tum intestina & crura lauit, & ea super uicti-
ma in ara adoleuit. Deinde populi munus pro-
tulit, caprumꝗ populi piacularẽ cæpit, & im-
molauit: populumꝗ expiauit uti prius, & pro-
ductam uictimã fecit, uti ritus ferebat. Dein-
de fertum libauit, & ex eo plenum uolæ suę in
ara adoleuit, præter solidum sacrificium matuti
num. Tum immolauit bouem, & arietem sacri
ficij pro salute populi, sanguinemꝗ sibi à filijs
suggestum in aram circumfudit. Adipem bo-
D uis & arietis, caudam, & omentum, atꝗ renes,
& fibram iecoris, adipes inquam pectoribus
ab illis impositos adoleuit in ara: pectora au-
tem & armũ dextrum Iouæ porrexit, sicut præ-
ceperat Moses: sublataꝗ in populum manu ei
bene precatus est, atque ita demum ab expia-
tionis & solidi sacrificij & pro salute operatio-
ne descendit. Tum ingressi sunt Moses & Aha
ron in oraculare tabernaculum, egressiꝗ popu
lo bene precati sunt: apparuitꝗ Iouæ splendor
uniuerso populo. & profectus à Iouæ conspe- *1.Mach. 2.c*
ctu ignis, uictimam in ara, & adipes peredit:
quo uiso uniuersus populus in faciem cum læ-
to clamore procidit.

CAPVT X.

TVm Aharonis filij, Nadabus & Abius, cę- *Nadabus & Abius exanimantur.*
perunt suum uterque thuribulum, ignéꝗ
& suffimine imposito libauerunt coram Ioua
ignem alienum, illius iniussu. Itaque profectus *Num.3.g 26.d*
à Iouæ conspectu ignis, eos confecit, & in Iouę
cõspectu exanimauit. Et Moses Aharoni: Hoc *1.Para. 24.a*
illud est quod prædixerat Ioua, inquit, cum di-
ceret sese in ijs, [a] qui ad se accederent, effectu *a qui sibi libarent.*
rum in totius populi conspectu, ut augustus &
gloriosus esse uideatur. Aharon uero obmu-
tuit. Tum Moses euocauit Misaelem & Elisa-
phanem, Ozielis patrui Aharonis filios, eisꝗ
mandauit ut accederent, & cognatos suos ex
conspectu sanctuarij extra castra auferrent: id
quod illi ex eius mandato fecerunt, eosꝗ cum
tunicis sublatos ex castris exportarunt. ¶De B
inde Moses Aharonem, eiusꝗ filios, Eleaza-
rum & Ithamarum, ita commonuit: Capita ue-
stra [b] ne tondete, ne ue uestibus este dissolutis, *b id lugentes faciebant.*
ne & ipsi morte pœnas detis, & in uniuersam
rempublicam sæuiatur: sed uniuersum consan-
guineorum uestrorum Israelitarum genus de-
ploret à Ioua ustulatos. At uos ab introitu ora-
cularis tabernaculi ne abscesseritis, ne morte
plectamini, qui quidem Iouę olei unctione de-
libuti sitis. Hæc illi ad præscriptum Mosis fece
runt. Et Ioua Aharoni præcepit, ne uinum, aut
[c] temetum, biberet ipse, neue eius filij, in ora- *c quod uis uini genus, quod ex alio quàm uuis fiat.*
culare tabernaculum ingressuri, ne morte mul-
ctarentur, utꝗ id æternum institutum poste-
ris eorum traderetur: tum ad sacrum à profano
pollutumꝗ à mũdo discernendum: tum ad in-
struendos Israelitas omnibus institutis, quę eis C
Ioua per Mosem eloquutus est. ¶Tum Moses
ad Aharonem & Eleazarum, Ithamarumꝗ, re-
liquos eius filios, inquit: Sumite, quod ferti ex
Iouæ re diuina reliquum est, idꝗ sine fermen-
to comedite apud aram: nam sacrosanctum
est. Ideoꝗ uobis in loco sacro comedendum.
Hoc enim tibi, tuisꝗ filijs de Iouæ re diuina
decretum est: etenim ita mihi præceptum est.
Pectus autem porrectitium, armumꝗ excepti
tium comeditote in loco mundo, tu & tui filij,
atque filiæ unà tecum: nam ea tibi tuisꝗ libe-
ris decreta & assignata sunt de sacrificijs Israe-
litarum pro salute. Armum receptitium, pe-
ctusꝗ porrectitium super adipum incensio-
nem afferent, ad porriciendum ante Iouam,
quod tibi tuisꝗ filijs institutum sempiternum
sit, quemadmodum præcepit Ioua. Deinde ca- *1.Mach.2.c*
prum piacularem requirebat Moses, & ecce D
deflagrauerat: quare Eleazaro & Ithamaro re-
liquis Aharonis filijs succensens, inquit: Cur
non comedistis piaculum in loco sacro, cũ sit
sacrosanctum, uobisꝗ assignatũ ad ferendum
culpam reipublicæ, proꝗ ipsa republica in Io-
uæ conspectu supplicandum? En non est eius
sanguis illatus in interius sanctuarium, cum il-
lud debeatis in sanctuario comedere, sicuti
præceptum mihi est. Cui Aharon: En, inquit,
hodie suum piaculum, & solidum sacrificium
Iouę obmouerunt, & tamen hæc mihi accide-
runt: quid si piaculũ hodie comedissem, an hoc
Iouæ placuisset? Hæc respõsio Mosi satisfecit.

CAPVT XI.

DEinde Ioua ad Mosem & Aharonem ita *Quibus animalibus uesci liceat.*
uerba fecit: Alloquimini Israelitas ad hũc
modũ. Hæc sunt animalia quibus uobis uesci
fas erit. De omni quadrupedum genere, quæ
quidem uersantur in terris, quęcunque diuisas *Deut.14.a*
ungulas habent, & bisulca sunt, si ruminant, eis
uescemini. Sed sunt quędam quę uel ruminãt,
uel bisulca sunt, quibus uesci nefas: ut camelus,
nam cum ruminet, bisulcus non est: hic uobis
immundus esto. Et cuniculus, nam ruminalis
cũ sit, bisulcus nõ est, hic uobis immũdus esto.
Et lepus

Et lepus: ruminat enim, sed bisulcus nō est: hic uobis immundus esto. Et sus: nam cum & ungulam diuisam habeat, & sit bisulcus, nō ruminat: hic uobis immundus esto. Horum carne ne uescimini, ne'ue cadauera attingitote, sed immunda habetote. ¶Item de omnibus aquatilibus hæc sunt quibus uescemini. Quæcunque aquatilium pinnas habēt, & squamas, siue [a] in aqua stagnante degentia, siue fluuialia sint, eis uesci uobis licebit. Quæ autem uel in aqua stagnante degentia, uel fluuialia sunt, quæ modò in aquis natent, & omnino animantia in aquis uersantia, quæ pinnas non habent & squamas, ea pro immundis habetote: & ita pro immundis habetote, ut non solum carne eorum non uescamini, sed etiam à cadaueribus abhorreatis. Omnia inquam non pinnata & squamosa aquatilia, abhorretote. ¶De uolucribus item hæc abhorretote, & in abominandis habentes ne gustatote: Aquilam, anatariam, haliæetum, miluum, & uulturum genera, omniaque coruorum genera, struthionem, harpam, larum, & accipitrum genera, cuculum, mergulum, bubonem, noctuam, ibim, pelicanum, ciconiam, ardeolarum genera, picum, & uespertilionem. Omnia mouētia uolucria quadrupeda abhorretote. ¶Tantum de toto mouentiū alatorum quadrupedum genere eis uescimini, quę supra pedes crura nō habēt ad saliendum humi, quæ quidem sunt hęc: locustarū, attelaborū, ophiomachorum, & cicadarū genera. At omnia humi serpentia uolucria, quadrupeda, abhorretote, & ab his polluemini. Quisquis eorum cadauera attigerit, pollutus esto ad uesperum. Quisquis item cadauera eorum tulerit, uestimenta perluito, & ad uesperū pollutus esto. Ac quæcunque bestiæ pedes habent multifidos, neque bisulcæ sunt, neque ruminant, uobis immundę sunto: eas qui attigerit, immundus erit. Omnia palmipeda ex omnibus quadrupedibus animalibus, immunda habetote: eorum cadauera quisquis attigerit, pollutus esto ad uesperum: & qui cadauera tulerit, uestimēta lauato, & ad uesperum immundus esto, hæc uobis immunda sunto. ¶Atque hæc de eis quæ humi gradiuntur, immunda habetote: mustelā, murem, testaceorum genera, fibrum, chamæleontem, stellionem, lacertam, & bufonē. Hæc ex omni gradientium genere immunda habetote: hæc quisquis mortua attigerit, immundus esto ad uesperum: ex his mortuis in quamcunque rem aliquid illapsum fuerit, ea res immunda esto: quodcunque utensile ligneum fuerit, aut uestis, aut pellis, aut saccus, quodcunque fuerit idoneum ad aliquod opus, id in aquā immittitor, & ad uesperum immundum esto, atque ita mundum fiat. Ac in quodcunque fictile uas aliquid de ijs intrò inciderit, quicquid in illo uase erit, immūdū esto: ipsum aūt uas frangūto. ¶Quicquid esculentū esui est, quod huiusmodi aqua pertigerit, immundum esto: & quicunque liquor potui est, quocunque in uase fuerit, immundus esto: & quamcunque in rem inciderit aliquid de eorum cadaueribus, immunda esto: clibani & solia diruuntor: nam immunda sunt, & uobis in immundis habenda (nam fontes quidē, & putei, quę sunt aquę affluentię, munda sunt) Qui illorū cadauera attigerit, immundus esto. Et si de eorum cadaueribus deciderit aliquid in quamlibet satiuam frugem, earum quæ seri solent, ea mūda esto. Sed si in frugem aqua conspersam aliquid de illorum cadaueribus deciderit, immunda esto. Quòd si aliqua bestia earum quæ uobis esui sunt, emortua fuerit, qui eius cadauer attigerit, pollutus esto ad uesperum: & qui de cadauere comederit, uestimenta lauato, & ad uesperum pollutus esto: & qui cadauer tulerit, uestimenta lauato, & ad uesperum pollutus esto. ¶Quicquid humi repit, abhorrendum esto, uesci ne liceto. Quicquid in uentrem ambulat, quicquid quadrupes aut multipes humi repit, eo ne uescimini: spurcum est. Vos ipsos ullo reptilium ne spurcatote, aut polluitote, sed uos illis pollui existimatote. Debetis enim, quemadmodū ego Ioua Deus uester sanctus sum, uos quoque sanctitati studere, sanctique esse, neque ullo humi serpētium reptilium coinquinari. Debetis inquam, sicut ego Ioua, qui uos ex Aegypto, ut uobis Deus essem, eduxi, sanctus sum, uos etiam sancti esse. Et hæc quidem lex est, pecorum, uolucrum, & omniū in aquis natantium animalium, omniumque humi repentium, ad discernendum purum ab impuro: animaliaque quibus uesci licet, ab eis quibus uesci nefas.

1.Mach. 6.d.

a ut sunt marina, lacustria, & stagnorū.

C

D

E

F

G

1.Pet.1.e

CAPVT XII.

HAec itē Mosi Ioua effatus est: Hæc Israelitis exponito. Mulier quę cōcepto semine marem pepererit, polluta esto septē dies, uidelicet pro ratione spacij quo in menstruis esse solent. Octauo die circuncidatur fœtus membri preputiū. Ipsa trigintatres dies in cruore [a] purificationis suæ esto, neu quid sacrū tangito, neu in sacrarium intrato, nisi cōfecto eius purificationis spacio. Sin autem fœminam ediderit, bis septē dies polluta esto: hoc est, bis tādiu, quandiu durant mēstrua, ac sex & sexaginta dies in cruore suæ purificationis esto. ¶Cōfecto purificationis spacio, tam ob filium, quàm ob filiam, adducito agnum anniculum ad solidum sacrificium, columbaque natū, aut turturem ad expiationem, ad ostium oracularis tabernaculi ad sacerdotem, qui id Iouę obmoueat, proque ea supplicet, & eam à sui cruoris fluxione purificet. Hæc lex est puerperę tum ob marem, tum ob fœminā. Quòd si eius facultas minor erit quàm ut agnum poſsit consequi, adhibeto duos turtures, aut duos columba natos, unum ad solidum sacrificium, alterum ad expiandum: proque ea sacerdos supplicato, atque ita pura esto.

Luc.2.d Ioan.7.c Puerperæ lex.

B

Luc.2.e

a in quo manebit dum purgatur.

C

D

Luc.2.d

CAPVT XIII.

TVm hęc Mosi & Aharoni effatus est Ioua ad hunc modum: Homo cuius in corporis cute erit tumor, aut papula, aut labes, ita ut in eius corporis cute lepræ morbus inesse uideatur, is ad Aharonem pontificem adducitor, aut ad aliquem eius filiorum sacerdotū. Tum sacerdos affectionem illā in corporis cute aspicito.

Lepræ hominis lex.

cito. Quòd si pili in affectu mutati fuerint in album, & affectus facies cute corporis depressior, lepræ morbus est, eo uiso sacerdos pollutum iudicato. Sin labes alba erit in cute corporis, non depressiore superficie quàm cutis est, neque ulla in albũ facta mutatione, morbidum sacerdos concludito in septem dies. Septimo die eum aspicito: quòd si eadem morbi species manserit, neque per cutem creuerit, eum in septem alteros dies concludito. Septimo die iterum aspicito: quòd si obscurior affectus erit, B neque per cutem increuerit, purum pronũciato: scabies est, lotis uestimentis purus esto. Sin autem per cutem scabies excreuerit, postquam ille sacerdoti ostensus ad purgãdum fuerit, iterum sacerdoti ostenditor: quòd si sacerdos uiderit scabiem creuisse per cutem, immundum pronunciato, lepra est. ¶ Lepræ affectus si quo in homine erit, is ad sacerdotem adducitor: qui si animaduerterit tumorem album in cute, factamq; pilorum in album mutationem, carnemq; uiuam inesse in tumore, lepra est in corporis cute inueterata: impurum iudicato, neq; concludito: impurus est. Sin autem lepra effloruerit in cute, & totam morbidi cutem à capite ad pedes occupauerit, per quicquid erit sacerdotis oculis subiectum, ubi animaduerterit sacerdos totũ corpus lepra esse occupatum, tum morbidum purum iudicato, totus in album mutatus est, purus est. Sed cum in eo apparebit ca- C ro uiua, impurus erit: uisaq; sacerdos carne uiua, impurum pronunciato: caro uiua impura est, lepra est. Aut si redierit caro uiua, & in album mutata fuerit, ad sacerdotem adito: sacerdos eum aspicito: qui si animaduerterit affectum in album emutasse, morbidum purũ pronunciato: purus est. ¶ Si quo in corpore fuerit ulcus in cute, & eo sanato, in eius loco tumor albus extiterit, aut albo rubicans macula, sacerdoti ostenditor: qui si animaduerterit eius superficiem infra cutem subsedisse, pilosq; in album mutatos, pollutum pronunciato, lepræ morbus est, in ulcere efflorescens. Sin animaduerterit pilos non esse in album mutatos, neque affectum infra cutem subsedisse, sed obscurum esse, eum in septem dies cõcludito. Quòd si per cutem serpserit, pollutum iudicato: morbus est. Sin eadem permanserit macula, neque creuerit, cicatrix ulceris est: mundum iudicato.

Si cuius corporis cutis ambusta fuerit igni, & adustionis uiua caro maculam albo rubicantem, aut albam habebit, si animaduerterit sacer- D dos in macula pilos in album mutatos, eiusq; superficiem cute esse depressiorem, lepra est in ambusto efflorescens, pollutum iudicato: lepræ morbus est. Sin uiderit in macula pilos non albere, nec eam infra cutem subsedisse, sed obscuram esse, eum in septem dies concludito. Quòd si septimo die animaduerterit per cutem creuisse, pollutum iudicato: lepræ morbus est. Sin macula eadem manserit, neque per cutem creuerit, sed obscurior facta fuerit, adustionis tumor est, mundum iudicato: nam ambusti cicatrix est. ¶ Si cuius in uiri aut fœminæ capite mento ue affectus erit, si animaduerterit sacerdos eius affectus superficiem infra cutem esse, pilosq; flauos & exiles habere, pollutum iudicato, porrigo est: lepra capitis, aut menti est. Quòd si uiderit sacerdos illum porriginis affectum non esse depressiore superficie, quàm cutis est, neque tamen pilos inesse nigros, porriginosum in dies septem concludito. Septimo die si uiderit porriginem non creuisse, neque flauos inesse pilos, neque porriginis superficiem esse depressiorem cute, tondeatur, intonsa tamen porrigine, eumq; sacerdos iterum in septem dies concludito. Die septimo si compererit porriginem per cutem non excre- E uisse, neque esse cute profundiorem, purum iudicato: ille uestimenta lauato, purusq; esto. Quòd si per cutẽ excreuerit porrigo post eum purificatum, idq; animaduerterit sacerdos, iam de flauo pilo nihil inquirito: pollutus est. Sin autem manente eadem porriginis specie, pili nigri innati fuerint, sanata porrigo est, purus est, purumq; sacerdos iudicato. ¶ Si quis uir aut fœmina frequẽtes in corporis cute maculas albentes habebit, si animaduerterit sacerdos obscuras in cute albentes maculas, uitiligo est in cute efflorescens, purus est. ¶ Si cuius uiri caput glabrum factũ fuerit, caluus est, purus est. Sin sinciput glabruerit, recaluus, & purus est. Quòd si caluo aut recaluo inerit affectus in al- F bum rubescens, lepra est, ea parte efflorescens, qua caluus aut recaluaster est. quòd si animaduerterit sacerdos morbi tumorem albo rubescentem, qua parte caluus est, aut recaluus, qualis est lepræ in corporis cute species, leprosus homo est, & pollutus: eum sacerdos pollutum pronunciato, in capite morbum habentẽ. ¶ Leprosus autẽ, & eo morbo affectus, uestimentis dissolutis esto, capite tõso, ore uelato, & a pollutum etiã atq; etiam clamato. Quandiu in eo morbo erit, pollutus esto, solitarius habitato, extra castra sedẽ habens.

Leprosi lex. a ut moneat obuios, ut se pollutum caueant.

De uestis lepra.

¶ Vestis in qua inerit lepræ morbus, seu lanea, seu linea sit, siue in exteriore parte, siue in interiore, tum lineæ, tum laneæ, siue in pelle, siue in quouis utensili pelliceo, si in ea ueste, aut pelle, uel exteriore, uel interiore in parte, aut utensili pelliceo, inerit morbus uiridis aut ruffus, lepræ morbus est, sacerdoti ostenditor. Sacerdos uiso morbo, morbidum concludito in septem dies. Die septimo si animaduerterit morbum creuisse in ueste, in G exteriore, aut interiore facie, aut in pelle, quacunque in re pellis ad opus adhibetur, corrodens lepræ morbus est, pollutum est, igni cremator id quodcunque est: nam rodens lepra est. Quòd si uiderit morbum non creuisse, iubebit id lauari in quo morbus inerit, atque id in septem dies iterum concludet. Quòd si post lotionem uiderit non esse mutatum morbi colorem, neque creuisse morbum: pollutum est, igni cremator, iam penitus insedit in interiore aut exteriore glabreto. Sin autem uiderit sacerdos obscuratam esse affectionem post lotionem, eradet eam ex ueste. Quòd si sic quoq; efflorescere in ueste cõspiciatur, id igni cremato,

in quo

in quo affectus inerit. Quod autem ex lotione morbum amiserit, iterum lauator, & mundum esto. Et hæc quidem lex est morbi lepræ uestis laneæ, aut lineæ, aut exterioris, aut interioris partis, aut cuiuscunque utensilis pellicei, ut uel purum uel pollutum iudicetur.

CAPVT XIIII.

Leprosi purificatio.

Matt.8.a. Marc.1.d. Lucæ 5.c.

DEinde hæc Mosi Ioua locutus est: Hæc erit leprosi lex, cum erit purificandus. Is ad sacerdotem adducitor: sacerdos extra castra exito, ac si animaduerterit leprosum morbo lepræ esse sanatũ, iubeto sumi pro eo purificando duas auiculas uiuas, mundas, lignumq; cedrinum, & coccum iteratum, atque hyssopum: iubetoq; alteram auiculam mactari in uas fictile super aquam uiuam. Auiculam autem uiuam sumito, lignumq; cedrinum, & coccum iteratum, atque hyssopum, eaq; & auiculam uiuam immergito in sanguinem auiculæ mactatæ in aqua uiua, & purificandum à lepra septies conspergito atque purificato: at uiuam auiculam liberam sub dio dimittito. Purificandus autẽ uestimenta sua lauato, omnesq; pilos suos radito, & aqua lauator & purificator: atque ita demũ in castra ingressus, extra suum tabernaculum septem dies maneto. Die septimo omnes pilos suos radito: caput, mentum, supercilia, omnes denique pilos radito: uestimenta lauato, corpus aqua abluito, atque purificator. Octauo

B

die sumito duos agnos integros, & agnam unã anniculam, integram, & tres decimas similaginis ferti oleo permixtæ, & olei sextarium. Sacerdos autem purificans statuito hominem purificandum, & has res ante Iouam ad portam oracularis tabernaculi. Deinde agnum unum sumito, eumq; libato pro noxa, oleiq; sextarium, & ea Iouæ porricito, & agnum immolato, quo loco immolatur piaculum, & solidi sacrificij uictima, in loco sacro: nam ut piaculum, sic noxa sacerdotis est, & est sacrosancta. Deinde sumito sacerdos de sanguine noxæ, & eo auriculam infimã dextram, pollicemq; dextrũ tum manus tum pedis purificandi notato: tum

C

de sextario olei in suam uolam sinistram infundito, suumq; dextrum digitum eo oleo suæ sinistræ uolæ intingito, & oleum suo digito septies corã Ioua spargito. Ex reliquo autẽ oleo suę uolæ, intingito purificandi auriculam infimam dextram, pollicemq; tum manus tum pedis dextrum super sanguine noxæ. Reliquum oleum uolæ suę imponito capiti purificandi, & pro eo coram Ioua supplicato: tum piaculũ facito, & pro purificando à sua impuritate supplicato, atque ita demum uictimam immolato, solidumq; sacrificium facito, & fertum ad aram obmoueto, & pro eo supplicato, atq; ita ille purificator. ¶Quòd si hoc tenuis hominis conditio nõ feret, adhibeto agnum unum noxalem ad porriciendum, quo pro eo supplicetur, & unam decimam similæ in oleo subactæ ad fertum, & olei sextariũ, duosq; turtures, aut duos columba natos pro sua facultate: quorum unus piacularis, alter solido sacrificio fiat. Hæc die

D

octauo ad sui purificationem sacerdoti afferto ad portam tabernaculi oracularis ante Iouam. Sacerdos agnum noxalem, & olei sextariũ sumito, eaq; Iouæ porricito. Agnum autem noxalem immolato, ac de sanguine noxali sacerdos sumito, & eo purificandi auriculã infimam dextrã, pollicemq; tum manus tum pedis dextrum intingito. De oleo autem in uolã suam sinistram infundito, suumq; dextrum digitum eo oleo suæ sinistræ uolæ intingito, & oleũ suo digito septies coram Ioua spargito. Reliquo oleo suæ uolæ, intingito purificandi auriculam infimam dextram, pollicemq; tum manus tum pedis dextrum, super locum sanguinis noxæ. Reliquum porrò oleum uolę suæ indito in caput purificãdi, & pro eo coram Ioua supplicato. Tum sacerdos unũ de turturibus, aut de columba natis facito, prout feret eius facultas, utrumcunque consequi potuerit, unum piacularem, alterum ad solidum sacrificiũ, unà cum ferto, ac pro illo purificando apud Iouam supplicato. Hæc lex est morbo lepræ affecti, cuius

E

facultas ad iustam purificationem non pertinget. ¶Deinde ad Mosem & Aaharonẽ Ioua inquit: Cum perueneritis in terrã Chananæam, cuius ego uobis possessionẽ daturus sum, atq; ego domum aliquam uestri patrimonij lepræ morbo affecero, is cuia domus erit, ito indicatum sacerdoti, quiddam in domo sua lepræ simile conspici. Tum sacerdos iubeto domum expediri, antequã intret ipse ad inspiciendum morbum, ne omnia quę erũt in illa domo, polluãtur: atque ita demum ad inspectionem domus intrato. Qui si morbum in domus parietibus animaduertit, scrobes uirides aut ruffos intra parietis superficiem depressos, exito ad portam domus, domumq; in septẽ dies claudito. die septimo redito, ac si conspexerit morbũ in

Lepra domus.

F

parietibus domus creuisse, iubeto lapides morbo infectos erui, & extra oppidum in locũ impurum abijci. Domum autem intus circumradunto, ramentumq; erasum foras extra oppidum in locum immundum abijciunto, ac lapides alios in illorum locum substituunto, alioq; intrito domum trullissanto. Quòd si post erutos lapides, erasamq; & trullissatam domum, redierit morbus, atque in domo effloruerit, ito sacerdos, & inspicito: qui si uiderit morbum in domo creuisse, pertinax domus lepra est, polluta est, domum cum suis lapidibus & lignis & omni puluere diruunto, & extra oppidum in locum immundũ exportanto. Qui in domum intrauerit, quamdiu clausa fuerit, pollutus esto ad uesperum. Qui in domo illa cubuerit, uestimenta lauato: qui ue ibi cibum cæperit, uestimenta lauato. ¶Sin autẽ eam uisens sacerdos,

G

deprehenderit nõ creuisse morbum domus illius, post eam trullissatam, mundam iudicato: nam sanatus est morbus. Tum sumito ad eã expiandam duas auiculas, lignumq; cedrinum, & coccum iteratum, atque hyssopum, alteramq; auiculam immolato in uas fictile super aquam uiuam, lignumq; cedrinũ, & hyssopũ, & coccum iteratum, auiculamq; uiuam sumito, & in sanguinem auiculæ mactatæ immergito, & in aquam

aquam uiuam: domumq; septies conspergito, eamq; expiato sanguine auiculæ, & aqua uiua, & auicula uiua, & ligno cedrino, & hyssopo, & cocco iterato. Deinde auiculam uiuam extra oppidum sub dio laxato, & pro domo supplicato, ut ita purificetur. ¶ Hæc lex est de omni lepra atq; porrigine, de lepra uestis atque domus, de tumore & papula, & macula, ad docendum cum quid pollutum aut mundum sit. Et hæc quidem lepræ lex esto.

CAPVT XV.

Fluentis genituræ lex.

HAec item (inquit Ioua Mosi & Aharoni) Israelitis exponitote ad hūc modum: De cuius uiri natura liquor defluet, is pollutus esto. Atque huiusmodi eius fluxionis pollutio erit. Eius membrum liquorem expumabit, uel eo præclusum erit: talis erit eius pollutio. Quocunq; in lecto cubuerit, is lectus pollutus esto: quocunq; in utensili sederit, pollutū esto. Qui eius cubile tetigerit, uestimenta sua eluito, & aqua lauator, atq; ad uesperum pollutus esto. Qui super eodem utensili sederit, super quo is qui fluit, uestimēta sua eluito, & aqua lauator, atq; ad uesperum pollutus esto. Qui eius corpus tetigerit, uestimenta sua eluito, & aqua lauator, atq; ad uesperū pollutus esto. Qui mundus ab illo consputus fuerit, uestimenta sua eluito, & aqua lauator, atq; ad uesperum pollutus esto. Quicquid erit super quo equitauerit,
B pollutum esto. Quisquis rem ullam tetigerit, quæ sub eo fuerit, pollutus esto ad uesperum. Qui ea tulerit, uestimēta sua eluito, & aqua lauator, atq; ad uesperum pollutus esto. Quemcunq; fluxus tetigerit nō lotis aqua manibus, uestimenta sua eluito, & aqua lauator, atq; ad uesperum pollutus esto. Vas fictile, quod tetigerit, frangitor, & omne uas ligneū aqua lauator. ¶ Quòd si fluxus à sua fluxione purgatus fuerit, agat dies numero septem ad sui purificationem, suaq; uestimenta lauato, & corpus aqua uiua perluito, atq; purificator. Octauo die sumito duos turtures, aut duos colūba natos, & in Iouæ conspectum uenito ad portā oracularis tabernaculi, eosq; sacerdoti dato: quos faciat sacerdos, unum piacularem, alterum solido sacrificio: & pro eo supplicet apud Iouam, ob
C eius genituræ fluxum. ¶ Vir ex quo genitale semen[a] effluxerit, totum corpus suū aqua perluito, & ad uesperum pollutus esto. Quacunq; in ueste, quacunq; in pelle genitale semen fuerit, aqua lauator, & ad uesperum polluta esto. Si cum muliere uir cubuerit, & cum ea rem habuerit, aqua lauanto, & ad uesperū polluti sunto.

a scilicet ex concubitu, aut aliter.

Menstrualis fœminæ lex.

¶ Mulier quæ patietur menstrua, fluente ex eius corpore cruore, septem dies seorsum degito: eam quisquis tetigerit, pollutus esto ad uesperū. Quacūq; in re decubuerit, donec in menstruis erit, ea res polluta esto: cuicunq; rei insederit, ea res polluta esto. Quisquis eius lectum tetigerit, uestimenta sua lauato, aquaq; perluitor: & ad uesperum pollutus esto. Quisquis ullum utensile attigerit, in quo illa sederit, uestimenta sua lauato, aquaq; perluitor, & ad uesperum pollutus esto. Aut si super lecto, aut super utensili fuerit, in quo illa sederit, ex eius attactu pollutus esto ad uesperum. Si uir cum menstruali cōcubuerit, & eius menstruis contactus fuerit, septem dies pollutus erit: omnisq; lectus, in quo is cubuerit, pollutus erit. ¶ Mu- D
lier cui cruor defluet complures dies alieno à menstruis tempore, aut cui ultra menstrua defluet, toto illius immūdi fluxus spacio, perinde ac menstruorum tempore, polluta esto. Omne cubile, super quo decubuerit, quandiu fluxum patietur, eadem conditione habetor, ac cubile mensium. Omne utensile, super quo sederit, pollutum esto, perinde atq; in mēsibus. Quisquis ea attigerit, polluetur, uestimenta lauato, aquaq; perfunditor, & ad uesperum pollutus esto. ¶ Quòd si fluxu purgata fuerit, agat dies numero septem, & ita demum pura esto. die octauo sumito duos turtures, aut duos columba natos, eosq; ad sacerdotem afferto ad portam oracularis tabernaculi, quorum unum sacerdos ad piaculum faciat, alterum solido sacrificio, & pro ea apud Iouam supplicet ob eius immūdum fluxum. Atq; ita Israelitas à suis inquinamentis uindicatote, ne in suis sordibus intereant, meum tabernaculū, quod apud eos est polluendo. Et hæc quidem lex est eius, qui genituram non continet, quiue emisso genitali semine polluitur, aut mulieris ob menstrua semouendæ, & omnino defluentis uel maris, uel fœminæ, & uiri qui cū polluta cōcubuerit.

CAPVT XVI.

Quid pontifici faciendum in sanctuariū ingressuro. Exod.30. Heb.9

POst interitum autem duorū Aharonis filiorum, qui Iouæ libando interierunt, locutus est Ioua cum Mose ad hunc modum: Admone Aharonem fratrem tuū, ne quouis tempore in sacrum intra siparium ante arcæ propitiatorium introeat, ne me in nube supra operculum apparente moriatur: sed sibi introitum piaculari tauro, & arietis solido sacrificio paret. Lineā sacram tunicā induat, lineisq; feminalibus uestitū corpus habeat, & lineo cingulo cingatur, infulaq; linea redimiatur: quas sacras uestes induturus, suum corpus aqua abluat. Tum ab Israelitarum republica duos ca- B
pros ad piaculum, & unum arietem ad solidum sacrificium sumat: deinde suum piacularē taurum obmoueat, & pro se, proq; domo sua supplicet. Tum duos capros ante Iouam in oracularis tabernaculi introitu constituat, & super eis sortes, alteram Iouæ, alteram emissitij nomine iaciat. Deinde caprum, cui Iouæ sors euenerit, adducat, & piaculū faciat. Eū autem quem emissitij sors designauerit, ante Iouam uiuum statuat, ad supplicandum super eo, & eum liberum in deserta dimittendum. Tum suum piacularem taurū adducat, eoq; tum pro se, tum pro domo sua supplicet, & eum immolet. Deinde C
cādentes carbones ex ara, quæ est ante Iouam, acerra plena sumat, pugillumq; suffimenti odorati friati: eaq; intra sipariū inferat, & suffimentum in ignem ante Iouam ingerat, ut operiente suffiminis nube oraculi propitiatorium, à morte uindicetur. ¶ Item de tauri sanguine su- *Heb.9.d*
mat, quod ante propitiatorium orientē uersus *10.a*

g digito

digito suo spargat, & ante propitiatoriũ de eo sanguine digito suo septies spargat. Tum populi piacularem caprũ immolet, eiusꝗ sanguinem intra siparium inferat, & eo faciat, ut tauri sanguine fecerit, id est, & propitiatorium aspergat, & ante propitiatorium spargat, ac sanctuarium ab Israelitarũ inquinamentis & omnium peccatorum noxis expiet: (D) idemꝗ faciat oraculari tabernaculo, quod apud eos habitat, in medijs eorum inquinamentis. (*Luc.1*) Atque in oraculari quidẽ tabernaculo nemo hominum esto, ex quo in sacrarium ad supplicandum introibit, donec exeat. ¶ Vbi autem pro se, proꝗ domo sua, & uniuersa Israelitarum republica supplicauerit, exito ad aram ante Iouam positam, & eam expiato, eiusꝗ cornua sanguine tauri & capri circũ intingito, & eam sanguine digito suo septies aspersam purificato, atꝗ lustrato ab Israelitarum inquinamentis. (*Caper emissitius.*) ¶ Postquam sacrariũ & oraculare tabernaculum, & aram expiandi finem fecerit, caprum uiuentem (E) adducito: applicatisꝗ eius capiti ambabus manibus, omnes Israelitarũ culpas, omnesꝗ peccatorum noxas super eo confessus, in eius caput congerito, eumꝗ per certum quempiam in deserta dimittito, à quo in desertis dimittatur, secumꝗ illorum culpas omnes in terram inaccessam auferat. Deinde ueniat Aharon in oraculare tabernaculum, & linea uestimenta, quæ in sacrũ ingressurus induerat, exuito, eaꝗ ibi relinquito, corpusꝗ suum aqua in loco sacro abluito, & uestimenta sua indutus exito, suumꝗ & populi solidum sacrificium facito, & pro se, proꝗ populo supplicato, & piaculi adipem in ara adoleto. Qui autem caprum li- (F) berum laxauerit, indumenta sua perluito, corpusꝗ suum aqua lauato, & ita demum in castra intrato. Taurum autem, caprumꝗ piaculares, (*Heb.13.b*) quorum sanguis ad supplicandum illatus fuerit in sacrarium, extra castra exportanto, eorumꝗ corium, & carnem, & excrementum igni cremanto: quiꝗ cremauerit, indumẽta sua perluito, corpusꝗ suum aqua abluito, & ita demum in castra intrato. Hoc instituto sempiterno tenetote. (*Ieiunium.*) ¶ Mẽsis septimi die decimo ieiunatote, ne'ue uestrũm quisquam uel indigena, uel peregrinus inter uos degens ullũ o- (G) pus faciat. Nam eo die supplicabitur pro uobis ad uestri purificationem, ab omnibusꝗ uestris delictis apud Iouam purificabimini. Eas Sabbati ferias agitote, & sempiterno instituto ieiunatote. ¶ Pontifex autẽ qui ungetur, & cuius manus ad sacerdotium obeundum pro eius patre inaugurabuntur, uestimenta linea sacra induito: sanctius sanctuarium, & oraculare tabernaculum, & aram expiato, & pro sacerdotibus, proꝗ uniuersa republica supplicato. Hoc uobis institutum perpetuum esto, ut pro omnibus Israelitarum peccatis semel quotannis supplicetur. Atꝗ hæc ut Mosi Ioua præcepit, sic facta sunt.

CAPVT XVII.

ITem cum Mose uerba fecit Ioua in hũc modum. Hæc ad Aharonẽ, eiusꝗ natos, & omnes Israelitas exponito his uerbis. Hæc præcipit Ioua. (*Vbi sacrificandum.*) Quicunꝗ de Israelis familia bouem, ouem'ue, aut capram in castris, extra'ue castra immolauerit, neꝗ ad oracularis tabernaculi introitum stiterit ad obmouendum Iouæ munus ante Iouę tabernaculum, is perinde ac si cędem fecerit habetor, & de suorum numero tollitor. Quocirca adducunto Israelitæ uictimas suas, quas sunt sub dio sacrificaturi, ad Iouã, ad in- (B) gressum oracularis tabernaculi ad sacerdotem, & Iouæ ex eis pro salute sacrificanto. Sacerdos autem sanguinem in aram Iouæ in ingressu oracularis tabernaculi effundito, adipemꝗ Iouæ ad odoris suauitatem adoleto. Neue deinceps sacra faciunto Satyris, cum quibus meretricentur. Atque hoc perpetuum institutum per eos posteritati traditor. Quicũꝗ, inquam, tum de Israelis stirpe, tum de peregrinis apud eos degentibus, solidum sacrificium, aut sacrificium fecerit, neꝗ uictimam ad ingressum oracularis tabernaculi stiterit, ut eam Iouæ faceret, is de suorũ numero extirpator. (*A sanguine abstinendũ.*) ¶ Quisquis item uel stirpis Israelitarum, uel inter eos degens peregrinus, ullum sanguinẽ comederit, huic ego infensus, qui sanguinem comederit, eum de suorum numero tollam. (C) Nam animantis anima in sanguine est, quẽ ego uobis in arã do, ad supplicandũ pro animabus uestris: nam sanguine ipso pro anima supplicabitur. Hac de causa Israelitis interdico, ne quis omnino uel eorum, uel inter eos degentium peregrinorum, sanguine uescatur. Quòd si quis uel Israelitarum, uel cum eis uersantiũ peregrinorum, feram aliquam, aut uolucrem, quæ sit edendo, cæperit, eius sanguinem humi spargito, & ter- (D) ra obruito. (*Gen.9.b*) Nam animantium omnium anima sanguis est, qui [a] pro ipsius anima est: quam ob causam Israelitas ueto ullius sanguine animalis uesci: quoniam sua cuiusꝗ animalium anima sanguis est: quo quicunꝗ uescitur, sit capite plectendus. ¶ Quisquis itẽ morticinum, aut feris ereptũ gustauerit, siue indigena, siue peregrinus sit, uestimenta sua perluito, & aqua lauator, impurusꝗ ad uesperum esto, & ita purgator. Quòd si uestimenta non perluerit, neque corpus abluerit, pœnas dabit.

[a] Animãtis brutæ sanguis pro hominis anima libatur, ut paulo antè.

CAPVT XVIII.

TVm hæc, inquit, Israelitis meo nomine exponito: Ego sum Ioua Deus uester. Neque Aegypti facta, quam incoluistis, neque Chananææ, quò uos introduco, imitamini, né'ue eorũ instituta tenetote. (*Rom. 10. a*) Sed mea (Ioua sum Deus uester) iura exequimini, (*Exod. 20. b*) & instituta seruatote, & ex eis uiuitote, (*Gal. 3. b*) quæ quidem sunt eiusmodi, ut qui ea obiuerit, is per ea uicturus sit. Hæc ego Ioua.

(*Incestus uetiti.*) Ad cõsanguineum suũ ne quis uestrũm accedito, ut eius naturã detegat. Hæc ego Ioua.

Patris aut matris tuæ naturam ne detegito: mater tua est, eius naturam ne detegito.

Nouercæ tuæ naturam ne detegito: nam patris natura est.

(B) Sororis tuæ siue ex patre, siue ex matre, siue domi, siue foris natæ, naturam ne detegito.

Neptis

Neptis tuæ, tum ex filio, tũ ex filia, naturam ne detegito: nam natura tua est.

Filiæ nouercæ tuæ, patre tuo natæ, naturam ne detegito: soror tua est.

Amitæ tuæ naturã ne detegito, nam paternæ consanguinitatis est: eius naturam ne detegito.

Materteræ tuæ naturam ne detegito, nam maternæ consanguinitatis est.

Tui ex patre auunculi naturam ne detegito, id est ad eius uxorẽ ne accedito: amita tua est.

Nurus tuæ naturam ne detegito: filij tui uxor est, eius naturam ne detegito.

Vxoris fratris tui naturam ne detegito: fratris tui natura est.

Cum muliere, & cum eiusdem filia rem ne
C habeto. Tui priuigni aut priuignæ filiam ne ducito, ut cum ea rem habeas: nam L. eius H. consanguineæ sunt, incestus est.

Vxoris sororẽ, ea uiuente, ne ducito, ut cum ea rem habeas: quæ res uxori dolorem faciat.

Ad mulierem menstruis laborantem ne accedito, ut cum ea rem habeas.

Alterius uxori stuprum & corruptelam ne inferto.

4.Re.23.e. a scilicet per ignem.

Progeniem tuam ne dato ᵃ traijciendã Molocho, néue meum Iouæ Dei tui nomen profanato.

Marem ne fœmineo concubitu comprimito: nefas est.

Ne te ullius bestiæ concubitu contaminato, néue mulier bestiæ prostato ad coeundum: flagitium est.

D Ne uos ullo horum scelerum contaminatote. nam his omnibus sese contaminarunt gentes, quas ego uobis abigo. Itaq; sic pollutæ terræ scelera huiusmodi pœnis persequor, ut incolas terra suos euomat. Vos mea instituta & iura tenetote, néue ullum flagitiorum istorũ facitote, siue indigena quis sit, siue apud uos degens peregrinus. Nam hæc omnia nefaria perpetrarunt incolæ, qui uos antecesserũt, quibus conspurcata terra est. Ita fiet, ut non uos euomat terra, à uobis coinquinata, queadmodum euomuerit gentem quæ uos antecesit. Nam quicunq; ullum horum flagitiorum fecerint, hi de suorum numero tollentur. Seruatote igitur statutum meum, ne ullam illarum abominandarum cõsuetudinum, quę ante uos uiguerũt, sequamini, & ea uos polluatis. Hæc ego Ioua, Deus uester.

CAPVT XIX.

1.Pet.1.c.

TVm hæc, inquit, ad omnẽ Israelitarũ multitudinem uerba facito. Sancti estote: nam sanctus ego Ioua Deus uester.

Suam quisq; matrẽ & patrem reueremini, & Sabbata seruatote. Ego Ioua Deus uester.

Ad deastros ne conuertimini, néue uobis fusos deos facitote. Ego Ioua Deus uester.

Quòd si Iouæ sacrificium pro salute uestra facietis (id quod ad fauorẽ uobis conciliandum
B facietis) quo die sacrificabitis comestor, & po-
Proteruia. stridie. In tertium diem reliquum quod erit, igni cremator. Quòd si die tertio comedetur, tetrum erit, non litabitur: qui'que comederit, is sacri Iouæ profanati pœnas dato, & ex suorum numero tollitor.

Charitatis præcepta. Infra 27.d.

Cum autem agri uestri messem facietis, fundi tui extremũ ne permetito, néue messis tuæ spicilegium facito, neu uineam tuã racemato, neu relictas uuas relegito: pauperi & peregrino ea relinquito. Ego Ioua Deus uester.

Exod.20.b Eccle.10.a. C

Ne furamini: ne fallitote: ne mẽtimini alius alij. Ne falso per nomen meum iuratote, nomine Iouæ Dei uestri polluendo. Ego Ioua.

Ne alteri fraudem dolo malo aut ui facito. Deut.24.c.

Mercenarij manuprecium in diem posterum ne retineto.

Surdo ne maledicito. Cæco impedimentum ne opponito, meq; Iouam Deum tuũ metuito. Deu.1.c.& 16.d

D

Iniquum in iudicio ne facitote, néue tenui indulgeto, néue potenti assentator: seuerè alios iudicato.

a malo & damno. 1.Ioan.2.b 3.c

Ne inter tuos calumniator esto. Ne alterius ᵃ sanguini immineto. Ego Ioua.

Eccl.19.b Luc.17.a

Fratrem tuum animo ne oderis. Alios castigato, ne hinc peccatum luas.

Mat.5 g.22 d

Populares tuos ne ulciscitor, néue acceptæ ab eis iniuriæ memor esto, aliosq; ut teipsum diligito. Ego Ioua.

Instituta mea seruatote.

Pecus tuum dissimili generi ineundum ne supponito.

Agrum tuum farragine ne conserito, néue ex diuersis consarcinata ueste utitor.

Compressæ sponsæ pœna. E

Si quis mulierem cõpresserit, quæ sit serua, uiro destinata, neq; redẽpta, neq; libertate donata, uerberibus, non morte in eos animaduertitor, quoniam liberata non erat. Tum ipse ad oracularis tabernaculi introitum noxalem arietem adducito, quo ariete sacerdos pro cõmisso ab eo peccato apud Iouam supplicet, ut ei commissi peccati uenia detur.

Sata triennio profana.

Cum autem in terram illam perueneritis, & cuiuscũq; generis uescas arbores seueritis, earum fructum profanum per triennium habetote, eoq; ut profano uesci nefas esto. Quarto anno esto earum fructus omnis Iouæ laudando consecratus. Quinto demum anno fructu uescimini, ut uobis amplius ex eis proueniat. Ego Ioua Deus uester.

Ne quid cum sanguine comeditote.

Ne augurio, néue diuinatione utimini.

Ne uobis in funere uerticẽ deraditote, néue F barbam uellitote, néue corpora uestra dilaniatote, neu uobis notas inuritote. Ego Ioua.

Filiam tuam ad meretricandum ne prostituito, ne meretricatu inquinata terra, flagitio repleatur.

Sabbatha mea seruatote, & sanctuariũ meum reueremini. Ioua sum.

Ad uentriloquos ne cõuertimini, néue magos consulitote, ab eis contaminandi. Ioua sum Deus uester.

Cano assurgito: seni honorẽ præstato, Deũq; tuum reueretor. Ioua sum.

Exo.21.e. G

Quòd si quis peregrinus uobiscũ in uestris finibus cõmoretur, ne ei molestiam facessito.

te, sed eodem loco peregrinos atque indigenas uestros habetote, eosq; ut uosmetipsos diligitote: nam peregrini fuistis in Aegypto. Ioua sum Deus uester.

In iudicio, in dimensione, in pondere, in mensura, nihil iniquũ facitote: trutinã iustam, pondo iusta, ephi iustũ, hinem iustũ habetote. Ioua sum Deus uester, qui uos ex Aegypto eduxi.

Igitur omnia mea instituta iuraq; seruatote, & eis paretote. Ioua sum.

CAPVT XX.

Pœna in Molochi cultores. *Suprà 18. c*

HAec quoque Ioua Mosi locutus est: Atq; hæc Israelitis referto: Quisquis uel Israelitarum, uel inter Israelitas degentium peregrinorum, de sua progenie Molocho dederit, capite plectitor, lapidibus ab incolis obruitor. Eum ego hominem, ei infensus, de suorum numero tollam, ut qui de sua sobole Molocho dederit, & ita sacrariũ meum polluerit, sacrumq; nomen meum profanauerit. Quòd si incolæ in eo homine, qui prolem suam Molocho dederit, cõniuentes, eum non interemerint: ipse ego tum ei, tum eius cognationi infestum me præbebo, & eum, & omnes qui eius exemplo Molocho prostiterint, de suorum numero extirpabo: quiq; uel ad uentriloquos, uel ad magos defecerit, ut se eis prostituat, eum ego, infensus ei, de suorum numero auferã. Quare sanctitati *1.Pet.1.c* B operam datote, sanctiq; estote. nam Ioua sum Deus uester. Igit instituta mea seruatote, eisq; paretote. Ioua sum, uestræ sanctitatis autor.

Exod. 21.c *Matth.15.a*

Quisquis parentum alterutri maledixerit, capitale esto: parenti maledixit, pœnas luito.

Illicitæ ueneris pœna. *Ioan.8 a* *Deut.22.d*

Qui cum cuiuscunq; uxore mœchatus fuerit, qui cum alterius uxore mœchatus fuerit, capite plectitor, tum adulter, tum adultera.

Si quis cum nouerca sua rem habuerit, patris uerenda aperuit, ambo capite plectuntor, pœnasq; danto.

Si quis cum sua nuru coierit, capitale ambobus esto: incestum cõmiserunt, pœnas luunto.

Qui marem fœmineo concubitu compresserit, nefarium amborũ facinus capitale esto, pœnas danto.

Si quis in matrimonium & filiã duxerit, & eiusdem matrẽ, incestus est: & eum & eas igni cremanto, ne incestus in uobis hæreat.

Qui cum bestia rem habuerit, moriatur, bestiamq; interficitote.

C Si quæ mulier ulli bestiæ se prostituerit, & mulierem & bestiam interficitote, moriuntor, & pœnas danto.

Si quis suam uel ex patre, uel ex matre sororem duxerit, & alter alterius uerendis fuerit potitus, probrum est, è medio tolluntor in oculis suorũ: sororis suæ uerẽda aperuit, pœnas dato.

Si quis cum menstruali muliere concubuerit, cumq; ea rem habuerit, eiusq; fluxum aperuerit, cum ipsa ei sui sanguinis fluxum indicauisset, ambo de suorum numero tolluntor.

Cum amita, aut cum matertera tua rem ne habueris: nam hoc est cum cõsanguinitate sua coire, & supplicio coercendum est.

Si quis cum patrui sui uxore cõcubuerit, patrui sui uerenda detexit: pœnas danto, orbi moriuntor. D

Si quis fratris sui uxorem duxerit, obscœnitas est: fratris sui uerenda detexit, orbi sunto. Igitur omnia instituta & iura mea seruatote, eisq; paretote: ita fiet, ut non uos euomat terra, in cuius habitationem ego uos introduco. Neue eorum instituta imitamini, quos ego uobis abigo: nã quia illa omnia fecerunt, eos ego abhorreo, uobisq; promisi eorum terræ possessionem, eam uobis daturus possidendam, terram lacte melleq; abundantem. Ioua sum Deus uester, qui uos à cæteris populis discreui. Vos quoq; & quadrupedum & uolucrum munda ab immundis discernitote, neu uos aut quadrupedibus, aut uolucribus coinquinatote, aut ullo eorum reptilium quæ terra procreat, quod uobis ut impurum secreuerim. Estote igitur mihi sancti: nã ego Ioua sum sanctus, qui uos à cæteris nationib. secreui, ut mei essetis. Quòd *Deut. 18.b* si quis in eis aut uentriloquus, aut magus existet, *1.Reg.28.b* siue uir, siue mulier sit, capite plectitor, lapidator, pœnas dato.

CAPVT XXI.

Funeris lex sacerdoti.

ITem sic Ioua Mosem allocutus est. Sacerdotes autem Aharonis natos admoneto, ne in suorum funeribus contaminentur, nisi consanguinitate proximorum, ut parentum, ut liberorum, ut fratrum, ut sororum, si quæ uirgo erit proxima, quę uirum non habuerit, in eius funere cõtaminari licebit. Ne in principis quidem popularium suorum funere contaminantor, ut profanentur. Capita sua ne radũto. Barbã sibi ne tondento. Corpora sua ne notis compungunto. Sacri Deo suo sunto: neue Dei sui nomen profanãto. Cũ enim Iouę rem diuinam, cum Deo suo dapem faciant, debent esse sacri. ¶ Vxorem meretricem & profanam ne ducunto, ne'ue à uiro repudiatam: B sunt enim suo Deo consecrati: quare eos sacros habere debetis, quippe qui Deo uestro dapem faciant. Sacri uobis sunto: nam sacer ego Ioua sum, qui uos sacros facio. ¶ Si quę hominis sacerdotis filia scortari ausa fuerit, patrem suum profanauit, igni cremator. Pontifex autẽ fratrum suorum maximus, cuius caput unctorio oleo conspersum fuerit, & manus initiatæ ad uestimentã induenda, caput ne tondeto, neu uestimenta dissoluta habeto, neue ulli funeri interesto, ne in parentibus quidem funestator, C neue de sacrario exito, ne Dei sui sacrarium profanet, quippe qui unctorio Dei sui oleo coronatus sit. Ioua sum. ¶ Idem uxorem, quæ uirgo sit, ducito. *Ezec.44 f* Viduam, aut repudiatam, aut impudicitia pollutam ne ducito: sed tãtum uirginem popularem suã ducito, ne progeniẽ suã in populo suo profanet. Nã Ioua sum, qui eum sacraui. ¶ Tum hæc Aharoni, inquit, dicito: *Vitiosi ne sacris operentur.* Si quis erit de tua in posterum stirpe, in quo insit uitium, is ad dapem Deo suo faciendam ne accedito. Nam uitiosus nemo libare debet, ut cæcus, ut claudus, ut mutilus, ut redundans, pedem ue aut manum D fractam habens, aut gibbus, aut lusciosus, aut argemã habens, aut scabiosus, aut impetiginosus, aut

sus, aut herniosus: denique quisquis erit ex Aharonis pontificis semine uitiosus, is Iouæ rem diuinā ne administrato: uitiosus est, ad dapem Deo suo libandam ne accedito. Ac Dei quidem sui dapibus tū de sanctiore sacrario, tum de sacrario uescitor: sed ad sipariū ne ito, neue ad aram propinquato, ne, cum sit uitiosus, sacrarium meum profanet, qui Ioua sum, qui eos sacros facio. Tum Moses cum Aharone, eiusq; natis, & omnibus Israelitis uerba fecit.

CAPVT XXII.

Quibus sacro uescinō liceat.

Item Ioua cum Mose collocutus est ad hunc modum: Dicito Aharoni, & eius natis, ut à rebus sacris, quæ mihi Israelitę consecrauerint, se contineant, ne meum sacrum nomen profanent, qui Ioua sum. Igitur his uerbis dicito: In posterum quisquis uestri generis, ad sacra pollutus accesserit, Iouæ ab Israelitis consecrata, is de meo cōspectu tollitor. Ioua sum. Quisquis de semine Aharonis aut leprosus erit, aut genituræ substillo laborabit, is sacris ne uescitor, donec purificatus fuerit: qui'ue ullum funebre inquinamentum attigerit, aut ex quo genitura defluxerit, aut qui cuiusuis uel bestiæ, uel hominis tactu quocunque inquinamento pollutus fuerit, is ad uesperum pollutus esto, neue prius sacra gustato, quàm corpus suum aqua abluerit. Post solis autem occasum purus esto, & ita demum sacris uescitor: nam is ei uictus est. Morticini aut feris erepti esu ne se inquinanto. ¶ Ioua sum: ergo meis præceptis parento, ne hinc peccatum luant, & in eo ob profanationem moriātur. Ioua sum, qui eos sacros facio. ¶ a Alienus nemo sacrum gustato: sacerdotis inquilinus, aut mercenarius sacrū ne gustanto. Quem autem sacerdos pecunia emerit, aut qui uerna erit, eius uictu utetur. Sacerdotis filia homini peregrino nupta, sacra donaria ne gustato. Sacerdotis filia uidua, aut repudiata, & liberorum expers, quæ in domum paternam remigrauerit, sicut ibi à teneris fuerat, hęc patris uictu utitor: alienus autē nullus utitor. ¶ Qui sacrū insciēter gustauerit, is addita quinta, sacrum sacerdoti reddito. Ita fiet, ut Israelitarum dedicata Iouæ ab illis excepta nō polluāt: quibus dedicatis si uescerentur, in causa essent ut illi noxæ pœnas luerent. Nam Ioua sum, qui eos consecro. ¶ Tū hęc, inquit, Aharoni, eiusq; natis, & omnibus Israelitis his uerbis exponito: Qui uel Israelita, uel apud Israelitas peregrinus, rem diuinam faciet, siue id uotiuū erit, siue uoluntarium, qualecunque Iouæ solidum sacrificium fiet, ad fauorem uobis conciliandū mas esto integer bouillus, aut ouillus, aut caprinus.

Exod. 22. d
Eze. 44. g
B
a scilicet à stirpe sacerdotali.
C

Vitiosæ hostiæ uetantur.
Deut. 15. d
Eccl. 35. b

Vitiosum nihil ad rem diuinam adhibetote, alioquin non litabitis. Si quis Iouæ sacra faciet pro salute, siue nuncupato uoto, siue sua sponte, seu boue, seu balante fiet, integrum esto ad propitiationem, sine ullo uitio. Cæcum, aut fractum, aut mutilatum, aut uerrucosum, aut scabiosum, aut mentiginosum, hæc inquam Iouæ ne obmouetote, neue ex his Iouæ rem diuinam in ara facitote. ¶ Boue, ouemue, aut caprā, cui aliquid uel superet, uel deerit, uoluntariū faciatis licet: nā in uoto quidē non litabit. b Suppressis, aut cōtusis, aut abruptis, aut effossis testibus pecus Iouæ ne obmouetote, neue in finibus uestris facitote, neue ex ullo horū nomine alienigenarum Deo uestro dapem facitote: his enim, ut pote corruptis & uitiosis, uobis non litabitur. ¶ Bos autē, inquit, & ouis, & capra cū nata fuerit, septē diebus matri subrumetur: ab octauo die deinceps ad Iouæ rem diuinā adhibita litabit. Vaccā autem, ouem'ue aut capram, & eius pullū, eodem die ne immolatote. Quòd si Iouæ gratias agendi ergò sacrificabitis (id quod ad fauorem uobis cōciliandum facietis) id eo ipso die comeditor, neu quid ex eo in posterum diem reliquū facitote. Ioua sum. Igitur præcepta mea seruatote, eaq; obitote (Ioua sum) ut uobis sacrum nomen meum non profanantibus, sanctus habear inter Israelitas. Ioua uestræ sanctitatis autor, qui uos ex Aegypto eduxi, ut uobis essem Deus: Ioua sum.

D

b castrationis genus, cum subductis manuū pressu testiculis, prælígatur scrotum.

CAPVT XXIII.

Tum hæc, inquit, Israelitis dicito: Iouæ solennitates, hoc est meæ solennitates, in quibus sacrum conuentum agetis, hæ sunto. Sex diebus fiet opus: septimo autem die, quæ Sabbathi feriæ erunt, sacer conuentus fiet, nullum opus facitote. Sabbathum esto Iouæ, ubicunque degetis. Hęc sunto Iouę solennia sacrorum conuentuum, quos suo tempore agetis.

Sabbathum

Mensis primi die quartodecimo sub crepusculum Iouæ pascha est. Eiusdem mēsis decimoquinto die Iouæ azymalia sunto: septem dies azymis uiuitote: quorum dierum primo die sacrum cōuentum habetote, nullum operarium opus facitote: Iouæ rem diuinam septem dies facitote: septimo die quo sacer erit conuentus, nullum operarium opus facitote. ¶ Atque hęc item Mosi Ioua dixit. Hæc ita Israelitis exponito. Cum in terram, quam ego uobis daturus sum, introducti, eius messem feceritis, uestræ messis primitiarum manipulum ad sacerdotem affertote, qui eum ante Iouam ad fauorem uobis conciliandum porriciat, idq; Sabbathi postridie faciat. Quo die autem manipulum porricietis, agnum integrum hornum Iouę solido sacrificio facitote, unà cum eius ferto, uidelicet duabus siliginis in oleo subactæ decimis, Iouæ rem diuinam ad odoris suauitatem: tum uini libamine, uidelicet quadrante hinis. Neue panem, neue tostas fruges, neue polentā gustatote ad hūc ipsum diem, hoc est, donec Deo uestro libaueritis: qui mos perpetuus esto uobis in posterum, ubicunq; degetis. ¶ Numeratote aūt à postero die illius Sabbathi, quo porriciendum manipulū obtuleritis, septem tota Sabbatha, ita ut ad posterum diem septimi Sabbathi numeretis quinquaginta dies, & ita nouū Iouę fertum libatote. De uestris patrijs affertote duos porriciendos panes, ex duabus siliginis decimis in fermento coctos, Iouę primitias. Tū libatote præter panem agnos septem integros, hornos, unumq; taurū, & arietes duos, quibus Iouæ solidè sacrificetur: eorumq; fertū, & uini libamina, quibus Iouæ suauis odoris sacrū fiat.

Exod. 12. A
Num. 18. c
Pascha.
B
Agnus succidaneus.
C
Septimanalia.

Item facitote caprũ unum ad expiationem, & agnos duos hornos, ad sacrificium pro salu-
D te, quæ sacerdos cum primitiarum panibus Iouæ porriciat, cum duobus agnis, quæ Iouæ sacra sacerdoti cedant. Eodẽ die sacrum conuentum indicitote: nullũ operarium opus facitote: quod institutum uobis, ubicunque degetis, in
Deut 24.b posteros ęternum prodatur. ¶ Cum autem terræ uestræ messem facietis, fundi tui crepidinẽ ne prorsus metito, néue spicilegium facito, sed ea pauperi & peregrino relinquito. Ioua sum
Sabbathũ monetum. Deus uester. ¶ Tum hæc Israelitis, inquit Ioua Mosi, effator: Die primo septimi mẽsis erit uo-
Num.29.a bis Sabbathum monetum clangoris, quo sacer habebitur conuẽtus. Nullum operarium opus
E facitote, & Iouæ rem diuinam facitote. ¶ Decimus autem dies mensis septimi, inquit, dies erit propitiatorius: conuentum sacrum habe-
Ieiunium. tote, & ieiunatote, Iouæq; rem diuinam facitote. Eo die nullum opus facitote: nam dies propitiatorius est, ad Iouam Deum uestrum uobis propitiandum. Nam quisquis eo die nõ ieiunabit, is de suorũ numero tolletur: quiq; eo die ullum opus fecerit, eum ego de suorum numero delebo. Nullum opus facitote, instituto perpetuo ad posteros uestros ubicunque degetis prodẽdo. Eum diem Sabbathi feriatum habetote, & ieiunatote. Vespere noni diei à ue-
F spere ad uesperum Sabbathi uestri ferias agitote. ¶ Item sic Israelitas alloquere, inquit Ioua
Festum umbraculorũ. Mosi: Die decimoquinto eiusdem mẽsis septimi inibit Iouæ festum umbraculorum septemdiale. Primò die, quo sacer erit conuentus, nullum operarium opus facitote. Septem diebus Iouæ rem diuinam facitote, octauo die sacrum cõuentum habetote, & Iouæ rem diuinam facitote: feriæ erunt, nullum operarium opus facitote. Hæ sunt Iouę solẽnitates, quibus sacros conuentus cogetis, ad sacrum Iouæ faciendum solido sacrificio, ferto sacrificio, & prolibando uino, pro cuiusque diei ratione, pręter Iouæ Sabbatha, & præter donaria uestra, & præter omnia quæ uel ex uoto, uel sponte Iouæ dabi-
G tis ¶ Igitur decimoquinto die mensis septimi terræ frugibus perceptis, id festum Iouæ septẽdiale agitote: primo die Sabbathum, itemq; octauo die Sabbathum. Primo autem die sumitote perseæ fructum, palmarũ spadices, & myrti ramos, salicumq; fluuialium, & apud Iouam Deum uestrum per septem dies lætitiã agitote, eiq; Iouanum festum septemdiale quotannis agitote, æterno ritu posteritati uestræ tradendum, idq; agitote mense septimo. In umbraculis degitote: septem dies omnes Israelitæ indigenæ in umbraculis degunto, ut sciant posteri uestri me Israelitas in umbraculis collocasse, ubi eos ex Aegypto eduxi. Ioua sum Deus uester. Has igitur Iouæ solennitates Moses Israelitis elocutus est.

CAPVT XXIIII.

ITem Ioua cum Mose locutus est in hunc modum: Præcipito Israelitis, ut tibi afferant oliuum purissimum, expressum ad illucendum, quo perpetuò lucernæ ardescãt, quas Aharon extra sipariũ oraculi in oraculari tabernaculo statuet à uespero ad mane, ante Iouam perpetuò, æterno ritu uestræ posteritati tradẽdo. Statuet inquã, in puro candelabro lucernas ante
Iouam perpetuò. ¶ Tum sumito siligĩnẽ, & ex *Panes apposititij.*
ea duodecim placentas, singulas ex binis decimis coquito, easq; uersu duplici senas Iouæ in ara pura apponito: & uersibus purum thus im- B
ponito, ut ea res apud Iouã panis uicẽ habeat, ad rei diuinæ monimẽtum. Hæc ille per singula Sabbatha perpetuò ante Iouã statuito nomine
Israelitarũ, fœdere perenni: Aharonisq;, & eius *Matt.12.a*
filiorum sunto, qui eis uescantur in loco sacro: quod enim sacrosanctum est, ei ex Iouæ re diuina sempiterno ritu cedit. ¶ Interea accidit, ut *In Deũ maledicus.*
exorta inter quendã Israelitide matre & Aegyptio patre natum, inter Israelitas degentem, & Israelitam, contentione in castris, is qui erat Israelitide natus, in Iouæ nomen conuicia iaceret, eiq; malediceret. Hic cum esset ad Mosem perductus (erat autem eius mater nomine Solomitha, Dibris filia, ex tribu Danis) in custo- C
diam datus est, ad explorandum Iouæ super eo negotio responsum, quod Mosi datum est huiusmodi: Educito conuiciatorem istũ extra castra, eiusq; capiti manus imponũto omnes qui audiuerũt, & eum uniuersa multitudo lapidato. ¶ Tum hæc Israelitis edicito: Qui Deo suo maledixerit, pœnas dato: quiq; Iouæ nomini contumeliam dixerit, capitale esto, eum uniuersa multitudo lapidato, tam peregrinũ, quàm indigenam: conuicijs proscissi nominis pœnas capite dato. Quiq; ullum hominem uita priua- *Exod.21.b*
uerit, capitale esto. Qui autem bestiam uita pri D
uauerit, reddito animal pro animali. Qui alte- *Lex talionis.*
rum uitiauerit, talione cum eo agitor: fractura
pro fractura, oculus pro oculo, dens pro dẽte: *Exod.21.c*
quo uitio alterum affecerit, eodem ipse mul- *Deut.19.d*
ctator. Qui bestiam occiderit, mulcta esto. At qui hominem occiderit, capitale esto. Idem uobis peregrini & indigenæ ius esto: nam Ioua sum Deus uester. Hæc Mose ad Israelitas elocuto, eduxerunt maledicũ illum ex castris, eumq; lapidibus obruerunt, & Iouæ ad Mosem præcepto paruerunt.

CAPVT XXV.

PRæterea Mosi mandauit Ioua in monte *Exod.23.b*
Sina, ut hæc Israelitis referret in hunc modum: Cum perueneritis in terram, quam uobis
do, terra ipsa Iouæ Sabbathũ feriator. Sex an- *Terræ Sabbatha.*
nis fundum tuum serito, & sex annis uineam tuam putato, eiusq; reditum percipito. Septimo autem anno terra Sabbathi ferias Iouæ agito: fundum tuum ne conserito, nẽue uineam putato. ¶ Tuam restibilem segetem ne metito. Vindemiæ tuæ uuas ne colligito. Sabbathariũ annum terra agito,[a] & uobis terræ Sabbathum uictui esto: uobis, seruo, ancillæ, mercenario, aduenę, peregrinisq; apud uos degẽtibus, tum pecori uestro, & uestrorum finium bestijs, omnes eius fruges uictui sũto. ¶ Porrò ubi annorũ Sabbatha septem numero cõfeceritis, id est annos septies septem, qui anni efficiuntur nouem & quadraginta, tum mensis septimi die decima,

[a] eo anno terræ frugibus superioris anni uescimini, neu terrã colitote.

quæ

quæ dies erit propitiatoria, annum quinquagesimum in omnibus finibus uestris edito tubæ
B clangore consecratote, libertatemq́ per regionem omnibus incolis edicitote. Hoc Iubile uobis esto, & suam quisq; in possessionẽ atq; gentilitatem reuenitote. Eo inquam anno, qui erit quinquagesimus, Iubile habebitis: sementim ne facitote, neu sua sponte restibilia demetitote, neu uindemiã facitote, sed sacrũ hoc Iubile habentes, ruris [b] frugibus uiuitote. Huius inquã Iubilis anno in suam cuiq; possessionẽ postliminium esto. ¶ Quòd si quid aut alijs uẽdetis, aut ipsi ab alijs emetis, ne alius alij damnũ datote. Pro numero annorũ Iubile sequentiũ emito ab altero: pro numero annorum prouentus alter tibi uẽdito. Precium pro annorũ uel multitudine augeto, uel paucitate minuito: nam prouentuũ numerũ tibi uendit. Igitur ne inter
C uos damnũ datote, sed Deum uestrũ timetote: nam Ioua sum Deus uester. Quòd si meis institutis parebitis, meaq; iura conseruabitis & obibitis, terrã tuti incoletis, eaq; uobis fruges suas suggerente, ad satietatẽ comedetis, & in ea tutò habitabitis. ¶ Quòd si quęritis quid sitis esuri anno septimo, si neque sementim facietis, neque fruges uestras percipietis: ego uobis annũ sextum tantę fertilitatis esse iubebo, ut prouentum in trienniũ edat. Ita anno octauo seretis, & interim ueteribus frugibus utemini ad annũ nonũ, donec terræ prouentus uenerit. ¶ Terra autem ne uẽditor in perpetuũ: nam mea terra est, & uos mihi peregrini estis, & conuenæ.
D Quare in omni possessionum uestrarũ solo redimendi soli ius conceditote. ¶ Si consanguineus tuus præ egestate de possessionibus suis uendiderit, si quis existet eius uindex propinquus, huic rem à consanguineo suo uenditã redimendi ius esto. Quòd si cui uindicem nõ habenti tantum facultatis suppetet, ut sit redimẽdo, is subducta annorum uenditionis ratione, emptori reliquum reddito, & in possessionem suam redito. Sin autem soluendo non sit, esto uendita possessio in potestate emptoris ad annum Iubileum, quo anno ille transacto spacio, in suam possessionẽ redeat. ¶ Si quis domum habitationis oppidi murati uendiderit, redimendæ ius esto ad exitum anni uenditionis: id est, ad annuam diem. Quòd si non redimetur ante elapsum totum annum, ea domus quæ in
E oppido murato erit, in perpetuum ius emptoris transito, ad eius posteros duraturum, ita ut ne in Iubili quidem finem habeat. At pagorũ domus muris non circumdatorũ pro rure habentur, redimendarum ius esto, eæq; in Iubili redhibẽtor. ¶ Sed quod ad Leuitica oppida attinet, Leuitæ oppidanarũ suæ possessionis domorum redimendi sempiternum ius habento: quiq; à Leuita emerit, uenditio domus, & oppidi eius possessionis, finem habeto in Iubili. Nam oppidanæ Leuitarum domus, eorum est possessio inter Israelitas. Eorum autem suburbanus ager ne uenditor: hãc enim possessionem habent æternam. ¶ Si quis uestri generis, urgente egestate, ad uos se receperit, eum uos,

Iubile. — *b scilicet superioris anni.* — *Venditionis terræ lex.* — *Vẽditionis domus lex.*

peregrinum & inquilinum, iuuatote, & ad cõuiuendum admittitote: ab eo fœnus aut usurã ne capito, sed Deum tuum metuito, & sinito ut apud te uiuat tuus consanguineus. neue argentum ei aut uictũ fœnerato. Ioua sum Deus uester, qui uos ex Aegypto eduxi, ut uobis dẽ Chananęã terram, uobisq; sim Deus. ¶ Si quis tuorum consanguineorũ præ tenuitate tibi ue-
F nierit, ne ei seruilẽ in morẽ imperato, sed eum perinde ac mercenarium aduenamq; habeto. Cumq; apud te seruiuerit ad annum Iubileũ, à te discedito unà cum suis liberis, & in suam cognationem, patriamq; possessionem reuenito. Cum enim serui mei sint, ut quos ex Aegypto eduxerim, nõ licet eos seruili more uẽdi. Quare ne eis durius imperatote, Deumq; uestrum timetote. ¶ Ex seruis autẽ, & ancillis, quos ex finitimis gẽtibus habebitis, seruos uobis & ancillas comparatote, tum ex aduenis apud uos peregrinantibus: ex his inquam, & ex conterraneorum uestrorũ natione, qui in finibus uestris progenuerint, comparatote, eosq; mancupi habetote, & possidetote, quã possessionem uestris natis post uos futuris sempiternã relinquatis. His inquam dominamini. At in uestri generis hominibus Israelitis, ne alij alijs asperius imperatote. ¶ Quòd si auctis facultatibus
G alicuius peregrini, & incolæ uestratis, quispiã uestri generis, præ rerum inopia, illi aut omnino peregrinæ nationis stirpi uenierit, postquã uenierit, redimendi ius esto: aliquis ex eius consanguineis eum redimito, patruus, patruelis, aut aliquis eiusdem cum eo propinquitatis & gentilitatis: aut ipse denique facultatem nactus seipsum redimat, cumq; suo emptore rationem subducat ab anno uenditionis ad Iubileum, ut eius precij pecunia numero cõueniat annorum, perinde ac si mercenarius apud eum per id tempus fuisset. Si multi supererunt anni, pro eorum ratione pecuniam referet ex sui uenditionis precio. Sin pauci ad Iubileum anni superabunt, habita annorum ratione preciũ reddet suæ redemptionis. Mercenarij conditione apud illum quotãnis esto, neue committite ut ille ei durius imperet. Quòd si his rebus redemptus non fuerit, exito anno Iubileo, unà cum suis liberis. Nam mihi serui sunt Israelitæ, serui mei sunt inquam, utpote quos ex Aegypto eduxerim. Ioua sum Deus uester.

Officia in pauperes.

CAPVT XXVI.

DEastros uobis ne facitote, neue signa aut statuas erigitote, neue saxa figurata in finibus uestris ponitote ad uenerationẽ: nã ego Ioua sum Deus uester. Sabbatha mea seruatote, meumq; sanctuariũ reueremini: Ioua sum. Si ex institutis meis uiuetis, meaq; præcepta conseruabitis, & exequemini, eã ego uobis imbriũ tempestiuitatẽ dabo, ut & terra fruges, & terrestres arbores fructus suos edãt, & uobis tritura uindemiã, & uindemia sementẽ cõsequatur, & cibũ ad satietatẽ capietis, & uestros fines quietẽ incoletis: tantamq; pacem in regionem uestrã immittã, ut nihil sit quod uos cubantes exterreat: feras quoq; ex finib. uestris extermina-

Exod. 20. a — *Deut. 5. a* — *Psal. 96. b* — *Deo obedientium felicitas.* — *Deut. 28. a* — *Iob 11. d*

bo, neq; ibi ullum bellũ uersabitur. Hostes ue-
stros fugabitis, & ferro deijcietis, & ita deijcie
B tis, ut quini centenos, & centeni decies mille-
nos in fugã uertatis, me uos respiciente & au-
gente, atq; multiplicante, & quæ pactus sum
uobis præstante. Veteribus frugibus uescemi-
ni, & ueteres præ nouarũ copia efferetis. Ego
meum tabernaculũ apud uos collocabo, neq;
1.Cor.6.d à uobis animo abalienabor: interq; uos uer-
sans uobis ero Deus, & uos mihi populus. E-
Contumaciũ infelicitas. go Ioua Deus uester, qui uos eduxi ex Aegy-
ptijs, quibus serui eratis: abruptisq; ceruicũ ue
strarũ subiugijs, erectos deduxi. ¶ Quòd si mi-
Deut.28.b hi nõ obtemperãtes, non exequemini omnia
Thren.2.f hæc iussa: si meis institutis repudiatis, si mea iu
Malac.2.a ra despicati, uiolato fœdere, quod mihi uobis-
C cum intercedit, præceptis meis omnibus non
parueritis, ego uicissim faciã ut uos & tabis, &
febriũ & oculos cõsumentiũ, & animos discru-
ciantiũ pernicie persequar: frustraq; semẽtim fa
cietis, quam consument hostes uestri, à quibus
(me uobis infenso) uincemini, & osorum ue-
strorũ imperio subiecti, nullo persequente fu-
gietis. Quòd si ne sicquidẽ mihi obtẽperabitis,
ego uestrorũ scelerum pœnas in septuplũ auge
bo, uestræq; peruicaciæ superbiã frangã. nã uo
bis & cœlũ ferreũ, & terrã æreã efficiã. ita ut uo
bis nequicquã uires consumentibus, neq; ter-
ra fruges, neq; terrestres arbores fructus ferãt.
Quòd si tũ quoq; mihi cõtrauenientes parẽre
renuetis, ego septupla clade uestra scelera per
D sequar, immittamq; in uos feras agrestes, quæ
uos depopulent, uestraq; pecora disperdãt, &
uos ita diminuãt, ut uestræ uiæ in solitudinem
redigantur. Quòd si ne sic quidẽ à me ad sani-
tatem reuocati, mihi aduersari pergetis, ego
quoque uobis aduersans, scelera uestra in uos
septupla clade uindicabo, cõflatoq; in uos bel
lo, uiolatũ fœdus ulciscar. Quòd si uos in oppi
da uestra receperitis, ego immissa in uos pe-
ste, efficiã ut in hostis potestatẽ ueniatis, dũ ita
panis præsidiũ uobis frangã, ut decẽ mulieres
in uno clibano panẽ uobis coquant, eumq; uo
bis ad pondus referant, cuius esu uos nõ satia-
bimini. Quòd si neq; tum mihi morigerantes,
mihi cõtrauenietis, ego uobis uicissim contra
E iracundè ueniens, supplicium ob scelera uestra
4.Reg.6.f septuplũ irrogabo, eousq; ut & filiorũ & filiarũ
uestrarum carnem comedatis, & uestra sacella
deuastabo, & simulachra diruã, & cadauera ue
stra uestrorũ istorum stercoreorum deorum ca
daueribus superingeram, uosq; repudiabo, &
oppida uestra delebo, & sacraria uastabo, neq;
uestrorũ sacrificiorũ odore delectabor: adeoq;
terram uastabo, ut ipsi hostes uestri eius inco-
læ obstupescant: uosq; in exteras nationes di
spergam, & in uos gladium stringam, eritq; &
terra uestra deserta, & oppida uasta. Tũc frue-
tur terra Sabbathis suis, quamdiu & ipsa incul
ta, & uos in hostium uestrorum finibus eritis:
tunc feriabitur terra, & Sabbathis suis fruetur:
feriabitur inquã, toto uastitatis tempore, pro
F eo quòd uobis incolis in uestris Sabbathis nõ
fuerit feriata. Reliquis autem uestrûm tantam
animi mollicie in hostili terra iniiciam, ut fo-
lij uolitantis strepitu fugentur, & tanquam ho
stile ferrũ fugiant, cadantq;, nullo persequen-
te, ac se inter se præpediant, quasi urgente gla-
dio, nullo tamẽ persequente: neq; poteritis ad-
uersus hostes uestros cõsistere, interq; cæteras
gentes peribitis, & uos hostilis humus consu-
met. ¶ Reliqui ex uobis in hostili terra non so
lũ ob sua, uerùm etiam ob maiorũ suorũ crimi-
na contabescent. Ita fiet, ut tum suam tum ma-
iorum suorum culpam confiteantur: quorum
scelere, dum mihi repugnant, factum fuerit, ut
ego uicissim eis aduersans, eos in hostilem ter
ram deportauerim. ¶ Tum demũ perdomitis G
eorum impuris animis, eisq; culpæ ueniam pe *Redeuntibus ad sanitatem Deus est propitius.*
tentibus, recordabor fœdus, quod mihi cum Ia
cobo, quod cum Isaaco, quod cum Abrahamo
intercedit. Recordabor & terræ. nam & terra
ipsa ab eis derelicta, & inculta, Sabbathis suis
erit defuncta, & ipsi culpę suæ ueniam petent,
qui iura mea repudiauerint, & instituta reiece-
rint: ipsi tamen à me in hostili terra agentes,
non ita repudiati, aut reiecti, ut rupto fœdere,
quod mihi cum eis intercedit, consumpti fue-
rint, ut qui Ioua sim Deus eorũ: recordaborq;
fœderis quod mihi cum eorum maioribus in-
tercedit, ut qui eos ex Aegyptijs in oculis gen
tium eduxerim, ut eis essem Deus: ego Ioua.
Hæc sunt instituta, & iura, & leges, quæ tradi-
dit Ioua inter se & Israelitas, in mõte Sina, per
Mosem.

CAPVT XXVII.

PRæterea cũ Mose uerba fecit Ioua ad hunc
modum: Hæc Israelitis edissere. Si qui Io-
uæ uota nuncupabunt, si uouebũtur homines,
tantum soluetur, quanti æstimabuntur. Et ma- *Votorum & cõsecratorum precium atque ratio.*
ris quidem à uicenario ad sexagenarium pre-
cium esto quinquaginta argenti sicli sacri, fœ-
minæ autem triginta. Sin ætas erit à quinq; an
nis ad uiginti, precium esto maris uiginti siclo
rum, fœminæ decem. Ab ætate autem unius
mensis ad quinq; annorum, precium esto ma-
ris quinq;, fœminæ trium argenti siclorum. Su
pra sexagesimum annum, precium esto maris
quindecim siclorum, fœminæ decem. Quòd si
tenuior erit, qui uouerit, quàm pro precio, sisti
tor ad sacerdotem, qui eum pro eius facultate
cẽseat. ¶ Quòd [a]si pecus erit, ex eorum genere, [a] si id quod uoto promissum erit, pecus erit.
ex quibus Iouæ munera libantur, quicquid e-
iusmodi Iouæ dabitur, idipsum sacrum esto, ne
aliud summittitor, néue malum bono, néue bo-
num malo cõmutator. Sin pecus pecore muta- B
tum fuerit, & id quod mutatũ erit, & id cũ quo
permutatum erit, sacratũ esto. Sin autem quod-
piam immundum pecus erit, ex quo Iouæ rem
diuinam fieri non liceat, id pecus ad sacerdotẽ
sistito, qui id bona fide æstimet, cuiusq; æstima
tione stetur. Quòd si ille redimet, addito quin-
tam partem ad æstimationẽ. ¶ Si quis domum
suam Iouæ consecrauerit, eam sacerdos bona fi
de æstimato, eiusq; æstimatione stator. Quòd
si consecrator domũ suã redimet, æstimationis
argẽti quintã addito, & ita domũ habeto. ¶ Sin
de fundo suæ possessionis cõsecrauerit aliquis
Iouæ,

Iouæ, æstimatio pro ratione seminis fiat, ita ut cori hordei semen efficiat quinquaginta siclos argenti. Si statim ab anno Iubileo fundū suum consecrauerit, ista æstimatione stator. Sin aliquanto post Iubile consecrauerit, sacerdos argentum ei putato ad rationem annorum, qui

C supererunt ad Iubileum annum, ut de ista æstimatione detrahatur. Et si quidem fundū idem qui consecrauerit redimet, adiecta ad istam æstimationem parte quinta habeto. Sin non redemerit, sed alteri uendiderit, ne iam redimi liceto: estoq; fundus, finita eius die in Iubili, Iouæ sacer, & in ius sacerdotis, ut [b] deuotus ager transito. ¶ Sin autē non sui patrimonij, sed emptum fundum Iouæ consecrauerit, putato ei sacerdos æstimationis summam ad annum Iubileum: atq; ille tum quod erit æstimatū, sacrum Iouæ dato. Anno Iubileo fundus ad uenditorem redito, cuius terræ possessio est. Omnis autē ista æstimatio esto sicli sacri, uidelicet uiginti obolos ualētis. ¶ Cæterū primogenita, quæ Iouæ ex pecore nata erūt, ne quis sacrato, siue bouilla, siue ouilla aut caprina: Iouæ sunt. Quę

D si de pecore immundo erunt, redimuntor ad æstimationem, addita ad eam parte quinta. Sin autem non redimentur, uenduntor pro rata æstimatione. ¶ Verùm nihil deuotū, quod quis Iouæ deuouerit ex omnibus suis facultatibus, siue homo, siue bestia, siue fundus, siue prædiatorius ager sit, uēditor, redimitor'ue: omne deuotum est Iouæ sacrosanctum. Quicquid deuotum sacrosanctum fuerit, si homo est, ne redimitor, moritor. Omnes decumæ terræ, siue frugum, siue baccarum, Iouæ sunto. Iouæ sacræ sunt. ¶ Quòd si quis de decumis suis redimet, earum quintam addito. Omnes autem decumæ boum, balantum'ue, quicquid [c] sub pedum mittitur, Iouæ sacræ decumæ sunto: bonū malum'ue sit, ne curetur, néue permutetur: si permutatum fuerit, & id quod erit permutatum, & id cum quo erit permutatum, sacrum esto, non redimendum. Hæc sunt præcepta, quæ Ioua Mosi ad Israelitas in monte Sina tradidit.

b Deo addictus, ut sunt quæ uulgo ecclesiastica bona uocātur.

Exo.30.b Num.3.g Exe.45.d.

c in pastorū custodia est.

NVMERI.

CAPVT. I.

Ioua Israelitas censeri mandat.



ANNO autem secundo ab eorum exitu ex Aegypto, die prima secundi mensis, Ioua ad Mosem in solitudine Sinę in oraculari tabernaculo uerba fecit ad hunc modum: Subducite summam totius Israelitarum multitudinis, à familijs generatim inito per singula capita omnium marium numero, & censum per classes habete,

Exod.30.b

tu & Aharon, omniū qui annū uigesimū excedentes arma ferre possunt. Vobis aūt assistant singuli uiri de singulis tribubus, ijq; suarū familiarum primarij, quorum quidem nomina hęc sunt. De Rubenina Elisur, Sedeuris filius. De Simeonia Salumiel, Surisadæi. De Iudæa Nahason, Aminadabi. De Issachariana Nathanael, Suaris. De Zabulonia Eliabus, Helonis. B

De Iosephi natorum: de Ephraimensi Elisama, Ammiudi. De Manassensi Gamaliel, Phādassuris. De Beniaminensi Abidam, Gedeonis. De Dania Achiezer, Ammisaddæi. De Aseriana Phegiel, Ochranis. De Gadina Eliasaphus, Duelis. De Nephthaliana Ahira, Enanis. Hi sunt ex multitudine delecti suarum tribuum principes, copiarum Israeliticarum duces. ¶ Adhibuerūt igitur Moses & Aharon omnes hos, qui sunt suis nominibus appellati: cōuocataq; omni multitudine, prima die mensis secundi, eos qui uigesimum annum excesserant, generatim per familias suo quenque nomine censuerunt: habuitq; Moses censum in solitudine Sina, sicut ei Ioua præceperat. Fuerūt ergo à Rubene Israelis natu maximo orti, generatim, & per familias nominatim & uiritim recensiti, omnes mares uiginti annis maiores, quicunq; arma ferre possent: Rubenis inquam tribus summa fuit, quadraginta sex millia quingenti: Simeonis, quinquaginta nouem millia trecenti: Gadi, quadragintaquinque millia sexcenti quinquaquinta: Iudæ, septuaginta quatuor millia sexcenti: Issacharis, quinquaginta quatuor milliaquadringenti: Zabulonis, quinquaginta septem millia quadringenti: Iosephi, Ephraimitarum quadraginta millia quingenti: Manassensium, triginta duo millia ducenti: Beniaminensium, triginta quinque millia quadringenti: Danis, sexaginta duo millia septingenti: Aseris, unum & quadraginta millia quingenti: Nephthalis, quinquaginta tria millia quadringenti. Horum omnium censu habito per Mosem & Aharonem, perq; Israelitarum primarios duodecim, singularum familiarū singulos, summa inquā Israelitarū per familias recensitorū, qui annum uigesimū excesserant, hoc est, omnium Israelitarū qui arma ferre possent, fuit sexcenta tria millia quingenti quinquaginta. Leuiticæ tribus familijs inter eos nō censitis. Nam ita Mosi Ioua dixerat: Verùm Leuiticam tribū ne censeto, néue eorum summam inter Israelitas facito: sed eos oraculari tabernaculo, omnibusq; eius utensilibus & instrumēto præficito, ut tabernaculum & eius instrumentum omne ferant, eiq; ministrent, & circum tabernaculum tendant. Iidem profecturum tabernaculum demittant: ijdem consistens erigant. Alienus qui accesserit, capitale esto. Ita fiet, ut dum & Israelitæ in suis quiq; castris, & ad suarum classium uexilla, & Leuitæ circum oraculi tabernaculum tendent, in Israelitarum ciuitatem non seuiatur, Leuitis oracularis tabernaculi curam gerentibus. Igitur Israelitę omnia, quemadmodum Mosi Ioua præceperat, fecerunt.

Israelitarū militum numerus.

C D E F G

Caput

CAPVT II.

Castrorum collocatio.

ITem cum Mose & Aharone Ioua locutus est ad hunc modum: Israelitę ad suum quisq; uexillum sub insignibus patrijs castra faciunto, eaq; undiq; oraculari tabernaculo obuersa.

Ab oriente castra facito uexillũ copiarũ Iudæ in agmina distinctarũ, quorum dux Nahason Aminadabi filius. Militum autem numerus recensitorũ 74600. Apud eam castra facito tribus Issacharis, duce Nathanaele Suaris filio: militum numerus 54400. Et item tribus Zabulonis, duce Eliabo Helonis filio: militum numerus 57400. Ita ut omniũ in Iudæ castris recenscendorum militum numerus efficiatur 186400.
B Hi primi castra mouento. Ad meridiem Rubenis uexillũ, duce Elisure Sedeuris filio: milites 46500. Ad eam castra facito tribus Simeonis, duce Salumiele Surisadæi F. militibus 59300: item que tribus Gadi, duce Eliasapho Duelis F. militibus 45650. Omnium Rubenensiũ copiarum summa efficitur 151450. Atque hi secundi castra mouento. Tum oraculare tabernaculũ (quod agmen est Leuitarum) in medijs agminibus proficiscatur, eodem in profectione seruato ordine, quo in castrametatione, sua quibusq; ue-
C xilla sequentibus. Ephraimitarum uexillum à mari tendito, duce Elisama Ammiudi filio: militibus 40500. apud eos Manassensis tribus, duce Gamaliele Phadassuris F. militibus 32200. itemq; Beniaminensis, duce Abidane Gedeonis filio, militib. 35400. summa omnium Ephraimiticarum copiarum 108100. Atq; hi tertio loco
D proficiscuntor. A septentrione uexillum Daniarum copiarum, in agmine distributarũ duce Achiezere, Ammisadæi F. militibus 62700. Apud hos tendito tribus Aseriana, duce Phegiele Ochranis filio: cuius milites sunt 41500. Et item Nephthaliensis, duce Achira Enanis F. quæ milites habet 53400. Summa omniũ Danis copiarum efficitur 157600. Atq; horum quidem uexilla postremò castra mouento. Summa totius Israelitici exercitus per familias recẽsiti est 603550: Leuitis inter Israelitas non recẽsitis, quemadmodum Mosi Ioua præceperat. Igitur Israelitæ, sicut Mosi præceperat Ioua, ita planè ad sua quiq; uexilla castra & ponebant, & mouebant, generatim per familias ordinati.

CAPVT III.

Mosis & Aharonis genus. *Exod. 6. d*

AHaronis autẽ & Mosis genus, quo tempore cum Mose locutus Ioua est in monte Sina, sic se habet. Aharon filios habuit Nadabum primogenitum, & Abium, Eleazarum & Ithamarum. Hi fuerunt Aharonis filij sacerdotes uncti, quorum manus ille sacerdotio sacrauit. Sed Nadabus & Abius mortui sunt ante Iouam, dum apud eum alienum ignem libãt in solitudine Sina, neq; filios habuerunt. Itaq; sacerdotium capesserunt Eleazarus, & Ithamarus, corã Aharone patre suo. Et Ioua cũ Mose uerba fecit in hunc modum: Adducito Leuiticã tribum, eamq; statuito ante Aharonẽ pontificem, ut ei ministrẽt, & tum eius, tum totius reipublicæ ante oraculare tabernaculum cu-
B ram agentes, tabernaculi opus exequantur,

Leuit. 10. a *1. Para 4. a* *Leuitarum munus.*

eoq; exequendo omnem oracularis tabernaculi supellectilem curent: tum etiam Israelitarum curam agant. Igitur Leuitas ex Israelitis Aharoni eiusq; filijs addictos tradito. Aharonem autem, eiusq; filios tuendo eorũ sacerdotio præficito, ita ut qui alienus accesserit, moriatur. Scito enim me desumere Leuitas ex Israelitis, inquit, pro omnibus Israelitarũ primogenitis, qui uuluam recluserint. Itaq; mei sunt Leuitæ, quatenus mea sunt omnia primogenita: ex quo interfeci omnia primogenita in Aegypto, consecraui mihi omnia in Israelitis primogenita, tum hominũ, tum pecorum: mea erunt: Ioua sum. ¶ Tum iussit Ioua Mosi in solitudine Sina, ut recenseret Leuitas per familias generatim, & recenseret omnes mares, qui mensem excessissent. id quod fecit Moses ad Iouæ mandatũ, sicuti iussus est. Atq; hi quidem fuerunt nominatim recensiti, Leuis filij: Gerson, Cahathus, & Meraris. Gersonis autem filij totidem gentilitatũ authores, Lebnis & Semeis. Cahathi, Amramus, Iesaar, Hebron, & Oziel. Meraris autẽ, Moolis, & Musis. Hæ sunt gentilitates in familias distributæ, Gersoniæ, uidelicet Lebniana, & Semeiana: quorum omnes mares, qui mensem excesserant, censu habito fuerunt septẽ millia quingenti. Atq; hæ quidẽ Gersoniorũ gentilitates post tabernaculum ab occidente tendebant, quorũ familiæ dux erat Eliasaphus Laelis filius. ¶ Ad Gersoniorũ curam hęc in oraculari tabernaculo pertinebant, tabernaculũ & tentoriũ, eiusq; tegmen, & aulæum introitus oracularis tabernaculi: tũ atrij lintea, & eiusdem introitus aulęum, quod erat apud tabernaculũ, et apud aram undique, & totius eius ministerij funes. Cahathinæ autẽ gentilitates fuerunt hæ, Amramina, Iesaariana, Hebronia, et Ozielina: quorum omnium marium mensem excedentium numerus fuit octo millia sexcenti, qui sacri curã gererent. Atq; hi Cahathini ab ædis latere meridionali tendebant, duce familiæ gentilitatum Elisaphane Ozielis filio. Horũ procurationis erat arca, mensa, candelabrũ, altaria, & sacri ministerialis supellex, aulæumq; unà cum toto eius apparatu. Dux cum autem Leuiticorum dux Eleazarus Aharonis filius sacerdos, eorum præfectus qui sanctuarij curam gererent. Merarianę gentilitates fuerunt, Mooliana & Musiana, numero omnium marium mensem excedentium sex millium ducentorũ, duce Suriele Abichailis filio. Atq; hi ad latus tabernaculi septentrionale tẽdebant, curam gerentes asserum tabernaculi, & repagulorũ, & columnarum, & basium, omniumq; eius utensiliũ & instrumenti: tum columnarũ circũ atrium disponendarũ, earumq; basiũ, & paxillorũ, & funium. Ante tabernaculum autem ab oriente ante oraculare tabernaculum tendebãt Moses & Aharon, eiusq; filij, curam habẽtes sanctuarij [a] ad procurationem Israelitarum, ita ut qui [b] alienus accederet, moreretur. Omnium igitur Leuitarum censu per Mosem & Aharonem ad Iouæ præscriptum habito generatim, omnium marium qui mensem

Inf. Exo. 23. a *Exod. 6. c*

C *Leuitarum recensio.*

D

E

F

a ut Israelitarum omnium uice sacra procurarent.
b non eius generis.

G mensem excesserant, numerus fuit uiginti duo millia. Mandauit etiam Ioua Mosi, ut censeret omnes Israelitarum primogenitos mares mensem excedentes, eorumq; numerū nominatim subduceret, ipsiq; Iouæ Leuitas pro omnibus Israelitarū primogenitis reciperet, & Leuitica pecora pro omnibus Israeliticorū pecorum primogenitis. Moses igitur, sicut erat à Ioua iussus, omnium Israelitarum primogenitorū censum habuit: quorum omniū, qui mensem excederent, suo cuiusq; nomine relatorum, summa fuit, uiginti duo millia ducēti septuaginta tres. Tum mandauit Ioua Mosi, ut Leuitas pro omnibus Israelitarū primogenitis, eorumq; pecus pro illorum pecore reciperet, essentq; Leuitæ ipsius Iouæ. Pro illis autem ducētis septuaginta tribus, qui ex Israelitarū primogenitis supra Leuitarum numerū excurrerent, sumeret quinos siclos, uidelicet sacros, uicenis obolis ualentes, idq; argentum Aharoni & eius filijs daret, precium redemptionis illorum qui exuperabant. Sumpsit igitur Moses argentum redemptionis, ab eis qui extra redemptos à Leuitis exuperabant ex primogenitis Israelitis, uidelicet mille trecentos sexagintaquinq; siclos sacros: idq; Aharoni & eius filijs dedit, sicut ei Ioua præceperat.

Exod. 30. b Leuit. 27. c Ezech. 45. d

CAPVT IIII.

ET Ioua Mosi & Aharoni mādauit, ut Cahathinorum summam de Leuitis generatim per familias subducerent, à tricenarijs ad quinquagenarios, quicunq; ad militiam idonei essent ad munere fungendū in Oraculi tabernaculo. Atque hoc Cahathinorū, inquit, in oraculari tabernaculo, hoc est, in sanctiore sanctuario, munus esto. Proficiscentibus castris, Aharon & eius filij introeunto, & obtensum siparium deponunto: eo oraculi arcam tegunto: & super eo tegimē de pellibus melium ponunto, & id insuper stragula tota hyacinthina sternunto, uectesq; admouento. Mensam autem apposititiorū hyacinthina stragula sternunto: scutellas, capedines, phialas, et pateras, quibus libatur, imponunto: insuper panis perpetuus esto. Hæc stragulo coccineo iterato cōsternunto, idq; tegimine ex pellibus meliū tegūto, uectesq; admouēto. Tum stragulo hyacinthino tegunto candelabrum funale, eiusq; lucernas, forcipes, foculos, omne deniq; olei ministratorium instrumentū, idq; tegimine ex meliū pellibus tectum palo imponunto. B Aram autē auratam hyacinthina stragula sternūto, & tegmine ex melium pellibus tegūto, uectesq; admouento. Tum omne sacrarij ministratoriū instrumentū hyacinthino stragulo impositū, tegmine ex melium pellibus tegunto, paloq; imponunto. Aram autem cinere mundatam purpurea stragula sternunto, eiq; omne ministratorium instrumentum imponunto: batilla, fuscinas, scopas, pollubra, omne aræ instrumētum, eaq; tegumēto ex meliū pellibus cōstrata, uectes admouento. ¶ Vbi planè texerit Aharon & eius filij sacrum, sacriq; instrumentum omne, inter castrorum profectionē, tum demum accedunto Cahathini ad portandum, ne'ue sacrarium attingunto, ne moriantur. Atq; hoc esto Cahathinorum munus in oraculari tabernaculo. Eleazari autē Aharonis filij sacerdotis procurationis sunto, oleū lucernariū, suffimen odoratum, fertum perpetuum, & unctionis oleum, deniq; procuratio totius tabernaculi, & omnium quæ in eo sunt, tum sacrarij, tum eius supellectilis. Igitur ne Cahathinarum gentilitatum stirpem de Leuitis extirpetis (inquit Mosi & Aharoni) ut eorum uitę consulatur, facitote ut cum ad sanctius sanctuariū accedent, ueniat Aharon & eius filij, qui suum cuiq; illorum munus & onus imponant, ne si fortè ad aspiciendum sacrum temerè accesserint, moriantur.

Cahathinorū munus.

¶ Gersoniorum quoq; summam generatim per familias subducito (inquit Ioua Mosi) eosq; à tricenarijs ad quinquagenarios recenseto, C quicunq; ad militiam apti sunt, ut munere fungantur in oraculari tabernaculo. Hoc autem esto munus onusq; familiæ Gersoniorum. Portanto lintea tabernaculi, & oraculare tabernaculū, eius tegimen, & tegimen melium quod insuper ei imponitur, & aulæum ostij oracularis tabernaculi, & atrij lintea, & aulæum ostij portæ atrij, quod est circum tabernaculum & circum aram, & eorum funes, & omne eorum muneris instrumentum, atque omnia quibus utentur in functione. Eorum autem officij munus omne ad præscriptum Aharonis eiusq; natorum esto, eisq; totius eorum muneris curam mandatote. Hoc est munus familiarum Gersoniorum in oraculari tabernaculo, quorum procuratio erit penes Ithamarum Aharonis filium sacerdotem.

Gersoniorū munus.

Merarenses quoq; generatim per familias recenseto, à tricenarijs ad quinquagenarios, quicunque militiæ apti sunt, ut munia procurent oracularis tabernaculi. Totius autem eorum muneris, & procurationis in oraculari tabernaculo hæc erunt: asseres tabernaculi, eiusq; repagula, & columnæ, & bases, & columnæ circum atrium, earumq; bases, paxilli, funes, cum omni eorum muneris instrumento. Et instrumentum quidem, quod erit eorum procurationis & muneris, recensetote nominatim. Hoc omnino munus est familiarum Merarensium in oraculari tabernaculo, curatore Ithamaro Aharonis filio sacerdote.

Merarensiū munus.

D Recensuerūt igitur Moses & Aharon, primoresq; ciuitatis, Cahathinos generatim per familias, omnes qui triginta annis maiores, infra quinquaginta, essent ad militiam idonei, ut munus obirent in oraculari tabernaculo, quorum generatim recensitorum summa fuit duo millia septingēti quinquaginta. Hic est numerus omniū ex familijs Cahathinorum, qui munus facerēt in oraculari tabernaculo, quos recensuerūt Moses & Aharon ex præscripto Iouæ ad Mosem. Gersoniorū eadē ratione recensitorū summa fuit, duo millia sexcenti triginta. Merarensiū itē tria millia ducēti. Hæc summa est stirpis Merarensiū, à Mose & Aharone ex Iouæ præcepto Mosi dato recensitorū. Vniuersorū Leuitarū à Mose & Aharone, & Israelitis principibus

principibus generatim per familias recensitorum, qui annum trigesimū excedentes, usq; ad quinquagesimum, apti esset muneri obeundo, & oneri in tabernaculo oraculari ferendo, summa fuit octo millia quingenti octoginta: qui ex Iouæ mandato per Mosem recensiti, & suo quisq; muneri & oneri præpositi sunt, ut Ioua Mosi præceperat.

CAPVT V.

TVm autem Mosi mandauit Ioua, ut præciperet Israelitis, ut exigeret è castris leprosos omnes, & quibus genitura flueret, & funere pollutos tum mares tum fœminas: eos inquā extra castra emitterent, ne castra sua polluerēt, cum in eis habitaret ipse Ioua. Id quod fecerūt Israelitæ, eosq; ex castris emiserunt, sicuti Mosi mādauerat Ioua.

Mulctæ lex
Leuit.6.a

¶ Tum Ioua ad Mosem: Hęc, inquit, Israelitis exponito. Si quis, si quæue humanum aliquod peccatum fecerit, & contra Iouam committendo, mulctam commiserit, peccatum suum confitetor, mulctæq; summam reddito, & insuper quintam addito, eiq; dato in quem mulctam commisit. Quòd si homo propinquū non habet, cui mulcta soluatur, ea mulcta Iouæ soluatur, sitq; sacerdotis: præter arietem propitiatorium, quo pro eo supplicetur. Atq; omnia ex Israelitarū consecratis donaria, quæ sacerdoti dederint, eius sunto, & cuiusq; cōsecrata eius sunto: quod quisq; sacerdoti dederit, eius esto.

Zelotypiæ lex.

¶ Tum autem hæc Israelitis, inquit Ioua Mosi, dicito. Si cuius uxor deliquerit, B & in uirum suum commiserit, cumq; ea uir alius rem habuerit, idq; uir eius ignoret, ea clā stuprata, cum neq; testis sit contra eam, neque deprehēsa fuerit, eiusq; uir [a] obtrectatione cōtra eam affletur, quæ stuprata fuerit: aut si etiā obtrectatione contra uxorem affletur, quę corrupta non fuerit: adducito uir ille uxorē suam ad sacerdotē, & præter eam eiusdē libamentū, decimam partē ephi farinæ ordeaceæ, cui neq; oleū neq; thus indat, quoniā obtrectationis fertum est, fertum indicatiuum, ad crimen coarguendum. Id sacerdos libato, & ante Iouam ponito, aquamq; sacram in uase fictili sumito: tum de puluere, quod erit in tabernaculi solo, sumito, & in aquam indito, mulieremq; apud Iouā C sistito, eiusq; caput tōdeto, & ei in manus tradito fertum indicatiuum, quod est fertum obtrectationis. Ipse in manu habēs aquam amaram diram, mulierem iureiurando adigito in hæc uerba: Si nemo tecum concubuit, & si stupro nō deliquisti in uirum tuum, illæsa esto ab hac aqua amara dira. Sin autem in uirum tuū commisisti, stuprataq; es, et tecum rem habuit uir alius quàm tuus, Ioua (inquiet sacerdos, mulierē diro iureiurando obstringēs) exemplum in te statuat dirarum & periurij apud tuos, femur tibi decutiendo, & uentrem distendendo: ueniatq; hæc dira aqua in tua uiscera ad uentrem distendendū, & femur decutiendū. Mulier autem D respondeto: Amen, amen. Scribitoq; sacerdos has diras in scheda, & aqua amara deleto, eamq; aquam amaram dirā mulieri bibendam dato, ut ueniat in eam aqua dira in amaritudinem. Sumito autem sacerdos de manu mulieris fertum obtrectationis, idq; fertum porricito apud Iouam, & ad aram libato, comprehenditoq; de ferto monimentum mulieris, & aram suffito, deinde aquam mulieri bibendam dato. qua aqua pota, si quidē stuprata fuerit, inq; uirum suum cōmiserit, ueniet in ea aqua dira in amaritudinē, distendeturq; ei uenter, & femur decidet, eritq; mulier periurij exemplum apud suos. Quòd si fuerit à stupro munda, illæsa erit, & prolem gignet. Hęc obtrectationis lex esto, si cui uxor fidem fregerit, stuprataq; fuerit. Sin autem quis obtrectatione afflatus in suam cōiugem, eam ad Iouam stiterit, & ei sacerdos fecerit ut habet hæc tota lex, tum uir à culpa aberit, & mulier pœnas dabit.

[a] id est, zelotypia.

CAPVT VI.

Nazaræorum lex.

TVm hæc Mosi Ioua effatus est: Hæc Israelitis in hunc modum dicito: Si quis se uir, seu fœmina, nūcupato Nazaręi uoto sese Iouæ deuouerit, à uino & temeto abstineto: uini aut temeti acetum ne bibito: uuarum liquorē nullum bibito: uuas neq; recentes, neq; passas gustato. Quamdiu ita deuotus erit, nihil quod ex uite uinaria fiat, siue acini sint, siue uinacea, gustato. Quamdiu eius deuotionis uotum durabit, nouacula eius capiti ne admouetor: usq; ad peractum spaciū, quo Iouæ deuotus erit, sacer esto, capitis sui capilli comam alendo. B Quamdiu Iouę deuotus erit, funeri ne interesto: ne in parentum quidem, aut fratris, aut sororis morte funestetur, quoniā eius capiti inest eius Deo deuota cæsaries, cuius deuotionis toto tempore Iouæ sacer est. Quòd si aliquo repentè & ex improuiso apud eum mortuo, eius deuotū caput pollutum fuerit, radito caput die purificationis suæ: id est, die septimo. Octauo autē afferto duos turtures, aut duos columba natos, ad sacerdotem, ad portam oracularis tabernaculi, quorum unum sacerdos piaculum, alterū solido sacrificio faciat, eumq; à commisso in funere delicto expiet, & eius caput eodem die lustret, atq; ita Iouæ deuotionis suæ spacium destinato, & agnum anniculū ob noxiā adducito: superiores autem dies irriti sunto, quòd polluta fuerit eius deuotio. Completo autem deuotionis tēpore, hæc Nazaræi lex est. C Ad portam oracularis tabernaculi adesto, & munus suum Iouæ afferto, agnum anniculum uitij expertem unum ad solidum sacrificiū, & agnam unam anniculam uitij expertem ad piaculum, & arietem unum uitij expertē pro salute. Tum azymorum similagineorum canistrum, placentas ex oleo subactas, crustulaq; azyma oleo delibuta, eorumq; fertum, & uinum libādum. Sacerdos autem Iouæ libato, illiusq; piaculum & solidum sacrificium facito. Arietem autem Iouæ facito sacrificio pro salute, præter azymorum canistrum, illiusq; ferto & uino facito. Tum Nazareus deuotum caput suum in ostio oracularis tabernaculi radito, suiq; deuoti capitis cæsariem capito, & igni uictimæ pro salute supposito iniicito. Tum ille arietis armum anteriorem coctum capito, & placentam azymam

Iudic.13.a — *Act.21.d.c.*

mam

mam unam de canistro, unumq́ crustulũ azy- D mum: eaq́ palmis Nazaræi, postquam deuotam cæsariem suam raserit, indito, & Iouæ porricito. Hoc sacerdoti sacrum esto, præter porrectitium pectusculum, præterq́ armum exceptitium. Postea Nazaræus uinũ bibito. ¶Hæc Nazaræi lex est, qui Iouæ libamen super deuotione sua uouerit,[a] præter ea quæ feret eius facultas, ut pro uoti à se nũcupati ratione super deuotionis suæ lege agat. Hoc quoq́ dixit Ioua Mosi: Dicito Aharoni eiusq́ filijs in hunc modum. Israelitis bene precamini in hæc uerba: Felicitet uos Ioua, cõseruetq́: illustret uos Ioua suo uultu, uestriq́ misereatur: conijciat in uos Ioua uultum suum, uobisq́ pacem conciliet. ita fiet, ut cum meum nomen super Israelitis nuncupauerint, ego eos fortunem.

a hæc omnino libare cogetur. Si quid præterea libare sua sponte p̃ sua facultate uolet, licebit.

Fausta precatio.

CAPVT VII.

Principum donaria in tabernaculum.

Exo. 40. b.

QVo autem die finem fecit Moses tabernaculũ erigẽdi, idq́ & uniuersum eius instrumentum, & aram cum suo item omni instrumento ungendi, atq́ consecrandi, obtulerunt Israelitarum principes, familiarũ primarij, id est, tribuũ principes cẽsorij, sua munera apud Iouam: sex uehicula tecta, & boues duodecim, uidelicet bini singula uehicula, & singuli boues singulos, eaq́ ante tabernaculum adduxerunt. ¶Et Ioua Mosi præcepit, ut ea ab illis acciperet, ut ad oracularis tabernaculi munus adhiberetur, eaq́ Leuitis pro sui cuiq́ muneris ratione distribueret. Itaq́ cæpit Moses uehicula, atq́ boues, eaq́ Leuitis tradidit: uidelicet Gersonijs duo uehicula, & quatuor boues, pro ratione muneris eorũ: Meraræsib. uehicula quatuor, & boues octo, itẽ pro ratione muneris eorũ, cui præerat Ithamarus Aharonis filius sacerdos. Cahathinis nihil tradidit, quoniã sacra administrãtes, humeris portabant. Obtulerũt itẽ principes ad aræ dedicationem, tum cum inuncta est, sua munera ante aram. Et Ioua Mosem admonuit, ut singuli principes singulis diebus sua munera ad aræ B dedicationem offerrent. Obtulerũt autem singuli scutellam unam argẽteam centũ triginta siclorũ: phialam unam argẽteam septuaginta siclorum, uidelicet sacrorum, utranq́ plenam simila in oleo subacta ad fertũ: lancem unam denariam auream, suffimẽti plenã: iuuencum unum bouillũ: arietem unum: agnum unum anniculum, ad solidum sacrificium: caprum caprinum unum, ad piaculum. ad sacrificium autem pro salute boues duos, arietes quinq́, hircos quinq́, agnos anniculos quinq́. Hæc inquam singuli obtulerunt: quorum primo die obtulit Nahason Amminadabi filius, de tribu Iudæ. Secundo autem die Nathanael Suaris C filius, princeps Issacharianorum. Tertio Zabuloniorum Eliabus, Helonis filius. Quarto Rubenensium Elisur, Sedeuris. Quinto Simeoniorum Salumiel, Surisaddæi. Sexto Gadinorũ Eliasaphus, Duelis. Septimo Ephrai- D mitarum Elisama, Ammiudi. Octauo Manas- E sensium Gamaliel, Phadassuris. Nono Benia- F mitarum Abidan, Gedeonis. Decimo Daniorum Achieser, Anmisaddæi. Vndecimo Aserianorum Phegiel, Ochranis. Duodecimo Nephthaliensium Achira, Enanis. ¶Hæc sunt aræ dedicandæ, tum cum uncta fuit, oblata ab Israelitarum principibus munera, scutellæ argenteæ duodecim, phialæ argenteæ totidem, lances aureæ totidem, scutellæ quidem[a] centenariæ tricenariæ, phialæ autem septuagenariæ, quorum omnium uasorum argenteorum summa efficitur duo millia quadringenti sicli ponderis sacri. Lances aureæ duodecim suffimẽto plenæ, denariæ, pondere sacro, quarum summa est sicli centum & uiginti. Boues ad so- B lidum sacrificium fuerunt omnino tauri duodecim, arietes totidem, agni anniculi totidem cum suo ferto. capri caprini duodecim ad piaculum. Ad sacrificiũ autem pro salute fuerunt omnino tauri uigintiquatuor, arietes sexaginta, capri sexaginta, agni anniculi sexaginta. ¶Hæc fuit altaris iam inuncti dedicatio. Cum autem intrabat Moses in oraculi tabernaculum, ad colloquendum cum illo, audiebat uocem colloquentis secum ex propitiatorio arcæ oraculi imposito inter duos Cherubos, & ita cum eo colloquebatur.

a cẽtenos triceninos siclos pendentes.

CAPVT VIII.

MAndauit item Ioua Mosi, ut Aharonem admoneret, ut cum lucernas accẽderet, efficeret ut[a] uersus candelabri conspectum lucerent septem lucernæ. Id quod fecit Aharon, & in frontem candelabri eius lucernas accendit, sicuti Mosi Ioua præceperat. Erat autem opus candelabri ex auro solido, tum crus, tum lilia, solidũ à Mose factum ad exemplar quod ei Ioua monstrarat. Tum Ioua Mosem sic allocutus est: Secerne Leuitas ex Israelitis, eosq́ purificato. Sic autem eis purificandis facito. Aqua piaculari eos conspergito, & nouacula B totum corpus radunto, uestimẽtaq́ lauanto, & ita purificantor. Tum taurum bouillum adhibento, eiusque fertum, similam in oleo subactam: tum taurum alterum bouillum ad piaculũ adhibeto: adductisq́ ante oraculi tabernaculum Leuitis, uniuersos Israelitas ad concionem conuocato. Deinde Leuitas Iouæ obmoueto, eósque, cum eis Israelitæ manus suas imposuerint, Aharon Iouæ porricito ab Israelitis, ut ita Iouanæ operationi destinẽtur. De- C inde ipsi Leuitæ manus suas taurorũ capiti imponũto, & tu unum eorũ ad piaculũ, alterum solido sacrificio facito Iouæ ad supplicandum pro Leuitis: ac Leuitas corã Aharone, eiusq́ filijs statuito, & Iouæ porricito, atq́ ab Israelitis, ut mei sint Leuitæ, secernito. Postea ueniunto Leuitæ ad operandum in oraculi tabernaculo à te purificati ac porrecti. Sunt enim mihi ex Israelitis addicti, à me mihi desumpti, pro omnibus qui locos aperuerint, pro omnibus inquam Israelitarũ primogenitis. Etenim mea sunt omnia Israelitica tum hominũ tum pecudum primogenita, ac quo die omnia in Aegyptiorum finibus primogenita occĩdi, ea mihi consecraui. Sed Leuitas pro omnibus Israelitarum primogenitis desumpsi, quos Aha-

a rostra (in quibus ellychnia sunt) haberẽt antrorsum spectãtia

Leuitarum consecratio.

Exod. 13. a
Suprà 3. e
Luce 2. d

D roni, eius'que filijs ex Israelitis attribui, qui Israelitarũ munere in oraculi tabernaculo fungantur, procꝗ eis supplicent, & ab eis cladem auertant, quæ esset, si Israelitę ad sacrarium accederent. Fecit ergo Moses & Aharon & uniuersa Israelitarũ multitudo Leuitis, quemadmodũ planè Mosi Ioua super eis præceperat: expiatiꝗ sunt Leuitę, & uestimenta lauerunt, eosꝗ Iouæ porrexit Aharon, & pro eis purificandis supplicauit. Tum demum ingressi sunt Leuitæ suo munere fungi in oraculi tabernaculo, coram Aharone, & eius filijs: factumꝗ eis est sicuti Ioua Mosi super eis pręceperat.

¶ Itemꝗ Mosi Ioua dixit: De Leuitis sic habeto: qui annum uigesimumquintum excesserint, ij in oraculi tabernaculũ operationis munere functuri intrãto: quinquagenarij autem ab operationis munere cessanto, emeritiꝗ deinceps sunto: sed agnatis suis ad curam in oraculi tabernaculo gerendam ministranto: at operatione ne funguntor. Ad hunc modũ suas Leuitis prouincias assignato.

CAPVT IX.

ITẽ. Mosi præcepit Ioua in solitudine Sinæ, anni secũdi exitus eorũ ex Aegypto mense primo, ut agerẽt Israelitę Pascha suo tempore, id est, quartodecimo die mensis eius, sub crepusculum, idꝗ ex omnibus eius institutis atꝗ ritibus. Ergo Moses cũ Israelitis egit de agendo Pascha. Itaque egerunt Israelitæ Pascha die quartodecimo mẽsis primi, sub crepusculum, in solitudine Sinæ, & omnia quæ Mosi Ioua præceperat executi sunt. Fuerũt autem quidã, qui cum Pascha eo die propterea agere nõ possent, quòd erant ex funere polluti, Mosem & Aharonem eodem die conuenerunt, eiꝗ demonstrauerunt se funere pollutos, prohiberi munus suo tẽpore Iouæ inter Israelitas libare. Quibus Moses iussit, ut expectarẽt, dum ipse Iouam super eis cõsuleret. Cui sic Ioua retulit.

Pascha agunt Israelitæ.

B

Hæc Israelitis dicito: Si qui uestrûm aut uestrorum posterorum erunt ex funere polluti, aut in itinere procul aberunt, ij cum Iouæ Pascha agent, secundi mensis die decimoquarto sub crepusculum agunto, idꝗ cum azymis & cichoreis comedũto. Nihil ex eo ad posterum diem reliqui faciunto, neꝗ eius os ullum frangunto, ac planè ex instituto Paschæ id faciunto. Qui autem & mundus erit, neꝗ in itinere erit, si Paschæ agendo supersederit, is de suorũ numero excinditor: qui Iouæ munus suo tempore non obtulerit, is pœnas dato. Quòd si quis peregrinus apud uos degẽs, Pascha aget C Iouæ, ex Paschę instituto atꝗ ritu facito: idem peregrinorum ac indigenarum ius habetote.

Exod.12.g Ioan.19.f

¶ Cæterùm quo die erectũ est tabernaculum, operuit nubes ædem oracularis tabernaculi. uespere autem extitit super tabernaculo quædam ignis species, usque ad manè: atque ita fiebat continenter, ut nubes interdiu, & ignis species eam noctu operiret. Ac tum demum proficiscebantur Israelitæ, cum se nubes ex tabernaculo efferebat: & quo loco nubes consederat, ibi castra faciebant, atque ad Iouæ præscriptum castra uel mouebant, uel habebant. D Quandiu considebat nubes super tabernaculo, castra habebant: quòd si multos dies considebat, Iouæ mandato parebant, neque proficiscebantur. Quòd si quando accidebat, ut nubes aliquàm multos dies super tabernaculo resideret, ad Ioue nutum castra uel habebant, uel mouebãt. Et si fiebat ut à uespera ad manè morata nubes, manè attolleretur, ꝓficiscebantur: & siue interdiu, siue noctu sese efferebat, proficiscebãtur: ac siue unum atꝗ alterũ diem, siue mẽsem, siue annum totum super tabernaculo permanebat nubes, statiua habebãt, neꝗ proficiscebantur: rursum ea sese attollente, proficiscebantur. Ad Ioue nutum castra uel ponebãt, uel mouebãt, curabantꝗ ut quod eis Ioua per Mosem præceperat, exequerentur.

Exod.40.b

1.Cor.10.a Castrorum dux nubes.

CAPVT X.

TVm Ioua cum Mose locutus est in hunc modũ: Facito duas tubas argẽteas, easꝗ solidas, quibus ad cogendam concionem, & ad castra mouenda uteris, quarùmque ad clangorem conueniet ad te omnis multitudo, ad portã oracularis tabernaculi. Quòd si una tuba clangetur, conueniunto ad te principes, copiarum Israeliticarũ duces. Cum autem cum ouatu clangetis, qui ad orientem tetenderint, proficiscuntor. Cum itẽ secundùm cum ouatu clangetis, qui ad austrum tetenderint, mouento. G. L. Cum tertiùm, qui ad occidentẽ: cum quartùm, qui ad septentriones: H. eis'que soluentibus cum ouatu clangunto. In concione autem cogẽda clangitote, neꝗ ouatote. Clangũto autem tubis istis Aharonis filij, isꝗ mos ad posteros uestros in æternũ proditor. Cũꝗ in finibus uestris pręlium cum hoste uobis infesto cõmittetis, clangitote tubis istis: ita fiet, ut uestro Deo Ioua uestri memore, ab hostibus defendamini. B Tum in gaudijs uestris, in solennitatibus, in mensium initijs clangitote tubis super uestris solidis sacrificijs, superꝗ sacrificijs pro salute, ut ea uestri recordationem apud Iouam Deum uestrum, id est, apud me commoueant. ¶ Accidit autem anno secũdo, die secundi mensis uigesima, ut ex oraculi tabernaculo efferret nubes. Itaque profecti sunt Israelitæ agminis ordine seruato, à deserto Sina, consedit'que nubes in deserto Pharane, ac tum primùm castra mouerunt, sicuti Ioua per Mosem præceperat. Primùm autẽ profectum est signum agminis copiarum Iudæarum, quibus præerat Nahason Amminadabi filius. Issacharianæ autem tribus copijs præerat Nathanael, Suaris filius: Zabuloniæ Eliabus, Helonis. Interea detenso tabernaculo profecti sunt Gersonij & Merarẽses tabernaculum gestantes. Deinde profectũ est signum agminis Rubenensis, cum suis copijs, quibus præerat Elizur Sedeuris filius. C Copijs autẽ tribus Simeoniæ præerat Salumiel, Surisaddæi filius: Gadinæ Eliasaphus, Duelis. ¶ Tum profecti sunt sanctuarium portãtes Cahathini, in quorum aduentum illi tabernaculum erexerũt. Deinde profectum est signum agminis Ephraimi-

Tubæ.

Suprà 1.a Agminis ordo in itinere.

tarum

tarum cũ suis copijs, quibus Elisama præerat, Ammiudi filius. Copijs autem tribus Manassensis pręerat Gamaliel, Phadassuris filius: Beniaminẽsis Abidan, Gedeonis. Postremò profectum est signũ agminis Daniorum cum suis copijs, totũ exercitus agmen claudens, quorũ copijs præerat Achieser Ammisaddæi filius. Asserianę autẽ tribus copijs præerat Phegiel, Ochranis: Nephthaliẽsis Achira, Enanis. Tali ordine in itineribus pergebãt Israelitę in agmina distributi.

Moses soceri filium retinet.

D

Moses autem cum Hobabo Raguelis Madianitę soceri sui filio sic locutus est: Nos in locum proficiscimur, quem se nobis daturum Ioua promisit. Veni nobiscum, & tibi benefaciemus. Nam statuit Ioua beneficijs Israelitas afficere. Cumq́ ille iturum se negaret, sed suam terram patriam repetiturum, Moses sic eum alloquitur: Noli quæso deserere nos. Scis enim mansiones nostras in desertis, & nobis oculorum uicem præbebis. Quòd si nos comitabere, quibus nos à Ioua beneficijs affici contigerit, ijsdẽ te afficiemus. ¶ Igitur ex Iouæ monte profecti triduum iter fecerunt, arca fœderis Iouæ eo triduo eos ad explorandam stationem pręcedente, cùm interim Iouæ nubes interdiu iter facientibus incumberet.

Psal.64.a

Proficiscente autem arca, præfabatur Moses: Exurge Ioua, & dissipentur hostes tui, fugiãtq́ ante te osores tui. Ea autẽ consistente, dicebat: Cõuerte te, Ioua, ad legiones exercitus Israelitarum.

CAPVT XI.

Sed accidit, populum improbè in auribus Iouæ queritari. quibus auditis irato Ioua, exarsit eius ignis in illos: iam'que extrema castrorum consumebat, cum populus ad Mosem clamauit. quo Iouam precato, consedit ignis: est'que locus Tabera uocatus, quòd illic Iouæ ignis in eos exarsisset.

Tabera locus.

Tum autẽ promiscuum uulgus, quod erat inter eos, necnon Israelitæ cupiditate ducti, rursum fleuerunt, ita dicẽtes: Quis nos carne pascet? Venit in mentẽ pisciũ, quibus in Aegypto placidè uescebamur, cucumerum, peponum, porrorum, ceparum, alliorum. Nunc animis cõtabescimus, dum nihil aliud nisi Manna ista oculis nostris obuersatur.

Desideratur Aegyptiacibus.
1. Cor.10.a
Manna qualis.

B

Erat autem Manna coriãdri grano similis, specie bdellij, quam illi passim colligebãt, molaq́ cõtusam, aut in mortario distritam coquebant in ollis, & hinc panes depstitios faciebãt, sapore libi oleo cõfecti. Hęc Manna cum rore in castra delato noctu deferebatur.

Exo.16.c
Sap.16.c
Psal.77.c
Ioan.6.d

¶ Audiebat autẽ Moses populũ generatim ante sua quosq́ tabernacula flentes: quę res & Iouæ magnam iram, & Mosi dolorem fecit. Ac Moses Iouæ ita dixit: Cur me tuũ hoc malo afficis, & ita inuisum habes, ut mihi totius huius populi onus imponas? Nunquid ego hunc tantum populum cõcepi? nunquid peperi? ut tu mihi iubeas eum in sinu ferre, in terram quam eius maioribus iurasti, quomodo gestat nutritor alumnũ?

C

Vnde mihi carnem, quam his tot hominibus dem? qui apud me flentes postulãt, ut sibi dem carnem quam comedant? Non possum solus ego totum hũc populum ferre: est enim, quàm pro me, grauior. Quòd si ita mecum agis, interfice me, si quid apud te authoritatis habeo, ne mihi ferendum sit hoc malũ. Cui Ioua: Conuoca mihi septuaginta uiros de senatoribus Israelitarum, quos senatores populi & magistratus scis esse, eos'que ad oraculi tabernaculum accersitos ibi tecum habeto.

Septuaginta uiri.

D

Et ego ad colloquendum tecum eò descendam, detrahamq́ de spiritu, quo præditus es, quod eis immittam: ita tecum populi onus sustinebunt, ne tu solus sustineas. Populum autem admoneto, uti lustrentur in crastinum, carnem comesuri: quoniam audiente Ioua fleuerunt, carnem sibi ad cibum dari postulantes, pręstare sibi esse in Aegypto. Igitur Iouam eis daturum carnem, quam comedant: & quidem non uno die comedant, non biduo, non quinque diebus, non decem, non uiginti: ad menstruam diem, ita ut eis per nares respuatur, & nauseam pariat: quoniam repudiato inter eos uersante Ioua, apud eum plorantes cõquesti sunt, sese ex Aegypto emigrasse.

E

Tum Moses: Sexcentorũ, inquit, peditum miliũ est hic in quo ego uersor populus: & tu dicis te tãtum carnis daturum esse, quantum eis in menstruam diem comedendo satis sit? Oues'ne, & capræ, & boues, eis qui sufficiant, mactabuntur? an omnes maris pisces, eis qui sint satis, cõgregabũtur? At Ioua: Iouæ'ne [a] manus, inquit, contracta est? Iã uidebis, meáne tibi promissa præstentur, necne.

Ioan.6.b
a id est, potentia.
Esa.59.a

Tum Moses egressus, populo Iouæ dicta renunciauit: conuocatosq́ septuaginta uiros de populi senatoribus, circum tabernaculũ collocauit. Et Ioua in nube descendit: cum'que eo locutus, detraxit de spiritu quo erat ipse Moses præditus, & septuaginta senatoribus uiris immisit: qui spiritus ubi in illis insedit, tum [b] sine intermissione uaticinabantur. Restabant autem duo in castris, quorũ alteri Eldadus, alteri Medadus nomen erat: qui cum essent in numero cõscriptorum, neque ad tabernaculum cõcessissent, cœperunt & ipsi spiritu afflati in castris uaticinari.

b aduerbũ, Ita uaticinabãtur, ut nihil adderẽt: hoc est, ut id unum continẽter agerent.

F

Quòd cum puer quidam Mosi nunciatum cucurrisset, ostẽdissetq́ Eldadum & Medadum in castris uaticinari, respõdit Iosua Nunis filius, Mosis de eius iuuenibus administer: Domine Moses, prohibe eos. Cui Moses: Nũ tu pro me inuides? inquit. Vtinam totus Iouæ populus, eius spiritu afflatus, uates sint. Deinde cum se Moses cum Israelitarum senatu in castra recepisset,

G

profectus à Ioua uentus, coturnices ex mari correptas in castra dispersit, quæ undiq́ circum castra unius ferè diei itinere circiter duos cubitos super terra essent.

Coturnices.
Psal.77.c

Ergo populus toto illo die & nocte, totoq́ die sequenti tantum coturnicum cõgerere institit, ut qui minimum congessit, decẽ modios congesserit: quas passim circum castra exponebant. Erat adhuc eis caro inter dentes, necdum concissa, cum incandescens in populum Ioua, permagna eũ clade affecit: estq́ locus ille nominatus, Busta cupiditatis, quòd illic homines cupidi sepulti sunt. Ex Bustis cupiditatis profectus est populus Haserotha.

Busta cupiditatis.

CAPVT XII.

Mariae & Aharonis inuidia.

ATque interea dum sunt Haserothis, obloquuti sunt Maria & Aharon cõtrà Mosem, propter ductam ab eo uxorem Aethiopissam (nam uxorem Aethiopissam duxerat) Solum'ne Mosem affatus est Ioua? An non nos quoque affatus est? Erat autem Moses, uir omnium, quos terra ferebat, mitissimus. Eo audito Ioua subitò Mosi, Aharoni, & Mariae iussit, ut ipsi tres ad oraculi tabernaculũ a exirẽt. quod cum fecissent, descendit Ioua in columna nubis, & pro tabernaculo astãs, Aharonem & Mariam euocauit, eisq; ambobus egressis

a scilicet ex castris. nã extra castra erat tabernaculum.

B ita fatur: Agite, audite uerba mea. Si quis erit uestrûm Iouę uates, ego ei per uisa notus fiam, & in somnis cum eo loquar. At cũ Mose meo non item, cui totius meę domus fides habetur: quin eũ praesens praesentem affabor, coramq; ac sine aenigmatis aut simulachro Iouam aspiciet. Contra hũc meum Mosem loqui cur non metuitis? Sic iratus in eos Ioua abijt, & nubes

Heb. 3. a

C à tabernaculo discessit: & ecce Maria leprosa erat, & niui similis. quam cũ respiciẽs Aharon leprosam animaduertisset, dixit Mosi: Quaeso te Domine, ne hoc tam incõsideratè cõmissum à nobis peccatum in nos animaduertas, ne'ue sit haec abortiuo similis, qui ex utero matris dimidio corpore consumpto exit. ¶ Tũ Moses

D Iouam inuocans: O Deus, inquit, sana eam quaeso. Cui Ioua inquit: Si pater eius faciem ei conspuisset, an non septẽ diebus uerecundaretur? Excludatur ex castris in septẽ dies, postea admittetur. Ita exclusa est castris Maria per septem dies, neq; populus ante Mariã admissam castra mouit. Postea ex Haserothis profecti, castra fecerunt in solitudine Pharane.

CAPVT XIII.

TVm Ioua Mosi mandauit, ut uiros mitteret, qui Chananaeam, quam ipse Israelitis daret, explorarent, eosq; ex singulis patrijs tribubus singulos, & eos omnes primores. Itaq; eos ex Pharane solitudine ex Iouae mandato misit, uiros scilicet omnes inter Israelitas primarios, quorum nomina sunt haec: Ex tribu Rubenina Samua Zaccuris filius, ex Simeo-

Mittuntur in Chananaeã exploratores.

B nia Saphatus Horis, ex Iudaea Calebus Iephonis, ex Issachariana Igal Iosephi, ex Ephraimina Hosea Nunis, ex Beniaminea Phaltis Raphuis, ex Zabulonia Gadiel Sodis: ex Iosephica, ex Manassensi Gaddis Susis, ex Dania Ammiel Camallis, ex Aseriana Sathur Michaelis, ex Nephthaliana Nahbis Vopsis, ex

C Gadina Guel Machis. ¶ Haec sunt hominũ nomina, quos misit Moses exploratum terram, quorum Hoseam Nunis filiũ Iosuam uocauit. Hos igitur misit Moses ad explorandam Chananaeam terram, eisq; mandauit, ut ad meridiem conscenderent, superatisq; mõtanis specularentur qualis esset terra, quae gens in ea habitaret, potens'ne an debilis, pauca an multa. Tum qualis esset terra quam gens illa incoleret, bona an mala: tum cuiusmodi urbes incoleret, in castris'ne an in munitis locis degeret. quale item solum, pingue, an macrum: arbo-

D res haberet, an contrà: uiros se praestarent, & de terrae fructibus afferrent. Erat autem tempus, quo maturescunt uuae. Igitur ascenderunt, & terram explorarunt à deserto Sine ad Rohob, uersus Hematham: & meridiem uersus progressi, peruenerunt ad Hebronem, ubi erãt Achiman, Sesaeus, & Thalmaeus, Enaquo prognati (fuit autem Hebron extructa septem annis ante Soanẽ Aegypti) progressisq; ad fluuium Escolem, ibi termitem & uuarum palmitem unum absciderunt, eumq; duo palo impo-

Deut. 1. a

E situm tulerunt, necnon de malogranatis, & ficubus. Hinc uocatus est is fluuius Escol, propter palmitem quẽ illinc absciderunt Israelitae. Deinde ab exploranda terra post quadraginta dies reuersi, Mosem adeũt, Aharonem'que, & omnem Israelitarum multitudinem in solitudinem Pharanem, in Cadem: eisq; rem omnem retulerunt, atque demonstrarunt, & illius terrę fructus ostenderũt, atque ita Mosi narrarunt:

F Venimus in terrã, in quam tu nos misisti, quae terra abundat illa quidem lacte & melle, atque ecce fructus eius. Sed incolas habet fortes, & maximas atq; munitissimas urbes: quinetiam Enaquinos ibi uidimus. Amalechita ad meridiem habitat: Hettaeus autem, & Iebuseus, & Amorraeus, in montanis. Chananaeus maritima, & Iordani finitima incolit. Calebus autem

G populum Mosi cõpescebat, cohortans, ut proficiscerentur modò, eamq; inuaderent: superaturos enim. Sed qui cum eo iuerant, negabant se posse illum populum adoriri, utpote ipsis fortiorem: deq; ea terra, ad quam explorãdam iuerant, sinistrè apud Israelitas loquebantur: terram esse suorum incolarũ consumptricem, omnesq; quos ibi uidissent, homines esse immani statura. Vidisse etiam ibidem gigantes, hoc est, Enaquinos, qui essent de genere gigantum: cum quibus collati ipsi, sibi locustae esse uiderentur.

CAPVT XIIII.

Israelitarũ de expugnãda Chananaea desperatio.

TVm uniuersa multitudo sublato clamore quiritari, & eam noctem in ploratu ducere, omnesq; Israelitę contra Mosem & Aharonem fremere, & apud eos expostulare uniuersa multitudo: Vtinã se aut in Aegypto, aut in solitudine illa mortuos esse: cur tandem à Ioua in terram illam adductos esse, ferro truci dandos, suis foeminis & impuberibus praedę futuris? nonne satius sibi esse, in Aegyptum reuerti? Tum inter se cohortabantur, ut ducem crearent, in Aegyptum'que remearent. Hic Moses & Aharon ante uniuersum Israelitarum multitudinis coetum procidere: & Iosua Nunis, & Calebus Iephonis filius, qui de terrae exploratoribus erant, uestes suas abrumpere, totiq; Israelitarum multitudini demõstrare, terrã ad quam explorãdam iuissent, terram esse per-

B quam bonam, in quam Ioua eos (si modò faueret) esset introducturus, eamq; eis daturus: terram quę lacte melleq; afflueret: tantum ne contra Iouam rebelles essent, ne'ue illius terrae incolas timerent: illos enim praesidio nudatos, ab ipsis facilè confectũ iri, quibus adesset Ioua:

1. Para. 1. a
Eccl. 46. b
1. Mach. 1. f

proinde

proinde ne pertimescerent. Sed cũ illos omnis multitudo lapidãdos diceret, Ioua, eius splendore in oraculi tabernaculo omnibus Israelitis apparente, dixit Mosi: Quousq; in me contumeliosus erit iste populus? quousque mihi fidem non habebunt, tot ostentis à me apud eos editis? Afficiam eos peste, atque euertam, & te in gentem ista maiorem & potentiorem propagabo. Cui Moses: Ergo ubi hoc audi- *C* uerint Aegyptij, inquit, è medio quorum tu hunc populum tua ui deportasti: cumq; hoc illius terræ incolis renunciatum fuerit, audiuerintq; te, Ioua, qui in medio hoc populo uersatus, qui horũ oculis coram uisus fueris: te Ioua, cuius nubes eis incubuerit, qui eos interdiu in *Exo.13.d* columna nubis, noctu in columna ignis antecesseris: cũ inquam audiuerint gentes, ad quas tua fama perueniet, te populum hunc ad unum deleuisse, dictitabunt Iouam, quia hunc populum nequiuerit in terram, quam ei iurauisset, introducere, eum in desertis mactauisse. Quare *Psal.102.b* exhibeatur quæso magna illa Domini potentia, qualem prædicabas his uerbis: IOVA AD IRAM TARDVS, AD CLEMEN- *Exo.14.c* TIAM PROPENSVS, CVLPAS ET PECCATA CONDONANS: IN POENA AVTEM IRROGANDA, PARENTVM CVLPAM IN NATOS AD TERTIAM ET QVARTAM STIRPEM PERSEQVENS. Remitte quæso culpam huic populo, pro tuæ clementiæ magnitudine, *D* & quemadmodum ei ab Aegypto hucusque ignouisti. Cui Ioua: Remitto, ut postulas.

Verumtamen ita uiuam, ut [a] Iouæ gloria totus terrarum orbis replebitur: nec ullus hominum, qui [b] gloriam meam, & ostenta, quæ tum in Aegypto, tum in solitudine feci, uiderunt, & tamen iam uel decies me tentauerunt, neque mihi morigerati sunt, terrã uidebit, quam eorum maioribus iuraui: eam inquam nullus *Iosue 14.b* in me contumeliosorum uidebit. At seruum meũ Calebum, qui alio animo præditus, suum mihi præstitit officium, introducam in terram, in quam iuit: eam'que eius progenies, necnon Amalechitas, & Chananæos uallis incolas, occupabit. Cras reuertimini, & in solitudinem uersus mare rubrum contenditote. Deinde *E* cũ Mose & Aharone locutus est Ioua his uerbis: Quousque istius sceleratæ Israelitarũ multitudinis fremitus contra me audiã? Dicito eis: *Psal.105.e* Ita uiuam (inquit Ioua) ut uobis, sicuti audien- *Deut.1.f* te me dixistis, faciam. In solitudine ista cadent corpora uestra, neque quisquam ex omni *Iosu.5.c.d* uestrûm numero, qui uiginti annis maiores censi estis, qui contra me fremuistis, in terram perueniet, in qua me uos collocaturũ esse promisi: exceptis Calebo Iephonis, & Iosua Nunis filio. At paruulos uestros, quos dixistis prædæ futuros, introducam, terramq; à uobis repudiatam uidebunt ipsi: cum interim corpora uestra in ista solitudine cadent. Porro ue- *F* stri nati per solitudinẽ quadraginta annos ductabuntur, & tamdiu uestri meretricij pœnas *Psal.94.d* luent, dum uestra corpora in desertis cõsumantur. Quot diebus terram explorastis, per totidem annos ad totidem dies relatos, id est, per quadraginta annos culpas uestras luetis, discetisq; quid sit in me esse cõtumacem. Ego Ioua & dico et faciã, ut hæc uniuersa scelerata in me conspirantiũ multitudo in ista solitudine cõfecta moriatur. *1. Cor. 10. b* ¶ Homines autẽ, qui à Mose ad explorandam terrã missi fuerant, *Heb.3.d* reuersiq; uniuersæ multitudinis seditionem in eum, de terra *Iude 1.b* illa detrectando, concitauerant: qui inquã terram illã malignè uituperauerãt, ij clade coram Ioua affecti interierunt. Iosua autem Nunis filius, & Calebus Iephonis, erant ex illis qui terram exploratum iuerant. ¶ Hæc omnia cum *G* Moses uniuersis Israelitis renũciasset, magnopere luxit populus: & manè, ut surrexerunt, in montis cacumen ascẽdunt, sese paratos esse locum à Ioua promissum inuadere dicentes, suum'que peccatum confitentes. Quibus Moses ostendere, non esse iniussu Iouæ faciẽdum, neque enim successurum: Ne proficiscerentur ab sente Ioua, ne ab hostibus cæderetur. Illic enim in Amalechitam et Chananæũ incursuros esse, & ferro casuros, utpote quibus Ioua, à quo defecissent, adfuturus non esset. Sed illi pertinaciter montem superare contenderunt, cum in- *Auerso Ioua malè pugnatur.* terim arca fœderis Iouę, & Moses à castris non moueret. Ergo montis illius incolæ Amalechitæ & Chananęi descenderunt, eosq; superatos ad Hormam usq; conciderunt.

a efficiã, ut ubique terrarũ prædicer.
b gloriosa facta.

CAPVT XV.

Sacrificandi lex. ITem cum Mose egit Ioua, ut apud Israelitas uerba faceret in hunc modum: Vbi perueneritis in terram uestræ habitationis, uobis à me datam, cum Iouæ uel solido sacrificio, uel sacrificio rem diuinam facietis, siue ob nuncupatum uotum, siue uoluntariè, siue in solennitatibus uestris, ut odoris suauitate Iouam deleniatis, siue id bubus, siue balantibus facietis: qui munus offeret, is Iouæ fertum obmoueto, similæ decimam partem subactæ in olei quarta parte hinis: itemq; uini ad libandum quarta parte hinis facito in solido sacrificio, aut in sacrificio, ex agno uno. Aut ex ariete facito fertum duarum decimarum similæ in olei triente hinis subactæ, tum uini libandi hinis trientem obmoueto Iouæ ad odoris suauitatẽ. *B* ¶ Quòd si iuuencum aut solido sacrificio, aut sacrificio Iouæ facietis, siue ob nuncupatum uotum, siue pro salute, præter iuuencum libato fertum, similæ tres decimas, in olei hinis dimidio subactæ, pro libandisq; uini hinis dimidium Iouæ ad odoris suauitatem. Idem fiat in singulis bubus, aut arietibus, aut agnis, aut hœdis, ut quot hostijs facietis, toties idem faciatis. Omnis indigena hęc ita facito, ut suaui rei diuinę odore libando Iouam deleniat. Quòd si quis apud uos peregrinãs, aut inter uos in posterum uersans, rem diuinam faciet, ad Iouam odore suaui deleniendum, sicuti uos facietis, sic ille facito: idem & uobis ciuibus, & cõmorantibus apud uos peregrinis institutũ esto: eodem ritu semper & uos & peregrini in posterũ apud Iouam

utimini: eadem lex, atque ius, & uobis & degentibus apud uos peregrinis esto. Item mandauit Ioua Mosi, ut apud Israelitas huiusmodi uerba faceret: Cùm in terram, in quam ego uos introduco, perueneritis, cùm terræ illius uictu uescemini, Iouæ seposita excipitote, uidelicet ex primis frugibus uestris placentam, quam sic excipietis, ut sit in areæ exceptitijs. Ex primis frugibus uestris Iouæ exceptitium datote in posterum. Quòd si per imprudentiam non fueritis executi hæc omnia præcepta, quæ Mosi Ioua elocutus est, uidelicet omnia quæ uobis Ioua per Mosem præcepit, ex quo primùm præcepit, deinceps apud posteros uestros, si quid inquam cæco multitudinis errore per imprudētiam commissum fuerit, facito omnis multitudo iuuencum bouillum unum solido sacrificio, ad Iouā suaui odore deleniendum, unà cum eius ferto, & libando uino de more, & caprum caprinum unum piacularem. Sacerdos autem pro omni Israelitarum multitudine supplicato, eis'que ueniam exorato, quoniam imprudentia est: & ipsi munus suum Iouæ cremandum, & piaculum propter suam imprudentiam Iouæ obmouento, ut ita tam omni Israelitarum multitudini, quàm inter eos uersantibus peregrinis ignoscatur, cū uniuersus populus in errore fuerit. Sin autem unus aliquis per imprudentiam peccauerit, capellam anniculam piaculum ducito, & sacerdos pro homine illo, qui errore peccauerit, apud Iouam supplicato, ut ea supplicatione ei ueniam exoret. Atque Israelitarum indigenarum, & degentium inter eos peregrinorū eandem legem habetote, qui per errorem fecerit. Qui uerò data opera [a] fecerit, siue sit is indigena, siue peregrinus, Iouam despicatus est, de suorum numero excinditor, quoniam Iouæ dictum contempsit, eius'que præceptum uiolauit. is de medio tollitor: & culpam suam luito.

Ioue excepta. — *Publici erroris expiatio.* — C — *Priuati erroris expiatio.* — a crimē alioquin capitale commiserit. — *Qui data opera peccauerit.*

D — *Qui Sabbathū lignando uiolauit.*

Cæterùm interea dum sunt Israelitæ in solitudine, deprehensus est quidam die Sabbathi lignans: quem qui deprehenderunt, adduxerunt ad Mosem & Aharonem, omnemq́ multitudinem: Atque illi eum in custodiam dederunt, propterea quòd non constabat quid esset eo faciendum. Et Ioua iussit Mosi, ut ille moreretur, & ab uniuersa multitudine extra castra lapidaretur. Itaque eductum extra castra uniuersa multitudo lapidibus obruit, necauit'que, sicuti Mosi Ioua præceperat. Tum Ioua cum Mose sic locutus est: Admone Israelitas, ut in posterum fimbrias in uestimentorum suorum limbis faciāt, & limborum fimbrijs uittas hyacinthinas addant, quæ in fimbrijs uestris hæreant, ut eis uidēdis omnium Iouæ præceptorum recordemini, ijsq́ pareatis, neque animis aut oculis uestris (quorum ad libidinem meretricari soletis) obsequamini, ut omnibus meis præceptis memores pareatis, Deo'que uestro sacri sitis. Hæc ego Ioua Deus uester, qui uos ex Aegypto eduxi, ut sim uobis Deus: ego Ioua Deus uester.

Fimbriæ. Deut. 22 Mat. 23

CAPVT XVI.

Coreseditio. Eccl. 45. c Iudæ 1. d 1. Cor. 10. b

Coierunt autem, Cora filius Isaaris, à Cathatho Leuis filio prognati, & Dathan & Abiramus Eliabi filij, & On Phelethi filius, Rubenitæ, & contra Mosem coniurarunt: nec non ducenti quinquaginta Israelitæ, homines ciuitatis primarij, concionales, & celebres. Hi ad Mosem & Aharonem congregati, dicebāt, quòd uniuersa multitudo ex sacris hominibus constaret, interq́ eos Ioua uersaretur, id eis satis esse debere: cur etiā sese supra Iouę rempub. efferrent? His auditis, Moses pronus procidit, Coram'que, & omnes eius gregales alloquens, sic loquitur: Cras manè ostendet Ioua, quis'nam sit suus, quis sacer, & cuius sit ipsi libare, & quem'nam ad sibi libandum elegerit. Sic agite: capitote acerras, tu Cora, cum omni tua caterua, ignemq́ eis, & suffimenta cras apud Iouam iniicitote: tum quem Ioua elegerit, is sacer esto. Facite modum, Leuitæ. Tum B Coram alloquens: Audite Leuitæ, inquit. Parum'ne habetis, quòd uos Israelitarum Deus à multitudine secreuit Israelitarū, ut uos sibi destinaret, qui tabernaculi munus gereretis, & multitudini apparentes ministraretis: quodq́ te, omnesq́ simul agnatos tuos Leuitas cooptauit: nisi etiā sacerdotiū affectetis? Iccirco'ne tu, & totus iste grex coiuistis contra Iouā? nam Aharon quidem quis est, ut in eum seditionem facere uideamini? ¶ Misit autem Moses accersitum Dathanem & Abiramum, Eliabi filios. Enimuerò illi uenturos se negarunt: Parum'ne ei esse, quod eos ex terra lacte melleq́ abundante eduxisset, in solitudine necandos, nisi etiam imperiū in eos exerceret? At quàm præclarè eos in terrā lacte melleq́ scatentem eduxisse? inq́ agri & uinearum possessionem immisisse? oculos'ne hominibus illis effossurus esset? se quidem minimè ituros. Hac re ualde C iratus Moses, Iouam precatus est, ne illorum munus respiceret: se ne asinum quidem ullum ab eis abstulisse, neque eorum quenquam læsisse. Deinde Coram admonuit, ut postridie ipse cum omni suo grege apud Iouā adessent, Aharone simul adfuturo, & suam quisq́ acerram haberent, iniecto'que suffimento, ijs apud Iouam libarent, uidelicet ducentis quinquaginta acerris, ipso Cora & Aharone suā utroque acerram habente. Ergo illi suam quisque acerram cæperunt, iniectoq́ igne, & suffimento, pro oraculari tabernaculo præstò adfuerūt: cum quidem eò Cora omnem multitudinem ad Mosem & Aharonem conuocasset. Tum Ioua, eius splendore toti multitudini apparente, dixit Mosi & Aharoni: Facessite ab ista multitudine, & ego eos repentè conficiam. At illi in faciem prolapsi dicere: O Deus, Deus omnium animalium animator, unus'ne peccauerit, & tu in omnem multitudinem saeuies? D ¶ Tum Ioua Mosi iussit, ut moneret multitudinem, ut à tentorio Coræ, Dathanis, & Abirami undique recederent. Et Moses ad Dathanem & Abiramum ire cōtendit, sequente eum Israelitarum senatu, multitudinem'que admonuit, ut

nuit, ut ab impiorum illorum tabernaculis absisterent, ne'ue quicquam eorum attingerent, ne ad tantum illorum scelus aggregarentur. Ergo illi à Coræ, Dathanis, & Abirami tentorio, undique discesserunt. Dathan autem & Abiramus egresi, stabāt pro tabernaculis suis: eorum'que fœminæ & filij atq; paruuli. Tum Moses: Hinc, inquit, scietis me à Ioua ad edenda illa tot facinora missum fuisse, neque ea mea sponte fecisse: Si ullo humano more morientur isti, si ullo humano supplicio afficientur, tum me Ioua nō miserit. Sin nouum quiddam
E fecerit Deus, tellus'que dehiscens & eos, & quæ habent omnia absorpserit, uiui'que in tartara descenderint, scitote homines istos impiè in Iouam locutos esse. Hæc ubi fatus omnia finem fecit, tum illis subiecta tellus desedit, hia tu'que patefacta, & ipsos, & ipsorum domos, & omnes Coræ homines cum suis rebus deuorauit: eis'que cum omnibus quæ habebant, uiuis in orcum delatis, eos operuit, atque ita ex republ. sublati perierunt. Omnes autem Israelitæ, qui undique circum illos erant, ad illorum uocem diffugerunt, ueriti ne & ipsi à terra haurirentur. Et ignis à Ioua profectus, illos ducētos quinquaginta homines suffitum libantes absumpsit. ¶ Et Ioua Mosi præcepit, ut Eleazaro Aharonis filio sacerdoti mandaret, ut acerras è medio incendio auferret, igne disiecto, quoniam essent consecratæ: ut illorum acerræ, qui suæ uitæ iactura scelerati fuissent, in laminas diducerentur, quibus ara in-
F crustaretur (eas enim, quoniam in eis apud Iouam esset libatum, sacratas esse) quæ'que Israelitis essent exemplo. Itaque cæpit Eleazarus sacerdos æreas illas acerras, in quibus libauerant illi ustulati, eas'que ad altaris incrustationem diducendas curauit, quemadmodum Ioua ei per Mosem mandauerat: ut ea res Israelitas admoneret, ne quis alienus, & alterius seminis quàm Aharonis, Iouæ suffitum facere auderet, ne ei accideret ut Coræ, & eius gregalibus. Postridie autem conspirauit omnis Israelitarū multitudo in Mosem & Aharonem, obijcientes, ab eis occisos esse Iouæ homines. Iam'que multitudine ad eos confluente, respicientes Oraculi tabernaculum, animaduerte-
G runt id opertum nube, & Iouæ splendorem ap parentem. Cum'que Moses & Aharon ante Oraculi tabernaculum uenissent, Ioua sic Mosi dixit: Amouete uos ab ista multitudine, ut ego eos subitò conficiam. Tum illi prociderunt. Et Moses Aharoni dixit: Cape thuribulū, igneq; in id ex ara indito, & suffimine iniecto, propera ad multitudinem, & pro eis supplica: nam à Ioua emanauit ira, iamq; clades incipit. Tum Aharon quod iubebat Moses capere, & in medium populi turbam, in quo iam clades cœperat, procurrere, imposito'que suffimento pro populo supplicare, stans inter mortuos & uiuentes. Ita cohibita clades est: qua in clade mortui sunt quatuordecim millia septingenti, præter illos qui in Coræ causa mortui erant.

Deinde redijt Aharon ad Mosem ad introitum oracularis tabernaculi, sedata clade.

Coræ filij non perierunt, ut est cap. 26. a Psal. 105. b Deut. 11. a

Sap. 18. d

CAPVT XVII.

TVm Ioua cum Mose ita locutus est: Alloquere Israelitas, & accipe à singulis eorū familiarum principibus singulas uirgas, id est, duodecim, & sua cuiusq; in uirga nomen eius scribito. Aharonis autem nomen in Leuitica, B singulis uirgis ad singula familiarum capita relatis. Has in oraculari tabernaculo ante Oraculum, unde ego uobis reddo oracula, reponito. fiet autem, ut quem ego uirum elegero, eius uirga fruticet. Ita me expediam istis seditionibus, quibus in uos Israelitæ conspirant. Hęc cū Moses exposuisset Israelitis, tradiderunt ei singuli suarum familiarū principes singulas uirgas, uidelicet duodecim, quas inter erat & uirga Aharonis: quas Moses ante Iouam in Oraculi tabernaculo reposuit. Postridie cū uenisset C Moses in Oraculi tabernaculum, uidet fruticauisse Aharonicam Leuiticæ familiæ uirgam, & germine pullulasse, flores'que edidisse, & amygdala peperisse. Tū Moses uirgas omnes à Iouę conspectu apud omnes Israelitas protulit: qua re illi uisa, acceperunt suam quisq; uirgam. Et Ioua Mosi præcepit, ut Aharonis uirgam ante Oraculum referret seruandam, & re D bellibus exemplo futuram, ut compresis eorum contra ipsum Iouam seditionibus, nō morerentur: id quod fecit Moses. Apud Mosem deinde Israelitæ cōquesti sunt, demonstrantes se interire, se perire, se uniuersos perire: ut quisque ad Iouæ tabernaculum accedat, emori: ergo'ne sibi prorsus intereundum esse?

Aharonis uirga. *Heb. 9. b*

CAPVT XVIII.

TVm Ioua cū Aharone sic est locutus: Tu unà cum tuis filijs, & domo tua patria, sacrarij culpam sustinebitis: tu autem, unà cum tuis filijs, sacerdotij uestri culpam sustinebitis. Tuos quoq; agnatos, & tribules Leuitas, qui sunt ex eadem tecum stirpe paterna, tibi ascito, qui tibi cooptati administrēt, teq; & tuis filijs apud Oraculi tabernaculum operātibus, tuam & totius tabernaculi curam gerant: tantum ne ad uasa sacra, aut ad altare accedant, ne & ipsi, & uos moriamini. sed tibi cooptati curā gerant oracularis tabernaculi in toto tabernaculi munere, ne'ue alienus ad uos accedat. Ita uobis sacrarij & aræ curam gerentibus, in Israelitas deinceps nō sæuietur. Iā uerò ego uestros agnatos Leuitas de medijs Israelitis sumptos, Iouæ'que addictos, uobis attribuo, oracularis tabernaculi munus obituros. Tu autem cum tuis filijs uestrum procurate sacerdotium, in omnibus quę ad aram pertinent, quæq; sunt intra siparium, & operamini: nam uobis sacerdotij munus asigno, ad quod qui alienus accesserit, moriatur. Tibi autem, inquit Aharoni, B curā trado meorum exceptorū ex omnibus Israelitarū sacris. Hæc tibi, ut uncto, tuisq; filijs in æternum institutū do. Hæc tu quæ ex [a] igne sacrosancta erunt habeto. Quicquid afferent, siue fertum, siue piaculum, siue noxiam mihi afferent, id sacrosanctum tu tui'que filij habetote, id in sanctiore sanctuario epulamini,

Leuitarum iura.

[a] sacrificio quod igne fit.

idq; omnes mares, sacrum'que habetote. Hoc quoque habeto: Exceptum omnium donariorum ab omnibus Israelitis porriciendorum tibi unà cum tuis filijs & filiabus æterno instituto do, omnibus tuis domesticis, dum mundi sint, epulandum. Omnem olei, omnem musti frumenti'que adipem, quas Iouæ primitias dabunt, tibi do. Omnes primores eorum terræ fruges ab ipsis Iouæ afferendæ, tuæ sunto: eisq; omnes tui domestici, dummodo mundi, uescuntor. Omne in Israelitis deuotum, tuum esto. Omnia quæ uuluam aperuerint animalia, ab eis Iouæ obmota, siue homo fuerit, siue

C bestia, tua sunto: sed & hominum, & immundarum bestiarū primogenita redhibeto. Hæc est autem redhibitionis ratio, ut mense maiorem statuto uobis precio redhibeas, uidelicet quinque argenti siclis sacri ponderis, id est, uicenorum obolorum. Verumtamen bouis, aut ouis, aut capræ primogenitum ne redhibeto: sacra sunt. horum & sanguinem in aram fundito, & adipem Iouæ ad odoris suauitatē adoleto: carnem autem tibi habeto, ut etiam porrectitium pectusculum & armū dextrum. Omnia sacrorum excepta Iouæ ab Israelitis excipienda, tibi tuisq; simul filijs & filiabus æterno instituto do. atq; hoc fœdus [b] salitum semper apud Iouam tibi tuæq; soboli pariter esto. Præterea, inquit, in eorum terra hæreditatem inter eos, aut fundum ne habeto: ego tibi fundus & hæreditas inter Israelitas ero. ¶ Leuitis autem omnes Israelitarum decumas in hereditatem do, pro famulatu, quem in oraculi tabernaculo exequuntur, ne deinceps Israelitæ ad oraculi tabernaculum accedant, & morte pœnas luant: sed Leuitæ oracularis tabernaculi munere fungantur, illorum'que culpam sustineant (quod institutum ad posteros uestros perpetuum sit) neque ullam inter Israelitas hæreditatem possideant. Nam quia Israelitarum decumas, quas Iouæ excipient,

D Leuitis in hæreditatem do, ideo eos ueto inter Israelitas habere hæreditatem. ¶ Tum Mosem ita affatus Ioua est. Leuitis in hunc modum dicito: Cùm ab Israelitis decumas, uobis à me hæreditatis uestræ loco ex illis assignatas accipietis, ex eis Iouæ exceptitium excipitote, decumas ex decumis: quod exceptitium perinde uobis erit, ac si frumentum ex area, aut ex torculari latex esset. Ita excipietis uos quoque Iouæ exceptitium, ex omnibus decumis uestris ab Israelitis acceptis, ex'que eo Iouæ exceptitium Aharoni pontifici dabitis, atque ex omnibus donarijs uestris omne exceptitium Iouæ excipietis, ex eorum maximè opimis sacrum, quæ maximè opima (inquies) inde à uobis excepta, Leuitis erunt uice prouentus areę, aut torcularis, ea'que quouis in loco uos, uestri'que domestici epulamini. nam hæc uobis merces est pro uestro in oraculi tabernaculo famulatu. Ita fiet, ut ob ea non plectamini, cum inde maximè opima exceperitis: neque Israelitarum sacra profanetis, ita'que moriamini.

Sup.3.g

b incorruptū, inuiolatumq;.

Deut.18.a

Decumæ decumarū.

CAPUT XIX.

TUm Mosi & Aharoni locutus est Ioua in hunc modum. Hoc legis institutum Ioua præcipit in hæc uerba: Admone Israelitas, ut tibi adducant uaccam rufam, integram, uitij expertem, quæ iugum nō subierit: quam Eleazaro sacerdoti tradetis, qui eam extra castra ductam præsentem immolet, digitumq; suum eius sanguine intingat, & ex eo sanguine contra Oraculi tabernaculū septies aspergat: uaccam autem in oculis suis cremet: eius corium, carnem, sanguinem, unà cum excremento cremet: lignum'que cedrinum, & hysopum, & coccum iteratum sumat, & in medium uaccæ rogum inijciat: deinde uestimenta sua lauet, corpus'que suum aqua abluat: postea in castra B intrabit, cum ad uesperum pollutus fuerit. Is quoque qui eam cremauerit, uestimenta sua, corpus'que aqua lauabit, & perluet, & ad uesperum pollutus erit. Tum aliquis purus uaccæ cinerem colligito, & extra castra in loco puro ponito. [a] Hoc seruabit Israelitarum ciuitas ad aquam lustralem, quæ sit expiatio. Deinde qui uaccæ cinerem collegerit, uestimenta sua lauato, & ad uesperum pollutus esto: atque hoc & Israelitæ, & inter eos degentes peregrini, institutum æternum habento. Qui mortuum ullius animantis hominis tetigerit, unde septem dies pollutus erit, is tertio die hac aqua expiator, & septimo die mundus esto: quòd C nisi tertio die expiatus fuerit, septimo die purus non erit. Quicunque hominis uita defuncti mortuum tetigerit, neque expiatus fuerit, Iouæ tabernaculum polluit: is ex Israelitis excinditor, quoniam aqua lustrali aspersus non est: pollutus erit, adhuc eius in eo hærente pollutione. ¶ Sequitur lex hominis, qui in tabernaculo mortuus fuerit. Quisquis in tabernaculum intrauerit, & quisquis in tabernaculo erit, esto pollutus septem dies. Omne uas apertum, nullo annexo operculo, pollutum esto. Quisquis sub dio telo occisum, aut mortuum, aut ossa humana, aut sepulchrum tetigerit, pollutus esto septem dies: ac in huiusmodi polluto sumatur de puluere cremati piaculi, cum quo aqua uiua ponatur in uase, in quā aquam purus aliquis sumptum hysopum immergat, & tabernaculum, omnia'que uasa, & omnes D qui illic fuerint homines, & eum qui ossa, aut occisum, aut mortuum, aut sepulchrum tetigerit, conspergat, pollutum'que tertio & septimo die purus aspergat, & septimo die expiet: is'que uestimenta sua lauet, corpus'que aqua perluat, & uespere mundus sit. Qui autem pollutus, neque expiatus fuerit, is de numero ciuitatis excinditor: qui cum non fuerit aqua lustrali conspersus, Iouæ sanctuariū polluit, pollutus'que est. Atque hoc institutum æternum habento: qui'que aquam lustralem insperserit, uestimenta lauato: qui'que aquam lustralem tetigerit, pollutus esto ad uesperum: & quicquid immundus tetigerit, immundum esto: & qui id tetigerit, esto immundus ad uesperum.

Vacca rufa.

Heb.9.b

a huius uaccę cinerē, ad faciendū aquā lustralem, ut paulo pòst docetur.

Lex hominis in tabernaculo mortui.

CAPUT

CAPVT XX.

Moritur Maria.

VEnit autem omnis Israelitarum multitudo in solitudinem Sinem mense primo, & in Cade consederunt, ibi'que mortua sepultaq; est Maria. Cum autẽ careret aqua populi multitudo, coierũt ad Mosem & Aharonem, & cum Mose in hæc uerba iurgare cœperunt: Vtinam tum interijssemus, cum nostri consanguinei ante Iouam interierunt. Cur'nam Iouæ cœtum in hanc solitudinem adduxistis, ubi & nos, & pecora nostra moriamur? Cur nos ex Aegypto eductos, in hæc tam tristia loca adduxistis, in quibus non fruges, non ficus, non uineæ, non malogranata, nulla denique ad bibendum aqua est? Tum Moses & Aharon à conspectu cœtus digressi, ad ingressum oracularis tabernaculi sese ad terrã abiecerunt, eisq; Iouæ splendor apparuit. Et Ioua Mosi dixit: Sume uirgam, conuocataq; multitudine tu & Aharon frater, petræ in illorum oculis iubetote, ut suam profundat aquam, atque ita aquam illis ex petra elicito, multitudinemq; & eorum pecora adaquato. ¶ Igitur Moses uirgã de Iouæ cõspectu sumpsit, ut iussus est: cõuentuq; à se & ab Aharone ante petram coacto, sic eis inquit: Attendite sanè rebelles, num nos uobis aquam ex hac petra eliciamus. Tũ sublata manu petram uirga semel atque iterum percussit, unde magna aquæ copia emanauit, ex qua & multitudo, & eorum pecora biberunt. At Ioua Mosi & Aharoni ita dixit: [a] Quoniã uos mihi non credidistis, ut me in oculis Israelitarum sanctè honoraretis, ideo cœtum istum in terram ei à me datam non introducetis. Et hæc quidem est aqua iurgij, ubi Ioua in Israelitis secum iurgantibus augustũ se præbuit. ¶ Deinde misit Moses legatos ex Cade ad Idumæorũ regem, cum huiusmodi mandatis. Sic dicunt tui fratres Israelitæ: Tu nosti quot nobis rerum difficultates acciderint, ut maiores nostri in Aegyptum descenderint, ibiq; diu habitauerimus: deinde cũ nos & maiores nostros Aegyptij malè haberẽt, Iouã inuocauerimus: qui exaudita uoce nostra, misso Genio nos ex Aegypto eduxerit. Nunc scito nos ad Cadem, extremum tuorum finium oppidum, esse. Petimus igitur, ut nobis per terram tuam iter des, neq; per agros aut uineas ituris, neque puteales aquas bibituris, sed uia regia ita perrecturis, ut neque ad dextram, neque ad sinistram antè deflectamus, quàm tuos fines transiuerimus. Sed eis Idumæus iter per suos fines denegauit, alioqui se eos bello excepturum. dicentibus'que Israelitis, se uia trita iter habituros, & si de illius aqua aut ipsi aut pecora biberent, precium esse soluturos, ac sine ullo planè negocio pedibus iter facturos: denegauit transitum, eis'que multis cum copijs & ualida manu exiuit in occursum. Ita Israelitæ, Idumæis iter eis per fines suos dare recusantibus, ab illis deflexerunt, & à Cade profecti, ad montem Horem cum omnibus copijs peruenerunt. ¶ Ad eum montem in confinio terræ Idumæorum positum, Ioua Mosi & Aharoni ita locutus est: Aggregabitur Aharon ad suos populares: neque enim in terram Israelitis à me datam perueniet, quoniam in me cõtumaces fuistis apud aquam iurgij. Assume Aharonem, eius'que filium Eleazarum: ijs'que in Horem montem subductis, Aharonem uestimentis suis exuito, & ea Eleazaro eius filio induito, Aharone illic defuncturo atq; morituro. ¶ Hæc Moses, sicuti iusserat Ioua, fecit: ascenderunt'que in Horẽ montem in oculis totius multitudinis. cumq; Moses Aharone suis uestimentis spoliato, ijs eius filium Eleazarum uestiuisset, mortuus est illic Aharon in montis cacumine, & Moses Eleazarusq; de monte descenderunt. Atque uniuersa stirpis Israeliticæ multitudo, ubi uiderunt è uita emigrasse Aharonem, eum per triginta dies deplorarunt.

Exo.17.b — B — *Sap.11.a* — *Aqua ex petra.* — *Psal.77.b* — *1.Cor.10.a* — a In eo peccatum est, quod dixerũt, eliciamus, quod Dei erat, sibi tribuentes. Vide Psal.106 — *Deut.1.f* — *Mittit Moses legatos ad Idumæorum regẽ.* — C — *Suprà 33.d* — *Deut.32.g* — *Moritur Aharon.* — *Deut.10.b*

CAPVT XXI.

Aradus.

CVm autẽ audiuisset Chananæus rex Aradus, qui ad meridiem incolebat, Israelitas exploratorum uia uenire: eos prælio adortus, captiuos ex eis abduxit. Tum Israelitæ Iouæ uotum fecerunt, si illos homines ipsis subiecisset, sese illorum urbes esse funditùs euersuros. Quibus à Ioua exauditis, Chananæisq; eis per ipsum subactis, & ipsos & ipsorum urbes funditùs euerterunt, atq; hinc locum Hormam nominarunt. ¶ Sed cum ab Hore monte profecti, uersus mare rubrum uaderent, ut Idumæorum fines circuirent, cœpit populus, itineris pertæsus, de Deo, deq; Mose expostulare, qui se ex Aegypto eduxissent, in desertis morituros, ut in quibus nec panis, nec aqua esset: nam illum quidem [a] panem tam uilem fastidire. Quapropter immisit in populum Ioua presteres serpentes, quibus homines mordentibus, multi de Israelitis moriebantur. Itaque Mosem adeunt, seq; peccasse confitentur, qui cùm contra ipsum, tum contra Iouam locuti sint: Iouam precetur, ut ipsos illis serpentibus liberet. Igitur Mosi pro populo precãti respondit Ioua, ut presterem faceret, eum'que perticæ imponeret: ita fore, ut omnes morsi, qui eum aspicerent, sanarentur. Ergo Moses serpentem æneum fecit, eumq; in perticam extulit. Ita si quem fortè serpens momorderat, is in æneum serpentem intuebatur, & ita sanabatur. ¶ Inde profecti Israelitæ, castra posuerũt in Obothis. Ab Obothis profecti, castra fecerunt in cumulis Abarium, in solitudine quæ est e regione Moabitarum, ab ortu solis. Hinc profecti, castrametati sunt ad fluuiũ Zaredum. Hinc profecti, castra posuerunt cis Arnonem, qui est in desertis, oriens ex Amorræorum finibus. Est enim Arnon Moabitarum terminus, eos ab Amorræis diuidens. propterea in libro Bellorum Iouæ dicitur: Res gestas in mari rubro, & ad flumina Arnonis, & amnem fluminum qui ad sedem Aris deflectit, & ad Moabitarũ fines uergit. Inde uenerunt ad puteum. Hic est puteus, apud quem Ioua Mosi præcepit ut populum congregaret: se enim ei aquam daturum esse. Tunc cecinerunt Israelitæ carmen hoc: Ascẽde putee, recinite eum, quem puteum

fodêre

B — *a Manna.* — *Sap.16.a* — *1.Cor.10.b* — C — *Serpens æneus.* — *Iud.11.e* — *Puteus.* — D

fodêre principes, cauauere populi duces, unà cum imperatore, suis sceptris. Ex desertis autem in Mattanam: ex Mattana in Nahaliel: ex Nahaliele in Bamotha: ex Bamothis in uallem quæ est in agro Moabitico, ad caput Phasgæ, spectatq; ad Iesimonem.

Mittuntur legati ad Sehonem. *Iud. 11. d*

Tum miserunt Israelitæ legatos ad Sehonem Amorræorum regem, oratum, ut sibi liceret per illius fines iter facere: se neq; in agros aut uineas esse declinaturos,

E

neq; puteorum aquas bibituros, sed uia regia incessuros, donec illius fines superauissent.

Amos 2. c *Psal. 134. c*

Sed Sehon non modò Israelitis iter per fines suos non dedit, uerumetiam coactis suis omnibus copijs, occurrit illis in deserta: atque ubi ad Iasam peruenit, prælium cum Israelitis commisit. Sed eo in pugna occiso, Israelitæ eius terram occuparunt ab Arnone ad Iabbocum, id est, usque ad Ammonitas: nam Ar terminus est Ammonitarum. ¶ His omnibus oppidis captis, Israelitæ in omnibus Ammorræorum oppidis consederunt, scilicet Hesebone, & in omnibus eius colonijs. Nam Hesebon urbs erat Sehonis Amorræorũ regis, qui olim bellum cum rege Moabitarum gesserat, ei'que eius omnem terram ad Arnonem usq; eripuerat. unde illa est trita sermone sententia: Ite Hesebonem, ædificetur & cõdatur urbs Sehonis. nam ignis ab Hesebone, flãma à Sehonis urbe profecta, Ar Moabitarum, & Arnonis sacellorum dominos consumpsit. Hei tibi Moabita, perijsti. [b] Chamosi gens, cuius & mares fusi, & feminæ Sehoni Amorræorũ regi in captiuitatem traditæ sunt. Atqui lux eorũ Hesebon perijt usq; ad Dibonem, & uastauimus usq; ad Nophã, quæ ad Medebam pertingit.

b is erat Moabitarũ deus. *Iudic. 11. c* *3. Reg. 11. b*

G

¶ Cum igitur Israelitę in Amorræorum terra consedissent, misit Moses qui Iaser explorarent, eiusq; colonias cæperunt, & Amorræos incolas pessundederunt.

Deut. 3. a & 29. b *Ogus.*

Hinc reuersi Basanam uersus cõtenderunt, quibus Basanæ rex Ogus cum omnibus suis copijs prælio occurrit in Edrei. Hic Mosem Ioua hortatus est, ne illũ timeret: Nam ego eum tibi, inquit, omnesq; eius copias atq; terram in manum trado, ut eo utare quomodo usus es Sehone Amorræorum rege, qui Hesebonem incolebat. Igitur eum, eiusq; filios, & omnem populũ nullo relicto occiderũt, eiusq; terram occuparunt.

CAPVT XXII.

Balacus.

Hinc profecti Israelitæ, castra habuerunt in campo Moabitico, cis Iordanem Hierichuntium. Cum autẽ uideret Balacus, Sephoris filius, quãta designassent Israelitæ in Amorræos, Moabitis Israeliticarum copiarum multitudine (quæ sanè ingentes erãt) ita expauefactis, ut præ terrore dicerent Madianitarum senatoribus, iamiam fore, ut illa multitudo omnia ipsis finitima non aliter attonderet, quàm boues ruris attondent gramina: is inquam Balacus Sephoris filius, qui eo tempore Moabitarum rex erat, legatos ad Balaamum Beoris filium accersendum misit Pethoram, quæ est apud [a] flumen in terra eius cõterraneorũ; qui legati ei demonstrarent, tantam hominũ multitudinem ex Aegypto emigrauisse, ut terræ solum operirent, qui quidem nunc contra ipsum consedissent.

Balaamus. *Ios. 24. b* *a Euphratẽ*

B

Orare, ut ad se ueniret, nationi illi ipso potentiori diras imprecatum, si quà eam posset superare, & finibus illis expellere. Sese enim scire, cui ille bene precatus esset, eum esse fortunatum: cui autem imprecatus, eum esse infortunatũ. ¶ Igitur Moabitarum [b] Madianitarumq; senatores, diuinationis pręmiũ secum ferentes, ad Balaamũ profecti, ei Balaci mandata exposuerũt. Quibus ille respondit, ut illic ea nocte essent, se rem ita eis relaturum, ut ipsi Ioua mandauisset. Ita mãserunt Moabitę principes apud Balaamum. ad quem Deus uenit, & eum sic alloquitur: Qui sunt isti homines?

b quos scilicet ipsi Madianitę mittebant, ad Balaamo persuadendum, ut Balaco gratificarentur.

C

Cui Balaamus ita respondet: Balacus, Sephoris filius, Moabitarum rex, ad me misit, tantum ex Aegypto emigrauisse populum, ut terræ solum operiat. Quare orare, ut eum sibi execratum uadam, si quà eum debellare possit, & expellere. Et Deus: Ne iueris cum istis, ne illi populo imprecatus fueris: est enim fortunatus. Igitur manè ubi surrexit Balaamus, Balaci proceres domum remittit: Iouam enim nolle sibi permittere, ut cũ illis iret. Ita profecti Moabitarum proceres, ad Balacum redeunt, renunciant'que Balaamum secum uenire noluisse.

At Balacus iterum mittit proceres, illis & plures, & grauiores, qui ad Balaamum profecti, sic uerba fecerunt: Balacum Sephoris filium ei significare, ne ad se uenire renueret: se enim magnos ei honores esse tributurum, & quæcunque mandauisset facturũ: ueniret modò, & sibi populum illum diris ageret. At Balaamus Balaci seruis respõdit, Etiam si sibi Balacus suam domum argento auroq; plenã daret, nõ posse tamen se cõtra Ioue Dei sui mandatum ullam rem tantam tantulámue facere.

D

Infra 24. c

Sed tamen illic ipsi quoque ea nocte manerent: se autem sciscitaturum, ecquid sibi iterum Ioua diceret. Atque ea nocte Deus ad Balaamum uenit, eiq; ita dixit: Si homines isti ad te accersendum uenerũt, i sanè cum eis: sed quod tibi dixero, id demum facito. Itaque manè Balaamus ubi surrexit, instrata asina sua, cum Moabitarum proceribus ibat. quo eius itinere irato Deo, constitit Ioue Genius in uia, ut ei obstaret. Equitabat autem ipse in asina, duobus famulis comitantibus.

2. Pet. 2. c *Iudæ 1. d*

Hic asina conspicata Iouæ Genium in uia stantem, & strictum gladium manu tenentem, declinauit de uia, & in agrum digressa est. Cum'que eam Balaamus cederet, ut in uiam redigeret, & Iouæ Genius in uinearum semita, maceria utrinque sepiente, obstaret, asina uiso Genio, sese muro appresit, & eodem Balaami pedem attriuit. Hic eam Balaamo iterum feriente, Iouæ Genius porrò processit, & in loco angusto restitit, ubi uia nulla ad declinandum in alterutram partem erat: quo uiso, asina Balaamo succubuit. Tum uerò Balaamus irasci, & asinam baculo cõtundere. At asina (eius ore à Ioua aperto) sic ad Balaamum locuta est: Quid tibi feci, ut me iam tertium cædas? Cui Balaamus:

Asina loquitur.

Ludifi-

Ludificaris me, inquit: atq; utinã gladium haberem, F nam te nunc interficerem. Et Asina: Nonne asina tua sum, inquit, in qua tu semper hactenus equitasti? nunquid tale sum tibi facere solita? Nihil, inquit. Tũ Balaamus (apertis ei à Ioua oculis) Iouæ Genium animaduertit in uia stantem, strictumq; gladiũ manu tenentem, & ei honorem summisso uultu præbuit. Et Genius: Cur tandem, inquit, asinam tuam iam ter uerberasti? en ipse ad impediendum ueni, quoniam istud iter susceptũ est contra meam sententiam. Asina uerò me conspicata, iam ter declinauit: quòd si non declinasset, iam te profectò, ea cõseruata, peremissem. Tũ Balaamus Iouæ Genio dixit: Peccaui, quanquam te mihi obuium in uia nesciebam. Itaq; si tibi hoc iter displicet, reuertar. Cui Genius: Perge cũ istis, inquit: sed quod tibi dixero, id demum dicito. Ita Balaamus cum Balaci proceribus perrexit. G ¶ Quẽ ubi aduenire audiuit Balacus, obuiam ei processit ad quoddã Moabitarum oppidũ, Arnoni in extremis finibus finitimum: cumq; eo locutus est in hunc modum: Cum ego miserim qui te accerseret, cur tu ad me non uenisti? an te uidelicet honorare nõ potero? Cui Balaamus: Quasi uerò, inquit, nunc etiam, cum ad te ueni, possim aliud dicere, quàm quod Deus ori meo suggesserit eloquendũ. Deinde digressi Balaamus cum Balaco, uenerunt ad oppidum uicorum, ubi Balacus boues balantesq; mactauit, & hinc partem ad Balaamum, & ad proceres eius comites misit.

CAPVT XXIII.

POstridie uerò Balaamũ deduxit Balacus in Baalis fastigia, unde aliquã populi partem uideret. Tum Balaamus ei mandauit, ut sibi ibidem septem aras extrueret, septémque tauros, & totidẽ arietes præpararet. Quod cũ ille ad eius præscriptũ fecisset, Balacus & Balaamus singulos tauros & arietes in singulis aris immolarunt. Deinde Balaco mandat Balaamus, ut suo sacrificio assistat, dum ipse secedit, si fortè in Iouam incurrat, ut quod ille sibi aperuerit, Balaco indicet. Deinde secessit. Cũq; in Deũ incidisset, dicit ei, sese aras septẽ instituisse, & in eis singulos tauros & arietes immolasse. Tum Ioua Balaamum dicendis instructum, ad Balacum remittit, & quid ab eo dici uelit ostẽdit. Ad quem ille reuersus (astabat autem Balacus suo sacrificio, unà cum omnibus Moabitarũ principibus) sententiam suam exorditur in hæc uerba. Ab usq; Syria, à montibus orientalibus euocauit me Moabitarum rex Balacus: Ades, diris age mihi Iacobeos: ades, detestare Israelitas. B Quomodo execrabor, non execrante Deo? quomodo detestabor, non detestãte Ioua? Equidem cum eos de rupium uertice despecto, cum de collibus contemplor, en populum seorsum habitaturum, neq; inter cæteras gentes habendũ. Quis Iacobeorum [a] pulueris, quis uel quartæ Israelitarum partis numerum subducat? utinam ipse eadẽ morte moriar, qua probi: sitq; meus idẽ, qui eorum, exitus. Hic Balacus Balaamum sic alloquitur: Quid mihi facis? Ego te ad imprecandũ meis hostibus aduocaui, & tu eos faustis ominibus prosequeris? Cui respondens ille: Scilicet non curem, ut quod mihi Ioua suggeret, id eloquar? Et Balacus: Veni, inquit, mecum in locum alium, unde eorum partem, nõ omnes uideas, ut inde eos mihi diris agas. eumq; in agrum speculatorum in Phasgæ iugum subducit, septemq; aras extruxit, & in singulis taurum arietemq; immolauit. ¶ Tum ei Balaamus mandauit, ut ibi apud suum sacrificiũ maneret, dum ipse secederet. C Atq; ei Ioua occurrit, eumq; dicẽdis instructũ iubet ad Balacum redire, & ita eloqui. Ad quem ut uenit, offendit eum apud sacrificium suum, unà cum Moabitarũ principibus, stantem. Et Balacus: Quid locutus est Ioua? inquit. Tum ille sic orditur sententiam: Age Balace, audi: attẽde me Sephoris fili. Deus non est homo, ut mẽtiatur: non homine natus, ut eum pœniteat. Ille ne ut dicat, neq; faciat? ut promittat, neq; præstet? scilicet fausta omina acceperim, & fausta omina nõ reddã? Nulla culpa uisitur in Iacobeis: nullum facinus in Israelitis extat: Ioua eorum Deus adest eis, [b] clangore comitante regio: Deus qui eos ex Aegypto eduxit, robore præditus monocerotio. D [c] Neq; uerò ulla est in Iacobeis diuinatio: non est in Israelitis hariolatio: suo tempore prædicabitur circa Iacobeos, circa Israelitas quid fecerit Deus. En populus leænæ similis insurgenti, leoni similis commoto, non prius recubituro quàm prædam uorauerit, quàm occisorum sanguinem hauserit. ¶ Tum Balacus inquit Balaamo: Saltem neq; diris eos, neq; faustis ominibus prosequare. Cui respondens Balaamus: Nonne tibi prædixi, inquit, quicquid Ioua mãdauisset, id me esse facturum? Et Balacus: Age, inquit, deducam te in locum alium, si fortè Iouæ placebit ut eos illinc mihi execreris. Tum eũ deduxit in uerticem Phegoris, qui spectat ad Iesimonem. Et Balaamus ei mandauit, ut sibi septem illic aras extrueret, septẽq; tauros, & totidem arietes pararet. id quod fecit Balacus, taurósque & arietes in aris immolauit.

Balaamus uaticinatur.

a innumerabilitatis.

b. fortitudine militari.

Infrà 24. b

c Non sunt quæ de Israelitis dico, uana, qualia sũt hariolorum: sed uera, & suo tempore cõprobanda.

CAPVT XXIIII.

CVm autem uideret Balaamus, Iouæ placere, ut Israelitas faustis ominibus prosequeretur, nõ iam cõcessit, sicut antè semel atq; iterum fecerat, ad oraculum aucupandum: sed cõposito uersus deserta aspectu, intẽtis oculis Israelitas intuitus tributim cõsidentes, diuinitùs afflatus, sententiã suã auspicatus est in hæc uerba: Dicit Balaamus Beoris filius, dicit homo [a] clausis oculis, dicit diuinorũ uerborum auditor, qui ab omnipotente præsignificata uidit, [b] cui lapso [c] patefacti sunt oculi. Tam pulchra sunt tabernacula tua, ô Iacobee, cõtubernia tua, ô Israelita, quàm ualles patẽtes, q̃ positi apud fluuiũ horti, q̃ tensa à Ioua tabernacula, quàm sitæ propter undã cedri: cuius de situla stillabit aqua, cuius semen erit in humore abundãti, cuiusq; rex supra Agagũ euehetur, B eiusq;

a scilicet cũ genium ante asinam non uidit.

b cum asina succubuit.

c cum uidit genium.

eiusq́ regnum extolletur: Deus eum eduxit ex Aegypto, robore præditus monocerotio. Conficiet sibi aduersantes gentes, earumq́ & mẽbra exossabit, & missilia perrũpet. Quem leonis, aut leænæ modo sidentẽ, cubantemq́ quis excitet? Qui tibi fausta optabit, felix: qui infausta, infelix. ¶ Hic Balaamo irascens Balacus, cõplosis manib. sic inquit: Ad imprecandum hostib. meis te euocaui, & tu eis iam tertium bene ominaris? Itaq; fuge hinc, eò unde uenisti. Equidẽ statuerã te honorare: sed scito te à Ioua honore priuari. Cui Balaamus: Quasi uerò, inquit, non etiã legatis, quos tu ad me misisti, dixerim, etiamsi mihi Balacus domum suam argẽto auroq́ plenã dedisset, non posse me tamen Iouæ iniussu quicquã boni, mali'ue mea spõte facere: sed quæ mihi mãdasset Ioua, ea me elocuturum esse. Atq; equidem iam ad meos cõcedã: sed uolo explanare tibi, quid sit olim hic populus tuo populo facturus. Tum sententiã exordiens, sic fatur: Dicit Balaamus Beoris filius, dicit homo clausis oculis, dicit diuinorum uerborum auditor, & Supremi conscius scientiæ, qui omnipotẽtis præsignificata uidit: cui lapso patefacti sũt oculi. Videbo eũ, sed non iam: aspiciam eum, sed non mox: proficiscetur stella ex Iacobo, exsistetq́ sceptrũ ex Israele, quod & Moabitarum optimates franget, & omnes à Setho prognatos perdomabit, subactaq́ Idumea Seir ab hostibus suis occupabitur, Israelitis fortia patrantibus: dominabiturq́ Iacobides, qui perdat reliquias ciuium. ¶ Deinde Amalechitas intuitus, sic orsus est sententiam: Gentium primus Amalechita, ad extremũ perpetuò peribit. ¶ Deinde Cenæos intuitus, sic orsus est sententiã: Quãuis forte sedem habeas, tibiq́ nidũ in rupe posueris, erit tamen populationi Ceneus, eousq́ ut te Assyrius captiuũ abducat. Tum sic effari sententiã exorditur: Heu quis tum uiuet, cum hoc efficiet Deus, cum classis ex Cittimorum finibus Assyrium subiget, & Hebrem, qui & ipse perpetuò peribit? Tum illinc digressus Balaamus, eò unde uenerat, redire contendit: & Balacus quoq; sua uia discessit.

Suprà 23.d — C — D

CAPVT XXV.

Israelitis autem in Sittimo commorãtibus, cœperunt uulgò cum Moabitarum puellis scortari, à quibus ad deorum ipsarũ sacrificia inuitati, ijsdem earum dijs epulabantur, & potabant: atq; ita cõsuetudinem habuerunt Israelitæ cum Baalphegore. Quare iratus in Israelitas Ioua, Mosi iussit ut omnes reipublicæ primates comprehenderet, & Iouæ contra solem suspenderet, eius in Israelitas iræ placãdæ gratia. Tum Moses Israelitarum iudicibus negocium dedit, ut eos suorũ interficerẽt, qui cum Baalphegore consueti essent. Ecce autẽ quidã Israelitarũ superuenit, q Madianitidẽ ad suos cognatos adduxit in oculis Mosis & uniuersæ Israelitarũ multitudinis, pro oraculi tabernaculo flentiũ. Quod cũ uidisset Phinees Eleazari filius, Aharonis põtificis nepos, surrexit ex media turba, correptoq́ iaculo Israelitã illũ in prostibulũ consecutus, ambos trãsuerberauit, tam Israelitam, quàm mulierem, per uentrem ipsius mulieris: quo facto, cohibita est clades Israelitarũ, mortuis in ea clade uiginti quatuor millibus hominũ. ¶ Tum Ioua Mosem sic est allocutus: Phinees Eleazari filius, Aharonis põtificis nepos, suo illo erga me studio quod in Israelitis præstitit, meam ab eis incãdescentiã auertit, in causaq́ fuit ut ego eos meo impetu non omnino conficerem. Quamobrem dic me cum eo pacis inire fœdus, quod sit & ipsi & eius posteritati fœdus perpetui sacerdotij, quoniã sui Dei studiosus, numẽ Israelitis propitiauit. Fuit autẽ ille Israelita, qui cũ Madianitide occisus est, nomine Zambris, Salu filius, unius Simeoniæ familiæ primarius. Mulieris autem Madianitidis, quæ occisa est, nomen erat Cozbis, Suris filiæ, qui apud Madianitas principem locum suæ gentis obtinebat. Tum Mosi Ioua præcepit, ut Madianitas hostiliter infestarẽt, atq; occiderent, quoniam essent ab eis hostili fraude circumuenti in re Phegoris, & in re Cozbis Madianitæ principis filiæ, eorum consanguineæ, occisæ quo die clades fuit propter Phegorem concitata.

Iosu.22.d Deut.4.a — B — Zambris. — Phinees. 1.Mach.2. Psal.105. 1.Cor.10. — C — 1.Mach.2.f Eccl.45.d — D

CAPVT XXVI.

Post hanc cladem mandauit Ioua Mosi, & Eleazaro Aharonis filio pontifici, ut summam subducerent omnis Israelitarũ multitudinis, eorum qui uigesimũ annum excederẽt, per familias, quicunq; Israelitarũ arma ferre possent. ¶ Itaq; eos recensuerũt Moses & Eleazarus pontifex in campo Moabitico ad Iordanem Hierichuntium: qui quidem annum uigesimum excesserant, quemadmodum Mosi Ioua præceperat. Ac Israelitarum quidem, qui ex Aegypto emigrarunt, Rubenis Israelis primogeniti filij fuerunt, Henochus autor gentilitatis Henochiorum, Phallus Phalluiorum, Hesron Hesroniorum, Carmis Carmiorũ. Hæ sunt Rubenensium gẽtilitates, quorum recensiti sunt quadragintatria millia septingenti triginta. Phallu autem filius fuit Eliabus. Eliabi porrò Namuel, Dathan, & Abiramus: qui Dathan & Abiramus fuerunt ex concionalibus in seditione, qua grex ille Coræ in Mosem & Aharonem & porrò in Iouam conspirauit, terraq́ hiatu patefacta hausti sunt: cum quidem Cora in illorũ cœtu mortuus est, quos ducentos quinquaginta ignis absumpsit, ut essent exemplo, cum tamen Coræ filij non sunt mortui. ¶ A' Simeonis filijs gentilitates sunt, à Namuele Namuelina, à Iamine Iaminia, à Iachine Iachinia, à Zara Zarana, à Saulo Saulina: quarum Simeoniarum gentilitatũ fuerunt uigintiduo millia ducenti. A' Gadi filijs gentilitates sunt, à Sephone Sephonia, ab Haggi Haggia, à Suni Sunia, ab Ozni Oznia, ab Eri Eria, ab Arodo Arodonia, ab Arieli Arielia. Harum ex Gado gentilitatũ in censum uenerunt quadraginta millia quingenti. Iudæ filij fuerunt, Er & Onan: sed hi quidem in Chananæa mortui sunt. A' quibus autem Iudæ filijs ortæ sunt gentilitates, hi sunt, Sela, à quo Selana: Phares,

Censentur Israelitæ. — Gen.46.b Exod.6.b 1.Paral.5.a — B — Gen.38.a.b — C

Phares, à quo Pharesia: Zara, à quo Zarana. Pharis porrò filij fuerunt: Hesron, à quo Hesronia: Hamul, à quo Hamulia. Harũ Iudæ gentilitatum recensiti sunt septuaginta sex millia quingẽti. ¶ Ab Issacharis filijs gẽtilitates sunt, à Thola Tholana, à Phua Phuana, à Iasubo Iasubina, à Simbrone Simbronia: quarũ Issacharis gentilitatũ recensiti sunt sexaginta quatuor millia trecenti. A'Zabulonis filijs gentilitates sunt, à Saredo Saredina, ab Elone Elonia, à Ialele Ialelina. Harũ ex Zabulone gentilitatũ recensiti sunt sexaginta millia quingẽti. Iosephi filij, à quibus ductæ sunt gentilitates, fuerunt Manasses & Ephraimus. ¶ Manassis filij, Ma-

D chir, à quo Machiriana. Porrò Machir genuit Galaadum, à quo Galaadina. Galaadi filij fuerunt, Ieser, à quo Ieserina: Helecus, à quo Helecia: Asriel, à quo Asrielina. Sechemus, à quo

Infra 27.c Sechemia: Semida, à quo Semidana: Hepher, à quo Hepheriana. Salphaadus aũt Hephris filius non habuit filios, sed filias, quarũ nomina sunt, Maala, Noa, Hegla, Melca, & Thersa. Harum Manassis gentilitatũ recensiti sunt quinquaginta duo millia septingẽti. ¶ Ab Ephraimi filijs sunt gẽtilitates, à Suthala Suthalana, à Bechre Becheriana, à Thaane Thaania. Suthalæ porrò filius fuit Eran, à quo Erania. Harum ex Ephraimi filijs gẽtilitatum recensiti sunt triginta duo millia quingenti. Et hi quidem fuerunt Iosephi filij, à quibus ductæ sunt gentilita-

E tes. ¶ A'Beniaminis filijs gẽtilitates sunt, à Bala Balana, ab Azbele Azbelina, ab Achiramo Achiramina, à Suphamo Suphamina, ab Huphamo Huphamina. Porrò Balæ filij fuerunt, Ardes & Naamã: ab illo Ardiana, ab hoc Naamania. Harum à Beniaminis filijs gentilitatum recensiti sunt quadraginta quinq; millia sexcẽti. ¶ A'Danis filijs gentilitates sunt, à Suhamo Suhamina. Hæ sunt Daniæ gentilitates in familias distinctæ. Omnium à Suhamo gentilitatum recensiti sunt sexaginta quatuor millia quadringẽti. Ab Aseris filijs gẽtilitates sunt, à Iemna Iemnana, à Iessui Iessuiana, à Bria Briana. A'Briæ filijs, ab Hebre Heberiana, à Malciele Malcielina. Habuit autem filiam Aser nomine Saram. Harum ab Aseris filijs gentilitatũ recensiti sunt quinquaginta tria millia qua-

F dringẽti. ¶ A'Nephthalis filijs gẽtilitates sunt, à Iesiele Iesielina, à Guni Guniana, à Iesere Ieseriana, à Sellemo Sellemina. Harum Nephthaliensium gentilitatũ recẽsiti sunt quadraginta quinq; millia quadringenti. Summa recensitorum Israelitarũ est, sexcenta millia mille septingenti triginta. His præcepit Ioua Mosi, ut terræ possessio pro capitum numero ita diuideretur, ut quanto quisq; uel plures essent, uel pauciores, tanto uel plus, uel minus possiderent, pro ratione recensitorum distributis possessionibus: ita tamen ut sorte terra diuideretur, ex qua sorte tribules, prout uel magno uel paruo numero essent, possessiones sortirentur. Leui-

Exod.6.c tarum autem gentilitates recensitæ sunt, à Gersone Gersonia, à Cahatho Cahathina, à Merari Merarina. ¶ Hæ sunt Leuiticæ gentilitates, Libnia, Hebronia, Moolia, Musia, Coreia. Ca- Exod.6.e

G hathus autem genuit Amramum: is Amramus uxorem habuit nomine Iochabedam, Leuis filiam, ei in Aegypto natam: à qua Iochabeda Mosem, Aharonem, & eorum sororẽ Mariam sustulit. Aharoni nati sunt Nadabus, Abius, E- Sup.3.a leazarus, & Ithamarus: sed mortui sunt Nada- Leuit.10.a bus & Abius, cũ Iouæ alieno igne libarẽt. Ho- 1.Par.24.a rum censa sunt uiginti tria millia, omnium ma- 1.Cor.10.a rium qui mensem excessissent. neq; enim censi sunt inter Israelitas, utpote inter quos possessiones nõ sunt sortiti. Atq; hic quidem est Israelitarum census à Mose & Eleazaro pontifice habitus in campo Moabitico, apud Iordanem Hierichuntiũ, in quibus nemo fuit eorum qui à Mose & Aharone sacerdote censi fuerant, cũ in desertis Sinæ Israelitas censuerunt: quoniã decreuerat Ioua, illos esse in solitudine morituros, neq; eorum quenquã superfuturum, exceptis Calebo Iephonis, & Iosua Nunis filio.

CAPVT XXVII.

Salphaadi filiæ. Sup.26.d Infra 36.a Iosu.17.a

TVm filiæ Salphaadi, filij Hephris, filij Galaadi, filij Machiris, filij Manassis, de Manassis Iosephi filij gentilitate: quarum filiarum nomina sunt Maala, Noa, Hegla, Melcha, & Thersa: hæ inquam Mosem & Eleazarum pontificem, principesq;, & omnem multitudinem pro oraculi tabernaculo cõuenerunt, ostenderuntq; patrem suum mortuum esse in solitudine, neq; tamen in eorum numero fuisse, qui in Sup.16.a.e. Coræ grege contra Iouam coiuissent: a sed ob suum peccatum mortuum esse, neq; filios habuisse. Quapropter ne sui illius patris nomen de sua gẽte tolleretur, quoniam filium nullum haberet, petere ut sibi inter consanguineos sui patris daretur possessio. Harũ causam cum ad Iouam retulisset Moses, sic Ioua retulit: Rectè B dicunt Salphaadi filiæ: dato eis hæreditatis possessionem inter patris sui consanguineos, et ad eas hæreditatem paternam transferto. Tum Israelitas admoneto, ut si quis sine filio moriatur, eius hæreditatem ad filiã traducant. Quòd si filiam non habeat, hæreditatem dent eius fratribus. Si neq; fratres habeat, eius patris fratribus dent hæreditatem. Quòd si ne patris quidem fratres sint, dent hæreditatem ei qui de eius gente ad eum propinquitate proximè accedet, isq; eam adito: atq; hoc iuris institutum I- C sraelitæ tenento, sicut Mosi Ioua præcepit. Item Deut.32.g Mosi Ioua dixit: Ascende in mõtem istum Aba- Sup.20.b rim, terram aspecturus quam Israelitis dono: eaq; aspecta ad tuos tu quoque concessurus, ut cõcessit Aharon frater tuus, quatenus mihi nõ morigeri fuistis in solitudine Sinæ, in multitudinis iurgio, cum quidem me non satis augustẽ in aqua decorastis in eorum oculis: aquã dico iurgij in Cade, in deserto Sine. Tum Moses ita Iouæ dixit: Præfice, ô Ioua, omnium animalium animatór, hominẽ aliquẽ reipub. qui & proficiscentibus & redeuntibus præeat, qui & educat, & reducat, ne sit Iouæ multitudo similis ouium pastore carentium. Cui Ioua: Adhibe Iosuam, inquit, Nunis filium, hominem cordatũ, D eiq; manum tuam imponito, & eum coram

a scilicet inter eos, qui illis 40 annis perierunt.

i Eleazaro

Deut.3.d Eleazaro pontifice, coramq; omni multitudine sistito, eiq; in eorum oculis præcipito, & de tua autoritate impertito, ut ei obediat omnis Israelitarum ciuitas. Atq; ipse apud Eleazarum pontificē adesto, qui pro eo ritu CLARITATIS à Ioua oraculum sciscitetur, ex cuius præscripto ipse unà cũ omnibus Israelitis, omniq; multitudine, & uadat, & redeat. Ergo Moses fecit sicut ei Ioua iussit, Iosuamq; adhibuit, & coram Eleazaro pontifice, omniq; multitudine stitit, eiq; manibus impositis præcepta dedit, quēadmodũ Ioua per Mosem præceperat.

CAPVT XXVIII.

Iugis sacrificij lex. ITem Mosem Ioua affatus est in hæc uerba: Præcipe Israelitis, ut mihi rei diuinæ dapale munus suo tempore curent offerēdum, ad me odore deleniendum: atq; apud eos ita dissere: Huiusmodi rem diuinam Iouæ facietis: agnos anniculos integros binos quotidie iugi solido sacrificio, quorum alterum mane, alterum uespere facitote, cum similę ephi decima parte ad fertum, subactæ in quarta parte hinis olei expresi, perpetuo inquam solido sacrificio, quale factum est in mõte Sina, cuius rei diuinæ odore Ioua delectetur: cumq; libandi uini quarta hinis in singulos agnos, ut in sacro temetum Iouæ libetur. B Alter autem agnus fiat in uespera, cum eodem & ferto, & libando uino, quo mane, cuius rei diuinæ odore Ioua deleniatur. ¶ At die Sabbathi duo agni anniculi integri, cum ferto duarum decimarũ similæ in oleo depsitæ, cumq; eius uino libando, quod quidem solidum sacrificium sabbathicũ singulis Sabbathis fiat, præter solidum sacrificium perpetuũ, eiusq; libandũ uinum. ¶ Principijs autē mensium uestrorum solidum sacrificium Iouæ obmouetote, tauros bouillos duos, & arietem unum, & agnos anniculos septem integros, & fertum trium similæ decimarum in oleo depsitæ in taurum unum: & fertum duarum decimarum similæ in oleo subactæ ad arietem unum: & fertum singularum decimarũ similæ in oleo depsitæ ad singulos agnos: cuius solidi sacrificij rei diuinæ odore Ioua delectetur. Eorum autem uini libatio esto in tauros singulos uini hinis dimidium, in arietem tertia pars hinis, in agnos singulos hinis quarta pars. Atq; huiusmodi esto menstruale solidum sacrificium, singulis anni mensibus faciēdum. C Fiat item Iouæ caper caprinus unus piacularis, cum sua uini libatione, præter solidum sacrificium perpetuũ.

Exod.12.c Leuit.23.d Pascha Azyma ¶ Primi autem mensis die decimoquarto Iouæ Pascha est. Eiusdem mensis die decimoquinto festum est: septem diebus azymis uescuntor, quorum dierum primo die cõuentus sacer habetur: nullum opus operarium facitote. Ac Iouæ solidi sacrificij rem diuinam obmouetote, scilicet tauros bouillos duos, arietem unum, agnos anniculos integros septem, unà cum eorum ferto similæ in oleo subactæ, cuius tres decimas ad tauros singulos, duas autem ad arietem adhibebitis, & ad singulos septem agnorum singulas. Tum caprum unum piacularem ad supplicandum pro uobis. Atque hæc præter solidum sacrificium matutinũ quod est perpetuum, facitote, idq; singulis septem dierum (cuius dapalis rei diuinæ odore Ioua delectetur) D præter solidum sacrificium perpetuũ fiat, cum sua uini libatione. Septimo autem die sacrum conuentum habetote, nullum laboris opus facitote. ¶ Itē die primitiuorum, cum Iouæ fertum nouũ libabitis, septimanis uestris conuentum sacrum habetote, nullum laboris opus facitote. Ad solidum sacrificium ad Iouam odore suaui delectādum obmouetote, tauros bouillos duos, arietem unum, agnos septem anniculos, tum eorum fertum similam in oleo subactam, tres decimas in unum taurum, duas in arietem, singulas in septem agnos: caprum unum caprinum ad supplicandum pro uobis, quæ quidem cum sua uini libatione integra facitote, præter solidum sacrificium perpetuum, eiusq; fertum.

CAPVT XXIX.

MEnsis autem septimi die prima conuentum sacrum habetote: nullum laboris opus facitote: diem clangoris habetote, & solidum sacrificium ad Iouam odore suaui delectandum facitote, taurum bouillum unum, arietem unum, agnos anniculos septem integros, cum eorum ferto similæ in oleo depsitæ tribus decimis in taurum, duabus in arietem, singulis in singulos septem agnos. Tum caprum caprinum unum piacularem ad supplicandum pro uobis, præter solidum sacrificium menstruale, eiusq; fertum, & solidum sacrificium perpetuum, eiusq; fertum, & eorum uini libationem, quæ ritu suo fiant, cuius rei diuinæ odore Ioua deleniatur. Leuit.16.g & 23.e Decimo autem die istius mensis septimi conuentum sacrum habetote, & ieiunatote, neq; ullum opus facitote, & Iouæ solidum sacrificium ad odoris suauitatem obmouetote, taurum bouillum unum, arietem unum, agnos anniculos septem, eosq; integros, B cum eorum ferto similæ in oleo subactæ tribus decimis in taurum, duabus in arietem, singulis in septem agnos: caprum caprinum unum piacularem, præter propitiatorium piaculum, & solidum sacrificium perpetuum, eiusq; fertũ, & eorum uini libationem. ¶ Item decimoquinto die mensis septimi conuentum sacrum agitote: nullum opus operarium facitote, festumq; Iouæ septem dies agitote, & rei diuinę solidum sacrificium Iouæ ad odoris suauitatē obmouetote, tauros bouillos tredecim, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim, C quæ quidem integra sint, cum eorum ferto similæ in oleo subactæ trinis decimis in tredecim tauros, binis in arietes, singulis in singulos agnorum quatuordecim. Tum caprum caprinum unum piacularem, præter solidum sacrificium perpetuũ cum suo ferto, & uini libatione. Secundo autē die tauros bouillos duodecim, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim integros, cum eorum ferto, & uini libatione in tauros, in arietes, & in agnos, pro eorũ numero, ut fert eorum ritus. Tum caprum caprinum unum piacularem, præter solidum sacrificium

crificium perpetuum, eiusq; fertum, & eorum uini libationem. Tertio die tauros undecim, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim integros cũ eorũ ferto & libando uino in tauros, in arietes, & in agnos pro eorum numero, ut ritus postulat. Tum caprum piacularẽ unũ, præter solidum sacrificium perpetuum, eiusq; fertum, & uini libationem. Die quarto tauros decẽ, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim integros, cum eorũ ferto & uino libando in tauros, in arietes, & in agnos, pro eorum numero atq; ritu. Tum caprum caprinũ unum piacularem, præter solidũ sacrificiũ perpetuũ, eiusq; fertum, & libandum uinum. Die quinto tauros nouem, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim integros cum eorũ ferto, & libando uino in tauros, in arietes, & in agnos, pro eorum numero atq; ritu. Tum caprum piacularem unum, præter solidũ sacrificiũ perpetuum, eiusq; fertum, & uini libationem. D Die sexta tauros octo, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim integros, cum eorum ferto, & libando uino ad tauros, ad arietes, & agnos pro eorum numero atq; ritu. Tum caprum piacularem unum, præter solidum sacrificiũ perpetuum, cum eius ferto & uini libatione. Septimo die tauros septem, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim integros, cum eorũ ferto & uini libamentis in tauros, in arietes, & in agnos, pro eorũ numero atq; ritu. Itẽ caprum piacularem unum, præter solidum sacrificium perpetuum, eiusq; fertum, & uini libamen. Octauo autem die ferias habetote, nullũ opus laboris facitote, ac rei diuinæ solidum sacrificium Iouæ ad odoris suauitatem obmouetote, taurũ unum, arietem unum, agnos anniculos septem integros, cum eorum ferto & uini libamentis in taurum, in ariete, in agnos, pro eorũ numero atq; ritu. Tum caprũ piacularem unũ, præter solidum sacrificium perpetuum, eiusq; fertum, & uini libamentũ. Hæc Iouæ facitote in solennitatibus uestris, præter uota uestra & uoluntaria munera in uestris solidis sacrificijs, in fertis, in uini libamentis, & in sacrificijs pro salute. Hęc omnia Moses Israelitis exposuit, sicut ei Ioua iusserat.

CAPVT XXX.

ITem apud Israelitarũ tribuum primores locutus est Moses in hunc modum: Hanc rem præcipit Ioua: Vir si uotum Iouæ nuncupauerit, aut se iureiurando obstrinxerit, fidẽ ne frangito, sed quicquid ore protulit præstato. ¶ Mulier autem si uotum Iouæ nuncupauerit, seq; religione obstrinxerit in domo paterna, in pueritia, si pater audito eius uoto, & religione qua se ipsa obstrinxit, nihil ei obstiterit, eius uota B omnia, & religio, qua ipsa se obstrinxit, rata sunto. Sin autem eo audito pater eam prohibuerit, omnia eius uota, & religio, qua se ipsa obstrinxit, irrita sunto: Ioua ei ignoscet, utpote à patre prohibitæ. Quòd si uirum habẽs uota susceperit, aut aliquo temerè prolato sese obstrinxerit, si uir eo audito nihil ei restiterit, eius uota, & religio, qua ipsa se obstrinxit, rata sunto. Sin autẽ uir re audita prohibuerit, exoluet uotum ab illa susceptum, & temerè pronunciatum, quo illa se obstrinxit, illiq; Ioua ignoscet. C At uiduæ, aut repudiatæ uotum, quocũq; ipsa se obstrinxerit, ratum esto. Sin autem domi uiri sui uouerit, aut se iurisiurandi religione obstrinxerit, si uir eius rem auditam silentio tulerit, neq; prohibuerit, tum omnia illius uota, omnisq; qua sese obstrinxit religio, rata sunto. Sin uir rem auditam dissoluerit, tum quicquid illa uouendo, seq; obstringendo pronunciarit, D irritum esto, utpote à uiro dissolutum, & illi à Ioua ignoscendum. Omne uotum, omnemq; iurati ieiunij religionem, uir eius uel ratam uel irritam faciet: qui si in dies nihil contradixerit, omnia illius uota, omnemq;, qua illa obstricta est, religionẽ confirmabit, ratamq; faciet, quoniam rem auditam silentio tulerit. Sin ea [a] postea dissoluerit, quàm audiuerit, illius culpam sustinebit. ¶ Atq; hæc quidẽ sunt instituta, quę Mosi Ioua præcepit inter uirum & uxorem, interq; patrem & filiam adhuc puellam, & contubernalem patris.

[a] non statim, sed cũ iam id silẽtio cõprobasset.

CAPVT XXXI.

ITem Mosi Ioua mandauit, ut Madianitas Israelitarum nomine ulcisceretur, postea ad suos populares cõcessurus. Itaq; præcepit Moses populo, ut delectum haberent militum suorum, qui Madianitas inuaderẽt, & ab eis Iouæ pœnas expeterent: utq; ex omnibus Israelitarũ tribubus millenos in eam expeditionem mitterent. Sup. 25. Ita delecti sunt ex Israelitarum copijs, ex singulis tribubus mille, id est, duodecim millia ad militiam instructi, quos Moses in expeditionem misit unà cum Phinee Eleazari pontificis filio, sacra tela, tubasq; ad clangendum secum ferente. Iosu. 23. 6 Hi ergo Madianitas, ut Mosi Ioua iusserat, adorti, omnes mares interfecerunt. B Madianitarum quoque reges in promiscua illorum cæde peremerunt: uidelicet Euim, Recemũ, Surem, Hurem, & Rebam, quinque Madianitarum reges. Balaamum etiam Beoris filium ferro trucidarunt, & Madianitarum mulieres atque paruulos captiuos cæperũt, omnibusq; eorum pecoribus, facultatibus, copijs direptis, omnibus in quibus illi habitabãt oppidis castellisq; incensis, omnia spolia, omnemq; quà hominum, quà pecoris prædam cæperunt, captiuosq; & prædam illam, atq; spolia Mosi, & Eleazaro pontifici, & Israelitarum multitudini ad castra adduxerunt, in campum Moabiticum, qui est apud Iordanẽ Hierichuntium. Quibus cum Moses & Eleazarus pontifex, omnesq; reipublicæ primores obuiam extra castra processissent, succensuit Moses C militum præfectis, tribunis, & centurionibus, ab expeditione uenientibus. Sup. 25. a Ita'ne uerò (inquit) cõseruastis omnes fœminas? At istæ ipsæ Israelitas, autore Balaamo, induxerunt ad offendendum Iouam in re Phegoris, unde clades in Iouæ ciuitate nata est. Quamobrem interficite omnes mares impuberes, omnesq; mulieres, quæ uiri notitiam concubitu habuerunt. Omnes autem fœminas impuberes, marium con-

iunctionis ignaras, uobis conseruate. Vos autem extra castra septem dies manete: ac quicunque cædem fecistis, aut occisum tetigistis, expiamini tertio die atque septimo, necnon captiue uestræ. Omnem etiam uestem, omnem pelliceam supellectilem, omnia ex caprinis D pellibus facta, omneque ligneum instrumẽtum expiate. ¶ Tum Eleazarus pontifex ad milites, qui ad bellum iuerant, ita locutus est: Hoc est legis institutum, Mosi à Ioua præceptæ: Aurum quidem, & argentum, & æs, & ferrum, & stannum, & plumbum, quicquid denique fert ignem, igne adhibito purificate, idque aqua lustrali expietur. Quicquid autem nõ fert ignẽ, id in aquam immittite, lotisque uestris die septimo uestimentis, mundi estote, & tum demum in castra uenitote. ¶ Deinde Mosi Ioua mandauit, ut unà cum Eleazaro pontifice, & principibus familiarum ciuitatis, summã captiuorum subduceret tum hominum, tum pecorum, prædamque inter eos qui in militiam profecti bellum gesserant, interque reliquam omnem multitudinem diuideret, & Iouæ manubias à militibus in bellum profectis exciperet, uidelicet animal unum de quingentis, siue homines essent, siue boues, siue asini, siue oues, aut capræ: deque eorum media parte desumeret, quod E Eleazaro pontifici, Iouæ receptitium daret. At mediæ partis reliquorum Israelitarum partem quinquagesimam sumeret hominum, boum, asinorum, ouium, caprarum, omnium denique bestiarum, quam Leuitis tabernaculi Iouæ curam gerentibus daret. ¶ Idque fecit Moses & Eleazarus pontifex, sicut Mosi Ioua præceperat. Fuerunt autem capta, præter ea quæ diripuere milites, balantum sexcenta septuaginta quinque millia, boum septuaginta duo millia, asinorum unum & sexaginta millia: hominum autem, mulieres uirilis concubitus nesciæ fuerunt omnino triginta duo millia. Atque horum dimidium, id est, eorum pars qui in expeditionem exierant, fuit balantum trecenta trigintaseptem millia quingentæ: ex quibus Iouæ, ma- F nubiarum nomine, cesserunt sexcentæ septuagintaquinque. Boum autem fuere sex & triginta millia, quorum Iouæ cesserunt septuagintaduo. Asinorum fuerunt triginta millia quingenti, quorũ Iouæ cesserunt unus & sexaginta. Hominum autem millia sexdecim, quorum Iouæ cesserunt trigintaduo. Ac partẽ quidem Iouæ exceptam Moses Iouæ iussu dedit Eleazaro pontifici. Itemque alterius dimidiæ partis, id est, partis multitudinis reliquorum Israelitarum, quam Moses à militibus diuiserat, fuerunt balantum trecenta triginta septem millia quingentæ: boum triginta sex millia: asinorum triginta millia quingenti: hominũ sexdecim millia. Atque huius dimidiæ partis Israelitarum desumpsit Moses quinquagesimum quemque tum hominum, tum pecorum, quos G Leuitis dedit tabernaculi Iouæ curam gerentibus, sicut ipsi Ioua præceperat. ¶ Tum copiarum exercitus præfecti, tribuni, & centuriones Mosem conuenerunt, eique demonstrarunt, se commissos sibi milites recensuisse, nullumque omnino desideratum esse: quamobrem uelle se Iouæ munera ex his quæ cuique suppeterent, libare, ornamenta aurea, periscelides, armillas, anulos, inaures & torques, ut ita Iouam sibi propitiarent. Itaque accepit Moses & Eleazarus pontifex ab illis aurum (quæ omnia erant ornamenta auro facta) cuius exceptitij auri, ab illis tribunis & centurionibus Iouæ excepti, summa fuit siclorum sexdecim millium septingentorum quinquaginta, quæ milites sibi diripuerãt: quod aurum Moses & Eleazarus pontifex à tribunis & centurionibus acceptum, in Oraculi tabernaculum intulerũt, Israelitarum monimentum apud Iouam futurum.

Leuit. 6.d
Item 11.e

CAPVT XXXII.

Rubenitæ & Gadini trans Iordanem sedem postulant.

HAbebant autem Rubenitæ et Gadini permagnum numerum pecorum: cumque animaduerterent Iazeris & Galaaditicæ terræ solum esse pecori accommodum, ad Mosem & Eleazarum pontificem, & ciuitatis principes ueniunt, & apud eos ita loquuntur: Atarotha, Dibonem, Iazer, Nemram, Hesebonem, Eleale, Sabamam, Nabonem & Beonẽ, quas Ioua terras Israelitarum ciuitati subegisset, terras esse pecori aptas: se autem habere pecus. Itaque petere se, ut si qua esset ipsorũ apud eum gratia, illa terra sibi concederetur possidenda, ne ab eo Iordanem traducerẽtur. B Quibus Moses respondit in hunc modum: Scilicet consanguinei uestri militabũt, & uos hic desidebitis? Cur nam Israelitarum animos ab adeunda terra eis à Ioua data deterretis? Sic fecerunt patres uestri, cum eos ego à Gadesbarnea ad speculandam terram dimisi: qui cum ad fluuium Escolem ascendissent, exploratis illis finibus, deinde animos Israelitarum ab adeunda terra eis à Ioua data deterruerunt. Quare tum iratus Ioua, iurauit homines illos ex Aegypto egressos, qui modò uigesimũ annum excessissent, non uisuros esse terram, quam Abrahamo, Isaaco & Iacobo iurauisset, quoniam suum ei officium non præstitissent: exceptis Calebo C Iephonis filio Cenezeo, & Iosua Nunis filio, qui suo erga Iouam functi essent officio. Itaque iratus Ioua in Israelitas, eos per solitudinem ultro citroque duxit annis quadraginta, donec tandem consumptum est totum illud eorum genus, à quibus erat offensus. Et ecce uos extitistis pro patribus uestris, additamentum hominum improborum, ut Iouæ ira in Israelitas incremento augeatur. Nam si ab eo deficietis, remorabitur eos in solitudine diutius, atque ita uos totum hunc populum perdideritis. Tum illi ad eum accedunt, & sic loquuntur: Nos hic & caulas pecoribus, et oppida paruulis nostris ædificabimus: ipsi autem in armis erimus ante Israelitas expediti, donec suũ eos in locũ per- D duxerimus (paruulis nostris interea manentibus in oppidis munitis, ut tuti sint ab incolis) non prius domum redituri, quàm Israelitæ in suam quisque hæreditatem uenerint: neque enim possessionem cum eis trans Iordanem adibimus, cum ea nobis obuenerit cis Iordanem ad orientem,

Sup. 13.e
Sup. 14.e

Ioſ.1.4 orientem. Quibus Moſes: Si iſtud facietis, in-
quit, ſi ad bellum parati eritis in Iouæ conſpe-
ctu, Iordanemq; armati omnes in eiuſdem Io-
uæ conſpectu traijcietis, tum demum redituri,
cum ille hoſtibus ſuis à ſe euerſis terram illam
perdomuerit, eritis & apud Iouam, & apud I-
E ſraelitas innocentes, atq; huius terræ poſſeſsio
nem in Iouæ conſpectu habebitis. Sin autem
non ita feceritis, ſcitote uos in Iouam peccare,
ueſtriq; peccati pœnas daturos eſſe. Aedifica-
te ſanè paruulis ueſtris oppida, & pecudibus
caulas, & ſtate promiſsis. Cui illi: Nos tuis iuſ-
ſis obtemperabimus, Domine. Paruuli noſtri,
mulieres, pecora, & iumenta omnia hic erunt
in oppidis Galaaditicis: nos autem omnes ad
militiam parati, ad bellum coram Ioua profi-
ciſcemur, quemadmodũ tu dicis Domine. Tũ
Ioſ.4.f Moſes Eleazaro põtifici, & Ioſuæ Nunis filio,
F & familiarum principibus Iſraeliticarum tribu
um, præcepit ſuper illis in hunc modum: Si uo-
biſcum traiecerint Gadini & Rubenitæ Iorda-
nem, armati omnes ad bellum in Iouæ conſpe-
ctu, & uobis ſubacta fuerit terra illa, tũ eis Ga-
laaditicum agrum datote poſsidendum. Sin au
tem uobiſcum armati non traiecerint, poſſeſ-
ſionem inter uos ſortiantur in Chananæa. Cui
Gadini & Rubenitæ ita reſponderunt: Vt no-
bis Ioua præcipit, ita faciemus: nos armati co-
ram Ioua in Chananæam traijciemus, & patri
monij noſtri poſſeſsionem cis Iordanem reti-
Ioſ.13.a.22. nebimus. ¶Ita dedit eis Moſes, uidelicet Gadi
b. nis, Rubenitis, & dimidiæ tribui Manaſsis Io-
Deut.3.b ſephi filij, regna Sehonis Amorræorũ, & Ogi
G Baſanæ regum, ſcilicet terram cum ſuis oppi-
dis, quàm longè lateq; eorum fines patebant.
Igitur inſtaurarunt Gadini Dibonem, Ataro-
tha, Aroer, Atrotha, Sophanẽ, Iazer, Iogbaam,
Bethnemram, & Betharanem, oppida munita,
& pecudum caulas. Rubenitæ autem, Heſebo
Gen.50.d nem, Eleale, Cariathaim, Nabonem, Baalmeo
nem mutato nomine, & Sabamam, quibus à ſe
inſtauratis oppidis impoſuere nomina. At Ma
chiris filij à Manaſſe progeniti, Galaad[illegible] ad-
orti cæperunt, Amorræosq; incolas expule-
Deut.3.b runt. Itaq; Machiri Manaſſe prognato, Galaa-
ditidem Moſes dedit habitandã. Iair item Ma-
naſſe natus, eorum uicos aggreſſus expugna-
uit, & Iairi uicos nominauit. Noba etiã Cana-
tham, eiusq; municipia expugnauit, eamq; No
bam à ſe denominauit.

CAPVT XXXIII.

De itineribus Iſraelitarum. SEquitur iam de itineribus, quæ Iſraelitæ ex
Aegypto cũ ſuis copijs egreſsi, ductu Mo-
ſis & Aharonis fecerunt: quæ quidem itinera,
Exod.12.f & profectiones, Moſes ex Iouæ mandato ſcri-
pſit. Sunt autem hæc: Profecti ſunt Iſraelitæ ex
a cum magnis copijs Rameſe decimoquinto die menſis primi, po-
ſtridie Paſchæ,[a] ingenti manu, in oculis omniũ
Aegyptiorum, qui tum ſepeliebant primoge-
nitos: quos omnes in eis Ioua, deos eorum ulci
ſcens, occiderat. Igitur à Rameſe profecti Iſrae
B litæ, caſtra fecerunt in Sochothis. A' Socho-
Exod.13.d this in Ethamo, qui locus eſt in ſolitudinis ex-
tremo. Ab Ethamo reuerterunt ad fauces Ahi-
rotha, quæ ſunt è regione Baalſephonis, & ca-
ſtra fecerunt ante Magdal. Ab Abirothis per Exod.14.
mediũ mare tranſierunt in ſolitudinẽ Ethamũ: a c.
per quam ſolitudinem tridui iter progreſsi, ca-
ſtra habuerunt in Mara. Ex Mara profecti ue- Exo.15.d
nerunt in Elimum, ubi erant duodecim aquæ
fontes, & palmæ ſeptuaginta, ibiq; caſtra po-
ſuerunt. Ex Elimo profecti, caſtra fecerunt ad Exod.16.
mare rubrum: inde in ſolitudine Sinæ, inde in
Dophca, inde in Aluſo, inde in Raphidimo, Exod.17.a
ubi populus aquam ad bibendum non habe- C
bat. Inde profecti, caſtra fecerunt in ſolitudine Exod.19.a
Sina, inde ad Buſta cupiditatis, inde in Haze- Sup.11.a.
rothis, inde in Rethma, inde in Remmonpha- 21 d
re, inde in Lebna, inde in Riſſa, inde in Ceela- Sup.13.a.
tha, inde in mõte Saphere, inde in Harada, in-
de in Macelothis, inde in Thahatha, inde in D
Thara, inde in Methcha, inde in Haſmona, in
de in Moſerothis, inde in Beneiaacane, inde Deut.10.b
in Horgadgado, inde in Iothabatha, inde in A-
brona, inde in Aſiongabre: inde in ſolitudine
Sinæ, quæ & Cades: inde in Hore, qui mõs eſt E
in extremo Idumææ, quem in montẽ Aharon Sup.10.[illegible]
pontifex ex Iouæ mandato aſcendit, ibiq; mor Deut.32.g
tuus eſt, anno quadrageſimo poſt egreſſos ex
Aegypto Iſraelitas, primo die mẽſis quinti, an
nos tum natus uiginti tres ſupra centum: cum
quidem Chananæus rex Aradus, qui Chana- Sup.21.c
næam ad Auſtrum incolebat, aduentum audi
uit Iſraelitarum. Ex Hore mõte profecti caſtra
poſuerunt in Salmona, inde in Phunone, inde
in Obothis, inde in Ieabarimo in Moabitarum
finibus. A' Ieabarimo profecti caſtra fecerunt
in Dibongado, inde in Almondeblathaima, F
inde in montibus Abarium contra Nabonem,
inde in campo Moabitico apud Iordanẽ Hie-
richuntium: atq; apud Iordanem caſtra habue
runt à Bethieſimothis ad planiciem Sittimo-
rum, in campo Moabitico, quo in campo Ioua
cum Moſe apud Iordanem Hierichuntium lo-
cutus eſt in hunc modum: Colloquere cum I- Chananæi
ſraelitis, eisq; manda, ut cum traiecto Iordane iubẽtur ex
in Chananæam terram uenerint, omnes inco- cindi.
las exterminent, omnia ſimulchra, omnia con- G
flata ſigna diſperdãt, omnia ſacella deuaſtent,
terramq; populati incolant (nam ego eam ipſis
occupandã dedi) & ſorte generatim ducta ita
poſſeſsionẽ adeant, ut quo quiq; uel plures uel
pauciores erunt, eo uel plus uel minus teneant
poſsidendo: utq; quem cuiq; ſors locum aſsi-
gnauerit, eum habeat, poſſeſsionibus diuiſis in
tribuum familias. Quod ſi incolas nõ extermi-
nauerint, quos eorum reliquos fecerint, eos fo
re ipſorum & oculis quaſi aculeos, & lateribus
ſpinas, ipſisq; futuros infeſtos in terra, in qua
conſederint: futurumq; ut quod illis ego face-
re decreui, id ipſiſmet faciam.

CAPVT XXXIIII.

Chananææ deſcriptio TVm eis, inquit, in hũc modũ præcipe: Cũ
in Chananæã ueneritis, terra quam poſsi-
Ioſ.15.a dẽdã ſortiemini, erit terra Chananæa, quacũq;
patet: cuius latus meridianũ uobis erit à Sinæ
ſolitudine ad fines Idumææ, idq; latus meridia
num, ab extremo ſalſi lacus in orientẽ patebit,

uesterq; terminus à meridie ad ascensum scorpiorum circunductus, ad Sinem porrigetur, & à meridie ad Gadesbarneã pertingẽs, exibit ad Hazaradar, & ad Asmonem extendetur. Ab Asmone circumagetur ad Aegyptium fluuiũ,
B atq; in mare desinet. Occidentalem terminum habebitis mare, & ipsum terminum, hic erit terminus occidentalis. In septentrionalis autem termino à mari ad montem Horem pergetis, inde quà iturHematham progrediemini, ita ut terminus in Sedadã exeat: & ad Zephronam perductus, in Hazarenanem desinat. Hunc septentrionalem terminum habebitis. In orientali termino comprehendetis ab Hazarenane ad Sephamam. À Sephama descendet terminus ad Reblam, ab oriente Ainis: hinc delatus ad latus Cenerethi lacus, spectabit ad orientẽ:
C & in Iordanem deuexus, salso lacu terminabitur. His finibus terram undiq; circumscriptam habebitis. ¶ Tum Moses Israelitis præcepit, ut terram illam sorte occuparent, quam Ioua nouem tribubus, & dimidiæ tribui dari iussisset. Nam duæ quidem tribus, & dimidia, uidelicet Rubenina & Gadina tribus, & Manasseæ dimidia, possessionem per familias cæperant cis Iordanem, quà est Hiericho, uersus orientẽ solem. ¶ Tum Ioua cum Mose locutus, nomina monstrauit eorum qui essent illis terræ possessionẽ

Diuisorũ nomina — *Iosu.24.a*

diuisuri. Sunt autem hi: Eleazarus pontifex, & Iosua Nunis filius. tũ ut singulos tribuum principes ad eam terræ distributionem deligerent, quorum hæc sunt nomina: Ex Iudæa tribu Chalebus, Iephonis filius: ex Simeonia Samuel, Ammiudi: ex Beniaminea Eliadd?, Caselonis: ex Dania princeps Boccis, Ioglis filius. ex Iosepho genitis: ex Manassensi princeps Haniel,
D Ephodi: ex Ephraimina princeps Camuel, Sephtanis: ex Zabulonia princeps Elisaphan, Pharnaci: ex Issachariana princeps Phaltiel, Azanis: ex Aseriana princeps Ahiudus, Salomis: ex Nephthaliensi princeps Phadael, Ammiudi. Hi sunt quibus Ioua præcepit, ut diuiderent Israelitis in Chananæa possessiones.

CAPVT XXXV.

ITem cum Mose locutus est Ioua in campo Moabitico, apud Iordanem Hierichũtium, in hunc modũ: Præcipe Israelitis, ut de suorum patrimoniorũ possessione Leuitis oppida dẽt ad habitandũ, eaq; cum suis undiq; pomœrijs, ut & oppida ipsorum habitationi, & pomœria eorum iumẽtis, rebus, & omnibus animalibus seruiant. Ac quæ Leuitis pomœria dabitis, ea foràs extra murum oppidi quoquo uersus mille pateant cubitos, ut cũ extra murũ orientali latere duo cubitorũ millia mẽsi fueritis, itemq; meridiano totidem, occidentaliq;, & septetrionali, oppidũ sit in medio, atq; hæc oppidorum pomœria habento. Ac quæ Leuitis oppida tribuetis, ea sunto sex oppida perfugij, quò confugiant percussores: & præterea quadragintaduo eis datote, ut quæ Leuitis dabitis oppida, ea sint omnino quadraginta octo unà cum suis pomœrijs. Et quæ oppida de Israelitarũ possessione dabitis, quanto quiq; uel plus uel minus

Iosf.21.a Leuitarum oppida. — *Iosf.21.a Deut.4.g*

habebunt, tanto ex eis uel plura, uel pauciora datote, ut quiq; pro modo occupatæ à se possessionis Leuitis de suis oppidis impertiat. ¶ Tũ hæc Israelitis exponito, inquit Ioua Mosi. Cum in Chananæam traiecto Iordane perueneritis, & oppida cõstruxeritis, habetote oppida perfugij, quò percussores, qui hominẽ per imprudentiã occiderint, confugiant: quibus oppidis utamini ad effugiendos uindices, ne homicida indicta causa moriatur. Atq; ista quidem oppida, quæ in asyla tribuetis, sex sunto: quarum tria cis Iordanem, altera in Chananæa attribuetis, quibus sex oppidis tum Israelitæ, tum peregrini, tum qui aderunt aduenæ, ad perfugium utantur, ut eò confugiat quisquis hominẽ imprudẽter occiderit. ¶ Qui si ferreo telo percusserit, atq; ille mortuus fuerit, homicida est, moriatur percussor. Item si saxo manuali lethifero percusserit, atq; ille mortuus fuerit, homicida est, moriatr percussor. Itẽ si ligneo telo manuali lethali percusserit, atq; ille mortuus fuerit, homicida est, moriatur percussor. Homicidã sanguinis uindex interficito, & quidẽ ubi ei occurrerit interficito. Quòd si eũ per odiũ pulsauerit, aut ex insidijs petiuerit, atque ille mortuus fuerit: aut eum hostiliter manu percusserit, atq; ille mortuus fuerit, morte plectatur percussor: homicida est, homicidã sanguinis uindex, ubi eum nactus fuerit, perimito. Sin aũt eum forte fortuna sine inimicitijs pulsauerit, aut aliquod telum in eum imprudens, aut quoduis saxum lethale ex improuiso iecerit, quod in illum inciderit, unde ille mortuus fuerit, cũ hic illi neque hostis esset, neq; malum machinaretur. tum concilium inter percussorem & sanguinis uindicem ex hisce regulis iudicato, et ab hoc illum uindicato, & in oppidum perfugij, quò confugerat, reducito, in eo ad mortem pontificis sacro oleo uncti mansurum. Quòd si percussor egressus fuerit extra fines oppidi sui asyli, quò perfugerit, eumq; extra illos fines sanguinis uindex inuentum occiderit, impunẽ esto. Nam debet in oppido sui perfugij manere ad mortem pontificis, & post eam in terram suæ possessionis reuerti. Atque hæc iudicialia instituta in posterum ubicunque degetis habetote. Quisquis hominem occiderit, ex ore testium occiditor homicida. Vnus quidem testis contra hominem in re capitali ne auditor: néue ab homicida precium ob uitam accipitote, qui crimen capitale cõmiserit, sed morte plectitor. Néue ab eo qui in asyli sui oppidum confugerit, precium accipitote, ob domum reditionem ante mortuum pontificem, ne terram, in qua eritis, impietis. nam sanguine impiatur terra: neq; à sanguine in ea fuso expiatur, nisi eius sanguine qui fudit. Ne ergo terram, quam incoletis, polluitote, in qua ego habitabo. Nam ego Ioua inter Israelitas habito.

Deut.19.a Asyla. Ios.20.a — *Deut.19.e*

B — C — D

CAPVT XXXVI.

TVm præcipui patresfamiliãs cognationis prognatorum Galaadi, Machire Manassis filio progeniti, gentiles natorum Iosephi, Mosem & Israeliticarum familiarũ principes conuene-

conuenerunt, atque ita uerba fecerūt: Tibi domine, præcepit Ioua, ut Israelitis terræ possessionem sorte dares: prætereà ab eodem Ioua tibi præceptum est, ut Salphaadi agnati nostri hereditatē eius filiabus dares. Nunc si hæ alijs Israelitis, quàm suis tribulibus, nupserint, auferetur earum hęreditas à nostra paterna hęreditate, B eiq; tribui accedet in quam nupserint, atq; ita de nostra hæreditatis sorte detrahetur: cūq; Iubile erit Israelitis, earum hæreditas de nostro detracta patrimonio, accedet ad eius tribus hęreditatē, in quā tribū concesserint. ¶ Tū Moses Israelitis ex Iouæ mandato præcepit, in C hunc modum: Rectè dicunt Iosephi natorum tribules, atq; hoc est quod Ioua circa Salphaadi filias præcipit: Suo arbitratu nubunto, dum in tribus paternæ gentem nubant. *Lex filiarū Salphaadi. Tob.7.d* Ita non trāsferetur Israelitarum hæreditas de tribu in tribum, dum quisque in suæ patriæ tribus hæreditate hærebit. Atque omnis filia hæres instituta, ex quacunque Israelitarum tribuum, alicui tribuli suo nuptum locetur, ut Israelitarum quique paternas hęreditates possideant, ne hæreditates ~~ex alijs in alias tribus transeant~~, dum Israelitarum quisque in suę tribus hæreditate hęrebit. Atque hoc quemadmodum Mosi Ioua D præcepit, ita fecerunt Salphaadi filiæ: nupseruntq; Maala, Thersa, Hegla, Melcha, & Noa, Salphaadi filiæ, patruelibus suis, in gentilitates filiorum Manassis, Iosephi filij, mansitq; earum hæreditas in tribu earum paternæ gentis. ¶ Hæc sunt pręcepta & iura, quę per Mosem Ioua pręcepit Israelitis, in campo Moabitico, apud Iordanem Hierichuntium.

DEVTERONOMIVM.

CAPVT I.



ORATIO quam habuit Moses ad uniuersos Israelitas cis Iordanem, in quadam solitudinis planitie, è regione maris rubri, inter Pharanē & Thophel, ac Labanem, Haserothámque & Dizahabum. Est autem undecim dierum iter ab Horebo per Seirem montem, ad Cadesbarneam. ¶ Igitur anno quadragesimo, die primo mensis undecimi, elocutus est Moses Israelitis omnia quæ ei Ioua ad eos mandauerat, *Num.21.c* post cęsum ab eo Sehonem Amorręorum regem, qui Hesebonem incolebat: & Ogum Basanæ regem, qui Astarothis in Edrei habitabat. Cis Iordanem, inquam, in finibus B Moabitarum ingressus est Moses legem hanc explanare huiusmodi uerbis. *Verba Mosis ad populum.* Ioua Deus noster admonuit nos in Horebo, iam satis nos in eo monte mansisse: iussitq; ut reuerteremur, & contenderemus in montem Amorræorum, & omnia finitima loca tum campestria, tum montana, tum conuallium, tum meridiana, tum maritima, uidelicet in Chananæam, & Libanum, usque ad Euphratem magnum fluuium. sese enim nobis illos fines concedere: itaque inuaderemus possessionem terræ, quam ipse maioribus nostris Abrahamo, Isaaco, & Iacobo iurasset, se & ipsis, & ipsorum esse posteris daturum. Per id tempus autem proposui uobis, me solum non posse regere uos, qui ita essetis à Ioua Deo uestro aucti, ut iam cœlestium *Exod.18.c* stellarum multitudinem æquaretis: optare qui- C dem, ut Ioua Deus uester patrius uos etiā millecuplo augeret, & suo fauore prosequeretur, quemadmodum promisisset: me certè solum negotia, onera, lites uestras ferre quî posse? Itaque petere, ut uiros uestrarum tribuum sapientissimos, prudentissimos, peritissimosq; daretis, quos ego uobis præfectos constituerem.

Cumq; uos respondissetis, ita uobis fieri placere: delegi uestrarum tribuum principes, uiros sapientes & peritos, quos uobis pręfectos *Magistratus.* statui, millenarios, centenarios, quinquagenarios, & denarios, tum etiā tribuum uestrarum tribunos: præcepiq; eo tempore iudicibus uestris, ut cognatorum suorum controuersias audirent, & iustè de causis uel ciuium inter ipsos, *Ioan.7.d* uel cum peregrinis iudicarent, néue in iudicijs *Infr.16.d* ullam personarum rationem haberent, sed te- *Leuit.19.c* nues iuxtà ac potentes audirent, neque quen- *Prou.24.c* quam formidarēt: nam iudicium Dei esse. cau- *Eccl.42.a* sas autem difficiliores, quàm pro se, ad me re- *Iacob.2.a* ferrent audiendas. Tum quoque uobis omnia præcepi quæ essent uobis facienda. Ab D Horebo autem profecti, peragrauimus omnem uastam illam, & horribilem, quam uidistis solitudinem uersus Amorræum montem, sicut nobis Ioua Deus noster pręceperat: & in Cadesbarneam peruenimus. Tum ego uobis demonstraui, peruenisse uos ad montem Amorræum, quem nobis Ioua Deus noster daret, ostendi'que Iouam Deum uestrum uobis addicere terram illam, proinde ne dubitaretis, néue formidaretis eius possessionem inuadere, uobis à Ioua Deo uestro patrio promissam. At uos uniuersi me conuenistis, me- *Exploratores.* cumq; egistis de præmittendis, qui regionem uobis explorarent, uosq; certiores facerent de *Num.13.a* uia quam essetis ingressuri, & de oppidis quæ essetis aggressuri. Quæ res cum mihi placuisset, delegi duodecim ex uobis, singulos, ex singulis tribubus, qui in montana ascendere contenderunt: qui usque ad fluuium Escolem profecti, regione explorata, secum sumpserunt de fructibus illius terræ: & ad nos reuersi, nobis retulerunt bonam esse terram illam, quam no- E bis daret Ioua Deus noster. Sed uos nolentes ascendere, Iouam Deum uestrum irritastis: & in tabernaculis uulgo obloquentes dictitabatis, Iouam uestri odio uos eduxisse ex Aegypto, ut Amorræis euertendos addiceret: Nunc nescire, quò uos uerteretis: ipsos consanguineos uestros uobis animos fregisse, qui retulissent, gentem illam uobis esse & maiorem &

potentiorem: urbes maximas, & ad cœlum
munitas: sese etiã illic uidisse Enaquinos. Ego
uos cohortabar ne terreremini, aut eos perti-
mesceretis: Iouam Deum uestrum, qui uos
antecederet, pro uobis pugnaturum, quem-
admodum uobis in Aegypto fecisset in oculis
uestris, tum etiam in solitudine, ubi uideretis
uos ab eo sic portatos esse, ut à patre filium, to-
to eo itinere quod fecissetis, donec ad locum il-
lum uentum fuisset. Sed uos ea in re fidem Iouæ
F Deo uestro non habuistis, qui uobis uiã (ut lo-
cũ stationibus uestris exploraret) præibat, no-
Exo.13.d ctu in igne, ut uiam per quam graderemini ui-
deretis: interdiu autem in nube. Itaq; Ioua, au-
dita uerborum istorum uoce, iratus iurauit, ne-
Num.14.d minem ex tam prauo hominũ genere uisurum
esse bonam illam terram, quam maioribus ue-
stris daturum se iurauisset, excepto Calebo Ie-
phonis filio. eum enim uisurũ: seq; tum ei, tum
eius natis eam terram cõcessurum, quam pera-
grauerat, quoniam Iouæ suum officium præsti-
tisset. Quinetiam contra me propter uos iratus
Ioua, negauit me eò esse uenturũ: Iosua, inquit,
Num.24.f Nunis filius, qui tibi ministrat, illò ueniet: hũc
tu confirma, hic in illius terræ possessionẽ im-
mittet Israelitas. Vestri quoque paruuli, quos
uos dixistis prędę futuros, & liberi, qui nesciũt
G hodie quid bonum sit aut malum, ij eò perue-
nient: ijs ego terram illam posśidẽdam tradam.
Vos autem reuertimini in solitudinẽ, mare ru-
brum uersus. Tum uos uestrum contra Iouam
peccatum confessi, mihi respondistis: ascẽsuros
esse uos, & bellum gesturos, sicut uobis Ioua
Deus uester præcepisset. Itaque armis accincti,
contendistis in montem ascendere. Monuerat
autem me Ioua, ut uos ab ea expeditione dehor
tarer: ne, cum ipse uobis præsens nõ adesset, ab
hostibus uinceremini. Quod cum ego uobis re
tulissem, non obtemperastis: contemptisq; Io-
uæ monitis, montem insolenter conscendistis.
Ergo occurrit uobis illius mõtis incola Amor-
ræus, uosq; ut solent apes persecutus concidit,
usque à Seire ad Hormam. Itaque reuersi fle-
uistis apud Iouam: sed ille uos non exaudiuit,
neque uobis aures præbuit.

CAPVT II

CVmq; multo maximam uestræ moræ par-
tem fuissetis apud Cadem, reuersi conten-
dimus in solitudinem mare rubrum uersus, si-
cut mihi Ioua mandauerat: montemq; Seirem
multis diebus circuiuimus. Tum Ioua me mo-
nuit, ut quoniam satis iam mõtem illum circui-
uissemus, conuerteremus nos ad aquilonẽ: mi-
hiq; mãdauit, uobis ut præciperem, ut cum iter
haberetis per fines fratrum uestrorum Esao na-
Idumæi. torum, Seiris incolarum, & illi uos metuerent,
diligẽter caueretis ne eos infestaretis: sese enim
uobis de illorum terra ne uestigiũ quidẽ esse pe
dis daturũ, quippe cum Seirem montem posśi-
dẽdum Esao dedisset. Proinde cibaria ab eis ar-
gento emeretis ad uictum, etiamq; aquã ad po-
tum. Etenim Iouam Deum uestrum uobis in
omnibus uestris factis fauere, qui uestrum i-
ter curauisset in uasta illa solitudine per illos
quadraginta annos: uobisq; ita adfuisset, ut B
nulla re indigueritis. ¶ Itaq; deflex、imus à fra-
tribus nostris Esao prognatis, Seiris incolis, à
uia campestri, ab Elatho, & ab Asiongabre, &
iter cõuertimus ad solitudinem Moabitarum.
Tum mihi Ioua uetuit, ne Moabitas infestare- Moabitæ.
mus, aut oppugnaremus: sese enim nobis de
eorum terra possesśionem non esse daturum, ut
qui Loti posteris Ar posśidẽdum concesśisset.
Emes antea illic habitasse, populũ tum magni-
tudine, tum multitudine, tum potẽtia Enaqui-
nis parem: ipsos quoque haberi solitos inter gi
gantes, sicut Enaquinos, atque à Moabitis E- C
mes uocari. In Seire autem habitasse olim Ho-
rios: sed Esainos, illis exactis atque deletis, eo-
rum fines occupasse, sicut facturi essent Israeli-
tæ in terram suæ possesśionis sibi à Ioua cõces-
sam. Quapropter fluuium Zaredum traijcere-
mus. Ergo traiecimus. Tempus autem quo in
itinere fuimus à Cadesbarnea, donec Zaredũ
traiecimus, fuit annorum octo & triginta, do-
nec absumptum est totum genus eorum qui in
castris erant ad bellum idonei, sicut eis iuraue-
rat Ioua: cuius etiam manu in castris ad interne
cionẽ oppresśi fuerũt. ¶ Igitur cõfectis & mor-
tuis omnibus qui in populo erãt ad bellũ apti, D
alloquutus est me Ioua: Transiturus es, inquit,
hodie Moabitarum terminum, uidelicet Ar, &
propius ad Ammonitas accessurus: Ne eos in- Ammonitæ
festato, aut lacesśito. neque enim sum uobis da-
turus de terra Ammonitarum possesśionem,
quam Loti posteris dederim posśidendam. Ea
quidem etiã gigãtum terra habetur, in eaq; ha-
bitauerunt olim gigãtes, ab Ammonitis Zam-
zumes appellati, populus magnitudine, mul-
titudine, potentiaq; cum Enaquinis conferen-
dus: sed eis Iouę pręsidio deletis atque exactis,
Ammonitæ in eorũ sedibus consederũt: quem-
admodum idem Ioua fecit Esainis, Seiris inco-
lis, propter quos Horios euertit, quorum illi fi-
nes occupatos tenẽt ad hunc diem. Auios quo-
que in Hazeris usque ad Gazam habitantes,
Cappadoces ex Cappadocia profecti euerte- Cappado-
runt, & in eorum finibus cõsederũt. Agite pro- ces.
ficiscimini, & Arnonem fluuiũ transite. En ego E
uobis in manum trado Sehonem regem Hese- Sehon.
bonium Amorręum, eiusq; terram. Incipe iam
eius inuadere possesśionem, & illi bellũ infer-
re. Ego hodie incipiã tantum tui terrorẽ & me-
tum omnibus quæ sub omni cœlo sunt genti-
bus incutere, ut ad tui nominis auditũ perhor-
rescant, atque percellãtur. ¶ Misi igitur legatos
ex Cedemothis solitudine ad Sehonem regem Num.21.e
Hesebonium, de pace, qui peterent, nobis ut lice-
ret rectà per illius fines iter facere, nusquã defle
xuris: tantũ nobis pro pecunia & cibaria ad ui-
ctum, & aquã ad potionẽ daret, ut ita pedibus F
iter faceremus, sicut fecissent nobis & Seiris E-
saini, & Aris Moabitæ incolæ: donec transmis-
so Iordane peruenissemus in terram, nobis à
Deo nostro Ioua destinatam. Sed noluit Sehon
rex Hesebonius, nobis per suos fines iter dare,
Ioua scilicet Deo uestro illius animum atq; cor
durante, atque obstinante, ut eum uobis in ma-
num daret:

num daret: quemadmodum euenit. Tum mihi Ioua ostendit, se mihi iamiam superādum dare Sehonem regem, unà cum suis finibus: quocirca auderem iam illius terræ possessionem inuadere. Igitur cum Sehon unà cum suis omnibus copijs egressus esset ad prælium nobiscum in Iasa committendum, eum nobis Ioua Deus noster ita debellauit, ut & ipsum & eius filios, omnemq́ populum occiderimus, & eius oppida omnia eodem tempore ceperimus, omnesq́ oppidanos & mulieres & impuberes ad unum interfecerimus. Tātum pecora nobis & captorum oppidorum prædam diripuimus. Ab Aroere quidem, quod situm erat ad ripam fluuij Arnonis, & oppido quod erat in fluuio, ad Galaadum usque, nullum fuit oppidum, quod nobis restiterit, omnia nobis superante Ioua Deo nostro. Tantum ad Ammonitarum fines non accessistis, quantum est fluuij Iabboqui, & mōtanorum oppidorum, omniumq́ quibus nobis Ioua Deus noster interdixerat.

Amos 2.c

G

CAPVT III.

Ogus.

INde cum iter in Basanam conuertissemus, egressus ad prælium nobis occurrit Basanæ rex Ogus, cum suis omnibus copijs, in Edrei. Tum me Ioua admonuit, ne illum timeremus: nam se nobis & eum & omnes eius homines atque terram dedere: nosq́ eo usuros esse, quomodo Amorrhæo rege Sehone Hesebonis incola usi essemus. Itaq́ subegit nobis Ioua Deus noster etiam Basanæ regem Ogum, omnesq́ eius homines, quos nos ad unum occidimus, eodemq́ tēpore omnia eius oppida cæpimus, neque ullum fuit ex sexaginta (tot enim erant oppida totius Argobiæ tractus, quod regnum erat Ogi in Basana) quod non expugnauerimus: & erāt omnia illa oppida mœnibus altissimis, portisq́ & repagulis munita, præter ingentem numerum pagorum non muratorum. Eos nos, sicut Sehonem regem Hesebonium, euertimus, & oppida omnia, uiros, mulieres, impuberes à stirpe excidimus. Pecora autem omnia, prædamq́ oppidorum nobis diripuimus, & ita eo tempore à duobus Amorræorum regibus terram abstulimus cisiordaninā, à fluuio Arnone ad montem Hermonem, quem Sidonij Sarionem, Amorræi Sanir appellant. Atque omnia quidem campestria oppida, totaq́ Galaaditis, & Basana, ad Salcham & Edreim, oppida erant in Basana regnantis Ogi. Solus enim supererat ex gigātum reliquijs: cuius etiā cubile, idq́ ferreum, adhuc est Rabbathæ Ammonitarum, longitudine nouem cubitorum, latitudine quatuor, & quidem uirilium. Illam nos terram eo tempore occupauimus usque ab Aroere, quod apud fluuium Arnonem situm est, dimidiumq́ montis Galaadi, & eius oppida Rubenitis Gadinisq́ concessi. Reliquam autem Galaaditis partem, totumq́ Basanēse Ogi regnū, dimidiæ tribui Manassensi dedi, totam scilicet Argobiam, cum omni Basana, quæ Gigantum terra dicta est. Iair quidem Manassensis cæpit omnem Argobiæ tractum, usque ad cōfinium Gessuris, & Maachatis, quæ à suo nomine Basanhauotha Iairi uocauit, quod nomen etiamnum manet. Machiri autē dedi Galaadū. Rubenitis uerò, & Gadinis, à Galaado ad fluuium Arnonē, quod est inter fluuium & cōfinium, & ad Iabboquum fluuium, positum in Ammonitarum confinio: planiciem etiam, Iordanemq́, & confiniū à Cenneretho ad planum lacum, id est lacum salsum, subter quā se Phasga porrigit ad orientem. ¶ Tum ego uobis demonstraui, Iouam Deum uestrū uobis terræ eius possessionem dedisse, præcepiq́ ut armati, quicunque ad arma essetis idonei, fratres uestros Israelitas præcederetis: tātum fœminis uestris, paruulisq́ & pecore (quod multū uos habere sciebam) remanētibus in oppidis uestris, quæ ego uobis concesseram, donec uestri quoque fratres requietem à Ioua, ut & uos, cōsecuti, peruenissent ad illius terræ possessionē, quā eis Ioua Deus uester trās Iordanem daturus esset: tum demum uos suā quemq́ ad possessionem à me tributā esse reuersuros. Iosuæ quoq́ eo tempore præcipiens ostendi, quæ ipse suis oculis uidisset Iouam Deum uestrum fecisse in duos illos reges, eadem omnino facturum esse in omnia regna, ad quę transituri essetis: proinde ne illos timeretis. Ipsum enim Deū uestrum Iouam pro uobis esse pugnaturum. ¶ Tūc etiā Iouam Dominum oraui, ut (postquā mihi tantæ suæ maiestatis, tamq́ ualentis manus specimen edidisset, ut nullus esset neque in cœlo, neque in terra Deus, qui tātæ fortitudinis ederet facinora) hanc mihi suo ueniam daret, ut traijcerem, uideremq́ felicem illam terram trāsiordaninam, felicem illum mōtem Libanum. Sed succensens mihi Ioua propter uos, non modò me non exaudiuit, sed etiam uetuit me sibi amplius de ea re uerbum facere: satis enim mihi esse. Verùm ascēderem in iugum Phasgæ, conuersisq́ oculis ad occidentem, ad septētriones, ad meridiem, & ad orientem, meis specularer oculis: neque enim transiturum esse Iordanem illum. Cæterùm Iosuam instruerem, stabilirem, atque cōfirmarem: hunc enim ducem futurum esse huic populo, eiq́ diuisurum terram illam, quā ego spectaturus essem. Sumus autem commorati in ualle è regione domus Phegoris.

Infr. 29.b
Num. 21.c
Num. 21.g

B

Ogi cubile.
Num. 32.f

Basananos uicos.

C

Num. 27.d

D

Mosi negatus aditus in Chananæam.
Infr. 32.a
Item 34.a

CAPVT IIII.

ET nunc Israelitæ audite instituta & iura, quæ ego uos ad ea obeūda doceo, ut uiuatis, & in possessionē ueniatis illius terrę, quam maiorum uestrorum Deus Ioua uobis largitur. Ne quid additote ad id quod ego uobis præcipio, neue quicquam de eo detrahitote, ut pręcepta cōseruetis Iouę Dei uestri, de quibus ego uobis pręcipio. Vidēt oculi uestri quid fecerit Ioua in Baalphegorē: nam quicūq́ Baalphegorem secuti sunt, eos de medio uestrûm sustulit Ioua Deus uester: cū uos qui Iouę Deo uestro adhęsistis, omnes hodie uiuatis. Scitote me docere uos instituta & iura, quomodo mihi Ioua Deus meus pręcepit, ut his pareatis in terra in quā itis ad eam possidendā. Date operā ut hęc faciatis. Nam in hoc sita est uestræ apud cęteras nationes sapientię & prudētię existimatio, ut auditis

Baal.
Num 25.a

ut auditis omnibus hisce institutis, fateantur hanc tantam gentem sapientem profectò, & B prudentem esse. Nam quæ tanta gens est, ad quam dij accedant, ut Ioua Deus noster, quoties eum inuocamus? Aut quæ tanta gens est, quæ tam iusta instituta & iura habeat, quàm est hæc tota lex, quam ego uobis hodie propono? Veruntamen cauete, & animum etiam atque etiã aduertite, ne ea obliuiscamini, quæ uestris ipsis oculis uidistis: néue ea de animis uestris per omnem uitam deponatis, sed de eis & filios & nepotes uestros doceatis, uidelicet quo Exod. 19. c die ante Iouam Deum uestrum stetistis in Horebo, cum mihi mandasset Ioua, ut ad se populum conuocarem, quo sua dicta apud eos pronunciaret, quæ discerent, ut & ipsi eum, quamdiu in terris uiuerent, metuerent, & suos natos docerent. Accesistis igitur, & sub monte stetistis, cum quidem mons tenebris, nube, caligine obductus, ad medium usque cœlum igni arderet: uosq; Ioua de medio igne allocutus est, uobis uerborum quidem uocem audientibus, sed nullius rei speciem uidentibus, præter uocem. Ibi uobis declarauit fœdus suũ, idq; ut seruaretis præcepit, uidelicet decẽ dicta, quæ duabus lapideis tabulis inscripsit. Et mihi præcepit Ioua eo tempore, ut uos instituta, iuraq; docerem, C quæ obiretis in terra, cuius in possessionẽ essetis migraturi. ¶ Cauendum autem uobis est diligenter, si uestram salutem amatis, ne quum Idololatria uetatur. nullius rei speciem uideritis, quo die uos Ioua Deus uester in Horebo alloquutus est de medio igne, in tantam peruersitatem ueniatis, ut ullius omnino figuratæ rei simulachrum faciatis, siue maris similitudine, siue fœminæ, siue ullius terrestris animantis, siue ullius alatę uolucris quæ per aerẽ uolet, siue ullius quod in terra serpat, siue ullius piscis qui sit in aqua sub terra. Neue cum sublatis in cœlũ oculis uidebitis solem, lunam, stellas, omnes denique cœli copias, impellamini ad ea adoranda, atque colenda, quæ Ioua Deus uester omnibus, qui sub omni cœlo sunt, populis impertiuit: qui idem uos ex ferrea Aegypti fornace eripuit, ut ei essetis peculiaris populus, sicuti res indicat. Quin etiam mihi uestra causa iratus, iurauit me non esse traiecturum Iordanem, neque in bonam il- D lam terram uenturum, quam ipse uobis in pa- Suprà 1.f trimoniũ tribuit. Ita ego in his finibus moriar, neque Iordanem transibo: at uos transibitis, & tam bonũ solũ possidebitis. ¶ Cauetote, ne fœderis obliti à Ioua Deo uestro uobiscum percussi, ullius earum rerũ quæ ab eo uetitę sunt, simulachrũ faciatis. Est enim Ioua Deus tuus Heb.12.g ignis edax, est Deus æmulus. Si finibus illis occupatis, filijsq; & nepotibus progenitis, à bona fruge abducti, alicuius rei simulachro facto, Deum uestrum Iouam uestro crimine irritaueritis: cœlos ego uobis hodie, terras'que testor, uos breui sublatum iri de terra, ad quam occupandam Iordanem traiecturi estis, uitaq; non diu illic producta, perditum iri. Dissipabit uos Ioua per externas nationes, & pauci numero supereritis in gẽtibus, quò uos abiget Ioua, atque illic dijs seruietis humanis manibus factis, ligneis & lapideis, qui neque uidebunt, neque audient, neque comedent, neque odorabũtur. E Quanquã & illic Iouam Deum uestrum quærẽtes inuenietis, si modò eum toto pectore, totoq; animo quęretis, sicq; olim in harum tot rerum aduersis deprehensi, ad eum redibitis, eiq; dicto audiẽtes eritis. Etenim Deus est misericors, Ioua Deus uester: nõ uos deseret, nõ abolebit, non obliuiscetur fœderis, quod cum maioribus uestris iurãdo sanxit. Quærite enim de superioribus tẽporibus, quę fuerunt ante uos, Dei erga Israelitas beneficia. ex quo creauit Deus hominem in terris: quærite à cœli extremo, ad eiusdem extremum, an tanta res unquam fuerit, aut fando audita sit talis. An audiuit ullus populus Dei uocẽ de medio igni loquentis, ut uos audiuistis, & tamen uixit? Aut tentauit ullus Deus uenire ad desumendam sibi gentem aliquam de medio gentis alterius, per illata pericula, per ostenta, per miracula, bello, ualente manu, porrecto brachio, ingentibus uisis, quæ omnia in oculis ue- F stris Ioua Deus uester causa uestra fecit in Aegypto? Vos ipsi uidistis, ut intelligatis Iouam esse Deum, nec ullum esse præter eum. Is fecit ut uos suam de cœlo uocem audieritis, uestri erudiendi gratia: & uobis in terra magnum illum suum ignem ostẽdit, eiusq; de medio igne uerba audiuistis: qui quoniam maiores uestros ita dilexit, ut eorum quoque futuram progeniem elegerit, eduxit uos ante se suis præstan- Exod.13 tissimis uiribus, ex Aegypto, ut gentes & maiores & potentiores quàm uos estis, uobis exigeret: uosq; in illarum terrã introductos, ea in hærẽditatẽ donaret, ut res ipsa perspicue ostendit. Quare attẽdite hodie, & in memoriam reuocate, Iouam Deũ esse & suprà in cœlo, & infrà in terris, nec esse alterum. Cõseruatote igitur eius instituta & præcepta, de quibus ego uobis hodie præcipio, ut & uobis & uestris in posterũ natis bene sit, utq; perennem uitam degatis in terra, quam uobis Ioua Deus uester donat. ¶ Tũc separauit Moses tria oppida cis Ior- Asyla. danem ad ortum solis, in quæ cõfugeret si quis Num.35.a alterum per imprudentiã occidisset, quẽ antea G non odisset: is, inquam, in aliquod illorũ oppidorum confugeret, atque ita uitę suæ consuleret: uidelicet Beser in solitudine, in cãpestri regione Rubenitarum, & Ramotha in Galaado Ios.20.a Gadinorum, & Gaulanitidem in Basana Manassensium. ¶ Hæc ergo lex est, quã proposuit Moses Israelitis: hęc sunt oracula, institutaq; & iura, quę Moses Israelitis ex Aegypto egressis elocutus est cis Iordanem, in ualle, è regione domus Phegoris, in finibus Sehonis regis Amorræi, qui Hesebonem incoluerat, cuius terram Moses & Israelitę ex Aegypto egressi, eo occiso, occuparunt unà cum terra Ogi Basanæ regis, qui duo reges fuerunt Amorręi cis Iordanini ad ortum solis, ab Aroere, quod fuit ad ripam fluuij Arnonis, ad montem Seonem, qui idem Hermon dicitur, omnemq; campum cis Iordaninum orientalem, usque ad planum lacum, subter quã Phasga protenditur.

CAPVT V.

MOses ergo cōuocatis omnibus Israelitis, ad eos uerba fecit ad hunc modum: Audite Israelitæ instituta & iura, quę ego hodie in uestris auribus eloquor, discenda uobis, & [Exo.19.b.c] diligenter exequenda. Ioua Deus noster percussit nobiscum fœdus in Horebo. non cum maioribus nostris percussit Ioua fœdus hoc: sed cū ipsis nobis, qui hic omnes hodie uiui adsumus. Vobiscum Ioua coràm in mōte de medio igne locutus est, cum quidem ego tunc inter Iouam & uos enunciandorum illius dictorū sequester essem, quòd uos igne perterriti, in mōtem non ascendissetis. Locutus est autē in hūc modum:

[Decē præcepta. Exod 20.a Leuit.26.a Psal.96.b Exod 34.a] Ego sum Ioua Deus tuus, qui te eduxi ex Aegypto domo seruitutis. Deos alios apud me ne habeto. Ne facito simulachrum ullius rei, quæ extet aut suprà in cœlo, aut infrà in terra, aut in aqua sub terra. Ea ne adorato, aut colito. Nam ego Ioua Deus tuus, Deus æmulus, parentum culpam persequor in liberos usque ad tres aut quatuor stirpes osorum mei: benignè autem facio ad mille usque stirpes mei amantibus, [B] meaq; præcepta conseruantibus.

[Exod.20.b Leuit.19.c Matth.5.e] Iouæ Dei tui nomen inaniter ne adhibeto: neque enim sinet impunitum Ioua, qui nomen eius inaniter adhibuerit.

[Exod.20.b Gene.2.a Heb.4.b] Diem Sabbathi sanctè agere memento, quēadmodum tibi præcipit Ioua Deus tuus. Sex diebus agito, opusq; omne tuum patrato. nam septimus quidē dies Sabbathum est Iouæ Dei tui. In eo nullum opus facito, neque tu, neque filius tuus, aut filia: neque seruus, aut ancilla, neque bos, aut asinus, aut ullum tuum iumentum: neque apud te degens peregrinus: ut requiescat seruus tuus, & ancilla, sicut & tu. & memineris te seruum fuisse in Aegypto, atque illinc à Ioua Deo tuo ualida manu, porrectoq; brachio eductum esse: ideoq; Iouā Deū tuum tibi præcepisse, ut Sabbathi diem agas.

[C] Patrē tuum matremq; honorato, ut tibi præcipit Ioua Deus tuus: [Exod.20.c Eccl.3.b] ut & diu uiuas & feliciter, in terra, quam tibi Deus tuus Ioua dat.

[Matth.15.a] Ne occidito.

[Marc.7.b] Nēue adulterato.

[Ephe.6.a] Nēue furator.

[Matt.5.c.d] Nēue falsum testimoniū cōtra alterū dicito.

[Rom 7 b] Nēue alterius uxorem concupiscito.

Nēue alterius domum expetito, agrum'ue, aut seruum, ancillamúe, aut bouem, asinumúe, aut quidlibet alterius.

Hæc uerba effatus Ioua ad uniuersam cōcionem uestrûm in mōte, de medio igne, nube, caligine, magna uoce, nihil addidit, eaq; in duabus lapideis tabulis inscripta mihi tradidit. At uos audita uoce de medijs tenebris, monte ardente igni, conuenistis me, scilicet omnes tribuum principes, & seniores, & mecum egistis huiusmodi uerbis: En ostēdit nobis Ioua Deus noster suū splendorem, & magnitudinē, eiusq; de medio igne uocem audiuimus: hodie uidemus Deum cum hominibus colloqui, & tamen eos uiuere. Quare ne tanto illo igne cōsumpti [D] moriamur: ne inquam, si amplius Iouæ Dei nostri uocem audiuerimus, moriamur (nam quis unquam mortalium Deum immortalem de medio igne loquētem, ut nos, salua uita audiuit?) accede tu, & audi omnia quæ Deus noster Ioua dicet, nobisq; referto quæcunque tibi dixerit, & nos audita faciemus. Hac uestra ad me oratione audita, Ioua mecū ita locutus est: Audiui omnem istius ad te populi orationem: rectè omnia dixerunt. Atque utinam ita semper sint animati, ut me timeant, meaq; omnia præcepta conseruent, ut & ipsis, & ipsorum natis bene sit in æternū. I renūciatum eis, ut in sua tabernacula reuertantur. Tu uerò mecū hic astato, & eloquar tibi omnia præcepta, instituta, iura, quæ eos doceas, exequenda in terra, cujus ego possessionē sum eis daturus. Curate igitur ut ita Iouæ Dei uestri iussis obtemperetis, ut nec ad dexterā nec ad sinistram deflectatis, utq; per omnem uobis ab illo præceptā uiam ingrediamini, ut nō solum uiuatis, sed & feliciter & diu uiuatis in terra quam estis possessuri.

CAPVT VI.

HAec sunt autem præcepta, instituta, & iura, quæ præcepit Ioua Deus uester uos doceri, obeunda in terra, ad quam occupandam transituri estis, ut Iouam Deum uestrum uerentes, eius omnia instituta, atque præcepta, quæ ego uobis trado, conseruetis tum uos, tum uestri nati atque nepotes per omnem uitam uestram, atque ita diutinam uitam consequamini. Audite igitur Israelitæ, & curate ut audita faciatis, ut uobiscum bene agatur, utq; plurimū augeamini, quemadmodum uobis maiorum uestrorum Deus Ioua promisit lacte melleq; scatentem terrā. ¶ Audite Israelitæ. Ioua Deus noster Ioua unus est. [Pietas erga Deum. Matt.22.d Marc.12.c Luc.10.e] Igitur Iouam Deum uestrum toto corde, toto animo, summaq; ope amatote: atque hęc uerba quæ ego uobis hodie præcipio, in corde habetote, & uestris natis inculcatote: [B] de his domi militiæq;, de his cubantes, surgētesq; loquimini: hæc manibus uestris insignia alligatote: hæc inter oculos frontalia habetote: hæc domorum uestrarum postibus, & portis uestris inscribitote. Cumq; uos introduxerit Ioua Deus uester in terram, quam maioribus uestris Abrahamo, Isaaco, Iacobo, daturum se uobis iurauit, ingentia bonaq; oppida, quæ uos non ædificastis: domos bonorum omnium plenas, quas uos non repleuistis: excisas cisternas, quas non excidistis: uineas, & oliueta quæ non conseuistis: cumq; ad satietatem comederitis, cauetote ne Iouæ obliuiscamini, qui uos ex domo seruitutis eduxit [Matt 4.b] Aegyptiæ. [C] Iouam Deum uestrum timetote, ei seruitote, perq; eius nomen iuratote. Deos alienos ne sequimini ex dijs finitimarum nationū, ne Ioua Deus uester inter uos uersans, Deus æmulus, uobis irascatur, uosq; de terra [Luc.4 b] tollat. Iouam Deum uestrum ne tentatote, quemadmodum tentastis apud Massam. Iouæ Dei uestri præcepta seruatote, oraculaq;, & instituta, quæ uobis præcipit: quodq; ei probatur & placet facitote, ut bene uobiscum agatur, & in bonæ illius terræ possessionem ueniatis, [Matt.4.b Luc.4.b Num.21.b Exod.17.b]

ueniatis, quam maioribus uestris Ioua iurauit, ad expellēdos uobis omnes hostes uestros, ut promisit Ioua. ¶ Interrogantibus posthac filijs
D uestris, quid sibi uelint oracula illa, institutaque, & iura quæ uobis Ioua Deus uester præceperit, sic respōdetote: Cum serui essetis Pharaonis in Aegypto, uos illinc à Ioua eductos esse ualida manu: qui Ioua ingentibus dirisque portentis atque mōstris Aegyptios, Pharaonemque cum tota eius domo, in oculis uestris persecutus, uos illinc eduxerit, in eam terram, quam maioribus uestris iurauisset, introducturus, eamque uobis daturus. Eum igitur Iouam hæc omnia instituta uobis obeunda præcepisse, ad metuendum Iouam Deum uestrum, ut uobis semper bene sit, utque uiuatis. idque re ipsa indicari: ac uos iustitiam habituros, si curaueritis eam omnem disciplinam coràm Ioua Deo uestro sic obeundam, ut ipse uobis præceperit.

CAPVT VII.

Infr.31.a

CVm uos introduxerit Ioua Deus uester in terram, ad quam occupandam proficiscimini, uobisque tot gentes pessundederit, Hettæos, Gergesæos, Amorrhæos, Chananæos, Pheresæos, Heuæos, & Iebusæos, septem gentes uobis & maiores, & potentiores, easque uobis concidendas dederit, eas funditus euertitote: ne cum eis fœdus initote: néue earum miserti fueritis: néue affinitatem cum eis cōtrahitote, aut filias uestras illorum filijs locando, aut illorum filias uestris filijs coniungendo. Alioqui filios uestros à Ioua ad peregrinorū deorū cultum abducent: ita fiet, ut iratus Ioua uos breui perdat. Sed sic eis facitote: eorum altaria diruitote: statuas perfringitote: lucos succiditote: simulachra igni crematote. Estis enim sacer Iouæ Deo uestro populus, qui uos elegit, ut sitis ei peculiaris populus, præ omnibus cæteris orbis terrarū populis. Nec uerò quia omnium populorum numerosissimi sitis, cōplexus est uos, atque elegit Ioua, cum sitis omniū populorū minimus. Sed tum quia uos amauit, tum ut iusiurandum maioribus uestris iuratum seruaret, eduxit uos manu ualida, & ex domo seruitutis, id est, ex Pharaonis Aegypti regis manu liberauit. Atque hoc scitote, Iouam Deum uestrum Deum esse, Deum fidelem, fœderis & clementiæ seruantem erga sui amantes, suaque præcepta seruantes, ad mille usque stirpes: rursumque sui osores aperta pernicie ulciscētē, eisque sine dubio coràm digna factis præmia rependentem. Quamobrem seruatote hanc disciplinam, instituta, iura, quæ ego uobis hodie tenēda præcipio. Quòd si hæc iura audieritis, eaque seruaueritis, atque tenueritis, fiet ut uobis Ioua uicissim pacta præstet, & clementiam, quā maioribus uestris iurauit: uosque amet, fortunet, augeat: uestrarum aluorum, & terræ fructus, frumentumque & uinum, & oleum, & armētorum, & gregum balantum fœtus fœcundet in terra, quam se uobis daturum esse maioribus uestris iurauit. Eritis omnium gētium fortunatissimi,
C neque ullus aut ulla uel in uobis, uel in uestro pecore sterilis erit. Præterea tot malos illos (ut scitis) Aegypti morbos, & languores auferet à uobis Ioua, neque ijs uos afficiet, sed eos omnibus hostibus uestris immittet. Igitur conficitote gentes omnes, quas uobis Ioua Deus uester tradet. Ne eis parcitote, neue earum deos colitote: nam id uobis detrimento foret. Si uobis in mentem uenerit, populosiores esse gētes illas, quàm uos sitis, nec à uobis posse debellari: ne timueritis eas. memineritis quę fecerit Ioua Deus uester in Pharaonem, atque in uniuersos Aegyptios, tanta illa pericula, quæ uidistis oculis uestris, miracula, & monstra, & manum ualidam, & brachiū extētum, quibus uos eduxit: hæc eadem facturum esse in omnes nationes, quas timetis. Quinetiam crabrones mittet in illos Ioua Deus uester, adusque perniciē reliquorū, & eorū qui uos latuerint. Ne illos formidaueritis, nam inter uos uersatur Ioua Deus uester, Deus magnus, & terribilis. Tollet autē
D uobis gentes istas paulatim, nec eas poteritis celeriter conficere, nę frequentes existant uestro periculo agrestes ferę. Eas ille uobis debellabit, & magno cū tumultu ad internecionem perdet. Tum earum reges uobis in manum tradet, quorum uos nomen è rerum natura tolletis, nec quisquam uobis resistet quo minus eos perdatis. Simulachra deorum illorum igni crematote, neue eorum simulachrorum argentum aut aurum prę cupiditate uobis sumitote, ne in eo offendatis: nam ab eo Ioua Deus uester abhorret. Igitur ne in domos uestras nefas illud infertote, ne deuotioni sitis, ut illud est: sed id ut deuotum detestamini, atque execramini.

Quo pacto cū Chananæis agēdum sit.
Exo.22.d Item 34.b
Inf.14.a. & 26.d
B
Obedientium Deo felicitas.
Exod.23.d
Exo.23.e. 33.d. Iosu.24.c
2.Mac.12.g.

CAPVT VIII.

OMnem doctrinam quam ego uobis hodie trado, curatote exequēdam, ut uiuatis, ut crescatis, ut in terrę possessionem inuadatis, quā Ioua maioribus uestris iurauit. Mementote autem totius itineris, quo uos Ioua Deus uester his quadraginta annis per solitudinem duxit, ut uos affligeret, ut tentaret, ut disceret quid in animo haberetis, an eius præcepta seruaturi essetis, nec ne. Igitur uos afflixit, & fame affectos manna pauit, tum uobis tum maioribus uestris ignota: ut uobis ostenderet, non solū pane uiuere hominē, sed etiam eo omni quod ex ore Iouæ proficiscitur. Non uestimenta uobis obsoleuerunt, non pedes detriti sunt per hos quadraginta annos. Hoc autem sic uobis persuadetote, quemadmodū castigat quispiam suum filium, sic uos à Ioua Deo uestro castigari. Quare eius pręcepta seruatote, eumque, ad eius præscriptum uiuentes, timetote. Vos quidem Ioua Deus uester introducet in terram bonam, terram aquarum fluminibus, fontibus, lacubus tum per ualles, tum per montes manantibus scatentem: terram tritico, hordeo, uineis, ficubus, malis punicis: terram olearijs oliuis & melle abundantem, terram in qua sine uictus penuria uiuetis, neque ulla re indigebitis: terram cuius lapides ferrum est, & ex cuius mōtibus metalla effodietis. C Cum autem sumpto cibo satiati fueritis, gratias agitote Iouæ Deo uestro, ob bonam illam terram uobis

Manna. Matt 4.a Luc.4.a
B
Infr.26.a
Gratitudo.

ab eo

ab eo datā. Cauetote ne Iouæ Dei uestri obliti, non eius præcepta, iura, instituta seruetis, de quibus ego uobis hodie præcipio: ne uictū ad satietatem nacti, & elegãtes à uobis ædificatas domos habitantes, & maioribus minoribusq; pecudibus, argentoq; & auro, omnibus denique rebus aucti, animo insolescatis, Iouamq; Deum uestrum obliuioni tradatis, qui uos ex domo seruitutis Aegyptiæ eduxit, qui uos per uastam illam, & presteribus serpentibus, scorpionibusq;, & siccitate horribilē, æstuosamq; [Nu.20.b] solitudinem perduxit: qui uobis aquam de ru- [21.b.] pe marmorea elicuit: qui uos māna maioribus [Exo.16.a.] uestris ignota in solitudine pauit, ut uos afflige- [17.d.] ret, tentaretq;, uobis postremò benefacturus.

D ne'ue cum animis uestris cogitetis, uos uestro robore & manuum ui, uobis istas copias peperisse. Sed memineritis, Iouā Deum uestrū esse, qui uobis uires suggesserit, ad parandas opes, ut quod maioribus uestris cum iureiurando pactus erat, præstaret, quemadmodum res indicat. Quòd si Iouæ Dei uestri obliti, deos alios sequemini, eosq; coletis atque adorabitis: hoc apud uos hodie testor, uos esse perituros, non minus quàm gentes, quas uobis Ioua perdet, quoniam Deo uestro Iouæ dicto audientes non fueritis.

CAPVT IX.

AVdite Israelitę: uos iā traiecturi estis Iordanem, ad inuadēdas gētes uobis & maiores, & potētiores: oppida maxima, & ad cœlum munita, maximum & amplissimum Enaquinorum populum, de quibus scitis ita solere prædicari, Quis Enaquinis resistat? Atqui hoc hodie sic habetote, fore ut Ioua Deo uestro, eo qui uos anteit, igni uorace illos euertente, uobisq; subijciēte, uos eos celeriter deuictos perdatis, quemadmodum uobis ipse Ioua promisit. Nolitote cum animis uestris cogitare, cum uobis eos Ioua Deus uester dissipauerit, uos ob iustitiam uestrā introductos esse à Ioua, ad occupandā illā terram: illas autem gentes propter sua uitia ab eodem uobis esse euersas. Nō propter iustitiam uestram, animiq; probitatem uos illorum terræ possessionem inuaditis: sed gētes illas Ioua Deus uester cùm propter ipsarum uitia uobis euertit, tum ut id præstet quod maioribus uestris Abrahamo, Isaaco, & Iacobo iurauit. Scitote igitur, nō propter iustitiam B uestram uobis bonæ illius terræ possessionem à Ioua Deo uestro dari: estis enim ceruicosus [Israelitarum contumacia.] populus. Recordamini, & memoria repetite, quoties Iouam Deum uestrū in solitudine offenderitis: uos ex quo die ex Aegypto emigrastis, donec in hūc locum uenistis, in Iouam rebelles fuistis. In Horebo uerò eum usqueadeò offendistis, ut præ iracundia penè uos deleuerit. [Exo.17.19 31.& 32.] Cum ego ascendissem in montem, ut acciperem tabulas lapideas, tabulas fœderis, quod percutiebat Ioua uobiscum, & in eo mōte mansissem quadraginta dies, & quadraginta noctes, neque cibum neque potionem sumpsissem: cumq; mihi dedisset Ioua duas tabulas lapideas, diuino inscriptas digito, in quibus inerant eadem planè, quæ apud uos Ioua ipse in monte de medio igne cōcionis die effatus erat: finitis inquā quadraginta diebus & noctibus, Ioua, cum mihi lapideas illas duas fœderis tabulas tradidisset, sic mecum loqui instituit: Age, descende hinc celeriter: nā deprauatus est tuus iste populus, quem ex Aegypto eduxisti: deflexerunt citò de uia, quam ego eis præceperam, sibiq; simulachrum conflauerunt. Video sanè, C inquit, populum esse ceruicosum. Sine ut eos euertam, eorumq; nomen de rerum natura deleam, & ex te gentē, quàm ea est, potentiorem & copiosiorem deducam. ¶ Tum ego reuerti, & de monte, qui tum igni flagrabat, descēdere, duas fœderis tabulas ambabus manibus ferēs. Ecce aūt animaduerto uestrū in Iouam Deum [Vitulus aureus.] uestrum scelus: cōflaueratis uobis uitulū: tam citò de uia, quam uobis Ioua præscripserat, declinaueratis. Tum ego tabulas ambas comprehensas ambabus manibus abieci, easq; in oculis uestris confregi. Deinde ante Iouā, ut prius quadraginta dies, totidemq; noctes iacui, neque cibo interim, neq; potione usus, propter uestrum tam ingens scelus, quo cōmisso offensum Iouā ad iram prouocaueratis. Etenim pertimescebam iram illam, & ardorē quo Ioua in uestram perniciē incitabatur. Ergo tum etiam me exaudiuit Ioua. ¶ Pro Aharone quoq;, [a] cui [a quòd uitulū fecisset. Exo.32.] etiam Ioua capitaliter erat infensus, eodē tempore oraui. Scelus autem uestrum, à uobis factum uitulum corripui, ac igni cremaui: eoq; in tenuissimum puluerem commolito, atque contuso, eum puluerem in fluuiū, qui de mon- D te defluebat, proieci. Neque non apud Tabe- [Exo.17.b.] ram, apud Massam, apud Busta cupiditatis Io- [Num.11.a.] uam offendistis. Itemq; cū misit uos Ioua à Cadesbarnea, ut proficisceremini ad occupādam terram uobis ab eo datam, uos Iouę Dei uestri mandato repugnastis, neque ei credidistis, neque eius dicto obtemperastis. Breuiter, ex quo ego uos cognoui, semper in Iouā rebelles fuistis. Eam ob causam ante Iouā per quadraginta dies, & totidē noctes abiectus iacui (statuerat enim delere uos) eumq; his uerbis supplicaui: Domine Ioua, noli corrūpere tuum populum, atque hæreditatem quam pro tua magnitudine redemisti, quā ex Aegypto ualida manu eduxisti. Memento tuorū, Abrahami, Isaaci, & Iacobi: noli spectare huius populi duritatem, impietatem, atque scelus: ne dictitent illi, ex quorum finibus tu nos eduxisti, Iouā, quoniam nō posset eos introducere in terrā, quam promisisset, quoniamq; eos odisset, ideo eos eduxisse, ut in desertis perimeret. Atqui tuus sunt populus, & patrimoniū, quod tu tua māgna ui & extento brachio eduxisti.

CAPVT X.

TVm Ioua mihi mandauit, ut duas tabulas [Alteræ tabulæ.] lapideas, prioribus similes, secarem: dein- [Exo.34.a.] de facta arca lignea, ad se in montem ascenderem. Se enim scripturum in tabulis eadem uerba, quę fuerant in prioribus à me fractis, ut eas in arca reponerem. Itaque arcam cedrinam feci, duasq; tabulas lapideas superioribus simi-

les incidi, & eas mecum ferens, in montē ascendi. Atque ille in tabulis eadem inscripsit, quæ in prioribus: scilicet decē dicta, quæ uobis elocutus erat in monte de medio igne, die concionis, eaq; mihi tradidit. Tum ego digressus, ubi de monte descendi, tabulas illas reposui in arca, quam fecerā: atque ibi sunt, sicuti mihi præ-

B cepit Ioua. ¶ Tū Israelitę profecti sunt ex Berothis Iaquanensiū in Moserā: ubi mortuo Aharone, et sepulto, sacerdotium iniuit pro eo Eleazarus eius filius. Illinc profecti sunt in Gadgadam, inde in Iotabatham, terram fluuijs abundantem. Eo tempore secreuit Ioua tribum Leuiticam ad portandam fœderis Iouæ arcam, ad apparendum Iouę, eiq; administrandū, & eius nomen celebrandum, quemadmodum hodie fit. Atque eam ob rem non habent Leuitæ partem aut patrimonium cum suis cognatis, quòd Ioua Deus uester sit eis patrimonium, quemadmodū eis promisit. ¶ Ego igitur moratus sum

Nume.33.d & 20.d.

Leuitarum munus.

C in monte quādiu antea, uidelicet quadraginta dies & totidem noctes: meq; tum quoque in eo audiuit Ioua, ut uos euertere uelle desineret: & mihi mandauit, ut uobis in hac profectione anteirem, inuadentibus in possessionem terrę, quam ipse maioribus uestris iurasset sese uobis daturum esse. Nunc Israelitæ, quid à uobis exigit Ioua Deus uester, nisi ut Iouam Deum uestrum uereamini, ut omnino eius uijs gradiamini, ut eum ametis, eiq; toto corde atque animo seruiatis: ut eius præcepta & instituta, quæ ego uobis hodie trado, conseruetis, quo bene uobis sit? Cum Iouæ Dei uestri cœli sint, & cœlorum cœli, terraq;, & quicquid est in ea: tamē maiores uestros amore complexus, eorum posteritatē, hoc est uos, cęteris omnibus antepo-

D suit nationibus, ut apparet. Quamobrē circuncidite uestri cordis præputium, & nolite deinceps ceruicē uestram indurare. Nā Ioua Deus uester, deorum Deus est, & dominorum Dominus: Deus magnus, fortis, terribilis, qui neque personarum rationem habet, neque dona accipit, & ius pupillis uiduisq; reddit: & peregrinos amans, uictu uestituq; donat. Peregrinos igitur amatote, ut qui peregrini fueritis in Aegypto. Iouam Deum uestrū metuitote: hūc colitote: huic hæretote: per huius nomen iuratote. Hic uestra laus, hic uester Deus est, qui uestra causa, magna illa & stupēda fecit, quæ uos uestris ipsis oculis spectauistis. Septuaginta numero maiores uestri descenderunt in Aegyptum: at nunc ille uos ad stellarum cœlestium numerum adauxit.

Vera circuncisio.

1.Par.19.c. Iob 34.b. Rom.2.b. Galat.2.b. Sup.6.c. Matt.4.b. Luc.4.b. Gen.46.c.

CAPVT XI.

QVamobrem Iouam Deum uestrū amatote, eiusq; mandata, decreta, iura, pręcepta semper seruatote. Atq; hoc hodie cognoscite, non hæc [a] apud natos uestros, qui neque nouerunt, neque uiderūt Iouę Dei uestri disciplinam, aut eius magnitudinem, ualidam manum, extētum brachium & portentosa facinora, quæ in media Aegypto, tum in Pharaonem Aegypti regem, tum in uniuersam eius terram edidit: tum autem quæ in Aegyptiū ęquitum quadrigariorumq; exercitum fecit, quos uobis à tergo imminentes, profusis in eos aquis rubri maris, perdidit, ut perspicuum est. Tum quæ uobis fecit in solitudine, donec in hūc locum uenistis: tum quę in Dathanem & Abiramum Eliabi Rubenitæ filios fecit, quos terra hiatu aperta, unà cum ipsorum domibus, et tabernaculis, cumq; omnibus quæ penes eos erant facultatibus, in medio Israelitarum deuorauit. Sed uos uestris ipsis oculis tot tantaq; à Deo edita facinora spectauistis. ¶ Quocirca B seruatote omnem præceptionē, quam ego uobis hodie trado, ut confirmati perueniatis in possessionem terræ, ad quam occupandā pergitis: utq; diu uiuatis in terra, quam Ioua maioribus uestris iurauit se tum ipsis, tum eorum semini daturum, terram lacte melleq; abundantem. Neque enim terra, cuius uos in possessionem inuaditis, similis est Aegyptiæ terræ, ex qua emigrastis, quam & seminibus uestris conserebatis, & pedibus uestris, perinde ac si olerum hortus esset, irrigabatis. Sed hęc montes habet, & ualles, & cœlestem pluuię aquam potat: cui terrę Deus uester Ioua semper studet, in eamq; ab initio ad exitum anni oculos habet intentos. Quòd si meis pręceptis obtemperabitis, quibus ego uos hodie instruo: id est, si Iouam Deum uestrum amabitis, totoq; pectore atque animo coletis, ego (inquit) uicissim pluuia tum primore, tum serotina terram uobis suo tempore irrigabo, atque ita frumentum, mustum, oleum percipietis, uestrumq; agrum gramine donabo ad pecus uestrum, ut ita uobis abūdē uictus suppetat. ¶ Cauete ne animo decepti, ad alios deos deficiatis, eosq; colatis, atque adoretis. nam iratus in uos Ioua, pluuiā clauso cœlo auertet: ita fiet, ut terra nō C dante fructum suum, breui de terra illa bona, quam uobis Ioua dederit, tollamini. ¶ Ergo hęc mea dicta animo ac memorię mādate, eaq; manibus uestris significationis gratia alligatote, & inter oculos pro frontalibus habetote. Hęc natos uestros docetote, de his domi manendo, iter faciēdo, cubando, surgēdo loquentes. Hęc domorum uestrarum postibus portisq; inscribitote, ut tum uos, tum uestri minores tamdiu ętatem producatis in terra, quam se eis daturum Ioua maioribus uestris iurauit, quamdiu cœli terris imminebunt. ¶ Si enim hanc omnem disciplinam conseruabitis, quam ego uobis tenendā præcipio, ut Deū uestrum Iouam amantes, eius uiuendi uias omnes sequamini, eiq; hęreatis, fiet ut euersis per Iouam omnibus illis gentibus quàm uos estis amplioribus atque fortioribus, uos illarum fines occupetis: eritq; uester omnis locus, in quo pedum uestigia ponetis: & à desertis, & Libano, & fluuio Euphrate, usque ad ultimum mare, uestri fines patebūt, neque uobis resistet quisquam: tantum uestri terrorem atque metum incutiet Ioua Deus uester omni terrę, per quam iter facietis, quemadmodū uobis promisit. ¶ En ego uobis hodie felicitatem, infelicitatemq; propono. Felicitatem, si Iouę Dei uestri præceptis, quæ

[a] scilicet gesta esse.

Num.16.c.

Chananeæ natura.

Obedientiæ comes Dei fauor.

Iosu.1.a.

Obedientes felicitas, rebelles manet infelicitas.

D quæ ego uobis hodie trado, obtemperabitis. Infelicitatem autem, si nõ obtemperabitis, sed deflectẽtes de uia, quam ego uobis hodie præcipio, deos alienos, uobisq; ignotos sequemini. ¶ Cum autẽ uos Ioua Deus uester intromiserit in terram, ad quam occupandam uaditis, ponitote felicitatem in monte Garizimo, infelicitatem in monte Ebale. Sunt autem trãs Iordanem post uiam occidentalẽ, in finibus Chananæorum, qui planiciẽ incolunt, contra Galgala apud quercetum More. Estis enim Iordanem traiecturi, & in eius terræ, quam Deus uester Ioua uobis daturus est, possessionem inuasuri, in eaq; consessuri. Quare date operam ut omnia instituta atque iura, quæ ego uobis hodie propono, obeatis.

CAPVT XII.

Insectandæ idololatriæ.

HAec sunt decreta & iura, quæ ut exequamini, uobis curandũ est in terra, quam Ioua Deus uester patrius dat uobis possidẽdam, & exequamini quamdiu uiuetis in terris. Omnia loca deletote, in quibus gentes, quas uos expulsuri estis, suos deos coluerint, siue in editis montibus, siue in collibus, siue sub quacunque arbore opaca. Eorum aras eruitote, statuas perfringitote, lucos igni crematote, simulachra deorum excinditote, denique illorum nomen de loco illo tollitote. Aduersus Iouam Deũ uestrum ne ita feceritis, sed locum quem ipse ex omnibus uestris tribubus elegerit, & in quo sui nominis domicilium statuerit, petitote: & eò profecti, uestras hostias, sacrificia, decumas, quæ secreueritis honoraria, uota, uolũtaria munera, & boum, ouium, caprarum primogenita affertote, & illic apud Iouam Deum uestrum epulamini, læti omnibus uestris operibus, unà cum familijs uestris, quòd uos Ioua Deus uester felicitauerit. Ne facitote, quemadmodum nos hic hodie facimus, quod cuique libet. Etenim nondum peruenistis in requietem atque hæreditatem, quã uobis Deus uester Ioua daturus est.
B Cum autem traiecto Iordane consederitis in terra, cuius in hæreditatem Ioua Deus uester uos immittet, eiusq; beneficio ab omnibus uestris finitimis hostibus quieti in tuto agetis, quem locũ contigerit à Ioua Deo uestro electum esse, ut ibi suum nomen cõstituat, eò fertote omnia quæ ego uobis præcipio, uidelicet uestras hostias, sacrificia, decumas, quæ donaria secreueritis, & uotorum uestrorũ lecta omnia, quæ Iouæ uoueritis: & gaudetote apud Iouam Deum uestrũ unà cum uestris filijs, filiabus, seruis, ancillis, & Leuitis uestratibus, utpote qui uobiscum partem aut hæreditatẽ non habeant. Cauetote ne uictimas uestras ubiuis immoletis: sed in eo duntaxat loco, quem Ioua in aliqua uestrarum tribuum elegerit, uictimas immolatote, & illic omnia quæ ego uobis præcipio facitote.[a] Et animalia quidẽ uestro arbitratu mactatote, & carne uescimini, pro copia, quam cuique uestrũm Ioua Deus uester, ubicũque degetis, largitus fuerit: seu quis immundus erit, seu mundus, uescitor, perinde ac caprea, atque ceruo. Verùm sanguine ne uescimini, sed eum humi funditote ut aquã. ¶ Decumas uestri frumẽti, uini, olei, aut maioris minoris'ue pecoris primogenita, aut quodcunque à uobis uotum, aut uolũtarium munus, aut sepositum honorarium, uobis domi comedere non licebit, sed ea apud Iouam Deum uestrum pollucetote in loco ab eo delecto, unà cum uestris filijs & filiabus, seruisq; & ancillis, & Leuitis apud uos degẽtibus, & apud eum de omnibus manuum uestrarũ operibus gaudetote. Cauetote quamdiu in finibus uestris degetis, ne Leuitas deseratis. ¶ Cũ uobis fines Ioua Deus uester, quemadmodũ promisit, amplificauerit, si uobis carne uesci libuerit, arbitrio uestro uescamini licebit. Quòd si lõgius aberit locus, quem Ioua Deus uester ad collocãdum suum nomen elegerit, mactatote de uestris maioribus, minoribus'ue pecoribus, uobis à Ioua datis, quẽadmodum ego uobis præcepi: & domi uestro arbitratu comeditote, & quidem quomodo caprea, aut ceruus estur: idq; immundo iuxtà ac mundo fas esto. ¶ Tantum à sanguine uescendo uos abstinetote, ne cum sanguis sit anima, animam cũ carne comedatis. Ne eo uescimini, sed eum ad terram, quasi aquã, effunditote. Ne uescimini inquam, ut & uobiscũ & cum uestra posteritate bene agatur, si Iouæ fueritis obsecuti. Cæterùm quæ per uos consecrata & uota habebitis, ea in locum à Ioua electũ affertote, uestrarũq; & carne & sanguine uictimarũ in ara Iouæ Dei uestri facitote: & sanguine uestrorũ sacrificiorũ in aram Iouæ Dei uestri effuso, carnem comeditote. Curatote ut omnibus his uerbis, quibus ego uobis præcipio, obtemperetis, ut & uobis & uestris bene sit posteris in sempiternum, si id quod Iouæ Deo uestro probatur & placet, feceritis. ¶ Cum uobis exciderit Ioua Deus uester gentes, ad quas exigendas proficiscimini, eisq; exactis in earum terra cõsederitis, cauetote ne illis aduentu uestro deletis, in eandem offensam incurratis: & ne earum dijs studẽtes, statuatis, quomodo illæ suos deos coluerint, sic uos quoque facere. Ne sic in Iouam Deum uestrum facitote. Nam quodcũque nefas Ioua perosus est, illi dijs suis fecerunt, eòusque, ut etiã suos liberos dijs suis igni cremauerint. Quicquid ego uobis præcipio, curatote ut id faciatis: neque quicquam huic uel addatis, uel detrahatis.

Quid sit Deo libandum, & ubi.

[a] neque de sacrificio, neque de immundis animalibus loquitur.

C · D

Gen. 28. c. Infrà 19. c.

Sup. 3. d. Prou. 30. b

CAPVT XIII.

Vatũ probatio.

AB

SI quis apud uos aut uates, aut somniator extiterit, qui uobis signũ aliquod, aut prodigium edat, idq; signum aut prodigium, uobis ab illo prædictum euenerit: & tamen idem uos cohortetur ad deos alienos, uobisq; ignotos, sequendos, colendosq;, nolitote illius aut uatis orationi, aut somniatoris obtemperare somnio. Tentat enim uos Ioua Deus uester, ut discat an se toto corde atque animo ametis. Iouam Deum uestrũ sequimini: hunc ueremini: huius præcepta seruatote: huius uocẽ auditote: huic seruitote, atque adhæretote. Vates autem, B
aut somnij author ille moriatur, qui à Ioua Deo uestro, à quo ex Aegypto educti, & ex seruitu-

tis domicilio asserti estis, defectionem suaserit, quo uos à uia abduceret, per quam ingredi Ioua Deus uester uobis præcepit. Aufertote igitur malum de medio uestri.

Quantopere sit ab alienorum deorũ cultu abhorrendum.

Si te etiam frater tuus eadem tecum matre natus, aut filius, aut filia, aut tui sinus uxor, aut amicus tibi æquè charus atque tua anima, te arcanè cohortatus fuerit ad cultum deorum alienorum, tibiq; & tuis maioribus ignotorum, cuiusmodi sunt dij nationum quæ undique circum uos sunt, siue finitimarum, siue quocunque terrarum fine remotarum: ne ei obsecundato, ne auscultato, ne parcito, ne eius misereſcito, ne eum celato: sed

Sup.17.b.

interficitote, ita ut tua manus prima sit in eo necando, ceterorum autem omnium secunda:

C eumq; ad necem lapidibus obruitote, qui uos abducere conatus fuerit à Ioua Deo uestro, à quo estis ex domo seruitutis Aegyptię educti: quod ubi audiuerint Israelitæ omnes, metuant deinceps tale flagitium apud uos committere. Si audiueritis in aliquo uestrorũ oppidorum, quæ uobis Ioua Deus uester ad habitandũ dederit, extare aliquos ex uobis perditos homines, qui suos incitent ciues ad colendum deos alienos, & uobis ignotos, inquiritote, perscrutamini, sciscitamini diligēter. Quod si rem ueram atque certam, & scelus apud uos commissum deprehenderitis, illius oppidi habitatores ferro trucidatote: & oppidũ, & oppidana omnia, ipsaq; adeò pecora ferro corrũpitote:

D omniq; præda in medium eius forũ congesta, oppidum unà cum uniuersa eius prẹda Iouę Deo uestro prorsum cõburitote: idq; sempiternum, nec unquam instaurandum rudus esto. Neque quicquam de illa deuotione manibus uestris inhæreto, ut Ioua, iræ suæ feruore cohibito, misericordiam uobis tribuat, & uos, quemadmodum maioribus uestris iurauit, augeat, si Iouæ Dei uestri uocem audietis, omnia eius præcepta, quibus ego uos hodie instruo, conseruantes, & Iouæ Dei uestri arbitrio obedientes.

CAPVT XIIII.

Funera.

FIlij estis Iouæ Dei uestri. Nolitote in funere aut corpora uestra lacerare, aut syncipat decaluare. Nam sacer Iouæ Deo uestro populus estis, & ab eo electi, ut ei essetis peculiaris populus, præ cęteris omnibus totius orbis terrarum nationibus. Nulla re abhorrenda uescimini.

Quibus animalibus uesci fas sit.

His animalibus uobis uesci fas erit: boue, pecore ouino caprinoq;, ceruo, caprea, rupicapra, dama, pygargo, oryge, camelopardali. Denique quodcunque animalium ungulam diuisam habet, & bisulcum est, ruminatq;, eo uescimini.

Leuit.11.a.

Verũtamen ex ruminalium aut bisulcorum genere his ne uescimini: camelo, lepore, et cuniculo. nam cum ruminent, bisulca nõ sunt:

B hæc uobis immunda sunto. Sus quoque, quoniam cum bisulcus sit, non ruminat, uobis immundus esto. Horum neque carne uescimini, neque cadauer attingitote. Aquatilium autem pinnatis & squamatis omnibus uescimini. At quæ pinnas aut squamas nõ habent, ab eorũ esu abstinetote, eaq; in immundis habetote. Auibus omnibus mundis uescimini. At his ne uescimini, aquila, anataria, haliẹeto, miluo, pica, & uulturũ generibus, omnibusq; coruorũ generibus, struthione, harpa, laro, & accipitrum generibus, cuculo, bubone, noctua, ibi, pelicano, mergo, ciconia, ardeolarũ generibus, pico, & uespertilione. Tum aũt omne humi serpēs uolucre immundũ habetote, ne uescimini. Omni uolucri munda uescemini. Morticino C
nullo uescimini: sed aut peregrinis uestratibus comedendum datote, aut extraneis uenditote: estis enim sacer Iouæ Deo uestro populus. Hœdũ in lacte matris suæ ne coquito.

Exo.23.c. 34.d.

¶ Omnē tuę sementis prouentum, quē ager reddet, quotannis decumato:

Decumæ.

& apud Iouā Deum tuũ in loco, quē elegerit ad constituendũ in eo sui nominis domicilium, comedito tui frumēti, uini, oleiq; decumas, & primogenita boum, ouium, caprarum tuarum: ut discas Iouam Deum tuum semper uereri. Quòd si longior erit uia, quàm ut eā ferre possis, nempe loco illo, quem Ioua Deus D
tuus ad sui nominis constitutionem elegerit, à te remotiore: cum te Ioua Deus tuus ditauerit, decumas pecunia addicito, eamq; tecum in loculis ferens, locum à Ioua electũ petito: tum pecunia tuo arbitratu insumpta siue in boues, siue in oues aut capras, siue in uinum, aut temetum, denique quicquid tuus animus appetet, illic epulator apud Iouam Deum tuum, & lætator unà cũ familia tua. Leuitas quoque uestrates, qui partem tecum & hæreditatem sortiti non sunt, ne omittito. ¶ Finitis tribus annis, depromito omnes totius tui prouẽtus eius anni decumas, easq; domi reponito: tum Leuitæ, qui nullam tecum partem & hęreditatem habent, peregriniq;, & pupilli, & uiduę uestrates ueniunto, & ad satietatem epulātor, ut tibi Ioua Deus tuus omnia tua negotia bene fortunet.

CAPVT XV.

Debitorũ remissio.

SEptimo quoque anno remissionē facitote, cuius remissionis hæc erit ratio. Omnibus debitoribus nomina remittũtor, neque creditori fas esto interpellare suum proximum, aut consanguineũ, indicta Iouana remissione. Ab alienis exigere uobis licebit: sed quod uobis debebunt uestri consanguinei, id remittitote. Cæterùm inter uos nulli sunto pauperes: siquidem uos ditabit Ioua Deus uester in terra, cuius uobis occupādam possessionem dat: si modò ei dicto audientes, huic omni disciplinæ, quam ego uobis hodie trado, parēre curabitis. Ditabit, inquam, uos Ioua Deus uester, quemadmodum uobis promisit, ut & multis nationibus mutuetis, neque ipsi mutuemini: & multis imperetis, neque uobis imperetur. B

Beneficentia erga pauperes.

¶ Sicubi apud uos uestræ consanguinitatis erit pauper in terra uestra, uobis à Ioua Deo uestro data, nolito in pauperem, cognatũ tuum, aut animo durior, aut manu esse contractior: quin aperta manu largitor, & tantum ei mutuato, quantum satis erit ad penuriā, qua laborabit.

Matt. 5.g. Luc.6.c.

Caueto ne ea sit animi tui malignitas, ut septimo, id est remissionis anno propinquante, pauperi consanguineo tuo dare renuas, ne eo ad Iouam conquerente des pœnas: sed ei dato, idq; non inuito animo.

to animo.

to animo. Nam eam ipsam ob causam omnia tibi opera & negotia Ioua Deus tuus bene

Matt.26.a

fortunabit. Neque uerò deerunt in uestris finibus pauperes: hâc ob rem ego uobis præcipio,

C

ut consanguineis egenis, & pauperibus, in uestris finibus liberales uos præbeatis.

Septimi anni manumissio.

¶ Si quis tibi cõsanguinitatis tuæ Hebræus, aut Hebręa uenierit, sex annos tibi seruito, septimo autem

Exo.21.a Iere.34.c

anno eum manumittito: cumque manumittes, ne uacuum mittito, sed ex tuis pecoribus, ex horreo & torculari honestè muneratum, & eis quibus te Ioua Deus tuus ditauerit donatũ: ac memento te seruum fuisse in Aegypto, & inde à Ioua Deo tuo redemptum: qua de causa hæc ego uobis hodie præcipio. Quòd si negabit se à te esse discessurũ, quòd te tuamque domũ amabit, quoniam apud te bona conditione sit, tum tu subula eius aurem ostio affigito, isque tibi in perpetuum seruus esto, idemque ancillæ facito. Ne illũ grauatè manumittito, qui tibi bis tandiu seruierit, quãdiu mercede conductus mercenarius,

D

uidelicet sex annis: et Ioua Deus tuus omnia tibi, quæ facies, fortunabit. Omnia primogenita, quæ tibi tum ex maiori, tum ex minori pecore maria nascẽtur, Iouę Deo tuo consecrato: neu bouis primogenito ad laborẽ utitor, neu pecoris primogenitum tõdeto. Apud Iouam Deum tuum ea quotãnis polluceto, in loco à Ioua electo, unà cum tua familia. Quòd

Leuit.22.e Eccl.35.b

si uitiosum erit, ut claudum, ut cęcum, aut quouis uitio præditum, id Iouę Deo tuo ne immolato, sed domi comedito, siue immundus quis siue mundus sit: perinde ac si caprea sit, aut ceruus. Tantum eius sanguine ne uescitor, sed eum humi quasi aquam effundito.

CAPVT XVI.

Pascha.

OBseruato, ut mense uerno Pascha Iouæ Deo tuo celebres. Nam mense uerno eduxit te Ioua Deus tuus ex Aegypto noctu. Quãobrem immolato Pascha Iouæ Deo tuo, oues aut capras & boues, in loco quẽ Ioua suo nomini collocãdo destinarit. In eo, fermentato ne uescitor: septem diebus, cum agetur Pascha, non fermentatis angustię panibus uescitor: quoniã trepidãter ex Aegypto emigrasti, ut illius diei tuæ ex Aegypto emigrationis recordere quãdiu uiues. Ne'ue tibi extet fermentum in totis tuis finibus per septem dies, ne'ue quid ex carne hostiæ, quam uespere primi diei immolaueritis, in posterum diẽ supersit. Non

B

licebit tibi immolare Pascha in unoquouis locorum tibi à Ioua Deo tuo habitationis ergò concessorũ. At in loco, quem Ioua Deus tuus delegerit ad collocandum in eo nomen suum, Pascha immolato uesperi, in occasu solis, quo tempore ex Aegypto emigrasti. Id coquito & comedito in loco à Deo tuo Ioua electo, ac postridie reuertitor, & domũ redito. Sex diebus nõ fermentatis uescitor: septimo die feriæ sunt

Septimanalia.

Iouæ Dei tui: opus ne facito. Septem septimanas numerato: & eas incipito numerare, postquam primùm immiseris falcem in segetẽ: deinde septimanalia agito Iouæ Deo tuo, uoluntario tuę manus donario, quod donabis, prout te locupletauerit Ioua Deus tuus: & apud Iouam Deum tuũ unà cum tuo filio & filia, & seruo & ancilla, & Leuita uestrate, & peregrino, & pupillo & uidua, qui apud uos degent, lętator, in loco quem Ioua Deus tuus suo nomini

C

collocando destinauerit: & memento te fuisse seruum in Aegypto, & curato ut his pareas institutis.

Festum umbraculorũ.

Festum umbraculorum agito septem dies, cum areę & torcularis tui fructum perceperis: & in isto festo lætator unà cum tuo filio, filia, seruo, ancilla, Leuita, peregrino, pupillo, & uidua, uestratibus. Septem dies festũ agito Iouæ Deo tuo in loco ab eo electo: nã tibi fortunabit Ioua Deus tuus omnes tuos prouentus & opera, ut nihil nisi lætitiam agas. Ter quotannis appareat omnis mas tuus apud Iouam Deum tuum, in loco ab eo electo, festo azymorum, & septimanarum, & umbraculorum: neque

D

Exo.23.b 34.c

apud Iouam uacui comparento, pro suæ quisque facultatis munere, pro ratione copiarum quas cuique largitus Ioua Deus uester fuerit.

Eccl.16.d

Magistratus.

Iudices & magistratus tributim creatote, in omnibus oppidis, quæ uobis Ioua Deus uester dederit, qui populo iustè ius dicant. Iudicium ne corrumpito: personarum rationem ne habeto, ne'ue donum accipito: nam donum & sapientum oculos cæcat, & iustorum orationem peruertit.

Leuit.19.c Exo.23.a Eccl.20.d

Iustitiam, iustitiam persequitor, ut & uiuas, & terram possideas tibi à Ioua Deo tuo datam. Lucum ullarum arborum ne conserito apud aram Iouæ Dei tui à te factam: ne'ue statuã erigito: nam ea Ioua Deus tuus odit.

CAPVT XVII.

NE mactato Iouæ Deo tuo bouẽ, aut ouẽ, caprámue, ullo malo uitio præditã: nam ab eo abhorret Ioua Deus tuus.

Diuicolarum supplicium.

Si quis inuentus fuerit apud uos in aliquo oppidorum uobis à Ioua Deo uestro datorum, aut uir aut mulier, qui tantum contra Iouam Deum uestrum scelus susceperit, ut cõtra eius fœdus eò uenerit, ut alienos deos coluerit, atque adorarit, aut solem, aut lunam, aut omnino aliquid ex cœlestibus copijs iniussu meo: idque uos auditione acceptum, diligenter inquirentes, uerũ certumque esse, & id scelus in Israelitis cõmissum compereritis: educitote uirũ illum, aut mulierẽ, qui uir, aut quæ mulier flagitium illud fecerit, ad portam, eumque lapidibus obrutum necatote, ita ut ex duorum trium'ue testiũ ore moriatur reus: ex unius autem ore ne moriatur.

Infra 19.d Matt.18.b 2.Cor.13.a Sup.13.c

Et testiũ quidem manus in eo interficiendo prior esto, reliquorum autem omniũ posterior: ita malum de

B

medio uestrûm tolletis.

De litibus difficilioribus.

Si quæ causa difficilior erit, quàm ut possitis de ea iudicare, ut de homicidio, de lite, de uulnere, cuiusmodi erũt uestrates controuersiæ, petitote locum à Deo uestro Ioua delectum: & sacerdotes Leuitas, pręsidemque qui tum erit, aditote, & ab eis postulatote, uobis ut causam explicent.

1.Par.19.c.

C

Vos autem ijs quæ illi in loco à Ioua Deo uestro electo decreuerint, paretote: & curatote, ut omnia quibus uos instruxerint, exequamini, utque ex præscripto legis, qua uos instituerint, exque sententia quam dixerint, ita faciatis, ut ab eo quod uo-

bis statuerint, neq; ad dextrā, neq; ad sinistrā, deflectatis. *Contumaciæ pœna.* Quòd si quis cōtumacius egerit, ut pontifici, qui illic ad Iouæ Deo uestro administrandū adest, aut præsidi nō pareat, moriatur: aufertote malum illud ex Israelitis, quod cum omnis populus audiuerit, metuat, neq; deinceps insolescat. ¶ Cum in terrā ueneritis, quam uobis Ioua Deus uester dat, eamq; occupaueritis, & in ea consederitis, si statueritis uobis *Lex regis.* creare regem, more omnium uobis finitimarum gentium, eum creatote, quem Ioua Deus uester elegerit, uidelicet de uestra consanguinitate: neq; uobis licebit, hominem uobis præficere extraneum, & alienigenam. Porrò is ne multos equos habeto, ne propter equorum multitudinem populū reducat in Aegyptum, *D* cum uos Ioua uia illa amplius redire uetuerit: ne'ue multas uxores habeto, ne animo deflectat: ne'ue argenti auri'ue multum habeto. Cumq; acciderit eum in regni sui solio sedere, hanc sibi legem à sacerdotibus Leuitis in libro exscribito, eamq; apud se habeto, & legito per omnem uitā suam, ut discat Iouā Deum suum uereri, curetq; ut omnibus uerbis huius legis, atq; his institutis pareat, ne contra suos consanguineos animo insolescat, ne'ue de disciplina ad dextrā aut sinistrā deflectat, ut diu uiuat in regno suo tum ipse, tū eius nati inter Israelitas.

CAPVT XVIII.

Lex Leuitarum. Nu.18.c.d 1.Cor.9.b Sacerdotes Leuitæ, atq; adeò uniuersa tribus Leuis, partem & patrimonium inter Israelitas ne habento. Sacrificijs & patrimonio Iouæ uiuunto: patrimoniū quidem in suis consanguineis ne habento: Ioua eis patrimonium erit, ut promisit. ¶ Hoc aūt sacerdotū ius esto in populum. Qui sacrificium faciet, siue boue, siue ouino caprino'ue pecore, sacerdoti armū, maxillas, omasum dato. Primitias uestri frumēti, musti, olei, necnon primitias uelleris ouium uestrarū illis datote. Nā eos elegit Ioua Deus uester ex omnibus uestris tribubus, ut adessent ad administrandū Iouæ nomine tum ipsi, tum eorū nati perpetuò. ¶ Si quis Leuita ex quouis uestrorum, id est Israeliticorum oppidorum, in quo fuerit peregrinatus, uenerit quocunq; animi impulsu, in locum à Ioua electum, is Iouæ *B* Dei sui nomine ministrato, quomodo omnes eius cōsanguinei Leuitæ ibi Iouæ apparentes. Aequalibus portionibus uescuntor, præter si quid ille hæreditarium uendiderit. Cum in terram perueneritis uobis à Ioua Deo uestro datam, ne discitote illarū gentium scelera imitari. *Leuit.20.d Artes illicitæ.* Ne quis inuenitor in uobis, qui suum filium filiam'ue per ignē traijciat: ne'ue aruspex, hariolus, augur, præstigiator, astrologus, Pythij consultor, magus, aut necromātis: nā inuisus Iouæ est quisquis ista facit, & istorū scelerum causa *1.Reg.28.a* Ioua Deus uester uobis illos expellit. Integri *C* estote erga Iouam Deū uestrum. Nam illæ quidem gētes, in quarum uos possessionē uenitis, hariolis & aruspicibus obtemperant. At uobis *Vatibus parendum.* nō ita permittit Ioua Deus uester. Vatem de medio uestrûm, de uestra cōsanguinitate, mei *Ioan.1.g* similem, uobis suscitabit Ioua Deus uester, cui obtēperetis, quemadmodum ab eo postulastis *Act.3.c.7.d* in Horebo, die concionis, cum peteretis ne am*Exod.20.d*plius Iouæ Dei uestri uocē audiretis, aut ingen*D*tem illū ignem uideretis, ne moreremini. cum quidem Ioua ita mihi respōdit: Bene dicūt. *Ioan.1.g* Vatem suscitabo eis de media eorum cōsanguinitate, tui similem, cuius ori mea uerba suggerā, itaq; eis eloquetur quæcunque ei præcepero. Quòd si cōtigerit aliquē meis uerbis, quæ ille meo nomine effatus fuerit, non obtemperare, ego in eum animaduertā. Cæterū si quis uates hoc sibi arrogauerit, meo ut nomine aliquid dicat, quod ego ei dicendum non mandauerim, aut ut alienorum deorum nomine loquatur, moritor uates ille. Quòd si sic cū animis uestris cogitabitis: Quo pacto intelligemus quæ'nam res sit quam Ioua non dixerit? Si quam rem dixerit uates Iouæ nomine, & ea non fuerit, neq; euenerit, ea res erit quam nō Ioua, sed uates dixerint arroganter: ab illo ne pauetote.

CAPVT XIX.

Asyla. Num.35.b Iosu.20.a Cum profligatas à Ioua Deo uestro gētes, quarum ipse uobis terram dat, exegeritis, earumq; in oppidis & domibus consederitis, tria oppida secernitote in media terra uestra, quam uobis occupandā Ioua Deus uester dederit: uiamq; ita componitote, ut uestros fines, quorum uobis fuerit à Ioua Deo uestro cōcessa possessio, in tres partes partiamini, ut eò confugiant omnes percussores. ¶ Hæc autē erit ratio percussorum, qui illo perfugio uitæ suæ consulent. Qui alterum per imprudentiam occiderit, quem antea non oderit, ut si quis in syluam lignādi gratia cum altero profectus, manu securim ad secandam arborem moliatur, & ferrum de capulo elapsum in alterū inciderit, eūq; necauerit, is in aliquod oppidorū illorum con*B*fugito, & saluti suæ prospicito, ne sanguinis uindex homicidam calente animo persecutus, si uia longior sit, assequatur: eumq; uita priuet, cum eius crimen capitale non sit, quippe qui illum antea non odisset. Hac de causa ego uobis præcipio, ut tria uobis oppida secernatis.

¶ Quòd si fines uestros amplificauerit Ioua Deus uester, ut uestris maioribus iurauit, uo*Gen.28.e*bisq; dederit omnē terrā, quam maioribus uestris daturum se promisit (si modò huic omni disciplinæ parēre curabitis, quā ego uobis hodie trado, ut Iouā Deum uestrum semper ame*Iosu.10.c*tis, eiusq; uia gradiamini) additote insuper totidem oppida ad ista tria, ne si sanguis innocēs *C* fundatur in terra ista, cuius uobis possessionē Ioua Deus uester dederit, sanguinis pœnam cōmittatis. At si quis odio alterum prosequēs, eum per insidias aggressus lethaliter uulnera*Num.35.c*uerit, isq; mortuus fuerit, deinde ille in aliquod illorum oppidorum confugerit, tum senatores illius homicidæ ciues eū illinc accersendum curāto, & sanguinis uindici interficiendū dedunto. Eius ne miserescitote, & à sanguinis innocētis culpa Israelitas uindicatote, & uobiscum bene agetur. ¶ Ne moueto alterius terminum à maioribus definitū in possessione tua, quam *Sup.17.b* possidebis in terra quam uobis Ioua Deus uester occu-

Mat. 18. b *Ioan. 8. c* ster occupandam concedit. Ne quis unus testis in quenquam audiatur, quacunq; de culpa aut crimine, cuiuscunq; modi committi solent. D *Falsi testimonij pœna.* Ex ore duorum, aut ex ore trium testium res confirmetur. Si quis in quenquam iniquus testis extiterit, & falsum contra eum protulerit, *2. Cor. 13. a* *Heb. 10. e* ambo homines, quos inter controuersia est, apud Iouam stanto coram sacerdotibus & iu- *Dan. 13. g* dicibus, qui tum temporis erūt. Iudices autem sedulò inquirunto. Quòd si falsum illum testem esse deprehenderint, & falsum contra alterum dixisse, facitote ei quod ipse in alterum commentus erat, malumq; de medio uestrûm *Mat. 5. f* tollitote: quod cum reliqui audiuerint, timeant *Exod. 21. c* deinceps eiusmodi facinus apud uos suscipere, *Leuit. 24. d* ne'ue misereſcitote: uitam pro uita, oculū pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede.

CAPVT XX.

Lex belli. CVm ad pugnandū cum hostibus egressi, uideritis uos ab illis equorum, curruum, hominum multitudine superari, nolitote illos timere: nam Ioua Deus uester uobis aderit, qui uos ex Aegypto eduxit. Cumq; iam prælium commissuri eritis, tum pontifex accedito, & in hunc modum uerba ad exercitum facito. Audite Israelitæ: Vos hodie prælio congressuri estis cum hostibus uestris: nolite animis remollescere, aut illos prę metu & terrore expauescere. Nam ipse Ioua Deus uester uobiscum graditur, pro uobis cum uestris hostibus pugnatu- *1. Mach. 3. g* rus, uosq; defensurus. Tum magistratus ad populum ita loquuntor: Si quis nouā domum ædificauit, neq; dedicauit, is domū repedato: *Leuit. 19. c* ne si in prælio occubuerit, alius eā dedicet. Itē B si quis uineā cōseuit, neq; profanauit, domū repedato: ne si occubuerit in prælio, alius eā profanet. Item si quis uxorē desponsauit, neq; duxit, domū repedato: ne si in prælio occubuerit, alius eam ducat. Tum hoc addunto: Si quis timidus est, & molli animo, domū repedato, ne animi sui mollicie aliorum animos effœminet. *Iudic. 7. a* Deinde cū magistratus ad populū loqui desti- C terint, tū copijs duces præficiunto. Cū oppidū aliquod bello adoriemini, ei pacem offertote. Quòd si pacē acceperit, uobisq; portas aperuerit, omnis in eo repertus populus uobis tributarius esto, atq; seruito. Sin pace repudiata, armis uobiscū decertabit, obsidetote: cūq; id uobis Ioua Deus uester tradiderit, mares omnes ferro trucidatote. Mulieres aūt, & paruulos, & pecus, & quicquid erit in oppido, prædę habetote, hostiūq; uestrorū spolijs, uobis à Deo uestro Ioua cōcessis, uiuitote. Atq; hæc quidē facitote omnib. oppidis, quæ à uobis lōgius ab- D erunt, neq; istarū gentiū erūt. Nam de oppidis quidē istarū nationū, quarū possessionē uobis Deus uester Ioua dat, neminē cōseruatote, sed illos peruertitote, Hettæos, Amorręos, Chananæos, Pherezæos, Heuæos, & Iebusæos, sicut uobis Ioua Deus uester præcipit: ne si uos docuerint, quæ erga deos suos cōmittunt nefanda imitari, culpā in Iouā Deū uestrū committatis. Si quod oppidū diutina obsidione oppugnabitis, nolitote arbores admota securi corrūpere, sed earum fructibus uescimini, neq; eas succiditote, quasi homines sint ruris arbores, ut uos in obsidione deuitent. Arbores autem, quarum fructus sciitis non esse edules, corrumpitote, atq; succiditote, & ex eis machinas construitote aduersus oppidum, quod uobiscum armis decernet, donec id subegeritis.

CAPVT XXI.

SI quis occisus in terra, cuius uobis possessionē Deus uester Ioua dat, inuentus fuerit ruri iacens, & nesciatur à quo sit occisus, uestri senatores & iudices prodeunto, & oppidorum, *Lex hominis occisi, ignorato homicida.* quæ circū occisum erūt, distantiā metiūtur: ac quod oppidū occiso proximū esse contigerit, eius oppidi senatores iuuencā sumunto, quæ nunquā agricolationi adhibita fuerit, neq; iugū uexerit, eamq; agunto in uallē uastā incultā atq; inconsitā, & in ea ualle eā decollato. Tum sacerdotes Leuitę accedunto, quos quidem elegit Ioua Deus uester, qui sibi ministrent, & Iouæ nomen cōcelebrent, quorumq; arbitrij omnes controuersiæ sint, & uulnerum causæ. Deinde omnes illius oppidi senatores, occiso proximi, manus suas super iuuencā in ualle decol- B latam lauāto, & hæc uerba pronūcianto: Neq; manus nostrę hunc sanguinem fuderunt, neq; oculi uiderūt. Propitiare tuis Israelitis quos redemisti, Ioua, noli iniustam cædē in tuos Israelitas uindicare, sed à cæde expientur. Vos igitur ab iniusta cæde uos purgabitis, si quod Iouæ acceptū est facietis. Si in expeditionē profecti, hostes uestros, Deo uestro Ioua tradente, *De ducēda in matrimonium captiua.* captiuos abegeritis, & inter captiuos animaduerteris mulierem formosam, quam amore captus in matrimonium ducas, eam in domum tuam introducito: ipsa caput suum rodeto, ungues secato, uestem captiuam exuito, & domi tuæ manens, parentes suos menstrua die plorato. Ita demū cum ea congressus, eam tibi maritato, & coniugem habeto. Quòd si acciderit, eam tibi nō placere, eam sui iuris dimittito, ne'- C ue argento uendito, aut in rem tuā uertito, quoniam eam subegisti. Si quis duas uxores habe- *Primogeniti ius.* bit, alteram amatā, alteram inuisam, & utraq; ei liberos pepererit, quorū inuisæ filius sit primo- *2. Paral. 5. a* genitus, cū bona sua filijs suis testamento relinquet, ne ei ius esto amatæ filiū primogenitum facere, summoto inuisæ filio, sed primogenitū inuisæ filium agnoscito, ei duplicē facultatum suarum partem dando. Cum sit enim eius uirium principiū, ius habet primogeniti. Si quis filium contumacem & rebellem, parētibusq; *Contumaciæ in parētes pœna.* immorigerum habebit, qui ab eis castigatus non obtemperet, eum parentes ambo prehen- D sum educūto ad illius ciuitatis senatores in eius loci curiam, & cum senatoribus sic loquuntor: Hunc filium suum contumacem esse, & rebellem, sibiq; dicto non audientem, heluonem, & luxuriosum. Tum ciues uniuersi illum lapidatione necāto, malumq; de medio uestrûm tollitote: quod cū uniuersi Israelitæ audiuerint, metuant. Si quem ob capitale crimen supplicio affeceritis, & in crucem egeritis, eius cadauer in

cruce ne pernoctato, sed id eodē die sepelitote: nam crucifixum execratur Deus. ne'ue terram polluitote, cuius uobis possessionem Deus uester Ioua dedit.

Gal.3.b

CAPVT XXII.

TVi fratris bouem, aut pecus errans si uideris, ne dissimulato, sed ad illum reducito. Quòd si ille tibi uel non uicinus, uel non notus est, id in domum tuam agito, & apud te habeto, donec quærēti fratri tuo reddas. Idem in asino, idem in ueste, idem in omni à fratre tuo amissa, & à te reperta re facito, ne'ue occultare audeto. Tui fratris asinū, bouem'ue in uia lapsum si uideris, ne dissimulanter præterito, sed unà cū eo alleuato. Viri ornatū mulier ne ferto, ne'ue muliebrem uestem uir induito. nam Iouę Deo uestro inuisus est, quisquis istud facit. Si in uia incideris in auis nidū in quapiam arbore, aut humi positum, in quo aut pulli sint, aut oua quibus pullis aut ouis mater incubet, matrem cum pullis ne capito, sed dimissa matre pullos capito, ut bene sit tibi, diuq; uiuas. Si domum nouam ędificabis, tuum tectum lorica munito,

Officiū erga homines. *Exod.23.a* *Humanitas etiam erga bestias.*

B ne sanguine domum tuam impies, si quis ex eo deciderit. Vineam tuam miscellaneis ne conserito, ne simul & frugum, quas seueris, redditū, & uineæ prouentum consecres. Boue simul & asino ne arato. Vestem lana simul & lino textam ne induito. Fimbrias facito in quatuor angulis tui indumenti, quo te teges. Si quis ducta uxore, & cum ea re habita, eam exosus calūniatus fuerit, eiusq; famā læserit, dixeritq; se cum ea uxore ducta congressum, uirginalia in ea non inuenisse: tum puellæ parentes eius

De uxoris calumniatore. *Num.15.d*

C uirginalia ad ciuium senatores in curiam deferunto, eisq; puellæ pater demonstrato, sese filiam suam homini illi in matrimonium dedisse, quā ille exosus calumnietur, negās se in ea uirginalia inuenisse: simulq; ueste apud senatores expansa, filiæ suæ uirginalia ostendūto. Tū senatores hominem castiganto, & centū argenteis mulctanto, eosq; patri puellæ danto, quoniā Israeliticæ uirginis nomini detraxerit: eāq; ille ita uxorem habeto, ut nunquam repudiare possit. Sin aūt uera res fuerit, neq; uirginalia in puella extiterint, puellā ad paternæ domus fores ducunto, eamq; eius ciues lapidibus obrutam necanto, quoniā eo in Israelitis cōmisso flagitio patris sui domū cōstuprarit: et ita nefas de medio uestrûm tollitote. Si quis deprehensus fuerit concubuisse cum fœmina maritū habente, ambo iuxtà moriuntor, tū uir qui fœminā constuprarit, tum fœmina: idq; nefas ex Israelitis tollitote. Si quis puellam uirginem uiro pactā nactus in oppido cōpresserit, ambos ad illius oppidi portam eductos lapidatote, & ne-

Adulterij pœna. *Leuit.20.a* *Raptus pœna.*

D catote: puellam, quia in oppido non clamauerit: uirum, quia alterius uxorem subegerit: idq; nefas de medio uestrûm tollitote. Sin autē ruri puellam desponsatam nactus uir, ei uim intulerit, eamq; compresserit, moritor uir ille tantum, qui eam compressit: puellæ autem nihil nocetote. neque enim in capitali crimine est: hoc enim perinde est, ac si quis alterum aggressus uita priuet. Nam ruri eam reperit, neq; clamanti puellæ despōsæ adfuit qui succurreret. Si quis puellam uirginem non desponsam nactus, ei stuprum intulerit, & deprehensi fuerint, uir ille patri puellæ quinquaginta argenteos dato, eamq; uxorem habeto, quòd eam subegerit, neq; unquā repudiare liceto. Nemo suam nouercam ducito, ne'ue patris sui gremiū aperito.

Exod.22.c

CAPVT XXIII.

TEstes cōminutus, aut exectus, Iouæ ciuitatem ne adipiscatur. Spurius in Iouæ ciuitatem ne admittitor: sed nec decima eius progenies. Ammonita, aut Moabita, in Iouæ ciuitatem ne admittitor: sed nec decima eorū proles unquam Iouæ ciuitate donator: quia nō uobis cibum & potionem suppeditarunt in itinere, Aegypto egressis: & quia precio conduxerunt contra uos Balaamum Phegoris filium ex Pethore Mesopotamiæ, qui uobis imprecaretur. Quanquam noluit Ioua Deus uester obsequi Balaamo, ac uobis imprecationem in faustam conuertit precationem: tanto uos amore prosequebatur. Eorum saluti aut bono nunquam per omnem uitā studetote. Ab Idumæo B ne abhorretote, quia frater uester est. Ab Aegyptio ne abhorretote, quia fuistis in eorum terra peregrini. Eorum tertiæ propaginis nati in Iouæ ciuitatem suscipiantur. Cum expeditionem in hostes facietis, omnem rem malam uitatote. Si quis erit in uobis non mundus propter nocturnum casum, exito extra castra, ne in castra introito. Deinde sub uesperam aqua lauato, & post occasum solis in castra introito. C Locum autem seorsum extra castra habetote, quo ad requisita naturæ exeatis: ac cum excernendum erit, palo, quem inter instrumenta circumferetis, foditote, & ibi egestum excrementum obruitote. Nam Ioua Deus uester in castris uestris uersat, ut uos defendat, uobisq; hostes subijciat. Quare castra uestra pura sunto, ne si quid apud uos fœdum uideat, auertatur uos. Seruum, qui ad te à domino suo euaserit, domino ne dedideris: apud te in medio uestrûm habitet, quo in loco maluerit, in quacunque uestrarum habitationum ei uisum fuerit. Ei molesti ne estote. Neq; Israelitidum meretrix quæquam, neque Israelitarum scortator esto. Meretricis mercedem, aut admissuræ canis precium in Iouæ Dei tui templum, ullum ob uotum ne inferto: nam utrūq; iuxtà abominatur Ioua. Fratri tuo ne fœnerato pecuniam: ne uictum, ne rem ullam quæ fœneretur. Extraneo fœnerato: at fratri tuo ne fœnerato, D ut tibi Ioua omnia tua negotia bene fortunet in terra quam uadis occupatum. Si uotum Iouæ Deo tuo nuncupaueris, nolito committere ut non reddas: id enim exiget à te Ioua Deus tuus, ita'que culpam commiseris: cum si à uouendo abstinuisses, non fueris futurus in uitio. Promissum ut præstes curato, sicuti Iouæ Deo tuo sponte tua uoueris, atq; ore pronunciaueris. Si in alterius uineam intraueris, uuas tuo arbitratu ad satietatem comedito, sed ne conuasato. Si in alterius segetem introieris,

Qui ab Hebreorū ciuitate excludantur. *Num.23.a 22.d.* *Munditia.* *Seruus per fugā nō dedendus.* *Impudicitia.* *Fœnus.* *Votum.* *Bona quatenus communia.*

troieris, spicas manu carpas licebit: at falcem in alterius segetem ne immittito.

CAPVT XXIIII.

Repudiũ. Mat. 5. c. 19. a. Mar. 10. a.

SI quis uxorem duxerit, fœminamq́ fecerit, si contigerit eam illi non placere, quòd aliquid in ea offenderit inhonestum, scribito ei libellum diuortij, eumq́ illi in manũ dato, & eã è domo sua dimittito. Quòd si ex illius domo egressam alteri nubere contigerit, si ille alter eam inuisam habebit, scribito ei libellũ diuortij, eumq́ illi in manum dato, atq; eam ex domo sua dimittito. Aut si decesserit uir ille, qui secundus eam duxerit, ne esto potestas marito priori, qui eam repudiauerit, eam iteratò in matrimonium ducere, postquam illa polluta est (nam id quidem Iouæ habetur nefarium) ne terrã, quam uobis possidendã uester Deus Ioua dat, polluatis.

Noui mariti immunitas.

Cum quis uxorem nouã duxerit, ne militato, nulliq́ muneri obnoxius, immunis domi esto unum annum, & cum ducta uxore lætator.

B

Molam inferiorem, superiorem ue ne pignorantor: ita enim animam pignorarentur.

Plagij pœna.

Si quis compertus fuerit furatus hominem de suis consanguineis, id est, de Israelitis, eumq́ in rem suam uersum uendidisse, moritor fur ille, & nefas illud de medio uestrûm tollitote.

Lepra.

Curatote in morbo lepra, & diligentem operam datote, ut eis quibus uos Leuitæ sacerdotes ex meo præcepto instruẽt, pareatis, utq; id exequamini uidetote.

Num. 12. a.

¶ Memẽto quomodo tractauerit Ioua Deus uester Mariã in itinere, cũ ex Aegypto emigrassetis.

Pignoratio

Si quid alteri mutuabis, eius domum ad pignus auferendum ne intrato,

C

sed foris maneto, eo cui tu mutuabis, pignus tibi foras efferẽte. Quòd si pauper est, ne cum eius pignore cubato, sed ei pignus sub solis occasum reddito, ut is in sua ueste cubans tibi bene precetur, eaq́ res tibi iustitiæ ducatur apud Iouam Deum tuum.

Erga mercenarios.

Ne mercede fraudato mercenariũ egenũ, aut pauperẽ, siue tuus sit popularis, siue tibi conterraneus, & uestrâs peregrinus. Suo quamq; die mercedẽ ei dato, antequã sol interea occidat, ne si (cum sit egenus, & eo uitã sustentet) Iouam imploret, tu culpam contrahas.

Leuit. 19. c. Tob. 4. c.

Suam quisque culpã luat.

Ne parentes pro liberis, neue liberi pro parentibus moriuntor, sed suam quisq; ob culpam moritor.

Erga inopes.

Peregrini, aut pupillare iudiciũ ne corrumpito, neue uiduæ uestẽ pignerato: ac memento uos fuisse in Aegypto peregrinos, atq; inde à Ioua Deo uestro uindicatos, quam ob causam ego uobis hoc faciendũ præcipio.

D

4. Re. 4. b. 2. Par. 25. b. Ezec. 17. c.

Si in fundo tuo messem faciens, mergitem omiseris in agro, ne eum repetito: sed is peregrini, pupilli, uiduę esto, ut tibi Ioua Deus tuus omnia tua opera bene fortunet. Oleã cum stringes, ne relegito: peregrinus, pupillus, uidua habẽto. Vineam cum uindemiabis, ne racemato: peregrini, pupilli, uiduæ esto. ac memineris, uos fuisse seruos in Aegypto: quãobrem ego uobis hoc faciendum præcipio.

CAPVT XXV.

SI quos inter fuerit contentio, in iudiciũ eunto, & iudices iudicanto, & innocentem absoluunto, & nocentem condemnanto.

Fustuariũ.

Quòd si nocens fustuariũ meruerit, eũ iudex prostratum, in suo conspectu pro criminis ratione ad numerum cædito.

1. Cor. 13. f.

Quadragesies non amplius ferito, ne si multum ad hãc uerberationem addiderit, cõtumelia afficiatur frater uester in uestra præsentia.

1. Cor. 9. a.

Boui triturãti os ne obthurato.

De uxore fratris à superstite ducenda. 1. Tim. 5. c. Matt. 22. c.

B

Mar. 12. b. Luc. 20. d. Ruth 4. b.

Si fratrum contubernalium alter mortuus fuerit sine liberis, defuncti uxor alieno ne nubito. Leuir cum ea conuenito, eamq́ in matrimonium leuiri iure ducito: quemq́ illa primogenitum ediderit, is in defuncti fratris nomen concedito, ne illius nomen ex Israelitis deleatur. Quòd si nolit homo suã glossem ducere, glos in curiam ad senatores se recipito, & demonstrato leuirum suum nolle suo ipsius fratri nomen in Israelitis suscitare: id est, nolle se leuiri iure ducere. Tum ciues illius senatores eum euocanto, atq; alloquuntor: qui si præsens negauerit se uelle eam ducere, tum glos ad eum accedito in præsentia senatorum, eiq́ calceum de pede detrahito, & eius faciem conspuito, ita dicens: Sic fit homini, qui fratris sui domũ sobole non instruit. Atq; illius apud Israelitas eiusmodi nomen esto, ut eius domus dicatur Discalceati.

C

Muliebris impudẽtiæ pœna.

Si orto inter aliquos certamine, alterius uxor accesserit, sui uiri ab eo, à quo pulsatur, defendendi ergò, et iniecta manu illius uirilia prehenderit, ei manum sine ulla misericordia abscinditote.

Pondera et mensuræ.

Diuersa pondera alia maiora, alia minora, in fisco tuo ne habeto. Diuersas mensuras, alias maiores, alias minores, domi ne habeto: & pondera & mẽsuras æquas iustasq́ habeto, ut diu uiuas in terra, quam uobis Ioua Deus uester dederit. Etenim nefarius habetur Iouę Deo uestro, quisquis ista facit, quisquis inique facit.

D

De Amalechitis excidendis. Exo. 17. c.

Mementote quid uobis fecerit Amalechita in itinere egressis ex Aegypto, ut uobis in itinere occurrerit, nihilq́ Deum ueritus, extremos uestrûm & infirmissimos quosq; carpserit, uobis lassis, atq; defatigatis. Igitur cum iam uos quietos reddiderit Ioua Deus uester ab omnibus uestris undiq; hostibus, in terra cuius uobis occupandam possessionem daturus est, Amalechitarum memoriam de rerum natura aboletote, ne'ue hoc obliuioni mandatote.

CAPVT XXVI.

Primitiæ.

CVm aũt in terrã perueneritis, cuius uobis possessionẽ Deus uester Ioua dat, eamq́ occupaueritis, & in ea consederitis, sumito de primitijs omniũ terræ frugũ quas perceperis à terra uobis à Ioua deo uestro data: ijsq́ in sportã inditis, petito locum, quẽ Ioua Deus uester nomini suo collocãdo destinauerit: & pontificẽ, qui illis tẽporibus erit, adito, eiq́ ita dicito: Profiteor hodie Iouæ Deo tuo, me peruenisse in terrã, quam iurauit Ioua maiorib. nostris, daturũ se nobis. Tũ pontifex sportã de tua manu acceptã, ante aram Iouæ Dei uestri reponet, & tu coram Ioua Deo uestro sic præfaberis: Maiores nostri, Syris eos opprimẽtibus, descẽderũt in Aegyptũ, quò cum pauci numero peregrini aduenissẽt, ibi excreuerũt in gentẽ magnã, potentẽ, atq; numerosã.

E

Deinde cũ nos malis modis premerẽt Aegyptij, nobisq́ durã seruitutẽ imponerent,

imponerent, Iouã Deum maiorũ nostrorũ inuocauimus. qui audita uoce nostra, animaduersaq; nostra miseria, labore, & angustijs, eduxit nos ex Aegypto manu ualida, brachio extento, magno cũ terrore, monstris atq; portentis: nobisq; in hunc locũ perductis terram hãc dedit, terram lacte melleq; scatentẽ. Quamobrẽ hic ego affero primitias frugũ terrę, quã mihi Ioua dedit. Tũ illas apud Iouã Deũ uestrum reponito, & eum corãm adorato, ac lætator ex omnibus bonis, quæ tibi tuæq; familiæ dederit, unà cũ uestrate Leuita, atq; peregrino.

C ¶Cũ omnes tui prouentus decumas prorsus dederis, anno tertio, qui annus est decumanus, Leuitæ, peregrino, pupillo, uiduæ dato, ijq; apud te ad satietatem epulantor. Tum tu apud Iouã Deum uestrum sic dicito: Sacrum domo abstuli, idq; Leuitæ, peregrino, pupillo, uiduæ dedi, prorsus ex præcepto quo tu me instruxisti: nõ feci contra præcepta tua, neq; ea sum oblitus: [a] nihil inde in mœstitia comedi, nihil per immunditiam detraxi, nihil in funus impendi, Iouæ Deo meo dicto audiens fui, feci prorsus ut tu mihi præcepisti: aspice de sacra tua sede, id est, de cœlis, & faue tuo Israelitarum populo, & terræ quã nobis dedisti, sicut maioribus nostris iurasti, terræ lacte melleq; abundanti. Hodierno die Ioua Deus uester uobis pręcipit, ut hæc instituta atq; iura exequamini: curatote ut toto corde atq; animo exequamini. Vos hodie Iouam pronunciatis uobis esse Deum, uosq; eius esse uijs gressuros, decreta, præcepta, iura conseruaturos, & dicto obtemperaturos. Ioua quoq; hodie pronunciat uos sibi peculiarẽ esse populum (ut uobis promisit) qui omnia eius præcepta conseruetis, seq; uobis maiestatẽ supra omnes à se conditas nationes conciliaturũ, laudis, famę, decoris ergò, ut sitis sacer Iouę Deo uestro populus, quemadmodũ promisit.

a Iubebat Deus decumas, & cum lętitia & non nisi à puris comedi.

Esa.63.d. *Bar.2.d.*

D *Dei & Israelitarũ mutua promissio.*

CAPVT XXVII.

TVm Moses, unà cũ Israelitico senatu, populo pręcepit in hunc modũ: Cõseruatote omnem doctrinam, qua ego uos hodie instituo. Ac quo die continget uos, traiecto Iordane, in terram uenire uobis à Ioua Deo uestro datam, erigitote saxa ingentia, eisq; gypso incrustatis inscribitote in ipso uestro transitu omnia uerba legis huius, ut perueniatis in terram uobis à Ioua Deo uestro datam, terram lacte melleq; abundantem, quemadmodũ uobis Ioua Deus uester patrius promisit. Cum igitur contigerit uos traiecisse Iordanem, erigitote saxa hæc, de quibus ego uobis hodie præcipio, in monte Ebale, eaq; gypso obducitote. Atq; ibi aram Iouæ Deo uestro extruitote saxeam, nullo adhibito ferro. Ex impolitis lapidib. inquam,

B arã Deo uestro Iouæ extruitote, in eaq; illi solida sacrificia, & pro salute facitote, & ibi epulantes apud Iouã Deum uestrum lætitiam agitote, atq; in saxis illis omnia legis huius uerba expresse & bene scribitote. Tum Moses unà cum sacerdotibus Leuitis ad uniuersos Israelitas uerba fecit in hunc modum: Attende & audi Israelita. Tu hodierno die populus fis Iouæ Dei tui. Audi ergo Iouæ Dei tui uocem, eiusq; præcepta decretaq;, quibus ego te hodie instituo, exequitor. Tum Moses illo die populo præcepit in hunc modũ: Hi ad bene precandũ populo in monte Garizimo stanto, ubi Iordanẽ traieceritis, Simeonij, Leuitæ, Iudæi, Issachariani, Iosephei, & Beniamitæ. Hi autem ad imprecationem in monte Ebale stanto, Rubenitæ, Gadini, Aseriani, Zabulonij, Danij, C

Saxa iubet erigi in quibus lex scribatur.

Exo.20.d. *Ios.8.f.*

& Nephthalenses. Tum Leuitæ clara uoce ad uniuersos Israelitas hæc uerba pronuncianto: Execrabilis esto homo, qui simulachrum uel sculptile, uel fusile, quod Iouæ nefarium est, fabrili manu fecerit, & in occulto posuerit: & uniuersus populus respondens dicito, Amen. Execrabilis qui patri, matri' ue maledixerit: & uniuersus populus, Amen. Execrabilis qui alterius terminum summouerit: & uniuersus populus, Amen. Execrabilis qui cæcũ à uia auerterit: & uniuersus populus, Amen. Execrabilis qui peregrini, pupilli, uiduæ causam peruerterit: & uniuersus populus, Amen. Execrabilis qui suæ nouercæ concubuerit, qui paternum gremiũ detexerit: & uniuersus populus, Amen. D Execrabilis qui cum ulla bestia rem habuerit: & uniuersus populus, Amen. Execrabilis qui cum sua siue ex patre, siue ex matre, sorore rem habuerit: & uniuersus populus, Amen. Execrabilis qui cum socru sua rem habuerit: & uniuersus populus, Amen. Execrabilis qui alterum occultè cęciderit: & uniuersus populus, Amen. Execrabilis qui donum acceperit, ut homini per iniuriã uitam eripiat: & uniuersus populus, Amen. Execrabilis qui legis huius dicta non præstiterit, atq; fecerit: & uniuersus populus, Amen.

Dan.9.c. *Sacramentum in uerba Iouæ.*

Galat.3.b.

CAPVT XXVIII.

QVòd si Iouæ Deo uestro dicto audientes fueritis, eiusq; præceptis omnibus, quę ego uobis hodie trado, parere curaueritis, ipse uos uicissim supra omnes orbis terrarũ nationes euehet, uobisq; accidẽt & cõtingent omnes hæ felicitates, modò Iouæ Deo uestro dicto audiẽtes sitis. Felices eritis in urbe, felices ruri: felices erũt uestrorũ uterorũ, soli, pecoris fructus, tũ armentorũ, tum gregũ balantum fœtura: felicia canistra, & mactrę: felices eritis aduenientes, felices proficiscentes. Atq; ita ante uos dissipabit Ioua hostes uestros qui uos adorientur, ut una uia uos aggressi, septẽ uijs ante uos fugiant. Fauore prosequetur Ioua penũ uestrũ, atq; omnia negotia, uosq; fortunabit in terra uobis à se donata. Vos sacrũ sibi populũ constituet, quemadmodum uobis iurauit, si modò eius præcepta conseruabitis, eiusq; uijs gradiemini, ut uidentes omnes orbis terrarum B nationes uos [a] Iouæ nomine cẽseri, à uobis metuant. Vos bonis cumulabit in uterorũ, in pecoris, in soli uestri fœtu, in terra, quam se uobis daturũ esse maiorib. uestris iurauit. Aperiet uobis suum bonorũ thesaurum cœlũ, in uestrãq; terrã pluuiã suo tẽpore immittet, & omnia uestra opera prosperabit, & multis gentibus mutuabitis, neq; ipsi mutuabimini: efficietq; uos caput,

Felicitas obedientiũ Deo.

a in Iouæ tutela esse, & eius populum uocari.

Leuit.26.b *Thren.1.f.* *Mal.2.d.* *Bar.1.d.*

caput, non caudam: superioresq́, non inferiores eritis, si modò obtemperabitis Dei uestri Iouæ præceptioni: quã ut exequi curetis, ego uobis hodie præcipio. Neue ab ulla harum rerum, de quibus præcipio, ad dextram sinistram' ue declinantes, deos alienos colendi ergò sequamini. Quòd nisi Iouæ Deo uestro dicto audientes eritis, eiusq́ omnibus præceptis & institutis, quibus ego uos hodie instituo, parère curabitis, hæc uobis omnia dira contingent, atq́ euenient: Infelices eritis in urbe, infelices ruri: infelicia uestra canistra & mactræ: infelices uterorũ uestrorũ, soli, pecoris fructus: tum armentorũ, tum gregum balantum fœtura. Infelices eritis aduenientes, infelices proficiscentes.

Infelicitas nõ obedientium.

C

Incesset uos Ioua angore, tumultu, profligatione, in omnibus quæcunq́ facietis operibus, eousq́ ut uos celeriter funditus euertat, propter uestrorum morum prauitatem, qui eum reliqueritis. Infestabit uos Ioua tanta peste, ut uos funditus de terra tollat, ad quã occupandam uaditis. Incesset uos Ioua tabe, febre, ardore, æstu, armis, uredine, rubigine, uosq́ ad perniciem usq́ persequetur. Cœlo quod supra uerticẽ habebitis, æreo: terra, quã subter, ferrea utemini. Efficiet Ioua, ut terræ uestræ pluuia arena sit, & puluis, qui de cœlo ad uestrum usq́ exitium deferetur: efficiet ut ab hoste uertamini, & in quem uia una exieritis, eundem septem uijs fugiatis, atq́ in omnia orbis terrarum regna dispergamini: uestraq́ cadauera omnibus alitibus aereis, terrestribusq́ feris ita prædæ sint, ut non sit qui eas abigat. Afficiet uos Ioua ulceribus Aegyptijs, fico, scabie, prurigine insanabili: afficiet amentia, cæcitate, stupore cordis, ut in meridie palpãtes, ueluti cæcus in tenebris, improsperas uias habeatis, semperq́, nullo defensore, opprimamini, diripiaminiq́. Vxores spõsabitis, & alij eis potientur: domos ædificabitis, & in eis non habitabitis: uineas conseretis, & eas non [b] profanabitis. Vestri boues in oculis uestris mactabuntur, neque eis uescemini: asini uestri uobis coràm abripientur, neq́ ad uos redibunt: oues & capræ uestræ tradentur hostibus, nec habebitis qui defendat. Vestri filij & filiæ populo alteri addicentur, idq́ spectantibus oculis uestris, & hinc tabescentibus quotidie, nec uobis erit subueniendi potestas.

b fructum percipietis, quod tũ fit, cũ profanatur: id est, cum primũ uindemiantur.

D

Fructibus agri uestri omniq́ uestro labore uescetur uobis incognita natio, & nihil aliud quàm perpetuò opprimemini, & lacerabimini, atq́ in his oculorum uestrorum spectaculis demẽtietis. Afficiet uos Ioua diris, & uobis insanabilibus ulceribus, in genibus, in tibijs, à planta ad uerticem. Abducet uos Ioua, necnon regem, quem uobis creaueritis, in gentẽ & uobis & maioribus uestris ignotam, ubi deos alienos ligneos lapideosq́ colatis, admirationiq́ & dicterijs & fabulis locum detis apud omnes, in quas uos Ioua abegerit nationes. Seminis multũ in agrum efferetis, & parũ percipietis, ob locustarũ calamitatem. Vineas conseretis, coletisq́: sed uinũ neq́ bibetis, neq́ condetis, utpote à uermibus consumptũ. Oleã omnibus in uestris finibus habebitis, neq́ oleo ungemini, quoniam extirpabitur olea. Liberos gignetis, neq́ eis fruemini, quoniam captiui abibũt. Omnes uestras arbores, terræq́ fruges corrumpet ærugo.

Mich. 6. d. Aggei 1. b.

E

Vestrates peregrini maiore in dies fastigio ascendẽt, uos maiore in dies decremẽto descendetis: illi uos fœnerabunt, uos illos non item. illi caput, uos eritis cauda. Atq́ hæc quidem tot dira uobis euenient, uosq́ insectabũtur, & ad internecionem infestabunt, quoniã Iouæ Deo uestro dicto audientes non fueritis, in eius pręceptorũ, decretorumq́ uobis ab eo traditorũ conseruatione: eruntq́ hæc tum in uobis, tum in uestra progenie signo & exemplo in ęternũ, quoniã Iouę Deo uestro in rerũ omnium copia lęto & hilari animo non seruiueritis. Ergo hostibus, quos uobis Ioua immittet in fame, in siti, in nuditate, in rerũ omnium penuria seruietis, imponentq́ uestris ceruicibus iugũ ferreũ usq́ ad uestrum exitium. Excitabit in uos Ioua remotam gentem usq́ ab extremis orbis terrarũ finibus, aquila uolucriorẽ, gentẽ ignotę uobis linguę: gentem ita crudelẽ, ut neq́ senes reuereatur, neq́ puerorũ misereścat, quę uestri pecoris fructus & terrę fruges cõsumens, uos ita peruertat, ut neq́ frumentũ, neq́ uinum, neq́ oleum, neq́ armentorũ fœturam, neq́ ouium caprarũq́ greges uobis reliquos faciat: usqueadeò uos disperdet, uos ubicunq́ degetis eousq́ obsidebit, donec uestra altissima munitissimaq́ mœnia, & arces, quibus cõfidetis, in omnibus uestris finibus deiecerit.

F

Vos, inquã, ubicunq́ terrarũ uobis à Ioua Deo uestro datarũ degetis, ita premet, ut ipsum uestri fœtũ uentris, ipsam liberũm uestrorũ, uobis à Ioua Deo uestro datorũ, carnem comedatis: tanta uos obsidionis angustia premet hostis. Qui inter uos mollissimus & delicatissimus erit, is suo ipsius fratri, & sui cõplexus uxori, reliquisq́ natorũ suorum, quos reliquos fecerit, horũ inquã ulli recusabit impertiri de filij sui carne, quam comedet: quòd nihil sibi reliquũ fecerit in tam arcta obsidione, qua uos hostis in omnibus uestris sedibus urgebit. Quę apud uos ita mollis erit, & delicata, ut prę mollitie & delicijs pedis uestigiũ humi figere non sustineat, ea & sui complexus uiro, & filio, & filię, secundas ex interfemineo suo egressas, & quos pepererit filios inuidebit, eosq́ clam in summa indigentia comedet, prę obsidione & angustia, qua uos hostis in uestris mœnib. premet. Nisi curabitis ut pareatis omnibus uerbis huius legis, in hoc libro scriptis, ut gloriosum illud & terribile nomen, Iouã Deũ uestrũ metuatis: præcipuis & uos & uestrã prolẽ afficiet cladibus Ioua, cladibus ingentibus & certis, morbisq́ diris & fixis, uobisq́ referet omnes Aegyptias ægritudines: ut quas exhorretis, hæ in uobis inhæreant.

G

Tum si quis morbus, si quæ clades est in huius legis libro non scripta, ea uos ad uestrũ usque exitium infestabit, ita ut qui cœli stellas numero æquaueritis, pauci numero superetis, quoniam Iouæ Deo uestro dicto audientes

non

non fueritis. Ac quemadmodum lætatus fuerit Ioua uobis & beneficijs & numero augendis, ita ediuerso lætabitur perdendis atq; euertendis. Itaq; exterminabimini ex terra quam occupatū itis: uosq; disperget Ioua in omnes nationes, quotquot utroq; fine terrarum continētur: ibiq; dijs alienis, & uobis & maioribus uestris ignotis, ligneis, saxeisq; seruietis. Atq; apud illas gentes neq; conquiescetis, neq; ubi pedis uestigium requiescatis habebitis: tātaq; uos illic & cordis trepidatione, & oculorum tabe, & animi æstu afficiet, ut uitam ante oculos quasi suspensam habeatis: & noctē diemq; pauentes, de uita uestra desperetis, & mane uesperam, & uespere mane optetis: tanto animi pauore, taliq; oculorum spectaculo consternabimini, uosq; in Aegyptū (quam uiam ne deinceps repeteretis, ego uobis mandaui) Ioua classe reportabit, in seruos & seruas inimicis uestris sine ullo assertore uendendos.

CAPVT XXIX.

Exo.19.d.

HAec sunt uerba fœderis quod præcepit Ioua Mosi feriendum cum Israelitis, in finibus Moabitarum, præter fœdus quod cum eis in Horebo percusserat. Igitur Moses, cōuocatis omnibus Israelitis, ad eos uerba fecit hoc modo: Vos uidistis quàm multa Ioua spectantibus uobis in Aegypto fecerit, in Pharaonem, Pharaoniosq; omnes, atq; eius terram, ingentes illas, monstrosas & portentosas infestationes dico, quas ipsi uestris oculis spectauistis: & tamen hactenus uobis Ioua neq; cor ad intelligendum, neq; oculos ad uidendum, neq; aures ad audiendum dedit. Ego uos quadraginta annos per solitudinem duxi, cum neque uestimenta uobis obsoleuerunt, neq; pedum calceamenta inueterata sunt, neq; panē comedistis, neq; uinum aut temetum bibistis, ut intelligatis eum esse Iouam Deum uestrum. Atque ubi in hunc locum uenistis, Sehonem Hesebonis, & Ogum Basanæ regē, qui nobis bello occurrerāt, fudimus, captumq; eorum agrū Rubenitis, Gadinis, & dimidiæ Manassensiū
B tribui possidendum dedimus. Quapropter curatote, ut omnibus huius fœderis uerbis stetis: ut quæcunq; agetis, prospere agatis. Vos hodie in Iouæ Dei uestri conspectu statis uniuersi, duces, tribus, senatores, magistratus, deniq; omnes Israelitæ, paruuli, mulieres, peregrini, qui in castris uersantur, ipsiq; adeò lignatores atq; aquatores, ut in fœdus ueniatis, quod Ioua Deus uester uobiscū hodie adhibito sacramento sancit, ut & uos sibi hodie populum statuat, & ipse uobis sit Deus, quemadmodū uobis promisit, & maioribus uestris Abrahamo, Isaaco, & Iacobo iurauit. Neq; uerò uobiscum tantum ego fœdus hoc, & sacramentum ineo, sed tum cum eis qui hic hodie præsentes nobiscum coram Ioua Deo nostro adsunt, tum cum eis qui hic hodie nobiscum non adsunt. Scitis enim uos, ut in Aegypto degerimus, utq; per
C gentes, per quas iter fecistis, transiuerimus: earūq; nefanda uidistis, & signa lignea, lapidea, argentea, atq; aurea, cuiusmodi apud illas habentur: ne quis forte sit in uobis aut uir, aut fœmina, aut familia, aut tribus, cuius mens hodie à Ioua Deo nostro auersa, ad deorum gentium illarum cultum impellatur: ne quæ sit in uobis stirps, quæ [a] fel pariat & absynthium, qui huiusce sacramēti uerbis auditis, sibi cum animo suo blandiatur, & impunè fore putet, si ex animi sui peruersitate uixerit, atq; ita [b] ebrietate sitim exuperet. Ei tantum aberit ut ignoscat Ioua, ut in huiusmodi hominem ira atq; impetu suo exardeat, omniaq; dira in hoc descripta libro ei incumbant, & eius nomen Ioua de rerū natura deleat, eumq; malis modis ab omnibus Israelitarum tribubus, ut ferunt omnia fœderis dira in huius legis libro scripta, secernat: dicetque posterorū genus, id est uestri nati, qui post uos existent, & extranei qui ex finibus longinquis uenerint, cum uidebūt eius terræ clades, D
& quibus eam detrimentis affecerit Ioua, sulphure & sale ita perustam, ut neq; conseratur, neq; germinet, neq; ullæ in ea crescant herbæ, qualis est ruina Sodomæ, Gomorræ, Admæ, & Seboiū, quas ira percitus Ioua euertit: quærent inquam omnes gentes, cur hæc fecerit Ioua in hanc terram? quis'nam sit iste tātæ iræ æstus? Tum respondebitur: quoniam relicto Iouæ Dei maiorum suorum fœdere, quod cū illis percussisset, cū eos ex Aegypto eduxisset, defecerint ad deos alienos, eisq; seruierint, & eos adorarint, deos quos neq; nouissent, neq; cum eis ullam rem habuissent. propterea Iouā huic terræ iratum, ei omnes scriptas in hoc libro diras importasse: eosq; ex ipsorum terra magno cum iræ & indignationis feruore auulsos, aliā in terram (ut tum apparebit) proiecisse. Occulta Iouæ Dei nostri sunt: aperta autem et nostra & nostrorum in perpetuum natorum, ad omnia legis huius dicta exequenda.

a rebellionem & contumaciam.
b peccandi sitim nō solū expleat, sed etiā superet.
Gen.19.e. 3.Reg.9.b. Ier.22.c.

CAPVT XXX.

CVm autem hæc omnia tum fausta tum infausta à me proposita uobis euenerint, & uos ubicunq; gentium à Ioua Deo uestro dispersi ad sanitatem redibitis: ad eumq; reuersi, eius dictis, quemadmodum ego uobis hodie præcipio, unà cum uestris natis toto corde atque animo parebitis: tum Ioua Deus uester uicissim uos ex captiuitate reuocabit: uestri'q; misertus, ac uobis recōciliatus, uos ex omnibus, in quas uos disperserit, nationibus colliget: & ita colliget, ut si ad extremos cœli fines fueritis dissipati, inde uos colligat atq; accersat: & in terræ à maioribus uestris possessę possessionē B
immittet, pluribusq; beneficijs, & maiore incremento, quàm maiores uestros, afficiet: & tum uestra, tum uestrę sobolis corda circuncidet, ad Iouam Deū uestrum toto corde, totoq; animo amandum, ut uiuatis. Hæc autem dira omnia immittet in perduelles & osores, qui uos infestauerint. Tum uobis mutatis, & Iouæ obedientibus, omniaq; eius præcepta, quę ego uobis hodie trado, exequentibus, abūdantiam beneficè conferet in omnibus uestris quę tractabitis negotijs, in uentris, in pecoris, in terrę uestrę fœtibus. Reconciliatus enim Ioua tam

Ad frugem redeūtibus Deus est propitius. *Psal.105.d.* 2.Mac.12.f & 2.c.

tam uestro bono delectabitur, quàm maiorum uestrorum delectatus fuerit, si ei obtemperantes, eius præcepta & instituta in hoc legis libro scripta conseruabitis: si ad Iouam Deũ uestrum
C toto corde, totoq; animo reuertemini. Nã hæc, quam ego uobis hodie trado, doctrina neque difficilior est, quàm pro uobis, neque lõgè po-
Rom.10 sita. Non est in cœlo, ut dicatis, Quis nobis in cœlum ascẽdet, eamq; inde nobis petet, ut eam audiamus, eiq; pareamus? Neque est trans mare, ut dicatis, Quis nobis traiecto mari eam petet, ut eam audiamus, eique pareamus? Sed est proximè uos oratio, in ore uestro, atque corde, ut ei pareatis. En propono uobis hodie tum uitam, & bonum, tum mortem, & malum. Me hodie præceptore Iouam Deum uestrum amando, eius uijs gradiendo, & præcepta, decreta, iura conseruando, uiuetis, crescetis, Deoq; uestro Ioua secundo utemini in terra, quam itis
D occupatũ. Sin autẽ mutato animo non obtemperabitis, profligatiq; deos alienos adorabitis, & coletis: hoc uobis hodie cõfirmo, uos perituros, neq; diu ętatẽ producturos in terra ad quã occupandam Iordanem estis traiecturi. Cœlos hodie uobis, terrasq; testor, me uobis uitã mortemq; proponere, felicitatem & infelicitatem. Eligite ergo uitam, ut & uos & uestra progenies Iouam Deum uestrum amando, eiq; obtẽperando atque adhærendo uiuatis (est enim is uita uestra, & æui longitudo) ut terram incolatis, quam se maioribus uestris Abrahamo, Isaaco, & Iacobo daturum pollicitus est.

CAPVT XXXI.

TVm Moses uniuersos Israelitas aggressus, in hæc uerba affatus est: Ego hodie natus annos centum & uiginti, non potero deinceps in negotijs gerendis uersari: & Ioua mihi præ-
Supr.3.d dixit, me nõ esse istum Iordanem traiecturum.
Num.27.e Ioua ipse Deus uester uobis præibit, ipse uobis gentes illas euertet, earumq; possessionẽ Iosua duce, occupabitis, quemadmodum promisit Ioua: qui quidem illis faciet, ut fecit Amorræo-
Num.21.e rum regibus, Sehoni & Ogo, eorumq; terræ, quos quidem euertit: eas'que uobis superabit,
Supr.7.a quibus utemini omnino ut postulat mea ad
B uos præceptio. Este fortes, & infracti, nolite eos pertimescere, aut formidare: nã Ioua Deus uester uobiscum ibit, uos non relicturus, aut
Moses Iosue præcepta dat. deserturus. ¶ Deinde euocato Iosua, eũ in omnium Israelitarum præsentia sic affatus est: Esto fortis & constans: tu enim cum hoc populo uades in terram, quam Ioua maioribus eorũ sese ei daturum promisit, eiusq; hæreditatem eis assignabis. Ioua autem ipse tibi præibit, tibi aderit, nunquam te destituet aut deseret: noli timere, aut pauescere. Scripsit autem Moses hanc
Sacerdotibus. legem, eamq; sacerdotibus Leui prognatis, arcæ fœderis Iouæ gestoribus, & omni Israelita-
C rum senatui tradidit, eisq; ita præcepit: Septimo quoque anno in solennitate anni remissionis, festo umbraculorum, cum uniuersi conuenient Israelitæ ad comparendum in Iouæ Dei uestri conspectu, in electo ab eo loco, recitato te hanc legem corãm in auribus omnium Israelitarum, cõgregato populo, uiris, fœminis, paruulis, & uestratibus peregrinis, ut audiant, ut discant, ut Iouam Deum uestrum uereantur, omnia'que legis huius dicta curent exequenda: utq; imperiti eorum nati audiendo discant Iouam Deum uestrum metuere, quamdiu uiuetis in terra, cuius occupandæ gratia Iordanem traiecturi estis. Tum Ioua Mosi dixit: Prope adest, cum tibi est moriendum: uoca Iosuam, D
& adeste in oraculari tabernaculo, ut ego ei præcipiam. Ergo Moses & Iosua iuerunt, & in Oraculi tabernaculo adfueruut, & Ioua in tabernaculo apparuit in nubis columna supra tabernaculi ostium stante, Mosem'que ita affatus est: Te quidem mox cum maioribus tuis iacente, hic populus eò ueniet, ut cum dijs alienis eius terræ, in quam intraturus est, meretricetur, me relicto, & fœdere quod cum eo pepigi, uiolato. Tũc ego iratus eos deserã, ab eisq; uultum meum abdam: quo fiet, ut consumantur, & in multa mala & angustias incurrãt, tandemq; fateantur, quoniam eorum Deus inter E Ioua Mosi defectionẽ populi prædicit.
eos non sit, ea omnia mala sibi euenisse: cum ego interea ab eis uultum meum abdã, propter tantum ab eis commissum scelus, qui ad deos defecerint alienos. Quãobrem scribite carmen hoc, quod tu Israelitas doceas, & eis in eos inseras, ut mihi sit hoc carmen testis aduersum Israelitas, cum in terram (quam eorum maioribus iuraui) lacte melleq; scatentem à me introducti, uictusq; satietate farcti, ad deos alienos se conuerterint, eosq; (me despectui habito, meoq; fœdere temerato) coluerint: cumq; eis mala multa & angustiæ euenerint, ut hoc inquam carmen contra eos testimonium dicat, si ex eorum sobolis ore non exciderit, obliuioni F
mandatum. Noui enim eorum mores, quibus hodie præditi sunt, nondum à me introducti in terram, quam eis iuraui. Scripsit ergo Moses carmen hoc eo die, idq; docuit Israelitas: & Iosuam Nunis filium hortatus est, ut fortem se & constantem præberet: ducturum enim Israelitas in terram, quam Deus illis iureiurando promisisset, ipsumq; Deum ei adfuturum. ¶ Ac postquam perscripsit Moses uerba legis huius in libro, atque absoluit, Leuitas arcæ fœderis Iouæ gestores sic alloquitur: Accipite hunc legis librum, & ad latus arcæ fœderis Iouæ Dei G
uestri reponite, ibi testimonio contra uos futurum. Ego enim noui contumaciam uestram, & ceruicis duritiem: qui cum hodie, me adhuc uobiscum uiuente, rebelles fueritis in Iouam, quid post meum interitum futurum est? Congregate ad me omnes uestrarum tribuum senatores, uestrosq; magistratus, quibus audientibus hæc uerba eloquar, cœlumq; & terram tester in eos. Scio enim, uos post meam mortem corruptum iri, & à uia, quam uobis præcipio, recessuros, uobisq; malum longo pòst tempore euenturum, quoniam scelere uestro Iouam offenderitis, eum uestrarum manuum opere irritando. Ergo effatus est Moses in auribus totius Israelitarum conuentus, carminis huius uerba ad finem usque.

CAPVT XXXII.

Mosis carmen. Attendite cœli, dum loquor: audi terra uerba oris mei. Destillabit in modum pluuiæ mea doctrina, fluet ut ros oratio mea: ut imber in stirpes, ut minuta pluuia in herbas. Etenim Iouæ nomen appellabo: tribuite Deo nostro magnitudinem, cuius numinis & integra opera, & omnes rectæ sunt rationes: qui fidelis, iniquitatis expers, iustus, rectus'que Deus est. Ab hoc, suo uitio degenerant non dicam eius filij, sed perdita profligata'que natio. Hæccine Iouæ rependis, ô populus stulte, atque insipiens? non'ne is tuus pater est, qui te comparauit? non'ne tuus conditor, atque autor? Recordare prisca tempora, cõsidera perpetuorum seculorum annos: percontare patrẽ tuum, qui tibi referet: senes tuos, qui tibi narrabunt: **B** Supremum, cũ gentibus possessiones partiretur, hominumque genus diuideret, cæteris nationibus fines pro numero Israelitarum assignasse. Nã Iouæ pars est eius populus, eius possessionis sors Iacobei sunt: quos in deserta, inaccessa, ferali, uastaque terra nactus, circũduxit, edocuit, tanquam sui pupillã oculi custodiuit: ut aquila nidum suum excitans, sese supra pullos suos uibrat, alis'que passis exceptos pennis suis tollit. Ioua solus, nullo cum peregrino deo, illos deduxit, & in [a] fastigia terrarũ subuexit, ubi agrorum prouentibus uescerẽtur: & melle de rupe, & oleo de rigida caute lactauit: **C** butyro bubulo, lacte balantum, necnon adipe agnorum, opimorumque arietum, & hircorum, unà cũ pingui flore tritici, & meri uuarum sanguinis potione. At probi pinguefacti recalcitrarunt: pinguefacti, obesi, farcti, Deum conditorem suum reliquerunt, numen salutis suę despicati sunt. Eum per alienos irritarunt, per scelera incenderunt, dæmonibus, non Deo, sacrificantes, dijs sibi ignotis, qui noui recens uenerunt, maioribus uestris non formidati: numinis genitoris uestri immemores, Dei uestri creatoris obliti. Hæc uidens Ioua, hanc liberum suorum improbitatem indignè fert, & ita fatur: Abscondam ab eis uultum meum, uidebo quem habituri sint exitum. Sunt enim peruersa natio, filij perfidi, *Rom.10.d* qui me per non Deũ irritarũt, per sua illa inania incẽderunt: quos ego uicissim per non populum irritabo, per gentem demẽtem incendam. **D** Nam incensus iracundia mea ignis, ad ima usque tartara exardescet, cum'que suis terram frugibus consumet, & montes adusque fundamenta inflammabit. In illos mala congeram, in illos missilia mea consumam: nec solum fame adedentur, lueque, & acerbissimo absumẽtur exitio, uerumetiam in eos & quadrupedum dentes, & humi serpentium uirus immittam. Foris grassabuntur, arma intra penetralia consternatio, in iuuenes iuxtà ac uirgines, in lactentes atque canos. Et quidem statueram eos ita profligare, eorũ ut memoriã ex hominibus tollerem: nisi uererer, ne hostes, eorum aduersarij (qua sunt improbitate) seipsos ignorantes, hoc totum factum suis præclaris uiribus, non Iouæ, tribuerent: quippe natio rationis expers, atque prudentiæ. Qui utinam tãtum saperent, ut hoc intelligerent, & eorum exitum sic considerarent: **E** fieri'ne posset, ut persequeretur unus mille, & duo fugarẽt decem millia, nisi illos ipsorũ numẽ dederet, nisi Ioua addiceret? Neque enim numini nostro par est illorum numẽ, uel hostium nostrorum iudicio. Nam de uitibus Sodomitanis illorum uites sunt, deque Gomorranis agris: quibus uuæ felleæ, quibus acerbi sunt racemi, quarum uinum uirus est draconũ, dirumque fel aspidum. Hoc est sanè apud me conditum, meis in capsis obsignatum: mea est ultio, & remuneratio, tum cum titubabit eorum pes: *Eccl.28.a Rom.12.d Hebr.10.c* nam propinquat eorum dies interitus, properãt eorum fata. Patrocinabitur enim Ioua suo populo: super suis flectet animum, cum uidebit eos **F** languente manu planè oppressos, atque destitutos: & ubi'nam sunt eorum dij (inquiet) quorum numine freti fuerunt? quorum & adipe sacrificio uescebãtur, & libatorium uinum bibebant? surgant, & uobis opitulentur, præsidioque sint. *1.Reg.2.b Tob.13.a Sap.10.b* Cognoscite iam me, me, neque quenquam Deum esse præter me, qui interficiam, & in uitam reuocem: qui uulnerem & sanem, nullo mihi de manu eripiẽte. qui elata in cœlũ manu sic loquor: Ita semper uiuã, ut si mei ensis aciem acuero, causamque in manũ sumpsero, ita ab infestis meis pœnas repetam, ita in osores meos animaduertã, ut & tela mea sanguine inebriẽ, & gladium carne pascam: illa occisorum, captiuorumque sanguine, hunc hostis capitali supplicio. *1.Mach.7.b* Decantate, ô gentes, eius populũ, quoniam & suorum sanguinem ulciscetur: & sumpto de suis aduersarijs supplicio, suorum terræ placabitur. **G** ¶ Igitur Moses unà cum Hosea Nunis filio populum adijt, & omnibus Israelitis audientibus, omnia carminis huius uerba elocutus est. quibus finitis, eos ita cohortatur: Attẽdite animis uestris omnia uerba, quibus ego uos hodie commonefacio, quæ uestris liberis præcipiatis, ut omnia legis huius uerba curent exequenda. Neque enim hæc res nihil ad uos pertinet: nam in ea sita uobis uita est, & per hãc rem diu ætatem producetis in terra, ad quã occupandam Iordanem transituri estis. Eodem die Ioua Mosem affatus est in hunc modum: *Num.10* Ascende in istum montem Abarium, montem Nabonem, qui est in Moabitarum finibus è regione Hierichuntis, & aspicito Chananæam (quam ego terram Israelitis possidendam trado) in eo monte in quem ascenderis, moriturus, & ad populares tuos aggregãdus: ut mortuus est Aharon frater tuus in mõte Hore, & ad populares suos allectus: *Num.20.& 27.* quoniam culpã in me commisistis in medio Israelitarum, ad aquã iurgij, in Cade Sinis solitudine, quatenus non me sanctum habuistis apud Israelitas. Nam terram quidẽ, quam ego sum daturus Israelitas, ex aduerso uidebis, sed in eam non peruenies.

[a] excellentissimam terrarum.

CAPVT XXXIII.

Mosis uerba nouissima. Hæc est autem fausta precatio, qua Moses, diuinus homo, Israelitis ante suã mortem bene precatus est. Ioua de Sina uenit, inquit, ex Seire exortus est eis, patuit ex monte Pharane,

Pharane, uenitq; ob sacras legiones, ignem [Sap.7.b] disciplinæ eis habens ad dexteram suam, hominum sanè amator, cuius sancti omnes sunt in manu tua, & quidē ad pedes tuos prosternuntur, eo de tuis dictis sumente. Legem tulit nobis Moses, reipub. Iacobeorum possidēdam: & fuit inter probos rex, coeuntibus populi capitibus, unà cum tribubus Israelitarum. Viuat Ruben, non moriatur, sed sit numero paucus.

[B] Hoc autem de Iuda inquit: Exaudi Ioua uocem Iudæ, eumq; ad suos deduc: suæ ei manus satis sunt, te ei contra eius perduelles auxiliāte.

Ad Leuim autem inquit: Tua integritas & claritas est tui uiri clementis, quem lacessiuisti apud Massam: cum quo iurgasti ad aquā iurgij, qui negat se patrem aut matrem scire, neq; fratres agnoscit, neque filios nouit: [Matth.12.c] sed qui tua dicta conseruant, tuumq; fœdus tuentur. Sententias tuas Iacobeos, legem tuam Israelitas docebunt: suffitum naribs tuis admouebunt, & totas uictimas aræ tuæ imponent. Prospera Ioua uires eius, & eius manuum operi faue: sic elumba eius infestos atque osores, ut resurgere nequeant. Super Beniamine dixit: Iouæ dilectus tutò apud eum habitabit, ipso semper eum protegente, & inter eius humeros habitante. [C] Super Iosepho uerò dixit: Felix Iouæ dono terra eius, à prouentu cœlesti, à rore, & à subiacente [a] profundo, à prouentu reddituum solarium, à prouentu maturitatis lunaris, à capite montium perennium, à prouentu collium æternorum, [Exod.3.a] à prouentu & copia terræ, & fauore habitatoris rubi, quæ capiti Iosephi, quæ uertici præstantissimi fratrum uentura sunt. Primogenitus bos eius maiestate præditus est, & cornibus monocerotijs, quibus populos protinus ad extremum terrarum arietabit. Atque huiusmodi sunt Ephraimi legiones, huiusmodi Manassis cohortes. Tum super Zabulone dixit: Lætare Zabulon in egressu tuo, & Issachar in tabernaculis tuis. Populos in montem inuitabunt, tibi iustitiæ sacrificia facturos: nam affluentiam marinam sugent, & obrutos arenę thesauros. Item super Gado: Grates Gadum explicanti, leonis ritu consistenē, & brachium cum uertice rapientē. Hic, ut sibi primùm animaduertit tractum operti rectoris, populi principes adiuit, iustitiæ & iuris Iouæ munere functus est erga Israelitas. [D] Item super Dane: Dan catulus leonis, ex Basana exiliens. Item super Nephthali: Nephthalis fauore satur, & plenus munificentia Iouę, occidentalia & meridiana occupabit. Item super Asere: Fortunatus filijs Aser, erit fratribus suis fauorabilis, & pedem suum oleo intinget. Ferrea æreaq; claustra tua, & robur ætati tuæ consentaneum. Nullus est Deo proborū par, qui cœlis inequitat in tuum auxilium, & est in suo ęthereo fastigio. Dei domicilium perēne est, & subter sunt brachia sempiterna, expelletq; ante te hostem, & eum iubebit euertere. [Iere.33.b] Itaq; habitabit Israel tutò separatim, adijciet oculum Iacobus ad terram frumēti uiniq; feracem, illius cœlis rore destillantibus. Beatus es, ô Israel, quis tibi par est, ô popule cō seruate per Iouam, auxilij tui clypeū? quiq; est tui fastigij gladius? Tibi subijcietur hostes tui, eorumq; cacumina proculcabis.

[a terræ solo.]

CAPVT XXXIIII.

TVm Moses ex campis Moabiticis ascendit in Nabonem montē, in iugum Phasge, [2.Mac.2.a] è regione Hierichūtis positi, eiq; ostendit Ioua totā Galaaditidem usq; ad Danem, omnemq; Nephthalensem & Ephraiminam, & Manassensem regionem, Iudæamq; usq; ad ultimum mare: tum australem, & campum Hierichuntis, urbis palmiferæ, usque ad Sigorim. [Gene.12.b & 15.d] Et hæc, inquit, terra est, quam Abrahamo, Isaaco, & Iacobo iuraui me eorum semini daturū esse: [B] eam tibi tuis oculis uidendam subijcio, sed eò non transibis. Atque hic mortuus est Moses, Iouæ seruus, in terra Moabitarum, ante os Iouæ, qui [Moritur Moses.] eum sepeliuit in ualle quadam in terra Moabitica, secundum Bethphegor, neque quisquam hominum hactenus eius sepulchrum sciuit. Mortuus est annos natus centū & uiginti, cum neque oculis caligaret, neque uiriditatem amisisset. [C] Eum luxerunt Israelitæ in campo Moabitico triginta dies, quo lugendi Mosis spacio finito, Iosuæ Nunis filio plena afflato sapientia (nam Moses ei manus imposuerat) paruerunt Israelitæ, feceruntq; ut Mosi Ioua præceperat. Neq; extitit adhuc ullus in Israelitis par Mosi uates, Iouæ tam familiariter noto, tot ostentis [D] & miraculis, quę in Pharaonem Pharaoniosq;, & eius terram designaturus missus est à Ioua in Aegyptum: tum tanta illa potestate, tot tantisque prodigijs, quæ cunctis spectantibus edidit Israelitis.

IOSVA.

CAPVT I.



OSTQVAM Iouæ seruus Moses mortuus est, Ioua Mosis administrum Iosuam Nunis filiū allocutus est in hunc modū: [Deus Iosuæ præcepta dat.] Quandoquidem meus seruus Moses mortuus est, age tu, traijce Iordanem istum, unà cum omni isto populo Israelitico, in terram quam ego eis dono.

Quocūq; uos in loco pedum uestigia urgebitis, [Deut.11.e] eum uobis ego do, sicut Mosi sum pollicitus. A solitudine & Libano illo, ad fluuium magnum Euphratem, quæ omnis Hettæorum terra est, & ad mare, qui solis est occasus, uestri fines patebunt. Nemo ante te consistet, quādiu uiues: ac quemadmodum Mosi adfui, ita tibi [Hebr.13.a] adero, nec unquam te destitutum relinquam. Collige te & cōfirma: nam tu isti populo, terrę, quam ego me eis daturū esse maioribus eorum iuraui, hæreditatem herciscēris. [B] Tantum fortis infractusq; esto, & da operam, ut omni legi,

quam tibi Moses meus tulit, ita obedias, ut neque ad dexteram, neq; ad sinistrā deflectas, quo prudenter quocunq; ibis, te geras, legis eius librum nunquam non in ore habendo, deq; eo dies noctesq; cogitando, ut omnia in eo scripta cures exequenda. Nam ita tibi res & prosperè cadent, & prudenter gerentur. Ego te iubeo firmo & constanti esse animo, ab omniq; terrore

C

& formidine uacuo, quoniam tibi Ioua Deus tuus ubique est adfuturus.

Iosua magistratus monet, ut se ad Iordanē traijciendum parent.

¶ Tum Iosua populi magistratibus mandauit, ut castra obirēt, populoq; præciperent, ut sibi commeatum præparent. Nam post triduum traiecturos esse Iordanem illum, & terrę possessionem inuasuros, eis à Ioua Deo suo datam. Deinde cum Rubenitis & Gadinis, & dimidia tribu Manassis, ita locutus est: Recordamini quid uobis Iouæ seruus Moses præceperit, scilicet, ut quoniam uobis Ioua quietem & terram istam dedisset ipsi (depositis in terra uobis ab ipso Mose cis Iordanem data, uestris mulieribus & paruulis) expediti ante uestros consanguineos traijceretis, eisq; auxilium ferretis, quicunque ad militiam

Num. 33.

D

essetis idonei, donec ipsi quoque, ut & uos, à Ioua quietem essent adepti, & terræ sibi à Ioua Deo uestro datæ possessionem consequuti, ut deinde in uestræ possessionis terram rediretis, eamq; possideretis uobis à Iouæ seruo Mose tributam cis Iordanem ad orietem. Tum illi Iosuæ respondent, quicquid ipse iussisset, esse facturos: & quocunque misisset, ituros: eiq; planè, ut Mosi obtemperassent, esse obtemperaturos: adesset modò ei Ioua Deus eius, sicut adfuerat Mosi. quisquis eius imperium detrectasset, & præcepta omnia non executus esset, moriturum: tantum fortis esset, atque strenuus.

CAPVT II.

Mittit Iosua exploratores in Chananæā.

DEinde misit Iosua Nunis filius ex Setimo homines duos, exploratores occultos, quibus mandauit, ut exploratum irent cùm cęteram regionem, tum Hierichuntem. Qui cum eò uenissent, diuerterunt in domum meretricis cuiusdam mulieris, Rachabę nomine, ut ibi cubarent.

Rachaba. Iacob. 2. d Heb. 11 f

Cum autem esset Hierichuntis regi nunciatum, homines illò in eam noctem ex Israelitis uenisse ad explorandam regionem, misit qui Rachabæ iuberent, ut homines, qui domum ad eam uenissent, produceret, qui quidem ad explorationem totius regionis uenissent. Mulier cum ambos occuluisset, respōdet, ad se quidē uenisse homines, qui cuiates essent, nesciret: sed eos cum cōtenebraret, & esset claudenda porta, egressos esse: quò iuerint, se nescire: si celeriter persequantur, assecuturos esse. Subduxerat autem eos in tectum, & lini fasciculis occultarat, quos in tecto repositos habebat. Igitur illi eos uersum uada Iordanis insecuti sunt, eisq; ad persequēdum egresis, clausa porta est. At ipsa ad eos nondum cubantes in tectum ascendit, & cum eis loquitur in hunc modum: Scio ego Iouam hanc uobis dedisse terram, nosq; tāto uestri terrore perculsos esse, ut omnes incolæ animos abiecerint. Audiuimus enim, ut uobis ex Aegypto migrantibus, Ioua rubri maris aquas siccauerit, ut'que uos duos Amorræorum reges transiordaninos, Sehonem & Ogum tractaueritis, quos quidem funditùs deleuistis:

Num. 21. f

quæ res audita tanto nostros animos terrore labefactauit, ut nemo iam cōtra uos animo consistat, quorū Deus Ioua & supra in cœlo, & infra in terris Deus sit. Quocirca iurate mihi per Iouam, si ego uos beneficio meo demerita fuero, uos quoque meæ domui paternæ parem esse gratiam relaturos: & mihi certum signum date, quo meos parentes, fratres, sorores, quæq; habent omnia conseruetis, animasq; nostras à morte defendatis.

C

Cui illi sic respondēt: Vitam nostram pro uobis ad mortem offerimus (si modò uos hoc nostrum negocium non indicabitis) ni tibi istā gratiam, cum nobis terram Ioua dederit, fideliter referemus. Tum illa eos per funem demisit per fenestram (erat enim domus eius coniuncta mœnibus, utpote quæ esset summœnia) monuitq; ut in montem contenderent, ne qui eos persequebantur, in eos incurrerent: ibiq; triduum laterent, donec reuersis qui persequebantur, postea pergerent. Illi autem cum ea ita locuti sunt: Nos istius, quo tu nos obstrinxisti, iurisiurandi religione liberabimur hac ratione. Cum nos terram hāc inuaserimus, tu laqueum istum coccineum fenestræ, per quam nos demisisti, alligabis, tuis parentibus fratribus'que, & uniuersa paterna familia domum ad te congregata. Quisquis autem extra domus tuę fores

D

exierit, suo periculo fecerit, & nos aberimus à culpa. Quicquid uerò domi apud te erit, id si quis attigerit, nos luemus. Quòd si hanc rem palàm feceris, nos erimus ab hoc, quo tu nos obstrinxisti, sacramento liberi. Tum illa conditionem accepit, illosq; dimisit: & eis digresis, laqueum coccineum fenestræ alligauit. Illi in montem ire cōtenderunt, illicq; triduum commorati, cum iam qui persecuti fuerant, tota uia peruestigata, ijsq; non inuentis, reuertissent, ambo conuerso itinere de monte descendūt, & flumine traiecto, ad Iosuam Nunis filium perueniunt, eiq; omnia quæ sibi accidissent, exponunt, & totam regionem ostēdunt à Ioua ipsorum subijci potestati, omnibus incolis eorum metu labefactatis.

Redeūt ex Chananæa exploratores.

CAPVT III.

Accedūt ad Iordanē Israelitæ.

IGitur postridie Iosua, ubi surrexit, à Setimo castra mouit, & ad Iordanem cum omnibus Israelitis peruenit, ibiq; antè quàm traijcerent, pernoctarunt. Præteritis tribus diebus, magistratus per castra eunt, populoq; præcipiunt, ut cum arcam fœderis Iouæ Dei sui à sacerdotibus Leuitis portari uiderint, loco se moueant, eamq; sequantur: sed interposito inter ipsos & arcā tanto spacio, ut ad eam non accedant propius, quàm ad circiter bis mille cubitos, quo uiam, per quam sint ituri, uideant. neque enim ea uia ingredi solitos esse antea.

B

Tum Iosua populo ut lustraretur indixit, quoniam postridie apud eos mira facturus esset Ioua. Deinde sacerdotibus mandauit, ut fœderis arcam tollerent, populoq; anteirent. Itaq; illi, arcam portantes

tantes, populum antecesserunt. Iosuæ autem sic Ioua dixerat: Ego te hodierno die in oculis Israelitarum magnum facere incipiam, ut intelligant me, quemadmodum Mosi adfui, sic tibi adfuturum esse. Tu præcipe sacerdotibus fœderis arcam gestantibus, ut cum ad aquæ Iordanis extremũ uenerint, in ipso Iordane consistant. Et Iosua Israelitis ita locutus est: Adeste, & Dei uestri Iouæ dicta audite. Hinc scietis, Deum immortalem inter uos uersari, & uobis

C Chananæos, Hettæos, Heuæos, Pherezæos, Gergesæos, Amorræos, & Iebusæos exacturũ esse. Iam arca fœderis Domini totius orbis ante uos per Iordanem transitura est. Quare adhibete uiros duodecim ex tribubus Israelitarum, singulos ex singulis. Nam simulatque sacerdotes arcam fœderis Iouæ totius orbis Domini portãtes, pedum uestigia in Iordanis aqua posuerint: fiet, ut diuiso Iordanis amne, aqua superne defluens restet in unum cumulum. Igitur populo de suis tabernaculis ad Iordanem traijciendum proficiscente, sacerdotibus fœderis arcam populo præferentibus, simulac fœderis arcam gestantes sacerdotes ad Iordanem peruenerunt, & eorum pedes extrema aqua tincti sunt (solet autem Iordanis toto messis tempore ad summas abundare ripas) restitit superne defluens aqua, & in cumulum assurrexit longissime, ab Adama oppido ad latus Sarthanis posito, & ab ea diuulsa inferior in salsum planiciei lacum dilapsa exhaustaq; est. Populus autem cõtra Hierichuntem traiecit, sacerdotibus, qui Iouæ fœderis arcam portabant, in sicco, medio in Iordane fixis astantibus, omnibus Israelitis per siccum transeuntibus, donec gens tota Iordanem pertransijt.

Iordanis sicco pede traijcitur. Psal. 113.a Acto. 7.f Eccl. 24.c

CAPVT IIII.

TRaductis omnibus, Ioua Iosuæ mandauit, ut homines duodecim de singulis tribubus singulos deligerent, quibus præciperet, ut inde ex medio Iordanis ex eo ipso uestigio, in quo sacerdotum fixi pedes steterant, lapides duodecim caperent, quos secum ferrent, & in proximæ noctis statione ponerent. Et Iosua cõuocatis illis duodecim uiris, quos ex singulis Israelitarum tribubus destinarat, negocium dedit, ut ante Iouæ Dei sui arcam in medium Iordanem procederent, & singulos lapides in humeros suos tollerent, pro numero tribuum Israelitarum: Vt hoc apud uos manẽte, inquit, indicio, si quando uestri nati ex suis patribus quæsiuerint, quorsum uobis pertineant isti lapides: respondeatis, arca Iouæ fœderis Iordanem trãseunte, dispertitas fuisse Iordanis aquas

B eius aduentu, cuius rei monimentum lapides istos Israelitis esse sempiternum. Igitur Israelitæ Iosuæ mandato paruerunt, lapidesq; duodecim ex medio Iordane sustulerunt, ut Ioua Iosuæ mandauerat, ad Israeliticarum tribuum numerum, quos secum in stationem deportarunt, & illic posuerunt. Iosua quoq; duodecim lapides erexit in medio Iordane, quo loco steterant pedes sacerdotum fœderis arcam portantium, qui lapides illic sunt adhuc. Sacerdotes autem arcam portantes, in medio Iordane steterunt, donec omnia quæ Ioua Iosuę populo dicenda, & eidem Iosuæ Moses præceperat, ad illius pręscriptum peracta sunt. Deinde traducto celeriter omni populo, antecessit arca Io- C

Lapides duodecim ex Iordane ad traiectionis monimentũ sublati.

uæ, & sacerdotes, populum. Rubenitę quoque Gadiniq;, & dimidia tribus Manassis, expediti ante Israelitas, sicut eos Moses fuerat hortatus, *Num. 32.d* in Hierichuntiũ campum transmiserunt coram Ioua, hominum circiter quadraginta millia, ad bellum procincti. Illo die Ioua Iosuam ita magnum apud omnes Israelitas reddidit, ut eum quãdiu uixit timuerint, sicut antea Mosem fecerant. Igitur Iosua ex Iouæ mandato, sacerdotibus Oraculi arcam ferentibus iussit, ut ex Iordane exirent: qui simulac Iouæ fœderis arcam portantes egressi, pedum uestigia in sicco pressserunt, redijt aqua Iordanis in suum statum, & omnibus ripis abundans, sicut antea solebat defluxit. Discessit autem populus à Iordane D decimo die mensis primi, & in Galgalis in extremo orientis Hierichuntis castra posuerunt. Illos uerò duodecim lapides, quos ex Iordane sustulerunt, erexit Iosua in Galgalis, & Israelitas admonuit, ut si quando parentes à natis interrogarentur, quid sibi uellent illi lapides, demonstrarent eis, Israelitas Iordanem illum per siccum traiecisse, cum quidem Ioua Deus ipsorum Iordanis aquas exiccauisset ad eorum traiectionem, quemadmodum idem mari rubro *Exod. 14.e* fecerat, quod ad eos traducendos siccauerat: ut & omnes terrarum nationes, quàm esset Iouæ manus potens, intelligerent, & illi Iouam Deum suum semper metuerent.

CAPVT V.

POstquam intellexerunt reges omnes Amorræi cisiordanini occidentales, & omnes Chananæi reges maritimi, ut Ioua Iordanis aquam ad Israelitarum transmissionem siccauisset, incredibili Israelitarum terrore exanimati sunt. Eo tempore Iosua, ex Iouæ mandato, factis cultris lapideis, Israelitas iteratò circumcidit in colle præputiorum: cuius circumcisionis ratio fuit, quòd omnib. maribus, qui ex Aegypto exierant, qui modò arma ferre possent (qui quidem fuerant omnes circumcisi) mortuis in itinere per deserta, quotquot in eo itinere per deserta, post emigrationem ex Aegypto, nati fuerant, non erant circũcisi. Nam quadraginta annis iter fecerunt Israelitæ per deserta, usq; ad internecionem uniuersi generis eorum, qui ad militiã idonei ex Aegypto migrauerant: quos Ioua, quoniã sibi dicto audientes non fuissent, iurauerat, non esse terra potituros, quam lacte melleq; scatentem maioribus nostris sese nobis daturum esse iurauerat, quorum in locum substitutos ab eo filios eorum Iosua circumcidit. C Erant enim præputiati, utpote in itinere non circumcisi. Igitur peracta totius gentis circũcisione, commorati sunt ibidem in castris, donec reualescerent. Dixit autem Ioua Iosuæ, sese eos eo die exuisse probro Aegyptio: unde locus ille Galgala ad hũc diem uocatur. Igitur in Galgalis castra habentes Israelitæ, Pascha egerunt

Circumciduntur Israelitæ. B

Galgala.

decimoquarto die mensis, uespere, in campo Hierichuntio, deq; illius terræ frugibus postri die Paschæ: hoc inquam die comederunt sine fermento panes, & tostas fruges. Ac postridie eius diei, quo terræ fruges gustauerunt, desijt Manna, neque eam deinceps habuerunt Israelitæ: eoq; anno Chananeæ prouentu usi sunt: Interea cùm esset apud Hierichuntem Iosua, animaduertit hominem sibi ex aduerso stantem, strictum'que ensem manu tenentem, ad quem accessit, & ei ita dixit: Noster'ne es, an hostium? Cui ille: Imò ego dux exercitus Iouæ nunc uenio, inquit. Tum Iosua ad terram pronus accidere, honoremq; ei præbere, & ita dicere: Quid tu mecum Domine loqueris? Cui ille dux exercitus Iouæ ita dicit: Detrahe tibi calceos de pedibus, inquit: nam locus iste sacer est. Et Iosua ita fecit.

Cessat Manna. D *Genium Israeliitarum ducem alloquitur Iosua.* *Exod. 24. c*

CAPVT VI.

ERat autem Hiericho, propter Israelitas, ita clausa & præsidijs munita, ut nemo uel exiret, uel intraret. Ergo Ioua cum Iosua locutus est ita: Scito me Hierichuntem, & eius regem & milites, in tuam manum tradere. Cæterùm uos omnes milites urbem semel in ambitum circuite, idemq; sex diebus facite, septem sacerdotibus septem tubas buccinas arcæ præferentibus. At die septimo urbem septies circuite, sacerdotibus tubis sonantibus. Cumq; cornu buccino prolixè clangente, tubæ sonitum audietis, uniuersus populus ingenti clamore ouet, & concident urbis mœnia eodem uestigio: inuadetq; populus quà quisque erit. Tũ Iosua Nunis filius, euocatis sacerdotibus, mandat ut arcam tollant, & eorum septem totidem buccinas tubas Iouæ arcæ præferãt. Deinde populo præcipit, ut ad circumeundam urbem procedant, armatis Iouæ arcam præcedentibus. Igitur Iosua populum allocuto, septem sacerdotes totidem tubas buccinas ferentes, arcam Iouę fœderis antecedebant, tubisq; clangebant, arca eos canentes subsequente: armatis autem præcedentibus, & promiscuo uulgo arcam sequente, cum inter eundum tubis sonaretur. Præceperat autem Iosua populo ne ouarẽt, aut uocem emitterent, aut uerbum ullum ore proferrent, usque ad diem quo ipse eis ouare imperaret: tunc enim ouarent. Postquam Iouæ arca urbem uno ambitu circuiuit, in castra reditum est, & in eis pernoctatũ. Postridie quoq; ubi Iosua surrexit, sustulerunt sacerdotes arcam Iouæ, & septem sacerdotes totidem tubas, ante arcam ferentes, arcam'præcedebant, & clãgendo tubis incedebant, armatis eos antecedẽtibus, uulgo autem arcam subsequente, clangentibus inter eundum tubis. Ad hunc modum semel die secundo circuita urbe, castra repetiuerunt, idemq; sex diebus fecerunt. Septimo die ad ortum auroræ surrexerunt, urbemq; eodem modo septies circuiuerunt, id quod solo septimo die fecerunt. Septimo autem circuitũ, sonuere tubis sacerdotes, & Iosua populo dixit: Ouate, nam urbem uobis addicit Ioua, ita ut & ipsa, & quæcunque sunt in ea, Iouæ deuota sint, Rachaba duntaxat meretrice, & omnibus quæ domi apud eam sunt, conseruatis, quoniam missos à nobis nuncios occultauit. Vos uerò à deuotis abstinete, ne si quid inde ceperitis, magnas isto sacrilegio turbas, & exitium castris Israelitarum confletis. Omne argẽtum, aurum, ænea, ferreaq; uasa, Iouæ sacra sunt, in eius fiscum referenda. Tum illi, cum sacerdotes tubis clangerent, audito tubæ sonitu, ingenti cum clamore ouare: collapsisq; eodem uestigio mœnibus, in urbem, qua quisque in parte erat, ascendere, eamq; capere, & omnia quæ in urbe erant, uiros, mulieres, iuuenes, senes, boues, oues, asinos, ferro perimere. Mandauerat autem Iosua duobus illis qui regionem explorauerãt, ut meretricis illius domum adirent, eamq; illinc cum suis omnibus educerent, sicut ei iurauerant. Itaq; adiuerunt illi iuuenes exploratores Rachabam, eamq; cum suis parentibus, fratribus, & omnibus suis, cũq; omni sua propinquitate, foràs in castra Israelitarum eduxerunt, & ibi reliquerunt. Vrbem autem, & quæ in ea erant, omnia igni cremauerunt, duntaxat argẽto & auro, æreisq; & ferreis uasis in Iouanæ ædis fiscum relatis. Rachabam autẽ meretricem, eiusq; paternã familiam, & facultates omnes, Iosua conseruauit, eaq; inter Israelitas ad hunc usque diem mãsit, ob occultatos ab ea nuncios, quos Iosua Hierichuntem exploratum miserat. Eo tempore Iosua diram deprecationem pronũciauit his uerbis: Infelix sit apud Iouam homo qui hanc urbem Hierichuntem instaurare aggressus fuerit: is eius fundamenta in sui primogeniti interitum iaciat, & portas in suorum filiorum natu minimi perniciem collocet. Et Iosuæ quidem aderat Ioua, eiusq; fama toto orbe ferebatur.

Hierichũtis capiendæ ratio præscribitur. B C *Capitur Hiericho. Heb. 11. f 2. Mac. 11. f* D *Rachaba cõseruatur* *Diræ in Hierichuntis instauratorem. 3. Reg. 16. g*

CAPVT VII.

SEd contraxerunt Israelitæ culpam sacrilegio. Cæpit enim Achan Charmis filius, Zabdis nepos, Zaræ pronepos, ex tribu Iudæ, de rebus deuotis: unde succẽsuit Israelitis Ioua, sicuti iam narrabo. Misit Iosua homines ab Hierichunte ad Haim, sitam apud Bethauen, ab oriente Bethelis: eisq; mandauit, ut regionem illam irent exploratum. Illi profecti sunt, explorataq; Hai, ad Iosuam redeunt, eiq; referunt nihil opus esse, ut omnes illò proficiscantur: sed circiter tantum duo aut tria millia, qui Haim expugnent, néue omnes eò ductos fatiget: esse enim paucos Haienses. Ita eò profecti sunt ex populo circiter tria hominum millia, qui fusi sunt ab Haiensibus, cæsis suorũ ad trigintasex in descẽsu, Haiensibus eos à porta ad Sabarim usq; persecutis. Hęc res hominum animos non mediocri terrore labefactauit. Tũ Iosua, scissis uestimentis, humi pronus iacuit ante arcã Iouæ ad uesperũ, unà cum Israelitarum senatoribus, puluere conspersis eorũ capitibus, atq; ita questus est: Eheu Domine Ioua, cur hũc populum Iordanẽ traduxisti, ut nos Amorræis perdendos addiceres? qui utinã potius trãs Iordanem remansissemus. O' Domine, quid dicam, postq; Israelitæ terga uerterunt hostibus? quod cum audiuerint

Achan sacrilegus. *Cæsi ab Haiensibus Israelitæ. Iosua ad Iouam de clade conqueritur.* B

audiuerint Chananęi & omnes incolę, circũsidebunt nos, nostrumq; nomen de orbe terrarũ auferent: ecquid tu isto magno nomine facies? Cui Ioua ita respõdit: Surge, cur tu ita pronus iaces? peccauerũt Israelitæ, cõtraq; fœdus eis à me præceptũ fecerũt, & ex deuotis cęperũt: furati sunt, mẽtiti sunt, cõuasarunt: ideoq; hostiũ suorũ uim nõ sustinentes, terga uertũt, utpote sacrati: neq; ego deinceps uobis affuturus sum, nisi de medio uestri sacrilegũ sustuleritis. Surge, lustra populũ, & iube ut in crastinũ lustrati sint. Sic enim Iouã Israelitarũ Deum dicere, sacrilegum esse inter Israelitas, ante quẽ de suorũ numero sublatũ, non poterũt hostiũ impetum sustinere.

Iubet Deus sacrilegum puniri.

C

Quãobrem crastino mane sortimini in tribus: ac quam tribũ à Ioua designari cõtigerit, sortimini in eius cognationes, & porrò de cognatione in domũ, indeq; in uiros: quiq; sacrilegij cõpertus fuerit, is cum suis omnibus igni cremetur, qui Iouanũ fœdus uiolauerit, et in Israelitis scelus cõmiserit. Igitur manè Iosua ubi surrexit, in Israelitarũ tribus sortes iecit: captaq; Iudæ tribu, sortitus est in eius cognationes, & cõperta Zarana cognatione, sortitus est in uiros: designatoq; Zabdi, sortitus est in eius domũ uiritim: cõpertusq; est Achan Charmis filius, Zabdis nepos, Zaræ pronepos, tribus Iudæ. Et Iosua Achanem sic alloquitur: Fili, tribue hanc Iouæ Israelitarũ Deo gloriã, ut apud eum cõfiteare uerum: & mihi quid feceris, sine ulla simulatione declares. Achan uerò apud Iosuam, sese in Israelitarum Deum Iouã peccasse cõfitetur, & quemadmodũ fecerit demonstrat. Sese enim, cum in præda animaduertisset egregiam chlamydem Babylonicã, & ducentos argenti siclos, aureamq; linguam quinquaginta siclos pendentẽ, inductũ cupiditate, ea cępisse: & nunc obruta esse terra in medio suo tabernaculo, argẽtumq; subter esse.

D

Tum missi à Iosua nuncij in tabernaculũ currũt, illisq; inuentis in tabernaculo abditis, argento subter posito, ea inde capiũt, & ad Iosuam adq; omnes Israelitas relata, corã Ioua effundunt. Et Iosua Achanem Zaræ filium, argentumq; & chlamydem, & auream linguam, & eius filios, & filias, & boues & asinos, et pecus, & tabernaculũ, et quicquid habebat ille, comitantibus omnibus Israelitis, in uallẽ Achoris[a] subducit. cumq; hæc uerba pronunciasset, Quoniam tu nos perturbasti, Ioua te hodierno die perturbabit: illum omnes Israelitæ lapidarunt, eaq; igni combusta lapidibus obruerunt, & super eum magnum lapidum tumulum aggesserũt, qui etiamnum manet. Ita sedata Iouæ ira est, indeq; locus ille uallis Achoris ad hunc usq; diem nominatur.

Iidem Achor & Achan est.

Lapidatur Achan.

CAPVT VIII.

DEinde Ioua Iosuæ mandat, ut omisso timore atq; formidine, Haim omnibus copijs adoriatur: sese enim ei in manum traditurum esse Hais regẽ, eiusq; homines & oppidũ atq; terrã, ita ut Hai eiusq; rege utatur, quomodo Hierichũte & eius rege usus esset, sic tamen ut eius prædam & pecudes ipsi sibi diriperent: iubetq;, ut aduersus Haim insidias post eã collocet. Igitur Iosua cũ omnibus militibus Haim parat aggredi: delectisq; triginta hominũ fortissimorum millibus, eos noctu dimittit, eisq; ita imperat. Attendite, Vos post oppidum in insidijs eritis omnes parati, neque ab oppido longius discedetis: ego cum omnibus copijs ad oppidũ accedã: illisq; in nos, ut antè fecerunt, erũpẽtibus, fugiemus.

B

Tũ illis in nos egressis, & extra oppidũ pellectis (nobis enim fugã simulãtibus, arbitrabũtur nos fugere sicut antè) uos ex insidijs insurgetis, & oppidũ occupabitis, Ioua id uobis in potestatẽ tradente. Eo autẽ potiti, id incẽdite, Iouæq; mãdato obtẽperate. Hoc ego uobis mando. Illi à Iosua dimissi, ad insidias pergũt, & inter Bethel & Haim ab occidẽte Hais sese collocãt. Iosua autẽ, illa nocte traducta in exercitu, manè surgit, recẽsitisq; militibus, sub oppidũ unà cũ senatoribus Israelitis accedit ante exercitũ: qui uniuersus eũ subsecutus, pcessit in oppidi conspectũ, & à septẽtrione castra fecit, ualle inter eũ & Haim sita.

C

Igitur Iosua cum circiter quinq; hominũ millia inter Bethel & Haim ab occidente oppidi in insidijs disposuisset, & milites ita uniuersum agmẽ posuissent, ut à septentrionibus essent, insidijs ad occasum oppidi collocatis, ea nocte in mediam uallẽ processit: quod cũ esset ab Hais rege animaduersum, cõtinuò in Israelitas uno tẽpore cũ omnibus oppidanis manè excitatis eruptionẽ facit in apertũ campũ, nescius insidias cõtra se post urbẽ esse positas. Ita cũ Iosua & omnes Israelitæ ab eis fusi in syluã fugerẽt, euocati sunt omnes oppidani, & ex oppido ad eos persequẽdos pellecti, ita ut nemine Hai aut Bethele relicto, omnes ad Israelitas persequẽdos egrederentur, oppidũq; apertũ relinquerent.

D

Et Iosua, mãdante Ioua, & oppidũ ei in potestatẽ tradente, hastã, quã manu gerebat, extulit uersus Haim, & insidiæ eo manum extẽdente, relicta protinus statione, in oppidũ cursu contendũt, captumq; confestim incendũt. At Haienses cũ respexissent, animaduerso oppidi fumo in altũ euecto, omnẽ huc aut illuc fugiẽdi potestatem amiserũt.

Capitur Hais.

E

Tum qui in syluã refugerant, cõuersi sunt in persequẽtes: et Iosua, omnesq; Israelitę, ex fumo excitato intelligentes captũ esse ab insidijs oppidũ, conuersi in Haienses impetũ faciunt, quibus illi rursum ex oppido egressi occurrunt. Ita deprehensos hinc inde Israelitæ sic cõcidunt, ut illorũ nullus superfuerit aut euaserit: regem autẽ Hais uiuum captũ, ad Iosuã adducunt. Postquam Israelitæ Haienses omnes in agris & syluis, quò illi eos persecuti fuerant, funditùs interemerũt, omnibus ad internecionem ferro trucidatis, uniuersi in Haim cõuersi, eam ferro excidũt. Fuit autẽ omniũ Haiensium numerus, qui eo die ceciderũt, duodecim millia, tũ uirorũ tum fœminarũ: nec antè Iosua de manu hastam deposuit, quàm omnes Haienses funditùs euertit.

F

Cęterùm pecudes et illius oppidi prædã sibi diripuerũt Israelitæ, queãdmodum Iosuæ in mandatis dederat Ioua. Ita Iosua Haim cremauit, & in rudus sempiternæ solitudinis redegit, quod ad hũc diẽ manet: regẽ au-

tem Haiensem in crucem egit, usq; ad tempus uespertinũ: deinde sub occasum solis, eius corpus de cruce demitti iussit, eoq; ad oppidi portam abiecto, ingentem lapidum cumulũ super id excitari, qui etiamnum extat. Deinde Iouæ Israelitarũ Deo aram construxit in Ebale monte, quemadmodum Iouæ seruus Moses Israelitis præceperat, ut scriptũ est in libro legis Mosaicæ, aram ex rudibus saxis, nullo adhibito ferramento, in qua Iouæ solida sacrificia & pro salute fecerũt. Illic in his saxis inscripsit exemplar legis à Mose conscriptæ, præsentibus Israelitis. Deinde uniuersis Israelitis, & senatoribus, & magistratibus, & iudicibus arcã hinc atq; hinc circumstãtibus, apud sacerdotes Iouæ fœderis arcã gestantes, tum peregrinis, tum indigenis, ita ut eorum dimidia pars esset obuersa monti Garizimo, altera autem mõti Ebali: sicut Iouæ seruus Moses antea præceperat, ad bene precandum Israelitico populo, omnia legis uerba, faustam precationẽ dirasq; perlegit, prorsus ut erat in libro legis descriptum: nec omissum est ullum uerbum ex omnibus à Mose præceptis, quod non Iosua apud uniuersam Israelitarum ciuitatem perlegerit, præsentibus fœminis, paruulis, & qui inter eos uersabantur peregrinis.

Exo.20.d Deut.27.d

Iosua legẽ recitat.

CAPVT IX.

HIs auditis, omnes cis Iordanẽ reges montani & campestres, & qui totam maris oram Libano obiacentem tenebant, Hettæi, Amorræi, Chananæi, Pherezæi, Heuæi, & Iebusæi, societatem coiuerunt, & conspirarũt ad bellum gerendum cum Iosua & Israelitis. At Gabaonitæ, postquam audiuerunt quid Iosua Hierichũti fecisset & Hai, fecerũt callide sanè: simulata enim legatione, exoletos saccos asinis imponunt, utresq; uinarios obsoletos, laceros, & resartos: tum calciamenta uetera & maculata pedibus induunt, penulis uetustis se tegũt, omniq; in commeatum pane sicco & mucido sumpto, ita ad Iosuam in castra Galgalensia se conferunt: eiq; & Israelitis nunciãt, sese ex longinqua terra profectos, uelle cũ eis fœdus percutere. Cumq; Israelitæ Heuçis illis dicerẽt, eos fortassis in suis finibus habitare: quod si ita sit, sese cum eis non posse fœdus percutere: dixerunt Iosuæ, sese in eius fore potestate: ab eoq; interrogati cuiates & unde adessent, responderunt in hunc modum: Nos ex finibus hinc remotissimis ad Iouæ Dei tui nomen uenimus: nam eius famã audiuimus, & quanta in Aegypto fecerit, utq; duos Amorræorũ reges transiordaninos tractauerit, Sehonem Hesebonis, & Ogum Basanæ regem apud Astarotha. Hãc obrem mandauere nobis senatores nostri, & omnes nostrates, ut sumpto uiatico uobis obuiam procederemus, nostrumq; seruitiũ uobis offerentes, rogaremus ut nobiscũ fœdus inire tis. Hunc panem domi adhuc calentem sumpsimus in cõmeatum, quo die ad uos profecti sumus, quem nunc aruisse uidetis, atq; mucuisse. Hi quoq; uini utres, quos nouos impleuimus, iam laceri sunt: & hæ nostræ penulæ calceiq; obsoluerũt, tanta est itineris longitudo. Tum

Gabaonitarum fallacia.

B

Num.21.e

C

2.Reg.21 g

homines de eorum commeatu accipiunt, Ioua non consulto, eisq; Iosua, pace cum eis facta & icto fœdere, uitã concedit, iisdemq; reipublicæ principes iurant. Deinde triduo post initum cum illis fœdus, intellectum est uicinos esse, & easdem sedes incolere. Cumq; profecti Israelitæ ad eorum oppida tertio die peruenissent (erant autem hæc: Gabaon, Caphira, Berotha, & Cariathiarimum) illos nõ occiderunt, quòd eis ciuitatis primores per Iouam Deum Israelitarum iurassent. Qua ex re cum uniuersa multitudo cõtra primores murmuraret, responderunt omnes primores, sese, cum Iouam Deum Israelitarum illis iurauissent, nõ posse eos uiolare. Sed ita cum eis agemus, inquiunt, ut eis, quemadmodũ promisimus, cõseruatis, in nos non sæuiatur propter datum eis à nobis iusiurandum. Viuãt, sed sint lignatores, & lixæ publici. Igitur hoc ciuitas primoribus cõcessit. Et Iosua uocatis illis ita locutus est: Cur nos decepistis, dicendo uos à nobis abesse longissimè, cum apud nos habitetis? Itaq; infelices eritis, nec unquam deerunt ex uobis qui seruiant, & lignatores ac lixas agant fani. Illi uerò Iosuæ in hunc modum respondent: Cum relatum nobis esset, quid Ioua Deus tuus Mosi suo in præceptis tradidisset, sese uobis hanc esse terram daturum, & incolas omnes aduẽtu uestro perditurum, nos uitæ nostræ à uobis præmetuentes, hanc rem fecimus. Et nunc ecce nos in tua potestate: utere nobis tuo arbitratu. Tum Iosua ita eis fecit, eosq; ab Israelitarũ iniuria & nece defensos, eo die lignatores & lixas publicos & altaris Iouæ, destinauit in locum quem ille delegisset: quæ res manet ad hunc diem.

D

CAPVT X.

POstq; intellexit Hierosolymæ rex Adonisedecus, Iosuam cæpisse Haim, & funditùs euertisse, eaq; & eius rege usum esse, quomodo Hierichunte & eius rege fuerat usus: tũ autem Gabaonitas cum Israelitis pace facta, inter eos agere, magno metu perculsus est. Erat enim Gabaon oppidũ magnitudine regalibus par, Hai maius, hominum omnium bellicosorum. Ergo ad Hoamum Hebronis, Pharamum Ierimothi, Iaphiam Lachis, & Dabirem Eglonis reges mittit, qui petant, ut sibi auxiliatum ueniant, ut Gabaonem excidant, quæ cum Iosua & Israelitis pacem fecerit. Igitur hi quinque Amorræi reges, uidelicet Hierosolymæ, Hebronis, Ierimothi, Lachis, & Eglonis, collatis copijs omnibus, expeditionem faciunt: & Gabaonem, positis apud eam castris, oppugnant. Tum Gabaonitæ ad Iosuam in castra ad Galgala mittunt, oratum, ne in suorum Gabaonitarum causa manum remissam habeat: quin celeriter accedat, seq́ue auxilio suo defendat, aduersum quos omnes Amorræi reges montani conuenerint. Ita Iosua à Galgalis cum omnibus militum copijs proficiscitur, & à Ioua admonitus ne illos metueret (neminem enim eorũ ante eum staturum esse, ipso Ioua illos ei in potestatẽ tradente) illos de improuiso adoritur, & à Galgalis tota nocte itinere continuato,

Adonisedecus Hierosolymæ rex.

B

tinuato, illis à Ioua in aduentum Israelitarum conturbatis, magnam eis cladem apud Gabaonem infert: eos'que uersus cliuum Bethoronis persecutus, usque ad Azecam & Macedã concîdit. *C* Cumq; illi Israelitas fugiẽdo, in descensu *Eccl.46.a* Bethoronis essent, Ioua in eos ingẽtes de cœlo lapides ad Azecam deiecit, quibus grandinis lapidibus plures perierunt, quàm ab Israelitis ferro interfecti sunt. Et Iosua Iouam allocutus, quo die Ioua Amorræos Israelitis subdidit, præsentibus Israelitis ita pronunciauit: Sol apud Gabaonem resta, & luna ad uallem Aialonem. *Sol & luna stant.* Tum sol restitit, lunaq; stetit, dum illi suos hostes ulciscuntur. atq; ita scriptum extat in libro *Esa 28.e* Recti: STETIT'QVE sol in medio cœlo, *Eccl.46.a* nec maturauit occũbere, spacio circiter unius integræ diei, qualis sanè dies neq; antè neque postea fuit, ut ita hominis uocem exaudiret Ioua: nimirum Ioua pro Israelitis pugnabat. Cæterùm Iosuæ cum omnibus Israelitis in castra ad Galgala reuerso, cum quinq; reges illi fuga dilapsi, in speluncam apud Macedam sese abdidissent, nunciatur inuentos esse quinq; reges in spelunca apud Macedam latentes. Et Iosua *D* iubet ingentia saxa ad speluncæ os aduolui, homines'q; ad eam statui, qui eos custodiant. Ipsis autẽ imperat, ut hostes persequi, & extremos carpere non desinant, neq; eis receptum in oppida permittãt, Ioua ipsorum Deo illos eorum potestati subijciente. Deinde post hostes à Iosua & Israelitis tanta strage ad internecionem concisos, eis qui euaserant, in oppida munita dilapsis, omnes ad Iosuã in castra ad Macedam incolumes reuertuntur, nemine prorsus cõtra Israelitas uel mutiente. Tum Iosua iubet patefacto speluncę ostio, quinq; reges illos ad se ex spelunca extrahi. Quod cum factũ esset, protractis ad eum quinq; regibus illis, *Quinq; reguli à Iosua necati.* scilicet Hierosolymæ, Hebronis, Ierimothi, Lachis, & Eglonis regibus, conuocat omnes Israelitas: & belli proceribus, qui se fuerant comitati, iubet *E* ut accedant, & pedes suos regum illorũ ceruicibus imponant. Quod cũ illi fecissent, Nolite, inquit Iosua, metu perterrefieri: este fortes & infracti: nam sic faciet Ioua omnibus hostibus uestris, cum quibus uos bellum geritis. Deinde illos neci dedit Iosua, & in cruces quinque sustulit. Cumq; suspensi ad uesperum fuissent, occidente sole iussit eos de patibulis demissos, in speluncam, in qua latuerant, abijci, & speluncæ fauces ingentibus saxis oppilari, quæ *Capta à Iosua Maceda.* etiam'num manent. Macedam quoq; cæpit eo die Iosua, eamq;, & eius regem, & omnes in ea homines, ferro corrupit, & stirpitùs euertit, ne uno quidẽ relicto: regiq; fecit, quemadmodum *F* Hierichuntio regi fecerat. A' Maceda comitãtibus omnibus Israelitis digressus, *Lebna.* Lebnæ bellum intulit: eaq; à Ioua quoq; Israelitis cum suo rege tradita, omnes in ea mortales ferro trucidauit, ne uno quidẽ relicto: eiusq; regem eodem, quo Hierichuntium, modo tractauit. *Lachis.* A' Lebna cum omnibus Israelitis ad Lachim progressus, eam positis castris oppugnauit: & Ioua eam Israelitis tradente, altero die captam unà cũ omnibus oppidanis ferro cõcîdit, quomodo Lebnæ fecerat. Tum Horamũ Gazeris regem (qui Lachi suppetias uenerat) eiusq; copias occidione occidit. Deinde à Lachi ad Eglonem *Eglon.* profecti, eam castris positis oppugnãt: *G* eodemq; die expugnata, omnes oppidanos ferro à stirpe delent, ut Lachi fecerãt. Ab Eglone ad Hebronem profecti, eam oppugnãt, captamq; ferro peruertunt: eiusq; regẽ & municipia *Hebron.* omnia, & omnes oppidanos, nullo omisso, quemadmodum Egloni fecerant, eamq; & omnes qui in ea erant, funditùs euertunt. Inde ad Dabir reuersi, eam ex oppugnatione captã, *Dabir.* eiusq; regẽ & omnia municipia ferro delent, & omnes oppidanos prorsus interimũt ad internecionẽ: idemq; Dabiri & eius regi faciunt, quod Hebroni & Lebnæ, earumq; regibus fecerant. Ita depopulatus est Iosua omnem montanum & meridianum tractum, planaq; & cliuosa: eorumq; reges omnes ad internecionem, omnesq; mortales ibi deleuit, sicut Israelitarũ Deus imperauerat. superatisq; qui erant à Cadesbarnea ad Gazam, omniq; terra Gosene, & usque ad Gabaonem, captis eodem impetu omnibus illis regibus, eorumq; terris, quippe Ioua Israelitarũ Deo pro Israelitis propugnante, comitantibus omnibus Israelitis ad castra in Galgala reuersus est.

CAPVT XI.

HIs auditis, Iabin Hasoris rex accersit Iobabum *Iabin Hasoris rex.* Madonis regẽ, & regẽ Semeronis, & regẽ Axaphi, regesq; septentrionales, tum montanos, tum qui erãt in planis ab austro Cenerethi, & qui in depressioribus locis, inq; Dorio tractu ab occidẽte: Chananæos ab oriente & occidẽte, & Amorræos, & Hettæos, & Pherezæos, & Iebusęos montanos, & Heuæos sub Hermone in regione Masphæ. Hi cũ omnibus suis copijs arena littorea numerosioribus, cũq; equorũ, curruumq; multitudine nõ mediocri, domo egressi sunt: collatisq; uiribus omnes illi reges, castra simul fecerũt apud aquas Meromias, *B* ut cum Israelitis prælio decertarẽt. Tum Iosuam Ioua monuit, ne illos formidaret: sese enim postridie ea hora effecturum esse, ut omnes ab Israelitis interficerentur, utq; Iosua confossis equis illorũ, currus igni cremaret. Itaq; Iosua illos cum omnibus copijs ad aquas Meromias imparatos aggreditur, & Ioua eos Israelitis uincendos tradẽre fundit: & ad Sidonem maiorem, & ad aquarũ incendia, & ad conuallem Masphæ ad orientem persequutus, ad internecionem concîdit, eisq; fecit sicut ei Ioua prædixerat: nam eorũ & equos cõfodit, & currus igni cremauit. eodemq; tempore reuersus, *Hasor.* Hasor cæpit, eiusq; regẽ ferro interemit, quod *C* quidẽ Hasor fuerat antea omniũ regnorũ illorum caput. Hoc, omnibus incolis ferro trucidatis, & ad internecionẽ peruersis, igni cremauit: omniaq; regum illorum oppida, ipsosq; reges omnes cæpit, & ferro à stirpe deleuit, sicuti Iouæ seruus Moses præceperat. *Deut.7.a* Cæterùm oppidorum quæ in integro manserũt, nullum combusserunt Israelitæ, præter unum Hasor à Iosua

Iosua cōbustum. Omnem autem oppidorum illorum prædam & pecudes diripuerunt, omnibus tamen hominibus ferro stirpitus, & ad internecionem peremptis. Atq; ita quæ & Ioua Mosi suo, & porrò Moses Iosuæ preceperat, ea omnia Iosua, nulla omnino re omissa, executus est: cępitq; totam illam regionem montanam, & meridianam & Gosenem, & cāpestria, & plana, Israelisq; mōtem, & eius campestria, à mōte glabro, quà in Seir ascenditur, ad Baalgadum in Libani ualle sub Hermone monte positum: & eorum reges omnes captos, bello cum eis diu gesto necauit. Neq; fuit ulla ciuitas quæ pacem cum Israelitis faceret, præter Heuæos Gabaonitas. Itaque omnia armis expugnarunt, ita nimirum uolente Ioua, ut obstinatis animis bello Israelitis occurrerēt, quò euerterentur, & citra ullam misericordiam perderētur, quemadmodum Mosi Ioua præceperat.

Exod.34.b
Deut.7.a
D

Enaquiniā Iosua excisi.

¶ Per ea tempora aggressus Iosua Enaquinos, eos ex montanis, ex Hebrone, ex Dabire, ex Anabo, & ex omnibus Iudæorum & Israelitarum montanis excīdit, & cum suis oppidis ita euertit, ut in Israelitarū terra nulli superessent Enaquini, præterquā Gaze, Gethæ, & Azoti: captamq; omnem terram (quemadmodū Mosi Ioua præceperat) Israelitis in classes tribuum diuisis, terra à bello quieta, distribuit possidendam.

CAPVT XII.

Quos reges euerterint Israelitæ.

Reges autem, quorum fines Israelitæ, eis superatis, trans Iordanem occuparunt ad ortum solis, ab Arnone fluuio, ad montē Hermonem, omnemq; orientalem planitiem, fuerunt hi: Sehon Amorræorum rex, Hesebonis incola, qui imperio tenebat ab Aroere ad ripā Arnonis fluuij posito, ea quę medio fluuio cōtinebantur, dimidiamq; Galaaditidem, usq; ad Iabbocum fluuium, Ammonitarū terminum: tum planiciem ad lacū Cenerethum ad orientem, & ad planum lacum, hoc est, lacū salsum, ad orientem uersus Bethiesimotha, & à meridie quà se Phasga protendit. Tum fines Ogi Basanæ regis de gigantum reliquijs, qui Astarotha & Edreim incolebat, imperium habens in montem Hermonem, in Salecham, in totam Basanam, ad fines Gessuræos & Maachathęos, inq; dimidiā Galaaditidem, quà terminus erat Sehonis Hesebonij regis. Illos Dei seruus Moses & Israelitæ debellarant: eamq; terram Rubenitis, Gadinis, & dimidiæ tribui Manassis possidendam Moses tribuerat. Sequuntur reges, quorum terram Iosua cum Israelitis debellauit, cis Iordanem ad occidētem, à Baalgado per Libani uallem, ad montem glabrum, qua Seir ascenditur, eiusq; possessionem Israelitarum tribubus in classes diuisis dedit, quæ terra est partim montana, partim demissa, partim plana, partim cliuosa, partim syluestris, partim meridiana, Hettæorum, Amorræorū, Chananæorum, Pherezæorum, Heuæorum, & Iebusæorum. Sūt igitur hi reges: rex Hierichuntis, rex Hais, quæ est ad latus Bethelis, rex Hierosolymæ, rex Hebronis, rex Ierimothius, rex Lachis, rex Eglonis, rex Gazeris, rex Dabiris, rex Gaderis, rex Hormæ, rex Aradi, rex Lebnæ, rex Adullami, rex Macedæ, rex Bethelis, rex Taphuæ. rex Hephris, rex Apheci, rex Lasaronis, rex Madonis, rex Hasoris, rex Semeromeronis, rex Axaphi, rex Thenaci, rex Mageddonis, rex Cadis, rex Iachanamæ in Carmelo, rex Doris in tractu Dorio, rex Goiorum in Galgalis, & rex Thersæ, quorum regū summa est unus & triginta.

B
C
D

CAPVT XIII.

Iosuæ præcipit Ioua, ut terram partiatur Israelitis.

Cvm autem Iosua iam ętate prouecta consenuisset, Ioua cum eo ita locutus est: Tu quidem iam ætate progressa & senex es, & tamen permulta terra superest adhuc occupāda, nempe omnes Palæstinorum prouinciæ, omnisq; Gessuræa à Sihore cōtra Aegyptum posito, usq; ad fines Acharonis in septentriones, quæ in Chananæa habentur, quinque Palæstinorum præfecturæ, Gazæa, Azotēsis, Ascalonensis, Gethensis, Accaronēsis, & Heuæensis: à meridie omnis terra Chananæa, & Sidonius recessus ab Aphece, ad fines Amorræorū: tum terra Giblæa, totusq; Libanus ad orientem, à Baalgado, sub monte Hermone, ad usque Hemathā, omnes montani à Libano ad aquarum incēdia, omnes Sidonij, quos ego Israelitis exterminabo. Tu modò eius terræ hæreditatem sortire Israelitis, ut ego tibi præcepi, eamq; diuide nouem tribubus, & dimidiæ tribui Manassis, cum cuius altera dimidia Rubenitæ & Gadini hæreditatem creuerūt, ut est eis à Iouæ seruo Mose tributa, trans Iordanem ad orientem, uidelicet ab Aroere ad Arnonis fluuij ripam posito, oppidum ipsum in medio fluuio situm, totumq; campū Medabæ ad Dibonem, & omnia oppida Sehonis Amorræorum regis, qui Hesebone regnauerat, ad confinia Ammonitarum. tum Galaaditidē, & Gessuræos Maachathæosq; fines, totumq; montē Hermonem, & uniuersam Basanam, usq; ad Salecham, uniuersum regnum Ogi in Basana, qui Astarothis & Edrei regnauerat, ex gigantum reliquijs superstes. Has nationes deuictas Moses exterminauit, Gessurę is, Maachathęisq; ab Israelitis nō exterminatis, quippe quos inter adhuc incolunt. Cæterūm Leuiticæ tribui hæreditatem non dedit, quòd ei Iouæ Dei Israelitarum res diuina hæreditas est, quemadmodum ei promisit. At Rubenitarum tribui dedit pro sua cuique gentilitate, quorū fines sunt ab Aroere ad ripam Arnonis fluuij posito, oppidū ipsum in medio situm fluuio, totusq; campus Medabanus, Hesebon, eiusq; municipia omnia in campo sita, Dibon & Bamothbaal, Bethbaal, Meon, Iassa, Cedemothia, Mephaatha, Cariathaimum, Sabama, Sarathasar in monte uallis, Bethphogor, Phasgæ cliuus, & Bethiesimotha, omniaq; oppida campestria, & totum regnum Sehonis Ammoræi regis, qui Hesebone regnauit, quem Moses occidit: principesq; Madianitarū Euim, Recemum, Surem, Hurem & Rebam, Sehonis satrapas incolas. Balaamū quoq; Beoris filiū, diuinū, Israelitę in cæte-

B
Num 32.f
Num.18.c
Rubenitarum fines.
C
Num.31.a

cæterorum strage ferro trucidarunt. Igitur Rubenitarum terminus fuit Iordanis. Atq; hi quidem fines sunt Rubenitarũ hæreditas, pro ratione gentilitatum diuisis oppidis, eorumq; pagis. Gadinorũ quoq; tribui distribuit Moses hæreditatem in gentilitates, eorumq; fines sunt Iazer, omniaq; oppida Galaaditica, & dimi- *Gadinorũ fines.* D dia terra Ammonitarum, ad Aroer positũ contra Rabbã: tum ab Hesebone ad Ramotha Masphatham & Betonim, tum à Mahanaimo ad fines Dabiris, tũ in ualle Betharama, & Bethnemra, Sochotha & Saphon, reliquum regni Sehonis regis Hesebonij, & Iordanis finitima ad extremum Cenerethi lacus trãs Iordanem ad orientem. Hæc est Gadinorum hæreditas, pro ratione gentilitatum oppidis, eorumq; municipijs distributis. Dimidiæ autẽ tribui Manassis hæreditatem ita dedit Moses, ut eorum fines sint in gentilitates distributi à Mahanaimo quicquid regni Ogi Basanæ regis est, Basana, omnesq; uici Iairis in Basana siti, oppida sexaginta. Dimidium autem Galaaditidis, & Astarotha, & Edreim, oppida regni Ogi in Basana, tribuit dimidiæ parti posterorum Machiris Manassis filij, pro ratione cognationum eorũ. Hæc sunt quæ Moses in hæreditatem diuisit in campo Moabitico, trans Iordanem Hierichuntium ad orientem. Nam Leuiticę quidem tribui nõ dedit hæreditatem, cum sit eis Israelitarum Deus hæreditas, sicut eis promisit.

Dimidiæ tribus Manassensium fines.

Num. 18.e

CAPVT XIIII.

De agri Chananæi diuisione.

SEquitur de eis quę Israelitæ hæreditate sorte tenuerũt in Chananæa, diuisoribus Eleazaro pontifice, & Iosua Nunis filio, & principibus familiarum Israeliticarum tribuũ, quemadmodum Ioua per Mosem dari præceperat nouem tribubus & dimidiæ tribui. Reliquis enim duabus tribubus & dimidię hęreditatem dederat Moses trans Iordanem, Leuitis nulla inter illos hæreditate data. Nam Iosephei, quæ duæ tribus erant, Manassensis & Ephraimina, B nullam partem Leuitis in sua regione dederũt, præterquàm oppida ad habitandum cum suis pomœrijs, ad eorum pecora atque facultates. Igitur quemadmodum Mosi Ioua præceperat, ita Israelitæ fecerunt in diuidẽda terra. Et Iuda quidem prognati Iosuam in Galgalis cõuenerunt, cumq; eo Calebus Iephonis filius Cenezæus ita locutus est: Tu scis quid Ioua Mosi diuino de me & de te mandauerit in Cadesbarnea. Ego natus annos quadraginta, à Iouæ seruo Mose missus sum à Cadesbarnea exploratum regionem, eiq; negocium retuli ut sentie- C bam, meisq; agnatis, qui mecum profecti fuerant, populi animos mollientibus, meũ tamen officiũ Iouæ Deo meo præstiti. Eamq; ob rem Moses eo die iurauit, eam terrã, per quam ego meis pedibus ingressus fueram, meam fore hæreditatem, meorumq; natorum in perpetuum, quòd officio meo erga Iouam Deum suum functus essem. Itaq; Ioua me, sicuti promiserat, conseruauit, ut uides, per hosce quadragintaquinque annos, ex quo Ioua Mosi hãc rem demonstrauit, quibus annis in desertis uersati sunt Is- D raelitæ. Et nunc scito me hodie annos natum octogintaquinq;, tam fortem esse tamen, quàm tum eram, cum me misit Moses: nec alias tum fuisse meas uires, quàm nunc sunt, seu pugnandum, seu quò eundum sit. Quamobrem da mihi montem illum, de quo tum Ioua locutus est, in quo tu ipse tum Enaquinos esse audiuisti, magnaq; & munita oppida, si fortè eos secũdo Ioua possum exterminare, ut ipse Ioua pollicitus est. Tum Iosua Calebum Iephonis filium faustis ominibus prosecutus, Hebronem ei dedit in hæreditatem. Ita cessit Hebron Calebo Iephonis filio Cenezæo in hæreditatem, ad hunc usq; diem: quoniam suum Iouæ Israelitarum Deo præstiterat officium. Fuerat autem antea nomen Hebronis Cariatharba, ab Arba homine Enaquinorum maximo sic dicta. Ita à bello requieuit ea regio.

Num. 34.d

Calebus à Iosua petit hæreditatem.

Num. 14.d

Eccl. 46.b

Hebrõ Calebo conceditur.

1. Mach. 2.f

CAPVT XV.

Iudæorum fines.

Num. 34.a

TRibus autem Iudaicæ sors, ducta per gentilitates, pertinet ad confinia Idumæorum in Sinem solitudinẽ, in meridiem, ab extremo australi, patetq; terminus eius meridianus ab extremo salsi lacus, à sinu in meridiem uerso, porrigiturq; in meridiem ad cliuum scorpionum, & pertingit ad Sinem. A meridie autem ascendit ad Cadesbarneam: hinc ad Hesronem progressus, & euectus in Adar, Carcaam circuit: & ad Asemonẽ perductus, exit in flumen Aegyptium, atque ita in mare desinit. Et hic quidem est eorũ terminus meridianus. Orientalis autem terminus est, salsus lacus ad extremum Iordanem. Septentrionalis uerò à sinu, ab extremo Iordane euehitur in Bethaglam: B inde à septẽtrione productus ad Betharabam, ascendit ad saxum Bohenis, Rubenis filij. Inde in Dabir elatus à ualle Achoris, in septentriones spectat ad Galgala, posita cõtra cliuum Adummim à meridie fluuij: inde ad aquam Ensemis protẽtus, desinit in Enrogel. Deinde per uallem filij Hennomi euectus à meridie ad latus Iebusis (quæ eadem Hierosolyma est) effertur in iugum montis positi è regione uallis Hennomi, ad occidentem, qui est ad extremum uallis gigantũ ad septentriones. Ab illius mõtis uertice circumflectitur ad fontem aquæ C Nephtoæ, exitq; in oppida montis Ephronis: inde flectitur ad Baalam, quæ eadem est Cariathiarimum. A Baala curuatur in occidentem ad montem Seir, porrectusq; ad latus montis Iarimi à septẽtrione, qui idem Cesalon, & inde delatus in Bethsemem, protenditur ad Thamnam. Inde progressus ad latus Accaronis in septentriones, flectitur ad Sechronem: productusq; ad montem Baalæ, exit in Iabneel, atq; ita desinit in mare. Ab occidente terminatur ipso mari. Atque his undiq; finibus continentur Iudæ posteri, in gentilitates diuisi. Calebo autem Iephonis filio pars assignata est inter Iudæos ex Iouæ ad Iosuã mandato, scilicet Cariatharba, quæ ab Arba Enaqui patre sic est appel- D lata: eadẽq; est Hebron. Inde expulit Calebus

Iud. 1.b

tres

tres Enaqui filios, Sesaim, Achimanē, & Tholmaim, Enaquo ꝓgnatos. Hinc adortus incolas Dabiris, cuius antea nomen fuerat Cariathsepher, Axam filiam suam promisit in matrimonium ei qui Cariathsepher superasset, cæpisſetq́. Id cæpit Othoniel Cenezi fratris Calebi filius, atq; ita illius filiā Axam in matrimonium duxit. Hæc inter eundum (cum à marito impetrasset, ut à patre suo agrum peteret) gemebat ex asino, & à Calebo interrogata quid haberet? ita respōdit: Hoc mihi cōcede beneficiū, ut qui mihi æstuosam terram dedisti, etiā aquationem des. Itaq; ille ei & superiorem & inferiorem aquationem dedit. Et hæc quidem est hæreditas tribus Iudæorum in gentilitates distributa, quorum extrema oppida sunt meridiana, Idumæis finitima, Cabseel, Eder, Iagur, Cina, Dimona, Adada, Cedes, Hasor, Iethnan, Ziph, Telem, Baloth, Hasorhadatta, Cariothesron, quæ aliās Hasor, Aman, Sama, Molada, Hasergadda, Hassemon, Bethphelet, Hazersual, Bersaba, Baziothia, Baala, Iijm, Ezem, Eltolad, Chesil, Harma, Siceleg, Medemena, Sesenna, Lebaoth, Selin, Aen, & Remmon: quorum omnium oppidorum summa est undetriginta, cum eorū pagis. In depressis autem locis Estaol, Sarea, Asena, Zanoa, Engannin, Taphna, Ename, Ierimoth, Adullam, Socho, Azeca, Saraim, Adithaim, Gedera, & Gederothaim, oppida quatuordecim cū suis pagis. Sanā, Hadassa, Magdalgad, Delean, Maspha, Iecthel, Lachis, Baschat, Eglon, Chabbon, Leheman, Cethlis, Gederoth, Bethdagon, Naama, & Macceda, oppida sexdecim cum suis pagis. Lebna, Ether, Assan, Iephta, Esna, Nezib, Ceila, Axib, & Maresa, quæ sunt oppida nouē cum suis pagis. Accaron cum suis municipijs & pagis. Ab Accarone in mare omnia quæ uergunt ad Azotum, & eorum pagi. Azotus cum suis municipijs atq; pagis. Gaza cum suis uicis atq; pagis, ad fluuiū Aegypti & mare quà patent fines. In montanis autem Samir, Iatthir, Socho, Danna, Cariathsenna, siue Dabir, Anab, Estemo, Anim, Gosen, Holon, & Gilo, quæ sunt oppida undecim, præter eorum pagos. Arab, Duma, Esaan, Ianū, Bethtaphua, Apheca, Humta, Cariatharba, quæ est Hebron, & Sior, oppida nouem cum suis pagis. Maon, Carmel, Ziph, Iota, Iezrael, Iucadam, Zanoa, Cain, Gabaa, & Thamna, oppida decem & eorum pagi. Halhul, Bethsur, Gedor, Mareth, Bethanoth, & Eltecon, oppida sex cū suis pagis. Cariahbaal, quæ eadem est Cariathiarim, & Rabba, oppida duo cum suis pagis. In syluis Betharaba, Meddin, Sachacha, Nebsan, oppidū salis, & Engaddi, oppida sex cum suis pagis. Sed Iebusæos Hierosolymæ incolas non potuerunt Iudæi expellere, itaq; habitant Iebusæi Hierosolymis inter Iudæos ad hunc usque diem.

Othoniel. — *Iud. 1.* — E — F — G

CAPVT XVI.

Iosephidarum fines.

IOsephidis autem sors obtigit à Iordane Hierichūtio, apud aquas Hierichūtias, ab oriente: solitudo, quæ ab Hierichunte per montē effertur ad Bethel: inde ad Luzam euadit sors, progressaq; ad confinia Arciatarothorum, deuergit in occidentem ad confinia Iephleti, usq; ad cōfinia Bethoronis inferioris, & ad Gazer, B
atq; ita mari terminatur. Creuerunt autem hæreditatem Iosepho prognati Manassenses & Ephraimitæ. Ac Ephraimitarum quidem hæreditatis per gentilitates ductæ fines sunt ab oriente, Atarothaddar, ad Bethoronem superiorem, patentq; in occidentem ad Machmetam à septentrione, circumductiq; orientem uersus ad Thanathsiluntē: inde ab oriēte, protenduntur ad Ianoam. A Ianoa ad Atharotha C
& Naaratham deuexi, pertinent ad Hierichuntem, & in Iordanem desinunt. A Taphua in occidentem perueniunt ad flumen Canam, desinunt in mare. Atq; hæc quidem est hæreditas D
tribus Ephraimitarum, ducta per gentilitates. Habent præterea Ephraimitæ oppida separatim inter Manassensium patrimonium, ea que omnia cum suis pagis. Quanquam Gazerenses Chananęos non eiecerūt, habitantq; adhuc Chananæi inter Ephraimitas, sed tributarij.

Ephraimitarum.

CAPVT XVII.

Manassensium fines. — *Num. 26. d* — *Salphadi filiæ.* — *Num. 17. a. & 36. a.*

POrrò ex sorte tribus Manasis, qui primogenitus fuit Iosephi, Machiris posteri Manasis primogeniti, Galaadi patris, qui Machir uir fuit bellicosus, Galaaditidem Basanamq; tenuerunt. Cæteri Manasse prognati generatim tenuerunt, Abiezere, Heleco, Esriele, Sechemo, Hephre, Semida nati, qui fuerunt filij Manasis Iosephi filij, mares, totidem gentilitatum conditores. Nam Salphadus quidem Hephris filius, Galaadi nepos, Machiris pronepos, Manasis trinepos, filios nō habuit, sed filias, quarū nomina sunt: Maala, Noa, Hegla, Melcha & Thersa. Hæ Eleazarum pontificem Iosuamq; Nunis filium, & magistratus conuenerunt, eisq; demonstrarūt, Iouam Mosi mandasse, ut sibi hæreditas inter suos agnatos daretur. Itaq; eis hæreditas inter agnatos paternos ex Iouæ mandato data est: acciditq; Manassensium partes esse decem præter Galaaditidem B
& Basanam, trans Iordanem sitas. Nam Manasis natæ hæreditatem inter eius natos creuerunt, reliquis Manasse prognatis Galaaditidem sortitis. Igitur Manassensium fines ab Asere ad Machmathā, positā ante Sichemam, patent ad dextram ad Entaphuæ incolas, cuius Taphuæ terra est Manassensium, Ephraimitis finitima. Hinc ad Canam fluuium decliues in austrum, patent ad fluuium illorum oppidorum Ephraimitarum, Manassensibus oppidis interiectorum: patentq; Manassensium fines à septentrionibus ad fluuiū, et desinunt in mare, suntq; Ephraimitæ meridiani, Manassenses autem septentrionales, & mari finiuntur, Aserianis à septentrione, Issacharianis ab oriēte con- C
iuncti: & habent Manassenses in Issacharianis & Aserianis Bethsanem & Ieblaamā cū earum municipijs, necnon Dorios, Endorios, Tanacenses, & Magedonenses: tres tractus cum suis quemq;

quemque municipijs. Quanquam hæc oppida depopulari non potuere Manassenses, ausiꝗ sunt Chananæi eam terrã incolere, tametsi uictores Israelitæ Chananęos tributarios redegerunt, sed eos nõ exterminarunt. ¶ Iosephidæ autem cum Iosua expostularũt, quòd eis unius sortis hæreditatem & partẽ dedisset, cum tam multi essent, & à Ioua tãtopere fœcũdati. Quibus Iosua respondit, ut si tam multi erãt, ascenderent in syluam, & illic sedem sibi quærerent in terra Pherezæorum, & Gigãtum, si quidem angustior eis esset mons Ephraimiticus. Tum illi: Nõ satis erit nobis mons, inquiunt, & omnes Chananęi, qui uallem incolunt, quiꝗ sunt Bethsane et in eius municipijs, inꝗ ualle Iezraelis currus habent ferreos. Et Iosua: Si tot tantaꝗ potentia estis (inquit Iosephi posteros, id est Ephraimitas & Manassenses alloquẽs) non unam sortem habebitis: quin montem adepti, succisaꝗ sylua, quæ in eo est, fines uestros propagabitis eo acquisito, si modò Chananæos istos exterminaueritis, qui & currus ferreos, & tantum robur habent.

CAPUT XVIII.

Iosua terram describi iubet ad occupandum.

Cum autem uniuersa Israelitarũ multitudo Siluntẽ conuenisset, & ibi subacta ab eis terra, oraculi tabernaculũ constituisset, cum superessent Israelitarum tribus septem, quę hæreditatem sortitæ non erant, Iosua cum Israelitis ita locutus est: Quousque negligetis inuadere in possessionem terrę, uobis à Ioua maiorum uestrorum Deo datę? Deligite tres homines ex singulis tribubus, quos ego mittam ad obeundam terram: qui cum eam ad rationem hæreditatum descripserint, ad me redeãt, ea in septẽ partes diuisa, Iudęis interea suos ad meridiem fines tenentibus, itemꝗ Iosephi posteris ad septentriones. Vos igitur describite terram in septem partes, & mihi huc referte: ego uobis hic coram Ioua Deo nostro sortes ducã. Nam Leuitæ quidem inter uos partem non habent: quoniam Iouæ sacerdotium, eorum est patrimonium. Gadini autem & Rubenenses, dimidiaꝗ tribus Manassis, hęreditatem creuerunt trans Iordanem ad orientem, eis à Iouæ seruo Mose datã. Tum homines profecti sunt, cum quidem Iosua eis in mãdatis dedisset, ut perlustrata terra, descriptaꝗ, ad sese reuerterẽtur: sese eis ibi sortes coram Ioua apud Siluntẽ iacturum. Igitur profecti homines terram peragrauerunt: eaꝗ oppidatim in scheda in septẽ partes descripta, ad Iosuam in castra ad Siluntẽ reuersi sunt. Ibi Iosua iactis apud Iouã sortibus, terram Israelitis pro sua cuiꝗ classe diuisit.

Beniamitarum fines.

Et Beniamitarum quidẽ tribui, ducta per gentilitates sorte, fines obtigerunt inter Iudęos & Iosepheos, qui fines à latere septentrionali à Iordane euehuntur ad Hierichuntis latus septentrionale, & inde in montem ad occidentẽ euecti, in deserta Bethauenis desinunt. Illinc profecti ad Lusæ siue Bethelis latus meridianũ, deferuntur in Atarothadar, ad montem qui inferiori Bethoroni est à meridie. Hinc curuati & circumflexi ad maris latus meridianum, à mõte qui Bethoroni à meridie obiacet, desinunt in Cariathbaal, id est Cariathiarimum, quod oppidum est Iudaicum. atque hoc est latus occidentale. Meridianum autẽ ab extremo Cariathiarimi, patet ad mare, & ad fontem aquarum Nephtoæ pertinet. Illinc delatum ad mõtis extremum qui obiacet ualli filij Hẽnomi, in ualle gigantum positus ad septẽtriones, deuergit in uallem Hennomi ad meridianum latus Iebusis, declinatꝗ ad Enrogel. A' septentrione porrigitur ad Ensemẽ, exitꝗ ad Gelilotha secundum cliuum Adommim posita, & ad saxũ Bohenis Rubenis filij defertur. hinc progressum ad latus positũ in fronte septentrionalis cãpi, deuehitur in campũ: progressumꝗ ad septentrionale Bethaglæ latus, terminatur sinu lacus salsi ad septentriones, ad meridianum Iordanis caput. Atque hic est terminus meridianus. Ab oriente autẽ Iordane continentur. Hęc est Beniamitarũ ducta per gẽtilitates hæreditas, suis undiꝗ terminis circũscripta. Sunt autẽ Beniamiticæ tribus in gentilitates distributæ, oppida, Hiericho, Bethagla, uallis Casis, Betharaba, Samaraim, Bethel, Auim, Para, Ophra, Cepharãmonai, Ophni & Gaba, quę sunt oppida duodecim, pręter eorũ pagos. Gabaon, Rama, Beerota, Maspha, Caphara, Mosa, Recem, Iarephel, Tharela, Sela, Eleph, Iebusi, aliàs Hierosolyma, Gabaatha & Cariathaim, quæ sunt quatuordecim cum suis pagis. Hæc est Beniamitarum ducta per gentilitates hæreditas.

CAPUT XIX.

Simeoniorum fines.

Secunda sors obtigit Simeoniorum tribui, ducta per cognationes, quibus hæreditas accidit inter Iudæorum hæreditatẽ, in qua hæc insunt: Bersaba, Saba, Molada, Hasersual, Bala, Asem, Eltolad, Bethul, Horma, Siceleg, Bethmarcaboth, Hasersusa, Bethlebaoth, & Sarohen, oppida tredecim cum suis pagis. Ain, Remmon, Athar, & Asan, oppida quatuor cũ suis pagis: omnesꝗ pagi his oppidis undiꝗ finitimi, usque ad Baalath Beerramath in meridiem. Atque hæc est tribus Simeoniorum ductę per gentilitates hęreditas, eaꝗ in finibus Iudæorum cõprehensa. Nam Simeonij inter Iudæorum possessionem (quam illi ampliorem quàm pro suo captu sortiti erãt) possessionem tenuerũt.

Zabuloniorum fines.

Tertia sors obtigit Zabulonijs in cognationes, quorum possessionis fines patẽt ad Sarid. Inde ad mare & ad Marealã euecti, pertinẽt ad Debaseth, & ad fluuium qui Ieconam præterfluit. A' Saride in ortũ solis reflexi, in cõfinia Cheselethaboris, exeunt ad Dabereth, & in Iaphia elati: indeꝗ orientẽ uersus ad Gethepher, Ittam & Casin producti, pertingunt ad Remmonẽ, Methoar & Neam: atque à septentrionibus ad Nathonẽ circũducti, Iephthahelis ualle finiũtur, in quibus sunt & Cateth, Nahalol, Semeron, Idala, & Bethlehema, oppida duodecim cum suis pagis. Hæc est Zabuloniorum generatim distributa possessio: hęc oppida, eorumꝗ pagi.

Issachariorum fines.

Issacharianis quarta sors accidit, ducta per cognationes, quorum fines sunt Iezrael, Casaloth, Sunem, Hapharaim, Seon,

Anaharath, Rabbith, Cesion, Abes, Rameth, Engannim, Enhadda, & Bethpheses. Pertingunt autem ad Tabor, Schesimam & Bethsemen, & in Iordanē desinunt, oppida sexdecim cum suis pagis. Hæc est tribus Issacharianorum per cognationes distributa hæreditas, oppida eorumq; pagi. Quinta sors obuenit tribui Aserianorum in cognationes diuisæ, quorum fines sunt Halcath, Chali, Beten, Axaph, Elmelech, Amaad, Messal: pertingunt ad Carmelum in occidentem, & ad Sihor Labanath. Inde uersus ortum solis ad Bethdagonem reuersi, pertinent ad Zabulonios, & ad uallem Iephtaelis in

Aserianorum fines.

C

septentriones, in Bethemec, & Nehiel, & in Cabul exeunt ad sinistram, & Ebron, Rohob, Hammon, & Cana, ad Sidonem maiorem: reductiq; in Ramam usque ad Tyrum munitam urbem, reflectuntur in Hosam, desinuntq; fines in mare à sorte Axibæ, Ammam, Aphec, & Rohob complexi: oppida sunt uiginti duo, præter eorum pagos. Hæc est Aserianorum tribus generatim ducta hæreditas, oppida cum suis pagis. Nephthalensibus sexta sors euenit, ducta per cognationes, quorum fines patent ab Heleph, ab Allone per Saanannim, Adami, Neceb, & Iabnel ad Lecum: desinuntq; in Iordanem. Tum in occidentem reuersi ad Azanothabor, & inde perducti ad Hucuca, coniunguntur cum Zabulonijs à meridie, & Aserianis ab occidente, & Iudæis Iordane orientali. Oppida sunt munita Sedim, Ser, Hemath, Reccath, Cenereth, Adama, Harama, Hasor, Cedes, Hedrei, Enhasor, Iereon, Magdael, Horem, Bethanath, & Bethsemes, oppida undeuiginti cum suis pagis. Hæc est tribus Nephthalensiū generatim ducta possessio, oppida, eorumq; pagi. Daniæ tribui septima sors contigit per cognationes, quorum possessionis fines sunt Saraa, Estaol, Irsemes, Selebim, Aialon, Iethalo, Elon, Thamnata, Accaron, Eltece, Gebbethon, Balaath, Iehud, Banebarac, Gethremmon, Meiercon, Raccon cum tractu in Ioppæ fronte posito. Egressi autem suis finibus Danij, Lesemā bello adorti sunt, captamq; & ferro uastatā occupauerunt, atq; incoluerūt, & Lesemam, Danem, à Danis sui conditoris nomine uocarūt. Hæc est tribus Daniorum in cognationes distributa hæreditas, oppida illa, eorumq; pagi. Cum autem iam terram in suos fines partiti essent Israelitæ, Iosuæ Nunis filio possessionem in medio suarum ex Iouę pręcepto dederunt, scilicet Thamnathsaram, quod oppidum in monte Ephraimitico positum poposcit, idq; ędificauit ac incoluit. ¶Hę sunt possessiones, quas Eleazarus pontifex, & Iosua Nunis filius, & familiarum principes, Israelitarum tribubus sorte diuiserunt apud Siluntem, coram Ioua, pro oraculi tabernaculo.

Nephthalensium fines.

Daniorum fines.

D

CAPVT XX.

Ioua Iosuæ de asylis præcepta dat.
Num.35.a
Deut.19.a

Post diuisam terrā Ioua cum Iosua ita locutus est: Admone Israelitas, ut deligant oppida perfugij, de quibus uobiscū per Mosem locutus sum, ut eò perfugiant percussores, si quis hominē errore & imprudenter occiderit, quibus oppidis ad sanguinis uindices effugiendos utamini. Fugiet percussor in aliquod istorum oppidorum, & ad oppidi portam astans, apud eius oppidi senatores causam suam dicet, B & illi ei ad se in oppidum recepto locū dabūt, ubi apud ipsos habitet. Quòd si sanguinis uindex eum persequetur, ne dedant ei, quoniā insciēter alterum occiderit, quē nullo antea prosequebatur odio. Maneat autē in eo oppido, donec causam in cōcilio dixerit, usque ad mortem pontificis, qui erit tēporibus illis. C Tunc reueniat domū in oppidum suū, ex quo aufugerat. Igitur ad eam rem cōsecrarunt Cedesam in Galilęa, in mōte Nephthalensi, & Sichemā in monte Ephraimitico, & Cariatharbam, id est Hebronē in monte Iudææ. Trans Iordanē autem Hierichuntium ad orientē assignarūt Bosor in solitudine in plano ex tribu Rubenēsi, & Ramotha in Galaaditide ex tribu Gadina, & Gaulonē in Basana ex tribu Manassensi. D Hæc sunt oppida omnibus & Israelitis, & apud eos peregrinātibus destinata ad perfugium, si quis hominem per errorem occiderit, ne à uindice sanguinis indicta causa perimatur.

Deut.4.g.

CAPVT XXI.

Leuitarū oppida.
Num.35.a.

Principes autē Leuiticarū familiarū, Eleazarum sacerdotē, & Iosuā Nunis filium, & principes familiarū Israeliticarū tribuū cōuenerunt, eisq; apud Silontē in Chananęa demonstrarūt, Iouā per Mosem pręcepisse ut sibi darētur oppida ad habitandum, cum suis pomœrijs, propter pecudes. Itaq; Leuitis dederūt Israelitę de suo patrimonio, ex Iouę mādato oppida quę iā dicentur, cū suis pomœrijs. Cumq; sors Cahathinorū cognationibus contigisset, sortiti sunt Aharonis pontificis filij Leuitæ ex Iudę, Simeonis & Beniaminis tribubus, oppida tredecim. Reliqui Cahathini ex [a] cognationibus tribuū Ephraimi, Danis, & dimidię Manassis, oppida decem. Gersonij ex cognationibus tribuū Issacharis, Aseris, Nephthalis, & dimidię Manassis in Basana, tredecim. Merarensiū cognationes ex Rubenis, Gadi & Zabulonis tribubus duodecim. Hęc igitur oppida cū suis pomœrijs sorte dederūt Israelitę Leuitis, sicuti Ioua per Mosem pręceperat. B Et ex Iudæ quidē & Simeonis tribubus dederūt hęc oppida, quę iā suis nominibus appellabūtur, Aharonis filijs, Cahathinorū gētilibus Leuitis (his enim primò sors accidit) dederūt Cariatharbā, ab Arba Enaqui patre denominatā, id est Hebronem, in monte Iudææ, & eius circūquaque pomœria. Agrū autē oppidanū & pagos, Calebo Iephonis filio dederūt in possessionē. Igitur Aharonis sacerdotis filijs oppidū dederunt ad percussorū perfugiū, Hebronem cum suis pomœrijs, Lebnan, Iattir, Estemoan, Holonē, Dabir, Ain, Iotā, & Bethsemē, cū suis quodq; pomœrijs, oppida nouem, ex his duabus tribubus. Ex Beniaminis autem tribu, Gabaonem, Gabam, Anathotha & Almonem, oppida quatuor, cum suis quodq; pomœrijs. Summa oppidorū Aharonis filiorū sacerdotū efficitur tredecim, unà cū eorū pomœrijs. Reliquis Cahathinorum

[a] hoc est, cognationum finibus.

hathinorum Leuitarũ cognationibus, qui ex Ephraimi tribu sunt oppida sortiti, dederũt oppidum percussorũ asylum, Sichemã in monte Ephraimitico, Gazer, Cibsaim, & Bethoronẽ, oppida 4, cum suis quoq; pomœrijs. Ex Da-
C nis autẽ tribu Eltece, Gabathonẽ, Aialonem, & Gethremmonẽ, oppida 4, cum suis quoq; pomœrijs. Ex dimidia tribu Manasśis, duo: Thanach & Gethremmonẽ, cum suis pomœrijs. Summa oppidorũ quę reliquorum Cahathinorũ cognationibus data sunt, est decẽ. Gersonijs autẽ Leuitarum gẽtilibus ex dimidia tribu Manasśis datum est oppidũ perfugij Gaulon in Basana & Beestera, oppida duo cũ suis pomœrijs. Ex Issachariana tribu Cesion, Dabereth, Ierimoth, & Engannim: oppida quatuor, cum suis quoq; pomœrijs. Ex tribu Aseris, Messal, Abdon, Helcath & Rohob, oppida quatuor cũ suis pomœrijs. Ex tribu Nephthalis oppidum perfugij Cedes in Galilæa, Hammothor & Carthã, oppida tria cũ suis pomœrijs. Oppidorũ Gersonijs cognationibus datorum summa est 13, cum eorum pomœrijs. Reliquorum Leuitarũ, scilicet Merarensiũ cognationibus ex tribu Iabulonis Iecanam, Chartha, Damna & Nahalol, oppida quatuor cum suis pomœrijs. Ex tribu Rubenis, Bosor, Iasa, Cedemotha & Mephaat, oppida quatuor cũ suis
D pomœrijs. Ex tribu Gadi oppidũ perfugij Ramotha in Galaaditide, Mahanaim, Hesebon et Iaser, oppida omnino 4, cũ suis pomœrijs. Oppidorum quę Merarensiũ cognationibus (quę reliquę erant ex Leuitarũ familijs) sorte obtigerunt, summa est 12. Leuitarũ oppida inter Israelitarũ possessiones sita, sunt omnino duodequinquaginta, eaq; omnia suis undiq; circũdata pomœrijs. Atq; ita Ioua Israelitis omnẽ terrã, quã se daturũ esse maiorib. eorũ iurauerat, occupandã dedit, atq; incolendã, eosq; ita quietos undique reddidit, sicut eorum maiorib. iurauerat, ut hostiũ nemo eos sustinuerit, quin oẽs eis dederet, nulla prorsus omissa re eorũ bonorũ quę Israelis domui promiserat, quin eueniret omnia.

CAPVT XXII.

Iosua trãsiordaninos Israelitas dimittit.

TVm Iosua uocatis Rubenitis, Gadinis, & dimidia tribu Manasśis, cum eis ita locutus est: Vos quidem omnia uobis à Iouæ seruo Mose præcepta executi, mihi per omnia dicto audientes fuistis, neq; ad hunc diem fratres uestros hoc tanto tẽpore deseruistis, Iouæq; Dei uestri mandatum curastis exequendum. Nunc postquã Ioua Deus uester fratres uestros, quẽadmodum eis promiserat, in requietẽ uindicauit, redite iam domũ in terrã uestræ possessio-
Num. 32. f. nis, uobis à Iouæ seruo Mose trans Iordanẽ tributã. Cęterùm etiã atq; etiã curate, ut disciplinæ legiq; uobis à Mose Iouæ seruo traditæ pareatis, ut Iouam Deum uestrũ amantes, huius uijs omnibus gradiamini, huius pręcepta conseruetis, huic hæreatis, hunc toto corde totoq; animo colatis. Tum eos faustis ominibus pro-
B secutus dimisit. Illi domũ discesserũt. Dimidiã quoq; tribũ Manasśis, cui Moses possessionẽ in Basana dederat (nã alteri dimidiæ Iosua cis Iordanem ad occidẽtem cum eorum fratribus dedit) domũ dimisit Iosua, eisq; bene precatus monuit ut domũ cum multis opibus, cum maximo pecorũ, argenti, auri, æris, ferri, uestis numero reuersi, hostiũ spolia cũ suis fratribus partirentur. Igitur Rubenitæ, Gadini, & dimidia tribus Manasśis, ab Israelitis Silunte, quæ in Chananęa sita est, digressi, in Galaaditidẽ suæ possessionis terram, quam à Mose posśidendã ex Iouæ mandato acceperant, reuerti contenderunt. Atq; ubi ad ripam Iordanis, quæ est in C

Trans Iordanem ara construitur.

Chananæa peruenerunt, illic ingẽti mole aram ad Iordanẽ construxerunt. Quod ut intellexerunt Israelitæ, Rubenitas, Gadinos & Manasśis tribum dimidiã construxisse aram in fronte Chananææ, in ripa Iordanis exaduersum Israelitis, omni multitudine ad Siluntem conuenerunt, ut aduersus illos expeditionẽ facerent, & ad eos in Galaaditidem Phineem Eleazari filium sacerdotẽ miserũt, & cum eo decem principes suæ quemq; familiæ, ex singulis Israeliticarum copiarũ tribubus primarios: qui ad eos in Galaaditidẽ profecti, cum eis locuti sunt in hunc modũ: Hæc uobis dicit uniuersa Iouana respublica. Quid tantum scelus cõtra Israelitarum Deum Iouã suscepistis, ut hodie ab eo deficientes, aram ad rebellionẽ contra eum exci-

Legati ad trãsiordaninos de ara missi.

taueritis? Parum'ne nobis erat Phegoriũ illud D *Num. 25. 4*
crimen, à quo nondũ purificati sumus (tantum Iouana respublica uulnus accepit) nisi uos hodie à Ioua deficiẽtes, eum uestra rebellione irritaretis ad sęuiendum paulo pòst in uniuersam Israelitarum rempublicã? Quòd si uestræ possessionis immunda terra est, migrate in terram possessionis Iouæ, in qua Iouę tabernaculũ habetur, eamq; inter nos posśidete: ne'ue Iouam, ne'ue nos irritate, dum uobis aram pręter aram Iouæ Dei nostri extruitis. An nõ, cum Zarę filius Achan sacrilegio deliquisset, sęuitum est in uniuersam Israelitarũ rẽpub. neq; solus ille sua
culpa perijt? At Rubenitę, & Gadini, & Manasśis tribus dimidia, copiarum Israeliticarum principibus responderũt in hæc uerba: Deum deorum Iouã, Deum deorum Iouam contestamur (& hoc sciant Israelitę) ut si per rebellionẽ & per scelus contra Iouam fecimus, ut aram nobis extrueremus ad deficiendũ à Ioua, & ad solida sacrificia, aut ad fertũ, aut ad rem diuinã in ea pro salute faciendã: tum Ioua ipse nobis non modò nõ subueniat, uerùm etiam pœnas irroget. Quin hoc eo consilio atq; ratione fecimus, ne quãdo posteri uestri negent posteris nostris quicquã esse rei cum Ioua Israelitarũ Deo, qui quidẽ Rubenitas & Gadinos ab Israelitis interposito Iordane disterminauerit: itaque nihil eos habere iuris cum Ioua: atque ita eos à Iouæ metu abstrahãt. Hanc ob rem statuimus, aram nobis ędificandam esse non ad solidum sacrificium, nõ ad sacrificium, sed ut testis sit inter nos

E Transiordaninorum responsio.

F & uos, interq; posteros nostros, ad Iouæ cultũ coram ipso procurandum, siue solida sacrificia, siue sacrificia, siue pro salute faciemus, ne quando nati uestri nostris obijciant, nihil eos habere cõmercij cum Ioua. Id si nobis, aut aliquãdo

posteris nostris obiecerint, ut opponamus eis exemplar altaris Iouæ à maioribus nostris non ad solidum sacrificium facti, nõ ad sacrificium, sed quò inter nos & uos testis esset. Absit à nobis ut hodie rebelles, à Ioua deficiẽtes, arã construamus ad solidum sacrificiũ, aut ad fertũ, aut ad sacrificiũ, præter aram Iouę Dei nostri, quæ ante eius tabernaculũ sita est. His Rubenitarũ, Gadinorũ, & Manassensiũ uerbis auditis, delectati sunt Phinees sacerdos, & reipublicæ pri-

G mores, copiarumꝗ Israeliticarũ principes, qui unà erant: eisꝗ Phinees ita respõdit: Hodie uidemus Iouam inter nos uersari: postquam uos istud scelus in eum non cõmisistis, in quo Israelitas ab eius manu liberastis. Tum redierũt Phinees Eleazari filius sacerdos, & primates illi, à Rubenitis & Gadinis, ex Galaaditide in Chananæam ad Israelitas, eisꝗ negotiũ renunciarũt. Qua re delectati Israelitæ, Deo gratias egerunt, neꝗ statuerunt expeditionem in illos facere ad uastandam terram, quam Rubenitæ & Gadini incolebant. Vocarunt autem Rubenitæ & Gadini aram [a] Ed, quòd ea testis esset, inter eos Iouam esse Deum.

Phinees sacerdos.

a hoc est testis

CAPVT XXIII.

Iosuæ morituri ad Israelitas oratio.

Longo tempore postquã Ioua Israelitas ab omnibus undiꝗ hostibus quietos reddidit, Iosua iam ętate ad senectutẽ prouecta, omnes Israelitas senatores, & principes, & iudices, & magistratus conuocauit, & apud eos ita uerba fecit: Ego quidẽ consenui, & ętate processi, & uos uidetis quę facinora Ioua Deus uester aduersus has nationes uestra causa fecerit. Nã Ioua Deus uester, is est qui pro uobis pugnauit. Attẽdite: Ego uobis per tribus sortitus sum hereditatẽ tam reliquarum adhuc harũ nationum, quàm omniũ à me euersarũ, à Iordane ad mare occiduum. Cæterũ ipse Ioua Deus uester eas uobis fugauit, exterminauitꝗ, & uos earũ terrã occupastis, sicut ipse uobis promiserat. Igi-

B tur pro uiribus etiã atꝗ etiam curate, ut omnia in legis Mosaicæ libro descripta sic exequamini, ut ab eis nec ad dextrã, nec ad sinistrã deflectatis, nec cũ istis reliquis apud uos nationibus uersantes, deorũ earũ nomen usurpetis, eos' ue iuretis, colatis, adoretis, sed Iouæ Deo uestro adhæreatis: quod cũ hactenus feceritis, ipse uobis magnas potentesꝗ nationes sic expulit, ut hactenus nemo cõtra uos stare potuerit, singulis uestrûm millenos persequẽtibus: utpote Io-

C ua Deo uestro pro uobis, ut promiserat, pugnãte. Quamobrem curate diligenter, si salui esse uultis, ut Iouã Deum uestrũ ametis. Nam si mutati, cum reliquis his nationibus apud uos relictis cohæseritis, cumꝗ eis cõnubia miscueritis, & mutuã necessitudinẽ habueritis, scitote Iouã Deum uestrum nõ iam uobis istas omnes nationes expulsurũ esse, sed eas uobis fore tanquam decipulã quandã, & obicem, & laterum stimulũ, & ad oculos spinas, eousꝗ, ut auferamini ex hac tam bona terra, uobis à Ioua Deo uestro data. Equidẽ iamiam eò discedo, quò so-

D let omne genus humanũ: uos hæc toto animo attendite, & memorię penitus infigite: uidelicet queadmodũ omnia bona, quæ Ioua Deus uester sese in uos collaturũ esse promiserat, ita uobis euenerunt, ut nullũ prorsus omissum sit: sic futurũ esse ut idẽ uobis tot res aduersas importet, ut uos ex hac tam bona terra, uobis à se data, perditos auferat, si uiolato Iouę Dei uestri uobis mandato fœdere, deos alienos secuti adoraueritis: utꝗ uobis irascẽte Ioua, celeriter ex tam bona terra, uobis ab eo data, pereatis.

CAPVT XXIIII.

Iosua apud Israelitas Dei in eos merita cõmemorat. *Gen. 11. d.*

Igitur omnibus Israelitarũ tribubus Sichemã cõgregatis, euocauit Iosua Israelitas senatores, & principes, & iudices, et magistratus, ijsꝗ coram Deo astantibus, ad uniuersum populũ hãc orationẽ habuit. Sic dicit Ioua Deus Israelitarũ: Trans flumen olim incoluerunt maiores uestri, Thara, Abrahami Nachorisꝗ pater, coluerũtꝗ deos alienos. Sed ego illinc patrẽ uestrum Abrahamum flumen traduxi, & per omnem Chananæorum terram duxi, eumꝗ numerosa progenie donaui, et ei Isaacum dedi. Isaaco autẽ Iacobum & Esaum. Esao Seir montẽ occupandum assignaui. Iacobus, eiusꝗ filij, descenderũt in Aegyptũ. Inde ego uos postea, misso Mose & Aharone, cũ insignes illas Aegyptijs clades intulissem, eduxi. Cumꝗ à me educti ex Aegypto, ad mare uenissent maiores uestri, & Aegyptiorũ quadrigarijs equitibusꝗ eos ad mare rubrũ persequentibus, Iouã inuocarent, ego inter uos & Aegyptios interiecta caligine, illos immisso mari obrui, spectantibus oculis uestris mea in Aegyptios facinora. Deinde cũ diu in solitudine fuissetis, adduxi uos in terram Amorræorum trasiordaninorũ, eosꝗ uobiscũ armis dimicantes, uobis dedidi: eisꝗ uestra causa deletis, eorum terrã uobis tenendam dedi. Extitit etiã Balacus Sephoris filius, Moabitarum rex, qui Israelitas bello lacesseret: qui cum Balaamũ Beoris filium ad uos deuouendos accersiuisset, ego nõ solum Balaamum audire nolui, sed uos ab eo ita liberaui, ut etiã uos faustis ominibus prosequeretur. Deinde cũ traiecto Iordane peruenissetis ad Hierichuntem, ego uobis bello repugnantes Hierichuntios, Amorræos, Pherezęos, Chananæos, Hettęos, Gergesęos et Iebusæos dedidi, præmissisꝗ crabronibus, duos Amorręos reges uobis, nullo uestro nec ense nec arcu fugaui: uobisꝗ & terram non uestro labore cultam, & oppida non à uobis extructa, habitanda dedi, effeciꝗ ut uineis & oliuetis, quę non conseuistis, uescamini. Quamobrem Iouam metuite, eiꝗ sincerè & uerè seruiẽtes, cultos à maioribus uestris trans flumẽ & in Aegypto deos tollite, Iouamꝗ colite. Quòd si uobis Iouam colere non placet, deligite uobis hodie quos sitis culturi deos: eos' ne quos maiores uestri trãs flumen coluerunt, an deos Amorręorum, quorum uos terram incolitis. Nam ego quidẽ, domusꝗ mea, Iouę seruiemus. ¶ Tum populus in hãc sententiam respondit: Absit ut nos Ioua relicto, dijs seruiamus alienis. Nã Ioua Deus noster is est, qui nos maioresꝗ nostros ex domicilio seruitutis Aegyptiæ eripuit: idẽ fecit in oculis nostris ingen-

Gen. 12. a 25. d

Gen. 36. a & 46. a

B

Exod. 3. c 12. f. & 14. a

Num. 21. a & 22. a

C

D

strìs ingentia illa miracula, nosq; in omni no-
stro itinere, & inter omnes, per quas iter feci-
mus, nationes conseruauit. Ioua nobis omnes
populos, Amorræosq; montanos extermina-
uit: & nos Iouam, quippe Deum nostrum, cole
E mus. ¶ At Iosua: Nō poteritis seruire Iouæ. Ete-
nim est Deus sanctus, Deus obtrectator: non
feret uestra peccata & delicta. Quòd si Ioua re
licto deos peregrinos coletis, alienabitur à uo-
bis: & quibus benefecit, eosdē uos malis confi
ciet. At populus: Imò Iouę seruiemus, inquiūt.
Et Iosua: Ergo hodie testamini, uos Iouā uobis
deligere ad colendum: & illi: Testamur. Ergo
sublatis istis, qui sunt apud uos dijs externis,
animos uestros ad Israelitarum Deum Iouam
F appellite. Atque illi: Iouæ Deo nostro seruie-
Iosua cum populo fœdus facit. mus, & dicto audientes erimus. Igitur Iosua fœ
dus eo die cū populo ferijt, eisq; instituta atq;
iura Sichemæ imposuit: cumq; ea uerba libro
diuinę legis inscripsisset, saxum ingens ibidem
sub quercu, apud Iouę sacrarium sita, erexit: &
ecce saxū hoc (inquit ad uniuersum populum)
nobis testis erit (etenim audiuit omnia quæ Io
ua nobiscum locutus est) testis erit, inquā, ad-
uersum uos, ne datam Deo uestro fidem falla-
Iosua moritur. tis. Deinde eos ad suū quemq; patrimonium
dimisit. ¶ His ita gestis, mortuus est Iosua Nu-
G nis filius, Iouę seruus, annos natus decē supra
centum, & sepultus in finibus sui patrimonij,
Thānathserę, in mōte Ephraimitico sitę ad se-
ptentrionē Gaasi mōtis. Coluerūt aūt Iouam
Israelitæ toto tempore Iosuę, et senum qui post
Iosuam produxere uitam, quiq; tot illa Iouę er-
Gen. 50. d & 33. d ga Israelitas facinora uiderant. Iosephi autem
ossa ab Israelitis ex Aegypto deportata sepelie
runt Sichemę, in agri fundo, quem Iacobus à
filijs Hemoris patris Sichemi centum quæsitis
emerat, quiq; Iosephæis hæreditate cesserat. E-
Eleazar moritur. leazarus quoque Aharonis filius mortuus est,
& sepultus in colle Phineis filij sui, qui fuerat
ei datus in monte Ephraimitico.

IVDICES.

CAPVT I.



POST mortē Iosuæ, cōsuluerūt
Israelitę Iouam,
qui'nam suorū
primi bellū Cha
nanęis inferret.
Iudæi Chananæis bellum principes inferunt. Quibus cum Io
ua Iudæos re-
spondisset, his
enim se terrā il-
lam dedere, asci
uerunt Iudæi in sortem suam, Simeonios fratres
suos, ad bellum Chananęis inferendū, sese illo-
rum sorti uicissim adfuturos polliciti: cumq;
eis profecti, Ioua Chananęos & Pheresæos in
B eorum manum tradente: decē hominum millia
Adonibezecus. apud Bezec occiderūt, nactiq; Adonibezecū
apud Bezec, commissa cum eo pugna, Chana-
næos & Pherezęos fuderūt, fugientemq; Ado
nibezecum persecuti, comprehenderunt, & ei
manuum pedumq; pollices amputarunt, cum
quidē ille dixit, septuaginta se regulos habuis-
se, qui manuū pedumq; pollicibus mutilati, mi
cas sub mensa sua colligerent: ergo ut fecerat
ipse, ita sibi diuinitus fieri: deductusq; ab eis
Hierosolymā, ibi mortuus est. ¶ Iudęi aūt illato *Capitur Hierosolyma.*
Hierosolymis bello, ea cæperunt, ferroq; uasta
runt, & a urbē igni incēderunt. Deinde descen-
derūt ad oppugnādum Chananæos mōtanos,
& inferioris tractus incolas: aggressiq; Chana- C
næos Hebronis incolas (quæ Hebron olim Ca *a scilicet arce ab hostibus retenta. nā paulo pòst negantur inde exacti Iebusæi.*
riatharba dicta est) Sesaim, Ahimanē, & Thol
maim occiderunt. Inde adorti sunt incolas Da
biris, quod olim Cariatsepher appellatum est,
ubi Calebus Axam filiā suā in matrimonium
spopondit ei qui Cariatsepher superasset, atq;
cepisset: idq; cæpit Othoniel Cenezi fratris *Ios. 15. d.*
Chalebi natu minoris filius, itaq; illius filiam *Othoniel.*
Axā duxit uxorē. Hæc in itinere cum uiro per- *Axa Chalebi filia.*
suasisset, ut à patre suo agrum peteret, gemebat
ex asino: & Chalebo quęrēti quid haberet: ab
eo in beneficij loco petiuit, ut cum sibi siticulo
sam terram dedisset, etiā aquationē daret. Itaq; D
Chalebus ei & superiorē & inferiorē aquatio-
nē dedit. ¶ Cenis aūt soceri Mosis filij, ab oppi-
do palmarum cum Iudæis in Iudææ solitudinē
ab Aradi meridie positā profecti sunt, ibiq; cū
illis habitarunt. Igitur Iudęi cum Simeonijs fra
tribus suis, Chananęos Sephathi incolas inua-
serunt, eisq; superatis oppidum funditùs euer-
terunt, Hormāq; nominarunt: cæperuntq; Iu-
dæi Gazā, Ascalonē, & Accaronē, earumq; fi-
nes: & adiuuante Ioua, montana occuparunt. E
Nam uallis quidē incolas, qui ferreis utebātur *Num. 14. d.*
curribus, exturbare nequiuerunt. Calebo autē
ex Mosis mandato Hebronē dederunt, qui il-
linc tres Enaquinos expulit. At Hierosolymi-
tanos Iebusæos nō eiecerunt Beniamitæ: itaq;
manēt Iebusęi cum Beniamitis Hierosolymæ
in hunc diem. ¶ Iosephi quoq; posteri Bethel fa *Iosephidæ Bethel capiunt.*
uente Ioua adorti sunt, cuius olim nomē fuerat
Luza: in qua exploranda custodes hominem
quendā conspicati ex oppido egredientē, ius-
serunt ut sibi oppidi ingressum ostenderet, sese
eius miserturos: ostēsoq; ab illo introitu, oppi-
dum ferro uastarunt, illo cum sua cuncta cogna
tione dimisso: qui in terrā Hettæorum profe-
ctus, oppidum extruxit, Luzāq; nuncupauit, F
quod nomē adhuc manet. Sed Bethsanē, Tha *Quæ loca non occupauerint Israelitæ.*
nachum, Dorios, Ieblamēses & Maggedonen
ses, eorumq; municipia nō occupauerunt Ma-
nassenses, ausiq; sunt Chananæi fines illos inco
lere. Quanquam superiores facti Israelitę, illos
tributarios fecerūt, sed nō expulerūt. ¶ Ephrai-
mitę quoq; Gazerenses Chananęos nō eiece-
rūt: manentq; inter eos Chananęi Gazerę, sed
tributū pendētes. ¶ Neq; Zabulonij Cetronen
ses & Nahalolenses: manentq; apud eos Cha-
nanęi, quanquam sub tributo. ¶ Neq; Aseriani
Acconenses, neq; Sidonios, neque Ahalaben-
ses, neque Axibenses, neque Helbanos, neque G
Aphecenses, neq; Rohobēses: habitātq; Ase-

riani inter Chananæos incolas, quippe quos nō expulerint. ¶Nephthalenses nō exegerunt Bethsemenses, neq; Bethanathēses: habitātq; inter Chananæos incolas, tametsi Bethsemēses Bethanathensesq; tributarios habēt. ¶Danios autem Amorræi cōpulsos in montana, nō siuerūt in ualles descēdere, ausiq; sunt tenere montem Harem, Aialonem & Salebim: quāquam Iosepheis præualentibus, facti sunt tributarij. Comprehenduntur autem Amorræorum fines, quà regio patet à cliuo scorpionū supra rupē.

CAPUT II.

Iouæ nuncius Israelitas obiurgat.

AScendit autē Iouæ nuncius à Galgalis ad Bochos, atq; ita locutus est: Ego uos ex Aegypto eductos, in terrā introduxi, quā maioribus uestris iurauerā: & quidē statuerā inire uobiscū fœdus nunquam rumpere, si modò uos quoque nullo cum incolis icto fœdere, eorū aras dirueretis. Sed uos mihi non obtemperastis. Itaq; quoniam istud fecistis, ego uicissim decreui eos uobis non expellere, ut & ipsi uos extimulēt, & eorū dij uobis detrimēto sint. Hæc ad omnes Israelitas eloquēte Iouæ nuncio,

B *Bochi locus à ploratu dictus.*

illi sublata uoce in ploratū eruperunt, atq; inde locū illum Bochos nomine uocarūt, & illic Iouæ sacrificarūt. ¶Igitur dimissi à Iosua Israelitæ, cū in sui quisq; patrimonij possessionē uenissent, Iouā coluerunt toto tempore Iosuæ, seniorumq;, qui Iosuæ superstites, tāta illa Iouæ erga Israelitas facinora uiderāt. ¶Sed mortuo Iosua Nunis filio, Iouæ seruo, annos nato decē supra centū, & in suæ possessionis finibus sepulto * Thamnatare in mōte Ephraimitico, ad septentrionem mōtis Gaasi, necnon toto illo genere uita defuncto: extitit post illos aliud hominū seculū, quod & Iouā, & Iouæ erga Israelitas facta ignoraret. Itaq; offenderūt Israelitæ Iouam, Baalesq; coluerūt, & omisso Ioua maiorū suorū Deo, à quo fuerāt educti ex Aegypto, deos alienos, uidelicet finitimarū gentiū, secuti, adorarunt: atq; ita offenso relictoq; Ioua, Baalē & Astarothū coluerūt.

* hæc in Iosua uocatur Thamnathsara.

Israelitæ deos alienos colūt, eamq; ob causam sæuitur in eos.

C

¶Quare iratus in Israelitas Ioua, tyrannis eos diripiendos tradidit, & finitimis hostibus ita addixit, ut eis iā resistere non possent: ac quocunq; exirent, Iouæ manū infestam haberent, ut ipse Ioua prædixerat, futurumq; iurauerat. ¶Cūq; eis ita pressis Ioua præsides suscitaret, qui eos à tyrannorū iniuria defenderent, ne præsidibus quidē obtēperabant, quin sese dijs alienis prostituerēt, eosq; adorarēt, statim à maiorū moribus, atq; ab exequendis Iouæ præceptis degenerātes. ¶Quòd si quo præside suscitato, Ioua eos, præsidē adiuuās,

D

ab hostium iniuria toto præsidis tempore uindicauerat, flexus uidelicet eorū gemitu, quē tyrannorum crudelitas exprimeret: tamen præside mortuo, patres suos iterū peruersitate superabant, deorum alienorū seruitium cultumq; sequentes, neq; à pertinacibus suis studijs moribusq; desciscētes. ¶Quamobrem iratus Israelitis Ioua, decreuit, quoniā homines illi, uiolato fœdere, quod sibi cū illorū maioribus intercedebat, sibi dicto audiētes nō fuissent, se quoq; neminē eis expellere gentiū illarū, quas moriens Iosua reliquisset, ut ita Israelitarū periculū faceret, an more maiorū ex Dei præscripto uiuerent, an cōtrà. Hanc ob causam gentes illas exturbare distulerat: neq; eas Iosuæ subdiderat.

CAPUT III.

Quæ nationes non exegerint Israelitæ.

SVnt autem hæ gentes, quas omiserat Ioua, Israelitarū per eas tentandorum gratia, quicunq; illa tot Chananaica prælia nescirēt, uidelicet ut disceret Israelitarū soboles ignotum sibi antea bellum gerere. Quinq; Palæstinorū præfecturæ, omnesq; Chananæi & Sidonij & Heuæi, Libani montis incolæ, à mōte Baalhermone, ad Hematham usq;. Hi ad explorādos Israelitas relicti fuerunt, ut sciretur an Iouæ præceptis, quæ eorum maioribus per Mosem tradiderat, obtemperarent. ¶At Israelitæ inter Chananæos, Hettæos, Amorræos, Pherezæos, Heuæos & Iebusæos agētes, illorum filias sibi uxores ducere, suas illorū filijs uicissim nuptum dare, illorumq; deos colere, & Ioua Deo suo suis flagitijs offenso, & obliuioni tradito, Baalibus & Astarotho seruire. ¶Quibus rebus indignatus in Israelitas Ioua, eos Chusanrasathaimo Mesopotamiæ regi addixit.

B *Chusanrasathaimus Mesopotamiæ rex. Othoniel.*

¶Huic cū octo annos seruiuissent, Iouā inuocarunt, qui eis defensore suscitato subuenit, Othoniele Cenezi fratris Chalebi minoris filio. Is Iouæ spiritu præditus, Israelitis præfuit, et ad bellum egressus, Chusanrasathaimū Mesopotamiæ regē, sibi à Ioua in potestatē datum, superauit, atq; ita ociū fuit annos quadraginta. ¶Sed mortuo Othoniele Cenezi filio, Israelitæ denuò Iouā offenderunt: qui eorum sceleribus motus, Eglonē Moabitarum regem aduersus eos cōfirmauit: qui ascitis Ammonitis & Amalechitis, Israelitas adortus uicit, urbemq; palmiferā occupauit. Huic Egloni cum annos octodecim seruiuissent, Iouā implorarunt, qui eis defensorē suscitauit, Aodum Geræ filium, Ieminis nepotē, hominē * scæuam.

Eglō Moabitarum.

Aodus. * a læua manu pro dextera utentem.

C

¶Hic, cum per eum munus ab Israelitis Egloni Moabitarum regi mitteretur, sicā sibi fecit ancipitem breuē, qua sub ueste accinctus ad femur dextrū, munus Egloni, homini per quàm obeso, obtulit. Eo oblato, deducit eos qui munus attulerant. Ipse à simulachris, quæ erant apud Galgala, reuersus, sic Egloni dicit: Habeo ad te quiddā arcanum rex. Cumq; ille solitudinem imperasset, & omnes qui aderant, ab eo exijssent: Aodus ad eum solū in æstiuo cœnaculo sedentē, accedit, seq; ad eū diuinū habere mādatum denunciat: cumq; ille de solio surrexisset, Aodus capit sinistra manu sicam, ex dextro femore, & uentrē illius tanta ui trāsuerberat, ut adacto post mucronem capulo, & ferro adipe obstructo, cum Aodus sicā de uentre nō extraxisset, stercus erumperet. Deinde clauso atq; obserato cœnaculi ostio, per ambulacrū egredit. Eo egresso, accedūt regis asseclæ, et animaduer-

D

so cœnaculi ostio obserato, arbitrabantur regē in cœnaculi cōclaui purgare aluū. Sed cum iam eos moræ tæderet, neq; ille ostiū operiret, clauē sumūt, & aperta ianua dominū suū humi iacētē exanimū aspiciūt. ¶At Aodus, cūctātibus illis, euadit: prætéritisq; simulachris, ut ad Seirathā

peruasit,

peruasit, tubā in mōte Ephraimitico sonat: deuocatisq; de monte Israelitis, ipse dux eorū, cohortatur ut se sequantur, hostes enim Moabitas eis à Ioua in manū tradi. Ita eū secuti, uada Iordanis occupant, quà traiectus est in Moabitas, neq; quenquā trāsire sinūt. eoq; tēpore occiderūt Moabitarum circiter decē millia, praecipuos oēs & potentes, neq; quisquā effugit. Ita subactis eo die sub Israelitarū potestatē Moabitis, fuit otiū annos octoginta. ¶Post hunc fuit

Sangar.

Sāgar Anathi filius, qui & ipse Israelitas defendit, cęsis baculo, q̄ boues stimulāt, sexcentis Palaestinis.

CAPUT IIII.

Iabin Hasoris rex.

SEd Aodo mortuo, Ioua iterū Israelitarū facinoribus offensus, eos addixit Iabini Chananaeo regi Hasore regnāti, cuius dux exercitus Sisara, Harosethi Goiorum habitabat, sub quo Israelitę Iouā inuocarunt. Is enim nōgentos habēs currus ferreos, Israelitas uiginti iam annorū tyrānide opprimebat. ¶Ea tempestate Debora, mulier uates, Lapidothi coniux, Israelitis praesidebat, habitans sub palma Deborae, inter Hormā & Bethel, in Ephraimitico mōte,

Debora uates foemina

ab eaq; ius petebāt Israelitae. Haec Baraco Abinoami filio, à Cedesa Nephthalensiū accersito, cum eo sic egit: Imperat tibi Ioua Deus Israelitarū, ut eas ad habendum delectū in Thabore mōte, deq; Nephthalēsib. & Zabulonijs decē hominum millia cōpares: sese enim tibi Sisarā Iabinij exercitus ducē, unà cum suis curribus et copijs, ad fluuium Cisonem pertracturum, et in potestatē esse traditurū. Cui Baracus: Si tu me

B

comitaberis, inquit, ibo: sin nō comitaberis, nō

Baracus.

ibo. Et illa: Equidē te comitabor, inquit, uerūtamen nō tuū erit istius expeditionis decus: nam in foeminę manū addicet Ioua Sisarā. Tū profecta est Debora cū Baraco Cedesam. Et Baracus, cōuocatis ad Cedesam Zabulonijs et Nephthalensib. profectus est, decē hominū millia ipse dux agēs, comitāte Debora. Heber autem

Heber Cenaeus.

Cenęus, à Cenęis Hobabi soceri Mosis posteris L. cognatis suis H. diuisus tabernaculum tetēderat ad quercum in Sennimo apud Cedesam.

Sisara Iabiniani dux.

¶Igitur ubi Sisarę nunciatum est, Baracū Abinoami filiū in Thaborē montē ascendisse, omnes suos currus, uidelicet nōgētos ferreos, omnesq; suas copias ab Harosetho Goiorū, ad flu-

C

uiū Cisonē cępit. et Debora Baracū monuit, ut proficisceretur: eū enim diē esse, quo Ioua Sisa-

Psal. 82. c.

rā in eius potestatē redigeret, & ei sine dubio praeiret. Tū Baracus de Thabore mōte descendit, decē hominū millibus eū subsequētibus. Et Ioua Sisarā, oēsq; eius currus & aciē, armis ante Baracū ita cōturbauit, ut ipse Sisera de curru descēderet, pedibusq; fugeret. Baracus aūt currus & agmē ad Harosethum Goiorū persecutus est, ferroq; caesae sunt ad unū omnes Sisarae copiae. Ipse Sisara pedibus fugit ad tabernaculū Iaelis, uxoris Hebris Cenaei. Erat enim pax inter Iabinē Hasoris regē, & Hebris Cenei do-

Iael Sisarā occidit.

mū. ¶Et Iael ei obuiā egressa, ita dixit: Deflecte domine, deflecte ad me, ne metue. Cumq; ille ad eā in tabernaculū deflexisset, illa eum lodice operuit. poscentiq; aquā ad bibēdum, quòd se sitire diceret: illa aperto lactis sinu, potū dedit, eumq; operuit. Atq; ille ei praecepit, ut pro tabernaculo astaret: ac si quis ueniret, qui ab ea quaereret nūquis illic esset, negaret. At Iael Hebris uxor, tabernaculi clauum sumit, sumptoq; manu malleo, ad eum tacitè accedit, eiq; tēpus clauo trāsadigit, & eū terrę affigit, oppressūq; somno & lassitudine interficit. Deinde superuenit Baracus, qui Sisaram persequebatur, cui Iael in occursū egressa, ita loquitur: Ades huc, ostendā tibi quē tu quęris hominē. Atq; ille ad eam ingressus, animaduertit Sisarā prostratum exanimē, clauo in eius tēpore defixo. Atq; ita depresso diuinitus eo die Iabine Chananęo rege, superiores facti Israelitae, deinceps eū magis magisq; urgebāt, donec eū tandē euerterunt.

CAPUT V.

ATq; eo die Debora & Baracus Abinoami filius in hunc modum cecinerunt.

Deborae carmē de uictoria.

Ob uindicatas Israelitarū iniurias, ob uoluntariū exercitum, gratias agite Iouae. ¶Audite reges, attendite principes: ego Iouā, ego canam, cātabo Iouā Deum Israelitarū. ¶Te, ô Ioua, prodeūte de Seire, te ex agro procedēte Idumaeo, terra concutiebatur: coeli destillabant: nubes aquā effundebāt: ¶montes liquescebāt, in aduentū Iouae, Sina ille in aduentū Iouae Dei Israelitarum. ¶Tēpore Samgaris Anathi filij, tempore Iaelis, desolatae erāt uiae, uiatoribus per deuia facietibus iter: ¶desolati erāt apud Israelitas pagi: desolati erant, donec extiti Debora, extiti mater in Israelitis: ¶qui simulatq; deos B

alienos elegerant, ita se portis cōtinebant, ut in quadraginta millibus Israelitarū neq; clypeus extaret, neq; iaculū. ¶Mihi cordi sunt antistites Israelitarū: ô uoluntarij milites, agite Iouae gratias. ¶Qui nitidas equitatis asinas, qui in iudicijs praesidetis, qui iter facitis, differite de sagittariorū inter aquaria strepitu: ¶ibi praedicetur uirtutes Ioue, uirtutes [a] paganae apud Israelitas praestitę. Iā tandē ad portas populi Iouae descēdatur. ¶Eia, eia, Debora, eia, eia, dic carmē: age Barace, abige captiuos tuos, Abinoami fili: ¶iā tādē imperet reliqui nobiles homines: Ioua nobis imperet per fortissimos, quorū radix est ex Ephraimitis. ¶In ualle posterior fuisti, ô Beniamita, tuis popularibus: ex Machirae descenderūt imperatores, et ex Zabulone qui literaturę sceptrū teneāt. ¶Et quidē dux noster apud Issacharianos cū Debora, itēq; cū Issacharianis, Baracus in uallē pedes missus est. Apud riuos, ô Rubenitę magni, imperiosę mētis, ¶quid sedi- C

stis [b] inter sarcinas ad audiendū gregū balatū: apud riuos, ô Rubenitae magni, mēte sagaces? ¶Cur Galaaditae trās Iordanē se tenuerunt? & Danij, cur in nauibus morati sunt? cur Aseriani ad littus maris sedentes, apud suas se ruinas continuerūt? ¶Zabulonij homines uitā suam morti obiecerūt, & Nephthalēses in editis camporum locis. ¶Ergo cū uenissent reges pugnaturi, commisso à regibus Chananaeis praelio apud Thanacū, ad aquas Mageddonias ¶de coelis, nullo accepto pecuniae stipendio, pugnatū est: ipsa sidera suis ex curriculis cum Sisara dimicarunt.

a quas in liberādis pagis exeruit.

b seruitutē tolerantes, ut asini sarcinas.

micarunt. ¶Illos Cison fluuius abripuit. fluuiũ antiquum, fluuiũ Cisonem peruade anime mi fortiter: ¶Ibi equorũ obtusę sunt ungulę. tanta, tanta erat c rectorũ eorũ incitatio. ¶Execramini Merozã (iubet Iouæ nuncius) execratione prosequimini Merozenses, qui non uenerint
D in auxiliũ Iouæ, in auxilium Iouæ inter fortes. ¶Tu laudabilissima mulierũ es, Iael Hebris uxor Cenæi, mulierũ in tabernaculis degentiũ laudabilissima. ¶Aquã peteti lac dedit in phiala nobili: butyrũ prębuit. ¶Alterã manũ clauo, dextrã aũt malleo admouit fabrili: tundensq; caput Sisaræ perculit, & uulnere tempora perfodit. ¶Ille inter eius pedes labefactus est, cecidit, iacuit. inter eius pedes labefactus cecidit: ubi labefactus est, ibidẽ perditus cecidit. ¶Per fenestrã prospiciens uociferatur mater Sisaræ, per transennã: Cur aduentum differt currus illius? quid morãtur progressus quadrigarum? ¶Nimirũ prædam nacti diuidunt (respondent eius sapientes mulieres primariæ, aut etiã suos ipsa sermones alternans) puellam puellarem in singula capita: prædam uersicolorem Sisaræ: prædam uersicolorem intertextam: uersicolorem intertextam, quæ collo sit exuuiũ. ¶Sic pereant omnes hostes tui, Ioua: tui autem amantes similes sint exoriẽtis cum sua uirtute solis.

c scilicet fugientium.

CAPVT VI.

Madianitæ Israelitis imperant.

ITa ocium fuit annis quadraginta. Deinde offensus ab Israelitis Ioua, eos Madianitarũ potestati septennio subiunxit: qui eis ita superiores fuerũt, ut Israelitæ Madianitarũ metu speluncis sese mõtanis, antrisq;, & munitis locis cõtinerẽt. Atq; ubi sementẽ fecerant Israelitæ, inuadebant eos Madianitæ, & Amalechitæ, atque a orientales: factisq; aduersus eos castris, eius terræ fruges ad Gazam usq; sic depopulabantur, ut neq; uictũ in Israelitarũ finibus, neq; pecus, neq; boues, neq; asinos relinquerent. Etenim cum suis pecudibus & tabernaculis (quorum tantus erat, quantus est locustarũ, numerus) ueniebant, & innumerabili hominũ camelorumq; multitudine, terrã uastando peruadebant. Ita uehemẽter attenuati à Madianitis Israelitæ, Iouã inuocarunt: quibus propter Madianitas inuocantibus, ille hominẽ uatẽ misit,
B qui eis demonstraret, ut Ioua Israelitarũ Deus eos ex Aegypto eduxisset, & ex domo seruitutis eripuisset, ab iniuria Aegyptiorũ, omniũq; qui in eos tyrannidem exercebant, liberatos: illisq; ipsorũ causa exturbatis, eorum terram dedisset, seq; Iouam Deum esse ipsorũ confirmauisset, modò ne deos Amorręorũ reuererẽtur. quorũ in terra habitarẽt: sed eos sibi dicto audiẽtes nõ fuisse. ¶Deinde Ioug genius uenit, seditq; sub quercu Ioæ Abiezeriani apud Ephrã posita: & Gedeoni illius filio, triticũ in torculari ad effugiendos Madianitas trituranti, apparuit, & eũ sic est allocutus: Adest tibi Ioua, mi-
C les fortissime. Cui Gedeon: Quęso te, Domine, inquit, si nobis adest Ioua, cur hæc omnia nobis accidunt? aut ubi sunt tot eius miracula, nobis à maioribus nostris enarrata, dicentibus nos esse à Ioua eductos ex Aegypto: cum nos nunc Ioua deseruerit, & Madianitis in potestatem tradiderit? Tum Ioua ad eũ cõuersus: Vade, inquit, cum tuo isto robore, & Israelitas à Madianitarũ iniuria defende: ego te mitto. Et ille: Quæso domine, inquit, quonã pacto Israelitas defendam, homo nõ solũ tenuissimę Manassensiũ pręfecturæ, sed etiam domi paternæ minimus? Cui Ioua: Meo, inquit, pręsidio Madianitas ad unum occides. At ille: Quæso, inquit, si quid apud te ualeo, ut mihi signo aliquo ostendas, quisnam sis, qui mecum loquare. Noli hinc discedere, donec ego ad te redeam, mu- D
nusq; meum afferã, & tibi apponã. Et ille: Præstolabor, inquit, reditũ tuũ. Tum Gedeon ingressus, hœdũ parat, & ephi farinæ non fermẽtatæ: positaq; in canistro carne, & in olla iure, egreditur ad illũ sub quercũ, eiq; offert. Et Dei genius: Pone, inquit, carnẽ & panes infermentatos in hoc saxo, & ius effunde. Quod cum ille fecisset, Iouæ genius protenta, quã manu gerebat, uirga, eius capite carnẽ tetigit, & panes & ignis de rupe exortus, carnẽ panesq; cõsumpsit, & genius ab illius oculis euanuit. At Gedeon, animaduertens esse Iouæ genium, dixit: Hei mihi, Domine Ioua, qui Ioug genium pręsens presentẽ uiderim. At Ioua: Saluus es, inquit: depone metũ, nõ moriere. Tum Gedeon ibi arã Iouæ extruxit, eamq; Pacij ouium deno- E
minauit, quæ ad hunc diẽ extat apud Ephram Abiezerianorum. ¶Ea autẽ nocte Ioua ei iussit, ut sumpto tauro de armento paterno, & itẽ altero tauro septenni, aram Baaliam patris sui dirueret, & ad eam positum lucum succideret, aramq; Iouæ Deo suo in eiusdem arcis iugo ritè construeret, & alterum taurum succisi à se luci lignis, solido sacrificio cõcremaret. Gedeon, assumptis decem hominibus de seruis suis, Ioug monitis obtẽperat: ac paternæ familię oppidanorumq; metu facere interdiu ueritus, noctu facit. Manẽ oppidani, ubi surrexerunt, animaduertunt euersam Baalis aram, succisumq; eius lucum, & taurum alterum in extructa ara F
immolatum. Tum inter sese sciscitãtes, & quis eam rem fecisset uestigãtes, deprehendunt Gedeonem Ioę filium autorem esse: & à Ioa postulant, ut filium suum dedat ad necem, quoniam Baalis aram euerterit, eiusq; lucum succiderit. At Ioas omnibus qui aderant, ita respondit: Vosne Baalis iniuriam persequimini, aut eum defenditis? Qui eum lacessiuit, moriatur sanẽ ante crastinũ mane: si Deus est, ulciscatur eum, qui eius arã diruerit. Atq; ille tum Ierobaal uocatus est ex illis uerbis: Vlciscatur eum Baal, qui eius arã diruerit. ¶Cum autẽ Madianitę, & Amalechitę, orientalesq; uniuersi, collatis copijs, traiecto flumine, castra in ualle Iezraelis fecissent, Gedeon Ioug spiritu circumfusus, tuba clangit: & euocatis Abiezerianis, nuncios di- G
mittit ad omnes Manassenses: illisq; etiã euocatis, mittit & ad Aserianos, et Zabulonios, et Nephthalẽses. quibus obuiã progressis, Deũ ita alloquitur: ¶Si tibi per me Israelitas seruare uidetur, ut promisisti, en ego uellus in area ponam: quòd si in solo uellere ros erit, & tota terra

a Arabes, interprete Iosepho.

Gedeoni apparet genius.

Gedeon patris lucum succidit.

Gedeõ à Ioua ostentũ postulat.

terra sicca: tum ego intelligam te per me conseruaturum esse Israelitas, sicuti pollicitus es. Atq; ita euenit. postridieq; ubi surrexit, presso uellere, roris inde plenam aquæ lancē expressit. Deinde sic Deum alloquitur: Noli succēsere, si semel adhuc loquor. Experiar iteratò in uellere. Sit igitur in solo uellere siccitas, & in toto solo ros. Atq; ita fecit ea nocte Deus. soloq; sicco uellere, terra tota madebat rore.

CAPVT VII.

Ioua milites ad prælium deligit.
Deut. 20.b
1.Mac.b.3.g

IGitur manè Ierobaal, qui idē Gedeon, cum omnibus copijs castra ponit ad Enharod, Madianitarum castra habens à septentrione, posita in ualle citra collē More. Tum Ioua Gedeonem monuit, plures eum copias habere, quàm ut ipse eis Madianitas dedere uellet: ne contra Iouam gloriantes Israelitæ, iactarent se suo marte uictoriam adeptos. Proinde proclamaret in exercitu, ut timidi qui essent & meticulosi, reuerterentur, & ex monte Galaado discederet. Itaq; reuersi sunt 22. millia, relictis 10. millibus. B Et Ioua Gedeonem monuit, ut, quoniam nimis multi tum quoq; essent homines, duceret eos ad aquas: sese ibi eos illi probaturū: ac quos eū comitari, aut non comitari iussisset, eos cum eo aut ituros, aut non ituros esse. Atq; ubi ille homines ad aquas deduxit, Ioua ei mādat, ut quicunq; aquam lingua more canum lambissent, hos ab eis secerneret, qui ad bibendum procubuissent in genua. Fuit autē ducta ad os manu lambentium numerus, trecenti: reliqui omnes in genua ad aquā bibendam procubuerunt. Per illos trecentos, qui lamberant, promittit Ioua Gedeoni sese eis esse uictoriam daturum, eiq; Madianitas dediturum: proinde reuertantur omnes reliqui, eò unde uenerint. C ¶Itaq; ille, reliquis omnibus Israelitis domū remissis, retento eorum commeatu & tubis, trecentos illos retinet. Atq; ea nocte Ioua ei iussit, ut ad castra Madianitarū, posita infra eum in ualle, descenderet: sese illa ei tradere. Quòd si solus descendere uereretur, descenderet unà cum Phara famulo suo, ut auditis quę dicerentur, confirmatus, castra inuaderet. Igitur cùm ille ad extremos armatorum comitante Phara famulo suo, peruenisset (iacebant autem Madianitæ, Amalechitæq;, & orientales omnes, in ualle, locustis crebriores, tam innumerabili camelorum numero, quàm est arenarum littorearum) offendit quendā alteri somnium narrantem, huiusmodi uerbis: Visus sum mihi in somnis uidere strepentem panem hordeaceū, qui sese per castra Madianitarum prouoluens, peruasit ad tabernaculum, quod impulsum & labefactatum, à culmine deiecit. Tum alter: Nihil aliud istud est (inquit respondens) nisi Gedeonis Israelitæ, Ioæ filij, gladius, cui Deus uictoriā tradit in Madianitas atq; castra. E ¶Hac somnij relatione atque interpretatione audita, Gedeon ueneratus Deum, & in Israelitica castra reuersus, hortatur ut surgant: nam Iouā eis uictoriam de Madianitarum exercitu concedere. Tum trecentos illos partitus in classes tres, omnibus singulas in manū tubas dat, amphorasq; uacuas, & in amphoris faces, eisq; sic prę cipit: Obseruate me, atq; ita facite: cūq; ad extrema castra uenero, imitamini quod faciam ego, meq; & omnibus meis comitibus tubis sonantibus, clangitote uos quoq; tubis, undiq; circum castra, & dicitote, Iouæ & Gedeonis. Deinde ubi ille & eius centum comites ad extremum castrorum, ineunte media uigilia, peruenerunt, F excitatis custodibus, clangūt tubis, & quas manibus ferebant amphoras collidūt: tum sonantes tubis classes tres, amphoras confringere, & sumptis manu sinistra facibus, dextra tubis ad clangendum, sic exclamare: Iouæ & Gedeonis gladius: suo quisq; loco castra circumstantes. At in castris omnes discursare, perstrepere, diffugere, deniq; clangentibus trecentis illis, hostes (id efficiēte Ioua) alij in alios totis castris ense grassari. Atq; ita fugit reliquus exercitus ad Bethsetam, & ad Sererathā, ad cōfinium Abelmeholæ, quod est apud Tabbathum. G Tum exciti ex Nephthalensibus, Aseria nisq;, & omnibus Manassensibus, Israelitę Madianitas persecuti sunt: missisq; nūcijs Gedeon in totum Ephraimitarum montem, eos ad occurrendum Madianitis, & ad occupādas cōtra illos aquas ad Bethbaram, Iordanemq;, incitauit. Itaque exciti omnes Ephraimitæ, aquas ad Bethbarā atq; Iordanem occuparunt, captosq; duos Madianitas principes, Orebum & Zebum, occiderunt, illum in rupe Orebi, hunc in torculari Zebi: eorumq; capita Madianitas persecuti, ad Gedeonem trans Iordanem retulerunt.

Gedeon in Madianitarum castra descendit. (margin, at C–D)
Madianitarum clades. (margin)
Psal. 83.a (margin)
Esa. 10.f.
Psal. 82.c

CAPVT VIII.

Ephraimitæ cum Gedeone iurgantur.
a maior est uestra, qui belli reliquias confecistis, gloria, quàm nostra, qui belli principes fuimus.

SEd Ephraimitæ de eius facto expostulant, quòd bello Madianitas adorturus, se non uocasset: & cum eo uehementer rixantur. Quibus ille ita respondit: Quid uerò ego tale feci, quale uos? a Quasi uerò non sit Ephraimitarū racematio, quàm Abiezerianorum uindemia, præstantior. Vobis in manum tradidit Deus Madianitarū principes, Orebum & Zebum: Ecquid feci ego, quod possit cū isto facto conferri? Hac eius oratione cohibitus est illorum contra eum impetus. ¶Deinde cū uenisset ad Iordanem Gedeon, traiecturus unà cum trecētis comitibus, in persequendo fatigatis, petit à B Socothēsibus ut panes dent suis militibus, utpote defatigatis, dum ipse Madianitarum reges Zebam & Salmanā persequitur. At Socothenses principes sic ei respondent: Scilicet tu iam Zebam & Salmanam manu tenes, ut nos panes tuo præbeamus exercitui. Et Gedeon: Ergo cum mihi Zebam & Salmanam in manum Ioua tradiderit, ego corpora uestra syluestribus spinis, tribulisq; teram. Inde Phanuel profectus, eadē ab illis postulat: cumq; eadem responderent Phanuelenses, quę responderāt Socothenses, minatur etiam Phanuelensibus, sese, cum saluus redierit, turrim illā diruturum esse. C ¶Zeba autem & Salmana erant Carcore, suas copias secum habentes circiter hominum quindecim millia, qui omnino ex omni orientalium exercitu superfuerant, cum centum uiginti

Socothenses Gedeoni panes denegant. Itemq; Phanuelenses.

Osee 10.d

Zeba & Salmana à Gedeone capti.

ginti millia hominum arma ferentium, cecidissent. Igitur Gedeon illos scenitarum uia, ab oriente Nobæ & Iegbaæ persecutus, castra secura inuadit, fugientesq; duos Madianiticos reges, Zebam Salmanamq;, secutus, comprehendit, & uniuersa castra perterret. ¶Deinde à pugna sub ortum solis reuersus, iuuenem quendã Socothensem comprehendit, & ex eo percontatus, Socothenses principes senatoresq; numero septem, & septuaginta sibi describendos curat. & Socothenses aggressus, sic alloquitur: En Zebã & Salmanã, de quibus uos à me per próbrum quærebatis, nunquid mihi Zeba & Salmana in manu essent, ut uos fessis meis militibus, panem præberetis.

D

Socothenses & Phanuelẽses euertit Gedeon.

Tum sumptis syluestribus spinis atq; tribulis, Socothenses senatores eis contriuit, & Phanuelensem turrim diruit, oppidanosq; interemit. ¶Deinde Zebam & Salmanam sic alloquitur: Quales erãt homines, quos uos in Thabore peremistis? Cui illi: Tui simillimi, inquiũt, sed alter forma planè regali. Et ille: Mei fratres erãt, inquit, eadem mecum matre nati. Per Iouam immortalem, si eos conseruassetis, ego uos non interficerem. Age (inquit Iethri primogenito suo) neca eos. Cumq; puer præ timore gladium non stringeret, quòd erat adhuc puer, Zeba & Salmana Gedeoni ita dicũt: Age tu ipse, inuade nos: nam [b] dignæ homine uires.

Psal. 81.e

E

b ut iuuenis est Iether, sic parũ uiribus pollet.

Zebam & Salmanam occidit Gedeon.

Tum Gedeon Zebam Salmanamq; aggressus interfecit, & monilia camelorum illorum collis annexa cępit. ¶Israelitæ uerò à Gedeone postularunt, ut sibi imperaret tum ipse, tum eius filius atq; nepos, quoniam se à Madianitis tutatus esset. Quibus ille respondit, neq; se, neque suum filium imperium in eos esse habiturum, sed Iouam. Veruntamen se ab eis postulare, ut sibi de spolijs inaurem singuli darent. Habuerant enim hostes, inaures aureas, quòd erant Ismaelitæ. Id quod illi concesserunt: expansaq; ueste, eo singuli inaurem de suis spolijs coniecerunt,

F

quarum inaurium pondus fuit mille septingentorum aureorum, præter monilia & bullas, uestemq; purpuream, quæ fuerant regum Madianitarum, præterq; torques, quibus ornata colla habuerant eorũ cameli. Ex his fecit Gedeon Ephodum, quem Ephræ in patria sua collocauit, propter quẽ postea omnes Israelitæ impudicos illic exercuere cultus, quæ res sanè Gedeoni eiusq; posteris detrimentum attulit. Interea subacti ab Israelitis Madianitæ, caput deinceps non extulerũt, fuitq; ociũ annos quadraginta Gedeonis ætate.

Gedeonis filij.

¶Is Gedeon, qui & Ierobaal, Ioę filius, illinc digressus, domi suę habitauit, habuitq; filios septuaginta, suo semine procreatos: nã multæ ei uxores erãt.

G

Ex concubina quoq;, quæ Sichemæ degebat, filiũ sustulit, cui Abimelecho nomen imposuit. Mortuus est Gedeon Ioæ filius iusta senectute, & in Ioæ patris sui sepulchro Ephræ, quæ erat Abiezerianorum, sepultus.

Baalberithus deus.

¶Mortuo Gedeone Israelitæ rursum Baales impudicè secuti, Baalberithum sibi deum sanxerunt, & Iouæ dei sui (per quem fuerant ab omnium undiq; hostium iniuria defensi) immemores, nullam Ierobaalis Gedeonis posteris, pro tot illius erga Israelitas beneficijs, gratiam rependerunt.

CAPUT IX.

Abimelechus Gedeonis filius, fratres suos occidit.

NAm Abimelechus Ierobaalis filius, Sichemã ad fratres suæ matris uenit: & cũ eis, cumq; omni paternæ matris suæ domus cognatione egit, ut omnes Sichemitas interrogarent, utrum eis esset melius, septuaginta'ne hominũ (quot erant Ierobaalis filij) an unius hominis imperio subesse: & simul meminissent, se eorum consanguineum ac cognatũ esse. Hæc omnia cum matris eius fratres apud omnes Sichemitas eius nomine retulissent, illi ad Abimelechum animis inclinarũt, propterea quòd esset eorum consanguineus, eiq; septuaginta argenteos ex æde Baalberithi dederũt, quibus ille conductos homines nequam & leues, Ephram in domum patriam inducit: suosq; fratres, Ierobaalis filios, homines septuaginta, uno in saxo perimit, excepto Iothamo Ierobaalis filiorum natu minimo, qui latuit. ¶ Deinde omnes Sichemitæ, omnisq; Mellonia stirps cõueniunt, & Abimelechum aggressi, regem faciunt apud quercum aggeris, sitam ad Sichemam.

B

Iothamus Sichemitas per fabulã monet.

¶Quod cum esset Iothamo nunciatũ, petit montem Garizim, & in eius uertice stans, clara uoce ad illos clamat in hũc modũ: Audite me, Sichemitæ, & Deus uos audiet. Cũ coiuissent aliquando arbores ad ungendum sibi regem, petebant ab olea, ut regnum in arbores capesseret. Quibus illa respondit, nõ se relicturam suam pinguedinem, cum per ipsam & dij [a] honorarentur & homines, ut arborum negótia capesseret. Tum illæ ficum cohortari, ut regnum in arbores caperet. Ficus enimuerò negare, cõmissuram esse, ut relicta tanta sua dulcedine, tamq; suaui fructu, arborum negotia capesseret. Tum arbores à uite contendere, ut regnum in arbores susciperet. Sed uitis negauit se relicturam mustum suum, quo & [b] deos exhilararet & homines, ut arborũ negotia capesseret. Tum uniuersæ arbores à rhamno postularũt, ut in se regnaret. Quibus rhamnus respondit, ut si se bona fide regem ipsis præfuturum ungere uellent, accederent, & sua umbra confiderent: sin minus, exiret ignis à rhamno, qui Libani cedros combureret.

a scilicet oleo, quod ad sacrificia, & lucernas adhibetur, & ad ungendos uates, & sacerdotes & reges. b scilicet in libaminibus.

C

Nunc igitur si uos bona fide & rectè facitis, qui Abimelechũ regẽ creetis, si ex bono cum Ierobaale meo patre & eius posteris egistis, et ei digna factis pręmia rependistis, qui uobis bellũ gesserit, uosq; cum summo uitæ suæ periculo à Madianitis liberauerit, cuius uos hodie domum adorti, eius filios, homines septuaginta, uno in saxo necauistis, & eius ancillę filium Abimelechũ, quia consanguineus uester est, Sichemitis regẽ pręfecistis: si, inquã, bona fide & rectè egistis hodierno die cũ Ierobaale, eiusq; domo, fruimini sanè Abimelecho, et ipse uobis inuicẽ fruatur. Sin autẽ secus, emanet ignis ab Abimelecho, qui Sichemitas Melloniãq; domũ cõburat: rursumq; emanet ignis à Sichemitis, Melloniaq; domo, qui Abimelechũ comburat. Hęc locutus Io-

Abimelechi & Sichemitarũ discordia.

tus Iothamus, Beram fuga petijt, & ibi propter Abimelechum fratrem suum habitauit. ¶ Abimelechus Israelitis triennio imperauit. Sed Deus iniecto inter Abimelechum & Sichemitas malo spiritu, effecit ut hi ab illo deficerent, uidelicet ut exercitæ in septuaginta Ierobaalis filios crudelitatis, eorumque sanguinis, pœnas expeteret tũ ab ipso Abimelecho, qui illos frater occiderat: tum à Sichemitis, qui ei ad fratrũ cædem uires suas præbuerant. Igitur Sichemitæ, dispositis contra eum per montium iuga insidijs, omnia illac prętereũtia diripere: id quod Abimelecho nunciatum est. ¶ Prętereа confisi

D *Gaal.* Gaale Obedi filio, qui Sichemam cum suis fratribus immigrauerat, rus exire, uineas suas uindemiare, uuisque calcatis lętitiã agitare, & Dei sui ædem ingressi epulari, & Abimelecho maledicere. Ipse Gaal Obedi filius talia dictitare: Quis est Abimelechus? aut quis iste Sichemita, ut ei seruiamus? an non Ierobaalis filius est, præfectumque habet Zebulem? Seruite uos hominibus Hemoris, patris Sichemi. Nos quidẽ cur ei seruiamus? O si ego his hominibus præficerer: ut uobis Abimelechum de medio tollerem? Adhibe sanè quàm uoles copiosum exercitum (inquit, ad Abimelechum sermonem

Zebul Sichemitarũ præfectus.

dirigens) & prodi. ¶ His Gaalis uerbis auditis, indignatus Zebul, urbis præfectus, nuncios callidè mittit ad Abimelechum, qui doceant, Gaalem Obedi filium, eiusque fratres, qui Sichemam uenerint, ciuitatem contra eum incitare.

E Quocirca ueniat noctu cum suis copijs, & ruri sit in insidijs, ac manè sub ortũ solis surgat, oppidumque inuadat: & si Gaal cum suis copijs egressus aduersus eũ fuerit, utatur occasione. ¶ Igitur Abimelechus cum omni militum manu nocte profectus ad Sichemã, quadripartito insidias collocat: egressoque Gaale, & ante oppidi portã stationẽ agente, surgit ex insidijs cũ suis. Eos Gaal conspicatus, dicit Zebuli: Ecce homines de montium cacuminibus descendentes. Et Zebul: Montium umbrã uides, inquit, & homines opinaris. Imò enimuerò (subijcit Gaal) homines sunt, qui ex illo terræ umbilico descendunt, & altera caterua à uia quercus diuinorum uenit. At Zebul: Vbi nunc est tua ista, inquit, iactantia, qui dicebas: Quis est Abimelechus, ut ei seruiamus? Hi sunt nimirum quos tu despicabare: prodi nũc, & cum eis manus confere. Tum Gaal Sichemitas educit, &

Sichemitæ ab Abimelecho uicti.

cum Abimelecho prælium cõmittit, ab illoque uictus fugit, & multi ad portã ceciderunt. Abimelechus uerò Rumæ consedit: Zebul Gaalẽ eiusque fratres de Sichemę habitatione deturbauit.

F ¶ Postero die Abimelechus, cum ei nunciatum esset homines rus egredi, copias parat, & in classes tres diuisas, per agros disponit in insidijs: atque ubi animaduertit homines ex oppido exire, inuadit eos, atque cędit: & dum reliqua duo agmina dispersos passim per agros inuadunt atque cædunt, ipse cum suorum agmine in oppidum impetum facit ad portam, idque toto illo die oppugnatum capit, & interfectis oppidanis euertit, & sale conspergit. ¶ Hoc audito, omnes qui in turri Sichimorum erant, con-

Abimelechus Berithi arcem expugnat.

ferunt se in ædis Dei Berithi castellum: quod cum esset Abimelecho nunciatum, omnes qui Sichimorum turrim tenuerant coiuisse, ascendit cum suis omnibus copijs in montẽ Selmonem, arreptisque securibus, arboris ramum succidit, & eo suis humeris imposito, cæteris mãdat ut se confestim imitentur. Ita cæteri omnes suũ quisque ramum secant, & Abimelechum secuti,

G ramos castello admouent, eisque incensis, castellum igni comburunt, atque ita omnes etiam turris Sichimorum homines interierunt, circiter mille, quà uiri quà fœminę. ¶ Inde Theben adoritur Abimelechus, eamque positis castris expugnat. Erat in medio oppido egregiè munita turris: eò omnes oppidani, uiri fœminæque, confugiunt, & clausis à se portis, in tectum tur-

Abimelechus à fœmina occiditur. *2. Reg. 11.*

ris ascendunt. Abimelechus turrim oppugnare aggreditur, & ad eam incendendam portæ succedit. Tum mulier quædam, deiecto in eum molæ fragmine, caluam ei perrumpit. Ille protinus armigero suo imperat, ut se districto ense perimat, ne à muliere dicatur interfectus. Armiger eum transuerberat ac interficit. Israelitæ uidentes mortuum esse Abimelechũ, eò quisque discedũt unde erant profecti. Ita ultus est Deus Abimelechi facinus, quod ille contra patrem suum in septuaginta fratribus suis occidẽdis fecerat, & tanta Sichemitarum scelera in ipsorum caput conuertit, illatis quæ eis Iothamus Ierobaalis filius fuerat imprecatus.

CAPVT X.

Tholà.

POst Abimelechum extitit Israelitarum defensor, Thola Phuæ filius, Dodonis nepos, Issacharianus, Samirianus, Ephraimitici montis incola, qui Israelitas annos rexit tres & uiginti. Mortuus Samire sepultus est. ¶ Huic

Iair.

successit Iair Galaadita, qui Israelitas rexit annos uiginti duos. Is triginta filios habuit, in toti dẽ equis equitãtes, totidẽque oppida tenentes, qui Iairis uici uocãtur ad hunc diẽ, in Galaaditide siti.

B ¶ Mortuo Iaire, & Camone sepulto, Israelitę iterũ contra Iouã cõmiserunt, eoque & eius cultu omisso, Baales, & Astarothũ, & Syrorũ, Sidoniorũ, Moabitarũ, Ammonitarũ, Palæstinorũ deos coluerũt. Qua re iratus Israelitis Ioua, eos Palęstinis & Ammonitis addixit, qui eos illo anno atrociter uexarũt. Nã per annos

Israelitæ Palęstinis & Ammonitis subiecti.

octodecim, in omnes Israelitas, qui Galaaditidẽ trans Iordanẽ in Amorræorũ finibus incolebant, grassati, traiecerãt Ammonitæ Iordanẽ, ad bellũ Iudęis etiã, Beniamitisque & Ephraimi posteris inferendum. In hac tanta rerum angu-

C stia Israelitæ Iouã inuocarunt, sese in eum peccasse cõfitentes, qui Deo suo omisso, Baales coluissent. At Ioua illis obijcere, sese eos ab Aegyptijs, ab Amorręis, ab Ammonitis, à Palæstinis, à Sidonijs, ab Amalechitis, à ª Maonijs

a Græcus & Latinus legerunt, Chananæis.

oppressos, cũ se implorassent, ab eis defendisse: ipsos uerò, se relicto, dijs alijs seruiuisse. itaque se nõ amplius eis subuenturũ esse: irent, & quos elegissẽt deos, inuocarẽt, et ab illis in suis difficilibus tẽporibus defenderẽtur. Sed Israeli-

D tæ peccatũ cõfessi, Iouãque precati ut ipsis suo arbitrio

bitrio uteretur, dummodo se tum saltem liberaret, deos alienos de medio sui sustulerunt, Iouamq; coluerūt. Ita Ioua eorum calamitate flexit animum. Itaq; cum congregatis Ammonitis, & in Galaaditide castrametatis, coiuissent Israelitæ, & apud Maspham castra haberent, cœperunt Galaaditici populi principes inter se colloqui, ut si quis pugnam contra Ammonitas incipere auderet, is in omnium Galaaditarum principatum assumeretur.

CAPVT XI.

Iephtha. ERat quidam Iephtha, uir fortissimus, meretrice natus, à Galaado genitus, qui Iephtha à cæteris Galaadi filijs, iusta uxore natis, cum iam adoleuissent, expulsus, quòd eum paterna hæreditate ut spurium prohibebant, aufugerat à fratribus, & in terra Toba cōsederat: ad eumq; confluxerant perditi homines, & cū eo excursiones faciebāt. ¶Accidit aliquāto tempore pòst, ut Ammonitæ bellum Israelitis inferrent. Quo illato, profecti Galaaditarum senatores ad Iephtham ex terra Toba accersendum, postulant ab eo, ut se eis ducem præbeat ad bellum contra Ammonitas gerendum. Quibus ille respondet, sese ab ipsis per odium domo paterna exactum fuisse: cur nunc ad se rebus adB uersis ueniant? Tum illi: Ergo nunc ad te redimus, inquiūt, ut nobiscū profectus, Ammonitas debelles, & in nos omnes Galaaditidis incolas principatum teneas. Et Iephtha: Ergo si me ad debellandos Ammonitas, inquit, reuocatis, & eos mihi Ioua subegerit, principatum in uos obtinebo? Cui illi: Iouam contestamur, inquiunt, nos isto modo facturos esse. ¶Tum Iephtha cū Galaaditarū senatoribus profectus, à populo dux atq; imperator creatur, & de sua tota re coram Ioua apud Maspham locutus, *Iephtha ad Ammonitarum regem legatos mittit.* legatos mittit ad regem Ammonitarū, qui quærāt ex eo, quid ei sit rei cum Israelitis, ut eis in ipsorum fines bellū intulerit? Quibus Iephthæ *Num. 21. e* legatis respondit Ammonitarū rex: Israelitas ex Aegypto egressos, terram suam cæpisse ab Arnone ad Iaboq atq; Iordanem. Nunc petere C se eam sibi cum bona pace reddi. Iephtha iterū ad illum legatos mittit, qui ei Iephthæ nomine ita referrent: Non cæperunt Israelitæ Moabitarum & Ammonitarū fines. Cum enim ex Aegypto digressi, ad mare rubrum per deserta, & *Num. 20. b. c* inde ad Cadem peruenissent, miserunt ad Idumææ regem legatos, qui transitum per illius fines orarent. Quo renuente, ut etiam Moabitarum rege (nam ad eum quoq; miserunt) manserunt in Cade, & Idumęorum Moabitarumq; circuitis per deserta finibus, ubi ab ortu solis ad Moabitarum terram uentum est, castra cis *Num. 22. e* Arnonem fecerunt, neq; in Moabitarum fines uenerunt: nā Moabitidis terminus est Arnon. D Deinde missis ad Sehonem Amorræorum regem Hesebonium legatis, petierunt ut sibi liceret per illius fines in suas transire sedes. Cumq; Sehon Israelitis non modò iter per suos fines negasset, uerumetiam coactis omnibus copijs, castris apud Iazam positis, eos prælio peteret, tradidit Ioua Israelitarum Deus & Sehonem, & omnes eius copias, Israelitis in potestatem, qui cæsis illis, omnem incolarum Amorræorū agrum usurparunt, omnesq; eorū fines ab Arnone ad Iaboq, & à solitudine ad Iordanem occuparunt. Ergo Ioua Israelitarum Deus Amorræos suis Israelitis expulerit, & tu eorum fines occupabis? An non si quos Chamosus Deus tuus exterminauerit, eorum tu sis agrum occupaturus? & nos quoq;, quoscunq; nobis fines E Ioua Deus noster uacantes fecerit, eos posside*Num. 22. a* bimus. Iam uerò num tu pręstantior es Balaco Sephoris filio, Moabitarū rege, qui tamē nunquid cum Israelitis contendit, aut bello decertauit? Cum Hesebonem, & Aroer, & eorū municipia, omniaq; Arnoni contermina oppida, trecentos iam annos incoluerint Israelitæ, cur uos ea interea non uendicastis, & nos, nulla in re à nobis læsi, afficitis iniuria, belloq; infestatis? Dijudicet hodie Ioua iudex inter Israelitas & Ammonitas. ¶Huiusmodi Iephthæ uerbis ad Ammonitarū regē missis, cum regi nō per F suaderetur, Iephtha à Ioua afflatus, Galaaditas Manassensesq; petit, & ad Maspham Galaaditarum progreditur. A Maspha ad Ammonitas transit, uotumq; Iouæ in hęc uerba nuncu*Iephthæ uotum.* pat. Si tu mihi uictoriam in Ammonitas dederis, quod mihi extra fores domus meæ, incolumi ab Ammonitis redeūti, obuiam prodierit, id Iouæ erit, id' que immolabo. Deinde prælio Ammonitas aggressus, Ioua ei uictoriā dante, ab Aroere ad Minnith usq;, oppida uiginti, & ad uineta, ingenti strage superauit, qua strage Ammonitę Israelitis subiecti sunt. ¶Deinde ei Maspham domum redeunti, ecce obuiā procedit cum tympanis & choris unica filia, pręter quam neq; filium ullum, neq; filiam habebat: qua uisa, ille scissis uestimentis dixit: Heu mea filia, tu me deprimis, & ea es quę me perturbes, qui uerbis Iouę promisi, quod reuocare nefas. Et filia: Mi pater, inquit, si Iouę promisiG sti, mihi quidem facito ut tua fert promissio, postquā tibi Ioua tuos hostes Ammonitas ultus est. Sed hoc mihi concedatur, inquit, ut tu mihi duos mēses remittas, quibus descendam in montes, & meam uirginitatem unà cū meis æqualibus deplorē. Tum ille eam in duos men*Iephtha filiam suam immolat.* ses dimittit: quibus illa cum suis ęqualibus profecta, suam uirginitatem in montibus defleuit: finitisq; duobus mensibus, ad patrem reuersa est, qui ei fecit ut uotum ferebat, cum quidē ea uiri notitiam nō habuisset. ¶Ea res in consuetudinem abijt apud Israelitas, ut quotannis eant Israeliticæ puellæ ad lamentandā Iephthæ Galaaditæ filiam quatuor dies.

CAPVT XII.

DEinde congregati Ephraimitæ, traiecerunt ad septentriones: & Iephtham accusantes, quòd ad bellum cū Ammonitis gerendum, se in societatem non ascitis, traiecisset, minabantur se eius domū cum ipso crematuros. Quibus Iephtha respondit, se, cum sibi suisq; ingens certamen esset cum Ammonitis, ipsos uocauisse: à quibus cum uideret nullū sibi aduersus illos auxilium ferri, uitę suę periculum subijsse,

subijsse, traiectoque flumine, ex Ammonitis, Iouæ munere, uictoriã reportasse: eos sibi nunc B bellũ inferre nõ debere. Deinde congregratis omnibus Galaaditis, prælium cum Ephraimitis commisit, uictisque Ephraimitis qui Galaaditis obijciebant, Galaaditas esse ab Ephraimitis fugitiuos, Ephraimitis & Manassensibus interpositos, occuparunt Galaaditæ uada Iordanis, quà in Ephraimitas traiectus est: petentibusque Ephraimitis, si qui euaserant, ut transire liceret, quærebant ex eis num Ephratæi forent. Negantibus, iubebant ut pronunciarent Schibbolet, cumque pronunciarent Sibbolet, quòd eis C illo modo loqui in promptu non erat, comprehensos iugulabant ad uada Iordanis, cecideruntque eo tempore ex Ephraimitis quadraginta duo millia. Iephtha autem Galaadita, cũ sex annos Israelitis imperasset, mortuus est, & sepultus in oppidis Galaaditicis.

Ephraimitæ à Iephthe uicti. *Schibbolet.*

Abesan. Post eum gubernauit Israelitas Abesan ex Bethlehema, qui triginta filios habuit, totidemque filias forãs collocauit, & totidem puel- D las filijs suis foris asciuit. Is cum Israelitas septem rexisset annos, mortuus est, & sepultus Bethlehemæ.

Elon Post hunc præfuit Israelitis Elon, Zabulonius, annos decẽ, mortuus, sepultus est Aialone in terra Zabulonia.

Abdon. Huic successit Abdon Hellelis filius, Pharathonita, qui filios quadraginta, nepotes triginta habuit in septuaginta equis equitantes. Hic postquam in Israelitas principatũ annos octo tenuit, mortuus est, & sepultus Pharathone in terra Ephraimitica, in monte Amalechitarum.

CAPVT XIII.

DEinde offensus denuò ab Israelitis Ioua, eos Palæstinis 40 annis dedidit. ¶ Fuit autem uir quidam ex Saraa gentis Daniæ, nomine Manoa, cuius uxori (quæ propter sterilitatem erat sobolis expers) apparuit Iouæ genius, eamque sic allocutus est: Scito te, quę sterilitatis uitio non paris, concepturam esse, parituramque natum. Cæterùm caue ne uel uinũ aut temetũ bibas, uel ullo uescare polluto. Nam scito te cõceptum edituram filiũ, cuius capiti nouacula nõ sit admouẽda: erit enim ab utero deuotus Deo puer, incipietque Israelitas ab iniuria Palæstinorum defendere. Tum mulier suũ uirũ adit, nunciat diuinũ quendam hominẽ ad se uenisse, for- B ma diuino genio similẽ, ualde terribilẽ: se quidem ex illo nõ quæsiuisse unde'nam esset, neque illum sibi nomen suum patefecisse, sed dixisse concepturã, parituramque filiũ, ac uetuisse ne uinum temetum'ue biberet, aut ulla re immunda uesceretur: puerum enim Deo deuotũ fore ab utero ad diem mortis suæ. Et Manoa Iouã his uerbis precatus est: Quæso te, Domine, ut diuinus homo, quẽ misisti, iterũ ad nos ueniat, doceatque quid nobis de puero, qui nascetur, faciẽdum sit. Hac Manoæ uoce à Deo exaudita, uenit iterũ diuinus genius ad mulierem ruri agentem, absente Manoa eius uiro, ad quẽ mulier protinus currit, nunciatque sibi uisum esse eundem hominẽ, qui ad eam superioribus diebus uenisset. Igitur Manoa coniugẽ subsecutus, hominem adit, & ex eo quærit nũ is homo sit, qui cum muliere fuisset collocutus. Atque illo faten- C te: Quid (inquit Manoa) cum ista euenerint, quod erit pueri institutũ atque opus? Cui genius: Ab omnibus, quæ dixi, abstineat mulier: nihil à uite uinaria profectum gustet: uinũ temetum'ue ne bibat: nihil pollutũ comedat: omnia sibi à me præcepta seruet. Tũ Manoa: Volumus te retinere, & tibi caprũ facere. At genius: Si me, inquit, retines, dapem tuam non gustabo: & si solidum sacrificium facis, Iouæ facito. nesciebat enim Manoa, Iouæ genium esse, itaque ex eo quærit quod sit eius nomen: ut cum ea, quæ tu dicis, euenerint, inquit, nos te honoremus. At genius: Cur meũ, inquit, nomẽ percontaris, quod mirabile est? Tum Manoa sumptum caprum & fertum, Iouæ in petra cremat: D & Iouæ genius, spectãtibus Manoa, eiusque coniuge, mira fecit. nam per flammam, quæ ex ara in cœlum ferebatur, ascẽdit: quo uiso, ambo ad terram prociderũt, neque eis deinceps apparuit Iouæ genius, & tum intelligens Manoa geniũ esse Iouæ, dicit uxori: Moriemur, nam Deum uidimus. At uxor: Si nos uellet interficere Ioua, non accepisset à nobis solidum sacrificium atque fertũ, neque hæc tam mira nobis ostẽdisset, neque nos unquam sic exaudiuisset. Peperit igitur mulier filium, quem Samsonẽ nomine uocauit, qui puer cum Ioua fauente adoleuisset, Iouæ afflatu primùm instinctus est in castris Danijs, inter Saraam & Estaol.

Manoæ uxori apparet genius. *Samson nascitur.*

CAPVT XIIII.

CVm autem descendisset aliquando Samson Thamnathã, ibique uidisset mulierem quandã Palæstinam, parentes suos adit, narrat se uidisse Thamnathę mulierẽ quandam Palæstinã: petere ut eam sibi concilient in matrimonium. At parentes eum deterrere: quasi uerò in tanta consanguineorũ & populariũ multitudine, deessent mulieres, ut uxorẽ à præputiatis illis Palæstinis accerseret. Sed Samson à patre flagitat, ut illam sibi asciscat: eam enim sibi placere. Nesciebant autem eius parentes, id à Ioua proficisci, occasionem quærente aduersus Palęstinos, qui ea tempestate Israelitis imperabant. ¶ Profectus est igitur Samson cum parentibus B Thamnathã. Cumque in Thamnathæ uineta uenissent, occurrit leoni ex aduerso rugienti, quẽ Iouæ afflatu instigatus, discerpsit, perinde ac si hœdum discerperet, cum tamen nihil in manu haberet: neque id factũ parẽtibus indicauit. Deinde cum muliere in colloquiũ uenit, quæ sanẽ ei placuit. ¶ Ad eam ducendam aliquanto pòst reuertens, cum ad uisendũ leonis cadauer deflexisset, animaduertit in eius corpore, examẽ apum cũ melle: quod mel uola sua exceptum, cœpit inter eundum comedere: atque ubi ad parentes uenit, eis impertiuit: comederuntque, nec tamen eis indicauit se mel illud de leonis sumpsisse corpore. ¶ Vbi pater eius ad mulierẽ uenit, Samson ibi conuiuium habuit, ut mos erat adolescentum: qui eo uiso, ad eum conuenere, triginta sodales, ut cum eo essent. Quibus Sam- C

Sãson Thãnatensem puellam petit in matrimonium. *Samson leonem discerpit.*

 son:

a ante finitos hos septem dies, in quibus sumus.

son: Proponam uobis ænigma, quod si mihi [a] intra septem conuiuij dies peruestigatũ explicaueritis, dabo uobis triginta lintea, totidemq́ uestes elegantes. Sin autem explicare nequiueritis, dabitis uos mihi triginta lintea, totidemq́ uestes elegantes. Cumq́ illi conditionem accepissent, & ænigma proponi postularẽt, sic proposuit: Ex edace cibus, ex feroci exijt dulcedo.

Samsonis enigma.

b qui quartus erat à proposita quęstione: septimus autem conuiuij.

Hoc ænigma cum illi per triduum aperire non potuissent, [b] die septimo petierunt à Samsonis uxore, ut à uiro suo ęnigmatis sententiã eblandiretur, quã eis indicaret: alioquin sese & eam, & eius domum paternam, igni crematuros: an enim se illuc ab ipsis uocatos esse, ad suum detrimentũ? Ergo Samsonis uxor apud eũ flere, & sese ei odio esse, non amari, dicere, qui quod ænigma ipsius popularibus proposuisset, sibi non patefaceret. Cui ille demõstrabat, id se ne parentibus quidem explanasse, nedũ ut uxori explanaret. Sed illa cũ apud eum [c] per septem dies, quibus habitum est conuiuiũ, fleret, peruicit die tãdẽ septima, ut ænigma declararet, idq́ ipsa suis popularib. exposuit. Itaq́ die septima oppidani ante solis occasum sic illi dicũt: Quid melle dulcius? & quid leone ferocius? Et ille: Nisi uitula mea arauissetis, meũ ænigma non peruestigassetis. ¶ Deinde Iouæ afflatu percitus, descendit Ascalonẽ, cæsisq́ inde triginta hominibus, eorũ & arma abstulit, & elegantes uestes ænigmatis interpretibus dedit, atq́ ira accensus, domũ patris repetijt. Atq́ eius uxor ipsius Samsonis familiari nupsit, qui ei illius ipsius affinitatis conciliator fuerat.

D

c per eos dies qui ex septem restabant.

Samson triginta Ascalonitas occidit.

CAPVT XV.

ALiquanto pôst, messis tritici tempore uisit Samson uxorẽ suam, caprum ferẽs, & ad eam admitti se in cubiculũ postulat. Sed mulieris pater eum prohibuit, dicẽs sese, cum eam illi inuisam esse putaret, eam eius familiari locasse: esse tamen ei sororẽ, ut natu minorem, sic forma uenustiorẽ: eam pro illa duceret. Tum Samson apud illos præfatus, sese tum non esse Palæstinis iniuriã facturum, si eis malum inferret, discedit: captisq́ trecentis uulpibus, & earũ caudis inter sese obuersis, singulas faces binis caudis interponit, ijsq́ incensis, uulpes in Palæstinorũ segetes laxat: atq́ ita & metas, & segetes, & uineas, & olïueta cõbussit. ¶ Huius facinoris autorem Palęstini cum Samsonẽ esse Thamnathensis illius generum, inquirendo cõperissent, quoniã ille ereptam ei uxorẽ eius familiari dedisset, inuadunt illos, & mulierem eiusq́ patrẽ igni cõburunt. ¶ At Samson: Si ita facitis, inquit, non antè desistam, quàm uos ultus fuero: atq́ illis graui ingẽtiq́ clade in quodam tractu affectis, descendit in quãdam præruptã rupem, nomine Etamum, ibiq́ consedit. At Palæstini expeditionem in Iudæos faciunt, positisq́ castris, exercitum in Iudæa apud Maxillam explicant. & quærentibus Iudæis expeditionis causam, respondent, se ad Samsonem constringẽdum uenire, ut ei par pari referant. Tum hominum tria millia de Iudæis in rupem Etamum descendunt, & ex eo quærunt, cur, cũ sciret Palæstinos imperium in ipsos habere, tamẽ id facinus ad Iudæorũ periculũ ausus esset? Cumq́ respõdisset, sese illis parem gratiam retulisse, demõstrant, se ad eum colligandum, Palæstinisq́ dedendum, descendisse. Petentiq́ Samsoni, ut iurarent sese ei nõ esse manus allaturos, promittunt se duntaxat uinctum illis tradituros, neq́ ei mortẽ illaturos. Ita duobus recentibus uinctum loris, ex rupe educunt. Qui simulac ad Maxillam uenit, uociferantibus in occursum eius Palæstinis, Iouæ afflatus instinctu, loris, quibus cõstricta brachia habebat, abruptis, perinde ac si ustulatum igne linũ foret, manibusq́ solutis à uinculis, tabidã nactus asini maxillam corripit, & ea mille uiros occidit, atq́ ita loquit: Maxilla asini, asini asinarij, maxilla asini prostraui mille uiros. Hæc locutus, maxillam de manu abiecit, locumq́, maxillæ iactum denominauit. ¶ Deinde uehemẽti affectus siti, Iouam his uerbis inuocauit: Tu mihi tuo hanc tantam cõcessisti uictoriam, & nunc siti moriar? & in manus præputiatorũ cadam? Tum Deus, fisso maxillę dente molari, aquam inde elicuit, unde ille bibit, & recreatus euasit: ex quo Fõs inuocãtis nominatus est, qui fons in Maxilla est ad hunc diem. Rexit autẽ Israelitas Palæstinorum temporibus, annos uiginti.

Samson Palæstinorum segetes incendit.

B

C

Samson uinctus ad Palæstinos adducitur.

D

Maxilla locus.

Ex Maxilla fons.

CAPVT XVI.

VEnit autem aliquando Gazam, & ibi uisa quadã meretrice, ad eam introgressus est. Quòd ubi Gazenses intellexerunt, illuc uenisse Samsonem, urbem insidijs cinxerũt, eũq́ tota nocte taciti ad urbis portã pręstolati sunt, in animo habentes eum ante lucem matutinã interficere. Sed Samson, postquã ad mediã noctem quieuit, surgit de media nocte, & portæ urbis fores, unà cũ ambobus postibus, prehendit: cumq́ repagulis auulsas, & suis impositas humeris, exportat in montis cacumen, in Hebronis aspectu positi. ¶ Postea mulierẽ quandã amauit apud fluuium Sorec, nomine Dalilam, ad quã Palæstinorum proceres ueniũt, persuadẽtq́ ut à Samsone per blãditias discat, in quo posita sit tanta eius fortitudo, & qua ratione possint eum uincere, & ad subigendũ cõstringere: eiq́ mille centũ argẽteos singuli paciscuntur. Igitur D[illegible] à Samsone petit, ut sibi indicet, in quo s[illegible]lud tam ingens robur situm sit, & qua ratione constringi subigiq́ ualeat. Cui Samson respondet, si septem recentibus, nec siccatis uiminibus, cõstringatur, fore se debilem, & sicut unum de uulgo. Igitur illi Palæstinæ proceres ad eam septem afferunt uimina recentia, nec arefacta, quibus illa Samsonẽ colligat, & insidijs in conclaui collocatis, sic ei dicit: Imminent tibi Palęstini, Samson. Tum ille uitilia tam facile abrupit, quàm facile stupea & igne afflata uitta rumpatur, nec est illius cognita uis. ¶ At Dalila se ab illo fallaciter deceptam querens, postulabat ut tum saltem sibi indicaret, quo pacto uinciri posset. Cui ille respõdit, si nouis colligaretur funibus, & ad nullũ opus adhibitis, fore ut eneruaretur, neq́ quicquã à uulgo hominum differret. Igitur Dalila eũ nouis funi-

Samson Gazensis portæ fores auffert.

Dalila Sãsonis amica.

B

C

uis funibus colligat, & ei instare Palæstinos dicit, insidijs in cõclaui collocatis. At ille funes à brachijs, perinde ac filũ, abrupit. ¶ Et Dalila cõquesta sibi hactenus ab illo mendacijs imponi, petit ut sibi indicet, quo pacto cõstringi ualeret. Cui ille respõdit: Si septem mei capitis cincinnos tapeti intexueris, G. & clauo parieti affixeris, ero debilis ut uulgus hominum. Igitur Dalila eũ inter sua genua consopiuit: & eo dormiente, cæpit septem eius capitis cincinnos, eosq; tapeti intexuit, et clauo fixit in pariete H. Deinde ei dixit: Ingruunt tibi Palæstini, Samson. At ille experrectus ex somno, & clauũ, & textum, et tapetẽ reuulsit G. ex pariete, nec eius uires cognitę sunt H. Tũ illa: Tu'ne audes me à

D te amari dicere, cum alienum à me animum habeas? qui mihi iam ter uerba dederis, nec indicaris in quo tua ista tanta uis posita sit? Huiusmodi quotidianis flagitationibus & improbitate mulieris ille tędio enectus, omnẽ suum animum ei aperit: suo capiti nouaculam nõ admoueri ostendit, quoniã Deo à uẽtre matris sit deuotus: quòd si tõdeatur, abituras à se uires, seq; infirmum, & cæterorum omnium similẽ fore. Tum Dalila uidens illum sibi omnem animum suum patefecisse, mittit euocatũ Palæstinorum optimates: nunc ueniant, nam illum sibi planè animũ suum detexisse. Atq; illi ad eam ueniũt,

E pecuniã secum afferentes. Illa Samsonem in genibus suis consopit, uocatoq; homine quodã, & detõsis de Samsonis capite septẽ cincinnis, cœpit eum iam uiribus destitutum urgere, & ei Palęstinos instare dicere. Ille à somno experrectus, putabat se, sicuti solitus erat, euasurũ atq; erupturũ, nesciens à se Iouã discessisse. At Palæstini eum cõprehendunt, & effossis oculis Gazam perducũt, & duabus uinctũ catenis, in ergastulũ ad molẽdum detrudunt. ¶ Deinde iam ei renascente post tonsurã cęsarie, cõuenere Palæstini proceres ad ingens sacrificium Dagoni deo suo faciendum, & ad lętandum, quod dice-

Samson effeminatus capitur.

F rent sibi à deo suo in manũ traditum esse Samsonem hostẽ suum. Et uulgus eo uiso, deũ suum laudare, qui sibi in potestatẽ dedisset hostẽ, & terræ suæ depopulatorẽ, & tam multorum ex suis interfectorẽ. Atq; in hac animorũ hilaritate, iubent euocari Samsonẽ, qui eis ludibrio esset. Itaq; euocatus Samson ex ergastulo, ut illis ludos præberet, statuitur inter columnas. Tum puerũ, à quo manu ducebatur, monet, ut se ad columnas applicet, quibus domus incũbebat, ut eis innitatur. Erat uiris fœminisq; referta domus, aderãtq; omnes Palæstinę optimates, ex tecto insuper circiter tribus uirorum mulierũq;

G millibus, Samsonis ludibria spectãtibus. ¶ Igitur Samson Iouam sic inuocat: Domine Ioua, memento quæso mei, meq; hoc saltem postremũm confirma, Deus, dum pro ambobus oculis meis Palæstinos semel ulciscor. ¶ Deinde columnas duas medianas, quibus fulta domus sustinebatur, alteram dextera, alteram sinistra manu cõplexus, & ita prolocutus, Volo ex uita cũ Palæstinis discedere: eas tanta ui impulit, ut collapsæ sint ædes in primates, & in omnes qui aderant, pluresq; moriens occidit, quàm uiuẽs occiderat. Illò deinde uenerũt eius fratres, omnesq; patris domestici, sublatũq; sepelierũt inter Sarañ & Estaol, in sepulchro Manoæ patris eius. Imperauit autem Israelitis annos 20.

Samsonis mors.

CAPVT XVII.

FVit uir quidã ex Ephraimitarũ monte, nomine Micha, qui matri suæ confessus est, se surripuisse & habere mille centum argenteos nũmos, quos illa cum perdidisset, ipso audiente deuouerat. Cumq; illa ei à Ioua bene precaretur, reddidit matri illos mille centũ argenteos, quę dixit id se argentũ Iouæ cõsecrasse, & filio suo sua manu dare decreuisse, ad faciendum si-

Hæc gesta sunt ante Iudices.

B gnum sculptum, & fusile simulachrũ. Itaq; sese illud ei reddituram. Ita ille argentũ matri reddidit, quę inde ducentos fusori nũmos dedit, ex quibus ille signũ sculpsit, & simulachrum cõflauit, quod in Michæ domo foret. Habebat Micha ille ędiculã: itaq; ephodum fecit, et lares, &

C unum filiorũ suorũ sacris initiauit, ut eo sacerdote uteretur. ¶ Per ea tẽpora, nullo in Israelitis regnãte, suo quisq; uiuebat arbitratu. ¶ Fuit autẽ iuuenis quidã ex Bethlehema Iudęę, quę est generis Iudaici, Leuita, Bethlehemæ peregrinus. is ab oppido Bethlehẽa ꝓfectus, ut sicubi liceret, peregrinaretur, ꝓuenit in mõtẽ Ephrai-

D mitarũ, domum Michæ, ut iter suum faceret. Et à Micha interrogatus unde ueniret, respõdit se Leuitã esse ex Bethlehema Iudęę, qui proficiscatur ad peregrinandum, sicubi dabitur. Tum Micha hominẽ hortatur ut secum degat, sibiq; pater sit & sacerdos, eiq; denos argẽteos in singulos annos, uestemq; qua sit opus, & uictum promittit. Ille uerò conditionẽ accipit, & ad habitandum cum homine consentit, eiq; filij loco habitus est. Et Micha Leuitam sacris inaugurat, & iuuenem domi suæ sacerdotem retinet, sibi à Ioua sine dubio benefactum iri sperans, qui Leuitam sacerdotem habeat.

CAPVT XVIII.

PEr ea tempora, quibus nullus in Israelitis erat rex, quærebat sibi Dania trib. possessionem ad habitandũ, quippe quæ nondum ad id tempus inter Israeliticas trib. hæreditatẽ creuerat. Miserunt igitur Danij suæ gentis homines quinq;, suorũ militum abiectissimos, à Saraa, & Estaole, eisq; præceperunt ut regionem exploratum & speculatũ irent. Ii cũ in Ephraimitarum montẽ ad domũ Michæ uenissent, ibi pernoctarũt. Cum enim apud eius Michæ do-

Danij possessionem quærunt.

B mum, iuuenis illius Leuitæ uocẽ agnouissent, eò diuerterunt: & ab illo percontati sunt, à quo illuc esset adductus, quid ibi ageret aut haberet. Cumq; ille eis narrasset, quo modo secum Micha egisset, seq; ad fungendũ sacerdotio cõduxisset, petunt ab eo, ut diuinum percontentur oraculũ, ut sciant an id iter prosperum sint habituri. Quibus sacerdos respondit, ut bona salute pergeret: Iouã eis iter illud prosperare. Ita illinc digressi quinq; illi homines, ubi ad Laim peruenerunt, animaduertũt Laiẽses secure, & Sidoniorũ more quietẽ, tutoq; agere, nemine illi terræ negotiũ facessente, aut potẽtatũ affectante,

C procul à Sidonijs remotos, & nihil negotij cũ
quoquam habentes. Tum ad suos consangui-
neos ad Saraam Estaolq́ redeunt. & ab illis in
terrogati quid egissent, hortantur ut illos inua-
dant: sese enim terram cõperisse perquàm bo-
nam: proinde ne segnes sint, aut eam inuadere
atq; occupare dubitent. Quòd si aggrediātur,
ostensuros esse populum securum, terram spa-
ciosam, eis diuinitùs in potestatem tradendā,
locum nulla earum rerum quæ sint in toto or-
be terrarum, carentem. ¶ Igitur illinc ex gente
Dania, Saraa & Estaole profecti homines sex-
centi, armis instructi, castra [illegible]erunt apud Ca-
riathiarimum in Iudęa, unde locus uocatur ad-
Dania castra. huc Castra Dania, post Cariathiarimum posi-
tus. Inde ubi ad montem Ephraimitarum pro-
D gresi, peruenerunt ad Michæ domum, admo-
nentibus illis quinq;, qui Laiensem agrum iue-
rant exploratum, esse in illis ædibus ephodum
Theraphim. & penetrales deos, sculptumq́ & conflatũ si-
mulachrum, proinde uiderent quid agerēt, eò
deflexerunt: & ad domum Michæ, in qua iuue
nis ille Leuita degebat, uenerunt, eumq́ salu-
tarunt. Ac sexcentis illis Danijs armatis ante fo
res stantibus, quinq; illi, qui terram iuerant ex-
Danij Michæ domũ compilant. ploratum, Michę domum introeunt, sculptũq;
signum, & ephodum, & penetrales, & confla-
tum simulachrum capiunt. & quærenti sacer-
E doti, qui tum pro foribus cum sexcentis illis ar-
matis stabat, quidnam agerent? iubent ut ta-
ceat, & os suum manu compescat, ac cum ipsis
proficiscatur, pater eis futurus & sacerdos.
Vtrum enim ei satius esse, unius uiri domo sa-
cerdotem esse, an tribui & nationi Israeliticæ?
His delectatus sacerdos, ephodũ, penetrales,
simulachrumq́ sumit, & cũ illis proficiscitur.
¶ Illi inde digresi, paruulos pecusq; & impedi
menta ante se collocant. Atq; his Danijs iam
longè à Michæ domo absentibus, homines ex
F Michæ uicinia conciti, illos persequuntur, &
assecuti reuocant: cõuersisq;, & Micham quid
haberet ut ita clamaret, interrogantibus, respõ-
dit Micha: Vos ablatis, quos ipse feci, dijs, &
sacerdote, disceditis: quid mihi iam superest? &
adhuc quæritis quid habeam? At Danij: Noli
nos ista uoce lacessere, ne si uos homines irrita
biles inuaserint, tu & tuam & tuorum domesti
corum uitam perdas. Hæc illi locuti, pergebāt.
Micha uidens sese illis esse uiribus imparē, do-
mum reuersus est. ¶ Illi ea, quę fecerat Micha,
Danij Laim oppidũ euertunt. & quem habuerat sacerdotē, abducētes, Laim
aggrediuntur: & homines quietos securosq́
nacti, ferro trucidant, oppidumq́ incendunt,
G nullo defensore: propterea quòd procul à Si-
donijs aberant Laienses, nulla cum quoquam
hominum cõtrouersia dissidentes. Erat autem
situm oppidũ in ualle, quæ erat Bethrohoben-
sium, quod oppidum instaurarũt atq; incolue-
runt, Danemq́ à nomine Danis conditoris sui
ab Israele geniti, denominarunt, cum id oppi-
dum antea Lais uocaretur: & sibi simulachrũ
erexerunt, fueruntq́ Ionathan Gersomi filius,
[a] Mosis nepos, eiusq́ filij, tribus Daniæ sacer-
dotes, [b] usq; ad tempus captiuitatis eius gētis:

[a] in Hebræo est Manassis: sed in Latino Mosis. quod puto rectius
[b] hinc apparet librũ hunc scriptum esse post captiuitatem.

factumq́ à Micha simulachrum habuerunt e-
rectum, quandiu templum Silunte fuit.

CAPVT XIX.

De Leuita, cuius uxor à Gabaensibus stupro necata est.

PEr eadem tempora, quibus nullus in Israe-
litis rex erat, Leuita quidam in latere mon
tis Ephraimitarum peregrinans, uxorē duxe-
rat cõcubinam à Bethlehema Iudææ: quæ con
cubina cum parũ pudica erga illum fuisset, di-
scessit ab eo, domum patris sui, Bethlehemam
Iudææ. Ibi cum per quatuor mēses fuisset, secu-
tus est eam maritus, ut blandis illectam uerbis
reduceret, famulum secum, & par asinorum du
cens. Atq; illa eum domum sui patris introdu-
xit, qui puellæ pater, hominis aduentu delecta
tus, generum retinuit, secũq́ triduo per conui-
uia & noctes habuit. Quarto die manè, cum ge
ner discessum pararet, parsuasit socer ut uires
cibo recrearet ante discessum. Deinde cum am B
bo accubuissent, cibũq; unà sumpsissent, suade
bat homini socer ut ibi pernoctare, animumq́
recreare uellet. Deniq; abire parantem coegit,
secumq́ in eam noctē retinuit. Itemq́ die quin
to cũ ille manè profecturus surrexisset, horta-
batur socer ut animũ recrearet. Atq; ubi ita mo
ram fecerunt ad inclinationē diei, cibumq́ am-
bo sumpserunt, surrexit homo ad proficiscen-
dum unà cum sua cõcubina, & famulo: & sua-
dente socero, ut quoniā dies iam ad uesperum
deuexus inclinaret, ibi noctē agerēt, animosq́
recrearēt, manè profecturi, domũq; discessuri:
recusauit homo, profectusq́ peruenit ad Iebu- C
sam, siue Hierosolymā, unà cum pari asinorum
clitellatorũ, cumq́ sua cõcubina. ¶ Cum apud
Iebusam essent, & dies multũ inclinasset, suade
bat domino famulus, ut in illud oppidum Iebu
sæorum diuerterent in noctē. Sed negauit do-
minus diuersuros esse in oppidũ externorũ, ac
nõ Israelitarum, potiusq́ perrecturos esse Ga-
baā, iussitq́ ut ad alium quempiam locũ perge
rent, & Gabaæ aut Ramæ diuersatum irent. Ita
progresi, cum sol eis apud Gabaā Beniamita-
rum occubuisset, eò diuerterunt: & Gabaā di-
uersandi causa ingresi, consederunt in oppidi D
foro, nemine eos domũ in noctē inuitante. ¶ Ec
ce aũt senex quidā rure ab opere serò redibat, à
mõte Ephraimitarum oriundus, & Gabaæ pe
regrinus, cuius loci homines erant Iemine pro-
gnati. Is senex uiatorē in foro conspicatus, quę
rit ex eo quò & unde ꝓficiscatur? Cui ille: Per-
gimus, inquit, à Bethlehema Iudææ, quò ego
iuerā, ad latus montis Ephraimitarũ, unde ego
sum, & me ad Iouæ ædem cõfero, nec est quis-
quam qui me domum inuitet. Habemus qui-
dem & stramen & pabulum asinis nostris, pa- E
nemq́ & uinum mihi & huic fœminæ, meoq́
famulo, neq; quicquā nobis deest. Tum senex:
Bene est, inquit: si quid tibi opus est, ego præ-
stabo: sed in foro nõ cubabis. Ita illum domum
suam abducit: præbitaq́ asinis farragine, & lo-
tis hominum pedibus, cibum capiunt. ¶ His ita
animos suos exhilarātibus, ecce oppidani, ho-
mines perditi, obsessa domo ostium pulsabāt,
ad senem illum domus dominum clamātes, ut
hominem apud se diuersantē produceret, quo
eum

F eum cognoscerent. Sed paterfamiliâs ad illos egressus, sic est eos allocutus: Nolite, quæso, fratres, nolite scelus facere, postquã uenit hic homo domum meam: nolite flagitium istud committere. Est mihi filia uirgo, est & homini concubina: has ego uobis stuprandas, & ad uestrã libidinem habendas producam: tantum ne in hunc hominẽ tantæ atrocitatis flagitium committatis. Huic cum illi obtemperare nollent, prehendit homo concubinam suam, & illis forâs educit: illi eam tota nocte constupratam, et ludibrio habitam, manè sub ortum auroræ dimiserunt. ¶ Mulier sub lucem uenit, & pro foribus ædium hominis, in quibus eius dominus erat, iacuit, donec diluxit. ¶ Manè eius domi-
G nus ubi surrexit, apertis ædium foribus egrediens ad iter faciendum, aspicit concubinam suam pro foribus iacẽtem, manibus limini impositis, &: Surge, inquit, pergamus. Sed ᵃ cum illa non responderet, eam asino imposuit, domumq; ad se reuersus, gladium sumpsit, & concubinam suam mẽbratim in duodecim partes dissecuit, atq; in omnes Israelitarũ fines dimisit, quam rem omnes qui uidebant, negabant tale facinus extitisse, aut uisum fuisse, ex quo migrauerant ex Aegypto Israelitæ, ad illum diem: proinde ei rei intendendum, cõsiliumq; super ea capiendum esse.

a erat enim mortua.

CAPVT XX.

Israelitæ Masphã coeunt ad supplicium de Gabaensibus sumendum.

TVm omnium Israeliticarũ tribuum homines uniuersi, ex omnib. undiq; partibus, summo consensu, quà regio à Danijs ad Bersabanos & Galaaditas patet, exciti, Maspham ad Iouam diuinorum conuentuũ peragendorum gratia conuenerunt, quadringenta peditũ millia, qui arma ferre possent: id quod audiuerunt Beniamitæ, Israelitas Maspham ascendisse. Igitur quærentibus Israelitis, quo pacto scelus illud patratum fuisset: respõdit Leuita ille, necatæ fœminæ maritus, in hunc modum: Gabaam Beniamitarũ uenerã, unà cum mea cõcubina, pernoctandi gratia, cum me Gabaenses adorti, domũ, in qua eram, noctu obsederunt, meq; necare conati, meam concubinam & stupro & morte affecerunt. Eam ego dissecui, & per omnem Israelitici patrimonij agrum dimisi, propter tam detestabile in Israelitis cõmissum flagitium. Vos uniuersi Israelitæ adestis: deliberate, & super hoc negotio consultate. ¶ Tum uniuersi cõsurgunt, seq; in sua tabernacula ituros, aut domum petituros esse negant. Sed ita agendum esse aduersus Gabaam: sortiendos esse de-
B nos ex centenis, & cẽtenos ex millenis, & millenos ex denis millenis omniũ Israeliticarũ tribuum, qui exercitui commeatum subministrarent ad res gerendas, & Gabaam Beniamitarũ inuadendã, quę tantum in Israelitis facinus admisisset. ¶ Igitur conspirantes, & consentientes omnes Israelitarum tribus aduersus illud oppidum, homines in omnẽ Beniamitarũ tribũ miserunt, qui de illo apud illos cõmisso facinore expostularent, peterentq; sibi tradi sceleratos illos Gabaenses, ut eos necarent, & nefas ab Israelitis auferret. Sed Beniamitæ nõ solum consanguineis suis Israelitis nõ obtemperarunt, uerum etiã Gabaã ex cęteris oppidis cõuenerunt, ut ad pugnã cõtra Israelitas exirent: recensitiq; sunt eo tempote Beniamitæ ex cæteris oppidis uiginti sex millia arma ferentiũ, præter Gabaenses, quorum recensiti sunt septingenti lectissimi. Horum omnium fuerunt septingenti lectissimi, ᵃ scæuæ, ijq; omnes ita periti funditores, ut ne pilum quidẽ aberrarẽt. C ¶ Israelitarum aũt, præter Beniamitas, recensita sunt omnino quadringẽta millia arma ferentium militũ, qui Bethel profecti, Deum cõsuluerunt, quinã ipsorum Beniamitis principes bellum inferrent. Cũq; Ioua Iudæos principes dixisset, manè castra fecerunt Israelitæ apud Gabaam: & aduersus Beniamitas egressi, aciem contra Gabaam instruxerunt. In eos egressi Gabaa Beniamitę, 22 millia Israelitarum eo die prostrauerunt. Sed Israeliticæ copiæ, resumptis uiribus, aciem iterum eodem loco, quo primo die, instruxerunt. Cum enim Iouã adiuissent, & cõtinuato apud eum ad uesperum usq; fletu, quęsiuissent an prę- D
lium cum Beniamitis cõsanguineis suis denuò conserere deberent: respondit Ioua, ut illos aggrederentur. Itaq; adorti sunt Israelitę Beniamitas die secũdo: aduersum quos illi Gabaa egressi, secũdo die octodecim hominum millia, qui omnes arma ferrent, prostrauernut. Tũ omnes Israelitarum copiæ Bethel petiuerunt, & illic plorantes ante Iouam manserunt, & eo die ad uesperũ ieiunarunt, eiq; solida sacrificia & pro salute fecerunt, & ex eo quæsiuerunt (erat autẽ illic ea tẽpestate arca fœderis Iouę, cui tum ministrabat Phinees Eleazari filius, Aharonis porrò filij) rursum'ne in pręlium exire deberẽt aduersus Beniamitas consanguineos suos, an contrà? Quibus Ioua respondit, ut irent: nam postridie sese eis in illos esse uictoriã daturum. ¶ Tum Israelitę insidijs circa Gabaam collocatis, aciem die tertio contra Beniamitas ante oppidum, sicut antea fecerant, ordinarunt: ad- E
uersum quos egressi Beniamitę, extra oppidũ pellecti sunt. Cum enim in semitis, quarũ altera fert Bethel, altera Gabaam, principiò circiter triginta Israelitas, sicut superioribus pręlijs, illi uictores occidissent, putabant eos uictos cedere, sicut antea. At Israelitę, qui ex composito, ut illos ex oppido in semitas pertraherẽt, fugiebant, omnes ex loco suo consurrexerunt, & aciem apud Baalthamar instaurarunt: simulq; Israelitarũ insidię in Gabaanis pratis positę, ingruere cœperunt, & à parte Gabaę uenerũt decem hominum millia ex omnibus Israelitis delecta: atq; ita cõmisso atroci pręlio Ioua Beniamitas ingruentis sibi mali ignaros, Israelitis fudit, qui ex illis eo die 25 millia, & centum, arma ferentium hominum corruperunt. Beniamitis F
enim, cum ab eis superari uiderẽtur, locũ dederant, freti insidijs quas cõtra Gabaam collocauerant, quæ insidię repentè Gabaam cõtenderant atq; inuaserant, et totum oppidũ ferro peruerterant. Fuerat autem Israelitis statutũ cũ insidijs tempus, ut tum gladijs rem gererẽt, cum illi fumum ex oppido euectum ostendissent.

Narrat Leuita, Gabaensium flagitium.

a qui sinistris manibus pro dexteris uterentur.

Israelitæ à Beniamitis cæsi.

Phinees.

Beniamitarũ clades.

Igitur cum ab oppido cœpisset fumus columnæ in modum efferri, & Israelitæ præliũ instaurarent, Beniamitæ (qui initio circiter triginta Israelitarũ occiderant, rati eos cedere, sicuti superioribus prælijs fecerant) ubi simul & à tergo totius oppidi incendiũ in cœlum ferri, & à fronte Israelitas in se conuerti uiderunt, urgente malo perturbati, terga uerterunt Israelitis, G syluaq; petierunt: in qua prælio excepti,* ab illis perdebantur, qui ex oppidis aderant. Ita circumuenti Beniamitæ, & in fuga facile protriti sunt, donec uentum est contra Gabaam ab ortu solis, cecideruntq; ex eis octodecim militum millia. ¶ Inde in syluã uersi, fugerunt ad rupem Remonis, cæsis passim per semitas quinq; eorum millibus, & præterea instante à tergo hoste usq; ad Gedeomũ, duobus millibus. Summa Beniamitarũ arma ferentiũ militum, qui eo die ceciderunt, fuit 25 millia. Reliqui in syluam conuersi, fugerunt in rupẽ Remmonis, homines sexcenti: in qua rupe manserunt quatuor menses. Israelitæ aũt in cæteros Beniamitas cõuersi, oppidũ, mortales, pecudes, breuiter omnia quæ reperta sunt, ferro deleuerũt: omniaq; insuper, quæ extabant oppida, igni mandarũt.

a decẽ millib. electis, suprà memoratis.

CAPVT XXI.

IVrauerant autem Israelitæ apud Masphan, nullũ suorũ filiam suam ulli Beniamitæ daturum esse in matrimoniũ. Igitur Bethel profecti, ibi apud Deum ad uesperum manserunt, & multo cum fletu apud Israelitarũ Deum Iouã questi sunt, Israelitis accidisse ut tũc una de tribubus Israeliticis desideraretur. ¶ Postero die manè, constructo illic altari, solida Iouæ sacrificia, proq; salute fecerũt: ac si qui ex ulla Israeliticarum tribuũ ad conuentus, ad Iouam non adfuissent, quæsiuerunt. Intercesserat enim grauissimum sacramentũ, quo in eos capitis pœna sanciebatur, qui ad Iouam apud Maspham nõ adfuissent. ¶ Cum igitur eos Beniamitarũ consanguineorũ suorum pœniteret, & dolerent unam tunc ex Israelitis abscissam esse tribũ, solli-B citi quo pacto reliquis illorũ de uxoribus prospicerẽt, quòd per Iouã iurassent, sese illis suas filias non esse nuptũ locaturos, quærebant ecqui de Israelitarũ tribubus apud Masphã Iouæ non adfuissent? Nemo autẽ in castris ex Iabis Galaaditarũ incolis, in conuentu aderat: quod cum lustrato exercitu cõpertum esset, mittit eò ciuitas, duodecim militum millia, cum præcepto, ut Iabenses Galaaditas adorti, etiam mulieres & paruulos ferro trucident, omnesq; mares & fœminas, sed eas duntaxat quæ cum uiro rem habuissent, funditus euertant. Inuentæ sunt autem ex Iabensibus quadringentæ puellæ uirgines, & à uirorum concubitu intactæ, quas illi in castra apud Siluntem in Chananæa sita adduxerunt. ¶ Tum ciuitas omnis misit ad Beniamitas, qui in rupe Remmonis erant, qui cum illis colloquerentur, eisq; pacẽ offerrent: C reuocatisq; tum Beniamitis, nuptum dederunt conseruatas ex Iabensibus mulieres. Sed cum hæ pauciores illis essent, & populus Beniamitarũ uicem doleret, mutilatis à Ioua tribubus Israelitarum, quærebant ciuitatis senatores, quãnam ratione reliquis prouidere de uxoribus possent, cum & Beniamiticæ fœminæ perijssent, & eorum Beniamitarũ qui euaserant, futura esset hæreditas, ne tribus Israelitica deleretur, neq; ipsi possent illis filias suas uxores dare, propterea quòd iureiurãdo eos deuouissent Israelitæ, qui uxores Beniamitis dedissent. ¶ Igitur cum cõperirent festum Iouæ quotannis agi Silunte à septentrione Bethelis, ab oriente semitæ quæ à Bethele fert Sichemam, & à meridie Lebnæ, Beniamitis in hunc modum præce- D perũt: Ite, & uos per uineas in insidijs collocate. Cumq; animaduerteritis Siluntias puellas ad saltandum exire, proditote de uineis, & sua quisq; rapta de illis in matrimoniũ, disceditote in agrum Beniamiticũ. Quòd si illarum parentes aut fratres ad nos expostulatũ uenerint, rogabimus ut nobis factum cõdonent uestrum, qui non tot mulieres in bello cepérimus, ut sua cuiq; daretur: illos quidem eas uobis non dedisse, ut culpam cõmisisse uideantur. ¶ Atq; ita fecerunt Beniamitæ: raptasq; de saltantibus totidem, quot erant ipsi mulieres abegerũt, & in suum patrimonium regressi, oppida instaurarunt atq; incoluerunt. Tum inde digressi Israelitæ, suas quisq; tribus, gẽtilitates, patrimoniaq; repetiuerunt. Per ea tempora, cum nullus Israelitarũ rex esset, suo quisq; uiuebat arbitratu.

Iabesensiũ excidium.

Beniamitæ Siluntias puellas rapiunt.

RVTHA.

CAPVT I.



QVA tempestate præsides procurabant, uir quidã à Bethlehema Iudææ, orta in finibus illis fame profectus est ad peregrinãdum in agrũ Moabiticũ, unà cum sua coniuge, duobusq; filijs. Viri nomen erat Elimelechus, mulieris Noemis: duorum filiorum Mahalon & Chelion, Ephratæi, ex Bethlehema Iudææ. His in agrum Moabiticũ profectis, ibiq; degentibus, moritur Elimelechus, uxore Noemi & duobus filijs superstitibus. Filij uxores Moabitidas duxerunt, quarũ uni Orpha, alteri Rutha nomen fuit: atq; illic circiter decem annos cõmorati, moriuntur & ipsi ambo, Mahalon, & Chelion. Mulier autem duobus natis & B uiro superstes, cũ apud Moabitas agens, audiuisset Iouã suis subuenisse, eisq; annonã leuasse, illinc digressa, comitib. duab. nuribus, in Iudæã reuerti cõtendit, easq; in itinere sic admonuit: Reuertimini utraq; in suæ matris domũ: rependat uobis Ioua pietatẽ, qua tũ erga* mortuos, tũ erga me usæ estis. Faxit Ioua ut quietẽ suã utraq; apud maritũ nãciscamini. Hæc cũ locuta, eas deosculatur, illæ in lachrymas erumpẽtes, affirmabant,

Elimelechus.

Noemis in Iudæam reuertitur.

** me, propter uestros maritos.*

affirmabãt, ſeſe cũ ipſa ad eius populares eſſe [b] reuerſuras. Sed Noemis eas ita hortata eſt: Reuertimini meæ filiolæ, cur me comitemini? Nũquid ego adhuc in utero geſto filios, qui uobis futuri ſint uiri? Reuertimini meę filiolæ, diſcedite: nam ego quidem grandior ſum, quàm ut ſim apta uiro. Quòd ſi maximè ſpem eſſe putarẽ, uiroq; uel in proximã noctem tradita, filios gignerem, an eſtis expectaturę donec adoleuerint, & tamdiu ſine uiris duraturæ? Non ita, meæ filiæ. Equidem [c] ualde ueſtra cauſa doleo, ſed me Iouæ manus urget. Tum illę ploratum integrant, & Orpha ſocrum ſuam oſculata, ei ualedicit. ¶ At Rutha cum ea hærebat. & Noemis ſic eam allocuta eſt: Vides ut tua fratria repetat patrios penates: reuertere unà cũ fratria. At Rutha: Ne me urge, inquit, ut te relinquã, atq; à te diſcedam: nam quo tu cunq; ibis, ego ibo: ubi tu diuerſaberis, ego diuerſabor: cõmũnis mihi tecum erit populus, communis Deus. Vbi tu morieris, ego moriar, ibiq; ſepeliar: atq; ita mihi ſit Ioua propitius, ut una me mors à te diuellet. ¶ Tum illa uidens, eam ſecum obſtinauiſſe proficiſci, diſſuadere deſijt. Ita ambę Bethlehemam peruenerunt: ad quarum aduentum toto oppido permoto, quærẽtibus mulieribus, nũ ea Noemis eſſet, dicebat: Nolite me [d] Noemin uocare, uocate me Maram, nam ingenti mœrore me affecit omnipotens. Cum plena diſceſſerim, inanẽ Ioua reduxit: cur me Noemim appellatis, quam rerum præpotens Ioua malo afflixerit? Igitur reuerſæ Noemis et Rutha Moabitis, nurus eius, ex agro Moabitico, Bethlehemam initio meſſis hordeorum uenerunt.

[b] hoc eſt, ituras cum ea reuerſuras. Nec enim reuerterentur ipſę in Iudęã, cum in Iudæa nunquam fuiſſent.

C

[c] Inuita à uobis diuellor, ſed cogit Ioua, qui me ueſtris maritis priuauerit.

D

[d] Noemi ab amœnitate & iucunditate: Mara ab acerbitate & mœrore dicitur.

CAPVT II.

HAbebat autem Noemis neceſſariũ quendam uiri ſui, hominem militarem, Elimelechi gentilẽ, nomine Boozũ. Et Rutha Moabitis à Noemi copiã petiuit eũdi rus, & ſpicas colligendi poſt quemuis, ſi quem nãciſceretur qui id ei beneficij concederet. Atq; illa ei ita dixit: I ſanè mea filia. ¶ Ita rus profecta Rutha, cœpit poſt meſſores ſpicilegiũ facere: acciditq; ut fundus ille eſſet Boozi, gentilis Elimelechi. ¶ Atque is Boozus tum Bethlehema adueniẽs, ſic meſſores ſalutauit: Adſit uobis Ioua. Cui illi: Et tibi faueat Ioua. Et Boozus famulũ ſuũ curatorem meſſis alloquens: Cuia eſt iſta puella? inquit. Cui ille: Puella eſt Moabitis, quæ remigrantẽ ex agro Moabitico Noemin comitata eſt. Rogauit autem ut ſibi liceret apud manipulos ſpicilegiũ facere poſt meſſores, manſitq; hic hactenus ex quo manè uenit: tam paulum manet domi. ¶ Tũ Boozus ad Ruthã, Audin, filia? ne iueris in aliũ agrum ad legendũ ſpicas, neq; hinc diſceſſeris, ſed hic hæreto apud meas operarias, & uideto ut eas ſequaris quò in agro metẽt. Ego operarijs uetabo, ne ſint tibi moleſti. Quòd ſi ſities, petes potũ ex ijſdem uaſis, quibus hauriunt ipſi. Tũ illa in faciẽ procumbẽs & honorem illi ſummiſſe prębẽs, ita dixit: Quid eſt, ut tu me peregrinã afficias eo beneficio, ut mei rationem habeas? Cui Boozus reſpondẽs: Narratũ eſt mihi, inquit, qualem tu te præſtiteris erga ſocrũ tuã, poſt obitũ uiri tui: utq; relicto utroq; parente, terraq; patria, te ad populum tibi antea ignotum contuleris: quod factum Ioua tibi Deus Iſraelitarum cumulatiſſimo præmio repẽdet, ſub cuius alarum præſidiũ tu te receperis. Et illa: Agnoſco tuã erga me benignitatẽ, domine, qui tam humana oratione confirmes animum meũ cõſolando, cũ tamen indigna ſim quæ uel in ancillarum tuarum numerũ ueniam. Deinde ſub horã capiendi cibi, iuſſit eam Boozus accedere, & pane ueſci, bucellasq; ſuas in aceto intingere: cumq; illa meſſorũ lateri aſſediſſet, porrexit ei polẽtam. ¶ Illa ubi cibũ ad ſatietatẽ cępit, cũ ex eo ſuperfuiſſet, ſurrexit ad legendũ ſpicas. Et Boozus operis ſuis pręcepit, nõ modò ne eã uel inter mergites legere prohiberent, uerumetiã ut ei manipulos de induſtria relinquerent, ne ue eam à legendo abſterrerent. ¶ Ita illa ſpicas in agro legit ad uesperum, trituratũq; quod legerat (fuit autẽ circiter ephi hordei) in oppidũ intulit: & ſocru ſpicilegium intuẽte, reliquias ſui cibatus prompſit, illiq; dedit. Et ſocrus: Vbi hodie collegiſti? inquit: aut ubi operata es? Bene precor illi, qui tui rationem habuit. Tum illa ſocrui exponit, quo pacto apud illum operata fuiſſet: docetq;, uiro illi, apud quẽ eo die operata ſit, nomẽ eſſe Boozus. Et Noemis: Precor illi Iouã propitiũ, qui ſuam beneficentiã neq; à uiuis auerterit, neq; à mortuis. Is quidẽ propinquus eſt nobis, inquit, & noſtrę cõſanguinitatis. Et Rutha: Quin etiam me monuit, inquit, ut apud ſuos operarios hererem uſq; ad peractã omnẽ ſuam meſſem. Cui ſocrus: Et ſanè præſtat, inquit, filia, ut eius operarias ſequare, ne in alio fundo, phibearis. Itaq; illa apud Boozi famulas hęſit colligendo ſpicas, donec hordei triticiq; pacta meſſis eſt.

Boozus.

Rutha ſpicas lectũ it.

B

C

Rutha domũ redit.

B

CAPVT III.

INterea dum apud ſocrum manet, Noemis cum ea ſic locuta eſt: Requiẽ tibi, mea filia, uolo quærere, ut bene ſit tibi. Eſt Boozus cognatus noſter, cum cuius tu puellis fuiſti, qui quidem hordeũ in area ſub noctem uentilaturus eſt. Tu laua & unge te, ornatuq; adhibito, ad aream deſcende: ſed noli te homini aperire, donec cibũ iam potionemq; ſumpſerit. Cumq; diſcedet cubitũ, obſeruato locum in quo cubabit, eumq; adito, & detectis eius pedibus cubato. Ipſe tibi quid facto ſit opus oſtẽdet. Et illa: Quicquid tu mihi mãdas, exequar. ¶ Hęc locuta deſcendit ad areã, & omne ſocrus mãdatum executa eſt. Cumq; Boozus cibo & potione exhilaratus, ad finẽ metæ cubitũ iuiſſet, illa pedetentim acceſſit, illiusq; detectis pedibus, accubuit. Media nocte exterritus homo, tactu explorat, & mulierẽ animaduertens ſibi ad pedes adiacentẽ, inquit: Quæ tu es? Cui illa: Ego ſum Rutha, inquit, ancilla tua, quæ peto ut tu in me gremium tuum exporrigas: nam propinquus es. Et Boozus: Iouam tibi, filia, opto propitium, inquit: tu priorem pietatem hac poſteriore ſuperaſti, quæ iuuenes ſiue pauperes ſiue diuites ſecuta non ſis. Quamobrem bono es animo, filia: quicquid poſtulas, tibi faciam. Scit enim

Noemis cũ Rutha de uiro ei conciliando agit.

B

C

Rutha à Boozo petit ut ſe uxorem ducat.

enim cuncta meorum popularium ciuitas, te mulierem esse uirtute praeditam. Veruntamen quanquā ego propinquus sum, est tamen alius me propinquior. Quiesce hac nocte. Manè si te ille propinquitatis iure ducere uoluerit, bene est, ducat sanè: sin autem noluerit, ego per

D Iouam immortalem ducam: quiesce in matutinum. ¶ Igitur illa ad eius pedes in matutinum quieuit, surrexitq; ante quàm posset quis alterum agnoscere. & ille ei praecepit, ut caueret ne in aream uenisse mulierē resciscereturː iussitq; ut amictum, quo uestita erat, exhiberet, teneretq;: quod cum illa fecisset, mensus est ei sex hordei mēsuras, easq; illi imposuit. ¶ Illa in oppidum ad socrum uenit: quaerentiq; quid egisset, exposuit omnia quę sibi fecisset homo, utq; sibi sex illas hordei mensuras dedisset, negans uacuę ueniēdum esse ad socrum. Tum socrus: Expecta, inquit, filia, donec uideas quò cadat res. Nam homo nunquam hodie, nisi re perfecta, conquiescet.

CAPVT IIII.

Boozus cū Ruthae cognato de ea in matrimoniū ducenda agit.

AT Boozus in curiam uenit, ibiq; sedens, praetereūtem propinquum illum, de quo loquutus erat, conspicatus, eum nomine appellans, iussit accedere, & ibi sedere. Quod postquam ille fecit, adhibuit decem de ciuitatis senatoribus, eosq; hortatus ut ibi sederent, cum illi consedissent, propinquum sic alloquitur: ¶ Fundū agri, Elimelechi, consanguinei nostri uenundat Noemis, ex agro Moabitico reuersa. Hac de re mihi uisum est ut te admonerem, ut si eum iure propinquitatis redempturus es, merceris in incolarū senatorumq; nostrorum praesentia: sin minus redempturus es, mihi indices, ut dispiciam: neq; enim cuiusquam magis est redimere quàm tuum, secundum quem ego sum. Tum ille: Ego redimam, inquit. Et

B Boozus: Cum agrum à Noemi emes, habenda tibi est etiam Rutha Moabitis, uxor defuncti, ut defuncti nomen in eius haereditate suscites. At propinquus: Non possum mihi redimere, inquit, ne haereditatem meam corrumpam: redimito tu, quod mei iuris est. nam ipse quidem redimere non possum. ¶ Erat autem mos olim

Deut.25.b apud Israelitas, ut qui alteri in iure propinquitatis cedebat, quo res tota cōfirmaretur, detractum sibi calceum alteri traderet: eratq; haec apud Israelitas testificatio. Igitur propinquus ille Boozo in iure cedens, calceo se exuit. Et Boozus cùm ad omnes, tū ad senatores ita loquitur: Vos testes estis hodie, me omnes Elimelechi, omnesq; Chelionis & Mahalonis fa-

C cultates emere à Noemi: necnon Ruthā Moabitidem Mahalonis uxorem, mihi in matrimonium conciliare, ut defuncto nomen in sua haereditate suscitem, ne defuncti nomē ex sua consanguinitate patriaq; deleatur. Vos hodie testes estis. ¶ Et omnes qui in curia aderāt, & senatores, sic ei responderunt: Testes sumus, faxit Ioua mulierem, quae domū tuam uenit, Rachelis & Liae similem, quae duę Israelis domum sobole instruxerunt: utq; tu Ephrathae praeclara facias, & nomē Bethlehemae pares, sitq; domus tua similis domui Pharis, quę ex Thamare Iudas sustulit, per progeniem quam tibi Ioua *Gen.38.g* dederit ex hac puella. ¶ Igitur Rutham duxit D Boozus in matrimoniū, & ex eius cōiunctione (Ioua conceptum dante) filium sustulit. Tum *Ruthā ducit Boozus.* mulieres Noemi dicebant: Gratias agimus Iouae, qui te hodie propinquo uindice non destituit, cuius apud Israelitas nomen extet, qui tibi animū recreet, senectamq; sustentet, cui amantissima tui nurus peperit, quae quidē tibi uel septies filijs potior est. Noemis ergo puerū excepit, & in sinu suo positum educauit. Vicinae autem dictitantes, Noemi natū esse filium, ei nomen imposuerunt Obed, qui fuit pater Isaei, patris Dauidis. ¶ Hęc est igitur Pharis soboles. Phares genuit Hezronē, Hezron Ramū, Ramus Amminadabum, Amminadabus Nahassonem, *Mat.1.a* Nahasson Salmonē, Salmon Boozum, Boozus Obedē, Obed Isęum, Isęus Dauidem.

REGVM LIB. I.

CAPVT I.



Elcana.

[F]VIT uir quidā à Ramatha Sophorū, quae est in mōte Ephraimitarum, nomine Elcana, filius Ierohami, filij Elij, filij Thobi, filij Suphi, Ephrathaeus. Is duas habebat uxores, alteram nomine Annam, alteram Phenennam. Phenenna liberos habebat, Anna nō habebat. Is homo quotannis Siluntem ex patria sua uentitabat, ad Iouam bellipotentem uenerandum, eiq; sacrificandum, cum quidem illic duo Elis filij, Hophnis & Phinees, Iouae sacerdotes essent. ¶ Igitur quodam die Elcana facto sacrificio, cum Phenennae coniugi suae, eiusq; filijs omnibus, filiabusq;, portiones distribuisset, Annę portionem unam tristi uultu dedit.

B Amabat enim Annam, cuius uterū Ioua clauserat, quamq; praeterea pellex eā ipsam ob clausū à Ioua uteri causam insectabatur, atq; irritabat. Ac cum Elcana idem quotannis faceret, illa quandocunq; in Iouae templum proficiscebatur, idē faciebat. C Eam ob rem flebat Anna, & à cibo abstinebat. Et maritus eius Elcana, eam sic allocutus est: Anna quid fles? cur non comedis? cur moesto es animo? an non ego tibi sum uel decies filijs potior? At Anna, postquā cibum potionemq; Silunte sumpsit, surrexit: & Eli pontifice, in sede apud cellae Iouę postes sedente, Iouam magno cum animi dolore flens precata est, uotumq; fecit his uerbis. Ioua armipotens, si meā ancillae tuę miseriam respexeris, meiq; nō oblitus, sed memor, mihi uirilē sobolem dederis, eam ego Iouę in omnē eius uitam dedam, nec eius capiti admouebitur nouacula. Hęc cum illa Iouam prolixè obsecraret, cumq; suo ani-

Anna uotum ob impetrandum filium.

Elis pontifex.

suo animo loquẽs, labra moueret, neq; uocem ederet: Elis eius os obseruans, temulentã ratus

C

est. & Quousq;, inquit, ebria eris? exhala uinũ. At illa: Pace tua, domine, inquit, mulier sum ęgro animo, non uino pota, aut temeto, sed animi mei affectionem apud Iouam effundo. Noli me improbarum habere numero: nam hactenus ex animi mei sensu atq; dolore locuta sum. Tum Elis: Abi, inquit, cum bona pace: Deus Israelitarum tibi det, quæ ab eo flagitasti. Et illa: Dabis mihi ueniam, inquit. Hæc locuta mulier, discessit, cibumq; sumpsit, neq; amplius mœstitiam retinuit. Manè ubi surrexerunt, Iouam uenerati, Ramatham domũ redierunt. Et Elcana Annæ coniugis suæ nõtitiam habuit, quæ, Ioua eius memore, uertẽtibus tẽporibus conceptum edidit filium, Samuelemq; ex eo nominauit, quòd eum à Ioua exorasset.

Samuel nascitur.

D

¶ Deinde proficiscente Elcana unà cum tota sua familia ad anniuersarium sacrificium Iouę faciendum, uotumq; suum reddendum, Anna profecta non est: donec puerum ablactatum (inquit uiro suo) eò deducã, ut Iouæ [a] appareat, illicq; sit perpetuò. Cui Elcana concessit, ut faceret quod ei uisum esset, maneretq;, donec puerum ablactasset: Iouamq; precatus est, ut promissa confirmaret. ¶ Mansit ergo mulier, puerumq; lactauit, donec eum à lacte depelleret. Postea deliculum duxit secũ tribus cum tauris, & uno ephi farinæ, atq; utre uini, Siluntem, in ædem Iouæ admodum puerum: mactaruntq; taurum, & puerum ad Elim adduxerunt. Deinde illa sic locuta est: Plurimum te saluere iubeo, domine. Ego sum mulier illa domine, quæ hic apud te Iouam orans astabam: hunc puerum orabam, & mihi Ioua postulata dedit. Itaq; ego hunc uicissim Iouæ acceptum fero, atq; in perpetuum addico. Tum ille ibi Iouam adorauit. Et Anna his uerbis supplicauit.

a ministret.

CAPUT II.

Annæ carmẽ, quo Iouæ ob impetratũ filium gratias agit.

EXultat per Iouam mea mens: attollitur per Iouam meum cornu: pãditur in meos inimicos os meum, adeò lætor tuo præsidio. Non modò non est alius æquè sanctus, ut Ioua: sed ne est quidem ullus præter te, nec ullũ numen est cum Deo nostro comparandum. Nolite, nolite tam superbè loqui: facessat ex ore uestro ferocia: nam cum omniscius Deus Ioua sit, irriti sunt [a] conatus. Fortiũ arcus franguntur, & abiecti robore accinguntur. Saturi ob uictum operam suam locãt, & famelici desinunt, eòusq; ut sterilis septem pariat, & quæ

a scilicet hominum.

B

fœcunda est, reddatur effœta. Ioua occidit, & in uitam reuocat: demittit in Orcum, & extrahit. Ioua depauperat & ditat: deprimit & euehit, tenuesq; ab humo suscitat: pauperes à pædore attollit, ut collocatos cũ illustribus in gloriosi possessionem solij mittat. G. Qui & precantibus uota concedit, & iustorum annos fœcundat. Neq; enim homo uiribus ualet. Dominus infirmos reddit aduersarios suos, Dominus sanctus. Ne glorietur prudẽs in sua prudentia, neq; potens in sua potentia, ne'ue glorietur diues in suis diuitijs: sed in eo glorietur, qui gloriatur, quòd Dominũ intelligit, cognoscitq;, & ius æquumq; facit in terris. H. Nã Iouę sunt terræ cardines, quibus mũdum imposuit, qui piorũ suorum pedes custodiet, impijs silentibus in tenebris: quãdoquidem homo uiribus

Deu.32.f Tob.13.a Sap.16.b

C

non ualet. Iouę frangentur aduersarij, eo de cœlis in eos detonante. Ioua terrarũ fines iudicabit, regiq; suo fortitudinem dabit, & sui uncti cornu attollet. Deinde Elcana Ramatham domum profecto, puer remansit administer Iouæ apud Elim pontificẽ. Huic Eli filij erãt nequissimi, & Iouæ [b] ignari. Habebant autem pontifices hoc ius in populũ, ut quocunq; sacrificium facientẽ, dũ caro coquebatur, ueniret puer pontificis, fuscinam tridentẽ ferẽs, qua in lebetem, aut ahenũ, aut cacabũ, aut ollam immissa, quicquid extrahebat fuscina, id sibi pontifex uendicabat: atq; ita faciebant omnibus Israelitis illuc Siluntẽ uenientibus. Etiam ante incensum suffitu adipem, ueniebat pontificis puer, & immolatori iubebat, ut carnẽ daret assandã põtifici: pontificem enim ab eo non esse coctã, sed crudam carnẽ sumpturũ.

Elis filiorũ nequitia.

b contemptores.

D

Quòd si ille monebat ut adipem interim adoleri sineret, deinde suo arbitrio sumeret, urgebat in præsentia dari: alioquin se per uim erepturũ esse. Hæc puerorum improbitas uisa est Iouæ maxima, propterea quòd hinc Iouæ fertũ malè apud homines audiebat. ¶ Samuel aũt puer apud Iouam ministrabat, lineo indutus ephodo: eiq; mater factũ à se breuem prætextã quotannis afferebat, cum ad anniuersarium sacrificium cum uiro suo proficiscebatur. Et Elis Elcanæ eiusq; coniugi precatus est, ut ei Ioua ex ea fœmina prolem daret,

E

prout ipsa à Ioua postulauerat. ¶ Igitur ijs in patriam reuersis, Anna Ioua dante concepit, ediditq; tres filios, & duas filias, puero Samuele apud Iouã crescente. Elis aũt iam admodum senex, auditis tot suorum filiorum in omnes Israelitas facinoribus, utq; cũ mulieribus (quæ prò oraculi tabernaculo excubabant) consuetudinem haberent, eos ita cõmonefecit: Quamobrem facinora ista cõmittitis, quę ego uulgò de uobis tã scelerata audio? Desinite, mei filij: nõ enim bene apud me auditis, qui Iouæ populũ ad nequitiam abducatis. Si quis in hominẽ homo peccat, disceptãt arbitri: at si quis in Iouam peccabit, quis pro eo disceptabit? Sed illi patri dicto audiẽtes non fuerunt, quòd eos Ioua uo-

Elis filios castigat.

F

lebat occidere. Interea puer Samuel tum apud Iouã, tũ apud homines, & maior in dies fiebat, & melior. ¶ Et diuinus quidã ad Elim uenit, & cum eo sic locutus est: Sic dicit Ioua: Cum ego me tui [c] parentis posteritati in Aegypto apud Pharaonẽ degẽti patefecerim, eamq; mihi prę ter omnes Israelitas tribus ad sacerdotium delegerim, quæ ad altare meum immolaret, quæ suffitũ faceret, et ephodum coram me gestaret, deniq; cum tuæ paternæ familiæ omnem Israelitarum rem diuinam dederim, cur uos mea sacrificia atq; ferta à me in fano fieri iussa despicamini: plurisq; tu tuos filios, quàm me, facis, cũ primitijs omnium mei Israelitici populi munerum saginemini? Itaque statueram (inquit Ioua

Vates quidã Elim reprehendit.

c scilicet Leuis.

Ioua Deus Iſraelitarum) tuam patriſꝗ tui poſteritatem in meo conſpectu uerſaturam eſſe in perpetuum: ſed nunc abſit hoc à me, inquit Ioua, ut qui me in precio habent, eos ego non in precio habeam: & qui me contemnunt, non
G deſpectui ſint. ¶ Scito futurũ eſſe, ut ego tuum tuæꝗ patriæ domus lacertum ſic frangam, ut nullus ſit domi tuæ ſenex: [d] ſpectabiſꝗ in fano æmulum in omnibus bonis in Iſraelitas collatis, nec erit ullus unquam in tua familia ſenex. Neꝗ tuam ſtirpem ab ara mea diuellam, [e] quò tibi & oculi conſumantur, & animus contabeſcat: efficiamꝗ, ut omnes qui tuæ poſteritati accreuerint, ętate uirili moriantur. Cuius rei ſignũ hoc habeto, in tuis duobus filijs Hophni & Phinee euenturum, ut ambo eodem die moriantur. Creabo autem mihi fidelẽ pontificem, qui ex animi mei ſententia agat, & ei durabilem poſteritatem cõciliabo, efficiamꝗ ut apud unctum meum ſemper uerſetur: quem pontificem, quiſquis erit in familia tua reliquus, ueneratum ueniet ob numum argenteum, obꝗ panem: & ab eo petet ut ſe in aliquod ſacerdotium cooptet, quo bucellam panis edat.

d uidebunt poſteri tui, nõ ſine ſuo dolore, põtificem nõ ex te natũ, qui ſacrificijs fruatur: quæ Iſraelitæ de collatis ſibi diuinitùs bonis facient.

e dum tui poſteri ſeruient alij pontifici.

CAPVT III.

CAeterũ iuuenis Samuel Iouæ apud Elim miniſtrabat, quo quidem tẽpore rara Iouæ oracula aut prædictiones extabant. Accidit autem quodam die, Eli apud ſe cubãte, oculis iam cæcutientibus, parumꝗ cernentibus, cum diuina lucerna nondum extincta foret, ut Ioua Samuelem in Iouæ cella, ubi erat arca diuina, cubãtem, uocaret. Et ille: Adſum, inquit, ſimulꝗ ad Elim cucurrit: &, Adſum, inquit, uocatus à te. At ille: Non uocaui, inquit, redi cubitum. Itaque cubitum iuit. Deinde iterum uocatus à Ioua Samuel, ſurrexit: ad Elimꝗ cucurrit, &, Adſum, inquit: nam tu me uocaſti. At
B ille: Non uocaui, fili, redi cubitum. Nõdum autem Iouam didicerat Samuel, nec dum ullum ei Iouæ patefactum fuerat oraculum. Igitur à Ioua tertiùm uocatus, ſurgit: Elimꝗ adit, & ſe uocatu illius adeſſe dicit. Tum Elis intelligens à Ioua puerum uocari, Samuelem ſic alloquitur: I cubitum. Quòd ſi te uocauerit, dicito: Loquere Ioua, nam ego tuus audio. Igitur in eundem locum reuerſus Samuel recubuit. Et Ioua aduenit, aſtititꝗ, & Samuelẽ, ut aliquoties antè fecerat, uocauit: Samuel, Samuel. Cui Samuel: Loquere, inquit: nam ego tuus audio. Et
C Ioua: Scito me, inquit, eiuſmodi rem in Iſraelitis facturum eſſe, ut eam quicunꝗ audient, reddantur ambabus auribus attoniti. Sum enim aliquando Eli importaturus omnia, quęcunꝗ in eius poſteritatem prædixi: & quidem ita, ut nihil omnino abſit. Significaui autem ei, me in perpetuum perſecuturum eſſe in eius poſteritatem, eius culpam: qui cum filios ſuos nequiter ſe gerere non ignoraret, eos tamen non coercuerit. Itaꝗ contra Elis poſteritatem iuraui, culpam Elianæ poſteritatis nullis unquam ſacrificijs aut fertis expiatum iri. ¶ Samuel igitur, poſtquam ad matutinum cubuit, fores ędis Iouæ aperuit: cumꝗ oraculum illud Eli patefacere reformidaret, Elis eo euocato, ſic inquit: Samuel fili. Quid uis? inquit ille. Quid nã eſt, D
quod ille tibi dixit? inquit, noli me celare: ſic Deum habeas propitium, ut nihil prorſus eorum quæ tibi ab illo dicta ſunt, me celabis. Tũ Samuel ei rem omnem ſine ulla diſsimulatione patefacit. Et ille: Ioua eſt, inquit: quod ei uidebitur, faciet. Creſcebat ergo Samuel fauente Ioua, neꝗ ullum eius dictum irritum erat, innotuitꝗ omnibus Iſraelitis abuſꝗ Dane ad Berſabam, Samuelem certò eſſe Iouæ uatem. Iterumꝗ ei apparuit Ioua Silunte: nam Silunte Ioua ſe Samueli patefecit oraculo ſuo.

Ioua Samuelẽ alloquitur.

CAPVT IIII.

IGitur Samuele omnes Iſraelitas allocuto, eduxerunt Iſraelitæ ſuas copias in expeditionem aduerſus Palæſtinos, & apud ſaxum auxilij caſtra poſuerunt, Palæſtini autem apud Aphec: inſtructiſꝗ in acie Palæſtinis, & commiſſo prælio, uicti ſunt Iſraelitæ, cæſis in acie per agros circiter quatuor millibus eorũ. Tum populus in caſtra ſe recepit, & ſenatores Iſraelitæ conqueſti ſe eo die Iouæ opera à Palæſtinis eſſe uictos, ſtatuerunt arcam fœderis Iouæ à Silunte arceſſere, quæ inter eos uerſans, eos ab hoſtium defenderet iniuria. Itaque miſit populus Siluntem, qui illinc arcam fœderis Iouæ bellipotentis, Cherubis inſidentis, attulerunt: cum qua diuini fœderis arca aderant duo Elis filij, Hophnis & Phinees. Ad huius arcæ fœderis Iouæ aduentum in caſtris tantus uniuerſorum Iſraelitarum clamor extitit, ut terra ipſa perſonaret. Quo clamore audito, Palæſtini cũ B
quærerent, quid ſibi uellet tantus ille in caſtris Hebræorum clamoris ſonitus? ubi intellexerunt arcam eſſe Iouæ quę in caſtra ueniſſet, territi ſunt, quòd dicerent in caſtra ueniſſe Deum, actum eſſe de ſe: non enim ſic antea fieri ſolitum eſſe, actum eſſe. à quo enim ſe contra illorum tam excellentum deorum uim defenſum iri? Illos enim eſſe deos, qui tot cladibus Aegyptios in deſertis affeciſſent. Proinde confirmarent ſe, uiroſꝗ pręberent Palęſtini, ne Hebręis ſeruirent, quemadmodum ipſis Hebręi ſeruiuiſſent: pręſtarẽt ergo ſe uiros, ac pugnarent. ¶ Igitur commiſſa per Palęſtinos pugna, uicti Iſraelitę, paſsim in ſua tabernacula diffugerunt, maxima clade accepta, deſideratis Iſraelitarum triginta millibus peditum, capta arca diuina, mortuiſꝗ duobus Elis filijs, Hophni & Phinee. Ex ea acie Beniamita quidam C
curſu Siluntem eodem die ire contendit, ſciſſa ueſte, conſperſoꝗ terra capite. Ad cuius nuncium cum eſſet uniuerſę ciuitatis clamor excitatus, Elis, qui tum in ſella propter uiam ſedens ſpeculabatur, animo propter arcam diuinam trepido, audito clamoris ſtrepitu, quęrebat quis eſſet ille tumultus? & homo ille properauit, Eliꝗ rem nunciatum uenit, annos tum nato 8 & 90, oculis caligãti, nec cernere ualẽti. eiꝗ ita retulit: Ego ad ſum ex acie, ex qua hoc effugi. Et ille: Quid factum eſt, inquit, mi fili? Cui nũcius: fugati ſunt à Palęſtinis Iſraelitę: magna accepta clades eſt: duo filij tui Hophnis & Phinees

Victi à Palæſtinis Iſraelitæ.

Iouæ arca in caſtra affertur.

Palæſtini uictis Iſraelitis arcam capiunt.

Phinees occubuerunt: & arca diuina capta est.

D Hic Elis facta ab illo arcę diuinę mentione, de sella in dorsum delapsus apud portã, fracta ceruice mortuus est: quippe homo & senex & grauis, cum quidem Israelitis annos quadraginta ius dixisset. ¶ Eius quoque nurus Phineis uxor grauida, & iam uicina partui, postquam captæ arcę Dei, mortuiq; soceri sui atq; uiri famã accepit, doloribus correpta subsedit atque peperit. Quam moribundã cum hortarentur quæ astabant, ut bono esset animo, filium enim peperisse: illa nihil respondit, neq; animum aduertit, sed puerum ª Ichabodũ appellauit, ex eo quòd priuati essent Israelitæ gloria, capta arca diuina, eiusq; socero atq; uiro mortuis: Recessit ab Israelitis gloria, inquit, postquam capta diuina arca est.

Elis moritur.
Phineis uxor moritur.
ª aperijt gloria

CAPVT V.

AT Palæstini captã arcam diuinam Azotũ, à saxo auxilij portarunt, & in ædẽ sui dei Dagonis illatã, apud ipsum Dagonem collocarunt. Sed cum postridie surrexissent Azotij, Dagonẽ offenderũt humi ante arcam Iouæ prolapsum: quem cum sublatum in suũ locum reposuissent, postero item die prolapsum humi ante eandem arcam Iouæ reperiunt, eius capite ambabusq; manibus auulsis, & in limine positis,
B tantum Dagonis trunco ei relicto: eamq; ob rem Dagonis sacerdotes, aut quicunque in ædem Dagonis intrant, limen Dagonis Azotij ad hunc diem non calcant, sed transcẽdunt. H. Tum Ioua Azotios grauiter insectatus est atq; uexauit, & ipsos * podicis morbo, & ipsorum fines G. L. enatis muribus H. infestando, G. L. ex quo ingẽti clade perturbata ciuitas est. H. Quod cum fieri uiderent Azotij, negarunt uelle se arcam Dei Israelitarũ apud se manere, qui & ipsos & ipsorum deum Dagonem tam durè tractaret.
C Itaq; accersitis & cõuocatis omnibus Palæstinorum optimatibus, quæsiuerũt quid sibi arca Dei Israelitarum faciẽdum esset? Quibus illi responderunt, transferendam esse Getham. Quod cum fecissent, Ioua oppidum illud ingentibus turbis uexabat, oppidanis à maximo ad minimum ita affectis, ut eis podices prociderent. ¶ Itaq; diuinam arcam Accaronem miserunt.
D Quò cum illa peruenisset, cœperunt Accaronitę clamare, iccirco ad se allatam esse Dei Israelitarum arcam, ut se suosq; populares interficeret. Ergo conuocatis omnibus Palæstinorum primoribus, postularunt ab eis, ut arcam Dei Israelitarum in suum locum remittendam curarent, ne per eam Accaronitæ, eorumq; populares, necarentur. Nam uniuersa ciuitas pernicali malo premebatur, adeò grauiter Dei manus urgebat: & qui nõ moriebantur, ijs sedes infestabantur, ingentesq; ciuitatis excitabantur querelæ.

Dagon Azotiorum deus ante Iouanã arcã labitur.
Azotios infestat Ioua.
Psal. 76. d
* a condylomatis, cum procidit sedes.
Gethã infestat Ioua, & Accaronem.

CAPVT VI.

IGitur cum fuisset arca Iouæ in agro Palæstinorum septem menses, Palæstini, cõuocatis sacerdotibus & diuinis, ex eis quęsiuerũt, quid sibi arca Iouæ faciendũ, aut quo pacto in suum locum remittenda foret. Quibus illi ita responderunt: Si arcam Dei Israelitarum remittitis, ne inanem remittite, sed illi mulctam soluite. Ita enim sanabimini, & intelligetis quamobrem Ioua uos infestare non desinat. Quærentibus quæ nam illi mulcta pẽdẽda foret? responderunt, quinq; podices aureos, & totidem mures aureos, pro numero optimatũ Palæstinorum: nam eadem clade & cæteri omnes, inquiunt, & uestri primates infestantur. Quamobrem facite simulachra uestrorum podicũ, & murium terram uastantium, & ea Israelitarum Deo honoris ergò date, si fortè uos uestrosq; deos & terram infestare desinet.
B Cur enim animos uestros obfirmetis, sicut obfirmarunt Aegyptij & Pharao? qui tamen ab illo sic tractati sunt, ut coacti sint illis dare missionẽ. Quapropter curate faciendum currum nouum unũ, & ei duas uaccas fœtas, quæ iugum nunquam tulerint, alligate: earumq; uitulis domum reductis, sumite arcam Iouæ, & eam in currum imponite, aureaq; simulachra, quæ illi mulctæ nomine pendetis, in capsa ad arcæ latus ponite, eamq; abire sinite, atque obseruate. Si Bethsamem in suos fines iter habebit, ille nos hoc tanto malo affecit. Sin minus, sciamus nos non eius manu premi, sed hęc nobis casu accidere. ¶ Atq; ita fecerũt homines, duasq; boues fœtas ad currum alligarunt, domi conclusis earum uitulis, imposita in currum arca Iouæ, capsaq;, & muribus aureis, & podicum suorum simulachris.
C Vaccæ uerò rectà Bethsamem uersus una uia mugientes ire contenderunt, neq; ad dextram aut sinistram deflexerunt, Palæstinis illas primatibus usque ad Bethsamis confinia subsecutis. Bethsamitæ, qui tum messem triticeam in ualle faciebant, ubi arcam animaduerterũt, eius conspectu lætati sunt. Cumq; uenisset currus in agrum Iosuæ Bethsamitæ, ibiq; stetisset, conciderunt ligna currus, uaccasq; illas Iouæ solido sacrificio immolarunt: & Leuitæ arcam Iouæ, capsamq; unà positam, in qua erant aurea illa simulachra, deposuerunt, & ingẽti saxo, quod illic erat, imposuerunt, eodemq; die Bethsamitæ Iouæ solida sacrificia & rem diuinam fecerunt. Qua re animaduersa, quinque Palęstinorum optimates Accaronem eo die rędierunt.
D Podices autem aurei, quos Palæstini mulctæ nomine Iouę penderũt, fuere pro Azoto unus pro Gaza unus, pro Ascalone unus, pro Getha unus, & pro Accarone unus. Mures quoq; aurei fuerunt pro numero omniũ urbium Palęstinarum, id est quinque præfecturarum, quę continentur ab urbe munita, ad uicum nõ muratum, & ad ingens saxum, in quo reposita est arca Iouæ, quod saxum est adhuc in agro Iosuę Bethsamitæ. ¶ Sed Ioua in Bethsamiticum populum, quòd Iouæ arcã uiderant, animaduertit, cæsis eorum septuaginta hominibus supra quinquaginta millia: qua tanta clade à Ioua illata lugens Bethsamitarum populus, querebat, ecquis posset ante Iouam tam * augustum Deum cõsistere: aut ad quos nam à se transferenda foret arca? Itaq; miserunt legatos ad Cariathiarimenses, qui dicerent, redditam esse à

Palęstinis

Palæstini de remittenda arca cõsultant.
Exod. 12. d
Iouæ arcã ad Israelitas remittunt Palæstini.
H. holocausti
Bethsamitarum clades.
* seuerum.

Palæstinis arcam Iouæ: descenderent, eamq; ad se exportarent.

CAPVT VII.

ERgo uenerunt Cariathiarimenses, sublatamq; arcam Iouæ, Gabaam in domũ Abinadabi intulerunt, eiusq; filium Eleazarum ad Iouæ arcam custodiendam cõsecrarunt. Ac ex quo arca Iouæ Cariathiarimi collocata est, longo spacio, uiginti circiter annis præteritis, totum Israelitarum genus ad Iouam lamentatum est. ¶ Tum Samuel omnes Israelitas cõmonuit, ut si se toto animo ad Iouã conuertebant, deos alienos & Astarothum de medio sui tollerent, & bene erga Iouam animati, uni Iouæ seruirẽt: sic enim fore, ut eos ille à Palæstinis tueretur. Itaque sustulerunt Israelitæ Baales & Astarothum, uniq; Iouæ seruierunt. Et cum Samuel

Israelitæ ad frugem redeunt.

Monet Samuel Israelitas, ut deos alienos exigant.

Deut. 6.c

Matth. 4.b

B omnibus Israelitis ad Maspham conuentũ indixisset, ut pro eis Iouam obsecraret, conuenerunt apud Maspham, haustamq; aquam apud Iouam effuderunt, & eo die ieiunarũt, seq; contra Iouã peccauisse confessi sunt: atq; ita Israelitis ius dixit Samuel apud Maspham. ¶ At ubi Palæstinis Israelitas apud Maspham conuenisse auditum est, Palęstinorũ principes in eos expeditionem fecerunt: quo audito Israelitæ sibi metuentes à Palæstinis, Samuelem orant,

C ne Iouam Deum ipsorũ pro ipsis inuocare intermitteret, ut eos ab iniuria Palæstinorum defenderet. Et Samuel agnum subrumum cępit, eoq; solidum Iouæ sacrificium fecit, Iouamq; pro Israelitis inuocauit, & exauditus est. Eo enim adhuc sacra faciente, Palæstini conserto cum Israelitis prælio, ingenti Iouæ tonitru eo die perturbati, ab Israelitis uicti sunt: eosq; Israelitæ Maspha egressi, usq; sub Bethcar occidendo persecuti sunt. Et Samuel saxum inter Maspham & Sen collocauit, idq; saxum auxilij nominauit: quòd nobis hucusque, inquit, auxilia-

Palæstini ab Israelitis cæsi.

Eccl. 46.d

Saxum auxilij

D tus est Ioua. Ita domiti Palæstini, deinceps Israelitarum fines non incursarunt, totoq; tempore Samuelis à Ioua cohibiti sunt. Oppida quoq; sibi à Palæstinis erepta Israelitæ per uim recuperarunt, ab Accarone ad Getham, cum suis finibus, cũ pax esset inter Israelitas & Amorræos. Dixit autem ius Israelitis Samuel, quamdiu uixit: cum quidem quotannis Bethel, Galgala & Maspham obiens, Israelitis in his omnibus locis ius redderet, deinde Ramathã reuerteretur. Nam ibi domum habebat, ibi ius dicebat, ibi Iouæ aram construxerat.

I

CAPVT VIII.

CVm autẽ cõsenuisset Samuel, filios suos, quorum grandiori Ioel, alteri Abias nomen erat, rectores Israelitis Bersabæ imposuit. Qui eius filij cum eius mores non imitarentur, sed ad auaritiã declinantes, munera ob ius peruertendũ acciperent, cõuenerunt Ramatham ad Samuelem omnes Israelitæ senatores, & ab eo petierunt: ut postquã & ipse iam senex erat, neq; eius filij paternos mores sequebantur, regem sibi ad se gubernandos cęterarum gẽtium omnium more imponeret. Hac illorum de re-

Israelitæ regem petũt.

Ose. 9.c 13.b.

Act. 13.c

B ge ad se gubernandos postulatione offensus Samuel, Iouam appellauit. Cui Ioua respondit in hunc modum: Obtempera populo in omnibus quæ à te postulauerint. Non enim te, sed me, à sui rectione depellunt: ac quales hactenus semper erga me fuerũt, ex quo illos ex Aegypto eduxi, dũ relicto me dijs seruierunt alienis, tales erga te quoq; se præbent. Quãobrem obsequere sanè illis: si prius tamen eos admonueris, eisq; ius regis in eos regnaturi demonstraueris. Hęc omnia Iouę mãdata Samuel hominibus à se regem petentibus exposuit, atq; ita locutus est: Hoc ius erit regis in uos regna- C

turi. Ex filijs uestris aurigas sibi, & equites, & antecursores curules deliget: hos tribunos, hos cẽturiones creabit: his aratoribus, his messoribus, his bellici et suorum curruum instrumenti fabricatoribus utetur. Filias uestras unguentarias, coquas, pistrices suas faciet. Agrorum, uinearum, oliuetorum uestrorum optima quęq; deliget, suisq; stipatoribus distribuet. Fruges & uineas uestras decimabit, & suis spadonibus assectisq; dabit. Seruorum, ancillarum, iuuenum uestrorum lectissimos, asinosq; sumet, quibus ad sua negocia utatur: pecora uestra decumabit: breuiter, ei serui eritis, ac aliquãdo de rege, quem ipsi uobis delegeritis, queremi- D

ni, nec interim uos exaudiet Ioua. Huic Samuelis uoci obtemperare nolentes Israelitę, instabant, ut sibi rex crearetur, quo cæterarum gentium omniũ similes essent, rege eos gubernante, educente, bella eorum gerente. Quæ omnia populi uerba audita Samuel cum ad Iouam retulisset, Ioua ei pręcepit ut illis morem gereret, & regem crearet. Tum Samuel Israelitis præcepit, ut in sua quiq; oppida discederent.

Samuel populo ius regis exponit.

CAPVT IX.

FVit autem Beniamita quidã nomine Cis, filius Abielis, filij Seroris, filij Bechorati, L. filij Sarethi, H. filij Aphiæ, Ieminiensis cuiusdam filij, miles: qui filium habebat nomine Saulum, iuuenẽ, & ita formosum, ut nulli Israelitarum pulchritudine cederet, & cęteros omnes humeris superemineret. Huic Saulo filio suo, Cis pater aliquando mãdauit, ut assumpto uno de famulis, proficisceretur ad uestigãdum asinas ipsius Cis, quę tum perditę erant. ¶ Igitur Saulus cum peragrato mõte Ephraimitarũ, terraq; Salisa, & Salimorum Ieminiensiumq; nusquam illas inuenisset, ubi in fines Suphios uẽtum est, famulum, quem comitem habebat, sic alloquitur: Age reuertamur, ne pater meus omissis asinis, sit de nobis sollicitus. Cui ille: Est in hoc oppido, inquit, quidã [a] diuinus, uir grauis, qui quicquid futurum dicit, euenit: eamus illuc modò, si fortè nobis id ostẽdet, cuius causa suscepimus hoc iter. At Saulus: Si imus, inquit, quid afferemus homini? nã & pane exhaustę sunt perę nostrę, nec quicquam habemus in pręsentia quo diuinum remuneremur. B

Est mihi in pręsentia (subijcit ille respondens) quadrans sicli argentei, quem diuino dabo, nobis ut iter nostrum expediat. Fuit quidẽ, cum apud Israelitas qui [b] Deum cõsultum ibant, sic dicerent: Age adeamus uidẽtem, nam qui hodie uates,

Cis Sauli pater.

Saulus patris asinas quæsitũ it.

a uates.

b sciscitatũ oraculum.

die uates, is olim Videns appellabatur. Tum Saulus: Recte mones, eamus. Ita in oppidum perrexerũt, ubi ille diuinus erat. ¶ Atq; in ascẽsu oppidi, nacti puellas, quæ aquatum exibãt, quærunt ex eis, num'nam sit illic uidens? Quibus illæ: Est, inquiunt, & quidẽ uobis obuiam futurus, modò properetis: nam hodie uenit in oppidum, quoniam peraguntur hodie popularia sacra in sacello. Ingressi oppidum, eum protinus offendetis, antequam in sacellum ad epulas ascendat. Siquidem ante eius aduentum populus non inibit epulas, propterea quòd eius est super sacrificio precari: tum demum epulabuntur inuitati. Quare ascendite: non enim dubium est, quin eum sitis inuenturi. Ita illi in oppidum ascendunt: cumq; intra oppidum uenissent, occurrerunt Samueli, qui exierat ad ascendendum in sacellum.

Act.13.c

C

Præmonuerat autem Ioua Samuelẽ, pridie quàm Saulus uenit, in hunc modum: Cras ego tibi de Beniamitarum finibus mittã hominem, quem tu mei Israelitici populi ducẽ unctione crees, qui populum meum ab iniuria Palæstinorum defendat. Nam ego populum meũ respicio, eius ad me perlata querela. Igitur Samuelem uiso Saulo monuit Ioua, illum esse, quẽ ipse ei prædixisset rectorem fore sui populi. Et Saulus ad Samuelem in media porta accedit, & eum sic alloquitur: Ostende quæso mihi, ubi'nã sit domus uidentis. Cui Samuel: Ego sum uidens, inquit respondens, conscende ante me in sacellum. Vos hodie apud me epulabimini: deinde manè ego te dimittam: tibiq; quicquid in animo habes indicabo. Nam quod ad asinas pertinet, tibi tertio abhinc die perditas, depone earum curam: repertæ sunt. Sed hoc sciendum tibi est, eum esse te, in quem unum, & in tuam uniuersam patriam familiam, spectet res Israelitarũ. Et Saulus: Cum ego genus ad Ieminim, inquit, referam, ortus ex minima gentilitatũ tribus Beniaminensis, quæ tribus omnium est Israelitarum minima, qui fit, ut tu istud mihi dicas?

Saulus Samuelem adit.

D

¶ At Samuel Saulum eiusq; famulũ in cœnationem introduxit, eisq; summum inter inuitatos, qui erãt circiter triginta, locum dedit. Tum à coquo poposcit eam portionem, quam ei tradiderat, & ipsum penes se reponere iusserat (exceperat autem coquus armum, & quod armo adhæret) Sauloq; apposuit: &, Ecce reliquias, inquit, appone ipse tibi, uescere, nã hoc tibi ex composito reseruatum est, [a] quòd dicerem, me inuitasse homines. Ita epulatus est eo die Saulus cũ Samuele. Deinde ex sacello descenderunt in oppidum, & ille cum Saulo super tecto collocutus est. Postridie ubi surrectum est, sub ortum auroræ uocauit Saulum Samuel in tectum: &, Surge, inquit, uolo te dimittere. ¶ Cumq; surrexisset Saulus, egressi sunt ambo foràs, ipse & Samuel. Atque inter descendendum, ad extremum oppidi monuit Saulum Samuel, ut famulum iuberet ipsos præuertere, atque antecedere: ipse autem paulisper restaret, ut ei diuinum mandatum exponeret.

a Sciebã te adfuturũ. Ideoq; coquo ut hoc reseruaret, mandaui: me enim habiturũ conuiuas alios

CAPVT X.

DEinde sumpta olei ampulla, caput Sauli perfudit, eumq; deosculatus, inquit: Te quidẽ ungit Ioua [a] suæ possessionis ducẽ. Cum hodie digressus à me fueris, reperies homines duos apud sepulchrũ Rachelis, in finibus Beniamitarum, apud Selsam, qui tibi nunciabũt, repertas esse asinas, ad quas uestigandas profectus es: patremq; tuum omissa cura asinarũ, de uobis solicitum, & filij sui causa anxium esse. Illinc progressus ulterius, ubi perueneris ad quercum Thaboris, incides illic in homines tres, Bethel [b] ad Deum ascendentes: quorum unus tres hœdos, alter tres panes, tertius utrem uini portabit, qui te salutabunt, tibiq; duos panes dabunt, quos tu ab illis accipies. Deinde uenies in collem diuinum, ubi sunt Palæstinorũ præsidia: ubi oppidũ ingrediens, occurres cœtui uatum de sacello descendentium, & præcedente nablo, tympano, tibia & cythara, uaticinantiũ: cum quibus tu quoq;, Iouæ spiritu correptus, uaticinabere, & in alium hominem mutabere. Quæ postquã tibi signa euenisse contigerit, tũ facies licet, tibi quod in manũ uenerit: nã tibi Deus aderit. Descendes autẽ ante me in Galgala, quò ego sum ad te descensurus, ad solida sacrificia, & ad sacra pro salute facienda. Tu septem dies expectato, dum ego ad te ueniam, tibiq; quid faciendũ sit ostendã. Igitur simulatq; digrediens à Samuele Saulus, humeros cõuertit, Deus ei mentẽ in aliã immutauit, eodemq; die omnia signa illa contigerunt. Atq; ubi illò, uidelicet Gabaam uenerunt, occurrit ei cœtus uatũ, quos inter ipse diuinitùs afflatus, uaticinari cœpit. Eum cum inter uates uaticinãtem aspicerent, quicunq; eum antea cognouerant, uulgò inter se dictitabãt: Quid'nã filio Cis accidit? An & Saulus inter uates? Et quidam qui aderat: Imò [c] quis eorum pater est? inquit. Itaq; abijt in prouerbium: An & Saulus inter uates? Deinde ubi uaticinari desijt, uenit ad sacellum, & quærenti patruo ex ipso & ex famulo, quo'nam profecti fuissent? respondit, ad quærẽdas asinas: quas cũ non extare uiderent, adiuisse Samuelẽ: petẽtiq; patruo, ut sibi exponeret quid eis Samuel dixisset? respondit Saulus, illũ indicasse, repertas esse asinas: sed de regno quod dixerat Samuel, nõ indicauit. ¶ Deinde Samuel cõuocato ad Iouã populo apud Masphã, cũ Israelitis sic locutus est: Sic dicit Ioua Deus Israelitarũ: Ego Israelitas eduxi ex Aegypto, & uos tũ ex Aegyptijs, tũ ex omnibus, quę uos opprimebant, regnis eripui, & uos hodie Deũ uestrũ (per quẽ estis ab omnibus malis atq; hostibus defensi) repudiatis, regẽq; uobis imponi flagitatis. Quare adeste coram Ioua, in tribus copiasq; distributi. Ita sortito Samuele tribus omnes Israeliticas, Beniaminensi sors obuenit: qua porrò ducta per cognationes, & Matriana cognatione designata, declaratur Saulus, Cis filius. Is cum quæsitus non inueniretur, interrogatus insuper Ioua, an adhuc eò uenisset homo? eum apud impedimenta latere respondit. Itaq; eò concursum est, accersitusq; illinc,

Saulum regem ungit Samuel.

a suorũ Israelitarũ. *Act.13.c Ose.9.d*

b Dei fanum.

B

Saulus uaticinatur.

C

c non solũ uates est Saulus, sed etiam uatũ pater, hoc est summus.

An & Saulus inter uates.

D

Saulus rex creatur.

& in medio populi collocatus est, cum quidem cæteros omnes humeris supereminenret. Hic Samuel ad uniuersos ita loquitur: Videtis'ne quem elegit Ioua? ut ei nemo omnium sit par?

Sup.8.c Et uniuersi ouantes regem salutarunt. ¶Tum Samuel regni iura populi exposuit, descriptaque in libro, apud Iouam deposuit, & omnem populũ domum dimisit. Saulus quoque domũ suam Gabaam profectus est, secutis eum militibus, si quorum animi diuinitùs incitabantur. Cumque improbi quidam dictiarent: Quid? nos ne iste ut tueatur? eumque contemnerent, neque ei munera afferrent, dissimulabat.

CAPVT XI.

Nahæ Ammonitarum regis expeditio in Galaaditas.

DEinde G. L. post unũ ferè mensem H. fecit Nahas Ammonita expeditionẽ, castraque posuit apud Iabem Galaaditarũ. A' quo cũ Iabenses uniuersi peterent ut secum pacem facerent, ea lege ut ipsi ei seruirent: respondit, ea se conditione cum eis pacẽ esse facturũ, si eis omnibus dextros oculos effoderet, eoque dedecore Israelitas omnes afficeret. Tum Iabẽses senatores ab eo petierunt sibi dies septẽ concedi, quibus legatos in omnes Israelitarũ partes dimitterent. Quòd si defensores adepti non fuissent, sese illi dedituros esse. Profecti igitur legati Gabatham Sauli, negotium audiente populo exposuerunt:

B unde cum esset totius populi fletus excitatus, Saulus, qui tum rure boues agẽs ueniebat, percontatus quid populo accidisset, ut ploraret: ubi ei Iabensiũ narrata res est, audito eo nuncio, diuinitùs afflatus, iraque graui motus, par boum cæpit, dissectumque in omnes Israelitarũ fines per nuncios dimisit, cũ edicto, ut qui Saulũ & Samuelem secuti non essent, eorum bubus ita fieret.

C Ita Iouano pauore correpti homines ad unum adfuerũt, quos ille apud Bezec recensuit, fueruntque Israelitarũ trecenta millia, Iudæorũ autẽ triginta millia. ¶Tum legatis qui uenerãt, mandatũ est, ut Iabẽsibus Galaaditis renunciarẽt, postridie, cum sol incaluisset, auxiliũ habituros. Quod cum digressi legati Iabensibus retulissent, lætati Iabenses responderunt Ammonitis, sese postero die deditionẽ facturos, inque eorũ potestate atque arbitrio futuros.

Ammonitæ à Saulo cæsi.

Postridie Saulus exercitum tripartito intulit, mediaque castra de matutina uigilia adorti Saulini, Ammonitas usque ad æstum solis occi-

D derũt: reliqui ita dissipati sunt, ut nusquam ibi duo simul restarent.

Sup.10.d Tum populus à Samuele petijt homines illos, qui Saulum regem repudiauerant, sibi dedi, atque interfici: sed negauit Saulus quenquã eo die moriturum, quo Ioua uictoriam dedisset Israelitis. Deinde populo sic præcepit Samuel: Agite, proficiscamur ad Galgala, regnumque illic renouemus. Ita profecti omnes ad Galgala, Saulum illic coram Ioua regem crearunt, sacraque pro salute apud Iouam fecerunt, atque ibi Saulus & omnes Israelitæ multum lætati sunt.

CAPVT XII.

Samuel populo ostendit suam innocentiam, eiusque ingratum animũ arguit.

TVm Samuel cum uniuersis Israelitis ita locutus est: Equidem uobis in omnibus uestris postulatis morem gessi, creauique regem: & nunc ecce regem qui uobis præsit. Equidẽ iam senex & canus sum, & ecce filij mei qui apud uos degunt. Cum igitur uobis ab ineunte ętate ad hunc usque diem præfuerim, respõdete mihi præsenti, coram Ioua, coramque eius uncto, eccui bouem aut asinum eripuerim? ecquem fraudauerim aut oppresserim? à quo præmium acceperim, ut in eius crimine cõniuerẽ? & uobis satisfaciam.

Eccl.46.d

Cui illi: Tu neque nos fraudasti, aut oppressisti, inquiunt, neque quicquã à quoquam abstulisti. Et ille: Ergo uos Iouam eiusque unctum hodierno die testamini, nihil uos habere quod de me expostuletis. Testamur, inquiunt. ¶Et Samuel: Adeste igitur, ut apud Io- B
uã (qui Mosem Aaronemque fecit, quique maiores uestros eduxit ex Aegypto) uobiscũ disputem de tot Iouæ erga uos, ergaque maiores uestros, meritis. Postquam uenerat Iacobus in *Gen.46.a* Aegyptum, inuocatus à maioribus uestris Ioua, Mosem Aharonemque misit, qui illos ex Aegypto eductos, in hoc loco collocarũt. Deinde *Iudic.4.a* cum Iouæ Dei sui obliti, & propterea ab ipso Ioua dediti essent Sisaræ duci exercitus Hasoris, aut Palestinis, aut regi Moabitarum, atque ab illis debellati, Iouam implorarũt, & se peccauisse confessi sunt, qui relicto Ioua, Baales Astarothumque coluissent: petieruntque ut se ab hostibus liberaret, seque ei seruituros spoponderunt. Itaque misit Ioua Ierobaalẽ & Bedanem & Iephthã, & Samuelem, & uos ab hostibus undique liberatos in tuto collocauit. C

At uos, cum uideretis, uos ab Ammonitarum rege Naha inuadi, postulastis à me regem uobis præponi, cum Ioua Deus uester idem rex uester esset. Et nunc ecce regem, quem uos delegistis, quem postulastis: en uobis præfecit Ioua regem. Si Iouam reuerebimini, si coletis, si ei dicto audientes eritis, si Iouæ mandatum non uiolabitis, sed Iouam Deum uestrum tum uos, tum rex uobis ab eo præfectus, sequemini, G. non infestabit uos Ioua. H. Sin autem Iouæ non obtemperantes, eius mandato contrauenietis, & uos & a G. uestrũ regem. H. Ioua infestabit. Iam uerò adeste, & uidete quantam rem Ioua ob oculos uestros faciet. Hodie tritici messis est: Ego Iouã inuocabo, & tonabit, atque pluet: ut intelligatis uideatisque quãto Iouam peccato offenderitis, regem uobis postulando. Deinde Iouam inuo- D
cauit Samuel: & Ioua tonitrua pluuiamque eo die dedit, unde uniuersi magno & Iouæ & Samuelis metu perculsis, à Samuele cõtenderũt, ut pro ipsis Iouam Deum suum oraret, ne morerentur: quoniam tot sua peccata hoc scelere postulãdi regis, cumulassent. Quibus Samuel: Omittite timorẽ, inquit. Vestrum quidem factum hoc perquàm nefarium est: ueruntamen nolite à Ioua deficere: quin ei toto pectore seruite, ne'ue ad b ista nihili desciscite, quæ neque prosunt, neque opitulãtur: adeò nihili sunt. Neque enim destituet Ioua populum suum, propter suum tam celebre nomẽ, postquam uos sibi populum facere uoluit. Ego quoque absit ut hoc in Iouam scelus committam, ut pro uobis orare intermittam, & uos honestis rectisque moribus instruere.

a in Hæbreo est, patres uestros: sed in Græco melius, ut mihi uidetur.

Orante Samuele tonat Ioua.

b diuos & inanes deos.

instruere. Tantum Iouam reueremini, eiq; uerè toto pectore seruite. Videte enim quantam uobis rem fecerit: quòd si malè feceritis, & uos & rex uester peribitis.

CAPVT XIII.

INiuit autem Saulus regnum, annū agens † & regnauit in Israelitas annos † duos. Delegit autem Saulus tria Israelitarum millia: quorum duo millia secum apud Machmas, montemq; Bethelensem retinnit: mille cum Ionathane reliquit apud Gabaam Beniamitarum: reliquos domum remisit. Deinde cum occidisset Ionathan Palæstinorum præsidium, quod erat Gabaæ collocatū, idq; audiuissent Palęstini, Saulus ubiq; tuba sonandū curauit, eo consilio, ut id audirent Hebræi. Quod cum audiuissent omnes Israelitæ, à Saulo occisum Palæstinorum præsidium, Palestinosq; Israelitis infensos esse, conuenerunt ad Saulum apud Galgala. ¶ Sed cū Palęstini ad Israelitas bello persequēdos cōuenissent, triginta millia curruum & sex millia equitum secū habentes, præter milites arenæ littoris marini numerum adæquantes, profectiq; castra fecissent apud Machmas, ab oriente Bethauenis: Israelitæ uidentes rem suā esse in angusto, propinquātibus illis, abdere se in mādras, in latebras, in rupes, in tesqua atq; speluncas: pars Hebræorum Iordanē traijcere, seq; in fines Gadinorum Galaaditarumq; recipere. Saulus ergo, qui adhuc apud Galgala erat, omnibus qui circa eum erant perterritis: cum septē dies expectasset, quod spacium fuerat à Samuele definitū, neq; Samuel in Galgala uenisset, & exercitus ab eo dilaberetur, iussit hostias adduci sibi, ad solidū sacrificium & pro salute faciendum, fecitq; solidum sacrificium. Quod simulac absoluit, ecce aderat Samuel, cui progressus obuiam Saulus ut eum salutaret, & interrogatus ab eo quid fecisset, sic respondit: Cum uiderem milites à me dilabi, neque te ad diem uenire, & Palæstinos apud Machamas cōuenisse: ueritus, ne mox ad me in Galgala descenderent Palæstini, cum nōdum Iouæ preces tulissem, coactus sum solidum facere sacrificium. At Samuel: Stultè fecisti, qui quod tibi à Ioua Deo tuo præceptum erat, non feceris. Iam uerò Ioua regnum tibi in Israelitas æternum sanxisset. At nunc non erit firmū regnum tuum: quæsiuit Ioua sibi hominē ex animi sui sententia, cui populū suum regendū mandet: quoniam tu eius præcepto non paruisti.

B *Israelitæ Palæstinorum metu diffugiunt.*

Saulus iniussu Dei sacrificat.

C *Samuel Saulo minatur imperij amissionem. Act. 13. d*

Hæc locutus Samuel, Galgalis digressus est, & Gabaā Beniamitarū uenit. Saulus quos habebat in præsentia milites recensuit, homines circiter sexcētos: cumq; eis, & cum Ionathane, Gabaæ Beniamitarū māsit. Exierant autem ex Palæstinorum castris apud Machmas positis, populatores, tripartitò diuisi: quorū una pars Ephram uersus contenderat, in fines Saulis: altera Bethoronem uersus: tertia eum tractū petiuerat, qui Seboiorum uallē spectat, in syluā. Nec ullus faber ferrarius extabat in omnibus Israelitarum finibus: quod ideo curauerant Palæstini, ne facerēt Hebræi gladios aut lanceas,

D

Hebræi telis destituti.

Itaq; descendebant omnes Israelitæ ad Palæstinos, ad uomeres, ligones, secures, & cætera ferramenta inspicanda: erantq; tum obtusi uomeres, ligones, tridētes & secures, reficiendiq; stimuli: accidit q; ut belli tēpore nullus in uniuersis Sauli aut Ionathanis copijs esset, qui gladium aut lanceam haberet, Saulo & Ionathane eius filio exceptis.

CAPVT XIIII.

IGitur quodam die Ionathan Sauli filius armigerum suum hortatus est, ut adorirentur Palæstinorum quoddam præsidium, quod ultra Machmas processerat, & paulò ultra ipsos consederat: neq; id Saulo patri suo indicauit, qui tum sub malo punica apud Magronem ad extremū Gabaæ sedebat, comitibus circiter sexcentis: cum quidam Achias Achitobi filius, fratris Ichabodi, Phineis filij, nepotis Elis, Iouæ apud Siluntem pontifex, ephodum gestaret, & illi Ionathanem profectum esse nescirent. Erant inter aditus, quà Ionathan ad Palæstinorum stationem penetrare conabatur, duo prærupti scopuli, alter altera ex parte aditū tenentes, quorum alter Boses, alter Sene appellabatur: ille ab aquilone à fronte Machmantis, hic ab austro à fronte Gabaæ fixus. Ionathan ergo armigerum suum sic adhortatus est: Agedum, aggrediamur præputiatorum istorum præsidiū, si fortè Ioua stabit à nobis. Neq; enim Iouæ difficilius est exiguis copijs uincere, quàm magnis. Cui armiger: Facito ut libet, inquit, perge, ego te comitabor, ut uoles. Et Ionathan: Cum adoriemur eos, inquit, si ipsi nobis conspectis, iusserint nos expectare, dū ipsi ad nos ueniant, restabimus ibidem, neq; ad eos ascendemus. Sin autem iusserint ut ad se ascēdamus, ascēdemus: nam hoc signū erit, uictoriā nobis à Ioua de illis dari. ¶ Igitur ambo sese Palæstinorum præsidio ostendunt. Tum Palæstini dicere: Prodeunt Hebræi ex cauernis, in quas sese abdiderant. Deinde Ionathanem & eius armigerum alloquuntur præsidiarij milites: Ascendite sanè ad nos, & [a] uos quidpiā docebimus. Tum Ionathan: Ascende pone me, inquit armigero: nam eos Ioua addicit Israelitis. His dictis, manibus pedibusq; erepit, sequente armigero, cęsiq; sunt illi à Ionathane, armigero post eum interficiente. Atq; in hac prima cæde à Ionathane eiusq; armigero facta, ceciderunt homines circiter uiginti, in agri spacio dimidij ferè iugeri. ex quo tantus terror nō solum castra, agros, milites omnes præsidij, sed ipsos etiam populatores peruasit, ut terra ipsa terrore diuinitùs incusso contremisceret. Quod cum esset à Sauli speculatoribus apud Gabaā Beniamitarum animaduersum, tumultū extitisse qui ferperet, & magis magisq; increbresceret, iussit Saulus eis, qui apud se aderant, ut conquirerēt & dispicerent, ecquis ab ipsis discessisset. Factaq; ab illis conquisitione, & inuento Ionathanem eiusq; armigerum abesse, iussit Achiæ ut diuinam arcam afferret: erat enim tum arca diuina apud Israelitas. Atq; interea Saulo pontificem alloquente, cum ille in castris Palæstinorum

Ionathan Palæstinorum præsidium adoritur, cæditq;.

B

[a] docebimus uos, quid sit nos lacessere, hoc est, uos interficiemus.

C

norum tumultus etiam atque etiã cresceret, iussit põtifici ut desisteret: coactisque eis omnibus qui aderant, prælium adit. Ecce autem illi maximo tumultu ferrum in seipsos inuicem conuerterant, necnon Hebræi (qui antea cum Palæstinis fuerant, cumque illis profecti agmen clauserant) ij ad Saulinorum Ionathanẽsiumque partes transierãt.

D

Præterea quicunque Israelitarum in Ephraimitarum montanis latitabãt, ij audita Palæstinorum fuga, eos & ipsi bello persequebantur. Atque ita uictoriam tradidit eo die Ioua Israelitis, translatumque est bellum ad Bethauen. Eo autem die, cum coiuissent Israelitæ, Saulus eos iureiurando obstrinxerat, deuouẽs si quis cibum caperet ante uesperum, dum ipse suos hostes ulcisceretur. Itaque illorum nemo cibum gustauerat. Cumque omnes in syluam uenissent, & ibi fluens in agri solo mel aspicerẽt, nemo tamẽ ori suo manũ admouit, quòd iusiurandum metuebant.

Saulus Israelitas obtestatur, ne cibum capiant ante uesperum.

¶ At Ionathan qui cũ pater suus illos obtestaretur, non audiuerat, baculi, quem manu ferebat, extremum protendit, fauoque mellis intinctum, manu ad os suũ admouit: ex quo [b] illustrati sunt eius oculi. Tum quidam militum ei ita dixit: Obstrinxit pater tuus sacramento milites, cum deuotione, si quis hodie cibum gustasset, cum tamẽ essent defessi. Cui Ionathan: Perturbauit pater meus omnia, inquit. uidete enim ut mihi collustrati sint oculi, quoniam paululũ quid huius mellis gustaui: quid si comedissent hodie milites [c] de præda hostium suorum, [d] quãtum satis esset: cũ nunc [e] nõ satis magna illata Palæstinis clades est.

[b] qui scilicet peruigilatione, aut fame caligabant.

E

[c] quæ uidelicet melle dulcior est, quanta uictoriæ lux esset exorta nobis? [d] ad satietatem. [e] quia fame languẽt milites.

¶ Igitur cæsis eo die Palæstinis à Machmãte ad Aialonem, multum defessi milites, ad prædam se conuertunt, captasque oues & capras, & boues atque uitulos humi mactãt, & cum ipso sanguine comedunt. Quod postquam est Saulo nunciatum, milites in Iouã peccare, cibũ unà cum sanguine capiendo, præfatus illos contra fas facere, iubet ad se euestigiò saxum ingẽs aduolui, & passim militibus edici, ut suos boues & pecora ad se adducant, ibique mactent atque comedant: ne'ue contra Iouam carne cum sanguine uescendo, peccent. Itaque accedunt omnes, boues suos secum sub noctem ducentes, eosque illic mactant. Et Saulus aram Iouæ construxit, quæ quidem prima Iouæ ab eo constructa est. Deinde suos cohortatus est, ut noctu secum Palæstinos insequerentur, & usque ad lucem matutinam deprædarentur, neque eorũ quenquam reliquum facerent. Cumque omnes iuberẽt ut faceret quicquid liberet, suasit pontifex, ut illic accederent ad Deum.

Milites uescũtur carne cum sanguine.

F

Sed Deus à Saulo consultus de persequendis Palæstinis, & an esset eos Israelitis dediturus, nihil eo die respondit: Tum Saulus: Adeste huc, inquit, uniuersi ordines exercitus, & cognoscite atque dispicite quis'nã sit huius hodierni peccati autor. Nam per Iouam immortalem, Israelitarum conseruatorem, si is est uel Ionathã filius meus, morte plectetur. Cumque nemo omnium ei respondisset: Vos (inquit ad omnes Israelitas) eritis in altera parte, ego & Ionathan filius meus in altera. Cui illi: Vt libet, inquiunt. Et Saulus Iouam sic alloquitur: Deus Israelitarum age seuerẽ. Ac cæteris elapsis, Ionathan & Saulus deprehensi sunt. & Saulus ita dicit: Sortem iacite inter me & Ionathanem filium meum. Et cum deprehensus Ionathan esset, ille sic eum alloquitur: Indica mihi quid feceris. Tum Ionathan indicat: Gustaui, inquit, ab extremo baculi, quem manu ferebam, pauxillulum mellis, & moriar? Cui Saulus: Ita mihi sit Deus, inquit, propitius, ut tu morte plecteris, Ionathan.

Deus consulenti Saulo nihil respondet, ob gustatum à Ionathane mel.

G

Sed milites Saulum sic interpellant: Ergo'ne morietur Ionathan, qui hanc tam insignem uictoriam peperit Israelitis? minimè uerò: per Iouam immortalem, ne pilum quidem amittet. nam Deum adiutorem habuit hodierno die. Atque ita Ionathanẽ à morte uindicauere milites. Et Palæstini, Saulo ab eis persequendis digresso, domum concesserunt.

Ionathanẽ à patre interfici prohibent milites.

Saulus autem Israelitarum regno potitus, omnes undique suos hostes debellauit, Moabitas, Ammonitas, Idumæos, Sophenæ reges, & Palæstinos: ac quócunque se uerterat, superior erat: coactisque copijs Amalechitas superauit, & Israelitas ab oppressorum iniuria liberauit.

Sauli bella.

Habuit autem Saulus filios Ionathanem, Iessuim, & Malchisuam: duasque filias, quarum grandiori Meroba, minori Michol nomen erat. Eius uxor Achinoama uocabatur, Achimaæ filia: dux exercitus Abner, Neris filius, patrui Sauli, cuius Sauli pater erat Cis: Abneris pater erat Ner, Abielis filius. Fuit autem acre bellum aduersus Palæstinos, quandiu uixit Saulus. Itaque quoscunque uiros fortes ac bellicosos animaduerterat, eos sibi asciscebat.

Sauli genus.

CAPVT XV.

Samuel autem Saulum sic admonuit: Misit me Ioua ad ungendum te, suorum Israelitarum regem. Quamobrem obtempera Iouæ dictis. Sic autem dicit Ioua bellipotens. Recolo quid Amalechitæ fecerint Israelitis, utque eorum iter ex Aegypto profectorum infestauerint. Quapropter i occisum Amalechitas: & eorum omnia, nihil parcentes, corrumpitote, atque interficitote, uiros, mulieres, infantes, lactentes, boues, oues, camelos & asinos.

Iubet Saulo Samuel, ut Amalechitas euertat.

Exod. 17.c

B

¶ Igitur Saulus conuocatos milites recensuit apud Telaim, peditum ducenta millia, & Iudæorum decem millia. & Amalechitarum urbem aggressus, atque apud fluuium conflicturus, [a] Cenæos præmonuit, ut ab Amalechitis abirent, recederent, desciscerent, ne ipse eos unà cum illis perderet, qui tamẽ Cenæi humanos se erga omnes Israelitas ab Aegypto profectos præbuissent.

Cenæi. [a] erãt ij Ie throne Mosis socero prognati.

Cumque recessissent ab Amalechitis Cenæi, fudit Saulus Amalechitas ab Heuila usque dum ueniatur ad Sur, quod contra Aegyptum situm est: uiuoque capto Agago Amalechitarum rege, cæteros omnes ferro trucidauit. Sed Agago pepercit ipse & exercitus, & ouium, caprarum, boumque optimis quibusque, & maximè opimis, agnisque, & optimis quibusque, neque ea uoluerunt corrumpere: uilissima autem & abiectissima quæque peruerterunt.

Saulus Amalechitas cædit.

C runt. ¶ Itaq; cum Samuele locutus Ioua, dixit, se pœnitere creati regis Sauli, quoniam à se defecisset, neque sua mādata executus esset. Eam rem ægrè ferens Samuel, Iouamq; tota nocte comprecatus, manè surgit ad occurrendum Saulo: quem cum audiret in Carmelum uenisse, erectoq; trophæo reuersum perrexisse, & in Galgala descendisse, uenit ad eum. Et Saulus Samuelem ita salutauit: Salue à Ioua, executus sum mandatum Iouæ. At Samuel: Quis ergo balatus pecorū uenit ad aures meas? aut quem ego boum mugitum audio? E Saulus: Ex Amalechitis abacta sunt, inquit: nam abstinuere milites optimis quibusque balantum atque boum, ad sacrificandum Iouæ Deo tuo: cætera quidem funditùs euertimus. Tum Samuel: Licet'ne tibi exponā, quid mihi Ioua dixerit hac nocte? Licet, inquit ille. Et Samuel: Cū ex tam tenui conditione ([a] ut tu tibi uidebare) Israeliticarum tribuum caput euaseris, & à Ioua Israelitarum rex unctus sis, cur ab eo in hanc expeditionem missus, & sceleratos Amalechitas excindere, ac bello ad interneciū persequi iussus, nō obediuisti? sed ad prædam conuersus, Iouam offendisti? Cui Saulus: Imò uerò Iouæ obediui, inquit, expeditionemq;, ad quam ab eo missus sum, confeci: & excisis Amalechitis, eorum regem Agagum adduxi. Tantum milites de manubijs pecora, bouesq;, deuotorū primitias, desumpserunt, quibus Iouæ Deo tuo apud Galgala sacrificaretur. At Samuel: Quasi uerò tam Iouæ placeant hostiæ & sacrificia, inquit, quàm ei dicto audientem esse? Obedientia (ut tu scias) melior est sacrificio: & obtemperatio, adipe arietino. Nam non parēre, peccatum est magicum: & contumacem esse, in eadem culpa ponitur, ac simulachra colere. Et quoniam tu Iouæ mandatum repudiasti, ipse te uicissim regno priuabit. Tum Saulus: Peccaui, inquit, qui contra Iouæ iussa, contraq; tua mandata, populum ueritus, eiq; obsecutus, fecerim. Sed tu mihi ueniam da, & mecum reuertere, ut Iouam adorem. Et Samuel: Non reuertar tecum, qui Iouæ mandatum aspernatus sis, ideoq; per eū Israelitico regno abdicatus. His dictis Samuel conuersus discedebat: quem ille gremio penulæ prehendit, & penula abrupta est. Tum Samuel ita loquitur: Abrumpit hodie à te Ioua Israelitarum regnum, idq; alteri te meliori tradit. Neque uerò fallet Israelitarum triumphator, neq; animum mutabit: non enim homo est, animum ut mutet. At ille: Peccaui, inquit: sed tu hunc mihi apud senatores meorum popularium, apudq; Israelitas, honorem concede, ut mecum redeas, quò Iouam Deum tuum adorem. Ita redeuntem Saulum comitatus est Samuel, adorauitq; Iouam Saulus. Tum Samuel Amalechitarum regem Agagū ad se iussit adduci. Cumq; Agagus ad eum delicatè accessisset, mortis acerbitatem abfore sperans, Samuel ita dixit: Quemadmodum orbauit ensis tuus mulieres, sic orbabitur præ cæteris mulieribus tua mater. Hæc locutus Samuel, Agagum apud Iouā Galgalis dissecuit.

Saulis contumaciæ arguit Samuel. D

a Dixerat enim Saulus, se tenuissimæ conditionis esse, cap. 9.

E

Eccl. 4. d Oseæ 6. c

Mat. 9. b

Agagum Amalechitarum regē interficit Samuel.

Deinde Ramathā discessit, & Saulus domum suam Gabaam Sauli petijt, nec unquam postea per omnem uitam Saulum uidit Samuel, quòd eius uicem dolebat.

CAPVT XVI.

At Ioua, quem Sauli Israelitarum regis creati pœnitebat, Samuelem sic allocutus est: Quousque Saulum lugebis, quem ego regno Israelitarum abdicaui? Reple tuum cornu oleo, & proficiscere iussu meo ad Isæum Bethlehemitam: nam de eius filijs ego mihi regem prospexi. Cui Samuel: Quo pacto, inquit, proficiscar? nam si hoc audiuerit Saulus, interficiet me. Et Ioua: Vitulam tecum duces, inquit, dicesq; te ad Iouæ sacrificandum uenisse, & Isæum ad sacrificium uocabis: ego tibi quid agendum sit ostendam, & tu mihi unges quem tibi significauero. His Iouæ mandatis paruit Samuel, Bethlehemamq; profectus est. & mirantibus aduentum suum senatoribus ciuitatis, quærentibusq; an salua re ueniret? Salua, inquit, ad Iouæ sacrificandum uenio. lustramini, & mecum ad sacrificium adeste: lustratumq; Isæum & eius filios ad sacrificium uocauit. Qui postquam aduenerunt, intuitus Eliabum, sic cogitabat: Adest nimirum [a] apud Iouam eius unctus. Sed Ioua: Noli, inquit, istius spectare faciem, aut staturæ proceritatē: nam ego eum improbo. Non enim eadem specto, quæ solent homines. Spectant enim homines faciem: at Ioua animum intuetur. Deinde uocatum Isæus Abinadabum, in Samuelis conspectum adduxit. At ille: Ne hunc quidem, inquit, elegit Ioua. Deinde adduxit Isæus Sammam, atq; illo dicente, ne eum quidem à Ioua delectum esse: adduxit Isæus in conspectum Samuelis septem filios suos. Cumq; negaret Samuel illos à Ioua deligi, & ex Isæo quæreret, an omnes adessent pueri: respōdit Isæus, restare natu minimum, qui pecus pasceret. Et Samuel: Iube istum euocari, inquit: neque enim reuertar, quin ille huc uenerit. Tum ille misit qui eū adducerent: erat autem ruffus, decora facie, elegantiq; forma. Et Ioua: Age, inquit, istum unge, nam is est. Tum Samuel sumpto olei cornu, illum inter fratres suos unxit, atque ex illo die deinceps Iouę spiritu fuit instinctus Dauid. Deinde digressus Samuel, Ramatham uenit. Saulus autem Iouæ spiritu destitutus, à malo spiritu, autore Ioua, uexabatur. Itaque suaserunt ei eius assectatores, ut quoniam malo Dei spiritu ageretur, suis quos apud se habebat famulis negocium daret, ut aliquem tangendæ citharæ peritum conquirerent, qui eum malo Dei spiritu correptum pulsandis fidibus mitigaret. Mandauit ergo Saulus suis, ut sibi prouiderent de aliquo fidibus perito, quem ad se adducerent. Et unus de famulis ei respondit, uidisse se Isæi Bethlehemitæ filium, hominem non solum fidibus doctum, sed etiam uirum fortem atque militarem, rerumq; prudentem, & formosum: ac Ioua secundo utentem. Tum Saulus, missis ad Isæum nuncijs, iussit ut ad se mitteret Dauidem filium suum, pastorē. ¶ Igi-

Samueli iubet Deus ut Dauidē unctum eat.

B

a hic, ô Ioua. Psal. 7. c

C

1. Reg. 7. b Psal. 77. d 88. b Dauid rex ungitur. Act. 7. f 13. d.

Saulus malo spiritu agitatur.

D

Dauid ad Saulum uenit, & bacchantē pulsandis fidibus mitigat.

tur Isæus asinum, qui panem afferret, uiniq; utrem, & caprum unum, Saulo per Dauidem filium suum misit. Dauid ad Saulum profectus, apud eum remansit, eiusq; singulari captus amore Saulus, eo armigero usus est, & ab Isæo per nuncios petijt, ut apud se maneret Dauid: eum enim sibi esse gratum. Ac quandocunq; accidebat, Saulum diuino illo spiritu corripi, Dauid correptam citharã manu pulsabat, atq; ita respirabat Saulus: & facessente ab eo malo illo spiritu, mitigabatur.

CAPVT XVII.

Palæstini autem aliquando coactis ad bellum suis copijs, conuenerant apud Sochonem Iudææ, castraq; fecerant inter Sochonem & Azecam, in finibus Daniorum. At Saulus & Israelitæ congregati, castra posuerant in ualle quercus, aciemq; aduersus Palæstinos instruxerant. ¶ Atque illinc Palæstinis in monte, hinc Israelitis etiam in monte consistentibus, interiecta ualle, prodijt uir quidam immanis,

Goliathus.

ex castris Palæstinorum, nomine Goliathus, ex Getha, sex cubitos & dodrantem longus, æream galeam capite ferens, æream loricam indutus, squameam, quinque millia siclorum pendentem, ære caligatus, æreamq; humeris sustinēs hastam. Lanceæ hastile instar erat textorij iugi, mucrone ferreo sexcētos siclos pendente. Eum præcedebat qui scutum ferret. Hic Goliathus, ubi constitit, clamabat ad Israelitarum aciem in hunc modum: Quid opus est, uos prodire ad conferendum prælium? Ego sum Palæstinus, uos Sauli clientes. Deligite ex uobis aliquem, qui mecum descendat in

B

certamen: qui si me prælio superatum occiderit, nos uobis serui erimus: sin ego illum uictum interfecero, uos in seruitutem redacti, nobis seruietis. Ego, inquit, hodierno die dedecore afficio Israelitarum acies. Date mihi uirum qui mecum manus conferat. His Palæstini uerbis auditis, Saulus & uniuersi Israelitæ nō mediocri terrore perculsi sunt. ¶ Dauid autem filius erat illius Ephrathæi, ex Bethlehema Iudææ, nomine Isæi, qui Isæus octo filios habebat, homo Sauli temporibus iam senex & ętate prouecta. Eius filiorum tres natu maximi sub Saulo militabant, quorum trium nomina erant: maximi natu, Eliabus: proximi, Abinadabus: tertij, Samma. His tribus natu maximis sub Saulo merentibus, Dauid, qui natu minimus erat, à Saulo identidem, ad pascendum patris sui pecus, Bethlehemam commeabat. Procedebat autem Palęstinus ille manè & uesperè, idq; per quadraginta dies facere perseuerauit.

Isæus Dauidem in castra mittit.

Isæus autem Dauidi filio suo sic mandauit: Accipe fratribus tuis hoc ephi polentæ, atque hos decem panes, & in castra ad eos curre: pręterea decem hos recentes ca-

C

seos fer tribuno, & uise quomodo tui fratres ualeant, eorumq; tesseram accipito. Igitur Dauid, Saulo, illis, & omnibus Israelitis bellum gerentibus cum Palæstinis in ualle quercus, manè surgit, & pecore custodi mandato, sublatis illis rebus proficiscitur, sicut ei fuerat ab Isæo præceptum. Vbi intra uallum peruenit, militibus in aciem egressis, iamq; classico sonante, & hinc Israelitarum, illinc Palæstinorum acie ex aduerso instructa, depositis apud impedimentorum custodem eis quæ ferebat, accurrit in aciem, fratresq; suos aggressus salutat. Eo cum illis colloquente, ecce ascendit ex acie Palæstinorum prodigiosus ille Palæstinus, nomine Goliathus, Gethanus, & eadē illa uerba profert, audiente Dauide. Atque ad illius uiri conspectum graui metu perterriti omnes Israelitæ, refugiebant, & ita dictitabant: Videtis'ne uirum illum, qui ascendit? ad dedecorandum Israelitas ascēdit. Quòd si quis

D

eum occiderit, rex & ipsum & ipsius domum magnis afficiet diuitijs, eiq; suam filiam nuptum dabit, & eius domum immunitate inter Israelitas donabit. Quęrentiq; Dauidi ex eis qui aderant, ecquid consecuturus esset, qui Palęstino illo deijciendo, Israelitarum dedecus aboleuisset (nam quis est, inquit, præputiatus ille Palęstinus, qui Dei uiuentis aciem probro afficiat?) uulgò respondebant, quæ'nam consecuturus esset qui illū superasset. His Dauidis ad illos uerbis auditis offensus Eliabus, qui erat eius fratrum natu maximus, eum huiusmodi uerbis obiurgauit: Cur'nam huc descendisti? aut cur pauculas illas ouiculas in saltu deseruisti? Nam si bene noui tuam audaciam, & animi improbitatem, ad spectandum prælium uenisti. Cui Dauid: Quid autem commisi? num iniussus feci? Hoc dicto, ab illo digressus est: & alium aggressus, eadem percontabatur, eiq; eadem uulgò dabantur responsa. ¶ His Dauidis sermonibus Saulo per quosdā qui audiuerant nunciatis, iussit ad se Dauidē accersi, & Dauid cum eo in hunc modum locutus est: Nemo animum propterea despondeat: ego tuus cum Palęstino isto congrediar. At Saulus: Non potes, inquit, cum Palæstino hoc conferre manus, puer cum uiro in armis iam à pueris exercitato. Et Dauid: Cum patris mei pecus pascerem, inquit, leo unà cum urso gregem adortus, ouem sustulit. At ego hunc persecutus, occidi, eiq; de faucibus prædam extorsi.

Dauid à Saulo petit, ut sibi cum Goliatho congredi liceat.

E *Eccl.47.a*

Tum illum in me insurgētem, rostro prehēsum cecidi, ac necaui. Quòd si & leonem & ursum occidi, profectò idem præputiato isti Palęstino accidet, qui Dei uiuētis agmina dedecorat. Idem me Ioua, qui à leone & urso defendit, inquit, ab isto quoque Palæstino defensurus est. Tum Saulus: I sanè secundo Ioua, inquit. Deinde ei sua arma accōmodauit, eiusq; capiti æream imposuit galeam, & eum loricā induit, superq; armaturam gladio suo accinxit. Sed Dauid ingredi conatus (neq; enim assueuerat) negauit se cum illis posse incedere, quoniam non assueuisset: depositisq; illis armis, pedum suum manu corripit, lectis que quinque leuibus ex flumine silicibus, & in pera pastorali, quam habebat, atque in sacco positis, fundam secum ferens, Palæstinum aggreditur.

F

¶ At Palęstinus ad Dauidē accedens, homine ei scutū pręferente, ubi Dauidem puerum esse animaduer-

animaduertit, ruffum, & forma eleganti, eum contempsit. Num ego sum canis (inquit) ut tu me baculo? G. & lapidibus H. aggrediare? G. Non, inquit Dauid, sed cane deterior. H. Tum ille eum per deos suos detestatus est, &: Accede ad me, inquit, ut tuum corpus uolucribus aereis, terrestribusq; bestijs tradam. At Dauid: Tu me gladio, hasta, lancea fretus, aggrederis: at ego te aggredior fretus nomine Iouæ bellipotentis, Dei Israeliticorum agminum, quæ tu probris affecisti. Hodierno die cōpinget te Ioua in manū meam, qui tibi superato, caput auferam, & Palæstinorum militum cadauera hodierno die uolucribus aereis, terrestribusq; feris tradam, ut sciat totus orbis qualem habeant Israelitæ Deum, intelligatq; hæc uniuersa multitudo, Iouam nullo ense aut hasta uincere, cuius sit bella gerere, quiq; uos nobis in manum tradiderit. Tum Palæstinus irruit, Dauidemq; cominus aggredi tendit.

G

Goliathum deijcit Dauid.

1. Mac.4.d

Psal.77.d

At Dauid propere Palæstino in certamen concurrit: immissaq; in peram manu, depromptum inde lapidem funda iacit: & Palæstini frontem ita ferit, ut ille G. transadacta galea, & H. affixo frōti saxo, pronus humi conciderit. Atq; ita Palæstinum Dauid funda & saxo uictum, superat atque necat. Cumq; ensem non haberet, accurrit, atque ubi ad Palæstinum constitit, correpto strictoq; illius ense, eum amputato capite perimit. Palæstini heroem suum occubuisse uidentes, fugā capessunt: quos Israelitæ Iudæiq;, sublato clamore, persecuti sunt usque ad uallem & portas Accaronis: cecideruntq; trucidati Palæstini per uiam Saaræam, usque ad Getham & Accaronem. Deinde à persequendis Palæstinis reuersi Israelitæ, eorum castra diripuerunt. ¶ At Dauid captum Palæstini caput, Hierosolymam intulit, illiusq; arma in tabernaculo suo reposuit. Cum uidisset autem Saulus Dauidem contra Palæstinum prodeuntem, sic Abnerem exercitus ducem interrogauerat: Cuius'nam filius est adolescens ille, Abner? Profectò nescio, rex, inquit Abner. Et rex: Percontare quis sit ille iuuenis. Igitur redeuntem à cæde Palæstini Dauidem prehendit Abner, & Saulo adduxit, Palæstini caput ferentem: quærentiq; ita Saulo: Cuius filius es, adolescens? Respondit Dauid: Filius sum tui Isæi Bethlehemitæ.

CAPVT XVIII.

Dauidem amat Ionathan.

POstquam is cum Saulo colloquendi finem fecit, accidit Ionathanem tanto Dauidis amore deuinciri, ut eum perinde ac semetipsum diligeret. Dauidem autem retinuit Saulus eo die, neque ei domum patriam repetere permisit. Et Ionathan cum Dauide, præ amore quo eum iuxtà ac seipsum prosequebatur, societatem coijt, detractamq; sibi, qua indutus erat, penulam ei dedit, necnon arma sua: ensem, arcum, atq; baltheum. ¶ Exequebatur autem Dauid omnia sibi à Saulo mandata prudenter: & ab eo militibus præfectus, cùm reliquorum omnium, tum Saulinorum iudicio probabatur.

Eccl.47.

B

Accidit autem, aduenientibus illis, Dauide à cæde Palæstini reuertente, ut ex omnibus Israëliticis oppidis mulieres cum cantu & choris, admixta tympanorum barbitorumq; lætitia, Saulo regi obuiam prodirent, ludentesq; recinerent: Saulus mille, decem superauit millia Dauid.

Eccle.47.a

Saulus mille, decem superauit millia Dauid.

Quam rem sanè Saulus ægerrimè molestissimeq; tulit, quòd Dauidi dena millia, sibi millia tribuerentur: nihil iam illi deesse, nisi regnum. Itaq; eum deinceps malignè intuebatur. ¶ Cumq; postridie malo Dei spiritu correptus, per ædes bacchareturn, Dauide fides more suo pulsante, hastam, quam in manu habebat, iaculatus est, Dauidem studens affigere parieti.

Saulus Dauidem occidere conatur.

Sed eum Dauid semel atque iterum declinauit. Quare ueritus eum Saulus, quòd illi Ioua adesset, & ab ipso Saulo discessisset, eum à se remouit, tribunumq; fecit. Et Dauid in populo uersans, prudenter se in omnibus suis factis fauēte Ioua gerebat.

D

Quod cum animaduerteret Saulus, illum tam prudenter agere, omnibusq; & Israelitis & Iudæis, apud quos obuersabatur, charum esse, pertimuit: cumq; eo sic locutus est: Ego tibi filiam meam grandiorem, Merobam, in matrimonium dabo, ea conditione, ut tu te mihi fortem præbeas, Iouanaq; bella geras: idq; eo consilio dicebat, ne ipse Saulus illi manum afferret, sed Palæstini.

Saulus Merobam Dauidi spōdet in matrimonium.

Et Dauid: Quis ego sum, inquit, aut quæ uita mea, patriaq; familia est inter Israelitas, gener ut regis fiam?

E

Sed quo tempore Meroba Sauli filia Dauidi tradenda erat, accidit ut ea Adrieli Molathitæ in matrimonium data esset. Amabat autem Michol Sauli filia Dauidē: quod postquam Saulo indicatum est, placuit ei res, statuitq; eam illi collocare, ut illa ei exitio foret, dum propter eam in Palæstinorum manus caderet. Itaque Dauidem monuit, eum sibi fore in diem certum ex altera filia generum: suisq; imperauit, ut Dauidi clàm demonstrarent, eum & regi charum esse, & ab omnibus regijs amari: quocirca regius gener fieret. ¶ Huiusmodi sermones cum Saulini apud Dauidem habuissent, respondit Dauid, parui'ne ducerent regium fieri generum? præsertim se, hominem tenuem atque abiectum.

F

Quæ Dauidis uerba postquam illi Saulo retulerunt, iussit referri Saulus Dauidi, regem nullam aliam dotem cupere, quàm centum Palæstinorum præputia, ob ulciscendos regis hostes. Cogitabat autem Saulus Dauidem Palæstinorum manibus obijcere. Quæ postquam uerba Dauidi sunt à Saulinis nunciata, delectatus ea re Dauid, quò regis gener fieret, nondum peracto spacio, Palæstinos cum suis militibus inuadit, cæsisq; illorum ducentis, eorum præputia reportat. His præputijs Saulus rex ad illum regis generum faciendum contentus, ei filiam suam Micholem nuptum locauit:

Dauid Micholem meretur in matrimoniū.

quæ Michol cum illum deamaret, Saulus uidens Iouam adesse Dauidi, magisq; sibi ab eo metuens, æternas in eum suscepit inimicitias. At Dauid, ex quo Palæstini principes prodierāt, tanto se prudentius, quàm cæteri omnes Saulini, gerebat, ut eius nomen esset celeberrimum.

CAPVT XIX.

IGitur Saulus cum Ionathane filio suo, cumq; suis omnibus, de occidendo Dauide uerba fecit. Sed Ionathan, qui esset erga Dauidem beneuolentissimus, ei rem indicauit huiusmodi uerbis: Conatur Saulus pater meus occidere te: quocirca cura ut manè in occulto abditus maneas. Ego exibo, & patri meo latus claudēs in agro in quo tu eris, cum eo de te loquar, & uidebo quid sit, tibiq; indicabo. ¶ Locutus est ergo Ionathan cum Saulo patre suo de Dauide in bonam partem. Noli rex (inquit) quicquam committere in tuum Dauidem, qui tantum abest ut in te quicquam commiserit, ut etiam tibi suis factis magnopere profuerit, utpote qui cū summo uitæ suæ periculo Palæstinum uicerit, & tam insignem uictoriam omnibus Israelitis Iouæ beneficio pepererit. Quod cum tu ipse uideris, & gauisus fueris, cur te isto scelere in innocentis sanguine obstringes, Dauide per iniuriā interficiendo? Tum Saulus Ionathani obtemperans, Iouam immortalem iurauit, illum non esse moriturum: & Ionathan euocato Dauidi, rem omnem narrauit, eumq; ad Saulum adduxit: apud quem ille remansit ad ministrandum, sicut antea. Ortoq; iterum bello, congressus cum Palæstinis Dauid, magna eos clade affectos in fugam uertit. At Saulus cum malo Iouæ spiritu correptus domi sederet, hasta quam in manu habebat, Dauidem fidibus ludentem, conatus est affigere parieti. Sed Dauid, euitato illo, hastaq; ad parietem delata, effugit, atq; illa nocte euasit. ¶ Saulus autem nuncios in ædes Dauidis misit, qui eum obseruarent, & manè perimerent. Sed eius uxor Michol ei demōstrauit, nisi suæ uitæ ea nocte consuleret, occisum iri postridie: eumq; per fenestram demisit, atq; eo fuga elapso, laris simulachrum in lecto posuit, & admoto ad eius caput ceruicali caprino, ueste operuit, missisq; à Saulo ad Dauidem capiendum nuncijs, respondit eum ægrotare. Saulus uerò nuncios misit ad uisendum Dauidem, cum mandato, ut eum in ipso lecto sibi afferrent ad necem. Nuncij ubi eò uenerunt, uident in lecto simulachrum, & ad eius caput ceruical caprinum. Quærentiq; Saulo ex Michole, cur ita se fefellisset, hostemq; suum liberum dimisisset? respondit Michol, illum sibi minatum esse mortem, nisi ipsa eum dimisisset. ¶ Dauid autem fuga elapsus, Samuelem Ramatham adit, eiq; Sauli aduersum se facta omnia exponit. digressiq; ipse & Samuel, Naiothi manserunt. Qua re Saulo nunciata, Dauidem Naiothi apud [a] Ramam esse, nuncios misit ad capiendum Dauidem. qui nuncij uiso uatum cœtu bacchantium, Samuele apud illos astante, correpti diuino spiritu, cœperunt & ipsi bacchari. Quod ubi Saulo nunciatum est, misit alios, qui & ipsi bacchati sunt: itemq; tertios, qui etiam bacchati sunt. Quin ipsemet etiā Ramatham profectus, ubi ad magnum puteum apud Sechu peruenit, & percontatus ubi Samuel & Dauid essent, accepit, Naiothi apud Ramatham esse, eoq; profectus est, etiam ipse diuino correptus spiritu inter eundum bacchabatur, donec Naiothum, quod est apud Ramatham, peruenit: exutisq; uestimentis suis, apud Samuelem bacchatus est, totoq; illo die & nocte nudus iacuit: unde manauit dictum illud, An & Saulus inter uates?

Ionathan patris insidias indicat Dauidi.

Ionathan Saulo Dauidem reconciliat.

B

Saulus iterum Dauidem necare conatur.

Michol Dauidem per fenestram demittit.

C

D

a eadē modò Rama, modò Ramatha (ut paulo ante) dicitur.

Saulus bacchatur.

CAPVT XX.

AT Dauid à Naiotho apud Ramatham sito aufugit, & Ionathanem aggressus, ita apud eum locutus est: Quid commisi? quod meum tantum aduersus tuum patrem crimen aut peccatum est, ut me quærat ad necem? Cui Ionathan: Absit, inquit, ut moriare. Cum enim rem nullam tantam tantulam'ue faciat pater meus, quam non communicet mecum, cur me hoc celaret? Non est ita. At Dauid insuper [a] iurauit, & ita dixit: Satis scit pater tuus, me tibi esse charū, ideoq; cauet ne tu hoc rescíscas, ne tibi doleat. Crede mihi, quàm certum est Iouam, quàm certum est te uiuere, tam certum est me à morte uix uno passu distare. Tum Ionathan: Dic quid me tibi præstare uelis. Et Dauid: Cras, ut tute scis, nouilunium agitur, quo ego die soleo cum rege accumbere ad epulas. Ego, te conscio, ruri latebo ad uesperum tertij abhinc diei. Si me pater tuus requiret, dices Dauidem à te copiam petiuisse currendi Bethlehemam, in meam patriam: nam sacrificium esse anniuersarium toti cognationi. Si laudabit, saluus sum: sin succensebit, scito nihil ab eo, nisi malum, sperandum esse. Sed dabis hanc ueniam tuo mihi, quem tibi Iouæ fœdere asciuisti, ut si commerui, tu me potius interficias, quàm ad tuum parentem sistas. At Ionathan: Absit istud, inquit. Imò si sensero eum obstinato animo in tuam ferri perniciem, reddam te profectò certiorem. Et Dauid: Quis mihi referet, utrum tibi asperius responderit pater tuus? Tum Ionathā: Age, inquit, exeamus [b] sub diū. Cumq; ambo sub dium exiuissent, Ionathan ita loquitur: Iouam ego Deum Israelitarum iuro, me crastino tempore, aut perendie, exploraturum esse meum patrem: ac si sensero bene erga Dauidem animatum, missurum esse, qui faciat te certiorem: sin autem tibi nocere cupiet meus pater, tū sic Ioua benefaciat Ionathani, ut ego te certiorem faciam, ac dimittam, quo saluus abeas, adiuuāte Ioua, sicuti patrem meum adiuuit. Quòd si, postquam quicquid est Dauidis hostium Ioua ex orbe terrarum extirpauerit, ultusq; fuerit, ego iam non ero superstes, ut tu Iouana pietate me à morte uindicare possis, at certè meo generi in posterum pietatem tuam clausam non habebis. Atque ita fœdus Ionathan cum Dauidis posteritate percussit, eumq; iterum obtestatus est, præ amore quo eum prosequebatur (nam eū perinde ac semetipsum amabat) eiq; ita dixit: Cras nouilunium est, & tu desideraberis: nam tua sessio uacabit. Descendes autem ad summum ter in locū, ubi lateas quo die negociū hoc fiet, manebisq; apud lapidem Oselē. Ego tres sagittas ad latus iaculabor, collineans ad scopum. Deinde puerum mittam,

Dauidis & Ionathanis consultatio de noscitando Sauli erga Dauidē animo.

a Iurare uocat religiose affirmare, quod facit sequentibus his uerbis: Quàm certū est, &c.

B

b scilicet ut cœlum intuens Iouā iuraret.

C

D

mittam, qui eas petat: cui puero si dixero sagittas esse citra ipsum, adducito eum, & uenito: nam tua res erit in tuto, nec ullum erit periculum, Iouam immortalē testor. Sin autem famulo dixero sagittas esse ultra ipsum, abito: autor abeundi Ioua est. Ac qua de re inter nos egimus, Ioua nobis esto eius testis æternus. Latuit ergo Dauid in agro. ¶ Igitur prima die mensis, in regis accubatione epularum, cum rex in sua sede, sicuti solitus erat, à pariete sedisset, & Ionathan surrexisset, Abner autem ad Sauli latus accubuisset, Dauidisq; locus uacaret, nihil dixit Saulus eo die, suspicatus illum casu aliquo non esse purum. Postridie nouilunij Dauidis loco uacante, quærit Saulus ex Ionathane filio suo, quam ob causam Isæi filius neq; pridie, neque eo die ad cibum capiendum uenerit. Cui Ionathan: Petijt à me Dauid ueniam concedendi Bethlehemam, inquit, orauitq; ut se dimitterem: fieri enim sacrificium gentiliciū in eo oppido, ad quod adesse iussus esset à fratre suo. Itaq; magnopere orare, ut si quid apud me gratia ualeret, facerem eò se conferendi, fratresq; uisendi, potestatē. Hanc ob causam ad regiam mensam non uenit. Tum Saulus in Ionathanē incensus: O [c] improbæ, inquit, contumacisq; matris progenies: quasi uerò nesciam te Isæidæ addictum esse: ad tuum quidem, tuæq; matris dedecus atq; probrum. Nam quandiu uiuet in terris Isæides, nunquam neq; tu, neq; tuum regnum stabilietur. Quamobrem mitte qui eum mihi adducant: nam morte dignus est. Et Ionathan: Cur morietur? inquit: quid commisit? At Saulus hastam ad eum feriendum uibrauit. Et Ionathan uidens patri suo omnino decretū esse interficere Dauidem, à mensa incensus ira surrexit, neq; secundo nouilunij die cibum cæpit, tum quòd Dauidis uicem doleret, tum quòd fuisset à patre suo affectus ignominia. ¶ Manè rus egressus ad tempus cum Dauide constitutum, paruo puero, quem secum ducebat, iussit ut sagittas à se iaciendas petitū curreret: ac currente puero, sagittam ultra ipsum iecit. Atque ubi peruenit puer ad locum sagittæ à Ionathane iactæ, clamauit Ionathan ad eum: Sagitta ultra te est: festina celeriter, (inquit ad eum clamans) & sine mora. Tum puer capta sagitta, ad dominum suum uenit, ignarus quid ageretur, Ionathane tantum & Dauide rei cōscijs. ¶ Ionathan armis suis puero traditis, eum iussit in urbem redire: quo profecto, Dauid à meridiana parte prodijt, pronoq; ad terrā uultu ter honorem summisse præbuit, & uterq; alterū deosculati collachrymarunt, sed Dauid uehementius. Deinde Ionathan: Abi cum bona pace, inquit: ac quæ nos inter nos per Iouæ nomen, Iouā inter me & te, interq; meam & tuam progeniem contestati, iurauimus, æterna sunto. Tum ille discessit, & Ionathan in urbem se contulit.

E F G — *Ionathani irascitur Saulus propter eius in Dauidē beneuolentiā.* — c ut hominis filiū uocāt Hebræi hominē, ita Saulus improbæ filium uocat improbum: sed à matre, ne se ipse damnet. — *Ionathan Dauidem adit.* — *Dauidis à Ionathane digreßio.*

CAPVT XXI.

VEnit autem Dauid Nobam ad Achimelechum pontificem: cuius aduentu attonitus Achimelechus, quæsiuit ex eo quid causæ esset, ut solus, nullo comitatu, adesset. Cui Dauid ita respondit: Rex mihi quoddam negocium mandauit, quod ne quis rescisceret, nèue quò nam mitterer, præcepit. Itaque famulis [a] certum quendam locum assignaui. Quare si habes aliquot quinque panes, trade mihi, aut quot tibi suppetunt. Et pontifex: Panem quidem profanum non habeo, sed sacrum habeo, si modò famuli à mulieribus abstinuerunt. Cui Dauid: Cum mulieribus nihil nobis rei fuit hunc iam tertium diem, inquit, ex quo profectus sum: suntq; corpora famulorum casta. Quòd [b] si profectio ipsa profana fuit, at hodie quidem lustrabitur in corporibus. Itaque dedit ei pontifex sacros panes, quoniam nullus ibi panis erat, præter panes apposititios, è Iouæ cōspectu sublatos, supponendis in eorum locum recentibus, quo die sublati sunt illi. Aderat autem illic eo die quidam seruorum Sauli, apud Iouam occupatus, nomine Doegus, Idumæus, pastorum Sauli magister. Et Dauid Achimelechum sic allocutus est: Ecquam hic habes hastam aut gladium? nam neque gladium meum, neque tela mecum sumpsi, adeò regis mandatum urgebat. Cui pontifex: Ensis Goliathi Palæstini, inquit, à te in ualle quercus occisi, panno inuolutus est post ephodum: eum tu, si uis, capias licet: nam hic quidem alius nullus est. Et Dauid: Nullus est cum isto conferendus, inquit: trade eum mihi. ¶ Tum illinc digressus, ut Saulum effugeret, ad Achim Gethæ regem se contulit. Sed cum dictitarent apud Achim ipsius stipatores, hunc esse regem terræ Dauidem, hunc esse cui per choros accantatum foret illud: Saulus mille, decem superauit millia Dauid: hæc uerba Dauid in animo suo uersans, & sibi ab Achi Gethæ rege permetuens, gestum mutauit apud eos, & stultitiam inter eorum manus simulans, in portæ ostio pingebat, saliuamq; in barbā suam deliquabat. Tum Achis suos alloquitur: En, inquit, uidetis hominem insanum esse, cur eum mihi adduxistis? Adeo'ne insanis careo, ut hunc mihi adduxeritis, qui apud me insaniret? hiccine ut in familiam meam ueniat?

Dauid Achimelechū pontificem adit. — a scilicet ubi me præstolentur: ne sciant quò ego profectus sim. — B — b si fortè mei famuli tum, cum profecti sunt, fuerāt cum uxoribus: at hodie quidē puri erunt: quoniā hic dies tertius est: quod tēporis spacium lustrandis corporibus est destinatum. — C — *Exod. 9.* — *Doegus.* — D — *Dauid stultitiam simulat.*

CAPVT XXII.

ITa illinc digressus Dauid, in Odollamam speluncam euasit: quod ubi intellexerunt eius fratres, omnisq; paterna familia, eò ad illū descenderunt, eodemq; confluxerunt omnes quibus angustæ res erant, & obærati, & animis ægri, quibus ille se ducem præbuit: coactaq; circiter quadringentorum uirorum manu, illinc Maspham Moabitarum se contulit, & à rege Moabitarum impetrauit, ut parentibus suis liceret ad eos se recipere, donec uideret quid sibi à Deo fieret: eosq; ad Moabitarum regem adduxit, apud quem manserunt quandiu Dauid munitione se continuit. Verùm monitus à Gado uate ne munitione se contineret, sed in Iudææ fines concederet, in Haretham syluam profectus est. Saulus autem ubi audiuit Dauidem cum comitibus esse uisum, sedens Gabaæ sub nemore apud Ramā, hastāq; manu tenens, & omni stipatus assectarum comitatu, apud

Dauid manum facit.

eos ita locutus est: Attēdite, Ieminienses. Nunquid **B** uobis omnib. daturus est Isæi filius agros & uineas? nūquid uos omnes tribunos facturus, & centuriones? qui sic uniuersi contra me conspirastis, ut uestrûm nemo sit qui me de filij mei cum Isæi filio fœdere certiorem fecerit? aut qui meam uicem dolens, mihi indicauerit, filium meum contra me serui mei insidias excitauisse: quod ipsa res indicat. Tum Doegus Idumæus, qui etiam inter Sauli stipatores aderat, respondit in hunc modū: Vidi Isæi filium uenire Nobā, ad Achimelechū Achitobi filium. G.L. pontificem, H. qui pro illo Iouam cōsuluit, eiq́ uiaticum, & Goliathi Palæstini ensem dedit. ¶ Tum rex Achimelechum Achitobi filium pontificem, eiusq́ patriam omnem familiam, sacerdotes Nobanos, accersi iussit. qui cum ad eum omnes uenissent, in hunc modum cum eis **C** loquitur: Audi, Achitobi nate. Cui ille: Adsum Domine. Et Saulus: Cur in me cum Iseida coniurasti, qui ei & cibaria & ensem dederis, proq́ eo Deum consulueris? quæ insidiæ mihi manifestò struūtur. At Achimelechus: Imò quis est, inquit regi respondens, ex tuis omnibus cum Dauide comparandus? fideli, regio genero, tuo iussu profecto, & domi tuæ in honore habito? An nunc primùm Dei oraculum eius nomine sum percontatus? Absit hoc à me, noli mihi, rex, aut ulli qui sit meæ paternæ familiæ, ullum crimen imponere: nam istius totius negotij nihil tantum tantulum'ue est, quod ego sciam. At rex: Morieris, Achimeleche, unà cum tota tua paterna familia. Circunstate (inquit astantes cursores alloquens) & interficite Iouæ sacerdotes, nam Dauidis partes tuentur, sciebantq́ profugū esse, neq́ me certiorē fecerunt. Sed nolentibus regijs asseclis manus afferre Io**D** uæ sacerdotibus, Doegus Idumæus, imperāte rege, ut Iouę sacerdotes inuaderet atq́ perimeret, sacerdotes inuasit, peremitq́ eo die octogintaquinq́ homines, ephodum lineū gerētes: Nobamq́ sacerdotum oppidū ferro deleuit, uiros, mulieres, impuberes, lactentes, boues, asinos, pecora ferro corrupit, elapso uno Achimelechi Achitobi filij, filio, nomine Abiathare: qui Dauidem cursu consecutus, certiorem fecit de occisis à Saulo Iouanis sacerdotibus. Et Dauid ei sic dixit: Sciebam equidem tum, cum illic esset Doegus Idumęus, id nunciaturū esse Saulo: ego omnes tuæ paternæ familię mortales perdidi. Mane apud me, & pone metum: nam meam necem molietur, qui tuam necem molietur, adeò mihi curæ eris.

Doegus Saulo Dauidem indicat.

Saulus sacerdotes interfici iubet.

Abiathar ex cæde elapsus Dauidē adit.

CAPVT XXIII.

·V· *Dauid Iouam consulit de inuadendis Palæstinis.*

CVm esset autē Dauidi nunciatum, Palæstinos Ceilā oppugnare, horreaq́ diripere, Iouæ oraculū de Palæstinis illis inuadendis ac occidendis interrogauit. Cui Ioua respōdit, ut iret: uicturū enim Palæstinos, Ceilāq́ defensurū. Sed cum ei comites dicerēt, se etiā illic in Iudæa metuere, nedū si Ceilā ad castra Palæstinorū accederēt: iterū Iouam cōsuluit. cuius respōsum fuit, ut Ceilam proficisceretur: sese enim ei Palæstinos addicere. Tū Dauid cū suis Ceilam profectus, cū Palæstinis pugnam cōmisit: eisq́ ingenti clade illata, eorū pecora abegit, Ceilanosq́ cōseruauit. Accidit aūt ut Ceilā fugiens Achimelechi filius Abiathar ad Dauidē, ephodum secum deferret. ¶ Postquā certior factus **B** est Saulus Dauidē uenisse Ceilā, arbitratus illū diuinitùs in suam uenisse potestatē, qui in oppidū portis repagulisq́ munitū ingressus, se conclusisset: copias omnes in bellū coegit, ut Ceilam adoriretur, Dauidemq́ & suos obsideret. At Dauid Saulū sibi malum moliri intelligens, Abiathari pōtifici iussit ut ephodū adhiberet, atq́ ita locutus est: Ioua Deus Israelitarum, exaudi me tuū. Conatur Saulus aggredi Ceilam, ut oppidū propter me corrūpat. Sunt'ne Ceilani me ei dedituri? est'ne Saulus, ut tuus ego audio, descensurus? Ioua Deus Israelitarum, significa hoc mihi tuo. Cui Ioua: Descēsurus est, inquit. Et Dauid: Sunt'ne Ceilani me meosq́ Saulo dedituri? Sunt, inquit Ioua. ¶ Tum Dauid, eiusq́ comites circiter sexcenti, Ceila egressi sunt, ituri quò fortuna ferret. Quod ubi Saulo nunciatum est, Dauidem Ceila se subduxisse, profectionē omisit. ¶ Occupauit autē Dauid saltuum munita loca, tenuitq́ montana in saltu Ziphi: & quæsitus semper à Saulo, nunquā est ei deditus à Deo. Dauid igitur uidēs Saulū sibi mortem moliri, in sylua se in Ziphi solitudine tenuit. In eam syluā etiā ad eum profectus Sauli filius Ionathan, eum diuinitùs confirmauit, hortās ut sine metu esset: etenim non modò in Sauli patris sui potestatem non esse uenturum, sed etiam regnū in Israelitas esse obtenturum, seq́ ei secundū futurū, neq́ Saulū patrem suū eius **C** rei nesciū esse. Atq́ ita fœdere inter se corā Ioua percusso, Dauid in sylua remanet, & Ionathan domū petit. Sed Ziphæi Gabaam ad Saulum profecti, nunciant Dauidem apud se latitare, in munitiōibus, in sylua, in colle Hachila ad dextram Iesimonis posito. Nunc tuum est, inquiunt, ô rex, eò descēdere, si tibi uisum fuerit: nostrum autē illū tibi in potestatē tradere. Tum Saulus: Ago uobis à Ioua gratias, inquit, qui meum casum dolueritis. Ite sanè rem amplius exploratum: cognoscite, & circunspicite quo in loco uersetur, ecquis eum ibi uiderit (nā au**D** dio hominē esse callidum) exploratisq́ & perspectis omnibus, in quib. occultatur, latebris, ad me reuertimini, ut uobiscū, re cōperta, proficiscar: & si in hac regione est, eum per omnes Iudææ præfecturas uestigem. ¶ Tum illi digressi, Saulum, ad Ziphim profecti, antecesserunt. Saulus cum suis ad Dauidem quærendū (qui tum cum suis in solitudine Maone, in planicie ad Iesimonis dexteram posita, uersabatur) profectus est: quod postquam est Dauidi nunciatum, descendit in rupem, fuitq́ in saltu Maone: quod ubi audiuit Saulus, eum in Maone saltu persequitur. Sed cum Saulus hinc, Dauid illinc cum suis, alter alterum montis latus obiret, iamq́ Dauid euadendi Sauli (cuius à copijs, ipse cum suis obsessus, conquirebatur) trepidus esset, aduenit ad Saulum nuncius, qui properè discedendū esse moneret: nam Palæstinos incursio-

Dauid Palestinos cædit.

Dauid Iouam interrogat de Sauli aduentu.

Ionathan Dauidem cōsolatum uadit.

Ziphæi Saulo Dauidem indicant.

Saulus Dauidem persequitur.

incursionem fecisse in eius fines. Itaq; reuersus à Dauide persequēdo Saulus, obuiam Palæstinis iuit: unde & locus ille Rupes diremptoria appellatus est. Inde digressus Dauid, Engadinorum arces occupauit.

CAPVT XXIIII.

Saulus in spelūca incadit in Dauidem.

ID cum Saulo à persequendis Palæstinis reuerso nunciatum esset, Dauidem esse in Engadino saltu, adhibitis tribus hominum millibus, ex omni Israelitarum numero selectis, proficiscitur ad Dauidem, eiusq; comites uestigandos, cōtra rupes rupicaprarum. Cumq; ad caulas ouiū ad uiam positas uenisset, in speluncam, quæ illic erat, intrauit ad requisita naturæ, in cuius speluncæ intima parte Dauid unà cum suis comitibus erat. Hic Dauidem cœperūt monere comites, aduenisse diem, quo Ioua promisisset, sese ei hostem in potestatem esse traditurū, ut eo ad suum arbitrium uteretur. Tum Dauid surgit, & oram penulę Sauli clanculum abscindit. B Deinde cum ea res ei percussisset animum, quòd oram Sauli abscidisset, sic suos comites alloquitur: Auertat hoc à me Ioua, ut hoc in Dominum meum Iouæ unctum committam, ut ei manus afferam, qui Iouæ sit unctus. His uerbis cohibuit Dauid homines ab inuadendo Saulo. Deinde Saulo ex spelunca uiam ingresso, Dauid ex spelunca egressus, pone Saulum clamauit: Domine rex. Cumq; Saulus respexisset, Dauid eum prono ad terram uultu ueneratus, inquit: Cur audis eorū hominū uerba, qui dicūt, Dauidē tibi malū moliri? Vides profectò oculis tuis, ut hodie Ioua in spelunca tui mihi fecerit potestatem: nec defuit qui me ad tuam necē cohortaretur: sed peperci tibi, meq; negaui manus allaturū Domino meo qui esset unctus Iouæ. C Sed aspice, pater, aspice tuę penulæ oram in manu mea. Quòd cum penulę tuę orā abscide rim, neq; te interfecerim, cognosce & intellige nullum me scelus commisisse, nullum contra te facinus admisisse dignum, quamobrem tu meam uitā captares. Suscipiat hanc Ioua causam, teq; mihi sine mea opera ulciscatur. Vetus est prouerbium, A sceleratο prodibit scelus: equidem tibi non adferam manū. Cui tādem instat Israelitarum rex: quem tu tādem persequeris? canem mortuum, pulicem unum. Sed erit Ioua huius inter me & te causæ arbiter, prouidebitq;: & meas partes defendens, tuas in me persequetur iniurias. His Dauidis ad Saulum uerbis finitis, D Saulus sic ait: Est'ne ista tua uox, Dauid fili? Pro te facit æquitas, nō pro me (inquit plorans) nam tu me bono, ego te malo affeci. Atq; hodie satis ostendisti quàm sis de me bene meritus, qui me tibi in manum à Ioua traditum, non interfeceris. Nam quotusquisque est qui nactus hostem suum, dimittat indemnem? Sed te pro tuo isto hodierno in me facto, Ioua cōdigno præmio remuneretur. Equidem scio, te futurum esse regem, & regnum in Israelitas obtenturum. Quare iura mihi per Iouam, te meam stirpem post meum interitum non esse excisurum, meiq; nominis memoriam de mea domo patria deleturum. Tum Dauid Saulo iurat, eoq; domum profecto, ipse in locum munitum cum suis se recipit.

CAPVT XXV.

Moritur Samuel. Eccl.46.d

INterea moritur Samuel, & omnes Israelitæ coeunt, eumq; defletum, domi suæ Ramæ sepeliunt. Tum Dauid in saltum Pharanem proficiscitur. Erat in Maone uir quidam, cuius facultates erant in Carmelo, homo cum primis locuples, habens ouium tria millia, & mille capras. Nomen habebat homo Nabal: uxor autē, Abigail: mulier insigni prudentia, elegantiq; forma: sed uir durus, malis moribus, ortus à Calebo.

Nabal.

Dauid mittit ad Nabalē famulos, ut se commeatu iuuet.

Hunc Nabalem cum in saltu audiuisset Dauid ouium tonsuram in Carmelo facere, decem famulos misit, eisq; præcepit in hunc modum: Ascendite in Carmelum ad Nabalem, eumq; meo nomine salutate, & ei, eiusq; familiæ, & omnibus, incolumen uitam optate: ac dicite, me audiuisse eum habere tonsores. B Iam pastores tuos (inquietis) qui nobiscum uersati sunt, nulla affecimus contumelia, neque rem ullam amiserunt, quandiu fuerunt in Carmelo: id quod tui famuli, si quærere uoles, fatebuntur. Quamobrem præbe te Dauidis famulis ita humanum (nam fausto die uenimus) ut nobis & Dauidi, tuo filio, largiare quæ tibi commodum erit. Hæc omnia Dauidis famuli ad Nabalem profecti, nomine Dauidis exposuerūt. Ac postquam conticuerunt, respondit Nabal in hunc modum: Quis est Dauid? quis est Isaei filius? is'ne ad quem hodie serui passim à dominis suis transfugiunt? Scilicet ego cibum potionemq; meam, & quę meis tonsoribus mactaui, dem hominibus mihi prorsum ignotis? ¶ Tum Dauidis nūcij repetito itinere reuersi, C rem omnem ei referūt. At Dauid suis imperat, ut se gladijs accingant: quod postquā & illi & ipse fecit, profecti sunt circiter quadringēti uiri, Dauidem sequentes, ducentis apud impedimēta remanētibus. ¶ Abigaili autem, Nabalis uxori, puer quidam de famulis rem nunciauit in hunc modū: Scito missos à Dauide nuncios ex saltu ad salutandū herum nostrum, qui repudiati ab eo sunt: & tamē illos experti sumus uiros planè bonos, nulla unquam cōtumelia aut dāno affecti, quandiu inter eos rusticando uersati sumus, illis muri uicem nobis dies noctesq; præbentibus, quandiu cū eis fuimus pecora pascentes. Proinde cōsidera & dispice quid actura sis: alioquin de hero nostro & tota eius familia actū est: nam ipse quidē perditior est, quàm ut admonendus esse uideatur.

Abigail Dauidi obuiā uadit.

Hic Abigail propere capit ducētos panes, duos uini utres, quinque oues apparatas, quinque sato polentæ, centum uuas passas, & ducentas ficuum palathas: quæ postquam asinis imposuit, famulis suis D præcipit ut antecedant, sese iam secuturam: neque id uiro suo Nabali indicat. Cumq; ea in asino equitans per occulta montis descenderet, occurrit Dauidi cum suis aduersus eam descendenti, atque ita dicenti: Næ ego frustra conseruaui omnia quæ habet iste in saltibus, ita ut nihil omnino de suo deperdiderit, & mihi bonum malo pensauit? At ita perdat Deus hostes Dauidis,

Dauidis, ut ei ante lucem matutinam ex omnibus quæ habet, [a] ne parietis quidem commictorem reliquũ faciam. ¶ Tum Abigail uiso Dauide, confestim de asino desilit, & illum prona accidens, honorẽ ei suppliciter præbet, eiq; ad pedes iacẽs, ita loquitur: Obsecro te, Domine, ut me tuam apud te uerba facientem, bona cum uenia audias. Noli quæso, Domine, animum adijcere ad profligatum istum hominẽ Nabalem, & suo planè nomini respondentem. Vt enim stulti nomen habet, ita stultitia præditus est. Nã ego quidem missos ad te famulos, Domine, nõ uideram. Enimuero Domine, quàm certum est Iouam, quàm certum est te uiuere, tam certum est te à sanguine in tuis inimicitijs pertemetipsum persequendis faciendo, à Ioua absterreri. atq; utinam Nabali similes sint hostes tui, & tibi malũ moliẽtes. Quãobrẽ patere hoc munusculũ,

E quod ego tua tibi, Domine, affero, iuuenib. qui te comitantur dari, & mihi hãc ueniam da. Sic tuam tibi domum, bella Iouana gerenti, ita firmiter confirmet Ioua, ut tibi per omnem uitã mali nihil eueniat: utq; si quis infestus tibi, necisq; tuæ cupidus existat, anima tua [b] apud Iouam Deum tuum in uiuentium fasce (ut ita loquar) annexa sit, idemq; Ioua [c] tuorum hostium animam quasi ex fundæ scutali iaculetur. Iam uerò cum tot præclara Iouæ promissa consecutus, ab eo Israelitarum dux fueris constitutus, [d] hoc te nulla conscientiæ labe quasi labefactabit, recordatione effusi sine causa sanguinis, & supplicij ob priuatam iniuriam sumpti: Iouæq; beneficijs affectus, memineris mei. Tum Dauid:

F Gratias ago Iouæ Deo Israelitarũ, inquit, qui te mihi miserit obuiam: necnon tibi, quæ me tuis rationibus à sanguine faciendo, & iniurijs per meipsum persequendis, cohibueris. Nam Iouam uiuẽtem Israelitarum Deũ testor, qui me tibi malefacere prohibet, nisi tu mihi obuiam uenire properasses, Nabali ante diluculum ne quidem parietis commictor relictus fuisset. Deinde ab illa oblata sibi munera accepit: &, Ascende sanè domum cum bona pace, inquit: en tibi obsequor atq; indulgeo. ¶ Ita Abigail ad Nabalẽ uenit, eumq; nacta domi suæ cœnam planè regalem habentem, animoq; lætum & bene potum, nihil ei prorsus ante posterum diem retulit. Sed manè exhalata Nabalis crapula, uxor rem ei narrauit: ex quo ille tanta animi defectione, & corporis saxeo quodam

G stupore diriguit, ut intra decem circiter dies à Ioua ictus interierit. Nabalis audita morte, Dauid Iouæ gratias egit, qui suam contumeliam in Nabalem animaduertisset, seq; à scelere prohibuisset, & Nabalis scelus in ipsius caput retorsisset: misitq; qui cum Abigaile de ea à se in matrimonium ducenda agerent. Cum igitur Dauidis serui ad Abigailem in Carmelum uenissent, eiq; retulissent, se ad eam missos esse à Dauide, quò eam uxorem duceret: surrexit illa, & honore demissè præbito, respondit, se illius esse seruam, paratam uel seruorum eius lauare pedes. Deinde protinus proficiscitur, & asino insidẽs, comitãtibus quinque pedissequis, nũcios Dauidis subsequitur, illiq; nubit. Achinoamam quoque duxerat Dauid, Iezraelanam, easq; ambas habuit uxores. Nam Michole quidem Dauidis uxorem locauerat Saulus, ipsius pater, Phalti Lais filio Gallimensi.

a ne canẽ quidem.

Abigailis ad Dauidẽ oratio.

b apud Iouam esse dicuntur, qui hac uita (quam curat Ioua) fruuntur. vide Esa.38 & Psal.116.

e tuos hostes malè perdat ac profliget.

d Quod fieret, si Nabalem interfecisses.

Dauid Abigailis oratione pacatus.

Nabalis mors.

Mittit Dauid, qui sibi Abigailem in matrimonium adducant.

CAPUT XXVI.

Saulus à Ziphæis monitus, Dauidem persequitur.

VEnerunt autem Ziphæi Gabaam ad Saulum, eiq; nunciarunt, Dauidem in colle Hachila contra Iesimonem latere. Tum Saulus in Ziphim saltum cum tribus hominum millibus, Israelitarum lectissimis, ad Dauidem illic uestigandum descendit, & castra posuit in colle Hachila, contra Iesimonem, iuxta uiam posito. Dauid autem, qui in saltu uersabatur, uidẽs Saulum se sectari, cum missis nuncijs Saulum uerè uenisse cognouisset, contendit in locum ubi Saulus castra habebat: & obseruato loco, in quo cubabat Saulus unà cum Abnere, Neris filio, exercitus duce (cubabat autẽ intra munimenta, militibus circum eum castra habentibus) quæsiuit ex Achimelecho Hettæo, & ex Abisæo Saruiæ filio, Ioabi fratre, uter secum in castra descendere uellet ad Saulum. Respõ-

B dit Abisæus, se cũ eo descẽdere uelle. ¶ Ita profecti Dauid & Abisæus ad exercitum per noctem, offendunt Saulum intra munimenta sopitum cubantem, hasta humi ad eius caput defixa, Abnere & reliquis circunquaque iacẽtib. Atque hic Abisæus Dauidem sic alloquitur: Compingit tibi Deus hodie hostem tuum in manum: uis ut eum hasta ad terram affigam, uno ictu non iterando? At Dauid: Noli eum perimere, inquit. Quis enim Iouæ uncto impunè manus attulerit? O' Ioua uiuens, inquit, aut eum Ioua perdat oportet, aut dies ei lethalis adueniat, aut prælium ingressus occumbat. A' me quidem auertat Ioua, ut Iouæ uncto manus afferam. Sed cape hastam iuxta caput eius positã, matellamq;, & discedamus. Ita illi capta hasta, & matella, quæ propter Sauli caput erat posita, discedunt, cum eos nemo interea uiderit, aut animaduerterit, aut experrectus fuerit, omnibus dormientibus, utpote à Ioua altissimè consopitis. ¶ At Dauid in diuersam partem progressus, ubi in montis uertice procul cõstitit, magno interiecto spacio, ad milites & ad Abnerem Neris filium clamauit in hunc mo-

C dum: Heus Abner, non respondes? Quis tu es (inquit respondens Abner) qui regem uocas? Et Dauid: Cum tu uir sis eiusmodi, inquit, ut Israelitarum nemo tibi comparetur, cur Dominum tuum regem nõ custodis? Nam ad regem Dominum tuum perimendum, militum quidam ingressus est. Haud egregium istud sanè fecisti. Per Iouam immortalem, uos estis morte digni, qui Domini uestri Iouæ uncti curam nõ geratis. Vide enim ubi sit hasta regis, & matella, quæ erat propter eius caput posita. Tum Saulus uocem Dauidis agnoscẽs, dixit: Est'ne ista tua uox, Dauid fili? Est, Domine mi rex, inquit Dauid. Cur tu me tandẽ, Dominus seruũ, persequeris? nam quid feci? aut quod in me crimen est? Sed attende, mi Rex & Domine, meis serui tui uerbis. Si Ioua te mihi reddit infestum,

Dauid in castra ad Saulum ingreditur, dormientibus cũctis.

precor

precor ut tu ei lites: sin homines sunt, execrabiles sunt in conspectu Iouę, qui me de Iouani patrimonij possessione hodie deturbant, & ad

D

deorum peregrinorum cultum impellunt. Sed non patietur Ioua meum sanguinem ad terram cadere, quamuis Israelitarũ rex expeditionem fecerit ad persequendũ pulicem, ut si quis perdicem persequatur in montibus. Tum Saulus: Peccaui, inquit: reuertere, fili Dauid. nõ enim tibi iam nocebo, qui hodierno die uitã meam tam charã habueris. Erraui nimis quàm imprudẽter, fateor. Et Dauid: Ecce regis hastã, inquit, eã petat aliquis famulorũ. Cęterùm Ioua quęq; remuneretur, ut dignus meritusq; est. Te quidem hodie mihi in manum tradidit: sed nolui Iouæ uncto manus afferre. Ergo quemadmodum tua mihi salus hodie chara fuit, sic ille meã charam habiturus est: me'que ex omnibus rebus aduersis erepturus. Tum Saulus: Felicem te, Dauid fili: haud dubiè conata perficies. Ita discessit Dauid: & Saulus eò, unde uenerat reuersus est.

CAPVT XXVII.

DEinde cum secum cogitaret Dauid, periculum esse, ne quando à Saulo perimeretur: nihilq; sibi consultius esse, quàm ut se in Palæstinę fines (quò Saulus eum deinceps in ullis Israelitarum finibus quærere desineret) reciperet, atq; ita illius manum euaderet: cõtulit

B

Dauid ad Achim Gethæ regẽ se confert.

se unà cum suis sexcentis comitibus, ad Achim Maochi filium, Gethę regem, atque apud eum Gethæ mansit, unà cũ suis comitibus, eorumq; familijs: cumq; suis duabus uxoribus, Achinoama Iezraelana, & Abigaile Nabalis Carmelitæ uxore. Quod postquam Saulo nunciatum est, Dauidem fugisse Getham, desijt eum cõquirere. Orauit autem Achim Dauid, ut sibi id beneficium concederet, ut locum sibi in aliquo campestrium oppidorum ad habitandum assignaret, ne qui seruus illius esset, eandẽ cum illo regiã urbẽ indignus incoleret. ¶ Tũ Achis ei Siceleg dedit: unde Siceleg etiamnum Iudęę regũ est. Temporis autẽ spaciũ, quo Dauid in

C

agro Palæstino fuit, annus est & quatuor menses, cũ interea comitantibus suis, in Gessuręos, Gerzęos, & Amalechitas (hę enim gentes quà Sur itur, ad Aegyptum usq;, ab omni memoria incolebãt) incursiones faciebat: terramq; depopulatus, nullo prorsum uiro aut muliere cõseruato, oues, capras, boues, asinos, camelos, et uestimenta capta agens, ad Achim redibat: quærentiq; quò eo die excurrissent, responde-

D

bat, in meridiana Iudęorum, Ierameelitarũ, & Cenæorum. Nam ideo nullam neq; uirum neque mulierem Getham ducendos cõseruabat, ne se indicarent, Dauidisq; facta & consuetudinem patefacerent: atque hunc morem seruauit, quãdiu in agro Palæstino mãsit. Eamq; ob causam sibi persuaserat Achis, Dauidẽ tantum odium suorum populariũ Israelitarũ in se contraxisse, ut sibi perpetuò seruus futurus esset.

CAPVT XXVIII.

ITaq; cum aliquando copias suas coegissent Palæstini, ut bellum Israelitis inferret, Achis Dauidem sic alloquutus est: Scito te tuos'que mihi in hac expeditione comites fore. Cui Dauid: Ergo cognosces mea facinora. Et Achis: Itaque te mei capitis custodem æternum constituã. ¶ Obierat autẽ mortem Samuel, cumq; omnium Israelitarũ luctu sepultus Ramæ fuerat in sua patria: & Saulus Pythias & hariolos ex illis finibus sustulerat. Igitur coactis Palęstinis, & apud Sunaman castrametatis, Saulus, qui coactis omnibus Israelitis in Gelboe castra fecerat, animaduersis Palæstinorum castris, nõ mediocri animi timore perterritus, Iouæ oraculum consuluit. Sed cum ille neq; per somnia, neq; [a] per Claritatem, neq; per uates ei responderet, mandat suis seruis, ut sibi fœminã Phœbo præditam conquirant, quam cõsultum eat. A' quibus cum intellexisset, Phœbo præditam mulierem esse Endore, alium se simulat: alijsq; uestitus indumentis, ad mulierẽ noctu cũ duobus comitibus proficiscitur, & cũ ea sic loquitur: Diuina mihi per Apollinẽ, & excie quem tibi dicam. At mulier: Cum scias quid Saulus fecerit, ut ex his finibus Pythias et hariolos exterminauerit, cur me in tantum capitis periculum adducere uis? Tum Saulus ei Iouam iurat: Per Iouã immortalem, inquit, hęc tibi res fraudi non erit. Et mulier: Quem tibi eliciam? Samuelem, inquit ille. Tum mulier Samuelẽ cõspicata, magnum clamorem edidit, & Saulum alloquens: Cur me decepisti? inquit, cũ tuipse sis Saulus? Cui rex: Pone metum, inquit. Sed quid uides? Et mulier: [b] Diuum uideo, ex terra ascendentem. Tum ille: Qua est specie? Senex ascendit (inquit illa) amictus penula. Hic Saulus Samuelem agnoscẽs, honorẽ ei prono uultu præstitit. Et Samuel Saulum sic est allocutus: Cur me eliciendo inquietas? Cui Saulus: Magnis premor angustijs: Palęstini me bello petunt: Deus me deseruit, neque mihi iam respondet neq; per uates, neq; per somnia: hãc ob causam acciui te, quò mihi, quid faciendum sit, ostendas. Et Samuel: Cur ergo me consulis? inquit, si Ioua te deseruit, & factus est tuus aduersarius? faciet Ioua tibi, quod per me prædixit: ereptumq; tibi de manu regnum tradet alteri, scilicet Dauidi, quoniã tu ei in ulciscendis Amalechitis, quibus infensus erat, non obtemperasti: propterea hæc tibi sine dubio faciet. Neq; non Israelitas quoq; unà tecum Palæstinis addicet, & cras tu tuiq; filij eritis unà mecum, Israelitarum etiam castris in Palæstinorum potestatem à Ioua traditis. Hic Saulus repentè ad terrã tota mole concidit, tum Samuelis oratione pauefactus, tum uiribus destitutus, quòd eo toto die nocteq; cibum nõ cęperat. ¶ Tum mulier ad Saulũ accedit, & eum adeò perturbatum uidẽs, ita hortatur: Age, si ego tibi morigerata sum, tuisq; uerbis obsecuta, meum caput summo periculo obieci: obsequere tu mihi uicissim, & paulum cibi, quẽ ego tibi apponã, comede, ut recreatis uiribus aggrediaris iter. At ille capturum se cibum negauit: sed urgentibus tum famulis, tum mulieri obtemperans, surrexit ex terra, & in lecto resedit. Mulier autem

Sup. 15. a

B

a per Pontificem, qui hæc uerba, Claritas & integritas, gestabat in monili.

Saulus à Ioua desertus Pythiã cõsulit.

b diuinũ uirum, & humana forma augustiorem.

C

Eccl. 46. d.

Samuel excitus ab inferis, Saulo futura prædicit.

D

tem uitulū, quem domi altilem habebat, properè mactat: subactaq; farina, panes nullo fermento coquit, Sauloq; & eius famulis apponit: qui capto cibo surrexerunt, ea'que nocte discesserunt.

CAPVT XXIX.

CVm coegissent autē Palęstini suas omnes copias apud Aphec, Israelitis apud fontē ad Iezrael positum castra habentibus, cumq; Palęstinorum satrapę distributum in centenos & millenos exercitum transueherent, in qua transuectione Dauid eiusq; comites postremi cum Achi incedebant, quæsiuerunt Palæstini principes qui'nam essent illi Hebræi? Quibus Achis ita respondit: Hic est ille Dauid, Sauli Israelitarū regis seruus, qui cum mecū per hosce dies, uel potius annos, egerit, nihil adhuc in eo

B reprehensione dignum offendi, ex quo ad nos aufugit. Hic offensi Palæstini principes, Achi ita dicūt: Remitte hominē in eam prouinciam, cui eum præfecisti, ne si nobiscum in certamen descenderit, in nos in pugna se cōuertat. Nam qua tādem re facilius cum Domino suo redire in gratiā posit, quàm relatis horum hominum capitibus? No'nne hic est ille Dauid, carmine illo in choreis decantatus? Saulus mille, decem superauit millia Dauid? Tum Achis euocatum

Palæstini proceres Dauidē secum militare nolūt. 1. Para. 12. d

C Dauidem sic alloquitur: Iouam ego immortalem testor, te mihi, tuamq; castrensem cōsuetudinem, probari ac placere: neque enim ullum hactenus in te uitium, posteaquàm tu te ad me primùm contulisti, deprehendi. Sed satrapis haud places. Quamobrem discede cum bona pace, ne quid Palæstinos satrapas offendas. Cui Dauid: Nam quid commisi? aut quid ad hunc usq; diem in me deprehēdisti, ex quo primùm in tuum conspectum ueni? ut prælium

D cōtra Domini mei regis hostes non ineam? Et Achis: Scio equidē te mihi tam placere, quàm si diuinus esses genius. Sed te uetant Palæstini satrapæ secum prelium inire. Quapropter manè ubi diluxerit, surgito cum tui Domini seruis, tuis comitibus, et disceditote. Ita manè Dauid cum suis surrexit, ut in Palæstinorum fines reuerteretur: & Palæstini Iezrael profecti sunt.

CAPVT XXX.

INterea dum Dauid cum suis tertio die Siceleg uenit, Amalechitæ incursione in meridiana & Siceleg facta, Siceleg expugnauerāt: eoq; igni combusto, omnes omnium ætatum tum uiros, tum mulieres, captiuos cæperant: eosq; nemine occiso, abigentes discedebant. Igitur postquam ad oppidum cum suis comitibus uenit Dauid, idq; igni cōbustum, & ipsorum uxores & liberos abactos deprehendit, sublato clamore tantum cum suis militibus ploratum edidit, ut iam uires eis nullæ superessent ad plorandum. Fuerant autem captæ duæ Dauidis uxores, Achinoama Iezraelensis, & Abigail uxor Nabalis Carmelitæ: eratq; in magnis

Amalechitæ Siceleg incendūt ac diripiunt.

B Dauid difficultatibus, quòd eum lapidare milites parabant, infensis omnes animis propter suos liberos. Sed tamen confirmauit ipse se in Ioua Deo suo: iussit'que Abiathari sacerdoti, Achimelechi filio, ut ephodum sibi admoueret. Cumq; Abiathar ephodum Dauidi admouisset, consuluit Iouam Dauid de agmine illo persequendo, an esset assecuturus. Cui cum ille respondisset, ut persequeretur: nō solum enim assecuturum esse, uerùm etiā suos liberaturum: proficiscitur cum sexcētis suis comitibus. Vbi ad fluuiū Besorem uentum est, relictis cis fluuium ducentis, qui præ lassitudine fluuium

Dauid, Iouæ monitu, Amalechitas persequitur.

C transire nō poterant, illos cum quadringentis persequitur. Repertus est autem in agris homo quidam Aegyptius, et ad Dauidem adductus: cui postquam panis ad edendum, & aqua ad bibendum data est, ficuumq; palatha, & duæ uuę passę, quibus comesis animū recepit (nam per tres dies, totidemq; noctes, neq; cibū sumpserat, neque potionem) quæsijt ex eo Dauid, cuias & unde'nam esset? Cui iuuenis: Ego sum Aegyptius, seruus Amalechitæ cuiusdam, inquit, relictus à domino meo, tertio abhinc die, quoniam infirmus eram. Nos excursionem fe-

D cimus in Cerethenses, & in meridiana Iudææ & Calebitidis, & Siceleg igni incendimus. Et Dauid: Potes'ne me ad agmen illud ducere? Cui ille: Iura mihi per Deum, inquit, te neque necaturum esse me, neq; domino meo dediturum, & ego te ad agmen illud ducam. Atq; ita eum duxit ad illos, quos humi passim temerè iacentes, epulantesq; & potātes, & festum pro tanta præda, quam ex Palæstinorum & Iudęorum finibus cęperant, agentes, nactus Dauid, tantam cædem à diluculo ad uesperam posteri

Dauid Palæstinos fundit, prædamq; recipit.

E diei fecit, ut ex eis nemo euaserit, pręter quadringentos iuuenes, qui camelis insidētes effugerūt. Atq; ita recepit Dauid cùm omnia quæ cęperāt Amalechitę, tum duas uxores suas, ita ut nihil omnino ullius aut ætatis, aut sexus, aut prędæ ab illis captæ desideratū sit, quin omnia reduxerit. Cępit autem Dauid oues & capras omnes, atq; boues, eaq; ante gregem illum ducta sunt, & Dauidis præda appellata. Deinde ubi ad ducētos uentum est, qui cum Dauidem sequi præ lassitudine non potuissent, apud Besorem fluuium remāserant: prodierunt illi ob-

F uiam Dauidi, eiusq; militibus. & Dauid ad illos accessit, eosq; salutauit. Sed eorum qui Dauidem comitati fuerant, pessimi quique & improbissimi, negabant se illis, qui se comitati non fuissent, communicaturos esse receptam à se prædā: tantum uxores suas & liberos abducerent, atq; discederēt. Verùm Dauid eis ita dixit: Non ita facietis, mei fratres, cum nobis ista Ioua dederit: nec solum nos conseruauerit, sed etiam nobis uictoriam tradiderit de agmine, quod nos adortum fuerat. Nam quis in hac re uobis obtemperet? Quin ęquas cum ijs qui in certamen descenderunt, partes auferent ij qui

G apud impedimenta remanserunt. Atque ea res ex illo die deinceps in consuetudinem atq; in ius uersa apud Israelitas, ad hunc usq; diem manet. Deinde profectus Siceleg Dauid, misit de pręda senatoribus Iudæis amicis suis: significans sese eis munera offerre de exuuijs hostiū Iouæ, scilicet Bethelēsibus, & Ramothanis ad austrum,

austrum, Ietherianis, Aroerensibus, Sephamothanis, Estamoanis, Rachalensibus, & Ierameelensium Cenęorumꝗ urbium incolis, Hormanisꝗ, & Borasanensibus, & Athacanis, & Hebronensibus: deniꝗ in omnia loca, in quibus ipse eiusꝗ comites uersati fuerant.

CAPUT XXXI.

1.Par.10.a *Sauli mors.*

IN pugna autem Palæstinorum cum Israelitis, fugati Israelitæ, & in monte Gelboe cæsi occubuerunt: Sauloꝗ & eius filijs instãtes Palæstini, Ionathanẽ, Abinadabum, & Malchisuam, filios eius, occiderũt. Saulus prælio pressus, & à sagittarijs deprehensus, uulneribusꝗ confectus, armigero suo imperat, ut se stricto ense transadigat, ne si præputiati illi uenissent, se obtruncarent atꝗ illuderent. Sed recusante
B præ terrore armigero, gladium cępit, eiꝗ incubuit. Tum armiger uidens mortuum esse Saulum, incubuit & ipse gladio suo, cum'que illo mortuus est. Atque ita mortui sunt eodem die Saulus, eiusꝗ tres filij, & armiger, & omnes illius milites. ¶ Tũ Israelitæ, qui trans uallem,
C transꝗ Iordanem erant, uidentes Israelitas fugisse, Saulumꝗ & eius filios mortuos esse, desertis oppidis fugerũt: eaꝗ aggressi Palęstini, in eis sedẽ cæperunt. ¶ Postridie cum ad spoliandos occisos uenissent Palæstini, Saulum eiusꝗ tres filios in Gelboe monte prostratos nacti, Saulo, detractis eius armis, caput absciderunt, idꝗ in Palęstinam in omnes partes miserunt, quo bene gestarum rerum nuncius in ęde statuarum eorum, atꝗ in natione diuulgaretur.
D Arma eius in æde Astarothi posuerunt: corpus in muris Bethsanis suspenderunt. Sed Iabenses Galaaditæ, audito quid Saulo fecissent Palæstini: proficiscuntur fortissimi quiꝗ, & tota nocte continuato itinere, Sauli eiusꝗ filiorum corpora de Bethsanæ muris auferunt: Iabemꝗ reuersi, ibi cremant, & ossibus sub nemore Iabe sepultis, septem dies ieiunant.

Iabesani Saulo parentant. 2.Reg.2.a

REGUM LIB. II.

CAPUT I.



MORTVO Saulo, cũ Dauid ex Amalechitarum cęde reuersus, Sicelege biduũ fuisset, die tertio aduenit ab exercitu à Saulo uir quidam laceratis uestibus, & capite puluere cõsperso: qui postquam ad Dauidẽ peruenit, ad terrã summisse procidit. & à Dauide interrogatus, unde'nam adesset? respõdit: Ex exercitu Israelitarũ euasi. Et Dauid: Indica mihi quæso, quid actum sit. Cui ille: Fugerunt milites ex prælio: multi ex uulgo occubuerũt: Saulus quoꝗ & Ionathan eius filius mortui sunt. Et Dauid: Quî scis, Saulum & Ionathanem eius filium mortuos esse? Et iuuenis, qui rem ei nunciabat: Cum forte in Gelboem montẽ uenissem, inquit, uideo Saulum innixũ hastæ, cui currus & equitatus iam iamꝗ imminebant. Respexit ille, & me uisum

Dauidi nunciatur Sauli mors.

B uocauit: Adsum, inquam ego. Tum ille: Quis tu es? Amalechita sum, inquam. Huc ades, inquit, & me interfice. nã magno dolore discrucior: quippe tota adhuc uita præditus. Ego uerò accessi, eumꝗ interfeci (sciebam enim non uicturum esse post tam grauem casum) eiusꝗ & capiti coronam, & brachio armillam detraxi, quæ tibi, domine, hic affero. Tum Dauid, necnon omnes eius comites, uestimenta sua corripere & lacerare, cumꝗ luctu & ploratu ad uesperum usꝗ ieiunare, propter Saulum & eius filium Ionathanem, propterꝗ Iouæ exercitum, & Israeliticã stirpem, qui ferro occubuerant. Deinde ex iuuene, qui rem ei retulerat, quęrit Dauid, cuias sit. Cum'que ille dixisset, se filium esse peregrini cuiusdã Amalechitæ, Dauid sic ei dicit: Te'ne ergo nõ esse ueritum ista C
manu uti ad Iouæ unctum perdendum? Ades (inquit uocato cuidam ex iuuenibus) inuade hunc. Atꝗ ille eum obtrũcauit. Et Dauid: Meritò, inquit, & tui ipsius oris indicio moreris, qui Iouæ unctũ à te interfectũ dixeris. ¶ Deinde hac nænia usus est Dauid super Saulo & eius filio Ionathane, & [a] artem sagittariam Iudæos discere iussit, quemadmodum in libro Recti scriptum est. Sic autem dixit: G.L. Considera, ô Israelita, qui in tuis fastigijs cæsi occubuerint. H. Israelitarum decus in tuis peremptũ est fastigijs. Ergo'ne ceciderũt heroes? Nolite hæc Gethæ indicare: nolite hæc in Ascalonijs nũciare uicis, ne Palæstinorum lætetur [b] puellæ, ne præputiatorũ exultent puellæ. [c] O' montes Gelboe, neꝗ rore neque imbribus, ut arua eximia, perfundamini: quãdoquidem istic refutatum est scutum heroicũ, scutum Sauli, perinde ac si oleo non fuisset unctus. A' sanguine sauciorum, ab adipe fortium, neꝗ Ionathanis arcus recellebat, neꝗ Sauli gladius redibat infecta re. Saulus & Ionathan in uita sua inter se amici atque iucundi, ne in morte quidem dirempti sunt, aquilis perniciores, leonibus fortiores. O' Israelitides, deplorate Saulum, qui uos ostro delicatè uestiebat, qui uestimẽta uestra mundo comebat aureo. Ergo'ne ceciderunt heroes in medio prælio? ergo'ne Ionathan in tuis oppetijt fastigijs? Angor equidem de te, frater mi Ionathan: eras mihi ita iucundus, ut pluris apud me tuus esset, quàm muliebris amor. L. Sicut mater unicum amat filiũ suum, ita ego te diligebam. H. Ergo'ne ceciderunt heroes, & arma periere bellica?

Psal.104.b

Dauidis nænia super morte Sauli.

a quoniam Saulus fuerat à sagittarijs uulneratus.

b urbes.

D

c pro mõt: dicit mẽtes, poeticè.

CAPUT II.

HIs ita gestis, Dauid Iouã de proficiscendo in aliquod oppidorum Iudææ consuluit. Ac iubẽte Ioua proficisci, rogauit, in quod'nam proficisceretur? Cui ille respondit, Hebronem. Itaꝗ profectus est eò Dauid cum suis duabus uxoribus, Achinoama Iezraelẽsi, & Abigaile Nabalis Carmelitæ coniuge: comitesꝗ suos cum sua quemꝗ familia eòdem duxit, atꝗ in oppidis Hebronijs sedem cæperunt. Eò profecti Iudæi, Dauidem Iudaici nominis regem unxerũt. Deinde certior factus Dauid de Iabẽsibus Galaaditis, qui Saulum sepeliuissent, misit illis

Dauid Hebrone rex creatur. 2.Mach.2.f 1.Reg.31.d

Dauid Iabesensibus ob sepultũ Saulũ gratias agit.

sit illis nuncios cum his mandatis: Gratias ago uobis à Ioua, qui dominum uestrum Saulum uestra ista erga eum pietate sepelieuritis. Itaq; Iouam precor, uobis ut istud beneficium atq; officium rependat: & ego me talem erga uos

B præstabo, qualem uestro isto tam præclaro facinore dignum est. Et nunc confirmate uos, & uiros præstate. Nam mortuo domino uestro Saulo, Iudæi me sibi regem unxerũt.

Abner Isbosethum regem creat.

a Latinus Gessureos, Græcus Thasiri.

¶ Cæterùm Abner Neris filius, dux exercitus Sauli, Isbosethum Sauli filium, Mahanaimũ traduxit, regẽq; in Galaaditas, in [a] Assuræos, in Iezraelenses, in Ephraimitas, & Beniamitas, deniq; in uniuersos Israelitas cõstituit. Erat autem natus annos quadraginta Isbosethus Sauli filius, cum regnum in Israelitas iniŋt: regnauitq; duos

C annos, tantum Iudæis Dauidem sequentibus, in quos quidẽ Iudæos Dauid Hebrone regnauit per spacium septem annorum & sex mensiũ. ¶ Abner autem Neris filius, cum Isbosethi Sauli filij seruis, Mahanaimo ad Gabaonem profectus est. Aduersus eum cũ Ioabus Saruiæ filius, Dauidicos eduxisset, obuiã inter se apud Gabaoniã piscinã facti, alteri ex altera piscinæ parte constiterunt. Tum Abner Ioabum hortatus est, ut procederẽt iuuenes, & in ipsorum conspectu [b] luderent. Assensoq; Ioabo, in mediũ processerũt pares numero, uidelicet duodecim Beniamitæ ab Isbosetho, & totidẽ Dauidici: qui prehẽsis alteri alterorum capitibus, latera sibi mutuò gladijs cõfoderunt, simulq; occubuerũt, ex quo locus ille fundus inuictorum est nominatus, apud Gabaonem positus:

b hoc est, dimicarẽt.

Dauidici. & Isbosethani alteri ab alteris interfecti.

D cõmisso'que acerrimo eo die prelio, uictus est Abner & Israelitę à Dauidicis. ¶ Erãt illic tres Saruiæ filij, Ioabus, Abisæus, & Asael pedum uelocitate par syluestribus capris. Is Abnerem ita persequebatur, ut ab eo neutram in partem deflecteret. Tum Abner respexit: &, Tu'ne es Asael? inquit. Sum, inquit ille. Deflecte (in-

Asael Abnerem persequitur.

E quit Abner) ad dextram, aut ad sinistram: & iuuenum aliquem comprehende, cui arma auferas. Cumq; nollet Asael ab eo persequendo deflectere, addidit Abner: Desine me persequi, ne si ego te prostrauero, in Ioabi fratris tui conspectũ uenire non audeam. Cumq; ille desistere renueret, Abner hastilis parte posteriore illius inguina transadegit: atq; ille ibi collapsus, eodẽ in uestigio mortuus est. ac quicunq; in eum locũ uenerãt, in quo occubuerat Asael, consistebant. ¶ Cum autẽ Abnerẽ persequentes Ioabus & Abisæus, ad collẽ Ammam Giæ oppositum, quà itur in saltũ Gabaonium, occidente sole peruenissent: Abner, ad quem se Beniamitæ congregauerant, & facto agmine in cuiusdam collis uertice constiterant, ad Ioabum huiusmodi uerbis clamauit: Semper'ne sæuient gladij? an ignoras, hoc tandem doliturum esse? Nunquam'ne militibus imperabis,

Abner Asaelem occidit.

G ut à suis fratribus persequendis desistant? Et Ioabus: Per Deum immortalem, si istud dixisses iam à mane, desiissent milites suos fratres persequi. Hæc locutus, receptui cecinit, & omnes milites Israelitas persequi destiterũt: omissoq; prælio, Abner cum suis, tota nocte itinere per campos cõtinuato, Iordanem traiecit: peragrataq; [c] Bethrone, Mahanaimum peruenit. Ioabus autem ab Abnere persequendo reuersus, milites omnes congregauit, desideratis ex Dauidicis undeuiginti, præter Asaelem: occisis autem à Dauidicis Beniamitarũ & Abnerianorum trecentis sexaginta. Ioabus autem & sui sublatum Asaelem in sepulchro eius patrio Bethlehemæ sepelierũt: factoq; tota nocte itinere, Hebronem sub diluculum peruenerunt.

Ioabus receptui canit.

c Latinus, Bethorone

CAPVT III.

FVit autem lõgum bellũ inter Sauli domũ, & Dauidis, inualescente in dies Dauide, Sauli autem domo inclinãte. Nati sunt Dauidi filij Hebrone: quorũ natu primus fuit Amnon, ex Achinoama Iezraelensi: alter Cheleabus, ex Abigaile Nabalis Carmelitæ coniuge: tertius Absalomus, Maachę filius, Thomais regis Gessuris filiæ: quartus Adonias, Haggithæ filius: quintus Saphatias, Abitalis filius: sextus Iethraamus, ex Egla coniuge Dauidis. Hos sustulit Dauid Hebrone. Interea durante inter Sauli domũ & Dauidis bello, Abnerem (qui Saulinam domum tuebatur) reprehendit Isbosethus, quòd cum Sauli patris sui concubina B (ea erat Respha Aiæ filia) rem habuisset. Qua Isbosethi reprehensione maiorem in modum iratus Abner, respondit in hanc sententiam: Adeò ne tibi sum canino capite uilior, ut mihi (qui meo planè beneficio Sauli patris tui domum, cognatos, amicos, aduersum Iudæos tutatus, te Dauidi nõ dediderim) hodie noxam muliebrẽ imputes? At Abneri ne sit propitius Deus, ni Dauidi, quod ei Ioua iurauit, præstabo: ablatoq; à Sauli familia regno, Dauidis solium, tum in Israelitas, tum in Iudæos, à Dane ad Bersabam usq;, stabiliam. Ad hæc Abneris uerba, ille præ eius metu ne uerbum quidẽ respõdere ausus est. ¶ At Abner legatos ad Dauidem misit suo nomine, qui nunciarent ei patẽre regionem, feriret secum fœdus, sese ei suas uires accommodaturum esse, ad omnes Israelitas ad eum transferendos. C Cui Dauid respondit, sibi placere fœdus cum eo percutere: sed se unum ab eo petere, ne prius in suum conspectum ueniret, quàm Sauli filiam Micholem secũ adduxisset. ¶ Deinde ab Isbosetho Sauli filio, missis ad eũ legatis, petijt, ut sibi coniugem suam Micholem redderet, quam ipse sibi [a] centum Palæstinorum præputiorum dote quæsiuisset. Tum Isbosethus eam accersendam curauit ab eius uiro Phaltiele, Lais filio: qui postquam eam flens ad Bahurim usq; secutus est, iussus ab Abnere reuerti, paruit. Habuit autem Abner orationẽ apud senatores Israelitas, qua eos hortatus est, ut Dauidem, quem antea sibi regem depoposcissent, nunc facerent. Nam de Dauide hoc dixisse Iouã, sese sui Dauidis opera, suum Israelitarum populum ab iniuria tum Palæstinorum, tum omnium hostium, esse defensurum. Atq; eadẽ de re etiã apud Beniamitas locutus, Hebronem se cõtulit, ad exponendum Dauidi, quid Israelitis, & quid Beniami- D

Dauidis filij. 1. Para. 3. 4

Abner ad Dauidem deficit.

Dauid ab Isbosetho Micholem reposcit.

a ducẽta de derat. sed ideo centẽ dicit, quia cẽtum petierat Saulus.

Abner Israelitas Dauidi cõciliat.

tarum

tarum nationi placeret. Eò postquã uenit, Dauid ei, eiusq; comitibus, qui uiginti erant, cœnam dedit. Et Abner Dauidi suasit, ut se dimitteret ad congregandum ad regem dominum suum, omnes Israelitas, qui cum eo fœdus facerent, ut regnaret arbitrio suo: dimissusq; à Dauide, cũ pace digressus est. ¶ Interea Ioabus cũ Dauidicis ab incursione multam agẽs prędam aderat, cum iam Abner Hebrone apud Dauidem non esset, quippe ab illo composita pace dimissus. Igitur Ioabus cũ omni reuersus exercitu, postquam certior factus est, Abnerẽ Neris filium uenisse ad regem, & ab eo cum pace

Abner à Dauide accipitur.

1.Reg.2.a

E dimissum, discessisse: regem adit, demonstrat, eum nõ rectè fecisse, qui Abnerem Neris filiũ, qui ad eum uenisset, discedere siuerit. Sciret illum, ad se decipiendum, & ad explorandum suas consuetudines & omnia negocia uenisse. Deinde à Dauide digressus, nuncios ad Abnerẽ misit: per quos ille à Borsira inscio Dauide reuocatus, Hebronem reuersus est. Eum Ioabus ad mediam portã, per amici colloquij speciem, seduxit: & haustis ilibus, propter Asaelis fratris sui cædem, peremit. ¶ Quod ubi postea audiuit Dauid, in hæc uerba locutus est: Iouam ego in perpetuũ testor, me meumq; regnũ à cædis Abneris Neris filij culpa abesse: atque hæc Ioabi capiti, totiq; eius patriæ imprecor fami-

Ioabus Abnerẽ interficit.

Abnerẽ deplorat Dauid.

F liæ, ne desit unquam ex eius stirpe qui genituræ fluxu laboret, qui sit leprosus, qui baculo innitatur, qui ferro trucidetur, quiq; uictu indigeat. Deinde Ioabo (qui Ioabus unà cũ Abisæo fratre suo Abnerem propterea occiderat, quòd ab illo Asael ipsorũ frater apud Gabaonem in pugna fuerat interfectus) omnibusq; qui aderãt præcepit, ut laceratis suis uestimentis, & centones amicti, Abnerem antecedentes lugerent. Ipse rex feretrum secutus, Abnere Hebrone sepulto, apud eius sepulchrum, toto plorãte populo, ploratum edidit, superq; Abnere lamentatus est in hęc uerba: Nequaquam facinorosorum morte interijt Abner. Non tibi uinctæ manus, non tuis admotæ pedibus catenæ fuerũt: occubuisti, quomodo qui per homines sceleratos occũbunt. Tum uniuersi ploratum redintegrarunt.

G Deinde ad Dauidem omnes uenerunt, ut cum eo cibum caperent, dum adhuc dies esset. Verùm Dauid interposito iureiurãdo, Deum sibi aduersum precatus est, si ante solis occasum panem aut ullam rem gustaret: id quod ab omnibus approbatũ, totumq; regis factum omnium est sententia laudatum: intellexit'que eo die cunctus populus & cuncti Israelitæ, regem Abneris Neris filij cædis autorem non fuisse. Demonstrauit etiam rex suis, hominem Israelitarum principem primariumq; eo die occubuisse: se quidem planè infirmum, unctum esse regem, illos autem Saruiæ filios potentiores esse quàm se: Iouam precari, ut sceleratis scelerum digna rependeret.

CAPVT IIII.

HAc Abneris apud Hebronem morte audita, Sauli filius animum despondit, omnesq; Israelitæ perturbati sunt. Habebat autem Sauli filius homines duos, militũ duces, unum nomine Baanam, alterũ Rechabum, Remmonis Berothitæ filios, Beniamitas: nam Berotha etiam in Beniamitis habetur: & fugerunt Berothitæ Gethaimum, ubi ad hanc diem cõmorati sunt. ¶ Habuit & Ionathã Sauli filius filiũ B læsis pedibus, qui à nutrice annos quinq; natus, audito quid Saulo & Ionathani apud Iezrael accidisset, sublatus, illa trepidãtius fugiente, ceciderat, & claudus factus fuerat. Ei nomen erat Mephibosethus. Hi Remmonis Berothitæ filij Rechabus & Baana, feruente die, Isbosethi domum introgresi, qui tum in cubili meridiabatur, & in mediam domum [a] per speciem capiendi tritici progresi, ilia ei perfoderunt, atq; euaserunt. Nam domum ingresi, illum in lecto in cõclaui sui cubiculi iacentem, occiderunt, necatoq; caput abstulerunt: quod secum ferentes, per campos tota nocte itinere facto, ad Dauidem Hebronem attulerunt, regemq; ita allocuti sunt: Ecce caput Isbosethi, C Sauli filij, hostis tui, qui tibi necem moliebatur. Hodierno die Ioua tibi, Domine rex, supplicium de Saulo, deq; eius stirpe, sumpsit. At Dauid Rechabo & Baanæ fratribus in hunc modum respondit: O' Ioua uiuens, qui uitam meam ex omnibus periculis asseruisti, ego illum qui mihi Sauli mortem (lætũ se ferre nun- D cium arbitratus) nunciauit, comprehendi, & apud Siceleg pro nuncij præmio interfeci: & à uobis hominibus impijs, qui hominẽ innocentem, domi suę, in suo cubili iugulastis, illius sanguinis pœnas non expetam, uosq; ex orbe terrarum auferam? Tum iuuenibus imperauit, ut illos interimerent, abscissasq; eorum manus & pedes supra piscinam apud Hebronem suspenderent, & Isbosethi caput in Abneris sepulchro Hebrone sepelirent.

Mephibosethus Ionathanis filius.

a Grecè, cũ quidẽ ædium ianitrix (quæ triticum euellebat) somno oppressa dormiret.

Dauid Isbosethi cæsores interfici iubet.

CAPVT V.

DEinde omnes tribus Israelitarum ad Dauidem Hebronem conueniunt, eiq; demonstrãt, sese eius esse cognatos & cõsanguineos, quo duce (etiam antea regnante Saulo) usi fuerint Israelitæ: Iouam ei sui populi Israelitici gubernationẽ destinasse: eumq; imperium in Israelitas habiturum. ¶ Tum rex Dauid cum omnibus Israelitarum senatoribus, qui ad eum Hebronẽ conuenerant, fœdus Hebrone apud Iouam fecit, atq; ab illis rex Israelitarũ unctus est, annos tum natus triginta. Regnauit autem annos quadraginta: scilicet Hebrone in Iudæos, annos septem & sex menses: Hierosolymis autẽ in omnes Israelitas atq; Iudæos, annos tres & triginta. Aggressus est autẽ rex cum suis Hierosolymã aduersum Iebusæos incolas, B illisq; Dauidem negantibus eò irrupturũ esse, nisi cęcos claudosq; sustulisset, quòd irrupturũ esse non arbitrarentur: arcem Sionẽ cæpit, quę Dauidis est urbs. eoq; die pronũciauit Dauid, quisquis Iebusæos uicisset, & ad canalem pertigisset, claudosq; & cæcos Dauidi inuisos † ex quo natum est dictũ illud: Cæcus & claudus domum ne intrent. Habitauit autem Dauid in arce, eamq; Dauidis urbem appellauit, & cir-

Dauid ab uniuersis Israelitis rex creatur.

1.Para.12.a

3.Reg.2.c

Dauid Sionem expugnat.

cumquacꝫ à Mellone introrsus ædificauit, crescebatq; in dies eius potestas, Iouæ Dei armipotentis præsidio. ¶ Misit autẽ ad eum Hiramus rex Tyri, legatos, materiamq; cedrinam, & fabros lignarios, lapidariosq;, ad parietes, qui ei domum construerent: intellexitq; Dauid, se regem Israelitarum à Ioua esse creatum, suumq; regnũ ab illo ob ipsius populum Israelitas, esse constitutum. Duxit præterea uxores tum concubinas, tum iustas, ex Hierosolymitanis, postquam Hebrone uenit: ex quibus etiã alios utriusque sexus liberos procreauit. quorum Hierosolymis natorũ nomina sunt, Sammua, Sobabus, Nathan, Solomo, Iebahar, Elisua, Nephegus, Iaphia, Elisama, Eliada, & Eliphaletus. ¶ At Palæstini, postquã Dauidem Israelitarum regem unctum intellexerunt, expeditionem uniuersi aduersus eum fecerunt: quo audito cũ Dauid in arcẽ descẽdisset, illi in ualle gigantũ tetenderunt. Tum Dauid Iouam ita consuluit: Aggrediar'ne Palæstinos? eos'ne tu mihi in manum trades? Cui Ioua: Aggredere, inquit: nã Palæstinos ego tibi in manum tradam. Tum Dauid ad Baalpharasimum profectus, illos ibi uicit, atque ita dixit: Fudit Ioua hostes meos ad meum conspectum, sicuti funditur aqua. Inde locus ille Baalpharasimum est nominatus, ubi relicta ab illis ipsorum simulachra Dauid cum suis hominibus abstulit. At Palæstini iterata expeditione, iterum in Gigantum ualle tetenderunt: & Dauid consuluit Iouam, à quo iussus est non ascendere, sed longiore circuitu à tergo, qua mori in frontem patebant, adire: ac simulac gressus sonitum in mororum cacuminibus audiuisset, inuadere: tunc enim Iouam ei ad concidenda Palæstinorum castra præiturum esse. Quibus Iouæ præceptis cũ Dauid paruisset, Palæstinos à Gaba ad Gazer usq; fudit.

Hiramus rex Tyri legatos mittit ad Dauidem. 1.Para.4.a — C — *Dauidis filij.* 1.Para.3.b — 1.Para.14.b c.d — Esa.28.f — *Dauid Palæstinos uincit.* — D — *Baalpharasimum locus.*

CAPVT VI.

DEinde congregatis iterum Israelitarum lectissimis triginta millibus, profectus est cum suis omnibus Iudaicis copijs ad transferendam arcam diuinã, in qua nomen, nomen Iouæ armipotentis, Cherubis insidentis, inuocabatur. Hanc illi arcam diuinam, nouo plaustro impositam, ex ædibus Abinadabi Gabaa abstulerunt, Oza & Ahione Abinadabi filijs plaustrum nouum agentibus, Ahione arcam præcedente: Dauide autem, tota'que Israelitica stirpe, ludentibus ante Iouam, omne genus pineis instrumentis, & citharis, nablis, tympanis, tibijs, & cymbalis. Vbi ad Nachonis areã uentum est, Oza arcam, boum agitatione nutantem, admota manu sustẽtauit: qua re iratus Ioua Deus, eum ibi, ob temeritatem, apud diuinam arcam occidit ac interemit. Eam Ozæ à Ioua strati cædem ægrè tulit Dauid, eum'que locum Ozæ stragem appellauit, quod nomen adhuc manet. Tum Dauid Iouam ueritus, eius arcam ad se admittere non ausus, eam ad se in urbẽ Dauidis inuehi noluit, sed in ædes Obededomi Gethani intulit, ubi ea tres mẽses fuit: beauit'que Ioua Obededomum, & totam eius domum. Quod postquam Dauidi regi nunciatum est, Obededomi domum, omnesq; facultates, à Ioua, propter arcam diuinam, auctas esse: profectus eò, arcam diuinam ex Obededomi ædibus in urbem Dauidis lętus infert: cum quidem progressis qui Iouæ arcam portabant, senos passus, singulos boues atq; arietes opimos immolaret, totis'que uiribus ante Iouam, lineo amictus ephodo, saltaret. Ita cum arca Iouæ à Dauide, omniq; Israelitarum stirpe, cum læto clamore, tubarum'que sonitu, duceretur: ubi in urbem Dauidis uentum est, Michol Sauli filia per fenestram prospiciens, tripudiantem saltantemq; coram Ioua Dauidem conspicata, eum in animo suo despexit. Postquam introducta arca, & in suo loco in tabernaculo, quod ei Dauid tetenderat, collocata est, Dauid solida sacrificia apud Iouam, & pro salute fecit. Iis peractis, populo per Iouæ nomen armipotentis bene precatus est, & in omnem Israelitarum multitudinem uiritim, tum in uiros, tum in fœminas, partitus est singulas panis collyridas, offasq;, & uini lagenas, atq; ita domum omnes discesserũt. ¶ Tum Dauid ad fausta precandum domui suæ se conuertit. cui obuiam progressa Michol Sauli filia, eum sic alloquitur: O quanta fuit hodie regis Israelitarum grauitas? qui se hodie, spectãtibus suorum seruorum ancillis, non aliter uulgauerit, quàm se solẽt uulgare nebulones. Cui Dauid: Coram Ioua, inquit (qui me tuo patri, toti'que eius stirpi præpositum, iussit suo Israelitico populo imperatorem esse) coram Ioua, inquam, lusi, multoq; magis me demittam, & meo iudicio humilis, apud ancillas, de quibus tu locuta es, apud eas inquã, grauis ero. Igitur Michol Sauli filia[a] nullos per omnẽ uitã liberos habuit.

1.Para.13.b — *Iouæ arca Hierosolymam portatur.* 1.Reg.7.d — 1.Par.15.b — B — *Oza ob tactã arcã occisus à Ioua.* — *Dauid arcã in Obededomi domũ infert.* — *Dauid arcam in Dauidis urbẽ inuehit.* C — *Dauid populo cõgiarium dat.* D — *Michol Dauidem obiurgat.*

[a] scilicet ex Dauide. Nam ex Adriele quinque filios habuit. c. 21.

CAPVT VII.

POstquam rex ab omnibus undique hostibus quietem Iouæ beneficio consecutus, domi suæ consedit, Nathani uati proposuit, absurdum esse, cum ipse in cedrina domo maneret, Dei arcam in linteis manere. Cui Nathan respondit: faceret sanè quicquid in animo haberet, Iouam enim ei adesse. Sed ea nocte Ioua Nathanem sic allocutus est: I renunciatũ hæc meo Dauidi. Sic dicit Ioua: Tu'ne mihi domũ ad habitandum construes? qui, ex quo Israelitas ex Aegypto eduxi, ad hunc diem, domum non habitaui, sed in tentorio atque tabernaculo uersatus sum. Quandiu inter omnes Israelitas uersatus sum, ecquod ulli præsidum Israelitarum (cui meos Israelitas regendos mandauerim) uerbũ feci, de construenda mihi domo cedrina? Quamobrem sic dicit Ioua armipotens (dices meos Dauidi) Ego te à caula, à procuratione balatum, asciui, ut mei Israelitici populi imperator esses: tibiq; omnibus in rebus adfui, & excisis omnibus tuis hostibus, tantum tibi nomen conciliaui, quantum est eorum qui sunt in terris maximi: meis'que Israelitis locum statui, ubi quasi consiti, ibidem permaneant, neque amplius perturbentur, neque deinceps ab improbis subigantur, sicuti cùm olim, tum

Dauid fanum ædificare statuit. 1.Par.17.a — *Ioua Nathani uati ad Dauidẽ præcepta dat.* — B — 1.Reg.16.a

ex quo

4.Reg.8.c

ex quo tempore ego præsides meis Israelitis præposui. Igitur tibi (inquies) ab omnibus hostibus tuis quieto reddito, nunciat Ioua, se domum esse instructurum. Cum plena ætate cum maioribus tuis obdormiueris, suscitabo prolẽ tuam post te, ex tuo uentre egressam, cuius regnum confirmabo. Is meo nomini domũ construet, eiusq; regni solium in perpetuum stabiliam. Ego ei pro patre, ipse mihi pro filio erit: ac si quid deliquerit, ego in eum humana uirga, humanis plagis animaduertam: neque eum mea benignitate priuabo, sicuti Saulum priuaui, quem ex tuo conspectu sustuli, tibiq; firma domus & regnum, & stabile solium permanebit in sempiternũ.

2.Reg.5.4 1.Par.22.c Heb.1.b

C

Dauid agit Iouæ gratias, qui se regem fecerit.

¶ Hæc omnia uerba, omneque oraculũ cũ Nathã exposuisset Dauidi, iuit rex Dauid ad Iouam, & apud eum ita locutus est: Quis ego sum, ô Domine Ioua, aut quę mea stirps est, ut me hucusq; adduxisse parum tibi uisum fuerit, Domine Ioua: nisi etiam meę, qui tuus sum, stirpi in longinquum humano more prospiceres? Domine Ioua: Quid iam tibi Dauid amplius dicet? cum tu me tuum noueris, Domine Ioua, qui tũ propter promissum tuũ, tum quia sic tibi uisum est, fecisti ut hæc tot, tã singularia, mihi tuo repręsentares. Ergo ita magnus es, Ioua Deus, ut nõ solum nemo par tibi sit, sed ne Deus quidem sit ullus præter te, ut quidem ipsi nostris auribus audiuimus. Ecquę omnino gens est cum tuis Israelitis in orbe terrarum conferenda? quàm dij redemptum iuerint, ut eam pro sua haberent, ut ei famam conciliarent, ut eius causa tam inaudita & terribilia faceret, quàm tu tuę terrę fecisti in tuorũ gratiam,

D

quos tibi ex Aegypti tum gentibus tum dijs redemptos, sempiternum tibi populum Israeliticum stabiliuisti: teq;, Ioua, ei Deum præbuisti. Quamobrem, ô Ioua Deus, quod tu mihi tuo, meæq; stirpi pollicitus es, præsta in perpetuum, & ita promissis. Ita semper magnum erit nomen tuum, Iouaq; armipotens Deus Israelitarum prędicaberis, & domus tui Dauidis per te stabilis erit. Nam tu, Ioua armipotens, Deus Israelitarũ, mihi significasti, te mihi domum esse instructurum: quæ causa fuit, ut tuus ego tibi has ferre preces animũ inducere ausus sim. Quapropter, Domine Ioua, tu Deus es, ueraq; futura sunt promissa tua. Promisisti autem mihi hoc beneficium. Igitur age iam, perfice tuo fauore, ut mea, qui tuus sum, propago, per te perpetuò maneat. Nã tu, Domine Ioua, promisisti futurum, ut mea propago tuo sit fauore felix in sempiternum.

CAPVT VIII.

Vincit Dauid Palæstinos, & Moabitas, & Adarezerum.

POstea uicit Dauid Palæstinos, eisq; subactis, ab eis Methegammam abstulit. Vicit & Moabitas, quos ad terrã prostratos sorte dinumerauit, & in tres partes diuisit: quarum duas morti destinauit, tertiam totam conseruauit: subiectosq; sibi Moabitas, uectigales habuit. Vicit item Dauid Adarezerum Rochobi filium, Sophenæ regem, tum cum profectus est ad porrigendum imperium suum ad fluuium Euphratem, & ab eo mille septingentos equites cæpit, & uiginti millia peditum: corruptis omnibus curribus, præter centum, quos reliquos fecit. Præterea Syrorum Damascenorum (qui Adarezero Sophenæ regi subsidio uenerant) uigintiduo millia occidit: subactæq; Syriæ Damascenorum, & stipendiariæ redactæ, præsidia imposuit, Ioua eum omnibus in expeditionibus tutãte. Cæpit & pharetras aureas Adarezerianorum, quas Hierosolymam intulit. G. quas postea Sesacus Aegypti rex abstulit in ea expeditione, quam Roboami Solomonis filij temporibus fecit in Hierosolymam. H. Item ex Betha & Berothai, oppidis Adarezeri, ingẽtem uim æris abstulit rex Dauid, G. L. ex quo fecit Solomo rex lacum æreũ, & columnas, L. & altare G. & lauacra, omniaq; uasa.

B

C

Thois Hemathæ rex Dauidi gratulatur.

H. Postquam intellexit Thois Hemathæ rex, Adarezeri uires omnes à Dauide fractas, misit Ioramum filium suum ad regem Dauidem, qui ei salutem diceret, de'que debellato cæso'que Adarezero gratularetur (nam Thoi bella cum Adarezero intercesserant) secumq; argentea, aurea, ęreaq; uasa ferret: quæ quidem rex Dauid Iouæ consecrauit, unà cum argento & auro, quod cùm de omnibus à se subactis gentibus, Syris, Moabitis, Ammonitis, Palæstinis, & Amalechitis, tum de spolijs Adarezeri Rochobi filij Sophenæ regis, consecrauit. Magnũ quoq; sibi nomen peperit, cum reuersus est, cæsis in ualle salis, Syrorum octodecim millibus,

D

L. & apud Gebelem ad uiginti tria millia. H. Quinetiam Idumææ, & quidem uniuersæ præsidia imposuit, omnibusq; Idumæis imperauit, à Ioua in suis omnibus expeditionibus defensus. Regnauit in omnes Israelitas, seq; erga suos omnes ex iure & æquo gessit.

Dauidis officia.

Exercitus ducem habuit Ioabũ Saruiæ filium. A' commẽtarijs Iosaphatum Achiludi filium. Pontifices, Sadocum Achitobi, & Achimelechum Abiatharis filiũ. Scribam Saraiam. Ceretheorum & Phelethęorũ præfectũ Banaiam Ioaidę filiũ. Dauidis autẽ filij erant [a] antistites,

[a] pręcipui, quibus in primis utebatur.

CAPVT IX.

1.Par.18.a

QVæsiuit etiam Dauid, an ullus adhuc ex Sauli genere superesset, inquẽ beneficia, propter Ionathanem, conferret.

Siba Sauli famulus.

Erat quidam Sauli seruus domesticus, nomine Siba: quẽ ad se uocatum Dauid, interrogauit an esset Siba. Fatentẽ rogauit, ecquis adhuc de Sauli genere superaret, ut eũ diuino beneficio afficeret.

B

Siba regi respõdit, superesse Ionathanis filium, pedibus læsum. Interrogatus, ubi'nam esset: respondit, esse domi Machiris, Ammielis filij, Lodabare.

Dauid Mephibosethũ accersit.

Tum rex Dauid misit qui illũ Lodabare, domo Machiris Ammielis filij, accerserent. ¶ Ac postquam uenit ille Mephibosethus, Ionathanis filius, Sauli nepos, & Dauidi ad pedes suppliciter accidit, Dauid eum sic allocutus est: Mephibosethe. Cui ille: Ecce me tuum. Et Dauid: Bono es animo, inquit: nam ego te beneficijs afficiam, propter Ionathanem patrem tuum, tibi'que omnes agros Sauli aui tui reddam, faciamq; ut ad mensam meam semper cibum capias. Atq; ille supplex:

C

Quis ego sum, inquit, ut tu me, mortuo cane uiliorem, respicias? Tum Dauid uocato Sibæ Sauli famulo, dicit: Quicquid Saulus eius'que tota domus habuit, id domini tui [a] filio do. Tu ei terram coles cum tuis filijs atque seruis, prouetum'que uehes, quo uictu utatur ipse. Nam

a Micha

D Mephibosethus quidem, domini tui filius, mihi perpetuò conuictor erit. Habebat autem Siba filios quindecim, & seruos uiginti. Itaque regi respondit, facturum se quicquid ille iussisset. Ergo cibum capiet ad mensam meam Mephibosethus (inquit ille) sicut unus de filijs regijs. Habebat autẽ Mephibosethus paruulum filium, nomine Micham: omnisq; Sibæ familia Mephibosetho seruiebat. Mansit igitur Mephibosethus Hierosolymæ: nam perpetuus regi conuictor fuit, claudus utroq; pede.

CAPVT X.

Dauid mittit qui Hanonẽ de patris morte consolentur.

1.Par.19.a

Postea mortuo rege Ammonitarum, cum eius filius Hanon ei in regno successisset, Dauid, ut Hanoni Nahæ filio, pro beneficijs, quibus ab illius patre fuerat affectus, gratiam referret, misit ad illum suos, qui eum de patre consolarẽtur. Qui postquam in fines Ammonitarum peruenerunt, persuaserunt Ammonitarum principes Hanoni domino suo, Dauidem non ipsius patris apud eum honorandi causa consolatores, sed potius speculandæ, explorandæ, euertendæ'que urbis gratia, seruos suos ad eum misisse. Itaque cæpit Hanon seruos Dauidis, eis'que barbæ dimidium rasit, & medias uestes ad nates usque abscidit, atq; ita

B eos dimisit. Qua de re certior factus Dauid, misit illis obuiam (nam eos magnopere pudebat) iussit'que ut Hierichunte manerent, redituri postquam eis barba creuisset. ¶ Tum Ammonitæ intelligentes Dauidem sibi infensum esse, mercede accersiuerunt Syrorum Bethrohohanorum, & Syrorum Sophenorum, uiginti millia peditum, regem'que Maacham cum mille, & Istobum cum duodecim millibus hominum. Quod ubi intellexit Dauid, misit aduersus illos Ioabum cum fortissimorum exercitu. Ioabus (cum Ammonitæ progressi, aciem ante portam instruxissent, Syri autẽ Sopheni & Rohohani, & Istobus, & Maacha, seorsum in agris) intelligẽs sibi prælium & à fronte imminere, & à tergo, delectos ex omni Israelitarum robore aduersum Syros ordinauit: reliquos

Ioabi de Ammonitis uictoria.

C fratri suo Abisæo, qui Ammonitis opponerẽtur, tradidit, cum huiusmodi præceptis: Si me Syri prement, tu mihi feres auxilium: sin te Ammonitæ prement, ego ueniam tibi subsidio. Præsta te fortem, & pro populo nostro, proq; urbibus Dei nostri fortiter pugnemus, & Ioua faciet quod ei uisum fuerit. Hæc locutus Ioabus, suis copijs prælium cum Syris commisit. quibus ab eo in fugam uersis, Ammonitæ, uisa Syrorum fuga, uerterunt & ipsi terga Abisæo, patriamq; repetiuerunt. Ita reuersus ab Ammonitis Ioabus, Hierosolymam uenit.

D ¶ Tũ Syri uidentes, se ab Israelitis uictos esse, coiuerunt: accersitiq; ab Adarezero Syri, qui trans flumen incolebant, adfuerunt cum suis copijs, eis'que præfuit Sobachus dux exercitus Adarezeriani. Quod postquam est Dauidi nunciatum, coegit omnes Israelitas. & traiecto Iordane, ad Helamam peruenit: ubi congressos secum prælio Syros in fugam uertit, cæsis eorum septingentis quadrigarijs, & quadraginta millibus equitum, occisoq; ibi Sobacho Adarezeriani exercitus duce. Tum uidentes omnes reges Adarezeri clientes, se ab Israelitis esse superatos, pacem cum Israelitis fecerũt, & eis stipendiarij facti sunt: metuerunt'que Syri deinceps Ammonitis auxilium ferre.

Dauid Syros uincit.

CAPVT XI.

1.Par.20.a

Deinde ineunte uere, quo tẽpore solẽt reges in expeditiones proficisci, misit Dauid Ioabum & suos cum eo, omnes'que Israelitas, qui profligatis Ammonitis, Rabbam obsederunt. Dauid autem, qui tum Hierosolymis manebat, cum per tempus pomeridianum de cubili suo surrexisset, & in tecto regiæ domus ambularet, animaduertit de tecto mulierem quandam lauantem, singulari formæ pulchritudine. Tum missis qui de muliere percontarentur, ubi didicit Bethsabam esse, Eliami filiam, Vriæ Hettæi coniugem, curauit eam per nuncios accersendam, & cum ea rem habuit. Ea postquam [a] ab impuritate sua lustrata est, domum suã redijt. Deinde cum grauida esset, misit Dauidi nunciatum, se prægnantem esse. ¶ Tũ Dauid Ioabo significauit, ut sibi Vriam Hettæum mitteret. Qui postquam ab illo missus, ad Dauidem uenit, Dauid ex eo sciscitatus quo in statu Ioabus, quo exercitus, quo bellum foret, iussit eum in domum suam descendere, pedes'que lauare: [b] illumq; regia egressum, secutum est regium ferculum. Sed Vrias pro foribus regiæ cum omnibus domini sui stipatoribus cubuit, neque in domum suam descendit. Quod ubi resciuit Dauid, Vriam in domum suam non descendisse, quæsiuit ex eo Dauid, cur peregrè reuersus, in domum suam non descendisset. Cui Vrias respondit: Arca & Israelitæ, & Iudæi in umbraculis manent, & dominus meus Ioabus, domini'que mei milites sub dio castra habẽt: & ego domum meam ibo ad epulandum & potandum, & ad cubandum cum mea coniuge? At ita tibi uitam felicem precor, ut istud non faciam. C Tum Dauid illi præcepit, ut illic maneret etiam eo die: sese postridie eum dimissurum esse. Itaque mansit Vrias Hierosolymis eo die, & postero. Ac uocatus à Dauide, & apud eum epulatus, potu'que ab eo inebriatus, uespere exijt ad cubandum in cubili suo cum stipatoribus domini sui, neq; domũ suã descẽdit. ¶ Manè scripsit Dauid epistolam ad Ioabum, quam per Vriam misit: in qua illi scripsit, daret operam, ut Vrias in prima acie, quà maximè præliũ urgeret, collocaretur, ut'que à cæteris destitutus occideretur. Igitur Ioabus urbem circumsidens, Vriam in eiusmodi loco statuit, ubi sciebat uiros esse fortissimos. Itaque egressis oppidanis, commissa'que ab illis cum Ioabo pugna, ciciderunt cùm alij ex Dauidicis, tum ipse Vrias Hetteus.

Dauidis adulterium.

a foris mĩsit polluta ad uesperũ, ob cõcubitum, ut iubebat lex, Leuit.15

B

b misit ei rex de sua cœna.

Vriæ mors

Tum

Tum Ioabus nuncium ad Dauidem misit, qui ei totam prælij rationem exponeret: eiq; præcepit, ut postquam regi totam prælij rationem narrauisset, si rex ira correptus, dixisset, non debuisse eos urbem cominus oppugnare, an nesciret solere de mœnibus tela mitti? à quo enim occisum esse Abimelechum [c] Ierobosethi filiū? nonne deiecto in eum à fœmina de muro, molæ fragmine, apud Thebem interfectū fuisse? cur muris successissent? ut inquam responderet: Etiam tuus Vrias Hettæus oppetijt. Nuncius ad Dauidem profectus, ei omnia Ioabi mandata exposuit, atque ita retulit: Cum illi nobis uiribus superiores, in agros processissent, & nos eis ad portam usq; institissemus, sagittarij iecerunt in tuos tela de muris, mortuiq; sunt de regijs cùm alij, tū tuus Vrias Hettæus. Tum Dauid nūcio præcepit, ut Ioabo nunciaret, ne rem illam moleste ferret: eam enim esse belli naturam, ut cædes faciat: urgeret oppugnationem, oppidumq; caperet atq; euerteret: utq; ipse nuncius illum confirmaret. Vxor autem Vriæ, postquam intellexit mortuum esse maritum suum, eum luxit: quo luctu peracto, Dauid eam domum suam asciuit, in matrimoniumq; duxit, & ex ea filium sustulit.

c Ierobaalis, hoc est, Gedeonis. Iud. 9. g

D

CAPVT XII.

Nathā Dauidis flagitiū arguit.

SEd offensus Dauidis facinore Ioua, misit ei Nathanem, qui eum aggressus est his uerbis: Duo homines erant in quadam urbe, alter diues, alter pauper. Diues maiorū minorumq; pecudum magnam copiam habebat. Pauper unam omnino habebat ouiculam, à se emptam & enutritam, quæ unà cū ipso eiusq; filijs adoleuerat, eius cibo uescens, ex eius calice bibēs, in eius sinu quiescens: breuiter, erat ei pro filia. Ad illum diuitem uenit hospes quidam, quem accepturus ille, parsit de suis minoribus maioribus'ue sumere pecoribus: & captā illam pauperis ouiculā, hospiti mactauit. Hic Dauid in hominē magna ira percitus, Nathani sic dicit: Per Iouā immortalem, morte dignus est istius autor facinoris, ouemq; quadruplo pensabit, qui istud committere non dubitauerit. Et Nathan: Tu ille es, inquit. Ego te (inquit Ioua Deus Israelitarum) regē in Israelitas unxi: ego te ab iniuria Sauli defendi: tibi domini tui domum, tibi domini tui uxores complectendas, tibi Israeliticā Iudæamq; stirpem dedi: alia atq; alia insuper daturus, si ea parum essent. Cur tu Iouam, contemptis eius præceptis, scelere tuo offendisti? dum Vriam Hettæum ferro trucidasti, eiusq; uxorem, eo per te Ammonitarum telis interfecto, in matrimonium duxisti. Itaq; à domo tua nunquam abfuturum est bellum: quoniam tu contempto me, Vriæ Hettæi uxorem tibi matrimonio copulasti. Scito, me tibi (inquit Ioua) conflaturum esse malum domesticum, tuasq; coniuges in oculis tuis alteri traditurum, qui cū eis in huius congrediatur conspectu solis. Tu quidem occulte fecisti: sed ego hoc corā omnibus Israelitis luce palàm facturus sum. Tum Dauid: Peccaui in Iouā, inquit. Et Nathan: Ioua quoq; remittit ille quidē tibi

B

Exod. 22. a

C

Eccl. 47. b

peccatum, neq; morieris. Verumtamen, quoniam tu ista re Iouæ inimicis maledicendi occasionem dedisti, filius, qui tibi natus est, morietur. ¶ His dictis Nathan domū discessit. Puerum autē, quē Vriæ coniux Dauidi pepererat, Ioua desperato morbo affecit. Pro eo puero Dauid Iouam orans, ieiunauit, humiq; stratus nocte cubuit. Cumq; eum domestici senatores à terra attollere conarentur, noluit, neq; cū eis cibū sumpsit. Die septimo moritur puer: cuius mortem serui Dauidis ei nunciare uerebantur, quòd conijcerent, eum qui sibi uiuente puero hortantibus obsecutus non fuisset, si mortuum esse diceret, multo magis sese afflictaturū esse. At Dauid mussitantes seruos intuitus, intelligens puerum esse mortuū, quæsiuit ex eis, num mortuus esset? Cumq; illi mortuum esse dixissent, à terra surrexit, lotusq; & unctus, mutatis uestimētis, Iouæ ędem ingressus adorauit. Deinde domum suam ingressus, cibum poposcit: eoq; apposito, epulatus est. Quærētibus suis, quid'nam sibi ea res uellet quam fecisset, ut qui propter puerum uiuentem ieiunasset atq; fleuisset, idem eo mortuo surrexisset, cibumq; cæpisset? respondit: Adhuc uiuente puero ideo ieiunaui, atq; ploraui, quòd incertum esset, an Ioua mei misertus, puerū sanaturus esset. Nunc eo mortuo cur ieiunem? num eum iam reuocare potero? Ad illum ego ibo, non ille ad me redibit. Deinde Dauid Bethsabam uxorē suam consolatus, cum ea rem habuit: & ex ea filium genuit, quem Solomonem appellauit. Hunc Ioua amauit, & Nathanē uatē misit, qui eum [a] Iedidiam, propter Iouam, nominaret. Interea Ioabus Rabbam Ammonitarum oppugnans, regiam urbis partem cæperat: & missis ad Dauidem nūcijs, ei significauit, se Rabbam oppugnauisse, urbisq; partem illā, in qua erat aquatio, cæpisse: cogeret reliquū exercitū, urbemq; adortus caperet, ne si ipse Ioabus eā cæpisset, ea res Ioabi nomini ascriberetur. Itaque Dauid coactis omnibus copijs, Rabbam aggressus expugnauit, aureamq; coronā regis illorum, quæ talentū pendebat, gemmisq; ornata erat, illius capiti detractā, suo imposuit, urbisq; copiosissimā prædā extulit. Oppidanos eduxit, & serris, tribulisq; ferreis & securibus, excruciatos, & per laterariā fornacē traiectos, necauit: idemq; fecit omnibus oppidis Moabitarū, atq; ita Hierosolymam cum omnibus copijs reuersus est.

D

Dauidis filius ex Bethsaba moritur.

E

F

Nascitur Solomo. Mat. 1. a

a hoc est, Iouæ charum.

1. Par. 20. a

G

Capitur Rabba urbs.

CAPVT XIII.

Thamarē sororē suā amat Amnon.

ACcidit postea, ut cū haberet Absalomus Dauidis filius sororem formosam, nomine Thamarē, eam sic efflictim amaret Amnō, Dauidis & ipse filius, ut præ sororis amore ægrotaret, quòd ea uirgo erat, & Amnoni ea potiri difficile factu uidebatur. Habebat autē Amnon familiarem quēdam Ionadabum nomine, Semaæ fratris Dauidis filium, hominem prudentem in primis. Is illum interrogauit, cur ita, qui regis filius esset, in dies macresceret? Hortatusq; est ut id sibi indicaret. Cui Amnon respondit, se Thamarem Absalomi fratris sui germanam deamare. Tum Ionadabus ei suadet, ut

Ionadabus

det, ut in lecto decumbat, morbumq́ simulet. Quòd si ad te uisendum pater tuus uenerit, petes ab eo ut ueniat Thamar soror tua, quæ tibi cibum paret, pulpamentumq́ te præsente conficiat, quod tu uideas, & de eius manu comedas.
B ¶ Igitur decubuit Amnō, morbumq́ simulauit. Cumq́ rex eum inuisisset, petijt ab eo, ut ad se ueniret soror sua Thamar, quæ sibi spectāti duas placentas faceret, quas de illius manu ederet. Itaq; Dauid Thamarē eò misit, iussitq; ut domum Amnonis iret, eiq́ eduliū pararet. Thamar Amnonis fratris sui decubātis domū petijt, farināq́ cæpit, & ea subacta, placētas eo spectante formauit, coxitq́: & sumpta patella, ante eū effudit. Sed Amnon comesse renuens, iussit omnes foras emitti: egressisq́ omnibus, Thamari iussit, ut edulium in cōclaue inferret, ut ipse de illius manu comedendum acciperet.
C Tum Thamar factas à se placentas capit, easq́ ad Amnonem fratrem suum in conclaue illatas, ei comedendas apponit. Ille uerò eam prehendit: &, Ades, inquit, cuba mecū, mea soror. At illa: Noli frater, noli me stuprare, inquit: hoc enim apud Israelitas nefarium est. noli tantum committere flagitium. Nam & ego, quò me uertam cum meo probro? & tu inter flagitiosos apud Israelitas habeberis. Quamobrem colloquere cum rege: neq; enim me tibi denegabit. Sed ille noluit ei obsequi, eiq́ per uim stuprum obtulit.

Thamarem stuprat Amnon.

Deinde eam multo maiore odio prosequens, quàm fuerat amore prosecutus, iussit ut discederet. Atque illa dicente, hoc deterius esse, quòd ab eo dimitteretur, quàm illud quod ab eo passa fuisset: noluit obtemperare. uocato'que iuuene administro suo, iussit eam à se foras emitti, & ostium post eam obserari. Tum minister eam foras eiecit, ostiumq́ post eā clausit. At Thamar insperso capiti suo puluere, lacerataq́ tunica uersicolore quam ferebat (sic enim solebant regum filiæ uirgines
D palla indui) manuq́ capiti imposita, uociferans abibat. Et Absalomus frater eius sic eam allocutus est: Fuit, credo, Amnon frater tuus tecum. Sed tace, mea soror, frater tuus est: noli istud in animum demittere. Ita mansit Thamar deserta domi sui fratris Absalomi. Hæc omnia postquam audiuit rex Dauid, tulit ægerrimè. G.L. Verùm Amnonis filij sui animū dolore afficere noluit, quòd eū adamabat, quippe suū primogenitum. H. Absalomus autē tanto odio ab Amnone, propter sororem suā Thamarem
E ab eo uiolatam, dissidebat, ut cum eo nūquam omnino neq; amicè loqueretur, neq; inimicè. ¶ Cumq́ præterito biennio tonsores Baalhasore apud Ephraimitarū fines haberet, inuitauit omnes regis filios, regemq́ adijt, & ei demonstrauit se tonsurā facere, petijtq́ ut ipse rex cum suis secū uenirent. Cui rex ita dixit: Ne eamus, fili mi, ne eamus omnes, ne tibi simus oneri. Ac quamuis ille urgeret, noluit, eiq́ gratias egit. Tum Absalomus petijt, ut saltem ueniret Amnon frater suus. ac rege negante opus esse, impetrauit tamen, ut ille secum Amnonem, omnesq́ regios filios dimitteret. Imperauit autem Absalomus famulis suis, ut animaduerterent, ut cum exhilaratus esset Amnon uino, & ipse eū F
interfici iussisset, eum sine dubitatione occiderent: sese autorem esse, præstarent se uiros atq; fortes.

Amnon occiditur ab Absalomo.

Id quod cum illi ad Absalomi præscriptum fecissent, surrexerunt omnes regis filij, conscensisq́ mulis, sese fugę mandarunt. Qui cum essent adhuc in itinere, uenit ad Dauidem fama, occisos esse ab Absalomo omnes regios filios, ne uno quidē relicto. ¶ Tum rex exilijt, laceratis'que uestimentis, ad terram se abiecit, adstantibus omnibus eius stipatoribus, laceris uestimentis. Sed Ionadabus Semaæ fratris Dauidis filius, dominum suum regem monuit, ne putaret omnes iuuenes regis filios occisos esse: solum enim Amnonem mortuum esse. nam id Absalomo decretū fuisse, ex quo Thamar eius soror fuerat ab illo compressa. Quamobrem ne sibi persuaderet, omnes regis filios esse mortuos: etenim solum Amnonem mortuum esse. G
Absalomus autē aufugit. Et cum iuuenis speculator animaduertisset à tergo magnā hominum turbam per uiam à latere montis uenientem, demonstrauit Ionadabus regi, adesse regios pueros, itaq; rem esse ut ipse dixisset. Ac simulatq; is loqui desijt, superueniūt regij filij: quibus ploratū edentibus, rex quoq; cum suis omnibus ingentē fletum edidit, filiūq́ suum L. Amnonē H. quotidie deplorabat. Absalomus autē Gessur profugit, ad Tholmaim Ammiudis filiū, Gessuris regem, ibiq́ fuit triennium.

CAPVT XIIII.

INterea cum rex Dauid, necis Amnonianæ dolore sedato, Absalomū accersere aueret, Ioabus Saruię filius, intelligēs regem animum adiecisse ad Absalomum, curauit accersendam Thecua mulierem quandam prudentem, cui persuasit ut luctū simularet: sumptoq́ lugubri uestitu, & olei unctione intermissa, similis'que lugenti iamdiu mortem alicuius, regem adiret, atq; ita cum eo loqueretur: simulq́ eam dicendis instruxit. Igitur Thecuana regem adit, & prona ad terram suppliciter prolapsa, dicit: Fidem tuam, ô rex. Cui rex: Quid habes? Et illa: Mulier sum uidua, quæ mortuo uiro, duos habebam filios, inter quos orta ruri contentione, cum nemo esset qui litē dirimeret, occīdit unus alterum. Nunc uniuersi gentiles in me consurgunt, fratricidam poscētes ad necem, ob interemptum ab eo fratrē, ut etiam hæredē perdant: B

Thecuana mulier cum Dauide agit de reuocando Absalomo.

extinctaq́ scintilla quę mihi restat, mei uiri nomen & posteritatē ex orbe auferant. Tum rex: Abi domū tuā, inquit, ego tibi cauebo. At mulier: Verùm mihi, domine rex, meæq́ familiæ periculum imminet, inscio te, tuo'que solio. Et rex: Si quis in te mutiat, deferto ad me: næ ille C
faxo nunq; postea te tāget. At mulier: Memēto quæso rex, inquit, per Iouā Deū tuū, ne tot sanguinis uindices nocere parati, meum filium perdāt. Et ille: Per Iouā immortalem, inquit, ne pilū quidē amittet tuus filius. Tum mulier: Liceat mihi apud te, rex, pauca loqui. Loquere sanè, inquit ille. Et mulier: Cur igit̃ tu istā diuini populi periculo rationē iniuisti (in qua quidem sententia,

sententia, rex, culpa non cares) ut nolis profugum tuũ reuocare? Nam certè morimur, & quidẽ quasi humi fusa aqua, quæ recolligi non potest. Neq; uerò solet Deus uitã eripere: sed etiã atq; etiã cogitat de non abalienãdis à se eis qui sunt abalienati.

Eccl.18.g & 35.c

D Iam uerò, ut ego te, domine rex, hac ratione conuenirem, in causa fuit, quòd me uulgò terrebãt. Itaq; sic ipsa mecũ cogitaui: Hem, à rege contendã, ut meã causam procuret. Quòd si exoratus fuerit, ut me ab hominum iniuria defendat, ne ego simul & filius meus ex diuina hęreditate auferamur, tum ab eo contendam, ut se facilem præbeat: quippe cum sis, domine rex, in æquitate ab iniquitate dijudicãda quasi diuinus quidã genius, cumq; tibi Ioua Deus tuus adsit. Tum rex: Noli me, inquit, celare quod te rogabo. Et mulier: Loquere sanè, domine rex. Non'ne ista omnia, inquit rex, impulsore Ioabo fecisti? Et mulier: Ita uiuas (inquit respondens) ut nullius harũ, quas dicis domine rex, rerũ quenquam ulla ex parte

E autorem habeo, præter tuũ Ioabum. Ipse præcepit, ipse me omnibus his uerbis instruxit: ut rei faciem inuerterem, hoc fecit tuus Ioabus: & tu, domine, pro tua ista, qua diuinos genios æquiparas, sapientia, tenes omnia quæ sunt in orbe terrarum. Tum rex Ioabum alloquens: En istud concedo, inquit: i sanè reuocatum iuuenem Absalomum. Hic Ioabus pronus humi accidens, regi gratias summissè egit: &, Hodie intelligo, inquit, me apud te ualere gratia, domine rex, postquã tu mihi hoc concedis.

Absalomus reuocatur.

¶ Deinde Gessur profectus Ioabus, Absalomũ Hierosolymam adduxit.

F Sed illũ iussit rex domum suam concedere, neque in suum conspectum uenire. Itaq; domum suam se recepit Absalomus, neque regis conspectum subijt. Erat autẽ Absalomus pulchritudinis laude longè omnium Israelitarum præstantissimus, à uestigio pedis ad uerticem nullo pręditus uitio. Cumq; caput tondebat (hoc autem faciebat quotannis, capilli grauitate cogente tonderi) pendebat eius cęsaries ducẽtos siclos, pondere regio.

Absalomi cæsaries.

Filios sustulit tres, & filiã unam nomine Thamarem, mulierem forma perelegantem. G. Ea fuit uxor Roboami Solomonis filij, eiq; peperit Abiamum. H. Cum autem Hierosolymæ biennium mansisset, neq; in regis conspectum uenisset, misit accersitum Ioabum, ut eum ad regem mitteret. Qui cum uenire noluisset, misit iterum. Atq; illo ne tum quidem obsecuto, seruis suis præcepit, ut Ioabi hordeum (quod in fundo suo apud ipsius Absalomi prædium habebat) incensum irent. Itaq; serui Absalomi

G fundum incenderunt, G. L. idq; Ioabo sui serui, laceratis suis uestimentis, nunciatum iuerunt. H. Quamobrem contulit se Ioabus ad Absalomum in eius ædes, & ex eo quæsiuit, cur eius serui fundum suum incendissent? Cui Absalomus respondit, sese eum ad se accersendum curauisse, ut eum ad regẽ mitteret, qui ei diceret, frustra se Gessure uenisse: præstare illic adhuc esse: cupere se in regis conspectũ uenire. Quòd si meruit, necetur. Ergo Ioabus id regi nunciatum iuit, & rex Absalomum euocauit: eumq;, cum ille ad eum uenisset, & prono ad terram uultu regi honorẽ prębuisset, deosculatus est.

Absalomus ad patrem admittitur.

CAPVT XV.

Absalomus multitudinis animos sibi conciliat.

POstea comparauit sibi Absalomus currus, equitatumq;, & quinquaginta præcursores, & manè apud uiam portę astans, si quis ob controuersam regem ad ius petendum adibat, eum uocabat Absalomus: quęrebat, cuius'nam urbis esset. Atque ubi audiuerat cuius esset Israeliticarũ tribuum, demonstrabat ei, bonam ęquamq; eius esse causam: sed eum qui audiret, à rege quidem esse neminem. Vtinam se gentis iudicem constitui, ut omnium lites atque causæ ad se deferrentur: sese enim ius esse redditurum. Quod si quis ad eum uenerandum accedebat, ille eum porrecta manu prehensum B osculabatur: atque ad hunc modum omnibus Israelitis, qui ad regem petendi iuris gratia ueniebant, faciebat. Qua ratione cum Israelitarũ animos sibi furtim conciliasset, præteritis quatuor annis, à rege petijt, ut sibi Hebronem ire, & illic nuncupatum Iouæ uotum reddere liceret. Sese enim, cum Gessure in Syria esset, Iouæ uouisse, si ab eo Hierosolymam reuocatus fuisset, sese eum esse adoraturum. Ita amicè à rege dimissus, Hebronem profectus est, comitantibus ducentis Hierosolymitanis inuitatis, simpliciter euntibus, totiusq; negocij ignaris. Dimiserat autem Absalomus emissarios in omnes tribus Israeliticas, quibus præceperat, ut audito tubæ sonitu, dictitarẽt, Absalomũ Hebrone regẽ esse constitutũ. Achitophelemq; Gilonitũ C Dauidis cõsiliarium, ex eius patria Gilone accersiuerat, dum ipse sacrificia faciebat. Ita facta est acris cõiurato, pluresq; in dies ad Absalomum confluebant.

Absalomi coniuratio.

Quod postquam fuit quidam Dauidi nunciatum, Israelitas animum ad Absalomum adiecisse: hortatur suos omnes, quos Hierosolymis habebat, ut fugiant: alioquin ipsos ab Absalomo euadere non posse: properent abire, ne ab illo statim oppressi, exitio dentur, & urbs ferro corũpatur. Regij dixerunt, sese ad omnia quæ regi domino uisa forent, paratos esse: itaq; migrauit omni familia comitante rex, decem mulieribus concubinis ad domus custodiam relictis: egressusq; comitante cuncto populo, procul à domo constitit,

Dauid ex urbe fugit. D

dum pręter eum transirent atq; pręterirẽt omnes eius aulici, omnesq; Cerethęi et Phelethęi, & Gethani sexcẽti L. milites ualidi, H. qui eum à Getha comitati fuerãt. Ettæumq; Gethanum monuit in hunc modũ: Non est quòd tu quoq; nos comiteris: reuertere ad regem, & cum eo maneto. nam hospes es, solum'que uertisti: qui cum heri adueneris, cur ego te hodie, cum incertum sit quò tendam, nobis comitandis circumducam? Reuertere, fratresq; tuos reduc, & G. L. Ioua H. tibi benignus adsit.

Ettæus.

At Ettæus: Per Iouam immortalem (inquit regi respondens) perq; tuam, domine rex, uitam, ubicũq; tu eris, seu uiuendũ seu moriendum est, ibi ego futurus sum. Tum Dauid ei permisit, ut pręte- E riret. Ita præterijt Ettæus Gethæus cũ suorum omnium

omnium tum uxorũ tum paruulorũ comitatu. Cum autẽ omnibus magno cum ploratu prætergresśis, & aduersum syluam tendẽtibus, rex torrentem Cedronem traijceret, animaduertit etiam Sadocum, omnesq; simul Leuitas diuini fœderis arcam gestantes. Nam diuinam arcam protulerant, comitante Abiathare, donec omnes ex urbe egresśi preterijssent. Tum rex Sadoco pontifici ita dixit: Refer diuinam arcam in urbem. Si mihi Ioua propitius erit, reuocabit me, mihiq; & eam & domicilium suum exhibebit. Sin me sibi placere negauerit, faciat sane mihi, quod ei uisum fuerit. Attende, inquit, reuertere in urbem quietè, unà cũ duobus filijs uestris, Achimaa tuo, et Ionathane Abiatharis. Attẽdite: Ego in plano saltu cunctabor, donec aliquis mihi nuncius uenerit à uobis. Ita retulerunt Sadocus & Abiathar, arcã diuinã, Hierosolymam: ibiq; manserunt. Ascendebat autem Dauid per cliuum oliuarũ plorãs, capite operto, nudis pedibus ingrediẽs: omnibus qui eum comitabãtur, tecta capita habentibus, & ascendendo flentibus. Cumq; ei nunciatum esset, Achitophelem quoque inter coniuratos apud Absalomum esse, Iouam precatus est, ut Achitophelis cõsilium futile efficeret. Postquam in montis iugum, ubi Deũ uenerari solebat, peruenit, obuiam fit ei Chusæus Archita, lacerata tunica, & capite humo insperso. Quem Dauid sic est allocutus: Si mecum perges, eris mihi oneri: sin in urbem reuersus, Absalamo, regem eum appellans, seruitium tuum obtuleris, teq; ei deinceps seruum fore, quemadmodum antehac eius patri fueris, promiseris, dissolues mihi consilium Achitophelis. Aderunt illic tibi Sadocus & Abiathar pontifices, quibus tu indices quicquid audiueris à regia. Aderunt & eorum duo filij, Achimaas Sadoci, & Ionathan Abiatharis: per quos mihi significandum curetis, si quid audieritis. Ita petijt urbem Hierosolymam Chusæus Dauidis amicus, eodemq; uenit Absalomus.

Iubet Dauid Sadoco pontifici ut in urbem redeat. F

G *Chusæus Archita.*

CAPVT XVI.

Sibæ in herũ malitia.

Dauid autẽ paulum pretergressus montis uerticem, occurrit Sibæ Mephibosethi famulo, duos asinos clitellatos agenti, qui ducẽtos panes, centenasq; uuas passas, & centum palathas, utremq; uini ferebant: &, Quorsum ista? inquit. Cui Siba: Asini sunt ad uehendam, inquit, regiam familiam: panes & ficus ad alendos iuuenes, uinum ad bibendum, si quis in saltibus erit defatigatus. Vbi uerò est Domini tui filius? inquit rex. Et Siba: Manet Hierosolymis, inquit. sperat enim regnũ patrium iam sibi ab Israelitis restitutũ iri. Tum Dauid: Ergo scito tuas esse omnes Mephibosethi facultates. Et Siba: Ago tibi summisse gratias, inquit, Domine rex, pro tua ista ergà me beneuolentia. ¶Deinde ubi peruenit rex Dauid ad Bahurim, prodijt illinc homo quidam à Saulinæ stirpis gentilitate ortus, nomine Semeis, Geræ filius: qui conuiciando procedens, Dauidem, omni turba, omnibus'que militibus dextra læuaq; stipatum, regiosq; omnes, saxis petebat, atque huiusmodi conuicia iaciebat: Prodi, prodi, homo sanguinarie & scelerose. B Expetit à te Ioua omnem stirpis Sauli sanguinem, cuius regnum à te occupatum, Ioua Absalomo filio tuo tradit: et nunc tua te scelera petunt, qui sis homo sanguinarius. Tum Abisęus Saruię filius ad regẽ ita loquitur: Siccine istum cane mortuo uiliorem tibi, Domine rex, maledicere? Vis'ne ut ego ei caput amputatũ eam? At rex: Quid tum postea, inquit, Saruiæ fili, si conuiciatur? quid si Ioua eum impellit ad Dauidi maledicẽdum? quis ab illo facti rationem reposcat? Ipse meus filius (inquit, Abisæum & omnes suos stipatores alloquẽs) qui ex meis ortus est uisceribus, mortem mihi machinatur: C quid faciet Ieminiensis? Sinite ut maledicat: nam à Ioua iussus est: qui Ioua fortasse meã miseriam respiciet, & bona mihi pro hodiernis huius conuicijs rependet. Ita pergit ire Dauid cũ suis, per uiam, Semei à latere montis secundum eum progrediente, cõuiciando, & lapides in eum iaciendo, pulueremq; spargendo. Rex autem, & omnes qui eum comitabantur, cum illuc defesśi uenissent, ibi conquierũt. ¶At Absalomus, omni Israelitarum populo & Achitophele comitãte, Hierosolymam uenit. Ad eum Chusęus Archita, Dauidis amicus, uenit: & ei, Salue rex, salue rex, dixit. Et Absalomus quęsiuit ex eo, an talem gratiam amico rependeret? Cur'nam amicũ nõ comitatus esset? Cui Chusæus respondit in hunc modũ: Imò uerò quem & Ioua, & homines hi, & uniuersi Israelitę, elegerunt, huius ego ero, & cũ hoc manebo. Deinde apud quem, secundũ eum, seruire debeo? non'ne apud illius filium? quemadmodũ apud tuum patrem, sic etiam apud te seruiturus sum. ¶Tum Absalomus Achitophelem monuit, ut consultarent quid faciendum esset. Cui Achitophel suasit, ut patris sui cõcubinas, ab illo ad domum custodiendam relictas, comprimeret: ut cum audiuissent omnes Israelitæ, eum patri suo esse inuisum, omnes, qui essent eius partiũ, confirmarentur. Itaq; Absalomus tenso tabernaculo super tecto, ad patris sui concubinas, in oculis omnium Israelitarum, ingressus est. Erat Achitophelis cõsilium temporibus illis tantæ existimationis, ut quicquid suaderet, id pro oraculo tum apud Dauidem, tum apud Absalomum, haberetur.

3.Reg.2.b Semeis Dauidi maledicit.

Absalomũ adit Chusæus. D

Absalomus patris concubinas cõprimit.

CAPVT XVII.

Achitophelis consiliũ de opprimendo Dauide.

IS igitur Achitophel Absalomo suasit in hũc modũ: Censeo, ut ego, lectis duodecim millibus hominũ, proficiscar ad Dauidem noctu persequendum, eumq; fatigatum & defessum aggressus, perterrefaciam: & omnibus eius copijs fuga dilapsis, solum regem interficiam, populumq; omnem ad te sic reducã, G. ut sponsa solet ad sponsum deduci, ut cum unum H. petas, cæterorum omnium saluti consultum sit. Hanc rem probauit Absalomus, omnesq; senatores Israelitæ: & Chusæum quoque Architam euocari iussit, ut illius etiam audiretur sententia. Qui postquam ad eum uenit, proponit illi Absalomus quę sit Achitophelis sententia: E

iubet

iubet ut dicat, sequendam putet, nec'ne. Tum Chusæus Absalomo ita respondet: Datum ab Achitophele consilium hac quidem in re non bonum est. Tu scis patrem tuũ, eiusq; milites, fortissimos esse, & ursa agresti pullis orbata ferociores. Præterea tuus pater, homo rei militaris peritus, non aget noctẽ cum uulgo reliquorum. Scito eum nunc in aliquo antro, aut alio quopiam loco latêre. Quòd si quis horũ principiò ceciderit, & auditum fuerit factam esse cæ-
C dem Absalomanorũ, etiam qui fortissimi sunt, & leonibus animosiores, exanimabuntur. Sciunt enim omnes Israelitę, patrem tuum, eiusq; milites, uiros esse fortissimos. Sed suadeo ut ad te conueniant omnes à Dane ad Bersabam Israelitæ, qui futuri sunt arena numerosiores, quos inter tu præsens incedas. Tum nos eum adorti, ubiubi locorũ inuenietur, rore densius inuademus, ut neq; ipse, neq; eius comitum uel unus reliquus fiat. Quòd si se in aliquã urbem receperit, eam urbem nos uniuersi Israelitæ uel funibus cinctam in flumen aliquod sic euerri-
D culabimus, ut ne calculus quidẽ supersit. Hoc Chusæi Architæ cõsiliũ Absalomus, omnesq; Israelitæ, Achitophelis consilio prætulerunt, Ioua bonum Achitophelis consilium dissolui curante, ut Absalomũ malo mulctaret. ¶ Deinde Chusæus Sadoco & Abiathari pontificibus narrauit quid Achitophel Absalomo senatoribusq; Israelitis cõsuluisset, & quid ipse contrà suasisset: hortatusq; est, ut Dauidem properè admonendum curarent, ne ea nocte in planis saltuum maneret, sed progrederetur, ne ipse rex cum suis omnibus opprimeretur. Igitur hæc ancilla quædam Ionathani & Achimaæ
E apud Enrogel manentibus (neq; enim audebant palàm in urbem uenire) nunciatum iuit: qui porrò ea Dauidi regi indicatum irent. Eos iuuenis quidam conspicatus, Absalomo indicauit. itaq; ambo festinarunt, & in domũ cuiusdam Bahurim uenerunt, atq; in puteum, quem ille in atrio habebat, descenderunt, eumq; puteũ mulier oppanso uelo obduxit, & graneam insuper exposuit. Ita celata re, mulier Absalomi seruis qui domũ ad eam uenerunt, ubi'nam essent Ionathan & Achimaas interrogantibus, respondit eos paulo antè traiecisse flumẽ. Tum serui Absalomi, quæsitis illis, neque inuentis, Hierosolymam reuerterũt. Quibus profectis, illi ex puteo egressi, rem Dauidi regi nũciatum iuerunt: monueruntq; properè traijciendum
F esse fluuium, propter Achitophelis contra illos consilium. Tum Dauid cum suis omnibus profectus, Iordanem ante diluculum traducit, ne uno quidem relicto, quin omnes trãsierint. At Achitophel, uidens suo consilio non esse obtemperatũ, instrato asino, domum suam in patriã proficiscitur: & datis familiæ præceptis, uitam suspendio finiuit, & in sepulchro patrio conditus est. Dauid autem Mahanaim peruenit. Absalomus comitantibus omnibus Israelitis, Iordanem traiecit, præfecto exercitui Amasa Ioabi loco, qui Amasa filius erat Iethræ cuiusdam Israelitæ, ex Abigaile Nahæ filia, Saruiæ

Chusæus Achitophel̃i cõtradicit.

Chusæus Dauidẽ de Absalomi cõsilio admonendum curat.

Dauid Iordanem traijcit.

Achitophel sibi mortẽ consciscit.

Absalomus patrẽ persequitur.

matris Ioabi sorore, et in Galaaditarum finibus castra posuit. Dauidi autem, eiusq; comitibus, G
postquam Mahanaim uentum est, obtulerunt Sobis Nahæ filius, ex Rabba Ammonitarum, & Machir Ammielis filius Lodabarensis, & Berzelæus Galaadita Rogelẽsis, stragula, pelues, uasa fictilia, triticum, hordeum, farinã, polentam, fabas, lentes, fruges tostas, mel, butyrũ, oues, & caseos bubulos, ad commeatum: suspicati homines fame, lassitudine, sitiq; per deserta loca laborare.

CAPVT XVIII.

Igitur Dauid, recẽsitis suis copijs, tribunisq; et centurionibus constitutis, tertiam partem Ioabo, alterã tertiam Abisæo Saruiæ filio Ioabi fratri, tertiam Ettæo Gethano tribuit. Ipse cum militibus profecturum se dixit. Sed dissuaserunt milites. Si enim in fugam uersi fuerimus (inquiunt) hoc illi pro nihilo ducent, etiamsi nostrûm dimidia pars interierit: nam tu pro decem millibus nostrûm es. Quamobrem præstat ut tu sis nobis in urbe subsidio. Ita illorum uoluntati obsecutus rex, stetit apud portã, exeuntibusq; militibus centenis & millenis, Ioabo, Abisæo, & Ettæo, ut iuueni parcerent Absalomo mandauit, audiẽte omni exercitu, cum B
rex omnibus ducibus Absalomum commendaret. ¶ Igitur egressis in agrum aduersus Israelitas militibus, committitur prælium in sylua Ephraimitarum: ubi pulsi à Dauidicis Israelitę, magnam eo die cladẽ acceperunt, cæsis eorum uiginti millibus. Atque ibi dispersa in omnes partes pugna, plures eo die sylua absumpsit, quàm ipse conflictus. Absalomus Dauidicis obuiam factus, cum mulus, cui insidebat, subter dẽsam patulamq; quercum præteriret, ille annexo C
eius capite in quercu, muloq;, qui suberat, prætergresso, inter cœlum & terram pependit. Id quod conspicatus quidam Ioabo nunciauit, Absalomum uidisse se in quercu pendentem. Et Ioabus: Vidisti autem? inquit: cur non igitur ibi eum ad terram deturbatum occidisti? & meum fuisset, te decem argenteis nummis baltheoq; donare. At ille: Ego uerò, inquit, etiam si mihi mille nummi in manũ appenderentur, non inijcerem manũ filio regis. Nam audientibus nobis præcepit rex tibi, Abisæoq; & Ettæo, ut iuueni Absalomo caueretis: nedum ut ego tam perfidiose, tanto cum uitæ meæ periculo, facerem. Neq; enim res hæc omnino regi celari posset. Verùm tu iam apud illum ades. Tum Ioabus: Videbis me non ita cũctantem. Hoc dicto, tria tela manu corripit, eaq; pectori Absalomi, adhuc in media quercu uiuentis, infigit. Tum decem famuli, Ioabi armigeri, Absalomum circumueniunt, & uulneribus interficiunt: & Ioabus tubæ clangore milites ab Israelitis, quòd populo parcebat, persequendis D
reuocat. ¶ Quibus omnibus fuga domum dilapsis, illi Absalomum in uastam quandam uoraginem in sylua proiectum, congesto ingenti saxorum cumulo, obruerunt. Statuerat autem sibi Absalomus, cum uiueret, eam columnam, quæ est in ualle regia, eo consilio, ut * si fortè li-

Dauid suos ad prælium emittit.

Absalomi mors.

Absalomi statua.

** nã supra*

cap. 14. dicitur filios tres, & filiã unam fuisse.

berís priuaretur, ea esset eius nominis monumentum: quam columnam suo nomine uocauerat, eaq; locus Absalomi uocatur ad hunc diem. Cæterùm Achimaas Sadoci filius, petijt ut sibi currere liceret ad regi nũciandum, Iouã de illius hostibus sumpsisse suppliciũ. Cui Ioabus: Non eris lætus hodierno die nũcius: aliàs nunciabis. nam hodie quidẽ non es iucundum nuncium allaturus, quippe de morte filij regis.

E Tu (inquit Chusi) i regi nũciatum, quod uidisti. Tum Chusis Ioabum ueneratus, cucurrit. Atq; hic iterum Achimaas Sadoci filius: Quid si ego quoq; post Chusim curram? Cui Ioabus: Cur curras, fili, cum nuncij premium non sis adepturus? Sed quid si currã? Curre sanè. Ita cucurrit Achimaas uia campestri, Chusimq; præuertit. Tum speculator, qui tectũ portæ in murum conscenderat, cõspicatus hominẽ solũ accurrentem, id Dauidi regi, inter duas portas sedenti, clara uoce nũciauit. Et Dauid dixit, illũ, siquidem solus erat, lætum afferre nunciũ: atq; appropinquante illo, animaduertit speculator hominem alterum accurrentem, idq; ad ianitorem clamauit, hominẽ accurrere solum.

Itur ad Dauidem, ad nunciadum Absalomi mortem.

F Et cum rex dixisset, illum quoq; boni aliquid portare, subiecit speculator, se ex cursu cõijcere, priorẽ esse Achimaã Sadoci filium. Eum rex bonũ uirum esse respondit, & ob bonũ uenire nũcium. Tum Achimaas clara uoce regem alloquẽs, & prono ad terram uultu uenerans, dicit ita: Salue, grates agantur Iouæ Deo tuo, per quem uicti sint, qui contra te, domine rex, manũ sustulerant. Et rex: Saluus'ne est adolescens Absalomus? Cui Achimaas: Magnam hominum turbam uidi, inquit, cum Ioabus alium quendam tuorum, & me, mitteret: cæterùm quid esset, nescio.

G Tum rex: Recede, inquit: consiste istic. Cumq; ille recessisset atq; constitisset, ecce aderat Chusis, qui sic locutus est: Regẽ dominum ego læto nuncio impertio, cuius aduersarios omnes Ioua hodie ultus est. Et rex: Saluus'ne est adolescens Absalomus? Vtinã (inquit Chusis) sic sint hostes tui, domine rex, ut est adolescẽs, & quotquot in tuã perniciem consurgũt. Tum rex perculsus, in portæ cœnaculũ plorans ascendit, inter eundum ita dicens: Fili mi Absalome, fili mi, fili mi Absalome, utinam ego sim pro te mortuus, Absalome fili mi, fili mi.

Dauid Absalomi mortem deplorat.

CAPVT XIX.

QVod ubi Ioabo indicatum est, regẽ plorare, Absalomumq; filium suum lugere, eius diei uictoria in luctum omnium cõuersa, (omnis enim exercitus eo die, audito regis ob filium dolore, in urbem furtim intrauerat, non aliter quàm solent quos in pugna fugatos pudet) regem adit, qui intus uelato uultu magna uoce clamabat: Fili mi Absalome, Absalome fili mi, fili mi. eũq; ita admonet: Tu hodie omnibus tuis (qui tuam, tuorũq; liberũm, & uxorum tum iustarũ tum concubinarum, salutem hodie custodiuerunt) dedecori es, dum tuos et inimicos amas, & amicos odisti. Nunc enim facilè ostendis, quanti & duces facias, & milites. Nam hoc satis scio, si hodie nobis omnib. mortuis, uiueret Absalomus, id tibi iucundum fore.

Ioabus Dauidem obiurgat.

B Sed age, prodi, & tuos affare comiter. Alioquin Iouã ego iuro, nisi tu prodis, neminem fore qui non à te ante noctem deficiat, quo malo grauius nullum unquã tibi, postquã natus es, accidit. Tũ rex surrexit, & in porta sedit: quod postquam est uulgo nunciatum, uenerunt omnes in conspectũ regis. Cæterùm Israelitis domum fuga dilapsis uulgò agitari cœptũ est per omnes Israelitarum tribus, regem, à quo ab hostium iniuria defensi, à quo à Palæstinorũ manu liberati fuissent, nunc ex suis finibus ab Absalomo fugatũ esse. Absalomũ autẽ, quem ipsi sibi regẽ unxissent, in bello mortuũ esse: quid

Israelitæ de Dauide reuocando agunt.

C iam regẽ reuocare cunctentur? ¶ Et Dauid rex Sadoco & Abiathari põtificibus significatum misit, ut senatores Iudæos hortarentur, ne in rege domum reuocando postremi forent. Cum enim omnium Israelitarũ nuncij domum eius ad eum uenissent, Iudæos, suos cognatos & sanguineos, non debere esse in reuocando rege postremos. Præterea ut Amasæ suo nomine ita nunciarent: Tu meus cognatus & cõsanguineus es: atq; ita Deum habeam propitiũ, ut tu mihi dux exercitus perpetuò futurus es pro Ioabo. *3. Reg. 1. b* Ita Iudæi omnes, eodem inclinãtibus omnium animis, regi significauerunt, ut cũ suis omnibus reueniret:

D eoq; ad Iordanem usq; reuerso, uenerunt ad Galgala, regi obuiã descensuri, eumq; Iordanem traducturi. Cum his regi obuiam ire properauit Semeis Geræ filius, Ieminiensis, ex Bahurimo, unà cum mille Beniamitis, & Siba Sauli domestico famulo, quẽ filij quindecim, & serui uiginti comitabantur. Hi cum Iordanẽ regi præparassent, transmissa naui, quæ regis familiã traduceret, illiq; ad nutum obsequeretur, Semeis Geræ filius regi Iordanem traiecto accidit, et eum sic allocutus est: Noli mihi, domine rex, culpam imputare, néue in animum tuũ inducito meminisse, illius à me commissi contra te sceleris, cum tu Hierosolymis emigrasses. Nã scio me peccauisse: ideoq; hodie primus omnium Iosephidarum tibi domine rex, obuiã descendi. Tum Abisæus Saruæ filius sic loquitur: Iccirco'ne non morietur Semeis, qui Iouæ uncto maledixerit? At Dauid: Quid istud? inquit, Saruiæ filij? cur mihi hodie aduersamini?

Semeis Dauidi obuiã procedit.

E Hodiène ut quisquã in Israelitis moriatur? quasi uerò nesciã, hodierno demum die me Israelitarum regem fieri. Non morieris, inquit Semei: idq; ei iurauit. Mephibosethus quoq; Sauli nepos (qui post regis discessum, usq; ad eundẽ incolumem reuersum, neq; pedes lauerat, neq; barbam totonderat, neq; uestimenta abluerat) regi obuiam descendit: cui Hierosolymis obuiã facto, rex inquit: Cur me comitatus non es Mephibosethe? Et ille: Meus me seruus fefellit, domine rex. Cum enim asinũ insternere, & eo inscenso, quòd sum claudus, regem adire cogitarem, ille me apud te, domine rex, calumniatus est. Quanquam tu qui * quasi diuinus quidam genius es, utere sanè tuo arbitrio, qui cum me (cuius totũ paternum genus mortem à te commeruerat) tamen

Mephibosethus Dauidi obuiam uenit.

** diuina quadã prudentia præditus.*

inter

inter tuos conuictores habueris, quid iam habeo quod de te rex, meritò possim conqueri? Tum rex: Quid pergis ista dicere? Iubeo te & Sibam diuidere prędiũ. Imò etiã totum teneat (subijcit Mephibosethus) postquã tu domine rex, domum sospes rediisti. ¶ Berzellæus autẽ Galaadita, Rogelimo degressus, Iordanẽ cum rege traiecerat, eius ulterius deducendi gratia, homo ualde senex: nam octogesimũ annũ agebat. Is regi apud Mahanaim agenti cibaria suppeditauerat, quippe uir locupletissimus. Hunc Berzellæũ rex sic est allocutus: Tu mecũ traijcito, ego te Hierosolymis apud me alã. Ille uerò regi respondit in hunc modum: At cuius ętatis sum, ut Hierosolymã cum rege ascẽdam? qui cum sim iam natus annos octoginta, num potero bonũ à malo discernere? nũ cibo & potione delectari? num fidicinũ fidicinarũq; cantus audire? quid opus est ut ego tibi amplius, domine rex, sim oneri? liceat mihi tecum paulum trans Iordanem progresso (cur enim tanto me cumulet rex beneficio?) liceat inquã, reuerti, & in mea patria apud sepulchrum parentum mori. Adest hic tuus Chamaamus, qui tecum domine rex, trãsibit, quo tu utaris arbitrio tuo. Tum rex: Ergo mecum transibit, Chamaamus, quem ego tractabo tuo arbitratu, tibiq; omnia præstabo quæ à me expetiueris. Ita omnibus copijs Iordanẽ traductis, rex ubi traiecit, Berzellæum osculatus, ei uale dixit. Eo domum reuerso, rex ubi ad Galgala comite Chamaamo progressus est, cùm à dimidia natione Israelitarũ, tum ab uniuersis Iudæis traductus, couenerunt ad eum omnes Israelitæ, conquestiq; sunt apud eum de suis fratribus Iudæis, qui regem eiusq; familiã & Dauidicos omnes Iordanem clam se traduxissent. Quibus omnes Iudæi responderunt, regem suum esse proximum: non debere illos eam rem ægrè ferre, quasi Iudæi à rege alerẽtur, aut munera accepissent. At Israelitæ obijciebant, se, qui [b] decuncem haberẽt in rege, qui in Dauide superiores Iudæis essent, non debuisse ab illis ita contemni, ut non primas partes in reuocando suo rege obtinerent.

F — *Berzellæus.* — *2.Reg.2.b* — *Aula senibus ingrata.* — *Chamaamus.* — G — *Dissidium inter Israelitas & Iudæos.* — b decẽ partes, quod decem tribus erant.

CAPVT XX.

SEd cum Iudæi Israelitas uerbis superarent, accidit ut illic esset homo quidam improbus, nomine Seba, Bochris filius, Ieminiensis. Is signo tuba dato, sic prædicauit: Nos nullã in Dauide partem, nullũ in Isęi filio ius habemus: discedamus domum, Israelitæ. Tum omnes Israelitæ à Dauide ad Sebam Bochris filium defecerunt. At Iudæi regi suo à Iordane ad Hierosolymã adhæserunt. ¶ Dauid aũt domum suam Hierosolymã profectus, suas decẽ uxores concubinas, quas ad domũ custodiendã reliquerat, in custodiã dedit, easq; illic aluit, neq; cum eis rem habuit. atq; eæ conclusæ, omnem ætatem uiduæ uixerunt. Et rex imperauit Amasæ, ut Iudæos triduò ad se cõgregaret, deinde adesset ipse. Sed cum Amasa ad conuocandos Iudæos profectus, ultra pręscriptum tempus moraretur, iubet Dauid Abisæo, ut quoniam Seba Bochris filius iã plus eis nociturus esset, quàm nocuisset Absalomus, illum ipse persequatur, adhibitis seruis dominicis, ne ille munita oppida nactus, ex oculis effugiat. ¶ Ita Hierosolymis profecti sunt Ioabi milites, & Cerethæi & Phelethæi, & fortissimi quiq;, ad Sebã Bochris filium persequendum. Qui ubi ad saxum magnũ, quod est apud Gabaonem, peruenerunt, occurrit eis Amasa. Tum Ioabus ensem (quo lateri applicato accinctus erat super uestẽ, qua erat amictus) siuit excidere uagina, &, ut uales, frater? inquit Amasam alloquens: prehensaq; dextra manu, illius barba, quasi qui eum osculari uellet, ense, quẽ altera manu, nõ aduertẽte illo, tenebat, Amasę ilia ferit: quo ictu effusis humi uisceribus, ille uno uulnere mortuus est. Deinde Ioabus cũ Abisæo fratre suo Sebã Bochris filium persequitur, astante quodam ex Ioabi famulis apud Amasam, & edicẽte ut qui cum Ioabo sentirent, & qui à Dauide starent, Ioabum sequerentur. Is famulus cũ uideret omnes qui ad Amasam in sanguine media in uia uolutatum uenerãt, restare et circũstare, eum à uia remouit in agrũ, & ueste operuit. ¶ Eo amoto, omnes perrexerunt sequi Ioabũ ad Sebam Bochris filiũ persequendũ, qui per omnes Israelitarum tribus ad Abelmaachã peruenerat, congregatis eumq; secutis omnibus Beriensibus. Hunc igitur illi Abelmaachæ obsederunt, structoq; aggere, oppidum oppugnare cœperunt. Atq; hic omnibus Ioabi militibus muros labefactantibus, sapiens quædã mulier ex oppido clamauit in hunc modum: Audite, audite, dicite Ioabo ut huc accedat, ut ego cũ eo colloquar. Cumq; ille accessisset, rogauit mulier an esset Ioabus. Sum, inquit ille. Et illa, Audi quæ ego tua dicam. Audio, inquit. Tum illa, Debuit prius iniri ratio de inquirẽdo in Abel, inquit, atq; ita demũ perfici res. Nos Israelitæ sumus, pacati ac fideles: tu oppidum ciuitatẽq; Israeliticam perdere conaris: cur Iouę patrimonium depopularis? Et Ioabus: Absit (inquit respondens) absit ut ego depopuler, aut euertã: non ita est. Sed homo quidã de monte Ephraimitarũ, nomine Seba Bochris filius, arma contra regem Dauidem sumpsit. Hunc unum dedite, & ab oppido discedam. Tum mulier. Iam tibi illius caput de muro proijcietur. His illa dictis, ciues omnes adit, suaq; prudentia perficit, ut illi abscissum Sebæ caput, ad Ioabũ proijciant. Tum Ioabus receptui canit: & milites ab oppido reuocati, diuersi domum abeunt. Ipse Hierosolymam ad regem redit: fuitq; omni Israelitarum exercitui pręfectus, Banaias autem Ioiadæ filius Cerethæis & Phelethæis: Adoramus tributo: Iosaphatus Achiludi filius à commẽtarijs, Siua scriba, Sadocus & Abiathar pontifices: Ira quoq; Iairius fuit Dauidicus antistes.

Seba Israelitas à Dauide abducit. — *Dauid concubinas suas in custodiam dat.* — B — C — *Ioabus Amasam interficit.* — D — E — *Ioabus Abelmaacham obsidet.* — *Mulieris prudentia urbi salutaris.* — F — G — *Dauidis officia.*

CAPVT XXI.

VIguit autem Dauidis tempore fames tres annos continuos. itaq; percõtatus est Dauid oraculum Iouæ: qui respondit in causa esse Saulum, & stirpem sanguinariã, quòd Gabaonitas interemisset. Erant Gabaonitæ nõ ex Israelitis, sed ex Amorręorũ reliquijs, quib. Israe-

Fames ob Sauli in Gabaonitas sæuitiam.

litæ se iureiurando obstrinxerãt, quos Gabaonitas Saulus occidere conatus erat, Israelitarũ Iudæorumq; studio inductus. Hos Gabaonitas euocatos, rex Dauid interrogauit, ecquid sibi ab ipso fieri, aut qua re placari uellẽt, ut essent erga Iouæ patrimoniũ beneuoli. Cui Gabaonitæ responderunt, sese neq; ex Saulo eius ue stirpe argentum aut aurum, neq; ex Israelitis quenquã ad necem poscere. Quærentiq; regi quid à se postularent, responderunt, uelle se uiri illius memoriam, à quo confecti perditiq; fuissent, ex omnibus Israelitarũ finibus auferre.

Iosu.9.c.

B Darent sibi septẽ illius sobolis homines, quos Iouæ apud Gabaam Sauli in Iouẽ mõte suspenderent. Quibus rex daturũ se promisit, præteritoq; Mephibosetho Ionathanis Sauli filij filio, propter Iouæ iusiurandũ, quod inter eos, uidelicet inter Dauidem & Ionathanẽ Sauli filiũ, intercedebat, duos Resphæ filios, Achiæ filiæ, ex Saulo natos, Armonim & Mephibosethũ, & quinq; Micholis filiæ Sauli filios, ex Adriele Berzellæi Molathitæ filio genitos, Gabaonitis dedit: quos illi in monte corã Ioua crucifixerũt. Iis septẽ simul uita priuatis primo tempore messis, id est, principio messis hordei, Respha Aiæ filia centone sibi in petra strato, ab initio messis, donec in illos cœlestis aqua destillauit, prohibuit quo minus illi uel interdiu ab auibus, uel noctu à feris inuaderẽtur. ¶ Quod Resphæ Aię filiæ, Sauli concubinę, factũ postquã Dauidi nunciatũ est, profectus est ad ossa Sauli & eius filij Ionathanis, à Iabensibus Galaaditis auferenda, qui illorum corpora surripuerãt ex uico Bethsane, illic à Palęstinis suspensa, quo die Saulus à Palęstinis cęsus in Gelboe fuerat.

2.Reg.18.a *Resphæ pietas.* *Dauid Saulo iusta persoluit.* *1.Reg.31.c*

Hæc Sauli & Ionathanis ossa illinc à Dauide

C sublata, collectis illorũ crucifixorũ ossibus, sepulta sunt Selæ in finib. Beniamitarũ, in sepulchro Cis Sauli patris. His omnib. ex regis mandato administratis, Deus tandẽ terrę illi pacatus est. ¶ Fuit præterea bellũ Palæstinis cum Israelitis, cũ quibus Palæstinis cũ Dauid cũ suis in certamen descendisset, eumq; iam defessum Iesbibenobus de genere gigantũ (cuius hastæ

Iesbibenobus ab Abiseo cæsus.

D ferrum trecentos æris siclos pẽdebat) nouo accinctus ense, interficere conaretur, succurrit Dauidi Abisæus Saruiæ filius, uictumq; Palæstinũ interfecit. Tum Dauidis homines ei iurauerunt, eum deinceps nõ esse secũ ad pugnã egressurũ, * ne lumen Israelitarum extingueret. Postea certatum est item cum Palæstinis apud Nobam, ubi uicit Sobochæus Husathensis Saphũ, à gigantibus ortũ. Itemq; apud Gobã, ubi Elehanã Iaarei filius textor Bethlehemita uicit Goliathũ Gethæum, cuius hastæ lignũ instar erat iugi textorij. Item apud Gethã, ubi immani quidã statura fuit, senos et manuũ & pedum digitos, id est, 24. numero digitos habẽs, ortus & ipse ex gigantibus. Quem Israelitis conuiciantem peremit Ionathan Samaæ Dauidis fratris filius. Quatuor hi Gethæ gigantibus prognati, à Dauide Dauidicisq; deiecti sunt.

a ne moreretur, cum esset Israelitarũ lumẽ. *1. Par. 20.c* *Saphus.* *Goliathus.* *Sedigitus.* *Dauidis carmen, in quo Iouæ gratias a-*

CAPVT XXII.

Pronũciauit autem Dauid carminis huius uerba, posteaquam fuit cùm à cęterorũ hostiũ, tũ à Sauli iniuria Iouæ beneficio defensus, atq; ita dixit: Ioua mihi rupes, arx, liberator est. Deus mihi numẽ est, cui confidã: mihi clypeus & salutare cornu: mihi propugnaculum, mihi perfugium, mihi seruator est, qui me ab iniuria tueatur: qui me Ioua cum eum laudatum inuoco, ab hostibus meis defendat. Cũ me mortis fluctus circumstarent, cum improborũ torrentes perterrefacerent, orci lora circumcingerẽt, mortis laquei præpedirent, in hac angustia Ioua inuocatus, Deus meus imploratus, uocem meã querelamq; de suo palatio exaudiuit, atq; auribus accepit. Tum concussa tellus contremiscere, cœliq; fundamenta tremefacta cohorrescere. Quippe ille iratus, fumum ex naribus, ardentemq; ex faucibus ignẽ eiaculans, & carbonibus exardescens, dimotis cœlis descendebat: subiectaq; pedibus caligine, Cherubo insidebat, superq; uentorũ alis apparens uolabat, & tenebris, aquarumq; nigrore, & nubiũ densitate, umbraculorum loco circumsessus, ardentibus ex eius præsentiæ fulgore, carbonibus i-

git, per quã uictoriam sit & imperium consecutus. *Psal.17.a*

B gneis, de cœlo Ioua supremus magno fragore intonabat, telaq; & fulgura iaculans, cõsternatos dissipabat. Tum illius impetu, nariumq; flatu atq; spiritu, patefactis maris gurgitibus, apertisq; mundi fundamentis, curauit ex alto me eripiendum, & ex tanta aquarum ui extrahendum. Atq; ita me ab hoste meo tam potente & inimicis (qui plus quàm ego ualebãt) defendit, & à periculis, quæ mihi tũ ab illis facessebantur, cõfirmatum, in tutum eduxit, & pro sua erga me beneuolẽtia explicuit, dignisq; innocẽtia & sinceritate mea præmijs remuneratus est. Etenim Iouę normã conseruauerã, neq; impius in Deum meum fueram: quin omnia eius iura mihi proposita habueram, neq; eius instituta abiecerã, ergaq; eum integer, culpam

C cauerã. Ergo mihi Ioua digna innocentia mea, & sibi perspecta sinceritate, præmia rependit. Tu te beneficis beneficum, integris integrum, sinceris sincerum, peruersis autem intractabilem præbes: & humiles cõseruas, & oculos deijcis in superbos. Tu mea lux, Ioua, qui meas tenebras discutis. Per te agmina perrũpo, per Deum meum muros transilio, cuius Dei Iouę & facta integra, & dicta pura sunt, qui omnibus ipso fretis præsidio est. Nã quis Deus est, nisi Ioua? quod numen est, nisi Deus noster? Deus qui me uirtute corroborat, qui mihi plenam uiã aperit, qui meos pedes ceruinos reddit, meq; in meis collocat fastigijs: qui meas manus ita præliari docet, ferreos ut arcus lacertis perfringã. Tu mihi tuæ defensionis scutum tradis, meq; pro tua benignitate amplificas, & meos ita gressus explicas, ut nihil labantibus uestigijs, hostes meos persequar ad exitium, nec nisi confectis illis regrediar, eosq; ita con-

D sumam atq; proflige, ut sub meis prostrati pedibus, non resurgant. Tu mihi uirtute militari ornato, subigis aduersarios: tu mihi infestos hostes, oblatis eorũ tergis, das perdendos, inuocantes illos quidem, sed indefensos, Iouam, sed

no:1

non exaudientem, me eos terrei pulueris ritu contundente, me ad luti uicorum instar eos cōminuente atque pauiente. Tu me meorum seditionibus liberatū, ad gentium potentatū conseruas, ut mihi ignoti seruiant homines: ut mihi perdomiti alienigenæ, ad nutum obediant: ut labefactati externi, suis in latebris pertimescant. Viue Ioua: grates tibi, ô meum numen, ago: te Deus, meæ salutis numē, extollo: Deus qui meas ultus iniurias, mihi populos subigis, me ex hostibus asseris, supra aduersarios effers, (Rom.15.b) & à crudeli liberas homine. Quare ego te, Ioua, inter gentes celebrabo, tuumque nomen canam, qui tantas regi tuo uictorias cōcilies, teque tam beneficum tum uncto tuo Dauidi, tum eius soboli, præbeas in sempiternum.

CAPVT XXIII.

(Dauidis uerba nouissima.)

SEquuntur Dauidis uerba nouissima. Dicit Dauid Isæi filius, dicit uir unctus Dei Iacoborum constitutus, Israeliticorū carminū deliciæ. Iouę spiritus per me locutus est, eiusque effatum in lingua habeo. Fatus est Deus Israelitarū, mihi promisit numen Israelitarū, rector hominum iustus, rector religiosus, quales lucescēte matutino in ortu solis, matutino sereno, ex splendore à pluuia existunt ex terra stirpes, sic planè meæ posteritati cum Deo actum iri (qui mecum fœdus æternum fecerit, stabilitū omnino atque ratum) quæ mea posteritas ut planè floreat, ego omni ope omnique studio exopto. At improbis accidet sicuti spinis penitus euellendis, quæ non manibus tractātur, sed ad eas ferro hastiliumque ligno armati accedūt homines, eæque eodē in uestigio cremantur. ¶ Sequuntur eorum nomina, quos fortissimos habuit Dauid. (Quos habuerit Dauid fortissimos.) Iasobaamus Hacmonis filius, princeps trium. is hasta sua uibranda octingentos semel peremit. (B) Secundū hunc fuit Eleazarus Dodis filius Achois nepos, unus de tribus fortissimis. (1.Par.11.b) (Iasobaamus.) (Eleazarus.) Is cum apud Horpam cum Dauide esset, coactis eò Palæstinis ad præliandum, cum recederent Israelitæ, Palæstinos adortus, tādiu eos cæcidit, donec eius defessa manus gladio adhæreret. qua tanta eius diei uictoria Iouæ munere concessa, reuocati reliqui, eum dūtaxat ad spoliandos hostes secuti sunt. Post hunc fuit (Samma.) Samma Ages filius, Hararita, qui congregatis in exercitum Palæstinis, cum cæteri à Palæstinis in fugam uersi essent, cōstitit in medio fundo, qui illic lente plenus erat, eumque fundum defendit: & cæsis Palestinis, præclaram Iouæ munere uictoriam adeptus est. Hi tres principes inter triginta, descenderant aliquando ad messem ad Dauidem, ad speluncam Odollā, Palæstinorum copijs in ualle gigantū castra habentib. Et Dauid, qui tum in castello erat, Palæstinorū præsidio (C) ad Bethlehemā posito, optauit, dixitque cupere sibi dari ad bibendū aquā ex puteo Bethlehemæ, ad portam posito. Atque hi tres heroes per Palæstinorū castra proruperunt, haustāque de Bethlehemæ puteo ad portam posito aquā, Dauidi attulerūt. Sed noluit bibere, eamque Iouæ libauit: Absit hoc à me ô Ioua, inquit, ut cōmittam ut hominum sanguinē bibam, qui hāc uitæ suæ periculo petierunt. Ita noluit eam bibere. Atque hæc quidem fecerunt tres hi fortissimi. ¶ Abiseus quoque Ioabi frater, Saruiæ filius, (Abiseus.) alterorum trium princeps, hastam suam in trecentorum necē uibrauit, atque inter hos tres tantum nomen, tantamque uirtutis opinionem consecutus est, ut eis dux fuerit: tametsi ad tres superiores non peruenit. Banaias etiam Ioiadę filius, (Banaias.) (D) filij uiri fortissimi, & rerum gestarū magnitudine clari, Cabseelensis, duos Moabiticos leones immanes interemit, et in mediū antrum niuali tempore introgressus, leonē occidit. Idē interfecit Aegyptium quendā spectandæ proceritatis hominem: cum quo hastam habente, ipse baculum habens congressus, ei hastam de manu extorsit, eūque ipsius hasta peremit. Hæc sunt Banaiæ Ioiadę filij facinora, qui in trium alterorum numerum uenit, precipuę inter triginta uirtutis, quanquā ad tres priores nō peruenit. Hoc Dauid à consilijs usus est. ¶ Ex triginta fuerūt Asael Ioabi frater, (Triginta fortes.) Elehanā Dodonis filius Bethlehemita, Samma Harodius, Elica Harodius, Heles Phaltius, Ira Accis filius Thecuanus, Abiezer Anathothensis, Mobonais Husathensis, Salmon Achoiensis, Maharais Netophatensis, Helebus Baanæ filius Nethophatensis, Ithais Ribais filius Gabaanus Beniamita, Banaias Pharathonensis, Heddais à flumine Gaa, Abialbon Arbathensis, Azmauethus Beroniensis, Eliaba Salabonensis, Iasenis filius Ionathā, Samma Hararita, Achiamus Sarari filius Ararēsis, Elipheletus Ahasbais filius Maachathensis, Eliamus Achithophelis filius Gelonensis, Hesrais Carmelita, Pharais Arbius, Igaal Nathanis filius ex Sophene, Banis Gadius, Selecus Ammonita, Naharais Berothensis, armiger Ioabi Saruiæ filij, Ira Ietherius, Garebus Iethrius, Vrias Hettæus, quorū omnium summa est septem & triginta.

CAPVT XXIIII.

RVrsus autē irato Israelitis Ioua, eò impulsus est rex Dauid, ut iuberet Israelitas Iudæosque numerari: (Iubet Dauid populū numerari.) Ioaboque suarum copiarū duci imperaret, ut omnes tribuum Israelitarum fines à Dane ad Bersabam peragraret, populūque recenseret, quò eius numerum sciret. Cui Ioabus respondit, optare se ab ipsius Deo Ioua, ut populum insuper uel centuplo spectante ipso rege, multiplicaret: cæterùm cur id fieri uellet, causam non esse. Sed uicti regis imperio Ioabus & cęteri duces exercitus, ab eo profecti sunt ad Israelitas recensendos: traiectoque Iordane, consederunt Aroere ad dextram oppidi in medio Gadinorū fluuio positi. Inde ad Iazer, & in Galaaditidem, & in fines inferiores Hasdis ueniunt. Inde in Daniaan: & circuita Sidone, ad Tyri munimentum, & ad omnia Heuęorum ac Chananæorum oppida, & ad Bersabā usque in Iudææ meridiano tractu positam progressi, (B) tota perlustrata terra, post menses nouē & dies uiginti Hierosolymam reuertuntur: regique numerum recensiti populi refert Ioabus, qui numerus fuit Israelitarum octingenta millia hominum qui arma ferre possent, Iudęorum

a cum deus Abrahamo prolẽ promisisset innumerabilem, Dauid eam numerare uoluit, quasi qui Dei promissum refelleret. Vide 1.Par.27.

autem quingenta millia. At Dauid post hanc populi numerationem, animo percussus, dixit Iouæ: a Peccaui grauiter, in eo quod feci. Quãobrẽ Ioua ignosce mihi tuo noxã, qui tam imprudẽter egerim. ¶ Sed manè simulac surrexit, uenit ad eum Gadus, ipsius Dauidis uates, cui mandatũ fuerat à Ioua ut Dauidi Iouę nomine tria proponeret, quorum unumquoduis eligeret, quod sibi à Ioua fieri uellet. Is igitur Gadus Dauidem aggressus, proponit ei, an uelit suis in finibus septem annos fame laborari, an tres menses ab hostibus suis fugari atq; infestari, an fines suos tribus diebus peste affici: iubetq; ut consideret atq; dispiciat, quid sit illi, à quo missus erat, renunciandum. Et Dauid: Grauiter angor, inquit. incidamus in Iouæ manum, cuius tanta misericordia est: ne'ue in hominum manum cadam. Tum Ioua pestem Israelitis immisit, qua mane exorsa, ad præfinitum spacium, mortui sunt ex populo à Dane ad Bersabam, hominum septuaginta millia. Cumq; genius manum suam in Hierosolymam, ad eam depopulandam intendisset, sedatus ijs pœnis Ioua, genio suo, qui populum uastans, erat apud aream Araunæ Iebusæi, imperauit, ut hactenus manum suam cohiberet. Hunc genium populi uastatorem cõspicatus Dauid, Iouam sic orauit: En ego peccaui, ego in culpa sum: hę quidẽ oues quid cõmiserunt? me pete, quæso, meãq; domum patriã. Atq; eo die Gadus Dauidem adijt, eiq; præcepit ut ascẽderet, & Iouæ arã cõstrueret in area Araunæ Iebusęi. Quò cũ Dauid ex Iouę ad Gadũ mãdato ascẽderet, cõspicatus Arauna tẽdentem ad se cum suis regem, processit: & rege summisse salutato, interrogauit, cur ad se rex, dominus ad seruum, ueniret. Cui Dauid respõdit, ad emendã ex eo aream, in qua Iouæ aram extrueret, coercendæ populi cladis gratia. Tum Arauna regem hortatur, ut capiat & immolet quicquid ei libeat: adesse boues ad sacrificandum, & tribulas boumq; instrumenta pro lignis: quæ omnia Arauna rex regi obtulit, eiq; Iouam eius Deum propitium precatus est. Sed rex precio empturũ se ab illo dixit, seq; gratuitas Iouę Deo suo uictimas immolaturum negauit: emptaq; ab illo area, bubusq;, argenti siclis quinquaginta, illic Iouę aram construxit, solidaq; sacrificia & pro salute fecit. unde pacatus est genti Ioua, & cohibita Israelitarum clades.

Gadus Dauidi tres optiões proponit. C *Genius populi uastator.* D *Arauna.* *Sedatur pestis.*

REGVM LIB. III.

CAPVT I.



CVM autem eò senectutis uenisset rex Dauid, ut iniectu uestium nõ calesceret, suaserunt eius assectatores, ut domino regi puella uirgo quæreretur, quæ eum suo ministerio foueret, in eiusq; cõplexu cubans, eum calefaceret. Itaq; conquisita est per omnes Israelitarum fines formosa puella, inuenta'que Abisaga Sunamitis ad regem adducitur, puella in primis formosa, quæ regẽ fouit, eiq; ministrauit, nec ille cum ea rem habuit. ¶ Adonias autẽ Hagithę filius, regni spe elatus, currus, equites, & pręcursores quinquaginta sibi comparauit, patre interea conniuente, ne eum offenderet. Erat autem is quoq; singulari pulchritudine præditus, à matre post Absalomum genitus. Cum eo faciebant', Ioabus Saruiæ filius, & Abiathar pontifex, eiusq; partes tuebantur. Sadocus autem pontifex, & Banaias Ioiadę filius, & Nathan uates, & Semeis, & Reis, L. & Cerethæi & Phelethæi H. heroesq; Dauidis, ab Adonia non stabant. Igitur cum is Adonias oues bouesq; & opima pecora apud saxum Zoheleth, quod est apud En rogel, immolasset, eoq; fratres suos omnes regis filios, omnesq; Iudęos regios uocasset: Nathanem autem uatem, & Banaiam, heroesq;, & Solomonem fratrem suum nõ inuitasset, admonuit Nathan Bethsabam Solomonis matrem in hunc modum: An'non audiuisti Adoniam Hagithæ filium regem creatum esse, inscio domino nostro Dauide? Quamobrem ades, dabo tibi consilium, quo tuæ tuiq; filij Solomonis saluti cõsulas. Adi regem Dauidem, & ex eo quære, quî fiat, ut cum tibi filiũ tuum Solomonem post se regnaturum, & in suo sessurum esse solio iurauerit, nunc regnet Adonias? Ego te adhuc illic cum rege colloquente, superueniã, & tuam orationem cõplebo. ¶ Tum Bethsaba regem adit in conclaue, admodum senem, & Abisagæ Sunamitis utentem ministerio. Eum summisse salutauit. interrogata ab eo, quid haberet? respondit in hunc modum: Domine, tu mihi tuæ per Iouam Deum tuum iurasti, Solomonem filium meum tibi in regno successurum, & in solio tuo sessurum esse. Atqui scito, Adoniam, te, domine rex, nesciente, regnum inuadere, bouesq; & altilia, & oues magna copia immolare: ad quas epulas cum regios omnes filios, Abiatharemq; pontificẽ, & exercitus ducem Ioabum inuitauerit, Solomonem tuum non inuitauit. In te autem, domine rex, omnium Israelitarum oculi sunt intenti, ut eis significes, ecquis sit in tuo solio post te sessurus. Te quidem cum maioribus tuis iacente, mecum & cum filio meo Solomone pessimè agetur. Ea adhuc cum rege loquente, superuenit Nathan uates. quod postquam est regi nunciatum, ingressus est ille ad regem, & eo summisse salutato, sic inquit: Domine rex, iussisti'ne Adoniam tibi in regnum succedere, atq; in tuo solio sedere? nam is quidem hodie descendit, & boues, altilia, ouesq; magna copia mactauit, & eò regios omnes natos, exercitusq; duces, & Abiatharem pontificem euocauit, qui nunc apud eum epulatur, Adoniamq; regem salutant: cum interea neq; me tuũ, neq; Sadocum pontificem, neq; Banaiam Ioiadæ filium, neq; Solomonẽ tuum inuitauerit. Fit'ne hęc res autore te, domine rex: neq; tu mihi tuo significasti, quis sit in tuo solio post te sessurus? Tum rex iussit ad se uocari Bethsabam. Quæ postquam

Abisaga Dauidis fotrix. *Adonias regnum affectat.* B *Nathan Bethsabam summonet, ut à Dauide regnum Solomoni petat.* C D

postquam ad eum uenit, & ante eum stetit, sic ei iurat rex: Per Iouam uiuentem, qui meam uitam ex tot eripuit angustijs, quemadmodum tibi per Iouam Deum Israelitarum promisi, Solomonem filium tuũ post me esse regnaturum, & in solio meo pro me sessurum, sic hodierno die præstabo. Hic Bethsaba, suppliciter ad terram demisso uultu, regi honorem præbuit: &, Viue Domine rex Dauid, inquit, in sempiternum. ¶ Tum Dauid iubet accersi Sadocũ pontificem, Nathanemꝗ uatem, & Banaiam Ioiadæ filiũ, ijsꝗ ita imperat: Assumite uestros cõseruos, & Solomonem filium meũ mulæ meæ impositum, ad Gehonẽ deducite, eumꝗ ibi tu Sadoce pontifex, & tu Nathan uates, regẽ Israelitarum ungitote. datoꝗ tuba signo, Solomonem regem salutatote. Deinde eum sequimini sessum in solio meo, & pro me regnatum ueniẽtem. Hunc enim tum in Israelitas, tum in Iudæos imperium tenere iubeo. Tum Banaias Ioiadæ filius ita regi respõdit: Faxit Ioua Deus tuus, domine rex, ut quemadmodum ipse tibi adfuit, sic adsit etiam Solomoni, eiusꝗ solium etiam supra Dauidicum soliũ extollat. ¶ Deinde Sadocus põtifex, & Nathan uates, & Banaias Ioaidę filius, & Cerethæi & Phelethæi, descendunt, impositumꝗ regis Dauidis mulæ Solomonẽ, ad Gehonem deducũt: & sumpta olei ampulla ex tabernaculo, Sadocus põtifex Solomonem regem ungit: & signo tuba dato, uniuersi Solomonem regẽ salutãt: eumꝗ cum tanto tibiarũ cantu, tantaꝗ lætitia sequũtur, ut eorum strepitu terra dissiliret. Audijt hoc Adonias, & omnes eius cõuiuæ, qui tum epulas finierant. Et Ioabus audito tubæ sonitu, percontatus est, quid sibi uellet tumultus ille ciuium. Adhuc eo loquẽte, ecce aderat Ionathan Abiatharis pontificis filius. Et Adonias: Ades, inquit: nam uir egregius es, & lætum nuncium affers. Atqui dominus noster rex Dauid (inquit ille, Adoniæ respondens) Solomonẽ creauit regem: cumꝗ eo misit Sadocũ pontificem, & Nathanem uatem, Banaiamꝗ Ioiadæ filiũ, necnon Cerethæos & Phelethęos, qui eum regiæ mulæ imposuerunt: regemꝗ unxerunt Sadocus pontifex, & Nathan uates, apud Gehonem, unde nunc perstrepente urbe uenerunt. Hic est sonitus, quem uos auditis. Quinetiã sedit Solomo in solio regio, dominoꝗ nostro regi Dauidi gratulatũ iuere regij, eiusꝗ Deum comprecati sunt, ut Solomonis & nomẽ excellẽtius, & soliũ magnificentius efficeret, quàm Dauidis. Et rex ipse in lecto, Iouæ Israelitarum Deo summisse gratias egit, qui sibi hodie dedisset, qui in suo solio, se suis oculis uidẽte, sederet. Tum perterriti omnes qui ab Adonia inuitati fuerant, surgũt, & alius aliò discedunt. Ipse Adonias Solomonem formidans, ad aram sese recipit, eiusꝗ cornua prehendit. Quod postquam est Solomoni nunciatũ, Adoniam regis Solomonis metu, aræ cornua tenere, petẽtem, ut sibi rex Solomo iureiurando iam cõfirmet, se non esse eum ferro necaturũ: respondit, si uir frugi fuerit, nihil prorsus ei nocitũ iri: sin quod

Dauid Solomonẽ fieri regem iubet.

E

Solomo rex salutatur.

F

G

Adonias ad arã cõfugit.

in eo scelus deprehensum fuerit, moriturũ esse. Deinde misit qui illũ ab ara abduceret. cumꝗ ille uenisset, & regem Solomonẽ summisse salutauisset, ille eum domum iussit discedere.

CAPVT II.

Dauid autẽ iã morti proximus, Solomoni filio suo pręcepit in hũc modum: Ego discedo, quo solẽt mortales omnes. Tu te fortẽ uirumꝗ præbeto, & Iouæ Dei tui institutionẽ retinens, ad eius normam uiuito: eius instituta, præcepta, sentẽtias, monita, ad pręscriptum legis Mosaicæ cõseruato, ut omnia tibi negocia atꝗ studia feliciter succedant, ut Ioua præstet quæ mihi pollicitus est, uidelicet si filij mei toti & mente & animo ad ei fideliter obtemperandum instititissent, nunquã defore qui ex meo genere Israelitarũ solium teneret. Iam uerò tu scis quid in me cõmiserit Ioabus Saruiæ filius, quid fecerit duobus Israeliticorũ exercituũ ducibus, Abneri Neris, & Amasæ Iethris filio: quibus interficiẽdis, pacẽ belli cruore infecit, & bellico sanguine baltheũ, quo cincta latera, & calceos, quibus indutos pedes habebat, cruẽtauit. Tu pro tua prudentia non patieris eius canos quietè ad inferos descẽdere. At Berzellæi Galaaditę natis id beneficiũ cõferes, ut sint in numero tuorũ conuictorũ, quippe qui mihi Absalomum fratrẽ tuum fugiẽti subuenerint. Habes Semeim Gerę filiũ Geminiẽsem, ex Bahurimo, qui mihi diris modis maledixit, tum cum ad Mahanaim ueni: cui ego obuiã mihi ad Iordanem progresso, per Iouã iuraui, me eũ ferro interfecturũ non esse. Tu eum impunitũ nõ sines (scis enim, qua sapiẽtia uir es, quo pacto sit tibi tractãdus) eiusꝗ caniciẽ ad inferos cruẽtã demittes. ¶ Tũ obdormiuit Dauid cũ suis maioribus, & in urbe Dauidis sepultus est. Regnauit in Israelitas annos 40, Hebrone 7, Hierosolymæ 33. At Solomo in solio Dauidis patris sui cõsedit, G. natus annos 12, H. estꝗ eius regnum probè cõfirmatũ. ¶ Adonias aũt Hagithę filius, ad Solomonis matrẽ Bethsabã uenit, & ab ea interrogatus, saluis'ne rebus ueniret? Saluis, inquit. Volebã te paucis. Cui illa: Dic sanè. Et ille: Tu scis meũ fuisse regnũ, omniumꝗ Israelitarũ oculos in me, tanquã regnaturũ, fuisse cõuersos: sed aliò translatũ est regnũ, & ad fratrẽ meũ delatũ, nẽpe ei à Ioua destinatũ. Nũc ego quiddã à te postulo, quod tu mihi denegare noli. Et illa: Dic sanè. Vt cũ Solomone rege agas, inquit ille (neque enim te repudiabit) ut mihi Abisagã Sunamitidẽ in matrimoniũ det. Tum Bethsaba: Rectè, inquit: ego de te cũ rege sermocinabor. Deinde regẽ adit Solomonẽ, ut cũ eo de Adonia agat. Cui rex ueniẽti assurgit, & eã ueneratus, resedit in solio suo, positoꝗ regię matri solio, ipsa illi dextra assedit, & ita dixit: Paruũ ego quiddã à te postulo, ꝙ tu mihi denegare noli. Cui rex: Postula, inquit, mater: neꝗ enim tibi denegabo. Et illa: Vt det, inquit, Abisaga Sunaimitis Adoniæ fratri tuo in matrimoniũ. At rex Solomo: Cur tu Abisagã Sunamitidẽ Adonię postulas? inquit matri respõdẽs, ac non potius regnũ tũ ei (nã frater est me maior)

Dauid moriens Solomoni præcepta dat.

Deut. 17. d

1. Reg. 3. e

1. Reg. 20. e

B

2. Reg. 19. f

2. Reg. 16. b

2. Reg. 15. d

Dauid moritur.

Act. 2. e. 13. e

1. Par. 29. f

2. Reg. 5. d

C

D

Bethsabá Abisagam Adoniæ postulat in matrimonium à Solomone.

tum Abiathari pontifici & Ioabo Saruiæ filio postulas? At ne mihi Deum habeam propitium (inquit Iouam iurans) nisi Adoniæ consilium istud uita constabit. Itaq; per Iouā immortalem, qui me stabiliuit, & in parentis mei Dauidis solio collocauit, quiq; mihi domū, quemadmodū promiserat, extruxit, hodie morietur Adonias. Hæc locutus Solomo rex, Banaiam Ioiadæ filiū misit, qui illū aggressus interemit.

Adonias occiditur.

Abiatharē sacerdotio abdicat Solomo.

¶ Abiathari autē pontifici imperauit, ut Anathotha in prædiū suū se conferret. Nā sese eum, quanquam morte dignū, tamen nunquā hodie esse interfecturū: quoniā domini Iouæ arcam

E Dauidi patri suo prætulisset: quoniamq; omniū patris calamitatū particeps fuisset. Ita Abiathari Solomo Iouæ sacerdotium abrogauit, ut cōfieret quod Ioua Elis stirpi Silunte minatus fuerat.

1.Reg.2. & 3.f

Horū fama ad Ioabū perlata, qui ad Adonaim, non ad G.L Solomonē H. inclinasset, confugit in Iouæ tabernaculum, & arę cornua prehendit. Quod ubi est Solomoni regi significatum, Ioabum in Iouę tabernaculū perfugisse, & nunc apud arā esse, mittit eò Banaiā Ioiadæ filiū, qui illū aggrediatur. Banaias in Iouæ tabernaculū uenit, & illi à rege imperat, ut prodeat. Ille enimuero renuit: & se ibi moriturū dicit. Quod Ioabi responsum postquā regi Banaias retulit: Vt postulat (inquit rex) facito, eūq; aggredere & sepelito, & me meūq; genus patrium à sanguine, quē Ioabus per iniuriā fudit, expiato, ut factā ab eo cædē Ioua in ipsius caput cōuertat, qui duos homines se & iustiores

F & meliores, inscio Dauide patre meo, ferro oppressos interfecerit, uidelicet Abnerē Neris, & Amasam Iethris filium, hunc Iudaici, illū Israelitici exercitus ducē, quorum sanguis in Ioabi eiusq; posteritatis caput in perpetuū redūdet: Dauide eiusq; progenie et domo atq; solio per Iouā saluis in sempiternū.

2.Reg.3.c
2.Reg.20.c

Ioabus occiditur.

Tū Bananias Ioiadæ filius illū aggressus interficit, illoq; domi suę in saltu sepulto, rex Banaiam Ioiadę filiū pro illo exercitui præponit, & Sadocū pōtificē in Abiatharis loco cōstituit.

Solomo Semei imperat ut in urbe maneat.

¶ Deinde euocato Semei præcipit, ut domum Hierosolymis cōstruat, in qua habitet, ne' ue inde usquā excedat. Quòd si exierit, & torrentem Cedronē transierit, sciat sibi esse moriendū, & sua culpa pereūdum. Semeis regi respōdit, ita sibi placere, & domini se regis mādato obtēperaturum esse: habitauitq;

G diu Hierosolymis. Sed præterito triennio, cum duo eius serui ad Achim Maachę filiū, Gethæ regem, aufugissent, idq; ei nunciatū esset, instrato asino ad Achim profectus est ad cōquirendos seruos suos, eosq; Getha reduxit. Quod postquā Solomo resciuit, Semeim Hierosolymis profectum fuisse Gethā, atq; inde redijsse, eum ad se curat accersendū, atq; ita alloquitur: Cum ego te per Iouā obtestatus, & tibi contestatus fuerim, si quoquā egrederere atq; ires, scires tibi fore moriendū, tuq; mihi ita tibi placere respōderis: cur Iouæ iusiurādū, & meum tibi datum præceptum, nō seruasti? Tu scis, inquit, quāti cōtra Dauidem patrē meū cōmisisi sceleris tibi sis cōscius, quod scelus Ioua in tuū caput retorquet: cum interim & rex Solomo felix, & Dauidis solium Iouæ beneficio stabile futurum sit in sempiternum. Tum Banaias Ioiadæ filius, iubente rege, procedit, illumq; aggressus interficit.

CAPVT III.

Confirmato regno, Solomo affinitatē cōtraxit cum Aegypti rege Pharaone, ducta illius filia, quā in urbem Dauidis induxit: dum interea domū suā exædificat, ædemq; Iouæ, & circū Hierosolymā muros. Quibus quidem temporibus homines in sacellis sacrificabant, quod Iouæ nomini ædes adhuc ędificata nō erat. Ipse Solomo Iouam amans, ex institutis parētis sui Dauidis uitā agebat.

Solomo Pharaonis filiā ducit.
2.Para.1.a

¶ Cumq; in sacellis sacrificia facere atque adolere solitus, profectus aliquando Gabaonem sacrificandi gratia, quòd illic magnum erat sacellum, mille ibi uictimas in ara illa immolasset, apparuit ei Ioua deus, noctu in somnijs, eiq; iussit ut postularet quod sibi uellet ab ipso dari. Cui Solomo respōdit in hunc modum: Tu tuum Dauidem patrem meum, pro eius erga te fide, iustitia, & animi probitate, cùm alijs ingentibus affecisti beneficijs: tum hoc potissimū, quòd ei filiū dedisti, qui in eius solio sedeat, ut apparet.

Ioua Solomoni perfectā sapientiam dat.

B

Quāobrem Ioua mi Deus, postquā tu me, qui tuus sum, regem in locum Dauidis patris mei creauisti, qui necdum per ætatem res administrare scio, & in tuo populo, à te delecto uersor, cuius tanta multitudo est, ut numerari aut recenseri nō possit: da mihi tuo docilem mentē ad tuum populū regendū, bonumq; à malo dijudicandum. Quis enim tuum hunc tam numerosum possit regere populum? Hac re delectatus Ioua Deus, quòd eam rem Solomo postulasset, sic ei respondit: Quoniam tu istud petijsti, neq; longā ætatem, non diuitias, non hostiū tuorum necem, sed prudentiā ad discernenda iura postulasti: scito me tibi nō solum postulata cōcedere, tantamq; mentis sapientiā atq; prudentiā conferre, ut tibi par nemo neq; ante te fuerit, neq; post te futurus sit: sed etiā quæ non orasti, daturū esse: opes dico, et gloriam tantā, ut regū nullus tibi, dum uiues, sit cōparandus. Quòd si traditam à me uitæ rationem sequens, instituta præceptaq; mea patris tui Dauidis exēplo conseruabis, ego tibi ætatem producam.

C
Sap.7.b

Tum expergefactus Solomo, sensit esse somniū: & Hierosolymam profectus, ante arcā fœderis Dominici constitit, solidasq; hostias & pro salute fecit, omnibusq; suis conuiuiū habuit.

Duarū meretricū lis à Solomone dijudicata.

¶ Tum ad regem uenerunt mulieres duæ meretrices, quæ ubi coram eo constiterunt, altera earum sic loquitur: O domine, cum ego & hęc mulier ijsdem in ædibus habitaremus, peperi apud eam domi. Tertio pòst die quàm ego pepereram, peperit & hæc. Cumq; domi simul essemus, neq; ibi quisquam esset præter nos duas, hæc mortuo suo filio noctu (quòd ipsa ei incubuerat) media nocte surgit, & filium meum lateri meo, dormiēte me subducit, ac sibi supponit: suum autē mortuum mihi supponit. Manè ubi me erexi, lactatura natū, uideo mortuū: sed cum

D

eum luce matutina contemplans, animaduerti hunc non esse quem pepereram. Tum altera: Imò meus filius est qui uiuit, inquit: tuus, qui interijt. At illa: Imò tuus mortuus est, meus uiuit. Ad hunc modũ cum illę apud regem altercarentur, rex ita dixit: Vna filium suum uiuum affirmat, alterius mortuum: altera contrà illius mortuum, suum uiuũ: cedo huc mihi gladium, inquit. allatoq; ad eum gladio: Diuidite in partes duas puerum uiuentem, et date utriq; dimidiũ. Hic mulier cuius uiuebat filius, miseratione erga filium suum commota, ita dicere regi: Quæso domine, detur ei potius totus, quàm ut interficiat. At altera: Nec meus esto, nec tuus, inquit, diuidatur. Tũ rex: Detur huic puer uiuus, inquit, neq; perimatur: hæc mater est. Hãc à rege dijudicatam litem ubi audiuerũt omnes Israelitæ, eum metuerunt, uidentes eum in iure reddendo diuina esse sapientia præditum.

CAPVT IIII.

Solomonis officia.

Tenuit igitur Solomo regnum in omnas Israelitas, atq; hi fuerũt eius proceres: Azarias Sadoci filius, antistes. Elihorephus & Achias Sisæ filij scribæ. Iosaphatus Achiludi filius à commentarijs. Banaias Ioiadæ filius dux exercitus. Sadocus & Abiathar põtifices. Azarias Nathanis filius præsidibus præerat. Zabudus Nathanis filius antistes, familiaris erat regis. Achisar dispensator. Adoniramus Abdæ filius à tributis. Habebat autẽ duodecim præsides, omnibus Israelitis impositos, qui regi eiusq; familiæ cibaria ministrabant, singuli singulis anni mensibus, quorũ nomina sunt, Benhur in mõtanis Ephraimitarũ, Bendecer apud Maçam & Salemim & Bethsamẽ, Elonemq; & Bethananem. Benhesedus apud Arubotha, cui Socho & omnis Hephra terra attributa erat. Benabinadabus omnem tenebat Nephathdoram.

B

Is Taphatam Solomonis filiã habebat in matrimonio. Baana Achiludi filius Thanachum & Mageddonẽ, omnemq; Bethsanã quę est apud Sarthanã sub Iezraele, à Bethsana ad cãpum Meholam, usq; trãs Iecmaã: Bengeber tenebat Ramotha Galaaditarũ, cõtributis cum eo uicis Iairis Manasse prognati, in Galaaditide sitis, nec nõ tractũ [a] Argobię in Basana, ubi sexaginta sunt urbes magnę, muris & ęreis munitæ claustris. Achinadabus Adonis filius Mahanaim. Achimaas Nephthalenses, qui & ipse Basemathã Solomonis filiam in matrimonium duxerat. Baana Chusęi filius, Aserienses & Alotha. Iosaphatus Pharuę filius Issacharienses. Semeis Elæ filius Beniamitas. Gaber Vris filius Galaaditidem Sehonis Amorręorum & Ogi Basanæ regis terrã, una prefectura cõprehensam.

a Gaulonim uocat Iosephus.

C

Israelitarũ sub Solomone felicitas. Eccl. 47.c

¶ Erant Iudęi et Israelitę littorea numerosiores arena, epulisq; & uoluptatibus fruebantur, imperium tenẽte Solomone in omnia regna, quę à flumine Palęstinę terrę, ad Aegyptiorum fines continentur, quas omnes gẽtes uectigales subditasq; per omnem uitã habuit.

Solomonis regni magnitudo.

Solomonis uictus.

Eius uictus erat in dies singulos similę cori triginta, farinę cori sexaginta, boues altiles decẽ, armentales uiginti, balantes centũ, præter ceruos, capreas, bubalos, & uiuaria. Nam totius citra flumen positę regionis principatũ tenebat, à Tipsa ad Gazam, in omnes qui citra flumen reges sunt. cumq; suis omnibus undiq; pacẽ habebat, uulgoq; sedebant Iudęi atq; Israelitę tutò sub suis uitibus atq; ficubus, à Dane ad Bersabam, toto tempore Solomonis. Habebat Solomo quadraginta pręsepiorũ millia equorum iugalium, & duodecim millia equitũ.

2. Par. 9

D

Solomonem regem & omnes regiam mẽsam frequentantes alebant præsides illi, suo quisq; mense: neq; inde quicquam detrahebant, & equis mulisq; hordeum, & stramen pro se quisq; in eum locũ aduehebant, ubi rex erat.

Solomonis sapientia.

¶ Fuit autẽ Solomo tanta sapientia & prudentia, tamq; infinita ingenij ubertate diuinitùs præditus, ut non solũ Arabas omnes atq; Aegyptios sapientiæ præstantia superaret, uerũ etiam omnes mortales, ipsumq; adeò Ethanem Ezraitã, & Hemanem, & Calcholem, & Dardã Macholis filios, estq; eius fama apud omnes undiq; gentes diuulgata.

Eccl. 47.c

Dixit tria millia sentẽtiarũ: eius carmina fuerunt quinq; supra mille. Disseruit de arboribus, à cedro Libani, usq; ad hysopum, qui nascitur in parietinis: disseruit & de quadrupedibus, de uolucribus, de serpẽtibus, & de piscibus, conueniebantq; ex omnibus omniũ regũ orbis nationibus ad audiendam Solomonis sapientiam, qui eius sapientiæ famam audiuerãt.

Monumenta ingenij Solomonis.

CAPVT V.

Misit & Hiramus Tyriorũ rex suos ad Solomonem, cum audiuisset eũ loco patris unctum esse regem: nam Dauidi semper amicus fuerat.

Solomonis ad Hiramũ literæ.

Cui Solomo ita significauit: Tu scis Dauidẽ patrem meum non potuisse nomini Iouæ Dei sui templum construere, propter bella quibus circumsidebatur, nondũ sub illius pedes subactis à Ioua hostibus. Nunc scito me louę Dei mei beneficio ociũ undiq; nactũ, neq; ullũ aduersarium aut infestum habentẽ, in animo habere nomini Iouæ Dei mei templũ ædificare, quemadmodũ prædixit Ioua Dauidi patri meo fore, ut eius filius à se in eius solio pro eo collocatus, Iouæ nomini templum cõstrueret.

1. Reg. 7. b
1. Par. 2. c

B

Quamobrem iube mihi cedros ex Libano cædi, sic ut mei serui cum tuis adsint: ego tibi seruorũ tuorum mercedem soluã, quantã tu dixeris. Scis enim apud nos non esse cædendæ materiæ peritos homines, quales sunt Sidonij. ¶ His Solomonis mãdatis auditis multũ lętatus Hiramus, Iouæ tũ gratias egit, qui Dauidi tã sapientẽ filiũ ad tanti populi gubernationẽ dedisset. & Solomoni ita rescripsit:

Hirami ad Solomonẽ responsio.

¶ Audiui quæ tu mihi significauisti. Obsequar omni tuę uoluntati: cedrinã pineamq; materiã mei ex Libano ad mare deuehẽt, ego in rates cõnexam, per mare ad eum usq; locũ mittam, quẽ tu mihi significaueris, eamq; ibi à me dissolutã tu auehes, & mihi uicissim in subministrãdo familiæ meæ cõmeatu obsequeris.

C

Ita & Hiramus Solomoni cedrina pineaq; ligna ad eius arbitriũ suppeditabat: & Solomo Hiramo tritici uiginti cororum millia ad illius alimenta familiæ, & expressi olei uiginti coros, quotannis subministrabat:

nistrabat: estq; Solomo à Ioua sapientia donatus, ut ei fuerat ab illo promissum. fuitq; pax inter Hiramum & Solomonem, intercedente inter eos fœdere. D

Solomonis operæ ad templi materiam.

¶ Imperauit autem Solomo omnibus Israelitis, hominum triginta millia, quos in Libanum denos millenos in mensem per uices mittebat: ita ut cum in Libano singulos menses fuissent, domi binos menses essent. His præerat Adoniramus. Habebat Solomo uectorũ septuaginta millia, lapicidarũ in montibus octoginta millia: prçter præfectos, operi ab eo præpositos, tria millia trecentos, qui prçerant operis. Iussit autem rex comportari saxa ingentia magni precij, ut templum lapide quadrato fundaret: quæ saxa unà cum lignis, structores Solomonis & Hirami, fabriq;, ad templi structuram quadrarunt, ac præpararunt.

CAPVT VI.

Solomo tẽplum ædificat.

2.Para.3.a

IGitur anno ab exitu Israelitarum ex Aegypto quadringentesimo octogesimo, mense Zif, qui secundus est, anno regni Solomonis quarto, cœpit rex Solomo Iouæ templum ædificare. Fuit autem templi, quod Solomo rex Iouæ construxit, longitudo sexaginta cubitorũ, latitudo uiginti, altitudo triginta. Vestibulum ante cellam templi positum patebat in longitudinem uiginti cubitos, in frõte latitudinis templi: in latitudinem patebat decem cubitos, secundum templi frontem. Templum fenestris quæ apertiles et clusiles essent, illustrabat. Templi parieti ædiculas per circuitũ astruebat, quaqua parietes cellam & penetrale circũdabant, & tabulata per circuitum faciebat. Aedicularum infimæ quinos cubitos in latitudinẽ patebant, mediæ senos, tertię septenos. Nam retractiones in tẽplo circumquaq; extrà fecerat, ne ædiculę attingerent templi parietes.[a] Templũ saxo integro, ut auectum erat, sic ædificabatur, ut in eo construendo nulli mallei, aut secures, aut ulla omnino ferramenta audirentur. Ianuas habebãt media tabulata, à templi dextro latere, ad quæ per cochleas ascendebatur, & porrò à medijs ad tertias.

a quadrabãtur in lapicidinis lapides, quo minoris ad ueherẽtur.

B Templum exędificans, atq; absoluẽs cedro tum lacunaria, tum parietes tegebat: & super uniuersum templum ędiculam quinq; cubitos altam extruebat, eamq; tignis cedrinis cum templo coniungebat. Ac tum Ioua cum Solomone locutus est in hũc modum: Quod ad istud, quod tu ędificas, templũ pertinet, si ex institutis meis uixeris, sentẽtias meas executus fueris, mea præcepta omnia obeũda curaueris, ea tibi præstabo, quæ Dauidi patri tuo de te promisi, atq; inter meos Israelitas habitabo, nec eos deseram. Igitur exædificauit Solomo, perfecitq; templum. Eius parietes intus, quantum à solo ad summum patebant, tabulis ornabat cedrinis, quibus ea materia tectis, templi solum pineis tabulis cõsternebat: & uiginti cubitorum spacium ab intima parte templi cedrinis tabulis, qua parietes ab imo ad summum patebãt, cõstructũ, interiore penetralis sanctioris sacrarij structura implebat: reliquos quadraginta cubitos ædes occupabat, id est cella, quæ est ante penetrale. Interiorem cedri templi materiam syluestrium cucurbitarum sculptura, & patula florum celatura ornabat, conuestiente omnia cedro, neque usquam apparente saxo. C

2.Reg.7.c
1.Pa.22.b.c

Penetrale intus in templo interius cõstituebat, ubi arcam fœderis Iouæ collocaret, idq; penetrale uicenos in longitudinem, & in latitudinẽ, & in altitudinem, cubitos patens, auro obrizo intus tegebat: aram autem cedro. Aedem intus auro obrizo operiebat: penetrale aureo interstitio prædudebat. idq;, & totum deniq; templum, nulla omissa parte, totamq; penetralis aram, auro tegebat. In penetrali faciebat duos Cherubos cupressina materia, in altitudinem denũm cubitorum. Vtriusq; alæ quinos patebant cubitos, ita ut alterius alæ extremũ, ab alterius extremo, decem cubitos distaret, eadem utriusq; mensura atq; modo, utroque in denos assurgẽte cubitos. Hos in medio interiore templo ita collocabat, ut passis alis alter hinc, alter illinc, altera ala parietẽ attingeret, alteris autẽ alis medio in tẽplo mutuò se cõtingerent. Hos auro tegebat. D Tẽpli parietes totos undiq; partim prominẽti Cheruborũ & palmarũ, partim patula florum sculptura, intus forisq; ornabat: ipsumq; templi solũ, tum intus, tum foris tegebat auro. In penetralis introitu cupressinas faciebat fores, quarũ postiũ proiectura erat quinaria: quas fores Cherubis & palmis, & patulis floribus cælabat, auroq; integebat, & ipsos Cherubos atq; palmas inducebat auro. Itidẽ in introitu cellæ postes faciebat cupressinos, proiecturã habẽtes ex quarta: ualuas pineas binas, quarũ utraq; fores uerterẽtur, insculptis Cherubis & palmis, patulisq; floribus, & inducto auro ad regulã directo. Atriũ autẽ interius ternis quadratorũ lapidũ, & singulis cedrinarum trabiũ ordinibus extruebat. Hoc Iouæ templũ anno regni Solomonis quarto, mẽse Zif, fundatũ: anno undecimo mense Bul, qui est octauus, omnibus rebus, omnibusq; numeris absolutum est, atq; ita septem annis exædificatum.

CAPVT VII.

Nemorẽsis Libani domus.

AT domum suã ædificauit Solomo tredecim annis: qua ad finẽ perducta, nemorensem Libani domũ construxit in longitudinem centum cubitorũ, in latitudinẽ quinquaginta, in altitudinem triginta, impositam quatuor ordinibus cedrinarum columnarum, quibus columnis cedrina transtra incũbebant. Tabulata autem imposita quadraginta quinq; columnis singulorũ ordinũ quindenis, erãt desuper obducta cedro. Luminũ erat triplex ordo, fenestris inter se triplici uersu respondentibus: quarũ fenestrarũ & foramina omnia, & fores, erant forma quadrata, fenestris inter se triplici serie cõgruẽtibus.

Colũnata porticus.

¶ Fecit & colũnatã porticũ in longitudinẽ cubitorum quinquaginta, in latitudinem triginta, quæ cum suis columnis & coassatione, ante illas posita, eis obiaceret. Fecit & iudicialem tribunalis porticũ, in qua ius redderet, eamq; à pauimẽto ad laquear cedro operuit: cuiusmodi operis erat et atriũ alterũ ędiũ, quas habitabat ipse, ab ædibus ad porticũ, ad cuius porticus rationẽ domũ fecit & Pharaonis

raonis

raonis filię, quam duxerat. Atq; hęc omnia fie-
B bant raris lapidibus, & ad regulam quadratis,
serraq; desectis, tum intus, tũ foris, & à funda-
mẽto ad mutulos, & foris ad maius atriũ. Fun-
damẽtum iactum est ex raris ĩgẽtibusq; saxis,
partim denos cubitos, partim octonos paten-
tibus. Insuper erant rari lapides ad regulã qua-
drati, & cedrus. Atrium maius tribus quadrati
lapidis ordinibus, & uno cedrinarum trabium
ordine circũdabatur: idemq; in atrio ędis Iouę
interiori, & in ædis porticu fiebat. ¶ Curauit au-
tem Solomo rex accersendum Tyro Hiramum
Hiramus conflator. quẽdam, ex matre uidua Nephthalensem, pa-
tre Tyrio, metallicũ, summę in omni metallico
opere faciendo peritiæ, ingenij atq; scientię. Is
ad regem Solomonem uenit, eiusq; opera fecit
Duæ æreæ columnæ. 3.Re.7.c omnia. ¶ Duas columnas æreas formauit in al-
titudinem octonũm denũm cubitorum, qua-
rum utriusq; circuitus erat cubitorũ duodecim.
C Tum duo capitula faciebat, columnarum capi-
tibus imponenda, ex ære conflata, alta quinos
cubitos, quæ capitula columnarũ capitibus im-
posita, singula septenas plagas habebant, ope-
re perplexo, filiorũ opere catenato. Præter co-
lumnas autem faciebat duos malorum punico-
rum ordines per circuitum in una plaga, ad te-
genda capitula, impositafastigio. idemq; in u-
troq; capitulo faciebat: quę quidẽ capitula erãt
opere rosis florido, columnis in uestibulo posi-
tis, quaternos occupantibus cubitos. In capitu-
lis autem insuper secundum uentrem, qui erat
contra plagã, erant ducentorũ malogranatorũ
ordines, utriusq; columnę capitulo circundati.
Has columnas in uestibulo cellæ erigebat, ere-
ctamq; dextrã Iachin, sinistram Boaz nomina-
bat, eratq; in colũnarũ capitibus rosarũ opus.
Lacus fusilis. ¶ Columnarum opere perfecto, lacũ fusilem fa-
ciebat, rotundum undiq;, cuius labra decẽ inter
se cubitos distabant, altitudo erat quinq; cubi-
D torum, ambitus triginta. Subter labiũ globi cu-
curbitarũ syluestrium similes, undiq; lacum cir-
cundabant, & singulorũ cubitorũ spacio deni,
duplici ordine, unà cum ipso lacu conflati, am-
biebant. Lacus duodecim bubus incumbebat,
quorũ tres ad septentriones spectabant, tres ad
occidentẽ, tres ad meridiẽ, tres ad orientẽ: qui
lacui suppositi, posteriora tota intus habebãt.
Crassitudo erat palmaris: labrum, quale labro-
rũ in poculis opus est, rosis floridũ, capacitate
duorũ millium batorũ. ¶ Faciebat & bases de-
Bases æreæ cem æreas, quę singulę quatuor cubitos in lon-
gitudinem, & totidem in latitudinem patebãt:
in altitudinem autem tres, quarum basium hęc
erat ratio. Areolas habebant clausulis interie-
ctas, quibus in areolis erant leones, boues, &
Cherubi. Clausulis aũt, tam supra quàm infra
leones & boues, erãt superadditi tori, opere si-
mo. Habebant autem singulæ bases, quatuor
ęneas rotas, æneosq; asseres, & in quatuor an-
gulis humeros subter lauacrũ cõflatos, omnes
E contra toros. Lauacri os intus supra capitulum
patebat unum cubitũ, idq; opere undiq; æqua-
liter rotundo, sesquicubitale, quo in ore erant
etiam sculpturæ. Erant autem earũ areolæ qua-
drate, nõ rotundæ. Areolis suberãt quatuor ro-
tæ, quarum axes in basibus inerant. Rotæ erãt
altitudine sesquicubitali, ea ratione factæ, qua
fiunt rotæ curruũ, axibus, canthis, modiolis, ra-
dijsq; omnibus fusilibus. Quatuor autẽ hume-
ri, qui in quatuor pinnis uniuscuiusq; basis e-
rant, ex ipsa erãt basi. In summa basi capitulũ e-
rat dimidij cubiti altitudine, rotũdo circuitu: &
in eiusdem basis summo erãt ipsius processus,
eiusq; areolæ erant ex ipsa. Impresserat autẽ in
eius processuum tabulis, inq; areolis, humana
specie Cherubos, cũ leonibus & palmis, circũ-
dantibus toris. Ad hunc modũ fecit decem ba-
ses, eadem omniũ conflatura, mensura, ac figu- F
ra. ¶ Deinde faciebat decem ęnea lauacra, qua- *Lauacra.*
dragenos batos capiẽtia, quaternũm cubitorũ,
quę decẽ basibus, singulę singulis, imponeren-
tur. Bases autẽ quinq; in dextera templi parte,
& totidem in sinistra collocabat: lacũ in dextra
templi parte ad orientem, secundũ meridiem,
ponebat. Deinde cacabos, fuscinas, & phialas
fecit Hiramus, & omne opus tẽpli Iouæ, quod
Solomoni fecit, absoluit: uidelicet columnas *Operis*
duas, & rotunda capitula harũ duarum colum- *summa.*
narũ fastigijs imposita, & plagas duas ad hæc
operienda capitula, & malogranata quadrin-
gẽta, ad duas plagas, uidelicet binos malogra-
natorum ordines in singulas plagas, quibus ro-
tunda capitula columnis imposita tegerentur.
Item bases decẽ, & totidẽ lauacra basibus im-
ponẽda, & lacũ unum, & boues duodecim la-
cui supponẽdos, & pelues, & fuscinas, & phia-
las: breuiter omnia huiusmodi uasa, quæ fecit
Hiramus regi Solomoni, ad ędem Iouę, ex ære
fulgenti. Atq; hæc omnia in planicie Iordanis G
conflauit rex Solomo in Argillacea terra, inter
Sochoth & Sarthan, omissa tot uasorũ põderis
disquisitione, quòd ea tot erãt, ut æris pondus
peruestigatũ nõ sit. Fecit etiã Solomo omnem
templi Iouę supellectilẽ, altare aureũ, mensam
aureã, in qua panes essent appositij: candela-
bra quinq; ad dexterã, totidemq; ad sinistram,
ante penetrale, ex auro puro, & lilia, & lucer-
nas, & foculos aureos, & capides, & instrumẽ-
ta musica, & phialas, & lances, & thuribula, ex
auro puro: tum cardines ostiorũ interioris tem-
pli sanctioris sacrarij, id est ostiorum cellę tem-
pli, aureos. Hoc omne templi Iouę opus, post-
quam absoluit rex Solomo, cõsecratum à Da- *2.Par.5.a*
uide parente suo argentum, aurum, atq; uasa in
ædis Iouæ fiscum intulit, ibiq; reposuit.

CAPVT VIII.

TVm senatores Israelitas, omnes tribuum *Area in tẽ-*
principes, familiarum Israeliticarum pri- *plum in-*
marios, ad se Hierosolymã cõuocauit Solomo *fertur.*
rex, ad auferendam arcam fœderis Iouæ ex ur- *2.Par.5.a*
be Dauidis: id est, ex Sione. Ita cõuocatis ad re-
gem Solomonem omnibus Israelitis in festo
mẽsis Ethanim, qui septimus est, coactisq; om-
nibus senatoribus Israelitis, sustulerũt sacerdo-
tes arcam Iouæ: unà cum oraculi tabernaculo,
omniq; sacro tabernaculi instrumento. quibus
sacerdotibus & Leuitis ea gestantibus, aderãt
simul eò ante arcam congregati, rex Solomo,
& omnis

& omnis Israelitarum conuentus, innumeram immensamque balantum atque boum multitudinem immolantes. Igitur sacerdotes arcam foederis Iouæ in suum locum, in penetrale templi, in sanctius sacrarium subter alas Cheruborum intulerunt. Nam Cherubi alas in arcæ locū porrigebant, eamque supernè, & eius uectes, tegebant: qui uectes ita longi erant, ut eorum capita ex sacrario in conspectu penetralis extarēt, neque foris appareret. atque illic adhuc sunt: neque quicquam est in arca, præter duas lapideas tabulas, quas ibi reposuit Moses in Horebo, tum Heb.9.a cum Ioua cū Israelitis ex Aegypto egressis foedus percussit. Exo.34.d Deinde egressis ex sacrario sacerdotibus, tanta nubes Iouæ ædem repleuit, ut nequirent sacerdotes ad ministrandum manere, præ Iouæ splēdore, qui ædem repleuerat, 2.Para.6.a Tum Solomo sic fatus est: Ego tibi Ioua, qui tenebras inhabitare statuisti, commorandi domicilium ędificaui, stationem in qua semper habites. Tum conuersus rex, omni Israelitarū coetui, qui astabat, bene precatus est. Deinde ita locutus est:

Solomonis precatio in dedicatione templi.

¶ Grates ago Israelitarū Deo Iouę, qui quod Dauidi patri meo uerbis promiserat, re præstitit. Dixerat enim se, postquam suos Israelitas ex Aegypto eduxisset, nullam ex ulla Israeliticarū tribuum urbem delegisse ad ędificandam ædem, ubi suum nomen esset: sed Dauidem elegisse, quem suis præficeret Israelitis. 2.Reg.7.a Cumque is Dauid pater meus in animo haberet, ædem nomini Iouæ Dei Israelitarum construere, Ioua ei demonstrauit, quòd ei in animo esset ipsius nomini ædem construere, eum rectè facere, qui id in animo haberet. sed tamen non ipsum esse constructurū ædem: sed eius filium, ex eius lumbis egressum, Iouæ nomini ædem esse constructurum. Hoc suum promissum Ioua præstitit. Nam ego Dauidi patri meo successi, inque Israelitarum solio, sicuti Ioua promiserat, sedi, & ædem nomini Iouæ Dei Israelitarum construxi, & ibi locum arcæ destinaui, in qua foedus est Iouæ, quod cum maioribus nostris à se ex Aegypto eductis percussit. Hic Solomo ante aram Iouę, coram uniuerso Israelitarum conuentu astans, passis in coelum palmis, C ita fatur: Ioua Deus Israelitarum, nullus tecum 2.Mac.2.b cōferendus Deus est, neque suprà in coelis, neque infrà in terris, qui pacta conseruas, & beneficia confers in tuos cultores, tibi tota mēte obtemperantes: qui quidem seruo tuo Dauidi, meo parenti, fidem datam cōseruaueris: quodque uerbis promiseras, reipsa sine dubio præstiteris. Quare, Ioua Deus Israelitarum, præsta tuo seruo Dauidi, patri meo, quod ei pollicitus es: scilicet 2.Reg.7.b effecturum esse te, ut ei non deesset, qui in Israelitarum solio sederet, si modò eius posteri suos tibi mores, eius exemplo probauissent. Nunc, Deus Israelitarum, confirmetur quæso quod tu tuo seruo Dauidi, meo patri, pollicitus es. Enimuero habitabit scilicet Deus in terris: en ipsi te coeli coelorumque coeli non capiūt, nedum hęc à me constructa ędes. Verūtamen respice meas tui preces atque supplicationē, Ioua mi Deus: audi meas hodiernas apud te obsecrationes atque preces, ut oculos in hoc templum (quem locum tuo nomini collocādo destinasti) noctes & dies apertos habeas, & preces exaudias, quibus tui te ad hūc locum precabuntur. Igitur quod te tui Israelitæ, populus tuus, ad hunc locū orauerint, tu ex tuę sedis coelesti loco exaudias: & cū audiueris, propitieris. Deut.12.b

D Si quis in alterum aliquid commiserit, & ab eo in iusiurādum uocatus fuerit, idque iusiurandum ad aram tuam in hanc ædem delatum fuerit, exaudito tu de coelis: facitoque tuis ut ita ius reddas, ut & nocentem condemnādo, & innocentem absoluendo, huic sua innocētia, illi suis facinoribus dignum prēmium rependas.

Cum uicti ab hoste Israelitę tui, propter suū in te peccatū, sese ad te conuertent, tuumque nomen celebrabunt, & te suppliciter hac in æde orabunt, exaudito de coelis, & tuorum Israelitarum peccato ignoscito: eosque in terram, quam eorum maioribus dedisti, reducito.

Cum clauso coelo, desiderataque pluuia, propter eorum in te peccatū, precabuntur ad hunc locum, tuumque nomen collaudabunt, & te eos affligente, à suis peccatis recedent: audito de coelis, tuorumque seruorum, & tui Israelitici populi peccato ignoscito, eos in rectam uiā, quà gradiantur, dirigens: pluuiaque terram tuam irrigato, quam tuis dedisti possidendam.

Fames si hos fines inuaserit, si pestilentia, si ardores, si rubigo, si locustę, si eruca incesserit, si ab hoste sua in patria obsidebuntur, denique quęcunque clades aut morbus erit, omnes precationes, omnes supplicationes, quę ab ullo tuorum Israelitarum fient, qui suę mentis uulnus agnoscens, palmas suas ad hanc ędem extendet, audito de tuo coelesti domicilio atque sede: ignoscitoque, & facito ut suis cuique digna omnibus factis reddas, prout eius mentem cognitam habebis (nam tu solus totius humani generis mentes perspicis) ut te metuant, quandiu uiuent in terra à te maioribus nostris data. E

Quinetiam si extranei, & à tuis Israelitis alieni, audito tuo tam pręclaro nomine, manuque forti, & extento brachio, uenerint ob tuum nomen, ex finibus remotis, & ad hanc ædem precati fuerint, audito de coelo tuę sedis domicilio, & extraneis illis postulata omnia concedito: ut omnes terrarū nationes, tuo nomine cognito, te uereantur, sicut Israelitę tui. utque sciatur, hanc à me constructam ædem à nomine tuo censeri.

Si tui ad bellum cōtra hostes tuos profecti, quò tu eos miseris, Iouam orauerint uersus urbem à te delectam, uersusque ędem à me tuo nomini cōstructam, exaudito de coelis eorum preces atque supplicationes, eorumque causam agito.

Si cum in te peccauerint (nemo est enim qui non peccet) tu offensus, eos hosti addixeris, in hostilem terrā, siue remotiorē, siue propiorem, in captiuitatem abducendos: & in ea terra, in qua captiui erūt, mutatis animis, ad tibi supplicandum sese conuerterint, suum peccatum, culpam, impietatemque confitentes, atque ad te tota mente totoque animo conuersi, in hostium finibus, apud

2.Para.6.g 1.Ioan.1.d Eccl.7.e

bus,apud quos erũt captiui, te precati fuerint, F uersus terram suam, quã tu eorum dedisti maioribus, uersus urbem quam delegisti, uersus ædem quam ego tuo nomini ædificaui, audito de tuæ sedis statione cœlesti, illorũ preces atq; supplicationes, eorumq; causam agito: & tuis cõmissum contra te peccatum, omniaq; eorum in te delicta, ignoscito: & illorum, apud quos erunt captiui, misericordiam sic in eos moueto, ut eorum misereantur (nam tuus sunt populus, & patrimonium, à te ex Aegypto de medio ergastulo ferreo educti) ut oculos ad tuorum cultorum, ad tui Israelitici populi supplicationem apertos habens, eos in omnibus, in quibus ab eis inuocaberis, exaudias. Nã tu eos tibi in patrimonium secreuisti, ex omnibus terrarum nationibus: quemadmodum per Mosem tuũ locutus es, cum maiores nostros ex Aegypto educeres, Domine Ioua.

Finitis omnibus his ad Iouam precibus atq; supplicationibus, surrexit Solomo, ut ante arã Iouæ flexis genibus, passisq; in cœlum manibus fuerat: & stans, magna uoce omni Israelitarum multitudini bene precatus est in hæc uerba: Grates ago Iouę, qui suis Israelitis quietem, sicuti promiserat, dederit, ne una quidem re omissa ex omnibus quæ per Mosem suum bona promiserat. Adsit nobis Ioua Deus noster, ut adfuit maioribus nostris, ne nos desertos relinquat, ut mentes nostras sic ad se alliciat, ut ad omne eius præscriptum uiuentes, eius præcepta, decreta, sententias, quas maiores nostros G docuit, obeamus: utq; mea hæc uerba, quibus Iouę supplicaui, prę̃stò adsint apud Iouã Deum nostrum dies noctesq;, quò & meã & suorum Israelitarum causam agat, quandocunq; res postulabit: ut sciant omnes terrarum nationes, Iouam esse Deũ, nec ullum præterea: & uos mentes erga Iouam Deum nostrum rectas habẽtes, ad eius placita uiuatis, eiusq; pręcepta planè cõseruetis. Deinde apud Iouã sacrificium fecit Solomo rex, unà cum omnibus Israelitis: immolauitq; Iouæ hostias pro salute, boum uiginti duo millia, & balantum centum uiginti millia: dedicauerũtq; ædem Iouæ, rex & omnes Israelitæ. Eodem die consecrauit rex medium atrij, ante Iouæ templum positi. Nam illic solido sacrificio, fertoq;, & adipib. pro salute fecit: quòd erat ara ænea Iouæ apposita minor, quàm ut hostias, & ferta, & adipes pro salute caperet. Atq; eo tempore Solomo unà cum omnibus Israelitis (quorum ingens copia ab usq; Hemathæ confinio, ad fluuium Aegypti, aderat) festum egit apud Iouam Deum nostrum, bis septem dies, id est quatuordecim. Octauo die populum dimisit: atq; illi actis regi gratijs, domum discesserunt, gaudentes, animisq; lætis, propter tot beneficia, quibus Ioua & Dauidem suum & Israelitas suos affecerat.

Solomo populo fausta precatur.

CAPUT IX.

Iterum Solomonem affatur Ioua. 2.Para.7.c

POstquam Solomo Iouæ templũ regiamq;, & omnia quæ ei facere collibuit, absoluit, Ioua ei iterũ apparuit, ut apud Gabaonem apparuerat, itaq; locutus est: Ego tuas ad me preces & supplicationem exaudiui, istam à te constructam ædem consecraui, ut ibi meũ nomen collocem in sempiternum, ibi & oculos & mẽtem semper habeam. Quòd si tu ad Dauidis tui patris imitationem, sincera erga me, rectaq; mẽte præditus, omnia tibi à me præcepta exequens, meum institutũ & sententiam cõseruaueris, ego tui in Israelitas regni solium in perpetuũ stabiliam, quemadmodum Dauidi patri tuo promisi, ei non defore, qui in solio Israelitico sederet. Sin uos aut uestri nati à me desciueritis, neque mea præcepta & decreta uobis à me proposita conseruaueritis, uosq; ad deorum peregrinorum seruitium & cultũ cõtuleritis, ego & Israelitas ex ea terra, quam eis dedi extirpabo: & templũ, quod nomini meo consecraui, repudiabo, usq; eò, ut & Israelitæ prouerbio fabulæq; locũ faciant apud omnes nationes, & templum istud ostentui sit, ut prætereuntes omnes attoniti sibilent, quærantq; quã ob causam Ioua sic affecerit istam terrã atq; fanum. Quibus respondebitur, quoniã relicto Ioua Deo suo, per quem eorum maiores ex Aegypto fuissent educti, sese dijs alijs coniunxerint, eosq; adorauerint, atq; coluerint, propterea Iouã eis illa tot mala importasse. ¶ Præteritis autẽ uiginti annis, quibus Solomo, duas domos, Iouæ uidelicet ædem, & regiam domũ, ædificauit, dedit Solomo rex Hiramo Tyriorũ regi (à quo sibi cedrina pineaq; materia, prorsus ad suũ arbitrium suppeditata fuisset) uiginti oppida in Galilæa. Ad quæ oppida uisenda Hiramus Tyro profectus, cum illa ei non placuissent, ita dixit: Qualia sunt hæc oppida, quæ tu mihi frater dedisti? atq; inde oppida illa à displicẽdo, terra Chabul ad hunc diem uocantur. Miserat autẽ Hiramus regi centum uiginti talenta auri. Tributi autem ratio, quod exegit Solomo rex ad construendam Iouæ ædem, & suas ædes, & Mellonem, & mœnia Hierosolymæ, & Hasor, & Mageddonẽ, & Gazer sic se habet. Pharao rex Aegypti fecit expeditionem, in qua Gazer cæpit: incensumq;, occisis Chananæis oppidanis, filiæ suæ Solomonis uxori dotis nomine dedit. Solomo Gazer ædificauit, & Bethoronẽ inferiorem, & Baalatham & Palmirã in solitudine finium illorũ, tum omnia, quæ habuit commeatus oppida, & quadrigariorum & equitum, deniq; quicquid ei Hierosolymis aut in Libano, omnibusq; imperij sui finibus, ædificare uisum est. Atq; ab omnibus qui supererant ex Amorræis, Hettæis, Pherezæis, Heuæis & Iebusæis, qui non erãt ex Israelitis, id est ab illorum prognatis, qui illis fuerant in ea terra superstites, nec eos potuerant Israelitę euertere: ab illis, inquam, in seruitutẽ redactis, tributũ exegit Solomo, quod adhuc durat. Nam Israelitarũ quidem nullis seruitutem imposuit, sed eis militibus, & stipatoribus, & præfectis & curatoribus, & quadrigariorum & equitũ magistris usus est, cuiusmodi erant pręfecti, quibus mãdata cura erat operũ Solomonis, quingẽti quinquaginta, qui illis imperabant, qui erant in opere occupati. Filia quoque Pharaonis ex urbe Dauidis

2.Re.7.b.c 1.Pa.22.b.c

B

Deut.29.d Ierem.22.c

Quid Solomo Hiramo pro tẽpli materia dederit. 2.Para.8 a

C

Solomonis tributa.

D

Pharaonis filia. 2.Pa.8.b c

uidis in ædes suas sibi ab illo constructas immigrauit: tum ille Mellonem ædificauit. Faciebat autẽ Solomo ter quotannis solida sacrificia, & pro salute, in ara quam Iouæ construxerat, atꝗ apud eam, quæ erat Iouæ apposita, suffiebat. Itemꝗ absoluto tẽplo, classem fecit in Asiongabre, apud Elotha, in littore maris rubri, in finibus Idumæorum: qua in classe misit Hiramus seruos suos, homines nauticos, & maris peritos, unà cum Solomonianis, qui Ophir profecti, exportarunt illinc auri quadringẽta uiginti talenta, & ad regem Solomonem retulerunt.

Solomonis sacrificia.

Solomonis classis.

CAPVT X.

Sabæ regina Solomõnem uisit. 2. Par. 9. a Matth. 12. d Luc. 11. d

ET Sabæ regina, audita Solomonis fama, ad Iouæ nomẽ uenit, ad eum obscuris quæstionibus tentandũ: ingressaꝗ Hierosolymam cum multo admodũ comitatu, cum camelis maximam aromatũ auriꝗ uim & gemmarũ ferentibus, Solomonẽ adit, eiꝗ proponit quicquid habebat in animo. Cui rex Solomo omnes eius quæstiones aperuit, neque regem quicquam latuit, quod illi non explicaret. Tum regina Sabæ tantam Solomonis contẽplata sapientiam, ab eoꝗ constructam domũ, tum eius mensæ uictum, & regiorũ accubationem, & administrorum statũ atꝗ uestitum, eiusꝗ potionẽ, & quæ ad ædẽ Iouæ sacrificia faciebat, attonita, regem sic alloquitur: Vtiꝗ uera sunt quæ ego nostris in regionibus de tuis rebus atꝗ sapientia audiueram: quibus rebus equidẽ non antè credidi, quàm ueni, & ipsa meis oculis spectaui. Enimuerò comperio, ne dimidiũ quidem mihi fuisse narratũ: adeò tu famam, quam ego acceperã,
B sapiẽtia superas atꝗ uirtute. Felices homines tui, felices hi asseclæ tui, qui tibi perpetuò astantes, tuam audiunt sapientiã. Grates Iouæ Deo tuo, qui tibi sic fauerit, ut te Israelitarum solio imponeret, tãto semper amore prosecutus Israelitas, te ut regem crearet, qui ius æquumꝗ faceres. Tum regi Solomoni centum uiginti auri talẽta donauit regina Sabæ, gemmasꝗ & aromatum tantã uim, quanta adhuc non prouenerat. Præterea Hirami classis, quæ aurũ Ophire aduehebat, aduexit Ophire ingentem piceæ lignorum multitudinem, atꝗ gemmas, quibus ex piceæ lignis fecit rex fulcra ædis Iouæ, regiæꝗ, & citharas, & nabla cantoribus: qualis sanè piceę materia nondum huc importata erat, neꝗ uisa. Solomo quoꝗ rex dedit reginæ Sabæ quicquid illi petere uisum est: præter ea quibus illã, ut rege Solomone dignum erat, ultro donauit: atꝗ ita illa se cum suis in patriã recepit. Erat autem pondus auri, quod Solomoni singulis an-
C nis proueniebat, sexcenta sexagintasex auri talenta, præter ea quæ ei pendebantur à mercatoribus, ab institoribus aromatarijs, omnibusꝗ Arabiæ regulis, & regionis prætoribus. Fecit præterea rex Solomo ducenta scuta ex auro ductili, insumptis in singula sexcẽtis auri siclis: trecẽtosꝗ clypeos etiam auro ductili, in quos singulos trinæ auri minę impensæ sunt. Atꝗ hæc in nemorensi Libani domo reposuit. Fecit & solium eburneum, ingens, idꝗ auro probatissimo operuit: cuius solij gradus erant sex, fastigium à tergo rotundum, manus autem utrinꝗ ad locum sessionis: secundũ quas manus astabant duo leones, & ibi duodecim leones in sex gradibus, hinc atque hinc astabant: cuiusmodi opus nullũ in ullo regno factum est. ¶ Atꝗ omnia regis Solomonis uasa potoria, omnisꝗ supellex domũs saltus Libani, ex auro erat, & quidem purissimo, sine argento, quippe quod Solomonis tẽpore nullius habebatur precij. Nam Cilica classis regia, unà cum Hiramica, tertio D quoꝗ anno mare permeans, aurum, argentum, ebora, pauos simiasꝗ apportabat. Ita tãtum diuitijs & sapientia omnes orbis reges Solomo rex superauit: ut totus orbis cõspectum requireret Solomonis, audiendæ sapiẽtiæ causa, qua mens illius prędita diuinitùs erat: utꝗ ei pro se quisꝗ uasa argentea, aureaꝗ, uestes, arma, aromata, equos, mulos, quotannis dono afferrent. Itaꝗ currus equitatumꝗ tantum cõparauit, ut mille quadringentas quadrigas haberet, & equitum millia duodecim: quos partim in quadrigarijs oppidis, partim Hierosolymis apud se dispositos habebat: fecitꝗ rex, ut & auri Hierosolymæ non minor foret copia, quàm lapidum: & cedrorum, quàm sycomororum cãpestrium. Ex Aegypto autem adducendorum Solomoni equorũ hæc erat ratio, ut regiorum mercatorum societas equorum multitudinem precio compararet. Addicebatur autem ex Aegypto abducẽda quadriga una, sexcentis argenteis: hoc est singuli equi cẽtenis quinquagenis: eodemꝗ modo ab omnibus Hettęorũ & Syrię regibus per mercatores adducebantur.

Solomonis soliũ eburneum.

Solomonis diuitiæ.

CAPVT XI.

SEd amauit Solomo rex multas præter Pharaonis filiam mulieres alienigenas, Moabitidas, Ammonitidas, Idumæas, Sidonias, Hettæas: de quibus nationibus Ioua Israelitis interdixerat, ne uel ipsi ad illas, uel illæ ad ipsos uenirent: alioquin fore, ut eorũ mentes ab illis ad ipsarum pellicerentur deos. Illis amore iunctus Solomo, uxores habuit principes septingentas, & concubinas trecentas: per quas uxores alienatus est eius animus, & sub tempus senectutis deflexa mens eius est per illas ad alienos deos: nõ modò ut animo erga Iouã Deum B suum sincerò non esset, ut eius pater Dauid fuerat, sed etiam Astorethum Sidoniorũ, L. & Chamosum Moabitarum H. deum, & [a] Melcomum Ammonitarũ nefas, sequeretur. Adeoꝗ Iouam offendit Solomo, adeoꝗ ei suum officium non præstitit, sicut eius parens Dauid fecerat: ut etiã Chamoso Moabitarũ flagitio fanum in monte Hierosolymis obiacente cõstruxerit, & Molocho Ammonitarum flagitio: idemꝗ fecerit omnibus suis uxoribus alienigenis, quæ suffitus & sacra suis facerent dijs. Itaꝗ incẽsus cõtra Solomonem Ioua, quoniã mẽte à Ioua Deo Israelitarum deflexisset, qui ei semel atꝗ iterũ apparuerat, atꝗ hoc præceperat, ne deos sequeretur alienos, cui Iouæ pręcepto ille non obtemperasset, minatus est ei in hunc modũ: Quoniã tu cõmisisti ut fœdus meũ & instituta tibi à me tradita nõ cõseruares, eripiã ego tibi regnum, idꝗ

Solomonis circa fœminas insania. Deut. 17. d Eccl. 47. c Exo. 34. b

[a] idẽ mox Molochus appellatur.

Ioua Solomoni pœnas minatur.

seruo

seruo tuo dabo. Quanquam hoc te uiuēte non C sum facturus, in gratiam Dauidis patris tui: uerùm id filio tuo eripiā. non tamen totū regnum eripiam: sed ei unam tribum concedā, propter Dauidem meum, & propter electam à me Hierosolymā.

Adadus Idumæus Solomonē infestat. *3. Reg. 8. d*

¶ Igitur aduersarium Solomoni Ioua suscitauit, Adadum Idumæum, de stirpe regis Idumæi. Hic Adadus, cū esset Dauid apud Idumæos, Ioabo militiæ duce ad sepeliendos occisos profecto, occisis ab ipso Ioabo omnibus Idumeæ maribus (nam sex menses mansit ibi Ioabus, cum omnibus Israelitis, dum omnes Idumæorū mares excindunt) fugerat unà cum quibusdā patris sui seruis, hominibus Idumęis, ut Aegyptū peteret, cum quidem puer admodum esset. Hi à Madianitis profecti, ad Pharanem uenerant: ascitisq; sibi à Pharane hominibus, in Aegyptum se ad Pharaonē Aegyptiorum regem contulerant: isq; illi & domū dederat, & uictum assignauerat, & terrā tribuerat. D tantamq; in beneuolentiā Adadus apud Pharaonem uenerat, ut ille ei suæ principis uxoris Taphnis sororem in matrimoniū daret. Ex hac & Taphnis sorore filium sustulerat Genubathum, qui à Taphne in ipsa Pharaonis domo educatus, erat in Pharaonis familia, inter ipsos Pharaonis filios. Igitur Adadus, postquā apud Aegyptios intellexit, Dauidē cum suis obdormiuisse maioribus, & Ioabū exercitus ducem mortuū esse, petijt à Pharaone missionē in patriam. Quærentiq; Pharaoni, ecqua re apud se egeret, ut in patriam proficisci cuperet: respondit, uelle se omnino ab eo dimitti.

Razon Solomonis hostis.

Præterea excitauit Solomoni Deus aduersarium Razonem, Eliadæ filium, qui ab Adarezero Sophenæ rege domino suo aufugerat, factaque manu, latronū dux fuerat. atq; hi, dum Dauid Sophenos interficit, Damascum uenerāt: captaq; ibi sede, Damascenum regnum occupauerant. E Is Razon Syriæ regno potitus, Israelitis, præter id malum quod ab Adado inferebatur, toto Solomonis tēpore aduersatus est, eosq; infestauit.

Ieroboamus in Solomonē cōspirat.

¶ Adhæc Ieroboamus Nabati filius Ephratæus, à Sareda, Solomonis seruus (cuius mater nominabatur Serua, mulier uidua) in regē conspirauit, cuius conspirationis causa hæc fuit: Mellonem ædificante Solomone, & urbis Dauidis patris sui dirutam partem obstruēte, erat Ieroboamus uir robustus: quem iuuenem cum uidisset in opere uersantem Solomo, uniuerso Iosepheorū tributo præposuit. Quodam tempore accidit, ut egressus Hierosolyma Ieroboamus, in uia occurreret Ahiæ Silonio, uati, nouum palliū induto.

Ahias uates.

Hic cum duo soli essent in agris, capit Ahias pallium nouum, quo uesti F tus erat, idq; in duodecim partes discerpit, atq; ita Ieroboamū alloquitur: Cape partes decem, nam ita tibi significat Ioua Deus Israelitarū: Ego sum Solomoni regnum de manu extorsurus, & tibi tribus decem daturus. Vnam ille tribum habebit, propter meum Dauidem, propterq; Hierosolymā, urbem à me ex omnibus Israelitarum tribubus electam: quoniā illi, relicto me, Astorethum Sidoniorum, Chamosum Moabitarum, & Melcomum Ammonitarum deum colunt: neq; meis gradientes uijs, ut mihi obtemperent, mea placita, instituta, sententias exequuntur, sicuti Dauid pater illius. Ab illo quidem nō totum regnum auferam, sed ei principatum, quandiu uiuet, cōcedam: Dauidis mei causa, qui à me delectus, mea præcepta & instituta seruauerit. Sed auferā ab illius filio regnum, tibiq; decem tribus dabo, cōcessa eius filio una tribu, ut b lucernā habeat Dauid meus semper coram me Hierosolymis, quam urbem meo nomini collocando delegi.

b posteritatem.

G Tibi autē regnum cōciliabo, imperabisq; Israelitis tuo arbitratu. Quòd si omnibus quę tibi præcipiā, obedieris, meis'que uijs gradiens, mihi obsecutus fueris, mea instituta pręceptaq; conseruando, sicut fecit Dauid meus, adero tibi, & domum tibi firmam construam, quemadmodū Dauidi construxi, Israelitasq; tibi tribuam. Atque hac quidem causa Dauidis progeniem premā, sed non semper. Hanc ob causam conatus est Solomo perimere Ieroboamū: sed discessit Ieroboamus, & in Aegyptum ad Sesacum Aegypti regem profugit, atq; in Aegypto fuit usq; ad Solomonis interitum. De cæteris omnibus Solomonis rebus, & gestis, & sapiētia, scriptum extat in libro gestorū Solomonis. Regnauit Solomo Hierosolymis in uniuersos Israelitas per annos quadraginta. Deinde cum maioribus suis obdormiuit: & in urbe Dauidis sui patris sepultus est. Ei in regnū successit Roboamus, eius filius.

Solomo moritur.

CAPVT XII.

2. Par. 10. a

IS Roboamus cum Sichemā uenisset (nam Sichemam conuenerāt omnes Israelitę, eius creādi regis gratia) Ieroboamus Nabati filius, qui adhuc in Aegypto (quò Solomonem regem uitans fugerat) degebat, postquam id audiuit, accersitus aduocatusq;, adfuit unà cum uniuerso Israelitarum conuentu. Atq; hi à Roboamo postularūt, ut, quoniam illius pater iugo eos pressisset, ipse impositam eis ab illo seruitutis duritatem, iugiq; grauitatē leuaret: ita se in eius potestate futuros esse.

Populus à Roboamo petit, ut se mitius tractet quàm Solomo.

Quibus ille respondit, ut in præsentia discederēt, post triduū ad se reuerterētur. Atq; illis digressis, cōsuluit B Roboamus rex senes, qui eius patri Solomoni adhuc uiuenti astiterāt: interrogauitq;, quid censerent hominibus esse respōdendum? Cui illi respondent, si in pręsentia illis obsequatur, eisq; morem gerens, benignè responsum det, fore ut eos semper obtemperantes habeat. At ille, omisso quod dederant senes consilio, iuuenes, qui cum eo educati ei ministrabant, consulit, & ab eis quęrit: Quid'nam cōsulant, ut illis respondeat, qui à se petiuissent, ut à iugo eis à suo patre imposito relaxaret aliquid? Cui iuuenes suadent, ut illis à se petentibus, ut iugi eis ab eius patre impositi grauitatē releuet, ita respōdeat: suorum digitorū minimū crassiorem esse, quàm sui patris medium corporis truncū. quòd si pater eos graui iugo onerauit, se ad id iugū additurū: si pater in eos scuticis animaduertit, se scorpionibus animaduersurū. Die ter-

C *Eccl. 47. d*

tio, cum omnes ad Roboamũ, ſicut ab eo iuſsi fuerant, reuertiſſent: reſpõdit eis rex durius, & neglecto quod ſenes dederant conſilio, iuuenum conſilium ſecutus, ita dixit: Meus pater uos graui iugo preſsit, ego ueſtrum iugũ adaugebo: meus pater in uos ſcuticis animaduertit,
D ego ſcorpijs animaduertam. Non eſt autẽ morigeratus rex populo, ita diſpẽſante Ioua, ut id præſtaret, quod Ieroboamo Nabathi filio per Ahiã Silonium prædixerat. ¶ Tum omnes Iſraelitæ, uidentes ſibi à rege non obtẽperari, ei reſponderunt, nihil iam ſibi iuris [a] in Dauide, nihil poſſeſsionis in Iſeida ſupereſſe: proinde domum diſcedendum Iſraelitis eſſe, & Dauidi ſuæ familiæ proſpiciendũ. Atq; ita diſceſſerunt Iſraelitæ domum, ſic tamen, ut Iſraelitæ, qui Iudææ oppida incolebant, ſub Roboami regno fuerint. Cumq; [b] miſiſſet Roboamus rex Adoramum tributi præfectum ad Iſraelitas, illi eum uniuerſi lapidibus obrutum necarunt. Itaq; occupauit Roboamus quadrigam aſcẽdere, Hie-
E roſolymamq; curſu petere. Atq; ita deſciuerũt Iſraelitæ à domo Dauidis ad hunc uſque diem: cumq; omnes Iſraelitę rediſſe Ieroboamũ audiuiſſent, eum ad cõuentus accerſitum euocarunt, regemq; omnium creauerunt Iſraelitarũ, una tantum Iudæ tribu Dauidicam ſtirpẽ ſecuta. At Roboamus, poſtquam Hieroſolymã uenit, omnem Iudæam ſtirpem, tribumq; Beniamiticam congregat, hominum centũ octoginta millia, lectorum & bellicoſorũ, ut bello ſtirpem perſequeretur Iſraelitarum, regnumq; ſibi Solomonis filio recuperaret. Sed mandauit Deus Semeiæ diuino, ut Roboamo Solomonis filio Iudææ regi, totiq; Iudæ & Beniaminis
F ſtirpi, cæteriſq; Iouæ nomine nũciaret, ne proficiſcerentur, ne'ue fratribus ſuis Iſraelitis bellũ inferrent, ſed domum redirẽt: ſe enim illius eſſe autorem rei. Ita illi Iouæ dicto audiẽtes fuerũt, & ad eius mandatum expeditionem omiſerũt. ¶ Inſtaurauit autẽ Ieroboamus Sichemã in mõte Ephraimitarum, in eaq; habitauit: & inde digreſſus, Phanuel refecit. Deinde ſic ſecum cogitare cœpit: Iam regnum in Dauidis domum redibit. Si homines hi Hieroſolymam ad rem diuinam in æde Iouæ faciendã cõceſſerint, ani-
G mum ad dominum ſuum Roboamum Iudææ regem flectent, meq; interfecto, illum repetẽt. Igitur inito conſilio, duos uitulos fecit aureos, hominesq; monuit, nihil iam opus eſſe ut Hieroſolymã proficiſcerentur: hic adeſſe Iſraelitarum deos, à quibus eſſent educti ex Aegypto. Atq; unũ quidẽ uitulorũ Bethele poſuit, alterũ Dane collocauit: quæ res ſanẽ offenſam attulit, cũ uulgò alterius uiſendi gratia Danẽ uſq; cõmearẽt. ¶ Fecit & ędẽ in edito loco, & ſacerdotes creauit ex uulgo, à Leui nõ ortos. Itemq; feſtum celebrauit octauo menſe, die mẽſis decimoquinto: cuiuſmodi feſtũ in Iudæa fieri ſolebat, & uictimas ad arã immolauit: idq; Bethele fecit ad aram uitulorũ quos fecerat: ibiq; ſacerdotes ſacellanos, à ſe factos, collocauit.

a in rege. ſicut Cæſares à primo nomen habent.

Iſraelitæ à Roboamo deficiunt.

b ſcilicet ante Iſraelitarum diſceſſum.

Ieroboamus rex creatur.

2. Par. 11. a

Semeias diuinus.

Exo. 32. b

Ieroboamus uitulos facit aureos.

2. Par. 11. c

CAPVT XIII.

CVm autem ad arã, quam Bethele fecerat, acceſsiſſet die decimaquinta mẽſis octaui (quẽ menſem ad ſuam libidinem cõmentus erat) feſtumq; Iſraelitis ageret, & ad arã adolendi cauſa aſcendiſſet, ſuperuenit Bethel ex Iudæa diuinus quidã, iuſſu Iouæ, qui Ieroboamo ad aram adolendi cauſa ſtante, clamauit ad aram, Iouæ iuſſu, in hũc modũ: Ara, ara, hoc tibi Ioua ſignificari iubet, fore ut naſcatur de genere Dauidis filius, Ioſias nomine, qui ſuper te mactabit ſacellanos ſacerdotes, ſuper te adolentes, utq; hominum oſſa ſuper te crementur. Cuius rei prodigiũ hoc prædixit Ioua (inquit, tum prodigiũ dãs) quòd ara iam findetur, & impoſitus ei cinis effundetur. His diuini uerbis, quæ ad aram apud Bethel pronunciauerat, auditis, Ieroboamus, protenſa ab altari manu, iubet illũ cõprehendi. Sed exaruit eius manus, quam aduerſus illũ intẽderat, ita ut eam ad ſe retrahere nõ poſſet. Tum diffiſſã ara, effuſus ex ea cinis eſt, ſi- B
cuti prodigiũ Iouæ mandato diuinus prædixerat. Hic rex diuinũ alloquitur: Ora quæſo, inquit, Iouã Deum tuũ, & pro me precare, ut mihi reſtituatur manus mea. Tum diuinus Iouam orat, & ſua regi manus reſtituitur, & in priorẽ ſtatũ redit. Atq; rex eũ ſic alloquitur: Veni mecum domũ, ut prãdeas: ego tibi munus dabo. Cui ille: Etiã ſi mihi dimidiã domũ tuã dares, non te comitarer, aut cibũ potionem'ue hoc in loco caperẽ. Nã à Ioua ita mãdatum habeo, ne C
uel cibũ aut potionẽ capiã: uel eadẽ, qua ueni, uia reuertar. Hoc edicto, profectus eſt alia uia: neq; eadẽ uia reuertit, qua Bethel uenerat. ¶ Erat Bethele uates quidã ſenex. Ad hũc ueniunt ipſius filij, eiq; narrãt omnia quæ diuinus ille eo die fecerit apud Bethel, quæq; regi uerba dixerit. Tum pater à filijs quærit, quãnam ille uia diſceſſerit. Cumq; illi uiã oſtẽdiſſent, qua profectus eſſet diuinus ille, qui ex Iudæa uenerat, mãdat filijs pater, ut ſibi aſinum inſternãt: quo inſtrato, inſcẽdit, diuinumq; ſubſequitur: & eũ ſub quercu ſedentẽ nactus, interrogat, num ſit diuinus ille, qui ex Iudęa uenerit. Cumq; ille ſe eſſe reſpõdiſſet, hortatur ut ſecũ domũ ueniat, D
cibumq; capiat. Cui ille reſpondet, non licere ſibi cum eo reuerti, aut ire, neq; ſe cũ eo cibum potionem'ue eo in loco capturũ eſſe, propterea quòd ſibi à Ioua interdictũ eſſet, ne ibi cibũ potionem'ue caperet, ne'ue eadem uia reuerteretur, qua ueniſſet. At ille dicere, ſe quoq; uatẽ eſſe ſicut illũ: ſibiq; à genio iuſſu Iouæ mandatum eſſe, ut illũ domum ſuã ſecum retraheret, quo cibũ potionemq; ſumeret: atq; hæc mentiẽs dicebat. Ita ille cum eo reuertitur, cibumq; & potionẽ domi eius ſumit. His accubentibus, Ioua cum diuino uate, à Iudęa profecto, quem ille retraxerat, loquitur, & ad eũ ſic clamat: Hęc E
eſt Iouæ ſententia: Quoniã tu in Iouã Deũ tuũ cõtumax, eius tibi traditum præceptũ nõ executus es: ſed reuerſus, cibum potionemq; eo in loco ſumpſiſti, in quo te ſumere uetuerat, nõ eſt uenturum tuũ corpus in tuorum maiorũ ſepulchrũ. Igitur finitis epulis, ille uati, quem reuocauerat, ſternit aſinum: & uates profectus, incidit in leonem in uia, & ab eo interfectus eſt. Cumq;

Vatis cuiuſdam oraculũ in arã Bethelenſem.

4. Reg. 23. d

Ieroboami manus aret.

De Bethelenſi uate, qui aliũ uatem contra Dei præceptum reuocauit.

Vates à leone occiſus.

Cumq; eius corpori in uia proiecto astaret asinus & leo, accidit ut illuc trāsiret homines quidam, qui corpus in uia proiectum, & astantem leonem conspicati, ueniunt in oppidū, in quo senex ille uates habitabat, ibiq; rem nunciant. F Hac re audita uates, qui illū ex itinere retraxerat, dixit esse diuinum, quem Ioua ob eius in se cōtumaciā leoni obiecerit, à quo laceratus necatusq; sit, sicut ipse Ioua ei minatus erat. Deinde filijs suis mandat, ut sibi asinum insternāt: eoq; instrato profectus, inuenit illius corpus in uia proiectum, astantibus asino & leone: cum interea leo neq; corpus deuorasset, neq; asinū dilaniasset. Tum uates ille senex diuini corpus tollit, asinoq; impositum, in oppidum suum ad luctum sepulturamq; reportat, & in sepulchro suo condit: eumq; illi ut fratrem lamentabili luctu prosequuntur. Illo sepulto, suis filijs præcipit, ut se, cū mortuus fuerit, eodē in sepulchro condant, in quo diuinus sepultus sit, suaq; ossa G apud illius ossa ponāt. Etenim futurum id esse, quod ille ex Iouæ mādato pronunciasset in arā apud Bethel sitā, & in omnia collina sacella apud oppida Samariæ posita. Post hāc rem non modò nō recessit Ieroboamus à suis malis moribus, sed etiam iterum ex uulgo hominum sacellanos sacerdotes fecit, & quos ei uisum fuit, ad ea sacerdotia inaugurauit. Quæ res in causa fuit, ut Ieroboami domus detrimētum caperet, & ex orbe terrarum funditùs euerteretur.

CAPVT XIIII.

Ieroboamus uxorem ad Abiam uatem mittit.

PEr id tempus Ieroboamus, ægrotante eius filio Abia, uxori suæ mandat, ut mutato habitu, ne uxorem esse Ieroboami sciatur, Siluntem se conferat. Illic enim esse Ahiam uatem, à quo didicisset, se fore eius regem populi. Igitur secum decem panes tollat, & crustula, mellisq; guttum, & illū adeat, ut ab eo discat, quid puero futurum sit. Vxor mandata facit, profectaq; Siluntem, Ahiæ domum petit, cæcutientis, & oculis præ senio torpētis. Eum autē Ioua præmonuit, iam adfore Ieroboami uxorē, eū percontaturam de filio suo ægrotāte: eumq; dicendis instruxit. B Igitur illa ueniente, seq; dissimulāte, Ahias simulac pedum sonitū per ianuam ingredientis audiuit, sic loquitur: Ades uxor Ieroboami: cur nam te dissimulas? Ego tibi dura mandata fero. I sic renūciatum Ieroboamo: Hæc est Iouæ Dei Israelitarum sentētia: Quandoquidē ego te ex media plebe delectū, meorum Israelitarū imperio præfeci, ereptoq; Dauidicę domui regno donaui, & tamen tantum abest ut tu mei Dauidis (qui mea pręcepta executus est, mihiq; tota mēte obsecutus, ea demū fecit, quæ mihi accepta forēt) similis fueris, ut etiā omnes qui ante te fuerūt, maleficijs antecesseris, meq; post tergū reiecto, eò deueneris, ut C mei irritādi causa deos alienos, & cōflata simulachra feceris: propterea sic habeto, me Ieroboami domui tantū esse malorū importaturū, ut ex Ieroboamicis, nihil neq; tam abstrusum in Israelitis, neq; tam obuiū sit, quin omnia funditus extirpē, etiā usq; ad cōminctorē parietis: eiusq; domū nō aliter abstergeam, quàm fimus prorsus abstergeri solet, ita ut Ieroboamicorū mortui in urbe à canib. ruri à uolucribus aereis deuorētur. Nā Ioua locutus est. Itaque age tu, pete domū. Simulac pedē in urbē immiseris, morietur puer, & ab omnibus deploratus Israelitis sepelietur. Nā hic solus ex Ieroboamicis sepulchrū adipiscetur, D quoniā in domo Ieroboami is est in quo boni quiddā erga Iouā Deum Israelitarū inuentū sit. Suscitabitq; Ioua sibi regem in Israelitas, qui Ieroboami stirpē aliquando eruat. Nec solū hoc: sed etiā Israelitas percussos in modum nutantis in aqua arundinis, euellet ex hac tā bona terra, quam eorū maioribus dederat, transq; flumē disperget, quoniā suis lucis faciēdis Iouā irritarunt: eosq; destituet propter Ieroboami scelera, quæ nō solum cōmisit, uerū etiam Israelitis cōmittendi autor fuit. Tum Ieroboami uxor digressa, Thersam proficiscitur: atq; ea ædiū limen transgrediente, mortuus est puer, & à cunctis Israelitis sepultus est, atq; defletus, quemadmodū Ioua per suū Ahiā uatem prædixerat. De cæteris Ieroboami rebus, quæ bella fecerit, & quo pacto regnauerit, scriptum extat in annalibus regū Israelitarū. Regnauit autem Ieroboamus annos duos & uiginti. E Is postquam cum maioribus suis obdormiuit, regnauit in eius loco Nadabus eius filius.

Roboami regnum. 2.Par.12.d

¶ At Roboamus Solomonis filius, qui in Iudæa regnauit, unū & quadraginta annos natus regnū init, & septemdecim annos Hierosolymæ regnauit: quā urbem Ioua ex omnibus tribubus Israeliticis, in qua suū nomē collocaret, delegerat. Eius mater fuit Ammonitis, nomine Naama. Offenderūt autē Iudęi Iouam, eumq; suis F flagitijs magis irritarunt, quàm unquam maiores irritauerant: sibiq; & sacella, & statuas, & lucos passim in editis collibus, & sub frondosis arboribus cōstruxerunt. Quinetiā fuerūt in ea terra effœminati, & omnia gentiū flagitia imitati sunt, quas Ioua in aduentū Israelitarū exciderat.

Sesaci Aegypti regis expeditio in Hierosolymam.

¶ Hoc Roboamo annū quintū regnāte, Sesacus Aegypti rex expeditionē fecit in Hierosolymam, templiq; Iouæ, & regię thesauros, atq; omnia cæpit, ipsosq; adeò omnes clypeos aureos, quos Solomo fecerat: pro quibus Roboamus rex æneos fecit clypeos, & principibus stipatorum, qui ad regiæ uestibulum custodias agebant, G cōmisit, qui eos, rege in ędē Iouæ ingresso, tollebant, & in stipatorum cellā referebant. Reliquæ Roboami res, & omnia gesta, scripta sunt in annalibus regum Iudææ. Fuit autem inter Roboamum & Ieroboamum perpetuum bellum. Roboamus postquam cum suis maioribus obdormiuit, sepultus est apud suos maiores in urbe Dauidis. Eius mater nomē habuit Naama, Ammonitis.

CAPVT XV.

Abiamus Iudææ rex. 2.Reg.14. f

HVic in regnū successit Abiamus eius filius, qui anno duodeuigesimo regni Ieroboami Nabati filij, regnare in Iudæa cœpit. Regnauit Hierosolymis annos tres. Eius matri nomen fuit Maacha, Absalomi filia. Is omnia cōmissa ante se à patre suo scelera imitatus, animo erga Iouā Deum suū recto non fuit: sicuti B

fuerat Dauid autor generis eius. Quanquam propter Dauidē Ioua Deus eius, ei [a] lucernam cōcessit Hierosolymis, eius filio post eū substituēdo, ut Hierosolymā stabiliret: quoniā Iouæ obsecutus Dauid, à nullo eius præcepto per omnem uitā recesserat, præterquā in Vriæ Hetæi facinore. Intercessit autē bellū inter L. [a] Abiam H. & Ieroboamū per omnem eius uitam. De reliquis omnibus Abiami rebus gestis scriptū extat in annalibus regū Iudææ. Hic Abiamus bellum gesſit cū Ieroboamo: & postquam ad suorū manes concesſit, sepultus est in urbe Dauidis. Huic in regnum succesſit Asa filius eius, qui uigesimo Ieroboami Israelitarū regis anno Iudææ regnum iniјt. Regnauit Hierosolymis annos unū & quadraginta. Eius [b] mater fuit nomine Maacha, Absalomi filia. Hic Asa

a posteritatem · *2.Reg.11.a* · *a H.Roboamum.* · *1.Par.13.a* · *Asa Iudææ rex* · *2.Par.14.a* · *b auia*

C Dauidem conditorē suum imitatus, Iouæ obsecutus est: effœminatos ex ea terra exegit: simulachra à maioribus suis facta omnia sustulit: Maacham quoq; matrem suā imperio abdicauit, quòd ea Pana fecerat in loco: eumq; Pana excîdit, & apud torrentē Cedronem cremauit. Quanquā editorū sacella sublata non sunt, fuit tamē Asa mente erga Iouā integra, quādiu uixit. Patris sui dicata atq; sua, argentū, aurum, & uasa, in ædē Iouæ intulit. ¶ Inter hunc Asam, & Baasam Israelitarū regem, bellum fuit per omnem eorum uitā. Cumq; Baasa expeditionē fecisset in Iudæā, Ramamq; muniret, ut exitū aditumq; ad Asam Iudææ regē intercluderet, cæpit rex Asa omne argentū aurumq;, quod ex thesauris templi Iouæ supererat, regiæq; thesauros, & à suis tradita misit Benadado Tabremmonis filio, Hezionis nepoti, Syriæ regi, Damasci habitāti, cum postulatis huiusmodi:

Baasæ Israelitarum regis expeditio in Iudæam.

D Fœdus inter me & te, interq; meū & tuum patrem intercedit: ego tibi argenteum aureumq; munus mitto. I rescissum fœdus, quod tibi cum Baasa Israelitarū rege intercedit, ut à me discedat. Tum Benadadus Asæ regi morē gerēs, misſis militū suorum ducibus in urbes Israelitarum, subegit Ionem & Danē, & Abelmaachā, totaq; Cenerotha, cum omnibus finibus Nephthalensiū. Quibus auditis Baasa, omisſa Ramæ munitione, Thersæ se continuit. Tum rex

E Asa Iudæos omnes, nullo immuni, congregauit: ijq; Ramæ lapides & ligna, quibus Baasa munitionē faciebat, sustulerūt, quibus ille Gabaam Beniamitarū, Masphamq; muniuit. De reliquis omnibus Asæ rebus, & quātæ fuerint eius uires, quę gesſerit, & quę cōstruxerit oppida, scriptū extat in annalibus regum Iudææ. Is sub senectutis suæ tempus pedibus ægrotauit. Postquā cū suis maioribus obdormiuit, sepultus est apud eos in urbe Dauidis, sui cōditoris.

F Huic in regnum succesſit Iosaphatus, eius filius. Nadabus autē Ieroboami filius, anno Asæ Iudæorū regis secūdo regnū Israelitarum iniјt, regnauitq; in Israelitis annos duos. In hūc Nadabum contra Iouæ uoluntatem uiuentem, patrisq; sui mores & scelera (quibus ille Israelitas obstrinxerat) imitantem, coniurationem fecit Baasa Ahiæ filius, Isſacharianus genere, eumq; Gabathonem Palæstinorū omnibus Israelitarum copijs obsidentē, interfecit, anno Asæ Iudæę regis tertio, et eo occiso regnū inuasit: quo regno occupato, uniuersam Ieroboami stirpē sic interfecit, ut ex ea nullum prorsus in uita relinqueret, quemadmodū Ioua per suū Ahiam Silonium fore prædixerat, propter Ieroboami

Nadabus Israelitarum rex.

G scelera: quæ non solum cōmiserat ipse, sed etiā in Israelitis cōmittēdi causa fuerat: qua sua improbitate Iouā Deum Israelitarum læserat. De reliquis omnibus Nadabi rebus atque gestis, scriptum extat in annalibus regum Israelitarū. Fuit autē bellum inter Asam & Baasam Israelitarum regem, quandiu uixerunt. Anno tertio Asæ Iudæę regis cœpit Baasa Ahię filius regnare in omnes Israelitas, regnauitq; Thersæ uigintiquatuor annos, & contra Iouæ uoluntatē Ieroboami facta & scelera imitatus est, quibus ille Israelitas obligarat.

Baasa Israelitarū rex.

CAPVT XVI.

ITaq; Ioua per Iehum Ananis filiū cū Baasa locutus ita est: Quoniam tu à me ex pædore sublatus, meorumq; Israelitarum imperio præfectus, Ieroboami mores imitaris, meosq; Israelitas sceleribus obstringis, quibus ego sceleribus offendar: propterea ego Baasam, eius'que stirpem peruertā, tuamq; stirpem sic afficiā, ut Ieroboami Nabati filij stirpem affeci, ita ut qui de Baasanis in urbe morietur, is à canibus: qui ruri, is ab aereis deuoretur alitibus. De reliquis

Ioua Baasæ minatur.

B Baasæ rebus, gestisq; & uiribus, scriptū extat in annalibus regū Israelitarum. ¶ Postquā Baasa cum suis patribus obdormiuit, & Thersæ sepultus est, regnauit in eius loco Ela filius eius. Igitur cum per Iehum Hananis filium uatē Ioua super Baasa, eiusq; stirpe, superq; eius tot prauis facinoribus, quibus faciēdis Iouam offenderat, hoc prædixisſet, idem ei euenturum esse quod stirpi Ieroboami, eumq; occisum iri: cum anno uigesimosexto Asæ Iudęę regis, Ela Baasæ filius Israelitarū regnū (quod biennium tenuit) Thersæ iniјsset, cōiurauit in eum Zambris seruus eius, dimidiæ partis quadrigariorū dux, eumq; Thersæ in ędibus Arsę (qui apud Thersam dispensator erat) potantē & ebrium

1.Par.16.a · *Ela Israelitarū rex.* · *Zambris Elam occidit.*

C aggresſus, uulneribus interfecit, anno Asæ Iudęę regis uigesimoseptimo: & pro eo regnum occupauit. eo'que regno & solij sede potitus, omnem Baasæ stirpem, cognatos, amicos funditùs ad unū perdidit, uniuersamq; Baasanam familiā extinxit, queadmodū Ioua Baasę euenturum esse per Iehum uatē prędixerat, propter tot tum Baasę, tum eius filij Elæ, scelera atq; flagitia, quę partim ipsi cōmittendo, partim Israelitas ad cōmittendum inducēdo, Iouā Deū Israelitarū suis uanitatibus læserant. De reliquis omnibus Elæ rebus gestis, scriptum habetur in

4.Reg.2.g

D annalibus regum Israelitarum. Anno Asæ Iudææ regis uigesimoseptimo, potitus regno Zambris, septē dies Thersæ regnauit. Nā postquam milites ad Gabathonem Palæstinorū castra habentes, audiuerunt Zambrim cōiurasse, regemq; occidisse, Ambrim, qui tum Israelitarum imperator erat, eodem die Israelitæ cuncti regem

regem in castris crearunt: cumq; eo omnes à Gabathone profecti, Thersam oppugnare aggressi sunt.

Zambris seipsum comburit.

At Zambris uidens urbem expugnari, regiæ palatium ingressus, regiam secum igne incendit, atq; ita morte luit pœnas scelerũ, quibus patrandis Iouã offenderat: Ieroboami mores imitatus, atq; scelus, quo ille Israelitas obstrinxerat. De reliquis Zambris rebus, deq;
E facta ab eo cõiuratione, scriptũ extat in annalibus regũ Israelitarũ. ¶ Tũc diuisus est Israelitarum populus in partes duas, quarũ una Thebnim Ginethi filium sequebatur, ut eum regem faceret: altera Ambrim. Sed uicerunt Ambriani Thebnianos: mortuoq; Thebni Israeliticũ regnum obtinuit Ambris, quod regnum iniit anno Asę Iudæę regis trigesimo primo, idq; tenuit annos duodecim:

Ambris Israelitarum rex.

Samariæ ædificatio.

quorum sex cum Thersæ regnauisset, emit Samariã montẽ à Semere, duobus argenti talentis, eumq; mõtem extructa urbe occupauit, & eã urbẽ à Semere mõtis domino Samariam denominauit. Adeò autẽ
F contra Iouæ uoluntatem uixit Ambris, ut omnes superiores uitiis antecesserit: omnesq; Ieroboami Nabati filii mores & scelus imitatus est, quo ille Israelitas obstrinxerat, dũ suis uanitatibus Israelitarũ Deum Iouam offendunt. De reliquis omnib. Ambris rebus gestis, deq; eius fortiter factis, memoriæ proditũ habetur in annalibus regũ Israelitarũ. ¶ Ambri uita defuncto, & Samariæ sepulto, regnũ Israelitarũ pro eo accepit Achabus eius filius, quod regnum iniit anno Asæ Iudææ regis duodequadragesimo: regnauit Samariæ annos duos & uiginti.

Achabus Israelitarũ rex.

G Hic Achabus omniũ maiorũ suorũ impietatẽ aduersum Iouam supergressus, parũ habuit Ieroboamũ Nabati filiũ scelerate uiuendo imitari: etiam Iezabelem Ethbaalis Sidoniorum regis filiã in matrimonium duxit. & eò uenit ut Baalem coleret ac adoraret, & ei aram in Baalẽsi templo, Samariæ à se cõstructo, erigeret. Præterea lucũ fecit: grauiusq; Iouam Deum Israelitarum suis factis offendit, quàm ullus Israelitarum regum, qui eum præcesserant.

Hiericho instaurata.

Iosu.6.d

Eius temporibus instaurauit Hiel Bethelensis Hierichuntem, cuius in iaciendis fundamentis Abiramũ primogenitum suũ, & in collocandis foribus portarum Segubũ filiorum suorum natu minimum amisit, quemadmodum Ioua per Iosuam Nunis filium prædixerat.

CAPVT XVII.

Elias siccitatẽ minatur.

Eccl.48.a
Iacob.5.d

Elias autem Thesbita ex incolis Galaaditidis, Achabum sic allocutus est: Per Iouam immortalem, Israelitarum Deum, cui ego appareo, per hos annos neq; ros erit, neque pluuia, nisi ad præscriptum meum. Sic autem Eliã allocutus Ioua est: Discede istinc, & ad orientem digressus, lateto apud Carithum fluuium, contra Iordanẽ positũ, & de eo fluuio bibito. Ego coruis mandabo, ut illic te alant. Ita ille discessit, ut erat à Ioua mandatum, & ad Carithũ fluuium e regione Iordanis positum profectus, ibi mansit, coruis ei manè panem & carnem, itemq; uespere afferentibus, & ad bibendũ suppeditante fluuio. Sed cum aliquanto pòst aruisset fluuius, quòd in terrã nõ pluebat, iussit ei B

Luc.4.d

Ioua ut Sarephtam Sidoniorum se conferret, ibiq; maneret: sese enim illic mulieri cuidam uiduæ mandaturum esse, ut eum aleret. Tum ille digressus, Sarephtã ire contendit: & postquã ad ingressum oppidi uenit, cernit ibi mulierem uiduã lignantẽ, eiq; clamat ut sibi paulũ aquæ in uase petat ad bibendũ. Cumq; illa petitum iret, clamat ut sibi frustum panis secum afferat. Sed illa ita respõdit: Iouã immortalẽ Deum tuum testor, me nihil cocti panis habere, sed tantum pugillum farinæ in cado, & paulum olei in seria, quod collecto uno aut altero ligno, iã mihi meisq; filiis paratum itura sum, ut id comedamus, deinde moriamur. Cui Elias: Bono C
es animo, inquit, i factum sicuti dixisti: sed fac mihi primò inde panem depsititiũ paruulum, eumq; mihi foràs afferto: postea tibi, tuisq; filiis facito. Nã ita pronunciat Ioua Deus Israelitarum, nõ antè uel cadi farinã consumptum iri, uel serię oleũ defecturũ esse, quàm ab Ioua pluerit in terrã. Tum illa iuit, Eliæq; paruit: atq; inde & ipse, & illa, eiusq; familia aliquandiu comederunt: cum interea neq; cadi farina exhauriretur, neq; olei seria deficeret, quemadmodũ fore Ioua per Eliã prædixerat.

Farina & oleum perpetuatum.

¶ Post eas res accidit, ut eius matrisfamiliâs filius tã graui morbo laboraret, ut exanimaretur. Itaq; mulier cũ Elia sic agere: Quid istud, diuine? uenisti ad me, ut mea uitia coargueres, meumq; filiũ interficeres? Tum Elias iussit sibi ab illa filiũ tradi, D
eumq; ex illius sinu exceptũ, sustulit in cubiculũ, ubi uersari solebat. Deinde eo in suo cubili collocato, sic [illegible]t: O Ioua mi Deus, tu'ne uiduæ, cuius ego hospitio utor, tantũ nocuisti, ut eius filiũ perimeres? Tũ sese ter super puero admensus, Iouam inuocat: Ioua mi Deus, inquit, remigret quæso huius pueri anima in eius pectus. Hac Eliæ uoce à Ioua exaudita, rediit anima pueri in eius pectus, atq; ita reuixit puer, eumq; Elias cæpit, & domum ex cubiculo deportatum, matri reddidit: En tibi uiuũ filium, inquit. Cui mulier: Nunc tandem intelligo te esse diuinum, inquit, & uerè Iouæ internunciũ.

CAPVT XVIII.

Ioua Eliã mandat ut Achabum adeat.

Longo pòst tempore, anno tertio, Ioua Eliæ mandat ut se Achabo ostensum eat: sese pluuiam in terras esse demissurum. Igitur Elias ut se Achabo ostendat, proficiscitur. Cum autem fame graui Samariæ laboraretur, uocauit Achabus Abdiã domus procuratorẽ (erat is Abdias Iouæ reuerentissimus: cũq; Iezabel Iouæ uates perderet, subduxerat cẽtum uates, eosq; quinquagenos in subterraneis locis abditos, pane & aqua aliquandiu sustentauerat) eiq; negotium dedit, ut omnes illius regionis fontes & fluuios uiseret, si fortè gramẽ inuenirent, quo equos mulosq; tolerarent, ne iumentis priuarentur. ¶ Cumq; sibi obeundã terram B
ita diuisissent, ut Achabus una, Abdias altera uia seorsum iret, Abdias uiã ingressus, occurrit Eliæ, agnitoq; honorẽ summisso uultu prębuit, &: Tu'ne es dominus Elias? inquit. Cui ille: Sum. I nunciatum domino tuo, adesse Eliam.

Abdias occurrit Eliæ.

At ille: Quid peccaui, ut tu tuum me Achabo necandum obijcias? Ita uiuat Ioua Deus tuus, ut nulla gens, nullum regnū est, quò meus dominus non dimiserit qui te cōquirerent. Cūq; negarent te adesse, ille regna & gentes [a] obtestabatur, quòd te non inueniret. Et tu mihi nūc iubes, ut domino meo nunciatum eam, Eliam adesse? qui postquam à te digressus fuero, auferet te Iouæ spiritus nescio quò. Ego interea, qui hoc Achabo nunciatum iuero, cum te ille non inuenerit, ab eo interficiar, qui tamē Iouæ reuerens fui à pueris: nisi fortè tibi domine re-

C latum nō est, quid ego Iezabele Iouæ uates occidente, fecerim, ut eorū centū, uidelicet quinquagenos in singulis cauernis abditos, pane & aqua aluerim. Et tu mihi nunc iubes, ut Eliā adesse domino meo nunciatum eam, quo me interficiat? At Elias: Sic uiuat Ioua armipotēs, cui ego appareo, ut ego me illi ostendā hodie. Tum Abdias Achabo occursum iuit, eiq; rem nunciauit. Et Achabus Eliæ obuiam progressus, ut eum uidit, sic allocutus est: Tu'ne is es, qui perturbas Israelitas? Cui ille: Non ego, inquit, Israelitas perturbo, sed tu, tuaq; paterna familia, qui omissis Iouæ præceptis, Baales sequimini. Verùm cura mihi cōuocādos omnes Israelitas in montem Carmelum, uatesq; Baalis quadringentos quinquaginta, & [b] lucanos uates quadringentos, Iezabelis conuictores. Igitur accersiuit Achabus omnes Israelitas, uatesq; in montem Carmelum cōgregauit. & E-

D lias accessit ad omnem populum, atq; hæc uerba habuit: Quousq; [c] in utrunq; crus claudicatis? Si Ioua Deus est, hunc sequimini: sin Baal, illū sequimini. Cumq; nihil ei populus respōderet: Ego solus (inquit Elias) Iouæ uates superstum, cum Baalenses uates sint quadringenti quinquaginta, G. L. lucaniq; uates quadringenti. H. Dentur nobis duo tauri, quorū unū illi sibi deligant, dissectūq; lignis imponāt, neq; ignē subijciant: alterū ego immolabo, superq; lignis constituam, neq; ignē supponam. Tum uos Dei uestri nomen appellate: ego Iouæ nomen appellabo. Ac qui Deus igne annuerit, is Deus habeatur. Hic uniuersa multitudo respōdit, conditionē sibi placere. Et Elias Baalis uatibus ita dixit: Deligite uobis taurū alterum, &

E priores facite, quoniā plures estis: Deiq; uestri nomē, nullo igne subiecto, inuocate. Tum illi datū sibi taurū capere, facereq;, et Baalis nomē inuocantes à mane ad meridiē, Baalē orare ut se exaudiret. Cūq; uox nulla redderetur, neq; responderetur, illi altare factum prętergrediebantur. Sub meridiē Elias illos sic deridebat: Clamate magna uoce, nā Deus est: sed aliquid cōtemplatur, aut occupatus est, aut iter habet: nisi fortè dormit, ut sit expergefaciendus. At illi maiore uoce clamantes, seipsos more suo gladijs iaculisq; secabant, eò usq; ut sanguine perfunderētur. Deinde præterito meridie bacchabātur, usq; ad horā qua fertū adoleri solet. Sed cū nulla uox audiretur, neq; quisquā responderet, aut attenderet, iussit Elias omni populo ut ad se accederet. Postquā illi accesserūt, ille dirutā Iouæ arā instaurat, & saxa duodecim capit, pro numero tribuū filiorū Iacobi: cū quo Iacobo locutus Ioua, Israelē nominari instituit. Ex his saxis arā Iouæ nomine cōstruit. & circū eā,

F scrobē ducit, quę circiter duo sata seminis caperet: cōpositaq; strue, dissectū taurū superimponit. Deinde iubet quatuor amphoras aqua repletas in hostiā, inq; struē effundi, idemq; iterū & tertiò faciendū curat, ita ut aqua circū arā redūdaret, ipsamq; scrobē repleret. Postea sub horā rei diuinę accedit Elias uates, atq; ita infit: O' Ioua Abrahami, Isaaci, & Israelis Deus, effice ut hodie intelligatur apud Israelitas, et te Deum, & me seruum tuum esse, tuoq; iussu hæc omnia fecisse. Exaudi me Ioua, exaudi me, ut sciat hic populus te Iouā esse Deū, qui eorum animos retro flexeris. Tū delapsus Iouæ ignis, & hostiā, & ligna, & saxa, & humū absumpsit, & scrobis aquā lambit. Quo uiso, uniuersi pro-

G cidūt, &, Ioua Deus est, Ioua Deus est, dicunt. Tū Elias iubet Baalēses uates cōprehendi, nullo eorū elapso: cōprehensosq; ad Cisonē fluuiū ducit, ibiq; iugulat. Deinde Achabū monet, ut ascendat, & eat ad capiendū cibū: nam pluuiæ murmur adesse. Achabo epulatū profecto, ascendit Elias in uerticē Carmeli, & pronus humi, uultu inter genua sua posito, famulū suum mare uersus ascendere & spectatum ire iubet. Cumq; ille speculatus, retulisset nihil cerni, iubet septies reuerti. Septimo reditu renuncianti, nubeculā instar palmæ hominis ex mari efferri, iubet Achabo nunciatū ire, ut iūctis iugalibus descendat, ne à pluuia opprimatur. Deinde magis magisq; nigrescente cœlo nubibus atq; uento, magna extitit pluuia. Achabus autem conscenso curru, Iezrael ire contendit: cui Elias, instinctus à Ioua, succinctis laterib. præcucurrit, donec Iezrael uentum est.

CAPVT XIX.

Postquam Achabus Iezabeli, quæ fecisset Elias, omnia narrauit, utq; uates omnes ferro trucidasset: Iezabel Eliæ per nuncium significat, nō se recusare quo minus deos habeat infestos, nisi illum postridie ita affecerit, ut illorum quiuis fuisset affectus. Quibus ille minis territus, ut uitæ suæ consuleret, discessit, & Bersabam, quæ in Iudæa est, uenit: ibiq; relicto famulo suo, in loca deserta unius itinere diei progressus, sub quadam iunipero resedit, sibiq; mortem optauit, ita dicens: Iam tandem aufer hanc animam, Ioua: neq; enim ego melior sum quàm mei maiores. Deinde cum sub iunipero iacens obdormiuisset, ecce aderat genius, qui eū tangens dicebat: Surge, cape cibū. Cūq; ille

B aspexisset, animaduertit propter caput suū panem depstitiū, & aquæ guttū: ex quo ubi comedit & bibit, iterum recubuit. iterumq; eum tangens Iouæ genius: Surge, inquit, cape cibū, nam multum tibi restat itineris. Tum ille surrexit, cibumq; & potionem sumpsit, atq; eius dapis ui quadraginta dies & noctes iter fecit ad diuinū montem Horebū: ubi in antrū ingressus, illic pernoctauit. Tum Ioua cū eo locutus est: Quid hic agis, Elia? Cui ille: Ego me Iouæ

Dei

Marginal notes: [a] scilicet per Deum, ut dicerent an tu illic esses. [b] lucorū [c] ambigua sententia nutatis? — Baal frustra inuocatum. — Gen. 32. f — Baalis uates necati. — Elias Iezabelē fugit.

Dei armipotentis studiosum præbui: quoniam Israelitæ omisso fœdere tuo, aras tuas demoliti sunt, uatesq; tuos ferro trucidarunt, me solo relicto, cui tamen animā eripere conantur. Tum ille ei iubet ut prodeat, & in mõte coram Ioua assistat. Et ecce Ioua transibat, quem adeò ingens uehemēsq; uētus antecedebat, ut & montes diuelleret, & rupes perfringeret: in quo tamen uento Ioua non erat. Ventum sequebatur terræmotus, in quo terræmotu Ioua non erat. Terræmotum sequebatur ignis, nec erat in igne Ioua. Ignem sequebatur tacita uox & exilis. Hanc simulac audiuit Elias, læna sua faciem sibi obuelat, proditq;, & in antri astat introitu. Tum ei audita uox est ita dicentis: Quid hic agis, Elia? Cui ille: Ego me Iouæ Dei armipotētis studiosum præbui: quoniam Israelitæ omisso fœdere tuo, aras tuas demoliti sunt, uatesq; tuos ferro trucidarūt, me uno relicto, cui tamē animam eripere conantur. Tum Ioua: Conuerte, inquit, istud iter, & in deserta Damasci reuersus, adito Hazaelem, eumq; ungito regem Syrorum. Iehum autem Nansis filium ungito Israelitarum regem: Elisæū quoque Saphati filium Abelmeholanum, qui tibi uates succedat, ungito, ut qui Hazaelis ensem euaserit, hunc Iehus: qui Iehu ensem euaserit, hunc Elisæus interficiat. Ego Israelitarū septem millia reliqua faciā, quotquot Baalē nec genibus acciderunt, nec oribus osculati sunt. ¶ Igitur ille inde digressus, Elisæum Saphati filium offendit arantē, & duodecim iuga præ se agentem, cum esset ipse in duodecimo: eumq; præteriens, lænam suam in eum cõiecit. Tum ille, relictis bubus, Eliam cursu sequitur: petitq; ut sibi liceat parentibus ualedicere, deinde illū sequuturo. Cui ille permittit ut reuertatur: sese enim nihil impedire. Ita reuersus ab illo Elisæus, par boum capit, mactatq;, & cocta instrumētis aratorijs carne, populo dat epulas. Inde digressus, Eliā sequitur, eiq; administrat.

Ioua cum Elia loquitur. C D *4. Reg. 9.* *Eccl. 48.* *Rom. 11.* *Elias Eliseū uocat.*

CAPVT XX.

Benadadus Syriæ rex Samariam obsidet.

Benadadus autem Syriæ rex, cõtractis omnibus suis copijs, comitantibus triginta duobus regulis, cum equitatu & curribus, Samariam adortus obsedit atq; oppugnauit. missisq; in urbem legatis ad Achabū regem Israelitarum, ei ita significauit: Sic dicit Benadadus, Tuū argentum & aurum meum est: item uxores, formosiq; tui filij, mei sunt. Ad hęc cū respondisset Israelitarum rex, illum regem dominum appellans, se suaq; omnia in illius fore potestate, redierunt legati cum huiusmodi mādatis: Hæc est Benadadi sentētia. Quod ad te misi, ut mihi argentum, aurū, uxores, filiosq; tuos traderes, sic habeto: me crastino die meos ad te missurum esse, qui tuas tuorumq; domus perscrutentur, & tuorum elegantissima quæq; capiant, secumq; auferāt. Tum rex Israelitarum, conuocatis omnibus regionis senatoribus, cõsiderandum deliberandumq; proponit, an ille malum quærere non uideatur, cum ipse missa ab illo de uxoribus suis, & filijs, & argento, & auro mādata nõ repudiauerit. Cui omnes senatores reliquiq; suadent, ne illi obtemperet, aut obsequatur. Itaq; Benadadi legatis ita responsum dat: Dicite domino meo regi, quicquid mihi primùm mandauit, me facturum esse: sed hanc rem facere nõ posse. Hanc rē postquā digressi legati Benadado retulerunt, misit iterū ad eū Benadadus, qui ita nunciarent, nõ se sibi deos optare propitios, nisi tantū hominū ageret, ut eorū pugillis explendis Samariæ puluis non satis futurus esset. Cui rex Israelitarū ita responderi iussit: nõ esse accincto perinde ac discincto gloriandū. Hac audita re Benadadus, qui tum in umbraculis unà cū regibus prandebat, suis imperat ut inuadant urbē: id quod illi fecerunt. Tū accedit uates quidā ad Achabum regem Israelitarū, eiq; ita nunciat: Hæc dicit Ioua: Vides ne tantā istam, tam ingentē multitudinem? scito me eam tibi hodie in manū traditurū esse, ut scias me esse Iouā. Per quos? inquit Achab. Per prætorū calones hoc fore promittit Ioua. Quis autē aciem instruet? Tu ipse. Tū ille prætorū calones recenset, ducentos triginta duos: deinde omnes Israelitas milites, qui fuerunt septem millia. Hi sub meridiē eruptionem faciunt, Benadado in umbraculis, unà cū trigintaduobus regulis auxiliarijs, perpotāte. qui egressis primò calonib. postq; missis, qui rem explorarēt, cognouit homines esse qui Samaria egrederētur, iussit eos, siue pacē, siue bellū ferrent, uiuos cõprehendi. At illi, uidelicet calones, & qui eos sequebantur Israelitæ milites, ex urbe egressi, singuli singulis occisis, Syros fundūt fugantq;, quos deinde Israelitæ persequuntur. Benadadus Syrorū rex equo cū equitibus euadit. Israelitarū rex egressus, equos currusq; delet, ingētiq; clade Syros afficit. ¶ Tū uates Israelitarū regem aggressus, monet ut se cõfirmet, consideretq; & deliberet quid agendū sit: nā ineunte uere Syrorum regē in eū expeditionē esse facturū. Igitur Syrorum regi demõstrāt sui, Israelitarū deos esse mõtanos, eoq; se ab illis esse uictos: sed si cum eis in campestribus pugnēt, haud dubiè superaturos esse. Itaq; suadent ut sic agat: dimotis loco regulis, prætores in eorum locum substituat, exercitumq; ei, quem amiserat, numero parē, totidemq; equos & currus cõparet. Tum se cum illis in campestri loco pugnaturos, & sine dubio uictoriam adepturos. Horum consiliū secutus rex Benadadus, ineunte uere, delectu Syrorū habito, ad Aphec proficiscitur, ut bellū Israelitis inferat. Israelitæ delectu habito, paratoq; cõmeatu, illis eunt obuiam, castraq; contra illos ponunt, quasi duos caprarum greges, cum Syri replerent terram. Ac tum diuinus regē Israelitarum adit, eiq; dicit Iouam promisisse, quoniam Syri dixissent Iouam montium, non uallium esse Deum, propterea sese ei in omnē tam ingentē multitudinē uictoriā esse concessurum, ut sciāt eum esse Iouam. Igitur cum septem dies alteri cõtra alteros castra habuissent, die septimo cõmissa pugna, Israelitæ uno die cētū millia Syrorū peditū occiderūt. Reliqui in oppidū Aphec fuga dilapsi, collapso muro oppressi sunt, hominum

B C *Syri à calonibus uicti.* D *Syri Israelitarū deos dicunt esse montanos.* E *Syri ab Israelitis fusi.*

minum uiginti septem millia. Ipse Benadadus ex fuga se in oppidū, in interius quoddam penetrale coniecit. Tum sui demonstrant illi, sese audiuisse, Israelitici generis reges esse clementes. Proinde latera centonib. induti, laqueosque capitibus gerentes, exeant ad regem Israelitarum, si forte illi uitam concedat.
F Igitur centonibus amicti latera, restesque capitibus ferētes, ueniunt ad regem Israelitarum, eique ita nunciant: Seruus tuus Benadadus petit, ut sibi uiuere liceat. Quibus ille: Adhuc ne uiuit? meus frater est. Viuit tuus frater Benadadus, inquiunt illi, omen accipientes: quod'que ab illo dabatur, confestim arripientes. Tum ille Benadadum accersi iubet: egressumque ad se, currui imponit. Et Benadadus sic Achabum alloquitur: Quæ oppida patri tuo meus pater abstulit, ea ego reddam, inquit, tibique d fora statues apud Damascum, quemadmodum statuerat meus pater apud Samariā. Ego uero (inquit Achabus) facto fœdere te dimittam. Ita icto cum illo fœdere, eum dimisit. ¶ Tum quidā ex uatum genere iussit alteri, iussu Iouæ, ut se feriret. Cumque homo ferire recusasset, prædixit ei, quoniam louæ dicto audiens nō fuisset, fore ut à se digressus, à leone occideretur.
G Itaque ille ab eo digressus incurrit in leonem, ab eoque occisus est. Vates aliū nactus, iubet ut se feriat. ab eoque ictus & uulneratus, prodit in uiā, quà iturus rex erat, ibique ignota ob puluerem facie, stās, ad prætereuntem regem clamat in hunc modū: Cum in acie uersarer, accessit uir quidam, qui mihi uirum quendam adduxit, custodiendumque ea lege commisit, ut si amissus fuisset, ego uel uita mea illum, uel argenti talento rependerem. Interea satagente me, ille amissus est. Et rex: Rectè de causa tua tu ipse statuisti. Tū ille abstersso protinus de uultu puluere, ab Israelitarū rege uates agnoscitur, & ita loquitur: Hoc tibi significari iubet Ioua, quoniam tu hominem ab eo exitio destinatū, de manu emisisti, illius & uitam tua uita, & populum populo repensum iri. Tum rex Israelitarum domum tristis & stomachabundus discessit, Samariamque peruenit.

d ubi publicanos colloces, & uectigalia exigas.

Achabus Benadado uitam concedit.

Vates quidam Achabo minatur ob dimissū ab eo Benadadum.

CAPVT XXI.

HIs ita gestis, cum haberet Nabothus Iezraelensis uineam Iezraele apud Achabi Samariæ regis palatium, cōtendit ab eo Achabus ut sibi eam uineam addiceret, quò ea pro uiridario uteretur, quippe quæ suis ędibus proximè coniuncta foret: sese ei aliam uineam illa meliorem daturum, aut (si illi ita uideretur) pro hac argenti precium esse soluturum. Sed Nabothus negat se Ioua uolente commissurū, ut illi patrimonium suum tradat. Achabus hac Nabothi uoce, qui ei patrimonium suum dare
B renuisset, tristis, & molestè ferens, domū suam discessit, inque lecto suo decubuit: & auerso uultu, à cibo abstinuit. Uenientique Iezabeli uxori, & interroganti, qua'nam eius animi ægritudine fiat, ut cibum nō capiat? narrat se cum Nabotho Iezraelensi egisse, ut sibi uineam suā aut argento addiceret, aut (si ita placeret) alia uinea secum permutaret. Illum uerò negasse sibi daturum esse suam uineā. At Iezabel: a O te hominem idoneū, inquit, qui Israeliticū regnum pares? Surge, inquit, cape cibum, & esto lęto animo: ego tibi Nabothi Iezraelensis uineam tradam. ¶ Hæc locuta, literas Achabi nomine scribit, eiusque sigillo signatas, ad senatores & primores Nabothi ciues, & idem cum eo oppidum habitantes, mittit, scriptas in hanc sententiam: Indicite ieiunium, Nabothumque in editissimo omnium loco collocate, & contra eum duos homines perditos statuite, qui pro testimonio dicant, eū Deo regique maledixisse, atque ita eductum lapidationē interficite. Ad harū à Iezabele missarum literarū prę̄scriptū, Nabothi ciues senatores primoresque eiusdē cum eo oppidi incolæ, faciūt: indictoque ieiunio, Nabothum in primo omnium loco constituunt.
D Deinde duo superueniūt homines perditi, qui ere gione Nabothi sedentes, corā multitudine testātur, Nabothum Deo regique maledixisse. Ita educitur ex oppido Nabothus, et lapidibus obrutus necatur. Deinde ad Iezabelē mittitur, qui nunciet Nabothū lapidatum interfectumque esse. Iezabel audita Nabothi lapidatione atque nece, Achabum adit: hortatur ut inuadat in possessionē uineæ Nabothi Iezraelensis, qui illam ei pecunia addicere renuisset. Nabothum enim non iā uiuere, sed interijsse. Achabus intellecta morte Nabothi, surgit, & in Nabothi uineā, ut in eius possessionem inuadat, descendere contēdit.
E Tum Elias Thesbita, iussus à Ioua Achabo Israelitarū apud Samariā regi obuiā ire (qui tum in Nabothi uinea esset, eò degressus ut eius possessionem caperet) cum eo ex Iouę mandato sic locutus est: Et occideris & possideas? At hoc sic à Ioua habeto, inquit: quo in loco linxere canes Nabothi cruorem, ibidem canes tuum quoque cruorē esse lincturos. Hic Achabus: Ergo me nactus es, aduersarie mi? Nactus sum, inquit ille: & quia tu Iouæ offendēdo totus addictus es, scito fore, ut Ioua tot tibi mala importet, atque ita te disperdat, ut Achabi nihil neque tam abditū neque tam obuiū sit apud Israelitas, quin omnia stirpitùs excindat, etiā usque ad cōminctorē parietis: tuamque domū in eum statū redigat, in quē Ierohoami Nabathi filij, et Baasæ Achiæ filij domū redegit: quia tu & Iouā læsisti, & Israelitas scelere obstrinxisti. 4.Reg.9.
F De Iezabele quoque sic Ioua pronunciat, eam à canibus in agro Iezraelensi comesum iri. Ac qui ex Achabicis in urbe mortuus fuerit, eum canes: qui ruri, aereæ uolucres comedent. Hic quanquā nemo erat æquè Iouæ lædendo deditus, ut Achabus, qui instigante Iezabele cōiuge, eò flagi-
G tiorum uenisset, ut nefandos sequeretur deos, quemadmodum fecerant Amorræi, quos Ioua in aduentum Israelitarum sustulerat: tamen auditis his uerbis, uestimenta suā lacerauit, & cētone corpus indutus, ieiunauit, ac in centone iacuit, & discalceatus incessit. Tū Ioua cum Elia Thesbita loquitur: Vides'ne ut Achabus se mihi submittat? quoniam se mihi submittit, ego eius familiam calamitate illa non afficiam ipsius temporibus, sed eius filij. 4.Reg.9.

De Nabotho, quem ob eius uineam interfecit Achabus.

a qui uniu[illegible] uineę comparandæ [illegible]tionem [illegible] inuenias, quo pacto tibi regni, si esset opus, parares?

Elias Achabum de Nabothi nece reprehendit.

Pœnitentia

Caput

CAPVT XXII.

a Par. 18. a

Triennio peracto, quo inter Syros et Israelitas bellum non fuit, anno tertio descendit Iosaphatus Iudææ rex ad regem Israelitarũ: Et rex Israelitarũ suis demonstrauit, Ramotha Galaaditidis ipsorũ esse, proinde cunctandum non esse quin ea regi Syriæ eriperent. Deinde à Iosaphato petijt num secum uellet ad bellum contra Ramotha Galaaditarum proficisci. Cui Iosaphatus ita respõdit: Licet tibi me meisq; et hominibus & equis perinde ac tuis uti. Sed tibi censeo, inquit, hodie Iouæ oraculũ esse consulendum. Igitur Israelitarũ rex, cõgregatis uatibus qui fuerunt circiter quadringẽti, quærit ex eis, censeant'ne ut Ramotha Galaaditarum bello adoriatur, nec'ne? Cui illi respondent, ut adoriatur: nam regem ea urbe, Domino dãte, potiturum. Sed Iosaphatus ita dixit: Num quis præterea adest Iouæ uates, quẽ interrogemus? Cui rex Israelitarũ: Est adhuc unus, inquit, quẽ

B

liceat de Iouæ oraculo percontari: sed quem ego propterea odi, quòd mihi nihil faustũ, sed tantũ infausta uaticinatur. Is est Michæas Iemlæ filius.

Michæas.

At Iosaphatus: Regem non decet ita loqui, inquit. Tum rex Israelitarũ uocato cuidam spadoni mandat, ut Michæã Iemlæ filium properẽ accersat. Cumq; rex Israelitarũ & Iosaphatus Iudæorũ rex, in suo uterq; solio, uestib. ornati, in area ad introitũ portæ Samariæ, omnibus uatibus coràm eis uaticinantibus sederent: Sedecias Chanaanæ filius, cũ sibi cornua ferrea fecisset, sic dicebat: Sic dicit Ioua, His tu in Syros arietabis ad eorũ internecionẽ.

Sedecias falsus uates.

Ideq; uaticinabantur omnes uates: aggrederetur rex feliciter Ramotha Galaaditarũ: eis enim, Ioua uolente, potiturum. Cæterùm nuncius, qui Michæam uocatum ierat, eũ hortabatur, ut quoniam cæteri uates regi uno ore fausta prædicerent, ipse quoq; illorũ exemplo fausta prædiceret. Sed Michæas Iouam immortalem testatus est, se quod sibi à Ioua mandatum foret, id demum esse dicturum. Deinde ubi ad regẽ uenit, rex eum sic interrogat: Michæa, bellum'ne Ramothis Galaaditarũ inferimus, an non? Cui il-

C

le: Infer sanè, quod bene uertat, & Ioua tibi uictoriam cõcedet. Et rex: Ego te etiã atq; etiam per Iouæ nomen obtestor, ne mihi aliud, quàm uerum dicas. Tũ ille: Vidi omnes Israelitas palantes in montibus, quasi oues sine pastore, & Iouam ita dicentem: Non habẽt isti dominos, reuertantur domũ incolumes. Hic rex Israelitarum: An non tibi prædixi (inquit Iosaphatum alloquens) eũ mihi nihil prosperũ, sed tantum aduersa uaticinaturũ? Et Michæas: Ergo accipe Iouæ sententiã: Vidi Iouam in solio suo sedentem, omni cœlesti exercitu dextra læuaq; stipatum, atq; ita dicentem: Ecquis decipiat Achabum, ut Ramotha Galaaditarũ inuadat, atque ibi cadat? Atq; alio aliud dicente, processit quidam spiritus, & stans ante Iouã dixit: Ego decipiam. Quo pacto? inquit Ioua. Ibo, inquit ille, & omnibus illius uatibus falsa, quæ dicant, in-

D

spirabo. Decipies (subijcit Ioua) succedet. Vade, atq; ita facito. Quamobrem scito Iouam in os omnium istorum uatum falsum spiritũ immisisse, tibiq; malũ cogitare. Hic Sedecias Chanaanæ filius accedit, & Michææ colaphum impingit: Quando (inquit) emigrauit à me Iouæ spiritus, ut tecũ locutus sit? Tũ scies (inquit Michæas) cum in intima penetralia te penitus abdes. Et rex Israelitarũ: Cõprehẽde Michæã, inquit, eumq; ad Amonẽ prætorẽ urbanũ, & ad Ioam regiũ filiũ deducito: & mandato regis in carcerẽ concludi, atq; ibi pane & aqua duriter pasci iubeto, donec ego saluus redeã. Cui Michæas: Si quidẽ saluus redieris, tum Ioua mecũ locutus nõ sit. Atq; hoc, inquit, audite uniuersi. Igitur cũ Israelitarũ rex, & Iosaphatus Iudææ rex, ad Ramotha Galaaditarum peruenissent, monuit Israelitarũ rex Iosaphatũ, ut prœliũ cõmissurus, habitũ mutaret, ipsiusq; Achabi uestitũ indueret. Ipse uicissim rex Israelitarũ, mutato habitu prœliũ iniuit. Imperauerat aũt Syriæ rex principibus quadrigarijs, quos triginta duos habebat, ne quẽ paruũ magnum'ue ar-

E

mis peterent, nisi unũ regẽ Israelitarũ. Itaq; uiso Iosaphato, quadrigarij regem esse Israelitarũ arbitrati, in eum arma uerterunt. Sed exclamante Iosaphato, uidentes nõ esse Israelitarũ regẽ, ab eo persequendo destiterunt. At quidã [a] simpliciter iaculatus, Israelitarũ regẽ inter cõmissuras & loricã uulnerauit. tum ille aurigæ suo imperat ut flectat habenas, seq; uulnere affectum ex acie educat. atq; eo die, durante pugna, rex in curru manens aduersum Syros, sub uesperũ moritur, sanguine per uulnus in capsum currus effuso.

a in incertum.

Achabi mors.

Sub occasum solis edictũ per castra fertur, ut suã quisq; in patriã regionemq; reuertatur. Rex mortuus Samariã defertur, ibiq; sepelitur. Cumq; currus ad Samariæ piscinã allueretur,

F

linxere canes cruorẽ eius, lauantibus scortis, quemadmodũ Ioua futurũ prædixerat. De omnibus reliquis Achabi rebus gestis, deq; domo eburnea, quã ædificauit, & omnib. ab eo cõstructis oppidis, memoriæ proditũ extat in annalib. regũ Israelitarũ. Achabo uita defuncto successit in regnũ Ochozias eius filius. ¶ Iosaphatus aũt Asæ filius, Iudææ regnũ occœpit anno Achabi Israelitarũ regis quarto, annos tum natus trigintaquinq; regnauit Hierosolymis annos uigintiquinq;.

Iosaphatus Iudææ rex.

Matrem habuit nomine Azubã, Salis filiã. Is omnes Asæ patris sui mores in Iouæ obtẽperãdo imitatus est, neq; ab eo degenerauit. Quanquã sacella sublata nõ sunt, inq; eis adhuc sacrificia faciebant Israelitæ, atq; adolebant. Fuit Iosaphato pax cum rege Israelitarũ. De reliquis Iosaphati rebus & fortiter factis, gestisq; bellis, scriptũ extat in annalib. regũ Iudææ. Reliquias molliũ, qui Asæ patris e-

G

ius tẽpore superfuerãt, ex illis finibus sustulit. In Idumea tunc nullus erat rex cõstitutus. Fecit Iosaphatus naues Cilicas, quæ ex Ophire aurũ peterent. Quod cũ parũ successisset facto apud Asiongaber naufragio, obtulit Ochozias Achabi filius suos Iosaphato, qui cũ illius seruis nauigarẽt: sed renuit Iosaphatus. Defũcto uita Iosaphato, & apud maiores suos in urbe Dauidis autoris sui sepulto, successit Ioramus eius filius.

Ochozias Israelitarū rex.

lius. Ochozias Achabi filius Israelitarum regnum apud Samariam iniit anno decimoseptimo Iosaphati Iudææ regis. Regnauit in Israelitas annos duos, Iouamq; offendit, parentumq; suorum & Ieroboami Nabati filii (qui Israelitas in scelus coniecerat) mores imitatus, Baalē coluit, adorauitq;: & Iouam Israelitarū Deum, sui patris exemplo, læsit.

REGVM LIB. IIII.

CAPVT I.

Ochozias ægrotus Beelzebubū consulit.



MORTVO Achabo, Moabitæ ab Israelitis defecerunt. Ochozias autē Samariæ per cancellos in cubiculo suo delapsus cum ægrotaret, nuncios misit, quibus mandauit ut irēt sciscitatum oraculum Beelzebubi, Accaronensis dei, an esset ex eo morbo cōualiturus. At Iouę genius Elię Thesbitæ mandatum dedit, ut nunciis regis Samariæ obuiā iret, & ex eis quęreret an nullus esset apud Israelitas Deus, ut Beelzebubi Accaronensis dei oraculum adirent? Itaq; hoc à Ioua decretum esse, illum ex lecto, in quem ascendisset, non esse descensurum, sed moriturū. His ad nuncios ab Elia perlatis, reuersi sunt ad illū. & quærenti cur reuertissent, ita respōdent: Oc- **B** currit nobis homo quidam, qui nos iussit ad regem, à quo missi essemus, reuerti, & ex eo, ex Iouæ mandato, quærere, nullus'ne esset apud Israelitas Deus, ut tu ad Beelzebubi Accaronensis dei oraculum mitteres? Itaq; ex lecto, in quem ascendisses, nunquam esse descensurum, sed moriturum. Tum ille: Quo est habitu homo, inquit, qui uobis occurrit, uobisq; ista dixit? Homo hirsutus est, inquiūt, lateribus cingulo pelliceo cinctis. Atq; ille: Elias Thesbita est, inquit: misitq; ad eum semicenturionem cum suis quinquaginta, qui illum in mōtis uertice sedētem aggressus, ita allocutus est: Diuine, iubet rex ut descendas. Si diuinus ego sum, (inquit ille respondens) descēdat ignis de cœlo, qui te tuosq; quinquaginta conficiat. Atq; **C** ignis de cœlo delapsus, illum eiusq; quinquaginta homines confecit. At rex iterum alterum semicenturionem cum suis quinquaginta ad illum misit, qui eum allocutus ita est: Diuine, iubet rex ut properè descendas. Quibus Elias: Si diuinus ego sum, descendat ignis de cœlo, qui te tuosq; quinquaginta cōficiat. Atq; ignis diuinus de cœlo delapsus, illū eiusq; quinquaginta homines confecit. Sed rex tertium item semicenturionem cum suis quinquaginta misit, qui tertius postquam ad Eliam peruenit, genibus eius aduolutus, supplicauit illum, ita loquens: Diuine, quæso ut meæ, horumq; quinquaginta tuorū, uitæ parcas: cumq; cœlo delapsus ignis duos priores semicenturiones, eorumq; homines quinquagenos, confecerit, tu **D** meæ rationem salutis habeas. Tum Elias à Iouæ nuncio monitus ut descenderet, neue ab illo metueret, descēdit cum eo ad regem, eiq; ita locutus est: Hæc est Iouæ sententia. Quoniam tu ad Beelzebubum Accaronensem deū consulendum misisti nuncios, perinde ac si nullus apud Israelitas, cuius oraculum percontarere, Deus esset, propterea in quē ascendisti lectum, ex eo non es descensurus, sed moriturus. Atq; ille, ut ferebat hoc Iouæ effatum ab Elia prolatum, mortuus est: & eius in locum regnum obtinuit Ioramus, anno secundo Iorami Iosaphati filii, Iudææ regis, quoniā Ochozias filiū non habebat. De reliquis Ochoziæ rebus gestis, scriptū extat in annalibus regum Israelitarum.

Elias ignē de cœlo deuocat.

CAPVT II.

De Elia in cœlum rapiendo.

CAeterùm cum esset Ioua Eliam in turbine rapturus in cœlū, profectus Galgalis Elias, Elisæum, qui simul aderat, hortabatur ut ibi maneret: sese enim à Ioua mitti ad Bethel. Sed Elisæus: Ita uiuat Ioua, inquit, itaq; uiuas tu, ut ego te non relinquam. Deinde illis ad Bethel degressis, ueniunt ad Elisæum uates Bethelenses, & ex eo ita quærunt: Scis'ne dominum tuum hodie à Ioua supra caput tuum raptū iri? Quibus ille: Et ego scio, inquit: tacete. Tū Elias Elisæum hortatur ut ibi maneat, sese enim à Ioua Hierichuntem mitti. Sed ille: Ita uiuat Ioua, itaq; uiuas tu, inquit, ut ego te nō relinquā. Deinde postquam Hierichuntem peruenerūt, accedunt Hierichuntii uates ad Elisæum, & ex eo quærunt, sciat'ne dominum suum eo die supra caput ipsius raptum iri. Quibus ille respō- **B** det, se quoq; scire, sed taceant. Hortantiq; Eliæ ut ibi maneret, sese enim ad Iordanē à Ioua mitti, sic respondit: Ita uiuat Ioua, itaq; uiuas tu, ut ego te non relinquam. Ita ambo pergunt. Atq; ubi ad Iordanem uentū est, quinquaginta uatibus eos secutis, & procul secundum eos stantibus, cæpit Elias lænam suam, eaq; conuoluta, aquam percussit, atq; aqua huc illucq; diuisa, ambo in sicco transierunt. Post traiectionem, Elias sic cum Elisæo loquitur: Pete quid me tibi præstare uelis, priusquam tibi auferor. Cui Elisæus: ut pręditus fiam duplo spiritu, inquit, istius qui in te est. Rem sanè arduam petis, inquit ille. Si me à te auferri uideris, istud tibi cōtinget: sin minus, non continget. His ita ambulantibus, & inter ambulandū colloquentibus, ecce currum igneum, igneosq; equos, qui alterum ab altero diremerunt, ascenditq; in turbine Elias in cœlum, cernente Elisæo, & ita clamante: O pater, pater, Israelitarū a currus & equites. Deinde cum eū iam non cerneret, cępit uestimēta sua, eaq; scidit in binas partes, & sublata Eliæ læna, quę ab illo deciderat, reuersus **C** est. Atq; ubi ad Iordanis ripam constitit, Eliæ lænā ab illo delapsam capit, aquamq; ferit, & Vbi est, inquit, Ioua Deus Eliæ? Ita cum ipse quoq; aquam percussisset, diuisa est in utranq; partem, atq; ita traiecit Elisæus. Eum cū uidissent ex aduerso uates illi Hierichuntii, dixerūt Elianū spiritū in Elisęū insedisse: eiq; obuiam progressi, cū honorē summisse habuissent, hortabantur ut quinquaginta militares homines, quos habebāt, sineret ire ad conquirendū eius dominum,

Elias in cœlū raptus. Eccl. 48 a

a columen atq; præsidium.

dominū, ne sublatus à Iouæ spiritu, in aliquem montem aut uallem abiectus esset. Ille cū mittendos negaret, tandem eorū improbitate uictus, concessit. Ita missi homines quinquaginta, cum illum tres dies uestigassent, neq; inuenissent, ad eum Hierichunte manentem reuerterunt. Quibus ille demōstrauit, se quidē ne irent dissuasisse.

D

Elisæus aquæ medetur.

¶ Deinde cū oppidani ei ostendissent, urbis quidē situ esse cōmodum, quemadmodū uideret ipse, uerùm & aquā uitiosam, & terrā esse sterilem: iussit afferri sibi nouū salinū, in eoq; sal poni. Quo allato, egressus ad ortum aquæ, eò salem abiecit, atq; ita dixit: Sic dicit Ioua, se huic aquæ mederi, neq; inde uel mortem deinceps, uel sterilitatē manaturā esse. Ita salubris facta aqua est ad hūc usq; diē, ut uerba Elisæi ferebant.

1. Mac. 2. f

Pueri Elisæum deridentes, ab ursis discerpti.

Inde cū se Bethel cōferret, eum scandentē uiam, egressi ex oppido paruuli pueri deridebant, ita ei dictitantes: Ascende calue, ascende calue. Quos ille respiciens cū uidisset, detestatus per Iouæ nomē est: & duæ ursæ ex sylua egressæ, illorum 42 pueros dilaniarunt. Illinc contendit in montem Carmelum, & inde Samariam reuersus est.

CAPVT III.

Ioramus Israelitarum rex.

Ioramus aūt Achabi filius, Israelitarū regnū iniit Samariæ, anno 18 Iosaphati Iudææ regis: regnauit annos 12, fuitq; impius erga Iouā, quanq; non adeò ut eius parentes. nam Baalis statuā à patre suo factā sustulit. Sed Ieroboami Nabati filii scelera, quibus ille Israelitas obstrinxerat, retinuit, neq; ab eis recessit. Cæterū Mesa Moabitarū rex, homo pecuarius, qui Israelitarū regi centena agnorū millia, & totidē lanatorū arietū pensitabat, mortuo Achabo, in Israelitas rebellauit. Itaq; tum rex Ioramus, Samaria egressus, omniū Israelitarū delectum habuit, misitq; ad Iosaphatū Iudææ regē, qui significarent Moabitarū regem à se desciuisse, peterentq; ut sibi bello Moabitas persequenti adesset. Ille respondit adfuturū, seq; & suos homines equosq; in illius arbitrio futuros: quæsiuitq; qua uia proficiscerentur. Cui ille respondit, qua itur in deserta loca Idumææ.

B

Iorami expeditio in Moabitas.

Igitur cum profecti Israelitarū, & Iudææ & Idumææ reges septem dierū iter circuiuissent, deerat aqua & militibus & iumentis quæ ipsi agebant. Atq; hic Israelitarū rex ita conquestus est: Eheu, uocauit Ioua hos tres reges, ut eos Moabitis dederet. At Iosaphatus: Nullus'ne est hic Iouæ uates, inquit, ex quo Iouæ oraculū sciscitemur? Cui unus de seruis regis Israelitarū ita respondit: Est Elisæus Saphati filius, is qui Eliæ manibus fundebat aquā. Et Iosaphatus ita dixit: Habet oraculū Iouæ. Itaq; descenderūt ad illū rex Israelitarū, & Iosaphatus, & Idumææ rex. Tum Elisæus regem Israelitarū sic alloquitur: Quid tibi mecū rei est? adi tui patris, tuæq; matris uates. At rex Israelitarū: Hoc potius age, inquit, cur hos tres reges conuocauerit Ioua, ut eos Moabitis addicat? Et Elisæus: Iouā ego immortalem testor, inquit, cui ego [a] appareo, nisi me Iosaphati Iudææ regis dignitas moueret, te ne aspectu quidē dignarer.

a admini-stro.

C

Sed accersatur mihi fidicen. Deinde canēte fidicine, à Ioua agitatus sic fatur: Iubet Ioua in hoc alueo frequentes fieri fossas. namq; hoc promittit, neq; uēto uobis neq; pluuia uisa, hūc alueū aqua repletū iri, cuius aquatione uos unà cū uestris pecoribus & iumentis utamini. Atq; hoc Iouæ parū est: etiā de Moabitis uictoriā uobis dabit, expugnabitisq; muntissimas quasq; & lectissimas urbes, & optimas quasq; arbores deiicietis, et omnes aquarū fontes obstruetis, et optimos quosq; agros lapidib. uastabitis.

Elisæus uaticinatur.

Igitur postero die sub horam qua ferto fieri solet, tanta ab Idumæorū regione affluebat aqua, ut terrā oppleret. Et omnes Moabitæ, qui audita regū aduersum se expeditione, coactis omnibus qui per ætatem arma ferre possent, in extremis finibus constiterant, simulac manè surrexerūt, uident ex aduerso aquā illā, exoriēte in eam sole, sanguinis in modū rubentē: ratiq; sanguinē esse cædis regū, ipsosq; se mutuò peremisse, cohortātur sese ad prædā, castraq; inuadunt Israelitarū.

D

Moabitæ uincuntur.

Sed exciti Israelitæ, Moabitas uincunt, fugantq;: & uictos in Moabitidis fines persecuti, oppida complanant, optimos quosq; agros, coniectis uulgò singulis lapidibus, cumulant, omnes aquæ fontes obthurāt, & omnes felices arbores deiiciūt, tandemq; urbē Harasethā inuadunt. Quam cum funditoribus circumsessam adeò acriter oppugnarēt, ut iam soli murorū lapides essent reliqui, Moabitarū rex, uidens se prælio superari, adhibitis septingentis militibus ad regem Idumææ perrumpere conatur. Sed postq; non potuit, cæpit filiū suum natu maximū, qui post eum regnaturus erat, eumq; super mœnibus immolauit. Hac tanta atrocitate permoti Israelitæ, ab eo discedunt, & in suos fines reuertuntur.

Moabitarū rex filium suum immolat.

CAPVT IIII.

Mulier aūt quædā de uatū uxoribus, Elisæū implorans, cōmemorabat, uirū suū esse mortuū: hominē, quē ipse sciret fuisse piū. Nunc instare creditorē, ut duos natos in seruitutem ducat. Quærentiq; Elisæo, quid sibi uellet ab ipso fieri, & quid domi haberet? respondit, nihil omnino se domi habere, nisi ampullā olei. Tum ille iubet, ut uasa foris corrogatū eat ab omnib. uicinis, eaq; uacua, neq; pauca. Deinde ingressa domum, & se suisq; filiis ostio inclusis, transfundat in omnia illa uasa, repletaq; summoueat. Illa ab eo digressa, se suosq; filios foribus includit, eisq; uasa suggerentibus, oleum transfundit.

Oleum ab Elisæo perpetuatum.

B

Vasis repletis, filio iubet ut sibi plura uasa suggerat: sed ille plura superesse negat. Ita cohibito oleo, illa rē diuino indicatū iuit. Cui ille iussit, ut oleū uenditū iret, atq; æs alienū dissolueret, & ex reliquo uiueret ipsa eiusq; filii. Item cum aliquando per Sunam iter faceret Elisæus, retentus est ad capiendū cibū à muliere quadā locuplete, quæ illic erat: ac deinceps illac præteriens, eòdem ad capiendū cibum diuertebat. Igitur illa uiro suo demōstrat, scire se diuinū illū, qui eorū assiduo utatur hospitio, uirum esse sanctum, persuadetq; ut ei faciant conclusam parietibus cellulā, ibiq; lectū, & men-

Elisæus Sunæ diuersatur.

& mensam, & sellã, & cãdelabrum ponant, ut quandocunque ad eos ueniet, ibi diuersetur. Quodam die ille cum illuc uenisset, inque cellulam diuertisset, & ibi cubaret, iussit Gihezi famulo suo, ut Sunamitẽ illam uocaret: eaque uocata atque astãte,[a] iussit illi ut ex ea quæreret, pro tam officiosa eius erga ipsos sedulitate, ecquid faciendum haberet? regem'ne aut exercitus ducẽ conueniendũ haberet? Illa respondet, se[b] inter suos se continere. Illique rursum quærẽti, ecquid faciendum haberet? respondit Gihezis, eam liberorum expertem esse, & uirum senem habere. Tum ille eam uocari iubet, uocatãque & pro foribus astantem sic alloquitur: Tu hac tempestate anno uertente filium complecteris. Cui illa: Noli, domine diuine, noli mihi tuæ imponere. Concepit autem mulier, peperitque filium eo tempore uertente anno, sicut ei prędixerat Elisæus. ¶ Is puer iam educatus, quodã die cum patrem suum ad messores adiuisset, cæpit apud eundem capitis dolorem conqueri. Et pater famulo mãdauit, ut eum ad matrem reportaret: ad quam ille relatus, postquam in eius gremio recubuit ad meridiem, moritur. Illa ad lectum diuini ascendit, puerumque ibi collocatũ, egressa includit: & uocato uiro suo, petit ab eo ut sibi famulorum aliquem mittat, & unam asinã, quo ad diuinũ currat, deinde reuersura. Quærenti cur eo die illum adeat, quo neque nouiluniũ sit, neque sabbathum: respondit, saluam rem esse. Ita instrata asina, famulo suo præcipit ut pergat ducere, neue se equitantem, nisi iussus, remoretur: atque ita ad diuinum in montẽ Carmelum ire contendit. Ille eam ex aduerso conspicatus, Gihezi famulo suo præcepit, ut aduenienti Sunamiti illi curreret obuiam, eamque interrogaret, ualeret'ne ipsa, ualeret'ne uir, ualeret'ne puer? Illa respõdit, ualere: & diuinum in montem aggressa, pedibus prehendit. Ad quã summouendam cum Gihezis accessisset: Sine eam, inquit diuinus: nam animo ægra est, id quod me Ioua celauit, neque indicauit. Et illa: Petieram'ne à te filium? inquit: an non admonueram, ne mihi imponeres? Hic ille Gihezim alloquitur: Accingere, inquit, & meum baculũ tecum ferens, abi. Si quem offenderis, ne salutato: salutanti, ne respondeto: ac baculum meum faciei pueri imponito. Sed pueri mater eum sic allocuta est: Ita uiuat Ioua, itaque uiuas tu, ut ego te nõ relinquã. Tum ille surgit, eamque subsequitur, Gihezis aũt eos antegressus, cum baculũ faciei pueri imposuisset, neque ille uocẽ ederet, aut sentiret, redit obuiam illi, renunciatque puerum non excitari. Tum Elisæus domũ uenit, ingressusque, & puerum nactus in lecto suo iacẽtem, exanimem, ostio se cum illo includit: precatusque Iouam, inscendit puerũ, eique incumbit, & suum os illius ori, oculos oculis, manus manibus componit. Hoc incubitu pueri corpore tepefacto, iterum per ædes ultro citroque semel ambulat, deinde illum inscendit atque fouet. Tũ puer septies usque sternutauit, oculosque aperuit. Et ille uocato Gihezi, præcepit ut Sunamitem illam euocaret: quæ postquã euocata adfuit, Recipe, inquit, filium tuũ. Illa ei ad pedes accidit, & eũ demisse uenerata, recepto filio suo, exijt. ¶ Elisæus Galgala reuersus, cum fame laboraretur, & uates apud eum degerẽt, puero iussit ut ollam magnã in foco poneret, uatibusque pulpamentũ coqueret. Et quidã rus egressus ad colligendas herbas, nactus syluestrem cucurbitam, collegit ex eius fructu quantum eius uestis capiebat, reuersusque in ollã coquinariam, ignaris quid esset, secat. Deinde effuso illis pulmentario ad uescendum, eo gustato, protinus ad diuinum exclamant, uenenum esse in olla: neque uesci possunt. Ille farinam afferri iubet, eaque in ollam coniecta, iubet pulmentum hominibus affundi: atque illi comederunt, nullo in olla remanente uitio. ¶ Itẽ à Baalsalisa profectus quidam, diuino primitiarum panes hordeaceos uiginti, fruges'que nouas adhuc in glumis attulit: & ille iussit ministro suo, ut eã hominibus comedenda apponeret. Cui minister: Quid? hæc, inquit, centum hominibus apponam? Appone, inquit ille, ut comedant: nã hoc Ioua promittit, esui superfuturũ esse. Tum ille apponit, eisque cibo sumpto inde superfuit, ut prædictum à Ioua fuerat.

a Elisæus eius linguę ignarus, utebatur interprete famulo.

C

b nihil foris cũ quoquam negocij habere.

D

E

F

Elisæus puerum in uitã reuocat.

G

Cucurbita syluestris ab Elisæo condulcorata.

Panes ab Elisæo multiplicati.

CAPVT V.

De Naamane Syro à lepra sanato per Elisæum.

ERat autem Naaman dux exercitus regis Syriæ, uir magnæ apud dominum suum potentiæ atque autoritatis (nam per eum Syris Ioua uictoriã dederat) fortissimus ille quidem, sed leprosus. Apud huius Naamanis uxorem seruiebat puella quædam paruula, quę ex Israelitarũ terra à Syris incursiones facientibus in captiuitatem abacta fuerat. Hæc heræ suæ dixit, optare se ut domino suo copia uatis fieret, Samariæ degentis: sic enim eius lepram ab illo discussum iri. ¶ Hæc Israelitidis puellæ uerba cũ Naamã domino suo retulisset, iussit rex Syrię ut eò iret, & se literas ad Israelitarũ regẽ missurum dixit. B Ita ille profectus est, secum ferens decem argenti talenta, & sex aureorum millia, lautioresque uestes decem, & Israelitarũ regi literas attulit, quarũ hæc erat sententia: Simulac ad te uenerint hæ literæ, Naamanẽ hũc meum, quem tibi mitto, à sua lepra sanato. Hac lecta epistola, rex Israelitarũ uestes suas dilacerat, atque ita dicit: Num Deus ego sum, ut occidendi uitamque conseruandi potestatẽ habeam, ut hic mihi hominẽ à lepra sanandũ mandet? Cognoscite, stulti, & uidete, ut contra me captet occasionẽ. ¶ Postquã accepit Elisæus diuinus, regẽ Israelitarũ uestimẽta sua lacerasse, curauit ei significandũ, cur uestimenta laceraret, causam non fuisse: ueniret ille ad se, intellecturũ apud Israelitas esse uatem. C Venit igitur Naaman cũ suis equis & curribus, ante fores domus Elisęi: & ei illic stanti per nunciũ mandauit Elisæus, ut se in Iordane septies lotum iret: ita corpus eius ad puritatem esse reuersurum. Sed indignatus Naaman, discedebat. Putarã, inquit, exiturum, præsentemque Iouæ Dei sui nomen inuocaturũ, & admota loco manu, lepram esse discussurũ. Quasi uerò Abana & Pharphar Damasceni fluuij non omnibus prestent aquis Israelitarum, D

raelitarum,ut eis lotus expurger. Cum ita conuersus discederet succensens, accedūt ad eum sui, eumq; ita commonefaciunt: Pater,magnā rem si iussisset uates, non'ne facturus eras? quāto magis,quòd te lauari iussit, ut purgēris? Ita ille descendit, seq; septies in Iordane mersit, ut erat à diuino mandatum:atq; in tantam corporis puritatem restitutus est, quanta puerorū est paruulorum. Deinde ad diuinū cum omni suo agmine reuertitur, atq; ubi in eius cōspectum uenit,confessus est,scire se nullum in toto orbe terrarum, nisi apud Israelitas, esse Deum: hortatusq; illum est,ut à se munus acciperet.Sed il le Iouam immortalem, cui ministraret,testatus est,se accepturum non esse:urgentiq; ut acciperet,pernegauit. Tum Naaman: Quæso igitur, inquit, ut mihi detur terræ duorum mulorū onus: neq; enim deinceps ullis dijs,nisi Iouæ,rē diuinam & sacra facturus sum. Hanc quidem rem mihi Ioua condonet, quod dum commeat dominus meus in ædem Remmonis, adorandi gratia, ibi ego, dum ille meæ manui innititur,submitto me.Huic meæ in ęde Remmonis submissioni Ioua ignoscat. Cui uates:Abi cum pace,inquit. Cum'que ille ab eo digressus, unam fere stationem processisset, cœpit Gihezis Elisæi diuini famulus sic secū loqui: Hem, parsit dominus meus accipere oblata sibi à Naamane Syro illo munera. At ego per Iouā immortalem,eum cursu cōsequar, & ab eo aliquid accipiam. Hæc locutus Gihezis,Naamanem subsequitur.Eum Naaman post se currentem intuitus, desilit de curru in eius occursum, queritq; num salua res sit. Salua,inquit ille. Misit me dominus meus ut tibi nunciarē, uenisse modò ad se duos de uatum genere iuuenes,ex monte Ephraimitarū, peteręq; ut eis dares argenti talentū, & duas uestes de splendidioribus.Cui Naaman: Imò duo talenta accipe,inquit.eumq; coegit,& consarcinata duo argenti talenta in duobus fiscis, duasq; splēdidas uestes,duobus suis famulis imposuit,ut ea pręferrent illi. Hęc ille, postquam in latebrā uentum est,ab illis accepta domi recōdit, hominibusq; dimissis,in domini sui conspectū uenit: & quęrenti Elisæo, undenam Gihezis? respondit,se nusquam iuisse. At ille: Quasi ego non simul animo adfuerim, inquit, cum se homo de curru in tuum occursum conuertit. Scilicet tempus est accipiendi argentum? accipiendi uestes, G. L. ut emas H. oleas,uineas,balantes,boues,seruos aut ancillas? Ergo Naamanis lepra in te tuaq; progenie semper hærebit. Ita ille ex eius conspectu niueus lepra discessit.

Luc.4.e (margin) — E — F — G

CAPVT VI.

PEtierunt autem uates ab Elisæo,ut,quoniam locus,in quo apud eum habitarent, esset quàm pro eis angustior, iret ad Iordanem, & inde singuli singulas trabes afferrēt, quibus domicilium sibi facerent. Atq; illo permittente,petijt ab eo quidam, ut ipse cum eis ire uellet:id quod ille concessit, cumq; eis profectus est. Vbi ad Iordanem uentum est, inter cædendum materiem, accidit ut unius illorū trabem deijcientis ferrum securis in aquam decideret. Qui cum uociferaretur,& ita diceret: Heu domine, hæc quidem erat accepta commodato: interrogauit eum diuinus, ubi'nam delapsa fōret? ostensoq; loco,lignum secuit,et eò deiecit, emersaq; securi, illi iussit ut eam tolleret. Atq; ille porrecta manu,eam cæpit.

Elisæus securim ex fluuio extrahit. — B

Item cum Syrię rex contra Israelitas bellum gerens, consilium cum suis cępisset, de copijs in certo quodam loco collocandis, misit diuinus significatum Israelitarum regi, ut caueret ne in locum illum progrederetur: illic enim Syros insidiari. Itaque misit rex Israelitarum in eum locum, de quo fuit à diuino monitus, ab eoq; abstinuit,atq; cauit,idq; nō semel aut iterum fecit. Qua re permotus animo Syriæ rex, conuocatis suis ita loquitur: Possum'ne ex uobis scire, ecquis nostrûm cōsilia nostra regi prodat Israelitarum? Cui suorum unus ita respondit: Imò, domine rex, Elisæus uates, qui est apud Israelitas, regi Israelitarum enunciat etiam quæ tu in conclaui cubiculi tui loqueris. Tum ille imperat ut uisant ubi sit, ut mittat qui eum abducant. Atq; ubi ei nunciatum est, illum esse Dothane, misit eò equites & quadrigarios cū ualida manu: qui oppidum aggressi noctu, circumsederūt. Manè diuini minister, postquam surrexit, egressus uidet oppidum equitum quadrigariorumq; exercitu obsideri: tum ad illum uociferans,Eheu, domine, quid faciemus? Cui ille: Noli metuere, inquit: plures stant à nobis, quàm ab illis. Deinde Iouam precatus ita est Elisæus: Aperi quæso huic oculos, ut uideat. Atq; hic famulus,eius oculis à Ioua patefactis, plenum equitatu mōtem,circumdatumq; curribus igneis Elisæum animaduertit. Postquam illi ad Elisæum descenderunt, orauit Elisæus Iouam,ut hominibus illis cęcitatem incuteret. Quod postquam ille ad Elisæi postulatum fecit,dixit illis Elisæus,non eam uiam, nō id oppidum esse:sequantur se, ducturum eos ad hominem quem quærant. Ita eos Samariam perduxit:quò ubi peruentum est,Iouam orauit ut eorū oculos aperiret,ut uiderent:apertisq; eorum oculis à Ioua,uiderūt sese in media Samaria uersari. His conspectis,Israelitarū rex ita Elisæum alloquitur: Occidam'ne, pater? Noli occidere, inquit ille. Quos tu tuo gladio arcu'que cæperis,occidas licet. His quidem cibum potionemq; appone, ut epulati, dominū suū adeant. Tum ille eos lautis epulis accepit, conuiuatosq; dimisit. Illis ad dominū suum reuersis,desiere Syri deinceps incursiones in Israelitarū fines facere. ¶ Postea Benadadus Syriæ rex, coactis omnibus suis copijs, Samariam inuasit,obseditq;: qua obsidione tanta Samariæ fames incesit,ut asini caput octoginta constaret argenteis, & quarta pars cabi stercoris columbini quinq; argēteis. Ac rege Israelitarum per muros transeunte, clamauit ad eum mulier in hunc modum: Subueni, domine rex. Cui ille: Ipse tibi Ioua non subuenit, inquit, undē nā ego tibi subueniam? ab area'ne? an à torculari? Sed tamen quid habes? inquit. Et illa: Hæc

Elisæus Israelitarum regem de Syrorum insidijs admonet. — C

Syriæ rex mittit,qui Elisæum capiant. — D — E

F — *Samariæ fames tāta,ut matres filios comederent.*

mulier hortata me est, inquit, ut filium meum darē, quem eo die comessemus, postridie eius quoque filium comessuræ. Ita filium meum coximus, atque comedimus. Sed postridie, petente me ut filium suum uicissim comedendum concederet, ipsa eum abdidit. G Hac audita mulieris oratione, rex per muros præteriens, uestimenta sua lacerare (in quo sanè animaduersum est, eum corpus habere centone interius uestitum) atque ita dicere: Deus me perdat, nisi Elisæo Saphati filio caput hodie decutietur. Hæc locutus, quendam suorum stipatorum mittit, ante cuius nuncij aduentum Elisæus domi suæ sedens, senibus, qui simul aderant, ita loquitur: Sciendū uobis est, ab illo homicidæ filio missum esse qui mihi præcidat caput. Videte ut uenienti nūcio ostium claudatis, eumque foribus prematis. Nam sonitum audio pedum eius domini, subsequentis eum. Eo adhuc cum illis loquente, ecce descendit ad eum nuncius, quem subsecutus rex, ita loquitur: Cum hoc à Ioua malum sit, quid amplius à Ioua expectem?

CAPVT VII.

Elisæus summam uilitatem pollicetur in posterū diem.

At Elisæus: Audite Iouæ dictum, inquit. Hoc promittit Ioua, crastino die similæ satum siclo, binaque hordei sata siclo emptum iri ad portam Samariæ. Tum triumuir, cuius manui rex inniti solebat, ita diuino respondit: Si Ioua cœlum meatibus panderet, uix tamen istud fieret. Atqui ipse tuis oculis uidebis, inquit ille, sed inde non comedes. Erant autem quatuor homines leprosi ante portam, qui cœperunt sic inter se cohortari: Quid hic mortem manentes opperimur? Siue urbem intrare statuimus, cum ibi sit fames, siue hic manere, moriendum est. Quamobrem age, trāsfugiamus in castra Syrorum. Si nos cōseruauerint, uiuemus: sin occiderint, moriamur. Ita sub crepusculum in castra Syrorum ire contendunt: atque ubi ad extrema castra uentum est, ibi neminem B offendūt. Fecerat enim Dominus, ut per castra Syrorum sonitus audiretur quadrigarū equorumque, & ingentis exercitus: dicerentque inter sese Syri, Hettæorum Aegyptiorumque reges contra se ab Israelitarum esse rege conductos. Itaque sese in pedes coniecerant sub crepusculū, suisque tabernaculis, equis, asinis, breuiter castris, sicut erant, relictis, saluti suæ fuga consuluerāt. Igitur leprosi illi, ubi ad extrema castra uentum est, in tabernaculum quoddam ingrediuntur, sumptoque cibo & potu, aurū inde, argentumque & uestes auferunt, & abditū eunt: reuersique, in aliud tabernaculum intrant, atque illinc prædam efferunt, & occultatū eunt. Deinde inter se commonefacere cœperunt, non se rectè facere, qui eo die, cum læti nūcij dies sit, taceant. Quòd si ad lucem matutinam expectent, culpam esse subituros. Quamobrē eundum esse nunciatum in regiam. Ita ianitorem adeunt: clamant uenisse se in castra Syrorum, neque ibi quenquā hominū, aut humanam uocem, sed tantum equos & asinos uinctos, & taC bernacula sic cōposita, ut esse solēt, offendisse. Tum ille cæteros ianitores uocauit, qui id in regiam interiorē nunciarent. At rex noctu surgit, & suos sic alloquitur: Volo uobis ostēdere quid nobis faciant Syri. Sciunt nos famē laborare, ideoque castris egressi latent in agris, eo cōsilio, ut si ex urbe prodierimus, uiuos nos capiant, atque ita in urbem intrent. Tum quidam ex regijs ei persuasit, ut adhibitis equis, ex ijs quinque, qui superessent (totidem enim superesse ex omni Israeliticorū equorū multitudine, cæteris cōsumptis) mitterentur qui rem explorarent. Ita sumptis duobus equis iugalibus, missi sunt à rege, qui Syrorū agmen sequentes explorarent: qui illos ad Iordanē secuti, inuenerunt omnem uiam uestibus & supellectile plenam, quæ Syri dum trepidāt, abiecerāt. Quod D postquā regi reuersi nunciarūt, egressus populus, Syrorum castra diripuit, uænijtque similæ satum siclo, & duo hordei sata siclo, sicuti Ioua promiserat. Triumuir autem ille, cuius manui rex inniti solebat, cū portæ esset à rege præpositus, à turba oppressus, in porta interijt: quemadmodum diuinus, cum rex ad eum descendisset, fore prædixerat, tum cū diuino regi pollicito, fore ut postridie ad portam Samariæ bina hordei sata siclo, singula autem similæ sata siclo uenirent, respondit triumuir ille, Etiam si Ioua cœlum meatibus aperiret, uix tamē id futurum esse: atque ille ei dixit, ipsum suis oculis uisurū esse, sed non inde comesurū. Id quod ei accidit: oppressusque à populo in porta, interijt.

Triumuir in turba oppressus.

CAPVT VIII.

Mulieri famem prædicit Elisæus.

Monuit aūt Elisæus mulierem, cuius filiū in uitam reuocauerat, ut discederet unà cum familia sua, & alicubi peregrinaretur. Nā indici à Ioua famem, eamque futuram esse in finibus illis per septenniū. His diuini monitis paruit mulier, & cum familia sua in Palæstinam ire contendit, ibique septem annos commorata est. Præteritis septem annis, ex Palęstina reuertitur, regemque adit, ut eū de sua domo fundoque interpellet. Rex aūt cum Gihezi, diuini famulo, colloquebatur, ab eoque petebat ut sibi omnia mira Elisæi facta narraret. Atque illo regi exponente, quo pacto ille mortuum in uitam reuocasset, superuenit mulier (cuius ille filium à morte reuocauerat) ut regem super domo sua, fundoque interpellaret. Atque hic Gihezis: Domine rex, inquit, hæc mulier est, & hic eius filius in uitam ab Elisæo reuocatus. Tū rex mulierem interrogauit: ac postquā ea rem ei narrauit, spadonem unum ei dedit, cum mandato, ut mulieri omnia sua restitueret, omnesque fundi prouentus, ex quo illa patriam reliquerat, ad id usque tempus. ¶ Cum uenisset autem Elisæus Damascum, & Benadado Syriæ regi ægrotanti nunciatum esset, illò uenisse diuinum, iussit rex Hazaeli, ut sumpto secū munere, iret obuiam diuino, & ex eo Iouæ respōsum peteret, an esset ex eo morbo reualiturus. Hazael illi obuiam iuit, secum ferens munus, & de omnibus Damasci bonis onus quadraginta camelorum. Atque ubi in illius conspectum uenit, ita locutus est: Filius tuus Benadadus, Syriæ rex, misit me ad te, ad sciscitandum, an ab eo, quo laborat,

Syri panico terrore fugati.

Hazael Elisæum de Benadadi morbo cōsulit.

laborat, morbo sit côualiturus. Cui Elisæus ita respondit: I renunciatū ei, conualiturum esse: quanquam ostendit mihi Ioua, moriturū. Hæc locutus diuinus, uultum aliquandiu fixū flens tenuit, & ab Hazaele sic interrogatus, Cur fles D domine? ita respondit: Quoniam scio, quibus tu malis Israelitas sis affecturus. nam eorum & munimenta igne incendes, & pubē ferro truci dabis, & paruulos illides, & grauidas dissecabis. Et Hazael: Nam quis ego sum, homunculus cane uilior, ut istam tantā rem faciam? Ostendit mihi Ioua (inquit Elisæus) te regem fore Syriæ. Ita digressus ille ab Elisæo, dominum suum adit: & quęrenti quid Elisæus dixerit, respondet, dixisse reualiturum. Postridie madefacta aqua lodice, eius uultum obtexit: eoq; mortuo, regnum in eius loco occupauit.

E *Ioramus Iudææ rex. 2.Par.21.b*

Anno autem quinto Iorami Achabi filij Israelitarum regis, cū regnasset in Iudæa Iosaphatus, Iudææ regnum iniŋt Ioramus Iosaphati filius, annos tum natus duos & triginta. Regnauit Hierosolymis annos octo, regumq; Israelitarū mores imitatus, quemadmodum fecerant qui erant ex Achabi familia (nam Achabi filiā habebat in matrimonio) Iouā offendit. Quanquam noluit Ioua Iudæā euertere, propter Dauidem suum, cui promiserat sese ex eius filijs *2.Reg.7.b* successorem perpetuò daturū esse. Huius temporibus defecerunt à Iudæis Idumæi, sibiq; re- F gem fecerunt. Itaq; Ioramus ad Seir cum omnibus quadrigarijs suis profectus est, & noctu Idumæos, à quibus circunsidebatur, adortus uicit, curruumq; principes. Itaq; fugerunt milites domum. Atq; ea Idumęorū in Iudæos rebellio adhuc durat, eodemq; tempore defecit etiam Lebna. Reliquæ Iorami res, gestaq; omnia scripta sunt in annalibus regum Iudææ.

Ochozias Iudææ rex. 1.Paral.22

Ioramo uita defuncto, & in urbe Dauidis apud maiores suos sepulto, successit Ochozias eius filius, idq; anno duodecimo Iorami Achabi filij, Israelitarum regis, annos tum natus duos & uiginti. Regnauit Hierosolymis annum unum. Matrem habuit nomine Athaliā, G Amris Israelitarum regis filiam. Achabi stirpis mores imitatus, Iouam offendit: nam Achabicæ domus gener fuit, & cum Ioramo Achabi filio ad Ramotha Galaaditarum profectus est, ad bellum gerendū cum Hazaele Syriæ rege. ubi cum uulneratus à Syris Ioramus Achabi filius rex, Iezrael reuertisset, ut sananda curaret uulnera, quæ in eo contra Hazaelem Syrię regem prælio ad Ramotha à Syris acceperat, descendit ad eum Iezraele ægrotantē, uisendi gratia, Ochozias Iorami filius, Iudææ rex.

CAPVT IX.

Elisæus mittit qui Iehū ungat Israelitarum regem. 3.Reg.19.c

TVm Elisęus uates unum de genere uatum euocauit, eiq; præcepit in hunc modū: Accinge te, & hanc olei lenticulā tecum ferēs, proficiscere Ramotha Galaaditarū. Eò postquam perueneris, cernes ibi Iehum Iosaphati filium, Namsis nepotem. Hunc à cæteris seuocatum, in interius penetrale seducito, sumptaq; olei lēticula, eius caput perfundito, atque ita dicito: eum à Ioua (qui id ei significari iubeat) ungi regem Israelitarum. Deinde aperto ostio fugito sine mora. Igitur iuuenis ille, qui iuuenis uates erat, ad Ramotha Galaaditarum profectus est: quò ubi peruenit, nactus duces exercitus sedentes, ita dixit: Habeo ad te mandatū, dux. Et Iehus: Ad quem omnium nostrûm? Ad te, dux, inquit ille. Tum Iehus surrexit, & domum B ingressus est. Et uates ei caput oleo perfudit, ita dicens: Hæc dicit Ioua Deus Israelitarum: Ego te ungo regē Iouani populi, hoc est Israelitarū, ut Achabi domini tui stirpē perimas, ulciscarq; sanguinē seruorū meorum uatū, & tot Iouæ seruorū, in Iezabelē: faciamq; ut pereat tota stirps Achabi, *3.Reg.21.f* neq; quicquā erit in eius genere tā apud Israelitas uel abstrusum uel expositū, quin omnia funditus euertā, etiā cōmictorē parietis: Achabiq; domū in eum statū redigam, in quē Ieroboami Nabati filij, & Baasæ Ahiæ fi- *3.Reg.15.g & 16.a* lij, redacta domus est. Quinetiā Iezabelē comedent canes in agro Iezraelensi insepultā. Hæc locutus ille, aperto ostio fugit. Iehus autem ad C conseruos suos egressus, interrogatus quomodo se res haberet, & cur ad eum uenisset [a] limphatus ille: respondit, eos & hominē & hominis orationē tenere. Negantibus, & sibi rē exponi postulantibus, illius dicta refert, & se ab eo Iouæ iussu Israelitarū regem esse unctū dicit. Tum illi ei confestim suam quisq; uestē in graduum pulpito substernunt, datoq; tuba signo, Iehum regem pronunciant. Igitur Iehus Iosaphati filius, Namsis nepos, cōiurationem fecit contra Ioramū, qui Ioramus cum Ramotha Galaaditarum omnibus Israelitarū copijs aduersus Hazaelem Syriæ regem defenderet, reuersus erat Iezrael ad sananda uulnera, quæ à Syris in pugna contra Hazaelem acceperat. Iehus ergo monuit, ut, si eis uideretur, darent operam ne quis ex urbe euaderet, qui eā rem Iezrael nunciatum iret. Ipse conscenso curru, D Iezrael petit, ubi Ioramus decubabat, ad quē uisendum uenerat Ochozias Iudæç rex. Cūq; speculator Iezraele in turri stans, uidisset Iehu uenientis globum, seq; globum uidere dixisset, iussit Ioramus illis obuiam mitti equitem qui quæreret, quomodo res haberet. Eques illi obuiam progressus, quærit ex mandato regis, quomodo se res habeat? Cui Iehus: Quid, quomodo se res habet? recede pone me. Cum speculator nunciasset, nuncium ad illos peruenisse, sed non reuerti, misit ille alterum equitem: qui ubi ad illos peruenit, interrogat ex mādato regis, quomodo se res habeat? Cui Iehus, Quid, quomodo se res habet? recede pone me. Hoc cum speculator renunciasset, eum ad illos E peruenisse, sed non reuerti, incessum autem uideri Iehu Namsis nepotis: eum enim furiose incedere: iussit Ioramus Israelitarum rex currū equis iungi, atque ipse & Ochozias Iudææ rex in suo uterque curru obuiam Iehu progressi sunt, eiq; occurrerūt in fundo Nabothi Iezraelēsis. Atq; illo uiso, Ioramus ita dixit: Quomodo se res habet, Iehu? Cui ille: Quid, quomodo se res habet, inquit, durantibus adhuc tot matris tuæ Iezabelis stupris atque maleficijs? Hic

[a] insanus.

Ioramus conuersis habenis fugere, & Circumuenimur Ochozia, dicere. At Iehus admota arcui manu, Ioramum inter scapulas ita percussit, ut telum illi per pectus exiret. eoq; in curru

F

Iehus Ioramum Israelitarum, & Ochoziam Iudææ regem, interficit.

3.Reg.21.f

prostrato: Tolle eum (inquit triumuiro Badacari) & in prædij Nabothi Iezraelensis fundũ abijce. Nam memini, cum aliquando ego & tu Achabum eius patrem cum bigarijs sequeremur, huiusmodi oraculum illi fuisse Iouæ mandato obnunciatum, quo oraculo Ioua pronunciaret, sese Nabothi, eiusq; filiorũ sanguinem, quem pridie uidisset, in Achabum hoc ipso in fundo ulturum esse. Quamobrem tolle eum, & abijce in fundum, ut Iouæ fert prædictio. Hæc uidens Iudææ rex Ochozias, fugam capessit uersus domum hortensem: quem persecutus Iehus, etiam feriri iussit in curru, in cliuo Gure, apud Ieblaam. Ille ad Mageddonem fugit, ibiq; mortuus est, & à suis Hierosolymam uectus, in sepulchro suo apud maiores suos in urbe Dauidis sepelitur. Cœperat Ochozias in Iudæa regnare anno undecimo Iorami Achabi filij. Iehus uerò Iezrael ire perrexit.

Iezabelis mors.

3.Reg.16.c

Quod ubi Iezabel audiuit, faciem sibi fucauit, caput compsit: & per fenestrã prospiciens, Iehu prætereunte portam, dixit: An impunè Zambris dominum suum peremit?

G

At ille sublata ad fenestram facie, dixit: Quis à me est? quis? Cũq; ad eum duo aut tres prospexissent spadones, Præcipitate eam, inquit: Tum illi eam præcipitant, respersitq; sanguis eius murum & equos. Ille ea cõculcata, iuit ad sumendum cibũ. Deinde nefariã illam (sic enim eam appellauit) curari sepelirique iussit, quòd regis esset filia. Sed qui ad eam sepeliendũ iuerũt, nihil præter caluam, pedesq;, & manuũ palmas inuenerunt. Quod postquã reuersi ad illum retulerũt, dixit Iouam idipsum per suum Eliam Thesbitam prædixisse, scilicet in agro Iezraelẽsi Iezabelis corpus à canibus comesum iri. Iacuit ergo Iezabelis cadauer tanquam stercus sub dio, in agro Iezraelensi, ita ut Iezabel esse non uideretur.

3.Reg. 21.f

CAPVT X.

Iehus scribit ad Iezraelenses.

CVm haberet autem Achabus septuaginta filios Samariæ, scripsit Iehus literas, quas Samariam ad principes Iezraelenses senatores, & Achabi educatores misit, in hæc uerba. Simulac ad uos peruenerit hæc epistola, qui domini uestri filios, qui currus, qui equos, qui urbem munitam, qui arma habetis, dispicite ex domini uestri filijs præstantissimũ, & maximè idoneum, quem in patrio solio collocetis, proq; domini uestri domo decertetis. Illi uerò ingenti metu perculsi sunt, quippe cogitantes, ei nec duos quidem restitisse reges, nedum ut ipsi resisterent: miseruntq; præfectus domus & prætor urbanus, & senatores educatoresq;, ad Iehum, sese in eius futuros potestate, omniaq; imperata facturos, neq; quẽquam

B

regem esse creaturos: uteretur suo arbitrio. Ad hæc ille alteram epistolam scripsit ad illos in hunc modum: Si mei estis, mihiq; obeditis, afferte istorum domini uestri filiorum capita, & ad me die crastino uenite Iezrael. Erant regij filij septuaginta apud optimates ciuitatis, à quibus educabantur.

Achabi filij septuaginta occisi.

Igitur perlatis ad eos literis, comprehenderunt filios regios, eosque iugularunt, homines septuaginta: & eorum capita in fiscellis posita, Iezrael ad illum miserunt. Ad quem postquam uenit nuncius, & regis filiorum capita allata esse nunciauit, iussit ea in duos aceruos ante portam cõgeri ad crastinũ. Postridie egressus, stans ad omnem populum uerba facit ad hunc modum: Vos insontes estis: equidem contra dominum meum coniuraui, eũq; interfeci: sed hos omnes quis interfecit? Iamiam cognoscite, nihil eorum quæ à Ioua in Achabi genus prædicta sunt, irritum esse, quin omnia fecerit Ioua, quę per suum Eliam prædixerat.

C

Tum Iehus omnibus qui Iezraele ex Achabi familia restabãt, omnibusq; eius proceribus & necessarijs atque sacerdotibus peremptis, adeò ut nullus ex illius stirpe restaret, Samariã ire contendit.

Iehus Ochoziæ consanguineos occidit.

¶ Atq; in itinere apud casam pastoriciam, nactus Ochoziæ Iudææ regis consanguineos, interrogat qui sint? Cumq; illi respondissent, se Ochoziæ consanguineos esse, qui ad regis & reginæ filios salutandos uenirent: iussit uiuos comprehendi, comprehensosq; iugulari ad puteum casæ, homines duos & quadraginta, nullo prorsus eorũ relicto.

D

Ionadabus Rechabi filius.

¶ Illinc digressus, incidit in Ionadabum, Rechabi filium, & eo salutato: Es'ne tu, inquit, animo erga me beneuolo, ut ego sum erga te? Sum, inquit Ionadabus. Si es, da manum. Atq; illum dantem manum, ad se in currum euexit, seq; comitari, & sui erga Iouam studij spectatorem esse iussit. Illo in currum euecto, Samariam uenit, omnesq; ex Achabi stirpe Samariæ reliquos ad internecionem perimit, quemadmodum Eliæ Ioua futurum prædixerat.

3.Re.16.g

Iehus Baalis sacerdotes interficit.

¶ Deinde cõuocato omni populo, uerba facit, Achabum Baali parum seruiuisse, Iehum multum seruiturum esse. Quapropter omnes Baalis uates, omnes cultores, omnesq; sacerdotes ad se uocent, neu quis desit: nam se magnum Baali facturum esse sacrificium, ad quod quisquis non adfuisset, uita priuatũ iri. Hæc autem callidè faciebat Iehus, ut omnes Baalis perderet cultores. Iussitq; Iehus Baalis ferias edici:

E

quibus proclamatis, curauit ut ex omnibus Israeliticis partibus omnes Baalis cultores conuenirent. Qui postquam ad unũ omnes in Baalis ædem coierunt, ijsq; ita referta fuit ędes, ut oribus ora iungerentur, iussit æditimo ut uestes ad omnes Baalis cultores promeret: ijsq; prolatis, ingressus ipse cũ Ionadabo Rechabi filio, in ædem Baalis, iubet Baalis cultoribus ut diligenter uideant, ne quis sit ibi cum ipsis, ex Iouæ cultoribus, sed tantum Baalis cultores. Atque illis rem diuinam & solida sacrificia facere ingressis, disponit foris homines octoginta, quibus edicit, quicũq; illorum euaserit, quos ipse in eorum manus adduxerit, uitam uita pendendam fore. Atq; ubi solidum sacrificiũ finiuit, satellitibus & triumuiris imperat, ut ingressi, illos sic occidant, ut ne quis

F

exeat. Ita illos ferro trucidant, prosternũtq; satellites

lites & triumuiri. Deinde in oppidum templi Baalis profecti, cùm alia templi simulachra efferunt, cremantq́, tum ipsius Baalis simulachrum deturbant, dirutamq́ Baalis ædem in latrinas redigunt, quæ manent ad hunc diem. Ita exterminauit Iehus ex Israelitis Baalem: quãquam à Ieroboami Nabati filij sceleribus, quibus ille Israelitas obstrinxerat, non abstinuit, uidelicet ab aureis uitulis, qui Bethele & Dane erãt. ¶ Tũ Ioua Iehu promisit: quoniam suæ uolũtati rectè paruisset, Achabiq́ domum planè ex animi sui sententia tractasset, fore ut eius etiam trinepotes in Israelitarum solio sederent. G Sed non curauit Iehus, ut ex Iouæ Dei Israelitarum lege tota mente uiuèret: dum à Ieroboami sceleribus, in quæ ille Israelitas coniecerat, non recedit. Per ea tempora cœpit Ioua Israelitas atterere, effecitq́ ut uastaret Hazael omnes Israelitarũ fines à Iordane ad exortum solis, omnem tractum Galaaditarum, & Gadinorum, & Rubenitarum, & Manassensium, quà Galaaditis & Basana ab Aroere apud Arnonem fluuium posito, patent. De reliquis omnibus Iehu rebus gestis atque uiribus, scriptum extat in annalibus regum Israelitarum. Iehu uita defuncto, & Samariæ sepulto, successit in regno Ioachazus eius filius. Regnauit autem Iehus in Israelitas, annos duodetriginta Samariæ.

Hazael Israelitas infestat.

CAPVT XI.

Athalia regium semẽ extinguere conatur. 2. Par. 22. d

CAeterùm Ochoziæ mater Athalia, uidẽs mortuum esse filium suum, omne regium semen inuasit ac perdidit. Sed Iosaba Iorami regis filia, Ochoziæ soror, Ioam Ochoziæ filium, eiusq́ nutricem, ex media regiorũ filiorum cęde surripuit in conclaui cubiculi: eumq́ ex Athaliæ conspectu abditum, & à morte uindicatum, habuit in Iouæ templo occultum sex annos, Athalia regnum obtinente. Anno septimo curat accersendos Ioiada centuriones stipatorum atque satellitum: cumq́ ijs in Iouæ templum introductis, & iureiurando obstrictis, ibi paciscitur: eisq́ regis filium ostendit, atq́ ita præcipit: Hoc uobis faciendũ est. Tertia pars uestrûm aderit Sabbatho, & regiæ custodiam aget. B Altera tertia erit ad portam Suriam. Tertia ad portam posticam satellitum, & domus Messæ custodiam agetis. Duæ autem partes uestrûm, hoc est, omnes qui Sabbatho prodire solent, regis custodiam in Iouę templo agent. Atq́ ita regem undiq́ circumuallabitis, tela manu gerentes: ac qui intra septũ introiuerit, moriatur: regemq́ & exeuntem & intrantem stipabitis. Hæc omnia Ioaidæ pontificis imperata faciunt centuriones: assumptisq́ suis quisq́ hominibus, tum quibus uenire, tum quibus abire Sabbatho mos erat, Ioiadam adeũt. Pontifex cẽturionibus hastas pharetrasq́ Dauidis regis, quæ in templo Iouæ erant, tradidit: stantibusq́ armatis satellitibus à templi parte dextra ad sinistram, qua templum araq́ patebat, ut regem undiq́ stiparent, filium regis educit, ei coronam & oraculum imponit: regemq́ C faciunt atq́ ungunt, & complosis manibus regem salutant. Athalia audito concursus hominum strepitu, ad eos in Iouæ templum uenit: & regem cõspicata in pulpito, sicuti mos erat, stantem, tum principes & tubas apud regem, cunctosq́ mortales lætantes, tubisq́ clangentes; uestimenta sua lacerat, & coniurationem esse iterum atq́ iterum clamat. At Ioiada pontifex centurionibus militum præfectis imperat, ut illam extra templi septum educant, ac si quis eam secutus fuerit, eum ferro trucident. Nolebat enim sacerdos, eam in Iouæ templo interire. Illi iniectis manibus, eam in uiam, qua equis in regiã aditus est, educunt, ibiq́ perimitur. Et Ioiada tum inter Iouam & regem populumq́, ut Iouæ populus essent, tũ inter regem & populum, pactionem fecit. D Deinde totius regionis homines Baalis ædẽ adorti, eius aras diruunt, & imagines probè perfringunt, Matanem'que Baalis sacerdotem ante aras interficiunt. Pontifex Iouæ templo custodijs munito, centuriones, stipatores, satellites, omnem denique populum aduocat: deductum'que de Iouæ templo regem, per uiam portæ satellitum in regiam introducunt, & eo in solio regali collocato, uniuersi lætati sunt: atque ita ocium nacta ciuitas est, Athalia ferro apud regiam necata.

Ioiada pontifex Ioam regẽ creat. 2. Par. 23. a

Athaliæ mors.

CAPVT XII.

Ioas Iudææ rex.

AGebat Ioas annũ septimũ, cum regnum inijt, uidelicet anno septimo regni Iehu. Regnauit Hierosolymis annos quadraginta. Mater ei fuit nomine Sebia, ex Bersaba. Is Ioas Iouæ tandiu paruit, quandiu doctorem Ioiadam pontificem habuit: tametsi sacella sublata non sunt, populo adhuc in his sacra suffitumq́ faciente. Iussit autem Ioas sacerdotibus, ut omnem pecuniam rerum sacrarum, quæ in Iouæ templum illata foret, pecuniam recensitorum pro cuiusque capitis æstimatione, & omnem pecuniam, quam cuiq́ in Iouę templum inferre uisum fuisset, sumerent à sua quisq́ diœcesi, atq́ inde templi diruta reficerent, ubicunque ruina extaret. Sed anno regni Ioę uigesimo tertio, cum templi ruinas sacerdotes non instaurassent, uocauit rex Ioas Ioiadam pontificem B & sacerdotes: eisq́ obiurgatis, quòd templi diruta non instaurassent, uetuit ne ullam pecuniam à suis diœcesibus acciperet, quin eam in templi ruinas impenderent. Sed cum sacerdotes statuissent, pecuniam à populo non accipere, neq́ templi ruinas resarcire, cæpit Ioiada pontifex capsam, quam, perforato eius operculo, apud aram posuit ad dextram ingredientium in templum Iouę, in quam capsam sacerdotes uestibuli custodes omnem pecuniam in Iouę templum illatã conijceret. Ac postquam uisum erat satis esse in capsa pecuniæ, accedebant scriba regius & pontifex, & pecuniã, quæ in templo Iouæ inueniebatur, numerabãt: inq́ loculos relatam, subducta ratione tradebant operis curatoribus, templo Iouę præfectis, qui eam erogarent in fabros lignarios, inq́ structores, Iouæ templum reficientes, in cæmentarios, in lapicidas, in ligna, quadratosq́ lapides C

Ioas templum curat instaurandum.

comparandos, ad sarciendas templi Iouæ ruinas, denique in omnia quæ ad templi instaurationem pertinerent. Neq; ex illa, quæ in templo Iouæ proueniebat, pecunia, fiebant templi pelues argenteæ, instrumenta musica, phialæ, tubæ, aut ullum deniq; uas aureum, argenteum'ue: sed ea operis curatoribus dabatur, qui ea Iouæ templum reficerent. neque illis, quibus in operis curatores eroganda tradebatur pecunia, impensa ferebatur, quippe bona fide agentibus: uerùm noxalis & delictorum pecunia in

D templum non inferebatur, sed sacerdotũ erat. Cum autem Hazael Syriæ rex Gethã bello adortus cępisset, & Hierosolymam iter aduertisset, cæpit Ioas Iudæę rex omnia, quę tum à Iosaphato, Ioramo, & Ochozia suis maioribus Iudææ regibus, tum à seipso fuerant consecrata, atq; omne aurum, quod uel in templi, uel in regiæ fisco inuentũ est: ijsq; Hazaeli Syriæ regi missis, persuasit ut ab Hierosolyma discederet. De reliquis omnibus Ioæ rebus gestis, memoriæ proditum extat in annalibus regum Iudęę. Hic Ioas à suis Iozabaro Semaæ filio, & Iozabado Someris filio facta coniuratione, occisus est apud Mellonem domum, quæ defert ad Sillam. eoq; apud maiores suos in urbe Dauidis sepulto, successit in regnũ Amasias eius filius.

CAPVT XIII.

Ioachazus Israelitarum rex.

ANno uigesimotertio Ioæ Ochoziæ filij, Iudęę regis, regnum in Israelitas inijt Ioachazus Iehu filius. Regnauit Samariæ annos decem & septem. Hic cum Iouam offenderet, & Ieroboami Nabati filij scelus, quo ille Israelitas obstrinxerat, imitaretur, neq; ab eo recederet, iratus Israelitis Ioua, dedidit eos Hazaeli Syriæ regi, & Benadado Hazaelis filio continenter. Sed obsecrantem Ioachazum exaudiuit Ioua, Israelitarũ calamitates respiciens, quibus à rege Syriæ opprimebantur: & Israelitas, defensore dato, à Syrorũ imperio uindicauit,

B & in pristinum domos suas habitandi statum restituit. Neq; tamen à Ieroboami familiæ sceleribus, in quę ille Israelitas impulerat, recesserunt, quin ea imitarentur: maneretq; apud Samariam lucus, cum quidem Ioachazo ex militibus tantum restarent equites quinquaginta, decem currus, & decem millia peditũ: reliquis à Syrię rege perditis, & quasi in trituræ puluerem redactis. De reliquis omnibus Ioachazi rebus gestis & uiribus, scriptum habetur in annalibus regum Israelitarum. Ioachazo uita defuncto, & Samariæ sepulto, successit Ioas eius filius in regnum Israelitarum, anno trigesimo-

Ioas Israelitarum rex.

C septimo Ioæ Iudææ regis: regnauitq; Samariæ annos sexdecim. Offendit autem Iouam, à tot Ieroboami Nabati filij flagitijs, quibus ille Israelitas obligauerat, non recedendo, in'que eis uiuẽdo. De cęteris omnibus Ioæ rebus gestis, uiribusq;, ut cum Amasia Iudææ rege bellum gesserit, scriptum extat in annalibus regum Israelitarum. Ioa uita defuncto, sedit in eius solio Ieroboamus. Sepultus est autẽ Ioas Samarię, cum regibus Israelitarum. Cum laboraret autem Elisæus eo morbo, quo interijt, uisit eum

Ioas ægrotantẽ uisit Elisæum.

Ioas Israelitarum rex, & apud eum flens dixit: O pater pater, Israelitarum currus & equites. Tum Elisæus ei pręcepit, ut arcum sagittasq; caperet. Cumq; ille arcum & sagittas cæpisset, iussit ut arcui manum admoueret: quam postquam ille admouit, Elisæus suas manus regis manibus imposuit, & eum orientalem aperire fenestram iussit, eaq; aperta iacularí. Atque eo iaculato, Ista est (inquit ille) uictrix Iouæ sagitta, uictrix contra Syros sagitta, quos tu apud Aphec ad internecionem cędes. Itemq; regem alloquens: Sume sagittas. Cumq; ille sumpsisset: Feri terram. Tum ille ter ferit, deinde desinit. Qua re succensens ei diuinus dixit: Si quinquies aut sexies pulsasses, tum Syros ad exitium cæcidisses. Nunc ter Syros uicturus es. D

Mortuus tacto Elisæi corpore reuixit. Eccl.48.b

Mortuo sepultoq; Elisęo, cum eodem anno grassatores Moabitę in eam regionem incursionem facerent, quidam, qui hominem sepeliebant, uisis latronibus, eum in Elisęi sepulchrum abiecerunt. Ille simulac Elisæi ossa tetigit, reuixit, atq; in pedes ingressus est. Hazael autem Syriæ rex Israelitas toto Ioachazi tempore crudeliter infestauit: quanquam eorum misertus Ioua, eos respexit, ob fœdus quod ei cum Abrahamo, Isaaco, Iacoboq; intercedebat: neq; eos perdere uoluit, neque hactenus aspernatus est. Mortuo Hazaele Syriæ rege, & Benadado eius filio in eius loco regnante, Ioas Ioachazi filius oppida rursum eripuit Benadado Hazaelis filio, quæ ille à Ioachazo patre suo armis abstulerat: eoq; ter uicto, Israeliticas urbes recuperauit.

CAPVT XIIII.

Amasias Iudææ rex. 2.Par.25.a

ANno secundo Ioę Ioachazi filij, Israelitarum regis, regnum Iudęæ inijt Amasias Ioæ filius, annos tum natus quinque & uiginti. Regnauit Hierosolymis annos undetriginta, matre Ioadane Hierosolymitana. Hic Ioę paruit: non ille quidem ut Dauid autor generis eius, sed omnia Ioę patris sui facta imitatus est, non sublatis tamen sacellis, atque in eis populo adhuc sacra suffitumq; faciẽte. Is postquam firmatum in eius manu regnum est, seruos suos occidit, qui ipsius patrem regem occiderant: neque interfectorum filios peremit, B

Deut.24.e Ezec.18.e

ut fert scriptum illud legis Mosis, ubi pręcipit Ioua, ne parentes pro filijs, ne'ue filij pro parentibus moriantur, sed ob suum quisque peccatum moriatur. Occidit & Idumæorũ in ualle salis decem millia: Petram'que armis expugnauit, eamq; Iectheel appellauit, quod nomẽ adhuc manet. Tum missis ad Ioã Ioachazi filium, Iehu nepotem, Israelitarũ regem, legatis, prouocauit eum ad congrediendum. Cui Ioas remisit hæc: Carduus Libani misit ad cedrum Libani, qui illius filiam suo filio in matrimonium poscerent. Interea pręteriens quædam fera Libani, carduum proculcauit. Tu quoniam Idumæos uicisti, animos tollis. gloriare domi tuæ manens: ne tute tibi malum accersas, & unà cum Iudęis cadas. His cum non obtemperaret Amasias, profectus est Ioas Israelitarũ rex, cũq; Amasia Iudęę rege apud Bethsamẽ, quæ in Iudęa

Amasias Ioæ bellum indicit. C

Amasias à Ioa uictus.

in Iudæa est, congressus est: uictiq; ab Israelitis Iudæi, fuga domum diuersi abierunt. Amasiam Ioæ filium Iudææ regē Ioachazi nepotem cæpit apud Bethsamem Ioas Israelitarū rex, & Hierosolymā profectus, diruit ex Hierosolymæ muris à porta Ephraimitarū, ad portā anguli, quadringētos cubitos: ablatoq; quicquid auri, argēti, uasorum tum in Iouæ templo, tum in regis fisco inuentum est, abductisq; obsidibus, Samariam rediјt. De cęteris omnibus Ioæ rebus gestis & potentia, utq; cum Amasia Iudęę rege bellū gesserit, scriptum extat in annalibus regum Israelitarum. Ioę uita defuncto, & Samariæ cū Israelitarū regibus sepulto, successit in regnum Ieroboamus eius filius. Vixit autē Amasias Ioæ filius Iudææ rex post mortē Ioæ Ioachazi filij Israelitarū regis, annos quindecim. De reliquis Amasiæ rebus scriptum extat in annalibus regū Iudęę. Aduersus eum facta Hierosolymis cōiuratio est: cumq; Lachim profugisset, missi sunt eò qui eum ibi interfecerūt: sublatusq; in equo, sepultus est Hierosolymis apud maiores suos in urbe Dauidis. Eius deinde filiū Azariam annos natum sexdecim, in regnum pro eo substituerunt uniuersi Iudęi. Is rege uita defuncto, Elathā instaurauit, eamq; Iudææ restituit. Anno decimoquinto Amasiæ Ioę filij Iudęę regis, cœpit Ieroboamus Ioæ filius in Israelitis regnare. regnauit Samarię annos unum & quadraginta. Is Iouam offendit, neque à tot Ieroboami Nabati filij sceleribus, quibus ille Israelitas obstrinxerat, recessit. Recuperauit autem fines Israelitarum abusq; Hematha ad lacum planum, ut habebatur in Iouę Dei Israelitarū oraculo, quod ediderat per suū Ionam Amittæi filium, uatem, Gethephrēsem. Respexit enim Ioua miserias Israelitarū, adeò acerbas, ut nihil neq; abditum neq; abiectū superesset. Cumq; nullus esset qui eis auxiliū ferret, Ioua nolens Israeliticum nomē ex rerū natura delere, eos per Ieroboamum Ioæ filiū defendit. De reliquis omnibus Ieroboami rebus gestis, uiribusq;, ut bellum gesserit, utq; Damascum & Hematham Iudæis, qui inter Israelitas habentur, recuperauerit, scriptum extat in annalibus regum Israelitarum. Postquam Ieroboamus ad manes maiorum suorum Israelitarum concessit, regnum obtinuit pro eo filius eius Zacharias.

D E F G (margin)

1. Par. 26. a

Ieroboamus Ioæ filius Israelitarū rex.

Ionas.

CAPVT XV.

Azarias Iudææ rex, qui post hæc locum uocatur Ozias.

ANno uigesimoseptimo Ieroboami Israelitarum regis, Azarias Amasię filius regnū Iudæę inijt, annū tum agens decimumsextum. Regnauit Hierosolymis annos duos & quinquaginta, matre Hierosolymitana, nomine Iecholia. Is Iouæ paruit, quemadmodum fecerat eius pater Amasias: non sublatis tamē sacellis, adhucq; hominibus ibi sacrificia suffitumq; facientibus. Hic rex à Ioua lepra affectus, leprosus fuit usq; ad mortē: semotamq; domum habitauit, Iothamo eius filio domum procurāte, populoq; ius dicente. De reliquis omnibus Azariæ rebus gestis scriptū extat in annalibus regum Iudææ. Azaria uita defuncto, & cum maioribus suis in urbe Dauidis sepulto, regnauit pro eo Iothamus eius filius.

2. Par. 26. d

B

Anno duodequadragesimo Azarię Iudæorū regis, regnum Israelitarum inijt Zacharias Ieroboami filius, quod Samarię tenuit sex menses. In hunc, contra Iouæ uoluntatem, exemplo maiorum suorum, uiuentem, neq; à Ieroboami Nabati filij sceleribus, quibus ille Israelitas astrinxerat, recedentem, coniurationem fecit Sellumus Iabis filius: eoq; palàm interfecto, regnum occupauit. De reliquis Zachariæ rebus scriptum extat in annalibus regum Israelitarū. Hoc est oraculum Iouæ, quo Iehu promiserat fore, ut eius trinepotes in Israelitarū solio sederent: id quod euenit. Sellumus Iabis filius anno trigesimonono Azariæ Iudææ regis regnum inijt, quod postquam spacium unius mensis Samariæ tenuit, Manahemus Gadis filius Thersā Samariam profectus, eū ibi peremit, eoq; interfecto regnum occupauit. De reliquis Sellumi rebus, & de facta ab eo coniuratione, scriptum habetur in annalibus regum Israelitarum. Deinde Thapsam, & omnia quæ erāt in ea, eiusq; fines usq; à Thersa, peruastauit Manahemus, quòd ei portas non aperuerant, Thapsensesq; grauidas mulieres omnes dilaniauit. Anno trigesimonono Azarię Iudææ regis regnū inijt Manahemus Gadis filius in Israelitas, quod Samariæ decem annos obtinuit. Is contra Iouæ uoluntatem uixit: nec unquā à Ieroboami Nabati filij sceleribus, quibus ille Israelitas obstrinxerat, recessit. Cumq; in eam regionem uenisset Phul Assyriæ rex, dedit ei Manahemus mille argenti talenta, ut sibi adesset ad confirmandum in sua manu regnum: quod quidē argentum, potentissimis quibusq; Israelitarum imperauit, uidelicet uiritim quinquagenos argenti siclos, quod Assyriæ regi daretur. Ita reuersus Assyriæ rex, in ea regione moram nō fecit. De reliquis omnibus Manahemi rebus gestis scriptum habetur in annalibus regū Israelitarum.

Zacharias Israelitarū rex.

C

Sellumus Israelitarum rex.

Manahēmus Israelitarū rex.

D

Phul Assyriæ rex.

Manahemo uita defuncto, successit in regnū Israelitarum Phacehia filius eius, anno Azariæ Iudææ regis quinquagesimo. Regnauit Samariæ biennium. Eum contra Iouæ uoluntatē uiuentē, neq; à Ieroboami Nabati filij sceleribus, quibus Israelitas obligauerat, recedētem, Phaca Romeliæ filius, eius triumuir, per coniurationem interfecit Samarię, in arce regiæ, cum Argobo, & Arie, quinquaginta Galaaditis eū comitantibus: eoq; mortuo regnū occupauit. De cęteris omnibus Phacehię rebus gestis scriptum extat in annalibus regum Israelitarum.

Phacehia Israelitarum rex.

E

Anno quinquagesimosecundo Azariæ Iudęę regis, regnare cœpit apud Israelitas Phaca Romeliæ filius. regnauit Samarię annos uiginti. Is Iouam offendit, neq; à Ieroboami Nabati filij sceleribus, quibus ille Israelitas obstrinxerat, recessit. Huius Phacæ Israelitarum regis temporibus Theglathphalasar Assyriæ rex expeditione facta, cæpit Ionem, & Abelmaacham, & Ianoam, & Cadem, & Hasor, & Galaaditidem, & Galilæam, & omnem tractum Nephthalēsem, hominesq; in Assyriam transtulit.

F

Phaca Israelitarum rex.

Theglathphalasar Israelitas in Assyriā transfert.

trāstulit. Phacam Romeliæ filium Osea Elæ filius per coniuratione̅ interfecit, regnumq; occupauit anno uigesimo Iothami Oziæ filij. De reliquis omnibus Phacę rebus gestis, scriptum extat in annalibus regum Israelitarum. Anno

2.Par.27.a Iothamus Iudææ rex.

secūdo Phacę Romelię filij Israelitarum regis, Iudææ regnum iniit Iothamus Oziæ filius, annos tum natus uigintiquinq;. Regnauit Hierosolymis annos sexdecim. Mater ei fuit nomine Ierusa, Sadoci filia. Is Oziæ sui patris exemplo ad Iouæ uoluntatem uixit, non sublatis tamen sacellis, populo adhuc in eis sacrificia, suffitūq; faciente. Instaurauit templi Iouæ portam superiorem. De reliquis omnibus Iothami rebus gestis, scriptum extat in annalibus regum Iudææ. Per ea tempora cœpit Ioua immittere in Iudæam Razinem regem Syriæ, & Phacam Romeliæ filium.

CAPVT XVI.

Achazus Iudææ rex. 2.Par.28.a

IOthamo uita defuncto, & apud maiores suos in urbe Dauidis autoris generis eius sepulto, Iudææ regnū obtinuit Achazus eius filius, anno Phacę Romeliæ filij decimoseptimo, annos tum natus uiginti. Regnauit Hierosolymis annos sexdecim. Is tātum abfuit, ut ad Ioue Dei Israelitarū uoluntatem uiueret, sicut Dauid eius generis autor fecerat, ut Israeliticorum regum mores imitatus, etiā filium suū per ignem traijceret: qualia sunt gentium flagitia, quas Ioua ob Israelitas euerterat: sacrificaretq;, & suffitum faceret in sacellis, collibusq;, & passim sub frōdosis arboribus. Tum Razin Syriæ

Esa.7.a

rex, & Phaca Romelię filius, Israelitarum rex, Hierosolymā bello adorti, Achazum obsederunt, nec expugnare potuerunt. Eo tēpore Ra-

B

zin Syrię rex Elatham (exactis inde Iudæis) recuperauit Syris, eoq; colonia Syrorū deducta est, quę ad hunc diem manet. Misit autē Achazus legatos ad Theglath Phalasarē Assyriæ regem, & ab eo petijt ut adesset, seq; seruū & filium suum à Syriæ regis, & Israelitarū regis iniuria, à quibus oppugnaretur, defenderet: eidemq; Assyrię regi dono misit argentum, aurumq;, quod uel in æde Iouę, uel in regia inuentū est. His inductus Assyrię rex, Damascū inuasit: eaq; potitus, Damascenos Cirenē deportauit, interfecto Razine: Achazus autem rex Theglathphalasari Assyriæ regi obuiam Damascū uenit: & animaduersa Damasci ara, misit eius exemplar, & totius operis rationem, ad

C

Vriam pontificē: isq; pontifex aram ad pręscriptum regis, Damasco missum, ad illius aduentum fecit. Rex Damasco reuersus, uisa ara, accessit, & ad eam rem diuinā fecit, solidamq; hostiam cremauit, & fertum & uinum libauit, & sanguinē hostiæ pro salute sua in aram effudit. Altare autem ęneum, Iouæ inter aram & Iouę ędem appositum, amouit inde ex ædis conspectu, & ad aræ partem aquilonarem collocauit. Vriæq; pontifici pręcepit, ut in ara magna cremaret solidam hostiam matutinā, fertumq; uespertinum, & hostiam solidam regis, eiusq; fertum: & hostiam solidam omnium incolarū, eo-

D

rumq; fertum, & eorū prolibandū uinum, omnemq; & solidarum hostiarū & uictimarū sanguinem in eam infunderet: aram autem ęneam ipse sibi ad oracula sciscitanda reseruauit. His omnibus Achazi regis præceptis obsecutus est pontifex Vrias. Truncauit autem rex Achazus areas basium, & lauacra illis dextraxit: lacumq; de bubus æneis, qui suberant, depositum, substratis saxis imposuit. Tapetem quoq; Sabbathi qui in ęde factus fuerat, & aditū regium exteriorem, in ædem conuertit, propter Assyriæ regem. De reliquis Achazi rebus gestis, scriptum habetur in annalibus regum Iudææ. Achazo uita defuncto, & in urbe Dauidis apud maiores suos sepulto, successit in regnum Ezechias eius filius.

CAPVT XVII.

Osea Israelitarū rex.

ANno duodecimo Achazi Iudææ regis, cœpit apud Israelitas regnare Osea Elæ filius. Regnauit Samariæ annos nouem. Et Iouam quidem offendit, sed non ut Israelitarū reges, eius maiores. Hunc Oseam cum Salmanasar Assyriæ rex, facta in eum expeditione, subegisset, uectigalemq; redegisset, postea deprehensa eius defectione (quod & legatos ad Suā Aegypti regem miserat, neq; ipsi Assyriæ regi uectigal, ut superioribus annis, mittebat) comprehendit, & in carcerem coniecit. Cum enim totam regionem peruasisset, Samariam adortus triennium obsedit: eaq; anno Oseæ nono potitus, Israelitas in Assyriam trāstulit, Halæq; & Habore, quæ urbes in Media apud Gozanem fluuium sitę sunt, collocauit. Et quia Israelitę contra Iouam Deum suum, à quo ex Aegypto deportati, & ex Pharaonis Aegypti regis potestate fuerant asserti, peccauerāt, alienosq; deos reueriti, & instituta tum illarum gētium, quas Ioua in gratiam Israelitarū euerterat, tum quæ ab ipsis Israelitarum regibus introducta erant, secuti, res designauerant illicitas, contra Iouam Deum suū: sacellaq; per omnia sua oppida à turri custodum ad urbem munitam, ędificauerant, statuas lucosq; passim in editis collibus, & sub frondosis arboribus instituerant, & ibi per omnia sacella more gentiū à Ioua eorum causa exactarum adolebant, pessimaq; facinora ad irritandum Iouam cōmittebant, colēdo stercoreos diuos, quam rem Ioua fieri uetuerat: cumq; Ioua, tum Israelitas, tum Iudæos per tot uates futura præuidentes admonuisset, ut omissis suis prauis moribus, eius præceptis & institutis obedirent, ut ferebat tum omnis lata ab ipso maioribus eorum lex, tum missa ad eos per ipsius cultores uates mandata, non obtemperauerant: sed eadē ceruicis duritate, qua maiores eorum, qui Iouæ Deo suo non crediderant, repudiatis illius institutis, atq; fœdere, quod illi cum maioribus eorum intercedebat, & monitis, quibus ad eos usus erat, uana illa uani secuti erant, ad imitationem finitimarum gentium, quas imitari Ioua eos uetuerat: omissisq; omnibus Iouę Dei sui pręceptis, duos sibi uitulos conflauerant, lucum fecerant, omnes cœli copias adorabant, Baalem colebant, filios filiasq; suas per ignem traijciebant, auguriis & diuinationibus

Salmanasar Israelitas in Mediam trāsfert.

Israelitarū peccata.

B

Iere.25.b

C

diuinationibus utebantur, ad Iouam suis flagitijs irritãdum addicti: ob hæc, inquam, Ioua Israelitis uehementer iratus, eos reiectos auersatus est, relicta sola Iudæorum tribu. Ac Iudæis etiam, Iouę Dei sui præcepta non seruantibus, sed introducta ab Israelitis instituta tenentibus, D repudiauit Ioua uniuersam Israelitarum stirpem: subactosq; ita dedidit prædonibus, ut eos à suo aspectu abijceret. Nam separati à domo Dauidis Israelitæ, Ieroboamum 3.Reg.12.c Nabati filium regem creauerant, per quem à Ioua sequendo retracti, & magno scelere obstricti, per omnia ab illo cõmissa flagitia grassabantur, ab eis non recedentes, eousq; ut Ioua Israelitas è suo conspectu sustulerit, quemad- Iere.25.b modum per tot suos uates minatus erat, eosq; ex sua patria in Assyriam transferendos curauerit, quæ captiuitas durat adhuc.

Samaritanorum origo. ¶ Deduxit autem rex Assyriæ ex Babylone, Cutha, Aua, Hematha, & Sepharuaimo, coloniam in oppida Samaritana, in locum Israelitarum: occupataq; est à colonis, & habitata Samaria, atq; eius oppida. Sed ut primùm ibi nulla Iouæ religione imbuti consederunt coloni, emisit in illos Ioua leones, à quibus occiderentur. Itaque de- E monstratum regi Assyriæ est, colonos ab eo in oppida Samaritana deductos, quoniam Dei illius terræ naturam ignorarent, propterea immissis ab illo leonibus necari. Tum rex Assyrię illò deduci imperauit aliquem sacerdotum, qui indidem fuerant deportati, qui deductos eò colonos naturam Dei illius terræ doceret. Ita profectus unus sacerdotum, qui Samaria fuerant translati, Bethele habitauit, illosq; docuit qua religione Iouam colere deberent. Sed illi cuiusque nationis homines deos gentiles fecerant, eosq; in sacellis à Samaritanis factis posuerant: prout quæque natio in quoque oppido consederat. Babylonij fecerant Soccobe nothum, Cuthæi Nergalem, Hemathenses Asimam, Auani Nebahazum & Thartacum, Sepharuaimenses Adramelecho & Anamelecho F dijs Sepharuaimensibus filios suos igni cremabant. Ita cum & Iouam uererentur, & tamẽ ex sui corporis hominibus sacerdotes sacellanos creassent, qui eis rem diuinam per sacella facerent, factum est, ut simul & Iouæ religionem tenerent, & deos suos colerent more gentium, ex quibus eò translati fuerant. Atque ad hunc diem pristinos ritus retinent, neque Iouæ religionem tenent, neque instituta, iura, legem, Gen.32.f disciplinam exequuntur, quam Ioua prognatis Iacobo (cui nomen imposuerat Israelis) tradi- G dit, feriendoq; cũ eis fœdere pręcepit, ne deos alienos reuererẽtur, ne'ue adorarent, ne'ue eis seruirent, aut sacrificarent: sed tantum Iouam (à quo ex Aegypto magna ui, extentoq; brachio educti fuissent) reuererentur, hũc adorarẽt, huic sacrificarent, ab hoc descripta sibi instituta, iura, legem, doctrinã, semper exequendã curarent: ne'ue deos uererẽtur alienos, ne'ue icti à se cum ipsis fœderis obliuiscerentur: ne deos inquam uererentur alienos, sed tantum Iouam Deum suũ uererẽtur, qui eos esset ab omnium hostium iniuria uindicaturus. Sed non obediuerunt, suosq; pristinos mores retinentes illæ gentes, & Iouę religionẽ secutę sunt, & simulachra sua coluerunt: earumq; filij & nepotes hactenus patrios mores imitati sunt.

CAPVT XVIII.

Ezechias Iudææ rex. *1.Para.29.a* ANno tertio Oseæ Elę filij, regis Israelitarum, regnum Iudæę inijt Ezechias Achazi filius, annum tum agens uigesimumquintum. Regnauit Hierosolymis annos nouẽ & uiginti, matre nomine Abi, Zachariæ filia. Is Iouæ obediuit, quemadmodum fecerat eius generis autor Dauid: sacella sustulit, statuas perfregit, lucum succidit, serpẽtem ęneum à Mose factum (quoniam ei ad id temporum Israelitæ adolebant) contriuit, & Nehostan ab ære ap- Num.21.c pellauit. Iouę Deo Israelitarum confidit: nec eum ullus ex omnibus Iudææ regibus uel secutus est, uel precessit, qui sit cum eo comparãdus. Iouę sine ulla defectione adhęsit, eiusq; præcepta Mosi tradita cõseruauit. Ioua secun- B do usus, in omnibus rebus gerendis prudenter se gessit. Cõtra regem Assyrię rebellauit, necq; ei seruiuit. Palæstinos ad Gazam eiusq; fines subegit, à turri custodum ad urbem munitam. Huius Ezechię regni anno quarto, qui fuit annus septimus Osęę Elæ filij, Israelitarum regis, expeditionem fecit Salmanasar Assyrię rex in Samariã, eamq; obsedit: atq; ea post triennium capta, anno Ezechię sexto, qui fuit annus Osęę Israelitarum regis nonus, Israelitas in Assyriam traduxit, & Halę atq; Habore (quę urbes Medicæ sunt, apud Gozanem fluuium positę) collocauit, quandoquidem Iouæ Deo suo dicto audientes nõ fuerant, eiusq; fœdere uiolato, nihil eorum quæ fuerant à Mose Iouæ seruo C præcepta, obedienter fecerãt. ¶ Anno aũt Ezechiæ regis quartodecimo, expeditionem fecit Senacheribus Assyrię rex, in omnia munita op- 2.Par.32.a Esa.36.a Eccl.48.c pida Iudææ, eaq; cępit. Tum Iudææ rex Ezechias, missa ad Assyriæ regem legatione ad Lachim, petijt, se peccauisse confitens, ut ab se discederet: se, quicquid sibi ab illo impositũ fuisset, laturũ. Cumq; ille ei trecenta argenti, & triginta auri talẽta imperasset, dedit rex Ezechias quicquid argenti uel in Iouę tẽplo, uel in regię fisco inuentũ est: ac tum aulæas delubri Iouæ ualuas, laminasq;, quas ipsemet induxerat, Assyriæ regi dedit. At rex Assyrię Tartanẽ, Rabsarim, & Rabsacem, à Lachi Hierosolymam misit, ad regem Ezechiã, cum magnis copijs: D qui postquam Hierosolymam peruenerunt, & [a] apud aquæductum piscinę superioris, positum ad semitam agri fullonis, constiterunt, uocauere regem. Cumq; ad eos prodijssent Eliacimus Helcię filius, procurator domus, & Sobna scriba, & Ioa Asaphi filius à commentarijs, Rabsaces apud eos huiusmodi uerba facit: Vos hæc nomine regis magni, id est regis Assyriæ, dicite Ezechiæ: Qua tandem fiducia nitatur? uerbis'ne, an consilio, an uiribus certare cogitet? qua tandem spe fretus ab eo defecerit? An uidelicet confidit confracto isti arundineo baculo, id est, Aegyptijs: cui baculo si quis

[a] scilicet extra urbem.

Rabsacis ad Hierosolymitanos oratio.

si quis innitatur, ei manū perforet, eumq́ pungat: talis est Aegypti rex Pharao, in omnes qui ei confidunt. Quòd si mihi dicetis, uos Iouæ Deo uestro confidere: an non is est, cuius Eze-

E chias sacella arasq́ sustulit, iussitq́ Iudæis & Hierosolymitanis, ut Hierosolymæ ad certam quādam aram Deum adorarent? Age iam, uis tu cum domino meo rege Assyriæ spōsionem facere, si tibi duo equorum millia tradidero, ni tu non posis totidem equites ad eos suppeditare? Tu'ne ausis resistere uel uni prætori, meorum conseruorum minimo? & fiduciā tibi collocas in Aegyptiorum curribus & equitatu? An porrò sine Ioua ad hunc locum peruastandum ascendi? Ipse me Ioua iussit in hanc regionem expeditionem facere, eamq́ depopulari. Hic Eliacimus Helciæ filius, Sobnaq́ & Ioa Rabsacē interpellant, rogātes ut se seruos suos Syriacè (sese enim scire) nō autē Iudaicè, audiētibus qui in muris erāt militibus, alloquatur. At Rabsaces: Quasi uerò, inquit, ad dominū tuū,

F aut ad te, miserit me dominus meus, ad hæc dicenda: ac non potius ad eos qui manent in muris, ut uobiscum & merdam suam comedāt, & urinam bibāt. Audite regis magni, regis Assyrię mandatum: inquit stans, & uoce magna Iudaicè clamans. Hæc dicit rex: Ne uobis imponat Ezechias: neq́ enim poterit uos à mea manu defendere: ne'ue ab eo persuaderi uobis sinite, ut Iouę cōfidatis, quasi uos Ioua sit defensurus, neq́ urbem istā in regis Assyrię manum permissurus. Nolite Ezechiæ obtēperare, nam ita dicit Assyriæ rex: Agite mecum amicè, mihiq́ uos dedite, & uestris quisq́ uineis, ficubus, & puteorum aquis tantisper uiuite, donec

G ueniam ad uos in terram uestræ similem transferendos, terram frumenti & uini, terram panis & uinearum, terram olearū, oleiq́ & mellis feracem, ut ita uestræ saluti prospiciatur: ne'ue Ezechiam audiatis, qui uos spe defensionis à Ioua, fallit. Num reliquarum gentium dij suam quisq́ terrā ab Assyriæ rege defenderunt? Vbi sunt dij Hemathenses, & Arphadēses? ubi dij Sepharuaimenses, Henenses, & Auani? nunquid Samariam à mea manu tutati sunt? Quis tādem est ex omnibus terrarum dijs, qui suam terram à mea manu defenderit? ut Ioua Hierosolymam defensurus esse uideatur? Ad hæc dicta homines tacuerunt, nec ei uel unū uerbum retulerunt: hoc enim à rege præceptum fuerat, ne quid ei responderent. Tum Eliacimus Helciæ filius, procurator domus, & Sobna scriba, & Ioa Asaphi filius à commētarijs, Ezechiam scisis uestimentis adeunt, eiq́ Rabsacis uerba referunt.

CAPVT XIX.

Ezechias Rabsacis maledicta Esaiæ nunciatum mittit. *Esa. 37. a*

HIs auditis, rex Ezechias laceratis uestimētis suis, centone uestitus, Iouæ templū ingressus est: misitq́ Eliacimum domus præfectum, & Sobnam scribam, & seniores sacerdotum centonibus amictos, ad Esaiam uatem Amosi filium, qui ei ita dicerent: Sic dicit Ezechias: Dies angustię & atrocitatis, & contumeliæ hodiernus dies est, [a] iam fœtu in arctū progresso, nec suppetentibus ad pariendum uiribus. Mirum ni audiuit Ioua Deus tuus tot uerba Rabsacis, quem rex Assyriæ dominus eius misit ad conuiciandum Deo immortali tam petulantibus uerbis: quæ cū Ioua Deus tuus audiuerit, fer tu preces pro reliquijs, quæ extant. Hæc postquam Ezechiani Esaiæ retulerunt, Esaias illis respondit in hunc modum: Hæc dicetis domino uestro: Sic dicit Ioua: Noli metuere uerba quæ audiuisti, quibus Assyriæ regis famuli in me inuecti sunt. B

Esaiæ responsio.

Nam ego eum ita afflabo, ut accepto nuncio, terram suam repetat: curaboq́, ut in terra sua ferro cadat. Rabsaces autem reuersus, Assyriæ regem, quem à Lachi discessisse acceperat, Lebnā oppugnantem inuenit. Qui cum audiret Tharacam Aethiopiæ regem contra se expeditionem facere, legatos iterum ad Ezechiam misit cum huiusmodi mandato: Sic dicetis Ezechiæ Iudeæ regi: Ne tibi imponat Deus tuus, cui tu confidis, quasi Hierosolyma in potestatē regis Assyriæ uentura nō sint.

Senacheribus Ezechiæ minatur.

Tutemet audiuisti, quid reges Assyrij in tot depopulandis regionibus fecerint, & tu euades? C Nunquid illos dij gētiles tutati sunt, quos maiores mei euerterunt? Gozanem, Haranē, Resephā, & Edenenses Thelassarianos? Vbi sunt rex Hemathæ, rex Arphadi, rex urbis Sepharuaimi, Henæ & Auæ? Has ubi literas à nuncijs acceptas legit Ezechias, ascendit in templum Iouæ, eisq́ ante Iouā explicatis, apud eum precatur in hunc modum:

Ezechias Iouam cōtra Senacheribi minas precatur.

¶ Ioua Deus Israelitarū, Cherubis insidēs, qui solus omnium orbis regnorū Deus es, qui cœlum terrasq́ fecisti, præbe Ioua aurem tuā, & audi: aperi Ioua oculos tuos, & uide: & audi uerba Senacheribi, qui eum ad Deo immortali conuiciandum misit. Sanè, Ioua, exciderunt reges Assyrij gentes illas, earūq́ terras deosq́ flammis incenderunt, utpote non deos, sed hu- D manarum manuum opera, lignea & lapidea: itaq́ ergo illos perdiderunt. Quapropter, Ioua Deus noster, defende nos ab illius manu: ut intelligant omnia regna terrarum, te, Ioua, solum esse Deum.

Esaiæ oraculū de Senacheribo.

Tum Esaias Amosi filius misit ita nunciatum Ezechię: Sic dicit Ioua Deus Israelitarum: Quod me super Senacheribo Assyriæ rege precatus es, exaudiui. Atq́ hoc est quod dicit ad illū Ioua: Te contemnit & deridet uirgo puella Siō, post te caput mouet puella Hierosolyma. In quē tu tam petulāter inuectus es? in quem uocem cum tam elato supercilio extulisti? In sanctum Israelitarum, per nuncios tuos de Domino maledixisti, atq́ ita dixisti: E Ego tot meis cum curribus montium fastigium, Libani tractus conscendi, & excindenda eius cedrorū proceritate, & pinorum excellētia, ad ultimum diuersorium in eius cultam syluam perueni. Ego effodi & epotaui iuges aquas, meorumq́ pedum uestigijs omnia [b] aggeribus munita flumina siccaui. Nunquam'ne audiuisti, me [c] hoc olim ita comparasse, & à multis iam temporibus destinasse, quod nūc ad rem contuli? urbes munitas in uastæ solitudinis rudera redactum iri: earumq́ incolas, quasi mancos, tam

a tantus est noster dolor, quantus parturientis fœminæ, quæ ad eijciendum fœtū iam ad uuluæ fauces progressū, uires non habet.

b magna.

c Istarū uastitatū autorem esse, de quibus tu te iactas.

tam pudendo pauore percellendos esse, ut essent agrestibus similes herbis, stirpiumq; uiriditati, & gramini tectorum, quod ante iustum arescit incrementum. Tuas ego mãsiones, tuos exitus, tuos ingressus noui, tuamq; aduersum F me bacchationem. Quoniam tu in me debacchatus es, & iste fastus ad aures meas peruenit: ego te, unco meo naribus, lupato labijs tuis iniecto, eadem qua uenisti uia retraham. Tu uerò, Ezechia, hoc signũ habeto. Viuite hoc anno segete restibili: altero item anno, eo quod spõte sua proueniet: tertio anno semẽtim messemq; facitote, & uineas conseritote, earumq; fructu uescimini. Ac quod ex puella Iudæa reliquum euaserit, id rursus acta deorsum radice, sursum edet fructum. Nam à Hierosolyma reliquiæ manabunt, ex Sione aliquid euadet, ita efficiente Iouæ armipotentis studio. Quare G sic pronunciat Ioua de rege Assyriæ: Non ueniet in urbem istam, nullum istuc telum iaculabitur, nec eam clypeis inuadet, nec aggere obstruet. Qua uenit uia, eâdem regredietur, neq; in urbem istam ueniet, inquit Ioua: me eã meo præsidio defendente, propter me, propter'que meum Dauidem. Igitur ea nocte Assyriorum castra adortus Iouæ genius, centum octoginta quinq; hominum millia occidit. Mane ubi surrectum est, conspicitur tanta strages. itaq; digressus illinc Senacheribus Assyriæ rex, Niniuem repetijt: ubi postquam consedit, eum in æde Nisrochi dei sui adorantem, Adramelechus & Sarasar ipsius filij ferro obtruncarunt, atq; in Armeniam euaserunt, inq; eius loco regnauit Esaraddon eius filius.

Senacheribi castra à genio profligata.
Tob.1.d
Eccl.48.d
Esa.37.g
1.Mac.7.f
2.Mac.8.e

CAPVT XX.

PEr eos dies Ezechias lethaliter ægrotauit, ad eumq; uenit Esaias Amosi filius uates, qui ei Iouæ mandato nunciauit, ut testamẽtum faceret: etenim moriturum esse, neq; reualiturum. Ille conuersa ad parietem facie, Iouã precatus, ut recordaretur, quàm fideliter, quamq; sincera mente se erga eum gessisset, eiusq; arbitrio obtemperasset, ploratum magna uoce edidit. Tum Ioua cum Esaia, qui nõdum mediam urbem euaserat, locutus est in hunc modum: Reuertere, & Ezechię mei populi duci ita nunciato. Sic dicit Ioua, Dauidis tui patris Deus: Tuas preces exaudiui, tuas lachrymas respexi. en ego te sanabo: tertio abhinc die in Iouę templum ascendes, addamq; tuę ętati annos quin- B decim, & te & urbem istam à manu regis Assyriæ uindicabo, eaq; propter me, propterq; Dauidem meũ tuebor. Igitur iussit Esaias massam ficcum sumi, eamq; ulceri imponi: quo facto, ille conualuit. Quærenti autem Ezechiæ quo signo sciret se à Ioua sanandum, & die tertio in templum Iouę ascensurũ: ita dixit Esaias: Hoc tibi signum erit à Ioua, eum facturum esse quod promisit: Vis umbram decem gradibus progredi, an decem gradibus regredi? Facile est (inquit Ezechias) umbram decẽ gradibus proclinari: retrocedat potius umbra decẽ gradus. Tum Ioua oratus ab Esaia uate, umbram C per gradus, quibus descenderat, in Achazi solario retrò decem gradibus retraxit. ¶Sub id tempus misit Berodacus Baladam, Baladanis filius, Babyloniæ rex, literas & munus Ezechiæ, quem ægrotasse audiuerat. Quibus delectatus Ezechias, ostendit legatis omne rerum suarum promptuarium, argentum, aurum, aromata, unguenta preciosa, armarium: deniq; nihil extabat in eius thesauris, quod non illis Ezechias tum domi suę, tum in toto imperio suo ostẽderit. Tum Esaias uates regem Ezechiam his uerbis aggressus est: Quid dixerunt homines illi? aut unde ad te uenerunt? Cui Ezechias: Procul terrarum uenerunt, à Babylone. Quid autem domi tuæ uiderunt? Omnia quæ domi meæ sunt, uiderunt, inquit: nihil fuit in meis thesauris, quod non eis monstrauerim. Et Esaias: Audi Iouæ dictum, inquit, Ezechiam alloquens. D Scito fore tempus, cum omnia quæ domi tuæ sunt, quæq; tui maiores ad hũc diem congesserunt, auferentur Babylonem, nulla omissa re, inquit Ioua. Quin & de filijs tuis à te ortis atq; genitis sumentur, qui in regis Babyloniæ palatio sint spadones. Et Ezechias: Non recuso quod abs te ex Iouæ mandato dictum est, inquit: dummodo sit meo tempore pax, & promissorum fides. De reliquis Ezechiæ rebus gestis, & quantæ fuerint eius uires, ut'que facta piscina & aquæductu, aquam in urbem induxerit, scriptum habetur in annalibus regum Iudææ.

Ezechiæ morbus.
2.Par.32.f
Esa.38.a
Eccl.48.d
Berodacus Babyloniæ rex Ezechiæ gratulatum mittit.
Esa.39.a

CAPVT XXI.

POstquam ad maiorum suorum manes migrauit Ezechias, regnum pro eo obtinuit Manasses eius filius, annos tum natus duodecim. Regnauit annos quinquaginta quinque Hierosolymis, matre nomine Haphsiba. Is Iouam offendit, imitatus gentium flagitia, quas Ioua Israelitarum causa euerterat. Sacella, quæ pater eius Ezechias deleuerat, instaurauit: altaria Baali erexit: lucum exemplo Achabi Israelitarum regis fecit: omnes cœli copias adorauit, coluitq;: aras in æde Iouæ ędificauit, cum Ioua dixisset, se Hierosolymis suum nomẽ esse collocaturum: altaria cunctis cœlestibus copijs in ambobus templi Iouæ atrijs extruxit: filium suum per ignem traiecit: augurijs & hariolatione usus est. uentriloquos & magos instituit: quibus tot sceleribus committendis Iouam irritauit. Simulachrum etiam luci à se fa- B cti posuit in æde, de qua Ioua Dauidi, eius'que filio Solomoni dixerat, sese in ea æde, & Hierosolymæ, quam ex omnibus Israelitarum tribubus elegisset, collocaturum esse suum nomen in perpetuum: effecturumq;, ut Israelitæ pedem ex ea terra à se maioribus ipsorum data, in posterum non mouerent, modò omnia quæ eis præcepisset, omnem'que legem eis ab ipsius seruo Mose traditam, obeundam curarent. At illi tantum abfuit ut obtemperauerint, ut à Manasse inducti, etiam gentes, quas Ioua Israelitarum gratia exciderat, sceleribus antecesserint. Ergo Ioua per seruos suos uates sic pronunciauit: Quandoquidem Manasses Iudææ rex non solum suis illis nefarijs flagitijs omnia

Manasses Iudeæ rex.
2.Par.33.a
2.Reg.7.b
2.Reg.7.b
3.Reg.8.b
Iere.15.a

omnia Amorrhæorum, qui eum antecesserunt, facinora superauit, sed etiam Iudæos suis sordibus scelere obligauit: propterea sic dicit Ioua Deus Israelitarum: Ego sum eiusmodi malum in Hierosolymam Iudæamq; importaturus, ut quisquis id audiuerit, ambabus reddatur auribus attonitus: & [a] in Hierosolymam eadem, qua in Samariam, amussi, eademq;, qua in Achabi genus, libra utar, & eam sic detergam, ut detergi patella, & detersa in pronum uerti solet: aspernatusq; meæ possessionis reliquias, eos in hostium potestatē tradam, quibus omnibus prædæ sint & direptioni: quoniam me suis, quæ commiserunt, sceleribus irritare perseuerarunt, ex quo ex Aegypto emigrarunt, eorum maiores ad hunc usq; diem. ¶ Præterea tantum sanguinis innocentis fudit Manasses, ut eo Hierosolymam passim repleuerit: præter sua scelera, quibus Israelitas obstrinxit, contra Iouæ uoluntatem faciens. De cæteris omnibus Manassis rebus gestis, de'que commisso ab eo scelere, scriptum extat in annalibus regum Iudeę. Manassi uita defuncto, & in hortis domus suæ, id est hortis Ozæ sepulto, successit in regnum Amon eius filius, annum tum agens uigesimum secundum. Regnauit Hierosolymis annos duos. Matrem habuit nomine Messalemethan, Harusi filiam, Iotebanam. Is Iouam offendit, quemadmodū fecerat eius pater Manasses: eademq; cum illo uia grassatus, cultos ab illo stercoreos diuos coluit, adorauitq;: & Iouam Deum maiorum suorum reliquit, neq; præscripta ab eo uia ingressus est. Hic rex Amon à suis per coniurationem domi suæ interfectus est: omnibus'que illis coniuratoribus à populo occisis, creatus est rex ab eodem populo Iosias eius filius, pro eo. De reliquis Amonis rebus gestis scriptum extat in annalibus regum Iudææ.

[a] sic Hierosolymā puniā, ut, &c.

C

Amon Iudææ rex.

D

CAPVT XII.

AMone in suo sepulchro in hortis Ozæ sepulto, regnum pro eo iniit Iosias eius filius, anno ætatis suæ octauo. Regnauit Hierosolymis annos unum & triginta, matre Idida, Adaiæ filia, Basechathensi. Is Iouæ paruit, omnemq; uiuendi rationem Dauidis autoris sui secutus, nec ad dextram nec ad sinistram deflexit. Hic Iosias anno regni sui duodeuigesimo Saphanem Asaliæ filiū, Mesullami nepotem, scribam templi Iouæ, misit ad Helciam pontificem maximum: illiq; per eum mandauit, ut summam faceret pecuniæ in Iouæ templum illatæ, quam liminis custodes à populo redegissent: ut'que ea curatoribus operis, Iouę templo præpositis, traderetur, qui eam distribuerent facientibus opus in templo Iouæ, ad reficiendas tēpli ruinas, fabris, structoribus, & cęmentarijs, tum ad ligna lapidesq; ex latumijs comparandos, quibus templum resarciretur: neq; illis expensa ferretur pecunia, quę eis committebatur, quippe qui bona fide agerent. Tū Helcias pontifex maximus Saphani scribę dixit, se librū legis in templo Iouæ reperisse, eumq; illi tradidit. Eū ubi legit Saphan, regi negocium renunciatum iuit: ac postquam ei retulit, eius seruos repertam in templo pecuniā, subducta ratione, curatoribus operis templo Iouæ præpositis erogasse, hoc quoq; nunciauit, librum sibi ab Helcia pontifice esse traditum, eum'que recitauit apud regem. Rex auditis uerbis libri legis, discerptis suis uestimētis, imperauit Helciæ pontifici, & Ahichamo Saphanis filio, & Achobori Michaię filio, & Saphani scribę, & Asaiæ stipatori regio, ut Iouæ oraculum sciscitatum irent pro rege, proq; populo & omnibus Iudæis super uerbis eius libri reperti. Iouā enim in ipsos magna ira exarsisse, quòd eorum patres eius libri uerbis non obtemperassent, neq; ea omnia obiuissent quæ ipsis præscripta fuerant. Adiuerunt igitur Helcias pontifex, & Ahichamus, & Achobor, & Saphan, & Asias, Holdam uatem, Sellumi Thecuæ filij, Harami nepotis, uestium custodis, uxorem, Hierosolymis in altera parte urbis habitantem. quam ubi sunt allocuti, illa eis sic fata est: Sic dicit Ioua Deus Israelitarū: Dicite homini, à quo ad me missi estis. Sic dicit Ioua: Ego in istum locum, inq; eius habitatores, omnia mala importabo, quæ uerbis lecti à Iudæorum rege libri continentur: quoniam relicto me, dijs adoleuerunt alienis, quo me suis omnibus operibus irritarent. Itaq; adeò incensa in locum istum ira mea est, ut non sit restinguenda. Regi autē Iudeę, qui uos ad Iouæ misit oraculum, ita referetis: Sic dicit Ioua Deus Israelitarum. Quod ad ea pertinet, quæ audiuisti: quoniam tu, auditis, quæ ego in locum istum eiusq; habitatores minatus sum, scilicet uastitatem atq; infamiam, te molli animo Iouę summisisti, laceratisq; uestimētis tuis, apud me fleuisti, ego quoq; te exaudiui, inquit Ioua. Itaq; te tuis maioribus addā, efficiamq; ut sepulturam rebus saluis adipiscaris, neq; tuis oculis uideas tātam calamitatem, quam ego sum istum in locum illaturus.

Iosias Iudææ rex. 2.Par.34.a

B

Liber legis repertus.

C

Holda mulier uates.

D

CAPVT XXIII.

HAec res postquam relata regi est, curauit ad se conuocandos omnes senatores Iudæos & Hierosolymitanos: cum'que omnibus Iudæis, & Hierosolymitanis, & sacerdotibus, & uatibus, denique cum uniuerso magnorum paruorumq; populo, in Iouæ templum ascendit, illisq; audientibus, omnia libri fœderis in Iouæ tēplo reperti uerba recitauit: & pro suggestu astans, pepigit coram Ioua, sequi Iouam, eiusq; pręcepta, monita, decreta, tota mente, totoq; animo conseruare, omnia fœderis illius dicta in eo libro scripta præstando, cum quidem in ea pactione cunctus adesset populus: iussitq; rex Helcię pontifici maximo, & secundarijs sacerdotibus, liminis'que custodibus, ut efferrent ex Iouæ delubro omnia uasa Baali, & luco, & omnibus copijs cœlestibus facta: ijsq; extra Hierosolymā in Cedronis conualle combustis, eorum puluerem Bethel deportandum curauit, flaminesq;, qui à Iudeę regibus instituti in sacellis per Iudææ oppida, & Hierosolymæ finitima, Baali, soli, lunæ, planetis, cunctis deniq; copijs cœlestibus adolebāt, sustulit,

Iosiæ pietas. 2.Par.34.f

Eccl.49.a

B

stulit,

stulit, & lucum ex Iouæ templo extra Hierosolymam ad torrentem Cedronem exportatum, apud torrẽtem cremauit: eoq; in cinerem comminuto, cinere illo popularium sepulchra conspersit: & ganeas in Iouæ templo positas, ubi mulieres luci conceptacula texebant, extirpauit: abductisq; omnibus sacerdotibus ex Iudææ oppidis, sacella, in quibus adoleuerant sacerdotes, à Gaba ad Bersabam polluit, diruitq; sacella portarum ante portam Iosuæ prætoris urbani, ad sinistrã portæ urbis posita. Etenim non ascendebant sacellani sacerdotes ad aram
C Iouę Hierosolymam, sed apud fratres suos panibus non fermentatis uescebantur. Polluit & Tophet, quod erat in ualle filij Hennomi, ne quis suum filium filiam'ue per ignem Molocho traijceret. equos sustulit, quos Iudææ reges Soli dederãt, ab ingressu templi Iouę, apud cellã Nathanmelechi spadonis, qui erat apud Pharuatim, ipsas'que solis quadrigas igni cremauit. Aras in tecto cœnaculi Achazi positas, à Iudęę regibus factas, tum quas Manasses in utroq; tẽpli Iouæ atrio fecerat, diruit rex, earũque puluerẽ illinc proiectũ cucurrit in torrentem Cedronem.
3.Reg.11.b Sacella in conspectu Hierosolymæ ad dextram montis corruptionis posita, quę Solomo Israelitarum rex Astarotho Sidoniorum, & Chamoso Moabitarum nefario deo, & Melcomo Ammonitarũ flagitio construxerat, fœdauit: statuas perfregit, lucos succidit, eorumq; locum humanis compleuit ossibus.
3.Reg.12.g Aram quoq; apud Bethel positam in sacello, quod fecerat Ieroboamus Nabati filius, is qui Israelitas scelere obstrinxerat, eam inquam aram & sacellum demolitus est, sacellum'que & lucum in cineres incendio redegit.
D Cumq; respiciens animaduertisset sepulchra, quæ illic erant in monte, curauit afferenda ossa ex illis sepulchris, eaq; in ara combussit, atque aram funestauit, ut Iouæ oraculũ ferebat: quod diuinus ille, ijs ipsis rebus clara uoce pronunciandis ediderat. Deinde cũ interrogasset, quis esset quidam tumulus, quem cernebat: ubi responsum est ab oppidanis, sepulchrum esse
3.Reg.13.a diuini, qui à Iudæa uenisset, & ea ipsa quæ rex fecerat ad aram Bethelensem futura pronunciasset, iussit illum omitti, neque illius ossa à quoquam moueri. Ita euaserũt illius ossa, unà cum ossibus uatis, qui Samaria uenerat. Præterea collinas ædes omnes, quæ erant in oppidis Samaritanis, ab Israelitarum regibus ad Iouam irritandum factæ, sustulit Iosias: eademq; illis fecit, quę fecerat apud Bethel. omnesq; sacellanos sacerdotes, qui illic erant, in aris mactauit, hominumq; ossa super illis cremauit.
E Iosias Pascha agit. 2.Par.35.d Deinde Hierosolymam reuersus, iussit rex omni populo, ut Pascha Iouæ Deo suo ageret: sicuti scriptum erat in libro fœderis illius. Nullum enim tale Pascha actum fuerat à temporibus
3.Esdr.1.a præsidum, qui prę fuerant Israelitis, totoq; tempore regum Israelitarum Iudęorum'que: quale id Iouæ actum est Hierosolymis, anno regni Iosiæ duodeuigesimo. Ad hæc uentriloquos, & diuinos, & lares, & stercoreos deos, atque omne nefas quod usquam in Iudæa & Hierosolymis extabat, exterminauit Iosias: ut omnia exequeretur dicta legis, scripta in libro, quem Helcias põtifex in Iouæ templo repererat. Sed quanquam huic regi comparandus rex nullus, neque antè fuerat, neque post eum extitit, qui se ita ad Iouam tota mente, toto animo, summa'que ope, ut fert tota Mosis lex, conuerterit: non tamen sedauit Ioua tantos iræ suę ardores, F
qua in Iudęos flagrabat, propter tot flagitia, quibus à Manasse efferatus erat: quin decreuerit etiam Iudæos ex suo tollere conspectu, sicut Israelitas sustulerat: urbemq; illam à se electam Hierosolymam, & ædem, in qua domiciliũ sui nominis destinauerat, repudiare. De reliquis omnibus Iosiæ rebus gestis scriptum extat in annalibus regum Iudęę. Hic Iosias rex, cum Pharaoni Nechoni, Aegypti regi, aduersus Assyriæ regem in expeditionem ad flumen Euphratem proficiscenti, iuisset obuiam, occisus ab eo est apud Mageddonem, simulac cum illo congressus est: & à suis, mortuus à Mageddone Hierosolymã deuectus, in sepulchro suo sepultus est. Iosiæ mors. 2.Para.35.d

¶ Eius in locũ Ioachazus eius filius à populo unctus, rexq; pro patre factus est, anno ætatis suę uigesimotertio. Ioachazus Iudææ rex. 2.Par.36.a Regnauit Hierosolymis tres menses, matre Hamutale, Ieremię filia, Lebnensi. Is maiores G
suos imitatus, Iouam offendit: eumq; Pharao Necho in uincula coniectum, apud Reblam in agro Hemathensi regno Hierosolymitano priuauit, & gentem centum argenti talentis, & uno auri mulctauit: Eliacimumq; Iosię filium pro patre regem creauit, mutato eius nomine in Ioacimum: Ioachazum autem secum in Aegyptũ abduxit, ubi etiam mortuus est. Ioacimus Iudææ rex. Argentum autem, & aurum, ita Pharaoni pẽdebat Ioacimus, ut hominũ æstimationem faceret, & pro cuiusq; facultate, quod ad Pharaonis arbitriũ solueretur, exigeret. Regnum init annos natus uigintiquinq;: regnauit Hierosolymis annos undecim: matre Zebuda Phadaiæ filia, Rumensi. Is in Iouam fuit impius, quemadmodum fuerant eius maiores.

CAPUT XXIIII.

Huius Ioacimi tẽporibus expeditionem fecit Nabuchodonosor Babyloniæ rex: cui cum Ioacimus tres annos subditus fuisset, deinde rebellionem fecisset, immisit in eum Ioua latrones Chaldæos, & Syros, & Moabitas, & Ammonitas, qui Iudæam grassando uastarent, ut Ioua per uates suos fuerat minatus: quę res Iudæis Iouæ iussu accidit, ut eos propter tot nefaria Manassis facinora, fusumq; ab eo sanguinem innocentem, quo sanguine Hierosolymam repleuerat, è suo conspectu tolleret, nec eis ueniam dare uellet. De reliquis omnibus B
Ioacimi rebus gestis scriptum extat in annalibus regum Iudææ. Ioacimo uita defuncto, successit in regnũ Ioachin eius filius. Nec deinceps suis finibus egressus est Aegypti rex: quoniã cœperat Babylonię rex à fluuio Aegy

pti, ad fluuiū Euphratem, quicquid Aegyptij regis erat. Duodeuigesimum annum agens Io- *Ioachin Iudaeae rex.* achin regnum iniijt: regnauit Hierosolymis mē- ses tres, matre Nehosta, Elnathanis filia, Hie- *Dan.1.a* rosolymitana. Is patrem suum imitatus, aduer- C sum Iouam impie uixit. Per id tempus Nabu- chodonosoris Babyloniae regis homines ad- uersus Hierosolymam expeditionem fecerūt: cumq; urbs in obsidionem uenisset, & ipse Na- *Nabuchodonosor Hierosolymam depopulatur.* buchodonosor ad urbem à suis obsessam ue- nisset: dedidit se Ioachin Iudęę rex Babyloniae regi, unà cum sua matre, clientibus, ducibus, spadonibusq;: quo capto, Babyloniȩ rex anno sui regni octauo abstulit inde omnes tum tem- *Esth.2.a* pli Iouae, tum regiae thesauros, omniáque con fregit aurea uasa, quę Solomo rex Israelitarum ad Iouae fanum fecerat: quemadmodum fuerat à Ioua praedictum. & totā Hierosolymam, om- nes duces, omnes milites, numero decem mil- D lia, omnesq; fabros & opifices, relicta sola ple- be, transtulit: & Ioachine rege, eiusq; matre, & proceribus, & spadonibus, & regionis prima- tibus, omnibusq; militibus numero septē mil- lium, fabrisq; & opificibus mille, omnibus de- nique quorum uires erant ad bellum idoneae, Hierosolyma Babylonem in captiuitatem ab- *Iere.37.a & 52.a* ductis, Mattaniam Ioachinis patruum regem pro illo fecit, mutato eius nomine in Sedeciā: qui Sedecias anno aetatis suae uigesimoprimo regnare ingressus, regnauit Hierosolymis an- nos undecim. Matrem habuit Hamutalem Ie- remiae filiam, Lebnensem. Fuit aduersum Io- uam impius, ut fuerat Ioacimus, Ioua tāta con tra Hierosolymam Iudęosq; ira incenso, ut eos è suo conspectu tolleret.

CAPVT XXV.

Iere.39.a & 52.a CVm hic Sedecias contra regem Babylo- niae rebellasset, anno eius regni nono, mē- sis decimi die decima, Nabuchodonosor Baby loniae rex suis omnibus copijs urbem Hieroso lymam aggressus, castris ad eam positis, uallo B cinxit. Quae postquam ad undecimum regni *Hierosolymam capit Nabuchodonosor.* Sedeciae annum, obsidionem pertulit, nono die mensis, urgente in urbe fame, nec uictu ho minibus suppeditante, refracta urbs est: & rex Sedecias cum omnibus militibus noctu per uiam portae, muro utrinq; septam, praeter re- gios hortos elapsus, Chaldaeis urbem circun- dantibus, abijt per campestria. Sed eum perse- cuti milites Chaldaei, & in campo Hierichun- tio assecuti, dilapsis eius omnibus copijs, caepe runt: & Reblatham ad Babyloniȩ regē addu- xerunt, atque ibi actum de eius supplicio est: eiusq; filijs ob eius oculos trucidatis, ipse excae catus, catenisq; uinctus, Babylonem abduci- tur. Quinti autem mensis die septima, anno re- *Psal.37.b* gni Nabuchodonosoris undeuigesimo, Nabu zardan magister equitum, seruus regis Baby- lonis, Hierosolymam profectus, Iouae tēplum, & regiam, & omnia Hierosolymae aedificia, & C maximas quasque domos, igni cremauit. Mu- ros autem Hierosolymae, omnes eius milites undiq; demoliti sunt. Reliquias hominum, qui in urbe supererant, quiq; ad Babyloniae regem transfugerant, quodq; uulgi supererat, Nabu zardan magister equitum in exilium deporta- uit: relictis ex tenui plebe, qui uineas agrumq; colerent. Columnas aeneas, basesq;, & lacum *Iere.23.d* aeneum, quae in aede Iouae erant, fregere Chal- daei, eorumque aes Babylonem portarunt. Ol- las, palas, instrumenta musica, lances, omniáq; aenea uasa ministratoria caeperunt. Acerras & phialas, quà aureas, quà argenteas, caepit ma- D gister equitum: columnas duas, lacum unum, bases quas Solomo rex fecerat ad Iouae tem- plum: quorum tot uasorum immensum aeris *3.Reg.7.b* pondus erat, duodeuiginti cubitos in altitudi- *Iere.52.c.* nem patente columna una, capitello aereo tres *2.Para.3.d* cubitos alto, reticulato opere, & malograna- tis undique ornato, aeneis omnibus, quae ea- dem reticulati operis ratio erat & in altera co- lumna. Comprehendit etiam magister equi- tum Saraiam principem sacerdotem, & So- phoniam sacerdotem secundarum partium, & tres atrienses: ac ex urbe spadonem unum, qui pręfectus fuerat militibus: & quinque de re- E gis asseclis, qui in urbe comparebant: & So- phrem exercitus ducem, qui delectus habere solitus erat, & sexaginta indigenas in urbe in- uentos: hos inquam comprehensos, magister equitum Nabuzardan Reblatham ad Baby- loniae regem duxit, qui illic eos in finibus He- mathensium interfecit. Abductis autem ex sua patria Iudaeis, Nabuchodonosor reliquis eo- *Godolias. Iere.40.b.c* rum, quos ibi reliquerat, Godoliam Ahicha- mi filium, Saphanis nepotem praefecit. Quod F postquam cùm caeteri, tum omnes militum du ces intellexerunt, Godoliam à Babyloniae re- ge esse pręfectum, conuenerunt ad eum Mas- pham, Ismael Nathaniȩ filius, Iohannes Ca- reae, Saraias Thanehumethi Netophatita, & Iazanias Maachati, unà cum suis: quibus quo- rumq; hominibus Godolias iurauit, nullum eis esse à Chaldaeorum hominibus periculum: incolerent modò eam terram, regiq; Babylo- niae subditi essent: ita bene habituros. Sed ac- cidit mense septimo, ut Ismael Nathaniȩ filius, Elisamae nepos, de stirpe regia, cum decem hominibus eò ueniret, Godoliamq; & Iudaeos Chaldęosq;, qui cum eo erant, Masphȩ occi- deret. Tum uniuersus populus, magni aequè G ac parui, militumq; duces, metu Chaldęorum in Aegyptum profecti sunt. Anno autem trigesimoseptimo exilij Ioachinis Iudęę regis, *Ioachin in exilio comiter habitus.* duodecimi mensis die uigesimaseptima, cura- uit Euilmerodachus Babyloniae rex, quo an- no regnare coepit, extrahendum ex carcere Ioachinem Iudęę regem: eumq; comiter allo- cutus, eius solium in solio collocauit altiore, quàm erant caeterorum regum solia, quos Ba- byloniae habebat, mutatis eius carceris uesti- mentis: eumq; per omnem uitam conuicto- rem habuit, & quotidiano demen- so ex regio penu aluit, quandiu uixit.

PARALIPOMENON, qui Hebræis Annales dicuntur, Liber primus.

CAPVT I.

Adami progenies. Gen.2.b 4.d.& 5.b Gen.10.a



ADAMVS, Sethus, Enossus, Cenan, Mahalaleel, Iaredus, Henochus, Mathusala, Lamechus, Noa, Semus, Chamus, Iaphetus. Iapheti filij Gomer, Magogus, Madais, Iauā, Tubal, Melecus, & Thira. Gomeris filij Ascanes, Riphatus, & Thogormas. Iauanis filij Elisa, Tharsisa, Cethimus, & Dodanimus. Chami filij Chus, Misraimus, Phutus, & Chanaan. Chus filios habuit Sabam, Heuilā, Sabatham, Regmā, & Sabathacham. Regma
Gen.10.b Sabam & Dadanem. Chus etiā Nembrodum genuit, qui primus Heroū fuit in terris. Misraimus genuit Ludim, Anamim, Laabim, Naphtuhim, Pathrusim, & Casluhim: unde orti sunt Palæstini & Cappadoces. Chanaā genuit Sidonem primum, Hethum, Iebusem, Amor-
B rem, Gergesem, Heuem, Arcem, Sinem, Aruadem, Samarem, & Hemathem. Semi filij fue-
Gen.10.d & 11.b runt Elamus, Assur, Arphaxadus, Ludus, Aramus, Vzus, Hul, Gether, & Masechus. Arphaxadus genuit Salam. Sala Hebrem. Heber duos, unum nomine Phalegum, quòd eius temporibus diuisa terra est: alterum Ioctanem. Ioctan Almodadum, Salephum, Hazarmotum, Iaram, Hadoramum, Vzalem, Declam, Ebalem, Abimaelem, Sabam, Ophirem, Heuilam, & Iobabum. Hi omnes Ioctanis filij: Semus, Arphaxadus, Sala, Heber, Phalegus, Ragus, Serugus, Nachor, Thara, Abramus, qui & Abrahamus. Abrahami filij, Isaacus & Ismael, quorū porrò progenies hæc est. Ismaelis pri-
Gen.25.b mogenitus Nabaiothus, Cedar, Adbeel, Mabsamus, Masma, Duma, Massa, Hadar, Thema, Iatur, Naphis, Cedma. Hi fuerunt Ismaelis filij.
C Ex Cetura Abrahami cōcubina nati sunt filij, Zamram, Iocsan, Madan, Madian, Isbocus, & Sua. Iocsanis filij, Saba & Dadan. Madianis Epha, Epher, Henochus, Abida, & Eldaa. Hi omnino fuere Ceturæ filij. Genuit autē Abrahamus Isaacum. Isaacus filios habuit Esaum & Israelem. Esai filij fuerunt Eliphazus, Raguel,
Gen.25.a Ieus, Ieglomus, & Cora. Eliphazi Theman, Omar, Sephis, Gaatamus, Cenas, Thamna, & Amalechus. Raguelis Nahathus, Zara, Samma, & Meza. Seiris Lotan, Sobal, Sebeō, Ana, Dison, Eser, & Disan. Lotan filios habuit, Horim & Homamum, & sororem Thamnam. Sobalis filij Alian, Manahathus, Ebal, Sephis, & Onamus. Sebeonis Aia, & Ana. Anæ Dison: Disonis Hamran, Esban, Iethran, & Charan. Eseris Balaan, Zaanan, & Iachan. Disonis Huzus, & Aran. ¶ Reges autē qui in Idumæa regnauerunt antē quam sub regū imperio essent D
Israelitæ, hi sunt. Bala Beoris filius, cuius oppidi nomen fuit Denaba. Mortuo Bala successit in regnum Iobabus Zaræ filius, Bosrensis. Iobabo Husamus ex terra Themaniorum. Husamo Adadus Badadi filius, qui Madianitas deuicit in agro Moabitico. Eius oppidi nomē est Auita. Adado successit Sāla Masrecanus. Samlæ Saulus à Rohobothis, qui locus est apud fluuiū. Saulo Baalhanan Achoboris filius. Baalhanani Adadus: cuius urbs fuit nomine Pai. uxor autem Metabeel, filia Matredis, Mezahabi filiæ. Mortuo Adado hi fuere duces Idumæi, Thamna, Alia, Iethethus, Oolibama, Ela, Pinon, Cenazus, Theman, Mabsar, Magdiel, & Iramus. Hi fuere duces Idumæi.

CAPVT II.

ISraelis filij fuere Ruben, Simeon, Leuis, Iudas, Issachar, Zabulon, Dan, Iosephus, Beniamin, Nephthalis, Gadus, & Aser. Iudæ filij Er, Onan, & Sela, quos tres ex Suæ Chananæi filia sustulit. Sed Ere Iudę primogenito à Ioua, cui displicebat, necato, sustulit Iudas ex Thamare sua nuru Pharem & Zaram. Ita fuerunt omnino Iudæ filij quinq;. Pharis filij fuerunt Hesron & Hamul. Zaræ Zambris, Ethan, Hemam, Chelcol, & Dara: quinq; omnino. Charmis autem Achar, is qui turbauit Israelitas, sacrilegij crimine commisso. Ethanis Azarias. Esron sustulit Ierameelem, Ramum, & Calubaim. Ramus Aminadabū. Aminadabus Nahassonem Iudæorū principem. Nahasson Salmam. Salma Boozum. Boozus Obedē. Obed Isæum. Isæus primum Eliabum, alterum Abinadabum, tertium Semmaam, quartum Nathanaelem, quintum Raddaim, sextū Asomum, septimum Dauidem. Horū sorores fuere Saruia & Abigail. Saruiæ filij tres, Abisæus, Ioabus, & Asael. Abigail genuit Amasam ex Iethre Ismaelita. Calebus Hesronis filius uxorē C
duxit Azubam, & Ieriotham: ex illa filios habuit Iaserem, Sobabum, & Ardonem. Mortua Azuba, duxit Calebus Ephrathā, ex qua sustulit Hurē. Hur genuit Vrim, Vris Beseleelem. Postea cōgressus Hesron cum Machiris patris Gaaladi filia, quam duxerat annum agēs sexagesimum, procreauit ex ea Segubū. Segubus Iairem, qui uigintitria oppida habuit in Galaaditide. Iairij uicos Iairios eripuerunt Gessurei & Syri, uidelicet Canatham & eius colonias, oppida sexaginta. Hi sunt omnino Machiris Galaaditarū patris posteri. Post Hesronis obi- D
tum Calebus cū Ephrata congressus est. Hesronis uxor erat Abia, quæ ex eo peperit Ashurē Thecuæ patrē. ¶ Ierameel Hesronis primogenitus filios habuit primum Ramū, Bunam, Aranem, Asomum & Achiam. Habuit & alteram Ierameel uxorem nomine Atarā, quæ fuit mater Onami. Ramus Ierameelis primogenitus filios habuit Moosum, Iaminem & Acharem. Onamus Sammaim & Iadam. Sammais Nadabum & Abisurem. Abisur ex uxore sua

Israelis progenies. Gen.29.g. 30.a.35.36. c.d.& 46.b Infra 4.a Matth.1.a Ios.7.a Ruth.4.b B 1.Reg.16.b.& 17.b

Abihaile sustulit Ahbanem & Molidem. Nadabi filij fuere Saledus & Apphaimus: quorũ Saledus sine prole mortuus est. Apphaimus E filium habuit Iesim. Iesis Sesanem. Sesan Oholaim. Iada Sammais frater Iethrem & Ionathanem. Iether sine liberis decessit. Ionathan habuit Phalethum & Zazam. Hi sunt Ierameele prognati. Sesan filios non habuit, sed filias. Is seruum cum haberet Aegyptiũ, nomine Ieraã, dedit ei filiam suam in matrimoniũ, quæ ex eo peperit Attaim. Attais genuit Nathanem. Nathan Zabadum. Zabadus Ophlalem. Ophlal Obedem. Obed Iehum. Iehus Azariam. Azarias Halesum. Halesus Eleasam. Eleasa Sisamaim. Sisamais Sellumũ. Sellumus Iecamiam. Iecamias Elisamam. Calebo Ierameelis fratri F filij fuere, Mesa primogenitus, Ziphi pater, & filij Maresæ patris Hebronis, Hebroni Cora, Thapua, Recemus & Samma. Samma genuit Rahamum, Iercaami patrem. Recemus Sammaim, cuius filius fuit Maon Bethsuris pater. Epha Calebi concubina genuit Haranẽ, Mozam, & Gazezum. Haram genuit Gazezum. Iahdais filij fuere Regemus, Iothamus, Gesan, Phalethus, Epha, & Saaphus. Calebi concubina Maacha genuit Sabrem & Tharanam. Peperit & Saaphum Madmenæ, & Seuam Macbenæ & Gabaæ patrem. Calebi filia fuit Axa. Hos filios habuit Calebus Huris filius, Ephrathæ primogenitus, Sobalẽ Cariathiarimi, Sal- G mam Bethlehemi, & Harephum Bethgaderis patrem. Habuit etiã filios Sobal Cariathiarimi pater, dimidię Manuhotę uates. Cariathiarimi familiæ fuere, Iethrina, Haphutina, Sumatina, & Masaraina, à quibus orti sunt Sarathei & Esthaolei. Salmæ filij Bethlehemus & Netophatis, ornamẽta domus Ioabi, & dimidiũ Manahtitarum, Sareitarum. Literatorũ Iabensium familiæ sunt Thiratiorum, Simeatiorũ, & Suchatiorũ, id est Cenæorum, ortorum ab Hamathio autore stirpis Rechabitarum.

CAPVT III.

Dauidis proles. 2.Reg.3.a

DAuidis filij, quos Hebrone sustulit, fuere, natu primus Amnon, ex Achinoama Iezraelitide. Secũdus Daniel, ex Abigaile Carmelitide. Tertius Absalomus, Maacha natus, filia Talmais regis Gessuris. Quartus Adonias Hagitha natus. Quintus Saphatias, ex Abitale. Sextus Iethraamus, ex Egla eius uxore. Hos sex Hebrone progenuit, ubi septẽ annos & sex menses regnauit. Hierosolymæ autem, ubi tri- B ginta tres annos regnauit, hos filios procreauit, Semaam, Sobabum, Nathanem, & Solomonem: hos quatuor, ex Bethsaba Ammielis filia. Præterea nouẽ, uidelicet Iebaharem, Elisamam, Eliphaletum, Nogam, Nephegum, Iaphiam, Elisamã, Eliadam, & Eliphaletum. Hi omnino fuere Dauidis filij, prẽter natos ex cõcubinis, & Thamarem illorũ sororem. Solomo filium habuit Roboamum. Roboamus Abiam. Abias Asam. Asa Iosaphatũ. Iosaphatus Ioramum. Ioramus Ochoziam. Ochozias Ioam. Ioas Amasiam. Amasias Azariam. Azarias Iothamum, Iothamus Achazum. Achazus Ezechiã. Ezechias Manassem. Manasses C Amonem. Amon Iosiam. Iosiæ filij fuere, primus Iohannes: alter Ioacimus: tertius Sedecias; quartus Sellumus. Ioacimi filius fuit Iechonias: huius porrò Sedecias. Iechoniæ Asir Salathielis pater, Melchiramus, Phadaias, Senneser, Iercemias, Hosama, & Nadabias. Phadaiæ Zorobabel & Simeis. Zorobabelis Mosolamus, & Ananias (hi sororem habuere Solomitham) præterea quinq;, Hasuba, Ohel, Barachias, Hasadias, & Iosabhesed. Ananiæ filij Phaltias & Esaias: huius porrò Raphaias: cuius Arnan, cuius Abdias, cuius Sechenias. Secheniæ filius Semeias. Semeiæ sex, Hattus, Iegaal, Barias, Naarias, & Saphatus. Naarię tres, Elioenais, Ezechias, & Azricamus. Elioenais filij septem, Oduias, Eliasibus, Pheleias, Accubus, Iohannes, Dalaias, & Ananis.

2.Reg.5.c *Matth.1.b*

CAPVT IIII.

Iudæ progenies. Gen.38.d & 46.b

IVdæ filij Phares, Esron, Charmis, Hur, & Sobal. Sobalis filius Ralas, genuit Iahathũ. Iahathus Ahumaim & Lahadum. Hę sunt Sarathitarum gentilitates, atque hæc familiarum capita, Etamus, Iezrael, Iesema & Iedebas: qui sororẽ habuerunt nomine Hazlelponim. Phanuel pater fuit Gedoris, & Ezer pater Hosæ. Hi sunt ab Hure nati, Ephrathæ primogenito, patris Bethlehemi. Ashur Thecuæ pater duas habuit uxores, Heleam & Naaram. Ex Naara genuit Ahuzamum, Hephrem, Temenim, & Ahastarim. Hi sunt Naara nati. Ex Helea nati sunt Sarethus, Seohar, & Ethnan. Cos genuit B Anubum, Sobebam, & gentilitates Aharehelis, Harumi filij. ¶ Fuit autẽ Iabes fratrum suorum nobilissimus, Iabes à matre propterea nominatus, quòd illa dixisset, se cum dolore peperisse. Is Iabes Israelitarum Deum orauit, ut sibi faueret, suos fines amplificaret, secum faceret, seq; malo infestari nonsineret: atque ea postulata Deus ei concessit. Chelubus autem Suhæ frater, Machirem Esthonis patrem genuit. Esthon genuit Bethrapham, Paseam, & Tehinnam, cõditorem oppidi Nahæ. Hi sunt Rechani. Cenazi filij fuerunt Othoniel & Sara- C ias. Othonielis Hathathus. Meonothais genuit Ophram. Saraias Ioabum, autorem uallis fabrorum: nam fabri fuerunt. Calebus Iephonis filius filios habuit Ieum, Elã, & Naamum. Ela Cenazum. Iehalleleel Ziphim, Zipham, Thiriam, & Asaraelem. Esdras Iethrem, Meredum, Ephrem, & Ialonem. Genuit & Mariam, Sammaim, & Iesbam, Esthamoæ patrem. Eius uxor Iudia genuit Iaredum Gedoris patrem, & Hebrem Sochonis, & Iacutielem Zanoæ. Atque hi sunt à Bithia nati, Pharaonis filia, quam duxerat Maredus. Filij autem uxoris Hodiæ, sororis Nahami, patris D Ceilæ, fuere Garmis, & Esthamoa Maachathita. Simonis Amnon, Rinna, Benhanan, & Thilon. Iesėis filij Zohethus, & Benzohethus. Sela Iudę filius filios habuit Erẽ Lechæ, & Ladam Maresæ patrem, & familias officinæ linariæ, domus Asbeæ, & Iocimum, & Cozebam, & Ioam, & Saraphum, qui Moabitis

Iabes. *Gen.38.a*

bitis imperauerunt, & Iasubilahemum, & antiqua gesta. Hi figuli & habitatores satorum sepiumq́, cum rege in eius opere illic habitarunt. Gen.46.b Simeonis filij fuere Namuel, Iamin, Iaribus, Zera, Saulus. Sauli filius Sellumus. E Sellumi Mibsamus. Mibsami Misma. Mismæ Hamuel. Hamuelis Zaccur. Zaccuris Semeis. Semeis filios habuit sexdecim, & filias sex. Eius fratres non multos habuerunt filios, neque omnes eorum familiæ æquauerunt à Iuda prognatos. Incoluerunt autem Bersabam, & Moladam, & Hazarsual, & Bleam, & Ezemam, & Tholadam, & Bathuel, & Hormam, & Siceleg, & Bethmarcabotha, & Hazarsusimam, & Bethbireim, & Saaraimam. Hæc fuerunt illorum oppida usque ad regnum Dauidis. Pagi autem Etama, Ain, Remmon, Thocen, & Asan, oppida quinq́, omnesq́ eorum F pagi circũ oppida illa positi usq́ ad Baal. Hæ fuerunt eorum sedes & ditio. Mesobabus autem, & Iamlechus, & Iosa Amasiæ filius, & Ioel, & Iehus Iosibiæ filius, Saraiæ nepos, Asielis pronepos, & Elioenais, & Iacoba, & Iesohaias, & Asaias, & Adiel, & Iesimeel, & Banaias, & Ziza Siphæis filius, Allonis nepos, Iadaiæ pronepos, Simris abnepos, Samaię atnepos, hi inquam ueniunt in nomina principum suarum gentilitatum, suarumq́ patriarũ domorum multitudinem propagarunt. Cum enim progreßi usque ad aditum Gedoris, qua sol in uallem exoritur, ad exploranda suo pecori pascua, nacti essent pascuum pingue atq́ bonum, terramq́ spaciosam, & ocio ac felicita-G te fruentem (fuit enim antè à Chami prognatis habitata) profecti sunt eò ij qui suprà nominatim scripti sunt, temporibus Ezechię Iudæę regis: illorumq́ tabernacula, & quæ extabant ædificia, funditùs euerterunt, & in loco illorũ pascua pecori suo nacti ad hunc diem habitarunt. Nonnulli etiam eorum, uidelicet Simeoniorum, homines quingenti, montem Seirem aggreßi, ducibus Phaltia, Naaria, Raphaia, & Oziele Iesis filijs, Amalechitarum reliquias uicerunt, ibiq́ ad hunc diem habitarunt.

CAPVT V.

Rubenis progenies. Gen.35.d & 49.a

RVbenis autem Israelis primogeniti (fuit enim is primogenitus, sed ob uiolatum ab eo patris lectum genialem, data est eius ætatis prærogatiua filijs Iosephi, Israelis filij, nõ tamen ut is primogenitus censeretur: nam Iudas fratrum fortißimus illum superauit potentatu, sed ætatis prærogatiua fuit Iosephi) Rubenis inquam, Israelis primogeniti, fuere filij *Gen.46.b Exo.46.c Num.26.a* Henochus, Phallus, Hesron, & Charmis. Ioelis filius fuit Samaias: huius filius Gogus, nepos Semeis, pronepos Micha, abnepos Raia, atnepos Baal, trinepos Beera, qui Rubenensium princeps captiuus abductus est à Theglatphalnasare Assyriæ rege. Eius fratres in familias & nationes recensiti fuerunt, princeps B Ieiel & Zacharias. Bela autem Azanis filius, Semæ nepos, Ioelis pronepos, Aroer incoluit usq́ ad Nabonem, & Baalmeonem. Ab oriente autem occupauit quod est ab Euphrate fluuio, ad ingressum solitudinis: habuerunt enim multa pecora in Galaaditide. Ac Sauli temporibus bellum gesserunt cum Hagarenis, ijs'que uictis eorum tabernacula occuparũt, quaqua ad orietẽ patet Galaaditis regio. ¶ Gaditæ autem e regionẽ eorum habitarũt in Basana, usq́ ad Salcam, Ioele principe, secundum quem erat Saphamus. Ianais autẽ & Saphatus in Basana. Eorum fratres, familiarum patres fuere, Michael, Mosollamus, Seba, Iorais, Iacan, Zia, & Heber: qui septẽ nati sunt ex Abihaile Huris filio, Iadoæ nepote, Galaadi pronepote, Michaelis abnepote, Iesisais atnepote, Iahdonis Busi filij trinepote: quorum familiæ princeps fuit Ahis Abdielis filius, Gunis nepos. Incoluerunt autem Galaaditidem & Basanã, eiusq́ colonias, & omnia Saronis, quaqua patent, pomœria. Hi omnes censi sunt tempori- C bus Iothami Iudęę, & Ieroboami Israelitarum regis. Rubenitarum & Gaditarum, & dimidiæ tribus Manassensis bellatorum, qui scutũ & ensem ferre, arcum'que torquere possent, & rei militaris periti essent, fuere quadragintaquatuor millia septingenti sexaginta, qui arma ferre possent. Hi bellum gesserunt cum Hagarenis, qui Ieturæos, & Naphienses, & Nodabanos auxiliares habebant: deq́ illis, & omnibus illorum auxiliaribus, uictoriã obtinuerunt (nam in prælio Deum inuocarunt: isq́ ab eis, quippe in eo fiduciam habentibus, exoratus est) illorumq́ pecora cæperunt, camelorũ quinquaginta millia, ouium & caprarum ducenta quinquaginta millia, asinorum duo millia, hominum centum millia, multis in prælio cæsis (nam diuinitùs pugnatum est) inq́ loco D illorum habitarunt usq́ ad captiuitatem. Homines autem dimidiæ tribus Manassensis terram illam incoluerunt à Basana ad Baalhermonem, & Senir, & montem Hermonem: adeò multi erant. Eorum familiarum capita fuerunt Hepher, Iiseis, Eliel, Azriel, Ieremias, Hodauias, & Iahdiel, homines bellicosi, & illustres, familiarum suarum principes. Sed cum in Deum patrium crimen commisissent, & incolarum (quos Deus in eorum gratiam uastauerat) dijs sese prostituissent, excitauit Israelitarum Deus Phulem Assyriæ, & Theglatphalnasarem item Assyriæ regem, qui Rubenitas, Gaditas, & dimidiam tribum Manassensem, captiuos abduxerunt Halam, Habor, Haram, & ad fluuium Gozanem, quæ captiuitas adhuc durat.

CAPVT VI.

LEuis filij fuere Gerson, Cahathus, & Meraris. Cahathi Amramus, Isaar, Hebron, & Oziel. Amrami, Aharon, Moses, & Maria. Aharonis Nadabus, Abius, Eleazarus, & Ithamarus. Eleazarus genuit Phineem. Phinees Abisuam. Abisua Buquim. Buquis Ozim. Ozis Zaraiam. Zaraias Meraiothum. Meraiothus Amariam. Amarias Achitobum. Achitobus Sadocum. Sadocus Achimaam. *Leuis progenies. Gen.46.b Infra.23.b*

t 4 Achimaas

Achimaas Azariam. Azarias Iohannem. Io- B hannes Azariam, eum qui sacerdotio functus est in templo à Solomone Hierosolymis extructo. Azarias genuit Amariã. Amarias Achitobum. Achitobus Sadocum. Sadocus Sellumum. Sellumus Helciã. Helcias Azariam. Azarias Saraiam. Saraias Iosedecum. Iosedecus migrauit, cũ captiuos abduxit Ioua Iudæos & Hierosolymitanos per Nabuchodonosorem. *Exod.6.c* Leuis filij fuere Gersomus, Cahathus, & Meraris. Gersomi Lebnis & Semeis. Cahathi Amramus, Isaar, Hebron, & Oziel. Meraris, Moholis & Musis. Atq; hæ sunt Leuiticarum gentilitatum familiæ. Gersomi filius fuit Lebnis. Lebnis Iahathus. Iahathi Zimma. Zimmæ Ioa. Ioæ Iddo. Iddonis Zera. Zeræ Ieathrais. Cahathi autem filius fuit Amminadabus. Amminadabi Cora. Coræ Asir. Asiris Elcana. Elcanæ Abiasaphus. Abiasaphi Asir. Asiris Tahathus. Tahathi Vriel. Vrielis Ozias. Oziæ Saulus. Elcanæ filij fuerunt Amasais, Achimothus, & Elcana. Elcanæ Sophais. Sophais Nahathus. Nahathi Eliabus. Eliabi Ioramus. Iorami Elcana. Samuelis filij fuerunt, primus Vasnis & Abias. Meraris filius fuit Moholis: huius porrò Leb- C nis: huius Semeis: huius Oza: huius Sammaa: huius Haggias: huius Asaias. *Leuitarum munera.* Sequũtur quos præfecit Dauid canendi negocio in templo Iouæ, postquam requieuit arca, ministraruntq; in eo negocio ante tabernaculum oracularis tentorij, donec construxit Solomo Iouæ templum Hierosolymis, suum munus, ut ritus eorum ferebat, obeuntes. Hi sunt igitur qui obibãt, unà cum filijs suis ex Cahathi filijs. ¶ Heman cantor, Ioelis filius, Samuelis nepos, Elcanæ pronepos: Iorami abnepos, Elielis atnepos, Toæ trinepos: Suphi filij, Elcanæ nepotis, Mahathi pronepotis, Amasais abnepotis, Elcanæ atnepotis, Ioelis trinepotis: Azariæ porrò filij, Sophoniæ nepotis, Tahathi pronepotis, Asiris abnepotis, Abiasaphi atnepotis, Coræ trinepotis: Isaaris filij, Cahathi nepotis, Leuis pronepotis, Israelis abnepotis. Eius frater fuit Asaphus, qui ei dexter astabat, Barachiæ filius, Sãmaæ filij, Michaelis filij, Baaseiæ filij, Malchiæ filij, Ethnis filij, Zeræ filij, D Adaiæ filij, Ethanis filij, Zimmæ filij, Semeis filij, Iahathi filij, Gersomi filij, Leuis filij. Ad sinistram astabant Meratenses eorum consanguinei, Ethan Cisis filius, Abdis filij, Malluchi filij, Hasabiæ filij, Amasiæ filij, Helciæ filij, Amzis filij, Banis filij, Sameris filij, Moholis filij, Musis filij, Meraris filij, Leuis filij. Horum consanguineis mandatum erat totius tabernaculi munus templi diuini. Aharon autem, eiusq; filij, adolebant ad aram uictimariam, & ad aram suffitoriam, totum sanctioris sanctuarij opus administrantes, & pro Israelitis supplicantes, quemadmodum Moses Dei seruus præceperat. ¶ Hi sunt autem Aharone prognati: Eleazarus, à quo Phinees, à quo Abisua, à quo Buquis, à quo Ozis, à quo Rahias, à quo Meraiotus, à quo Amarias, à quo Achitobus, à quo Sadocus, à quo Achimaas. Eorum autem sedes in arces per eorum fines distributæ sic habent. *Iosu.21.b* E Aharoniorum Cahathinæ cognationi (nam eius fuit sors) tributa est Hebron in Iudæa, cum suis undique pomœrijs. Oppidanus autem ager, eiusq; pagi, dati sunt Calebo Iephonis filio. Sed Aharonis natis data sunt oppida asyla Hebron & Lebna, cum suis pomœrijs: Iattir & Esthemea cũ suis pomœrijs, Hilen cum suis pomœrijs, Dabir cum suis pomœrijs, Asan cum suis pomœrijs, Bethsames cum suis pomœrijs. Ex tribu autem Beniamitarum, Gabaa cum suis pomœrijs, Allemeta cum suis pomœrijs, Anathotha cum suis pomœrijs: quorum omnium oppidorum summa est tredecim, pro illorum gentilitatibus. Cahathitis autem reliquis ex gentilitate tribus, ex dimidia tribu dimidiæ Manassensis, sorte obuenerunt oppida decem. Gersomiorum gentilitatibus ex tribu Issachariana, & Aseriana, & Nephthalensi, & Manassensi, in Basana tredecim. Merarẽsium ex Rubenensi, & Gadensi, & Zabulonia, duodecim. Dederunt igitur Israelitæ Leuitis oppida F cum suis pomœrijs, eaq; oppida quæ suis appellantur nominibus, sorte distribuerunt ex tribu Iudæ, & Simeoniorum, & Beniamitarum. Cahathitarum autem gentilitatibus, qui suorum finium oppida habuerunt ex Ephraimi tribu, tribuerunt oppida perfugij, Sichemam in monte Ephraimitarum, Gazer, Iochmaam, Bethoronem, Aialonem, & Gethremmonem, cum suis quodq; pomœrijs. Ex dimidia autem tribu Manassis Aner, & Balaam, cum suis utrunq; pomœrijs. Atq; hæc reliquorum Cahathitharum gentilitati. Gersomijs autem ex gentilitate dimidiæ tribus Manassis, Gaulanem in Basana, & Astarotha, cum suis utrunque pomœrijs. Ex tribu Issachariana Cadem, G Dabratham, Ramotha, & Aniemam, cum suis quodque pomœrijs. Ex Aseriana tribu Masal, Abdonem, Hucocam, & Rohobã, cum suis quodque pomœrijs. Ex Nephthalensi Cadem in Galilæa, Hammonem, & Cariathaimum, cum suis quamq; pomœrijs. Merarensibus reliquis dederunt ex tribu Zabulonia Remmononem & Tabor, cum eorum pomœrijs. Trans Iordanem autem Hierichuntium ab oriente Iordanis ex tribu Rubenensi, Bezer in solitudine cũ suis pomœrijs: Iazam, Cedemotha, & Mephaathã, cum suis quodq; pomœrijs. Ex tribu Gadensi, Ramotha in Galaaditide, Mahanaimum, Hesebonem, & Iazer, cum eorum pomœrijs.

CAPVT VII.

Issacharis progenies. Gen.46.b

ISsacharis filij quatuor, Thola, Phua, Iasubus, & Semeron. Tholæ filij Ozis, Raphaia, Ieriel, Iahmais, Iebsamus, & Samuel, Tholanarum familiarum principes, uiri militares, in suas stirpes descripti, quorum numerus Dauidis tempore fuit uigintiduo millia sexcenti.

Ozis

Ozis filij Iezrahia, Iezrahiæ Michael, Abadias, Ioel, Iesias, quinque, omnes principes: & præter eos in suarum familiarũ stirpes descriptos, gregarij milites trigintasex millia: nam multas uxores & filios habuerunt. Eorum consangui

B nei, totius Issacharianorum generis bellicosissimi, fuerunt octogintaseptem millia, omnium

Beniaminis progenies. Gen.46.c

censu habito. Beniaminis filij fuere tres, Bela, Becher, & Iadiael. Belæ filij Ezbon, Ozis, Oziel, Ierimothus, & Iris, quinque familiarum principes, homines militares, quorum censa sunt capita uigintiduo millia trigintaquatuor. Bechris filij, Zemira, Ioas, Eliezer, Elioenais, Omris, Ieremothus, Abias, Anathothus, & Alamethus. Horum omnium Bechris filiorum, qui capita fuere familiarum recensitis generibus, fuere militum uiginti millia ducenti.

C Iediaelis filij, Balan: Balanis Ieus, Beniamin, Aodus, Chanaana, Zethan, Tharsis, & Abisahar. Horum omnium Iediaelis filiorum, familiarum principum, recensiti sunt milites septendecim millia ducenti, qui arma ferre possent. Iris filij fuere, Suphimus & Huphimus. Aheris autem, Husimus.

Nephthalis & Manassis progenies.

Nephthalis filij, Iaziel, Gonis, Iezer, & Sellumus, ex Bala nati. Manasses filium habuit Asrielem, sustulitque ex concubina sua Arammia Machirem, Galaadi patrem. Machir uxores dedit Huphimo & Suphimo, sororemque habuit nomine Maacham:

D alteri nomen fuit Salphadus, qui Salphadus filias habuit. Maacha Machiris uxor filium peperit, quem Pharem nominauit, cui frater fuit nomine Sares. Eius filij Vlamus & Recemus. Vlami porrò, Bedan. Hi sunt Galaado prognati, Machiris filio, Manassis nepote. Eius soror Molecheta genuit Isudum, Abiezerũ, & Moholam. Semidæ filij fuerunt Ahian, Sechemus, Lechis, & Aniamus.

Ephraimi progenies.

Ephraimi filius fuit Suthela. Suthelæ Baradus. Baradi Thahathus. Thahathi Eleada. Eleadæ Thahathus. Thahathi Zabadus. Zabadi, Suthela, Ezer, & Eleadus, qui à Gethanis indigenis, ad quorum capienda pecora descenderant, occisi sunt. Hos cum Ephraimus eorum parens diu luxisset, & ad eum consolandũ uenissent eius fratres, congressus cum uxore sua, sustulit ex ea filiũ, quẽ Bariam appellauit: quoniam illa in malo fuisset domi eius. Filiam habuit Seeram, quæ Bethoronem inferiorem superioremque construxit, & Ozensaram. Habuit & filium Rapham. Rapha Resephum, & Thelam. Thela, Thahanem. Thahan Ladanem. Ladan Ammiudũ. Ammiudus Elisamã. Elisamas Nonem. Non

F Iosuam. Horum possessio & sedes fuit Bethel cum suis colonijs, & ad Naaranis orientẽ atque uesperum, Gazer, Sichema, & Adaia cum eorum colonijs. Secundum Manassensium fines autem Bethsean, Thanacũ, Mageddo, & Dor, cum eorum colonijs. In his habitarunt Iosephi Israelis filij posteri.

Aseris progenies. Gen.46

Aseris filij Iemna, Isua, Isuais, & Baria, & eorũ soror Sera. Bariæ filij Heber, & Malciel, Barzaithi pater. Heber genuit Iaphletum, Somerum, & Hothamũ, eorumque sororem Suam. Iaphletus hos habuit filios, Pasachum, Bimealem, & Asuathum. Somer Ahim, Rogam, Iehubbam, & Aramum. Benhelemus autem frater eius Sopham, Iemnan, Selem & Amalem. Sopha Suam, Harnephrem, Sualem, Berim, Iemram, Seserem, Hodũ, Samman, Salusam, Iethranem, & Beeram. Iether Iephonem, Phaspham, & Aram. Olla Arã, Hanielem, & Resiam. Hi omnes Asere prognati, familiarum capita fuerunt, egregij milites, ducesque præcipui. Horum censa sunt capita, eorum qui arma ferre possent, uigintisex millia. G

CAPVT VIII.

Beniaminis progenies. Gen.46.d Sup.7.b

Beniamin genuit Balam primum, Asbelem secundum, Ahram tertium, Noham quartum, & Rapham quintum. Balæ filij fuerunt Addar, Gera, Abbiudus, Abisua, Naaman, Ahoa, Gera, Sephuphan, & Huramus. Hi fuere Ehudi filij, capita familiarum incolarum Gabaæ, qui translati sunt in Manahathã, Naaman, & Achias, & Gera, is qui eos transtulit, genuitque Ozam & Achihudum. Saharaimus autem genuit in agro Moabitico, postquam Husimam & Baaram uxores suas dimisit, genuit inquam ex Hodesa sua uxore, Iobabum, Zibiam, Mesam, Malcamum, Ieuzum, Sachiam, & Marmam, qui eius filij fuerunt autores familiarum. Ex Husima autem B genuit Abitobum, & Elphaalem. Elphaalis filij fuerunt, Heber, Misaamus, & Samedus, qui Ononem Lodamque & eius colonias construxit. Baria autem & Sama Aialonensiũ familiarum conditores, Gethæ incolas fugarũt. Eius Bariæ filij fuerunt Ahio, Sesacus, Ieremothus, Zabadias, Aradus, Ader, Michael, Iespha, & Ioha. Elphaalis autem filij Zabadias, Mosollamus, Ezechis, Heber, Esmaris, Iezlia, & Iobabus. Semeis filij Iacimus, Zechris, Zabdis, C Elioenais, Zillethais, Eliel, Adaias, Baraias, & Samarathus. Sesaci autem Iesphan, Heber, Eliel, Abdon, Zechris, Hanan, Ananias, Elamus, Antothias, Iephdaias, & Phanuel. Ierohami Samsaris, Saharias, Athalias, Iaaresias, Elias, & Zichris. Atque hi familiarũ conditores in sui generis capita distributi, Hierosolymã incoluerunt. Gabaonem aũt incoluerunt Abigabaon, qui uxorem habuit nomine Maacham, eius'que primogenitus filius Abdon, Sur, Cis, Baal, Nadadus, Gedor, Ahio, Zacher. Macelothus aũt genuit Samaã. Atque hi quidem Hierosolymis unà cũ suis cõsanguineis habitarũt.

1.Reg.14.g Infra 9.g

¶ Ner genuit Cim. Cis Saulũ. Saulus Ionathanẽ, Melchisuã, Abinadabũ, & Esbaalẽ. Ionathani filius fuit Meribbaal. Meribbaal genuit Michã. Micha filios habuit Pithonem, Melechũ, Thaream, & Ahazũ. D Ahazus Ioadã. Ioadas Alemethũ, Azmotum, & Zamrim. Zamris Mozã. Moza Banã, cuius filius fuit Rapha, nepos Eleasa, pronepos Asel. Aseli fuere sex filij, quorũ nomina sunt, Azricamus, Bochris, Ismael, Saarias, Abdias, & Hanan: hi omnes fuerunt Aselis filij. cuius frater Esecus filios habuit

buit primùm Vlamum, deinde Ieusum, tertiò Eliphaletum. Vlamus filios habuit homines bellicosos & sagittarios, qui tot filios & nepotes habuerunt, ut essent centum quinquaginta. Atq; hi omnes à Beniaminis filijs.

CAPVT IX.

OMnes autem Israelitę recensiti (quemadmodum scriptum extat in libro Israelitarum & Iudęorum) Babylonem ob suam culpā translati sunt. Primi autem regionis Israelitarū habitatores, qui suarum ciuitatū possessiones tenuerunt, fuere sacerdotes, Leuitæ & Nathinæi. *Hierosolymorum incolæ.* ¶ Hierosolymis autē habitarūt ex Iudæis, Beniamitis, Ephraimitis, & Manassensibus, Vthais Ammiudi filius, Omris nepos, Imris pronepos, Banis abnepos, ex filijs Pharis, Iudæ filij. Ex Silonijs Asaias primogenitus, & eius filij. Ex Zaræ filijs Iehuel, eorumq; cognati sexcenti nonaginta. Ex Beniamitis Sallus Mosollami filius, Hodauiæ nepos, Hassenuæ pronepos: & Iabnia Ierohami filius, & Ela Ozis filius, Michris nepos, B & Mosollamus Saphatiæ filius, Raguelis nepos, Iabniæ pronepos, eorumq; cognati sua genera efficientes, nongenti quinquaginta sex, ijq; omnes familiarum conditores atque capita. Ex sacerdotibus autem Iadaias, Ioiaribus, Iachin, Azarias Helciæ filius, Mosollami nepos, Sadoci pronepos, Meraiothi abnepos, Achitobi atnepos, diuini templi antistes: & Adaias Ierohami filius, Phasuris nepos, Malcię pronepos: et Maasais Adielis filius, Iahzeræ nepos, Mosollami C pronepos, Mesillemithi abnepos, Immeris atnepos, eorumq; cognati familiarum conditores mille septingenti sexaginta, homines strenui, diuini tēpli muneris curatores. *Leuitarum munera.* ¶ Ex Leuitis Samaias Hasubi filius, Azricami nepos, Habiæ pronepos, ex Merarensibus: & Bacbaccar faber, & Galal: & Nathanias Michæ filius, Zichris nepos, Asaphi pronepos. Et Abdias Samaiæ filius, Galalis nepos, Ieduthumis pronepos: & Barachias Asæ filius, Elcanæ nepos, qui Netophatios incoluit pagos. Ianitores autem, Sellumus, Accubus, Talmon, & Achiman: quorum frater Sellumus præcipuus erat. Atq; hi hactenus ad portam regiam orientalem ianitores fuerunt, ut ferebant uices Leuitarum. Sellumus autem Coris filius, Abiasaphi nepos, Coræ pronepos, eiusq; consanguinei Corani, eiusdem cum eo familiæ, hoc muneris opus habebant, ut tabernaculi uestibula D custodirent, cum eorum maiores Iouæ castris præfecti, aditum custodiuissent: quorum antistes antè fuerat Phinees Eleazari filius, Ioua usus secundo. Zacharias Meselemiæ filius pro oraculari tabernaculo ianitorem agebat. Hi omnes præcipui uestibulorum ianitores erant ducenti duodecim, per suos pagos descripti, & à Dauide & Samuele diuino suis in muneribus constituti. Igitur hi eorumq; filij portarum Iouæ templi, uidelicet ædis tabernaculi, custodiam agebant: idq; à quatuor terrarum regionibus, ab oriente, ab occidente, à septentrionibus, & à meridie. Eorum autem consanguinei suis in pagis degentes, eis in septenos dies per uices succedebant. Nam quatuor pręcipuis ianitoribus, uidelicet Leuitis, ea erat mandata E prouincia, ut diuini templi cellis præessent, & thesauris, & circum diuinum templum excubarent. Siquidem eorum erat & custodiam agere, & singulis aperire matutinis. Quidam eorum instrumento præerant usuario, quod ad numerum cōderent, promerentq;. Alijs tota sacri instrumenti supellex erat mādata, tum simila, uinum, oleum, thus, & aromata. Ex sacerdotum filijs erant, qui unguenta conficerēt ex aromatibus. Mathathias Leuita Sellumi F primogenitus, Coranus, rei patellariæ munus gerebat. Ex Cahathinis eorum consanguineis erant qui præessent panibus ordinarijs, per singula Sabbatha parandis. Cantores erant Leuiticarum familiarum patres in cellis immunes, quippe in opere dies & noctes occupati, qui quidem Hierosolymis habitabant, eorum posteris in ipsorum succedentibus principatum. Gabaone habitarunt Gabaonitarum pater Iechiel, qui uxorem habuit nomine Maacham, eiusq; filius primogenitus Abdon, Sur, Cis, Baal, Ner, Nadabus, Gedor, Ahio, Zacharias, & Macelothus. Macelothus genuit Samaam. Atque hi quidem Hierosolymis unà cum suis consanguineis habitarunt. ¶ Ner genuit Cim. Cis Saulum: Saulus Ionathanem, Malchisuā, G Abinadabum, & Esbaalem. Ionathan filium habuit Meribbaalem. Meribbaal Micham. Micha Phithonem, Melechum, Thaream, & Achazum. Achazus Iaaram. Iaara Alemethū, Azmothum, & Zamrim. Zamris Mosam. Mosa Banaam, cuius filius fuit Raphaias, nepos Eleasa, pronepos Asel. Aseli fuere sex filij, quorum nomina sunt, Azricamus, Bochrus, Ismael, Saarias, Abdias, & Hanan. Hi fuerunt Aselis filij.

CAPVT X.

Saulus [illegible] 1.Reg.31

IN pugna autem Palæstinorum cum Israelitis, fugati Israelitæ, & in monte Gelboe cæsi occubuerunt: Sauloque & eius filijs instantes Palæstini, Ionathanem, Abinadabum, & Melchisuam Sauli filios occiderūt. Saulus autem prælio pressus, & à sagittarijs deprehensus, uulneribusq; confectus, armigero suo imperauit ut se stricto ense trāsadigeret, ne si præ- B putiati illi uenissent, sibi illuderent. Sed recusante præ nimio terrore armigero, gladium cæpit, eique incubit. Tum armiger Saulum mortuum esse uidens, incubuit & ipse gladio, & mortuus est. Atque ita mortui sunt Saulus, simulq; tres eius filij, & tota familia. Tum Israelitæ, quicunque in ualle erant, uidentes illos fugisse, Saulumq; & eius filios mortuos esse, desertis oppidis suis fugerunt, eaq; aggressi Palæstini in eis habitarunt. ¶ Postridie cum ad C spoliandos occisos uenissent Palæstini, Saulum eiusq; filios in Gelboe monte prostratos nacti, Saulum spoliarunt: & detractis eius armis, caput ei absciderunt, atq; in Palæstinam in omnes

omnes partes miserunt, quo bene gestarum rerum nuncius in æde statuarum eorum, atque in populo diuulgaretur. Arma eius in æde Dei sui posuerunt: caluam in templo Dagonis suspenderunt. Sed Iabenses Galaaditæ, audito D quid Saulo fecissent Palæstini, profecti sunt fortissimi quique, & sublata Sauli eiusque filiorum corpora Iabesam deportarunt, & ossibus sub quercu Iabe sepultis, septem dies ieiunarunt. Mortuus est autem sua culpa Saulus, quam cõmiserat in Iouam, tum quia Iouæ mandatum non erat executus: tum quia Apollinis, non Iouæ, oraculum sciscitatus erat. Hanc ob causam Ioua illo interfecto, regnum ad Dauidem Isæi filium transtulit.

1.Reg.15. c. & 28: b.

CAPVT XI.

Dauid Hebrone rex creatur. 2.Reg.5.a

CONuenerunt autem omnes Israelitæ Hebronem ad Dauidem, eique demonstrarũt se eius esse cognatos & consanguineos, quo duce etiam antea, regnante Saulo, usi fuissent. Nunc Iouam ei, ipsius Deum, suorum Israelitarum gubernationem atque imperium destinare. Tum rex cum omnibus Israelitarum senatoribus, qui ad eum Hebronem conuenerant, fœdus apud Iouã Hebrone fecit, atque ab illis rex Israelitarum unctus est, quemadmodum Ioua per Samuelem mandauerat. Deinde cum omB nibus Israelitis aggressus Hierosolymam, quæ eadem Iebusa est, negantibus Iebusæis Iebusæ incolis eò irrupturum esse, arcem Sionem cæpit, quæ est Dauidis urbs. Cumque pronunciasset Dauid, quisquis primus Iebusæum occidisset, hunc imperatorem & principem fore: primus ascendit Ioabus Saruiæ filius, factusque est imperator. Habitauit autem Dauid in ea arce, ideoque Dauidis urbs est appellata, urbemque à Mellone circunquaque ędificauit. Ioabus autem reliqua urbis instaurauit: crescebatque Dauidis C in dies potestas, & ei aderat armipotens Ioua.

2.Reg.23.a Dauidis heroes.

¶ Sequitur ut dicendũ sit de fortissimis militũ, quos habuit Dauid: à quibus, & ab omnibus Israelitis, rex factus atque confirmatus est, ut Israelitis Ioua mãdauerat. Igitur fortissimorum quorumque Dauidicorum numerus hic est. Iasobaamus Hachmonis filius ex triginta præcipuus, qui hasta sua uibranda trecentos uno cõflictu peremit. Secũdum hunc fuit Eleazarus Dodonis filius, Achoita, unus de tribus fortissimis. Hic cum Dauide fuit apud Phasdammimum, tum cum fugato à Palæstinis (qui eò ad prœliandum conuenerant) exercitu, constiterunt in quodam fundo, qui ibi hordeo plenus erat, eumque defenderunt: & cæsis Palæstinis, nobilem, Iouæ munere, uictoriam adepti sunt. D Hi tres ex triginta præcipuis cum aliquando ad Dauidem, ad petram in speluncam Odollã descendissent, Palæstinis in ualle gigantum castra habentibus, Dauid, qui in arce erat, Palæstinorum pręsidio ad Bethlehemã posito, optauit, dixitque cupere sibi dari ad bibendum aquã ex Bethlehemæ puteo qui erat ad portam. Tũ illi tres per Palæstinorum castra proruperunt, haustamque de Bethlehemæ puteo ad portam

Iasobaamus.

Eleazarus.

posito aquam, Dauidi attulerunt. Quanquam noluit Dauid bibere, sed eã Iouæ libauit: Absit, inquit, hoc à me per Deum meum, ut committam, ut horum hominum sanguinem, hoc E est, uitæ periculum, bibam. Hãc enim uitæ suæ periculo attulerũt. ¶ Hęc fecere tres illi heroes. Abisæus quoque Ioabi frater, alterorum trium præcipuus, hastam suam in trecentorum necẽ uibrauit, atque inter alteros tres nomen habuit, cæteris duobus præstantior: eamque ob rẽ princeps eorum, quanquam ad tres superiores nõ peruenit. Banaias etiam Ioiadæ filius, uiri fortissimi & multis rebus gestis clari, Capselẽsis, duos Moabiticos immanes leones interemit: & in medium antrũ niuali tempore degressus, leonem occidit. Idem interfecit Aegyptiũ quẽdam, hominem quinque cubitorum proceritate spectandum: cum quo hastã habente, quæ textorij iugi instar erat, ipse baculum habens, congressus, hastam illi de manu extorsit, eumque ipsius hasta peremit. Hæc sunt Banaiæ Ioiadæ filij facinora, qui in trium alterorum fortium nu- F merum uenit, præcipuę inter triginta uirtutis, quanquam ad tres priores non peruenit. Hoc Dauid usus est à consilijs. ¶ Fortes itẽ milites fuerunt, Asael Ioabi frater, Elehanan Dodonis filius Bethlehemita, Sammothus Harorius, Heles Phalonius, Ira Iccis filius Thecuanus, Abiezer Anathothanus, Sobbochais Husathensis, Ilais Ahohensis, Maharais Netophatita, Heledus Baanę filius Netophatita, Ithais Ribais filius Gabaanus Beniamita, Banaias Pharathonensis, Hurais à flumine Gaa, Abiel Arbathensis, Azmothus Baharumensis. Eliabba Saalbonensis, Hassemi Gezonensis filij, Ionathan Sagis filius Hararensis, Achiamus Sacharis filius Hararensis, Eliphal Huris filius, He- G pher Mecherathensis, Achias Phaloniensis, Hesro Carmelita, Naarais Esbais filius, Ioel Nathanis frater, Mibahar Garis filius, Selecus Ammonita, Naharais Berothensis, Ioabi Saruiæ filij armiger, Ira Iethræus, Vrias Hettæus, Zabadus Oolais filius, Adina Sizæ filius Rubenita, Rubenitarum princeps: & præter eum triginta, Hanan Maachę filius, Iosaphatus Mathaniensis, Ozias Astharothensis, Sama & Iahiel Gothami Aroerensis filij, Iediael Samris filius, Ioha eius frater Tisiensis, Eliel Mahauimus, Ieribais & Iosauias Elnaami filij, Iethma Moabita, Eliel, & Obed, & Iasiel Mosobaianus.

Abisæus.

Banaias.

Reliqui Dauidis heroes.

CAPVT XII.

Dauidis auxiliares Beniamitæ.

SEquuntur hi qui ad Dauidem uenerunt ad Siceleg, cum adhuc Saulum Cis filium uitaret, milites auxiliares, uel inter fortissimos recensendi, sagittarij, & lapides dextra sinistraque iacientes, & tela arcu iaculantes, ex Sauli consanguineis Beniamitis, quorum princeps erat Achiezer & Ioas Samaæ Gabaani filij, Iaziel & Phaletus Azmothi filij, Baracha & Iehus Anathothenses, Ismaias Gabaonensis ex triginta fortissimus, eorumque præfectus, Ieremias, Iahziel, Iohannes, Iozabadus Gaderathen-

rathensis, Elusais, Ierimothus, Baalias, Samarias, Saphatias Haruphiensis, Elcana, Iesias, Azareel, Ioezer, Iasobaamus Corani, Ioela &
B Zabadias Ierohami filij, ex Gedula. Ex Gaditis quoq; sese contulerunt ad Dauidem in solitudine præsidium habentem, milites fortissimi, & in armis exercitati, scutati, iaculatores, leonibus truculentiores, & capreis in percurrendis montibus uelociores. Horum princeps erat Ezer, alter Abdias, tertius Eliabus, Masmanna quartus, Ieremias quintus, Attais sextus, Eliel septimus, Iohannes octauus, Elzabadus nonus, Ieremias decimus, Machbanais undecimus. Hi erant ex Gaditis duces exercitus, quorum minimus centurio, maximus tribunus erat millenarius, qui quidem Iordanem mense primo totis redundantem ripis traiecerunt, & omnes uallium incolas ad orientem
C atq; occidentẽ fugarunt. ¶ Venerunt & Beniamitarum atq; Iudæorum quidam ad Dauidẽ, præsidium habentem, quibus egressus obuiam Dauid ita locutus est: Si pacati & auxiliandi gratia ad me uenitis, ego animum cõiunctum uobiscum habebo: sin ut me prodatis meis hostibus criminis expertem, Deum ego nostrum patrium testem atq; uindicem appello. Hic Amasæus princeps triginta, diuino afflatu præditus: Tu uerò salue Dauid Isæi fili, inquit, unà cum tuo comitatu: salue & tu & auxiliares tui, quandoquidem tibi Deus tuus auxiliatur. Tũ Dauid illos admisit, ordinumq; duces constituit. Fuerunt & ex Manassensibus qui defecerunt ad Dauidem, cum Palæstinos contra Saulum ad prælium comitaretur: quanquam eis auxiliatus non est, utpote à proceribus Palæstinis consultò dimissus, ueritis ne ipsorum periculo ad Saulum dominum suum deficeret. Igitur ad eum Siceleg euntem defecerunt ex

1.Re.29.b

D Manassensibus, Adna, Iozabadus, Iediel, Michael, Iosabadus, Elius, & Salathæus, Manassensium copiarum duces, qui Dauidi auxilio fuere contra latrocinia, quippe milites omnes fortissimi, fuerũtq; principes exercitus. Iamq; tam multi in dies ad Dauidem ferendi auxilij causa cõfluebant, ut ingens & planè diuinum agmen esset. ¶ Igitur militum, qui Hebronem ad Dauidem conuenerunt, ut ad eum Sauli regnum ex Iouæ mandato transferrent, numeri summa est hæc: Iudæi scutati & iaculatores sex millia octingenti, ad militiã parati. ¶ Ex Simeonijs milites fortissimi septẽ millia, centũ. ¶ Ex Leuitis quatuor millia sexcenti, & Ioiada Aharoniorum dux, & cum eo tria millia septingen-
E ti. Et Sadocus iuuenis miles fortissimus, eiusq; paterna familia, principes duo & uiginti. Ex Beniamitis Sauli cognatis tantum tria millia, quippe multis adhuc eorum Saulinæ domus curã agentibus. ¶ Ex Ephraimitis uiginti millia octingenti, milites fortissimi, & suarum familiarum illustrissimi. ¶ Ex dimidia tribu Manassensi octodecim millia, qui nominatim uenerunt ad Dauidẽ regẽ creandũ. ¶ Ex Issacharianis rationis temporum peritis, scientibusq;

Militum numerus, qui ad Dauidem Hebronem cõuenerunt.

quid esset Israelitis faciendum, principes ducẽti, à quorum ore pendebant omnes eorum cõsanguinei. ¶ Ex Zabulonijs milites bellicosi, F & omniũ bellicorum telorum periti, quinquaginta millia, sine ulla simulatione alacres. Ex Nephthalensibus principes mille, & cum eis scutatorum & hastatorum trigintaseptem millia. ¶ Ex Danijs rei bellicæ periti uiginti octo millia sexcenti. Ex Aserianis milites in armis exercitati quadragesies mille. ¶ Ex trãsiordanis Rubenitis & Gaditis & dimidia tribu Manassensi, omnium bellicorum instrumẽtorum periti, centũ uiginti millia. ¶ Omnes hi uiri bellicosi, in aciem erecti, animis integris, Hebro- G nem conuenerunt, ad Dauidem omnium Israelitarum regem creandum, omnibus etiam reliquis Israelitis ad Dauidem creandũ regem concordantibus.

CAPVT XIII.

Illic postquam triduum cum Dauide epulati sunt (suppeditabant enim eorum consanguinei: præterea eorum uicini, tum Issachariani, tum Zabulonij & Nephthalenses uictum afferebant in asinis, camelis, mulis, & bubus: uidelicet farinæ cibaria, palathas, uuas passas, uinum, oleum, boues, oues, & capras, magna copia, utpote lætantibus Israelitis) consilium inijt Dauid cum tribunis & centurionibus, omnibusq; ducibus, atq; ita omnem Israelitarũ cœtum allocutus est: Si uobis ita uidetur, & si huius rei Ioua Deus noster autor est, mittamus passim ad nostros consanguineos in omnibus Israelitarum finibus reliquos, necnon ad sacerdotes & Leuitas in suorum pomœriorum oppidis agentes, ut ad nos conueniant, quo Dei nostri arcam (unde oracula temporibus Sauli non petijmus) ad nos transferamus. Ad hoc fa- B ciendum cum omnis multitudo consentiret (placebat enim ea res omnibus) conuocauit Dauid omnes Israelitas, à Sihore Aegypti, usque ad Hematham, ad diuinam arcam Cariathiarimo petendam: cum quibus Baalatham, hoc est, Cariathiarimum, quod in Iudæa positum est, profectus est, ad deportãdam illinc arcam Dei Iouæ, Cherubis insidẽtis, ubi eius nomen inuocabatur. Hanc diuinam arcam nouo plaustro impositam, ex ædibus Abinadabi extulerunt, Oza & Haione plaustrum agenti- C bus, Dauide autem omnibusq; Israelitis coram Deo summa ui ludentibus, carminibus, citharis, nablis, tympanis, cymbalis, & tubis. Vbi ad Chidonis aream uentum est, Oza manũ ad tenendam arcam, succussantibus bubus, admouit: & iratus in eum Ioua ob admotam arcæ manum, eum occidit. Eo ibi ante Deũ mortuo, hanc Ozæ à Ioua strati cædem ægrè tulit Dauid. ideoq; locum illum Ozæ stragem appellauit, quod nomen manet ad hũc diem. Tũ Dauid deum ueritus, eius arcam ad se inferre non ausus, eam ad se in urbem Dauidis inuehi noluit, sed in ædes Obededomi Gethani intulit, ubi ea tres mẽses fuit: fortunauitq; Ioua Obededomi domũ, atq; omnes eius facultates.

Dauid cũ Israelitis de trãsferẽda Hierosolymam arca uerba facit.

2.Reg.6.a

Oza strages.

Caput

CAPVT XIIII.

Hiramus ad Dauidẽ legatos mittit. *2.Reg.5.b*

Misit autem Hiramus Tyriorum rex legatos ad Dauidem, unà cũ materia cedrina, cæmentarijsq; & lignarijs fabris, qui ei domum cõstruerent: intellexitq; Dauid se regem Israelitarum à Ioua esse creatum, & in regnum suum elatum, propter illius Israeliticum populum. Duxit autem & alias uxores Hierosolymis, aliosq; liberos utriusq; sexus procreauit. *Dauidis liberi.* Atque hæc sunt eorum nomina, qui ei Hierosolymis nati sunt: Sammua, Sobabus, Nathan, B Solomo, Iebahar, Elisua, Eliphaletus, Noga, *2.Reg.5.c.d.* Naphegus, Iaphia, Elisama, Beeliada, & Eliphaletus. *Dauidis uictoriæ de Palæstinis.* At Palæstini, postquam intellexerũt Dauidem omnium esse Israelitarũ regem unctum, expeditionẽ uniuersi aduersus eum fecerunt: quo audito, Dauid eis occurrit. Cumq; illi uallem gigantũ occupauissent, Dauid consulto Deo de aggrediendis Palæstinis, & de uictoria per illum consequenda, postquam Ioua C aggredi iussit, & de illis uictoriam promisit, Dauid illos ad Baalpharasimum profectos, illic superauit, & ita dixit: Per me fudit hostes meos Deus, sicuti funditur aqua. atq; inde locus ille Baalpharasimum est appellatus, ubi relictos ab illis ipsorum deos Dauid igni cremari iussit. Cumq; iterum Palæstini uallem occupassent, consuluit iterum Dauid Deum, cuius responsum fuit hoc: Noli eos à tergo adoriri, sed ab eis digressus, eos quà sunt mori aggredere. Ac simulac incessus sonitum in mororum D cacuminibus audiueris, prodito in prœliũ: nam tibi Deus ad concidendum agmen Palæstinorum præibit. Hoc Dauid, sicut à Deo iussus erat, fecit: & cæsum est agmen Palæstinorum à Gabaone ad Gazer: peruulgatumq; est Dauidis nomen in omnibus terris, & eius terrorem Ioua cunctis gentibus incussit.

CAPVT XV.

Dauid Leuitas congregat ad ferendam arcam. *Nu.4.a.b*

Postea fecit sibi Dauid domos in urbe Dauidis, locumq; arcæ diuinæ parauit, & tabernaculum tetendit. Deinde negans aliorum esse, diuinã arcam ferre, quàm Leuitarũ (quippe quos Ioua ad ferendam Iouæ arcam, & ad ei semper ministrandum, elegisset) omnes Israelitas Hierosolymam cõuocauit, ad Iouæ arcam in locum ei à se præparatum deportandã: congregauit'que Aharonios & Leuitas ex Cahathinis, Vrielem principem, & eius consanguineos, centum uiginti. Ex Merarẽsibus Asaiam principem, & eius consanguineos ducentos uiginti. Ex Gersomijs Ioelem principẽ, & eius consanguineos centum triginta. Ex Elisaphanijs Semeiam principẽ, & eius consanguineos ducentos. Ex Hebronijs Elielem principem, & eius consanguineos octoginta. Ex Ozieli- B nis Amminadabum principem, & eius cõsanguineos centum duodecim. Deinde conuocatis Sadoco & Abiathare pontificibus, & Leuitis Vriele, Asaia, Ioele, Semeia, Eliele, & Amminadabo, eis ita præcepit: Vos, qui Leuiticarum familiarum principes estis, lustramini unà cum consanguineis uestris, ut Iouæ Dei Israelitarum arcam in locum ei à me præparatũ feratis. Nã antea defectu uestrũm Ioua in nos stragem edidit, quod eum ritè non sumus percontati. Igitur lustrati sunt pontifices & Leuitę ad arcam Iouæ Dei Israelitarũ portandam: eamq; palis impositã, humeris tulerũt Leuitæ, quemadmodum Moses ex Dei mandato præceperat. *Nume.4.b* Et Dauid Leuitarum principibus mandauit, ut cognatos suos cantores musicis præficerent instrumentis, nablis, citharis, & cymbalis, qui concentum edentes lætitiam agerent. Itaque statuerunt Leuitæ Hemanem Ioelis filium, & ex eius consanguineis Asaphum Barachiæ, & ex Merarensibus eorũ cõsanguineis Ethanem Cusaiæ filiũ: & cum eis cognatos eorum secundi ordinis, Zachariam Iaazielis filiũ, Semiramothum, Iehielem, Onnim, Eliabum, Banaiam, Maaseiam, Mathathiam, Eliphaleũ, Macneiam, Obededomum, & Ieielem ianitores. C *De Leuitarũ officio.* ¶ Cæterùm cantores Heman, Asaphus, & Ethan, cymbalis præerant æreis, ad personandum. Zacharias autẽ, & Oziel, & Semiramothus, & Iehiel, & Onnis, & Eliabus, & Maaseias, & Banaias nablis sonabant, & puellis præerant. At Mathathias, Eliphaleus, Macneias, Obededomus, Ieiel, & Azazias [a] octauæ præerant ad præcinendum. Chonenias autem Leuitarum princeps oraculis præerat, & moderabatur, utpote peritus: Barachias & Elcana erant arcæ ianitores. Sechenias, Iosaphatus, Nathanael, Amasæus, Zacharias, Banaias, & Eliezer, sacerdotes tubis clangebãt ante arcam diuinã. Obededomus & Iehias erant arcæ ianitores. *2.Reg.6.c* D ¶ Igitur Dauide & Israelitis senatoribus, copiarumq; ducibus, profectis ad arcam fœderis Iouæ ex ædibus Obededomi cũ lętitia auferendam, cũ Leuitæ arcã ferentes diuinitùs adiuuarentur, immolati sunt septem tauri, totidemq; arietes. Dauid autem amictus erat prætexta byssina, necnon omnes Leuitæ arcã gestantes, & cantores, & unà cum cantoribus Chonenias oraculorũ præfectus: sed ipse Dauid insuper indutus erat ephodo lineo, omnibus Israelitis arcã fœderis Iouæ cum clangore, & buccinæ, tubarum, cymbalorumq; sonitu, agentibus, & nablis citharisq; resonantibus. Postquam arca in urbẽ Dauidis peruenit, Michol Sauli filia regem Dauidem per fenestram conspicata tripudiantem atq; ludentem, eum animo despicata est.

[a] Hoc non intelligo.

CAPVT XVI.

2.Reg.6.d

Introducta arca diuina, & in tabernaculo, quod ei Dauid tetenderat, collocata, facta sunt Deo solida sacrificia, & pro salute. Postquam solidum sacrificium, & pro salute peregit Dauid, populo per Ioue nomen bene precatus, partitus est in omnes Israelitas, tum in uiros, tum in feminas, uiritim, singulos panes, offasq;, & uini lagenas. *Dauid congiario fungitur.* ¶ Deinde ex Leuitis ante arcam Iouæ administros constituit, qui Iouam Israelitarum Deum prædicarent, celebrarent, atq; collaudarent: quorum Asaphus princeps esset, Zacharias secundus ab eo: Ieiel autem, & Semiramothus, & Iehiel, & Mathathias, & Eliabus, & Banaias, & Obededomus,

& Ieiel, instrumentis uterentur, nablis & citharis, Asapho cymbala pulsante: Banaias autem & Iaziel sacerdotes tubis perpetuò ante arcam fœderis diuini. Eo primùm die statuit Dauid, ut Ioua per Asaphum & eius consanguineos celebraretur.

Psal.105.b quo Dauid hortatur ad Iouæ laudes, qui Israelitas in promissam terrã perduxerit. Esa.12.a

Concelebrate Iouã, huius nomen inuocate, huius naturã per populos declarate, hũc canite, hũc cantate, huius tot mira facinora meditamini, in huius sacro nomine uos iactate: lætetur animus eorũ qui Iouę studẽt. Quęrite Iouã, eiusq; potẽtiam: huius uultũ semper expetite: huius mira facinora, huius prodigia, ab eo'que latas sententias recolite. O' Israelis stirps, eius cultoris, ô Iacobo prognati, eius electi: is Ioua

B Deus noster est, cuius iurisdictio toto patet orbe terrarum. Recordamini semper fœderis (rei ab eo in mille ętates decretæ) quod ei cũ Abrahamo, & iurisiurandi quod cum Isaaco intercedit: quod quidem Iacobo, quod Israeli decreto sanxit & fœdere sempiterno, sese eis daturum esse Chananæam, hæreditatis eorum sortem, promittens. Igitur cum & numero pauci atque exigui, & in illa peregrini fuerint, & ex alia gente in aliam, & ex alio regno in aliam iuerint nationem: tamen tantum abfuit, eos ut à quoquam iniuria affici permiserit, ut etiam eorum

C causa reges castigauerit: Ne tangite Vnctos

Psal.95.a

meos: ne uatibus meis nocete. Canite Iouam totus orbis, huius uictoriam enunciate in dies: huius gloriam per gentes, huius mira facinora per omnes narrate nationes. Etenim perquàm magnus & laudabilis est Ioua, & omniũ deorũ maximè terribilis. Cùm enim omnes dij cæterarum nationum deastri sint, Ioua cœlum fecit, autoritate & decore præditus, cum potentia & cum maiestate uersans. Tribuite Iouę, ô nationum genera, tribuite Iouæ gloriam atq; potentiam. Tribuite Iouæ dignam eius nomine gloriam: afferte fertum, & in eius uenite conspectum: adorate Iouã decenter atq; sanctè: hunc totus orbis terrarum, atq; adeò totus mundus, immobilis constans, pertimescat. Lætetur cœlum, exultet terra, perq; gentes prædicetur, regnare Iouam. Intonet mare, & quicquid eo cõtinetur: gestiant agri, & quæcunq; sunt in eis: tum syluarum ouent arbores, in aduentũ Iouæ, ad iudicãdum orbem terrarum uenientis. Concelebrate Iouam, qui bonus est, cuiusq; perennis est clementia. atque ita dicite: Serua nos,

D Deus salutis nostræ: collige nos, & à cæteris tuere gentibus, ut tuum sacrũ nomen celebremus, ut nos in tua laude ostentemus. Laudetur Ioua Deus Israelitarum ab omni æternitate, in omnẽ æternitatem. ¶ Tum uniuersus populus respondit, Amen, Iouam'que laudauit. Igitur statuit ibi Dauid apud arcã fœderis Iouæ, Asaphum, eius'que cognatos, qui semper apud arcam quotidiana ministrarẽt opera, Obededomo eiusq; consanguineis sexagintaocto (erat autẽ Obededomus Ieduthunis filius) & Hosa ianitoribus. Sadocum autẽ pontificem, eiusq; cognatos sacerdotes, apud Iouę tabernaculum in sacello Gabaonensi, qui semper Iouæ solida

Dauid Leuitis assignat sua munera.

sacrificia facerent ad aram uictimariam, manẽ & uesperẽ: omniaq; scripta in lege, quam Ioua tulit Israelitis, & cum eis Hemanem & Ieduthunem, reliquosq; delectos, qui sunt suis nominibus appellati, ad celebrandum Iouam, cuius perennis est clementia, in quibus Heman & Ieduthun tubis sonarent & cymbalis, & diuini carminis instrumentis, Ieduthunis filijs ianitores agẽtibus. Igitur omni populo domum digresso, Dauid ad domum suã faustis ominibus prosequendam se conuertit.

CAPVT XVI.

1.Reg.7.a

POstquam Dauid domi suæ consedit, Nathani uati ostendit, non conuenire ut Dauide cedrinam incolente domum, arca fœderis Iouæ maneret sub linteis. Cui Nathan respondit, ut faceret quicquid ei esset in animo: nam ei adesse Deum. Sed ea nocte Deus cum Nathane locutus est in hunc modum: I renunciatum hæc meo Dauidi. Sic dicit Ioua: Non tu mihi domum ad habitandum construes, qui ex quo Israelitas eduxi, domum adhuc non habitaui, sed in tentorio atq; tabernaculo subindę migraui. Quamdiu inter tot Israelitas uersatus sum, ecquod tandem ulli pręsidiũ Israelitarum, cui meos Israelitas gubernãdos commiserim, uerbum feci de construenda mihi domo cedrina? Quamobrem sic dicit armipotẽs Ioua (inquies, meũ Dauidem alloquens) Ego te à caula, ab agendo pecore, assumptum, meorum Israelitarum imperatorem feci, tibiq; omnibus B in rebus gerẽdis adfui: & excisis tua causa omnibus tuis hostibus, tuũ nomen eorum nomini adæquaui, qui sunt in orbe terrarum maximi: meisq; Israelitis locũ assignaui, ubi à me quasi consiti, permaneant, neq; amplius perturbentur, neque deinceps ab improbis diuexentur, sicuti cùm olim, tum ex quo eis gubernatores præfeci. Igitur subactis omnibus tuis hostibus, hoc tibi nuncio, me Iouam tibi esse domum instructurum. Ac cũ plena ętate ad maiores tuos concesseris, excitabo tuam post te progeniem, eum qui ex tuis erit filijs, cuius regnum stabiliam. Is mihi domum cõstruet, eiusq; solium in perpetuum confirmabo. Huic ego pater, hic mihi filius erit: neq; eum mea priuabo clementia, ut tuum antecessorem priuaui: sed eum mea in domo atque regno stabiliam in perpetuum, eiusq; solium firmũ manebit in sempiternum.

Ioua Nathani ad Dauidem precepta dat de construendo templo.

¶ Hęc omnia uerba, omneq; oraculũ, postquã C ad eũ modũ Dauidi Nathan exposuit, Dauid rex Iouam adijt, & coram eo stans, sic est locutus: Quis ego sum, ô Ioua Deus, aut quæ mea stirps est, ut me hucusq; adduxisse, parum tibi uisum fuerit, Deus: nisi etiam meę stirpi prospiceres in longinquum, mihi'que humano more magnificè prouideres, ô Ioua Deus? Ecqua tandẽ maiore à te affici gloria tuus Dauid possit? qui me tuum agnoueris, Ioua, meaq; causa, & quia sic tibi placitum est, feceris ut hęc tot & tanta repręsentares. O' Ioua, nõ solum tibi par nullus est, sed ne est quidem Deus ullus pręter te, quãtum ipsi nostris auribus audiuimus. Nã quæ omnino gens est in orbe terræ cum tuis Israelitis

Dauid Iouæ gratias agit, qui sibi regnum, idq; ad posteros suos perpetuandum, dederit.

Israelitis conferenda? quam sibi Deus redemptum fuerit, suamque fecerit? D quò tibi magnum & terribile nomen comparares? dum tuorum causa, à te ex Aegypto redemptorum, gentes exigis, eosque tuos Israelitas in sempiternum facis, & eis te, Ioua, Deum prębes. Quamobrem Ioua, quod tu mihi tuo, meæque stirpi pollicitus es, id sanciatur in perpetuum, & promissa facito. Ita firmum magnumque tuum erit nomen in sempiternum, & armipotens Ioua Deus Israelitarum iterum atque iterum prædicabitur, & domus tui Dauidis per te stabilis erit. Nam tu mihi, mi Deus, in aurē indicasti, te mihi domū esse instructurum: quæ causa fuit, ut ego te precari sim ausus. Et nunc, Ioua, tu Deus es: promisisti autem hoc mihi beneficium. Quare age iam, felicita meam stirpem, ut ea per te perpetuò duret: nam te, Ioua, felicitante, felix erit in sempiternum.

CAPVT XVIII.

Dauidis uictoriæ. *2.Reg.8.a* *Adarezer Sophenæ rex.*

Postea uicit Dauid Palęstinos, eis'que subactis Getham eiusque colonias eripuit. Vicit & Moabitas, & in potestatem suā redactos, uectigales habuit. Vicit etiam Adarezerum Sophenæ regem apud Hematham, tum cum profectus est ad porrigendum imperium suum ad fluuium Euphratem, & ei mille currus eripuit, & septem equitum, & uiginti peditum millia: corrupit'que currus omnes, præter centum, quos reliquos fecit. Præterea ex Syris Damascenis, qui ad auxiliandum Adarezero Sophenæ regi uenerant, occidit hominum uiginti duo millia: redactamque sub imperium suum B Syriam Damascenorum, uectigalem habuit, Ioua usus defensore in omnibus suis expeditionibus. Cæpit & pharetras aureas Adarezerianorum, quas Hierosolymam intulit. Tum ex Tebatha & Chune, oppidis Adarezeri, ingentem uim ęris abstulit, ex quo Solomo fecit lacum æreum, columnasque & uasa ærea. Quòd postquā intellexit Thous Hemathæ rex, Adarezeri Sophenæ regis uires omnes fractas esse C à Dauide, misit Adoramum filium suū ad Dauidem regem, qui eum salutaret, & ei de debellato uictoque Adarezero (nam Thoo bella cum Adarezero intercesserant) gratularetur. Misit & omnis generis uasa aurea, argentea, atque ærea: quæ etiam Iouæ consecrauit rex Dauid, unà cum argento atque auro quod ex tot gentibus abstulerat, uidelicet Idumæis, Moabitis, Ammonitis, Palæstinis, & Amalechitis. Nam Idumæos uicerat Abisęus Saruiæ filius in ualle D salis, cęsis eorū octodecim millibus: & Idumęę præsidia imposuerat, tota Idumæa in potestatem redacta Dauidis, Ioua Dauidem in omnibus expeditionibus cōseruāte. ¶ Regnauit autem Dauid in omnes Israelitas, iure & æquitate erga suos omnes utens. *Dauidis officia.* Exercitus duce usus est Ioabo Saruiæ filio. A cōmentarijs Iosaphato Achiludi filio. Pontificibus Sadoco Achitobi, & Abimelecho Abiatharis filio. Scriba Susa. Cerethæorum Phelethęorumque pręfecto Banaia Ioiadæ filio. Suorum autem filiorum opera in primis utebatur.

CAPVT XIX.

2.Reg.10.a

Postea Ammonitarū rege Naha mortuo, cum ei filius eius Hanō in regno successisset, Dauid, ut Hanoni Nahæ filio beneficia rependeret, quibus ab illius patre fuerat affectus: misit ad eum legatos, qui eum de patre cōsolarentur. ¶ Sed postquā Dauidici in Ammonitarum fines ad Hanonem eius consolandi causa peruenerūt, persuasere principes Ammonitarum Hanoni, Dauidem non ipsius patris apud eum honorādi causa consolatores ei misisse, sed eos ad explorandam, speculandam, & euertendam terrā uenisse. *Dauidis legati ab Ammonitarum rege ignominia affecti.* Itaque cōprehendit Hanon Dauidicos: eosque totondit, & abscisis eorū usque ad nates medijs uestibus, eos dimisit. B Quibus discedentibus, postquam de eis regi Dauidi nunciatum est, misit illis obuiam (eos enim magnopere pudebat) iussitque ut Hierichunte manerent, donec renata barba rediret. Tum Ammonitæ uidentes se infensum habere Dauidem, miserūt cùm ipsi, tum Hanon, mille argenti talenta, ad conducendum ex Mesopotamia & ex Syria Maacham, & ex Sophene currus & equites: cōductisque triginta duobus curruum millibus, & rege Maacha cum eius C copijs, profecti castra posuerunt ante Medabā. ¶ Hoc ubi audiuit Dauid, Ammonitas ex suis collectos urbibus ad bellandū adesse, misit Ioabum cum omni fortissimorū exercitu. *Ioabus Ammonitas uincit.* Ioabus, cū progressi Ammonitæ aciem ante portam urbis, reges autem qui aduenerāt, seorsum in agro instruxissent, uidens pugnam sibi & à fronte & à tergo imminere, delegit ex omni Israelitarum robore quos Syris opponeret: reliquos Abisæo fratri suo, qui contra Ammonitas instruerentur, commisit, ita dicens: Si me Syri urgebunt, tu mihi feres auxilium: sin te Ammonitæ prement, ego tibi subueniam. Præsta te fortem, & pro nostris popularibus, proque Dei nostri urbibus pugnemus fortiter: & Ioua quod ei uisum fuerit, faciet. His dictis, Ioabus D cum suis militibus prælio cum Syris congreditur, eosque in fugam uertit. Itaque uidentes Ammonitæ Syros fugere, uersi sunt & ipsi in fugam ab illius fratre Abisæo, urbemque repetierunt, & Ioabus Hierosolymā uenit. Tum Syri uidentes se ab Israelitis esse superatos, missis legatis Syros exciuerunt, qui trans flumen incolebant, quibus præerat Sophacus dux exercitus Adarezeriani. Quod ubi Dauidi nunciatū est, coactis omnibus Israelitis, traiecto Iordane illos aggressus, copias contra eos instruxit: & acie ordinata, commissoque prælio, terga Syri uerterunt Israelitis: interfecitque Dauid ex Syris quadrigariorum septem millia, peditum quadraginta millia: Sophacum'que imperatorem occidit. Tum uidentes Adarezeriani se Israelitis inferiores, pacem fecere cum Dauide, eique seruierunt: nec uoluere Syri deinceps Ammonitis auxilium ferre.

CAPVT XX.

2.Reg.11.a

Deinde ineunte uere, quo tempore solent expeditiones à regibus fieri, Ioabus educto exercitu Ammonitarum fines depopulatus,

tus, Rabbam obsidere aggressus est, Dauide Hierosolymis habitante, captamq; euertit. Et
B Dauid regis illorum coronam (quam gemmis ornatam auri talentum pendere reperit) illius detractam capiti, suo imposuit, urbis'que plurimã prædam extulit. ¶ Oppidanos autẽ omnes eduxit, & serris tribulisq; ferreis & securibus excruciauit: idemq; omnibus Ammonitarum oppidis fecit. Atq; ita cũ omnibus copijs

Dauid in Rabbanos seuit.

C Hierosolymã reuertit. ¶ Postea extitit prælium apud Gazer cum Palæstinis, cum quidem interfecit Sobocheus Husathensis Saphaim gigantibus prognatum, atq; ita subacti sunt illi. Item aliud fuit cum Palæstinis prælium, in quo peremit Elehanan Iairis filius Bethlehemita, Goliæ fratrem Gethæum, cuius hastæ lignum æquabat magnitudine iugum textorium. Item

Dauidis uictoriæ. 2.Reg 21.d

D alia cõmissa pugna est apud Getham, ubi quidam magna statura fuit, [a] senos, id est, uiginti quatuor habẽs digitos, & ipse de stirpe gigantea, quem Israelitis conuiciantem occidit Ionathan Samaæ fratris Dauidis filius. Quatuor hi Gethæ gigantibus prognati, à Dauide & Dauidicis deiecti sunt.

a scilicet in singulis manibus & pedibus.

CAPVT XXI.

SEd Israelitis infestus Satan, Dauidem impulit ad numerãdos Israelitas. Itaq; Dauid Ioabo & populi primarijs ita dixit: Ite, numerate Israelitas à Bersaba ad Danem usq;, & mihi numerũ referte, ut sciam quot sint. Cui Ioabus: Iouam precor, inquit, ut suos centuplicet, qui quidẽ cum sint omnes in tua, domine rex, potestate, cur tandem istud quærẽdo, Israelitis noxiã importes? Sed uictus regis imperio Ioabus, profectus est, & peragratis omnibus Israelitarum finibus, Hierosolymam reuersus, Dauidi numerum recensitorum hominum retulit. Fuerũt autem in uniuersum Israelitæ undecies centena millia, qui arma ferre possent: Iudæorũ quadringẽta septuaginta millia, qui arma ferre possent: Leuitis & Beniamitis inter eos nõ recensitis, quòd Ioabus à mandato regis abhorrebat. Ea re offensus Deus, Israelitis cladẽ intulit: estq; Deo confessus Dauid, se ea re faciẽda peccasse grauiter, & sibi tam imprudẽter commissam culpã ignosci postulauit. At Ioua Gado Dauidis fatidico mãdauit, ut Dauidẽ adiret,

Dauid Israelitas numerari iubet. 2.Reg.24.a

B eiq; tres à Ioua proponeret optiones: quarum unam eligeret, quã sibi ab illo fieri uellet. Ergo Dauidem aggressus Gadus, ei dixit ita: Sic dicit Ioua: Elige, num malis trienij famẽ: an tres menses ab aduersarijs tuis superari, & hostili ense cõprehendi: an ut triduum terra ense Iouæ & pestilentia infestetur, & omnes Israelitarum fines à Iouæ genio uastentur. Quamobrem uide quam rem ei referam qui me misit. Et Dauid: Magna premor angustia, inquit Gadum alloquens: malo cadere in Iouæ manum, qui singulari est præditus misericordia, quàm in hominum manum incidere. Tum Ioua peste affecit Israelitas, cecideruntq; ex eis septuaginta hominum millia: misitq; Deus genium Hierosolymã, ad eam depopulãdam. Deinde eum contemplatus Ioua grassantem, reuocauit supplicium: & Hactenus, inquit uastatorem genium alloquens, iam cohibe manum tuam. Ita constitit Iouæ genius apud aream Ornanis Iebusæi. quem genium conspicatus Dauid stantem inter terram & cœlũ, strictumq;, & in Hierosolymam porrectum gladium manu tenentem, abiecit se pronum tum ipse, tum senatores, centonibus induti, & Deum sic allocutus est: Nõnne ego populũ iussi numerari? inquit. nõnne ego is sum qui peccaui, & scelus commisi? hę quidẽ oues quid commiserunt? ô Ioua mi Deus, impete me tua manu, meam'que stirpem patriam, ne'ue tuus afficiatur clade populus. Tum Iouæ nuncius Gado mãdauit, ut Dauidi praeciperet, ut aram Iouæ constructum iret in area Ornanis Iebusæi. Et Dauid, quemadmodum Iouæ nomine præceptũ erat à Gado, profectus est. Tum respiciens Ornan, qui tum triticum triturabat, genium animaduertit: & quatuor eius filijs, qui apud eum aderant, sese abdentibus, conspicatus ad se uenientem Dauidem, ei, ex area egressus, summisso ad terram uultu honorem præbuit. Et Dauid Ornani dixit: Addice mihi istius areæ locum, in quo Iouę aram cõstruam, & addice pleno precio, ut populi strages coerceatur. Cui Ornan: Cape, inquit, & utere, domine rex, tuo arbitratu. En tibi do & boues ad uictimas, & tribulas ad ligna, & triticum ad fertum: omnia do. At rex Dauid: Imò iusto precio emam, inquit Ornani: neq; enim Iouæ tua offeram, aut solidum sacrificium gratis faciam. Ita soluit Ornani Dauid pro eo loco siclos auri pondere sexcentos: ibiq; extructa Iouæ ara, solidum sacrificium & pro salute fecit, Iouamq; inuocauit: & Ioua eũ igne de cœlo in aram uictimariã demisso, exaudiuit, genioq; iussit ut gladiũ referret in uaginã. ¶ Tum Dauid uidens se à Ioua in Ornanis Iebusæi area exauditũ esse, sacrificauit ibi. Nam cum Iouæ tabernaculũ, quod Moses in desertis fecerat, & ara uictimaria esset eo tempore in sacello Gabaone, non potuit Dauid eò in Dei cõspectum ad eius sciscitandum oraculum uenire, quippe genij Iouæ gladio territus.

Ioua peste seuit in Israelitas. C D *Sedatur pestis.* *Para.2.a*

CAPVT XXII.

IGitur Dauid statuens id esse Iouæ Dei templum, eamq; Israelitarum arã uictimariã, iussis peregrinis, qui erant in Israelitarum finibus, congregari, cõstituit lapicidas, qui quadratos lapides ad diuini templi cõstructionem cæderent. Tum magnã ferri copiam ad clauos portarum ostijs adhibendos, & ad commissuras, comparauit, ærisq; pondus immensum, & cedrinam materiam innumerabilem: quippe Sidonijs & Tyrijs ei magnam eius copiam aduehentibus. Statuerat enim Dauid (quoniã eius filius Solomo puer tenellus esset, & Iouæ fanum esset construendum, quod magnitudine, quod excellẽtia, quod fama, quod magnificentia omnibus in terris celebraretur) apparatum sibi esse faciẽdum, eoq; multa ante suum interitũ pręparauit. ¶ Deinde euocato filio suo Solomoni præcepit, ut Iouæ Israelitarũ Deo templum cõstrueret, & cum eo sic locutus est: Fili, cum

Dauidis apparatus ad templi constructionẽ. B *Dauid moriturus Solomoni præcepta dat.*

cum haberem in animo, nomini Iouæ Dei mei templum construere, Ioua mecum locutus est in hanc sententiam: Sanguinis multum fudisti, & ingentia bella gessisti: non tu meo nomini templum construes, qui tantum sanguinis humi apud me fuderis. Sed tibi nascetur filius, qui uir erit quietus, cui'que ego ab omnibus undique hostibus quietem præstabo: nam & a Solomo nominabitur, & pacem atque ocium præbebo Israelitis eius æuo. Hic meo nomini templum cōstruet, hic mihi filius, ego ei pater ero, eius'que in Israelitas regni solium firmabo in sempiternū. Nūc mi fili (quod tibi secūdus bene uertat Ioua) construito Iouę

a à pace nomen habet.

2.Reg.7.b Heb.1.a 3.Reg.5.a

C Deo tuo templum, ut ipse tibi mandat. Dabit autem tibi Ioua solertiam atq; prudentiam, tibiq; ad Israelitas præcepta, & de conseruanda Iouæ Dei tui lege, dabit. Atque tum demum prospere ages, si decreta et iura, quę Ioua Mosi ad Israelitas pręcepit, curabis exequenda. Esto fortis atque constans, intrepidusq; & impauidus. Equidem pro mea tenuitate præparaui ad Iouæ templum auri centum millia talentorum, argēti decies centena millia, æris autem & ferri immensam uim: necnon ligna saxaq; paraui, ad quæ tu addes alia. Iam uerò artifices habes magna copia, latomos, fabrosq; lapidarios & lignarios, & tam multos omniū peritos artium,

D aurum'que & argentum, & æs & ferrum innumerabile. Age sane, aggredere opus, adiuuāte Ioua. Tum autē præcepit Dauid omnibus principibus Israelitis, ut Solomonem filium suum adiuuarent. Adest quidem uobis Ioua Deus uester, inquit, & uobis ocium fecit undiq;: addixit enim mihi incolas, estq; terra Ioue & eius populo subacta. Quapropter mētes animosq; uestros ad Iouæ Dei uestri studium applicate, & Iouæ Dei sanctuarium construere aggredimini ad inferendā fœderis Iouæ arcam, & sacra Dei uasa, in ædem Iouæ nomini cōstruendam.

CAPVT XXIII.

IGitur Dauid iam senex & maturus æui, Solomonem filium suum Israelitarum regem constituit, & omnes Israelitarum principes & sacerdotes, Leuitasq; congregauit: numerandosq; curauit Leuitas, qui trigesimum annum excederent, quorum uiritim recensitorum numerus fuit uirorū trigintaocto millia. ¶ Horum fuere, qui templi Iouæ opus sollicitaret, uigintiquatuor millia: magistratus & iudices sex millia: ianitores quatuor millia: qui Iouam laudarent instrumentis à Dauide factis ad dicendas laudes, quatuor millia. Hos Dauid in classes

Dauid Leuitis munera assignat.

B distribuit à Leuis filijs, Gersone, Cahatho, & Merari denominatas. Gersonidę fuere Leedan & Semeis. Leedanis filij, primus Iehiel, Zethamus, & Ioel, tres. Semeis tres item, Solomithus, Haziel, & Haran. Hi fuere Leedaniarum familiarū principes. Semeis filij fuere quatuor, Iahathus, Ziza, Iaus, & Baria: quorū Iahathus primus, Ziza secundus fuit: Iaus & Baria, qui non multos habuere filios, pro una censi sunt familia. Cahathi filij fuere quatuor, Amramus, Isaar, Hebron, & Oziel. Amrami porrò, Aharon & Moses. Aharon unà cum filijs destinatus est in perpetuum consecrādo sanctiori sanctuario, ad Iouæ suffiendum atque ministrandum, & eius celebrandum nomen in sempiternum. Mosis filij, hominis diuini, recensiti sunt in tribu Leuitica, qui fuere Gersomus & Eliezer. Gersomi Sabuel primus, Eliezeri Rohobias primus, nec habuit Eliezer alios. Rohobiæ filij permulti fuerunt. Isaaris fuit Solomithus primus: Hebronis primus Ierias, secūdus Amarias, tertius Iahaziel, quartus Iecameamus. Ozielis filij fuere, primus Micha, secundus Iesia. Meraris filij fuere Moholis & Musis. Moholis, Eleazarus & Cis. Eleazarus obijt sine filijs: tantum filias habuit, quas duxere Cis filij, earū cognati. Musis filios habuit tres, Moholim, Ederum, & Ieremothum. Hi fuere Leuis filij, patriarum autores familiarum, ad nominum numerum recensiti uiritim, qui uigesimum excedentes annum opus in munere templi Iouæ facerent. Statuerat enim Dauid (quoniam Ioua Israelitarum Deus suum populum quietū reddidisset, isq; Hierosolymis permansurus esset perpetuò) Leuitis quidem non esse deinceps portādum tabernaculū, & eius operationis omne instrumentū. Nam ultimo iussu Dauidis is est numerus institutus Leuitarum, qui uiginti annis essent maiores: qui Aharonis filijs subditi, in æde Iouæ operarentur, in atrijs, D
in cellis, in omnium purificatione sacrorum, & in diuini templi munere obeundo: tum ad panem ordinariū, ad similam, ad fertum, ad crustula non fermentata, ad sartaginem, ad patellam, ad omnes mensuras & dimensiones: tum ut adessent singulis matutinis ad Iouam celebrandum atque laudandum, itidemq; uespertinis: utq; Iouæ omnia facerent solida sacrificia in sabbathis, nouilunijs, & solennibus, pro instituto eorum numero atq; ritu perpetuo apud Iouā: quiq; oracularis tabernaculi, & sacrarij, & Aharonis filiorū suorum consanguineorum curam gererent, ad operationem templi Iouæ.

Exod.2.a Exo.6.c Hebr.5.b

Exod.2.d C

CAPVT XXIIII.

AHaronis autem filiorum classes sic habēt. Aharonis filij fuerant Nadabus, Abius, Eleazarus, & Ithamarus. Sed mortuis Nadabo & Abiu præsente patre, nullis superstitibus filijs, sacerdotium cæperunt Eleazarus & Ithamarus. Eleazaro Sadocus, Ithamaro Abimelechus prognati sunt: quos Dauid in eorum muneris uices diuisit, & ita diuisit, ut quoniam eis uiritim recensendis plures extabant Eleazari posteri, quàm Ithamari, statueret ex Eleazarianis familiarum principes sexdecim: ex Ithamarianis octo. ¶ Diuisi sunt autē sortibus inter se, qui essent sacrarij, diuinarumq; rerū principes, Eleazaro & Ithamaro prognati. Eos descripsit Semeias Nathanaelis filius, scriba Leuiticus apud regem & apud principes, & Sadocus pontifex, & Abimelechus Abiatharis filius, & patresfamiliâs sacerdotum Leuitarumq;: ita ut Eleazaro binæ, Ithamaro singulæ

Aharoniorū classes. Leui.10.a

B

 ascribe-

ascriberetur familiæ. Obtigit autem prima sors Ioiaribo, secunda Iedaiæ, tertia Harimo, quarta Seorimo, quinta Melciæ, sexta Mijamini, septima Hacozo, octaua Abiæ, nona Iesuæ, decima Secheniæ, undecima Eliasibo, duodecima Iacimo, decimatertia Hopphæ, decimaquarta Iesebeabo, decimaquinta Belgę, decimasexta Emmero, decimaseptima Heziro, C decimaoctaua Happiseso, decimanona Phethaiæ, uigesima Hezecheli, uigesimaprima Iachini, uigesimasecunda Gamuli, uigesimatertia Dalaiæ, uigesimaquarta Maaziæ. Hoc maximè ordine destinati sunt muneri suo ad uentitandum in Iouæ templum, ut eorum ritus ferebat, præsidente eorum patre Aharone, ut ei præceperat Ioua Deus Israelitarum. Ex reliquis Leuis filijs, & Amrami filijs, erat Subael, ex Subaelis Iehedeias. Rohobiæ filiorum primus Iesias. Isaaris Solomothus. Solomothi Iahathus,[a] cuius filij fuere Ierias primus, Amarias secundus, Iahaziel tertius, Iecameamus quartus. Ozielis filius fuit Micha. Michæ filius Samir, frater autem Iesias. Iesiæ filius Zacharias. D Meraris filij, Moholis & Musis. Iaaziæ Beno. Merari prognati sunt ex Iaazia Beno, Sohamus, Zaccur, & Hebris. Ex Moholi Eleazarus: qui filios non habuit. Cis filius fuit Ierameel. Musis filij fuere, Moholis, Eder, & Ierimothus. Hi fuerunt Leui prognati, familiarum autores, qui & ipsi iecere sortes cum suis consanguineis Aharonijs, coram Dauide rege, cum quidem Sadocus & Achimelechus, & sacerdotalium Leuiticarum'que familiarum principes, essent præcipui patres familiarum, cum suis cognatis natu minoribus comparati.

a hic ueterem uersionem secutus sum.

CAPVT XXV.

Sacri cantores.

SEcreuit autem Dauid, & exercitus duces, ad munus obeundum, filios Asaphi, Hemanis, & Ieduthunis, uaticinantium in citharis, nablis, & cymbalis, quorum hominum qui sui muneris opere fungerentur, numerus[a] fuit. Asaphi filij fuere Zaccur, Iosephus, Nathanias, & Asarela, qui Asapho sub rege uaticinanti suberant. Ieduthunis filij fuere Godolias, Seris, Esaias, Hasabias & Mathathias, qui[b] sex patri suo Ieduthuni suberant, in cithara uaticinanti, Iouam celebrando atque laudando. Hemanis filij fuere Boccias, Mathanias, Oziel, Sabuel, Ieremothus, Ananias, Hananis, Eliatha, Giddalthis, Romamthiezer, Iosbecassa, Mallothis, Hothir, & Mahaziothus. Hi omnino fuerunt Hemanis filij, fatidici regij, in dictis diuinis, ad euehendum cornu, quos quatuordecim filios dedit Deus Hemani, & filias tres. Hi omnes patri suo subditi, canebāt in templo Iouæ cymbalis, nablis, & B citharis, ad diuini templi munus: præsidentibus rege, & Asapho, & Ieduthune, & Hemane. Horum inquam, & simul eorum cognatorum, Iouanum carmen edoctorum, omniū peritorum, numerus fuit ducenti octogintaocto: qui iactis sortibus inter se, procurationem partiti sunt, minores pariter ac maiores, iunctis peritis cum discipulis. C Prima sors Asaphanorum obtigit Iosepho. Secunda Godoliæ. Tertia Zaccuri. Quarta Isaari. Quinta Nathaniæ. Sexta Boccię. Septima Asarelę. Octaua Esaię. Nona Mathaniæ. Decima Semei. Vndecima Azareli. D Duodecima Hasabiæ. Decimatertia Subaeli. Decimaquarta Mathathiæ. Decimaquinta Ieremotho. Decimasexta Ananiæ. Decimaseptima Iosbecassæ. Duodeuigesima Hanani. Vndeuigesima Mallothi. Vigesima Eliathæ. Vigesimaprima Hothiri. Vigesimasecunda Giddalthi. Vigesimatertia Mahaziotho. Vigesimaquarta Romamthiezero: qui omnes, cum suis quisque filijs & cognatis, erant duodeni.

a uidelicet 288. ut postea dicitur.

b deest unus.

CAPVT XXVI.

Ianitorum classes.

QVod ad ianitorum classes attinet, ex Coranis erat Meselemias Coræ filius, Asapho natus. Meselemiæ filij fuere Zacharias primus, Iediael secundus, Sabadias tertius, Iathniel quartus, Elamus quintus, Iohānes sextus, Elioenais septimus. Obededomo filij fuere, Semeias primus, Iosabadus secundus, Ioa tertius, Sachar quartus, Nathanael quintus, Ammiel sextus, Issachar septimus, Phollethais octauus: eum enim fœcundauit Deus. Eius filio Semeiæ nati sunt filij, suæ patriæ familię dominatores: erant enim uiri egregij. Fuerunt igitur Semeiæ filij, Othnis, Raphael, Obed, Elzabadus: cuius cognati erāt uiri fortes, Elius & Samachias: qui omnes Obededomo prognati, eorum'que filij & consanguinei, homines egregij, & ad munus obeundum robusti, erāt sexaginta duo Obededomani. Meselemias filios & fratres habuit, uiros egregios, octodecim. Hosa Merari prognatus filios habuit, B Semrim primū (quanquam is non erat primogenitus, sed ei pater dederat principatū) Helciam secundum, Tebaliam tertium, Zachariam quartum: summa Hosæ tum filiorum tum cognatorum erat, tredecim. His fortium principibus id in Iouæ templo mandatum ministerium est, ut procurationes cum suis partiti fratribus, ianitorum uices obirent. Igitur iactis per familias sortibus, minores pariter ac maiores sortiti sunt portas. Atque orientalis quidem sors euenit Selemiæ: eius autem filio Zachariæ prudenti consiliario, iactis sortibus, obtigit septentrio. Obededomo meridies: eius autem filijs euenit curia. Suphimo & Hosę occidentalia, cum porta emissarij, in semita cliuosa, custodijs inter se comparatis. Ad orientem Leuitæ sex, ad septētriones per diem quatuor, ad meridiem per diem quatuor, ad curiam autem bini. Ad armarium occidentale quatuor, ad semitam duo, ad armarium. C In hunc modū distributi sunt ianitores ex Coranis & Merarensibus. Ex Leuitis, Achaias diuini templi & sacrorum thesauris præerat. A' Leedane Gersonita natus est autor familiæ Iehielis: cuius filij, Zethamus, & Ioel eius germanus, thesauris templi Iouæ preerant. De Amramanis, de Isaarianis,

rianis, de Hebronensibus, de Ozielinis [a] Sebuel autem Gersomo Mosis filio prognatus, erat quæstor ærarius. Eius fratris Eliezeri filius fuit Rahabias, nepos Esaias, pronepos Ioramus, abnepos Zechris, atnepos Solomithus. Is Solomithus, eius'que fratres, præerant omnibus thesauris sacrorum, quæ consecrauerant Dauid rex, & familiarum principes, tribuni & centuriones, & cæteri duces exercitus, id'que ex bellis & manubijs, ad instaurandum Iouæ templum. Omnia etiam à Samuele uate, & Saulo Cis filio, & Abnere Neris, & Ioabo Saruiæ filio: omnia denique consecrata administrabantur à Solomitho, & eius fratribus. Ex Isaarianis Chonenias & eius filij præerant Israelitarum operi [b] externo: erant'que magistratus & iudices. Ex Hebronensibus, Hasabias & eius cōsanguinei, milites mille septingēti, procurationem habebant Israelitarum transiordaninorum, ad occidentem, tum quod ad omne Iouæ opus, tum quod ad regia munia pertinebat: quorum Hebronensium stirpis & familiarum princeps erat Iedias Hebronensis. quibus Hebronensibus anno regni Dauidis quadragesimo conquisitis, inuenti sunt in eis milites apud Iazer Galaaditarum, ij'que Iediæ consanguinei, duo millia septingenti familiarum primarij, quos Dauid rex Rubenitis, & Gaditis, & dimidiæ Manassensium tribui præfecit, ad omnia uel diuina uel regia obeunda negocia.

a imperfecta est oratio.

D

b profano.

CAPVT XXVII.

EX reliquis autem Israelitis certus erat numerus primariorum familiarum, & tribunorum, & centurionum, eorum'que magistratuum, qui regi ministrarent in omnibus classium muneribus, quæ per uices in singulos anni menses circumagebantur, quarum singularum classium erāt millia uicena quaterna. Primæ clasi mensis primi præerat Iasobeamus Zabdielis filius, à Phare genus ducens, omnium exercitus ducum primarius. Secundi mensis clasi præerat Dodais Ahohita, duce classis Macelotho. Tertij exercitus tertio mense princeps erat Banaias Ioiadæ filius, pontifex: is qui non solum illorum triginta fortissimus erat, uerùm etiā illis prærerat, duce classis eius Ammizabado eius filio. Quartus mense quarto erat Asael Ioabi frater, uicario Zabadia eius filio. Quintus mense quinto princeps Samahothus Iazeraensis. Sextus mense sexto Ira Accis filius, Thecuanus. Septimus mense septimo Heles Phalloniensis, ad Ephraimum genus referens. Octauus mense octauo Sobachais Husathitha Zaranus. Nonus mēse nono Abiezer Anathothensis, Iemini prognatus. Decimus mense decimo Maharais Netophathita, Zaranus. Vndecimus mense undecimo Banaas Pharathonius, ab Ephraimo ortus. Duodecimus mense duodecimo Heldais Netophathita, Othonielinus. Horum singulæ classes uicena quaterna millia continebat. Tribuum autem Israeliticarum duces erant, Rubenensis Eliezer, Zichris filius. Simeoniæ Saphatias Maachæ. Leuiticæ Hasabias Camuelis. Aharoniorum Sadocus. Iudææ Elius, ex Dauidis consanguineis. Issacharianæ Amris Michaelis filius. Zabuloniæ Iesmaias Abdiæ. Nephthalensis Ieremothus Azrielis, Ephraimitarum Hosea Azaziæ. Dimidiæ Manassensium tribus Ioel Phadaiæ. Alterius dimidiæ Galaaditicæ Iaddo Zachariæ. Beniaminensis Iasiel Abneris. Danensis Azarel Ierohami. Hi erant tribuum Israelitarum principes. Sed eorum summam non fecit Dauid, qui erant uiginti annis minores: cum dixisset Ioua, sese Israelitas ad cœlestium stellarum numerum esse multiplicaturum. quos Ioabus Saruiæ filius numerare quidem cœpit, sed non pernumerauit: ob eam'que rem cum sæuitum esset in Israelitas, non est numerus relatus in rationes annaliū regis Dauidis. ¶ Fisco regis præerat Asmothus Adielis filius. Rusticano autem oppidorum & pagorum castellorum'que fisco, præpositus erat Ionathan Oziæ filius. Rusticis agriculturæ operis præerat Ezris Chelubi filius. Vineis Semeis Ramathensis. Rem uinariam à cellis uinarijs procurabat Zabdis Siphmius. Oliueta & ficeta campestria Baalhanan Gederiensis. Cellas olearias Ioas. Boues in Sarone pascentes Setrais Saronius. Boues in uallibus pascentes Sophatus Adlais filius. Camelos Obil Ismaelita. Asinas Iadias Meronothensis. Oues & capras Iazis Hagarenus. Hi omnino fuere præfecti rei Dauidis regis. Ionathan Dauidis patruus erat consiliarius, uir prudens & literatus. Iehiel Hacmonis filius erat cum regis filijs. Achitophel regius consiliarius. Chusæus Arachius erat regis familiaris. Achitophelis uicarij erant, Ioiada Banaiæ filius, & Abiathar. Regij exercitus dux erat Ioabus.

Rerum administratores Dauidis.

B

C

D

CAPVT XXVIII.

COnuocauit autem rex Dauid Hierosolymam omnes Israelitarum principes, & tribuum & classium, qui regi ministrabant, tribunos'que & centuriones, & omnes tum sui, tum suorum filiorum rei & facultatum procuratores, cum spadonibus & fortissimis quibusque atque militibus: eos'que, cum in pedes assurrexisset, sic allocutus est: Audite me mei cōsanguinei atque populares. Cùm mihi esset in animo requietis ædem construere arcæ fœderis Iouæ, & scamno pedum Dei nostri, iam'que ædificij apparatum fecissem, negauit Deus me suo nomini ædem esse constructurum, qui uir essem militaris, sanguinem'que fudissem. Cum'que me Ioua Deus Israelitarum ex omni mea stirpe paterna delegerit, qui rex essem Israelitarum in perpetuū (nam & ex Iudæis ductorem elegit, & ex Iudæa stirpe meam domum patriam, & porrò ex mei patris filijs libuit ei me omnium regem Israelitarum constituere) ex meis omnibus filijs, quos mihi multos Ioua largitus est, Solomonem filium meum delegit, qui in Israelitico Iouani regni solio sedeat: mihi'que

Dauid ad suos de construēdo templo, Deo'que colēdo uerba facit. 3. Reg. 7. b

Sap. 8. b

B

 significauit,

significauit, hunc Solomonem filium meum
B ipsius esse templum & atria constructurum. sese enim eum sibi delegisse filium, se'que ei futurum patrem, & eius regnum in perpetuum esse confirmaturum sine dubio: si modò is operam dederit, ut ipsius præcepta & iura exequatur. Quamobrem spectantibus omnibus Israelitis, quæ Iouæ ciuitas est, & audiente Deo nostro, curate, ut omnibus Iouæ Dei uestri præceptis studeatis, quo tam bonã terram & possideatis ipsi, & posteris uestris hæreditariam relinquatis in perpetuum. Et tu Solomo, fili mi, cognosce tui patris Deum, ei'que syncera mente libenti'que animo seruito. Nam omnium mentes perscrutatur Ioua, omnium'que cogitationum conata perspicit: quem si quæsiueris, inuenietur tibi: sin deserueris, abijciet te in perpetuum. Vide nunc, ut cum te Ioua ad ædem sanctuarij construendam delegerit, fortiter te geras. Dedit autem Dauid Solomoni filio suo exemplar porticus, eius'que ædicularum & cellarum, & cubiculorum, & interiorum

Dauid Solomonem docet.

C conclauium, ædisq; propitiatorij. ¶ Tum exemplar omnium, quæ habebat in animo, atriorum templi Iouæ, & omnium undique exhedrarum, ad diuini templi & consecratorum repositoria, tum ad sacerdotum Leuitarumq; classes, & ad omne opus, omnem'que supellectilem in opere muneris templi Iouæ adhibendam. Auri quoque certum pondus dedit, ad omnem diuersi ministerij supellectilem, certum'que argenti pondus ad omnia uasa, & ad omne uarij operatus instrumentum. Item'que

Dauidis apparatus ad templi ædificationem.

D certum pondus auri ad aurea candelabra, quæ suas quæque lucernas aureas haberent, & argenti ad argentea, eorum'que itidem lucernarum, prout cuiusque candelabri munus postularet. Item certum auri pondus ad mensas ordinarias, prout ad quamque mensam opus esset, & argenti ad argenteas: tum ad fuscinas, ad phialas & pateras, aurum purum, & ad crateres tum aureos tum argenteos, certum auri argenti'que pondus, ad cuiusque crateris rationem. Præterea ad aram suffitoriam certum auri purgati pondus, & ad exemplar quadrigæ aureorum Cheruborum, quorum expansis alis arca fœderis Iouæ obtegeretur. Atque horum omnium operum exemplar, dixit se Dauid ex ipsius Iouæ manus' descriptione didicisse. Præsta te fortem & constantem (inquit, Solomonem filium alloquens) & intrepidum atque impauidum præbe: nam Ioua Deus, Deus meus, tibi adest, nec te deseret aut relinquet, quin omne muneris templi Iouæ opus absolueris. Adfuturæ sunt tibi ad omne templi munus classes sacerdotum & Leuitarum, necnon in omni opere omnes eius rei periti ultro ad omne munus suam tibi præstabunt operam, & principes omnis'que populus tuis omnibus parebunt imperijs.

CAPVT XXIX.

DEinde ad omnem concionem loquens rex Dauid, inquit: Solomonem filium meum unum elegit Deus, puerũ & tenellum, cum tamen magnum sit opus: non enim hominis palatium erit, sed Iouæ Dei. Equidem pro uiribus meis præparaui ad Dei mei templum aurum ad aurea, argentum ad argentea, æs ad ærea, ferrum ad ferrea, ligna ad lignea opera: onychas gemmas, & cælaturæ aptas, tum fucatas & uersicolores, denique magnam copiam omnis generis preciosorum lapidum atque marmoris. Præterea (ut sum erga Dei mei templum bene animatus) habeo auri argenti'que peculium, quod ad Dei mei templum dono, præter ea omnia quæ ad ædem sacrarij præparaui, tria millia talentorũ auri ophi- B
riensis: & septem millia talentorum argenti perpurgati, ad ædium parietes incrustandos: breuiter, aurum ad aurea, & argentum ad argentea, & ad omnia ab artificibus faciẽda opera, tum si quis erit hodie qui ultrò Iouæ conferat. ¶ Tũ principes familiarum & tribuum Israeliticarum, tribuni'que & centuriones, necnon regij operis præfecti, sua sponte dederunt ad opus diuini templi, auri talentorum quinque millia, drachmarum decem millia, argenti talentorum decem millia, æris talentorum octodecim millia, ferri talentorũ centum millia. Præterea quibus suppetebant gemmæ, dederunt ad thesaurum templi Iouæ, in manum Iehielis Gersonitæ. Quę quidem eorum uolun- C
taria liberalitas, qui tam syncera mente Iouæ contulissent, magnam cùm cęteris uoluptatem attulit, tum Dauidi regi. Itaque sic Iouæ gratias egit in oculis totius concionis: Ago tibi gratias immortales, Ioua Deus Israelis parentis nostri: Tua est, ô Ioua, magnitudo, & potentia, & maiestas, & dignitas, & autoritas, denique omnia & cœlestia & terrestria tua sunt: tuum est, Ioua, regnum, & supra omnia excellens principatus. A te & diuitiæ proficiscuntur, & gloria: tu dominaris omnibus: tibi in manu uires sunt, & potentia: tibi in manu est & magnum facere, & confirmare quemlibet. Quare nos te, Deus noster, celebramus, tuum D
præclarum collaudantes nomen. Enimuerò quis ego sum, aut qui sunt mei, ut ad hæc ultrò tibi conferenda uires impendamus? nam à te sunt omnia, & à te accepta tibi referimus. Etenim peregrini sumus nos apud te, & inquilini, sicut omnes maiores nostri: est'que nostra in terris ætas quasi umbra quædam desperata. O Ioua Deus noster, hæc copia, quam nos ad templum tibi tuoq; sacro nomini construendũ comparauimus, omnis à te profecta, omnis tua est. Equidem cum sciam, mi Deus, te mentes explorare, & probitate delectari, ego, bono certè animo, & hæc omnia sponte contuli: & nunc tuos, qui hic adsunt, ultrò tibi conferentes libenter uidi. Ioua Deus Abraha- E
mi, Isaaci, & Israelis, maiorum nostrorum, tuere perpetuò hanc tuorum uoluntatis atq; mentis affectionem, eorumq; animos erga te compone. Item'que Solomoni filio meo integram mentem da, ut tua præcepta, monita & placita obeat, omnia'que exequatur, & præparatum à me delubrum construat. Hæc locutus Dauid,

Dauid in cócione exponit, quid ad templũ præparauerit.

Israelitarũ diuites ad templi con structionẽ conferunt.

Iouæ gratias agit Dauid, orans, ut Solomoni adsit in construendo fano.

Sap.2.b

Dauid, omnẽ concionem hortatus est, ut Iouæ Deo suo gratias agerent. & illi uniuersi Iouæ maiorum suorũ Deo gratias egerunt, Iouamq; & regem summisse uenerati sunt, & Iouæ rem diuinam fecerunt, eiq; solidis sacrificijs hostias immolarunt postridie eius diei, tauros mille,
F arietes mille, oues mille, cum eorum uini libatione, & præterea magnam uictimarũ copiam, omnium Israelitarum nomine: eoq; die apud Iouam ingenti cũ lætitia epulati, Solomonem
Solomo rex creatur. Dauidis filium iterũ regem creauerũt, eumq; Iouanum ducẽ, & Sadocum pontificem unxerunt. Ita sedit in solio Iouano rex factus Solomo pro Dauide patre suo, & quidem feliciter: eiq; paruerunt omnes Israelitæ, & omnes tum principes tum milites: necnon omnes Dauidis
3.Reg.1.c regis filij, Solomoni regi manus dederunt, eiq; Ioua ingenti apud omnes Israelitas dignitate aucto, tantam regni conciliauit autoritatem, quanta nullius ante eum fuerat regis Israelitarum.
G Dauid igitur Isæi filius, qui regnũ tenuerat in omnes Israelitas, cùm regnasset in Israeli-
3.Reg.1.c tas annos quadraginta, uidelicet Hebrone septem, Hierosolymis tres & triginta, mortuus est in canicie felici, ætatis diuitiarumq; plenus & gloriæ: cui successit in regnũ filius eius Solomo. Cæterùm Dauidis regis gesta à primis ad ultima, scripta extant in libro Samuelis uatis, & in libro Nathanis uatis, & in libro Gadi fatidici, unà cum omni eius regno, atq; potentia, & temporibus, quæ tum ei & Israelitis, tum omnibus orbis terrarum regnis acciderunt.

PARALIPOMENON
Liber secundus.

CAPUT I.

3.Reg.3.a Solomo tabernaculũ Gabaone petit.



ITA confirmatus in regno suo Solomo Dauidis filius, & Iouam Deum suum propitium habẽs, ab eo quoq; dignitate auctus, iussit omnibus Israelitis tribunis, centurionibus, iudicibus, omnibus denique aliquo apud quoscunq; Israelitas honore fungẽtibus familiarum primarijs, ut adessent: cumq; omni illo cõuentu Gabaonem ad sacellum profectus est. Erat enim illic diuinum oraculorum tabernaculum, quod Moses Iouæ seruus fecerat in desertis: nam diuinã quidem arcam deportauerat Dauid Cariathiarimo, in locũ ei à se destinatum:
B siquidem tabernaculũ ei Hierosolymis teten-
Exod.38.a derat. Sed cum ænea ara à Beselele Vris filio, Huris nepote, facta, illic esset ante Iouæ tabernaculum, petijt inde Solomo, unà cũ illo cœtu, oraculum. Cum'que illuc ad aram æneam Iouæ apud oraculorũ tabernaculum appositã profectus, mille solidas hostias ad eam immolasset, apparuit ei Deus ea nocte, iussit'que ut posceret quod sibi uellet ab ipso dari. Et Solomo sic Deũ allocutus est: Postquam tu tanto Da-
uidem patrem meum affecisti beneficio, ut me pro eo regem creares, peto à te, Ioua Deus, ut Dauidi patri meo promissa præstes: & mihi, *Solomo sapientiam à Ioua postulat.*
quem populi puluere numerosioris regem constituisti, tantam sapientiam scientiamq; largiaris, ut huius populi res administrare possim. C *1. Par.28.& Sap.9.b*
Alioquin quis hunc tuum tam ingentem populum gubernet? Et Deus ita Solomoni respondit: Quoniam ista mente præditus nõ modò diuitias, opes, gloriam, aut hostium tuorum necem, sed ne longam quidem ætatem postulas, sed tibi sapientiam atque scientiam petis, qua meos, quorum ego te regem creaui, regas: non solum sapientia tibi scientia'que datur, uerumetiam tantas tibi diuitias, opes, gloriam conciliabo, quantis nemo regum neque ante te præditus fuit, neque post te futurus est. D
¶ Igitur Hierosolymam reuersus Solomo, ab oraculorum tabernaculo, quod Gabaone erat in sacello, regnauit in Israelitas: aucto'que quadrigarum & equitum numero, habuit quadrigas mille quadringentas, equitum autem duodecim millia, *Solomonis diuitiæ. 3.Reg.10.d* quos partim in oppidis quadrigarijs, partim apud se Hierosolymis disposuit. Iam uerò & argentum atq; aurũ Hierosolymis præbebat rex perinde ac lapides & cedros, tanta copia, quãta si cãpestres essent caprifici. Equorum autem, qui Solomoni ex Aegypto addu- *3.Reg.10.d*
cebantur, hæc erat ratio, ut regiorum mercatorum societas, equorum multitudinem precio compararet. Addicebatur autem ex Aegypto abducenda quadriga una sexcentis argenteis, hoc est, singuli equi centenis quinquagenis: eodem'que pacto ab omnibus Hettæorum & Syrorum regibus, mercatorum opera adducebantur.

CAPUT II.

CVm statuisset autem Solomo & tẽplum nomini Iouæ, & sibi regiam construere, destinauit septuaginta hominũ millia, qui baiularẽt, & octoginta millia qui lapides in monte cæderent, eorum'que præfectos tria millia sexcentos. Præterea Hyramo Tyriorum regi significauit in hunc modum: Quandoquidem tu ita cũ Dauide patre meo egisti, ut ei cedros mitteres ad construendas ædes, in quibus habitaret, scito me constructurum esse fanum nomini Iouæ Dei mei, ubi ei donaria consecrentur, ubi apud eum suffitus fiat odoratus, ubi ordinarij panes sint semper: fiant'que solida sacrificia matutina & uespertina Sabbathis, nouilunijs, & Iouæ Dei nostri solennitatibus, id quod apud Israelitas fiat in perpetuum. Est autem hoc construendum à me templum futurum ingens, quippe cum deorum maximus sit Deus noster: ad cuius construendum templum quis uirium satis habeat? Etenim cum illum cœli, cœlorum'que cœli non capiant, quis ego sum, qui ei templum construam? sed hoc facio ad suffiendum ei. Quamobrem mitte mihi uirum aliquem, elaborandi auri, argenti, æris, ferri, purpuræ, cocci & hyacinthi peritum, & qui sculpere sciat, unà cum peritis qui sunt apud me, partim in Iudæa, partim Hierosolymis,

Solomon ab Hyramõ Tyri regẽ artifices materiamq; petit ad templum. 3.Reg.5.a B

solymis, à Dauide patre meo præparati. Mitte mihi præterea cedrinam, pineam, piceæq; materiam ex Libano, ita ut mei cum tuis adsint, quos tuos scio cædendæ Libani materiæ peritos esse, ut ita ingens mihi paretur copia lignorum. Quod enim cõstructurus sum templum, ingens & admirabile futurum est. Ego tuis la-
C picidis & materiarijs præbebo tritici moliti cororum uicena millia, hordei tantundem: uini batorũ uicena millia, & olei tantũdẽ. ¶Ad hæc

Hyrami ad Solomonẽ responsio.

Hyramus Tyriorum rex Solomoni, missis ad eum literis, respondit in hunc modum. Propter amorem, quo suos prosequitur Ioua, te eis regẽ constituit. Gratias, inquit, ago Iouæ Israelitarũ Deo, cœlorum terrarumq; conditori, qui Dauidi regi filium dederit sapientem, & prudentia atq; industria præditum, qui & Iouæ templum, & sibi regiam construat. Itaq; tibi uirum mitto peritum & solertem, Hyramum Abium, Dania matre natum, patre Tyrio, hominem elaborandi auri, argenti, æris, ferri, lapidum, lignorum, purpurę, hyacinthi, byssi, & cocci
D peritum: necnon in omni genere sculpendi, & quoduis ingeniosum opus tractandi, quod ei unà cum tuis, dominiq; Dauidis patris tui peritis propositũ fuerit. Quamobrem quòd promittis triticum, hordeũ, oleum & uinum, mitte nobis, Domine: nos cæsam in Libano materiam, quantumcunq; tibi opus erit, tibi uehemus ratibus in mare Ioppicum: tu eam deinde Hierosolymam deportabis. Numerauit igitur Solomo omnes homines peregrinos, qui erant in Israelitarũ finibus, postquam eos iam numerauerat eius parens Dauid: cumq; inuẽti essent cẽtum quinquaginta tria millia sexcẽti, fecit ex eorum septuaginta millibus baiulos, ex octoginta millibus lapicidas montanos, ex tribus millibus sexcentis præfectos, qui cæterorum opus urgerent.

CAPVT III.

Solomo tẽplum ædificat. 3.Reg.6.a 2.Re.24.d 1.Para.21.d

Cœpit igitur Solomo templum Iouæ construere Hierosolymis in monte Moria, in eo loco qui eius patri Dauidi monstratus, & huic rei ab eo destinatus fuerat, in area Ornanis Iebusæi. Cœpit inquam construere secundi mensis die secunda, anno quarto sui regni: cuius diuini templi à Solomone cõstruendi eiusmodi fuit fundamẽtum, ut primæ dimensionis longitudo sexaginta cubitos patẽret, latitudo uiginti. Vestibuli autem longitudo templi latitudini à fronte respondens, uiginti patebat
B cubitos, altitudo centum uiginti: idq; intrinsecus puro obducebat auro. Maius templi membrum pinea intectum materie, auro probo incrustabat, & insuper palmas & catenas inducebat, templumq; precioso lapide tegebat. Erat autem aurum Paruaicum, quo templũ, trabes, postes, parietes, & ostia integebat, parietibus Cherubos insculpens. Faciebat item ædis sanctius sanctuarium, cuius longitudo templi latitudini respondens, erat uiginti cubitorum, latitudo totidem, quod auro probo inducebat,
C adhibitis ad id talentis sexcentis, clauis aureis quinquagenos siclos pendentibus, & cubicu-lis auro tectis. Faciebat & in ęde sanctioris sanctuarij Cherubos duos, opere impuberum simili, eosq; autro incrustabat. Alarum longitudo erat uiginti cubitorũ, uidelicet singularum quinq; cubitorum: quarũ alarum utriusq; Cherubi una hinc, altera hinc templi parietem attingebat: alteræ inter se cohærebãt. ¶His Che- D
ruborum alis in uiginti cubitos exporrectis, ipsi Cherubi in pedes astabant, uersi ad templum. Siparium quoq; faciebat ex hiacintho, purpura, cocco, & bysso, Cherubis exornatũ. Item ante templũ duas colũnas, trigintaquinq; cubitorum longitudine, quarum incrustata capita erãt quinûm cubitorum. Item catenas ad penetrale, quas columnarum capitibus imponebat, factis centum malis punicis, & ad catenas applicatis. Has columnas ante templi cellam erigebat, alteram à dextra, alterã à sinistra: dextra Iachin, sinistra Boaz nominata.

Mat.17.f Iere.52.e.f

CAPVT IIII.

Ara. Lacus fusilis. 3.Reg.7.c.d.e

Faciebat & aram æreã uiginti cubitos longam, totidem latam, decem cubitos altam. Item lacum fusilem, undiq; rotundum, distante altera labri parte ab altera decẽ cubitos, altum quinque cubitos, quem triginta cubitorum linea circumdaret. Hunc lacum subtus undique cingebant boum simulachra, in singulorũ cubitorum spacio dena, duplici ordine, eiusdem cum lacu conflaturæ. Lacus duodecim bubus superincumbebat: ita subiectis, ut eorum tres spectarent ad septentriones, tres ad occiden- B
tem, tres ad meridiem, & tres ad orientem, posterioribus omnibus partibus intrò spectantibus. Lacus erat crassitudine dodrantali, labro uernante rosis, quali fiunt opere labra poculorum, capiens batorum tria millia. ¶Faciebat & *Lauacra.*
lauacra decem: quorum quinq; ad dextram, & quinq; ad sinistram ponebat, in quibus ea lauarentur, quæ in sacrificijs lauanda forent. nam lacus quidem lauandis erat sacerdotibus destinatus. ¶Faciebat item aurea cãdelabra decem, *Candelabra.*
ut postulabat eorum ratio, quæ quina in cella, dextra sinistraq; ponebat. ¶Itẽ mensas decem, *Mẽse, &c.*
quas item in cella, quinq; ad dextrã, & totidem ad sinistrã ponebat, & phialas aureas centum. Faciebat & sacerdotũ atrium, & aream magnã ostijs munitam, foribus ęre incrustatis. Lacum C
autem collocabat ad dextrũ latus orientale, secundum meridiem. Faciebat item Hyramus cacabos, fuscinas, & phialas: absoluitq; opus, quod Solomoni regi ad diuinũ templum faciebat, uidelicet colũnas duas, & globos capitel- *Duæ colũnæ.*
lasq; summis columnis imposita: & fascias duas ad illos capitellorũ tegendos globos, & mala punica quadringenta ad duas fascias, uidelicet binos punicorũ ordines ad utramq; fasciã, ad tegẽdos duos capitellorũ globos, colũnis applicatos. Fecit & bases, & lauacra basibus imponenda, & lacum unum, & supponendos ei boues duodecim, et cacabos, & fuscinas, & tridentes. & omne harum rerũ instrumentum fecit Hyramus Abius Solomoni regi, ad templũ Iouæ, ex ære nitido. Atque hæc omnia in pla- D
nicie Iordanis conflauit rex in argillacea terra,

inter

inter Sochotha & Saredatham: atq; ea tot uasa ita fecit Solomo, ut æris pondus non sit uestigatum. Fecit igitur Solomo omne diuini templi instrumẽtum, aram auream, & mensas, quibus apposititij panes imponerentur: candelabra ex auro probo, & eorum lucernas ante penetrale de more accendendas, lilijs & lucernis: earũq; foculis auro factis, eoq; perfectissimo, necnon & musicis instrumentis, & phialis, & capedinibus, & thuribulis ex auro probatissimo. Quin & aditus templi fores interiores sanctioris sanctuarij, et cellę tẽpli fores erãt aureę.

CAPUT V.

Solomo arcam in templũ inferendam curat. *1.Reg.7.4.* *8.b*

IGitur Solomo, absoluto omni opere à se ad Iouæ templum facto, dicata Dauidis patris sui argentum, aurum, & omnia uasa, in diuini templi fiscũ intulit, & ibi reposuit. Deinde Israelitarum senatores, & omnes tribuũ primarios Israelitarũ familiarũ optimates, Hierosolymam cõuocauit ad arcã fœderis Iouæ ex urbe Dauidis, id est, Sione, efferendam. Ita conuocatis ad regẽ omnibus Israelitis, in festo quod est mẽse septimo, cùm eò conuenissent omnes Israelitæ senatores, sustulerunt arcam Leuitæ: necnon oraculare tabernaculum, & omnem sacram tabernaculi supellectilem: quibus sacerdotibus B Leuitis ea gestantibus, Solomo rex, & omnis Israelitarum cõuentus, ad eum apud arcã congregati, innumeram immensamq; ouium, caprarum, boum multitudinem immolabant. Intulerunt ergo sacerdotes arcam fœderis Iouæ in locum suum, in penetrale templi, in sanctius sacrarium, subter alas Cheruborũ. Nam Cherubi alas in arcæ locum porrigebant, eam'que supernè & eius uectes tegebãt, ita comparata uectium longitudine, ut eorum capita ad frontem penetralis ex arca extarent, neq; foris apC pareret. Atq; ibi adhuc est arca: neq; in ea quicquã est præter duas tabulas à Mose ibi positas in Horebo, tũ cùm Ioua cũ Israelitis ex Aegypto egressis fœdus percussit. Deinde egressis ex sacrario sacerdotibus (qui sacerdotes quotquot aderant, lustrati erant, nec ullam classium rationem obseruabant) Leuitæ cantores uniuersi, Asaphus, Heman, Ieduthun, eorum'que filij & cognati, bysso uestiti, cum cymbalis, nablis, & citharis aræ ab oriente astabant, unà cũ sacerdotibus centum & uiginti, qui tubis clangebant. Igitur cùm illi simul clangerent, canerent, unumq; sonitum efficerent, laudando & prædicando Iouam, & tubis, cymbalis, instruD mentisq; musicis personãdo, Iouamq; qui bonus & æterna præditus esset clementia, concelebrando: tanta nubes ædem Iouæ repleuit, ut præ ea non possent ad ministrandum manere sacerdotes: tantus Iouæ splendor diuinum templum repleuerat.

CAPUT VI.

1.Reg.8.b

TVm Solomo sic fatur: Ego tibi Ioua, qui tenebras inhabitare statuisti, commorandi domicilium & stationem, in qua semper habites, ædificaui. Deinde conuersus rex, & omni Israelitarum cœtui, qui astabat, beneprecatus, inquit: Grates ago Iouæ Deo Israelitarum, qui quod Dauidi patri meo uerbis promiserat, re præstiterit. Dixerat enim, se, postquam suum populũ eduxisset ex Aegypto, neque ullam ex ulla Israeliticarum tribuũ urbem templo cõstruendo, in quo suum nomen esset, destinasse: neque hominum quenquam, qui suorum Israelitarum rector esset, elegisse. Sed nunc & Hierosolymam, ubi suum nomen collocaret, & Dauidem, quẽ suis præficeret Israelitis, delegisse. Verùm cum Dauidi patri meo in animo esset, templum nomini Iouę Israelitarum Dei cõstruere: demonstrauit ei Ioua, quòd in animo haberet ipsius nomini templum construere, eũ rectè facere, qui eo animo esset. Verumtamen non ipsum, sed filium ex eius egressum lumbis, templum esse ipsius nomini constructurum. Hoc suum promissum Ioua præstitit. nam ego Dauidi patri meo successi, inq; Israelitico solio, sicuti Ioua promiserat, cõsedi, & nomini Iouæ Israelitarũ Dei templum construxi, ubi arcam, in qua est Iouæ fœdus, ab eo cum Israelitis ictum, reposui. ¶ His dictis Solomo ante aram Iouæ, passis in cœlum manibus, astans apud lauacrum æneum, quod quinque cubitos longum, totidem latum, tres cubitos altum fecerat, & in media collocauerat area, flexis genibus apud uniuersam Israelitarũ multitudinem sic locutus est: Ioua Deus Israelitarum, nullus tibi Deus par est, neque in cœlis, neq; in terris: qui fœdus conseruas, & clementia uteris erga tuos tibi tota mente obtemperantes: qui quidẽ tuo Dauidi patri meo fidem datam conseruaueris, quodq; uerbis promiseras, reipsa manifestè præstiteris. Quare, Ioua Deus Israelitarũ, præsta tuo Dauidi patri meo quod ei pollicitus es: scilicet facturum te, ut de eius stirpe non desit qui in Israelitico solio sedeat: si modò eius prognati ita uitam suam instituant, ut ex tua lege uiuant, quemadmodum ipse ad tuam uoluntatem uixisset. Nunc Ioua, Deus Israelitarum, præstetur quod tu tuo Dauidi promisisti. At enim habitabit scilicet Deus apud homines in terris? cum ipsi te cœli, cœlorumq; cœli, non capiant, nedum hoc cõstructum à me templũ? Verumtamen respice meas tui cultoris preces & supplicationem, Ioua mi Deus, exaudi obsecrationem & precationes quas ego tuus apud te facio, ut in hoc templum (quem locum tuo nomini collocando destinasti) oculos noctes dies'que apertos habeas, exaudita precatione, qua tuus ego ad hunc locum utor: & Israelitarum (qui tui cultores tuus'que sunt populus) supplicationes (quibus te ad hunc locum orabunt) ex cœlis (qui tuę habitationis locus est) exaudias: ijsq; exauditis, propitiere.

Solomo Iouæ gratias agit, qui Dauidi promissa præstiterit. B C *Solomonis precatio in dedicatione templi.* *2.Mac.2.b* D

Si quis in alterum aliquid commiserit, & ab eo in iusiurandum uocatus fuerit, id'que iusiurandum ad aram tuam in hoc templũ delatum fuerit, exaudito tu de cœlis: facitoq; tuis ut ita ius reddas, ut & nocẽte damnato, & innocente absoluto, huic sua innocentia, illi suis factis dignum præmium rependas.

Cum Israelitæ tui, clade ab hostibus propter suum

suum in te peccatum affecti, sese ad te conuertent, tuumꝗ nomen celebrabunt, & te suppliciter hac in aede orabunt, exaudito de cœlis, & tuorum Israelitarum peccato ignoscito: eosꝗ in terram, quam eis & eorum maioribus dedisti, reducito.

Cum clauso cœlo, desiderataꝗ pluuia propter eorum in te peccatū, precabuntur ad hunc E locum, tuumꝗ nomen collaudabunt, & te eos affligente, à suis peccatis recedent, audito de cœlis: tuorumꝗ seruorum, & tui Israelitici populi peccato ignoscito, eos in rectā uiam, qua gradiantur, dirigens: pluuiaꝗ terram tuam irrigato, quā tuis dedisti possidendam. ¶ Fames si hos fines inuaserit, si pestis, si ardores, si rubigo, si locustæ, si uastitas incesserit, si ab hoste sua in patria obsidebuntur, deniꝗ quæcunque clades aut morbus erit, omnes precationes, omnes supplicationes, quæ ab ullo hominum, quæ ab ullo tuorum Israelitarū fient, qui suum uulnus & dolorē sentiens, palmas suas ad hanc ædem extendet, audito de tuo cœlesti domicilio atꝗ sede: ignoscitoꝗ, & suis cuique digna factis reddito, prout eius mentem cognitam habebis (nam tu solus omniū mortaliū mentes perspicis) ut te metuētes, tibi pareāt, quandiu uiuent in terra à te maioribus nostris data.

Infr.20.b

F Quinetiam si extranei, & à tuis Israelitis alieni, audito tuo tam præclaro nomine, manu que forti, & extento brachio, uenerint ob tuū nomen, ex finibus remotis, & ad hanc ædem precati fuerint, audito de cœlo tuæ sedis domicilio, & extraneis illis postulata omnia conceditο: ut omnes terrarum nationes tuo nomine cognito, te uereantur, sicut Israelitæ tui: utꝗ sciatur, hanc à me cōstructam ædem à nomine tuo censeri.

Si tui ad bellum in hostes profecti, quò tu eos miseris, Iouam orauerint uersus urbem hāc à te delectam, uersusꝗ ædem à me tuo nomini constructam, exaudito de cœlis eorum preces atꝗ supplicationes, eorumꝗ causam agito.

Si cum in te peccauerint (nemo est enim qui non peccet) tu offensus, eos hosti addixeris, in hostilem terram, siue remotiorem, siue propiorem, in captiuitatem abducendos, & ea in terra, in qua captiui erunt, mutatis animis, ad te G supplicandum sese conuerterint, suum peccatum, culpam, scelusꝗ cōfitentes, atꝗ ad te tota mente, totoꝗ animo conuersi, in eorū finibus, apud quos erunt captiui, te precati fuerint uersus terram quam eorum dedisti maioribus, uersus urbem quam delegisti, uersus ædem quam ego tuo nomini ædificaui, audito de cœlis, tuæ sedis habitatione, illorum preces atꝗ supplicationes, eorumꝗ causam agito, & tuis commissum contra te peccatum ignoscito. Nunc, mi Deus, habe & oculos apertos, & aures attentos ad precationes huius loci. Age iam, Ioua Deus, inuade in requietem tuā, unà cum arca tuæ fortitudinis: induant, ô Ioua Deus, tui sacerdotes salutem, & tui pij lætentur in bono. O Ioua Deus, noli tuum Unctum auersari: recordare pietatem tui Dauidis.

3.Reg.8.e
Eccl.7.c
1.Ioan.1.d
Psal.131.c

CAPUT VII.

Postquam Solomo precandi finem fecit, delatus ignis de cœlo, & solidi sacrificij & reliquas hostias cōsumpsit: tātusꝗ Iouæ splendor templum repleuit, ut præ eo splendore sacerdotes in Iouæ templum intrare nō possent. Hunc ignem deferri, & Iouæ splēdorem super templo uidentes uniuersi Israelitæ, demissis ad terræ solum uultibus adorarunt, & bonum Iouam, æternaꝗ præditum clementia celebrauerunt. Tum rex totusꝗ populus apud Iouam sacrificium fecerunt: immolauitꝗ Solomo rex boum uigintiduo millia, ouium & caprarum centum uiginti millia: atꝗ ita diuinū templum dedicauere rex & uniuersus populus, sacerdotibus interea suo munere fungentibus, & Leuitis musicis Iouæ instrumentis utentibus, quę fecerat Dauid rex ad Iouam æterna præditum B clementia celebrandum: & per quę ipse laudes dicebat, sacerdotibus apud eos clangentibus, & uniuersis Israelitis astantibus. ¶ Cōsecrauit etiam Solomo medium atrium ante Iouę templum positum, quoniam ibi solida sacrificia & adipibus pro salute fecit: quòd facta ab eo ara ænea uictimas, & fertum, & adipes capere non poterat. Fecit autem Solomo eo tempore septemdiale festum, unà cum omnibus Israelitis, quorum ingēs erat multitudo, qui quà ab Hematha ad Aegyptiū fluuium terra patet, conuenerant. Octauo die habitæ sunt feriæ: nam aræ dedicatio durauit per septē dies, & festum item septem dies. Deinde uigesimotertio die mēsis septimi dimisit homines domū, gaudentes, animisꝗ lętos, ob beneficiū quo Ioua Dauidem & Solomonem Israelitasꝗ suos affecerat.

Solomo litat.
2.Mac.2.c
3.Reg.8.g

Postquam Solomo Iouæ templū, & regiam, & quicquid ei tum in Iouę templo, tum in ędi- C bus suis, facere uenerat in mentē, feliciter absoluit, apparuit ei Ioua noctu, & ita dixit: Exaudiui tuas preces, istumꝗ mihi locum sacrificij domiciliū delegi. Si clauso cœlo imbrem compressero, aut locustis terram uastare iussero, aut meis pestem immisero: si mei, qui à meo nomine nuncupantur, sese summiserint, correctisꝗ prauis suis moribus, me precati fuerint, meāꝗ requisiuerint præsentiam, ego de cœlis exaudiam, & condonato peccato, eorum terræ medebor. Igitur ad istius loci preces, & oculos apertos, & aures attentas habebo: iamꝗ ædem istam delegi atꝗ cōsecraui, ut ibi meum sit nomen in perpetuum: ibi & oculos & mentem semper habeam. Quòd si tu Dauidis tui patris exemplo ex meo præscripto uixeris, omniaꝗ tibi à me præcepta exequens, mea decreta & D sententias conseruaueris, ego tui regni solium stabiliam: quemadmodū Dauidi patri tuo pactus sum, nō defuturum de eius stirpe qui imperet Israelitis. Sin autē uos immutati, relictis meis decretis & præceptis, uobis à me propositis, uos ad aliorum deorum seruitiū cultumꝗ contuleritis: ego & homines ex terra eis à me data extirpabo, & templū istud, quod nomini meo consecraui, reijciam à me, & in prouerbiū fabulamꝗ apud omnes nationes conuertam, ita ut

3.Reg.9.a
Ioua Solomoni dicit, se eius audiuisse preces.

ita ut templum istud, quod fuerit singulare, sit omnibus prætereuntibus stupori: quærantque quam ob causam Ioua sic affecerit terram istam atque templũ. Quibus respondebitur, quoniam relicto Ioua Deo maiorum suorum, qui eos ex Aegypto eduxisset, dijs alijs sese cõiunxerint, eosque adorauerint, atque coluerint: propterea illum eis illa tot importasse mala.

CAPVT VIII.

3.Reg.9.b

Oppida à Solomone instaurata.

PRæteritis autem uiginti annis, quibus Solomo Iouæ templum ædesque suas ædificauit, oppida sibi ab Hyramo data instaurauit, eoque Israelitarum colonias deduxit. Tum profectus ad Hematham Sophenæ, eam obtinuit, & Palmiram in desertis ædificauit, & quæcunque cellaria oppida apud Hematham construxit. Aedificauit & Bethoronem tum superiorem tum inferiorem, oppida muris, portis, repagulisque munita: tum Baalatham, & omnia tum cellarum, quas habuit, tum quadrigarum & equitum oppida: breuiter quæcunque ei ædificare collibitum est uel Hierosolymis, uel in Libano, aut in quacunque suæ ditionis regione.

B

Populi Solomoni tributarij.

¶ Atque omnibus qui supererant ex Hettæis, Amorræis, Pherezæis, Heuęis, & Iebuseis, qui non erant ex Israelitis, id est, illorum posteris, quos illis in ea terra superstites non deleuerant Israelitæ, tributum imposuit Solomo, quod adhuc durat. Ex Israelitis autem, quibus ad opera sua seruis usus non est, milites habuit & duces primarios, & quadrigariorum & equitum magistros. Et præcipui quidem principes, quos habuit rex Solomo, fuere ducẽti quinquaginta, qui populũ regerent.

Pharaonis filia.

¶ Pharaonis autem filiam ex urbe Dauidis in ædes ei à se constructas traduxit, negans se commissurum, ut mulier in domo Dauidis Israelitarum regis habitaret: quoniam ea sacra forent, ad quæ Iouæ arca uenisset.

Solomonis religio.

¶ Deinde solida Iouę fecit sacrificia Solomo ad aram Iouæ, quam ante tẽpli uestibulum extruxerat:

C

solebatque pro ratione cuiusque diei ex præscripto Mosis solidas immolare uictimas Sabbathis, & nouilunijs, & solẽnitatibus, ter quotannis, scilicet Azymalibus, & Septimanalibus, & Vmbracularibus: statuit'que ad Dauidis sui patris rationem, muneris sacerdotum & procurationis Leuitarum classes, ad dicendas laudes, & ad ministrandum apud sacerdotes, prout cuiusque diei ratio postularet: tum etiam ianitorum classes in singulas portas, quoniam id diuini Dauidis erat præceptum:

D

neque ab eo, quod rex de sacerdotibus & Leuitis præceperat, discessum est in ulla re, aut in ratione thesaurorum. fuitque omne Solomonis opus compositum, ex quo die iacta sunt templi Iouæ fundamenta, donec absolutum est. Perfecto Iouæ templo, profectus est Solomo ad Asiongaber, & ad Elotha, posita ad littus maris in Idumæa:

Solomonis classis.

& Hyramus ei per suos classem misit, & seruos maris peritos, qui Ophir cum Solomonianis profecti, aduexerunt inde quadringenta quinquaginta auri talenta, quæ ad Solomonem regem attulerunt.

CAPVT IX.

Regina Sabæ Solomonem uisit.

3.Reg.10.a

Matt.12.d

Luc.11.d

REgina autem Sabæ, audita Solomonis fama, uenit ad eum obscuris quæstionibus tentandum, Hierosolymam, cum maximo comitatu, & camelis magnam aromatum & auri gemmarumque uim ferentibus: & aggressa Solomonem, ei proposuit quicquid habebat in animo. Ei Solomo omnia ab ea proposita sic explicauit, ut nihil eum latuerit, quin id ei enucleauerit. Itaque regina, Solomonis cõtemplata sapientiam, ab eoque constructas ædes, & eius mensæ uictum, & regiorum accubationem, & administrorum statum atque uestitum, eius'que potionem, & quę in Iouæ templo sacrificia faciebat, stupore exanimata sic regem alloquitur: Adeò uera sunt quæ ego in mea patria de tuis rebus & sapiẽtia audiui, ut cum hominum sermonibus nõ antè crederem, quàm ipsa meis oculis spectatum uenissem: nunc comperiam, ne dimidium quidem mihi tuæ tam copiosę sapientię fuisse narratum: adeò tu famam uincis, quam ego acceperam. Felices homines tui, felices hi tui assectatores, qui tibi semper astantes, tuam audiunt sapientiam. Grates ago Iouæ Deo tuo, qui tibi sic fauerit, ut te suo Iouæ Dei tui solio regem imponeret, teque Israelitis præ amore, quo eos in perpetuũ stabiliendos prosequitur, regem statuerit, qui ius æquumque facias. Deinde regi donauit regina Sabę centum uiginti auri talenta, & ingentem gemmarum aromatum'que copiam: cum quibus aromatis Solomoni regi à regina Sabæ donatis, nulla sunt comparãda. Hyramini quoque & Solomoniani, qui aurum Ophire aduehebant, attulerunt gemmas, & piceas, quibus ex piceis fecit rex gestationes tẽpli Iouę, & regiæ, citharasque & nablia cantoribus. Erant autem eiusmodi picęę, quales antea uisę in Iudæa non fuerant. Tum rex Solomo reginę Sabę dedit quicquid illa petere uoluit,[a] præter ea quę ei sua sponte dedit rex: atque ita illa se cum suis in patriam recepit.

B

C

a quędã postulati dedit, quędã ultro. Correxi autem hũc locum ex 3.Reg. 10.

Erat autem pondus auri, quod Solomoni quotannis proueniebat, sexcenta sexaginta sex auri talenta: præter ea quę ei pendebantur à mercatoribus & institoribus, tum ab omnibus Arabiæ regulis & terræ prætoribus, qui ei aurum argentumque pendebant.

D

Solomonis aurum.

Fecit præterea rex Solomo ducenta scuta ex auro ductili sexcentenaria, & trecentos clypeos ex auro ductili trecentenarios, quę in nemorensi Libani domo reposuit.

Eburneum solium.

¶ Fecit & eburneũ soliũ ingẽs, idque auro puro incrustauit, cuius solij sex erant gradus, aureaque solij[b] fornix à tergo, & utrinque manus in loco sessionis, & manibus astantes duo leones. In sex autem gradibus stabãt hinc & hinc duodecim leones, cuiusmodi opus nullum in regno ullo factum est.

b ea pars, quæ à tergo est, & fornicatur.

Solomonis diuitiæ.

Atque omnia regis Solomonis uasa potoria, omnisque supellex nemorensis Libaniæ domus, erant ex auro probatissimo. nam argentum quidem Solomonis tempore nullo erat in precio, quoniam regis naues, unà cum Hyramicis, tertio quoque anno in Ciliciam permeantes, aurum, argentum, ebur, simias & pauones aduehebant. Ita

tantum diuitijs & sapiētia Solomo rex omnes
F orbis reges antecessit, ut omnes orbis reges cō
spectū requirerent Solomonis, audiendę causa
sapientiæ, qua prędìtam mentem diuinitùs ha-
bebat: utq; ei pro se quisq; uasa argentea, au-
rea'que, uestes, arma, aromata, equos, mulos,
quotannis dono afferrent. Itaq; habuit Solo-
mo equorum stabula quater mille, & quadri-
garum equitumq; duodecim millia, quos par-
tim in oppidis quadrigarijs, partim Hierosoly-
mis apud se disposuit: imperauit'que omnibus
regibus, quotquot à flumine ad Palæstinam &
ad Aegypti confinia continentur: & tantam
G Hierosolymis argēti cedrorumq; copiam sup-
peditauit, quanta est lapidum & campestrium
caprificorum. Proueniebant autem Solomo-
ni equi, cùm ex cæteris omnibus terris, tum ex
Aegypto. Reliquę res Solomonis à primis ad
ultimas, scriptę extant in libro Nathanis uatis,
& in uaticinatione Ahiæ Silonij, & in Iedonis
fatidici prædictionibus ad Ieroboamum Na-
bati filium. Regnauit autem Solomo Hieroso-
lymis in omnes Israelitas, annos quadraginta.

CAPVT X.

Roboamus iuuenū cōsilium secutus, regni partem amittit.

DEfuncto uita Solomoni, & in urbe pa-
tris sui Dauidis sepulto, successit in re-
gnum Roboamus eius filius. Is cū Sichemā ue
nisset (nā Sichemam conuenerāt omnes Israe-
litæ, ut eū regem crearēt) Ieroboamus Nabati
filius, qui in Aegypto (quò Solomonē regem
uitans fugerat) degebat, postquam id audiuit,
accersitus euocatusq; adfuit, unà cū omnibus
Israelitis. Atq; hi à Roboamo postularunt, ut,
quoniam ab eius patre iugo pressi fuissent, ipse
impositam eis ab illo seruitutem, iugiq; graui-
tatem leuaret: ita se in eius potestate futuros
B esse. Quibus ille iussit, ut ad se post triduum re-
uerterentur. Atq; illis digressis, consuluit rex
Roboamus senes, qui eius patri Solomoni ad-
huc uiuenti apparuerant, Ecquid suaderent, ut
hominibus illis responderetur? Cui illi respon-
dent, si se illis humanum præbeat, eisq; obse-
quens, benignè responsum det, illos semper in
eius futuros esse potestate. At ille, repudiato
quod senes dederant consilio, iuuenum secum
educatorum, & sibi ministrantium consilium
adhibet, quærens quid'nam consulant, ut illis
respondeat, petentibus ut à iugo eis à suo patre
imposito relaxet aliquid. Cui iuuenes suadent,
ut illis à se petentibus, ut iugi eis ab eius patre
impositi grauitatem releuet, ita respōdeat: suo-
rum digitorū minimum crassiorem esse quàm
C sui patris medium corporis truncum: quod si
pater eos graui iugo pressit, se ad id iugum ad-
diturum esse: si pater in eos scuticis animad-
uertit, se scorpionibus animaduersurum. Igitur
die tertio, cum Ieroboamus & cæteri omnes ad
Roboamum regem, quemadmodū ab eo iussi
fuerant, reuertissent, respondit eis rex asperius:
relictoq; senum cōsilio, iuuenum secutus con-
siliū, ita dixit: Meus pater uos graui iugo pres-
sit, ego eam grauitatem augebo: meus pater
in uos scuticis animaduertit, ego scorpijs ani-
maduertam. Ita non est illis morigeratus rex,
sic res dispensante Deo, ut id Ioua præstaret,
quod per Ahiam Silonium Ieroboamo Naba- D
ti filio prædixerat. Tum omnes Israelitæ, uiden
tes sibi à rege non obsecundari, responderunt
regi, nihil iam se iuris in Dauide, nihil posses-
sionis in Isæi filio retinere. Discedite domum,
Israelitæ: tu Dauid tuæ prospice familiæ. Atq;
ita discesserunt omnes Israelitæ domum. In eos
autem Israelitas, qui Iudææ oppida incolebāt,
regnum tenuit Roboamus: à quo rege Ro-
boamo missus ad Israelitas Adoramus, tributi
præfectus, ab illis lapidatus est, & necatus. Ita-
que occupauit Roboamus rex quadrigā ascen
dere, Hierosolymamq; fugere. Ita defecerunt
Israelitæ à domo Dauidis, quæ defectio du-
rat adhuc.

CAPVT XI.

Roboamus in Israelitas expeditionem parat. 2. Reg. 12.

AT Roboamus, postquā Hierosolymam
uenit, Iudęam stirpem Beniaminēsemq;
congregat, hominum centum octoginta mil-
lia, lectorum & militarium, ut bello perseque-
retur Israelitas, sibiq; regnum recuperaret. Sed
mandauit Ioua Semeiæ diuino, ut Roboamo
Solomonis filio Iudææ regi, omnibusq; Israe-
litis, tum Iudæis, tum Beniamitis, Iouę nomine
nunciaret, ne expeditionem facerēt, ne'ue fra-
tribus suis bellum inferrent, sed domum reuer-
terentur: sese enim eius esse autorem rei. Ita illi B
Iouæ obedientes, ab inuadendo Ieroboamo
destiterunt. Roboamus autem Hierosolymis

Roboamus oppida munit.

habitans, oppida munitionis ergò in Iudęa in-
staurauit, extruxitq;, Bethlehemam, Etamam,
Thecuam, Bethsur, Sochonem, Odollamam,
Getham, Maresam, Zipham, Adorēmam, La-
chim, Azecam, Soream, Aialonem, & Hebro-
nem: quę munita oppida partim in Iudęa sunt,
partim in Beniamitide. In his munimentis con
firmatis duces cōstituit, cellasq; frumentarias,
olearias, & uinarias: tum in singulis oppidis
scuta posuit, & lanceas, & ea maiorem in mo-
dum cōmuniuit, Iudæamq; & Beniamitidem
tenuit. Atq; ad eum sese aggregarunt ex omni C
bus suis finibus sacerdotes & Leuitę, qui erant

Leuitæ ad Roboamū conueniunt.

in omnibus Israelitarū finibus. Nā Leuitæ, reli
ctis suis pomœrijs atq; possessionibus, in Iudęā
& Hierosolymam sese receperant, propterea
quòd eos Ieroboamus cū suis filijs Iouæ sacer-
dotio abdicauerat: sibiq; sacerdotes sacellanos,
& Satyrorum, & factorum à se uitulorum con-
stituerat: quos quidem Leuitas, ij ex omnibus
Israeliticis tribubus, qui animos ad Iouę Israeli
tarū Dei studiū applicauerant, secuti sunt Hie-
rosolymam, ad Iouę Deo suo patrio sacrifican-
dum: atque ita Iudææ regnum confirmarūt, &
Roboamum Solomonis filium triennio stabi-
liuerunt. nam per tres annos Dauidem & So- D
lomonem secuti fuerant. Duxit autem Roboa

Roboami liberi.

mus in matrimonium Mahalatham Ieremothi
filiam, Dauidis neptem: & Abichailem Eliabi
filiā, Isæi neptem: ex qua liberos sustulit Ieum,
Samariam, & Zahamū. Post eam duxit Maa-
cham Absalomi filiam, ex qua genuit Abiam,
Attaim, Zizam, & Solomithum. Amauit au-
tem Roboamus Maacham Absalomi filiam,
supra

supra omnes suas uxores & concubinas (duxit enim uxores octodecim, concubinas sexaginta: genuitq; filios duodetriginta, & filias sexaginta) & ex ea Maacha natum Abiam, fratrum principem atque ducem statuit, utpote regno destinatum. Ac quos ex illa, quam quæsiuerat, uxorum multitudine tot filios habuit, eos per omnes Iudęę et Beniamitidis fines, per omnia munita oppida distribuit, eisq; ingentem commeatuum copiam dedit.

CAPUT XII.

SEd cum eius regno confirmato atque stabilito, Iouæ legem ipse simul, & omnes Israelitæ, deseruissent, anno eius regni quinto Sesacus Aegypti rex cum mille ducentis quadrigis, & sexaginta millibus equitum, & innumerabili militum multitudine Libyum, Troglodytarum, & Aethiopū, qui sunt eum ex Aegypto comitati, expeditionem in Hierosolymitanos, qui à Ioua defecerant, fecit: captisq; Iudęę munitis oppidis, ad Hierosolymam peruenit. Et Semeias uates Roboamum & Iudææ proceres, qui Hierosolymam Sesaci metu confluxerant, adijt, eisq; ita dixit: Sic dicit Ioua: Vos me deseruistis, & ego uos uicissim in Sesaci manum desero. Tum Israelitæ proceres & rex sese summiserunt, Iouam iure facere confitentes. Quod cum uideret Ioua, illos sese summisisse, locutus cum Semeia est in hūc modum: Quoniam sese summiserunt, non perdam eos: nec usqueadeò in Hierosolymā per Sesacum mea bilis effundetur, ut non aliquatenus euadant. Verumtamen ei serui erūt, discentq; quantum differat inter meum & terrestrium regnorum imperiū. Igitur profectus Hierosolymam Sesacus Aegypti rex, omnes & templi Iouæ, & regiæ thesauros, aureosq; clypeos à Solomone factos abstulit, pro quibus Roboamus rex fecit æreos, eos'que satellitum magistris, regiæ aditum custodiētibus, commisit: quos quidem clypeos rege in Iouę templum ingresso satellites captum ueniebant, & in satellitum cellam referebant. Igitur cum Roboamus sese summisisset, non solum Iouæ in eum ira coercita est, ut nō prorsus perderetur, uerumetiam Iudæę bene consultū est. Ita rex cōfirmatus Roboamus, Hierosolymis ita regnauit, ut anno ætatis suæ uno & quadragesimo regnare ingressus, annos septemdecim regnauerit Hierosolymis, quam urbē Ioua ex omnibus Israeliticis tribubus delegerat, in qua suum nomen collocaret. Eius mater fuit nomine Naama, Ammonitis. Sed ille in eo peccauit, quòd animum Iouæ studio addictum non habuit. Cęterùm Roboami gesta à primis ad ultima, scripta extāt nominatim in libri[s] Semeiæ uatis, & Addonis fatidici. Fuit autem inter Roboamum & Ieroboamum perpetuum bellum.

Sesaci Aegypti regis expeditio in Iudeā. — B — C — *3.Re.14.f* — D

CAPUT XIII.

POstquam Roboamus ad manes cōcessit, & in urbe Dauidis sepultus est, successit ei in regnum Abias eius filius: qui Ieroboamo annum duodeuigesimum regnāte, regnare cœpit in Iudæa. Regnauit Hierosolymis annos tres. Matrem habuit nomine Michaiam Vrielis filiam, Gabaësem. Cùm esset autem bellum inter Abiam & Ieroboamum, Abias directis in aciem quadraginta millibus lectorum militum (cùm Ieroboamus contra eum in aciem instruxisset octoginta militum item egregiorū millia) surrexit ex monte Semaraimo in montanis Ephraimitarum sito, & in hunc modum orationem habuit: Audite me, Ieroboame, & omnes Israelitæ. Hoc uobis sciendū est, Iouam Israelitarum Deum Dauidi eiusq; posteris regnum in Israelitas [a] salito fœdere dedisse sempiternum. Sed extitit Ieroboamus Nabati filius, Solomonis Dauidis filij seruus, qui in dominum suum rebellionem fecit: ad quem sese aggregarūt homines nequam & improbi, qui contra Roboamum Solomonis filium conspirarūt: qui cum iuuenis adhuc & imbellis esset animi, illos non sustinuit. Et nunc uos Iouæ regno, quod in manibus posterorum Dauidis est, resistere paratis, & estis ingens sanè multitudo: aureosq; uitulos habetis, quos uobis pro dijs fecit Ieroboamus. Et quidem repudiatis Iouæ sacerdotibus, Aharone prognatis, & Leuitis, sacerdotes uobis more cæterarum orbis gentium fecistis, ut quiuis, qui manum suam initiatum ueniat, per taurū bouillum & septem arietes sacerdos sit non deorum. At nos & Iouam Deum habemus, quem non reliquimus: & sacerdotes Iouæ administros, Aharone prognatos, & Leuitas, qui opere fungātur, & Iouę solida sacrificia singulis faciāt matutinis & uespertinis: suffitumq; odoratum, & panum ordinationem in puram mensam, & aureum candelabrum, eiusq; lucernas singulis matutinis accendendas. Retinemus enim nos institutionem Iouæ Dei nostri, à uobis derelicti: nos & Deum ducem habemus, & eius sacerdotes, & resonantes tubas ad clangendum contra uos, ô Israelitæ: ne pugnate cum Ioua maiorum uestrorum Deo, neque enim uobis succedet. ¶Interea Ieroboamus circumduxerat insidias, ut illos aggrederetur à tergo: imminebantq; Iudæis & à fronte milites, & à tergo insidiæ. Itaq; cum respicientes Iudæi uiderent prælium sibi & à fronte instare & à tergo, Iouam implorarunt, & sacerdotes tubis sonuerūt, classicumq; cecinere Iudæi: quo Iudæorum classico canendo, uicti sunt diuinitùs Ieroboamus & Israelitę ab Abia & Iudæis: fugatiq;, & in eorum potestatem, uolēte Deo, redacti, magnam ab Abia & eius copijs cladem acceperunt, cæsis eorum quinquaginta millibus electorum militum. Ita tum subactis Israelitis, superiores fuere Iudæi: quippe Ioua Deo suo patrio freti. Ieroboamumq; persecutus Abias, cæpit ex eius oppidis Bethel, Iesanam, & Ephrainam, cū eorum colonijs: nec deinceps potestate ualuit Ieroboamus Abię tēporibus, sed à Ioua subactus interijt. Abias autem corroboratus, uxores duxit quatuordecim: genuitq; filios duos & uiginti, & filias sexdecim. De reliquis Abiæ rebus, moribusq; & dictis, scriptum est in historia Addonis uatis.

Abias Iudææ rex. — *3.Reg.11.d* — *Abias cum Ieroboamo congressurus, orationem habet ad Israelitas.* — *3.Reg.11.c* — *a inuiolabili.* — B — *3. Reg.12. g* — C — *Israelitæ à Iudæis uicti.* — D

CAPVT XIIII.

POstquam obdormiuit Abias cum maioribus suis, & in urbe Dauidis sepultus est, regnauit pro eo Asa eius filius, cuius temporibus ocium fuit per decem annos. Hic Asa Iouę Deo suo paruit & obsecutus est: peregrinas aras & sacella sustulit: statuas perfregit: lucos succidit: Iudæos Iouę patrio ipsorum Deo studere, legemq; & disciplinā obire iussit: sacella & simulachra ex omnibus Iudææ oppidis abstulit, & quietum regnum habuit. Construxit autem munita oppida in Iudæa, quoniā ocium erat: nec ullo implicabatur bello per eos annos, Ioua ei quietem dāte. Hanc ob rem Iudęis

Asa Iudææ rex. 3.Reg.15.b

B ita iussit: Construamus hæc oppida, murisq; cingamus, & turribus, portis, repagulis muniamus, donec adhuc terra nostræ potestatis est: quandoquidem Iouæ Dei nostri studiosi sumus, & ob hoc studium ab eo sumus ocium undiq; consecuti. Ita ædificarunt, idq; prosperè. Habuit autem Asa exercitum scutatorum

C & lanceariorum ex Iudæis trecenta millia, ex Beniamitis autem clypeatorū & sagittariorum ducenta octoginta millia, qui omnes erāt bellicosi. ¶ Contra hos expeditionem fecit Zara Aethiops cum militum decies centenis millibus, & trecentis quadrigis. Qui cum ad Maresam peruenisset, occurrit ei Asa, & instructa acie in ualle Sephatha apud Maresam, Iouam Deum suum huiusmodi uerbis inuocauit:

Zare Aethiopis expeditio aduersus Asam. 3.Reg.14.

D Ioua qui in ferendo auxilio nullum facis multitudinis & imbecillitatis discrimen, subueni nobis, Ioua Deus noster, qui te tuo'que nixi nomine, hanc multitudinem aggredimur: & ne cōmitte, Ioua, qui noster Deus es, ut aduersum te ualeant homines. Igitur Aethiopes à Ioua per Asam & Iudæos superati, fugerunt: quos Asa eiusq; milites ad Gerara persecuti, multis illorum ad internecionem cæsis, quippe à Ioua & eius exercitu fractorum, plurimam prædam reportarunt: omnesq; Geraris finitimas urbes, illis Iouæ terrore perculsis, uicerunt: & omnia oppida, in quibus magna pręda fuit, deprædati, pecorumq; etiam tugurijs potiti, ingentem ouiū & caprarū camelorumq; multitudinem abigentes, Hierosolymam repetiuerunt.

Asa Dei orat auxiliū aduersus Zaram.

Aethiopes à Iudæis fusi.

CAPVT XV.

TVm Azarias Odedi filius, diuini spiritus instinctu, Asæ obuiam egressus, eum sic est allocutus: Audite me, Asa, & omnes Iudęi & Beniamitę. Ioua tum uobiscum est, cum uos estis cum eo: & si eum quęretis, inuenietur uobis: sin eū deseretis, deseret uos. Equidem diu sine uero Deo, sine doctore sacerdote, sine lege fuerunt Israelitæ: sed cum in rebus aduersis sese ad Iouam Israelitarū Deum conuertissent, eumq; quęsiuissent, inuentus est eis. Ac per illa quidem tempora pace carebant, qui ultro citroq; commeabant: quòd omnes incolæ multis agitabantur tumultibus, cum gens cū gen-

Azarias uates Asam confirmat.

B te, & ciuitas cum ciuitate cōfligeret, Deo illos omnibus aduersis perturbāte. Vos igitur este fortes, ne'ue manib. remollescite: manet enim uestrū opus sua merces. ¶ Hac Odedi uatis oratione & uaticinatione audita, Asa sese cōfirmauit, omneq; a nefas ex omnib. Iudææ & Beniamitidis finibus, & ex omnibus quę in mōtanis Ephraimitarum finibus cæperat, oppidis sustulit: aram Iouæ pro Iouæ uestibulo sitam instaurauit, & omnes tū Iudæos & Beniamitas, tum cum eis uersantes peregrinos, ex Ephraimitis

Asæ religio. *a nefarios deos.*

C Manassensibus'que & Simeonijs cōgregauit, multis Israelitarum ad eum deficientibus, cum uiderent ei Iouā eius Deū adesse. ¶ Igitur Hierosolymam tertio mense congregati, annum decimumquintum regnante Asa, immolarunt eo die Iouæ ex præda, quam adduxerant, boues sexcentos, pecorumq; septem millia: tum fœdus inierunt, ut Iouę maiorum suorum Deo tota mente totoq; animo studerēt: ac quisquis Iouæ Israelitarum Deo non studeret, moreretur, siue paruus esset, siue magnus, siue uir, siue fœmina: & in uerba Iouę magna uoce cum stre-

D pitu tubisq; & buccinis iurarunt, eoq; sacramento lætati sunt omnes Iudæi: nam toto corde iurauerunt, & Iouā summa cupiditate quæsiuerunt, qui ab eis inuentus, eos undiq; reddidit quietos. Quinetiam Maacham matrē suam imperio rex abdicauit, quòd ea in luco Pana fecerat: quem Pana demolitus rex, cōminuit, & apud fluuium Cedronem cremauit. Ac nisi quod sacella ex Israelitis sublata non sunt, cęteroquin fuit Asa animo per omnem uitam suam integro: sui'que patris & sua dicata, argentum, aurum, & uasa, in ædem Iouæ intulit: nec bellū fuit ante annū eius regni trigesimumquintum.

CAPVT XVI.

ANno regni Asæ trigesimosexto, Baasa Israelitarum rex, facta in Iudæam expeditione, Ramam muniebat, ut exitum aditumq; ad Asam Iudęę regem intercluderet. Tum Asa argentū aurumq; ex thesauris tēpli Iouæ & regiæ depromptum, misit Benadado Syrię regi, Damascū incolēti, cum huiusmodi postulatis: Cùm sit inter me & te, interq; meum & tuum patrem fœdus, ego tibi argentum aurum'que mitto: age, rumpe fœdus quod tibi cum Baasa

Baasæ Israelitarum regis expeditio in Iudæam.

B Israelitarū rege intercedit, ut à me facessat. Tum Benadadus Asæ regi obtemperans, misit militum suorum duces ad urbes Israelitarum, qui subegerunt Ionem, Danem, Abelmaimum, & omnia Nephthalensium oppida cellaria. Qua re audita Baasa Ramā munire destitit, & opus suum omisit. Tum Asa rex Iudæos omnes aduocauit, qui Ramæ lapides & ligna, quibus Baasa ædificabat, sustulerunt, quibus ipse Gabam Maspham'que muniuit. Interea Hananis fatidicus Asam Iudææ regē aggressus, his uerbis alloquitur: Quoniam tu Syriæ regi, non Iouæ Deo tuo, innixus es, propterea manus tuas euasit Syriæ regis exercitus. An non in-

Hananis uates Asam obiurgat.

C gentes erāt Aethiopum Libyum'quæ copiæ, quadrigarumq; & equitum maximus numerus? Et tamen cum Ioua niterere, ipse tibi de illis uictoriam dedit. Nam Ioua oculis suis totum orbem terrarum sic obit, ut eis fortitudinem conferat, qui erga ipsum syncera mente præditi sunt. Et quoniam in eo stultè fecisti, deinceps

2.Mac.9.a *Iohan.7.f.*

deinceps tibi cum bellis futura res est. Hac re- indignatus in fatidicum Asa, eum præ iracundia coniecit in carcerem: eodem'que tempore D nõnullos de populo trucidauit. ¶ Cæterùm de rebus Asæ ab initio ad exitum, scriptum est in libro Regum Iudęorũ & Israelitarum. Aegrotauit autem Asa pedibus, anno regni sui trigesimonono, uehementi morbo: neque tamen in morbo Iouam consuluit, sed medicos. Concessit ad manes, uita defunctus anno regni sui uno & quadragesimo: & humatus est in sepulchro suo, quod sibi in urbe Dauidis exciderat: positusq; in feretro aromatis & unguentis referto, pigmentaria arte concinnatis, combusta in eius funere permagna ui odorum.

CAPVT XVII.

Iosaphatus Iudææ rex.

EI successit in regnũ Iosaphatus eius filius, qui uictis à se Israelitis, milites in omnibus Iudęę munitis oppidis disposuit, præsidia'que tum in Iudæa, tũ in oppidis Ephraimiticis, quę pater eius Asa cæperat. Vsus est autem Iosaphatus secundo Ioua: quoniam Dauidis autoris sui mores antiquos imitatus, non Baalibus, sed Deo suo patrio studuit, & ex eius pręceptis uixit: secus ac faciebant Israelitæ. Itaq; regnum B in eius manu Ioua sic stabiliuit, ut ei tota Iudęa uectigal penderet: multas'que diuitias & gloriam consecutus, tantos sibi in Iouæ pręscripto sumpsit animos, ut insuper sacella lucosq; sustulerit ex Iudæa. Anno autem regni sui tertio misit ad proceres suos Benhailem, Abdiam, Zachariã, Nathanaelem, & Michaiam, ut per oppida Iudęæ docerent: & cum eis Leuitas Semeiam, Nathaniam, Zabadiam, Asaelem, Semiramothum, Ionathanem, Adoniã, Tobiam, & Tobadoniam, & cum eis Leuitis Elisamam & Ioramum sacerdotes, qui per Iudęam docerent, Iouanę legis librum circumferentes: qui omnia peragrantes oppida Iudææ, uulgò docuerunt. C Itaq; tantus Iouę terror inuasit omnia Iudææ finitima regna terrarum, ut nullum Iosaphato bellum inferrent. Nec solum à Palęstinis Iosaphato uectigal pendebatur, & argenti tributum: sed etiam Arabes ei pecora pendebant, arietum septem millia septingentos, & capros totidem. Ita cum tantopere potentia cresceret Iosaphatus, construxit in Iudæa arces & oppida ad cellas, magnasq; facultates habuit in oppidis Iudææ, & belli peritos milites Hierosolymis, quorũ per familias ducta ratio hæc est. Iudęorum tribuni erãt, Adna dux, cui D attributa erant militum trecenta millia. Secundum eũ erat Iohannes dux, cui attributa erant ducenta octoginta millia. Secundum eum erat Amasias Zechris filius, Iouæ dedititius, cui attributa erant militum ducẽta millia. Ex Beniamitis autem uir militaris Eliada, cui attributa erant sagittariorum & clypeatorum ducenta millia. Secundum hunc erat Iozabadus, cui attributa erant centum octoginta millia militum. Atque hi quidem regi inseruiebant, præter eos quos in tota Iudæa disposuerat in oppidis munitis.

CAPVT XVIII.

3. Reg. 22. Achabi expeditio in Ramotha.

IGitur ingentes diuitias & gloriam consecutus Iosaphatus, affinitatem contraxit cum Achabo, & ad eum post aliquot annos descendit Samariam, eiq; & eius comitibus mactauit Achabus magnam pecorum & boum multitudinem, & eum ad expeditionem in Ramotha Galaaditarum cohortans, rogabat, an uellet se in eam expeditionem comitari? Cui Iosaphatus ita respõdit: Tibi quidẽ licet me meisq; hominibus ad bellum uti, perinde atq; tuis: sed interim tibi censeo, inquit, Iouæ oraculum esse cõsulendum. ¶ Tum Israelitarum rex, congre- B gatis uatibus, qui quadringenti fuerunt, quærit ex eis, an debeat Ramotha Galaaditarũ bello adoriri, nec'ne? Cui illi respondent, ut adoriatur: nam Deũ regi uictoriam esse daturum. Sed Iosaphatus sic cum eo egit: Nunquis hic adest Iouæ uates præterea, quem interrogemus? Est adhuc unus homo (inquit Israelitarum rex Iosaphato) à quo liceat Iouæ oraculum petere: sed quem ego propterea odi, quòd mihi faustum nihil, sed semper infausta uaticinatur. Is est Michæas Iemlæ filius. At Iosaphatus: Regẽ, inquit, non decet ita loqui. ¶ Tum rex Israelitarum uocato cuidam spadoni mandat, ut Michæam Iemlę filium properè accersat. Sedebat autem rex Israelitarũ, & Iosaphatus Iudæorum rex, in suo uterq; solio, uestibus ornati, in area ad introitũ portæ Samariæ, om- C nibus uatibus apud eos uaticinantibus: & Sedecias Chanaanæ filius, cum sibi ferrea cornua fecisset, ita dicebat: Promittit Ioua te his in Syros esse arietaturum ad eorum internecionem. Idemq; prædicebant uates omnes: Aggredere sanè feliciter Ramotha Galaaditarũ: Ioua tibi, ô rex, ea tradet in manum. Cæterùm nuncius, qui Michęam uocatum iuerat, eum monebat, ut, quoniã cæteri uates regi uno ore fausta prędicerent, ipse quoque illorum exemplo fausta prædiceret. Sed Michæas Iouam immortalem testatus est, se quæ sibi à Ioua Deo suo mandata forent, ea demum esse dicturum. Deinde ubi ad regem uentũ est, rex eum sic interrogat: Michæa, bellum'ne Ramothis Galaaditarum D inferimus, an non? Cui ille: Vos uerò inferte, quod bene uertat: dabitur uobis de eis uictoria. At rex: Obtestor te etiam atque etiam per Iouæ nomen, ne mihi aliud quàm uerum dicas. Tum ille: Vidi omnes Israelitas palantes in montibus, quasi pastore carentes oues, & Iouã ita dicentem: Non habent isti dominos: reuertantur domũ incolumes. Hic rex Israelitarum sic Iosaphatum alloquitur: An nõ tibi prædixi, eum mihi nihil prosperum, sed tantum aduersa uaticinaturum? Et Michæas: Ergo accipite Iouæ sententiam: Vidi in solio suo sedentem Iouam, omni cœlesti exercitu dextra læuaq; sti- E patum, atque ita dicentem. Ecquis Achabum Israelitarum regem decipiat, ut Ramotha Galaaditarum adortus, ibi cadat? Atq; aliis aliter dicentibus, processit quidam spiritus, & ante Iouã astans, dixit: Ego decipiam. Et Ioua: Qua ratione? Ibo, inquit ille, & omnibus illius uatibus

Michæas uates.

tibus falsa, quæ dicant, aspirabo. Tum Ioua: Decipies, inquit: succedet. I, atque ita facito. Quamobrem scito, Iouam in os tuorũ istorum. uatum falsum immisisse spiritum, tibi'que malum parare. Hic Sedecias Chanaanæ filius accedit, & Michęę colaphũ impingit: Qua'nam, inquit, uia emigrauit à me Iouæ spiritus, ut tecum locutus sit? Tum scies (inquit Michæas) cum te in initima penetralia penitus abdes. At F rex Israelitarum: Comprehendite Michæam, inquit, eum'que ad Amonem prætorem urbanum, & ad Ioam regium filium ducite, & regis mandato in carcerem concludi iubete, atq; ibi pane & aqua duriter pasci, donec ego saluus redeam. Si quidem saluus redieris (subijcit Michæas) tum Ioua mecũ locutus non sit. Atque hoc, inquit, audite uniuersi. Igitur profecti sunt Israelitarum rex, & Iosaphatus Iudaęę rex, ad Ramotha Galaaditarum: monuitq; Israelitarum rex Iosaphatum, ut prælium inituꝛus habitũ mutaret, & ipsius regis Achabi uestitum indueret: neq; non ipse rex Israelitarum habitum mutauit, atque ita prælium inierunt. Imperauerat autẽ Syrię rex principibus quadrigarijs, quos habebat, ne quem omnino armis peterent, nisi unum regem Israelitarũ. G Igitur Iosaphatum conspicati quadrigarij principes, & regem esse Israelitarũ rati, in eum arma uerterunt. Sed cum exclamasset Iosaphatus, Ioua Deus ei succurrit, & illos auertit ab eo. Videntes enim quadrigarij principes non esse regem Israelitarum, eum persequi destiterunt. Sed simpliciter iaculatus quidam, regem Israelitarum inter commissuras & loricam uulnerauit. Tum ille aurigæ imperat, ut flectat habenas, seq; uulnere ęgrum educat ex acie. Atque eo die durante pugna, rex Israelitarum, cum in curru cõtra Syros stetisset ad uesperũ, mortuus est sub occasum solis. Iosaphatus autem Iudææ rex domum Hierosolymam redijt incolumis.

Achabi mors.

CAPVT XIX.

Iehus Iosaphatum reprehendit.

EI obuiam egressus Iehus Hananis filius, fatidicus, ita dixit: Te'ne impio ferre auxilium, & Iouæ osores amare? Ergo istius rei Iouæ pœnas dares: sed extiterunt in te laudabilia quædam, quòd lucos ex hac regione exterminasti, & animum tuum ad Dei studium applicuisti. ¶ Igitur Iosaphatus Hierosolymam incolens, populum denuò à Bersaba ad montem Ephraimitarum peragrauit, eosq; ad Iouã maB iorum ipsorum Deum reuocauit, & præsides passim in singulis Iudaæ munitis urbibus statuit, quibus ita præcepit: Videte quid agatis. Non enim hominibus, sed Iouæ iudicabitis, qui uobis in re iudiciaria adfuturus est. Quamobrem facite, ut Iouam formidantes, cautẽ uos C geratis: est enim Ioua Deus noster ab iniquitate, & habenda personarum ratione, accipiendisq; muneribus, alienus. Quinetiam Hierosolymis statuit Iosaphatus, tum ex Leuitis & sacerdotibus, tum ex Israeliticarum familiarum primarijs, qui Hierosolymis habitantes, Iouæ ius & causas procurarent, quibus præcepit in hunc modum: Sic uos Iouam reuerentes, fideliter & syncera mente agetis. Omnibus in causis, quæ ad uos à uestris consanguineis urbium D suarum incolis deferentur, quales sunt in quibus de sanguine, de lege, de disciplina, de ritibus, de iure controuersia est: monetote eos, ne in Iouam delinquant, ne & uos & uestri cõsanguinei luant pœnas. Atque ita facientes non delinquetis. Præfuturus est autem uobis Amarias pontifex [a] in omni re Iouana: & Zabadias Ismaelis filius, Iudaicę domus dux, in omni regio negocio. Leuitici autem magistratus uobis præstò erunt: præstate uos fortes, & Ioua bonis aderit.

Iosaphatus suos pietatem docet.

Deut.10.d Rom.2.b Gal.2.b Ephes.6.b Col.3.d Act.10.d 1.Pet.1.e

a in religionis causis.

CAPVT XX.

POstea Moabitæ, Ammonitæ, & Idumæorum pars, Iosaphato bellum inferũt. Quod ubi Iosaphato nunciatum est, ingentes eorum qui trans lacum incolerent, Syrorum copias, ad eũ uenire, easq; iam apud Hasasonthamar, quæ eadem est Engadi, esse, territus, composito ad Iouam consulendum uultu, ieiunium toti Iudęę indixit. Cumq; Iudęi ex omnibus Iudęæ oppidis ad percontandũ Iouæ oraculum conuenissent, Iosaphatus stans in Iudęorũ & Hierosolymitanorum cœtu, in Iouæ templo, ante nouum atrium, ita locutus est. ¶ Ioua Deus maiorum nostrorum, nónne tu cœlestis Deus es, & idem omnibus gentium regnis imperas? cuius in manu uires sunt, & fortitudo, cui resisti non potest? Nónne tu, Deus noster, exactis in gratiam tuorum Israelitarũ huius regionis B incolis, eam Abrahami amici tui posteris, in perpetuum dedisti, qui ea occupata, sacrarium tuo nomini in ea construxerunt, eo consilio, ut si quo malo infestarentur, ut ultore gladio, ut peste, ut fame, ad hoc se templum coram te (cuius nomen in hoc tẽplo est) sisterent, teq; aduersis in rebus implorarent, & tu exaudires ac defenderes? Ecce nunc Ammonitas, & Moabitas, & Seiris montis incolas, quos tu ab Israelitis ex Aegypto uenientibus inuadi nõ siuisti (nam ab eis deflexerunt, neque eos uastarunt) hi inquam, hanc nobis gratiam referunt, ut ad nos de possessione deturbandos ueniant, in quam tu nos immisisti. O Deus noster, nónne tu illos punies? Nam nos quidem tantum roboris non habemus, ut tantam illam multitudinem, quæ nos adoritur, sustineamus: & ideo C incerti quid agamus, in te oculos habemus intentos. ¶ Hic uniuersis Iudæis ante Iouam stãtibus, unà cum eorum impuberibus, feminis, atque filijs, Iahaziel Zachariæ filius, Banaiæ nepos, Iehielis pronepos, Mathanię abnepos, Leuita ex Asaphi posteris, Iouæ spiritu instinctus, in medio cœtu sic effatur: Attendite uniuersi Iudæi & Hierosolymitani incolæ, & tu D rex Iosaphate. Hoc uobis Ioua significat, ne istam tantam multitudinem metuatis, aut expauescatis: non enim uestra pugna est, sed Dei. Cras descenditote ad eos: ascensuri sunt enim per cliuum Sisum, eos'que ad fluuij ripam e regionẽ saltus Ieruelis inuenietis. Hic uestrũ pręliari non est. Adeste, state, & Iouæ erga uos uictoriam spectatote, Iudæi & Hierosolymitani:

Iosaphatus cum Moabitis pugnaturus, implorat auxiliũ Dei.

Deut.2.d

Iahaziel uates Iudæis uictoriam spondet.

tani: nolite timere aut expauescere. Manè occurrite illis, & Ioua uobis aderit. Tum Iosaphatus summisit ad terram uultum, & uniuersi Iudæi & Hierosolymę incolę, sese ante Iouam honoris gratia abiecerunt. Et Leuitæ ex Cabathinis & Coranis ad Iouam Israelitarum Deum ingenti & elata uoce laudandum, sese erexerunt. Manè ubi surrectum est, egressi sunt in solitudinem Thecuanam, astante Iosaphato egredientibus illis, & eos sic adhortante: Audite me, Iudæi & Hierosolymitani. Credite Iouæ Deo uestro, & consistetis: credite eius oraculo, & uobis prosperè res cadet. Deinde consulto populo, statuit Iosaphatus cantores Iouę, & qui ante aciem exeuntes, laudes cum sacra

E maiestate hoc pacto dicerēt: Celebrate Iouam, cuius æterna clementia est. Atque illis laudes canoro sonitu dicentibus, ita conuertit insidias Ioua in Ammonitas, Moabitas, & Seirios, qui Iudæam inuadebant, ut cæderentur. Nam adorti Seiris montis incolas Ammonitæ & Moabitæ, eos funditùs exciderunt: deinde Seirijs confectis, ipsi se mutuis uulneribus interemerunt. Et Iudæi, ubi ad solitudinis speculam uentum est, conuerso ad illam multitudinem aspectu, animaduertunt illorum cadauera humi strata, nullo superstite. Tum Iosaphatus & eius milites ad illorum diripienda spolia accedunt, & ibi magnam cùm cæterarum rerum, tum uestium & elegantis supellectilis copiam nacti, immensam prædam diripiunt: consum-

Ammonitæ Moabitæ & Idumæi se uicerse occidunt.

F ptis'que in ea prædatione tribus diebus (tanta erat prædæ copia) die quarto conuenerunt in uallem Gratiarum actionis: qui locus ideo uallis Gratiarum actionis uocatus est hactenus, quòd illic Iouæ gratias egerunt. Deinde Hierosolymam reuersi sunt omnes Iudæi, & Hierosolymitani, principe Iosaphato, cum lætitia, quòd eis Ioua lætitiam ab ipsorum hostibus dedisset: peruenerunt'que Hierosolymam cum nablis & citharis atque tubis, in templum Iouæ. Ita diuino terrore correpta sunt omnia regna terrarum, cum audirent Iouam cum Israelitarum hostibus pugnauisse: ocium'que regni & requietem undique à Deo suo consecutus est Iosaphatus. Regnauit igitur Iosapha-

G tus in Iudæa, trigesimoquinto ætatis anno regnare ingressus: regnauit annos uigintiquinque Hierosolymis, matre Azuba nomine, Silechis filia. Asæ patris sui mores imitatus non degenerauit, quin Iouæ obtemperaret. Tantum sacella sublata non sunt, necdum populus animum ad Deum maiorum suorum applicauerat. Reliqua Iosaphati gesta à primis ad ultima, scripta extant in historia Iehu Hananis filij, cuius mentio fit in libro Regum Israelitarũ. ¶ Postea coijt Iosaphatus Iudææ rex societatem cum Ochozia Israelitarum rege, eo qui se impiè gessit: in qua societate coeunda, conuenit inter eos, ut naues facerēt ad eundum in Ciliciã: quas quidē naues fecerũt apud Asiongaber. Sed Eliezer Dodauæ filius Maresanus in Iosaphatum uaticinatus est: quoniam societatem iunxisset cum Ochozia, Iouã eius opus

Iosaphati classis naufragium.

dissoluisse, naues'que facto naufragio in Ciliciam peruenire nequiuisse.

CAPVT XXI.

POstquam cum suis maioribus obdormiuit Iosaphatus, & apud maiores suos in urbe Dauidis sepultus est, successit ei in regnum Ioramus eius filius, qui fratres habuit Iosaphato natos, Azariã, Iehielem, Zachariam, Azariam, Michaelem, & Saphatiam, qui omnes filij fuere Iosaphati Iudææ regis: quibus pater munera multa dedit, aurum, argentum, & alia preciosa, cum munitis oppidis in Iudæa: regnum autem Ioramo dedit, utpote natu maximo. Sed Ioramus regnum patris adeptus, & potentiam nactus, omnes fratres suos, & de Israelitarum principibus nonnullos ferro trucidauit. Annum agebat ætatis trigesimumsecundum, cum regnare cœpit: regnauit Hierosolymis annos octo. Regum Israelitarũ mores B imitatus, Achabi stirpis exemplo (nam Achabi filiam habuit in matrimonio) Iouam offendit: neque tamen uoluit Ioua stirpem Dauidis perdere, propter fœdus quod cũ Dauide percusserat, in quo promiserat, sese ei eius'que natis successionem esse daturum sempiternam.

Ioramus Iudææ rex.

¶ Huius Iorami tēporibus Idumæi rebellione aduersum Iudæos facta, regem sibi crearunt. Cum'que eò profectus Ioramus unà cum suis proceribus & omnibus quadrigis, de nocte surrexisset, & Idumæos, à quibus circumdabatur, quadrigarum'que magistros deuicisset, tamen durat adhuc illa Idumæorum à Iudęorum imperio defectio. Atque eo quidem tempore etiam Lebna ab illius imperio defecit: quoniam non solum Iouam Deum suum patrium reliquerat, sed etiam factis in Iudææ montibus sacellis, Hierosolymitanos ad impudicum deorum cultum adduxerat, Iudæos'que labefactauerat. C ¶ Itaque uenerunt ad eum literæ ab Elia uate, in hæc uerba: Sic dicit Ioua, Dauidis autoris tui Deus. Quoniam tu Iosaphatum patrem tuum, aut Asam Iudææ regem imitatus non es, sed Israeliticorum regum exemplo, non modò Iudæos & Hierosolymitanos ad Achabicæ stirpis impudicitiam adduxisti, sed etiam tuos fratres, eodem tecum patre natos, te meliores, interfecisti: scito fore, ut Ioua ingenti clade tuum populum, natos, uxores, omnia denique tua afficiat: & tu tanto torminum morbo labores, ut prę morbo intestina tua cõtinuis diebus eijciantur. ¶ Igitur excitauit Ioua aduersus Ioramum animos Palæstinorum, & Arabum Aethiopibus finitimorum: qui facta D impressione in Iudæam, præter omnes in domo regis inuentas facultates, etiam eius filios & uxores abduxerunt, relicto uno Ioachazo eius filiorum natu minimo. Post hæc omnia Ioua eum tam insanabili intestinorum morbo affecit, ut continuatis diebus, peracto biennij spacio, eiectis cum morbo intestinis mortuus sit morbo grauissimo: neque ei fecere sui rogum, quales rogi fuerant eius maiorum. Regnum inijt annos natus trigintaduos: regnauit Hierosolymis annos octo: discessit à nullo

Idumæi à Iudæis deficiunt.
2.Reg.7.8

Eliæ ad Ioramum literæ.

desideratus: & in urbe Dauidis, sed non in regum sepulchreto, sepultus est.

CAPVT XXII.

Ochozias Iudaeae rex. 4.Reg.8.f

PRo eo in regnum subrogatus est à Hierosolymitanis Ochozias eius filius, natu minimus: nã omnes grandiores occiderat agmen illud latronum, quod cum Arabibus castra inuaserat. Igitur Iudææ regnũ adeptus est Ochozias Iorami filius, anno ætatis suæ quadragesimosecundo: regnauit Hierosolymis unum annum: matrẽ habuit Athaliam ex Amri natam. Hic quoque Achabi stirpem imitatus (quippe matre ei impietatis consultrice) Iouam Achabicorum exemplo offendit, utpote illis post sui patris interitum consultoribus usus ad suã perniciem. B Nam eorum consilium secutus, profectus est cum Ioramo Achabi filio Israelitarum rege, in bellum cõtra Hazaelem Syriæ regem, ad Ramotha Galaaditarum. Vbi cum uulneratus à Syris Ioramus Achabi filius Iezrael reuertisset ad sananda uulnera, quæ in eo contra Hazaelem Syriæ regem prælio apud Ramam acceperat: C descendit ad eum uisendum Iezraele ægrotantem, Ochozias Iorami filius Iudææ rex. Quæ quidem res sinistro Ochoziæ fato diuinitùs accidit, ut Ioramum uiseret. Cùm enim illuc uenisset, et ad Iehum Namsis filium, quem Ioua ad excindẽdam Achabi stirpem unxerat, egressus esset cũ Ioramo: Iehus, dum in Achabi stirpem pœnas irrogat, cum Iudæę proceres & fratrum Ochoziæ filios Ochoziæ administros nactus peremisset, conquisiuit Ochoziam: qui Samariæ latitans comprehensus, & ad Iehum adductus, interficitur, & ideo sepelitur, quòd erat Iosaphato natus: qui Iosaphatus ad Iouæ studium totam mentem suã applicauerat. D Cùm autem in Ochoziæ familia non esset qui regnũ uendicaret, Athalia Ochozię mater uidens filium suum interijsse, conata est omnẽ Iudaicæ domus regiam stirpem perdere. Sed Iosaba regis Iorami filia, Ioiadæ pontificis uxor, Ioam Ochozię filiũ (cuius Ochozię ipsa soror erat) ex media regiorũ filiorũ cęde surripuit: eumq;, & eius nutricem, in cubiculi cõclaui abditum, Athaliæ cædi subduxit.

Athalia regiam stirpẽ excidit. 4.Reg.11.a

CAPVT XXIII.

Ioiada pontifex Ioam Iudææ regẽ creat. 4.Reg.11.a

POstquam is apud eos sex annos in fano, Athalia regnum tenente, occultus fuit, anno septimo Ioiada, sumpto animo, cẽturiones aduocauit, Azariam Ierohami filiũ, Ismaelem Iohannis, Azariam Obedi, Maaseiam Adaię, & Elisaphatum Zechris, qui ex composito Iudæam obiuerunt: & congregatis ex omnibus oppidis Iudææ Leuitis & Israeliticarum familiarum primarijs, Hierosolymam uenerunt: & cum in fano cœtus omnis cũ rege fœdus iniuisset, Ioiada sic loquitur: Ecce regis filiũ, ad quem regnum pertinet, quemadmodũ promisit Ioua Dauidis posteris. Hoc ergo facietis: Tertia pars uestrûm, qui Sabbatho ad sacerdotes & Leuitas commeatis, liminum ianitores aget: tertia erit ad regiam: tertia ad portam fundamenti: reliquũ omne uulgus erit in atrijs templi Iouæ. Atque in templum quidem Iouæ nemo intret, B præter sacerdotes & Leuitarum administros: qui propterea intrabunt, quòd sacri sunt: reliqui omnes Iouæ disciplinæ parebunt. Leuitę autem regem undiq; circumuallabunt, tela manibus gerentes, ita ut qui in templum intrauerit, moriatur: & intrantem exeuntemq; comitabuntur. Hæc omnia Ioiadæ pontificis imperata exequuntur Leuitæ, omnesq; Iudęi, & suos quisque homines assumunt, tum qui bus uenire, tum quibus decedere Sabbatho mos erat: non enim classes exautorauerat Ioiada. Tum centurionibus hastas, clypeos'que & pharetras regis Dauidis, quæ erant in templo, tradit Ioiada pontifex: armatis'que cunctis militibus, regem à templi parte dextra ad sinistram, quà templum ara'que patebat, circumstantibus, producunt regis filium, eiq; coronam & oraculum imponentes, regem creant C & ungunt Ioiada & eius filij, & regem salutãt.

¶ Hic Athalia, audito accurrẽtium hominum strepitu, regemq; collaudantium, uenit ad eos in Iouæ templum, & regem cõspicata pro suggestu in aditu astantem, principesq; & tubicines apud regem, & omnes incolas, lætantes, & tubis personantes, & musicis instrumentis concinentes, & laudationem præfantes, uestimenta sua discerpit, & cõiurationem esse etiam atque etiam clamat. At Ioiada pontifex centuriones militum prefectos educit, ijsq; imperat, ut illam extra templi septum educant, ac si quis eam secutus fuerit, eum ferro trucident: nolebat enim pontifex eam in templo Iouæ interfici. Illi iniectis in eam manibus, eductam ad introitum portæ equorum regiæ, ibi necant.

Athalia necatur.

¶ Tum Ioiada inter se & omnem populum regemq; pactionẽ fecit, ut Iouæ populus essent. D Deinde uniuersi templum Baalis aggressi, diruunt, & eius aras & simulachra perfringũt, & Mattanem Baalis sacerdotẽ ante aras occidũt. Deinde Ioiada tẽpli Iouæ procurationes mandat sacerdotibus Leuitis, quos Dauid in Iouæ templum distribuerat, ut solida Iouæ facerent sacrificia, sicut in Mosis lege scriptum est, cum lætitia & cantu, procurãte Dauide. Postea collocatis ad templi Iouæ portas ianitoribus, ne quis ulla re pollutus eò intraret, aduocatis centurionibus, nobilibusq;, & populi primarijs, omnibusq; incolis, regem de templo Iouæ deducit. atq; ubi ad mediam regiæ portam superiorem uentũ est, collocatur in regio solio rex, & omnes lætantur incolę: otium'que nacta est urbs, Athalia ferro trucidata.

CAPVT XXIIII.

4.Re.12.a

AGebat autem Ioas annũ septimum, cum regnum inijt: regnauit Hierosolymis annos quadraginta, matre Bersabensi, nomine Sebia. Is Ioas Iouæ, toto Ioiadæ põtificis tẽpore, paruit: Ioiada ei duas uxores locauit, ex quibus utriusq; sexus liberos sustulit. Postea cum haberet in animo Ioas templum Iouæ reficere, cõgregauit sacerdotes Leuitas, eisq; præcepit, ut in oppida Iudææ profecti, redigerent ab omnibus Israelitis pecuniã quotannis, ad ipsorum Dei

Ioas templum reficiendum curat.

Dei templum instaurandum, eamq; rem celeriter exequerentur. Sed cum non properassent Leuitę, rex, uocato Ioiada pręsule, questus est, B quòd is à Leuitis nō postulasset, ut ex Iudęis & Hierosolymitanis, & ex Israelitarum ciuitate, in oraculi tabernaculum inferrent statutum à Mose Iouæ cultore honorarium. Nam impiæ illius Athaliæ filij non solum fanum dissipauerant, sed etiā omnia templi Iouæ sacra ad Baales transtulerant. Itaque iussit rex arcam fieri, quæ in introitu templi Iouæ foris poneretur. *Exod. 30. b* Deinde per Iudæam & Hierosolymis edictum est, ut afferretur Iouæ honorarium, à Dei cultore Mose Israelitis in solitudine impositum. C Itaque omnes tum principes, tum plebeij hilariter afferebāt, & in arcam conijciebant, donec absoluta res est. Afferebatur autem arca ad Leuitas, quibus ea prouincia fuerat à rege mandata: qui cum uidebant, satis esse pecuniæ, aderāt scriba regis, & is qui erat huic rei præfectus à præsule: qui exhausta arca, pecuniam auferebāt, & arcam eòdem referebant: atque ita quotidie facientes, magnum pecuniæ numerum congerebant. Eam rex & Ioiada operis templi D Iouæ curatoribus tradebāt, qui ea lapicidas & fabros ad instaurationem templi Iouæ conducerent, necnon fabros ferrarios & ærarios, ad Iouæ templum reficiendū. Ita laborantes operis curatores, proficiente per eos operis instauratione, fanum in integrum restitutum confirmarunt: & absoluto opere, reliquam pecuniam ad regem & ad Ioiadam retulerunt, ex qua ille uasa ad Iouæ templum ministratoria fecit: tum mortaria & capedines, & aurea argenteaq; uasa, quibus in Iouæ templo fiebant iugiter sacrificia, quandiu uixit Ioiada. Qui deinde senex E & maturus æui mortuus est, annos tum natus centum triginta, & in urbe Dauidis apud reges sepultus est: quoniam fuerat de Israelitis, & quod ad Deum, & quod ad Dei templum attinet, bene meritus. *Mortuo Ioiada, Ioas à pietate deficit.* Post mortem Ioiadæ, cum uenissent ad regē principes Iudæę, eumq; colerent, obsecuto illis rege, relictum est Iouæ patrij illorum Dei templum, & lucis statuisq; seruitū est: cuius quidem illorū criminis Iudæi & Hierosolymitani pœnas luerunt. Cùm enim mitteretur eis uates, qui eos ad Iouam reuocarent, admoniti non obtēperabant. *Zacharias uates necatur.* Cumq; diuino spiritu instinctus Zacharias Ioiadæ pontificis filius, ex Dei mandato stans apud populum monuisset, quoniam Iouæ præcepta uiolassent, fore infortunatos: quoniamq; Iouam F deseruissent, ab eo deserendos esse: illi eum, facta coniuratione, lapidibus iussu regis obruerunt in atrio templi Iouæ, rege sanè immemore beneficiorum, quibus à Ioiada illius patre fuerat affectus, qui eius filium interfecerit. Atque ille quidem moriens hæc dixit: Animaduertet Ioua, & ulciscetur. Igitur uertente anno Syri fecerunt aduersus eum expeditionē: & Iudæam Hierosolymamq; aggressi, omnes populi optimates interfecerunt, eorumq; prædam omnem ad regē Damascū miserūt. Et quanquam pauci numero uenerant Syri milites, tamen uictoriam de maximo exercitu, dāte Ioua, quem illi maiorum suorum Deum deseruerāt, reportarunt, & Ioæ pœnas irrogarunt. G Atq; illis ab eo digressis, cum eum multis affectum doloribus reliquissent, cōiurarunt in eum sui, propter cædem filij Ioiadæ pontificis: eumq; in ipsius lecto peremerunt, & mortuum in urbe Dauidis, sed non in regum sepulchreto, inhumarūt. Fuerunt autem qui coniurarunt hi, Zabadus Semaathæ Ammonitidis filius, & Iozabadus Semarithæ Moabitidis filius. Ac de eius quidē filijs, & exacto per eum honorario, fundatoq; fano, scriptum extat in historia libri regum.

CAPVT XXV.

EI successit in regno filius eius Amasias, anno ętatis suę uigesimoquinto: regnauit Hierosolymis annos nouem & uiginti, matre Ioadane Hierosolymitana. *Amasias Iudæ rex.* *4. Re. 14. a* Et Iouæ quidem paruit, sed non integro pectore. Regnū adeptus, eos suorum interfecit, qui ipsius patrem regem occiderāt: sed eorum filios non necauit, ut postulat scriptum legis in libro Mosis, ubi iubet Ioua, ne parētes pro liberis, ne'ue liberi pro parentibus moriantur, sed suum quisq; ob peccatum moriatur. *Deut. 24. e* *4. Reg. 4. b* *Ezec. 18. e* Hic Amasias conuocatos Iudęos, & in curias milliarias & centurias distributos, quicunq; uel Iudæi erant, uel Beniamitæ, recensuit, qui uigesimum ætatis annum excesserant: B & inuenit trecenta millia electorum, ad militiam idoneorum, hastatorum & scutatorum. Præterea ex Israelitis centum militum millia, centum argenti talentis conduxit. Sed aggressus eum quidā diuinus ita monuit: Noli, rex, Israelitis militibus uti: neque enim adest Ioua Israelitis, id est, omnibus Ephraimitis. Sed proficiscere tu, & bellū fortiter gere: alioquin Deus (cuius est & opem & detrimentum ferendi potestas) te hosti subijciet. At Amasias diuinum sic alloquitur: C Quid ergo fiet centum talentis, quæ ego Israelitis militibus dedi? Et diuinus: Penes Iouam est, inquit, tibi plura istis dare. Ita diuisit Amasias militibus, qui ad eum ex Ephraimitis uenerāt, illa talenta, ut patriam repeterent. Atq; illi Iudæis uehemēter irascentes, in patriam iracundè reuerterunt: Amasias autem cum suis audacter profectus in uallem salis, occidit Seiriorum decem millia, & Iudæi decem captiuorum millia in rupis fastigiū duxerunt, uiuosq; de rupe summa præcipitauerunt: atque ita omnes illi dirupti sunt. Milites D autem, quos Amasias remiserat, ne se ad bellū comitarentur, impressionem fecerūt in ea oppida Iudææ, quæ sunt à Samaria ad Bethoronem: & interfectis Iudæorum tribus millibus, multā prædam diripuerunt. ¶ At Amasias ex Idumæorum cęde reuersus, Seiriorum deos, quos attulerat, deos sibi constituit, eosq; adorans, eis adoleuit. *Amasias Idumæorū deos colit.* Quo facto iratus in eū Ioua, misit ei uatem, qui eum ita monuit: Cur illorū dijs studes, qui suos à te nō defenderunt? E Hæc dicentē interpellans Amasias dixit: Nū tu regi consiliarius appositus es? desine, ne occidaris. Tū uates desinēs: Scio, inquit, Dei cōsiliū esse perdere te, qui cū istud feceris, meū consiliū nō audis,

Amasias Ioa Israelitarum regi bellum indicit.

audis. ¶ At Amasias Iudaeae rex, consiliū cępit, & missis ad Ioam Ioachazi filium, Iehu nepotem, Israelitarum regem, nuncijs, eum ad congrediendum prouocauit. Cui Ioas ita significauit: Libani carduus misit ad Libani cedrum, qui illius filiam suo filio in matrimonium poscerent: sed praeteriens quaedam Libani fera,
F carduum proculcauit. Tu cogitatione uictorum à te Idumaeorum, animos gloriando tollis. Iam mane domi tuae, ne tibi malum asciscas, & unà cum Iudaeis cadas. Sed non obtemperauit Amasias, Deo ita uolente, ut illos hosti dederet, qui Idumaeorū dijs studuissent. ¶ Itaque profectus Ioas Israelitarum rex, congressus est cum Amasia Iudaeae rege, apud Bethsamem Iudaeae. Ibi uictis Iudaeis ab Israelitis, fugaq; domum dilapsis, Amasiam Iudaeae regem Ioae filium, Ioachazi nepotem, cępit Ioas Israelitarū rex apud Bethsamem: eoq; Hierosolymam ducto, diruit ex moenibus Hierosolymae, à porta Ephraimitarum, ad portam anguli, quadrin-

Ioas Hierosolymae murorū partē diruit.

G gentos cubitos: ablatoq; quicquid auri, argenti, uasorum inuentum est in fano apud Obededomum, regiaeq; thesauris & obsidibus, Samariam redijt. Vixit autem Amasias Ioę filius, Iudaeae rex, post mortem Ioae Ioachazi filij Israelitarum regis, annos quindecim. De reliquis Amasiae rebus à primis ad ultimas, scriptū extat in libro Regum Iudaeae & Israelitarum. Ex quo autem defecit à Ioua Amasias, facta est in eum Hierosolymae coniuratio: & cum Lachim profugisset, missi sunt qui eū Lachim persecuti, ibi necauerūt: equisq; reportatus, apud maiores suos sepultus est in urbe L. G.[a] Dauidis. H.

a Heb. Iudaeae.

CAPVT XXVI.

Ozias Iudaeae rex. 4. Reg. 14. c

TVm omnis Iudaeae populus Oziam annos natum sexdecim, regē in eius patris Amasiae locū subrogauit. Is, postquam rex ad suorū manes concessit, Elotha instaurauit, & Iudaeae restituit. Regnum inijt anno suae aetatis decimosexto: regnauit Hierosolymis annos duos & quinquaginta: matre Iechelia Hierosolymitana. Iouae paruit, Amasiam patrem suū imitatus: deditq; operā, ut Iouae studiosus esset, Zachariae temporibus, hominis diuinarum praesensionum periti. ac donec Iouae studiosus fuit, Deo usus est secundo: & in Palęstinos expeditionem fecit, in qua Gethae, Iabnae, & Azothi moenia diruit, & oppida in Azotijs & Palaestinis aedificauit, atq; à Deo adiutus est cōtra Palaestinos & Arabas Gurbaalenses: contra' que Ammonitas, qui Ammonitae ei tributum pensitarunt. atq; eò excellentiae prouectus est, ut
B eius nomen in Aegyptū usq; peruenerit. Construxit turres Hierosolymis ad portam anguli, & ad portam uallis, & ad uersuram: easq; muniuit. Construxit & turres in solitudine, multosq; puteos cauauit: habebat enim multa pecora tum in uallibus, tum in campestribus: aratores item, & uinitores, cùm in cęteris montibus, tum in Carmelo, quippe agriculturae studiosus. Habuit autem Ozias militum exercitum, qui in aciem prodirēt, numero descriptū, Iehieli scribae & Maaseię, qui magistratum gerebat, subiectū, sub Anania, qui erat de regijs proceribus. Familiarum militum primarij erāt omnino numero duo millia sexcenti, quibus suberant militum trecenta septem millia quingenti, qui bellis militari uirtute gerēdis regem contra hostes iuuarent. Huic toti exercitui cōparauit Ozias clypeos, iacula, galeas, loricas, C
arcus, & fundas ad lapides. Fecit & Hierosolymis tormenta artificiosè: quibus per turres & pluteos dispositis, tela, ingentiaq; saxa iacerentur. Itaque longè patuit eius fama, qui sibi tam egregias opum uires cōparasset. ¶ Sed uires nactus, animo in suā perniciem superbijt, contraq; Iouam Deum suum peccauit. Nam in Iouę cellam ad suffiendum ad aram suffitoriam ingressus est. Quem secuti Azarias pontifex, & cum eo Iouae sacerdotes octoginta, homines egregij, eum astantes ita monuerunt: Non est tuū, Ozia, Iouae suffire: sed sacerdotū Aharone prognatorum, qui sunt ad suffiendū consecrati. Exi ex sacrario: crimen enim cōmittis, nec tibi istud apud Iouā Deum laudi ducetur. Hic indignatus est Ozias, manu thuribulum D
ad suffiendū tenens: ac dum sacerdotibus succenset, enata est in eius fronte lepra coram sacerdotibus in templo Iouae apud aram suffitoriam. Cumq; eum intuentes Azarias pontifex & omnes sacerdotes, animaduertissent in eius fronte lepram, eum illinc cōfestim exturbarūt, alioquin egredi festinantem propter illatum à Ioua morbū. Ita fuit Ozias rex leprosus usq; ad mortem. semotamq; domū leprosus, ex Iouae tēplo exactus, habitauit: Iothamo eius filio regiam tenente, & incolarū rationes procurāte.

Ozias rex ob usurpatum sacerdotale munus lepra afficitur. 4. Reg. 15. a

De reliquis Oziae rebus ab initio ad finem, scripsit Esaias Amosi filius uates.

CAPVT XXVII.

Iothamus Iudaeae rex. 4. Reg. 15. g

OZia uita defuncto, & apud maiores suos in fundo sepulchreti regū (quòd leprosus esset) sepulto, successit in regnū Iothamus eius filius, anno ętatis suae uigesimoquinto: regnauit Hierosolymis annos sexdecim, matre Ierusa Sadoci filia. Iouae paruit, Oziam patrem suum imitatus, nisi quòd in Iouae cellam nō intrauit: sed adhuc erant populi mores deprauati. Portam templi Iouę superiorem instaurauit: B
in Ophelio muro multum aedificauit: oppida in montanis Iudaeae construxit, tum castella & turres in nemoribus. Bellum gessit cum rege Ammonitarum, in quo uicti ab eo Ammonitae, ei soluerūt illo anno centum argenti talen- C
ta, & tritici decem cororum millia, & hordei totidem: idemq; ei penderunt anno secūdo & tertio. Atque ita uires nactus est Iothamus, quoniam mores suos Iouae Deo suo probabat.

De reliquis Iothami rebus & bellis omnibus atque factis, scriptum extat in libro Regum Is- D
raelitarum & Iudaeae. Anno aetatis suę decimoquinto regnare ingressus, regnauit Hierosolymis annos sexdecim.

CAPVT XXVIII.

Achazus Iudaeae rex. 4. Re. 16. a

IOthamo ad maiorū suorū manes ꝓfecto, & in urbe Dauidis sepulto, successit in regnum Achazus eius filius, anno aetatis suae xx. regnauit

uit Hierosolymis annos sexdecim: nec Iouæ, patris sui Dauidis exemplo, paruit: sed regum Israelitarum facta imitatus, non solum Baalibus simulachra conflauit, sed etiam in ualle filij Hennomi adoleuit, & filios suos (gentium flagitia imitatus, quas Ioua Israelitarum causa depopulatus erat) igni cremauit, inq; sacellis & collibus, & passim sub frondosis arboribus, sacra suffitumq; fecit. Itaq; Ioua eius Deus eum Syrorum regi dedidit: qui eo uicto, magnum ab eo captiuorum numerum abegerũt, & Damascum abduxerunt. neque non Israelitarum regi deditus, magnam ab eo cladem accepit: occiditq; Phaca Romeliæ filius Iudæorum cẽtum uiginti millia uno die, qui omnes erãt milites, quoniam Iouam maiorũ suorum Deum deseruerãt. Interfecit & Zechris miles Ephraimita, Maasæiam regis filium, & Azricanũ familiæ magistrum, & Elcanam secundum à rege: abduxeruntq; Israelitæ à suis cõsanguineis, ducẽta captiuarum mulierum puerorumq; & puellarum millia, & præterea multam ab illis prædam diripuerunt, quam Samariam abduxerũt. ¶ Erat autem ibi Iouæ uates Odedus nomine, qui obuiã egressus exercitui Samariam uenienti, eos huiusmodi uerbis excepit: Cùm Ioua maiorum uestrorum Deus Iudæis iratus, eos uobis dediderit, uos eos tãta atrocitate occidistis, ut ea ad cœlum usq; pertingat. Et nunc Iudæos & Hierosolymitanos uobis seruos & seruas redigere cogitatis: an non istud est contra Iouam Deum uestrum cõmittere? Quamobrem auscultate mihi, & captiuos istos, quos à uestris fratribus abigitis, reducite: alioqui Iouæ iram sentietis. Deinde quidam de Ephraimitarum primarijs, Azarias Iohãnis filius, Barachias Mesillemothi, Ezechias Sellumi, & Amasa Hadalis, in eos qui ex militia ueniebãt incitati, eis ita dixerunt: Non introducetis huc captiuos: nam ista ratione crimine nos contra Iouam obligaretis, nostrum peccatũ & crimen augentes, quasi id nõ satis magnum sit, aut parum irarum sit in Israelitas. Tum milites armati, captiuos prædamq; corã proceribus totoq; cœtu omiserunt, & homines suprà nominatim dicti surrexerunt: sumptisq; captiuis, omnes eorum nudos de spolijs uestiuerũt, & uestitos atque calceatos cibo & potione curarunt atq; unxerũt: & impositos asinis, præsertim omnes defethiscentes, Hierichuntem urbem palmiferam duxerunt ad ipsorum consanguineos, deinde Samariam redierunt. Eo tẽpore misit rex Achazus ad regem Assyriæ, petitũ auxilium. Nam insuper Idumæi Iudæos adorti uicerant, captiuosq; abduxerant: & Palæstini impressione facta in oppida Iudææ campestria & meridiana, cæperant Bethsamem, Aialonem, Gaderotha, Sochonem, Thamnam, & Gamzonem, cum eorum colonijs: ibiq; consederant, perdomante Iudæos Ioua, propter Achazum Iudææ regem, qui Iudæis ad nequitiam abducendis, contra Iouam commiserat. Itaq; ad eum profectus Teglathphalnasar Assyriæ rex, eum grauauit, non leuauit. Et quamuis templi Iouæ

Phaca Iudæis cladẽ infert.

B *Odedus uates Iudæos captiuos Samariam adduci prohibet.*

C

Teglathphalnasar Assyriæ rex.

& regiæ procerumq; facultatum partem cæpisset Achazus, & Assyriæ regi dedisset, nihil eum iuuit. Atq; is quidem (de Achazo rege dico) in suis temporibus aduersis amplius in Iouam commisit, & Damascenorum dijs, à quibus cæsus fuerat, sacrificauit, dicẽs deos regum Syriæ Syris opitulari: itaq; sese sacra facturum, ut ab eis adiuuetur. Atque illi quidem tum ei, tum omnibus Israelitis detrimento fuerunt. Congessit autem Achazus uasa templi, ijsq; mutilatis, & ostijs tẽpli Iouæ clausis, aras sibi in omnibus Hierosolymæ angulis extruxit, & passim in omnibus Iudææ oppidis sacella fecit, ad adolendum dijs alienis, Iouamq; maiorum suorum Deum irritauit. De reliquis eius rebus, omnibusq; factis, amplissimè scriptum extat in libro Regum Iudææ & Israelitarum.

D *Achazi impietas.*

CAPVT XXIX.

Achazo uita defuncto, & in urbe Hierosolyma sepulto (neq; enim in sepulchra regum Israelitarum illatus est) successit in regnum Ezechias eius filius, annum ætatis agẽs uigesimumquintum: regnauit Hierosolymis annos undetriginta, matre Abia Zachariæ filia. Paruit autem Iouæ, Dauidem conditorem suum imitatus. atq; anno regni sui primo, mẽse primo, templi Iouæ ualuas aperuit ac refecit: adductosq;, & in platea orientali congregatos sacerdotes & Leuitas, sic allocutus est: Audite me, Leuitæ: Lustramini iam, & Iouæ maiorum uestrorum Dei templum lustrate, & ex sacro profana efferte. Nam patres nostri tãto Iouam Deum nostrum crimine offenderunt, & deseruerunt, ut Iouæ tabernaculum auersati, ei tergum obuerterẽt: etiamq; clausis uestibuli ualuis, extinctisq; lucernis, neque suffitum, neque solidum sacrificium Israelitarum Deo in sacrario facerent. Itaque adeò iratus est Ioua in Iudæos & Hierosolymitanos, ut eos mirandum in modum uexandos exibilandosq; curauerit, ut ipsi uestris oculis uidetis. Ergo & patres nostri, ut uidemus, armis propterea ciderunt, & nostri liberi atque coniuges captiuitatem subierunt. Quapropter ego in animo habeo, fœdus cum Ioua Israelitarum Deo ferire, eius incensæ iræ à nobis auertendæ gratia. Nũc, mei nati, nolite socordes esse: uos enim elegit Ioua, ut ei apparentes ministretis, & ministrãtes suffitum faciatis. ¶ Tum surrexere Leuitæ, Mahathus Amasais filius, & Ioel Azariæ, ex Cahathitis: ex Merarensibus autem, Cis Abdis filius, & Azarias Ialaleelis: ex Gersonijs, Ioa Zemmæ filius, & Eden Ioæ: ex Elisaphanensibus, Samris et Iaiel: ex Asaphanis, Zacharias et Mathanias: ex Hemanẽsibus, Iahiel & Semeis: ex Ieduthunensibus, Semeias & Oziel. qui congregatis suis consanguineis lustrati, iussu regis Iouæ templũ (ut ipsius Iouæ dicta postulabant) purificare ingressi sunt: & introgressi sacerdotes in penetrale templi Iouæ, ad id purificandum, omnia polluta, quæ in Iouæ cella inuenerunt, in atrium templi Iouæ extulerunt, ea'que sublata Leuitæ foràs ad torrentem Cedronem exportarunt. Ac primo die mensis primi

Ezechias Iudææ rex. 4.Reg.18.a

Ezechiæ ad Leuitas oratio.

B

C

Lustratur templum.

primi lustrationem exorsi, octauo die mensis

D uenerunt in Iouæ uestibulum. Atq; ita lustrato Iouæ templo diebus octo, die mensis primi decimosexto, absoluto opere, ad Ezechiã regem introgressi, renunciant sese totum Iouæ templum purificauisse: aram uictimariam & mensam ordinariam, cum earum omni instrumento, omniaq; uasa, quæ regnãs Achazus rex suo crimine incestauerat, parasse atq; lustrasse, eaq; nunc apud arã Iouæ esse. ¶ Tum rex Ezechias, ubi manè surrexit, conuocatis primoribus ciuitatis, in Iouæ templum ascendit, adductis'que tauris, arietibus, agnis, & capris septenis, regni & sanctuarij & Iudeę piacularibus, præcepit Aharonijs sacerdotibus, ut ad Iouæ arã solidũ

E sacrificium facerent. Itaq; sacerdotes, mactatis tauris, exceptum sanguinem in aram effundũt: item'que mactatis arietibus, eorum sanguine aram cõspergunt. Deinde adductos ad regem reliquumq; cœtum capros piaculares, impositis eis manibus, mactant sacerdotes, & eorum sanguine ad aram piaculum faciunt, omnium Israelitarum propitiatorium: nam omnium Israelitarum nomine solidum sacrificium & piaculum rex instituerat. Tum Leuitas in Iouæ

F templo statuit cum cymbalis, nablis, & citharis, ex pręcepto Dauidis, & Gadi fatidici regij, & Nathanis uatis: erat enim ea disciplina à Ioua per eius uates profecta. Igitur astantibus Leuitis Dauidis instrumenta, & sacerdotibus tubas tenentibus, iussit Ezechias solidum sacrificium ad aram fieri: eodemq; momento & solidum fieri sacrificium cœpit, & carmen Iouę cantari, & tubæ resonare, & Dauidis Israelitarum regis instrumẽta pulsari: & uniuersus cœtus, personante carmine, tubis clangentibus, adorare: quæ omnia durarunt, donec absolutũ sacrificium est: quo peracto, rex, & omnes qui cum eo aderant, honorem Deo summissè præbuerũt. Deinde Leuitis pręcepit rex Ezechias & proceres, ut Dauidis & Asaphi fatidici uerbis Iouã laudarent: cumq; illi lęti laudassent, & suppliciter adorassent, iussit Ezechias, ut iam manus suas Iouæ sacrarent, & accederent, hostiasq; & grati animi uictimas in Iouæ templũ

G adducerẽt. ¶ Itaq; adduxit cœtus hostias & grati animi uictimas, pręter eas omnes quas nonnulli sua sponte adducebãt solidas hostias: quarũ solidarum hostiarum à cœtu adductarũ numerus fuit, tauri septuaginta, arietes centum, agni ducenti: atq; hæc omnia ad solidum sacrificium Iouæ faciẽdum. Consecratorum autem fuere tauri sexcẽti, & balantum tria millia. Cæterùm, quoniam pauciores erant sacerdotes, quàm ut possent omnes deglubere uictimas: adiuuerunt eos Leuitæ, eorum consanguinei, donec peracta res est, & lustrati sunt sacerdotes. nam Leuitæ promptiores fuerant ad lustrandum se, quàm sacerdotes. Erat etiam magna uictimarum copia, præter adipes pro salute, & libandum uinum ad uictimas. Ita constituta templi Iouæ operatione, lætatus est Ezechias & omnes reliqui, populum esse, tam celeriter acta re, diuinitùs expeditum.

CAPVT XXX.

Deinde misit Ezechias ad omnes Israelitas & Iudęos, etiãq; epistolas scripsit ad Ephraimitas & Manassenses, ut Hierosolymã conuenirent in Iouæ templum, ad Pascha Iouę Israelitarum Deo agendum. Statuit autem rex, eius'que proceres, & omnis Hierosolymitana respublica, Pascha secundo mense agere: non enim potuerant suo tempore facere, sacerdotibus nondum omnino lustratis, neque populo Hierosolymis congregato. Itaq; uisum est tum regi, tũ omni conuentui, statuere, ut per omnes Israelitarum fines, à Bersaba ad Danem, ediceretur, ut Hierosolymam ad Pascha Iouæ Israelitarum Deo agendum conueniretur: id enim iamdiu ex præscripto factũ non fuerat. ¶ Igitur profecti cursores cum epistolis à rege eius'que proceribus acceptis, per omnes Israelitarũ Iudæorumq; fines, regium mandatum exposuerunt, quod erat huiusmodi: Redite ad Iouam, Israelitę, Abrahami, Isaaci, & Israelis Deum, ut ipse uicissim redeat ad uestrûm reliquias, quæ regum Assyriæ manus euaserunt. ne'ue patres aut cõsanguineos uestros imitamini: qui, quia

Ezechias Pascha agendum curat.

contra Iouam Deum suum patrium commiserunt, ab eo sunt mirificè mulctati, ut uidetis. B

Quamobrem nolite ceruices uestras patrum uestrorũ exẽplo obfirmare: date manus Iouæ, & adeundo sacrariũ, quod ille in sempiternum consecrauit, Iouam Deum uestrum colite, ut à uobis illius auertatur incensa ira. Nam uobis ad Iouam conuersis, uestri consanguinei & liberi, ijs apud quos captiui sunt, eorũ misertis, in hanc reuenient terram. Etenim exorabilis & misericors Ioua Deus uester, non uos auersabitur, si ad eum redieritis. Sed cum cursores Ephraimitarum Manassensiumq; fines usque ad Zabulonios oppidatim peragraret, irrisione ludebãtur ab illis: quanquam Aserianorum & Manassensium Zabuloniorumq; nonnulli sese summissius gesserunt, & Hierosolymã uenerunt. Neque non Iudæorũ diuinitùs impulsorum mẽs una fuit, ad regis procerumq; mandatum ex Iouæ præscripto exequendum. Itaq;

Hierosolymam congregati homines maxima C

copia ad agẽda Azymalia secũdo mense, protinus sublatis aris, quæ erãt Hierosolymæ, tum cæteris, tum suffitorijs, & in torrentem Cedronem proiectis, Pascha die secundi mensis decimoquarto immolarunt. Et sacerdotes ac Leuitæ prę pudore lustrati, uictimas in Iouæ templum introduxerunt: & suo munere, ut eorum ritus ferebat, ex lege diuini Mosis functi sunt, ita ut sacerdotes acceptũ à Leuitis sanguinem spargerent. Erant autem in eo cœtu multi non lustrati, Leuitis occupatis in mactandis uictimis Paschalibus omnium nõ mundorum, eorum Iouæ consecrandorum gratia. Itaq; multo maxima pars Ephraimitarum, Manassensium, Issacharianorum, & Zabuloniorum, cum purificati non essent, Pascha non ex præscripto polluxerunt, Ezechia pro eis precato, & ita locuto: Bonum illum Iouam fore propitium omnibus, qui mẽtes suas ad Dei, ad Iouę inquam, ipsorum

ipsorum patrij Dei studiũ applicuissent, etiamsi non agerent ut postulabat sacra purificatio. Iis Ezechiæ precibus exauditis, Ioua illis remedium adhibuit. Ita egerũt Israelitæ, qui Hierosolymis aderant, Azymalia septem dies, magna lætitia, cum Leuitæ & sacerdotes Iouam D quotidie ualidis Iouæ organis laudarent. Atq; Ezechias omnibus Leuitis Iouanarum rerum bene peritis blanda oratione persuasit, ut illud solenne sacrum septemdiale pollucerent, sacrificia pro salute faciẽtes, & Iouæ maiorum suorum Deo gratias agentes. Deinde statuit uniuersa respublica, septẽ alteros dies agere: eosq; septem dies egerũt cum lætitia. Nam Ezechias Iudææ rex multitudini exceperat tauros mille, & balantum septẽ millia, & primarij totidem, magna sacerdotum copia lustrata. Ita lætatus est omnis conuentus tam Iudæorum & sacerdotum atque Leuitarum, quàm eorum qui ex Israelitis uenerant, & peregrinorum uel ab Israelitarum finibus profectorum, uel Iudææ incolarum: fuitq; Hierosolymæ lætitia, quanta à tempore Solomonis Dauidis filij Israelitarum regis ibi non fuerat. Deinde sacerdotes Leuitæ surrexerunt, & populo bene precati sunt: estq; eorum exaudita uox, & preces in cœlum ad sacrum Dei domicilium peruenerunt.

CAPUT XXXI.

Tolluntur alieni dij.

Ezechias sacerdotia ordinat.

PEractis his omnibus, profecti omnes qui aderant, Israelitę, in oppida Iudææ, statuas perfregerunt, lucos succiderunt, sacella & aras ex tota Iudæa, & Beniamitarum, & Ephraimitarum, Manassensiumq; finibus funditùs euerterunt, atque ita in suæ quisq; possessionis oppida reuerterunt. Constituit autem Ezechias sacerdotum Leuitarumq; classes, ita descriptas, ut cuiusque sacerdotum & Leuitarum muneris ratio postulabat ad solida sacrificia & pro salute faciendum, administrandum, ad Iouam celebrandum & collaudandũ in portis castrorum Iouæ. Conferebat autẽ rex ex suis facultatibus ad solida sacrificia, tum matutina & uespertina, tum Sabbathorum & nouiluniorum atque solennium, ex Iouanæ legis præscripto. Item'que iussit Hierosolymitanis, ut in sacerdotes & Leuitas conferrent, quo Iouæ legem B tenerent. Qua re diuulgata, Israelitę primitias frumẽti, musti, olei, mellis, omnis'que redditus terræ, omnium'que decumas magna copia attulerunt. Tum autem præter Israelitas, etiam Iudaicorum oppidorum incolæ Iudæi boum, balantumq;, & eorum quæ eorum Deo Iouę consecrata erant, decumas afferebãt, & in aceruos digerebãt, qui tertio mense fundari cœpti, septimo sunt absoluti. Eos aceruos cũ uisisset Ezechias & principes, Iouæ eius'que Israelitis gratias egerunt. Interroganti'que Ezechiæ sacerdotes & Leuitas de aceruis, respõdit Azarias summus pontifex, ex Sadoci familia, post- C quam in Iouæ templum cœptum sit inferri honorarium, ea tam multa ad id,[a] quod ad satietatem comesum sit, superesse: tantam Iouã suis, & illi reliquæ multitudini, abundantiam largitum esse. Tum Ezechias iussit cœnacula in Iouæ templo componi, in quæ composita honorarium, & decumæ, & consecrata fideliter illata sunt, curatore Chonenia Leuita, & Semei eius fratre secũdum illũ: quibus Choneniæ & Semei parere iussi sunt Iehiel, Azarias, Nahathus, Asael, Ieremothus, Iozabadus, Eliel, Iesmachias, Mahathus, & Banaias, ab Ezechia rege constituti. Azarias autem erat æditimus. Cores Iemnæ filius Leuita ianitor orientalis, muneribus, quæ Deo ultro afferebantur, prępositus, ad Iouæ honorarium & sacrosancta distribuenda. Huic attributi erant Eden, Miniamin, Iesua, Semeias, Amarias, & Sechenias, qui per oppida sacerdotum distributi, cõsanguineis suis per classes fideliter præberent, paruis iuxtà ac magnis: id est, tum maribus, D qui tertium ætatis annum excedentes recensebantur: tum omnibus in Iouæ templũ ad quotidianum munus obeundum intrãtibus, prout eorum procurationes & classes postulabãt, uidelicet sacerdotibus per familias recensitis, & Leuitis uigesimum ætatis annum superãtibus, pro ratione eorum procurationis atque classium: tum præterea omni paruulorum, uxorumq; eorum, & liberûm promiscuæ multitudini recensitæ, quę quidem in illorũ functione erat sanctè consecrata: necnon Aharone prognatis sacerdotibus, passim in suorum oppidorum pomœrijs manẽtibus: præberẽt inquam suprà nominatim positi homines, demensum omnibus sacerdotum maribus, & Leuitarum censis. Atque id fecit Ezechias in omni Iudęa, se'que ex bono & æquo & officio erga Iouam Deum suum gessit: & omnem rem, quam circa fani opus, circaq; legem & disciplinã, Dei sui studio tota mente aggressus est, egit feliciter.

[a] quod Leuitis superfuerat, qui decumis uescebantur.

CAPUT XXXII.

Ezechias se cõtra Senacheribũ munit.

4.Reg.18.d Esa.36.a

POst eas res atque officium Senacheribus Assyriæ rex Iudęam adortus, castra posuit cõtra munitas urbes, eas'que ui capere statuit. Tum Ezechias uidens eum bello Hierosolymam aggredi parare, decreuit cum suis proceribus & militibus fontanas aquas, quæ extra urbem erant, obthurare. Itaque adiuuantibus illis, coacta hominum ingenti multitudine, obstructi sunt omnes fontes, & fluuius qui per mediam regionẽ manabat, ne si uenissent Assyriæ reges, tantum aquę inuenirẽt. Deinde cum confirmasset ipse se, omnem dirutum murum instaurat, turres, & foris alterum murum excitat, Mellonem Dauidis urbẽ reficit, missilium & clypeorum magnam copiam facit, belli duces copijs præficit: eos'que ad se in plateam portę urbis conuocatos, comiter alloquitur in B hunc modũ: Este fortes & infracti, ne'ue Assyriæ regem, aut illam tantam turbam, quæ eum comitatur, pertimescite aut exhorrete: nã plures nobis adsunt quàm illi. Adest illi brachium corporeũ: at nobis adest Ioua Deus noster, qui nos adiuuet, & nostra prælia gerat. Hac Ezechiæ Iudęę regis oratione confirmati sunt homines. Postea Senacheribus Assyriæ rex, qui tum apud Lachim unà cum toto suo dominatu erat, misit Hierosolymam suos ad Ezechiam

Iudææ regem, & ad omnes Hierosolymitanos
C Iudęos, qui ita dicerent: Ita dicit Senacheribus

Rabsacis ad Iudæos oratio.

Assyriæ rex: Qua tandem re freti, Hierosolymis intra munimentum uos continetis? An uobis scilicet imponit Ezechias, ut uobis mortem fame sitiq; conciliet, dum fore promittit, ut uos Ioua Deus uester à regis Assyriæ manu uindicet? An non Ezechias iste illius sacella arasq; sustulit, & Iudæis atque Hierosolymitanis iussit, ut apud unam aram adorēt, & ad eam suffiant? An nescitis quid fecerim ego, maioresq; mei, omnibus terrarum nationibus? Num potuere dij gentium cæterarum terrarum, suas terras à manibus meis defendere? Quis est ex omnibus illarum gentium dijs, quas mei maiores euerterunt, qui potuerit suos à mea manu tutari, ut uos Deus uester à me defendere posse
D uideatur? Quocirca nolite ab Ezechia decipi, aut eò induci, ut ei credatis. Nec enim potuerunt omnes omnium gentium regnorum'que dij, suos à me meis'que maioribus defendere, nedum ut uos dij uestri contra me defendant. Hęc et plura Senacheribiani contra Iouā Deū, contraq; eius cultorem Ezechiam, locuti sunt, scriptis à Senacheribo literis, quibus de Ioua Israelitarum Deo detrahens, atque maledicēs, affirmabat, quemadmodum dij gentium cęterarum terrarum suos ab ipso non defendissent: sic Ezechię Deum non esse suos ab ipso defensurum. Itaque illi magna uoce Iudaicè clamarunt ad Hierosolymitanos, qui erant in muris, ut eis perterritis atq; perturbatis urbem caperent, non aliter in Hierosolymorum Deum lo-
E cuti, quàm in cæterarum orbis nationum deos hominū manu factos. Sed cum super ea re precati Ezechias rex, & Esaias Amosi filius uates, ad cœlū questi essent, misit Ioua genium, qui omnes in castris regis Assyriæ milites ducesq; & principes interfecit. Qua ille accepta ignominia, patriam repetijt: ubi Dei sui templū ingressus, ab ijs ipsis qui ex eius uisceribus exierant, ferro trucidatus est. Ita cū Ioua Ezechiam & Hierosolymitanos cùm ab omnib. alijs, tum à Senacheribo Assyriæ rege tutatus esset, illis undiq; abactis, multi & Iouæ munera, & Ezechiæ Iudææ regi strenas Hierosolymam afferebant, atque ita apud omnes gentes dignitate
F auctus est. ¶ Per id tēpus lethaliter ægrotauit Ezechias, precatusq; Iouam, promissionem ab eo & ostētum obtinuit. Verùm tantum abfuit ut ei parem beneficio gratiā tribueret, ut etiam animo insolesceret: cuius rei pœnas luit tum ipse, tum Iudæa & Hierosolyma: atque ob eam animi sui superbiam subactus est ipse & Hierosolymitani, quanquam eis pœna à Ioua irrogata nō est uiuente Ezechia. ¶Abundauit autem Ezechias diuitijs & gloria, sibi'que thesauros comparauit, argenti, auri, gemmarum, aromatum, clypeorum, & omnis elegantis supellectilis: tum sellas ad frumenti, musti, olei'que prouentum, & stabula ab omne armenti genus, caulasq; ad pecora. Oppida quoq;, et magnam minoris maiorisq; pecoris facultatē sibi comparauit, quippe ingentes diuinitùs opes asse-

Senacheribi exercitus clades.

4.Re.20.a Esa.38.a

Ezechiæ diuitiæ.

cutus. Item Ezechias superiores aquæ Gehonis scatebras obstruxit: eam'que subter occidentalem urbis Dauidis partem deriuauit, & se in omni opere suo gessit feliciter, nisi quòd in legatione principum Babyloniorum missa ad eum super [a] ostento, quod in ea regione acciderat, interrogandum: deseruit eum Deus, ut eum tentaret, & disceret, ecquid omnino haberet in animo. De reliquis Ezechiæ rebus & pietate scriptū extat in oraculis Esaię uatis Amosi filij, & in libro Regum Iudææ & Israelitarum. Ezechia ad maiorum suorum manes profecto, & in cliuo sepulchreti Dauididarum sepulto, & honorifico funere ab omnibus Iudæis & Hierosolymitanis elato, successit in regnū eius filius Manasses. G

a cum solarij umbra retrocessit 4.Reg.20 & Esa.38.

CAPVT XXXIII.

QVi anno ætatis suę duodecimo regnum adeptus, regnauit Hierosolymis annos quinque & quinquaginta. Is gentium flagitia, quas Ioua Israelitarum causa deleuerat, imitatus, Iouam offendit: sacella à patre suo Ezechia euersa instaurauit: aras Baalibus erexit: lucos fecit: omnes cœli copias adorauit, coluit'que: aras in Iouæ templo cōstruxit: cum Ioua dixisset, nomen suum Hierosolymis fore in sempiternum: altaria omnibus cœlestibus copijs in duobus templi Iouæ atrijs cōstruxit: filios suos per ignem in ualle filij Hennomi traiecit: hariolatione, augurijs & præstigijs usus est, uentriloquosq; & magos instituit: quibus tot sceleribus committendis Iouā irritauit, & fictitium simulachrum à se factum posuit in fano: cum Deus Dauidi eius'que filio Solomoni promisisset, sese in eo templo & Hierosolymæ, quam ex omnibus Israelitarum tribubus delegisset, collocaturum esse nomen suum in sempiternū: facturum'que, ut nunquam deinceps pedem mouerent Israelitæ ex ea terra, quam eorū maioribus assignasset, si modò curassent exequenda omnia eis ab ipso præcepta: id est, omnem legem, decreta, & iura per Mosem tradita. Igitur cum ita deprauasset Manasses Iudæos & Hierosolymitanos, ut peiora, quàm gētes, quas Ioua Israelitarum gratia euerterat, facerent: cumq; admonitus à Ioua Manasses & sui, negligerent: immisit eis Ioua duces exercitus regis Assyriæ, qui captum Manassem, & compedibus catenis'que uinctum, Babylonem duxerunt. In ea angustia Iouam Deum suum interpellauit, seq; maiorum suorum Deo multum summisit, & eum supplicauit in hunc modum: L. ¶Domine omnipotens Deus maiorum nostrorum Abrahami, Isaaci, & Iacobi, eorumq; iusti seminis, qui cœlum terramq; fecisti, cum omni eorum ornatu, qui mare tui præcepti uerbo terminasti, qui pelagus terribili & laudabili tuo nomine conclusum definijsti, cuius uirtutem pauent omnes ac tremunt: cuius gloriæ maiestas eiusmodi est, ut ferri non possit: & minarum ira sontibus est intolerabilis, immensa uerò & inexplicabilis clementia promissionis: quippe qui dominus sis toto orbe terrarum supremus, benignus, lentus, in primis'que misericors, & ab hominum

Manasses Iudææ rex. 4.Re.21.a

2.Reg.7.b

B

2.Reg.7.b 3.Reg.8.b

C

Manassis precatio.

hominum pœnis abstinens. Tu quidem Domine, pro tua singulari bonitate ac misericordia promisisti sontibus, & ijs qui in te peccauerint, si modò eos pœniteat, ueniā peccatorū, ac salutem. Atqui ô Domine iustorū Deus, non tu iustis pœnitentiam destinasti, Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, quippe qui in te non peccauerint, sed mihi sonti: qui quoniam arenæ maris numerum meis tot peccatis & uitijs, Domine, meis tot peccatis & uitijs superaui, propter quæ tot uitia dignus non sum qui cœli sublimitatem aspiciam, ita ferreis crucior uinculis, ut non sit attollendi capitis, aut respirandi potestas, adeò iram tuam incendi: & te tot, tanta, tam nefaria scelera committens, dum tuæ uoluntati non obtempero, nec tua præcepta exequor, offendi. Quamobrem flexis animi genibus precor, ut in me utare clementia Domine. Peccaui Domine, peccaui, & culpas meas agnosco. Te supplex oro Domine, ignosce ignosce mihi, ne me prorsum propter mea uitia perde, æternis'ue pœnis iratus persequere, aut ad intima terrę loca damnato: sed qui Deus es, Deus inquam eorum quos peccasse pœnitet, exere in me tuam bonitatem singularem, seruando indignum me pro tua tanta misericordia: ego te per omnem uitam meam laudabo: te, quem omnis laudat cœlorū potestas, gloria præditum sempiterna. Amen. H. Ita'que pacatus est ei Ioua, eumq; exaudita eius supplicatione, Hierosolymam in regnum suum reduxit: atque ita didicit Manasses, Iouam esse Deū. Deinde Dauidis urbi exteriorē murum in alueo astruxit, quà Gehon est ad occasum, & quà per portā piscium itur, circumq; Ophel: eumq; murū fecit altissimum. Item militiæ duces per omnia munita Iudęæ oppida disposuit: deos peregrinos & signum ex Iouæ templo, omnesq; aras, quas uel in monte templi Iouæ, uel Hierosolymis extruxerat, sustulit, & extra urbem proiecit: aram'que Iouæ instruxit, & ad eam pro salute & grati animi sacrificia fecit, Iudæisq; ut Iouam Israelitarum Deum colerent, imperauit. Quanquam homines adhuc in sacellis sacrificabant, sed Iouæ Deo suo. De reliquis Manassis rebus, & precatione ad Deum, uerbisq; fatidicorū, qui eum Iouæ Israelitarum Dei nomine allocuti sunt, habetur in Regum Israelitarum historia. D ¶ Tū de eius precatione & impetratione, deq; eius cunctis sceleribus & criminibus, & de locis in quibus uel sacella construxit, uel lucos atq; simulachra instituit, antequam sese summisisset, scriptum extat in libro Hozais. Manasse uita defuncto, & domi suę sepulto, successit in regnum filius eius Amon, anno ætatis suæ uigesimosecundo: regnauit Hierosolymis annos duos. Iouā exemplo Manasis patris sui offendit, omnibusq; simulachris à Manasse factis sacrificauit Amon, atque seruiuit: neq; se Iouæ summisit, ut fecerat Manasses, sed multa deliquit. Itaque sui eum per coniurationem domi suæ peremerūt: quos omnes cōiuratores incolæ occiderūt, & Iosiam eius filium in illius locum regem suffecerunt.

Amon Iudae rex.

CAPVT XXXIIII.

Iosias Iudae rex. 4.Re.22.a

Iosias templum reficiendum curat.

IOsias regnum anno ætatis suæ octauo adeptus, regnauit Hierosolymis annum unum & triginta. Is Iouæ paruit: & Dauidis conditoris sui facta imitatus, nec ad dextrā nec ad sinistram deflexit. Atque anno regni sui octauo, puer adhuc, cœpit Dauidis autoris sui Deo studere. Anno autē duodecimo cœpit Iudæos & Hierosolymitanos à sacellis, lucis, simulachris aut sculptis aut cōflatis, purgare: dirutisq; præsente se Baalū aris, imposita eis simulachra discerpsit: lucos & sculpta conflataq; simulachra perfregit atq; cōminuit, & in eorum sepulchra, qui eis sacrificauerant, sparsit: ossaq; sacrificiorum in ipsorum cremauit altaribus, & Iudæam ac Hierosolymam expurgauit. B In Manassensium quoque & Ephraimiticorum Simeoniorumq; usq; ad Nephthalenses oppidorum desertis circumquaq; locis, aras & lucos euertit: signa minutatim cōtudit, & discerptis omnib. totius Israelitarum regionis simulachris, Hierosolymam rediit. Anno autem regni sui duodeuigesimo, terra templo'que purificato, misit Saphanem Asaliæ filium, & Maaseiam prætorem urbanum, & Ioham Ioachazi filium commentariensem, ad Iouæ Dei sui templum reficiendum. Atq; hi ad Helciam pontificem maximum profecti, accepta pecunia, quā in Iouæ templo prouenietem Leuitæ liminis custodes ex Manassensibus & Ephraimitis, & ex omni- C bus Israelitarū reliquijs, exq; omnibus Iudæis & Beniamitis redegerant, Hierosolymam reuerterunt, eamq; tradiderunt operis curatoribus Iouæ templo prępositis: quam porrò operis curatores in opere tēpli Iouæ occupati impenderent ad sarciendum reficiendumq; templum, in fabros & structores, ad comparanda saxa quadrata, lignaq; ad commissuras, & ad contignationem domorum, quas Iudææ reges destruxerant. Faciebant autem homines opus fideliter: quibus præfecti erāt Iahathus & Abdias Leuitæ Merari prognati, Zachariasq; & Mosollamus ex Cahathitis ad urgendū opus, qui Leuitæ omnes musicorum organorū erant periti. Præerant & baiulis, & totius operis diuersa munera urgebant: atque ex Leuitis item erant scribæ & magistratus atq; ianitores. D ¶ In depromenda autem pecunia, quæ in Iouę templum illata fuerat, nactus Helcias pontifex librum legis Iouæ per Mosem latę, indicauit Saphani scribæ, se librum reperisse legis in tēplo Iouæ, eumq; librum Saphani tradidit. Saphan librum ad regem tulit, eiq; negocium retulit, uidelicet regios omnia sibi mandata fecisse: argentum in Iouæ templo repertum conflauisse, idq; præfectis & operis curatoribus tradidisse. Tum præterea regi indicauit idem Saphan scriba, librum sibi ab Helcia pōtifice datū, eumq; apud regē legere cœpit. Rex, audita legis oratione, scissa ueste imperauit Helciæ & Ahicamo Saphanis filio, & Abdoni Michæ filio, & Saphani scribæ, & Asaiæ regio stipatori, ut Iouam percontatum irent tum pro ipso, tum pro Israelitarum atque Iudæorum reliquis, super

Helcias pontifex librū legis inuenit.

B uerbis libri reperti: magnam enim Iouæ bilem in ipsos effusam esse, quorum patres nō curassent, ut ex Iouæ mādato omnia in libro illo scripta exequerentur. ¶ Tū Helcias & cæteri regij

Holda femina uates.

Holdam adeunt uatem, Sellumi Thocoathi filij, Hasræ nepotis, uestium custodis, uxorem, Hierosolymis in altera urbis parte habitātem, eiq; rem exponunt. Quibus illa sic retulit. Sic dicit Ioua Deus Israelitarum: Dicite homini, qui uos ad me misit. Sic dicit Ioua: Ego sum malo affecturus locum istum, & eius incolas, uidelicet omnibus diris in libro, qui apud Iudææ regem recitatus est, descriptis, quoniam relicto me, dijs adoleuerūt alienis, quo me suis omnibus factis irritarent. Itaque adeò fluit in locum istum ira mea, ut restinguenda non sit. F Regi autem Iudææ, qui uos ad Iouam percontandum misit, sic referetis. Sic dicit Ioua Deus Israelitarum: Quod ad ea pertinet quæ audiuisti, quoniam tu te molli animo Deo summisisti, auditis eius in locum istum & eius incolas minis, mihiq; submissus, scissa ueste apud me fleuisti, ego quoq; te exaudiui, inquit Ioua: teq;, ut hoc scias, tuis addam maioribus. faciamq; ut sepulturam bona cum pace adipiscaris, neque tuis oculis tantū malum uideas, quod ego sum isti loco eius'que incolis importaturus. ¶ Hæc

4. Re.23.a

res postquā relata regi est, curauit ad se conuocandos omnes senatores Iudęos & Hierosolymitanos: C cumq; omnibus Iudæis & Hierosolymitanis, & sacerdotibus & Leuitis, breuiter cum uniuerso à minimo ad maximum populo, in Iouæ templum ascendit, & illis audientibus, omnia libri fœderis in Iouę tēplo reperti uerba recitauit: & in pulpito stans, pepigit apud Iouam, sese Iouam secuturum esse, eiusq; præcepta, monita, decreta, tota mente totoq; animo conseruaturum, exequendo fœderis dicta in libro illo descripta. Astabāt autem omnes qui Hierosolymis aderant, & Beniamitæ. Ita in diuinum sui patrij Dei fœdus consensere Hierosolymitani. Idem Iosias ex omnibus Israelitarū terris sustulit omne nefas: & omnes qui tum reperti sunt Israelitas, ita ad Iouæ ipsorū Dei cultum traduxit, ut toto eius æuo à Ioua patrio ipsorum Deo non defecerint.

CAPVT XXXV.

Iosias res sacras ordinat.
4. Re.23.c
3.Esd.1.a

EGit etiam Iosias Iouæ Pascha Hierosolymis, quod Pascha die mensis primi decimoquarto immolatum est: & suas sacerdotibus prouincias assignauit, eosq; ad operationem templi Iouæ confirmauit: & Leuitis omnium Israelitarum doctoribus Iouæ consecratis, præcepit, ut sacram arcam in æde à Solomone Dauidis filio Israelitarum rege cōstructa reponerent, ne eis esset humeris ferenda: iamq; Iouæ Deo suo & eius Israelitis inseruirent, & in familias per classes, tum ex Dauidis Israelitarum regis, tum ex eius filij Solomonis præscripto, distributi, adessent in sacro ad familiarum suorum consanguineorum popularium partitionem ex Leuiticæ familiæ distributione, & Pascha immolarent: lustratiq;, cognatos suos ad exequendum Iouæ mandatum à Mose traditum instruerent. Excepit autem Iosias popularibus ouinū caprinūq; pecus, uidelicet agnos & hœdos, idq; omne ad Paschæ uictimas, pro eorum numero qui aderant, uidelicet triginta millia, & boum tria millia, atq; hæc ex regijs facultatibus. Eius quoque proceres sua sponte E sacerdotum Leuitarumq; nationi hæc exceperunt. Helcias, Zacharias, & Iehiel æditimi sacerdotibus dederunt ad Pascha uictimas sexcentas & duo millia, boues autem trecentos, Chonenias autem, & Semeias, & Nathanael, eius fratres, & Hasabias, & Ieiel, & Iozabadus, Leuitarum principes, Leuitis largiti sunt uictimarum quinq; millia, & boues quingentos. Ita instructo negocio, & sacerdotibus in suas prouincias, & Leuitis in suos ordines distributis, iussu regis, immolatū est Pascha, sacerdotibus sanguinem ex Leuitarum manu spargentibus, Leuitis autem deglubentibus, detractis solidi sacrificij hostijs, quæ ad partitionē familiarum popularium accommodatæ, Iouæ libarentur, ut præscriptum est in libro Mosis. Atque ita in bubus factum est. Et Paschæ quidem uictimas igni, ut ritus est, torruerunt Leuitę: sacra autem ollis, cacabis, & ahenis cocta, protinus in omnem plebem diuiserunt. Deinde sibi & sacerdotibus cibum pararunt, quippe sacerdotibus Aharonijs circa solida sacrificia & adipes ad noctem usq; occupatis: propterea Leuitæ sibi & sacerdotibus Aharone natis escas pararunt. Cantores autem Asapho prognati, suum munus obibant ex mandato Dauidis, & Asaphi, C & Hemanis, & Iedithunis regij fatidici: & ianitores ad quamq; portam aderant, nullo eorū suum munus omittente, quoniam eorum cognati Leuitæ cibum eis parabant. Ita instructo eo die omni Iouæ operatu ad agēdum Pascha, & ad solida sacrificia ad aram Iouæ facienda iussu Iosiæ regis, egerūt tum Israelitæ, qui aderāt, Pascha & Azymalia septem diebus, quale Pascha nullum in Israelitis actum erat à tempore Samuelis uatis: nec tale egerāt ullum ulli reges Israelitarum, quale egerunt Iosias, & sacerdotes, & Leuitæ, & omnes qui aderant Iudæi & Israelitæ atq; Hierosolymitani. Atq; hoc quidem Pascha actum est duodeuigesimū annū regnante Iosia. ¶ Posteaquam hoc maximè pacto templum instruxit Iosias, Necho Aegypti rex expeditionem faciebat in Charcamim ad Euphratem sitam. Cui cum obuiam proficisceretur Iosias, misit ad eum Necho legatos cum huiusmodi mandatis: Quid tibi mecum rei est, Iudææ rex? iam non ego te, sed perduellium meorum stirpem aggredior, à Deo properare iussus. Sine Deum, qui mihi adest, ne te D perdat. Sed Iosias ab illo inuadendo non destitit: uerùm cum illo dimicandi auidus, non auditis Nechonis diuinitùs dictatis uerbis, uenit in certamen in campum Mageddonem. Ibi iaculatis in eum sagittarijs, iussit suis, ut se aliò transferrent, sese enim uehementer esse uulneratum. Ita translatus à suis ex quadriga, & in altera quam habebat quadriga collocatus, Hierosolymam inuehitur: ac mortuus, in patrio sepulchreto

Iosias cum Pharaone Nechone prælio congressus, interit.
4.Reg.23.f
Zachar.d

pulchreto conditur, atque ab omnibus Iudæis & Hierosolymitanis lugetur. Condidit autem Ieremias super Iosia nęniam, faciuntq; adhuc omnes cantores & cantrices in suis nęnijs mẽtionem Iosiæ: ea re apud Israelitas in consuetudinem adducta, id quod scriptum in nęnijs extat. De reliquis Iosiæ rebus atq; pietate ad scriptum legis Iouæ accõmodata, tum de eius gestis, à primis ad ultima, scriptum extat in libro Regum Israelitarum & Iudææ.

CAPVT XXXVI.

Ioachazus Iudee rex. 4.Reg.23.f

IN Iosiæ locum suffectus est ab incolis in regnum Hierosolymis Ioachazus eius filius, annum ætatis agens uigesimumtertium: qui cum Hierosolymis tres menses regnasset, abdicauit eũ Aegypti rex Hierosolymis: & mulctata gente centũ argenti talentis, & uno auri, regem creauit Iudææ & Hierosolymæ Eliacimum illius fratrẽ, mutato eius nomine in Ioacimum: captumq; Ioachazum eius fratrem abduxit in Aegyptum.

Matth.1.b

Ioacimus Iudee rex.

¶ Is Ioacimus anno ætatis suæ uigesimoquinto regnare ingressus, regnauit Hierosolymis annos undecim, & Iouam Deum suum offendit.

B

Aduersus eum expeditionẽ fecit Nabuchodonosor Babyloniæ rex, uinctumq; catenis abduxit Babylonẽ, & partem supellectilis tẽpli Iouæ Babylonem asportauit, & in suo palatio Babylone reposuit. De reliquis Ioacimi rebus, commissisq; ab eo flagitijs, & quibus fuerit moribus præditus, scriptũ extat in libro Regum Israelitarum & Iudææ.

Ioachin Iudee rex. a octauum decimum. 4.Re.24.d

¶ Ei successit in regnũ Ioachin eius filius, annũ ætatis agens [a] octauum. Is cum cõtra Iouæ uoluntatem uiuẽs, regnauisset Hierosolymis mẽses tres & dies decem, ineunte uere misit rex Nabuchodonosor, qui eum Babylonem cum elegantiore templi Iouæ supellectile abducerent: & eius fratrem Sedeciam Iudææ & Hierosolymæ regem cõstituit.

C

Ieremie 37.a.38.a

Sedecias anno ætatis suæ undecimo regnum adeptus, regnauit Hierosolymis annos undecim, & contra Iouæ Dei sui uoluntatem agens, non se Ieremiæ uati submisit, à quo ex Iouæ mandato monebatur, sed contra regẽ Nabuchodonosorem, cui Deũ iurauerat, rebellauit; & ad Iouam Israelitarum Deum non redire obfirmata ceruice & pertinaci animo perseuerauit. Omnes quoque tum sacerdotum tum populi principes, omnia gentium imitati flagitia, crimen auxerunt, & Iouæ templum ab eo Hierosolymis consecratũ polluerũt. ¶ Cumq; ad eos Ioua eorũ patrius Deus mandata per suos nuncios sedulò missitaret, quòd suo populo & domicilio parcebat: illi Dei & nuncios deridebant, & dicta contemnebant, & uatibus illudebant: donec tandem concitus in suos Ioua ira irremediabili, immisit eis Chaldæorum regem, qui eorum pubem in ipsorum sacrarij domo armis trucidauit, non iuuenibus, non uirginibus, nõ senibus aut decrepitis parcens: omnibusq; in eius potestatem traditis, omnia fani maiora minoraq; uasa, omnes templi Iouæ regisq; & eius procerum thesauros Babylonem deportauit.

Nabuchodonosor Hierosolymam depopulatur.

D

Fanũ igni crematum est: muri Hierosolymæ diruti: omnia splendida ædificia combusta, omniaq; elegantia uasa corrupta sunt. Si qui ferro superfuerãt, hi ab illo Babylonem in captiuitatem ducti, ei eiusq; filijs seruiuerunt, donec uiguit regnum Persicũ: ut id eueniret quod Ioua Ieremiæ uoce minatus erat, id est, ut interea terra suis frueretur Sabbathis, quæ quidem tandiu feriata est, quandiu deserta fuit, ad peragendos annos septuaginta.

Ierẽ.25.c & 29.c 1.Esdr.1.a

¶ Anno autẽ primo Cyri Persarũ regis, ut accideret id quod Ioua Ieremiæ ore prædixerat, Cyrus Persarũ rex, instinctu Iouæ, edictum in toto imperio suo promulgauit, idq; scriptum hoc modo: Sic dicit Cyrus Persarum rex: Omnia mihi regna orbis terrarum dedit Ioua Deus cœlestis, idemq; mihi cõstruendum sibi templum Hierosolymis in Iudæa mandauit. Si quis omnino in uobis est, qui sit ex illius populo, proficiscatur sanè, secundo Ioua eius Deo.

ESDRAE LIB. I.

CAPVT I.



Cyrus Iudeos Hierosolymam remittit.

Iere.25.c & 29.c 2.Par.36.d 3.Esd.2.a

NNO primo Cyri Persarum regis, ut accideret id quod Ioua Ieremiæ ore prędixerat, Cyrus Persarũ rex, instinctu Iouę, edictum in toto imperio suo promulgauit, idq; scriptum hoc modo: Sic dicit Cyrus Persarum rex: Omnia mihi orbis terrarum regna dedit Ioua Deus cœlestis, idem' que mihi construendum sibi templum Hierosolymis in Iudæa mandauit.

B

Si quis omnino in uobis est qui sit ex illius populo, proficiscatur sanè, secundo eius Deo, Hierosolymam, quæ est in Iudęa, ad instaurãdum templum Iouæ Dei Israelitarum, qui Deus est Hierosolymis. Atq; omnes reliquos ex omnibus locis, ubi peregrinantur, iuuent ipsorum conterranei, argento, auro, facultatibus, & bestijs, præter uoluntaria munera ad fanum Hierosolymitanũ.

C

¶ Tum Iudæarum & Beniamiticarum familiarum primarij, & sacerdotes, & Leuitæ, quicunque diuinitus excitabantur, sese ad proficiscendum pararunt, ad instaurandum Iouæ templum Hierosolymitanũ: eisq; opitulati sunt omnes finitimi, argẽtea aureaq; supellectile, facultatibus, bestijs & strenis, prẽter omnia quę ultrò collata sunt.

D

Vasa Hierosolymã reportata.

¶ Tum Cyrus Persarũ rex, tẽpli Iouæ uasa, quæ Nabuchodonosor Hierosolymis exportata, in Dei sui templo posuerat, deprompsit per Mithridatem quæstorem suum, qui ea Sasbasari Iudææ præsidi numerauit, quorum quidem numerus hic est: phialæ aureæ triginta: argenteæ mille: cultri undetriginta: scyphi aurei triginta: scyphi argentei secundarij quadringenti decem:

uasa alia mille. Omnium aureorum argenteorumq; uasorũ summa est, quinq; millia quadringenta, quæ omnia Sasbasar cum his qui ex captiuitate discedebant, Babylone Hierosolymam deportauit.

CAPVT II.

Qui Hierosolymã cũ Zorobabele redierint. 2.Esd.7.b 3.Esd.5.a

ATque hi sunt prouinciales, qui ex captiuis, quos Nabuchodonosor Babyloniæ rex Babylonem deportauerat, discesserunt, & Hierosolymam & in Iudæam sua quiq; in oppida redierũt: qui quidem uenerunt cum Zorobabele, Iesua, Nehemia, Saraia, Reeleia, Mardochæo, Belsane, Mesphare, Beguai, Rehumo, & Baana. Hominum inquam Israelitarum numerus hic est. A' Pharoso orti, duo millia centum septuagintaduo. A' Sephatia trecenti septuagintaduo. Ab Ara septingenti septuagintaquinque. A' Phahatmoabo ex Iesuaioabi natis duo millia octingẽti duodecim. Ab Elamo mille ducenti quinquagintaquatuor. A' Zathu nongenti quadragintaquinq;. A' Zachæo septingenti sexaginta. A' Bani sexcenti quadragintaduo. A' Bebai sexcenti uiginti tres. Ab Azgado mille ducẽti uigintiduo. Ab Adonicamo sexcenti sexagintasex. A' Beguai duo millia quinquagintasex. Ab Adine quadringẽti quinquagintaquatuor. Ab Atere ex Ezechia nonagintaocto. A' Besai trecenti uigintitres. A' Iora centum duodecim. Ab Hasumo ducẽti uigintitres. A' Gibbare nonagintaquinque. A' Bethlehemo centũ uigintitres. B Netophaenses quinquagintasex. Anathotenses centum uigintiocto. Ab Azmauetho orti quadragintaduo. A' Cariathiarimo Cephirani & Berothenses septingenti quadragintatres. Ab Harama & Gaba sexcenti uigintiunus. Machmantini centum uigintiduo. Bethelenses & Haienses ducenti uigintitres. A' Nebone orti quinquagintaduo. A' Magbi centum quinquagintasex. Ab Elamo altero mille ducenti quinquagintaquatuor. Ab Harimo trecenti uiginti. A' Lodadide & Onone septingenti uigintiquinq;. A' Ierechone trecẽti quadragintaquinque. A' Senaa tria millia sexcenti triginta. Sacerdotes à Iadaia orti ex stirpe Iesuę nongenti septuagintatres. Ab Emmere mille quinquagintaduo. A' Phashure mille ducenti quadragintaseptem. Ab Harimo mille septem decim. Leuitæ Iesua & Cadmiele ex Odauiæ natis prognati septuagintaquatuor. Cantores ex Asapho orti centum uigintiocto. A' ianitoribus orti, à Sellumo, ab Atere, à Talmone, ab Accubo, ab Hatita, à Sobai, in summa centum C trigintanouem. Dedititij prognati Siha, Hasupha, Tabbaotho, Ceroe, Siaa, Phadone, Lebana, Hagaba, Accubo, Hagabo, Samlai, Hanane, Giddele, Gahare, Raaia, Rasine, Necoda, Gazamo, Oza, Phasea, Besai, Asna, Munimo, Nephusimo, Bacbuco, Hacupha, Harhure, Baslutho, Mahira, Harsa, Barcomo, Sisara, Thama, Nasia, Hatipha: tum Solomonijs prognati, Sotai, Sopheretho, Pharuda, Iala, Darcone, Giddele, Saphatia, Hattile, Phochereto, Sebaimenses, ex Ami, quorum omnium dedititiorum & Solomonijs prognatorum summa est trecẽti nonagintaduo. A' Thelmela autem profecti, Thelharsa, Cherubus, Addan, & Emmer, nõ potuere suam familiã & stirpem ostendere an ex Israelitis essent. Dalaiæ, Tobiæ, & Necodæ posteri sexcẽti quinquagintaduo. Ex sacerdotum genere autẽ orti ab Habaia, Hacoso, Berzelai, qui ducta de Berzelais Galaaditæ filiabus uxore, in illud nomen cõcesserat: D hi inquam, cum suæ stirpis codicem scrutati nõ extarent, abdicati sunt sacerdotio, uetiti ab Atersatha uesci sacrosanctis, donec existeret pontifex [a] Claritatis & integritatis. Totius omnino multitudinis summa erat quadraginta duo millia trecenti sexaginta: præter eorũ seruos & ancillas, qui erant septem millia trecenti trigintaseptem, & in his cantores & cantrices ducẽti. eorũ equi septingenti trigintasex: muli ducenti quadragintaquinq;: cameli quadringenti trigintaquinque: asini sex millia septingenti uiginti. Ex familiarum autem primarijs, cum ad Iouę templum Hierosolymitanum uenissent, fuere qui ad fanum in integrum restituendum sua sponte conferrent pro uiribus ad operis impensas, auri drachmarũ unum & sexaginta millia, argenti minarum quinque millia, & sacerdotales tunicas centum. Consederunt autem sacerdotes, & Leuitæ, & plebeij, cantoresq;, & ianitores, & dedititij, in suis oppidis, itemq; omnes Israelitæ in suis oppidis.

a qui ex dei oraculo (adhibito Aharonis monili, in quo CLARITAS ET INTEGRITAS scriptum erat) sciscitaretur, an illi ex sacerdotũ genere essent.

CAPVT III.

Instauratur ara, & fiũt sacrificia.

IAmq; propinquante mẽse septimo, cum Israelitæ suis degerent in oppidis, conuenit totus ad unum populus Hierosolymam, & Iesua Iosedeci filius, eius'que cognati sacerdotes, & Zorobabel Salathielis filius, eius'que cognati, aram Dei Israelitarum instituerunt cõstruere ad facienda in ea solida sacrificia, ut in diuini Mosis lege præscriptum est: instructaq; in suis fundamentis ara, quamuis impendente eis terrore à cæterarum regionum nationibus, fecerunt in ea solida Iouæ sacrificia, uidelicet matutina & uespertina, & umbraculorum festum ex præscripto egerunt, & quotidiana solida sacrificia, ad numerum, ut cuiusque diei ritus atque ratio postulabat, fecerunt. Deinde iuge solidum sacrificium, & nouiluniorum, & omnium Iouæ B consecratarum solennitatum, & omnium qui Iouæ sua sponte libabant. A' primo die mensis septimi cœperunt Iouæ solida facere sacrificia, nondum fundato Iouæ fano. Itaque pecuniam dederunt lapicidis & fabris, & cibum potionemq;, & oleum Sidonijs & Tyrijs, ob uehendam cedrinam materiem ex Libano ad mare Iopicum, ut eis erat à Cyro Persarum rege concessum. ¶ Anno autẽ secũdo aduentus eorum ad fanum Hierosolymitanum, mense secundo, aggressi negocium Zorobabel Salathielis, & C Iesua Iosedeci filius, reliquiq; eorum consanguinei sacerdotes & Leuitę, & quotquot Hierosolymam ex captiuitate uenerant, Leuitas eos qui uigesimum ætatis annum excesserant, urgendo operi templi Iouæ præfecerunt: fueruntq; pariter intenti Iesua cum suis filijs & cognatis,

Incipit instaurari tẽplum.

gnatis, Cadmiel eius'que filij Iuda prognati, ad instandũ ijs qui in fano opus faciebãt: necnon Henadabo nati, eorum'que filij & cognati Leuitæ. Cum'que iacerentur à structoribus fundamenta cellæ Iouæ, statuerunt indutos sacerdotes cum tubis, & Asapho prognatos Leuitas cum cymbalis, ad Iouam autore Dauide Israelitarum rege laudandum. Atque his Iouæ bonitatem, & æternam erga Israelitas clemen-

D tiam cum laudum celebratione cantantibus, in hac Iouæ laudatione iaciẽdis templi Iouę fundamentis, uniuersus ingenti strepitu populus personabat. Sed multi sacerdotum, & Leuitarum, & familiarũ primarij senes, qui prius templum uiderãt, cum hoc templum spectantibus ipsis fundaretur, flebãt ingenti uoce: rursumq; multi eum læto strepitu clamorem edebant, ita ut hominum lætitiæ sonus à flebili uoce non discerneretur, illis ingentem sonitũ uoce procul audienda reddentibus.

CAPVT IIII.

Aduersarij uolunt ad ædificationis templi societatem admitti.

1.Esd.5.g

POstquam Iudæorum & Beniamitarũ aduersarij audiuere, Iouæ Israelitarum Dei fanum à captiuis instaurari, Zorobabelem & familiarum principes adeunt, & ad ædificationis societatẽ admitti postulant: sese enim eiusdem cum illis Dei studiosos esse, ei'que ab Esarhaddonis Assyriæ regis tempore, à quo eò deducti fuissent, sacrificare. ¶ Quibus Zorobabel & Iesua, reliquiq; Israeliticarũ familiarum primarij, respondent, nõ esse sui Dei templum ab illis simul & à se cõstruendum: sed unos se Iouę Israelitarũ Deo simul esse ædificaturos, quemadmodum ipsis esset à Cyro Persarũ rege mandatum. Ita factum est, ut incolæ Iudæos impedirent, & ab ædificando deterrerent, atque in eos consultores subornarent, qui eorum consilium dissoluerent, toto tempore Cyri Persarum regis, usque ad regnum Darij Persarum regis.

Impeditur tẽpli instauratio.

1.Esdr.2.d

Atque in initio regni Assueri scripserunt aduersus Iudæos & Hierosolymitanos criminationem.

B Ac temporibus Artaxerxis scripsit Bislamus, Mithridates, Tabeel, & reliqui eius collegæ, ad Artaxerxem Persarum regem, epistolam & literis & sermone Syriaco. Item Rehumus rationum magister, & Samsais scriba, epistolam contra Hierosolymitanos scripserũt ad Artaxerxem regem in hũc modum. Exemplar epistolæ, quam tum ad eum miserunt Rehumus rationum magister, Samsais scriba, & reliqui eius societatis Dinæi, Apharsathacæi, Tarphelæi, Apharsæi, Arcauęi, Babylonij, Susanechæi, Deani, Elamitæ, & reliquæ nationes, quas Asenaphar ille magnus & celebris transtulerat, & in urbibus Samariæ collocauerat, reliqui'que in Syria & Chananæa degentes.

Aduersariorũ epistolá ad Artaxerxem, de impedienda Hierosolymæ instauratione.

Artaxerxi regi, homines eius in Syria & Chananæa serui. Scito rex, Iudæos huc istinc profectos, uenisse Hierosolymam, urbem rebellem & improbam, quam instaurant, mœnia'que iactis fundamentis ponunt. Nunc scito, rex, si ea urbs instaurata fuerit, eius'que muri constructi, eos non esse tributum, uectigal, portoria soluturos: ita fiet, ut regij redditus detrimentum capiant. Quamobrem nos, qui aulæ sale conditi, regis dedecus uidere non sustinemus, propterea hoc tibi, rex, significandum curamus, ut librum gestorum maiorum tuorum inspicias. Inuenies enim in ijs commentarijs, & cognosces, hanc urbem esse rebellem, & regibus atque prouincijs incommodam, in eaq; defectiones olim factas esse, eò usq;, ut uastata sit. Igitur hoc tibi, rex, indicamus, hac urbẽ instaurata, eiusq; muris refectis, fore ut in Syria nihil iuris habeas. ¶ Tũ rex Rehumo rationum magistro, & Samsai scribæ, reliquisq; eorum socijs Samariam incolentibus, & cæteris in Syria degentibus, responsum cum salutatione misit in hunc modum: Quam ad nos misistis epistolam, explicata coram me est: meoq; iussu, cum quæsitum esset, compertum est, urbem istã iam olim regibus repugnauisse, & in ea rebelliones ac defectiones extitisse, regesq; præpotẽtes Hierosolymis fuisse, quibus omni Syriæ regioni imperantibus, tributa, uectigalia, portoriaq; soluerentur. Quamobrem edictum proponite, ut cessent homines isti, ne'ue urbs ista instauretur, nisi à me fuerit aliter decretum. Cauete ne istud non fiat, ne inde oriatur damnum, quod sit regibus detrimẽto. Hoc epistolæ regis Artaxerxis exemplar simulac apud Rehumum rationũ magistrum, & Samsaim scribam, eorum'que socios, recitatum est: illi celeriter Hierosolymam ad Iudæos profecti sunt, eosq; per potestatem atque uim impediuerunt. Ita intermissum fani Hierosolymitani opus iacuit, usq; ad annum secundũ regni Darij Persarum regis.

C

D

Artaxerxis responsio, qua impeditur Hierosolymæ instauratio.

CAPVT V.

3.Esd.6.a

Zorobabel & Iesua tẽplũ instaurare incipiunt.

VAticinantibus autẽ Haggæo uate, & Zacharia Addonis filio uate, nomine Dei Israelitarum, quo erant præditi, ad Iudæos, qui uel in Iudæa uel Hierosolymis erant, excitati Zorobabel Salathielis, & Iesua Iosedeci filius, cœpere Hierosolymitanum instaurare fanum, diuinis uatibus præsentibus, eosq; confirmantibus. Eo tempore uenerunt ad eos Thathanais Syriæ prætor, & Stharbozanais, eorumq; socij, qui ex eis quęsiuerunt, cuius'nam mandato id templum instaurarent, murosq; reficerẽt? Ad quæ nos ita respõdimus, nomina indicantes autorum eius ædificationis, ut respiciente Deo senatores Iudæos, prohibiti non sint, donec causa ad Darium relata, referretur super ea re epistola. B

Est autem in exemplari literarum, quas Thathanais Syriæ prætor & Stharbozanais, sociiq; Apharsechęi in Syria degentes, ad Darium regem miserunt, scriptum in hanc sententiam: Dario regi salutem plurimam. Scito rex, uenisse nos in Iudæã prouinciã ad templũ Dei magni, quod ingentibus saxis struitur, lignisq; parietes integuntur, atq; ab illis & diligenter fit opus, & feliciter. Nos ex senibus illis sciscitati sumus, cuius'nam mandato templũ illud ędificarẽt, murosq; reficerẽt: eosq; de eorũ nominibus percõtati sumus, qui sunt eorũ principes, ut ea scriberemus, tibiq; id significaremus,

Pretorum Syriæ literæ ad Dariũ, quibus ei templum Hierosolymitanũ instaurari demonstrant.

C mus. Illi nobis in hanc sententiã responderunt: Nos cœli terrarum'que Dei cultores, templum instauramus, quod multis antè seculis à maximo regum Israelitarum cõstructum fuerat, atq; absolutum. Sed irritatus à maioribus nostris cœli Deus, eos Nabuchodonosori Babyloniæ Chaldæorum regi dedidit, qui hoc templum euertit, illiusq; populũ Babylonem captiuum transtulit. Verùm rex Cyrus anno primo sui Babyloniæ regni, edictum de hoc instaurando
D fano proposuit, faniq; uasa aurea atq; argẽtea, quæ Nabuchodonosor ex Hierosolymitano templo sublata in Babylonicum fanum deportauerat, abstulit ex Babylonico fano: ijsq; cuidam nomine Sasbasari (quem prætorem fecerat) tradidit, ei imperauit, ut ea in templo Hierosolymitano positum iret, utq; fanum eodem fundamẽto construendũ curaret. Tum Sasbasar ille profectus, Hierosolymitani fani fundamenta iecit, atque ex eo hactenus ædificatur, necdum absolutũ est. Quamobrem si tibi, rex, ita uidetur, quæratur in regio tablino, quod istic Babylone est, an sit à Cyro rege decretum, ut Hierosolymitanũ fanum instauretur, & nobis significato tuam super hac re sententiam.

CAPVT VI.

3.Esd.6.a

TVnc rex Darius imperauit, ut in libraria, ubi thesauri Babylone conditi erant, uestigaretur: inuentusq; est Ecbatanis (quod castrũ est in Media prouincia) liber quidam, in quo sic memoriæ proditum erat: Anno primo regni sui Cyrus rex edicto sanxit, ut Hierosolymitanum templum construeretur, ubi sacrificia fierent, ea amplitudine, ut altitudo sexaginta, & latitudo totidem pateret cubitos, trinis ingentium saxorũ ordinibus, & singulis ligni: sumptus autem ex regia suppeditaretur. Vasa quoq; fani aurea & argentea, quæ Nabuchodonosor ex Hierosolymitano sublata fano Babylonem deportauerat, redderẽtur: & in Hierosolymæ relata fanum, suum in locum in æde reponerentur. Quamobrem tu Thathanai Syriæ prætor, & Stharbozanai, uestri'que socij Apharsechæi in Syria degentes, facessite istinc, istudq; fanũ fieri, & à Iudææ prætore Iudæisq;
B senatoribus in sua sede construi sinite. Impero autẽ, ut ita cum istis Iudęę senatoribus ad istius fani constructionem agatis, ut de regio fisco, id est, de tributis, quæ in Syria penduntur, sedulò suppeditetur istis sumptus, ne opus intermittatur. Ac quæ opus erunt, tauri, arietes, agni ad sacrificandum cœli Deo, tum frumentum, sal, uinum, oleum, hæc uti illis Hierosolymitanorum sacerdotum arbitratu quotidie sine dubio subministrentur, ut habeant unde cœlesti Deo suauiter olentia libent, proq; regis & eius filiorum uita supplicent. Atq; hoc impero, ut quisquis hominum hoc mandatum immutauerit, is in tigno ex ipsius ædibus detracto & erecto suspendatur, eiusq; domus hanc ob rem publicata cõplanetur. ¶ Deus autem, qui suum no-
C men ibi collocauit, omnem uel regem uel priuatum hominem perdat, qui ad istud Hierosolymitanum templum uel immutãdum uel corrumpendum manum admouerit. Ego Darius hoc sedulò faciẽdum impero. ¶ Tum Thathanais Syriæ prætor, & Stharbozanais, eorumq; socij, Darij regis mandatum diligenter executi sunt. Igitur Iudæi senatores feliciter ædificantes, uaticinantibus Haggæo uate, & Zacharia Addonis filio, tum Dei iussu, tum Cyri & Darij & Artaxerxis Persarum regis, ædificium absoluerunt: & eo templo ad diem tertium mẽsis Adaris, anno regni Darij sexto exædificato, egerũt Israelitæ sacerdotes & Leuitę, reliquiq; exules, eius templi dedicationem cum lætitia: D ad quam dedicationẽ immolauere tauros centum, arietes ducentos, agnos quadringentos: capros caprinos ad uniuersorum Israelitarum expiationem duodecim, pro numero tribuum Israeliticarum: sacerdotibus in suas curias, & Leuitis in classes ad Hierosolymitanum Dei cultum, ex libri Mosis præscripto distributis. Egerunt etiam exilij reduces Pascha die mensis primi decimaquarta: lustratis'que sacerdotibus & Leuitis & omnibus ad unum puris, Leuitæ Pascha tum omnibus exulibus, tum sacerdotibus suis cõsanguineis, & sibi ipsis immolarũt: & epulati sunt tam omnes ex captiuitate reuersi Israelitæ, quàm omnes qui apud eos ex incolarum gentibus impuritatem deposuerant Iouæ Israelitarum Dei studio: egeruntq; Azymalia septendialia cum lætitia, quòd eos Ioua lætitia affecisset, eisq; regis Assyriæ beneuolentiam conciliauisset, ad eos in opere fani Dei Israelitarum iuuandos.

Darius tẽplũ instaurari imperat.

3.Esd.7.a

Reduces agunt Pascha. Num.3.b & 8.b

CAPVT VII.

POst eas res regnante Artaxerxe Persarum rege, Esdras ad Aharonem põtificem per Saraiam, Azariam, Helciam, Sellumum, Sadocum, Achitobum, Amariam, Azariam, Maraiothum, Zaraiam, Ozim, Boccim, Abisuam, Phineem, & Eleazarum genus referens, uir Mosaica lege à Ioua Israelitarum Deo tradita acutè eruditus, Babylone discessit, impetratis à rege, Iouę Dei sui auxilio, omnibus suis postulatis: cumq; eo nonnulli Israelitarũ, & sacerdotum, & Leuitarũ, & cantorũ, & ianitorum dedititiorumq; Hierosolymam profecti sunt, anno regis Artaxerxis septimo. Peruenit autem Hierosolymam primo die mensis quinti anni regis septimi, cum primo die mensis primi Babylone primùm profectus esset: tam propenso Dei sui auxilio usus est. Applicuerat enim animum suum Esdras non solum ad Iouæ legis studium atq; executionẽ, uerùm etiã ad Israelitas æquo & iure erudiẽdos. ¶ Dederat autẽ rex Artaxerxes epistolã Esdræ sacerdoti professori, & uerbis præceptorũ & institutorũ Israelitis à Ioua traditorũ erudito, cuius epistolæ hoc est exemplar. Artaxerxes rex regum, Esdræ sacerdoti legis Dei cœlestis professori eximio Chananæo. A me decretum est, ut cuicunq; Israelitici populi sacerdotum Leuitarum libuerit ex meo regno Hierosolymam proficisci, tecum proficiscatur: quãdoquidem à rege & eius septem consiliarijs mitteris, ut Dei tui quã habes legem, Iudæorũ & Hierosolymitanorum gratia

Esdras Babylone Hierosolymam proficiscitur. 3.Esd.8.a

Artaxerxis literæ ad Esdram.

tia excutias: nec solum argẽtum & aurũ, quod rex & eius consiliarij largiuntur Israelitarum Deo, cuius domicilium Hierosolymis est; feras, sed etiam quicquid argenti & auri nactus fueris in tota Babyloniæ regione, unà cum ijs quæ populus & sacerdotes ad sui Dei templũ Hierosolymitanũ ultrò contulerint. Emes igi-

C tur ista pecunia sedulò tauros, arietes, agnos, eorum'que ferta & prolibandum uinum, quæ Hierosolymis ad aram templi Dei uestri libes. Reliquo argẽto & auro utimini tuo & tuorum consanguineorum arbitrio, ex Dei uestri sententia. Vasa autem tibi ad cultum templi Dei tui tradita, referto ante Deum Hierosolymitanum. Cætera quę tibi ad Dei tui templum fuerint impendenda, solues de fisco regis. Ego uerò Artaxerxes rex, omnibus impero in Syria degentibus, ut quicquid à uobis petierit Esdras sacerdos, legis Dei cœlorum peritus, id sedulò præstetur, usq; ad argenti talenta centũ, tritici coros centũ, uini & olei batos centenos, & salis sine ulla præscriptione. Denique quicquid cœlesti Deo placuerit, id ad eius templũ

D diligenter exhibeatur, ne regis & regnum & liberi dent pœnas. Hoc quoq; uobis significamus, ne ulli sacerdotum, Leuitarum, cãtorum, ianitorum, dedititiorum, & istius templi administrorum tributum, uectigal, portorium imponi liceat. Tu uerò Esdra, pro Dei tui sapientia, qua præditus es, statuito iudices & præsides: eosq; omnes legis Dei tui peritos, qui omnibus Syriam incolentibus ius dicant, imperitos autem docetote. Ac quisquis tui Dei & regis legi non paruerit, in eum sine dubitatione animaduertatur uel morte, uel exilio, uel bonorum mulctatione, uel uinculis.

CAPVT VIII.

Esdras Deo gratias agit de regis beneuolẽtia.

GRatias ago Iouæ Deo nostro patrio; qui regi eam ornandi Hierosolymitani Iouæ templi mentem dederit, mihi'que regis & eius consiliariorum, omniumq; regiorum militiæ ducum, clementiam conciliauerit. Ego igitur Iouæ Dei mei ope confirmatus, Israelitarum primarios, qui me comitarentur, congregaui.

Qui cũ Esdra Babylone discesserint. *1.Esd.8.c*

¶Atq; hi sunt suarum familiarũ principes, eorumq; genus; qui regnante Artaxerxe mecum Babylone profecti sunt. Ex Phinee prognatis Gersomus. Ex Ithamare Daniel. Ex Dauide Hattus. Ex Sechenia per Pharosum Zacharias, & cum eo recensiti in sua stirpe mares centum quinquaginta. Ex Phahathmoabi posteris Elioenais Zarahiæ filius; & cum eo mares ducenti. Ex G.Zathoe H. Sechenias Iahazielis filius, & cum eo mares trecenti. Ex Adine Ebedus Ionathanis filius, & cũ eo mares quinquaginta. Ex Elamo Esaias Athaliæ filius, & cum eo mares septuaginta. Ex Saphatia Zabadias Michaelis filius, & cũ eo mares octogin-

E ta. Ex Ioabo Abdias Iehielis filius, & cum eo mares ducenti octodecim. Ex G.Baani H.Solomithus Iosiphiæ filius, & cum eo mares centum sexaginta. Ex Bebai Zacharias Bebais filius, & cũ eo mares octo & uiginti. Ex Azgado Iohannes Haccatanis filius, & cũ eo mares centũ decem. Ex Adonicamo postremi, quorum nomina sunt Elipheletus, Iehiel, & Samaias, & cum eis mares sexaginta. Ex Begui Vthais & Zabudus, & cum eo mares septuaginta. ¶His ego ad fluuiũ, qui ad Ahauam defertur, coactis, cum ibi triduum moratis nobis, cùm cæteros, tum sacerdotes recognouissem,

C neq; ullos ex Leuitis ibi inuenissem, misi Eliezerem, Arielem, Semeiam, Elnathanem, Iaribum, Elnathanem, Nathanem, Zachariam, & Mosollamum principes, & Ioiaribũ, & Elnathanem, homines prudẽtes: ijsq; ad Eddonem Chasphiæ loco præpositum mandata dedi, & uerba suggesi, quibus Eddoni & eius cognatis dedititijs apud Chasphiam locum persuaderent, ut administri nobis ad Dei nostri templũ adducerentur. Itaq; adduxere nobis (hoc efficiẽte Deo nostro nobis propitio) peritũ quendam hominem Moholi Leuis filio Israelis nepote prognatum, & Serebiam eiusq; filios &

Esdras ab Eddone sacerdotes accersit.

D fratres octodecim, & Hasabiam, & cũ eo Esaiã Merari prognatum, eiusq; fratres & eorũ filios uiginti. Tum dedititios à Dauide & proceribus muneri Leuitarum attributos, ducẽtos uiginti, omnes nominatim appellatos. Ibi ad fluuium Ahauam ieiunium indixi, ut Deo nostro summisi, rectã ab eo uiam nobis nostrisq; paruulis & rebus omnibus peteremus. Puduerat enim me milites & equites à rege petere, qui nos ab hostibus in itinere defenderent: nã regi dixeramus, Dei nostri ope omnes eius studiosos iuuari: omnibus autẽ eius desertoribus, eius

E uiribus & ira noceri. Igitur cũ ieiunauissemus, & postulatum nostrũ à Deo nostro impetrassemus, delegi ex sacerdotum principibus duodecim, uidelicet Serebiam & Hasabiam, & cũ eis decem ex ipsorum fratribus, quibus argentum, aurum, uasa, templi Dei nostri donarium, tum à rege eiusq; cõsiliarijs et principibus: tum ab omnibus qui aderãt Israelitis collatum, appendi, idq; in manum: uidelicet argenti talenta sexcenta quinquaginta, argentea uasa centum talentorum, auri centũ talenta, crateres aureos uiginti, mille drachmarum, æris uasa fulgentis & probi duo, perinde elegantia ac si essent aurea. Deinde eis demonstraui, & ipsos esse Iouæ

Esdras sacerdotibus sacrã supellectilem cõmittit.

F sacros, & uasa sacra, & argentum atq; aurum Iouæ patrio ipsorum Deo sponte donatũ. Proinde uigilanter ea custodirent, donec sacerdotum Leuitarumq; & Israelitarũ familiarũ principibus Hierosolymæ in tẽpli Ioue cœnaculis appendissent. Cumq; sacerdotes & Leuitæ argenti auriq; pondus & uasa Hierosolymam in templum Dei nostri deportanda recepissent, profecti ab Ahaua fluuio, die mẽsis primi duodecimo, Hierosolymã ire cõtẽdimus. Eò postquam à Deo nostro adiuti, et ab hostibus & itineris insidijs defensi, peruenimus, ibiq; triduũ

G morati fuimus, quarto die argentũ, aurũ, & uasa in Dei nostri templo appẽsa in manum sunt Meremotho Vrię filio sacerdoti, cũ quo aderat Eleazarus Phinee natus, & pręter eos Iozabadus Iesuę, & Noadias Bennois filius Leuitæ: et appensa sunt omnia ad numerũ, eademq; hora omne

omne descriptum pondus est. Captiui autem, qui ab exilio uenerant, hostias adduxerunt Israelitarum Deo, tauros duodecim omnium Israelitarũ nomine, arietes nonagintasex, agnos septuagintaseptem, capros piaculares duodecim, omnes Iouæ solido sacrificio mactandas. Ac postquam regis mandata regijs satrapis & prætoribus Syriæ tradita sunt, populum & fanum iuuerunt.

CAPVT IX.

Reduces affinitatẽ cũ extraneis cõtrahunt. 3.Esd.8.c

HIs ita peractis conuenere me primates, & ostenderunt homines Israelitas, sacerdotesq; & Leuitas, non se à cæteris terrarum nationibus abstinere, sed Chananæorum, Hetæorum, Pherezæorum, Iebusæorum, Ammonitarum, Moabitarum, Aegyptiorũ, & Amorræorum flagitia imitari: nam illorum filias sibi suisq; filijs asciscere, & sacrum semen cum cæteris terrarum nationibus confundere, & quidem principes & magistratus in eo crimine primas tenere. Hac ego re audita, mea uestimenta & palliũ lacerare, crines & barbam mihi uellere, & mœstus sedere. Tum ad me conuenerũt quicunq; Dei Israelitarum dicta in exulum crimine reformidabant. Et ego, postquam

B ad horam uespertini ferti mœrens sedi, sub eam horam ex afflictione mea surrexi: & scissa ueste palliosq; meo, flexis genibus, & pansis ad Iouã

Esdras ad Deum conqueritur ob relapsum in uitia populum.

Deum meũ palmis, ita dicebam: O mi Deus, uix audeo præ pudore, meum ad te, mi Deus, uultum attollere: nam culparum nostrarũ multitudo caput exuperat, criminis nostri magnitudo cœlum pertingit. Iam à maiorum nostrorum temporibus ad hunc diem, magno fuimus in crimine: & ob delicta nostra dediti fuimus nos, nostri reges, & sacerdotes, cæterarum regibus terrarũ, ferro, captiuitate, rapinis, probris, ut res indicat. Nunc nonnulla ex parte nostri

C misertus Ioua Deus noster, nostrûm aliquot reliquos fecit, nobisq; [a] palũ in suo sacro loco cõcessit, ut nostros Deus noster illustraret oculos, efficiendo ut pauci nostrûm in seruitute nostra conseruarentur. Sumus enim serui: cumq; in seruitute Deum nostrum non reliquerimus, conciliauit nobis regum Persarum clemẽtiam, quo nostrûm nonnulli conseruarentur, ut Dei nostri templum extrueretur, & eius ruinæ reficerentur, utq; nobis in Iudæa & Hierosolymis [b] septum aliquod tribueretur. Iam uerò quid dicemus, ô Deus noster, posteaquam tua præcepta reliquimus? qui per tuos cultores uates ita præceperas, terram, quam occupatum ueniebamus, terram esse incolarum populorum im-

D puritate pollutam, qui eam flagitiorũ suorum fœditate confertim repleuissent. Proinde ne filias nostras illorum filijs elocaremus, ne'ue illorum filias nostris filijs asciceremus, ne'ue illorum saluti aut bono unquam studeremus, ut confirmati & terræ bonis uesceremur ipsi, & ea liberis nostris hæreditaria relinqueremus in perpetuũ. Igitur post omnia, quæ propter nostra praue facta & tanta crimina passi sumus, cum tu, Deus noster, delictis nostris ignoueris, & has nostrorum reliquias seruaueris, nos'ne tuis iterum uiolatis præceptis affinitatem cum his sceleratis contraxisse nationibus? nonne tu meritò in nos sæuias ad exitium, ita ut nullus supersit qui euadat? O Ioua Deus Israelitarũ, qui iustus es, ecce nos, qui hodie seruati restamus, tibi ob nostra crimina obnoxios, coram quo hac in re stari non potest.

[a] firmitatẽ & mansionem.

[b] urbs

CAPVT X.

3.Esd.8.g

INterea dum flens Esdras, & ante fanum iacens, orat, & peccatum confitetur, conuenit ad eum ingens Israelitarum, uirorũ, mulierũ, puerorum frequẽtia: & magnum populo ploratum edente, Sechenias Iehielis filius, Elamo prognatus, Esdram sic alloquitur: Nos quidem in Deum nostrum commisimus, qui uxores alienas ex incolis nationibus duxerimus: sed tamen est Israelitis hac in re spes. Agedum, paciscamur Deo nostro, omnes feminas, & ex eis natos amandare, ut fert & Domini, & eorum qui Dei nostri disciplinam reuerentur decretũ: atque ita ex lege fiat. Surge, nam tua æque ac nostra refert: cõfirma te, age. ¶ Tũ Esdras surrexit, & sacerdotes primarios Leuitas, omnesq; Israelitas, ad iurãdum adegit ita facturos. Atq; ubi iurarunt, digressus à fani uestibulo, cubiculum petijt Iohannis Eliasibi filij, idq; & à cibo ieiunus & à potione, tãtopere exulum crimen lugebat. Deinde per Iudæam & Hierosolymis edictum est, ut omnes exules cõuenirent Hierosolymam: ac quisquis intra triduum non uenisset, ut erat à principibus & senatoribus decretum, eius ut omnia bona sacrarentur, & ipse exulum ciuitate priuaretur. Igitur congregati omnes Iudæi & Beniamitæ, Hierosolymam illis tribus diebus, die mensis noni uigesima adfuerunt uniuersi in tẽpli area, trementes tum propter rem ipsam, tum propter pluuiã. ¶ Ad quos Esdras sacerdos cum surrexisset, ita locutus est: Vos crimen cõmisistis, qui alienas duxeritis uxores, ut Israelitarum crimen augeretis. Quamobrem tribuite hanc Iouæ maiorum uestrorum Deo gloriam, ut eius obtemperantes arbitrio, & ab incolarum nationibus, & ab alienis feminis abstineatis. Ad hæc tota cõcio clara uoce respondit in hanc sententiam: Isto quidem modo faciendum nobis est. Sed & populus multus est, & tempus pluuium, nec foris stari potest, nec opus unius est aut alterius diei: nam hac in re multum peccauimus. Quocirca præficiatur toti reipublicæ principes nostri, ad quos quicũq; nostris in oppidis uxores duxerunt alienas, cõueniant ad certa tẽpora: cumq; ijs adsint cuiusq; oppidi senatores & iudices, donec hac tandẽ re ira Dei nostri à nobis auertatur. Igitur præfectis huic negocio Ionathane Asaelis, & Iaazia Thecuę filio, adiutorib. Mosollamo & Sebethai Leuita, paruerunt exules: C delectiq; Esdras sacerdos, & homines suarũ patriarum familiarũ primarij: ijq; oẽs nominatim appellati, cõsedere primo die mensis decimi, ut de re quererẽt: estq; transactũ omniũ negociũ, qui uxores asciuerant extraneas, intra primum diem mensis primi. Inuenti sunt autẽ de genere sacerdotum qui uxores duxerãt externas, nati Iesua

Sechenias Esdrã consolatur.

3.Esd.9.a

B

Esdras populũ obiurgat, ob ductas alienas in matrimonium.

Qui uxores duxerint externas.

Iesua Iosedec filio, & eius fratribus Maaseias, Eliezer, Iaribus, & Godolias: qui ad dimittendas uxores suas consenserunt, & arietem sui criminis piaculum dederunt. Ab Emmere orti Hananis & Zabadias. Ab Harimo Maaseias, Elias, Semeias, Iehiel, & Ozias. A Phashure Elionais, Maaseias, Ismael, Nathanael, Iozabadus, & Elasa. Ex Leuitis Iozabadus, Semeis, Celaias, qui & Calita, Phataias, Iudas, & Eliezer. Ex cantoribus Eliasibus. Ex ianitoribus

D Sellumus, Telemus, & Vris. Ex Israelitis à Pharoso orti Ramias, Iezias, Malcias, Mijamin, Eleazarus, Melchias, & Banaias. Ab Elamo Mattanias, Zacharias, Iehiel, Abdis, Ieremothus, & Elias. A Zatu Elioenais, Eliasibus, Mattanias, Ieremothus, Zabadus, et Aziza, A Benai Iohannes, Ananias, Zabbais, & Athlais. A Bani Mosollamus, Malluchus, Adaias, Iasubus, Saal, & Ramothus. A Phahathmoabo Adna, Chalal, Banaias, Maaseias, Mattanias, Basaleel, Bennuis, & Manasses. Ab Harimo Eliezer, Isias, Melchias, Semeias, Simeon, Beniamin, Malluchus, & Samarias. Ab Hasomo Mattanias, Mattatta, Zabadus, Elipheletus, Ieremais, Manasses, & Semeis. A Bani Maadais, Amramus, Vel, Banaias, Bedias, Celuus, Vanias, Meremothus, Eliasibus, Mattanias, Mattenias, Iaasaus, Banis, Bennuis, Semeis, Selemias, Nathan, Adaias, Machnadebais, Sasais, Sarais, Azarel, Selemias, Samarias, Sellumus, Amarias, & Iosephus. A Nebone Ieiel, Mathathias, Zabadus, Zebina, Iaddaus, Ioel, & Banaias. Hi omnes duxerant uxores extraneas, quarum nonnullæ liberos genuerant.

ESDRAE LIBER II.

CAPVT I.

Nehemiæ Hachaliæ filij historia.

a scilicet, regni Artaxerxis.



ANNO a uigesimo, mense Casleu, cùm ego in arce Susis essem, aduenit Hananis quidam de meis cognatis, & alij quidam ex Iudæa, qui mihi de Iudæis, qui ex captiuitate reliqui euaserant, & de Hierosolymis interroganti, responderũt, reliquos ex captiuitate illic in pro-

B uincia magno esse in malo atque probro, Hierosolymæ muros dissipatos, & portas igni crematas. His ergo rebus auditis, sedens aliquot dies ploraui atque luxi, & ieiunans cœlestem Deum huiusmodi precibus interpellaui: O Ioua Deus cœlestis, Deus magne & terribilis, qui pacto stas, et clemẽtia uteris erga tui amantes, tua'que præcepta conseruantes, habe quæso & aures attentas, & oculos apertos, ad exaudiẽdas preces, quibus ego tuus te hodie no-

Daniel. 9. d Nehemias Deum orat, ut sibi apud Artaxerxẽ gratiã conciliet.

C ctes dies'que pro tuis Israelitis interpello, Israelitarum peccata confitens, quæ nos contra te, ego mea'que domus patria, commisimus, dum à te abhorrentes, præcepta, instituta, iura, quæ tu Mosi tuo mandasti, non conseruamus. D

Memẽto quæso illius rei, quam Mosi tuo promisisti, cum diceres nos esse contra te commissuros, et te nos esse per cæteras nationes dissipaturum. Cum'que ad te reuersi, tua præcepta conseruaremus atque exequeremur, etiamsi essemus ad cœli extrema dispersi, te inde nos esse collecturum: et in locum, quem tuo nomini collocando delegisses, adducturum. Atqui tui serui sunt, et populus, quem tu ista magna ui et ualida manu redemisti. Obsecro, Domine, præsta aurem attentam tum meis, qui tuus sum, tum cæterorum tuorum reuerendi tui nominis cupidorum precibus: et mihi tuo sic hodie propitius esto, ut mihi apud hũc uirum misericordiam concilies.

CAPVT II.

ERam autem regis prægustator. Igitur in mense Nisan, anno regis Artaxerxis uigesimo, cum appositum ei uinum cæpissem, & ei ministrassem, id'que apud eum præter solitum tristis, ita me rex allocutus est: Qui fit, ut uultu sis adeò tristi, cum non ægrotes. Mirum ni animi tristitia est. Hic ego maiorem in modum territus: Rex in perpetuũ uiue, inquam. Possum'ne non tristi uultu esse, euersa urbe, in qua sepulchra sunt maiorum meorum, eiusq; portis igne consumptis? Et rex: Quid'nam ergo petis? Cui ego cœlestem Deum precatus, ita dixi: Si tibi, rex, ita uidetur, & si tuus ego tibi placeo, peto, ut me dimittas in Iudæam, ad urbem, quę maiorum meorum sepulchra continet, instaurandam. Et rex asidente coniuge: Quandiu autem, inquit, in itinere futurus es? B

Nehemias ab Artaxerxe ueniã impetrat eundi instaurãtum Hierosolymam.

& quando rediturus? Tum ego, cum regi dimittere me uisum esset, tẽpus ei statui, atq; ita respondi: Si tibi placet, rex, curabis, ut mihi ad Syriæ prætores dentur epistolæ, qui me, donec in Iudæam peruenero, deducant. Præterea literæ ad Asaphum regiæ syluæ custodem, qui mihi ligna suggerat ad resarciendas portas arcis, quæ ad templum sita est, urbis'que muros & domum in quam diuertam. Tum rex mihi, Dei mei ope adiuto, illa dedit. & ego Syriæ prætores aggressus, eis regias tradidi literas, comitantibus me militum ducibus & equitibus à rege missis. Quod ubi audiuit Sanaballatus Horonius, & Tobias seruus Ammonita, ægerrimè tulerunt, uenisse hominem qui Israelitarũ bono studeret. ¶ Ego postquam Hiero- C

Nehemias noctu Hierosolymæ muros inspicit.

solymam ueni, atque ibi triduum fui, noctu surrexi cum paucorum hominum comitatu: neque cuiquam hominũ indicaueram, quid mihi Deus Hierosolymis facere mẽtem dedisset, nec ullum iumentũ habebam, præter id in quo equitabã. Igitur noctu per portam uallis egressus, & fontem draconis prætergressus, ad portam fimi perueni: & dirutos Hierosolymæ muros, portas'que igne combustas cõtemplatus, perrexi ad portam fontis, & ad regiam piscinam: ubi cum iumẽto, cui insidebam, locus ad transeundum deesset, ascendi per torrentem I

noctu,

noctu, & inspectis muris, reuersus ad portam uallis, & per eam ingressus, redij. Nesciebant autem magistratus quò iuissem, aut quam rem agerem: neque id Iudæis, neque sacerdotibus, neq; primatibus, neque magistratibus, aut reliquis opus facietibus adhuc indicaueram. Tum
D eis demonstraui, ipsos uidere quanto essemus in malo, uastata Hierosolyma, eius'que portis igne combustis. Itaque nobis instaurandos esse muros Hierosolymæ, ne amplius essemus probrosi. Cum'que eis ostendissem quanta me Deus meus ope iuuisset, & quæ mihi rex dixisset, illi probè confirmati, cœperunt ad ædificandum inuicem cohortari. Quod ubi audiuere Sanaballatus Horonius, & Tobias seruus Ammonita, & Gesemus Arabs, deridebant nos, & cum contemptione nostri quærebant quid'nam rei ageremus: num contra regem rebellaremus: Quibus ego respondi, nos cœlestis Dei cultores, eo propitio ædificationē aggredi: ipsos uerò nullam partem, aut ius, aut monimentum habere Hierosolymis.

CAPVT III.

Hierosolymæ muri reficiuntur.

ERgo excitati Eliasibus summus pontifex, eius'q; cognati sacerdotes, portam balantum extruxerunt: & ijdem erectis eius ostijs eam lustrarūt, id'q; usq; ad turrim centenariam, quæ Hananeelis uocatur. Secūdum hunc ædificauerūt Hierichuntij, & porrò Zacchur Amris filius. Portam autem piscium instaurarunt Hasnaæ filij, eam'q; contignarunt, & eius ostia, seras, & repagula posuerunt. Secundum hos refecit Meremothus Vriæ filius, Haccosi nepos: & porrò Mosollamus Barachiæ filius, Mesezabelis nepos: deinde Sadocus Baanę filius. Secūdum hos refecere Thecuani: quorum tamen nobiles colla sua domini sui operi nō subdidere. Portam ueterem refecere Ioiada Pha-
B seæ, & Mosollamus Besodię filius: eam'q; contabularūt, & eius ostia, seras, & repagula posuerunt. Secūdum eos refecere Malatias Gabaonensis, & Iadon Meronotita, Gabaonenses, & Masphani [a] usq; ad solium prætoris Syriæ. Secundum hos refecit Oziel Haraiæ filius, aurifex, & secundum hunc Ananias Haracaimi filius: atque hi Hierosolymam usq; ad dirutum murum restituerūt. Secundum hos refecit Ra-
C phaias Huris filius, præfectus dimidiæ partis Hierosolymorum, & porrò Iadaias Haromaphi filius, id'que contra suas ędes: deinde Hattus Hasabanię filius. Alteram partem et turrim furnorum refecere Melchias Harimi, & Hasubus Phahathmoabi filius. Secundum hunc refecit Sellumus Halohis filius, præfectus dimidię Hierosolymorum partis, unà cum suis filiabus. Portam uallis refecit Hanum & Zanoenses, qui & eam ædificarunt, eius'que ostia & seras repagula'que posuerunt: & præterea muri mille cubitos usque ad portam fimariā, quam refecit Melchias Rechabi filius, præfectus tractus Bethaccaremæ: ea'que instaurata seras &
D repagula posuit. Portam fontis refecit Sellum Cholhozis filius, Masphensis tractus præfectus, eam'que ędificauit ac operuit: ostia, seras, repagula fixit: item'que murum piscinę Siloæ ad hortos regis, usq; ad gradus, quibus ex urbe Dauidis descenditur. Post hunc refecit Nehemias Azboci filius, præfectus dimidiæ partis tractus Bethurensis, usque contra Dauidis sepulchrum, & usque ad piscinam factam, & ad domum heroum. Post eum refecerunt Leuitæ Rehumus Banis filius, & secundū eum Hasabias præfectus ex dimidia parte Ceilani tractus, in suo tractu. Post eum refecerunt eorum cognati Bauais Henadadi filius, præfectus ex dimidia parte tractus Ceilani. Secundum hūc refecit Ezer Iesuæ filius, Masphæ pręfectus, al- E
teram partem contra cliuum armorum angularem. Post hunc ad montem refecit Baruchus Zabbais filius partem alteram, à uersura ad ingressum domus Eliasibi pōtificis maximi. Post eum Meremothus Vriæ filius, Haccosi nepos, partem alteram ab ingressu domus Eliasibi, usque ad eiusdem extremum. Post hunc sacerdotes pagorum. Deinde Beniamin & Hasubus contra domos suas: deinde Azarias Maaseiæ filius, Ananiæ nepos, apud ædes suas. Deinde F
Bennuis Henadadi filius, partem alteram, ab Azariæ domo, ad uersuram & ad angulum usque. Deinde Phalal Vzais, à uersuræ regione, & turri, quæ ex superiore prominet regia, ad atrium carceris. Post eum Phaadias Pharosi filius, & deditítij Ophel incolentes, usque contra portam aquæ ad orientem & prominētem turrim. Deinde Thecuani partem alteram à regione turris magnæ prominentis, usque ad Ophelis murum. A'porta equorum refecere sacerdotes contra suam quisque domum. Deinde Sadocus Emmeris filius, contra suam domum: post quem Semeias Secheniæ filius, custos portæ orientalis. Deinde Ananias Selemiæ filius, & Hanun Saiaphi filius sextus, par- G
tem alteram. Deinde Mosollamus Barachiæ filius, contra suum cubiculum. Deinde Melchias aurificis filius, usque ad ædes deditítiorum & negotiatorum, contra portam præfecturæ, usque ad cœnaculum anguli. Inter cœnaculum anguli & portam balantum refecerūt aurifices & negotiatores.

[a] usque ad eum locū, secundum quem soliū prætoris erat.

CAPVT IIII.

Aduersarij deridēt instaurationē Hierosolymæ.

POstquam intellexit Sanaballatus, nos instaurare muros, magna cum indignatione iratus, cœpit deridere Iudæos: Quid faciūt imbelles isti Iudæi: (inquiebat apud cognatos suos, & milites Samaritanos) id'ne permittetur eis, ut sacrificent: ut aliquando perficiant? ut ruderum lapidibus, ijsq; combustis, utantur rediuiuis: Et Tobias Ammonita, qui apud eū erat: Equidem si uel uulpes, inquit, in eorum ædificationem ascēderit, facilè eorū lapideum murum diruet. Exaudi, Deus noster, ut cōtemptui simus: & conuerte ipsorum ignominiam in ipsorum caput, ut captiui in aliqua regione sint contemptui. Ne eorum culpam tegito, ne eorum peccatum de tuo cōspectu deleatur, qui contra ædificantes indignentur. Igitur cū ædi- B
ficantibus nobis murū, & eo iam dimidia parte planè compacto, populus animū operi intentum

tum haberet, postquã audiuere Sanaballatus, Tobias, Arabes, Ammonitæ, & Azotij, Hierosolymæ muros, cœpta iam dirutorũ obstructione, refici, id adeò ægrè tulerunt, ut uniuersi cõmuniter ad bellum Hierosolymæ inferendum, eius interturbandæ gratia, conspirarent. At nos Deum nostrum cõprecati, statuta contra illos diurna nocturnaq́ custodia, nostros muniuimus: quamuis cõquerentibus Iudæis, se diminutis baiulorum uiribus, cum tanta esset intrita, muros extruere non posse. Statuerant autem hostes nostri, nos nec opinãtes de improuiso opprimere, nobisq́ interfectis opus impedire. Sed id cum nobis Iudæi illorum finitimi [a] decies ex omnibus locis, in quibus nobis accolebant, indicatum uenissent: collocaui inferioribus locis post muros in fossis homines generatim, gladijs, hastis, & arcubus armatos: & prouisa re, optimates, magistratus, reliquumq́ uulgus monere institi, ne illos metuerent, sed magni illius & terribilis Domini memores, pro suis cognatis, liberis, coniugibus & domibus dimicarent. Ita postquam auditum est hostibus nostris, rem nobis esse notam, fractum est diuinitus illorum consiliũ, & nos ad suum quisq́ opus in muros redijmus. Atq́ ex eo die dimidia pars meorum famulorum opus faciebant: altera hastas, clypeos, arcus, & loricas habebant, ducibus post totã Iudæorum stirpem collocatis in muro ædificantium. Qui onera portabant aut collocabant, altera manu opus faciebant, altera telũ tenebant. Aedificatores gladijs accincti ædificabãt. Tubæ signum apud me erat. Monueram autẽ primates & magistratus, reliquumq́ uulgus, esse magnum opus, & latè patens, & nos in muris longè alios ab alijs esse dispersos. Proinde quo in loco tubæ sonitũ audiuissent, eò ad nos conuenirent: Deum nostrum esse pro nobis certaturũ. Ita nobis opus facientibus, illorũ dimidia pars hastas tenebant ab exortu auroræ, donec extarent stellæ. Atq́ eodem tempore populo præceperam, ut cum suo quisq́ famulo in media Hierosolyma pernoctarent: atq́ ita noctu in excubijs, interdiu in opere essemus: nec ego, nec mei cognati & famuli, & me comitantes custodes, uestimenta exuebamus, suũ quisque telum dextera tenentes.

Hierosolymæ muri hostibus inuitis instaurantur. C D

a sæpe

CAPVT V.

INterea exoritur magna hominũ, eorumq́ uxorum, contra suos cognatos Iudæos querela. Erãt qui ita dicerẽt: Magnus est nostrûm nostrorumq́ liberûm numerus: cõparandum est nobis inde frumentum, quo uiuamus. Alij sic: Oppignerandi sunt nobis fundi nostri, & uineæ & domus, ut frumentum in fame comparemus. Nonnulli ita: At pro nostris fundis & uineis ad tributum regi pendendum pecuniam sumpsimus mutuam. Iam cum eiusdem sint corporis nostri cognati atq́ nos, eorumq́ liberi atq́ nostri, nos tamen liberos nostros in seruitutem dedimus, iamq́ emancipatas filiarum nostrarũ nonnullas uindicare nequimus, cum fundos nostros & uineas teneãt alij. Hac ego illorum querimonia & uerbis auditis, eam rem ægerrimè tuli: ac postquam rem animo perpendi, primates & magistratus obiurgaui, qui fœnus à suis consanguineis exigerent. atque aduocata frequenti propter eos concione, ita locutus sum: Ergo nos consanguineos nostros Iudæos, in exteras gentes uenditos, pro nostris uiribus redimemus: & uos consanguineos uestros à nobis redẽptos emetis? Cũq́ illi silentes non inuenirent quod responderẽt: Istud non rectè facitis, inquam ego. Non'ne in metu Dei nostri uiuetis, ut extraneorum hostium nostrorum uituperationem euitetis? Ego quoq́ & mei cognati, famuliq́, argentũ eis frumentumq́ mutuauimus: agite, remittamus hoc nomen: reddite eis hodie agros suos, uineas, oliueta, & domos: tum centesimam condonate pecuniæ, frumenti, uini, & olei, quæ eis mutua dedistis. Tum illi se reddituros promiserunt, neq́ quicquam exacturos, facturosq́ ut ego dixissem. Et ego uocatos sacerdotes iurare coegi, ita facturos. Deinde gremium meũ excutiens: Sic excutiat Deus, inquam, omnem qui non hoc præstiterit, ex sua domo atq́ labore, & ita excussus esto atq́ uacuus. Et uniuersa concio, Ita faxit, inquiunt: Iouaq́ laudato, ita fecit populus. Cæterùm ex quo mihi mandata Iudææ prætura est, id est, ab anno regis Artaxerxis uigesimo, ad trigesimum secundum, per eos, inquam, duodecim annos, ego meiq́ cognati uictu [a] prætorio non uiximus: cum decessores mei prætores populum onerauissent, quadragenos argenti siclos panis uiniq́ nomine assiduè exigendo: ut interim de famulorum in plebem petulantia taceam, quos equidem Dei metu imitatus non sum. Nec solum hoc reficiendorum murorum opus adiuui ipse, sed etiam neq́ fundum emimus, & omnes mei famuli simul illic aderant operi. Iudæi autem & magistratus, homines centum quinquaginta, tum qui ad nos ex finitimis gentibus uentitabant, mea utebantur mensa. Itaq́ mihi quotidie mactabatur bos unus, & balantes sex opimæ, præter aues: adde decimo quoq́ die magnam omnis generis uini copiam: & tamẽ uictum prætorium non exigebam, quandoquidem populus is satis ipso opere onerabatur. Memento ut meo bono consulas mi Deus, eorum omnium causa quæ ei populo feci.

Inopũ querela de fœneratoribus. B C D

Nehemiæ abstinẽtia.

a collato à populo cellæ nomine, ut solebat prætoribus conferri.

CAPVT VI.

POstquam auditũ est Sanaballato, & Tobiæ, & Gosemo Arabi, cæterisq́ nostris hostibus, me ita muros instaurasse, ut nihil in eis dirutum restaret (quanquam nondum fores collocaueram in portis) miserunt ad me Sanaballatus, & Gosemus, ut ad eos uenirẽ, quo simul in pagis, in campo Onone, consultaremus. Habebant autem in animo, mihi nocere. Quibus ego missis nuncijs significaui, me in tanto opere occupatum, non posse discedere, ne, si eo omisso ad eos descendissem, intermitteretur. Cumq́ ad me quater eadem misissent, & ego eis eadem respondissem, misit ad me quintò Sanaballatus eadem per puerũ suum,

Sanaballatus & cæteri Nehemiæ insidiantur.

apertam ferentem epistolam in hunc modum
B scriptam: Fama est inter gẽtes, & Gosemus di-
cit, te & Iudæos rebelliõnẽ cogitare: teq; ideo
muros instaurare, ut ea ratione rex eorũ fias.
Quinetiam uates statuisse, qui te Hierosoly-
mis Iudææ regem salutent. Quamobrem cum
ea sit rex auditurus, ades, ut simul cõsultemus.
Ad hæc ego respondi, non esse ita ut ipse dice-
ret, sed ea ipsum sua sponte comminisci. Om-
nes enim terrebant nos, eo consilio, ut omitte
retur à nobis opus, neq; efficeretur. Itaq; con-
firmaui ipse me: cumq; domum uenissem Se-
C meiæ Dalaiæ filij, Metabeelis nepotis, quę do
mus erat semota ab alijs, & ille suaderet ut nos
in mediã fani cellam reciperemus, cellæq; o-
stia obseraremus, uenturos enim qui me inter
ficerent, & uenturos noctu: respondi, nõ eum
esse me ut fugerem, aut in ædem euadendi cau
sa intrarem: itaq; non esse intraturum. Deinde
intellexi, non id ei fuisse diuinitùs mandatum,
sed à Tobia & Sanaballato mercede persua-
sum, ut illud oraculũ mihi diceret: & ideo per-
suasum, ut id præ metu facerem, atq; ita pecca-
rem, & apud eos malè audirem, atq; ab eis ui-
tuperarer. Memento, mi Deus, illorũ Tobiæ
& Sanaballati facinorũ, necnon Noadiæ mu-
lieris uatis, & cæterorũ uatũ qui me deterre-
bant. ¶ Est autẽ absolutus murus die uigesima
quinta Elulis, die quinquagesimosecũdo. Cu-
ius rei fama postq; apud omnes hostes nostros
D increbuit, territę omnes nobis finitimę gentes,
multum de arrogantia deposuerunt, intelligen
tes id opus à nostro factũ esse Deo. Atq; illo
quidem tempore cõplurium Iudææ primatum
epistolæ ad Tobiã, & uicissim Tobiæ ad ipsos
ferebantur. Erant enim Iudæorũ multi iureiu-
rando cũ eo sociati, quippe qui Sechenię Aræ
filij gener esset, cuiusq; filius Iohannes filiam
Mosollami Barachiæ filij in matrimonium du
xisset: atq; eius laudes apud me prædicabant,
& mea dicta ei referebant: quæ erant hæc, To-
biam mei terrendi gratia misisse literas.

Absolutus Hierosolymæ murus.

CAPVT VII.

EXtructis muris portarum fores collocaui,
constitutisq; ianitoribus, cantoribus, &
Leuitis, præcepi Hanani fratri meo, & Ana-
niæ arcis Hierosolymitanæ præfecto, homini
fideli & in primis religioso, ut Hierosolymorũ
portæ neq; ante solis æstum patefierent: & ip-
sis adhuc præsentibus clauderentur atq; obse-
rarentur, statutis Hierosolymitanorũ custodi-
bus, qui contra suam quisq; domũ excubarẽt.
Cumq; & urbs spaciosa amplaq; foret, & exi-
guus in ea populus esset, domibus nondũ con-
structis: ego diuino impulsu primates & ma-
gistratus atq; plebem recensendi gratia con-
uocaui, nactusq; codicẽ in quo ratio confecta
B erat, qui numerus primùm aduenisset, sic in eo
scriptum reperi: QVI PROVINCIALES
ex captiuis, quos Nabuchodonosor Babylo-
niæ rex transtulerat, discesserint, & Hierosoly-
mã & in Iudæã sua quisq; in oppida redierint,
qui quidẽ uenerunt cũ Zorobabele, Iesua, Ne
hemia, Azaria, Raamia, Nahamani, Mardo-

Nehemias muris custodes præficit.
Eccle.49.d
Qui Hierosolymã ab exilio redierint.
1.Esd.2.a

chæo, Belsane, Misperetho, Beguai, Nahumo
& Baana: hominũ inquam Israelitarũ nume-
rus hic est. A' Pharaso orti duo millia centum
septuaginta duo. A' Sephatia trecenti septua-
ginta duo. Ab Ara sexcẽti quinquaginta duo.
A' Phahathmoabo, ex Iesua & Ioabo natis,
duo millia octingenti octodecim. Ab Elamo C
mille ducenti quinquagintaquatuor. A' Zat-
tu octingenti quadragintaquinq;. A' Zachæo
septingenti sexaginta. A' Bennoi sexcenti qua
dragintaocto. A' Bebai sexcenti uigintiocto.
Ab Azgaddo duo millia trecenti uigintiduo.
Ab Adonicamo sexcẽti sexagintaseptẽ. A' Be-
guai duo millia sexcenti septẽ. Ab Adine sex-
centi quinquagintaquinq;. Ab Atere ex Eze-
chia nonagintaocto. Ab Hasumo trecenti ui-
gintiocto. A' Besai trecenti uigintiquatuor. Ab
Haripho centum duodecim. A' Gabaone no-
nagintaquinq;. Bethlehemitæ & Netophaen
ses centũ octogintaocto. Anathotenses centũ
uigintiocto. Bethazmauetani quadraginta-
duo. Cariathiarimenses Cephirani & Berothẽ
ses septingenti quadragintatres. Haramani &
Gabaenses sexcenti uiginti unus. Machmanti D
ni centũ uigintiduo. Bethelenses & Haienses
cẽtum uigintitres. Nebonis alterius homines
quinquagintaduo. Ab Elamo altero orti mil-
le ducenti quinquagintaquatuor. Ab Harimo
trecenti uiginti. Ab Hierichone trecenti qua-
dragintaquinq;. A' Lodhadide & Onone se-
ptingenti unus & uiginti. A' Senaa tria millia
nongenti triginta. Sacerdotes Iadaia progna-
ti ex stirpe Iesuæ nongẽti septuagintatres. Ab
Emmere mille quinquagintaduo. A' Phashu-
re mille ducenti quadragintaseptẽ. Ab Hari-
mo mille septemdecim. Leuitæ Iesua & Cad-
miele prognati ex natis Odauiæ septuaginta-
quatuor. Cantores Asapho prognati centum
quadragintaocto. Ianitores Sellumo, Atere,
Talmone, Accubo, Hatita, Sobai prognati cẽ-
tum trigintaocto. Dedititij prognati Siha, Ha
supha, Tabbaotho, Ceroso, Cia, Phadone, Le- E
bana, Negaba, Salmai, Hanane, Giddele, Ga-
hare, Raaia, Rasine, Necoda, Gazamo, Oza,
Phasea, Besai, Munimo, Nephusimo, Bacbu-
co, Hacupha, Harehure, Baslitho, Mahida,
Harsa, Barcoso, Sisara, Thama, Nasia, Hati-
pha: tum prognati Solomonijs Sotai, Sophe-
retho, Pharida, Iaala, Darcone, Giddele, Sa-
phatia, Hattile, Pochereth o, Sebaimenses, A-
mone prognati, quorum deditítiorũ & Solo-
monijs prognatorum summa efficitur trecenti
nonagintaduo. A' Thelmela autem profecti
Thelharsa, Cherubus, Addon, & Emmer, non
potuere suam familiam & stirpem ostendere
an ex Israelitis essent. A' Dalaia, Tobia, & Ne-
coda orti fuere sexcenti quadragintaduo. De F
sacerdotibus autem orti, ab Habaia Haccoso
& Berzelai, qui ducta de Berzelais Galaaditę
filiabus uxore,[a] in illorũ nomen cõcesserat, hi
inquam, cum originis suæ tabulas scrutati, non
inuenirentur, sacerdotio priuati sunt, uetiti ab
[b] Atersatha uesci sacrosanctis, donec claritatis
& integritatis existeret pontifex. Totius om-
nino

[a] Galaadita factus fuerat.
[b] Is erat Nehemias, ut sequenti capite declaratur.

nino multitudinis summa erat quadraginta duo millia trecenti sexaginta, præter eorũ seruos & ancillas septem millia trecentos triginta septem: quorũ cantores & cãtrices erant ducenti quadragintaquinq;: equi septingenti triginta sex: muli ducenti quadragintaquinq;: cameli quadringenti trigintaquinq;: asinorũ sex millia septingenti uiginti. G ¶ Nõnulli de familiarum primarijs ad opus cõtulerunt: Atersatha, quæ conderentur, dedit auri drachmas mille, phialas quinquaginta, tunicas sacerdotales quingentas triginta. Tum quidã familiarũ primarij reponenda ad opus dederũt auri drachmarum uiginti millia, argenti minarũ duo millia ducentas. Reliqua plebs dedit auri drachmarum uiginti millia, argenti minarũ duo millia, tunicas sacerdotales sexagintaseptem. Cõsederunt autem sacerdotes, Leuitæ, ianitores, cantores, plebeij, deditítij, omnes deniq; Israelitæ suis in oppidis.

CAPUT VIII.

Esdras populo legem recitat.

IAmq; propinquante mẽse septimo, cũ Israelitæ degerent in suis oppidis, cõuenit totus ad unum populus in aream, quæ est ante portam aquę, iusseruntq; Esdrę professori, ut librũ Mosaicę legis afferret, quam Ioua tulerat Israelitis. Tum Esdras sacerdos pręsente omni multitudine tum uirorum tum mulierũ, & omniũ qui quæ dicerentur, intelligere possent, legem attulit, die primo septimi mensis, eamq; recitauit ante aream, quæ est ante portam aquæ, à diluculo ad meridiem, coram uiris mulieribusq;, & ijs qui possent intelligere, totius populi auribus in librum legis intentis, idq; è suggestu ligneo ad eam rem facto, astantibus ei ad dextram Mathathia, Sema, Ania, Vria, Helcia, & B Maaseia: ad sinistram autẽ Phadaia, Misaele, Melchia, Hasumo, Hasbadana, Zacharia, & Mosollamo. Igitur Esdras professor, aperto in oculis totius astantis populi libro (nam totum populum supereminebat, & eo librum aperiente astabat totus populus) Iouã Deum magnum collaudauit: & uniuersus populus sublatis manibus, Amen, Amen, respondit: demissisq; ad terram uultibus, Iouam suppliciter adorauit. Iesua autem, Banis, Serebias, Iamin, Accubus, Sabethais, Hodias, Maaseias, Celita, Azarias, Iozabadus, Hanan, Phalaias, & Leuitæ populum suo se loco tenentem lege erudiebant. Igitur diuinæ legis libro ita apertè recitato atq; declarato, ut inter recitandum intelligeretur, Nehemias, qui idem est Athersatha, & Esdras sacerdos professor, & Leuitæ, qui populum erudiebant, omnem populũ ita monuerunt: Hic dies Iouæ Deo uestro sacer C est: nolite lugere, aut plorare (plorabat enim cunctus populus, audito legis sermone) ite, epulamini lautè, & ijs partem mittite, quib. prouisum non est. nam Domino nostro sacer hodiernus dies est: neue dolete, nam in Iouana lætitia sita est uestra firmitudo. Leuitæ quoq; omnem compescuere populum, monentes ut se continerent, neue eo sacro die mœrerent. Ita discessit omnis populus ad epulandum, & alijs impertiendum, magnamq; lætitiam agitãdum: quippe qui uerba ipsis declarata percepissent. Altero die omnium populi familiarum primarij sacerdotes & Leuitæ Esdram professorem, discendorum legis uerborum gratia cõueniunt: & inuentum est in lege, quam Ioua D per Mosem tulerat, præscriptũ, ut Israelitæ mẽsis septimi festo manerent in umbraculis: utq; cùm in cæteris omnibus eorum urbibus, tum Hierosolymis, ediceretur, ut ex montibus peterent oliuæ, cupresi, citri, palmarum, & myrti ramos, quibus ex præscripto fierent umbracula.

Fit umbraculorum festum.

¶ Itaq; uulgò petiuerũt, sibiq; passim fecerunt umbracula [a] apud sua tecta, & in atrijs tũ suis tum fani, tum in platea portæ aquæ & Ephraimitarum: atq; in ijs à se factis umbraculis omnis eorum multitudo, qui ex captiuitate redierant, mansit: id quod à Iosuæ Nunis filij tẽporibus ad eum diem non fecerant Israelitæ. fuitq; ea maxima lætitia, cum interea legis diuinæ liber quotidie à primo ad ultimum diem recitaretur: ac peracto septemdiali festo, octauo die fuerunt, ut mos erat, feriæ.

a hæc extra urbem fieri iusserat Deus. Sed hic metuebantur hostes.

CAPUT IX.

EIusdem mensis die uigesimoquarto, congregati Israelitæ ieiuni, & centonibus induti, terraq; conspersi, Israeliticam stirpem ab omnibus alienigenis separarunt: astantesq; tũ sua peccata, tum maiorum suorum cõmissa cõfessi sunt: suoq; loco stantes, cum quater in die ex libro legis Iouæ Dei sui recitaretur, quater peccata confessi sunt, & Iouã Deum suum adorarunt. Deinde conscenso Leuitico pulpito Iesua, Banis, Cadmiel, Sebanias, Bonnis, Serebias, Banis, & Benanis, Iouam Deum suũ magna uoce inuocauerunt: dixeruntq; Leuitæ Iesua, Cadmiel, Banis, Hasabnias, Serebias, Hodias, Sabanias & Phathahias: Agite, collaudate Iouam Deum uestrũ per omnẽ æternitatẽ: & tuum, ô Ioua, gloriosum nomẽ ita celebretur, ut supra omnem celebrationem atq; laudẽ extollatur. Solus tu Ioua, tu cœlos, cœlorũq; cœlos, & omnes eorũ copias condidisti: terram & quæcunq; sunt in ea, maria & quicquid est in eis: tu uitam confers uniuersis, teq; cœlestis adorat exercitus. Tu Ioua Deus es. L. inquit Esdras, H. qui Abramum elegisti, & Vre Chaldæorum eductũ Abrahamũ nominasti, & expertus eum fideli erga te mente præditũ, pepigisti te Chananæam, Hettæam, Amorræam, Pherezæam, Iebusæã, & Gergesæam terram eius esse stirpi daturũ: quod quidem tuum promissum, ut iustus es, pręstitisti. Etenim maiorum nostrorũ in Aegypto degẽtium miseriam respexisti, eorũq; querelam apud mare rubrũ exaudiuisti: & editis in Pharaonem omnesq; Pharaonios, & in omnẽ eius terræ populum, prodigijs atq; portentis (sciebas enim illos ab eis superbè premi) famam tibi, ut perspicuum est, comparasti: ac fisso ante illos mari, eis per medium mare in arido transgressis, eorũ persecutores in uehementiũ fluctuũ fundum, tanquam saxa, deiecisti. Tum illos interdiu in nubis, noctu in ignis columna duxisti, ut eis uiã,

3. Esd. 9. c — *Leuitæ Iouã laudant.* — B — *Gen. 11. d* — C

qua irent, collustrares. Deinde in montem Sinam descendisti, eosq; de cœlo allocutus, eis rectas sententias, ueras leges, bona instituta præceptaq; tradidisti, sacrũ tuum Sabbathum declarasti, præcepta, decreta, legẽ per Mosem tuum præcepisti, panem famentibus de cœlo suppeditasti, aquam de rupe sitientibus elicuisti, & terram, quam te eis daturum promiseras, inuadere iussisti. Cumq; & illi & maiores nostri superbè & contumaciter tuis præceptis nõ obediuerint, sed parêre recusantes, & eorum quæ apud eos edideras, miraculorũ obliti, ducem sibi ad suum repetendũ cultum contumaciter creauerint: tu tamen eos, ô facilis, exora-
D bilis, misericors, ad iram tarde, ad clementiam propense Deus, non deseruisti. Quinetiam cũ sibi uitulũ fusilem fecissent, & hunc suum esse Deũ, à quo essent ex Aegypto educti, prædicauissent, magnaq; & impia cõmisissent: tu tamen pro tua singulari misericordia, non eos in desertis destituisti, non eis nubis interdiu columnam, qua per uiam ducerentur, non ignis noctu, quæ eis præluceret, & qua foret eundũ uia ostenderet, abstulisti: sed tuum bonũ spiritum eorũ erudiendorũ gratia dedisti, neq; tuũ Manna eorum ori subtraxisti, & aquam sitientibus dedisti, eosq; annis quadraginta in desertis sic aluisti, ut neq; eguerint, neq; eorũ uestimenta obsoleuerint, aut pedes intumuerint. Tum eis regna & nationes tribuisti, ita ut ultro citroq; dispersi, Sehonis Hesebonij regis, Ogiq; Basanæ regis terras occupauerint. Deinde eorum natos ad cœlestiũ stellarũ multitudinem auctos, in terrã introduxisti, cuius possessionem inuasuros esse eorũ maioribus promiseras. Ita terrã ingressi eorũ nati occuparũt.
E Cum'que tu subactos eis Chananæos incolas, eorumq; reges, & eius terræ populos dedidisses, ut eis ad suũ uterentur arbitriũ, cæpere munitas urbes, & terrã pinguem, & omnibus refertas bonis domos occuparunt, excisas cisternas, uineas, oliueta, & uescas arbores magna copia: quibus tuis tantis bonis uescẽdo satiati, saginati, fruiti, contumaces in te rebellarũt: &
F tua lege post tergum reiecta, tuos uates (à quibus ut ad te redirent admonebantur) interfecerunt, & impia patrauere facinora. Itaque tu eos ipsorum hostibus dedidisti: à quibus infestati, cum te implorassent, tu de cœlo exaudiuisti: & qua es misericordia, defensores eis, per quos ab hostibus defenderentur, dedisti. At illi otiũ adepti, iterũ tibi quod displiceret faciebãt, & tu eos in hostium potestatem tradebas: quorum imperio pressi, cum te iterum implorarent, tu de cœlis exaudiens, eos, qua es clementia, tuebare diu, & admonebas ut ad tuam redirent legem. At illi, ut erant insolentes, tua præcepta & sententias, in quibus exequendis homini posita uita est, non audiebant: sed in ea peccantes, humeris detrectantibus, & obfirmatis ceruicibus, nõ obediebant: ac ne te quidem multos annos super eis cunctante, & eos tuo nomine tuorũ uatum opera cõmonefaciente, auscultabant. Ergo tu eos cæterarũ regionũ nationibus dedidisti, sic tamen, ut pro tua singulari misericordia non eos prorsum desertos extinxeris, quippe Deus exorabilis atque misericors. Quamobrem, ô Deus noster, Deus magne, fortis, terribilis, qui pacta seruas & clementiam, noli tantam parui facere calamitatẽ, quæ nobis, nostris regibus, primatibus, sacerdotibus, uatibus, maioribus, deniq; tuis omnibus, ab Assyriæ regũ temporibus ad hunc usq; G
diem accidit. Et tu quidẽ in omnibus, quæ nobis euenere, iustus es, æquumq; fecisti: & nos impiè egimus, nostriq; reges, principes, sacerdotes, & maiores tuam legem non sunt executi: tuis præceptis & oraculis, quibus eos monuisti, non dederunt operã: inq; suo regno, & in tantis bonis in eos à te collatis, & in ampla illa & pingui terra eis à te concessa, non tibi seruierunt, neq; à suo prauo desciuerunt ingenio. Ecce nos hodie seruos, terramq; quam tu maioribus nostris dederas, ut eius fructibus bonisq; uescerentur: ecce nos in ea seruos, quæ tãtos regibus edit prouentus, quos tu reges nobis, propter nostra peccata, imposuisti: quib. in nostra & corpora & pecora suo arbitratu dominantibus, in magna sumus angustia. Et tamen firmum fœdus percutimus atque scribimus, quòd à nostris principibus Leuitisq; & sacerdotibus obsignetur.

CAPUT X.

Signatores fœderis, quod pepigerunt reduces cum Deo.

Erant autem signatores, Nehemias Athersatha Hachaliæ filius, Sedecias, Saraias, Azarias, Ieremias, Phashur, Amarias, Melchias, Hattus, Sabanias, Malluchus, Harimus, Meremothus, Abdias, Daniel, Genthon, Baruchus, Mosollamus, Abias, Mijamin, Maazias, Belgais, & Semeias, qui quidem erant sacerdotes. Leuitę aũt, Iesua Azaniæ filius, Bennuis ex Henadadi natis, Cadmiel: & eorum fratres, Sechenias, Hodias, Celita, Phalaias, Hanan, Micha, Rohobus, Hasabias, Zaccur, Serebias, Sabanias, Hodias, Banis, Beninus. Populi primarij Pharosus, Phahathmoabus, Elamus, Zattus, Banis, Bunis, Azgadus, Bebais, Adonias, Begoais, Adin, Ater, Ezechias, Azur, Hodias, Hasumus, Besais, Hariphus, Anathotus, Nebais, Magpias, Mosollamus, Hezir, Mesezabeel, Sadocus, Iadua, Phalatias,
Hanã, Ananias, Osea, Ananias, Hassubus, Hal B
lohes, Phileha, Sobecus, Rehumus, Hasabna, Maaseias, Achias, Anã, Malluchus, Harimus & Baana. Reliquus populus, sacerdotes, Leuitæ, ianitores, cantores, dedititij, & quicunq; à cæterarũ regionum populis ad diuinã legem se receperãt, unà cum suis uxoribus & liberis, quicunq; erant intellectus capaces, hi consanguineis suis nobilibus adiutores fuerunt, & sacramento dixerunt, iuraruntq; sese ex lege diuina per Mosem Dei cultorem lata uicturos, omniaq; Iouæ Dei nostri præcepta, iura, placita seruaturos atq; obituros, neq; nos filias nostras indigenis elocaturos, neque eorum filias nostris filijs ascituros, neque ab indigenis merces aut ullam rem uenalẽ die Sabbathi ad uendendum importantibus, accepturos die Sabbathi,

bathi, aut die sacro, & annum septimũ, atq; omne [a] debitũ remissuros. His quoq; nos imperatis subiecimus, ut nobis singuli sicli quadrantes quotannis imperarentur ad templi Dei nostri munia, ad panem ordinarium, & fertũ perpetuum, ad Sabbathorum & nouiluniorũ solidum sacrificiũ perpetuũ, ad solennia, ad sacra, ad piacula, quibus pro Israelitis supplicaretur, deniq; ad omne opus templi Dei nostri. Præterea super lignorũ collatione sortes iecimus, ecqui sacerdotũ Leuitarũ & plebeiorum ea in Dei nostri fanum generatim certis temporibus quotannis adueherent, in altari Iouæ Dei nostri ad præscriptum legis cõburẽda: itemq; de terræ nostræ & omniũ cuiuscunq; arboris fructuum primitijs quotannis in Iouę templũ inferendis, & de filiorum pecorumq; nostrorum primogenitis, sicut est in lege præscriptum: de boum & balantum nostrarũ primogenitis in Dei nostri templum ad sacerdotes in eo ministrantes sistendis. Item ut frugum nostrarum primitias, & exceptitia, & omniũ fructus arborum mustum & oleum, sacerdotibus in templi Dei nostri cellas afferremus: terræq; nostræ decumas Leuitis, qui Leuitæ omnia agriculturæ nostræ oppida decimarent: [b] Pontifex autem Aharone prognatus, cum Leuitis, Leuitas decimaret, & Leuitæ decumatũ decumas in templum Dei nostri in repositorij cellas inferrent. Debẽt enim Israelitæ & Leuitæ exceptum frumentum, uinumq; & oleum in cellas, ubi sacrarij uasa sunt, inferre: sacerdotes autem & ianitores cantoresq; ministrare, ne Dei nostri templum deseramus.

a Vide Deut. 15.

b Vide Num. 18

C

D

CAPUT XI.

Habitauerunt autẽ populi primores Hierosolymis, & reliqua plebs decimũ quẽque sortita est, qui Hierosolymã urbem sacrã incolerent: nouem autẽ partes in reliquis oppidis habitarent. collaudauitq; populus omnes, qui ultro Hierosolymam incolere uoluerunt. Atq; hi sunt prouincialiũ principes, qui Hierosolymis consederunt (nam cæteras quidem Iudææ urbes in suarum quiq; ciuitatũ patrimonijs incoluerunt Israelitæ, sacerdotes, Leuitæ, dedititij, & à Solomonijs orti) Hierosolymis inquam, qui consederunt, Iudæi erant, & Beniamitæ. Iudæi Athaias ad Pharem per Vziam patrem suum, Zachariam, Amariam, Saphatiam, & Mahalaleelem genus referens: & Maaseias Baruchi filius, Chalhozis nepos, Hazaiæ pronepos, Adaiæ abnepos, Ioiaribi atnepos, Zachariæ Silonis filij trinepos. Omnium Phare prognatorũ, qui Hierosolymis consederunt, summa fuit quadringenti sexaginta octo, homines militares. Beniamitę uerò, Sallus Mosollami filius, Ioedi filij, Phadaiæ filij, Colaiæ
B filij, Maaseię filij, Ithielis filij, Esaiæ filij: & post eum Gabbaisallais, nongenti uigintiocto, quibus præfectus fuit Ioel Zechris filius. Iudas autem Senuæ filius secundum in ciuitate locũ dignitatis obtinuit. Ex sacerdotibus Iedaias Ioiaribi filius, Iachin, Sareias ab Achitobo deinceps per patrem suum Helciam, Mosollamum, Sadocũ, Meraiothũ genus ducens, æditimus, eorumq; cognati, qui opus in templo facerent, octingenti uigintiduo: & Adaias Ierohami filius, Phalaliæ nepos, Amsis pronepos, Zachariæ abnepos, Phashuris atnepos, Melchiæ trinepos, & eius cognati familiarum primarij ducenti quadragintaduo: tum Amassais, Azareelis filij, Ahzais nepos, Mesillemothi pronepos, Emmeris abnepos, & eorum cognati, homines militares centum uigintiocto, præfecto Zabdiele Gedolimi filio. Ex Leuitis Semeias Hassubi filius, Azricami nepos, Hasabiæ pronepos, Bunnis abnepos. Exteriori fani operi præfuit Sabbethais & Iozabadus ex Leuitarũ principibus. Exordiendæ precũ celebrationis princeps fuit Mathanias Michę filius, Zabdis Asapho prognati nepos: item Bacbucias secũdæ inter cognatos suos dignitatis, & Abda Samuæ filius, Galalis nepos, Ieduthunis pronepos. Leuitæ in urbe sacra fuerunt in summa ducẽti octogintaquatuor. Ianitores Accubus, Talmon, & eorum consanguinei, custodias in portis agentes, centum septuagintaduo. Reliqui Israelitæ sacerdotes Leuitæ in omnib. oppidis Iudææ sua quiq; in hęreditate manserunt. Dedititij Ophel incoluerũt, præfectis Siha & Gispa. Leuitarũ aũt Hierosolymitanorũ præfectus fuit Ozis Banis filius, Hasabiæ nepos, Mathanię pronepos, Michæ abnepos, ex prognatis Asapho cantoribus, operi fani uacantibus. Nam de eis ita fuerat à rege imperatũ, ut cantoribus suũ quoq; die munus asignaretur. Phathahias Mesezabelis filius à Zara Iudæ filio genus ducẽs, regi erat ab omnib. popularibus negotijs. Apud pagos in suis agris incoluerũt à Iuda orti, Cariatharbam & Dibonem, earũq; colonias: Cabseel & eius pagos: Iesuam, Moladam, Bethphalet, Hasalsual, Bersabã, & eius colonias: Siceleg, Mochonam & eius colonias: Enremmonem, Saraam, Iarmutham, Zanoam, Odollamam, & earum pagos. Lachim, & eius agros. Azecam, & eius colonias: occupaueruntq; à Bersaba usque ad uallem Hennomi. Beniamitæ autem à Gabo Machmas, Aiam, Bethel, & eius colonias: Anathota Nobam, Ananiã, Hasor, Ramam, Gettaim, Hadid, Seboim, Neballatum, Lodã, Ononẽ, & fabrorũ uallem. Leuitarum autem classes Iudæorum erant & Beniamitarum communes.

Qui Hierosolymis post exiliũ cõsederint.

C

D

CAPUT XII.

Sacerdotes autem & Leuitæ, qui cum Zorobabele Salathielis filio & Iesua uenerũt, sunt hi: Saraias, Ieremias, Esdras, Amarias, Malluchus, Hattus, Sechenias, Rehumus, Meremothus, Iddo, Genthon, Abias, Miniamin, Maadias, Belga, Semeias, Ioiaribus, Iadaias, Sallus, Amocus, Helcias, & Iadaias. Hi cum suis consanguineis Iesuæ tempore fuerũt principes sacerdotũ. Leuitæ autem, Iesua, Bennuis, Cadmiel, Serebias, Iudas, & Matthanias, eiusq; cognati hymnis præerant. Bacbucias & Vnnis, quibus attributi erant ipsorũ cognati, custodias agebant. Genuit autem Iesua Ioacimum, Ioacimus Eliasibum. Eliasibus Ioiadã.

Sacerdotes & Leuitæ.

Ioiada Ionathanem, Ionathan Iaduam. Ac Ioacimi temporibus fuere sacerdotes familiarum primarij, Saraiæ filius Maraias, Ieremię Ananias, Esdræ Mosollamus, Amariæ Iohannes, Miliconis Ionathan, Secheniæ Iosephus, Harimi Adna, Meraiothi Helcais, Iddonis Zacharias, Genthonis Mosollamus, & Abiæ Zechris. Miniaminis Moadię filij Piltais, Belgę Sāmua, Semeiæ Ionathan, Ioiaribi Mathanais, Iadaiæ Ozis, Sallais Callais, Amoci Heber, Helciæ Hasabias, Iadaiæ Nathanael. Leuitæ Eliasibi tempore, Ioiada, Iohannes & Iaddua, scripti sunt familiarum primarij, & sacerdotes sub regno Darij Persæ, qui Leuitæ familiarum primarij in annalibus descripti fuerunt ad tempus
B Iohannis Eliasibi filij: quorum principes fuerunt Hasabias, Serebias, & Iesua Cadmielis filius, ijsq; attributi ipsorum cōsanguinei ad laudes ex diuini Dauidis disciplina celebrandas, custodijs inter sese ita comparatis, ut Mathanias, Bacbucias, Abdias, Mosollamus, Talmon, & Accubus portarum custodias agerent in uestibulis. Atque hæc quidem temporibus Ioacimi Iesuæ filij, Iosedeci nepotis, & Nehemiæ prætoris, & Esdræ sacerdotis professoris. Ad dedicationē uerò muri Hierosolymæ conquisiti sunt suis omnibus ex locis Leuitæ, qui Hierosolymam deducti, dedicationem cum lætitia & carminum celebritate, cymbalis, nablis & citharis agerent. Ita congregato cantorū genere, tum ex planicie circum Hierosolymam posita, tum ex pagis Netophatijs, exq; Bethgalgale & Gabanis agris, Azmothanisq; (nam pagos sibi circū Hierosolymā extruxerant cantores) purificati sunt sacerdotes & Leuitę, populūq;

Ad dedicationem muri Hierosolymæ conquiruntur Leuitæ.

C & portas & muros purificauerunt. Et ego Iudęorum principes murū iussi conscendere: statuiq; prolixos ordines laudatorū duos, quorū unus dextrorsum super muro ad fimariā portā procederet, sequentibus eum Osaia cum dimidia parte principū Iudææ, Azaria, Esdra, Mosollamo, Iuda, Beniamine, Semeia, Ieremia: & ex sacerdotū genere cum tubis Zacharia, qui ab Asapho deinceps per patrem suū Ionathanem, Semeiā, Mathaniā, Michęam, Zaccurem genus ducebat: eiusq; consanguineis Semeia, Azarele, Malalai, Maai, Nathanaele, Iuda, & Hanani, cum diuini Dauidis musicis instrumētis, præcedente eos Esdra professore. Atque hi quidem per portam fontis, eregionē aliorum per gradus urbis Dauidis ascenderunt, per ascensum muri, supra Dauidis domum, usq; ad aquæ portam orientalem. Alter ordo sinistrorsus ibat, sequente me & dimidia parte populi super muro, à turri furnorū, ad latum murum: & à porta Ephraimitarum, per portam antiquam, & portam piscium, turrimq; Hananeelis, & turrim Meam, usq; ad portam balantum: statum est ad portā carceris. Ita constitere duo laudatorū ordines in templo, necnon ego unà cum magistratuum parte dimidia. Sacerdotes
D Eliacimus, Maaseias, Miniamin, Michæas, Eliœnais, Zacharias, & Ananias, tubas habebāt. Maaseias, Semeias, Eleazar, Ozis, Iohannes, Melchias, Elamus, & Azer cantores personabant, præfecto Iezrahia. Eo die facta sunt magna sacrificia, actaq; lætitia est, quippe quam ingentem essent diuinitus consecuti: & acta etiam à mulieribus & pueris, ita ut ea Hierosolymitana procul exaudita sit lætitia. Eodemq; die prępositi sunt cellis homines, qui in eas exceptitia, primitias, & decumas ex oppidorum agris comportari condiq; curarent, quæ legitimæ sacerdotibus essent & Leuitis portiones. Lętabantur enim Iudæi, sacerdotes & Leuitas adesse, & Dei sui lustrationisq; disciplinam seruare, cantoresq; & ianitores in Dauidis & eius filij Solomonis instituto manere. Nam Dauidis & Asaphi seculo cantorum magistri, laudumq; & celebrationis Dei carmina fuerant antiquitùs instituta. Itaq; omnes Israelitæ Zorobabelis & Nehemię tempore cantoribus & ianitoribus quotidianum demensum conferebant, idq; ipsi Leuitis, & Leuitæ porrò Aharonijs consecrabant.

CAPUT XIII.

QVodam die cum Mosis liber audiente populo recitaretur, inuentum est in eo scriptum, ne Ammonita aut Moabita unquā in diuinam admitteretur ciuitatem: quoniam non solum Israelitas cibo & potione nō iuuissent, uerùm etiam contra eos Balaamum precio conduxissent, qui eis imprecaretur: quanquam Deus noster diras in faustum conuertisset omen. Hac audita lege, omnis alienorū turba ex Israelitarum est numero summota. Iam uerò antea Eliasibus pontifex, cellæ tēpli Dei nostri præpositus, Tobiæ, cui propinquus erat, ingentem cellam fecerat, ubi prius reponi solebant fertum, thus, uasa, & frumenti, uini, oleiq; decumæ, Leuitis cantoribus & ianitoribus institutæ, & ea quæ sacerdotibus excipiebantur. Quæ cum fierent, ego Hierosolymis non eram. Nam ad Artaxerxem Babylonię regem anno eius regni trigesimosecundo ueneram. Igitur cum aliquanto pòst, regis concessu Hierosolymam uenissem, perspecto Eliasibi circa Tobiam facinore, cui cellam in atrijs templi fecisset, ualde improbaui: proiectisq; extra cellam omnibus domesticis Tobię utensilibus, B iussi cellas purificari, eoq; fani supellectilem, fertum, & thus retuli. ¶ Cumq; cognouissem Leuitas & cantores ministros, quoniam Leuitis demensum non daretur, passim in suos agros diffugisse: eos, obiurgatis magistratibus, quòd dicerem nobis fanum non esse deserendum, conuocaui, & in pristinum statum restitui. Ita factum est, ut Iudæi uulgò frumenti, uini, oleiq; decumas in cellam afferrent, quem ego penum Selemiæ sacerdoti, & Sadoco professori, & Phadaiæ Leuitis commisi: ijsq; Hananem Zaccuris filium, Mathanię nepotem, attribui: qui pro ea, quam habebant, fidelitatis opinione, consanguineis suis distribuerent. Memento mei, mi Deus, ob hanc rem, ne'ue mea erga Dei mei templum eiusq; ceremonias beneficia aboleto. ¶ Eodem tempore cū uidissem per Iudęā Sabbatho torcularia

Deut. 23.a

Auferūtur alieni ex Israelitarum numero.

Nehemias dispersos Leuitas reuocat.

Nehemias Sabbathū agendum curat.

cularia calcari, manipulos uehi, onerari asinos, etiamq; uinum, uuas, ficus, denique omne onerum genus Hierosolymā die Sabbathi importari: eos cōmonefeci, quo die cibaria essent uendenda.

C

Cumq; Tyrij incolæ pisces, & omnia promercalia afferrent, & Iudæis in Sabbatho Hierosolymæ uenderēt, obiurgaui Iudęę optimates: Quod'nam inquam, facinus admittitis, dum Sabbathi diem profanatis? Non'ne propter simile maiorum uestrorū factum Deus noster & nos, & hanc urbem, hisce tot malis affecit? & uos Israelitarum pœnas uiolādo Sabbatho augetis? Itaq; cum primùm Hierosolymorum portę ante Sabbathum inumbratæ sunt, iussi eas occludi, nec nisi post Sabbathum aperiri: meorumq; famulorū quosdam ad portas collocaui, ne quod onus die Sabbathi importaretur. Cumq; mercatores & cuiusq; rei uenditores extra Hierosolymam semel atq; iterum pernoctassent, eos admonui, ne ad muros pernoctarent: quòd si iterarent, manum eis allaturum. Itaq; ex eo tempore in Sabbatho non ueniebant.

D

Leuitis etiam præcepi, ut lustrati portarum capesserent custodiā, die Sabbathi sanctè agendi gratia. Huius quoq; rei gratia memento mei, mi Deus, & mi hi pro tua singulari clementia ignosce.

Nehemias cogit externas uxores ab Israelitis repudiari.

Tū quoq; uidens Iudęos uxores Azoticas, Ammoniticas, & Moabiticas duxisse, eorumq; natos semiazoticè loquētes, Iudaicè nescire, sed diuersorū sermone populorum uti, eos in iurgio detestatus, nonnullos eorum uerberaui: uulsisq; capillis Deum iurare coegi, neq; filias suas illorū filijs daturos, neq; filias illorū suis filijs aut sibi ascituros. Nimirum in eo (inquiebam) offendit Israelitarum rex Solomo, cui cum par nullus in tot gentibus rex esset, qui licet ita Deo suo charus esset, ut regnū in omnes sit Israelitas diuinitùs adeptus, eum tamen ad peccandum mulieres perduxerunt extraneæ. Et nos scilicet uobis in hoc tam turpi cōmittendo facinore obtemperabimus? ut ducendis externis uxoribus, contra Deum nostrum crimen admittamus? Item unus ex Ioiadæ filijs, Eliasibi maximi pōtificis filij, gener erat Sanaballati, quem ego à me fugaui. Memento eorum, mi Deus, qui sacerdotium & sacerdotale Leuiticumq; fœdus inquinānt. Igitur postquam eos ab omnibus extraneis purgaui, sacerdotibus & Leuitis suę cuiq; procurationis opus assignaui, & de aduehēdis certis temporibus lignis, deq; primitijs caui. Memēto mei, mi Deus, ad meam utilitatem.

3.Reg.3.b *3.Reg.11.a*

ESDRAE LIBER III.

CAPUT I.

G. L.

Iosias agit Pascha. 4.Re.23.c 2.Par.35.a



EGIT autē Iosias Domino suo Pascha Hierosolymis: idq; decimoquarto die primi mensis immolauit, cum quidē sacerdotes in Domini sacro uestitos in ordines redegisset. Tum Leuitis Israeliticorum sacrorū administris iussit, ut sese Domino lustrarent, ad sacrā Domini arcam in templo, quod Solomo rex Dauidis filius extruxerat, collocandam, ne eis esset humeris ferenda: iamq; Domino Deo suo & eius Israelitis uacarent: & in familias tribusq; suas ex Dauidis Israelitarum regis, eiusq; magnifici filij Solomonis præscripto redacti, adessent in sacro, ut postularet ipsorum Leuitarum partitio familiarum, cōsanguineis suis Israelitis ministrantium: & ordine sacra immolarent, sacrificiaq; cognatis suis pararent, & Pascha ex Domini pręcepto Mosi dato agerēt.

B

¶ Largitus est autem Iosias populo, qui aderat, agnorum & hœdorum triginta millia, & uitulorū tria millia. Atq; hæc ex regijs facultatibus populo sacerdotibus & Leuitis ex promisso data sunt. Helcias, Zacharias & Iehiel æditui sacerdotibus ad Pascha dederunt oues duo millia sexcentas, uitulos trecentos. Iechonias, Semeias, Nathanael frater, Sabias, Ochiel & Ioramus tribuni dedere Leuitis ad Pascha ouium quinque millia, uitulos septingentos. His decenter effectis, stetêre non fermentatos panes habentes Leuitæ, in patrias cognationes & curias digesti, apud populum, ut Domino ad præscriptum libri Mosis libarent: id'que manè. Tum Paschalem uictimam igni ritè torrent, & hostias in ahenis & lebetibus cum suaui coctas odore; in omnes partiuntur populares. Deinde sibi dapes suisq; consanguineis sacerdotibus Aharone prognatis parant Leuitæ: & ideo parant, quòd sacerdotes circa adipes erant ad intempestiuum usque tempus occupati.

3.Reg.4.f

C

¶ Cantores sacri Asapho prognati suum munus obibant, quemadmodum fuerat à Dauide, Asapho, Zacharia, & Idythune regio institutum. Ianitores ad quodque uestibulum aderant, nullo eorum suam uicem intermittente, quandoquidem eorum consanguinei Leuitæ uictum eis parabant. Ita instructis eo die rebus ad Domini sacrificium pertinentibus, ut ageretur Pascha, & hostiæ ad diuinam immolarentur aram, iussu Iosiæ regis egerunt Israelitæ, qui per id tempus aderat, Pascha & Azymalia septem dies, quale Pascha nullum in Israelitis actum erat à tempore Samuelis uatis: nec ullum tale egerant ulli reges Israelitarum, quale egerūt Iosias, sacerdotes, Leuitæ, & omnes qui aderant Iudæi & Israelitæ, & Hierosolymæ habitatores. Atque hoc quidem Pascha actum est, octauumdecimum annum regnante Iosia. Ac Iosiæ quidem res, mente pietatis plenæ præditi, rectè se per eius Dominum habuerunt. Verùm de eius rebus scriptum superioribus temporibus est, ubi de eis agitur, qui tot peccatis & sceleribus (quibus omnes nationes regnaq; uicerunt) Dominum sic offenderunt atque commouerunt, ut quæ minatus erat Israelitis, euenerint.

D

Post hanc omnino à Iosia actam rem, accidit, ut Aegypti rex Pharao in Carchamim, apud Euphratem sitam, expeditionem faceret. Cui cum obuiam proficisceretur Iosias, misit ad eum rex Aegypti

in hunc modum: Quid tibi mecũ rei est, Iudęę rex? Non ad te à Domino Deo mittor: nã mihi bellum est apud Euphratem. Itaq; cum mihi adsit Deus, & me simul urgeat, omitte me, & noli Domino repugnare. Verùm Iosias ab illo inuadendo non destitit, sed cum illo dimicare conatus est: nec auditis Ieremiæ uatis à Domino dictatis uerbis, prælium cum eo in campo Mageddone commisit: ubi iaculatis in eum sagittarijs, iussit famulis suis, ut se ex prælio educerent: nam ualde infirmum esse. Ita continuò subductus à suis famulis ex acie, & conscenso altero suo curru Hierosolymam deportatus, uitam finiuit, & in patrio sepulchro conditus est, inq; tota Iudęa defletus: estq; Ieremias uates Iosiam lamentatus, eumq; lamentãtur adhuc qui huic rei præsunt, unà cum mulieribus, quæ res in toto genere Israelitico in perpetuam consuetudinẽ uersa est. Atq; hæc scripta sunt in libro earum rerum, quę de Iudææ regibus memoriæ proditę sunt. Ac de singulis Iosiæ rebus gestis, gloria, Dominicæ legis prudentia, breuiter & de cæteris, & de his eius rebus gestis, memorię traditum est in libro regum Israelitarum & Iudæorum. ¶ In Iosiæ locũ allectus in regnum à populo est Ioachazus eius filius, annum agens uigesimumtertium. Qui postquam Hierosolymæ in Iudæa menses tres regnauit, abrogauit ei Hierosolymæ regnum Aegypti rex: gentemq; argenti talentis centum, & auri talento uno mulctauit, & Ioacimum illius fratrem Iudææ & Hierosolymę regem creauit: uinctosq; primates & eius fratrem Ioachazum abduxit in Aegyptũ. ¶ Ioacimus anno ætatis suæ uigesimoquinto Iudęę & Hierosolymę regnũ adeptus, Dominum offendit. Aduersus eum expeditionem fecit Babyloniæ rex Nabuchodonosor: æneoq; constrictum uinculo Babylonẽ duxit, & partem sacrorũ Domini uasorum abstulit, & Babylone in tẽplo suo posuit. Sed de eius rebus gestis, impuritate, & infamia, literis proditũ est in annalibus regũ. ¶ Ei successit in regnum Ioachin eius filius, annos tũ natus octodecim: qui ubi menses tres & dies decem Hierosolymis impius in Dominũ regnauit, ineunte uere curauit eum Nabuchodonosor Babylonem, unà cum sacris Domini uasis, transferendum: Sedeciamq; Iudææ & Hierosolymę regẽ constituit, annũ agentem uigesimumprimum. Regnauit is annos undecim. Dominum offendit, nec dictis Ieremiæ uatis à Domino dictatis motus est, quin dato Nabuchodonosori regi per Domini nomen iureiurando, periurus deficeret, Dominiq; Israelitarum Dei iura & ceruice & corde obstinato uiolaret. Populi quoq; & sacerdotum principes multa peccauerũt, & omnia omnium gentium flagitia supergressi, Domini fanum Hierosolymis consecratũ polluerunt. Cumq; patrius ipsorũ Deus eos misso nuncio suo reuocaret, quòd & ipsis & suo parcebat tabernaculo, deridebant eius nuncios: ac tum cum Dominus loqueretur, eius uates ludificabantur, donec ille suis, propter flagitia, iratus, incitauit in eos Chaldæorum reges, qui eorum pubem ferro circum sacrum eorum templum trucidarunt, neq; iuuenibus, neq; uirginibus, neq; senibus, neq; paruulis pepercerũt: omnibusq; potiti, omnia sacra Domini uasa siue maiora siue minora, diuinæq; arcæ instrumentũ, & regias opes deprædati, Babylonem asportarunt. Domini templum combusserunt, Hierosolymæ mœnia demoliti sunt, turres igni cremauerunt: omnibusq; urbis ornamentis in nihilum redactis, eos qui ferrum euaserant, Babylonem abduxerunt, ubi regi eiusq; natis seruiuerũt, donec regnum obtinuere Persæ: ut id eueniret quod Dominus ore Ieremiæ minatus erat: hoc est, ut suis terra Sabbatis frueretur, quæ tamdiu feriata est, quamdiu deserta fuit, ad peragendos annos septuaginta.

[Margin notes, left column: Osiæ mors. — E — Ioachazus Iudææ rex. — Ioacimus Iudææ rex. — F — Ioachin Iudææ rex. — Sedecias Iudææ rex. — G — Chaldæi Iudæos depopulantur. Right column: I — Iere. 25.c.d 29.c]

CAPVT II.

ANno primo regni sui à Domino instinctus Cyrus Persarum rex (ut accideret id quod fuerat à Domino Ieremiæ uoce prædictum) edixit per totum imperiũ suum, idq; scripto, in hunc modum: Hæc dicit Persarum rex Cyrus. Orbis regẽ me creauit Dominus Israelitarum, Dominus supremus: mihiq; mãdauit, ut templum sibi Hierosolymis in Iudæa construerẽ. Si qui sunt igitur uestrûm ex illius gente, proficiscantur sane, illo suo Domino secundo, Hierosolymam, quæ est in Iudæa, ad ædificãdum Domini Israelitarum templũ, qui Dominus Hierosolymis habitat. Ac quicunq; eorum conterranei sunt, quemcunq; locum incolant, iuuent eos auro, argento, donis, equis, iumentis, præter alia quæ Hierosolymitano Domini templo uotiua dicantur. Tum Iudaicæ & Beniamiticæ tribus familiarum primarij & sacerdotes atq; Leuitæ, omnesq; à Domino instincti, proficisci parant ad Hierosolymitanum templum Domino instaurãdum: quos omnibus rebus adiuuere uicini, argẽto, auro, equis, iumentis, & plurimis multorum rebus uotiuis, qui ad id impulsi sunt. Pręterea rex Cyrus sacra Domini uasa protulit, quæ Nabuchodonosor Hierosolymis ablata, in suo deastrorum templo posuerat. Hæc deprompta Cyrus Persarum rex Mithridati quæstori suo tradidit, per quem Abassaro Iudææ prætori tradita sunt. Eorum numerus erat hic: aurea pocula mille: argentea totidem: mortaria argentea undetriginta: phialæ aureæ triginta, argenteæ duo millia quadringentæ decem, & alia uasa mille. Omnium uasorum tum aureorum tum argenteorum, quæ relata sunt, summa est quinque millia quadringenta sexaginta nouem, quæ à Sanabassaro unà cum captiuis Babylone Hierosolymam deportata sunt. Temporibus autem Artaxerxis Persarum regis scripserunt ad eum contra Iudææ & Hierosolymæ incolas, Belemus, Mithridates, Tabellius, Rathymus, Beeltethmus, & Semellius scriba, reliquiq; eiusdẽ ordinis in Samaria alijsq; locis habitantes, infrà scriptam epistolam: Regi Artaxerxi domino, homines qui in eius potestate sunt, Rathymus commentariensis, Semellius scriba, reliquiq; eorum consilij, & præsides

[Margin notes, right column: 2. Par. 36.d Cyri edictũ de Hierosolyma instauranda. — 1. Esd. 1.a — B — 1. Esd. 4.a — C]

Regiorum ad Artaxerxem literæ de impediẽda Hierosolymæ instauratione.

præsides in Cœlesyria & Phœnicia. Scito, rex, Iudæos huc istinc profectos, uenisse Hierosolymam, urbem rebellem & improbã, eamq; instaurare: fora & muros reficere, & templi fundamenta iacere. Quòd si hæc urbs instaurata, eiusq; mœnia exædificata fuerint, non solum tributum pendere non sustinebunt, uerũetiam regibus resistẽt. Et quia templi fit opus, uisum est nobis hanc rem non negligere, sed te, Domine noster rex, submonere, ut (si tibi ita uideatur) maiorum tuorum libri inspiciantur. Inuenies in cõmentarijs proditum literis de his rebus: cognoscesq;, ciuitatem illam fuisse rebellem, regibusq; & ciuitatibus incommodam: Iudeosq; eius incolas rebelles, & defectionũ iam olim autores, propter quam etiam causam ea uastata urbs est. Quamobrem hoc tibi, Domine rex, demonstramus, si ea urbs instaurata, eiusq; muri fuerint refecti, fore ut tibi deinceps D in Cœlesyriam & Phœniciam reditus non pateat.

Artaxerxes Hierosolymæ prohibet instaurationem.

Tum rescripsit rex Rathymo cõmentariensi, & Beeltethmo, & Semellio scribæ, cæterisq; eiusdem ordinis Samariam Syriamq; & Phœnicen incolentibus, ea quæ infra posita sunt. Legi epistolam, quam mihi misistis. Itaq; inspici iussi, & inuẽtum est, ciuitatem illam antiquitùs esse regibus contrariã, hominesq; defectionum & bellorum in ea autores, & reges potẽtes atq; acres fuisse Hierosolymis, qui Cœlesyriæ & Phœniciæ imperarent, tributaq; legerent. Quapropter impero, homines illos ab urbis ædificatione impediri: ac ne quid præterea fiat prouideri, ne malum longius ad regum detrimentum procedat. Tum lectis quæ ab Artaxerxe rege scribebantur, Rathymus & Semellius scriba, eorumq; gregales, Hierosolymam celeriter cum equitatu & agmine tumultuario profecti, cœperunt ædificatores impedire: iacuitq; Hierosolymitani templi constructio, usque ad secundum annum regni Darij Persarum regis.

CAPVT III.

IS Darius regnum adeptus, magno cõuiuio accepit suos omnes subditos, & uernas, omnesq; Mediæ & Persię magnates, omnes satrapas, duces, & prætores, sibi ab India ab Aethiopiam usq; in centũ uigintiseptem satrapijs subditos. ¶Postquam epulatũ abũdè, & discessum est, Darius rex in suum cubiculum se recipit, & somno correptus dormit.

Trium iuuenũ disputatio, de uini, & regis, & mulierũ, & ueritatis uiribus.

Hic tres iuuenes stipatores, regis corpus custodientes, cœperunt inter se cohortari, ut suam quisq; sententiam dicerent, ea lege, ut qui uicisset, cuiusq; dictum quàm aliorũ sapientius uisum fuisset, huic Darius rex tanta munera & uictoriæ ornamenta conferret, ut purpura uestiretur, auro biberet, B in auro dormiret, aureis frenis currũ, bysinãq; cidarim, & torquem circum collũ haberet, & secundus à Dario propter suam sapientiam sederet, Darijq; familiaris diceretur. Igitur suam quisq; sententiam scribunt, & obsignatas regis Darij puluino subijciunt, eo cõsilio, ut expergefacto regi scriptũ dent, & cuius sententiam rex & Persię summates sapientissimam iudicauerint, huic uictoriæ præmiũ detur ex scripto. Vnus scripsit: Præpotẽs est uinum. Alter: Præpotens C est rex. Tertius: Præpotentes sunt mulieres: sed uincit omnia ueritas. Deinde experrecto regi scripta tradunt: quibus ille lectis, curat euocandos omnes Persidis & Mediæ summates, satrapas, duces, prætores, & cõsules: & in tribunali sedens, schedulam apud illos recitari iussit: deinde iuuenes euocari, qui suas declararent sentẽtias. eisq; accersitis & ingressis, iubet ut ipsi scriptorum rationẽ reddãt.

Vini uires.

¶Tum primus, qui de uini uiribus dixerat, sic orationem exorditur: Quantum pollet uinum? ô uiri. Omnes, à quibus bibitur, homines decipit: eadem ut sit regis ac pupilli, serui ac liberi, pauperis ac diuitis mens, efficit: D omniũ animos ad lautitiam & hilaritatem conuertit: omniũ dolorum & debitorum memoriam eximit: omnium animos diuites reddit: regũ aut satraparum meminisse nõ patitur: [a] omnia ut per talenta dicantur efficit: utq; poti homines, & amicitiæ & fraternæ necessitudinis memoriã deponant: & non multò pòst gladios stringãt: neq; postea, ubi à uino resipuerint, quid fecerint recordentur. Non'ne igitur multum pollet uinum, ô uiri, quod hæc fieri cogat?

[a] nihil paruum loquũtur ebrij.

CAPVT IIII.

Regis uires.

HAec postquã ille locutus siluit, cœpit alter, qui de regis uiribus dixerat, loqui in hunc modum: O' uiri, non'ne permagnam habent uim homines, qui terras & maria, & omnia quæ in eis insunt, teneant? Atqui rex his omnibus antecellit & imperat, atq; ita dominatur, ut quicquid iusserit, faciant. Si iubet eos inter sese bellum gerere, faciũt: si in hostes mittit, uadunt, & mõtes, muros, turres demoliuntur, occidunt & occiduntur, neq; regis dictum excedunt. Quòd si uicerint, tum quæ prædati sunt, tum cætera referũt ad regem omnia. Rursum qui à militia & bello abstinentes terrã colunt, ubi sata messuerunt, ad regem referũt: cogentesq; alij alios, tributa regi afferũt. Is unus si iubet interficere, interficiunt: si dimittere, dimitunt: iusserit uerberare, uerberãt: iusserit uastare, uastãt: ædificare, ędificant: euertere, euertunt: serere, serunt: cunctusq; eius uel populus uel magistratus uni obediũt. B Præterea accumbentem, cibũ capientem, dormientẽ circũ undiq; custodiũt, neq; cuiquã discedere & sua curare negocia licet, neq; ei non obediunt. Quocirca uiri, non'ne præpotens rex est, cui sic obtẽperetur? His ille dictis tacuit.

Mulierum uires.

Tertius autẽ, qui de mulieribus & ueritate dixerat, scilicet Zorobabel, sic orationẽ incipit. Magnus sanè rex est, uiri, & homines multi, & uinũ multum potest. Quid qui his dominatur? quis autẽ his imperat? non'ne mulieres? Mulieres regem genuerunt, & omne hominum genus maris terræq; dominum ab his ortum est. Hæ ipsos educauere uinearũ satores, ex quibus uinũ gignitur. Hæ hominum uestes faciunt: hæ hominibus gloriam conciliant: nec possunt absq; mulieribus homines esse. Quòd si aurum, argentum, aut quiduis paulò elegãtius comparauerint,

rint, non'ne cuiuspiam forma & pulchritudine præstantis mulieris amore capti, illis omnibus omissis, in hanc oculos defigunt? hanc hianti ore intuentur? hanc omnes auro, argento, omni rerum pulchritudini anteponũt? Relinquit C homo suum ipsius patrem, à quo educatus est, & patriã, & suæ uxori adhærescit: cumq; uxore, & patris & matris & patriæ immemor, uitã finit. Atq; ut cognoscatis mulieres in uos imperium tenere, non'ne quæ multo labore paratis, omnia fœminis datis, atq; affertis? Sumit homo gladium, & foràs ad latrocinandum & furandum profectus, maria tranat & flumina, leones uidere sustinet, & per tenebras ingreditur: atq; ubi furatus, prædatus, grassatus est, ad amicam reportat: plusq; diligit homo suam coniugem, quàm parẽtes: multiq; propter mulieres mente alienati sunt, multi serui facti, multi perierunt, multi propter fœminas lapsi peccauerũt. Quid? an mihi non creditis? non'ne ingens regis potestas est? non'ne omnes eum nationes uel tangere formidant? Et tamen uidebam uiri præclarissimi Bartaci filiam Apamen, regis cõcubinam, regi dexteram assidentem, ei de capite diadema auferre, sibiq; imponere: tum regis malã sinistra manu ferire: cum rex interea eam ore hianti intueretur, & arridenti arrideret, & succensenti blandiretur, quò D eam sibi reconciliaret. An'non multum pollẽt mulieres, ô uiri, quæ hæc faciant? Hic cũ rex & proceres inter sese contuerẽtur, ille de ueritate sic uerba facere instituit: Multum sanè, ô uiri, mulieres pollent, & ingens terra est, & excelsum cœlum, & sol cursu uelox, qui uno die cœlum circumuectus, eòdem recurrat unde profectus est: non'ne magnus est qui hęc faciat? Sed maxima ueritas est, & omnium potentissima. Veritatem omnis terrarum orbis uocat: huic cœlum ipsum fauet: hanc res omnes reformidant & tremiscunt, nec in ea quicquam uitiosum est. Vitiosum uinum est, uitiosus rex, uitiosæ mulieres, uitiosum omne hominum genus, & eiusdem uitiositatis sunt eorum opera omnia, in qua uitiositate ueritatis expertes pereunt. At ueritas æterna pollet, uiuit, uigetq; in omnem perpetuitatẽ: nec ea est quæ perso- E narum habeat rationem, aut discrimen, sed æquum facit, ab omnibusq; iniquis & prauis rebus abstinet: eiusq; facta probãt omnes, nec inest in eius iudicio quicquum iniquum. Ceterùm & ab hac, & à regia magnificentia, & à potentia, & à seculorum omnium maiestate laudetur Deus ueritatis. Hæc ubi locutus finẽ fecit, omnes exclamarunt, maximam esse ueritatem, & præpollere. Tum rex: Pete quiduis (inquit illum alloquens) etiã supra ea quæ scripta sunt, & nos id tibi dabimus: quoniã sapientissimus inuentus es, & mihi proximus sedebis, meusq; uocabere familiaris. Et ille regi: Memento uoti, quo te Hierosolymam instauraturum esse pollicitus es, tum, cum regnũ adeptus es, omniaq; uasa Hierosolymis exportata eò remissurum, quæ seposuit Cyrus, cum de euertẽda Babylone uotum fecit, & se illò missurum uouit. Tu quoq; te uouisti instauraturum esse fanum, quod incenderunt Idumæi, tum cum à Chaldæis uastata Iudæa est. Et nunc hoc est quod à te ego postulo, rex Domine, F atq; flagito: hęc est, quam à te expecto, magnificentia. Oro igitur ut id præstes, quod facturum te cœlesti regi, tuo ipsius ore uouisti. ¶Tũ Darius rex surrexit, eumq; deosculatus, scripsit ei epistolas ad omnes dispensatores, præsides, duces, & satrapas, ut eum omnesq; eius comites ad instaurandã Hierosolymam proficiscentes deducerent. Deinde omnibus Cœlesyriæ, Phœniciæ, & Libani præsidibus per epistolas mandauit, ut cedrina ligna ex Libano Hierosolymam transferrent, cumq; illo urbem extruerent. Præterea Iudæis omnibus Iudæam ex regno petentibus, scripto de libertate cauit, ne quis potestate præditus, prętor, satrapa, aut gubernator, eorũ habitationes aggrederetur: & ut omnis, quam tenerent, regio ipsis esset immunis: utq; Idumæi, quos tenerent Iudæorum uicos, dimitterent. Item ad templi structuram, ut quotannis uiginti talenta darentur, donec exędificatũ foret. Itemq; ad hostias in ara adolendas quotidie (quas septenasdenas immolare ex præcepto haberent) alia talenta decem in singulos annos. Ad hæc, ut omnes qui ex Babylonia ad urbem extruendam pergerẽt, omnesq; sacerdotes, qui eòdem irent, in libertate essent, tam ipsi quàm eorum posteri. descripsit etiam sacrum uestitum, quo in re diuina utendum foret: & sumptum, qui Leuitis usq; ad ab- G solutum templum & exædificatam Hierosolymam suppeditaretur. Insuper omnibus urbis custodibus pensiones & stipendia assignauit, & omnia à Cyro separata uasa Babylone misit: & quęcunq; Cyrus fieri iusserat, ipse quoq; fieri, & Hierosolymam mitti imperauit. Igitur illinc digressus ille iuuenis, sublato in cœlum uultu uersus Hierosolymam, cœlesti regi gratias egit, ita dicens: A te uictoria, à te sapientia est, tua est gloria, & ego tuus tibi gratias ago, qui mihi sapientiam dederis: quam tibi, ô maiorum nostrorũ Domine, tribuo. Deinde acceptis epistolis Babylonem profectus, omnibus suis consanguineis negocium nunciauit: atque hi Deo suo patrio gratias egerunt, qui ipsis missionem dedisset, & remissionem ad proficiscendum, & Hierosolymam templúmque ipsius insignitum nomine cõstruendum: cumq; musicis instrumentis & lætitia septem dies exultarunt.

Veritatis uires.

Zorobabel à Dario petit, ut Hierosolymitanum fanum instauretur.

Darius Zorobabeli dat literas de instaurãdo fano.

CAPUT V.

1.Esdr.2.a

POstea generatim delecti sunt ad profectionem familiarum principes cum suis uxoribus, liberis, seruis, ancillis, & pecudibus. Cum his misit Darius equites mille, quibus imperauit, ut cum illis proficiscerentur: eosq; Hierosolymam usq; cum musicis tympanis & tibijs incolumes perducerent, omnibus illorum consanguineis ludentibus. Atque hæc sunt eorum nomina, qui profecti sunt generatim per classes in familias descriptorum. Sacerdotes Phinee Aharonis filio prognati, Iesua Iosedeci filius,

Qui Babylone Hierosolymā redierint cū Zorobabele.

filius, Saraiæ filij: & Ioacimus, Zorobabelis filius, Salathielis filij, de stirpe Dauidica, ex Pharis progenie tribus Iudaicæ, qui Zorobabel sub Dario Persarum rege sapiētem sermonem habuit, anno regni illius secūdo, mense Nisan, qui mēsis primus est. Hi sunt autem Iudæi, qui ex captiuitate (in quam à Nabuchodonosore Babyloniæ rege Babylonem deportati fuerāt) Hierosolymam, inq; reliquam Iudæam redierunt, & in sua quiq; oppida discesserunt, qui quidem uenerunt cum Zorobabele, Iesua, Nehemia, Zacharia, Reesaia, Enenio, Mardochæo, Beelsaro, Aspharaso, Reelia, Roimo, & Baana, suis ductoribus. horum inquā tam plebeiorum, quàm ducū numerus hic est: A'Phoro
B orti duo millia centum septuaginta duo. A' Saphato quadringēti septuagintaduo. Ab Areso septingenti quinquagintasex. A'Phaathmoabo duo millia octingenti duodecim. Ab Elamo mille ducenti quinquagintaquatuor. A'Zathui nongenti quadraginta quinque. A' Corbe, septingenti quinq;. A'Bani sexcenti quadraginta octo. A'Bibai sexcenti uigintitres. A'Sada tria millia ducēti uiginti duo. Ab Adonicane sexcenti sexaginta septem. A'Bagaoi duo millia sexcentisex. Ab Adino quadringenti quinquagintaquatuor. Ab Atereze cia nonaginta duo. A'Cilane & Azeta sexagintaseptem. Ab Azurane 432. Ab Anania 101. Ab Aromo ex Bassa 323. Ab Arsiphuritho 102. A'Metero 3005. Ab Ecbethlomone 123. Ab Ecnetopha 55. Ab Exanabotho 158. Ab Ecbethsamo 42. A'Cariathiario 25. A'Caphira & Berotho 743. Pirani 700. Chadiani & Ammidij 422. Ecciramani & Gabdenses 621. Macalonij 122. Betoliones 52. A'Nephi genus ducentes 156. A'Calamolalo & Ono 725. Ab Hierichone
C 345. Ab Annaa 3330. Sacerdotes à Ieddo Iosuæ filio prognati ex stirpe Sanasibi 972. A'Merutho 1502. A' Phassarone 1047. A' Carme 1017. Leuitæ autem à Iessue Cadmiele Banna & Sauia genus ducētes 74. Cantores sacri Asapho prognati 148. Ianitores à Salumo, Iatale, Tolmane, Dacobi, Teta, Sami prognati in summa 139. Sacri ministri orti ab Esao, Asipha, Tabaotho Cera, Sudo, Phaleo, Labana, Agraba, Acua, Vta, Cetabo, Agaba, Sybai, Anane, Cathua, Geddure, Airo, Daisane, Noiba, Chaseba, Gazera, Azia, Phinee, Asarane, Basthai, Asana, Meani, Naphisi, Acubo, Acipha, Asure, Pharacimo, Basalotho, Meeda, Chutha, Chorea, Charco, Aserare, Thomoi, Nasitho, Atipha.
D item Solomonijs prognati Asapphione, Pharira, Ieili, Losone, Isdaele, Sapheto, Agia, Phachthretho, Sabie, Sarothie, Masia, Gare, Addo, Suba, Apherra, Barodi, Sabatho, Allomo: omnium, inquam, sacrorum ministrorum, & Solomonijs prognatorū, summa fuit 372. (nam qui Thermeletho & Thelersa duce, Charaathalare & Aalare uenerunt, suas familias & genus, an ex Israelitis essent, ostendere nō potuerunt) A'Ladane Banis filio, ex Necodane orti 652. Ex sacerdotibus autem Abdia & Accoso prognati, & Addo (qui una de Berzellęi filiabus in matrimonium ducta, in illius nomē cōcesserat) cum sibi sacerdotium uendicarēt, nec quæsita eorum stirps in tabulis scriptis inuēta foret, abdicati sunt sacerdotio: eisq; iussit Nehemias & Attarias, ne sacra participarent, donec claritate & integritate instructus existeret pontifex. Omnium Israele prognatorum, qui duodecimum annum superarent, summa fuit, quadraginta millia, præter seruos & ancillas 2360. horum serui & ancillæ 7347. cantores & psaltriæ 245. cameli 435. equi 736. muli 245. asini B
5525. Ex familiarum primarijs, ubi ad Hierosolymitanum Dei templum uētum est, fuere qui templum in integrum restituere pro uirili statuerent: & in sacrum operis thesaurum conferrent auri minas mille, argēti quinq; millia, uestes sacerdotales centū. Consederunt autem sacerdotes & Leuitæ atq; plebeij Hierosolymis, & in finitima regione: sacriq; cantores & ianitores omnesq; Israelitę in suis oppidis. Deinde instante mense septimo, Israelitę, qui sua quiq; possidebant, conuenere simul in aream primæ portæ, quæ spectat ad orientem. Deinde Iesua Iosedeci filius, eiusq; cognati sacerdotes, & Zorobabel Salathielis filius, cum suis cognatis, aggressi sunt aram instaurare Dei Israelitarum, ut in ea solida procurarentur sacrificia, quemadmodum postulant ea quę in diuini Mosis libro præscripta sunt. Et quamuis in eos conspirarēt reliquæ nationes accolarum, qui ab eis disside bānt, eisq; uim omnes intentarent, illi tamen ara suo loco composita, sacrificia suo tempore, Dominoq; solida sacrificia matutina uespertinaq; faciebant: egeruntq; umbraculorum festum, sicut in lege præscriptum est, & quotidiana sacrificia, ut conueniens erat: deinde perennes libationes, & Sabbathorum, nouiluniorum, omniumq; consecratorum festorum sacrificia, & omnium qui uota Deo nuncupauerant. Igitur à septimi mensis nouilunio cœpta sunt Deo fieri sacrificia, atque ita Dei templum extruebatur, data pecunia lapicidis & fabris, ciboq; & potione & carris Sidonijs & Tyrijs, qui cedrinam materiam ex Libano ratibus in portum Iopicum adueherent, ut eis à Cyro Persarū rege literis fuerat imperatum. Anno autem secundo, cum in Hierosolymitanum Dei templum uenissent, secundo mense Zorobabel Salathielis, & Iesua Iosedeci filius, eorumq; cognati & sacerdotes & Leuitę, omnesq; qui Hierosolymam ex captiuitate uenerant, aggressi negociū, fundamenta iecere templi, noua luna secundi mensis, anno ab eorum in Iudæam & Hierosolymam aduentu secundo: Leuitas'que uiginti annis maiores in Domini operibus constituerunt, fueruntq; Iesua, natiq;, & consanguinei, & Cadmiel frater, & Madiabunis filij, necnō Iodæ Heliadunis filij cum filijs & cognatis, pariter in urgendo tēpli opere occupati. Ac extruendo ab ædificatoribus templo Domini, stetēre sacerdotes uestiti, cū musicis & tubis, & Leuitæ Asapho prognati habentes cymbala, Dominum laudantes & concelebrantes ad Dauidis Israelitarum regis

1.Esd.2.c — *1.Esdr.3.a* — *Instauratur ara, hunc; sacra.* — F *Leuit.23.* — *1.Esd.3.b* — *Templi fundamenta iaciuntur.* — *Eccl.49.b c* — *1.Par.17.b*

regis præscriptum, hymnisq; personantes Dominum celebrabant, G cuius bonitas esset & gloria apud omnes Israelitas æterna. Populus autem uniuersus cum tubarũ cantu magnũ edebat sonitum, Dominũ in extructione eius templi laudans. Sed sacerdotum & Leuitarũ principumq; familiarũ seniores, qui superius templum uiderant, cũ in huius adessent ędificatione, magnum cum fletu clamorem edebãt: rursumq; multis tubis magnũ cum lætitia sonitum edebant, ita ut homines tubarũ sonitum, propter hominum ploratum, nõ exaudirent: cũ hominum uulgus tanto tubarũ sonitu perstreperet, *1.Esd.4.a* ut procul audiretur. ¶ Quod ubi audiuerũt Iudaicæ & Beniamiticæ tribus aduersarij, accesserunt, ut causam sonitus tubarũ cognoscerent. Ac postquã intellexerunt Domino Israelitarum Deo templũ à captiuis ædificari, Zorobabelem, Iesuam, & familiarũ principes conueniunt, & ad ædificandi societatem operã suam offerunt: sese enim eidem cũ illis Domino obedire: eiq; iam ab Ascasai ethi Assyriorum regis tempore, à quo eò translati fuissent, sacrificare. Quibus illi respondent, non esse domino Deo suo templum à se simul & ab illis construendũ, sed unos se Domino Israelitarũ ritè esse ædifi- *1.Esdr.7.a* caturos, ut eis fuisset à Cyro Persarũ rege præceptum. Itaq; incolæ eos qui erãt in Iudæa, remorando & oppugnãdo, ab ædificatione auertebant: insidijsq; & concionibus conspirationibusq; faciendis, impediuerunt operis exædificationem toto tempore uitæ regis Cyri, prohibitiq; sunt illi ædificatione, duos annos, usq; ad regnum Darij.

CAPVT VI.

1.Esdr.5.a *Nehe.5*

SEd anno regni Darij secundo, cum Haggæus & Zacharias Addonis filius uates, ad Iudæos, & eos qui uel in Iudęa, uel Hierosolymis erant, domini Israelitarum nomine, quo erant præditi, uaticinarentur: cœpere Zorobabel Salathielis, & Iesua Iosedeci filius Hierosolymitanum domini templũ construere, cũ quidem adessent Domini uates, & eos adiuuarẽt. Per id tempus ad eos uenere Sisinnes Syriæ & Phœniciæ prætor, & Sathrabuzanes, eiusq; collegæ, qui ex eis quæsiuerunt: cuius iussu id templũ construerent, tectumq; & alia omnia perficerẽt, & qui nam structores essent qui ea efficerent? Sed Domini erga seniores Iudæos gratia, & erga captiuos cura, effectũ est, ut ędificatione prohibiti nõ sint, donec Dario de eis significatũ, & ab eo foret respõsum. ¶ Misit autem ille scriptam ad Darium epistolam, cuius exemplar est hoc: *Pretorum Syriæ literæ ad Darium, quibus ei templũ instaurari indicatur.* Sisinnes Syriæ Phœniciæq; prætor, & Sathrabuzanes atq; collegę in Syria & Phœnicia præsides, regi Dario salutẽ. Scito, noster Domine rex, nos in Iudææ regionẽ, & in urbem Hierosolymã uenisse, & offendisse captiuorum Iudęorũ senatores in urbe Hierosolyma, ingens Domino templũ nouum con- B struẽtes, saxis politis & magni precij, & lignis ad parietes adhibendis, easq; res studiosè fieri, & opus eis procedere, summoq; splendore & diligẽtia perfici. Nos ex illis senatoribus sciscitati sumus, cuius'nã iussu id templũ extruerent, eaq; opera fundarent: illos ideo interrogantes, ut id tibi significaremus, & de eius negocij principibus scriberemus: eamq; ob rem descripta autorum rei nomina ab eis poposcimus. Atq; illi nobis in hunc modum respõde- *3.Reg.6.a* runt: Nos Domini, qui cœlum terramq; cõdidit, cultores sumus. Fuerat autem templũ hoc multis antè seculis à magno quodã & potente Israelitarũ rege extructum atq; absolutũ. Sed irritatus maiorum nostrorum peccatis cœlestis Israelitarum Dominus, eos Nabuchodonosori *1.Esd.5.c* Babyloniæ Chaldæorũ regi dedidit, qui & templũ demoliti incenderunt, & populũ Babylonem captiuũ abduxerunt. Verùm Cyrus rex anno primo, quo Babyloniæ regnum adeptus est, scripto mandauit, ut templum hoc extrueretur: sacraq; uasa aurea & argentea, quæ Nabuchodonosor ex fano Hierosolymitano sublata in suo tẽplo reposuerat, protulit ex templo Babylonis: C eaq; tradita sunt Zorobabeli & Sanabassaro prætori. cui imperatũ est, ut ea uasa in Hierosolymitanum fanũ referret, ac reponeret: utq; id Domini templũ suo loco extrueretur. Tũc Sanabassarus ille accessit, & Hierosolymitani Domini tẽpli fundamenta iecit: quod exinde hactenus ædificatur, necdum ad perfectionem perductũ est. Quamobrem si ita censes, ô rex, inspiciantur Cyri regis tablina. Quòd si inuentũ fuerit, de Cyri regis sententia factam esse Hierosolymitanã Domini templi ædificationẽ, & ita tibi, domine Rex noster, uideatur, respondeto nobis de hisce rebus. ¶ Tũ *1.Esd.6.a* rex Darius iussit regias inspici librarias Baby- *1.Esdr.4.c* lone positas, & inuentus est Ecbatanis (quod castellum est in Media regione) codex quidã, in quo sic erat memoriæ proditum: Anno primo regni sui Cyrus rex imperauit, Hierosoly- *Cyri codex inuetus, de instaurando fano.* mitanum Domini templum extrui, ubi perpetuum igne sacrificiũ fieret, cuius altitudo cubitorum esset sexaginta, latitudo totidẽ, trinis politorum lapidũ ordinibus, & uno domestici ligni recentis ordine. Sumptus autẽ ex Cyri regis fisco suppeditaretur: ac sacra tẽpli Domini uasa, tum aurea, tum argentea, quæ Nabuchodonosor ex Hierosolymitano tẽplo ablata Babylonem deportauerat, ea in Hierosolymitanũ templũ, ubi posita fuerant, restituerentur ac reponerentur. Itemq; imperauit Sisinnæ Syriæ Phœnicięq; prętori, et Sathrabuzanę, socijsq;, D & ordinatis in Syria & Phœnicia procuratoribus, ut darent operã, ut ab eo loco abstinerent: sinerentq; Domini cultorẽ Zorobabelẽ Iudęę prætorem, & Iudæorũ senatores, illud Domini templũ suo loco extruere. Itaq; ego quoq; pla- *Darius fanum ædificari iubet.* nè ædificari impero, ac prospici, ut reuocati ex captiuitate Iudæi adiuuentur, donec Domini templũ sit absolutũ: utq; ex Cœlesyriæ & Phœniciæ tributo stipendiũ diligenter soluatur illis ad Domini sacrificia per Zorobabelem prætorem, in tauros, in arietes, & agnos: itemq; frumentum, sal, uinũ, & oleum assiduè quotãnis, quantũ sacerdotes Hierosolymitani ostenderint insumi quotidie, sine ulla dubitatione, ut

supremo

supremo Deo pro rege eiusq́ liberis sacra fiant, proq́ eorum uita supplicet. Ac quisquis contra aliquid eorũ quæ iam dicta & scripta sunt, commiserit, aut id irritum fecerit, impero ut is in tigno ex ipsius ędibus detracto suspendat, eiusq́ bona in regis fiscum redigantur: Dominumq́ adeò precor, cuius nomen illic inuocatur, ut omnes uel reges uel priuatos homines perdat, qui illud Hierosolymitanũ Domini templum uel impedire uel lædere conabuntur. Ego rex Darius ita diligenrer fieri decreui.

CAPVT VII.

1.Esd.6.c

TVm Sisinnes Cœlesyriæ & Phœnicię prętor, & Sathrabuzanes, eorũq́ socij, Darij regis imperata exequentes, sacris instabant operibus, seniorib. sacerdotum et ęditimis diligenter operã dantes: procedebantq́ sacra opera, uaticinantib. Haggęo & Zacharia uatibus, eaq́ Domini Israelitarũ Dei iussu effecta sunt.

Perficitur templum.

Atq́ ex Cyri et Darij & Artaxerxis Persarũ regũ sententia perfectũ est sacrũ templũ ad uigesimumtertiũ B diem mensis Adaris, anni sexti Darij Persarũ regis. Tum Israelitæ & sacerdotes, & Leuitę, reliquiq́ ex captiuitate reduces, Mosaici libri prę scriptũ secuti, obtulerũt ad templi Domini dedicationẽ tauros centũ, arietes ducẽtos, agnos quadringentos, capros uniuersorũ Israelitarũ piaculares duodecim, ad numerũ duodecim Israeliticarũ tribuũ, functiq́ sunt sacerdotes & Leuitæ C generatim uestiti, munerib. Domini Israelitarũ Dei, ut Mosis liber postulabat, cum quidẽ ianitores ad singula adessent uestibula. Egerunt etiã Israelitę ex captiuitate reduces Pascha die mensis primi decimoquarto: lustratisq́ sacerdotibus simul & Leuitis, omnibusq́ qui ex captiuitate uenerãt, immolauere Pascha Leuitę, tum omnibus qui captiui fuerant, tum consanguineis suis Leuitis & sibimetipsis, & epulati sunt omnes tam Israelitæ, qui fuerant captiui, q̃ ex incolis ij D qui se Iouæ studio, à cæterarum gentiũ scelerib. uindicauerãt: egeruntq́ septem diebus Azymalia, apud Dominũ lætantes, qui eis tantam regis Assyriæ beneuolentiam cõciliauisset, ut eis ad Domini Israelitarum Dei opera adiutor esset.

CAPVT VIII.

Esdras Babylone Hierosolymam proficiscitur.

1.Esd.7.a

HIs ita constitutis, regnante Artaxerxe Persarum rege, Esdras ad Aharonẽ primũ pontificem deinceps per suũ patrem Saraiã, Azariã, Helciam, Salumũ, Sadducũ, Achitobũ, Amariam, Eziã, Merothũ, Zaraiã, Sauiam, Boccã, Abisum, Phineem, & Eleazarũ genus referens, Babylone profectus est, uir Mosaicæ legis ab Israelitarũ Deo traditæ egregiè peritus: rege adeò propitio usus, & tantũ apud eum honorem consecutus, ut ab eo omnia postulata impetrauerit. Cum eo Hierosolymã concesserunt quidam Israelitarũ sacerdotum, Leuitarũ, cantorumq́ sacrorum, & ianitorũ, & ministrorum fani, mense quinto, anno regnantis Artaxerxis septimo. Hi primo die mensis primi Babylone profecti, Hierosolymã [primo die mensis quinti] peruenerũt: tam fauentem in itinere Dominum habuerunt.

Hoc [] ex 1.Esd.7.adieci.

Erat aũt Esdras tanta prę ditus scientia, ut nihil eum ex Domini lege & præceptis lateret: utq́ omnes Israelitas in omni æquitate & iure instituerent. Ad hunc Esdram sacerdotem, legis Domini professorem, allatũ est scriptum à rege Artaxerxe decretum, cuius exemplar est hoc:

Artaxerxis ad Esdram literæ de instaurando fano.

Rex Artaxerxes Esdræ sacerdoti, & Domini legis professori, salutem. Ego humanitate ductus, impero ut in nostro regno degentes Iudęi, siue plebeij, siue sacerdotes sint, aut Leuitæ, si eis ita uisum fuerit, tecũ in Israelitarũ regionem proficiscantur. Quicunq́ igit id habent in animo, pergant quemadmodũ mihi & septem amicis consiliarijs uisum est, ut Iudęę & Hierosolymię rem B agant quemadmodum Domini lex postulat: ferantq́ Hierosolymã Israelitarũ Domino munera, quæ ego & amici uouimus: item omne aurum & argentũ, quod inuentum fuerit in Babyloniæ regione, Hierosolymã Domino destinatum, præter ea quæ à gente ad Hierosolymitanũ Domini Dei sui templum collata fuerint: quod quidem aurum & argentũ conferatur in tauros, arietes, agnos, & in ea quæ ad hæc pertineant, ut Domino ad Hierosolymitanũ Domini ipsorũ Dei altare fiant sacrificia. Ac quicquid tu cum tuis consanguineis uolueris auro & argento facere, agito ex Dei tui uoluntate: tum sacra Domini uasa tibi ad usum Hierosolymitani templi Dei tui tradita, appones Deo tuo Hierosolymitano: ac quicquid aliud tibi ad usum templi Dei tui opus fuerit, solues ex regio fisco. Ego uerò rex Artaxerxes impero Syrię et Phœniciæ quęstoribus, ut quæcunque significauerit Esdras sacerdos & supremi Dei legis professor, ea diligenter ei dent: usq́ ad argenti talenta centum, item frumenti coros centum, uini metretas centum, aliaq́ omnia abundè ex diuina lege diligenter supremo præstentur Deo, ne regis uel regno uel natis pœna irrogetur. Vobis autem denunciatur, ne cui sacerdoti, aut Leuitæ, aut sacro cantori, aut ianitori, aut sacri ministro, aut operam isti templo danti, tributum ullum, aut aliud quoduis onus imperetur, neu quis potestatem habeat eis aliquid imponendi. Tu uerò, Esdra, C pro ea qua præditus es diuina sapientia, statuito præsides & iudices, qui in tota Syria & Phœnicia ius dicant, eosq́ omnes legis Dei tui peritos: imperitos autem docebis ipse. Ac quicunq́ contra diuinam aut regiam legem cõmiserint, ij sine dubio dent pœnas seu morte, siue cruciatu, aut mulcta pecuniaria, aut carcere.

Esdras Deo gratias agit.

Tum Esdras professor: Gratias ago, inquit, soli Domino Deo meo patrio, qui regi eam ornandi sui Hierosolymitani templi mentem iniecerit, meq́ apud regem et eius cõsiliarios, omnesq́ amicos et proceres, honorauerit. Ego igitur Domini Dei mei ope redditus audentior, homines ex Israelitis coegi, qui mecum proficiscerentur.

1.Esd.8.a Qui cũ Esdra Babylone profecti sint.

Atq́ hi sunt cognationum & ordinũ suorum principes, qui mecum, regnante Artaxerxe, Babylonẽ profecti sunt. A' Phinee ortorum Gerson. Ab Ithamare Gamael. A' Dauidis natis Leptus Seche-

A niæ

niæ filius. A' Phoroso Zacharias, & cum eo recensiti homines centum quinquaginta. A' Phalomone Abeliaenias Zacharię filius, & cum eo homines ducenti. A' Zathoe Sechenias Iezelis, & cũ eo homines trecenti. Ab Adine Obethus Ionethæ, & cum eo homines ducenti quinquaginta. Ab Elamo Iesias Gotholię, & cum eo homines septuaginta. A' Saphatia Zaraias Michaelis, & cum eo homines septuaginta. A' Ioabo Badias Iezelis, & cum eo homines ducenti duodecim. A' Banide Assalimothus Iosaphiæ, & cum eo homines centũ sexaginta. A' Babi Zacharias Bebais, et cum eo homines uigintiocto. Ab Astatho Iohannes Acatanis, & cum eo homines centũ. Ab Adonicamo ultimi, quorũ nomina sunt Eliphalathus, Ieuel, & Meas, & cum eis homines septuaginta. A' Bagoi Vthis Istacuris filius, & cũ eo homines septuaginta. Hos ego ad fluuiũ qui Thera dicitur, congregaui, ac postq; ibi triduũ morati sumus, recensui: cumq; nullos illic de sacerdotũ & Leuitarũ genere inuenissem, mandaui Eleazaro, Arieli, Maasmæ, Alnathani, Semeiæ, Ioribo, Nathani, Ennatæ, Zachariæ, & Mosollamo, uiris primarijs & peritis, ut adirent Daddæũ ærarij loco præfectum, & cum eo, cumq; eius consanguineis & illius loci quęstoribus agerent, ut nobis mitterent qui in Domini nostri templo sacerdotium gererent. Itaq; adduxere nobis, Domini nostri forti opera usi, homines peritos à Moli Leuis filio Israelis nepote originem ducentes, Isebebiã, et eius filios atq; consanguineos, homines octodecim, & Asebiam, & Anuũ, & Osaiã fratrem, ex Chananæi posteris, eorũq; filios uiginti: & ex sacris ministris, quos Dauid & principes ministerio Leuitarũ attribuerant, ducentos uiginti, omnes nominatim appellatos.

1. Esdr. 8. b D

Esdras sacerdotes curat accersendos.

¶ Illic ego ieiuniũ iuuenibus apud Dominũ Deum nostrũ indixi, ut ab eo prosperũ nobis simul, & ijs qui unà aderant, liberis nostris & pecoribus, iter peteremus. Puduerat enim me, equitatus peditatusq; comitatũ à rege postulare, qui nobis essent contra nostros aduersarios præsidio. Nam regi dixeramus, Domini ope adiutum iri ipsius studiosos ad omnia rectè agenda. Cumq; rursum Domino super hac re supplicauissemus, eo sumus usi propitio. Igit delegi primatũ & sacerdotũ duodecim, & Serebiam atq; Asabiã, & cum eis ex ipsorũ consanguineis homines decem: quib. tradidi præsens argentũ, aurumq;, et sacra templi Domini nostri uasa, quæq; rex, & eius consiliarij atq; proceres, omnesq; Israelitæ, donauerant: ijs inquam, appensa tradidi argenti talenta sexcenta quinquaginta, & argentea uasa talentorũ centum: auri talenta centum: aurea uasa uiginti: ærea uasa ex ęre probo in auri modũ fulgentia duodecim. Deinde eis ostendi, & ipsos esse Domino sacros: & uasa sacra, & aurum argentũq; Domino maiorũ nostrorum esse uotiua. Vigilarent, eaq; custodirent, donec sacerdotũ et Leuitarum principibus & Israeliticarum familiarum primarijs Hierosolymæ ad templi Dei nostri penum ea tradidissent.

Esdras ieiuniũ indicit. 1. Esdr. 8. c

Esdras sacerdotibus sacram supellectilem committit. E

Ac postquam sacerdotes & Leuitæ argentum, aurumq;, & Hierosolymitana uasa in Domini templum deferenda receperunt, profecti à Thara fluuio, duodecimo die mensis primi, Hierosolymã peruenimus. Quò postquam ualida Domini nostri ope adiuti, & ab omni hostium iniuria in itinere defensi, peruenimus, & ibi triduũ morati fuimus, quarto die appensum est argentum atque aurum, & in Domini nostri templo traditum Meremotho sacerdoti, & simul Eleazaro Phineis filio, cum quo erant Iosabadus Iosuæ, & Moethus Sabbanæ filius Leuitæ: suntq; omnia ad numerum & pondus tradita, & eodem uestigio omne eorum descriptũ pondus est. Qui autem ex captiuitate uenerant, Deo Israelitarum Domino hostias immolauerunt, tauros duodecim, omnium Israelitarum nomine, arietes nonagintasex, & agnos duos & septuaginta, capros pro salute duodecim, quę omnes hostię Domino mactatę sunt. Postquam autem Regis imperata regijs Cœlesyrię et Phœniciæ legatis & prætoribus sunt tradita, illi & gentem & Dei templum exornarunt.

1. Esdr. 8. d

¶ His ita peractis, aggressi me primates, demõstrant, Israeliticum populum, principes, sacerdotes, Leuitas, non solum ab externarum gentium commercio nõ abhorrere, sed etiam cum gentis Chananæorum, Hettæorum, Pherezæorum, Iebusæorum, Moabitarum, Aegyptiorum, & Idumæorum flagitijs communicare: nam cum illorum filiabus & ipsos & ipsorum filios conuenisse, & sacrum semen cum externis terrarum gentibus commixtum esse, adeoq; primarios & optimates eius sceleris iam ab initio rei fuisse participes. Hæc ego simul ac audiui, uestimenta & sacram uestem laceraui: uulsaq; capitis cæsarie, atq; barba, cogitabundus & mœstus sedi.

Esdræ indicatur populum ab externorũ affinitate nõ abstinere. F

¶ Cumq; ad me ob scelus illud mœrentem confluxissent, quicunq; Domini Israelitarũ Dei dictis mouebantur, postquam tristis ad uespertini sacrificij horam sedi ieiunus, surrexi, & lacera habens indumenta, sacramq; uestem, flexis genibus, & passis ad Dominũ manibus, ita dicebã: Vereor, Domine, præ pudore tuum cõspectum. Nam peccata nostra supra capita nostra redundant: uitia nostra ad cœlum usq; pertingunt iam à maiorum nostrorum seculo: magnoq; sumus hactenus in peccato, & propter peccata nostra maiorum' que nostrorum, addicti fuimus nos nostriq; consanguinei, & reges, & sacerdotes, regibus terrarum, in ferrum, in captiuitatem, & fœdam depopulationem, ad hodiernum usque diem. Nunc aliquatenus tua sumus usi, Domine, misericordia, dum nobis stirps & nomen in tui sacrarij loco relinquitur, dum nobis in Domini Dei nostri templo patefit lumen, dum nobis seruitutis nostræ tempore suppeditatur alimonia: neq; seruientes à Deo nostro deserimur, quin tantam nobis apud Persarum reges gratiam conciliet, ut & nobis cibum suppeditent, & Domini nostri templum exornent, & desertam Sionem instaurent, quo nobis firmum aliquid

Esdras populi peccata cõfitens, implorat Dei misericordiam. 1. Esdr. 9. b

quid in Iudęa & Hierosolymę deſ. Et nũc quid dicemus, Domine, his ita ſe habentibus? Nam contra ea fecimus, quæ tu tuorũ opera uatũ præceperas: uidelicet terram, quã ibamus occupatũ, terram eſſe alienigenarũ, quæ in ea degerent, gentium fœditate pollutã, et ab eis impuritate completam. Proinde ne illorũ filias cum filijs noſtris copularemus, ne'ue filias noſtras illorũ filijs elocaremus: ne'ue unquam cum illis pacem habere ſtuderemus, ut ita corroborati, & terræ bonis frueremur ipſi, & ea liberis noſtris hæreditate relinqueremus in perpetuum. Ergo omnia nobis, propter noſtra praue facta & ſcelera tanta, acciderunt. Cum enim tu, remiſſis peccatis noſtris, talem nobis ſtirpem conceſſeris, & nos iteratò uiolata lege tua, cum gentiũ terrarũ impuritate communicauerimus, non'ne tu merito in nos ſæuias ad internecionem, ita ut noſtri neq; ſtirps, neq; ſemen ſuperſit, neq; nomen? O Domine Iſraelitarum, qui æquus es: ecce tibi nos, quorum hodie ſtirps ſupereſt, ob ſcelera noſtra obnoxios. Nam hac quidem in re contra te ſtari nõ poteſt. ¶ Interea dum flens Eſdras, humi ſtratus, ante templũ orat, & peccata confiteť, cõuenit ad eum ex Hieroſolyma ingens uirorũ, mulierũ, & iuuenũ frequentia: & magnũ uulgo fletũ edente, Iechonias Ieelis filius, genere Iſraelita, ſic clara uoce loquitur: Eſdra, nos in Dominũ Deũ peccauimus, q ex terrę gentib. uxores duxerimus alienas. Sed tamen hac in re ſpes eſt Iſraelitis. Iuremus in uerba Domini, repudiaturos omnes uxores noſtras quas ex alienigenis habemus, unà cũ earũ natis, ut tu et omnes Domini legi obedientes decreueritis. Surge age: nam & noſtra, & potiſſimũ tua refert, agere fortiter. Tum Eſdras ſurgit, & ſacerdotum Leuitarum'que & omnium Iſraelitarum principes ad iuſiurandum adigit, ita facturos.

G

Deu.7.a & 23.d

1. Eſdr.10.a

Iechonias Eſdram conſolatur.

CAPVT IX.

1. Eſdr.10.a

DEinde ex templi ueſtibulo digreſſus Eſdras, recepit ſe in Iohannis Eliaſibi filij cubiculũ: ubi cõmoratus, neq; cibum guſtauit, neque potionẽ bibit, tanta uulgi ſcelera deplorans. Edictũ eſt aũt per totam Iudæam & Hieroſolymis, omnib. ex captiuitate reducibus, ut Hieroſolymam cõuenirent: ac quicunq; intra duos aut tres dies non ſtitiſſet ex præſidentiũ ſenatorum decreto, eius ut bona ſacrarent, et ipſe eorum ciuitate, qui ex captiuitate redierant, priuaret. Ita cum omnes Iudaicæ & Beniamiticæ tribus homines triduò Hieroſolymam cõuiſſent, uigeſimo die menſis noni adfuit uniuerſa multitudo in area templi, propter præſentem pluuiã tremen tes. Ad quos ſtans Eſdras ſic uerba fecit: Vos crimen cõmiſiſtis, qui uxores duxeritis externas, ut Iſraelitarũ peccata augeretis. Quamobrẽ tribuite hãc liberè gloriam Domino maiorũ noſtrorum Deo, ut eius obſequentes uoluntati, cæterarũ gentium, externarumq; mulierũ cõſortio renũcietis. Hic exclamauit uniuerſa multitudo magna uoce: Vt dixiſti, faciemus. Sed & magna multitudo eſt, et tempus pluuiũ, nec ſub dio ſtare poſſumus, & opus non unius aut duorũ dierũ habemus: nam multum hac in re peccauimus. Quapropter ſtatuantur qui præſint reipublicæ, ad quos ſtato tempore accedent quicunq; noſtri conterranei uxores habent alienas, præſentibus cuiuſq; loci ſenatoribus atq; iudicibus, donec hac tandem ratione nobis ira Domini placetur. Atq; hæc Ionathan, Azael, & Ezechias Thocanæ filius facienda receperunt, adiutorib. Moſollamo, Leui, & Sabbatæo: eaq; omnia executi ſunt qui fuerãt captiui: delectisq; ab Eſdra ſacerdote uiris ſuarum familiarum primarijs, ijsq; omnibus nominatim appellatis, conſederunt prima die menſis decimi, ut de re quærerent: eſtq; tranſactum id negocium eorum, qui uxores tenebant externas, intra primum diem menſis primi. Inuenti ſunt autem ex cõgregatis ſacerdotibus, qui alieni generis uxores haberent, ex Ieſuæ Ioſedeci filij poſteris atq; cognatis Mathelas, Eleazarus, Ioribus, & Ioadanus, qui ſuas eijcere con iuges aggreſſi ſunt, & ad placationem expiandi ſui gratia arietes dederunt. Ex Emmere prognatis Ananias, Zabdęus, Eanes, Samius, Iereel, et Azarius. Ex Phæſo Ellionas, Maſſias, Eſmael, Nathanael, Ocidel, & Thalſas. Ex Leuitis Iorabadus, Semis, Colius, qui & Calita, Pathæus, Oudas, & Ionas. Ex ſacris cantoribus Eliaſuphus & Bacchurus. Ex ianitoribus Sallumus & Tolbanes. Ex Iſraelitis ex Phoroſo prognatis Iermas, Eddias, Melchias, Mael, Eleazarus, Aſibias, & Banaias. Ex Elæ poſteris, Mathanias, Zacharias, Ieriel, Ieremothus, & Aedias. Ex Zamothi Eliadas, Eliſimus, Othonias, Iarimothus, Sabatus, et Sardæus. Ex Bebais Iohannes, Ananias, Ioſabadus, & Emathis. Ex Manis, Olamus, Mamuchus, Iedæus, Iaſubus, Iaſael, & Ieremothus. Ex Addis Naathus, Mooſſias, Laccunus, Naidus, Mathanias, Seſthel, Balnuus, & Manaſſes. Ex Annæ Elionas, Aſeas, Melchias, Sabbæus, Simmon, Choſameus. Ex Aſomi, Altanæus, Matthias, Bannaia, Eliphalatus, Manaſſes, & Semis. Ex Maanis, Ieremias, Momdis, Iomaerus, Iuel, Mamais, Pædias, Anoſus, Carabaſion, Enaſibus, Mãmiaatancimus, Eleſiaſis, Bannus, Elialis, Samis, Selemias, & Nathanias. Ex Oſoræ, Seſis, Eſril, Azael, Samatus, Zambis, Ioſephus. Ex Ethmæ Mazitias, Zabadaias, Edes, Iuel, Banaias. Omnes hi uxores, quas duxerant externas, unà cum natis amandarunt. Cum autem ſacerdotes & Leuitæ atq; Iſraelitę Hieroſolymam & reliquam regionem incolerent: ſuaq; domicilia tenerent, primo die menſis ſeptimi conuenit uniuerſa multitudo in aream portæ ſacræ ad orientem uerſæ: iuſſeruntq; Eſdræ ſacerdoti & profeſſori, ut Moſis legem afferret, à Domino Iſraelitarum Deo traditam. Tum Eſdras pontifex, pręſente omni uirorum, mulierum, & ſacerdotum multitudine, qui legem audirent, primo die ſeptimi menſis legem attulit, & in area, quæ eſt ante ſacram portam, à diluculo ad meridiẽ recitauit, apud uiros & mulieres, uniuerſa multitudine in legem intenta.

Eſdras populũ hortatur, ut extraneorum affinitati renuncient.

B

C

Qui extraneas uxores habuerint. 1. Eſd.10.d

1. Eſdr. ult. D

E

1. Eſd. 8.a Eſdras legẽ populo recitat.

terra. Recitabat autem ex ligneo suggestu ad eam rem effecto, astantibus ei ad dexterã Matthathia, Sanimo, Anania, Azaria, Vria, Ezechia, & Balasamo. Ad sinistrã autem Phaldeo, Saale, Melchia, Aothasupho, Nabaria, & Analabone.
F ¶ Igitur Esdras sumpto legis libro in conspectu multitudinis (nam in eminentissimo omniũ loco sedebat, & in explicanda lege omnes recti astabãt) Dominũ Deum supremũ, Deum armipotentẽ, omnipotentẽ, laudauit, & uniuersi Amen succlamarunt: porrectisꝗ sursum manibus, humi strati, Dominũ adorarũt, Iesua, Ano, Sarabia, Adino, Iacubo, Sabbattaia, Autaia, Maanaia, Calita, Azaria, Ioazabdo, Anania, et Biata, Leuitis Domini legẽ docentibus, & lectioni simul adminiculantibus.
G Deinde Attharates[a] & Esdras pontifex atꝗ professor, & Leuitae qui uulgũ docebant, omnes monuerunt, eum diem Domino sacrũ esse (omnes enim audita lege flebãt) proinde irent & lautè epularent, et partem mitterent egentibus: nam Domino sacrũ esse diem, ne ue angerent: Dominũ enim esse eos ornaturũ. Eadem omnia & Leuitae populũ hortabant, eum diem Domino esse sacrũ, ne se cruciarent. Ita discesserunt omnes ad epulandũ et lętandũ, magnãꝗ laeticiã agitandũ. nam adhuc afflati erant oratione, quam conuocati didicerant.

a hoc correximus ex 2. Esdr. 8.c

TOBIAS.

IN TOBIAM PRAEFAtio interpretis.

HIc liber Hebraicè, Graecè, & Latinè extat. Hebraicè nuper editus est: Latinum ex Chaldaeo sermone transtulisse se testatur Hieronymus. Historię summa in his tribus linguis consentit, sed multis in locis uarietas est. Nos ex Hebraeo sermone, qui nobis uisus est uerior, sumus interpretati. Quas autem sententias in Graeco aut Latino inuenimus ad rem pertinentes, quae in Hebraeo nõ extarent, Gręcas litera eius nominis prima, uidelicet G, Latinas litera L significauimus. Quod sicubi propter personarũ mutationem, aut aliquam aliam causam, minus cohaerebant, eas his notis [ ] clausimus.

CAPVT I.

Tobaei liber, ex Nanathiele deinceps per patrem suum Tobielem, Hananeelem, Arielem, Gabeelem, & Asaelem genus ducentis, ex tribu Nephthalensi, qui Samaria abductus in captiuitatem est cum ijs qui Oseae Elae filij seculo abducti sunt, Salmanasaris Assyriae regis tempore, cum quidem ex incolis fuisset oppidi cuiusdam Nephthalensis in Galilaeae maritimis positi. Is igitur Tobaeus in hunc modum loquitur:

Tobaeus apud Deum suam pietatem commemorat.



EMENTO mei, mi Deus, ad utilitatẽ meam, qui me tibi per omnem uitã bene moratum pręstiterim, multaꝗ in meos consanguineos et populares, Niniuae in Assyria exules, benignè fecerim, officiaꝗ contulerim. Iam uerò dum puer eram in Israelitarũ terra, cum omnes tribus Nephthalensis homines à Dauidica stirpe defecissent, & Hierosolymã commeare desiissent, urbem à Ioua ex omnibus delectam tribubus Israeliticis, in qua Iouae ara omnibus esset Israelitarũ consecrata tribubus, & in eadem extructũ Iouę templum, ubi ei ter quotannis solida & pro salute fierent sacrificia, cum omnes tribus Nephthalensis homines uitulis aureis, quos Ieroboamus Nabati filius Israelitarũ rex fecerat, apud Bethel & Danem uictimas immolarent, & solida facerent sacrificia, ego Hierosolymam statis temporibus ititabam, ut in Iouae lege Israelitis lata praescribitur: primitiasꝗ
B & decumas, & primogenita sacerdotibus Aharone prognatis afferebam, & frumentum, uinum, oleũ, ficus, mala punica, breuiter omniũ generum terrae fruges Leuitis Hierosolymę Iouę operam dantibus: tum alteras tertiasꝗ decumas peregrinis, pupillis, & uiduis: hęc inquã omnia ferens, Hierosolymã quotannis petebam ex Iouae praecepto, & ut mihi Debora mea ex patre auia praeceperat. Nam pupillus ab utroꝗ parente fueram relictus. Ac postquã adoleui, uxorẽ duxi meam gentilem, nomine Annã, ex qua filium sustuli, quem Tobiã nominaui. L. eumꝗ à pueris religiosum esse, & se ab omni peccato abstinere docui. H. Postquam aũt ex Nephthalensi terra translatus sum, habitaui Niniuę, quae urbs est maxima: meisꝗ cõsanguineis & propinquis omnibus extraneorũ cibo uescentibus, ego Iouã
C reueritus, ne buccea quidem dapis illorũ me polluì, sed Iouae memoriã tota mente totoꝗ animo retinui. Itaꝗ tantam mihi Deus apud Salmanasarem Assyriae regem gratiã conciliauit & beneuolentiã, ut mihi omnia sua, donec mortuus est, cõcrederet, L. mihiꝗ quolibet eundi, & quiduis faciendi potestatem concederet. Itaꝗ ad omnes captiuos ititãs, eos salutariter monebã. H. Deposui aũt apud Gabelem fratrem meũ, L. quem inter multos consanguineos meos egentem uidebam, G. qui in Medię prouincia Ragensi erat, H. argenti talenta decẽ, L. quibus me rex donauerat. H. Postea mortuo Salmanasare Assyriae rege, & in eius loco regnãte Senacheribo eius filio, cum interclusis Mediae uijs propter bella, quae in illis erant finibus, argentũ meũ ex Media petere non possem, multa tamen inopibus popularib. meis, quà pupillis, quà uiduis, beneficè faciebã: ac quandocunꝗ interfectos populares meos in Niniuę uicis proiectos uiderã, nunꝗ, donec eos
D sepeliuissem, conquiescebã. Senacheribus enim Assyriae rex, postquam Niniuen ex Iudęa turpiter reuersus est, (quòd ei Ioua Israelitarũ Deus, propter conuicia & probra quibus ab eo fuerat affectus, ingentem cladẽ in Iudęa intulisset) per multos Iudęorũ interfecit. Ego uerò cum ueram inquirerem causam, cur ea tribubus Israelitarũ eo tempore calamitas accidisset (nam certò sciebam, Iouam in eos aequũ, non iniquũ esse Deũ) comperiebam tribus Israeliticas nullã habuisse excidij cõsanguineorũ suorũ rationem, quo eos Senacheribus Assyriae rex, eorũ munimenta incendendo, iuuenes ferro trucidando, paruulos illiden-

4. Reg. 17.a
3. Reg. 12.f
Exo. 22.d
Deu. 12.a
Genes. 43.c
Deposita à Tobaeo pecunia in Media.
Quae causa fuerit, ut Senacheribus in Niniuitas Iudaeos saeuierit.

illidendo, grauidas dissecando, euertisset. Cum enim propter eam, qua in ipsorū consanguineos sæuitū fuerat, calamitatē lugere, & se Iouæ summittere deberent, epulabanť, lætabantur, omne carminis genus citharis & nablis modulabanť, neq Iudæorū cladem dolebant: quę tum nostra, tum maiorū nostrorū culpa accidit, ut de Iudæis scriptū est, qui uinū phialis bibebant, & unguentis capita delibuti Iosepheorū cladē nō dolebāt: eamq ob causam Ioua pœnas de Iudeis & Hierosolymitanis sumpsit, eousq ut eos immisso rege Babylonię ex suo conspectu abiecerit, & Iudæos ex ipsorū patria transtulerit. Igiť quos ex Israelitis occisos uidebā extra murū proiectos, eorū sępe corpora surripiebā, & sepulchro mandabā, atq ita dicebā: O Ioua Israelitarū Deus, tu in omnibus, quę nobis eueniunt, iustus es, æquumq facis, & nos egimus impiè. Cum aūt Senacheribus occisorum meorū popularium corpora quærens non inueniret, aggressi eum Niniuitæ, indicauerunt Tobæū eius seruum, cui ipse sua omnia mandauisset, missitare suos homines in omnes Niniuę uicos, qui interfectos suos populares conquirerent, quos ipse deposito regis metu, clàm sepeliret. Hac audita re maiorē in modum iratus in me Senacheribus, iussit & me & Annā uxorem, & Tobiam filiū, comprehendi, me in eo furore perimere cupiens. Qua re mihi nūciata, cum effugissem, ille iussit omnia mea diripi. Eum aūt latui, donec uiduis & pupillis Israelitis super me cum animi angore, ieiunio & ploratu conquerentibus, illum eius causa in cœlum usq perlata, & in æthrā euecta, dedidit Israelitarū Deus duobus ipsius filijs, à quib. propter huiusmodi causam occisus est.

Cur Senacheribū occiderint sui filij.

¶ Quæsiuit aliquando ex suis cōsiliarijs et senatoribus, quamobrem Ioua sanctus ille ac laudabilis Deus, tam studiosus esset Israelitarū & Hierosolymitanorum, ut eius genius Pharaonis exercitū, omnes'que Aegypti primogenitos, & iuuentutē perdiderit, utq semper eis uictoriā daret in manum. Cui eius sapientes & consiliarij responderunt, Abrahamū Israelitarū autorem duxisse filiū suū ad immolandū, ut eo sibi Iouæ Dei sui fauorem conciliaret. Hanc ob causam & illius posterorū cupidus est, & tuos ultus est. Tum rex duos se filios suos Iouæ causa immolaturū esse dixit, ut per eos eius fauorem & auxilium consequereť. Quæ res ubi ad Adramelechū & Sarasarem eius filios perlata est, eum ex insidijs interfecerūt, cum se ad Dagonem suū deastrum precandū contulisset, ut habeť ubi ita dicitur: Eumq Adramelechus & Sarasar ipsius filij ferro obtruncarunt, atq in Armeniā euaserūt. Mortuo Senacheribo Assyriæ regi successit Esarhaddon eius filius. Is Esarhaddon Aquicarem Hananeelis mei fratris filium, suis omnibus & totius Assyriæ imperio præfecit. Aquicar pro ea quę mihi cum eo intercedebat amicitia atq propinquitatē effecit, de me bene apud regem dicendo, ut Niniuem reuocarer: mihi'que Anna uxor, & Tobias filius restituerentur, quos Assyriæ rex, qua fuerat contra me ira percitus, comprehendi iusserat.

CAPVT II.

4.Reg.19.g 2.Paralip. 32.c

EO anno Septimanalibus cum prandium liberaliter apparauissem, & mensæ meæ, capiendi cibi gratia assiderem, negocium dedi Tobiæ filio meo, ut iret nobis accersitū aliquos nostrorum consanguineorum pauperes, G. religiosos, H. ad epulandum: dixiq me & omnes conuiuas ante eius reditum nō esse cibum capturos. At Tobias profectus ad quærendos aliquos pauperes, reuertitur tristis: &, Mi pater, inquit, unus de nostris consanguineis interfectus iacet in urbis uico. Hoc audito turbatus ego, magno cū angore relicta mensa, eo: & illum ex uico sublatum, penes me pono, usq ad solis occasum, quo eum sepelire possem. Deinde domum reuersus, cibum cum lachrymis & luctu capio, illius interim sententiæ memor, quæ est ab Amoso uate contra Bethel pronunciata his uerbis: Vestraq festa in luctum conuertā, &c.

Tobæus occisum sepelit. Amosus 8.c

B Postquam permultum fleui, post solis occasum iui ad sepeliendum interfectum: meis interim propinquis & gentilib. me deridentibus, qui nihil uitę meæ timens, interfectos sepelirem. Sed ego Deum magis q̄ regem metuens, occisorum corpora surripiebā, & domi occulta, media nocte sepeliebam. Ea nocte postquam mortuum sepeliui, usus sum lauacro: nec potui mea membra purificare in profana terra, ut par esset in Israelitarum terra fieri. quemadmodum de nobis Ieremias uates his uerbis prædixerat: Aliquanto pòst non iam purificabere. Deinde ubi discessi cubitum, apud parietem, auicularum stercus G. calidū, H. quas mihi in pariete imminere nesciebam, mihi in oculos (nam aperto uultu eram) decidit, ex quo innata oculis meis argema, medicos manè medicinæ gratia adiui: sed illi me sanare nequiuerunt: mansiq cæcus annos quatuor, omnibus meis cognatis & propinquis oculorū meorum cæcitatem dolentibus:

C Aquicare aūt propinquo meo pascente me. L. Hęc autem aduersa mihi euenire, ideo permisit Dominus, ut mea patientia, sicut sancti illius Iobi, posteris esset exēplo. Nam cum à pueris Deū semper ueritus essem, eiusq præceptis paruissem, nihil Deo succensui, q̄ essem morbo cæcitatis affectus: sed immotus in religione permansi, Deo per omnē uitā gratias agens. Vt enī beato Iobo insultabāt reges, ita meā uitā mei affines & cognati deridebāt, ita dicentes: Vbi est spes tua, qua fretus benignè faciebas egentibus, et mortuos sepeliebas? Quos increpās ego dicebā: Nolite ita loqui: sanctorū enim progenies sumus, & uitā illam expectamus, quam Deus ijs daturus est, qui datā ei fidē nūquam fregerint. H.

D Et per id quidem tempus Anna uxor mea operam suam mulieribus locando, & alijs tapetia texendo, quæstū faciebat. Ac quodā die, cum hœdus esset ei mercedis nomine datus, ego audito hœdi balatu exclamaui: Vnde uenit hic hœdus iste? caue, inquam, si te amas, ne sit furtiuus. Et illa: Non ita est, inquit: est enim mihi pro mercede datus. At ego ei non credens: I redditum

eũ ſuis dominis, exclamo, ne nobis detrimento ſuſſit hœdus iſte. Et Anna: Vbi eſt tua, inq t benignitas et beneficentia, quæ tibi adeò nihil in tuis temporibus aduerſis prodeſt, ut tua ſit mortalibus nota turpitudo? L. His illa atq; alijs huiuſce modi probris me inceſſebat. H.

CAPVT III.

Malis preſſus Tobæus aut miſericordiã, aut mortem orat.

HIc ego dolore, angore, ægritudine ob calamitatem meam affectus, Iouam huiuſmodi uerbis orabam: Iuſtus es Ioua, rectæq; ſunt tuæ rationes: nam tua omnia facta fortia ſunt, omnes tuæ conſuetudines clementes & æquæ ſunt: tu moderator orbis terrarum iuſtus es in omnibus meis caſibus, æquumq; feciſti, & ego improbè feci. Enimuero, pater miſericors, Domine exorabilis: memento quæſo mei pro tuæ miſericordię & clementię ingenio, & noli mihi digna rependere meis meorumq; maiorum peccatis & uitijs, qui tua pręcepta non conſeruarunt: tuamq; legem poſt tergum reiecerunt, quæ cauſa fuit, ut tu nos omniũ nationum probris, dicterijs, & fabulis obieceris: & gentium, in quas diſſipaſti nos, imperio ſubieceris, ut ipſa res indicat. Quòd niſi armipotens Ioua nõnullos ex nobis reliquos feciſſet, idem nobis quod Sodomitanis & Gomorranis accidiſſet. Veruntamen Ioua, cuius tot tamq; uerę ſunt rationes, noli mihi digna meis meorumq; maiorum uitijs reddere, qui aduerſum te peccauimus, neq; tuis uijs ingreſſi ſumus: ſed age mecũ, ut tibi uiſum fuerit, & mihi hanc animam eripe: nam mihi mors quàm uita potior eſt, ne meam amplius audiã turpitudinẽ.

B

Sara Raguelis filia, cuius ſeptẽ uiri ſunt ab Aſmodæo necati.

a Sara, princeps: Zara, aduerſaria.

Eodem die accidit, ut Saram Raguelis filiam, quæ Ecbatanis in Mediæ regione erat, uituperarent & deriderent ipſius patris gentiles, dicentes non [a] Saram, ſed Zarã debere uocari, propterea quòd ex ſeptem, quibus elocata fuerat, uiris, nullus cum ea fuerat congreſſus, quòd eos dæmonum rex Aſmodæus interficiebat, antequã cum ea more omniũ gentiũ rem haberent. Quin ipſa eius ancilla ei licdicebat: Cur tuos uiros interimis? & nos ob iſtud maleficium uerberas? Præſtaret tuis parentibus te pro illis eſſe mortuam, qui nullum unquã ex te filium aut filiã uiſuri ſint.

Sara aut mortem orat, aut infamia liberari.

Hoc audito probro, perculſa Sara in patris ſui cubiculũ plorans aſcendit, & L. cum triduò precib. uacans ieiunaſſet, die tertio H. apud Iouam triſti uoce conqueritur in hæc uerba: Tu me, Ioua Deus, parentibus meis iam ſenibus, iam natu grandibus dediſti: idem tu in uiros meos qui me duxerãt, dęmonum regem immiſiſti. Es enim omnium ſpirituum, omniumq; Deus dęmonum, & totius rerum naturę creator, cuius in poteſtate ſunt quæcunq; ſunt in mundo genera furiarum. Quamobrem ſi tibi placet, ut confectam mœrore caniciem meorũ parentũ demittam ad inferos, & ſi ita apud te decretum, fixũq; contra me eſt, interfice me quæſo, ne deinceps hæc mea tot mala, tantumq; probrum uideam. Scis, Ioua, eſſe me ab omni hominũ fœditate puram, neq; meum parentũ'ue meorũ nomen in exilij mei terra contaminaſſe. L. Nunquam me cum ludentibus commiſcui, neq; leuitati deditorum commercio uſa ſum. Viro ut nuberem, religione, non libidine ducta ſum: & aut ego illis, aut illi fortaſſe me indigni fuerunt, quòd tu me forſitan alij uiro reſerues: neq; enim eſt humani captus conſilium tuum. Hoc autem exploratum habent omnes tui cultores, uitam ſuam, ſi probata fuerit, coronatum iri, ſeq; in rebus aduerſis liberatum iri: & ſi deprauati fuerint, ſibi ad miſericordiam tuam aditum patère. Non enim pernicie noſtra delectaris, ſed poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lachrymas & fletum lætitiam abundè affers. H. Me quidem ſolam habet meus uterq; parens: nec ſolum filio carent, quem hæredem conſtituant, ſed neque propinquum habent, qui me ſibi uendicet, mortuis propter me ſeptem uiris: quorſum iam in mundo ſum ſuperſtes? Quòd ſi tibi necanda nõ uideor, reſpice, exaudi me, & miſerere mei: ne mihi meum ſit audiendum amplius opprobrium.

¶ Eodem tempore exauditæ ſunt apud glorioſam Dei ſedem & tribunal, preces amborum, D
uidelicet Tobæi ob cæcitatem oculorum, & Sarę ob parentum ſuorum miſeriam orantis: miſitq; Ioua medicinæ magiſtrum atq; autorem genium Raphaelem, qui utriq; mederetur, & Tobæum Tobiæ patrem ab oculorum morbo ſanaret, & Saram Raguelis filiam Tobiæ Tobæi filio in matrimonium traderet, ex eaq; dęmonum regem Aſmodæum expelleret.

CAPVT IIII.

IGit Tobæus, peracta ſupplicatione ſua, domi ſuæ manſit: & Sara Raguelis filia, poſteaquã orare Iouam deſijt, de ſui patris cubiculo deſcendit. Tum recordatus argenti Tobæus, quod apud Gabelem in Ragenſi Medię prouincia depoſuerat, ſic ſecum raciocinari cœpit: En ego uitæ meę interitum quotidie expeto. Vocandus eſt mihi Tobias meus filius, & ei de argento indicandum, antequam morior. ¶ Deinde euocatũ filiũ ſic alloquitũ, L. Audi fili mi uerba oris mei, & penitus memoriæ mandato. H. Cum mortuus fuero, ſepelito me honorificè: tum aũt matrẽ tuã ita honorato, ut eam nunquam, dum uiuet, deſeras: ne'ue ei non morigerando acerbã uitam reddas. Recordare, fili, quot dolores perpeſſa ſit propter te, cum eſſes in eius utero. Cum igitur uitam finiuerit, eam in eodem mecũ ſepulchro honeſtè ſepelito. Ac per omnem uitam tuam tui creatoris ita memor eſto, ne in eum contra eius B
præcepta faciendo pecces: G. ac per omnem uitã tuam uirtutem colito, ne'ue iniuſticiæ uijs gradere. Si enim quod æquũ eſt feceris, ſuccedent tibi res, & omnib. uirtutem colentibus: H. & quantumcunq; tibi Ioua largitus erit, de eo ne parcito liberalitatem exercere: & ab hominũ inhumanorum ſocietate te continens, noli à reſpiciendis egentibus Iſraelitis abhorrere, ne Ioua uiciſſim tuis temporibus aduerſis à te reſpiciendo abhorreat. Quòd ſi tuæ facultates non ferent, ut id largè facias; at pro eo, quantum id erit quod ſuppeditabit, ne parcito in liberalitatem conferre, ut di-

Tobæus Tobiæ filio præcepta dat.

Lu. 14. c
Prouerb. 3. b
Eccleſ. 4. a & 14. b
Eccleſ. 35. a

ut diuitias tibi, et argenti auri que thesauros habeas in beneficentia positos. Nihil enim malè parta proderũt: at beneficentia à morte uendicat, G. nec sinit immergi tenebris. Nam boni libaminis uicem habet apud supremũ Deũ beneficentia omnib. eã exercentibus: H. ac quisquis beneficentiam exercet, Dei conspectũ uidebit, ut habet scriptũ illud: Ego per beneficentiã conspectum tuũ uidebo, quã qui exercẽt, cœlestes sunt.

C Tu ergo, nate, corpus tuum ab omni fœditate & impudicitia tuere, L. néue cõmittito ut omissa uxore tua flagitiũ admittas: H. & uxorẽ ducito de cognatione tua, nõ ullius generis quod à maiorũ tuorũ stirpe sit alienũ. Nos enim de uatum progenie sumus. Memoria repete, fili, Abrahamũ, Isaacũ, et Iacobũ, qui uxores de sua sibi gente asciuerunt, extraneorũ affinitate repudiata, eoq; liberis fortunati fuerunt: G. eorumq; posteri terrã obtinuerũt. Quamobrẽ, nate, dilige tuos cõsanguineos, néue eos aut tuorũ populariũ filios aut filias ita animo fastidiueris, ut ex eis uxorem nõ ducas. L. Superbiã nunquã in tuo animo aut uerbis dominari sinito. G. nã perniciosissima est & turbulentissima superbia, & feritas detrimentosa, magnæq; egestatis autor: est enim famis mater immanitas. H. Tu nate animum intende ad ea quæ ages: & quod tibi nolis fieri, alijs ne facito. Operarij mercedẽ ne retineto noctẽ unã, post eũ diẽ quẽ ad diẽ cum eo pactus eris, ut Deus tuo te præmio remunerẽt. Corpus tuũ ab ebrietate abstineto. In nulla te nequitia oblectaueris. De tuo uictu largire famentibus, de tuo uestitu indue nudos: & quod tibi superabit, id omne in libertatem conferto, neq; id grauatè, atq; ita iustorum sepulchra pane uinoq; tuo perfundito: G. néue improbis dato, H. Audi & ausculta cuilibet,

1. Thess. 4. a

Leuit. 19. c
Deut. 24. c

Matth. 7. b
Luc. 14. c

D qui modò bonum tibi consilium det. Ab Ioua omni tempore postula, ut tuas rationes consiliaq; dirigat. Neq; enim homini in manu positũ est consiliũ, sed uni Iouę opt. max. qui quicquid uult efficit, alios deprimens, alios efferens. Hæc mea dicta & pręcepta omnia conseruato, & nunquam nõ ante oculos habeto, fortẽq; te & cõstantem pręstato. Nam Ioua tibi auxilio præsidioq; erit, si ei tota mẽte totoq; animo studueris. Nũc, fili, illud tibi indicabo de pecunia, quam habeo apud Gabelem mihi cognatione propinquum, L. quam te puero deposui: H. ea est decem argẽti talenta, in Ragensi prouincia, in Media. L. Quære qua ratione posśis ad eum peruenire, & ab eo argentum illud auferre, reddito chirographo quod ego habeo. H. nam incertum est quando sim moriturus: G. néue hoc te terreat quod pauperes sumus. H. Tu fili, si Iouam metuens, ab omni te scelere conseruaueris, G. illiusq; uolũtati obsecutus fueris: H. magnas ab eo opes consequeris.

Tobaeus Tobiae iubet ut depositã pecuniam ex Media petitum eat.

CAPUT V.

AD hæc Tobias patri respõdet in hũc modũ: Omnia ut mihi præcepisti, pater, sic faciã. Sed uelim, pater, mihi consiliũ des, qua ratione queã istã à Gabele pecuniã recuperare: nã neque ille me, neq; illũ ego agnoscã: neq; quo signo pecuniã ab eo repetã, neq; quib. uijs eatur in Mediã, scio. Et Tobæus: Quod ad signũ pertinet, inquit, hoc dices, eũ mihi marsupiũ suũ tradidisse, et me ita dixisse: Accipe de manu mea: atq; ex quo ei argentũ in manũ tradiderim, annũ hũc esse uigesimũ. De uia aũt, quære tibi iam hominem aliquẽ fidelẽ, qui te comitẽt, cui præmium dabimus: & proficiscere fili, adhuc uiuente me, argentũq; pete. Ioua te Deus Israelitarũ in omni tuo cõseruet itinere, tibiq; & apud illũ, & apud omnes qui te uiderint, gratiã, clementiã, misericordiã cõciliet, teq; saluũ præclare et deducat & ad nos reducat ante meũ interitũ. Tũ Tobias egressus ad quærendũ hominẽ, qui secum in Mediam proficiscerẽt, inuenit cotrã se stantẽ L. iuuenem elegãtem, accinctũ ad iter, H. Raphaelẽ Iouæ geniũ, ignorans eum esse Iouæ armipotentis geniũ. a Et genius: Vnde es, inquit, adolescens? Cui Tobias: Domine, posśis ne mecũ in Mediam proficisci? G. aut loca illa tenes? Possum, H. inquit genius: equidẽ noui uias omnes, sumq; aliquãdo usus hospitio Gabelis nostri consanguinei, habitantis Rage, quæ regio est Mediæ, distãs ab Ecbatanis itinere bidui, estq; mõtana: Ecbatana autem in cãpestri loco sita sunt. Et Tobias: Præstolare paulisper pro tua humanitate, dũ ego hãc rem patri renunciatũ eo. nã comitem habere te magnopere opto, tibiq; itineris mercedem soluã. Et ille: I properè, inquit, ego hic manebo donec tu redeas: noli diutius morari. Igitẽ Tobias rem patri nunciatũ it in hunc modũ: Nactus sum uirũ bonũ nostræ cõsanguinitatis, qui mecũ proficiscatur. Cui Tobęus L. admiratus, H. Voca eum ad me, inquit, ut sciã cuias sit, & an fidus sit tibi comes futurus. Tum Tobias egressus, illũ accersit: & genius ad Tobæũ ingressus, Salue diuine uir, inquit. At Tobæus: Si salueo, inquit, cur omnino hæc usuueniũt mihi ut oculis captus, sedeã cæcus in tenebris? Cui genius: L. Bono animo es. H. Qui tibi oculorũ lucẽ cæcitate ademit, idẽ te, quia uir bonus es, sanabit. Ita faxit Ioua, inquit Tobæus. Sed age frater, Tobias filius meus cupit in Mediã L. ad Gabelẽ H. proficisci: posśis ne cum eo ire? & ego tibi, L. ubi redieris, H. mercedẽ soluam. Posśim uero, inquit genius. nam uias omnes noui, & omnes illos fines peragraui, mõtesq; teneo. C Et Tobęus: Cuias es? inquit: cuius generis & ciuitatis? Cui genius: Quid quæris amplius, cum mercenariũ habeas, qui tuũ filium tuo comitẽt arbitratu? Et Tobęus: Frater, inquit, aueo tuũ scire nomen, & cuius sis nationis. Cui genius: L. Ne te solicitũ habeã, H. ego sum Azarias Hananeelis filius, de stirpe Solomithi maioris, tuus cõsanguineus. Et Tobæus: Quod salutare faustumq; sit, inquit. Sed noli mihi succẽsere, frater, quòd familiæ stirpisq; tuæ uoluerim rationem cognoscere, postquam meus consanguineus es, honesto & nobili loco natus. Nimirũ nosti Hananeelem et Nathanẽ duos Solomithi maioris filios, qui mecũ solebãt itare Hierosolymam, cum Israelitarum

Tobias Raphaelem inuenit.

a L. & unde nobis ades B bone iuuenis? inquit: Cui ille: ex Israelitis.

terram incoleremus, mecūq; ibi adorabant, neq; unquā ad deos peregrinos illius terræ desciuerunt, quemadmodū fecere nostri consanguinei. Quamobrē uade sanè frater cū bona pace, cum filio meo, et redite salui, adiuuante Deo. Ego tibi in singulos dies drachmā unam soluam, & uictum ut filio. Quòd si uos Deus optimus maximus saluos reduxerit, ego tibi ad istud præmiū addam corolariū. Et genius: Omitte timorē, inquit. nam ego ita filium tuū comitabor, ut incolumes & eamus et redeamus. Tum Tobæus filium euocat, & sic alloquit̃: Præpara tibi quæ sunt ad profectionem necessaria, & proficiscere cum isto fratre. Deus omnipotēs uos sospites et ducat & reducat, & uobis hoc iter ductu genij sui prosperet. Hic Tobias patrem matrēq; osculatur. [D] Et illi, Ambula prosperè, inquiunt. Illis digressis, G. comitante cane adolescentis, H. cœpit illius plorare mater. Túne puerū (inquit maritum alloquens) amandare ausus es, qui nostrę senectę filius, nobis obuersaret̃? quasi uerò nō nos sine illo argento aliturus esset Deus noster? G. Nā quantū nobis uitæ à Domino concessum est, id nobis satis est, & filij nostri aspectū in diuitijs deputassemus. H. Cui Tobæus: Pone metū soror: nā et saluus ibit, et incolumē ad nos reuersum tu ipsa tuis oculis aspicies. Ioua Deus noster ei genium suū attribuet, qui ei bene fortunet iter, ita ut redeat incolumis. At illa plorabat amplius.

CAPVT VI.

INterea iter ingressus puer comite Raphaele genio, peruenit ad flumen Tigrim sub uesperum: ubi cum pernoctaturi essent, & descēdisset Tobias ad flumē lauandorū pedum gratia, exijt repēte piscis quidā L. immanis, H. de flumine ad puerum deuorādū. ¶ Tum L. perterritus H. puer exclamare L. uoce magna: Inuadit me, domine. H. Et genius: Cape, inquit piscem L. branchijs, et ad te extrahe, H. & noli eum dimittere. Cumq; ille cæpisset, G. & in terram extraxisset, L. ante pedes palpitantē, H. Diuide mediū, inquit genius, & cape cor & fel, quæ penes te reponas: habent enim usum in medicina: Id quod puer fecit, coctumq; piscem comedit, & reliquias reseruauit. L. Cætera saluerunt, quæ eis satis essent, donec Ragem urbem in Mediam peruenissent. H. Posteaquam ad Mediam peruentū est, Tobias genium sic interrogat: Azaria frater, quā medicinam facies ex corde piscis & felle? Cui ille: Cor ualet, inquit, ad suffitū faciendū homini, in quo malus sit aut dæmonicus spiritus: ita enim fugātur ex homine. Fel autem prodest, si eo unganłtur hominis oculi, in quibus sit albugo, eamq; sanat. Deinde ubi Ecbatana uentū est: Frater, inquit ad Tobiam genius, diuertemur ad Raguelem. Is senex est, G. tuus cognatus, H. qui filiam habet unicam forma præstantē, nomine Saram. Ego cum eo agam ut eam tibi det in matrimonium: G. nam tibi debet̃ eius omnis hæreditas, qui solus sis eius consanguinitatis. H. Est bonæ indolis, & patri dilectissima. Quamobrem ausculta mihi, & de ea agito: ubi ex Rage redierimus, agemus nuptias. Scio illum nō esse tuis postulatis contradicturum, neq; eam contra legem Mosis alienigenæ traditurū, G. nisi uelit capitale crimen cōmittere. Nam hæreditas ad te præter omnes spectat. H. Nos eam ducemus ad patrem tuū. At Tobias: Audio, frater, inquit, eam C iam septem nupsisse uiris, qui prius mortuisint, quàm uenerint in eius complexum, ab Asmodæo, ut audio, dæmonum rege interfecti, G. qui eam amans, nō lædat nisi eos qui cum ea congrediuntur. H. Quapropter ne me Asmodęus interficiat, nō mediocriter pertimesco: quod si fieret, parentes meos eosq; canos, mœrore cōfectos in orcum deducerem, qui alium nullū neq; filium habent, neq; filiam, à quo mortui sepeliant̃. Cui genius: L. Attende & ostendā tibi in quos potestatē habeat dæmon. Qui in matrimoniū ita conueniunt ut expertes et immemores Dei, more equi aut muli brutorum animalium, uacent libidini, in hos potestatem habet dæmon. H. Verere modò Iouā, inquit, eiusq; memor esto, patrisq; tui præceptum recordare, à quo iussus es uxorem eiusdem tecum paternæ stirpis ducere: tum me autore nihil dæmonem timueris. Nam satis exploratū habeo, te eam hac nocte in matrimonium esse ductură. Igitur ubi in cubiculū cum ea introieris, D [L. per tres dies ab ea te abstinebis, et nihil aliud quàm precibus cum ea uacabis. Secunda nocte in sanctorū patriarcharū cōsortium admitteris. Tertia nocte eam consequère felicitatem, ut ex uobis liberi prosperè gignant̃,] H. sumito cor piscis, & inde suffitum sub eius uestes facito. Eo nidore olfacto, dæmon puellā fugiet, nec eam unquā postea repetet. Sed cum tibi cum ea congredi libebit, surgitote de lecto, Iouamq; suppliciter oratote, ut sua in uos clemētia & medicina utatur, puellęq; medeat̃. Tum demū cum ea rem habebis, L. liberorū amore magis, quàm libidine ductus: H. ex qua liberos mares procreabis. Sed metum abijce: nam ea tibi destinata est ante orbem conditum, eamq; tua opera Ioua à dæmone uindicabit.

Tobias piscis cor & fel capit.

B

Raphael Tobiam monet ut Sarā ducat in matrimonium.

CAPVT VII.

HIs omnibus rebus auditis, Tobias est intimo Saræ amore deuinctus. Vbi Ecbatana domū Raguelis peruenerūt, offendūt eum ad fores eius ędiū. Tum Raguel ab eis saluere iussus, postquā eos resalutauit, sic Ednā uxorē suam alloquitur: Quàm similis est hic iuuenis Tobæo fratri meo? Et Edna: Vndénā estis, fratres? inquit eos interrogans. Cui illi: Ex captiuis qui sunt Niniuæ, ex tribu Nephthalensi. Et illa: Nostisne Tobęū fratrem nostrum? Nouimus? Valétne? Valet, inquiunt. Et L. cum ille multa de eo bona prædicaret, H. Tobias ita dixit: Is Tobæus, quē uos fratrem uestrum dicitis, pater meus est. Hic Raguel in illius cōplexum accurrit, & eū flens deosculatus, Iouam tibi precor secundū, inquit, fili: nam ex uiro bono & probo natus es. B G. Sed postquam audiuit, Tobæū oculos amisisse, fleuit prę dolore. H. Deinde, ubi diutius apud eum fleuere Raguel & Edna eius uxor, & Sara filia, conuiuium

Tobias Ecbatana peruenit, et Raguelem offendit.

conuiuiũ mactato ariete parauerunt. Ibi cum cibum essent sumpturi, Tobias genium summonuit, ut cum Raguele ageret de Sara filia sibi in coniugium tradenda. Qua re audita Raguel. [L. territus est, sciens quid illis septem uiris cum ea cõgressis euenisset, et ne ei idem accideret metu- C ens.] ¶ Igitur eo dubitãte, nec ullũ petenti responsum dante: Ne dubita, inquit genius, eam huic tradere. Nã ei, homini religioso, filia tua debetur in matrimoniũ, ideoq; ea potiri nemo alius potuit. Tũ Raguel: Nõ dubito, inquit, quin Deus precibus & lachrymis meis annuerit: credoq; adeò eum huc adduxisse uos, ut hæc cõsanguineo suo ex Mosaica lege cõiungeretur. Quare noli dubitare, quin eam sim tibi traditurus.] H. Scio, inquit Tobiæ, satius esse eam tibi me, quàm alteri, dare. Sed uerum tibi dicã: eam iam septem uiris locaui, ut tu scias, qui omnes ante eius cõgressum mortui sunt. Quãobrem sume cibum, & istam rem omitte. At Tobias: Cibum ego nõ capiam, inquit, quin tu eam mihi in matrimoniũ cõcesseris. Et Raguel: Accipe eam, quãdoquidem consanguinei estis: en ego eam tibi in matrimoniũ trado ex instituto Mosaico & Israelitico. Ioua Deus cœlestis uos hac nocte tueatur incolumes, et sua erga uos lenitate utatur. Deinde prehendit D Raguel Sarã filiam suam, eamq; Tobiæ in matrimonium dat: & eis fausta precatus, codicillos ab Edna uxore sua poscit, ibiq; rem perscribit et obsignat adhibitis testib. Tum cibum læti capiunt. Deinde Raguel Ednæ uxori mandat, ut G. alterum H. cubiculũ paret, in quo illos collocet. Edna Saram filiam suam complexa, flens cum ea ita loquitur: Ioua Deus Israelitarũ hac nocte sua erga te, filia, benignitate utatur, uestriq; misertus, tui misericors, rationem ducat, de eo angore quem adhuc pertulisti.

Tobiæ et Saræ connubium.

CAPVT VIII.

Postquam preparato cubiculo & lecto Tobias & Sara illinc se in cubiculũ receperũt, recordatus admonitionem Raphaelis Tobias, profert L. è pera H. cor piscis, eoq; in thuribulum imposito, suffitum sub Saræ uestes facit: quo nidore olfacto, Asmodeus ad Aegypti extremitatem fugit, ubi eum Raphael genius colligauit. Eo cubiculũ egresso, illi ostio se ambos concludunt, & Tobias de lecto surgit, Sarãq; suam cõiugem sic adhortatur: Surge soror, et Iouam, ut sua erga nos singulari misericordia et clementia utatur, suppliciter oremus [L. hodie, cras, et perendie: nam his tribus noctib. Deo cõiungi debemus, tertia nocte fruemur cõiugio. Cum simus enim sanctorũ progenies, nefas est ita cõiungi nos, ut ignaræ Dei gentes solent. Igitur ambo surrexerunt, & pro salute sua precari obnixè cœperũt.] B H. Atq; ille Iouã interpellãs, Ioua Deus Israelitarũ, inquit, qui Ioua solus es et in cœlis et in terris, qui Adamũ creasti, eiq; Euã uxorẽ, quæ adiutrix esset idonea, attribuisti, G. ex quibus hominum genus ortum est: tu dixisti, Nõ conuenit hominem esse solum, faciamus ei adiutorẽ ei cõsimilem. Nunc H. perspectũ, Ioua, cognitũq; habes, me nõ hanc uxorem ducere libidinis gratia, sed bono animo ex Mosaico & Israelitico instituto. Quãobrẽ, Ioua, sine te exorari, nostriq; misertus, nos saluos copulato, G. ut cõsenescamus, H. & filijs fortunato, qui tuæ legi incumbant. Et Sara respondit, Amen. Atq; ille cum ea cõgressus est ea nocte. At Raguel noctu surrexit, & famulis mandauit ut sepulchrũ noctu effoderent: idq; eo cõsilio faciebat, ut si mortuus esset iuuenis, eum nocte sepelirent, insciis omnibus, ne id eis esset dedecori. Deinde uocata Edna uxore: Mitte, inquit, ancillarũ unam in cubiculũ, quæ uideat an sit ille uiuus: quòd si nõ est, sepeliemus eum prius quàm dilucescat, ne quis id rescíscat. C Tum Edna ancillã mittit in cubiculũ, quæ cum inspexisset, & ambos simul saluos suauiter cubantes offendisset, egressa rem illis renunciat, & illũ dicit adhuc uiuere. Tum illi Iouæ Deo maximo gratias egerũt. & Raguel: Gratias, inquit, agimus tibi Ioua Deus maiorum nostrorũ, qui hoc tanto nos affeceris beneficio. G. Celebrãdus es Deus omnibus puris sanctisq; laudibus: te sancti tui, & omnia à te creata, te omnes genij electiq; tui in omnem collaudent æternitatẽ. Tibi gratias ago, qui me exhilaraueris: nec id mihi accidere passus sis, quòd uerebar, sed singulari misericordia erga nos usus sis. Tibi gratias ago, qui duos unigenitos miseratus, L. repuleris à nobis hostem, qui nos insectabatur. G. Vtere, Ioua ea in eos benignitate, ut sani uitam cum lætitia misericordiaq; transigãt, ut teplenius celebrent, & tibi ad laudem tuam salutare sibi sacrificium D faciant: ut cognoscant uniuersæ gentes, te solum in toto orbe esse Deum. H. Tu quidem is es, Ioua, qui uulneras & sanas: qui occidis & uitam das, qui circa duos hos tam mirificè egeris: tu uiuis & perstas in omnem omniũ seculorũ perennitatem. ¶ Hæc loquutus Raguel, famulis suis imperat ut sepulchrũ obducant ante diluculũ, ne quis id rescíscat. Deinde lautũ lætumq; prandiũ parari iubet, quòd eos Deus pro sua singulari misericordia & clementia affecisset lætitia, & à pecorum gregibus uitulos & arietes cursu petitum it, eosq; mactandos curat, Tobiamq; sic alloquitur: Nõ exibis ex domo mea ante dies quatuordecim: sed cum mea delicata filiola uoluptatem capies, sumptaq; omniũ mearũ facultatum parte dimidia, ad tuum patrem lætus te recipies: postea me & uxore mea mortuis omnia possidebis, L. atq; eius rei syngrapham fecit.

Raguel deo gratias agit qui Tobiam & Sarã ab Asmodæo defenderit.

CAPVT IX. H.

Tum Tobias Raphaelem uocat, & sic cum eo agit: Azaria frater, L. attende uerbis meis. Si me tibi in seruitutem darem, tamẽ prouidentiæ tuæ paria non facerem. Sed tamen quæso, H. assume hinc quatuor tecum famulos, & duos camelos, & Ragem ad Gabelem auunculum meum profectus, tradito ei ipsius marsupium, ut tibi argentum det: & eum inuitato, ut ad meas nuptias ueniat. Nam mihi quidem eò proficisci non licet, propter sacramentum B quo me Raguel obstrinxit, non esse me ex eius domo

Tobias Raphaelẽ mittit Ragem

domo emigraturū ante dies quatuordecim. Iam uerò meus pater et mater numerant dies: quòd si præter dictum spaciū transierit uel una dies, solicitudinem meis afferam parentibus. Igitur Raphael adhibitis duobus camelis, & quatuor famulis, Ragem domū Gabelis ire cōtendit, eiq́

C ipsius marsupiū tradit, & Tobiam Tobæi filiū duxisse Saram Raguelis filiam nunciat, eumq́ ad illius nuptias inuitat. ¶ Tum Gabel imposito camelis argento, ad nuptias uenit. & Tobiam nactus assidentem mensę, amplectit̃, & præ gaudio lachrymans, ei gratulat̃ huiusmodi uerbis:

Gabel Tobię gratulatur.

Gratias ago Iouæ Israelitarum Deo, qui te cum hoc uiro lætè cōiunxerit. Is tibi pro sua misericordia det ex ista mares liberos, qui Iouæ legi dent operã: L. nam uiri optimi, iusti, religiosi, &

D benefici filius es. Felix dicatur uxor tua, parentesq́ uestri, ita ut natos uestros, & natorū natos, ad tertiam usq́ quartamq́ stirpem uideatis, sitq́ uestra progenies Israelitarū Deo, qui regnat in sempiternū, chara. Hic cum omnes Amen succinuissent, inierūt epulas, & cum Domini reuerentia nuptiarum conuiuium celebrarunt, G. suæq́ uxori fausta precatus est Tobias.

CAPVT X. H

Tobæi luctus.

CÆterùm Tobæus & eius uxor dies noctesq́ cōputabant, et illum ab se dimissum dolebant, eiusq́ causa plorabãt, et se affligebãt. G. Et Tobæus exacta peregrinationis die, cum illi nō uenirent, L. Tobia morã nuptiarū causa faciente, sollicitus ita dicebat: Cur tamdiu morat̃ filius meus? aut quid illic eum detinet? Num nã ui detinet? an mortuus est Gabel, nec quisquã ei reddit argentū? Cum ille in hunc modū dolebat, tum uxor ita dicebat: Perijt puer noster, qui tam diu moret̃. Tum illum insolabiliter lugens: Hei mihi nate, qui te oculorū meorū lumẽ amiserim, L. senectutis nostræ baculū, uitæ solatiū, spẽ posteritatis, in quo uno cum nobis essent omnia si-

B ta, nō debuimus amãdare te. H. Cumq́ Tobæus Annam uxorem suam cōsolans, hortaret̃ ut sileret, illum enim saluum lętumq́ esse uenturū, illa consolationem respuens, in uias singulis diebus exibat, ut uideret si filius ueniret: neq́ quicquã dies noctesq́ præter lachrymas gustabat. Peractis quatuordecim nuptiarū diebus, Tobias Raguelem monet, ut se dimittat: nam suū patrem et matrem dies numerare, nō putantes eo loco rem

C esse. Cui Raguel suadet, ut amplius apud se maneat: sese ad eius patrem missurū esse qui ei negotium omne nunciaret. Verùm Tobias hortat̃, ne se remoret̃, sed ad suū patrem & matrem ire permittat. Ita inductus à Tobia Raguel, ei Saram filiam suam tradit, necnon dimidiam suarum diuitiarum partem, seruos, ancillas, oues, capras, boues, asinos, camelos, byssina uestimenta, purpuram, argẽtea aureaq́ uasa, eosq́ dimittit cum huiusmodi fausto omine: Deus Ioua, Deus maiorum nostrorum, uos fœcundet, mihiq́ ex uobis liberos mares ostendat, qui Iouanæ legi uacent. Tum eos osculando complexus, Saram filiam suam sic monet: Tuum socerū & socrum

Tobias ad patrem redire contendit.

G. qui nunc tui parentes sunt, H. magno in honore habeto, L. maritum diligito, familiam regito, domum gubernato, & teipsam inculpatam præstato, H. & cum bona pace profecta, efficito ut bonam de te famam uiuentes adhuc læti hilaresq́ accipiamus. Ita eos deosculatus & complexus dimisit, G. Tobiam sic alloquens: Ioua te Deus cœlestis, fili, saluum perducat, mihiq́ ex te & Sara filia mea liberos Iouæ probatos, antequam moriar, ostendat. Ecce Saram filiam meã in potestate tua: noli eam, donec uiues, male tractare: ite sanè incolumes. H. D

CAPVT XI.

TObias læto & hilari animo discedens, Iouæ gratias egit, qui se lætum reddidisset, & tot beneficijs tam mirificè affecisset. Vbi ad Acrim urbem, quæ secundum Niniuen sita est, L. undecimo die H. peruenit, sic eum monuit Raphael: Frater, tu scis quo statu patrem matremq́ reliqueris. Quapropter antecedamus ego & tu, uxore tua cum seruis & hominibus nostris subsequente. Cumq́ ambo G. subsequente cane H. irent, monuit Raphael Tobiam ut secum de felle piscis sumeret: id quod ille fecit. Ecce autẽ illius mater, quæ in uia manebat, ut uideret num filius ueniret, eum conspicata procul agnouit: &, Ecce

Raphael Tobiam docet, quomodo sananda sit eius patris cæcitas.

filium meum Tobiam (inquit Tobęo uiro suo) B aduenientẽ unà cum eo qui cum ipso profectus est. Hic genius: Video, inquit Tobiæ, tuum patrem esse cæcum: sed isto felle apertis eius oculis sanabitur. L. Quocirca tu, cum primum domum ingressus eris, Dominum Deum tuum adorato, eiq́ gratias agito. Deinde ad patrem accedito, & eum deosculatus, felle isto eius oculos illinito. Tum ille fellis mordacitatem sentiens, sibi oculos fricabit, atq́ ita deiecta albugine, & cœlum & te lętus uidebit. H. ¶ Igitur Anna mater illius ei currit obuiam, & in eius illapsa collum, ita loquitur: Iam licet moriar, postquam tuum uultum aspexi. Interea dum illa eius collum tenens flet diutius, L. præcucurrit canis qui fuerat itineris comes, & quasi nuncius adueniens, cau-

da lætus blandiebatur. H. Deinde surgit To- C bæus, & filio obuiam pergens, cum non uideret, labitur. Hic Tobias ad patrem accurrit, [L. Quem pater flens, flentem præ gaudio complexus & osculatus est. Cumq́ Deum adorassent, & ei gratias egissent, consederunt. Et filius felle oculos patris illinens, G. Bono es animo pater, inquit. L. Deinde expectata dimidia circiter hora, ille compunctos oculos suos fricuit, atque ita ex eorum angulis deciderunt quædam squamæ mẽbranis oui similes, quas Tobias pręhensas reuulsit.] H. & fel eius oculis admouet, quo felle illustratis illius oculis, decidit ex eis albugo, sanatusq́ uiso filio in eius collū insilijt: et

Grates, inquit, ago Iouę Israelitarū Deo, cęcorū D collustratori, qui mihi patefecerit oculos: huic gratiæ, huius nomini gratiæ agantur in omnem omnium seculorum perpetuitatem, qui hoc tantum in me cōtulerit beneficium. Is enim est qui uulnerat & sanat, qui interficit & in uitam reuocat:

cat: huic, huic inquam, grates agantur, qui tibi adeò prosperum iter dederit, ut te nobis saluū lætumq; reduxerit. Deinde Tobæus & eius uxor Anna, Saræ Raguelis filiæ nurui suæ obuiā L. post septem dies H. progressi, magnopere cum ea lętati sunt, estq; omnib. & uisu & auditu permira uisa res, sanati Tobęi oculi. Est autem Tobæus Sarę nurui suę bene ominatus his uerbis: Fortunata Iouæ es, mea filia, et Ioua laudandus, qui te nobis lętam adduxerit. Ita magnopere lętati sunt tum ipsi, tum omnes Iudæi Niniuitæ, de tanto Iouæ erga Tobæū & eius filium beneficio. G. L. Tū Achior & Nabathus Tobiæ consobrini, ad Tobiam gaudentes uenerunt, eiq; de tot Dei erga ipsum beneficijs gratulati sunt: atq; ita Tobiæ nuptiæ septem diebus iucundè celebratæ sunt ab omnibus, H: suntq; Tobiæ & multa & magni precij donata munera.

CAPUT XII.

DEinde Tobæus filium sic alloquitur: Fili, soluamus isti homini, qui te comitatus est, mercedē, & eam cū corolario. Cui Tobias: Pater, inquit, demus ei dimidiū pecuniæ quā illinc attuli. Nam is me sospitē duxit & reduxit, is uxori meæ remediū attulit L. eamq; mihi cōciliauit, & me ex piscis faucibus eripuit H. Is à Gabele pecuniā abstulit, is tibi sanauit oculos: pro quibus omnib. quę nam ei referri par gratia potest?

B Deinde euocato Raphaele: Azaria frater, inquit, accipe tuam mercedē uidelicet dimidiā pecuniæ partem, quā illinc attulisti, & Vale. At Raphael G. seuocatis illis duobus, H. Tobæū & eius filium Tobiam sic alloquit̄: Canite Iouæ carmen nouum, eiq; gratias agite, et eius nomen cantate, pro tantis eius in uos collatis beneficijs: crebrisq; precibus, supplicationibus, & beneficentia eum affectate quoad uiuetis. [G. Regis arcana celare pulchrū est, sed Dei opera patefacere gloriosum est. Rectè facite, & uobis malum nō accidet. Bona res est precatio, quæ cum ieiunio, beneficentia et iustitia cōiuncta est. Melius est parum cum iustitia, quàm multum cum iniustitia.] H. Nam plus apud Iouam ualet assiduum beneficentiæ officiū, quàm auri argentiq; copiosa congeries, cum à morte uindicet beneficentia, G. L. & omne peccatū expiet, atq; impetrata uenia, perducat ad uitam æternā: quam beneficentiam qui liberaliter exercent, uitam plenè consequent̄. At improbi sunt suæ ipsorū uitę

C hostes. Equidē nihil uos de rei ueritate celabo. G. Dixi autem arcana regis celare, pulchrū esse: Dei autem opera patefacere, gloriosum. H. Quo tempore tu, tuaq; nurus Sara, sancti opem numinis (cui grates agant̄) precibus suppliciter magno cum animi angore implorabatis, uestras ego preces, ut uos sciatis, ad Maiestatis soliū subuehebā: cumq; tu mortuos sepeliebas, aderam tibi tuisq; difficilimis rebus à Ioua, qui te oculorum cæcitate tentauerat (solet enim periculū facere iustorū) missus sum ad te Saramq; tuam nurum sanandos. Sum autem Raphael genius, unus de G. septem H. principibus qui ad Maiestatis solium famulant̄ G. sanctorumq; preces deferunt. H. His omnibus auditis, illi magno timore permoti, in faciem prociderunt. At Raphael: Bene

Raphael se genium esse indicat.

D uobis se res habet, inquit: omittite timorē: agite Iouæ gratias ob hæc tanta tam mirabilia, quæ fecit erga uos. G. Non enim mea causa ueni, sed Dei uestri uolūtate. H. Nā quòd me, quādiu uobiscum uersatus sum, edere & bibere uidistis, species illa fuit, quę uestris oculis obuersabatur, cum neq; comessem, neq; biberem. L. nam equidem cibo & potu utor inaspectabili, & sub hominis aspectum nō cadente. H. Quare mandate hæc omnia literis, quę uos uestri erga Deum officij per omnem uitam admoneāt, atq; hanc rem in omnem omniū ætatum æternitatē significent & testentur: & Iouę gratias agite, eiusq; sacram memoriā celebrate, meq; absoluite ut ad Deum me recipiam, à quo sum missus ad uos. Tum illi eo dimisso, Iouę gratias pro his omnib. egerunt. At Iouæ genius in cœlum ascendit, neq; postea Tobęo aut Tobię eius filio apparuit. G. L. Tum illi per tres horas humi iacentes, Deo gratias egerunt. Dein de surrexerūt, & tanta illa, tam mirabilia Dei facta, utq; eis Domini genius apparuisset, prædicauerunt. H.

Genes. 18.a 19.a Iu. 13.c

CAPUT XIII.

DEinde Tobias has res omnes lętus perscripsit, & Tobæus ita dixit: Ago Iouæ Deo maximo gratias, qui sua tam mira miracula suo populo & cultoribus exhibet, qui uulnerat & sanat, interficit & uitam reddit, in orcū demittit & extrahit: G. cuius manū qui effugiat nemo est: H. à quo nos inter gentes dispersi, debemus hęc tot miracula per populos declarare. Vos igit̄ ô Israelitę, fortes uos, & animis firmos, & manibus impigros præbete: nam uestrū opus manet merces, et Ioua dum uestri miseret̄, extollit, ut Deus

B æquitatis: cui quicunq; confidunt, beati sunt. Et uos mei nati utimini multa beneficētia, precib. & supplicationibus apud mundi Dominū: nam beneficentia & preces calamitatē propulsant, ut est in illa sententia: Beneficētia à morte uindicat. Laudet̄ Ioua, qui erga me, erga patrem & maiores meos, deniq; erga omnes ipso fretos, tantis, tam horrēdis portentis & miraculis usus est: laudetur Ioua in sempiternum: Amen, Amen.

Tobæus Iouæ gratias agit ob eius in suos beneficia.

Hactenus ex Hebræo. Quæ sequuntur præterea, habentur in Græca lingua, & partim in Latina.

Is nos propter delicta nostra uerberat: sed idem rursus nostri misertus, uos ex omnibus, per quas dissipati estis, nationibus colliget: si ad eum tota mente totoq; animo conuersi, quod æquum apud eum est feceritis, tum ipse quoq; conuersus ad uos, suum uultum à uobis non abdet. Quocirca spectate quæ uobis faciet, cumq; pleno ore celebrate, iustitię Dominum collaudate, mundi regem extollite, quē ego captiuus in hac terra celebro, eiusq; uires et magnitudinē nocentum generi ostendo. Resipiscite sontes, & corā illo iustitiā exercete. Quis scit an in uos propensus, uobis misericordā tribuat? Equidē Deum meum regem cœlestē animo gestienti extollo, cuius

cuius magnitudinē prędicent omnes, eiusq́ iu- C stitiam celebrent. O Hierosolyma ciuitas sancta, ille quidem de te propter natorū tuorū facta suppliciū sumet: sed idem rursus bonorum generis miserebit. Celebra ritè Dominū, & mundi regem collauda, ut iterum eius tabernaculū istic cum lætitia ædificet, & ipse illos captiuos istic exhilaret, & calamitosos istic amet, in omnes seculorum ætates. Multæ gentes procul uenient ad Domini Dei nomen, dona secum ferentes, dona regi cœlesti. Omnis te seculorum posteritas gestiens laudabit. Omnes tui & osores detestabiles, & amatores beati semper erunt. Gaude & exulta ob bonorum genus, qui colligent, & bo- D norū Domino gratias agent. O beatos amatores tuos, nam pace tua lætabunt. beatos qui tuas tot res aduersas doluerūt: nam ij de te gaudebūt, dum tuam uidebunt tantam gloriam, & lętabuntur in perpetuum. Laudet anima mea Deum, regem illum maximum: quoniam extruentur, ô Hierosolyma, sapphiro, smaragdo, & lapide precioso, tua mœnia & turres & propugnacula auro puro: areæ autem Hierosolymitanæ berillo, & carbunculo, & lapide sapphirio pauientur: dicentq́ omnes eius uici, Alleluia. & laudes celebrabunt dicētes: Laudandus Deus est, qui eam euexit in omnia secula.

CAPVT XIIII.

Tobæus filio iubet, ut Niniua (quæ peritura sit) emigret, & Hierosolymæ felicitatem prædicit.

HAec locutus Tobæus, Deum laudandi finem fecit. Erat autem annos natus octo & quinquaginta, cum uisum amisit: quo post octo annos recuperato, beneficentiam exercebat, Dominumq́ Deum magis reuerebatur & celebrabat. Deinde ubi ad multam senectutē peruenit, filium suū & sex ex eo nepotes uocat, eumq́ sic alloquitur: Nate assumptis filijs tuis (en ego senex, & exitui uitæ sum proximus) in Mediam discede, nate. Nam mihi persuasi Niniuen, quēadmodum Ionas uates de ea prædixit, euersum iri. In Media autem res erunt aliquandiu pacatiores. Nostri uerò cōsanguinei ex illa felice terra per orbem dispergent, eritq́ Hierosolyma uasta, & quod in ea templum est cremabit, & ali- B quandiu desertū erit. Sed rursum miseratus eos Deus, in patriā reuocabit, templūq́ construent, non quale prius, sed duraturū quamdiu durabit mundus: ac deinde ab exilijs reuersi, Hierosolymam pręclarè instaurabūt, & in eā templū splendida ad omnem seculorū perpetuitatem structura ædificabit, ut de ea prædixere uates. Atq́ omnes se gentes ad Dominum Deum uerè metuendum conuertent: defossisq́ simulacris suis, Dominum laudabūt, Deumq́ celebrabūt sui: quos suos Dominus sic extollet, ut omnes Dominū C Deum uerè & iustè amantes lætent, misericordiam nostris consanguineis tribuentes. Quamobrem, nate, emigra Niniue: nam omnino euenient quæ sunt à Iona uate prędicta. Tu legem & præcepta conseruato, & te misericordem iustumq́ prestato, ut tibi bene sit, meq́ & matrem tuam apud me sepelito, & nolite amplius Niniuæ commorari. Vide nate quid fecerit Aman Achiacharo nutricio suo, ut eum ex luce in tenebras detruserit, & qualem ei gratiam retulerit, et tamē euasit Achiacharus: ille autem in tenebras deturbatus, meritas dedit pœnas. Manasses beneficentia usus, laqueum mortis euasit, in quem indutus fuerat. At Aman in laqueū illapsus perijt. Quare fili uide quid efficiat liberalitas, & quantū habeat beneficentia præsidij. Hæc locutus ille animam egit in lecto, anno ętatis suæ centesimo quinquagesimo octauo. Sepultus est ho- D norificè. Anna quoq́ postq́ interijt, sepulta est cum illius patre. Postea Tobias cum uxore & liberis Ecbatana migrauit ad Raguelem socerū suum, honesteq́ senuit, & soceris suis splendidè parentauit, & eorum Tobæiq́ patris sui hæreditatem tenuit. Mortuus est annum centesimū uigesimū septimum agens, Ecbatanis in Media, cum quidem ante suam mortem Niniuæ excidium à Nabuchodonosore & Assuero captę audiuisset, & eo delectatus esset.

Amanis impietas punitur.

IVDITHA.

CAPVT I.

Arphaxadus Medorū rex Ecbatana munit.



RPHAXADVS Medorum rex fuit Ecbatanis, quā urbem muro circummuniuit, lapidib. quadratis, ternos cubitos latis, senos autem longis. Murum fecit in altitudinem cubitorum septuaginta, in crassitudinem quinquaginta: eius turres centenûm cubitorum extruxit, in latitudinem sexaginta cubitorum fundatas, L. quarum quadraturæ latera utraque B uicenos pedes patebant. G. Portas in altitudinem cubitorum septuagenûm erexit, in latitudinem quadragenûm, ad exitum tantarum, quas habebat, copiarū & agminum peditum. Hunc Arphaxadum L. tam ualida exercitus sui potentia & quadrigarum apparatu gloriantem, G. Nabuchodonosor Assyriæ rex anno regni sui duodecimo, Niniuæ in magna illa urbe regnans, bello aggressus est in magno quodam campo, in finibus Ragau posito. Conuenerunt au- C tem ad eum omnes montani, & Euphratis & Tigris & Hydaspis accolæ, & campi Ariochi Elymæorū regis incolæ, permultæq́ Chelodiorum gentes in eum cōflictum coiuere. Tū Nabuchodonosor L. & imperio auctus, & animo elatus, G. misit accersitum omnes Persidis incolas, & ad occasum habitantes, & Ciliciæ, Damasci, Libani, & Antilibani incolas, omnesq́ maritimos tum Carmeli L. Cedaris, G. Galaaditidis, superioris Galilææ, & magni Esdrelonis campi gentes, omnesq́ Samariæ incolas atque ciuitates. Præterea trans Iordanem

usq́

usꝙ Hieroſolymã, & Bethauen & Chellos, & Cadẽ, & fluuiũ Aegypti, & Taphnas, et Rameſſem, omnẽꝙ Geſemã usꝙ trãs Tanim & Memphim, omnesꝙ Aegypti habitatores usꝙ ad Aethiopiæ confinia. Sed omnes illarum terrarũ incolæ, ſpreto Nabuchodonoſoris mandato, ad id bellũ nõ cõuenerũt: omnesꝙ ad unũ, nihil eum ueriti, legatos eius infecta re ignominioſe remiſerunt. Quare iratus uehementer in omnes illas nationes Nabuchodonoſor, per ſoliũ regnumꝙ ſuũ iurauit, ulturũ ſe, et ferro uaſtaturũ omnes Ciliciæ, Damaſci, & Syriæ fines, omnesꝙ Moabiticæ terræ incolas, & Ammonitas, et omnem

D Iudæam, omnesꝙ Aegypti incolas, quã inter duo maria patet regio. Igit prælio cum Arphaxado rege totis copijs anno decimoſeptimo congreſſus, uicit: uerſisꝙ omnib. illius copijs, equitatu, & quadrigarijs, potitus eſt eius urbib: et ad Ecbatana usꝙ progreſſus, expugnatis urbis turribus, uicos depopulatus eſt, eiusꝙ decus in turpitudinem cõuertit: & Arphaxadũ in montib. Ragau conſecutus, iaculis cõfixit. eoꝙ ita profligato, Niniuem cum omni ſuorum turba (quæ erat militũ permagna multitudo) reuerſus eſt, & ibi cum ſuis copijs ocia et conuiuia per dies centum uiginti agitauit.

Nabuchodonoſor Arphaxadum uincit.

CAPVT II.

ANno aũt duodeuigeſimo, die menſis primi uigeſimoſecũdo, inie ta in eius domo mẽtione de ulciſcendis omnib. illis nationibus, quẽadmodũ facturũ ſe dixerat, conuocat omnes ſuos ſtipatores & proceres, & cũ eis cõſilij ſui arcanum cõmunicat, et tam ingẽs nationũ illarum crimen ſuo ipſius ore accuſat. Tũ illi ſtatuũt perdendos eſſe mortales omnes, qui ei nõ obediuiſſent. Peracto conſilio uocat Nabuchodonoſor Oloſernẽ ſuarũ copiarũ imperatorẽ, ſecũdum à

B ſe, eumꝙ ſic alloquit: Hæc dicit rex magnus, totius orbis terrarũ dominus. Tu iam à me digreſſus, aſſumptis ſingularis uirtutis peditũ centum uiginti millibus, & equitũ duodecim milibus, expeditionẽ facies in omnes occidentales nationes, quæ meo nõ paruerũt imperio: eisꝙ nunciabis ut mihi terram parent & aquã: me enim eſſe eos iracundè inuaſurũ, & omne terræ ſolũ mearum copiarũ pedibus obtecturũ; eosꝙ ita prædæ eis obiecturũ, ut occiſi & ualles & torrentes impleãt, & flumina eorũ repleta cadauerib. redũdẽt, eorũꝙ captiuos in omnes orbis ultimas terras translaturũ. Tu uerò profectus, omnes eorũ fines mihi occupabis: & dedentes ſe, in diẽ, quo de eis diſceptet, mihi cõſeruabis. Cõtumacibus aũt ne peperceris, quin eos cędibus & prædę ubiꝙ terrarum exponas: L. neꝙ ulli regno parcas, & omnes munitas urbes mihi ſubigas. G. Nam diſpereã ego & regni mei potentia, niſi quæ uerbis dixi, re præſtabo. Tu nullũ domini tui mandatum omittito, ſed omnia ut tibi impero perfi-

C cito, & quidẽ ſine cunctatione. Oloſernes à domino ſuo digreſſus, cõuocatis omnib. dynaſtis & Aſſyriarũ copiarum ducibus atꝙ præfectis, recenſuit delectos ad cõflictum uiros, ut ei dominus eius imperauerat, ad centum uiginti millia, & equitũ ſagittariorũ uigintiduo millia, eosꝙ militari modo ordinauit. Tum maximũ camelorum aſinorumꝙ ad ſarcinas geſtãdas numerum & oues bouesꝙ & capras ad cõmeatum innumerabiles aſſumpſit, magnãꝙ uim cibariorum ad omnes homines L. (nam frumentum quidem ex omni Syria in tranſitu cogere ſtatuit) G. item ingentem auri argentiꝙ uim ex fiſco regis. Cũ his ſuis omnibus copijs profectus eſt in expeditionem, ut regem Nabuchodonoſorem antegreſſus, omne occiduæ terræ ſolum curribus, equitibus & peditibus delectis operiret: tanta gregariorũ comitante frequentia, ut nõ magis ꝙ̃ locuſtæ aut arena, poſſent numerari. Igitur Niniue tridui iter profectus uerſus campum Bectilethum, caſtra fecit à campo Bectiletho prope montem L. Augem, G. ad ſiniſtram ſuperioris Ciliciæ poſitum. Inde cum ſuis omnibus copijs, peditatu, equitatu et quadrigis, montanos adortus L. eorũ omnia caſtella peruaſit; munita loca expugnauit, Melothũ urbem celeberrimã euertit, G. Phudios & Lydios excidit, omnesꝙ Raſſenſes & Iſmaelitas cõtra deſerta ad auſtrũ regionis Chelleorum depopulatus eſt. Hinc traiecto Euphra- D

te, Meſopotamiã peruaſit, omnes arduas urbes ad fluuiũ Arbonaim ſitas usꝙ ad mare cõplanauit: occupatisꝙ Ciliciæ montanis, omnes ſibi reſiſtentes deleuit. Deinde ad meridiana Iaphethi montana; Arabiæ obiecta, progreſſus, omnes Madianitas circumdedit, eorumꝙ et tabernacula cremauit, & tuguria peruaſtauit. Tum in Damaſcenũ campũ degreſſus tempore meſſis triticeæ, eorũ omnes ſegetes incendit, L. arbores & uineas ſuccidit, G. ouilia & bouilia ad nihilũ redegit, urbes diripuit, campos peruaſtauit, & omnem ſobolem ferro trucidauit.

Nabuchodonoſor Oloſernem mittit, qui contumaces nationes ulciſcatur.

CAPVT III.

ITaque non mediocris ex eo terror maritimos peruaſit, uidelicet Sidonios, Tyrios, Surios, Ocinanos, & omnes Iamnitas, Azotios'que, & Aſcalonitas: eoꝙ timore perculſi L. omnium reges & principes ciuitatum atque regionum Syriæ, Meſopotamiæ, Syriæ Sobalenſis, Lyciæ, atque Ciliciæ, G. legatos ad eum de pace miſerunt, cum mandatis huiuſmodi: Nos Nabuchodonoſoris magni regis ſubditi, nos tibi dedimus, ut nobis tuo utaris arbitrio. Ecce omnia domicilia noſtra, loca, L. montes, colles, G. agros frumentarios, greges L. ouium & caprarum, G. armenta L. boum, equorum, & camelorum, G. omnesꝙ ta- B

bernaculorũ noſtrorum caſas in tuã poteſtatem & arbitrium permittimus, oppidaꝙ noſtra & oppidanos tuo ſubijcimus imperio. Ades, & te erga eos gere ut tibi uiſum fuerit, L. & omitte iſtam in nos ſæuitiam. Præſtat enim nos tibi deditos, ſeruire Nabuchodonoſori regi magno uiuos, quàm & miſerè mori, neꝙ ſeruitutis effugere calamitatem. G. Hęc mandata poſtquã homines Oloſernem aggreſſi retulerunt, ille cum ſuis copijs deſcendit in oram maritimam, & urbes munitas præſidijs firmauit, atque ex eis lectiſſi- C

Mittuntur à gentibus legati de pace ad Oloſernem.

mos quosq; hominés in auxiliū asciuit, L. tātus que eius terror nationes illas inuasit, ut omnium urbiū incolæ, principes & magistratus cum populis, G. eorumq; finitimi omnes, L. uenienti obuiam progressi, G. eū cū coronis, choreis, & tympanis exciperent. L. Quę quamuis facerent, eius tamē pectoris ferocitatē adeò mitigare nō potuerunt, G. quin eorū fines omnes peruastaret, L. urbes euerteret, G. lucosq; succideret: in animo habens L. ex Nabuchdonosoris mādato G. omnes orbis terrarū deos perdere, ut solū Nabuchodonosorē coleret omnes gentes atq; linguæ, L. quę potuissent Olofernis potentia subigi: G. eumq; nationes hę Deū inuocarēt. L. Deinde peragrata Syria Sobalensi, & omni Apamea atq; Mesopotamia, peruenit ad Idumæā G. cōtra Esdraelonem, prope Dothaim, quæ eregionē magnarum Iudææ fauciū posita est. & positis inter Gębam & Scythopolim castris, L. captis Idumæorum urbibus, G. illic unius mensis spacium fuit, dum omnem copiarum suarum colligit apparatum.

CAPVT IIII.

ISraelitæ uerò Iudæā incolētes, postꝙ audiuerūt quāta Olofernes Nabuchodonosoris Assyriorū regis imperator fecisset aduersum gentes, utq; omnia earū fana depeculatus ad nihilū redegisset, magno timore perturbati sunt, ne idē in Hierosolymā & Domini Dei templū faceret, L. quod in cæteras urbes earūq; templa fecerat. G. Nam eis recenter ex captiuitate reuocatis, populus nuper cōgregatus erat ex Iudæa: & uasa atq; ara & templū, quæ fuerāt polluta, erant lustrata. Itaq; dimiserūt in omnes Samariæ fines, & uicos, & Bethoronē, Belmen, Hierichūtem, Chobā, Esorā, & uallem Salem, qui omnia editorū mōtium iuga curarent occupāda: & qui in eis uici essent, muris includerent, & annonā in apparatū belli reconderent. Nam in illorū agris recens facta messis erat. Scripsit etiā Ioacimus, qui per id tempus Hierosolymis erat pōtifex, ad incolas Betuliæ & Betomæstæ, quæ est contra Esdraelonē, obiecta campo prope Dothaim posito, ut montanæ regionis ascensus, per quos erat aditus in Iudæā, occuparent. Erat autem facile illos subeuntes prohibere, angusto transitu, quà nō plures ꝙ bini homines ire possent. Igitur Israelitæ Ioacimi pōtificis, & senatus totius Israelitici populi Hierosolymę degentiū, mandato paruerunt, Deumq; obnixè inuocare, et ieiunijs intentissimi, ipsi, mulieres, paruuli, pecora, omnesq; cōuenæ mercenarij et emptitij eorū, centonibus amicta latera habere: omnesq; tum uiri tum mulieres & paruuli, Hierosolymā incolentes, sese pronos ante templū abijcere, capita sua puluere cōspergere, centones suos domino obtendere, aram centone cingere, & ad Israelitarū Deū obnixe uno animo clamare, ne suos paruulos diripi, uxores prædæ haberi, urbes & possessiones deleri, sacra turpiter profanari ad extranearū gentium lætitiā permitteret. L. Tum Ioacimus Domini pontifex, omnes Israelitas obire, & ita cohortari: Scitote Dominū uestras

Israelitæ se se aduersus Olofernem muniunt.

Ioacimus pontifex.

Betuliæ situs.

Ioacimus Israelitas confirmat.

esse preces exauditurū, si in ieiunijs & ad cū supplicationibus perseueraueritis. Recordamini Mosem Domini cultorē, qui Amalechitā sua uirtute, potentia, exercitu, clypeis, currib. & equitibus fretū, nō ferro pugnādo, sed sanctis orando precibus, deiecit. quod idē Israelitarū hostib. accidet, si uos in instituto perseueraueritis. Hac eius exhortatione illi Dominū precib. interpellare pergebāt. G. Itaq; Deus eorum preces exaudiuit, & angustias respexit. Ieiunabat autē populus dies cōplures cùm in omni Iudæa, tum Hierosolymis, in conspectu sanctuarij Domini omnipotentis. Necnō Ioacimus pontifex, & omnes qui Domino apparebāt sacerdotes, et Domini administri, succincti latera cētonibus, solidū perēnitatis sacrificiū, preces, & uolūtaria populi donaria libabāt, eorū infulis puluere cōspersis, & ad Dominū summis uirib. clamabant, ut omnem Israeliticā stirpem benignè respiceret.

CAPVT V.

POstquam nunciatum est Oloferni Assyriarum copiarum imperatori, Israelitas sese ad bellū parare, montanos aditus præclusisse, omnia editorū montium iuga muris muniuisse, & in agris obstacula collocauisse: magna ira percitus, conuocat omnes Moabitarū principes, & Ammonitarū duces, omnesq; maritimæ oræ satrapas, & eos sic alloquitur: Narrate mihi, uos Chananæi, de istius nationis hominibus, qui mōtana tenent, quas, L. quales et quantas G. urbes incolant: quanta sit eorum exercitus multitudo: qua in re positum sit eorum robur & potentia: & cur soli occidentaliū mihi obuiam uenire, L. meq; amicè excipere G. neglexerint. Tū Achior omnium Ammonitarū dux, uerba fecit in hunc modum: Audi, domine, meam, qui tuus sum, orationem, & tibi de populo isto montano prope te habitante uera narrabo, neq; ullū excidet ex ore meo mendacium. Homines sunt à Chaldæis genus ducentes, qui principiò Mesopotamiam incoluerunt. Cum enim deos patrios Chaldęorū sequi recusarent, patrijsq; ritib. relictis, L. qui in deorū multitudine positi erant, G. unum sibi cœlestem Deum ad adorandum delegissent, eiecti ex illorum deorum conspectu, in Mesopotamiam profugerunt. Ibi diu commorati, iussi sunt à Deo suo ex illo commorandi loco in Chananęam commigrare. Itaq; cōmigrarūt, & ibi ingenti auri, argēti & pecoris numero cōparato, uigēte in Chananęa fame descēderunt in Aegyptum: ubi tandiu commorati, quandiu uictus suppeditauit, L. uidelicet annos quadringētos, in tantam excreuere multitudinē, ut eorum genus esset innumerabile. Deinde cum extitisset Aegypti rex, qui eos circumueniret, & labore faciendorum laterum L. & urbium construendarum G. opprimeret, eisq; pro seruis uteretur, Deum suum implorauere, qui totam Aegyptum cladibus affecit irremediabilibus. Itaque eos Aegyptij ab se eiecerunt. L. Sed cum remissa clade eos retrahere, rursumq; in seruitutem redigere conarentur: G. Deus illis L. fugientibus

Olofernes quærit ex suis cur soli Iudæi sibi resistant.

Achior apud Olofernem de Iudæis uerba facit.

Exod. 14. e

tibus G. mare rubrum siccauit, L. ita ut ab utroq; latere aqua in muri firmitatem cōcreta staret: qua illi uia in sicco, per mediū maris solum pertransiuerūt. Eum in locum Aegyptius exercitus eos cōsecutus, aqua submersus ita est, ut ex innumerabili multitudine ne nuncius quidem euaserit.

Exod. 16. a

Traiecti mare rubrū, ad monte Sinam, G. & Cadesbarnem L. peruenerunt, ubi mortaliū nemo cōsistere unquā aut habitare potuerat. Ibi dulces ex amaris fontes ad bibendū habuerunt, et uictū de cœlo per annos quadraginta acceperūt: G. eiectisq; à Deo omnib. solitudinis incolis, Amorræorū fines occuparunt, & omnes Hesebonios uirtute sua perdiderūt, & traiecto Iordane omnia montana occuparunt: exactisq; Chananæis, Pherezæis, Iebusæis, Sichemitis, & Gergesæis omnibus, illic diu habitarunt. L. Ac quocunq; ingressi sunt, Deus pro eis, nullo arcu, nulla sagitta, nullo gladio, hostes debellauit: neq; unquā huic genti resisti potuit, nisi si quando à sui Dei cultu deflexit. Nam quoties alium Deum, quàm suū, coluerunt, prædę & ferro turpiter expositi sunt. Quoties autem Dei sui cultū repetiuerunt, Deus eis resistendi uires dedit. Ad extremū Chananæos, Iebusæos, Pherezæos, Hetteos, Heuęos, Amorręos, et fortissimos quosq; Hesebonios deleuerunt, eorūq; urbes & agros occuparūt. Ac quandiu sese à Deo suo offendendo continuere, bene cum eis actū est, Deoq; suo, qui improbitatē odit, prospero usi sunt. Iam superioribus annis, cum de ea uiuendi uia, quam Deus eis præscripserat, deflexissent, diuersis diuersarum nationū bellis diu profligati, frequentes in extraneas regiones abducti sunt in captiuitatem, G. eorumq; Dei fanum solo æquatum, & urbes ab aduersarijs expugnatæ sunt. Nunc autem ad Deum suum conuersi, ex locis, in quæ dispersi fuerant, se receperunt, & Hierosolymā, ubi eorum sanctuariū est, obtinuerunt, & montana, quæ deserta fuerant, occuparunt. Quare disquiramus, domine, si quid cōmisit, & si qua est in offensa hic populus apud Deum suū. Si enim hoc incōmodo laborant, inuadamus eos armis: L. eos enim ipsorū Deus tibi dedet, & sub tuam potestatem subiunget. G. Sin nihil ab eis L. contra ipsorum Deum G. commissum est, bello tibi, domine, supersedendū censeo, ne eorum Domino & Deo pro ipsis propugnante, totius orbis probra subeamus.

CAPUT VI.

Fremitus in Achiorē

POstquam Achior orationis suæ finem imposuit, omnes tabernaculū circumstātes fremere, & Olofernis proceres, omnesq; maritimi & Moabitæ concidendū esse dicere: L. Quis est iste, inquiebāt, qui Israelitas posse dicat regi Nabuchodonosori eiusq; copijs resistere? homines inermes, imbelles, et rei militaris imperitos. Vt ergo sciat Achior se nobis falsa dicere, adoriamur montanos, G. qui ab uniuerso exercitu tuo, domine Olofernes, conficiant, L. ut captis illorū principibus, ferro cū eis trucidet Achior: ut sciant omnes gētes, Nabuchodonosorem Deū esse terrarū, nec ullū esse præter eum. G. Sedato tumultu hominū cōsessum circūstantiū, Olofernes coram omni exterorū multudine, corāq; omnibus Moabitis & Ephraimitis mercenarijs, Achiorem sic allocutus est:

Olofernes Israelitis minatur, et ad eos Achiorē deduci imperat.

Quandoquidem tu nobis hodie uaticinatus es, inuictū esse genus Hierosolymitanum, quòd eos defensurus sit ipsorum Deus, quasi sit ullus Deus præter Nabuchodonosorē, is, inquam, Nabuchodonosor illos, missis copijs suis, auferet ex orbe terrarum, nec eos Deus ipsorū tuebit, quo minus nos Nabuchodonosoriani eos ad unum deleamus, & equitatu nostro (cuius impetū nō sustinebūt) ita cōculcemus, ut eorum & mōtes ipsorū sanguine redundent, & cāpi mortuis repleanī, neq; nobiscū ita pedē cōferant, ut nō perdanī. Hæc est, quā dico, Nabuchodonosoris totius orbis terrarū Domini indeclinabilis sententia. At tu, Achior, Ammonitarū mercenarie, qui ista tuæ improbitatis uerba dixisti, nunquā ex hoc die uultū meū uidebis, donec eorū genus ultus fuero, qui sunt ex Aegypto profecti. Tunc mei exercitus ferro à militib. meis latera trāsfossus, occūbes inter illorum interfectos. Siquidē mādabo meis ut te in mōtana perductū in aliquo oppidorū collocent, quę sunt in ascensu, ne pereas antè quàm cum illis perdare. Quòd si animo speras, illos non esse superādos, L. si oraculū tuū uerū esse putas, G. ne esto uultu adeò cōsternato, L. et pallorem istum, qui faciē tuā occupat, excute, si quidem hęc mea dicta præstari posse nō arbitraris. Atq; ut intelligas te cū illis hęc experturū esse, scito te iam nūc cum illa gente esse cōiungendū, ut unà cū illis affectus supplicio, dignas gladio meo des pœnas. ¶ Dixi, neq; quicq; dictorū meorū erit irritum. His dictis Olofernes suis imperauit, ut cōprehensum Achiorem Betuliā perducerent, Israelitisq; traderent. Atq; illi cōprehēsum, in cāpum extra castra eduxerūt, & ex plano in montē subduxerunt. Sed ubi ad fontes Betuliæ subiacētes peruentum est, cōspicati eos in uertice mōtis oppidani, arma capiunt, & ex oppido in fastigium mōtis exeunt, occupatoq; ascensu funditores uniuersi illos lapidibus protelant. At illi ad montem subeunt, et Achiorem L. manibus pedibusque arbori G. alligatum, ad radicem montis proiectum relinquunt, seq; ad dominū suum recipiunt.

Israelitæ Achiorem Betuliā ducunt.

Israelitæ ex oppido degressi ad Achiorem ueniunt, solutumq; Betuliā abducunt, & ad primores ciuitatis sistunt, qui tum erāt Ozias Michæ filius ex tribu Simeonia, Chabris Gothonielis, & Charmis Melchielis. Tum conuocatis omnibus oppidi senatoribus, cum omnes eorum & iuuenes & mulieres ad concionem concurrissent, Ozias Achiorem in medio totius populi constitutum interrogauit quid accidisset. Quibus ille respondens, exposuit orationē concilij Olofernis, & omnia, quæ ipse in medio procerum Assyriæ dixisset, tum quæ Olofernes contra stirpem Israeliticā superbè dixisset, L. utque se Olaferniani uoluissent interficere, & ut ipse Olofernes iratus iussisset se Israelitis ideo tradi,

tradi, ut eis uictis tũ demũ ipsum uarijs iuberet interire supplicijs, quod dixisset cœlestẽ Deum Israelitarum esse defensorem. G. Tum homines uulgò procidere, & Dominũ adorare, L. eumꝗ cum lamentis & fletu uno animo precibus interpellare, G. atꝗ inuocare in hunc modum: Domine Deus cœlestis, aspice eorum superbiã, & humilitatis nostri generis miserere, eorumꝗ faciem qui tibi consecrati sunt, hodierno die respice: L. & ostende te neque tibi confidentes deserere, et se ipsis fretos, deꝗ sua uirtute gloriantes, deprimere. Finito fletu, & continuatis toto die supplicationibus, G. Achiorem multũ laudãtes consolabanť, L. in hunc modum: Maiorũ nostrorum Deus, cuius tu uirtutem prędicasti, hanc tibi gratiã referet, ut illorum tu potius interitum uideas: utꝗ cũ Dominus Deus noster hanc suis libertatem dederit, tu cum tuis omnibus secundo Deo apud nos degas. G. Igitur Ozias eũ ex cõcione domũ suam abduxit, lautamꝗ cœnam L. ei G. præbuit: & uocatis senatorib. omnibus, peracto ieiunio, corpora curarunt. Postea conuocato omni populo, totam noctem in supplicationibus duxerunt, auxilium ab Israelitarum Deo petentes.

Dominum implorant Betulienses contra Olofernem.

D

CAPVT VII.

Olofernes Betuliã obsidet.

POstridie mandat Olofernes omni exercitui tum suo, tum suorum auxiliariũ, ut Betuliam cõtendant: & occupatis montanæ regionis ascensibus, Israelitas prælio lacessant. Ita eo die castra mouerunt milites, quorum militũ summa erat peditũ centum a quinquaginta millia, equitum b duodecim millia, præter ingentem numerum impedimentorũ, L. & captiuorũ iuuenum, qui passim per regiones & oppida capti fuerãt. Igitur omnes ad pugnã contra Israelitas parati per crepidinẽ montis ad apicem usꝗ supra Dothaim euaserũt, G. & in ualle prope Betuliã ad fontem castra fecerunt, patentes in latitudinem à Dothai ad Belbaim, in lõgitudinẽ aũt à Betulia ad Cyamonẽ, è regione Esdraelonis positũ. Horum animaduersa multitudine non mediocriter perturbati Israelitæ, L. sese ad terram abijcere, & capitibus puluere cõspersis, Israelitarum Deum uno animo orare, ut sua utereť in suos clemẽtia, G. atꝗ interim sic inter sese dictitare: Hi quidem iam omnia cõplanabũt, neꝗ montes ardui, neꝗ ualles, neꝗ colles molẽ sustinebũt eorum. Itaꝗ sumptis armis L. angustos aditus montib. interiacentes insederunt, G. & accensis ignibus excubantes, tota illa nocte sese turribus continuerũt.

a L. uiginti. b G. uiginti duo.

B Altero die Olofernes omnẽ equitatũ suũ in conspectum Israelitarũ, qui erãt Betulię, eduxit: & dum aditus oppidi cõtemplãs L. circuit G. tubos reperit extra urbẽ patentes, per quos fons in oppidum à meridie influebat. Hos intercepit, militũꝗ prędidio muniuit, atꝗ ita ad suos se recepit. L. Sed erant non procul à muris fontes, unde furtim aquari, & se nõ tam alere quàm tolerare uidebantur oppidani. G. Tum omnes Esainorũ principes, omnesꝗ Moabitarum præfecti, & maritimi tractus duces, Olofernẽ adeunt, & eum alloquuntur in hanc sententiã: Audi, domine, orationem nostrã, ne quid tuæ copiæ detrimẽti capiãt. Hi quidẽ Israelitæ homines nõ hastis, sed montium, quos incolunt, proceritatibus confidunt. Neque enim ad montiũ, quibus muniti sunt, cacumina subire facile est. Quamobrẽ noli, domine, bellũ cum eis gerere prędiando, ne quis omnino tuorũ occumbat: sed te cum tuis omnibus copijs castris cõtinens, curato ut per tuos occupetur aquę fons, qui ex radice mõtis oritur: nam inde aquanť omnes Betuliẽses. Ita fiet ut siti confecti, dedant oppidũ, L. quod in monte positũ expugnari posse nõ putant. G. Nos uerò cũ nostris in propinqua montiũ fastigia subibimus, & ibi castris munitis, prohibebimus ne quis prorsus exeat ex oppido. Ita fame contabescent & ipsi et eorum mulieres atꝗ liberi: ac priusquã ferro inuadanť, per patriæ suæ uicos interibunt: atꝗ ita eos malo mulctabis, qui rebellauerint, neꝗ tuo imperio placidè paruerint. Hãc illorũ orationẽ Olofernes cũ suis omnibus approbãs, statuit sic esse faciẽdũ ut dixerãt: & ad singulos fõtes, qui per circuitũ erãt, homines centũ cõstituit. Tum Ammonitę cũ quinꝗ millibus Assyriorũ castra sua in uallẽ trãstulerũt, aquasꝗ & fõtes Israelitarũ occupauerũt. Esaini aũt & a Moabitę in mõtem subierũt, & ibi cõtra Dothaim castra posuerunt, partemꝗ suorũ miserũt uersus austrum & subsolanum, e regione Rebelis, quod oppidum est sitũ apud Mochmur fluuiũ, prope Chusim. Reliquus Assyriorũ exercitus in campestribus habuit castra, tanta tabernaculorum & impedimentorum multitudine, ut totius terrę solum operirent. Tum animis deficientes Israelitæ, Dominum Deum suum inuocabant. Nam undiꝗ ab hostibus obsessi, è medio effugere non poterant. Cumꝗ omnis Assyriorum multitudo peditum, quadrigariorum, equitumꝗ eos triginta quatuor dies obsedisset, languebãt omnes Betulienses: exhaustisꝗ omnibus uasis aquarijs & cisternis, cum aquam in diem unum ad satietatem non habentes, eam bibendam admetirentur, deficiebant eorum paruuli, mulieresꝗ & iuuenes siti exanimati, passim per oppidi uicos & aditus portarũ cadebant. Itaꝗ cum amplius durare non possent, coiuit omne uulgus, iuuenes, fœminæ, pueri, ad Oziam pontificem & primores ciuitatis, & magna uoce, cuncto præsente senatu, conquerebantur in hanc sententiam: Deum uindicem contestamur, uos nobis magnam fecisse iniuriam, qui nõ pacem feceritis cum Assyrijs, quibus nos Deus uindice carentes emancipauit, ut ob oculos eorum siti & uasta clade sternamur. Quamobrem uocate illos, & oppidum totum Olofernianis omnibus militibus diripiendum dedite. Præstat enim nos eis esse prædæ, L. & Dominum in captiuitate uiuentes concelebrare, aut etiam ferro statim trucidari, G. quàm siti perire, & L. omnium mortaliũ probris expositos, G. uidere ob oculos nostros paruulorum nostrorum interitum, uxoresꝗ & liberos nostros exanimari. Cœlum nobis obtestamur, terramꝗ D

Olofer… monet… Betu… ses a… ne proh… beat.

C

Betulienses dilationem fieri uol…

& Deum

& Deum nostrum, maiorumq; nostrorũ Dominum,qui nos tum ob nostra,tum ob maiorũ nostrorũ peccata ulcisciť, ne sic hodie faciat. Tum ingens est in medio cœtu exortus ploratus,omnibus uno animo magna uoce Dominũ Deum L. huiusmodi uerbis per multas horas G.implorantibus. L. Peccauimus & nos & maiores nostri, scelerate & impie fecimus. Sed tu, qui clemens es, aut miserere nostri, aut tuis ipsius flagris pœnas sume de nostris criminib. neue eos qui te agnoscũt, dederis ignaræ tui nationi,ne apud gentes ita dicatur, Vbi est Deus eorum? His querimonijs & fletibus defessi, postquã siluerunt, surrexit Ozias perfusus lachrymis, &: G.Bono este animo fratres,inquit, & dies adhuc quinq; duremus, quib. Dominus Deus noster suam in nos misericordiã conuertat. L. Forsitan enim iram suam sedabit, & gloriæ sui nominis rationẽ habebit.G.Nõ enim nos deseret in perpetuum. Quòd si præteritis quinq; diebus, auxilium nõ uenerit, faciã quod postulatis. Ita dimissi milites, in castra murosq;, & oppidi turres, diuersi abierunt: mulieres autem & paruuli domũ dimissi sunt, fuitq; magna in oppido miseria.

Ozias promittit post quinq; dies deditionẽ.

CAPVT VIII.

Iuditha.

ERat ea tempestate Iuditha, ex Israele genus ducens, deinceps per patrem suũ Merarim, Oxum,Iosephũ,Ozielem,Helciã,Ananiã,Gedeonem,Raphainẽ,a Acithonẽ, Eliam,Eliabũ, Nathanielẽ,Samaelẽ, & Salasadaim:cuius Iudithæ uir Manasses,eius tribulis atq; gẽtilis, mortuus erat tẽpore messis hordeorũ. Nam cum in agro apud eos qui manipulos ligabant, adesset, æstu in capite tentatus decubuit, & in oppido Betulia uita defunctus est, & sepultus apud maiores suos in agro, inter Dothaim & Balamonẽ posito. Iamq; Iuditha domi suæ tres annos & quatuor menses uidua degerat, sibiq; tugurium fecerat, in summa parte ædiũ, L.in quo cum suis clausa puellis manebat, G.latera centone succincta habens, & uiduitatis uestita indumentis: ac quandiu uidua fuit, quotidie ieiunabat, præter quàm pridie Sabbathorũ et Sabbathis,et pridie nouiluniorũ, festisq;, & generis Israelitici hilaribus. Erat autem eleganti forma, & singulari pulchritudine.eiq; reliquerat Manasses uir eius aurum, argentum, seruos, famulas, pecora,atq; agros:quæ tanta cũ religione tenebat, ut facile famam suam ab omni cuiusquã criminatione tueretur. Hæc Iuditha posteaquam tam infaustos populi aquæ penuria languentis sermones ad principem habitos intellexit, itemq; Oziæ responsum qui eis iurauisset,oppidũ se post quinque dies Assyrijs esse deditur ũ, misit ancillam, B quam suis omnibus præpositam fortunis habebat, quæ Oziam, Chabrim, & Charmim, ciuitatis primores, accerseret: eosq;, ubi ad eam uenerunt,sic est allocuta. Audite, Betuliensium principes,quàm nõ rectum sit quod hodie populo dixistis, qui interposito inter uos & Deum iureiurando promiseritis, uos oppidũ hostibus nostris post quinq; dies esse dedituros,nisi interea Dominus in uestrum auxilium sese conuerterit. Enimuero qui nam estis uos, qui hodierno die Deum tentaueritis, & Dei partes apud homines occupaueritis? L. Nõ est istud misericordiam impetrare, sed potius iram excitare, & sæuitiam accendere. Vos scilicet Domino tempus miserationis præscribetis, & diem arbitrio uestro constituetis? G. Iam uerò omnipotentem Dominũ examinantes scilicet unquam cognoscetis? qui ne hominis quidem sensus intimos inuenire, & mentis rationes percipere possitis: nedum horũ omniũ autorẽ Deum peruestigare, eiusq; mentem pernoscere,& consiliũ cogitare. Nihil minus,fratres: nolite Dominũ Deum nostrũ irritare: qui si nolit intra quinq; dies subuenire nobis, at potest intra quot uolet: potest nos quolibet die uel tutari, uel hostibus perdendos addicere. At uos nolite Domini Dei nostri uadari consilia: neq; enim is est Deus,ut aut minis hominũ more, terrendus, aut arbitrio cuiusquam sit coercẽdus. Quamobrẽ salutẽ ab eo expectantes, imploremus eius auxiliũ, L. & nos ei summittentes, eumq; modestis animis colentes, oremus cum fletu, ut pro suo erga nos studio nobis misericordiam quamprimum tribuat, ut sicut illorũ superbia sumus animis consternati, sic rursum de nostra gloriemur modestia: G. & exaudiet uocẽ nostrã, si ei uisum fuerit. Etenim nulla hodie in nostro genere neq; tribus extat, neq; cognatio, neq; populus, neq; ciuitas, quæ deos fabriles colat: quæ res superiorib. temporibus in causa fuit, ut patres nostri ferro & direptionibus expositi, & ingenti clade ab hostibus nostris L. turpiter G. affecti, perierint. At nos alium Deum nõ nouimus: unde sperandũ nobis est, fore ut ille nos nostrumq; genus nõ despiciat. L. expectemus C summisse eius solatiũ, & ille nostri sanguinis, & iniuriarum quas ab hostibus pertulimus, pœnas expetet, omnesq; nobis infestas gentes perdomabit, & honore priuabit. G. Quòd si nos capimur, capietur porrò Iudæa, nostrumq; sanctuariũ diripietur: cuius pollutionem, & cõsanguineorum nostrorũ metum, & nationis captiuitatem, & nostrarũ possessionũ uastitatem Deus nobis accepta feret, & à nobis pœnas reposcet, ubicunq; gentium sumus seruituri, ut apud heros nostros indignitates omnes & contumelias perferamus. Neque enim nostra seruitus nobis Domini Dei nostri gratiam, sed eo ipso autore, hominũ afferet infamiam. Quamobrem fratres, L. qui diuini populi senatores estis, G. à quibus aliorum animi pendent, quibus sacrarium, quibus fanum, quibus ara nititur, L. erigite eorum animos oratione uestra, G. & ostendite L. curandum esse, G. ut in primis Domino Deo nostro gratias agamus, qui nos tentat, ut etiam maiores nostros, L. ut appareret an uerè Deum colerent. G. Recordamini quo pacto cum Abrahamo L. parente nostro G. egerit, L. qui multis rebus aduersis probatus, Dei amicus effectus est. G. Item ut Isaacum tentauerit: & quid Iacobo acciderit in Mesopotamia Syriæ, Labanis sui ex matre

a L.Achitobum, Melchiã, Enanẽ, Nathaniam, Salathielem, Simeonẽ, & Rubenem.

Iuditha primores obiurgat.

auunculi oues pascenti: L. & item Mosi et omnibus Deo acceptis, quàm multis ærūnis fideles perfuncti sint. cum contrà qui res aduersas religiose nō tulerunt, sed impatientiā suā, & murmurationis turpitudinē cōtra Dominū ostenderūt, ij uel ab exterminatore illo deleti, uel à serpentib. perditi sint. Quare ne nobis pœnam accersamus in his quæ patimur, sed existimātes hæc supplicia esse Domini, uerberationē peccatis nostris minore, credamus ea nobis ad nostri correctionē, nō ad perniciē euenire. G. Vt enim illos explorādi eorū animi gratia quasi igne probauit: ita nos D nō punit ille quidem, sed sibi coniunctos Dominus, correctionis gratia uerberat. Ad hæc Ozias: Sincero tu quidē animo omnia, inquit, dixisti, et quibus nemo cōtradicat: neque nunc primùm innotescit tua sapientia, sed tuam iam ab ineunte ætate prudētiam, & cogitatorum bonitatem norunt omnes. Sed nos plebs urgente siti promittere, & nos iureiurādo obstringere coegit, quod iusiurandum nō sumus uiolaturi. Quocirca tu, quæ pia mulier es, supplica Domino pro nobis, ut pluuiā demittat ad nostros lacus implēdos, ne iā siti deficiamus. Et Iuditha: L. Vt igitur, inquit, quod dixi, id à Deo esse sentitis: ita id etiā quod facere decreui, an à Deo proficiscatur, periculū facite, Deūque orate ut meum consiliū cōfirmet. G. Sum enim facinus editura, quod omnis posteritatis nostræ memoria concelebret. Vos hac nocte ad portā eritis: ego cum ancilla mea exibo, atque intra dies, post quos oppidi deditionē promisistis, subueniet per me Deus Israelitis. Sed uos in meum propositū ne inquirite: neque enim uobis, quid agam, nisi re perfecta, indicabo. L: tantumque ad Dominū Deum nostrū pro me fiant usque ad reditū meum supplicationes. G. Cui Ozias & reliqui principes: I feliciter, Domino tibi ad nostrorū hostiū ultionē præeunte. His dictis à tugurio digressi, ad sua munia discesserūt.

CAPVT IX.

Iuditha Deum precatur ut per ipsam domet Assyrios.
Gen. 24.b & 34.d

AT Iuditha L. digressis illis, ingressa conclaue suum, & in faciem prolapsa, puluere conspersa caput, nudata centone quo uestita erat, qua hora Hierosolymis in Domini templo suffitus illo uespere fiebat, in hunc modū clara uoce clamans locuta est: Domine Deus parentis mei Simeonis, cui gladiū in ultionem alienigenarum tradidisti, qui uirginis uterum stupro soluerant, femur turpiter nudauerāt, aluū fœdè polluerāt, idque te uetāte fecerant: quam ob causam tu eorū principes cædi sic exposuisti, ut eorum cubile falsum sanguine fuerit inspersum, & seruos cum principibus, et principes in ipsorū sedibus trucidasti, & eorum mulieres direptioni, puellas captiuitati, & omnia spolia dilectis tibi filijs diuidenda addixisti, qui quidem tui studio impulsi, sanguinisque sui stuprationē detestati, te in auxiliū uocassent: ô mi, mi Deus, exaudi me uiB duam. Nam tu & illis superiora, & illa, & quæ cōsequuta sunt, & quæ nunc sunt, fecisti, & futura cogitasti, adsuntque quæ tu decreuisti, & sese prestò exhibent. Omnes enim tuæ rationes sunt expeditæ, & instituta cū prouidentia sunt cōiuncta. L. Aspice nūc Assyriorū castra, ut Aegyptiorū aspicere dignatus es, tū cū quadrigarijs equitatu, et bellatorū freti multitudine, tuos armati cursu persequebantur, cū quidē te eorū castra intuito, tenebris fatigati sunt, & impeditis profundo pedibus, aqua summersi. Idē & his, Domine, contingat G. Assyrijs, qui copijs numerosi, equis & equitib. elati, peditū manu insolētes, clypeis, gesis, arcubus, & fundis cōfidunt, ignorantes te, L. C iam olim G. Dominū esse bellorū confectorem, qui Dominus nomineris. L. Erige, sicut olim, tuū brachiū: G. rūpe tua potentia uires eorū, & robur iratus frange. Statuerūt enim tuū profanare sacrariū, tui nominis gloriosi requietis domiciliū polluere, et aræ cornu ferro demoliri. Aspice eorum superbiā, laxa in eorū capita irā tuā, da meæ manui uires quas uidua animo concepi: trucida per mea fallacia labra et subditos super principē, & principē super subditos, eorūque fastum muliebri manu frangito. L. Effice ut suo ipsius gladio iuguletur illius superbia, utque oculorū suorū quasi laqueo in me capiatur. Da mihi tantā animi & constantiam ut eum contemnā, & uirtutem ut euertam. Hoc enim ad tui nominis memoriā pertinebit, si illū fœminea manus deiecerit. G. Neque e- D nim in multitudine sitæ sunt uires tuæ, aut potentia in ualentibus: L. neque equorū uiribus delectaris, neque tibi unquā placuerunt superbi: G. sed es humiliū Dominus, inferiorum adiutor, præsidium infirmorum, deploratorū defensor, seruator desperatorū: ô mei parentis, ô Israelitici patrimonij Deus, cœli terræque Domine, aquarum cōditor, rex totius à te creatæ rerū naturæ, exaudi meas preces, L. quæ misericordia tua freta sum, & tu memor esto fœderis: G. et effice ut oratione mea decepti, cladē & detrimentū accipiant, qui contra fœdus tuū, cōtra tuā consecratā ædē, contra Sionis uerticē, cōtra domū à tuis occupatā filijs, dira cepere cōsilia. L. Cōfirma animi mei cōsiliū, ut templū tuū in ea, quā à te habet, sanctitate maneat, G. & omni tuæ genti & nationi specimē da, te omnis esse potestatis imperijque Deū, præter quē nō sit alius defensor gentis Israelitarum.

CAPVT X.

Iuditha ad Olofernem descensura, sese comit.

POstquā finitis his omnibus uerbis, Israelitarū Deū inuocādi finem fecit, surgit ex eò in quo L. ante Dominū G. iacuerat loco, & uocata ancilla, descēdit in domū, in qua Sabbathis & festis diebus uersabatur: detractoque, quo amicta erat, centone, & exutis uiduitatis uestimētis, corpus aqua perlutū, unguento pingui ungit, & discriminato capillo, fasciā capiti suo imponit, uestitū lætitiæ induit, quo ornari uiuente Manasse suo uiro solebat: soleas pedib. accōmodat, armillas, brachialia, anulos, inaures, denique omnē mūdum suum adhibet: & se ad decipiendos hominum, qui eam uidissent, oculos elegātissimè cōponit, L. augente insuper uenustatē Domino, quòd omnis is ornatus nō à libidine, sed à uirtute proficiscebatur. G. Deinde uini utrem, et olei obbā ancillæ tradit, & peram farina, palathis, panib. mūdis, L. B

dis, L. & caseis G. replet: atq; ita consarcinato omni suo instrumento, & ancillæ imposito, exeũt ad oppidi Betuliç portã. ubi astantes inueniunt Oziam & oppidi senatores, Chabrim atq; Charmim: qui ubi eam alia facie, mutatoq; uestitu uiderunt, eius pulchritudinẽ supra modũ admirati dixerũt: Deus, Deus noster patrius tantũ tibi gratię tribuat, ut conata tua ad Israelitarũ gloriã, & Hierosolymę ornamentũ perficiant, L. tuũq; nomen inter sanctos & iustos numeret. Tũ omnes qui aderant, una uoce, Vtinã etiam atq; etiam dixerunt, Deumq; adorarũt. G. Et illa: Iubete mihi portam oppidi, inquit, aperiri, ut egrediar, ad ea peragenda, de quibus mecum egistis. Tum il-illi iuuenib. imperarunt, ut ei aperirent, quemadmodum ea postulauerat. quo facto exijt Iuditha unà cum ancilla, spectantib. eam oppidanis: donec descenso monte L. circa lucis ortum G. ingressam in uallẽ è cõspectu amiserunt. Igit illę rectè per uallem tendentes inciderũt in Assyrios, qui erant in prima statione: à quibus interrogata Iuditha, cuias esset, unde ueniret, & quò tẽderet: respondit in hũc modũ: Ego natu Hebrea sum, & ab Hebręis ꝓpterea transfugio, ꝙ eos scio uobis esse prædæ futuros, L. qui cõtemptis uobis ultro se dedere noluerint, ut ueniam à uobis impetrarent. G. Confero aũt me ad Olofernem copiarum uestrarum Imperatorem, ut ei uera nunciem, L. et illorum arcana aperiã, G. uiamq; apertè demonstrem, qua omnib. mõtanis sine suorum cuiusq; detrimento aut cæde potiaĩ. His eius uerbis auditis, homines eius faciem contemplati, & pulchritudinem uehementer admirati, sic dicere: Bene tuæ uitæ consuluisti, quæ ad Dominũ nostrum descendere maturaueris. Accede sanè ad eius tabernaculum deducentib. nostrũ aliquot, donec te ei tradiderint: in cuius ubi conspectum ueneris, nolito animo formidare, quo minus ei ista exponas, & tibi benefaciet, L. erisq; eius animo gratissima. G. Tum delectos ex se centum homines ei & eius ancillæ attribuunt, à quibus illa ad Olofernis tabernaculũ perducitur. Eius aduentus ubi per contubernia percrebuit, factus est per tota castra concursus: eamq; extra Olofernis tabernaculum stantem, dum illi de ea nuncius ferretur, circumsistebant, & nõ solum eius pulchritudinem, sed etiam Israelitas ꝓpter eam admirantes, sic inter sese dictitabãt: Quis L. Hebręos G. cõtemnat, qui cum tales habeant mulieres, L. pro quib. meritò cum illis pugnemus, G. non expedit illorum quenquam relinqui, qui dimissi possint totum orbem decipere. Igit egressi qui apud Olofernem dormiebant, eiusq; stipatores omnes, eam in tabernaculũ introduxerunt. Quiescebat aũt Olofernes in lecto suo, intra fasciam cubiculare, qui lectus erat purpura, auro, smaragdo, & gemmis intextus. Is ubi de ea nuncium accepit, prodijt in tabernaculi uestibulum, pręcedentib. argenteis lãpadibus. Iuditha postquam in eius & stipatorum conspectum uenit, omnibus eius formę uenustatem admirantibus, in faciem prolapsa, illi honorem præbuit.

Iuditha incidit in excubitores. C

D *Iuditha ad Olofernem perducitur.*

CAPVT XI.

AT Olofernes aspectu primo captus oculis, eam à suis alleuatam, sic alloquiĩ: Bonò es animo, mulier, depone animi metũ. Nam egò nemini noceo, qui totius orbis regi Nabuchodònosori seruire uelit. Quòd nisi me tui populares mõtani cõtempsissent, nunquã equidẽ meam hastam in eos uibrassem. Sed horũ ipsi sibi causa sunt. Verùm dic mihi, qua de causa ab eis ad nos transfugeris. Nam ad salutem uenisti: sume animum, uiues & in hanc noctem & in posterũ, nec tibi quisquã faciet iniuriam: contraq;, tecũ bene agetur, quomodo cum Nabuchodonosoris domini mei subditis fieri solet. Ad hęc Iuditha: Attende quæ ego tua dicam, liceatq; mihi apud te loqui. Nihil aũt falsum tibi, domine, hac nocte enunciabo: sed ea dicã, quę si secutus fueris, rem tibi perfectam tradet Deus, neq; tuus te conatus frustrabiĩ. Nam ita uiuat rex totius orbis Nabuchodonosor, & eiusdẽ potestas, qui te ad omnes mortales corrigendos misit, ut per te non solum homines illi seruient, uerumetiã feræ, pecora, uolucres sub Nabuchodonosoris, eiusq; totius posteritatis imperio tua uirtute uiuent. Nam tuæ sapientiæ & acuminis ingenij fama apud nos percrebuit, totoq; orbe peruulgatũ est, te unũ esse in toto regno optimũ, prudentia præstantissimũ, et in re militari admirabilissimũ. Iam uerò Achior quæ in tuo cõsilio dixerit, L. & quid tu eum pati iusseris, G. intelleximus. Nam cõprehensus à Betuliensibus, exposuit eis quæ apud te elocutus esset omnia: cuius tu caue, domine, ne orationem negligas, sed eam memoriæ tradas: est ẽm uera. Neq; enim lædi, aut armis superari natio nostra potest, nisi Deũ suum offenderit. L. Sed constat, Deum nostrũ sic esse peccatis offensum, ut populo per uates suos nunciauerit, se cum esse ꝓpter ipsius peccata dediturũ. Et quoniã sciunt Israelitæ, Deum suũ sibi esse infensum, tui metu correpti sunt. G. Ac ne tuus labor irritus & inanis fiat, sed illos mors occupet, scelus quoddã nefarium cõceperunt, quo cõmittendo Deũ suũ irritabũt. Cum ẽm cõmeatu deficianĩ, & summa aquæ penuria laborent, statuerũt peccora inuadere, L. eorumq; sanguinẽ bibere, G. & quæ gustare Deus in legibus suis uetuit, his omnib. uesci decreuerunt, frumẽtiq; primitias, et uini oleiq; decumas (quæ seruabant dicata sacerdotibus, qui Hierosolymæ Deo nostro ministrant) consumere habent in animo, quæ nec manib. tangere cuiquam plebeio fas est. Iamq; miserunt Hierosolymam (nam & Hierosolymitani eadẽ fecerũt) qui sibi potestatem à senatu afferant. qua potestate ad eos relata, facturi sunt, & tum demũ in tuam potestatem uenturi. Hęc ego omnia cum cognoscerem, ab eis aufugi, missa à Deo L. illis irato: G. ad eiusmodi erga te facinus edendum, ut id quicunque mortalium audiuerint, obstupescant. Sum enim religiosa, cœlestemq; Deum noctes diesq; colo. Interea apud te commorans, domine, noctu in uallem ititabo, Deumq; precabor, qui ubi me certiorem de eorum perfectis scelerib. fecerit, id

Iuditha Olofernis uictoriã promittit.

B

C

D

tibi ueniã relatũ. Tũ tu eos cũ tuis omnibus copijs, nullo eorũ repugnante inuades. Ego te per mediã Iudæã in Hierosolymæ cõspectum perducã, tuũq; currũ in media urbe sistã, ut eos tanquam pastore destitutas oues agas, nullo cõtra te uel mussante. Hæc ego mihi præsignificata atq; prænũciata, ut tibi significarẽ, missa sum. Hac eius oratione delectati tum Olofernes, tũ eius stipatores, eiusq; sapiẽtiã admirati, negare usq; terrarũ mulierẽ esse cum ea uel formæ elegãtia, uel orationis prudentia cõparandã. Atq; hic Olofernes: Rectè, inq̃t, fecit Deus, qui te populo præmiserit, ut & nobis uictoria, & domini mei cõtemptorib. pernicies cõtingat. Quòd si tu, q̃ es & facie honesta, & uerbis eloquẽs, tã prẽstabis q̃ dixisti, ego eũdẽ tecũ Deũ habebo: tuq; domi Nabuchodonosoris deges, & toto orbe celebraberis.

CAPVT XII.

DEinde eã iussit in cellã suę argenteę supellectilis introduci, & ei ex suo penu atq; uino ministrari imperauit. Sed Iuditha: Istis, inquit, nõ uescar, ne id mihi noceat: sed ex eis, quæ mecũ allata sunt, mihi ministrabit̃. Et Olofernes: Quid si ista defecerint? inquit: unde tibi talia subministrabimus? cũ tui generis cibaria nõ habeamus. Cui Iuditha: Sic tu uiuas, inquit, domine, ut ego nõ antè cõsumpsero quę mecũ habeo, quàm Dominus per me perfecerit quę decreuit.

B Ita eã Olofernis famuli in tabernaculũ introduxerũt: ubi postquã ad mediã noctẽ dormiuit, de matutina uigilia surrexit, & Oloferni significatũ misit ut iuberet sibi permitti ad preces egredi. Atq; Olofernes stipatorib. imperauit, ne eã phiberet. Mansit aũt in castris dies tres, atq; interea noctu ititabat in uallẽ Betulię, seq; aqua in fonte castrorũ lauabat. inde ubi ascẽderat, Dñm orabat, Israelitarũ Deũ, ut se in uiã recreãdi populares suos dirigeret. Deinde ingressa tabernaculũ, pura manebat, donec sub uesperã cibum caperet. Quarto

C die conuiuiũ habuit Olofernes suis tantum famulis, neq; eò quenq; inuitauit eorũ qui negotijs prę erãt, & Bagoę spadoni suorũ omniũ pręfecto sic mãdauit: I persuasum mulieri isti Hebręę quę est apud te, ut ad nos conuiuatũ ueniat. Nã nostrę quidẽ psonæ turpe fuerit, si eiusmodi mulierẽ sine cõgressu dimiserimus. Nisi eñ eam pellexerimus, deridebit nos. Tũ Bagoas ab Oloferne digressus, ad eã ingredit̃, eãq; sic alloquit̃: Ne te pigeat tam pulchram puellam, dominum meum adire, & tanto apud eum honore affici, ut uinum nobiscum ad hilaritatem bibas, & hodie eadem cõditione sis, qua mulieres Assyriæ, quę

Olofernes Iuditham ad conuiuium uocat.

D domi Nabuchodonosoris adsunt. Cui Iuditha: Non ego ea sum, ut domino meo contradicam: quin quicquid ei placuerit, libenter faciam: inq; eò, donec moriar, gloriabor. Hæc locuta surgit: seq; uestitu & omni mundo muliebri exornat. Deinde processit eius ancilla, et ei eregionẽ Olofernis strauit pelles humi, quas à Bagoa in eius quotidianum usum acceperat, super quibus accumbens illa cibum caperet. Tum Iuditha uenit et accubuit: in qua Olofernes adeò mẽte captus, & animo perculsus est, ut cum ea congredi arderet. Cumq; eius solicitandæ tempus ex quo die eam primã uiderat, aucuparetur, sic eam allocutus est: Bibe sanè, & uoluptati nobiscũ indulge, L nam mihi places, G. Cui Iuditha: Bibam uerò, domine: nã hic mihi dies in omni uita mea multo clarissimus illuxit. Hoc dicto, cœpit corã eo comesse & bibere quæ eius ancilla parauerat. Atq; ea delectatus Olofernes, tantũ uini hausit, quantũ nunq; per omnem uitã uno die biberat.

CAPVT XIII.

VEsperè eius famulis maturè digressis, Bagoas eius tabernaculũ conclusit extrinsecus: dimissiq; à domino ij sunt, qui adfuerant, & in sua cubilia dilapsi, q̃ essent omnes prolixiore defessi compotatione. Ita sola in tabernacula relicta Iuditha, cum Olofernes uino perfusus in lecto suo iaceret, iussit ancillæ suæ, ut extra cubiculum suũ astans, exitũ suum obseruaret, sicuti quotidie consuesset: sese enim ad suas esse preces egressuram, atq; eadem Bagoę dixit. Igit̃ digressis ab ea omnibus, neq; ullo prorsus restante in cubiculo, astans illius lecto Iuditha, sic cum animo suo loquit̃: Domine, omnium rerum præpotens Deus, respice hac hora opera manuum mearum, ad Hierosolymæ ornamentum, L. quemadmodum promisisti. G. Nũc enim tempus est subueniendi tuæ possessioni, & conata mea, L. quæ per te fieri posse credidi, G. perficiendi in hostiũ perniciem, qui in nos consurrexerunt. Hæc locuta accedit ad lecti columellam, quæ erat ad caput Olofernis: & detracto inde acinace, ad lectum accedit: comprehensaq; illius cæsarie, sic loquit̃: Confirma me Domine, Deus Israelitarum, hodierno die. simulq; illius collum bis summa ui ferit, & eius amputato capite, corpus à stragula ueste deuoluit: & ablato ex columellis uelo, paulo pòst egreditur, & ancillæ suę caput Olofernis tradit: eoq; in escariã peram indito, exeũt ambę, ut erant solitę, ad precãdum: & castra prætergressæ, uallem illã circumeunt: conscensoq; Betuliæ mõte, ad portas ueniũt. Et Iuditha custodes portarum procul alloquẽs: Aperite, aperite sane portam, inquit: Deus, Deus noster nobis adest, uires adhuc Hierosolymis & uictoriã largiturus, ut et hodie fecit. Hac eius uoce audita, oppidani cõfestim ad portam descendunt: & conuocatis senatoribus, parui iuxtà ac magni cõcurrunt: quandoquidẽ eis eius erat reditus incredibilis. & aperta porta eas accipiũt, & facto ad lucendũ igne circumsistunt. Tum illa L. in editũ locum ascendit, factoq; silentio, G. clara uoce sic eos alloquit̃: Laudate Deum, laudate Deum, qui misericordiam suam Israelis posteritati non denegauerit, L. neq; sibi confidentes deseruerit, G. sed hostes nostros hac nocte mea manu fregerit. Tum caput ex pera prolatũ ostendẽs: Ecce caput, inquit, Olofernis Assyriarũ copiarũ imperatoris: ecce fasciã, in qua iacebat ebrius: quẽ Dominus muliebri manu trucidauit: qui Dominus immortalis C
me in hoc meo itinere ita cõseruauit, ut ille mea facie in suã perniciẽ deceptus, nullo meũ pudorẽ flagitio

flagitio coinquinarit, L. quiçꝫ me uobis & sua uictoria, & effugio meo, & liberatione uestra lætã reduxerit. Eum omnes celebrate, qui bonus sit, & clementia preditus eterna. G. Hic omnes uehementer attoniti, Deũ suppliciter uenerati sunt, atqꝫ ita uno animo dixerunt: Tibi gratias, Deus noster, agimus: qui hodierno die tuorũ hostes ad nihilũ redegeris. Et Ozias: Tu es, inquit, ô nata, omniũ totius orbis fœminarum Deo acceptissima: et gratias ago Domino Deo, cœli terrarũqꝫ creatori, qui te ad truncandũ principis hostiũ nostrorũ caput impulerit, G. L. quo facto tantã tibi hodierno die nominis gloriã cõparauit, ut tuæ uirtutis laus tamdiu in hominũ mentib. hæsura, & linguis celebranda sit, quamdiu immortalis Dei potentiæ memores erunt. G. pro qua re Deũ precor, ut te ad æternũ decus bonis afficiat, quæ quidem in nostri generis calamitate, uitæ tuæ nõ peperceris, sed tuum Deo nostro probans institutum, nostrã subieris ruinã. Atqꝫ idem reliqui sese etiam atqꝫ etiam precari dixerunt.

... Iudi... laudat.

CAPVT XIIII.

Iuditha præcipit, quo pacto pro... sint Assyrij.

TVm Iuditha: Audite me fratres, inquit: Hoc caput sumite, & in pinnis murorũ nostrorũ suspendite. Deinde ubi diluxerit, orto in terra sole, arma omnes sumetis, & erumpetis, quicunqꝫ milites estis, ex oppido, statuto duce, tanquã in campũ ad Assyriorũ primas stationes descensuri, neqꝫ tamen descendetis. Tum illi sumptis armis sua castra petent, & Assyrij exercitus duces excitabũt: qui ad Olofernis tabernaculũ currẽt: L. quẽ ubi truncũ in suo sanguine uolutatũ inuenerint, G. timore correpti fugiẽt uos. Tum uos

B

& omnes mõtani Israelitæ eos insequuti, passim sternitote per uias, L. nam Dominus eos sub uestris pedib. cõculcabit. G. Sed antequã hæc fiant, uocate mihi Achiorẽ Ammonitã, ut uideat et agnoscat stirpis Israeliticæ contemptorẽ, à quo ad nos tanquã ad interitũ missus est. Tum accersitus est Achior ex ædibus Oziæ: qui postquã uenit, & caput Olofernis in manu cuiusdã uiri in cõuentu animaduertit, animo defectus in faciem cecidit. Deinde ubi recreatus est, Iudithæ ad pedes accidit, & eius faciẽ ueneratus: O' te, inquit, nõ solum in omnib. Iudæ tabernaculis, sed etiã apud omnes gentes felicẽ, cuius audito nomine obstupescẽt. Sed age, narra mihi quid per hosce dies feceris. Tum Iuditha ei in medio cõuentu omnia exposuit, quæ fecerat, ex quo die profecta erat, ad id tempus quo cũ eis loquebat̃. L. Deus, inquit, Israelitarũ, cui tu testimoniũ dedisti ultorem esse hostiũ suorum, caput omniũ infidentiũ hac nocte mea manu truncauit. Quod ut ita esse credas, ecce caput Olofernis, qui superbiæ insolentia Deum Israelitarum despicabat̃, et tibi interitum minabat̃, dicens se uictis Israelitis iussurum esse, ut tibi latera gladio trãsuerberarent. G. Postquã ea dicendi finem fecit, exclamauit ingenti uoce populus, lætusqꝫ per oppidũ sermo dissipatus est. Tum Achior uisis tot Dei Israelitarum facinoribus, magnam Deo fidẽ habuit: & sui membri præputio circumciso, ascitus est in nomen Israeliticum, L. cum omni generis sui posteritate, G. in hunc usqꝫ diem. Postqꝫ diluxit, suspenditur de muro caput Olofernis, omnesqꝫ sumptis armis, facto agmine, in cliuum montis exeunt. Eos cõspicati Assyrij, suorum manipulorum duces certiores faciũt: qui porrò duces tribunos et omnes præfectos adeunt, atqꝫ ij ad Olofernis tabernaculũ uadũt, & eius summo dispensatori mandant ut dominũ expergefaciat: a nam seruos in prælium cõtra se ausos esse descendere, ut tandem pereãt. L. Igitur cõtubernales ueniũt, & ad ingressum cubiculi tumultuantes strepitũ edunt de industria, illius excitandi gratia, ut non ab excitantibus, sed à perstrepentibus expergefieret. Nemo enim Assyriæ maiestatis cubiculum pulsare, aut introeundi causa aperire audebat. G. Deinde introgressus Bagoas, tabernaculi atrium pulsat, suspicatus eum cum Iuditha dormire. L. Sed cum nullum iacentis motum aurib. perciperet, G. dimotis forib. ingressus cubiculũ, L. ꝓpius ad fasciã cubicularem accedit: qua subducta, G. L. inuenit in solo iacentem in suo cruore truncũ sine capite. G. Tum ingentẽ et uehementẽ cum fletu & gemitu clamorẽ edẽs, uestesqꝫ suas discerpens, tabernaculũ intrat, in quo Iuditha diuersabat̃: & ea non inuenta, in medium cœtum ꝓsilit, ita uociferans: Serui nos perdiderunt: una mulier Hebrea regis Nabuchodonosoris domũ dedecore affecit. nam ecce humi prostratum Olofernem, capite carentem. His uerbis auditis, ductores exercitus Assyrij tunicas suas dilacerare cœperunt, & uehementer animis perturbati, magnum per castra tumultũ & clamorem excitare.

a L. mures ex suis cauernis egressos.

C

D

Bagoas ꝓpè do mortuũ Olofernem inuenit.

CAPVT XV.

Assyrij ab Israelitis cesi.

HAc re audita, qui erant in tabernaculis tanto sunt animi terrore atque metu attoniti & perculsi, ut nemo iam alterius conspectum ferret, sed L. deiecto capite, relictis omnibus, G. dissipati passim, quà per campos, quà per montes, diuersi fugerent L. Hebræos, quos armatos instare audiebant: G. neqꝫ non qui in montibus circa Betuliam castra fecerant, in fugam uersi sunt. Tunc omnes Israelitæ milites in eos sese L. cum clangore tubarum atqꝫ ululatu G. effundere: L. & quoniam Assyrij nullo ordine in fugam ruebant præcipites, Israelitæ eos uno agmine persequentes, carpere quoscunqꝫ poterãt assequi. Tum Ozias in Bætomasthaim, Bebaim, Chobaim, & Colam, breuiter in omnes Israelitarũ fines dimisit, qui rem gestam nunciarent: iuberentqꝫ, ut omnes sese ad perdendos hostes effunderent. Hoc accepto nuncio Israelitæ uniuersi illos inuadunt, & ad Chobam usqꝫ trucidant. Itemqꝫ Hierosolymitani adfuerunt, omnesqꝫ montani (nam ijs quoqꝫ nunciatum erat, quid in hostium castris accidisset) neqꝫ non Galaaditæ & Galilæi magnã eis cladem intulerunt, usqꝫ ultra Damascum & eius fines. Cæteri Betulienses Assyriorum castra aggressi diripuerunt: magnasqꝫ diuitias inde consecuti sunt. Reliquis potiti sunt Israelitæ à cæde reuersi, nec non pagani & oppidani, tum montani, tum cãpestres G. L. omnes magnã omnis prædæ

B

C

nis prædæ uim (quæ immensa erat) copiã tenuerũt. G. Deinde Ioacimus põtifex, et Israelitarũ senatus Hierosolymitanus L. Betuliã G. uenerunt, tum ut beneficia, quibus Israelitæ fuerant diuinitùs affecti, cõfirmarent, tum ut Iudithã uiderent atq; salutarẽt. Qui postquã ad eam ingressi sunt, eam uno ore collaudarũt huiusmodi uerbis: Tu es Hierosolymæ excellentia, tu magna Israelitarum gloriatio, tu ingẽs generis nostri decus, quę hæc tanta manu ista feceris, & ea Israelitis beneficia contuleris, quibus beneficijs Deus faueret: L. quæ quidem animo ad tam egregiũ facinus patrandũ confirmata es, q castitatis amans, post uirum tuum ab alijs abstinueris. G. Dominũ tibi

Hierosolymitani Iudithã laudãt.

D omnipotentem propitiũ precamur in omnẽ temporis æternitatem. Atq; idem reliqui omnes se precari dixerunt. Direpta sunt aũt ab illis castra diebus triginta, & Olofernis tabernaculum, omniaq; argentea, lecti, pelues, L. gemmæ, G. deniq; omnis illius supellex Iudithæ data est: quã acceptã illa mulæ suæ imposuit, iunctisq; plaustris suis, in ea congessit. Tum omnes Israeliticę mulieres eius uidendę gratia cõcurrebãt, eamq; collaudabãt, & ei chorũ ex se faciebãt. Ipsa thyrsos manib. cępit, & eis etiam, quę aderãt, mulieribus distribuit: seq; & sociã olea coronauit, & omnem hominũ cœtum antecedens, cũctis mulierib. saltationẽ pręibat, sequentib. omnib. Israelitis armatis cũ coronis, L. musicis instrumẽtis, et citharis, G. et laudes ore canẽtib. Exorsa est aũt Iuditha carmen hoc inter omnes Israelitas omni cœtu huic accinente laudationi, atq; ita dixit:

CAPVT XVI.

Iudithæ carmen, in quo loquitur tota Israelitarum ciuitas, Deum laudãs, qui per Iuditham peremerit Olofernem.

ORdimini Dei mei laudes tympanis: cantate Dominum meum cymbalis: huic carmen modulamini, huius laudes extollite: huius inuocate nomen, qui Deus sit bellorũ profligator: qui me, positis in medio populo castris suis, ex infestorum meorum manu eripuerit. Venerat Assyrius ex mõtibus, ab aquilone uenerat, cum tot militũ millibus, ut eorũ multitudo fluuios intercluderet, et equitatus ualles operiret. Statuerat fines meos incendere, iuuenes ferro tollere, lactentes humi prosternere, infantes habere prædæ, rapere uirgines. Sed eum Dominus omni-

B potẽs fœminea manu refellit. Nõ enim deiectus est potens ille à iuuenibus, nõ eum Titanũ trucidauit soboles, nõ immanes inuaserũt gigantes, sed eum Iuditha Meraris nata faciei suæ pulchritudine subegit. Nam lugubrẽ uestitũ exuit, L. lætitiæ indumenta adhibuit, G. ad leuandos Israelitarũ labores: faciẽ suã unguento perunxit: crines fascia redimiuit, lineã pallã induit, ad illũ decipiendũ: eiq; et oculũ suis eripuit soleis, et animũ pulchritudine abstulit, & ceruicẽ transadegit acinace. Horruere Persę eius audaciã, Medi eius fidentia perturbati sunt. Tum mei afflicti, L. siti torridi, G. ulularũt, infirmi mei exclamarũt: quorum clamore pauefacti illi, in fugã uersi sunt. Eos puellarum confodêre nati, uulneratos quasi fugitiuos seruos: periere Domini Dei mei acie, cuius Domini laudes ego cantu cõcelebrabo. O Domine, tu magnus es & gloriosus, uirtute admirandus, & insuperabilis. C Tibi seruiat omne tuũ opus, quod te iubente factũ, & misso à te spiritu tuo constructũ est, nec est quicquã quod tuo dicto resistat: quin ipsi à fundamentis montes cum aquis concutiunt, in tuo conspectu rupes liquescunt tanq; cera. At tui reuerentib. facilẽ te prębes. Nam parui est quoduis sacrificiũ ad te odore delectandũ, minimũ est omnis adeps ad tibi adolendũ: sed qui Dominum reuereť, is semper magnus est. Vę gentib. meũ genus infestãtibus, quos Dominus omnipotens ulciscet in die iudicij, ignem et uermes earũ corporib. admouendo, quorũ sensu plorent in sempiternũ. Postquã autem Hierosolymã ingressi sunt, Deũ adorarunt, & [a] lustrato exercitu, solida sacrificia, & uoluntaria, donariaq; libarunt: & Iuditha omnẽ Olofernis supellectilem sibi à militibus datã, uelamenq; q̃d ipsa ex eius cubiculo abstulerat, Domino dicata posuit: fuitq; populus Hierosolymis, L. huius uictoriæ G. lætitiã in conspectu sanctuarij celebrans per tres mẽses, Iuditha cum eis manente. D Post id spaciũ discesserũt in suã quisq; patriã: & Iuditha Betuliã reuersa, mansit in suis facultatibus: fuitq; sui temporis toto orbe celeberrima. multisq; eam cupientibus, nullus tamen eius notitiã habuit per omnẽ eius uitã, ex quo mortuus est uir eius Manasses, et ad suos populares aggregatus. Fiebat aũt indies clarior, et in domo uiri sui consenuit ad annos quinq; supra centum, ancillãq; suã manumisit. Mortua est Betuliæ, & in Manassis uiri sui tumulo sepulta, atq; ab Israelitarum genere dies septem deplorata. Diuisit autem bona sua ante suũ interitum propinquis, tum Manassis uiri sui, tum sui generis. Neq; deinceps extitit, qui lacesseret Israelitas uiuente Iuditha, neq; diu post eius interitũ. L. Atq; huius quidẽ uictoriæ dies solennis ab Hebræis in numero sacrorum dierum habetur, & à Iudæis ex eo tempore ad hanc diem colitur.

[a] scilicet propter eadem.

Iuditha manubias Deo dicat.

ESTERA.

CAPVT I.



[a] ASSVERVS, qui ab India ad Aethiopiam usque centũ uigintiseptem prouincias imperio tenuit, posteaquã regni solium Susis, q̃d est regni caput, adeptus est anno regni sui tertio omnibus suis proceribus & subditis conuiuium fecit, in quo apud eum aderant Persarum & Medorum potentissimi quiq;, uidelicet duces & prætores prouinciarum, quo sui tam gloriosi regni opulentiam, & tam egregium magnitudinis decus ostentaret: idq; cõuiuium diu durauit, uidelicet dies cẽtum octoginta. Eo exacto spacio

[a] Hic Græcis uocatur Artaxerxes, Xerxis filius, autore Iosepho.

Assueri conuiuium.

cto spacio idem omnes homines, qui inibi Susis inuenti sunt, à minimo ad maximũ conuiuio septem dierum excepit in atrio hortorũ regiæ. Ibi multitia, carbasea, & hyacinthina uela lineis &
B purpureis intenta funibus, per argenteas trochæas de columnis marmoreis, pendebant. Lecti erant aurei & argentei in solo porphyritico, marmoreo, speculari, & pyritico collocati. Potabatur poculis aureis subinde mutandis uinum regium magna copia pro regijs opibus, potatione legitima, nemine cogente, quod ita præscripserat rex suis omnib. dispẽsatoribus, ut cuiusq; obsequerent arbitrio. Die septimo rex cum animum suũ uino exhilarasset, mãdauit Maumani, Bazathæ, Harbonę, Bagathæ, Abgathæ, Zethari, & Charchanti (quorũ septem spadonum mi-
C nisterio utebatur) ut reginam Vastim (quæ & ipsa muliebre conuiuium in Assueri regia habebat) ad se regiè coronatam accerserent, quo eius formæ pulchritudinem, quæ erat insignis, plebi ac primatibus ostenderet. Sed regina Vastis ad regis mandatum per spadones perlatum uenire recusauit. Quare uehementi incensus ira rex, sapientes rerum peritos (solebat enim rex omnibus legis iuris'que prudentibus negocia proponere: & erant tum ei proximi Charsena, Sethar, Admatha, Tharsis, Mares, Marsana, & Mamuchan, septem Persarum Medorumq; principes, cum rege uersantes, & in regno primum dignitatis locum obtinentes) hos inquam interrogat, quid sit regina Vasti faciendũ, quæ regis Assueri mandato à spadonib. perlato nõ paruerit. Tum Mamuchan apud regem & proceres uerba facit in hanc sententiam: Non solum in regem peccauit regina Vastis, sed etiã in omnes uel principes uel plebeios, qui sunt in omnib. regis Assueri
D prouincijs. Omnes eñi mulieres, diuulgata hac de regina fama, suos habebũt despectui maritos, cum dicẽt, reginam Vastim ab Assuero rege accersitam, non uenisse: atq; hoc reginæ factũ obijcient aliquã do primariæ Persidis & Medię mulieres, quæ id audiuerint, omnibus regijs proceribus, quæ res magnum contemptũ pariet, & indignitatem. Quamobrem si tibi rex ita placet, promulgetur regiũ à te decretum: idq; irreuocabili Persica & Medica lege scriptum, ne regina Vastis in conspectũ regis Assueri ueniat, eiusq; regnum alteri ea meliori tradas. Hac tua, rex, audita sententia, & per totum imperiũ tuum quàm latè patet publicata, nulla mulier erit, quæ non in precio suum habeat cõiugem: siue is magnus sit, siue paruus. Placuit & regi & proceribus ea sententia: Mamuchanisq; consilium secutus rex, literas dimisit in omnes suas prouincias cuiusq; uel regionis literis uel populi sermone scriptas, & uernacula lingua explicatas: quibus sanciebat ut suæ quisq; domi uir imperaret.

Regina Vastis ad regẽ uenire iussa non paret.

CAPUT II.

Assuerus uirgines cõquiri iubet, ut ex eis unam deligat in matrimonium.

POstea cum rex, sedata ira, Vastim eiusq; factũ & contra eam decretũ recordaretur, suaserũt ei ipsius administri famuli, ut puellas uirgines forma pręstãtes curaret sibi cõquirẽdas, & huic negocio in omnibus imperij sui regionibus certos præficeret, qui omnes puellas uirgines facie elegantes, in Susa caput regni congregarent, in domum mulierum, sub curam Hegęi spadonis regij, mulierum custodis, qui eis mundum muliebrem ministraret: ac quæ puella regi placeret, ea pro Vasti regnaret. Hoc consilium rex approbans, secutus est. Erat Susis Iudæus quidam nomine Mardochæus, Iairis filius, Semeis filij, Cis filij, Ieminiensis, qui Hierosolymis eò captiuus fuerat deportatus, unà cum his quos cum Iechonia Iudææ rege transtulerat Nabuchodonosor Babyloniæ rex. Is erat tutor Hadassæ, hoc est Esteræ, patrui sui filiæ, utroque parente orbatæ, puellę eleganti forma & facie uenusta, quã patre et matre orbatã sibi asciuerat pro filia. Hęc Estera, cum audito regis mandato atq; decreto, B
multæ puellę Susa congregarent in curã Hegęi, deducta est in regiam in custodiam Hegæi mulierum custodis. Qua ille delectatus, cum eam probauisset, continuò mundum ei, & præbenda dedit, & septem pedisequas ex regia, ut statutũ erat, attribuit: eam'que cum suis pedisequis in lautissimam partem domus mulierum transtulit, neq; indicauit Estera genus aut patriã suam: uetuerat enim Mardochæus, isq; singulis diebus in uestibulo domus mulierũ obuersabat, quò sciret ut ualeret Estera, & quid ea fieret. Solebãt autem singulæ puellæ post certũ temporis spaciũ, ut ferebat mulierũ ratio, ad regem Assuerum intromitti, uidelicet exactis duodecim mensibus. Nam ita peragebat earũ comendi spacium, sex mensibus oleo myrtino attributis, & totidem odoribus & pigmentis muliebribus. Ita demũ puella ad regem ex gynæcio in regiã intromitte C
batur, ut is cum ea rem haberet, eiq; ad eum uenturę dabatur quodcunq; postulasset ornamentũ. Veniebat autem uespere, & manè in alterum gynæcium redibat, in curam Sasagazi regij spadonis, concubinarum curatoris: neq; amplius ad regem intromittebatur, nisi ea delectato rege, uocaretur nominatim. Igitur transacto Esteræ Abichailis Mardochæi patrui filię (qui Mardochęus eam sibi in filiam cooptauerat) spacio, quo ad regem admitteretur, nullum petijt ornatum, nisi quem Hegęus regis spado mulierum curaror dixisset, & tamen omnium spectantiũ oculis grata fuit. Atq; ubi ad regẽ in palatiũ mense Tebeth, qui decimus est, deducta est, anno illius regni septimo, ille eam supra omnes mulieres amauit, tantoq; omnium uirginũ gratissimam habuit & charissimam, ut eius capiti regium imposuerit diadema, camq; pro Vasti reginam fecerit. Deinde Esteræ nuptias lautè celebrauit, inuitatis ad eas suis omnibus proceribus & asseclis, & D
immunitatem prouincijs largitus est: dignaq; rege munera donauit. Ac cum uirgines iterum congregarentur, Mardochæus ad regię fores manebat. Neque uerò Estera patriam aut genus suum patefecerat, quemadmodum præceperat ei Mardochæus: cuius illa mandata non aliter exequebatur, quàm cum in eius tutela foret. Per id tempus

Mardochæus.

Estera.

Assuerus Esterã ducit in matrimoniũ.

Mardochæus coniurationem in regem detegit.

id tempus quo Mardochæus ad regię portã habitabat, Bagathã et Thares, duo regis spadones, de numero atriensiũ, regi Assuero infensi, ei manum afferre conati sunt. quã rẽ ubi didicit Mardochæus, Esteræ reginæ indicauit. Estera porrò regi nomine Mardochæi enũciauit. Quæsita & deprehensa re, illi ambo in crucẽ sublati sunt, & ea res in annales apud regem relata est.

CAPUT III.

Aman.

POstea rex Amanem Amadathę filiũ Agagæũ, in tantum dignitatis fastigium euexit, ut ei sedem supra omnes, quos apud se proceres habebat, collocaret: Amanemq; omnes regij ad regis portam habitantes summisse uenerarentur, quod ita de eo rex imperasset. Sed Mardochæus neq; se summittebat, neq; honorem præstabat, atq; à regijs, qui ad portã regis erant, castigatus, quod contra regis mandatum faceret, & aliquot diebus admonitus, tamen nõ obtẽperabat. Itaq; id illi Amani nunciarunt, ut uiderent, an Mardochæus in eo perseueraret: intellexerãt enim, eum esse Iudæũ. Aman uidens Mardochæũ sibi non summittere se, neq; honorem habere, ira plenus,

B parum esse ratus soli Mardochæo manum afferre, conatus est uniuersos Iudæos (quos esse Mardochæi populares intellexerat) quotquot erant in toto Assueri imperio, perdere. Igitur mense primo, qui est Nisan, Assuero annum regnante duodecimum, curauit Aman sortem apud se iaciendam: & ductis ordine diebus, atq; mensibus, cum mensis Adar, qui duodecimus est, fortè accidisset, regem sic est allocutus. Est quędam inter cæteras nationes dispersa, dissipataq; per omnes imperij tui fines hominum natio, qui leges ab omnium gentiũ legibus alienas habent, neq; regijs parent legibus, quos quidem tolera-

Aman ab Assuero postulat, ut Iudæi perdantur.

C ri tibi Rex, non expedit. Si tibi, Rex, placet, scripto promulgetur ut intereant: ego decem argenti talentorum millia procuratoribus in manum appendam, quæ in fiscum referantur. Tum rex anulum sibi de manu detrahit, & Amani Amadathæ filio Agagæo, Iudęorum hosti tradit: seq; ei & argentum remittere, & nationem illam dicit in potestatem permittere. Itaq; conuocatis mẽsis primi die decimotertio regijs scribis, scripti sunt Amanis arbitratu codicilli, ad regis satrapas, & ad singularum prætores prouinciarũ, singularumq; nationum principes: ijq; cuiusq;

Codicilli ad Iudaici nominis excidium scripti.

D uel regionis literis, uel populi sermone, nomine regis Assueri, eiusdemq; anulo subsignati, qui missi sunt per cursores in omnes Regis prouincias, in quibus codicillis hoc iubebatur, ut uniuersi Iudæi, iuuenes, senes, paruuli, mulieres, uno die extirparentur, interficerentur, perderenť, uidelicet decimotertio die mensis duodecimi, qui est Adar, eorumq; bona diriperentur. G. Est autem hoc epistolæ exemplum. REX MAGNUS Artaxerxes, rectoribus centum uiginti septem prouinciarum, quæ ab India ad Aethiopiam continentur, & prætoribus subditis, hæc scribit. Cum multarum gentium dominatum, & totius orbis imperium consecutus essem, uolui non potentiæ audacia superbiendo, sed mitius & cum comitate semper agendo, subditorum uitam perpetuò tranquillam reddere, & regnum usque ad extremos fines quietum peruiumq; præstando, cunctis optatam hominibus renouare pacem. Quæ res quo pacto ad exitum perduci posset, cum cõsiliarios interrogauissem, uir apud nos prudentia eximius, in beneuolentia constantissimus, firma fide probatus, et secundum regni decus adeptus Aman, nobis demonstrauit, omnibus per orbem nationibus permixtum esse inuisum quendam populum, legibus omni genti contrarium, regum imperia perpetuò detrectantem, ut iam constitutum à nobis imperium non possit inoffenso statu manere. Cum igitur nobis perspectum sit, hanc unam maximè gentem ita esse compositam, ut omnibus semper hominibus contraria sit, peregrina legum ratione discrepet, & nostris inimica rebus, pessimorum sit malorum causa, ut regnum tranquillitatem non assequatur: imperamus, ut qui uobis significati fuerint in scriptis Amanis rerum administratoris, & alterius nostri patris, ij omnes cum mulieribus & liberis, hostili ferro, sine ulla misericordia aut uenia, stirpitus euertẽtur [a] decimo tertio die mensis duodecimi, qui est Adar, instantis anni: ut & ueteres & hodierni inimici uno die ui in orcum demissi, res nobis in posterum quietas omnino tranquillasq; præstent. H. Hac perscripta sentẽtia, qua edictum per omnes promulgaretur regiones, omnibus nationibus manifestum, ut essent homines ad illum diem parati, profecti sunt cursores imperio regis, & edictum Susis promulgatum est, cum rex interea & Aman ad epulas accumberet, & Susa urbs esset in luctu.

a In græco est decimo quarto, sed mendum esse ostendit tota historia.

CAPUT IIII.

Mardochæus cæteriq; Iudæi lugent.

HAnc omnem rem postquam resciuit Mardochæus, uestitum suum discerpere, centonem induere, conspergi puluere, & in mediam urbem egressus, magnos & tristes edere clamores, G. insontem nationem deleri uociferans, H. et usq; ad regiæ portæ conspectũ progredi: nam ad portã ipsam centone induto uenire non licebat. Interea ubiq; terrarũ quocunq; regis mandatũ decretumq; perlatũ erat, magno uersabanť in luctu Iudæi, ieiunantes, plorantes, lamentantes, centonib. et puluere magna pars cõspersi. Quod postquã est Esteræ reginæ per eius pedissequas & spadones de Mardochæo nunciatum, consternata uehementer, uestitum Mardochæo misit, quem deposito centone indueret. Quem cum ille non accepisset, uocauit Estera Athachum unũ de regis spadonibus, sibi à rege attributũ, eumq;

Estera ex Mardochæo sciscitatur, quæ lugendi causa sit.

B ad Mardochæum ire iussit, ut disceret quid nam rei esset, & quæ eius causa foret? Athachus ad Mardochæum proficiscitur in quandam urbis aream, quæ erat ante portam regis. Cui Mardochæus omnem casum suum exponit, oblationemq; pecuniæ, quam se Aman soluturum esse in fiscũ promisisset, dummodò perdereť Iudęi: tum ei libellorum decreti Susis ad euertendos C

Iudæos

Iudæos propositi exemplum dat, quod Esteræ ostendat & indicet, horteturque ut regem adeat, & eum pro suæ nationis hominibus suppliciter oret. Athachus ad Esteram Mardochæi uerba refert. Tum Estera Athacho ad Mardochæum huiusmodi mandata dat: Sciunt omnes regis & stipatores & prouinciales, legem semel esse latam, ut quisquis uir fœminaue ad regem in interiorem aulam non uocatus accesserit, occidatur, nisi cui Rex uirgam auream porrexerit ut uiuat. Atqui ego ad regem hoc iam triduo non sum accersita. His Esteræ dictis Mardochæo renunciatis, iussit Mardochæus hæc Esteræ referri: D Noli putare te solam Iudæorum propterea euasuram esse, quòd es in regia. Nam si hoc tempore tacueris, existet Iudæis aliunde recreatio atque salus, & tu tua'que domus patria peribitis: atque haud scio an ad huiusmodi tempus regnũ adepta sis. Tum Estera Mardochæo ita renunciari iubet: I conuocatum Iudæos omnes, qui Susis adsunt, ut pro me ieiunent, & triduo à cibo atque potione noctes dies'que abstineant: quod idem ego unà cum meis pedisequis faciam, atque ita demum regem, quamuis contra legem, conueniam. quòd si pereo, peream. Hoc Esteræ mandatum Mardochæus omnino executum iuit. G. Deumque tot eius opera recordans, precatus est in hæc uerba: Domine rex omnipotens, hoc quidem totum in tua potestate est: nec est qui tibi cõtra ueniat, uolenti conseruare Israelitas. Nam tu cœlum & terram, & quicquid admirandum sub cœlo est, fecisti, omnium'que dominus es, nec est qui tibi domino repugnet. Omnia tu nosti: tu scis, Domine, non me contumelia, neque superbia, neque gloriæ cupiditate fecisse ut superbũ Amanem nõ colerem. Etenim libenter uel eius pedum uestigia pro Israelitarum salute deoscularer. Sed id feci, ne hominis gloriam Dei gloriæ præponerem, neu quem præter te Dominũ meum, adorarem: nedum ut id arrogantia fecerim. Quapropter, ô Domine Deus rex, parce tuis nobis, quos illi ad exitium designãt, et tuam antiquam delere possessionem concupiscunt. Noli tuam partem despicere, quam ipse tibi ex Aegypto redemisti: exaudi meas preces, & tuæ sorti propitius esto: conuerte luctum nostrum in epulas, ut uiuentes tuum celebremus nomen, Domine: neue tuorum ora laudatorum aboleueris, Domine. Omnes quoque Israelitę, cum mors eis ob oculos uersaretur, totis uiribus querebantur. Et Estera regina in mortis æstu anxia, ad Dominum confugit: depositoque splendidiore uestitu, angoris & luctus uestes induit, & pro superbis odoribus, caput suum puluere et fimo oppleuit, corpusque suum multum afflictauit: & omnia ubi lætari solebat loca intortis suis crinibus repleuit, atque ita Domino Israelitarum Deo supplicauit, his uerbis: Domine mi, rex noster tu solus es, succurre mihi soli, & adiutorem nullum præter te habenti, quæ in tam præsenti uersor periculo. Equidem audiebã iam à teneris in mea tribu patria, ut tu, Domine, & Israelitas ex omnibus gentibus, & patres nostros ex omnibus ipsorum maioribus ad æternã desumpsisses possessionem, eisque promissa præstitisses. Et nũc peccatis nostris offensus, tradidisti nos in hostium manus, quoniam eorum dijs honorem habuimus: & meritò tu quidem, Domine. Sed illi nostræ seruitutis acerbitate non contenti, simulacris suis (manibus in manus insertis) polliciti sunt sese tua placita rescissuros, tuam possessionem abolituros, tuorum ora laudatorum obstructuros, tui extincturos gloriam fani atque aræ, aperturos gentium ora ad uanorum uirtutes deorum prędicandas, mortalique regi perpetuam conciliaturos admirabilitatem. Noli, Domine, tuũ sceptrum ijs tradere, qui nihil sunt, ne nostrum casum derideant: sed ipsorum consilium in ipsos retorque, & in huius nostri principẽ mali exemplum ede. Memento, Domine, ut in nostro difficili tempore innotescas, & me, ô diuorum rex, & omnis moderator imperij, confirmes. Suggere ori meo facundam orationem apud leonem, et eius animum traduc ad odium oppugnatoris nostri, ad ipsius, & eorum qui cum eo sentiunt, perniciem: nos uerò tua manu tuere, et mihi desertę, nullumque præter te habenti Domine subueni. Habes omnium cognitionem: scis me improborum gloriam odisse, & ab incircuncisorum, omniumque alienorum concubitu abhorrere. Tu scis me necessitate cogi: nã hoc quidem meũ insigne superbiæ, quod in capite fero, tum cum prodeo in publicũ, detestor, et detestor tanquã menstruis inquinatũ pannũ: neque id gesto quibus diebus a quiesco: neque ego tua ad Amanis mensam epulata sum, neque regis decoraui conuiuiũ, neque libatorium uinum bibi: neque posteaquam conditionem mutaui hactenus ulla re delectata sum, prȩterquam te, Domine Deus Abrahami, Deus omnium potentissime: exaudi desperatorum uocem, & nos ab improborum manu tuere, meque hoc metu libera. H.

Mardochæus Deũ Iudæis precatur propitium.

Estera regem aditura Deũ orat, ut suorum misertus, regis animum flectat.

a. domi me neo.

CAPUT V.

DEinde die tertio, G. peracta supplicatione L. seruilem habitum exuit, & H. se regiè uestit, & G. splendorem suum induit: L. eoque illustrata, inuocato omnium inspectore & seruatore Deo, duas assumpsit pedisequas, quarum uni quasi præ delicijs innitebatur: altera insequebatur, eius uestitum sustentans. Ipsa pulchritudinis flore rubens, hilari, & ad amorẽ cõposito uultu, animi metu anxia, per omnes ingressa ianuas, H. constitit in interiore atrio regiæ, in fronte regiæ, G. ante regem. H. Rex ut in solio sedebat in regia, contra ingressum domus, G. magnificè ornatus, totus auro gẽmisque nitens, & perquàm terribilis, sublato uultu, qui splendore ardebat, reginã adeò ferociter aspexit, ut illa collaberef: & destituta uiribus, mutato colore, in comitantis pedisequæ caput incumberet. Hic rex, eius animo diuinitus ad mansuetudinem uerso, trepidus ex solio desilit, eamque suis exceptã ulnis, postquã illa se collegit, solatur uerbis placidis: Quid est, Estera? inquit: ego sum tuus frater, bo-

Estera regẽ adit.

no es animo: non moriere: nam commune nobis imperium est: accede. Tum H. sublatam auream uirgam quam manu gerebat porrigit Esteræ. G. Et eius ceruici admouet. H. Et illa uirgæ caput osculata est. G. Tum rex, Loquere mihi, inquit. Cui illa: Cum te diuini similem genij uidissem, inquit, turbata sum animo, metu splendoris tui: nam admirabilis es, domine, & uenustate plenũ habes uultum. Hæc dum loquitur, defecta uiribus collabitur. Tum Rex turbari, & omnes eius assectatores eam consolari, &, H. Quid uis, Rex inquit, Estera regina? aut quid petis? Id enim uel usq; ad regni dimidiũ impetrabis. Cui Estera: G. Hodiernus mihi dies, inquit, insignis

B est, quòd, H. si tibi Rex ita placet, uenies tu unà cum Amane hodie ad conuiuium, quod tibi paraui. Tum rex iussit Amanem confestim accersi, ut Esterę obsequeret, ueneruntq; Rex et Aman ad conuiuium, quod Estera parauerat. Atq; ibi inter pocula Rex sic Esteram alloquitur: Quod est tuum postulatũ? nam id obtinebis: ac etiamsi regni dimidium petieris, tamen id fiet. Cui Estera: Peto, inquit respõdens, oroq;, si tibi Rex gra

C ta sum, & si tibi uidetur mihi postulata concedere, & quod oro facere, ut tu rex, & Aman ad conuiuium, quod uobis parabo, redeatis, & cras faciam quod iubes. Igitur Aman eo die gaudens, & læto animo egressus, quũ uidisset pro foribus regiæ Mardochæũ, sibi neq; assurgentem, neq; cedẽtem, ira plenus in eum, tamen dissimulauit: & domum reuersus amicos suos, & Zaresam uxorem accersit, eisq; suam gloriam, diuitias, et liberũm multitudinem exponit: tum in quãtam esset à rege dignitatem euectus, & supra omnes proceres & regis asseclas elatus. Quinetiam nul

Estera Assueruñ ad cõuiuium inuitat.

D lum, inquit, cum rege uocauit Estera regina ad cõuiuium, quod habuit, pręter me: à qua sum etiam in crastinum cum rege inuitatus. Et tamen hæc omnia nihil me iuuant, quamdiu ad regiæ fores sedentem uideo Mardochæum Iudæum. Tum Zaresa uxor, & omnes amici, suadent ut curet erigendã crucem quinquaginta cubitorũ, & mane à rege contendat ut in eam tollatur Mardochæus, atq; ita conuiuium cum rege lætus ineat. Hoc cõsilium probauit Aman, & crucem fecit.

Aman Mardochæo crucem uxoris suasu parat.

CAPVT VI.

EA nocte rex cũ insomnis esset, iussit afferri rerum gestarũ cõmentarios, quibus apud regem legendis, repertũ est scriptũ de patefacta à Mardochæo coniuratione Bagathæ & Tharis duorum regis spadonum, qui erant ex atriensibus, qui regi Assuero manum afferre conati essent. Tum rex quæsiuit quid ex ea re honoris esset aut dignitatis Mardochæus consequutus. Cumq; iuuenes regis famuli negassent eũ quicquam esse consecutum, quæsiuit rex ecquis esset

Assuerus iubet sibi legi commentarios.

B in atrio. Venerat autem Aman ad regiæ atrium exterius, ut cum rege ageret de suspendendo Mardochæo in patibulo, q̃d ei parauerat. Itaq; responderunt famuli adesse Amanem in atrio. Tum rex eum iussit introduci, & intromissum sic est allocutus: Quid homini fieri debet, quem rex honore uult affici? Hic Aman cogitans neminem esse cui rex plus uellet honoris tribuere, quàm sibi, sic regi respondet: Cui rex honorem uult haberi, huic regius afferat̃ uestitus, quo rex induitur, & equus in quo rex equitat, cuiusq; capiti regia imponitur corona, atq; is uestitus & equus tradatur alicui de præcipuis regis proce- C ribus: tum ille, Quem rex uult honoratũ, impo natur equo in urbis foro, atq; ante eum in hunc modum proclametur: Sic fit homini, cui rex honorẽ uult haberi. Et rex: Cape (inquit Amani) properè uestitum & equũ, ut dixisti, & isto modo facito Mardochęo Iudęo, ad regiæ fores manenti, neu quid omittatur omnium quæ sunt à te dicta. Tum Aman adhibito uestitu & equo, D Mardochæum ornauit, & in equũ in urbis foro intulit, atq; ante eum proclamauit: Sic fit homini, cui rex honorem uult haberi. Deinde Mardochæus ad regiæ portam redijt. Aman autẽ domum lugens & operto capite se recepit, uxoriq; suæ Zaresæ, & amicis omnibus, quid sibi contigisset, narrauit. Cui eius sapientes & Zaresa coniux dixerunt: Etsi de stirpe Iudæorum Mardochæus esset, quoniam tamen ipse eo inferior esse cœpisset, nihil in eum posse, sed inferiorem fore. Adhuc eis colloquentibus, adfuere regis spadones, qui Amanem properè ducerent ad conuiuium, quod Estera faciebat.

Aman Mardochæũ honorare cogitur.

CAPVT VII.

IGitur cum rex & Aman ad Esterę reginę conuiuium uenissent, rex Esteram etiam secundo die inter cõpotationem sic est allocutus: Quod rogabis, Estera regina, id tibi concedet̃: et quod petes, uel sit regni dimidium, id fiet. Cui illa: Si quid apud te, rex, ualeo, inquit, & si tibi placet, rogo petoq; ut mihi meisq; popularib. uita con- B cedatur, qui calamitati, neci, exitio sumus addicti. Quòd si ad seruitutem dederemur, equidem tacita ferrem, tametsi indignum esset ab aduersario regi detrimentum hoc afferri. Tum rex: Quis est, inquit Esteræ reginæ, aut ubi is est, qui istud facere in animum induxit? Hic est (inquit Estera) consceleratus inimicus & hostis Aman. Hic Amane regis & reginæ aspectu perturbato, rex iratus ex compotatione concessit in hortos pala- C tij. At Aman, ut reginam pro uita sua oraret, remansit, uidens sibi omnino à rege impendere malum. Interea rex ex hortis in cœnationem reuersus, & Amanem ad lectũ, in quo erat Estera, iacentem cõspicatus, ita loquitur: Etiámne reginam apud me domi comprimat? Hæc elocuto re- D ge, Amani uultus obuelat̃. Tum Harbona unus spadonum ita regem alloquitur: Quin hoc scito crucem esse ab Amane factam in Mardochęum, hominem de te, rex, bene meritum, quæ crux fixa est ad ædes Amanis, in altitudinem quinquaginta cubitorum. Tum rex iussit Amanem in ea suspendi. Ita sublatus est Aman in crucẽ, quam Mardochæo parauerat, & regis ira sedata est.

Estera Amanẽ apud regẽ accusat.

Amã in crucẽ tollitur.

CAPVT VIII.

EO die dedit rex Assuerus Esteræ reginæ domum Amanis Iudæorum aduersarij, deinde

inde Mardochæo ad se introducto (nam indicauerat Estera, quæ sibi cum eo intercederet necessitudo) detractum sibi anulum suum, quem Amani abstulerat tradidit, eique Estera Amanis domum concessit. Præterea regem allocuta est, & ei ad pedes iacens, cum lacrymis supplicauit, ut Amanis Agagæi scelus, quod ille cōtra Iudęos conatus esset, rescinderet. Et rex Esteræ uirgam auream porrexit, atque illa surrexit, & ante regem stans locuta est in hanc sententiam: Si tibi, rex, ita uidetur, & si quid apud te autoritatis habeo, idque tu probas, & ego tibi placeo, scribatur ut

Estera petit à rege ut Amanis decretum rescindatur.

B antiquentur nefariæ illæ Amanis Amadathæ filij Agagæi literæ, quas ad perdendos scripsit Iudæos, quotquot usquam in regia ditione degūt. Nam quomodo calamitatem, quam mei populares patientur, uidere sustinebo? meæ ne stirpis exitium aspicere potero? Tum rex Esteram reginam & Mardochæum Iudæum sic alloquitur: En ego Amanis domū Esterę dedi, eumque, quod contra Iudæos ausus esset, in crucem tollendum curaui. Vos scribite ad Iudæos quod uobis uisum fuerit, nomine regis, & id regis anulo signate. Quod enim regis nomine scribebatur, & regis anulo signabat, id erat irreuocabile. Itaque uocatis eo tempore scribis regijs, decimotertio die mensis tertij, qui est Siuan, scriptū est arbitrio Mardochæi ad Iudæos, ad satrapas, ad prætores, ad centum uigintiseptem prouinciarum gu-

C bernatores, quæ ab India ad Aethiopiam continentur, & scriptum est suis cuiusque & prouincię literis, & populi lingua, necnon ad Iudæos ipsorum literis & sermone, nomine regis Assueri, et eiusdem anulo signatæ sunt literæ, & per cursores, qui uel ueredis, uel præstantissimis ad uelocitatem mulis utebantur, dimissæ, quibus in literis permittebat rex Iudæis, qui in quaque urbe essent, coire, uitamque suam defendere, & omnes milites, plebeios, prouinciales à quibus essent infestati, excindere, interficere, perdere, unà cum paruulis atque fœminis, eorumque bona diripere eodem die in omnib. regis Assueri regionibus, uidelicet decimotertio die mensis duodecimi, qui est Adar. G. Est autem eius epistolę exemplū infrà scriptum. REX MAGNVS ARTAXERXES Cētum uiginti septem satrapis, qui sunt ab India ad Aethiopiam, prouincias regentibus, et ijs qui stant à nobis, Salutem. Multi maxima bene de se meritorum benignitate sæpius ornati superbiunt, nec solum subditos nostros iniuria conantur afficere, sed etiam rerum abundantiā ferre non ualentes, in ipsos suos beneficos malum moliuntur: & præterquam quòd gratitudinem ex hominibus tollunt, etiam inepta diuitiarum insolentia elati, arbitrantur sese omnia semper uidentis Dei ultrices malorum pœnas euasuros. Sæpe autem & multos eorum, (quibus in dignitate constitutis administrandæ res amicorū sunt cōmissæ) uesania factos participes insontis sanguinis, immedicabilibus implicuit calamitatibus, dum fallaci malitiæ calliditate, sinceram dominantium circumueniunt probitatem. Hoc adeò cernere licet, cùm ex ijs quæ de rebus antiquis memoriæ prodita sunt, tum ex ijs, si quærimus, quæ [a] ante pedes posita, nefario eorum scelere patrata sunt, qui potestatem gerunt indignè, quò deinceps operam demus ut regnum omnibus tranquillum hominibus cum pace præstemus, non iam calumnijs intendentes, sed ea quæ sub aspectum ueniunt, cum æquiore dijudicantes remedio. L. Neque uerò existimare debetis, si diuersa iubemus, id ab animi nostri leuitate proficisci: sed nos ex temporum statu atque necessitate, ut reipublicæ postulat utilitas, ferre sententiam. Atque ut manifestius quod dicimus intelligatis, G. Cum Aman Amadathæ filius, uere [b] Macedo, & à Persarū sanguine alienus, atque à nostra probitate multum dissidens, nobis conciliatus, nostra esset usus humanitate, qua erga omnes mortales prædití sumus, eousque ut pater noster appellaretur, & ab omnibus colendus secundam regalis solij personā gereret, impatiens superbiæ, conatus est nos & imperio priuare & spiritu, dum conseruatorem nostrum, & optimè omnium de nobis meritum Mardochæū & inculpatam regni sociam Esteram, cum uniuersa eorum gente, multiplicibus fallaciarum uijs postulauit ad necem. Hoc enim pacto sperabat se, cum desertos nos oppressisset, Persarum imperium ad Macedonas esse translaturum. Nos uerò proditos ab illo pestilentissimo ad exitiū Iudæos reperimus non esse maleficos, sed iustissimis utentes legibus, Dei optimi maximi immortalis natos, qui & nobis & maioribus nostris regnum in optimum statum redegit. Itaque rectè facietis, si missis ab Amane Amadathæ filio literis non utemini, propterea quòd ipse earum autor ad Susorum portas crucifixus est cum tota sua familia, & omnium rerum præpotenti Deo meritas pœnas citò persoluit. Sed huius epistolæ exemplo locis omnibus proposito, sinite Iudæos liberè suis uti legibus, eosque adiuuate in eis (à quibus in suis aduersis temporib. infestati sunt) ulciscendis eodem die, uidelicet decimotertio mensis duodecimi qui est Adar. Hunc enim diem omnium rector Deus, pro funesto generis electi, fecit eis lætificum. Et uos ergo inter uestra festa celebria, diem hunc cum omni lautitia insignem agitote, ut is & nunc et in posterum tum nobis, tum ijs qui Persis bene uolunt, salutis: maleuolis autem, exitij sit monimentum. Ac quæcunque omnino ciuitas aut natio hæc executa non fuerit, ea tanta cum iracundia armis flammisque uastabitur, ut non solum hominibus inuia reddatur, sed & feris & uolucribus in omne tempus maximè inuisa. Atque horum exempla palàm proponantur in toto regno, sintque Iudæi omnes ad eum diem parati suos ulcisci aduersarios. H. Igitur ueredarij, urgente regis mandato, e uestigio profecti sunt, & decretum Susis publicatum est. Tum Mardochæus à rege digressus est, regio uestitu, hyacintho, multitijs, ingentique corona ornatus aurea, sericatus & purpuratus, exultante & lætante Susensi ciui- D

Artaxerxis literæ quibus Amanis edictum rescindit.

a. aperta, & præsentia.

b. apud Iosephum est, Amalechita

tate, orta Iudæis luce, & lætitia gestiente, & honore. Ac per omnes prouincias & ciuitates, quocunq; perlatum erat regis mandatum atq; decretum, gestiebant lætitia Iudæi, & conuiuijs lętos dies agebant: neq; non multi incolarum, quos Iudæorum terror inuaserat, iudaizabant.

CAPUT IX.

Iudæi aduersarios ulciscuntur.

IGitur decimotertio die mensis Adar, qui duodecimus est, perlato regis mandato, cum edictum esset exequendum, quo die sperauerant hostes fore ut Iudæos opprimerēt, cum cōtrà essent ipsi aduersarij à Iudæis opprimendi, coierunt Iudæi passim per urbes suas, & regis Assueri prouincias, ad inuadendos eos qui ipsis malum fuerant machinati. Neq; solum eis nemo resistebat, omnibus nationib. eorum formidine correptis, uerùm etiam omnes prouinciarū rectores, satrapæ, prætores, & regis negociorum procuratores, Iudæos adiuuabant, Mardochęi terrore perculsi. Nam præpotens erat in aula Mardochęus, omnesq; regiones fama peruaserat Mardochæū in dies fieri maiorem.

B Itaque Iudæi suos hostes omnes ferro, cæde, excidio persecuti sunt, & aduersarios suos tractauerunt ad suum arbitrium. Occiderunt autem atque perdiderunt Susis quingentos homines: præterea Pharsandatham, Dalphonem, Asphatham, Phoratham, Adaliam, Aridatham, Pharmastam, Arisaim, Aridaim, & Iezatham, decem Amanis Amadathæ filij, Iudæorum aduersarij, filios occiderunt, neq; eorum bona deprædati sunt. Eo die relato ad regem eorum numero, qui Susis fuerant occisi, ille sic est Esteram reginam allocutus: Susis interfecere Iudæi & perdidere quingentos homines, præter decem Amanis filios: quid in cæteris imperij regioni-
C bus? & tamen quod adhuc rogabis, tibi concedetur, & quod petes fiet. Cui Estera: Si tibi, rex ita uidetur, liceat etiam cras Susensibus Iudæis idem, quod hodie, facere, & decē Amanis filios in crucē tollere. Tum rex ita fieri mandauit, promulgatoq; Susis edicto, in crucē sublati sunt decem Amanis filij, congregatiq; Iudæi Susenses etiam decimoquarto die mensis Adaris, interfecere Susis trecentos homines, neque tamen in eorum bona inuaserunt. Reliqui Iudæi prouinciales pro suæ uitæ defensione & ocio ab hostibus consequendo, coiuerunt, & aduersariorum septuagintaquinq; millia peremerunt, quorum tamen facultates prædæ non habuerunt. Id cum decimotertio die mensis Adaris fecissent, deci-
D mumquartum diem, quo requietem essent consecuti, conuiuijs & lętitiæ dedicarunt. At Susenses Iudæi, qui die decimotertio & decimoquarto coiuissent, diem quintumdecimū, quo ocium essent adepti, epularum et lætitiæ diem fecerunt. Propterea pagani Iudæi diē mensis Adaris decimumquartū lętitia, epulis, hilaritate celebrant, et inter sese munera missitant. Scripsit autem has res Mardochæus, & literas misit ad omnes Iudæos, qui in omnibus erant regis Assueri pro-
E uincijs, tum uicinos tum remotos, quibus eis sanciebat ut diem mēsis Adaris decimumquartum et decimumquintum agere deberent quotannis, quibus diebus Iudæi essent ab hostib. quietem consecuti, & quo mense mœror esset eis in gaudium, & lugubris dies in faustum conuersus, ut eos dies inuitationibus & lætitia celebrarent, strenasq; inter sese, & dona pauperibus missitarent. Itaq; confirmauere Iudæi quod iam facere cœperāt, scriptis ad ipsos Mardochæi literis admoniti, quibus literis cōtinebatur ut Aman Amadathæ filius Agagæus omnium Iudæorum aduersarius, Iudæis exitium machinatus esset, sortemq; ad eorum excidium & perniciem iecisset, F
tum ut rex à regina conuentus, iussisset per literas nefarij illius cōtra Iudæos conatū in ipsius caput conuerti, eum'que & eius filios in crucem tolli, ex quo etiam dies illi à sortis nomine, Phuræi denominati sunt. His, inquam, omnib. Epistolæ uerbis, tum ijs quæ uiderant, quæq; ipsis euenerant, adducti Iudęi, statuerunt sanxeruntq; ut et ipsi & ipsorum posteri, omnesq; qui ad eos aggregati essent, eos duos dies, ut scripti consignatiq; erant, agerent quotannis sine intermissione. Itaq; dies illi Phuræi solennes in omni homi- G
num natione, familia, regione, ciuitate aguntur, neq; ex Iudæis auferuntur, neq; ex eorum posteritatis memoria recedunt. Scripsit autem Estera regina Abichailis filia, et Mardochęus Iudęus, ut omnino confirmaretur hæc altera de Phuræis epistola, misitq; literas Mardochæus ad omnes Iudæos in centum uigintiseptem regis Assueri prouincias, quibus eos officiosè salutatos monebat, ut eos dies Phuræos suo tēpore obirent, quemadmodum eis esset à Mardochæo Iudæo, & ab Estera regina, sancitum: & quemadmodū ipsi tum in se, tum in posteros suos, ob sua ieiunia & querelas, sanxissent. Atq; horum quidem Phuræorum ratio Esteræ imperio, idq; literis mandatum est, est confirmata.

Phuræi dies.

CAPUT X.

CAeterùm rex Assuerus & terras & maris insulas fecit tributarias. Ac de eius quidē omnibus fortiter factis & potentia ac in quantā dignitatem Mardochæum rex euexerit, memoriæ proditum est in annalibus regum Mediæ et Persidis, ubi exponitū ut Mardochæus Iudæus fuerit à rege Assuero secundus inter Iudæos potentissimus, consanguineorum suorum multitudini charus, suorū utilitatis studiosus, & totius stirpis suæ saluti consulens.

QVod sequitur, id in Græca lingua partim principium est totius libri, pártim finis. In Hebræa non extat. quod quia partū principio quadrare uidebatur, huc adiecimus.

Mardochæi somnium de eius & Amanis dissidio.

ANno secundo regni Artaxerxis magni, primo die mensis Nisanis, somnium uidit Mardochęus, Iari filius, Semeis filij, Cis filij, ex tribu Beniaminensi, homo Iudæus, Susorum urbis incola, uir magnus in aula regia, assectator. Erat autem de numero captiuorum, quos Nabuchodonosor Babyloniæ rex Hierosolymis cum Iechonia Iudææ rege deportauerat.

Atque

Atque hoc est illius somnium: Extitit tumultuosus quidam sonitus, tonitrua, terrae motus, & turbae in terris, & ecce duo magni dracones prodierunt, ambo parati dimicare, magnumque clamorem ediderunt, quo eorum clamore paratae sunt omnes gentes ad bellum, ut iustorũ gentem oppugnarent. Tum extitit tenebrarum & caliginis dies, afflictatio, angustia, calamitas, & tanta in orbe perturbatio, ut uniuersa iustorum natio sua mala metuens, ad pereundum parata foret. Sed cum Deum inuocassent, extitit ex eorum querimonia quasi ex paruo fonte fluuius ingens, aqua abundans: ortaque luce & sole humiles elati sunt, & gloriosos cõtecerunt. Tum experrectus Mardochaeus, qui somnium hoc uiderat, quod Deus ad rem conferre statuerat, id memoriȩ mandauit, & omni ratione intelligere conatus est usque ad noctem. Cum autem in aula cum Gabatha & Tharra duobus regis spadonibus aulae custodibus quiesceret, auditis eorum consilijs, curasque perscrutatus, intellexit eos parare Artaxerxi regi manus afferre, idque regi indicauit. Rex habita de duobus spadonibus quaestione, cum essent confessi, supplicium sumpsit, eamque rem in commentarios retulit, neque non Mardochȩus hisce de rebus scripsit, eique iussit rex ut in aula regia assectator esset, & ei ob eam rem dona dedit. Aman autem Amadathȩ filius Bugaeus, qui apud regem magno erat in honore, Mardochaeum eius'que populares propter duos regis spadones, ulcisci conatus est. Dixit autem Mardochaeus: Diuinitus facta sunt haec. Etenim somnium recordor, quod hisce de rebus uidi, cuius somnij B nihil est omissum. Fons ille paruus, qui fluuius factus est, & in lumen, solemque, & copiosam aquam mutatus, Estera fluuius est, quam rex ductam C in coniugium, fecit reginam. Duo dracones, ego sum & Aman. Gentes sunt quae ad iustorum nomen abolendum coiuerunt, qui iusti sunt mei populares Israelitȩ, qui Deo implorato cõseruati sunt, defenditque Dominus suos, & nos ab his tot malis tutatus est, tãtis editis prodigijs atque portentis, quanta inter mortales non acciderunt. D Fecit enim sortes duas, unam diuino populo, alteram omnibus caeteris gentibus, quibus duabus sortibus ad horam, ad tempus, ad diem iudicij coram Deo apud omnes gentes ductis, Deus suorum memor, possessionem suam absoluit. Itaque dies hi, uidelicet mensis Adaris decimusquartus & decimusquintus, conuentu, gaudio, laetitia coram Deo in posterum ab eius populo agentur in perpetuum.

Mardochaeus somnium suum exponit de Estera.

ESTERAE FINIS.

Quod sequitur, ab autore scriptum non est, sed ab his qui libros in Ptolemaei Bibliothecam inferebant, ut quando, & à quibus illati essent, constaret.

Anno quarto regni Ptolemȩi et Cleopatrȩ, intulit Dositheus (qui se sacerdotem et Leuitam ferebat) & Ptolemaeus eius filius, positã superius epistolam de Phuraeis, cuius interpretem esse dixerunt Lysmachum Ptolemaei filiũ, Hierosolymitanum.

IOBVS.

CAPVT I.



VIR FVIT IN REGIONE[a] Husa, nomine Iobus, qui uir integer, probus, religiosus, et à maleficijs abhorrens erat. Huic septem filij & filiȩ tres natȩ sunt. Pecus eius fuit balãtum septem millia, camelorum tria millia, boum iuga quingenta, & asinae quingentae, copiosissimumque seruitium: denique fuit is uir omnium locupletissimus Orientaliũ. Conuenerant autem aliquando eius filij, & cõuiuia alternis diebus suae quisque domi agitabant, accersitis suis tribus sororibus quae secum epularentur. Quibus durantibus conuiuiorum diebus Iobus eos accersitos lustrabat, & primo mane totidem hostias, quot erant ipsi, immolabat, cogitans fieri posse ut sui liberi peccauissent, & animo maledixissent Deo. atque ita quotidie faciebat Iobus. Accidit B autem quodam die ut diui conuenirent, & apud Iouam astarent, cum quidem etiam Satan unà cum eis adesset. Tum Ioua Satani: Vnde uenis? inquit. Et Satan Iouae respondens: Ex peragranda, inquit, obeundaque terra. Tum Ioua: Ecquid animaduertisti (inquit Satani) Iobum meum, in terris incomparabilem uirum, integrum, probum, religiosum, & à maleficijs alienum? Hic Satan Iouae respondens: Quasi uerò gratis, inquit, religiosus sit Iobus, quem tu nimirum, eius'que familiam & facultates omnes, undique circumuallaueris, & eius negocia fortunes, ut eius pecus per terram propagetur. Sed age, inijce manum, & tange quicquid habet, ni tibi palàm maledicet. Tum Ioua Satani: En quicquid habet, C tibi in manum permittitur: sic tamen, ut ipsi manum non afferas. Ita abijt ex Iouae conspectu Satan. Igitur quodam die, cum Iobi filij filiae'que cibum caperent, uinumque biberent in domo fratrum natu maximi, uenit ad Iobum nuncius qui sic ei retulit: Cum ararent boues, & asinae secundum eos pascerentur, irruerunt Sabaei, D qui eos caeperunt, famulis ferro caesis, me uno elapso, qui id tibi nunciarem. Adhuc illo loquente superuenit alius qui ita dixit: Lapsus de coelo[b] diuinus ignis, & balantes & famulos incensos confecit, me uno elapso qui id tibi nunciarem. Adhuc loquebatur ille, cum superueniens alius ita narrat: Chaldaei tripartito camelos adorti caeperunt, famulis ferro trucidatis, me uno elapso qui te certiorem facerem. Cum adhuc ille uerba faceret, adest alius qui sic ait: Filij filiae'que tuae in aedibus sui fratris natu maximi epulabantur, & ecce uentus ingens à syluae tractu profectus in quatuor domus angulos impegit,

a. in ea est Idumaea, ut apparet Lam.4.

b. fulmen.

git, qua in iuuenes collapsa, mortui sunt, uno me elapso qui te facerem certiorem. Tum Iobus surrexit, & lacerata toga, tonso'que capite, procidit humi, Deum'que uenerans inquit: Nudus ex utero meæ matris egressus, nudus eódem reuertar. Ioua dederat, Ioua idem abstulit, Iouæ nomini grates agantur. Atque in his omnibus nihil peccauit Iobus, neque quicquam in Deum ineptè egit.

CAPVT II.

QVodam autem die cum conuenissent diui, & apud Iouam astarent, cum quidem etiam Satan qui inter eos uenerat, apud Iouam staret, Ioua Satanem sic interrogauit: Vndénam ades? Cui Satan respondens: Ex perlustranda, inquit, ac perambulanda terra. Et Ioua: Ecquid animum aduertisti, inquit, ad Iobum meum, cui nemo in terris par est? uirum integrum, probum, religiosum & à maleficijs abstinentem: qui adhuc suam retinet integritatē, frustraq́ mihi tu ut
B eum perderem persuasisti. At Satan: a Pelle pro pelle, inquit: & quicquid habet homo, dat pro sua uita. Verùm tange, iniecta manu, eius membra atq́ corpus, ni tibi corā maledicet. Et Ioua Satani: Is tibi in manū datur, inquit, sed ab eius uita caue. Igitur digressus à Iouæ conspectu Satan Iobum à planta pedum ad uerticem usq́ tam diris ulceribus affecit, ut sumpta testa sese scaberet, idq́ sedēs in medio puluere. Atq́ eius uxor sic ei dicere: Adhuc tu perseueras in integritate
C tua: b age sanè Deo gratias, & morere. At ille: Insanarū more loqueris, inquit ei, scilicet bona acceperimus à Deo, et mala nō accipiemus? Atque in his omnibus nihil peccauit oratione sua Iobus. Cæterùm cum audiuissent tres Iobi amici quantū ei mali euenisset, conuenerunt diuersis ex locis, Eliphas Themanita, Baldadus Suhita, & Sophar Naamathita, & simul ad eius uicē do-
D lendam, et eum cōsolandū uenerūt. Ac eum procul conspicati cum non agnouissent, ploratū magna uoce ediderunt, & lacerata sua quisq́ toga, ac puluere in aerem iacto capita conspersi, sederunt apud eum humi per septem dies, totidemq́ noctes, nullo ei quicquam dicente, quippe qui uiderent quanta doloris esset magnitudo.

a. aliena uita suam redimere facile est.

b. nónne deliras qui Deo gratias agas, cū is te mori sinat?

CAPVT III.

Ier. 20. d

DEinde Iobus aperto ore diem suam huiusmodi uerbis loquens execratus est: Pereat meus natalis dies, & nox in qua dictum est genitum esse marem, sit ille dies tenebricosus, nec eum desuper curet Deus, nec ei splendor affulgeat. Eum fœdent tenebræ, tetraq́ nox. Ei nubes incubet, quæ tanquam acerbissimum diem horrificet. Noctem illā occupet caligo, ne coniungatur cum diebus anni, ne in mensium numerum ueniat. O' sit illa nox solitaria, nec cadat in eam ouatus. Eam execrentur, qui detestantur dies, Leuiathanem excire conantes. Caligent
B eius diluculi stellæ: præstolata lucem non assequatur, neq́ cernat auroræ lumina, quæ a mei uentris ostia non obserauerit, atque ita labores meis non subtraxerit oculis. Cur non ab utero mortuus sum? cur non egressus ex uentre expiraui? Quare genibus exceptus? quid suxi ubera? Nunc enim tranquillè iacerem dormiens, atq́ ita demum quietus cum orbis regibus atq́ arbitris, qui sibi b ruinas extruxerunt, aut cum principibus qui aurum habuerunt, qui suas argento referserе domos. Aut tanquam latens abortus nullus essem, sicut infantes qui lucem non uiderunt. Illic impij sæuire desierūt, illic uiribus fatigati quiescunt, simulq́ uincti requiescunt, nullam audientes uocem præfectorū. Illic & infimi sunt & summi, & serui à suis liberi dominis. D
Cur lux ærumnosis, cur animo tristibus uita datur? qui mortem expectantes non assequuntur, cum eam acrius indagent quàm pecunias: qui lętitia gestientes exultarent, si c sepulchrum inuenirent: hominibus quorū fata latent operta diuinitùs. Nam meum cibum meus anteuenit gemitus, meaq́ fluunt undatim suspiria. Etenim quod pauebam, euenit mihi: quod exhorrescebam, id mihi contigit. Infelix, inquietus, irrequietus, inuasus sum atrociter.

a. uentris qui me gestauit, hoc est materni.

C b. diruta loca, ut solēt diuites.

c. mortem.

CAPVT IIII.

TVm Eliphas Themanita uerba fecit in hanc sententiā: Si quid tibi dicere tentemus, forsitan ægrè feres, sed orationē cohibere quis possit? Tu quidem multos arguisti, a languentesq́ manus cōfirmasti: tu lapsos tuis uerbis erexisti, & labentia corroborasti genua. At nunc ut ad te uentum est, succumbis, tactusq́ perturbaris. Nimirum b tantum religionis, quantum expectationis: quantum spei, tantum habebas integritatis morū. Recordare quæso ecquis innocens perierit, aut quando probi deleti sint? Quantū uideo, qui crimen et facinus machinant̄ atq́ serūt, idem metunt, Dei flatu, & iræ spiritu pereuntes atq́ confecti. Leonis rugitus, pardi uox, & iuuenum leonum dentes colliduntur: perit inopia prædæ leo, leænarūq́ catuli profligantur. Mihi C quidem clanculū patefacta res est, & de ea nonnihil auribus accepi inter nocturnorū uisorum imaginationes, cum solet inuadere sopor homines. Accidit mihi pauor tremorq́ tātus, ut quantum est artuum meorum attonitos reddiderit, & pręter meum conspectum transiens spiritus mei corporis pilos horrificauit. Stetit ob oculos meos ignota mihi species imaginis tacitæ, & huiusmodi uocem audiui. Scilicet Deo & creatore suo innocentior erit & purior mortalis homo? Ille ne suis quidē seruis credit, & genios suos temeritatis insimulat, D quo magis cretacearū domorum incolas, humi fundatarū, qui à tineis cōminuuntur, qui c à mane ad uesperū contusi, d neglecti perpetuò pereūt, scilicet abeunte qua præditi sunt excellentia, eis insipienter morientibus.

a. afflictos

b. non Dei, B sed tui amore, & bonorum spe religiosus eras.

1. Pet. 2. a

c. breui tēpore.

d. indefensi: ut paulo pòst dicit.

CAPVT V.

VOciferare sanè si quis te exaudiat, & in sanctorū aliquem intuere. Nam stultos & simplices perimit occiditq́ a seueritas ac uehementia. Equidem b uidi radicatū stultum, cuius mansionē repentè detestatus sum. Cuius nati defensione caruerunt, & in senatu nullo tutante op-

pressi

a. scilicet Dei.

b. uidi florētes stultos: qui paulo pòst execrandū in modum deleti sūt.

pressi sunt. Cuius messem comederūt famelici, & ex spinis rapuerunt: cuiusq; facultates exhauserunt sitibundi.[c] Nō enim ex humo prodit pœna, nō germinat ex terra ærumna. Tam enim nascitur homo ad ærumnam, quàm stricturæ naturaliter in sublime uolant. Verùm ego Deū quærerem, eiq; meum proponerem negotium, qui magna & inexplicabilia, qui mira & quidē innumerabilia facit, qui pluuiā per terras præbet, qui aquam per uicos immittit. Qui collocat humiles in sublimi, ita ut pullati ad salutē erepant. Qui astutorum cogitata ita rescindit, ut conata nō perficiant. Qui sapientes capit in ipsorum calliditate, uersutorum consilium reddendo temerarium, ita ut interdiu tenebris occurrant, & tanquam noctu palpent in meridie. Qui idem pauperes ex potentium oris ense atque manu uindicat. estq; tenuibus spes, compescens os nequitiæ. Beatus quidem homo quem Deus castigat: neque tu omnipotentis emendationem repudiaueris. Nam idem & cruciat, & medicatur: uulnerat, & suis manibus sanat. Is te in sex sæptemue periculis ita tuebit, ut te malum nō attingat. In fame te asseret à morte, & in bello ab armorum iniuria. Linguæ uerbera euades, nec uenientem timebis perniciē. Perniciem famemq; ridebis, neq; terrestres feras timebis. Quin tibi fœdus cum terrestribus intercedet lapidibus, agrestesq; feras pacatas habebis, sentiesq; pacatum tuum tabernaculum, & habitationem tuam curabis impunè. Senties & prolem posterosq; tuos terrestrib. herbis numerosiores. Peruenies æui maturus in sepulchrum, sicut aufertur suo tempore seges. Ecce quod à nobis conquisitum sic habet: tu id audi atq; cognosce.

c. quod pœnas dāt improbi, id
B
nō ab ulla re terrestri proficiscitur, sed à Deo, qui efficit ut tā proprium sit improborum ærumnosos
C
esse, quàm naturale est stricturis in sublime ferri.
2. Cor. 3. d
Iacob. 1. b
D

CAPVT VI.

TVm Iobus respondens, sic fatur: Vtinam mea impatiētia cum mea miseria in eadem collocata trutina ponderet: iam enim esset hæc marina grauior arena, adeò ut me uerba deficiant. Nam Omnipotentis sagittæ in me sunt, quarum uirus meum spiritum haurit, colluctante me cum Dei terroribus. Nunquid rudit onager apud herbam? aut mugit apposita farragine bos? nunquid comeduntur insipida sine sale? aut est in albo oui sapor? Quæ ego tangere renuebā, ea mihi pro uictu satis essent. Vtinā eueniat quod postulo, concedatq; Deus quod aueo, & me uelit obterere, ac laxata manu cōficere. Id uerò mihi etiam solatio foret, gauderemq; in dolore, illo nihil parcente, tantū abest ut Augusti uerba renuam. Quod est meū robur ut durem? aut quis finis ut animo perpetiar? Nū mihi saxeū robur, aut æneū corpus est? nunquid ipse mihi desum, & tamen nihil proficio. Afflicti, quibus ab amicis bene fit, tamen Omnipotentis metū deserūt. Mei fratres fallunt ut torrens, ut transiens per alueum torrens glacie infuscatus, & sub niue latens, qui quandocunq; calescit soluit, & per æstū suo facessit ex loco. Qui suū rimant iter uiatores in cassum uenerūt, & pereunt, cum uiam ad Themam spectauissent, aut in Sabā sperauissent iter. Pudet eos confidisse, & uerecundātur qui uenerint ad torrentem. Iam tales estis mihi uos, qui uisa calamitate mea reformidatis. Quasi uero postulem ut mihi cōferatis, & pro uiribus uestris largiamini; meq; ex rebus aduersis eripiatis, & ex feroci manu uindicetis. Edocete me & tacebo, ac mihi quid errauerim ostendite. O' q; ualida sunt rectè dicta? ecquid coarguit qui uestrum arguit? Vósne arguendi causa orationem cogitatis, & in auram uerba nefaria? Imò pupillum inuaditis, & uestrū subruitis amicū. Quocirca audete in me intueri, utrum uestro in cōspectu mentiar.[a] Iterate sanè, ne sit iniquitas: iterate an maneat adhuc innocentia mea, an sit in lingua mea iniquitas, aut [b] meum palatum nequitiam non percipiat.

B
C

CAPVT VII.

HAbet sanè certum spacium in terris homo, suntq; dies eius similes dierū mercenarij. Vt anhelat umbrā seruus, utq; sperat mercedem suā mercenarius, sic ego menses habeo calamitosos, et mihi laboriosæ [a] numerant noctes. Si decūbo, cogito quādo sim surrecturus, & metienda nocte sera iactationib. exatior usq; ad diluculum Corpus habeo putre & terreis obsitū sordibus, pellē ulceratā atq; spurcā. A euū meū trama celerius sine ulla spe consumit [b] Memento uitā meā esse uentū, neq; rursus meos oculos uisuros esse bona. Nō iam me spectabūt oculi [c] cernentiū: uix oculos in me conieceris, cū ego periero. Vt cōsumpta nubes abit, sic qui descēdit in Orcum nō ascēdit. Nō deinceps domū suā repetit. nec eum suus amplius agnoscit locus. Igitur ego meum os nō continebo, quo minus in animi mei & mētis angore ac mœrore loquar atq; querar. Num pelagus ego sum? aut cetus? ut tu mihi custodiam adhibeas? Quod si cogito fore ut me meus lectulus consolet, ut meam leuet querimoniam meum cubile, tu me perterres insomnijs. spectrisq; perturbas, adeò ut meus animus suspendiū malit & mortē, quàm meos artus. [d] Nolo uiuere perpetuò: missum me fac, cum tam sit inanis ætas mea. Quid est homo ut eum tanti facias, eius ut rationem habeas? eumq; quotidie cures, & per singula momenta explores? Quādiu me nō omittes, nō laxabis? dum meam glutiam saliuā. Peccauerim, [e] quid tibi faciam homines obseruanti? cur me [f] tibi contrariū fecisti, ut ipse [g] mihi sim oneri? aut cur nō peccatū meū tollis, & crimen aboles, [h] qui cum iam humi iacebo, si me uigilanter conquiras, nusquam ero.

a. iterum disputate, ne iniquū uideatur, si uobis non fiat redarguēdi mei potestas.
b. non sentiam me nequiter uerba facere.
a singulæ transigun- tur.
B
b. saltem hác uitam, alioqui breuissimam, adeò uexare noli
c. scilicet nunc.
C
d nō æternā uitā abs
D
te peto, tantum postulo ut hoc tā inane æuū saltem integrum mihi relinquas.
e. nō possum tibi satisfacere, qui hominū peccata obseruas.
f. fontem.
g. meo peccato mihi noceam.
h. nisi mihi in hac uita bene facias, & condones, non erit post mortem locus.

CAPVT VIII.

TVm Baldadus Suhita respōdit in hæc uerba: Quousq; talia loquère, & uehementis spiritus oratione utère? Scilicet ius æquūq; peruertet omnipotens Deus? Si tui liberi peccarūt in eum, ideoq; eos suo ipsorū peccato addixit, si tu Deo inuigilaueris, & Omnipotenti supplicaueris, siquidē purus probusq; es, næ ille iam tua causa permotus [a] tuæ innocentiæ domiciliū beabit, adeò ut fuerit tua prior conditio tenuis præ ut posterior amplificabitur. Sciscitare enim

B
a. tuum qui iustus es.

priscum æuum, & sedulò scrutare maiores (nam nos quidem [c] hesterni sumus, & ignari, quippe cum nostra in terris ætas sit umbra) nimirum illi te docebunt, et animo dictante huiusmodi uerbis alloquent: [d] Nequaquam adolescit scirpus absque uligine, non sine humore crescit carex, & adhuc in uirore suo, etiamsi non carpatur, tamen ante cęteras omnes arescit herbas. Talis est omnium Dei immemorū conditio, peritque simulatoris spes, cuius fiducia fragilis, cuius confidentia domus est aranei, cui domui si quis innitatur, non stat: si quis eam prehendat, nō consistit. [e] Nouella arbor exposita soli ad eius splendorē suos emittit ramos, & implexas in tumulo radices habens, existit inter lapides. Quod si ex suo eruatur loco, adeò ut ibi nulla eius extent uestigia, hoc ipsum eius naturæ uoluptas est, atque ex humo pullulant aliæ. Deus quidem nec integros repudiat, nec malos [f] manu prehendit, quin [g] tibi os & labra risu hilarique clamore repleat, quin inimici tui pudore circumfundantur, & impiorum tabernaculum pereat.

CAPVT IX.

ET Iobus respondens: Profectò, inquit, scio ita rem habere, nec posse insontem esse hominem apud Deum, cum quo si uelit contendere, [a] non respondebit ei uel ad millesimam partem. Est mente sagax, uiribus pollens, quis ei se saluus opposuit? Qui mōtes ex improuiso transfert, eos iratus euertens. Terram ex sua sede conuellit, concussis eius columnis. Eo iubente non oritur Phœbus, sidera obsignat. Solus exporrexit cœlum, & maris alta peruadit. Fecit Arcturum, Orionem, Vergilias, & Austri penetralia. Magna & incomprehensibilia, mira facit & innumera. Qui etiamsi me prætereat, nō uidebo: si transeat, non eum animaduertam. Si rapiat, quis eum impediet? quis ab eo quid agat quæret? Dei irreuocabilis ira est, ei succumbunt conspirati superbi, nedum ut ego cum eo disceptē, selectis utens uerbis apud eum. Qui siue innocens essem, nō tamen responderem: [b] sin iudici meo supplicarem, tametsi inuocantem me exaudiret, nō crederem eum meam percepisse uocem. Quòd si me tempestate labefactaret, & multis uulneribus afficeret immeritò: nō sineret [c] respirare me, quem acerbitatibus oppleuisset. Si uiribus agatur, inuictus est: sin iure, quis me submonebit? si innocens ero, [d] meum me damnabit os, & quantuis inculpatum peruertet. Integer sim, meipsum ignorabo, meamque damnabo uitam. In summa sic statuo, [redacted] Si uerberando confestim interfecerit, deridebit innocentum pericula. Terra impiorum manibus est tradita, cuius gubernatorum personas ipse protegit. Quod si non ita est, [e] ubinam est ipse? Mea quidem ætas cursore uelocior fugit, neque bonis fruitur: præterit ceu rapidæ naues, ut escam inuolat aquila. Si statuo meam querimoniam obliuisci, & memet omissa tristitia colligere, reformido [f] meos tot labores, sciens me abs te non impunè laturum. Ero ego [g] nocens, cur tan-

c nuper nati.
Psal. 141.4
C
d ut iūcus non nisi in uligine crescit, & citò aret, sic impius nec nisi rebus prosperis uiget, & citò perit.
D
e ut arbor etiam inter saxa emergit & excisa renascit, sic uir pius & aduersis uiget reb. & afflictis recreatur, fitque præstantior.
f. iuuat.
g. si fueris integer.
a. obruetur argumētis homo, ad quorū millesimā partem nō poterit respōdere.
B
b. sin nocēs essē ut supplicandum esset.
c. sibi respōdere, ne eius iniusti-
C
tiam coarguerem.
d. meā causam deteriorem reddā, & illius eloquentia uictus meipsum damnare cogar, quāuis innocentē.
e. quid agit? cur impios nō punit?
D
f. mihi abs te imminētes.

dem frustra laborem? Etiamsi me aqua niuali lauero, measque manus purissimè emundauero, tamen [h] in foueam demerges me adeò ut à me ipsa mea uestimenta abhorreāt. Nec enim ille homo est, ut ego, ut cum eo disputem, nobis inter nos iure experientibus: non intercedit arbiter qui utrique nostrûm manum imponat. Auferat à me suam uirgam, neque me perterrendo perturbet: loquar nihil eum metuens. nam [a] sic quidem non sum apud me.

CAPVT X.

TAedet animum meum uitæ meæ, permittam mihi querimoniam, & animo ægro loquens sic Deum alloquar: Noli me cōdemnare: ostende mihi quamob causam mecum certes. Hoccine tibi placet, manuum tuarum laborem opprimere ac repudiare, & impiorum illustrare consilium? Tune corporeos habes oculos, aut humano more uides? est'ne tuum æuum humano simile, aut anni tui qualis est ætas hominum, ut in meum crimen & peccatum inquiras ac animaduertas? cum scias me non esse sontem, nec sit qui cōtra tuam manū defendat. Tuæ me manus elaborarunt, ac simul undique fecerunt, & me perdes? Recordare quæso ut tu me argillę modo feceris, & me in puluerem rediges? Tu me nimirum lactis in morem fudisti, & casei ritu coagulasti, cute & carne induisti, ossib. & neruis compegisti, uita affecisti ac beneficijs, ideque mihi tua cura seruas spiritū. Atque hęc habes in animo cōdita: scio hoc esse penes te. An si peccaui, tu me obseruabis, neque meum crimen mihi impune esse sines? si sum nocens, heu me miserum: sin innocens, nō attollam caput, despicatione satur, & ecce meam miseriam, quem tu pardi more gliscens uenaris, & iterato mirificè tractas, instaurans [a] tuos testes contra me, & tuam aduersum me sæuitiam augens, ita ut mihi [b] per uices bellandum sit. Cur me autem ex utero eduxisti? expirassem, nulli uisus oculo: essem perinde ac si nō fuissem, ex utero elatus in sepulchrum. Cum sit ætas mea breuis, desinat ille, omittat me, ut me paulisper recipiam, prius quàm nō rediturus discedam in tenebricosam terræque noctis terram, in obscuram, nempe mortiferæ caliginis & umbræ terram inordinatam, [c] cuius splendor idem est atque caligo.

CAPVT XI.

TVm Sophar Naamathita orationem excepit in hanc sententiā: Nihilne uerboso contradicendū erit? aut homo loquax erit innocens? Tibi tacebunt mortales, nec te nugantem quisquam cōfutabit, & tuam orationem mundā esse dices, teque purū esse in illius conspectu? O utinam loquatur Deus, & tecum uerba faciat, ac tibi patefaciat arcana sapientiæ. Nam [a] meritò duplum esset, ut intelligas Deum tibi de tua culpa remittere. Tunc Dei intima peruestiges, aut ipsam adeò perfectionem Omnipotentis inuenias? quæ cum cœlum altitudine adæquet, quid ages? cum sit Orco profundior: quid intelliges? cum sit eius modus & terra longior, & mari

g. si quidē cū Ioua disputem, dānabor, licet innocens.
h. me adeo fœdum disputando reddes, ut uel meis uestimentis fœream.
a: dum me ita uexat.
B
C
a. Dei testes uocat suos ami-
D
cos, à quib. tanquā testibus arguebatur.
b. modò cū hoc, modò cū illo decertādum.
c. quæ pro splendore caliginem habet.
B
a. grauius meruisti supplicium.

mari latior. Si euertet, si concludet, si congregabit, quis eum impediet? Nouit enim mortalium uanitatem, uitiositatemque uidet, & aget inconsideratè? cum homo sit inaniter cordatus, cum homo b nascatur onagri pullus. Quòd si tu composita mente manus ad eum tetenderis, si uitiositatem, qua præditus es, remoueris, ita ut nō habitet in tuis tabernaculis nequitia, ita quidem fiet ut uultum intemeratus attollas, fixus ac intrepidus, ita tu laborem obliuiscēris, eum nō aliter recordaturus quàm præterlapsam aquam. Ac surget æuum meridie clarius: tu matutini similis splendebis, & spe tutus ages, & cum foderis tutò quiesces, et cubabis imperterritus, tibique multi supplices erunt: cum interea impij tabescentibus oculis effugium amittent, eritque spes eorum anxietas animi.

C

b. natura & excors.

D

CAPVT XII.

HIc Iobus. Næ uos uiri estis, inquit, & a uobiscum morietur sapientia. Et mihi cor est sicut & uobis: nihilo sum ego uobis inferior. nam talia quidem quis nō possit? Is ero qui sit alijs derisui, Deum inuocās ut se exaudiat, cum derisui sint insontes & integri. b Fax parui pendit quiescenti, gressibus destinata pedum. Fortunata habent tabernacula prædones, suntque in tuto qui Deum lacessunt, quibus Deus affert sua ipsius manu. Sed interroga quæso beluas, aut cœlestes uolucres: quæ te erudiant, ac tibi rem exponant: aut colloquere cum terra quæ te erudiat, tibique rem pisces enarrent aquatiles. Quis nescit ista omnia esse Iouæ manu facta? cuius in manu omnium uiuentiū anima, omniumque humanorum corporū spiritus est. c Nimirū & auris probat orationē, & palatum gustat cibos. In ueterib. est sapientia, & longi æui propria est prudentia. Penes d illum sapientia est atque fortitudo: eiusdem est consilium atque prudentia. Si quid demolit, id nō instaurat: si hominem cōcludit, nō soluit. Si cohibet aquam, arescit: sin laxat, ea terram euertit. Penes eum est potentia atque ratio: eius sunt & decepti & deceptores Consultos abigit mancipia, et præsides infatuat. Regū e magisteriū dissoluit, & eorum latera baltheo constringit. Abigit sacerdotes mancipia, & robustos euertit. Eripit assiduis orationem, sensumque senibus aufert. Aspergit conteptu primates, soluitque neruos potentum. Abstrusa profert ex tenebris, atramque noctem educit in lucem. Gentes & amplificat & perdit, gentes & dissipat & cogit. Mentem adimit præcipuis hominum orbis terræ, facitque ut per deuia errent solitudines, & palpantes sine luce tenebras, errent ebriorum ritu.

a soli sapientis.

Prou. 14.

b. ut facem non curat qui nō ambulat. que ea ambulanti, nō quiescēti usui est: ita uos, qui ualetis faci

B

le meū mali cōtemnitis Sed si hic essetis, aliter sentiretis.

c uestrum est, qui sensistis, de meo sermone iudicare, sicut palati est de cibis sapore. Vide idem cap. 34.

C

d. Deum.

Esa. 22. f

Apoc. 3 b

e. imperiū.

D

CAPVT XIII.

HAec equidem omnia & oculis uidi, & auribus audiui atque percepi. ut intelligitis uos, intelligo & ego, nihilo uobis inferior. Sed ego cum Omnipotente, sed cum Deo loqui ac argumentari cuperem. Nam uos quidem falsi concinnatores, uos omnes inepti medici estis: atque utinam tacuissetis, id uobis sapientiæ fuisset. Audite uerò argumentationem meam, & orationis meæ contentiones attendite. Vósne de Deo iniquè, uos malitiosè loqui? Vósne eius personæ rationem habere? An cum Deo concertabitis? An bene erit, si uos examinauerit? aut quomodo circumueniuntur homines, sic uos illum circūuenietis? Castigabit uos si a furtim personarum rationem habueritis. Nimirum perturbabit uos eius dignitas, eius formidine perculsos, b eritque uestri memoria pulueri similis, & uestra corpora cretacea corpora. Præstate mihi silentium, & loquar ipse, dum leuer aliquantulum. Cur meum ipse corpus tollo dentibus, & uitæ meæ periculum sustineo? Me licet ille interimat, tamen eum suspiciam, ac coram eo defendam meos mores: ipse quoque mihi saluti erit, quippe c cum in eius conspectum non ueniant simulatores. Audite mea dicta, & rationem auribus attendite. Dummodo ego causam agam, scio me insontem fore: sed si ille mecum experiatur, iam ego examinatus tacebo. d Tantum duo mihi ne facito, ita demum tuum conspectum non subterfugiam. Manum tuam à me abstine, néue me tui terrore perturba: deinde appella, & ego respondebo: aut ipse loquar, & tu mihi respondeto. Quot sunt mea crimina aut peccata? ostende mihi mea commissa atque delicta. Cur tuum uultum abdis, & me pro inimico habes? An in mobile folium sæuies, aridamque persequère stipulam? ut aduersum me e tam acerba perscribas, & iuuentutis meæ uitia in crimen uoces, ac pedibus meis in compedes compactis, meas omnes semitas obserues, meorum pedum uestigia definiēs: cum alioqui quasi putre quiddam exolescam, ueluti pannus quem tinea corrodit.

B

a. ipsū iniuste defenderitis, ut facitis.

b. citò peribitis & funditus.

C

c. cū admittat nō simulatores, sed mei similes bonos

d. Deū alloquitur

D

e. omnia mea cōmissa crimine-re? quasi ea ex librario recites.

CAPVT XIIII.

HOmo muliere natus tam breuis æui, tam plenus est miseriæ: qui ceu flos exortus carpitur, ac uelut umbra fugit, neque durat, & tamen a in hunc oculos habes apertos, & me in iudicium contra te adducis? Qui purum ex impuro efficiat, nullus est. Si determinata est eius ætas, si eius mensium numerus penes te est, si ei terminum statuisti quem non prætereat, omitte eum ut b defungatur, donec delectetur quasi mercenarius sua die. Arbori quidem spes est, si excindatur, regerminaturam, neque deficiunt eius rami. Si in terra consenuit eius radix, & humi mortuus est caudex, humoris afflatu repullulat, agitque plantarum more frutices. At homo morte debilitatus ac extinctus ubi est? c Effluit ex lacu aqua, & exiccatus aret fluuius: item homines occubant non resurrecturi, donec nō sit cœlum, nec ex suo somno expergefaciendi aut excitandi. Vtinam me in Orco abditū occultes donec tua sedetur ira, & mihi terminum definias quo mei sis recordaturus. Si futurum est ut mortuus homo resurgat, equidē toto mei spacij tempore expectabo dum mei mutatio ueniat, cum quidē tu operis manuū tuarū cupidus uocabis, & ego tibi respondebo. At nūc meos gressus numeras, d nō obseruans tu quidem meum peccatum, sed

a. hūc tanti esse putes ut cum eo litigare digneris.

b. iustū æui

B

cursum perficiat, donec suo tēpore lætus obeat.

c. ut aqua sic hoies pereunt.

C

d. non meo merito.

meo

meo delicto in fasce concluso, mihi crimen affingens. Cumq; labefacti cadant montes, & rupes ex suo loco tollantur, cum lapides exterat aqua, alluentibus eius undis humum terræ, tu spem hominis præcidisti, eum perpetuò ita domans, ut exolescente eius facie, te eum dimittente, discedat: nec augendi ne sint, an minuendi sui nati, sciat aut perspiciat. Tantū & corpore, quo præditus est, dolet, & animo luget.

D

CAPVT XV.

AD hæc Eliphas Themanita sic subiecit: Est'ne sapientis uentosa respondere scientia, & Euro plenum habere pectus, argumentando oratione nō profutura, & uerbis quib. nihil adiuuetur? Tu quidem religionē soluis, & sollicitudinē aduersus Deū expellis. Nā tuo ipsius ore tuū crimē doces, callida lingua utēs. Ipsum tuū os te damnabit, nō ego: tuaq; labra te accusabūt. Hominumúe tu primus natus es, & ante colles formatus? An diuini auditor arcani sapientiam ad te allicuisti? Quid scis tu quod nesciamus nos? quid perspectum habes tu quod ignoremus nos? Et canus & senex est in nobis, natu grandior tuo patre. An tibi [a] diuina solatia parui sunt, eamq; rem parui facis? Adeóne mente captus & supercilij uibrantis es, ut spiritū istum in Deū cōuertas, et isto ore talem depromas orationem? Quid est homo ut purus sit? ut sit insons muliere natus? Ille uerò ne sanctis quidē suis fidem habet, nec cœlū ipsum eius iudicio purum est: nedū abominādus & spurcus homo, qui nequitiā effuse imbibit. Explicabo tibi, audi me, & quæ perspexerim enarrabo, quæ quidem sapientes prodiderunt, & de maiorib. suis nō celarunt, uidelicet [b] illis unis traditā esse terrā, nullis inter eos traiectis peregrinis. Impius quidē torquetur perpetuò, ferocemq; latet annorū numerus. Eius aures circūsonat terrorum uox: eum in pace uastatio inuadit. Non credit euasurū se tenebras, & arma [c] speculaț. Errabūdus uictum quæritat: scit sibi ad manum paratam esse tenebricosam diem. Eum percellunt angustiæ atq; pericula, eum subigentia quasi quidā in aciem instructus rex. Quoniamq; manum intendit aduersus Deum, cōtraq; Omnipotentem nititur, ille ei in collū incurrit per densissima eius clypeorū terga. Et quamuis obductā pinguedine faciem, & obesa latera habeat, deletasq; urbes & incultas domos habitet, quæ fuerāt in tumulos redactæ, nō tamē ditescet, neq; stabiles habebit opes, nec hærentes in terra facultates. Nō declinabit tenebras: eius rami flamma arefacti [d] illius oris flatu abripienț. Instabilis est, temerè errās, adeò temerè fit eius mutatio. Immatura die absumiț, eius'que surculi nō uirent. Immaturā, ut uitis, extrudit uuam, & suos oliuæ ritu flores abijcit. Nā simulatorū caterua sterilescit, & numaria cōsumit ignis tabernacula. Facinore prægnantes pariūt crimen, & fraudes pectore concinnant.

B a. nostra, qui te diuinitus solamur.

C b. maioribus, uidelicet Israelitis.

c. formidat.

D d. Dei

Esa. 59. a
Psal. 7. d

CAPVT XVI.

AT Iobus contrà: Istiusmodi multa audiui, inquit: molesti consolatores estis omnes. Ecquis erit uentosæ finis orationis? aut quid te contra loqui cogit? [a] Ego quoq; loquerer nō minus quàm uos, si mea cōditione essetis: cōmunicarem uerba uobiscum, & [b] in uos caput quassarem, uos hoc ore cōfirmans, & oratione mea subleuans. Siue loquor, non mitigaț dolor meus: siue non loquor, nihil mihi decedit. Iam uerò ille me fatigat, depopulatus omnes meas [c] copias, meq; corrugauit, quod sit testimonio, extante in me mea maciletia quę in meo uultu [d] loquaț. Ille rapida ira mihi, dentib. in me frendens, aduersatur, meus aduersarius in me suos acuit oculos. [e] Hi faucibus in me hiantes mihi colaphos fœdè impingunt, [f] sese in me simul explentes. Addixit me Deus insanis, et in impiorū manus impegit: me, cū fortunatus essem, contudit, & ceruice prehensum perfregit, ac sibi pro scopo constituit, & mihi suis sagittarijs circūsepto renes trāsadigere non parsit, meum fel humi profundens. Me cladibus alijs super alias profligauit, in me militariter incurrens. Ego sacco meā pellem insui, meumq; [g] cornu terra cooperui. Vultum habeo præ ploratu squalentē, & operta atra nocte lumina, cum tamen intemeratas manus habeam, & puris utar precibus. [h] Terra ne tege meū cruorem, neue meæ sit locus querimoniæ. Iam uerò cum in cœlo testem, in sublimi consciū habeam, disceptatores mei sunt mei familiares, cum mei ad Deum [i] stillent oculi. Ita fit ut idē mortalis & homine natus & cum Deo disputet et cum hominibus, quandoquidē [k] numerati uenerunt anni, quibus uiam mihi non relegendam ingrediar.

a. facile cū ualemus, ægrotis cōsilia damus.

B b. uos grauiter alloquerer.

c. liberos & pecora.

d. meū malum testet.

e. amici mei in me C sunt immites.

f. mecum agentes quàm possunt crudelissimè, & suá irá exaturantes.

g. caput.

D h. pateát si quas feci cædes aut iiurias, nec me Deus audiat, si feci, hoc est ego sum innocens.

i. lachryment.

k. uenit mihi fatalis dies quatum à Deo tū à uobis oppressus moriar.

CAPVT XVII.

DEficit me spiritus, cogitur ætas mea, instat mihi sepulchrū. Quid quòd proterui sunt apud me, [a] quorum in petulantia mei uersanț oculi? Depone sanè, fac mecum sponsionem, quis erit qui mihi manum det? nam horum quidem mentibus tu ingenium subtraxisti: ideoq; nō leges eos. [b] Qui assentatoriè loquitur alijs, huius natorum oculi consumanț. Ille me redegit eò ut uulgi fabula sim, & publicum ostentum, adeò ut mihi præ tędio caligent oculi, & artus omnes habeam umbræ similes. [c] Animaduertentes hoc probi & insontes, se credo aduersum simulatores excitabunt, tenebuntq; iusti suam uitę uiam, & qui puras habent manus, firmitatem acquirent. Cęterùm uos omnes iterum ad este, & nullum in uobis sapientiam reperiam. Aetas mea præterit, irritis meis conatibus: animi mei sollicitudines [d] ex nocte diem faciunt, propinquiore propter tenebras luce. Si spero, Orcus mea domus est, in tenebris meum lectum sterno, [e] interitum patrem, putredinem matrem appello ac sororem. Vbi tandem est spes mea, & meā spem quis perspicit? In Orci claustra descendet, [f] simul ac humi quietum fuerit.

a. quorum petulantiá mihi uersáť B in oculis.

b. assentari nolo.

c. Ironia.

C

d. faciūt ut noctu uigilem tanquā interdiu, & lucē citius habeam,

D hoc est oculos habeā apertos & insomnes propter res aduersas.

e. mihi cū morte res est.

f. peribit post obitū

CAPVT XVIII.

TVm respondens Baldadus Suhita: Quem tandem loquendi finem facietis? inquit. intelligite, deinde loquemur. Cur pro beluis habemur, sordentes uestro iudicio? Qui teipsum cruc ias

crucias iratus, an tua causa deseretur orbis, & rupes ex suo migrabunt loco? Atqui impij lux extinguitur, nec eius ignis flamma splendet. Caligat in eius tabernaculo lux, et quod habet lumen extinguit. Arctantur eius uiriles gressus, eumꝙ suum deijcit consilium. Infert enim in rete pedes, super maculis gradiens. Capit eius calcem laqueus, corripitur auidè. Ei pedica humi, decipula ad uiam latet. Eum undiꝙ percellunt formidines, eiusꝙ pedes implicant. Famelicas habet uires, eiꝙ periculũ ad latus præstò est. Consumit eius cutis toros, consumit eius artus[a] primaria mors. Auellitur ex eius tabernaculo ipsius fiducia, & ipse[b] ad formidinum regem adducitur. Habitat in eius tabernaculo[c] non suus, qui eius domicilium sulphure conspergat. Eius & infernè radices arent, & supernè amputantur rami. Eius memoria perit ex terris, nec habet in foro nomen. Pellitur ex luce in tenebras, & ex orbe exigitur. Non filium habet, non nepotem inter populares suos, nec superstes est ullus in eius habitatione. Eius fatali die & posteri stupent, &[d] maiores corripiuntur horrore. Atque hæc sunt improborum[e] sedes, hic locus est[f] ignorantis Deum.

B C

a. acerbissimum lethi genus, uidelicet fames.
b. ad mortẽ, quæ est
D
formidolosissima.
c. alienus.
Prouer. 1. d
d. qui eo moriente uiuunt, qui quidẽ sunt posterorũ maiores.
e. cõditio.
f. contẽptoris Dei.

CAPVT XIX.

AD hęc respõdens Iobus: Quousꝙ meum animũ fatigabitis? inquit, & me uerbis uexabitis? Iam decies me pudore afficitis, nec uos pudet opprimere me. Quòd si reipsa errauissem, & hæreret in me meus error: si meritò in me inueheremini, & me probri coargueretis, tamen scitote[a] mihi Deum iniuriam facere, qui me ita sua cingat indagine Si crudelitatem conqueror, non exaudior, neque clamans ius obtineo. Mihi semitam obsepsit ne transeam, meosꝙ calles offudit tenebris: me spoliauit mea gloria, & capitis corona priuauit. Me undique ita conuulsit ut discedam, & spe tanquam arborem priuauit: & in me ira ardens, me hostium loco habuit. Me simul inuaserunt eius agmina, & facta contra me expeditione meum tabernaculum circumsederunt undique. Meos fratres à me remouit, meiꝙ familiares etiam sunt à me alieni. Mihi desunt propinqui, meiꝙ necessarij mei sunt obliti. Meæ domus inquilini atꝙ ancillę me pro alieno ducunt, & extraneum iudicant. Meus seruus me uocantem non audit, cum ei hoc ore supplicem. Meũ halitũ auersatur uxor mea,[b] meiꝙ uentris filijs sum supplex. Stulti quoꝙ me despiciunt, & assurgẽti obloquuntur. Me abominantur omnes mei mortales intimi: & quos amaui, sunt mihi contrarij. Meæ pelli atꝙ carni adhærent ossa mea, ita ut supersim cum dentium meorum pelle. Miseremini mei, miseremini mei, uos amici mei, quoniam Dei manus me tangit. Cur me uos insectamini ut Deus?[c] carne mea insatiabiles? Quod utinam scribantur mea dicta, utinam in libro exarẽtur, ferreo plumbeoꝙ stylo in perpetuum insculpta saxo. Equidem scio uindicẽ meum uiuere, & postremò[d] in terram surrecturum esse, & postea[e] hoc ipsum circundatum iri mea cute, & me ex meo corpore uisurum esse Deum, quem quidem ego ipse uisurus sum, & meis ipsius, non alterius oculis aspecturus, ego[f] cuius renes in me penitus consumuntur. Itaꝙ dolebitis uos insectatos esse me, in quo[g] rei fuerit inuenta radix. Metuite uobis à gladio: nam gladio crimina punientur, ut iudicium sciatis.

a. me grauius puniri quàm dignus sim.
B C
b. eis qui mihi per ætatem possent esse filij.
c. non potestis satiari me come-
D
dẽdo, hoc est, affligendo.

d Christi resurrectio, quam hominũ resurrectio sequitur.
e. meũ corpus.
f. quamuis nunc consiciar.
g. Hoc de resurrectione mysteriũ, post quã omnibus expectãda sunt præmia, quos nequicquã quæritis in hac uita.

CAPVT XX.

TVm Sophar Naamathita respondit in hanc sententiam: Ergo me cogitationes impellunt meæ: & quia festino,[a] ignominiosam mihi castigationem audiam, & meæ prudentiæ spiritu pro me respondebo. Nónne scis hoc antiquitùs, ex quo collocatus est in terris homo, imperiorum triumphatus esse breues, & simulatoris lætitiam caducam? Qui si uel in cœlum sublimitate ascendat, & tangat capite nubila, tandem perit non minus quàm ipsius stercus, ita ut qui eum uiderant quęrant ubi sit. Somnij more auolat, ita ut nusquam extet, nocturni uisi modo profligatus. Qui eum uiderat oculus, nõ amplius uisurus est, nec eũ deinceps suus[b] cernit locus. Eius liberi supplicãt mendici,[c] suisꝙ manibus suas uires recreant. Mẽbra habet occultis plena peccatis,[d] quæ cum eo cubabũt humi. Quòd si dulce est ei in ore[e] scelus quod abscõdit sub lingua sua, cui indulget, nec id deserit, sed in medio palato suo cohibet: eius cibus in eius intestinis ita uertitũ, ut fiat in eius uentre uirus aspidũ. Quas ligurit facultates, euomet, Deo ei de uentre extrahente. Fel aspidum sugit, eum uiperæ lingua perimet. Nõ uidebit undas fluminũ melle butyroꝙ torrentiũ. Reddet[f] laborẽ, nec eum abligurriet, aut tanquam sui mancipij re fruetur, qui tenues nõ solum deserat, sed peruertat, quas nõ ædificauit domos diripiens. Itaꝙ nullã sentit in pectore suo felicitatem, neꝙ suas cupiditates explet. Nihil ei cibi superest, ideoꝙ nõ durat eius bonũ. Si rebus multũ abundat, angitur, & ei omni modo labores accidunt. Dum[g] in explendo uentre suo occupatũ,[h] ille in eum laxans ardorem iræ suæ, cõpluit epulantem. Effugerit arma ferrea, excipit eum chalybeus arcus: deprompta & eius egressa corpus sagitta, eius felle splendet, terroribus perculsi.[a] Omnes tenebræ ei penitus reconditæ sunt, eum cõsumit[b] nõ afflatus ignis: affligunt eius domi superstites. Et cœlum crimen eius patefacit, & terra cõsurgit in eum. Facessit eius domus germen effluens, cum de eo suppliciũ sumitur. Hæc sors est quæ impiũ manet à Deo: hæc est hæreditas ei dicta diuinitus.

a. loquar ut tu me postea turpi-
B
ter refellas, & meã causã meis uerbis agã.
b. habet.
c. mercenarij sunt ob uictum.
d. in quib. morietur.
e. cibus malè partus.
C
f. alieno labore parta, quæ sibi iniuste uendicauerit.
Eccles. 5. c
g. cibum capit.
D
h. Deus.
a. Omnes ei calamitates imminent & reseruantur.
b. rapidus & sua sponte sine flatu flagrãs.

CAPVT XXI.

AD hæc Iobus respondens: Facite ut orationem meam audiatis, inquit,[a] quod sit pro uestris consolationibus. Ferte me, dum loquor: & postquam locutus fuero, deridebitis. An mihi cum hominibus disputatio est? aut si est, cur nõ est oratio mea breuior? Aspicite me et admota ad os manu obstupescite, qui ipsa recordatione perturbor, & corporis horrore corripior. Cur impij uiuũt, durãt, & pollent opibus?

a. pro eo quod me consolari debetis.
Ierem. 12. a

Eorum

Eorum progenies coram apud ipsos, eorum posteritas spectantibus ipsis condit: domus habet à pauore saluas: non uapulant diuino uerbere: eorum boues fœcundi sunt, non inertes: uaccæ educant, non sunt steriles. Emittunt ouium ritu suos paruulos, eorumque nati saliunt. Tympanis citharisque personant, & se musicorũ instrumentorũ uoce delectãt. Transigunt feliciter ætatem, & subitò perduntur Orco,[b] dicuntque Deo: Abi hinc: tuas quidẽ nosse uias nobis nõ libet. Quis est omnipotens ut ei seruiamus? aut quid nobis eum interpellare proderit? Si non habent in manu suum bonum, me præterit impiorum consilium. Si quando lux impij extinguit, eique suum contingit exitium, Deo ei dolores ira sua impertiente,[d] est quasi quædam acta uento palea, aut rapti turbine aceres. At ipsius dolorem reseruat Deus eius natis: remuneretur ipsum, ita ut exitium suum sentiat, suisque cernat oculis, & Omnipotentis bilem potet. Nam[e] quæ est eius ex successura sibi progenie delectatio, truncata eius æui summa? [f]Nunquid Deus eius rei certior fiet, cum altè iudicet? Hic moritur robustus & integer, totus quietus & felix, mammis lacte plenis, & ossium medullis succulẽtis. Ille mœsto moritur animo, postquam iniucundè uixit, pariterque iacent humi, & uermibus obteguntur. Neque uerò me latent uestræ cogitationes & nefarij conatus aduersum me. Quæretis enim ubi sint primariorum domus, ubi impijs habitata tabernacula? nimirum si facias iter, hoc tibi sciscitandum esse, quippe illorum indicia non agnosci: prorogari enim differrique ad exitij supplicijque diem malos.[g] Quis eis coram eorum euentus indicabit? aut quod fecerunt ipsi quis eis rependet? cum ferantur in sepulchra, &[h] metæ instent, cum[i] sint eis suaues scrobium glebæ, cumque et post eos trahantur omnes homines, & eos antecesserint innumeri. Quomodo igitur me tam inaniter consolamini, ut ex responsis uestris sola supersit molestia?

Habac. 1. d
B
b. Deum nihil curant.
Malac. 3. d
C
d. non languet, sed citò perit.
e. Non magis potest dolere suorum uicem mortuus quã gaudere. Nam in quẽ non cadit delectari, in eundẽ non cadit dolere.
D
f. nõ potest de ijs quæ fiunt in terris admoneri, cũ sit in sublimi, & ideo infima parũ dijudicet. hinc fit ut impunè peccet improbi.
g. quid attinet eorum posteros dare pœnas, quas ipsi fontes nõ sentiãt?
h. in mortuorũ aceruum cõgerant, sicut frumẽta in metam.
i. sepulcro, hoc est morte delectentur, quę eis cum omnibus cõmunis est.

CAPVT XXII.

TVm Eliphas Themanita respondit hunc in modum: Quasi uerò quicquam conferat mortalis Deo, aut quasi non sibimetipsi commodet qui sapit: quasi uel iucunditati uel utilitati sit Omnipotenti, si tu sis innocens integrisque moribus, aut[a] quasi te ob tuam religionem castiget, tecum iudicio congressus. Enimuero tua scelera multa, & crimina sunt infinita. Tu tuos fratres pigneratus es iniuria, & homines uestibus spoliasti atque nudasti. Non aquam lasso dedisti bibere, & famelico negasti panem, cum interea[b] neruosi terram[c] obtinuerunt, & autoritate præditi eam habitarunt. Tu uiduas inanes dimisisti, pupillorumque extenuasti lacertos. Propterea circundatus es laqueis, teque subita formido conturbat. Alioqui[d] tenebras non uideres, nec aquarum obruereris inundatione. Nónne Deus cœlum æquat altitudine? aspice uerò siderũ uerticem quàm sint alta, & negas quicquã scire Deum? perinde ac si per caliginem iudicet, & cum sit in nubium latebra, non cernat, in orbe cœlesti ambulans. Obseruastíne priscos mores, quibus uixere[e] mortales scelerati? qui immaturo tempore perditi sunt, eorum fundamẽto fluctibus offuso. qui Deo dicebant: Abi hinc,[f] quid fecerit eis Omnipotens, qui eorum domos impleuisset bonis?[g] & me præterit impiorum consilium. Hoc uiso lætantur boni, illosque derident innocentes, quippe qui[h] fuerint ex rerũ natura sublati, quorumque reliquias ignis consumpserit. Compone cum illo (mihi crede) & saluus eris, atque ita fiet ut tibi bene eueniat. Accipe ex eius ore legem, & eius uerba in animũ reconde. Si te ad Omnipotentem cõuerteris, reficieris, remota ex tabernaculo tuo nequitia: &[a] humi tantũ auri Ophirisque pones, quanta sunt fluuiatilia saxa, & auri uim immensam, & argenti cumulos habebis. Tunc enim te Omnipotente oblectabis, & ad Deum uultũ attolles, isque te orantem exaudiet, & uota tua solues: quamque rem decreueris, rata erit,[b] tuasque uias splendor illustrabit. Deprimũtur enim quos tu dicis elatos, & ille modestos conseruat. Regionẽ liberat innocens,[c] eaque tuarum manuum puritate liberatur.

a. Nõ quia religiosus es, sed quia
B
religiosus nõ es, ideo te castigat.
b. potẽtes.
c. scilicet per te, hoc est fauisti potẽtibus.
d. non esses in malis.
e. ante diluuium.
C
f. Obseruasti ne quid eis.
Psal. 106. d
g. & tamen negas te intell.
h. Per tertiã personã trãstuli, ut postulat sentẽtia, &
D
Græcus habet ac Latinus interpres, cũ tamen in Hebræo sit prima.
a. tantũ auri & Ophiris) id erat aurũ præstãtissimũ) habebis, ut id humi ponas aceruatim.
b. tuæ actiones erunt prosperæ.
c. alicuius innocẽtia.

CAPVT XXIII.

ET Iobus: Etiamnum tristis est oratio mea, inquit, ingrauescit meũ uulnus meo gemitu. Vtinam illum sciam ac inueniã: uenirem ad eius sedem, agerem apud eam causam, & os plenum haberem argumẽtis: cognoscerem quibus ille uerbis mihi responderet, & quid mihi diceret, considerarem. Vtrum numerosis copijs mecum decertaret, an potius ipse me inuaderet? Ibi[a] probus cum eo disceptaret, tandemque meũ iudicem euaderem. Sed siue orientẽ uersus eam, nusquam est: siue retro, nõ animaduertã eum: ad sinistram si quid faciet nõ cernam: si se ad dexterã abdet, nõ uidebo. Cum autẽ mores iuxtà mecum nouerit, si me exploret[b] aureus exibo. In eius uestigijs pedes meos continui, eius uiam tenui, nec ab eius labiorum præceptione deflexi, nec meum mutaui institutũ, quin eius oris dicta recondita habui. Sed[c] ipse ita uniusmodi est ut retrahi nequeat, quo minus quod animo concupiuit id faciat. Perficiet enim quod de me decretũ est,[d] qualia multa sunt in eo. Itaque perturbarer eius præsentia, & uel ipsa contemplatione eum pertimescerem, meumque cor molliret Deus, & me turbaret Omnipotens.[e] Nec enim à tenebris abessem, nec ille meo conspectui caliginem subduceret.

B
a. ostende rẽ me esse insontem
C
b. innocentissimus ero.
c. quamuis sim innocens, nihil apud eum
D
efficiã, qui sit immutabilis.
d. qualis ferè est eius consuetudo.
e. inter disputãdum cum Deo, manerẽ in hac miseria.

CAPVT XXIIII.

CVr ab Omnipotente nõ sunt occultata tempora, ita ut qui eum norunt, non uiderent eius dies? Summouent limites: rapti pascuntur greges: pupillorum abiguntur asini: uiduæ bos pignori capitur: euertuntur suis fortunis pauperes, adeò ut latitare cogantur terrarum inopes. Ecce autem prodeunt in syluas[a] onagri, ex professo inuigilantes prædæ, quibus solitudo uictũ suppeditat ad[b] pueros. Ruri suam metunt farraginem, uineasque uindemiant[c] impij, ita ut illi nudi

a. impij feri quę homines
b. suos alendos.
c. hoc est
B
impie, hoc est alienas

nudi uestis defectu pernoctent, nec habeāt in frigore tegumentū, & montanis imbribus uuidi, penuria perfugij [d] cautes amplexentur. Diripiunt perniciosi pupillos, & inopum dāno pignerantur. [e] Nudos ire cogunt sine uestitu, & famelicos portare mergites. Qui intra eorum parietes oleum exprimunt, & calcant torcularia, sitiunt. Per urbem conqueruntur mortales, et cęsorū quiritantur animæ, [f] & Deus nihil designat absurdè? cum illi apertè contumaces nec eius uias agnoscant, nec in eius uersentur semitis? [g] Luce surgit homicida, qui inopes & pauperes interficit, et est noctu furi similis. Tum adulteri oculus obseruat crepusculum, eo consilio ne quis se oculis aspiciat, & laruā adhibet. Perfodiunt in tenebris domos, quas sibi interdiu notarunt, [h] nesciūt lucem, nam eis & matutinum pro tetra nocte, & agnosci pro tetræ noctis horroribus est. Celeres sunt in humore, celer est eorum in terra cōditio, neq; spectant uinearū naturam. Vt ęstus calorq; niuales aquas, sic Orcus peccantes depopulatur. eos obliuiscitur uterus, eis dulcis est putredo, nulla superstite eorum memoria: ac uelut lignū franguntur improbi, qui fœminas reddunt steriles ut nō pariant, nec uiduis prosunt, trahuntq; generosos ui sua, & ita insurgunt ut illi de uita diffidant. Opprimunt eos tutos atq; securos, [i] oculis in illorum uias cōuersis. Vbi aliquandiu uiguerunt, pereunt, & omnium more depressi compescuntur, quasi quædam capita spicarum decisi. Quod si nō ita est, cōuincat sanè aliquis me mendacij, meamq; confutet orationem.

d. iaceant in antris. e. messores factoresque suos male uestiunt & pascunt. f. & tamen Deū negatis absurde C quicquam facere? g. interdiu dormit, sub noctē, cum adhuc lux est, surgit ad latrocinandum. h. qui malè facit, odit lucem. D

i. eis insidias struentes.

CAPVT XXV.

AD hæc Baldadus Suhita respondit huiusmodi uerbis: Cum illius sit potentatus atque terror, qui [a] præstat in suo fastigio pacē: cum eius & agmina sint innumera, & lux nullum nō oriatur, scilicet innocens sit homo apud Deum? scilicet purus sit fœmina natus? Cum in eius oculis ne luna quidem splendeat, neq; sidera niteant, nedum mortalis & homine natus, qui putredo & uermis est.

a. cœlestia pacatè regit.

CAPVT XXVI.

CVi Iobus: [a] Quēmnā tu adiuuas? inquit imbecillū credo defendis, inualidi lacerti. Cui nam consulis? insipienti uidelicet, & multū acuminis ostendis. Cui orationem exponis? & apud quē uerba facis? quem Manes eorūq; contermini sub aquis cōtremiscunt, apud quem nudus est Orcus, & sine tegimine Pluto. Qui septentrionem extendit super inane, & terram super nihil suspendit. Qui aquam suis in nubibus ita cohibet, ut sub ea nō rumpantur nubes. Qui [b] solij faciem tenet, id sua nube consternens. Terminum definiuit aquis duraturum donec lux simul & tenebræ deficiant: quo increpante labefiunt attonitæ cœli columnæ. Cuius ui dissilit mare, cuius prudentia altum percellit. Qui suo spiritu cœlum ornauit, sua manu teretem formauit anguem. Atq; hæc sunt eius operum pars, & quantula portio eius audita est? & quis eius [c] uirtutum tonitru perspicit?

a. ineptè facis qui deo patrocinere, quasi B *tuo egeat patrocinio, cum sit potentissimus.* C *b. cœli quod est eius soliū.* D *c. ualentissimum.*

CAPVT XXVII.

TVm sententiā persequens Iobus: Per Deū immortalem, inquit, qui me meo iure priuauit, per Omnipotentem, qui mihi cōciliauit animi dolorem, quandiu durabit in me flatus, & in naso [d] diuinum habebo spiritum, nihil iniquum labijs eloquar, nihil lingua fraudulentū effabor. Absitā me ut à uobis ius esse fatear: citius animā agam, quàm [a] mihi integritatem detraham. Innocentiam meam tenebo, nec remittā: nec unquam donec uiuam, mihi mens erit irreligiosa. Sit hoc inimicorū & aduersariorū meorū, ut iniusti sint & iniqui. Quid enim sperandum erit simulatori qui quæstum fecerit, cum ei Deus animam eripiet? Num eius clamorem exaudiet Deus, cum ei contigerint aduersa? aut sese Omnipotente delectabit, Deū iugiter inuocans? Docebo uos [b] diuinitùs, & ea quorum autor est Omnipotens nō celabo. Nam uos quidem, si quidem omnes fatidici estis, cur uos tam futiles præbetis? Hæc est hominum impiorum à Deo conditio, & hæreditas, quam ab Omnipotēte consequuntur feroces, quòd si liberis abundant, pereunt ferro, eorumq; progenies nō habet uictū ad saturitatem. Eorum superstites sepeliuntur mortui, uiduis nō plorantibus. Si argenti cōgesserit quanta humus est, & tantum uestis cōparauerit quanta est argilla, quod comparauerit induet aliquis iustus, argentiq; particeps erit innocens. Cōstruit [c] tinearum more domum suam, aut sicut umbraculū facit [d] custos. Iacet diues intumulatus, & intra oculi momentū perit. Eum inuadunt undatim terrores, & nocturna surripit tempestas. Aufert abeuntem Eurus, & ex suo loco abripit. Eum Deus nihil parcens urget, nec is illius manum effugit. Ille eum manibus explodit, & ex suo exibilat loco.

d. diuinitus inditū. a. me sontē esse confitear. B *b. oracula.* C *c. ad breue tempus. d. scilicet* D *uineæ aut aliarū rerū quæ sub dio sunt.*

CAPVT XXVIII.

ESt quidem argentū inuenire, & locus unde conflatur aurū. Ferrum ex humo petitur, & fundit æs lapis. Tenebris imponitur finis, & quicquid perfectum est rimantur, [a] caliginis & atræ noctis gemmas. Deriuantur ex peregrino solo flumina, & ignorata pedibus, & quæ caruerant hominibus, uagantur. Tellus ex qua uictus oritur, subter quasi incendio euertitur. Sapphiri locus est in eius lapidibus, habetq; pulueres auri, quā uiam neq; nouerant alites, neq; uulturis aspexerat oculus, neq; trucium ferarum genus calcauerat, neq; peruaserant leones. B Cautibus afferunt manus, euertunt à stirpe montes, excindunt in rupibus amnes, & rarissima quæq; aspiciunt oculis. Ex lachryma perscrutantur fluuios, & abdita proferunt in lucem. Sed sapientia unde inuenietur? & ubinam prudentiæ locus est? Nescit homo quanti sit æstimanda, nec ea in uiuentium terra inuenitur. C Eam negat profundum in se, negat mare apud se esse. Ea non auro comparatur, nō argenti precio rependitur. Non auro compensatur Ophireo, non onyche precioso, non sapphiro. Non eam aurum, non murrha æquiparat, non est cum obrizo permutabilis. [b] Ramot &

D gabis

a. sub terra abditas. Sap. 7. d b. puto gēmas.

c. cum ea cōferenda.

D

d. eā sibi tātum auditione notā esse.

Prou.1.a

gabis memoranda nō sunt, gemmas preponderat sapientia. Non eam topazius æquiparat Aethiopicus, nō est cum puro compensanda auro. Vnde autē ueniet sapientia? aut ubi tandem prudentiæ locus est? Ea uerò & omniū mortaliū latet oculos, & aereis abdita uolucribus est. Pluto lethumq; dicunt [d] se eius quidem audiuisse famam. Quà sit adeunda, & quo sit in loco, nouit Deus, utpote qui ad extrema terrarū conspiciat, uidens quod toto sub cœlo est, is qui & uento pondus facit, & aquam mensura condit, qui & pluuiæ legem, & fulgentibus tonitruis uiam præscribit. Is eam olim & uidit & declarauit, eam & condidit & peruestigauit, hominiq; dixit, Domini metum esse sapientiam, & maleficij declinationem prudentiam.

CAPVT XXIX.

HAec fatus Iobus sententijs uti perrexit hūc in modum: O' si eo statu essem quo mensibus prę teritis, quo me tēpore custodiebat Deus, cum caput meū collustraret illius lucerna, cuius ad lumen incederem per tenebras, qualis eram mei ueris tempore, cum meo tabernaculo familiaris esset Deus, cum adhuc & mihi adesset Omnipotens, & me mei stiparent famuli. Cum quidem [a] mea butyro lauabam uestigia, & apud me fundebat rupes riuos olei. Cum in curiam per urbem proficiscebar, aut in foro meā sedem parabam, uidentes me iuuenes [b] abdebant sese, & senes assurgebant atque stabant. Principes à uerbis abstinebant admota ad os manu. Latebat procerum uox, & palato adhærebat lingua, quippe cum me quæ auris audiebat, beatum ferret, & qui spectabat oculus, de me testaretur. Nam & [c] cōquerentes inopes liberabam, & adiutore carentes pupillos. Mihi gratias agebant periclitantes, & uiduarū mentes exhilarabam. Indutus eram iusticia, & æquitate tanquam toga & tiara uestitus. Eram ego & cæcis oculorū, & claudis pedum loco. Ego & pauperibus pater eram, & [d] nihil ad me pertinentes causas indagabam, & iniquorum molares rumpebam, eisque prædam extorquebam ex dentibus. Itaque cogitabam me in meo expiraturum nido, & tandiu prorogaturum ætatem quàm numerosa est arena. Mea radix erat in humorem explicata, & in mea manebat segete ros. Mihi & honos perpetuabatur, & arcus in manu uigescebat. Me audientes suspiciebant, ad meam sententiam taciti, nec mea dicta retractabant, perfundente eos oratione mea. Me tanquā pluuiam suspiciebant, oribus sicut ad serotinū imbrē hiantes. Si quando cum eis ludebam, [e] non credebant, neq; uultus mei lumen deijciebāt. Si cum eis uersari placebat, sedebam supremus, & tanquam in agmine rex habitabam, perinde ac qui lugentes consolaretur.

a. butyro & oleo circunfluebam.

B

b. autoritate & grauitate mea territi.

c. quib. fiebat iniuria.

C

d. alienas.

D

e. scilicet me ludere, sed seria agere, nec mihi ideo minorē tribuebant autoritatem.

CAPVT XXX.

AT nunc me derident minores me natu, quorū ego patres dedignatus essem cum meis pecuarijs ponere canibus, nihil eorum manuum uiribus indigens, quibus perijsset uigor ætatis. Qui præ egestate atque fame loca senta, obscura, uasta squalentiaq; sectabantur, carpentes apud arbusta maluas, & iuniperinis radicibus uescentes. Pellebantur è medio, & eis tanquam furibus occlamitabat, itaq; in torrentium scrobibus in terræ & scopulorum cauernis habitabant, inter uirgulta mussantes, & se sub rusco contrahentes, homines et insani & inglorij, mortalium infimi. At nunc eis dicterio, eis fabula sum. Me abominantes recedunt à me, [a] nec se à mea facie conspuenda continent. Quoniā Deus laxato [b] neruo me afflixit, adolescentes abiecto ergà me [c] freno, cōsurgentes ad dexteram, meos pedes labefaciunt, & in me perniciosi feruntur. Impediunt meos aditus, collatis ad euertendum me uiribus, cui nullus subueniat. Me ceu per latam muri labem adoriuntur, subter ruinam ruentes. Versi terrores in me, præstantiam salutemq; meam, quasi quidam uentus nubesq; peruadēs, persequūtur. Itaq; uersat sese meus animus: me misera inuasere tempora. Noctu mihi perfodiuntur artus, infestorq; sine ulla intermissione. Tanta me [d] uis [e] tanquam meæ tunicæ ora circumcingit, ut mea uestis [f] tentetur, [g] illo me in lutum redigente, ita ut sim perinde ac humus atq; puluis. Ad te si queror, non exaudis me: sin [h] sto, [a] contemplaris me. mihi crudelis factus es, & robore tuæ manus aduersaris. [b] Me sublatum uento imposuisti, & ne proficiam dissoluisti. Sed futurum scio ut me mors & cunctis destinata mortalibus domus recreet. Et certè non afferet ille manum tumulis, carebuntq; quos dederit exitio querimonia. Equidem eos defleui quorum erant dura tempora: pauperum uicem animo dolui. Sed cum bonum sperarem, uenit malum, & lucem expectanti uenit caligo. Intestina mihi sine intermissione feruent, mihi misera acciderūt tempora. [c] Ater nec tamē insolatus dego, & stās in cœtu quiritor. [d] Germanus sum draconum, et struthionum familiaris. Mihi præ æstu & pellis nigrat, & membra æstuant: mea cithara in luctū, mea instrumenta musica sunt in uocem conuersa flebilem.

B

a. hoc est me contumeliosissime tractāt.

b. scilicet arcus sui.

c. uerecundia.

C

d. morbi.

e. undique

f. afficiatur & putrescat.

g Deo:

h. nō queror.

D

a. cernis & affligi sustines.

b. effecisti ut non magis obniti aut proficere ualeam, quàm si in aere pendere, ubi nullum solidū esset solū.

c. non æstu solis atratus, sed luctu.

d. uociferor ut.

CAPVT XXXI.

PActionem feci cum meis oculis nequaquā aspicere uirgines. Nā quæ me sors & conditio ab omnipotente Deo supernè maneret? nimirum pernicies & interitus, improbos manet & maleficos. Nimirum uidet ipse meas uias, omnesq; meos gressus numeratos habet. Si me gessi nequiter, & ad fraudem pedibus festinaui, ponderet me iusta statera, cognoscatq; Deus integritatem meam. Si gressu de uia deflexi, & [a] oculos meos mente secutus sum, aut adhæsit manibus meis macula, quod seminauero comedant alij, meiq; fœtus eradicentur. Si mentem habui ad mulieres procliuem, aut pro foribus alterius insidiatus sum, molat mea coniux alteri, eiq; incubent alij. Est enim hoc flagitium crimenq; puniendum, est inquam ignis ad interitum usque edax, qui omnem meum prouentum extirparet. Si serui aut ancillæ meæ ius detrecta-

a. cupidus fui.

E

ui, cum

ui, cum mecum cõtenderent, ecquid agam cum surget Deus, cumque inquiret, quid ei referam? cum idem illum, qui me, fecerit in uentre, idem nos condiderit in utero? Si tenuibus quæ cuperent negaui, aut [b] uiduarum oculos confeci, meumque cibum solus comedi, ita ut non comederent ex eo pupilli: ac non mecum adoleuit misericordia, eamque ex utero meæ matris eduxi: si uidi uestis penuria pereuntem & carentem tegumento pauperem: si non mihi bene precata sunt eius latera, ac non concaluit ouium uellere mearum: si attuli pupillo manus, quòd uiderem habere me præsidium in senatu, excidat mihi ex humero scapula, meumque brachium ab ulna abrumpat. Nam mihi terrori fuit à Deo periculũ, contra cuius excellentiam nihil possem. Non in auro spem mihi collocaui, aut in obrizo fiduciã statui. Non sum lętatus habere me multas opes, grandemque facultatem comparasse. Si splendentem solem, si præclarè incedentem lunam uidi, non sum animo clàm ita deceptus, ut [c] ore manũ meam oscularer. Nam & id uindicandum crimen est: negassem enim supremum Deum. Non sum lætatus inimici mei infortunio, nec exultaui quòd ei malum contigisset, neque commisi ut ita meo palato peccarem, illius ut uitæ imprecarer, quamuis mei contubernales [d] illius carnem insatiabiliter exoptarent. Foris nõ pernoctauere peregrini: fores meas uiatoribus patefeci. Nõ celaui sicut Adamus meum peccatũ, meum crimen occultans in meo sinu, [e] quòd turbæ frequẽtiam reformidarem, & uulgi contumelia deterritus silerem, nec extra fores prodirem. Vtinã ille me audiat: mea quidem cupiditas est ut mecum disputet Omnipotens, [f] codicem scribente ipso aduersario meo: næ ego eum humeris circumferrem, eo pro corona redimitus: Illi [g] meorum passuum numerum exponerem, cum eo [h] principaliter congressus. Si [a] de me mea terra conqueritur, simulque plorant eius sulci: si [b] uires eius sine pecunia comedi, aut eius dominorum animos uexaui, pro tritico tribulus, pro hordeo oriatur ebulus. Hactenus Iobi sermo.

b. feci ut plorarent.

C

c. admirabundus & tacitus solẽ adorarem.

D

d. eum perdere ac deuorare arderent.

e. quasi mihi malè cõscius essẽ.

f. uobis disputationẽ scribentib.

g. omnem meã uitam.

h. præclarè nõ timidè.

a. malè parta est.

b. non empta à me occupaui inuitis dominis.

CAPVT XXXII.

HIc cum tres illi uiri cũ Iobo disputare desijssent, quoniam sibi innocens esse uideretur, indignatus est Elius Barachelis filius Buzita, ex cognatione Ramia, & indignatus est tum in Iobum, qui suam causam iustiorem esse contenderet quàm Dei: tum in tres eius amicos, qui quod contradicerent non inuenirent, quo damnarent Iobum. Sustinuerat autem Elius loquentem Iobum, quòd essent illi ætate se prouectiores. Sed cum uideret is Elius Barachelis filius Buzita illos tres uiros nihil habere quod contradicerent, indignatus sic cõtrà uerba fecit: Ego natu minimus, uos grãdiores estis, quæ causa fuit ut dubitauerim, ueritus meã uobis aperire sententiam. Cogitabam grandæuitatis esse loqui, & tot annorũ exercere sapientiã. Verùm afflatu aguntur homines, eosque Præpotentis aura reddit intelligentes. Nõ sapiunt [a] magistri, nõ senes rationem perspiciunt. Quapropter audi me, inquam, dum meam & ipse sententiam profero. Equidem expectaui uestra uerba, uestra argumenta auscultans, dum conquiritis orationem. Sed dum uos attendo, nullus uestrûm Iobum refellit, aut ad eius dicta respondet, [b] ne fortè dicatis inuenisse uos sapientiam, eum à Deo persequendum esse, non ab hominibus. Nec ipse in me direxit orationem, nec ego ei uestris respondebo uerbis. Territi nihil iam contradicunt, uerbis supersedent. Et quia sic ut expectabam non loquuntur, sed cessantes nihil iam contradicunt, contradicam ego quoque pro mea parte, afferam & ipse meam sententiam. Nam oratione plenus mei spiritu pectoris urgeor. Meum quidem pectus incluso uino simile, crepat ut utres noui. Loquar ut habendo sermone & contradicendo recreer. Neque uerò cuiusquam rationem habebo, nec homini indulgebo, quippe indulgendi nescius: alioqui periculum esset ne me tolleret meus creator.

B

a. uos.

C

b. neque uero est quod dicatis uos ideo ei nõ contradicere, quòd satis iã à Deo premat malis, ne sit in super oratiõe uestra uexandus. Imò ideo non refellitis, quia estis indocti.

D

CAPVT XXXIII.

CAeterùm audi Iobe meam orationẽ, meaque uerba omnia ausculta. En ego meum os aperio, loquitur in meo palato mea lingua. Mea mens recta dictabit uerba, & labra puram eloquentur sententiam. [a] Me omnipotentis Dei spiritus afflatusque fecit, ac uita donauit. Si potes, responde mihi, mecumque congressus consiste. Ecce me pro Deo, sicuti postulabas, qui cum & ipse sim ex luto fictus: neque te mei terror perturbabit, neque premet autoritas. Dixisti sanè in meis auribus, audiente me orationis tuæ uocem, licet à peccato & culpa purus mundusque sis, eum occasiones inuenisse contra te, & te pro hoste habere, tuosque pedes in cippũ coniecisse, & tuas obseruare uias omnes. Iniustè tu quidem istud, ut tibi contradicã. Nam si maior est homine Deus, cur cum eo cõtendis, qui nullius rerum suarum rationem reddat? Siquidẽ semel locutus Deus, iterare nescit. Per nocturni somnij uisum, cum sopore oppressi stertunt homines in cubili, tum eis patefacit aures, eorum pœnam concludens, ut homini facta detrahat, faciat'que ut absit à uiro superbia. Eius animam uitam'que retrahit ab interitu ne per tela transeat. Cum uehementi dolore mulctatur in cubili suo per quotquot habet membra, animo & appetitu omnem quamuis delicatum cibum & escam abhorrente, & carne sic tabente ut non appareat, & artubus ita depopulatis ut non extent, adeò ut propè intereat, animamque agat, si quis [b] ei adsit orator genius uel unus ex mille, qui homini [c] suum ostendat officium, Deus eius misertus iubet eum à descendendo in interitum uindicari, [d] sese inuenisse mulctam. Fit eius corpus iuuenili delicatius, reuersum ad eius adolescentiæ tempora. Exoratus Deus ei fauet, & [e] eius uultum ouantis aspicit, hominique [f] suam reddit innocentiam. Et ille [g] homines intuens fatetur se pecasse, illũ autem æquum esse: se improbè fecisse, illum nõ sibi par retulisse, qui suam animam ne iret in inter-

a. homo sũ ut & tu, ne tibi cum Deo impar certamen esse cõqueraris.

B

C

b. ægroto.

c. persuadeat ut mores suos corrigat, Deoque supplicet.

d. sibi illa hominis correctiõe satisfactum dicens.

e. eum aspiciẽs efficit ut ouet.

f. hominẽ pœna liberat, data uenia.

D

g. palàm.

h. pro merito puniuisse.

interitum uindicauerit, ita ut uitæ lumen aspiciat. Hoc prorsus modo agit non parum sæpe cum homine Deus, eius animam ab interitu reuocans, eumq; uitali luce collustrans. Attende Iobe, audi me tacitus, dum ego loquar si suppetit oratio, responde mihi: loquere: nam equidem te insontem esse cupio: sin minus, audi tu me tacitus, & te sapienter docebo.

CAPVT XXXIIII.

TVm loqui pergens Elius: Audite sapientes, inquit, orationẽ meam, & intelligentes, auscultate mihi. Nam auris est orationem probare, ut palati, de cibi gustu iudicare. Agamus ex æquo, uideamus inter nos quid sit [a] bonum. Dicit Iobus se insontem à Deo iure suo priuatum esse, sibi in suo iure iniuriam fieri, se telis sæuiter peti nullum ob peccatum. Quis homo est cum Iobo conferendus? qui nugis abundè imbutus est, & maleficis socium se præbens, uersatus est cum hominibus impijs, & tamen [b] dicit nihil profecturum hominem, si cùm Deo cursu contendat. Quare uiri cordati audite me: absit ut iniustus Deus, ut iniquus sit Omnipotens, quin homines pro merito remuneratur, & ut dignum est cuiusque moribus afficit. Certè quidem non agit iniustè Deus, non ius euertit Omnipotens. [c] Qui homini terram commisit, & orbem condidit uniuersum, idem si animum induceret, suum spiritum flatumq; ad se recipere, expirarent uniuersa corpora, & in puluerem redirent homines. Quod si quid est ingenij, audi hoc, ausculta meis dictis. Fierine potest, ut qui tam rectè curat quæ agit, is sit iuris inimicus? Tune excellentem illum insontem damnabis? qui reges nebulones, qui primates appellat impios, qui nullam habet principalium personarum rationem, nec locupletem anteponit tenui: quippe qui sint utrique eius manuum opus. [d] Repentè moriuntur, & uel media nocte commoti decedunt homines, tolluntur q; generosi, [e] nulla adhibita ui. Habet enim coniectos in hominum mores oculos, eorumq; gressus omnes uidet. Nullæ tenebræ, nulla tam atra nox est ubi lateant malefici. Non enim hoc iam homini permittet, ut cum Deo iure experiatur. Frangit excellentes infinitos, & in eorum locum subrogat alios. Igitur eorum opera nota facit, dum [f] uertente nocte contunduntur, eo illos ut impios percutiente in conspicuo loco, propterea quòd ab eo sequendo declinauerint: neque se prudenter in omnibus traditis ab eo uiuendi rationibus gesserint, afferendo ei tenuium querelas, & efficiendo ut inopum querimonias audiret. Eo quidem quietum reddente quis damnabit? eo faciem uel genti uel homini cuipiam subtrahente, quis eum aspiciet? qui facit ut regnet spurcus homo [g] ad populi detrimenta. Nam Dei est dicere, Condono, non perimam. Si quid me latuit, tu submone me: si quid improbè feci, nō amplius faciam. [h] An id à te perficietur, ut tu improbes, tu idem probes, ego non item? quòd si quid scis, dicito. Cordatus sapiens que uir me-

a. hoc est iustum.

b Queritur se insontē opprimi, qꝫ cum Deo certet tāto inferior.

B

c. qui homini & terram dedit & uitam, si utrumque adimat, nō facit iniuriam.

Deut. 10. d
2. Par. 19. c
Coloss. 3. d
Actor. 10. e
Ecclesi. 35. b

d. scilicet interdum.

e. diuinitus, nulla ui extrinsecus adhibita.

C

f. citò & ex improuiso.

D

g. ut ita populum mulctet.

h. cur plus iuris habeas in di-

cum colloqueretur, & me uicissim audiret. Iobus indoctè loquitur, & parum prudenter uerba facit. Volo Iobum eousque [i] exerceri, dum recantet apud [k] homines improbos. Alioquin addet suo delicto peccatū. [l] plaudens inter nos, & in Deum garriens.

sputando quàm ego, ut quæ uideatur uel improbes, uel probes.

i. disputando agitari.

k. nos, quos dicit improbos.

l. se tanquā uictor iactans & nos explodens.

CAPVT XXXV.

DEinde disserere pergens Elius: Hoccine æquum esse arbitraris, inquit, quod dixisti te iustiorem habere causam quàm Deum, negās tibi prodesse aut cōducere innocentiā? Ad quæ ego tibi respondebo, & tuis amicis unà tecum. Suspice & intuere cœlum, & aspice quanto sit æther sublimior te. Siue delinquas & multa pecces, quid illi facies, aut officies? siue sis iustus, quid illi conferes? aut quid accipiet ex tua manu? Tuæ conditionis hominẽ & homine natum tua uel impietas attingit, uel uirtus. Cum multorū ui & iniurijs opprimunt homines, clamant illi quidem & quiritantur, sed [a] non dicunt: Vbi est Deus creator noster? qui [b] noctu cantare dat, qui nos & bestijs terrestribus, & aereis uolucribus doctiores fecit ac sapientiores? Igitur tum de malorum superbia quiritantes non exaudit, utpote cum nequitiam non exaudiat Deus, non aspiciat Omnipotens. Enimuero quamuis, ut dicis, uisurus eum non sis, est tamen apud eum iuris obtinendi locus, modò eum expectes. Nunc cum non iratè animaduertat, [c] nec sciat esse uehementior, Iobus temerè uerba facit, & garrulitate utitur indocta.

B

C

a. non se ad Deū toto pectore cō uertunt.

b. lætitiam cōciliat in rebus tristibus.

D

c. non te puniat tā grauiter quàm dignus eras.

CAPVT XXXVI.

TVm orationem continuans Elius: Sustine me paulisper, inquit, dum tibi edissero: habet enim Deus adhuc quod [a] dicat. Longè petam meam sententiam, & iustitiam conditori meo tribuam. Nam profectò non falsa est oratio mea: tecū agitur sinceris sentētijs. Cum sit Deus excellens, cum sit inquam & excellens & magnanimus, non est tam dissolutus ut uel impios conseruet, uel ius inopibus non concedat. Adeò uiris bonis non subtrahit oculos suos, ut etiam eos cum regibus in duraturo solio collocet ac euehat. Quòd si catenis uincti & calamitosis capti funibus fuerint, declarat eis opera ipsorum, & quàm uehementia sint eorū peccata, eisq; aurem uellit, & ut se corrigant, atq; ab improbitate recedāt, admonet. Si obediunt ac obsequunt, bene & eleganter transigūt ætatē annosq; suos: sin minus obediunt, pereūt armis, & imprudentes intereunt. Et simulatores supplicij sui causa sunt, qui ab eo uincti, non implorent eum. Vita defungunt ac moriuntur in iuuenta [b] inter effœminatos, cum interim inopes liberet ille in eorum miseria: et eis in calamitate [c] aures uellat. Te quoq; ex angusto eripiet in latum spacium, cui nullum suberit periculum, ita ut [d] mensam habeas & quietam & adipe scatentem. Sed [e] iniusto iudicio fungeris, te iudicium atque ius tenebunt. Nam ita sæuietur ut te nec rerum copia eripiat, nec mulctæ magnitudo afferat. Nihili fient opes tuæ aut aurum, aut quicquid deniq;

a scilicet per me qui eius causam ago.

B

b. in iuuentute, nam libido mortem accelerat.

c. salutem nunciet atque conferat.

d. diues fias & quietus.

C

e. malè de Deo iudicas. dabis pœnas.

uiribus

uiribus pollet. [f] Noli anhelare noctem, qua eue stigio tolluntur homines. caue ne te conuertas ad nequitiam, quòd eam præ miseria approbes. Deus quidem [g] doctor incomparabilis, maior est uiribus quàm ut ab eo quisquam facti rationem exigat, aut eum inique fecisse dicat. Memento ut eius opus extollas, quem mortales suspiciunt, quem omnes homines intuentur, quem mortales procul spectant. Deus quidem præstātior est quàm ut id intelligamus, & annis est infinitus. Nam eo aquę guttas eliciente, funditur ex eius uapore pluuia, adeò ut manans æther defluat in plurimos homines. Iam uerò quis nubium distensiones perspiciat? quæ sunt eius umbraculi elationes, in quas quidem suum lumen explicans maris radices tegit. Per eas autem & populos ulciscitur, & uictum copiose largitur. Lucem palmis tegit, curat'que ut ei occurratur, cui dum nunciat alteram, accedit aduersus ascendentem ira.

f ne conaie improbos imitari, ut noctu repēte pereas, si cut iam dixi. Vide cap. 34.
g. cuius est docere & imperare, nō rationē reddere.
D

CAPVT XXXVII.

AD hoc quoque expauescit mihi cor ex suo cōmotum loco. Audite eius horribilem sonum, & prodeuntē ex eius ore fragorem, quē sub toto iaculatur cœlo, collustrante eius luce, tractus terræ. Post lucem strepit sonitus, dum ille sua superba uoce intonat, nec cætera differt, audita sua uoce intonat, Deus sua uoce mirificè maiora facit quàm ut ea perspicere possimus.

B Iubet em̄ niui, ut sit in terris, & nimbosa pluuia suæ potentiæ concludit omnes homines, ut intelligant mortales omnes eius oper, asubeuntq́ latibula feræ, & in suis lustris degunt. Ab austro uenit tempestas, & ab aquilone frigus. Ad Dei flatum existit glacies, aqua latè concreta. Eius quoq́ splendor atque lux nubes urget & dissipat, eæq́ illius industria sese circumagunt atq́ uersant, efficientes quicquid eis imperauerit in orbem terræ, siue in nationem eas, siue in nationis territorium, siue beneficij gratia immiserit. Hoc ausculta Iobe, sta & Dei contemplare miracula. Nostine quando incubat eis Deus, & suæ nubis lumine fulgeat? Nostine diuersitatem nubium, miracula perfectæ scientiæ? Aut quo pacto tua uestimenta caleant, illo [a] terras ab austro quietas reddente? An æthera cum eo diduxisti, ita firmum ut concretus esse uideatur? prēmōstra nobis quid ei simus dicturi, qui propter [b] tenebras sumus impares. [c] Scilicet illi exponetur si loquar, aut fabitur homo cum fuerit absorptus? cum [d] ne fulgentem quidem lucem aspicere possint homines quæ est in æthere, quē præteriens uentus expurgauit, ueniente à septentrionibus [e] auro. Dei [f] terribilis est maiestas. Omnipotens is est, quem inuenire non possimus, uiribus, æquitate, & iustitiæ præstantia tantus, ut [g] respondere non debeat. Quare metuant eum homines, quem nullus uel animo sagacissimorum uidet.

C
a. serenitatem inducente.
b. ignorantiam.
c. si uolet cum Deo disputare homo, conficietur.
d. ne solem quidem, nedum Dei maiestatem.
D
e. aureo sereno.
f. Deus metuēdus est, nō cum eo disputandum.
g. facti rationē reddere.

CAPVT XXXVIII.

TVm Ioua Iobo ex turbine sic respondit, Quis iste est, qui tam indocta oratione [a] prudentiam abolet? Accingere sanè ut uirum decet, & mihi quæ te interrogabo declarato. Vbi eras fundante me terram? expone, si ea eruditione es. Quis ei dimensiones abhibuit, si nosti? quis in eam regulam intendit? In quam rem insertæ sunt eius bases? aut quis eius angularem lapidem demisit, ouantibus pariter matutinis sideribus, uniuersoq́ [b] diuorū genere lætum personante? Quis foribus mare conclusit, cum egressum erupisset ex utero? cum quidem id ego nubis amictu texi, & caliginis fascia obligaui, ac meo circumscriptum decreto, repagulis & foribus cohibui, dicens: Hucusque non ulterius uenies. & hic ponet tuorum fluctuum altitudo. An ætate tua matutino præcepisti? suum auroræ locum assignasti? ut alas terrarum obtineat, & ab ea disijciantur impij? qui impij mutato tanquam rubricæ sigillo fiunt uestis similes, & sua luce priuantur, sublimesq́ lacerti franguntur. An in maris fundum peruenisti, & in penitissimo profundo ambulasti? Num tibi patefactæ sunt lethi portæ, & terræ noctis ostia uidisti? Num ipsam adeò terræ amplitudinem perspexisti? indica, si hoc totum nosti. Quánam uia est eò ubi lux habitat? aut tenebrarum ubínam locus est? ut eas finibus suis comprehendas, & quibus ad earum domicilium semitis iri possit teneas? Sciebásne futurum ut tum nascereris, & diu ætatem degeres? Nunquid in niuis cellas peruenisti, grandinisq́ cellas uidisti, quam ego [c] in aduersorum tempus reseruo, in conflictus pugnę'que diem? Vbínam uia est qua diuiditur lux, Eurum dispergens in terram? Quis nimbis aditum, quis intonanti fulguri uiam aperit, pluendo in desertam terram, in qua nulli sint homines? inculta uastaq́ satiando, & terræ redditum germinando? Habétne patrem pluuia? aut quis roris guttas gignit? Cuius ex uentre prodit glacies? aut cœlestem pruinam quis generat? aqua [d] lapidea delitescit, undarum superficie constricta. An tu uel [e] Vergiliarum delicias cohibere, uel Orionis rigores aperire potes? Num Luciferum suo tempore depromere, & Arcturum cum suis filijs educere? Num cœli leges nosti, aut eius rationem exponere potes in terris? Possis ne efficere, ut si ad nubes uocem tollas, [f] aquę copia te operiat? Num te mittente ferentur fulgura, & se tibi præstò exhibebunt? Quis in pectoribus sapientiam posuit? quis collocauit in præcordijs prudentiam? Quis ętheris rationem tam sapienter explicauit, & cœli fluxiones quis coercuit, cum densata concresceret humus, & glebæ coalescerent?

a. negat prudētia regi mundū.
Terræ creatio.
b. geniorū
Mare.
B
Matutinū.
C
Nix.
Grando.
c. ad fontes ulciscendos.
Nimbus
Fulgur.
Ros.
Glacies.
D
d. indurata gelu.
Sidera.
e. ueris amœnitatē, quæ fit per Vergilias.
f. pluat?
Hominis ingenium.

CAPVT XXXIX.

NVm tu leænæ prædam uenaberis, & iuuenum leonum appetitum explebis, cum cubant in lustris, manentes in tesquis insidias? Quis suam coruo escam suppeditat, eius pullis ad Deum uociferantibus, dum sine pastu uagantur? An tempus nosti partionis rupicaprarum, aut parturientes ceruas obseruasti? Numerasti earum grauiditatis menses, earúmque parien-

Leæna.
Corui.
Psal. 146. b
Rupicapra.
Ceruæ.

pariendi tempus nosti? cum procumbentes excludunt fœtus suos, suis defungentes doloribus? Gliscunt earum pulli farre crescentes, & digressi non reuertuntur ad eas. Quis onagrum dimisit liberum, & syluestrem asinum quis uinculis soluit? cui ego solitariam domum, cui a salsas assignaui mansiones. Ridet oppidanam turbam, nec agasonis clamores audit. Explorati montes præbent ei pabulum, omnes'que sectatur uirentes herbas. Num tibi seruire uolet unicornis, aut ad tua præsepia manebit? Num tu unicornem subiugio ligabis in sulcis, ut post te liras occet? Tune ei, qui sit magni roboris, confides, aut laborem tuum committes? An credes fore ut tibi sata referat, & in tuam comportet aream? b Vtrum generosiores sunt alæ struthiocameli, an pennæ plumæque ciconiæ? At ille ad terram sua relinquit oua, ea'que fouet humi, non cogitans ea pedibus conculcatum & à terrestribus bestijs comminutum iri: tam durus in suos pullos, quàm si sui non essent, nihil formidans ne inutilis sit suus labor. Nam priuauit eum sapientia Deus, nec ei prudentiam impertiuit. Si quando altè se tollit, & equum deludit & equitem. Tune equo robur dedisti, aut eius clamosam ceruicem induisti? tune eum c ceu locustam commouebis, cum d terror sit eius naribus decorus? Cauat scrobem, exultat fortiter, aduersus arma prodit. Pauenda ridet imperterritus, nec gladio cedit Stridente aduersus eum e pharetra, micante hasta atque lancea, feruens fremensque terram dissipat, f nec id habet pro tubæ sonitu. Ad tubæ clangorem gestit, & eminus pugnam, strepitum clamorem'que ducum odoratur. Tuáne prudentia uolat accipiter, alis austrum petentibus? An arbitratu tuo sublime petit aquila, & in alto nidulata, in rupe habitat, & in prærupti scopuli arce degit? Inde pabulum rimatur, oculis procul intuens, lambendumque suis pullis sanguinem præbet: & ubi sunt cadauera, ibi adest. Tum Iobum alloquens Ioua: An qui cum Omnipotente contendit, inquit, cum coarguet? qui contra Deum argumentatur, ei contradicet? At Iobus Iouæ respondens: Tam uilis ego, inquit, quid tibi respondeam? meam manum meo ori admoueo: semel locutus non contradicam, nec idem amplius iterabo.

Onager. — B — a. steriles Nam salsa terra est teterrima. — *Vnicornis.* — *Struthiocamelus.* — *Ciconia.* — b. Vt struthiocamelus formosior, sic ciconia sapiētior est. — C — *Equus.* — c. tanquam pauidum — d. ad formidabilia fumet generose natib. nihil formidans. — e. sagittis. — f. non metuit tubæ sonitū ceu rem terribilem — D — *Accipiter.* — *Aquila.*

CAPVT XL

ET Ioua Iobum ex turbine alloquens: Accingere sane, ut uiro dignum est, inquit, & mihi quæ ex te quæram declarato. Tune mihi ius meum extorquebis? me condemnabis ut ab soluaris ipse? Quòd si lacertos habes ut Deus: & uoce tonas ut idem, ornare sanè excelsitate ac sublimitate, & maiestatem atque decus indue. Sparge iræ tuæ sæuitiam, & omnes aspiciens elatos deprime, aspiciens elatos omnes deturba, & impios cōtunde protinus. Eos a humi simul obrue, eorum facies in obscurum demerge. Ita fatebor ego tua te posse dextera teipsum tueri, Ecce tibi elephas, quem unà tecum feci, qui fœno boum ritu pascitur, is inquam uires & robur habet in lateribus, & uentris umbilico. Stringit caudam tanquā cedrum, ramosis summæ caudæ neruis. Eius membra tubi sunt ænei, ossa uectes ferrei, denique is est b opificij diuini caput, cum'que armis aggredi solus is audeat qui condidit. Nam ei pabulum ferunt montes, ludentibus ibi cunctis bestijs terrestribus. Sub umbrosis cubat arboribus, in arundinis latebra ac palude, umbra tectus opacarum arborum fluuialibus'que circumfusus salicibus: adeòque flumen sorbet intrepidus ut se Iordanem faucibus hausturum confidat, tantum abest ut se capi c cernat nare laqueis perforata. An tu balænam hamo trahes, aut eius linguam fune comprimes? Scilicet eius rostro uncum admouebis, & buccam cuspide perforabis? scilicet multis illa tibi supplicabit, aut te molliter alloquetur? Paciscet credo tecum, ut tu eam in æternū seruitium abducas. Iudes uidelicet ea quasi auicula, eamque tuis ligabis puellis: eam socij mercatores concident atque diuident. Scilicet eius pelle euerriculum, & capite nassam replebis piscatoriam. Confere cum ea manum, d memineris non repetendum prælium, adeoque spes tua fallax erit, ut uel ad eius cōspectum consternêre.

a. interfice — B — & è rerum natura tolle, sicut ego. — *Elephas.* — b Dei opus — C — excellentissimum, & soli Deo superabile. — c. sinat. — *Balæna.* — D — d. & memēto tibi ab ea pereundum.

CAPVT XLI.

NEmo tam ferox est ut illam excitet, tantum abest ut mihi resistere quis possit. Quis me officijs anteuertit, ut ei gratiam referā? quod usquam sub cœlo est, meum est. Nō silebo eius membra, uiriumque rationem, & compositionis elegantiam. Quis eius summum uestitum patefaciat? quis geminum rostrum subeat? Faciei fores quis aperiat? eius dentibus formidine circundatis. Superbe clypeata squamis est, arcta cō pagine conclusis, quæ inter sese cōmissæ ne auræ quidem peruia iunctura, adeò aliæ alijs compactim cohærēt, ut sint indissolubiles. Eius sternutatio splendore collucet, oculique sunt tanquam auroræ lumina. Ex faucibus prodeunt faces, absilientibus, tanquam stricturis igneis. Ex naribus prodit fumus tanquā aheni feruentis ac undātis Flatus ardet carbonibus, manante ex eius ore flamma. Collo tanta uis inest, ut ab ea quæuis difficultas perrumpatur. Corporis toros habet immobili soliditate compactos. Cor & saxo & inferiore mola firmius. Ea se commouente formidant a diui, fractique labefactantur. Eius congressum non enses sustinent, non hastæ, non missilia, non loricæ. Ferrum pro palea, chalibem pro putri ligno ducit. Non eam fugauerint sagittæ, ei b uertuntur in stipulam fundarum silices. Pro stipulis habentur catapultæ, ridetque uibratam lanceam. Sub ea sunt aculeati murices, prosternit in limum scopulos. Feruefacit ollæ ritu gurgites, utens mari pro mortario, Post se relinquit lucidum uestigium, ut pelagi canos putes esse. Ei nihil par est in terris, facta est impauida. Altissima quæque despicit, ea regina est in omne genus ferarum.

Iere. 50. 8 — B — C — a. homines primari. — b. non plus nocent — D — quàm stipula.

CAPVT

CAPVT XLII.

HIc Iouæ respondens Iobus: Scio te omnia
posse, inquit, & esse tuos conatus inelu-
ctabiles. Qui a prouidentiã tollit, imperitus est:
itaq; quæ ego exposíti, non intelligebam: & ma
iora sunt quàm pro meo captu miracula. Audi
quæso quæ ego dicam, & mihi quæ ex te sciscí-
tabor exponito. De te aurium auditione acce-
peram, sed nunc hisce oculis te uideo. Itaq; mihi
B displiceo, meq; humi in puluere pœnitet. ¶ Post
quàm huiusmodi uerbis Iobũ affatus est Ioua.
Eliphaʒ Themanitã sic alloquitur: Irascor tibi
tuisq; duobus amicis, quoniam de me non rectè
locuti estis, sicut meus Iobus. Quamobrem su-
mite septẽ tauros, & totidem arietes, & Iobum
meum adite, ac sacrificium pro uobis facite, &
Iobus meus pro uobis orabit, & ego in eius gra
tiam non agam uobiscum ut uestra meretur in-
sania, qui non rectè de me locuti sitis sicut meus
C Iobus. Igitur iuerunt Eliphas Themanita, Bal-
dadus Suhita, & Sophar Naamathita, & Iouæ
mandatum executi sunt. Et Ioua Iobo pro ami-
cis supplicanti exoratus, ab eo calamitatem de-
pulit, pro suis amicis deprecato, eiq; omnia quæ
habuerat conduplicauit. Atq; ad eum uenerunt
omnes eius cognati & cognatæ & antea noti,
& cum eo in eius domo epulati sunt, eiusq; ui-
cem dolentes, eum super tot malis, quæ ei Deus
inuexerat, consolati sunt, eiq; singulas quessitas,
singulasq; aureas armillas donarunt. Ioua autem
Iobum postea fortunaciorem fecit quàm fuerat
D antea, ita ut habuerit quatuordecim balantum
millia, camelorum sex millia, mille boum iuga,
& mille asinas. Habuit & septem filios & tres
filias, quarum unam Iemimam nominauit, alte-
ram Cassiam tertiam Querenappucam, quibus
Iobi filiabus pulchritudine pares nullæ in orbe
extabant. Iis pater hæreditatem tribuit inter i-
psarum garmanos. Vixit autem Iobus postea an
nos centum quadraginta, uiditq; suos natos &
nepotes ad quartum genus, atq; ita senex Iobus
& plena ætate mortuus est.

a. te prudenter orbem regere negat.

PSALMORVM LIBER PRIMVS.

PSALMVS I.

G. Dauidis uatis & regis carmen. H.



BEATVS HOMO qui in impiorum consilio non uersatur, nec improborum uiam insistit, nec in sede scurrarum sedet.

Sed Iouæ lege delectatur, de ea dies noctesq; cogitans.

Hic arbori similis est, ad aquæ riuum satæ, fructum suum suo ferenti tempore, folijs nondeciduis, omniaq; facit prosperè. Iere.17.b

Impij contra similes sunt paleæ, quam uentus agitat.

Itaq; impij in iudicio, scelerati in bonorum cœtu non consistent.

Nam & bonorum uiam curat Ioua, & malorum uia peritura est. Vide finem Psal.140.

II.

QVid tumultuantur gentes? populi uana conantur? Act.4.e

Conspirant orbis reges? coeunt optimates contra Iouam atque eius unctum?

Abrumpamus eorum nexus: abijciamus eorum uincula.

Ridet cœlicola: ludificatur eos Dominus.

Tandem eos iracundè alloquetur, & sic incandescens perturbabit.

Ego uerò regem meum in Sionem meum sacrum montem creaui.

Narrabo Iouæ decretũ, qui mihi dixit: Tu filius meus es, ego te hodie genui. Act.13.e

Postula à me, & tibi gentes in hæreditatem, orbis fines in possessionem dabo: Heb.1.b. 5.b

quos tu sceptro regens ferreo, tanquam fictile collidas.

Quamobrem sapite, ô reges, corrigimini, ô terrarum gubernatores.

Seruite Iouæ timidè, exultantes trepidè.

Osculamini natum, ne si indignetur, uestras res prædatis, illius ira protinus incensa: cui felices quicunque confidunt.

III.

Cantio Dauidis, Absalomum filium suum fugientis.

O Ioua quàm multi me infestãt? quàm multi in me consurgunt?

quàm multi negant ullam animę meæ in Deo salutem esse positam? Sela.

Atqui tu, Ioua, meus es clypeus, & gloria, quiq; meum caput extollis.

Qui mea uoce inuocatus, me ex tuo sacro monte exaudis:

quo quidem tutante me ita cubo, dormio, expergefio, ut hominum legiones, quæ me circumsideant, non reformidem. Iohan.2.d

Age Ioua, defende me mi Deus, qui meis omnibus aduersarijs malas feris, impiorum dentes confringens.

Tuum est, Ioua, conseruare, tuoq; tuos fauore prosequi. Sela.

IIII.

Præcinenda fidibus cantio Dauidis.

INuocantẽ me exaudi ô Deus equitatis meæ qui me ex rebus aduersis explicas: miserere mei, & meas exaudi preces.

O hominum genus, quousq; meam gloriam in infamiam? quousq; falsa studentes, amabitis friuola? Sela.

At cognoscite ut Ioua me pium sibi secreuerit quem se inuocantem exaudiat.

Horrete peccare, hæc cum animis uestris cogitantes, in uestris cubilibus, & silete. Sela.

Facite sacrificia iustitiæ, Iouæ confidentes.

Verùm quis nobis exhibebit bona? (inquiũt multi) [a] collustra nos luce tui uultus Ioua,

a. effice ut intelligant tua in eos beneficia, qui eis fruges præbeas, id qđ equidē gaudeo. Cōfer cum Psalmo 14. & 53.

qui meum animum uoluptate afficis ob annonam frumenti, atq; uini, quibus abundant:

quiq; me solus ita in tuto collocas, ut quietè cubem simul, atq; dormiam.

V.

Præcinenda ad lyram cantio Dauidis.

Verbis meis ausculta Ioua: perpende cogitationem meam: attende meæ querelæ uocem, mi rex atq; Deus. Te enim oro.

a. matutinè.

Ioua [a] mane uocem meam audis, manè tibi præstò sum intentus.

Neq; enim is Deus es cui placeat improbitas, cui familiares sint mali,

cuius oculis obuersentur insani: Odisti maleficos omnes:

falsiloquos perdis: abominaris sanguinarios & fraudulentos, Ioua.

At ego, pro tua singulari clementia, te, ædem tuam ingressus, religiosè ad tuam sacram cellam ueneror.

Ioua deduc me per tuam iustitiā, propter aduersarios meos: dirigens ante me tuam uiam.

Infrà 13.b Nam in eorum ore nihil certi est: pectus eis dirum est: guttur sepulchrum patens: lingua blandiuntur.

Rom. 3.b Peruerte eos Deus: decidant de suis consilijs: ob eorum tot scelera profliga eos, qui sint in te contumaces.

Lætentur autem perpetuò, quicunq; tibi cōfidunt: ouent te eos protegente, exultent in te tui nominis amantes.

Nam tu Ioua iustos beas, eos fauoris scuto coronans.

VI.

Præcinenda fidibus ad octauam cantio Dauidis.

Ioua noli in me iracundè animaduertere: noli me atrociter punire.

Miserere mei ægrotantis Ioua: sana me Ioua, & membris & animo ualde perturbatum: tu uerò Ioua quid cunctaris?

Reconciliare Ioua: libera hanc animam: conserua me pro tua clementia.

Nam in morte quidem quæ tui fiet mentio? apud inferos quis tibi gratias aget?

Fessus sum gemendo: lectum meum totas noctes madefaciens: cubile lachrymis humectans.

Matt. 7.d. 25.d Luc. 13.f Oculi mihi præ mœrore contabescunt, & inter tot hostes meos consenescunt.

Facessite à me omnes malefici: nam exaudit Ioua meam uocem flebilem.

Exaudit Ioua meam supplicationem: Ioua meas preces admittit.

Pudeat cum uehementi perturbatione omnes inimicos meos: auersos pudeat protinus.

VII.

Defensio Dauidis, quam Iouæ cecinit ob [a] Aethiopem Ieminiensem.

a. Saulū hominem nigrum, id est malum.

Ioua mi Deus, cui confido, defende & libera me à meis tot infestis, ne ille quasi leo raptam mihi uitam laceret indefensam.

Ioua mi Deus, si id feci: si sontes manus habeo:

si malum malo rependi, aut mihi immeritò aduersantem spoliaui: insectetur hostis hanc animam: assecutusq; meam uitam ad terram proculcet, & gloriam pessundet humi. Sela.

Insurge Ioua in iram: incitare propter aduersariorum meorum sæuitiam, & de me quod decreuisti iudicium repræsenta,

populosaq; stipatus cōcione, eam ob causam in sublimi sedeto.

O Ioua, populorum arbiter, iudica de me ex innocentia atq; integritate, qua sum præditus.

Quæso te, ut coercita impiorum peruersitate, iustos confirmes, ô iuste Deus, qui [b] corda exploras atq; renes. b. mētes & animi affectiones. *1. Para. 28.b*

Meum quidem præsidium in Deo situm est, conseruatore hominum frugi.

Qui quidem Deus iudex iustus est: Deus quotidie minatur. *Iere. 11.d 17.b 20.c*

At iste non solum non se corrigit, sed etiam gladium suum acuit: arcum intendit, & componit,

comparatis ad hoc telis mortiferis, et factis ad instandum sagittis.

En parturit iniquitatem: & facinore grauidus nefas pariet. *Esa. 59.a*

Fossam excindit, et cauat, casurus in foueam à se factam. *Iob. 15.d 20.c*

Retorquebitur eius conatus in caput ipsius, eius iniustitia in ipsius uerticem deferetur.

At ego Iouam, ut eius iustitia dignum est, celebrabo, Iouæ nomen cantans supremi.

VIII.

Præcinenda ad Githith cantio Dauidis.

O Ioua Domine noster, quàm nobile tuum nomen est in toto orbe terrarum? qui cum tuam maiestatem in cœlis collocaueris,

per os infantium & lactentium potentiam, propter aduersarios tuos, fundas in coercendis hostibus & infestis. *Matth. 21.b*

Equidem cum cœlos, opera digitorū tuorū, cum lunam & stellas à te conditas uideo:

quid est homo, ut eius memineris? quid est homine natus, ut eum cures?

Atqui cum propemodum Deum fecisti, tantaq; gloria & autoritate ornasti,

[a] ut operum tuarum manuum Dominum feceris, omniaq; eius pedibus subieceris. a Alludit ad illud Genes. 1. Faciamus hominē qui dominetur. *Heb. 2.a 1. Cor. 15.d*

non solum pecora omnia, tam maiora, quàm minora, uerum etiam bestias agrestes,

uolucres aereas, & pisces marinos, marina peragrantes itinera.

O Ioua Domine noster, quàm nobile tuum nomen est in toto orbe terrarum?

IX.

Præcinenda ad Muthlabben cantio Dauidis.

Celebrabo te Ioua tota mente, narrans tua tot miracula:

lætabor & exultabo in te, tuum cantans supremum nomen:

cum retrò

cum retrò uersi hostes mei per te lapsi perierint.

Nam tu causam, litemq; meam agis, pro iusti iudicis tribunali sedens.

Tu gentes protelas: impios perdis, eorum nomen in omnem abolens æternitatem.

O' hostis, desiere perpetuò uastationes: tu quidem urbes sic euertisti, ut earum memoria simul perierit.

Sed Ioua, composito ad iudicium tribunali suo, sedet in perpetuum:

& mundum iustè iudicans, ius populis ex æquo dicet:

eritque Ioua præsidio tenuibus, præsidio in temporibus aduersis.

Et tibi Ioua confident, qui tuum nouere nomen: qui quidem tui studiosos non deseras.

Cantate Sionis habitatorem Iouam, prædicando per populos eius naturam:

qui eorum quos curat iniurias persequatur, haud immemor inopum querimoniæ.

Miserere mei Ioua: aspice ut à meis opprimar osoribus: retrahe me de ianua lethi.

ut in tua exultans tutela, tuas tot laudes intra puellæ Sionis portas, sic enarrem:

Demerguntur in factam à se foueam gentes: capitur earum pes occultato ab ipsismet reti:

patet Iouam ius facere impijs suarum opere manuum irretitis. Higaion Sela.

Retrò labentur in tartara impij, gentes omnes immemores Dei.

Neq; enim perpetuò erunt in obliuione pauperes, non semper erit irrita spes inopum.

Insurge Ioua, ne corroborentur homines, iudicentur apud te gentes.

Statue eis Ioua documentum, quo se homines esse, gentes intelligant. Sela.

X.

CVr Ioua procul abes? cur lates in temporibus aduersis?

Impij superbè insectantur inopes, suis ipsi conatibus capiendi.

Nam sibi placet impius in sua libidine, et sibi Iouæ contemptor auarus gratulatur.

Impius (qua est arrogantia) non solum Deo non studet, uerùm etiam omnes eius conatus eò spectant, nullus ut Deus esse uideatur.

Eius facta semper atrocia sunt: & sublatis ab eius cõspectu tuis placitis, omnes infestos suos floccifacit.

Et quoniam in malo non est, nunquam se conuellendum cogitat.

Rom. 3. b Periurio plenũ os habet, fraudibusq; & perfidia: subest eius linguæ facinus atq; scelus.

Subsidet in insidijs triuiorũ, ex occulto occisurus insontes, oculis in desertos intentis.

insidiatur ex occulto, ueluti leo ex lustris: insidiatur ad inopes inuadendos: inopes inuasurus, in suum rete pertractos.

Cõtrahit humiliter se, ut eius impotentia cadant derelicti:

cogitans Deum immemorem esse, abditoq; uultu, nunquam hæc aspecturum.

Surge Ioua Deus, attolle manum tuam, noli inopum obliuisci.

Cur Deum contemnat impius, te non esse animaduersurum cogitans?

Vides enim, & ita facinorosam cernis improbitatem, ut eam in potestatem tuam redigas: tu derelictorum tutor, & pupillorum defensor.

Frange [a] brachium impiorum, atq; peruersorum, ita ut eorum impietas, si quæratur, nõ extet. a. uires, & (ut loquũtur Latini) neruos.

Ioua tu rex es in omnem æternitatem, cuius de terra pereunt gentes.

Inopum uota exaudis Ioua, eorum mentes componens, aurem præbens,

pupillis tenuibusq; patrocinans, ne deinceps amplius terrestres grassentur homines.

XI.

Precinendum Dauidis.

CVm Iouæ confidam, cur animæ meæ sic dicitis? facesse in uestrum montem uolucris.

Ecce autem arcus intendunt impij, adaptatis ad neruum suis sagittis, ut clàm in homines frugi iaculentur.

Quòd [a] si fundamenta diruuntur, quid agent iusti? a. si ego, qui tibi confido, tamen pereo: cui confident uiri boni, hoc fiduciȩ quasi fundaméto labefactato?

Ioua in suo sacro palatio, Ioua in cœlis habens solium, suis oculis aspicit, suis luminibus hominum genus probat.

Ioua iustos approbans, impios autem et iniustitiæ amantes, animi odio prosequens,

[b] in impios tendiculas, ignem, sulphur, atrocemq; uentũ depluet, hæc sors est eis exantlanda. b. Alludit ad Iosu. 10. Abac. 2. d

Iustus enim Ioua uirtutes amat, præsens que probitatem contemplatur.

XII.

Precinenda ad octauam cantio Dauidis.

SVccurre Ioua: nam defecere pij, desierunt fideles esse in hominum genere.

Nequiter loquuntur inter sese blandis labris, mente duplici loquuntur.

Excindat Ioua omnia blanda labra, linguam magniloquam,

ita dicentiũ: Nos linguis nostris pollebimus: labra nostra penes nos sunt: quis noster est dñs?

Propter inopum calamitatẽ, propter egenorum gemitum, iamiam se surrecturum Ioua promittit, & eis salutem contra illos eorum contemptores allaturum.

Promissa Iouæ, promissa pura sunt, ut in argilacea exploratum fornace argentum, septies perpurgatum.

Tu Ioua conserua eos, tuere nos ab hac natione in perpetuum.

Vbique obuersantur impij, excellente apud hominum genus nequitia.

XIII.

Precinenda cantio Dauidis.

QVousq; tandẽ Ioua immemor eris mei? quousq; mihi tuum uultum subtrahes?

Quẽ ad finẽ interim animo sollicitus, mente anxius ero? quousq; mihi meus insultabit hostis?

Respice, exaudi me Ioua, mi Deus, illustra meos

meos oculos, ne mortem dormiam:

ne meus hostis me à se uictum iactet: ne, me labefacto, mei exultent aduersarij.

Ego uerò tua fretus clementia, in tuo præsidio mente exultabo, Iouam sic de me promeritum canens.

XIIII.

Præcinendum Dauidis.

COgitant cum animis suis insani, non esse Deum: adeò deprauata & detestanda sunt natura, ut nullus rectè faciat.

Rom.3.b Ioua de cœlo despexit hominum genus, ut uideret num quis ita saperet, ut Deum curaret.

Vniuersi (proh scelus) deflexerunt, ut non sit qui rectè faciat, ne unus quidem.

a à Ioua ali. uide Psal.4. & 53. An non intelligunt tot malefici, qui meos comedunt, sese a panem comesse Iouæ, quem non inuocant?

Sed aliquādo pauore corripientur: nam Deus adest generi iustorum.

Vos inopum cōsilium exprobratis, quorum fiducia Ioua sit.

Quis ex Sione salutem det Israelitis? ut Ioua suos reuocante captiuos exultent Iacobei, lætentur Israelitæ?

XV.

Dauidis cantio.

IOua quis deget in tabernaculo tuo? quis in tuo sacro monte habitabit?

Qui sincerè se gerit, æquumq; facit, & uerū ex animo loquitur.

Qui lingua sua non detrectat: non malefacit alteri: dedecus alijs non imponit.

Qui improbos despectui habens, Iouę reuerētes honorat: quodq; iurauit alteri, non reuocat.

Non pecuniam suam fœnerat, non donum aduersus innocentem accipit.

Hæc qui facit, nunquam conuelletur.

XVI.

Dauidis segmentum.

CVstodi me, ô Deus, qui tibi confido,

quiq; Iouæ sic dico: Cum tu sis Dominus, meorum bonorum non indigus:

Ego me sanctis & nobilibus in terra uersantibus unicè oblecto.

At eorum, qui multo cum labore aliò properant, neq; libamina cruenta libo, neq; nomina meis usurpo labijs.

Tu Ioua, qui mihi pro legitima possessione et conditione es, meam sortem sustines.

Accidit mihi amœna regio: euenit mihi elegans hæreditas.

a. ut meæ nocturnæ coerceantur libidines. nam renes pro cupiditate dicūtur & 4. Esd.5. Grates ago Iouæ, qui mihi sic consulit, a ut etiam mei renes me noctu castigent.

Iouam mihi iugiter habeo propositum, quo mihi dextero non labefiam.

Act.2.c.d. & 13.e Itaq; non tantū animo & mente lætor, & exulto, uerumetiam ipsum corpus meum tutò degit: quoniam tu non es animam meam relicturus Orco, non es passurus ut pius tuus corruptionem patiatur.

Sed me uitæ uiam docebis tu, apud quem plena gaudiorum adest copia, cuius in dextera perennes sunt uoluptates.

XVII.

Dauidis precatio.

AVdi Ioua innocentiam, attende meę querimoniæ: ausculta precibus, quas non fallacibus profero labijs.

A te meum ius proficiscatur: spectent oculi tui æquitatem.

Probes licet meum cor, & me nocte aggressus explores: non deprehendes me aliud in pectore, aliud in ore habere.

Quod ad hominum facta attinet, ego ex tuorū labiorum sententia inhumanorum uias euito.

Sustine gressus meos in tuis orbitis, ne mea labefiant uestigia. B

Ego te ideo inuoco, quoniam tu mihi exoraris, Deus: præbe mihi tuam aurem, & exaudi meam orationem.

Vtere tua mirifica clementia, qui tua fretos dextera defendis ab insurgentibus in ipsos.

Custodi me ut oculi pupillam, abdens me in alarum umbra tuarum. C

ob impios qui me infestant: ob hostes meos, qui meæ necis cupidi, me circumuallant:

& ore obesitate farcto, superbè loquuntur:

iamq; gressus nostros obsident, oculis ita cōpositis, ut ad terram conquiniscant:

similes auido rapiendi leoni, aut in latibulis sedenti leunculo.

Exurge Ioua: præuerte atq; perdoma illos: D defende hanc animam ab impijs, gladio tuo: à mortalibus, manu tua Ioua, à mortalibus mundanis, qui sua habent in hac uita, te eorum uentres de tuo penu ita replente, ut satientur inde nati, reliquiasq; suas posteris suis relinquant.

At ego per iustitiam uultum tuum uidebo, a tum satiandus, cum tua experrecta fuerit imago. a. per Christi resurrectione, qui Dei imago est, plenam consecuturus iustitiā & felicitatem.

XVIII.

Præcinendum cultoris Iouæ Dauidis, qui Iouæ huius uerba carminis dixit, cum eum Ioua liberasset cùm à cæteris omnibus eius hostibus, tum à Saulo.

ADamo te Ioua, meæ uires.

Ioua mea rupes est, arx mea, meus liberator, meus Deus, meum numen cui confidam, meus clypeus, & meæ cornu salutis, meumq; propugnaculum. 2.Reg.22.a

Quem Iouam cum laudatum inuoco, defendor à meis hostibus.

Cum me mortis lora circumcingerent, improborum torrentes turbarent,

Orci lora circundarent, mortis laquei præpedirent:

in hac mea angustia inuocatus à me Ioua, imploratus à me Deus meus, meam uocem de suo exaudiuit palatio, meaq; ad eum querimonia ad eius peruenit aures.

Tum commota tellus contremiscere, & concussæ montium moles cohorrescere, namque iratus ille,

fumum naribus exhalans, ardentem ignem faucibus eiaculans, & carbonibus exardescens,

prodi-

proclinato cœlo descendebat, ac subiecta pedibus suis caligine,

in Cherubo inequitans uolabat, seq; alis uenti librabat.

B Circundederat autem sibi quasi latebram tenebrarum, atrarumq; aquarum, & æthereãrum nubium quasi umbraculum.

Quibus nubibus ad eius præsentiæ fulgorem discussis, grando & candentes emicabant carbones;

Tum Ioua supremus de cœlis intonare, cũq; fragore grandinem & igneos agere carbones,

telaq; sua iaculans illos dissipare, & crebris reddere fulguribus attonitos.

Ad has Iouæ minas, & spirantem ex eius naribus uentum, aperti sunt aquarum gurgites, & fundamenta patefacta mundi.

Tum ille me desuper recipiendum, & ex tam multis aquis curauit extrahendum.

me liberauit ab hoste meo tam ualido, ab aduersarijs meis qui erant me potentiores.

Illi quidem me meo periculosissimo tempore inualerant: sed Ioua mihi adminiculatus,

me in apertum eduxit, & pro suo erga me fauore tutatus est.

Remuneratus est me Ioua digna mea innocentia mercede, & digna mearum manuum puritate præmio affecit.

Nam Iouæ præscripta conseruaueram, nec impius erga Deum meum fueram.

Quin eius omnia iura mihi habuerã proposita, nec eius instituta à me reieceram: sed erga eum integer, à uitio me abstinueram.

C Ergo mihi Ioua dignum innocentia mea, & manuum sinceritate sibi perspecta, præmium rependit.

Tu te benignis benignum, integris uiris integrum,

puris purũ, peruersis intractabilem præbes.

Nam & inopes homines defendis, & superborum deprimis supercilia.

Etenim tu mihi [a] lucem accendis, tu Ioua mi Deus meas tenebras lumine disijcis. *[a] auxilium fers.*

Ergo per te cuneos perrumpo, per Deum meum transilio muros:

cuius Dei ratio simplex, cuius Iouæ promissa proba sunt:

qui omnibus sibi fidentib. est quasi clypeus.

Nam quis est Deus præter Iouam?

quod est numen, excepto Deo nostro?

qui Deus me uirib. accingit, & mores meos reddit integros:

qui meos pedes ceruinos efficiens, in edita me loca sistit: *2.Reg.22.c*

qui manus meas ad bellum sic edocet, ferreos ut arcus hisce frangam lacertis.

Tu mihi defensionis tuæ clypeum subministras:

Tu me tua & dextera sustentas, & mansuetudine auges,

D adeoq; gressus meos sub me explicas, ut mea non titubent uestigia.

Ergo meos persequens hostes assequor, nec nisi confectis illis reuertor:

& eos ita trucido, ut surgere nequeant, mihi sub pedes collapsi.

Tu mihi uirtute ad bellum accincto, meos aduersarios subijcis:

mihi hostes terga dare cogis, ita ut infestos meos euertam.

inuocantes illos quidem, sed indefensos, Iouam, sed non exaudientem,

dum ego eos quasi puluerem in auras comminuo, & tanquam uicorum lutum contundo.

Tu me ex populi seditionibus liberas, & gentium caput efficis,

adeò ut mihi ignoti seruiant homines, & ad nutum obediant.

Genus extraneũ mihi perdomat: genus extraneum concidit, intra sua claustra formidans.

Viue Ioua, tibi grates numen meum, extollendus es Deus meæ salutis,

Deus qui mihi supplicia sumere das, populosq; domas:

qui me ex hostibus meis eripis, ab infensis meis uindicas, à crudeli homine liberas.

Quare te celebrabo apud gentes Ioua, tuum nomen cantans,

qui tantas regi tuo uictorias concilies, in unctum tuum Dauidem, inq; eius stirpem beneficia conferens æterna.

XIX.

Præcinenda cantio Dauidis.

COeli enarrãt Dei gloriam, & opus eius manuum ostendit æther.

Cuius rei cognitionẽ parit dierũ noctiumq; uicissitudo, quasi fundensorationem:

idq; ita, ut nullus sermo, nulla lingua sit, ubi non audiatur eorum uox:

quorum regula ad omnes terras, quorum oratio ad ultimum pertingat orbem. in illis quidem tabernaculum posuit solis, *Rom.10.d*

Qui quasi sponsus prodit ex suo lecto genia li, exultãs ut athleta ad decurrendum curriculũ. *Luc.24.g*

Atque ab ultimis cœli carceribus profectus, ad alterum pergit extremum, nec quicquam est quod eius lateat ardorem.

Iouæ lex integra animũ recreat: Iouæ fidum oraculum ex infante reddit sapientem.

Iouæ mandata recta mentem exhilarant: Iouę pura disciplina illustrat oculos.

Iouæ castus metus perpetuò manet:

Iouæ sententiæ ueræ simul & æquæ sunt,

longè & auro obrizoq; iucundiores, & fauorum dulciores nectare.

Et quidẽ ego tuus eis instructus sum, in quibus sanè obeundis amplum quęritur præmium.

Sed errores quis perspiciat? ab occultis expia me,

tum etiam ab eis, quæ data opera commisi, uendica tuum me, ne dominentur in me: tum integer ero, & à tot peccatis innocens.

Macte esto hac & oris mei oratione, & mentis cogitatione, Ioua meum numen, atq; uindex.

XX.

XX.

Præcinenda cantio Dauidis.

EXaudiat te Ioua temporibus aduersis: protegat te nomen Dei Iacobeorum.

Mittat auxilium tibi ex sano, ex Sione tibi opituletur.

Memor sit tuorum tot fertorum, hostiam'que tuam [a] uertat in cinerem. Sela.

a hoc est, ea placet.

Det tibi quod habes in animo, & omne tuum consilium perficiat.

Nos in tua uictoria ouabimus, in Iouæ Dei nostri nomine signa extollentes, qui Ioua omnia postulata tua perficiat.

Nũc intelligimus Iouam de suo sancto cœlo exoratum, defendere unctum suũ, salutaris dexteræ suæ uiribus.

Alij currus, alij equos: at nos Iouæ Dei nostri nomen memoramus.

Illi subacti cadent: at nos erecti consistemus,

Ioua regem defendente, & nos inuocantes exaudiente.

XXI.

Præcinenda cantio Dauidis.

IOua in tua potentia gaudet rex, inq; tua defensione exultat maiorem in modum.

ut cui tu mentis optata concesseris, nec orationis postulata denegaueris. Sela.

Nam eum egregijs affecisti beneficijs, eiusq; capiti auream imposuisti coronam:

& uitam à te roganti, ætatis longitudinem dedisti perennem.

Magna eius est tuo præsidio gloria, qui præter decus, & autoritatem, quam ei tribuisti,

etiam faustitatem concilies æternam, eum tui uoluptate uultus lætificans.

Nam Ioua, supremiq; clementia fretus rex, non conuelletur.

At hostes tuos omnes assequetur ista manus: ista dextera tuos aduersarios deprehendes:

eosq; tum, cum irascêris, ô Ioua, quasi in ardentem redactos fornacem, ira tua cõficies, atq; igne consumes:

eorumq; fœtum ex orbe terrarum, eorum stirpem ex hominum genere tolles.

Moliuntur enim tibi malum, conantur scelus, quod non poterunt.

Nam tu eis pro scopo collocatis, rectà in eos tuis neruis collineabis.

Insurge Ioua cum tua potentia: nos tuam carminibus uirtutem cantabimus.

XXII.

Præcinenda super auroræ cerua, cantio Dauidis.

Matth.27.e

MI Deus, mi Deus, cur me dereliquisti? cur à meis uerbis querulis remota salus est?

Ego uoco mi Deus interdiu, nec tu exaudis: noctu & quidem sine ulla intercapedine.

Atqui tu sanctus ille manes, laus Israelitarũ.

Tibi confisi sunt maiores nostri, & tu confidentes liberasti.

Te inuocantes liberati sunt: tibi confidentes, non sunt frustrati.

At ego uermis sum, non homo: hominum opprobrium, & populi contemptus.

B Quicunq; me uident, sannis, & capitis nutu sic illudunt: Ioua nixus est, liberet eum, eripiat eum, postquàm eius tam cupidus est. Matth.27.d Mar.15.c

Tu quidẽ is es qui me ex aluo extraxisti, qui mihi etiã sub maternis uberib. fiduciã dedisti.

Tibi iam ab utero cõmissus sum, ab aluo matris meæ tu mihi Deus es.

Noli à me abesse in tam præsenti periculo, subueniente nullo.

Tot me tauri circundant, opimi boues [a] Basanici circumsident, faucibus inhiant mihi leones rapaces, & rugientes.

a. pingues, quales fert Basana regio.

Diffluo ut aqua: dissoluuntur omnes artus mei: cor mihi medijs in uisceribus quasi cera colliquescit.

Arescunt tanquam testa uires meę: lingua mihi faucibus adhæret: denique tu me in mortis cinerem redigis.

C Circumsistũt enim me canes, me circumuallat improborum caterua, qui mihi manus & pedes perfoderunt.

Enumerare possem omnia ossa mea, ipsi me intuentes aspiciunt. Matth.27.d

meaq; inter sese uestimenta partiti, super ueste mea sortem iecerunt. Iohan.19.d

Tu uerò Ioua abesse noli: ô meæ uires, ad succurrendum mihi festina:

Eripe animã meam ex gladio, hanc unicam ex caninis unguibus.

Defende me ab ore leonis: assere me à cornibus monocerotijs.

Prædicabo nomen tuum meis fratribus, in medio te cœtu collaudans. Heb.2.c

Qui Iouam reueremini, laudate eum: hunc omnes Iacobi posteri honorate, hunc formida omnis Israelitica progenies:

qui quidem inopum inopiam non despiciat, aut abhorreat: nec eos auersetur, sed clamantes exaudiat.

D À te mea laudatio in frequenti cõuentu, dum mea uota reddam apud tui reuerentes.

Comedent inopes ad satietatem: Iouã laudabunt eius studiosi, animisq; uiuent in perpetuũ.

Iouæ memores ad eum se conuertent omnes orbis regiones, & te coràm omnes gentium nationes adorabunt:

Ioua regnum tenente, et gentibus imperante.

Comedent, & adorabunt omnes orbis opulenti, ei se summittent omnes qui in puluerem rediguntur:

eorumq; progenies, quorum uita non perdurat, eum colent, & Domini fiet in futurũ mentio:

uenientq; qui posteris exponant, qua sit usus iustitia.

XXIII.

Dauidis cantio.

PAstor meus est Ioua, nihil mihi deest:

In graminosis pascuis me stabulat: me ad tranquillas ducit aquas, Esa.40.d Iere.23.d

meum recreat animum, me per iustitiæ semitas propter suum nomen deducens. Ezech.34.d Iohan.10.d

Itaque

1 Pet 2.d Itaqꝫ licet per atrã letiferamqꝫ uallem ingrediar, nihil mali metuã, quod tu mihi adsis, meqꝫ tua uirga consoletur, & pedum.

Tu mihi mensam instruis in aduersariorum conspectu meorum, meumqꝫ caput unguento perungis, exuberante meo poculo.

Quinctiam, me bonitas & benignitas, quãdiu uiuam, sequetur, incolamqꝫ Iouæ domum longo æuo.

XXIIII.

Dauidis cantio.

IOuæ est terra, & quicquid ea continetur: orbis, & eius incolæ

1.Cor. 10.f Psal. 49.b

Namipse eam super mari fundauit, superqꝫ fluminibus fixit.

a. mare fluminaq; supereminentem.

Quis ascẽdet in montem Iouæ? quis in eius sacro loco stabit?

Qui & insontibus manibus, & pura mente præditus est: qui non animo suo ad nequitiam utitur, neqꝫ malitiosè iurat.

Is à Ioua felicitatem, à Deo seruatore suo beneficentiam consequetur.

Hoc est genus studiosorum Iouæ, uidelicet Iacobeorum, qui sunt eius præsentiæ cupidi. Sela.

Attollite portæ capita uestra: efferte uos aditus æterni, rex ut gloriosus intret.

Quis est iste rex gloriosus? Ioua potens, & fortis, Ioua fortis bellator.

Attollitæ portæ capita uestra, efferte uos aditus æterni, rex ut gloriosus, intret.

Quis est iste rex gloriosus? Ioua armipotens rex est gloriosus Sela.

XXV

Dauidis

AD te Ioua animum meum attollo, tibi mi Deus confido effice, ne frustrer, ne mihi insultent hostes mei

Huius carminis uersus in Hebræo scripti sunt ordine literarum.

Et sanè quicunqꝫ in te sperant, non frustrantur: frustrantur perfidiosi nequam.

Vias tuas ostende mihi Ioua, semitas tuas doce me

Dirige me per tuam ueritatem, me docens: nam tu Deus es meæ salutis, in quo perpetuam spem habeo.

Memento tuæ misericordiæ Ioua, atqꝫ benignitatis, quæ sunt ab omni æternitate.

B Meæ iuuentutis peccata atqꝫ delicta meminisse noli, ut postulat tua clementia: memento mei pro bonitate tua Ioua

Bonus & æquus es Ioua, itaque sontes uiam docet:

inopes ad æquitatem dirigit, eosqꝫ suam docet uiam

Omnes Iouæ rationes clementia sunt, & ueritas, ijs qui eius fœdus & oracula conseruant.

Propter nomen tuum Ioua, da ueniam meæ

C culpæ, quæ multa sanè est.

Si quis homo est, qui Iouam metuat, huic ille uiam demonstrabit, quam eligat.

Et ipse in bonis uersabitur, & eius posteritas terram possidebit,

Iouæ metuentibus patefit eius arcanum, atque fœdus.

Iouam in oculis semper habeo: nam is meos pedes explicat ex retibus.

Respice me, & miserere mei, qui desertus & inops sum.

Ingentibus animi premor angoribus: educ D me ex meis periculis:

Aspice meã miseriam & labores, & ignosce meis omnibus peccatis.

Aspice quàm multi sint hostes mei, qui me atroci persequuntur odio.

Serua hanc animam, & me libera, ne me tibi Iohan. 15.d confidisse pudeat.

Conseruent me integritas & æquitas, qui in te spem habeam.

Vindica Deus Israelitas ex omnibus eorum angustijs.

XXVI.

Dauidis.

PAtrocinare mihi Ioua, qui me innocenter gero, immotam in Ioua fiduciam habens.

Experire & tenta me Ioua, meos [a] renes atqꝫ cor explorans.

a. affectus atque mentem.

Equidem benignitatem tuam mihi ob oculos positam habeo, & in tua ueritate uersor.

Non ago cum hominibus nequam: non cum facinorosis uersor.

Odi cœtum malorum: cum impijs non ago.

Lauo meas manus innocentia, & aram tuam Ioua circundo,

ut laudes uoce personem, & tua tot enarrem miracula.

Ioua amo tui fani domicilium, tuiqꝫ gloriosi locum tabernaculi.

Noli meam animam ad improbos, uitam ad sanguinarios aggregare:

quorum manus flagitijs, quorum dexteræ corruptelis refertæ sunt.

Ego me gero innocenter, assere me, & misserere mei.

Pes meus rectè constat, in cœtibus agam Iouæ gratias.

XXVII.

Dauidis, G. cantio priusquam ungeretur, H.

IOua mea lux & salus est, ecquem metuam? Ioua meæ uitæ firmamentum est, ecquem formidem?

Si me scelerati, aduersarij, & hostes mei inuadant, ut meum corpus comedant, offensuri sint atque casuri.

Si contra me castra fiant, non metuam animo: B si in me bellum surgat, tamen confidam.

Vnum a Ioua petij, idemqꝫ oro, ut in Iouæ domo per omnem uitam meam habitem:

Iouæ contemplans amœnitatem, & eius cellam perlustrans.

Is enim me temporibus aduersis abdit in suo tentorio: me abscõdit in tabernaculi sui latebra, me in rupem euehit.

Iamqꝫ meum caput efferet supra meos hostes,

C qui me circumsistunt, itaq; in eius tabernaculo mactabo uictimas adoreæ, canens, cantánsque Iouam.

Exaudi Ioua meam inuocantis uocem, miserere mei, exoratus à me.

Sic animo cogito, uelle te tuum quæri conspectum: tuum conspectum Ioua quæro.

noli tuum mihi conspectum subtrahere, noli me tuum iracundè auersari, qui meum sis præsidium: ne me desertũ relinque Deus meę salutis. D

Nam etiamsi me pater materq; deserat, tu me Ioua receptas.

Doce me Ioua tuam uiuendi uiam, & me recta semita deduc, propter meos aduersarios.

Ne me hostium meorũ libidini dedito. nam in me surgũt falsi testes, et est qui crimen conflet.

Quanquam confido me Iouæ bona uisurum in terra uiuentium.

b. Seipsum alloquitur. b Spem habe in Ioua, fortis & constantis animi esto, in Ioua spem habens.

XXVIII.

Dauidis.

TE Ioua inuoco, meum numen: noli te mihi præbere surdum, ne neglectus à te a fiam quales qui descendunt in barathrum. a moriar.

Exaudi meam uocem supplicẽ, qua te sublatis ad tuum sacrum penetrale manibus, imploro.

Noli me impiorum & maleficorum habere numero, qui cum alijs amicè loquentes, malitiã gerunt in pectore.

His tu digna suis factis, & morum prauitate præmia repende: hos ut postulant eorum actiones, remunerare:

his dignam ipsorũ meritis solue mercedem. qui Iouæ facta & manuum opera non perpendant, iccirco per eum à stirpe euertendi.

Gratias ago Iouæ, qui meam supplicãtis uocem exaudiat.

Ioua meæ uires & clypeus est, cui animo confido: à quo adiutus, animo exulto, eumq; meo carmine celebro.

Ioua suorum potentia est, & uictoriarum uncti sui firmamentum.

Serua tuos, tuæq; hæreditati faue, eos regens atque euehens in perpetuum.

XXIX.

Dauidis cantio, G. inec. utonis tabernaculi, H.

TRibuite Iouæ, ô diuũm genus, tribuite Iouæ gloriam atque potentiam.

Tribuite Iouæ nomini gloriam, colite sacra præditum maiestate Iouam.

a. hoc est tonitru. Iouæ a sonitus aquis incumbit, Deus gloriosus tonat, Ioua multis incumbit aquis.

Iouæ sonitus robore, Iouæ sonitus præditus est autoritate.

Iouæ sonitus frangit cedros, perfringit Ioua cedros Libani:

efficitq; ut uitulorum ritu subsiliant Libanus & Sarion, more pullorum unicornium.

Iouæ sonitus flammas erumpit igneas, Iouæ sonitus tremefacit saltum, tremefacit Ioua saltum Cadem.

Iouæ sonitus ceruas parere facit, syluasq; nudat; cuius gloriam in eius fano cuncti prædicet.

Ioua manet in nimbis, & manet Ioua rex in sempiternum.

Ioua suis potentiam dat, Ioua suos pace fortunat.

XXX.

Cantio Carminis dedicationis domus Dauidis.

EXtollam te Ioua qui me alleuaueris, neque meos hostes de me lætificaueris.

Ioua mi Deus tu me inuocantem sanasti:

tu Ioua meam animam reuocasti ab Orco, & me à funere uindicasti.

Cantate Iouam uos eius pij, eius sacram celebrantes memoriam.

cuius ea est & iræ breuitas, & fauoris longinquitas, ut si uespere fletus incumbat, adsit manè lætitia. B

Equidem cum in tanta felicitate fuissem, ut mihi nunquam labefactandus uiderer,

(quandoquidem tu Ioua pro tuo fauore meũ montem in tuto collocaueras) deinde te uultum tuum abscondente perturbatus essem, C

inuocaui te Ioua, supplicaui Domino in hũc modum.

Quódnam futurum est in meo lucrum sanguine, si ad interitum adactus fuero? nunquid te puluis celebrabit? nunquid tuam fidem prædicabit? D

Exaudi Ioua, & miserere mei, teq; mihi defensorem præbe.

Tum tu meum mœrorem in chorum uertisti, meq; exutum centone, amiciuisti gaudio.

Itaque sine intermissione honorificè cantaberis, Ioua mi Deus, me tibi immortales agente gratias.

XXXI.

Præcinenda cantio Dauidis, G. ecstasis, H.

TIbi Ioua confido, ne me unquam pudeat, me pro tua æquitate libera.

Præbe aurem mihi, propera me eripere: esto mihi firma rupes, tuta domus ad me conseruandum.

Nam tu mihi petra & propugnaculum es, qui me tui nominis causa ducas atq; perducas:

qui me ex reti expedias, quod contra me occultatur: quandoquidem tu meum es firmamentum.

Tibi in manum commendo spiritum meum: qui me redimis, Ioua Deus fidelis. Lucæ 23. f

Odi eos qui improbitatem nequiter retinent, ipse Iouæ confidens.

Exultabo lætus in tua clementia, qui meã respexeris inopiã, cognitis animi mei angoribus.

neque me in hostilem manum impegeris, sed meos explicaueris pedes.

Miserere mei Ioua, qui tanta sum in angustia, ut mihi præ mœrore & oculi & animus & uenter contabescat.

Me præ ęgritudine & gemitu uita deficit, & ætas: mihi carpuntur in hoc supplicio uires, & membra consenescunt.

Omnibus

Omnibus inimicis meis ostentui sum, & maximè uicinis:

Abhorrent me mei familiares: qui me foris uident, à me recedunt.

Animi obliuioni traditus, perinde ac mortuus, sum quasi uas perditum.

Nam à multis audio contumelias, terrore circumsessus conspirantium contra me, & mihi animam eripere conantium. C

Ego uerò te Ioua fretus, Deũ meum appello, cuius in manu [a] tempora sunt mea: libera me ex hostium meorum manu, & ex meis infestis.

a rerum status.

Illustra tuum me tuo conspectu, conserua me pro tua clementia.

Ioua ne frustrer, qui te inuoco:
frustrentur impij, & compescantur Orco.

Obmutescant labra mendacia, quæ contra iustos arroganter & fastidiosè dicunt atrocia. D

O quàm multa sunt bona tua, quæ tui metuentibus recondidisti, quibus tibi confidentes afficis coram humano genere?

Tu eos in tui conspectus latebra subtrahis hominum importunitatibus, eos quasi tegmento protegens à linguarum iurgijs.

Gratias ago tibi Ioua, qui tua in me clementia mirificè usus sis in urbe munita:

qui cum ego in rerum mearum trepidatione putarem me ab oculorum tuorum conspectu esse reiectum, tamen meam supplicem uocem, à me imploratus, exaudisti.

Amate Iouam omnes eius pij, qui Ioua & fideles tuetur, & superbè agentes cumulatè remuneratur.

Este fortes, & animis constantes, quicunque Iouam suspicitis.

XXXII.

Dauidis institutio.

Rom. 4. d

Beatus cui remissum delictum, cuius obductum est peccatum.

Beatus homo cui non imputat Ioua culpam, & cuius in animo dolus non est.

Equidem cum tacitus totos dies ingemiscerem, sublabebantur membra mea:

cumque me dies noctesque manus tua premeret, uertebatur succus meus in æstiua cremia. Sela.

B Ergo meum tibi peccatum declaraui, meam culpam non te celaui, meum delictum Iouæ confitendũ esse duxi, & tu mei peccati culpæ ignouisti. Sela.

Hanc ob rem te pij omnes tempestiuè precabuntur: itaque quantumuis redundent [a] fluctus, eos non attingent.

a. res aduersæ.

C Tu mihi latebra es, qui me in rebus aduersis tueris, & liberationis ouatione circumfundis. Sela.

Erudiam uos, & qua uia uobis sit eundum ostendam, uobis [b] oculo meo consulens.

b. cura.

D Nolite similes esse equis aut mulis, ratione carentibus, quorum maxillæ frenis sunt & lupatis coercendæ, ne quem inuadant.

Multis doloribus afficientur impij: qui uerò Iouæ confidunt, ij benignitate circumfundent.

Gaudete in Ioua, & exultate iusti: ouate omnes probæ mentis homines.

XXXIII.

G. Dauidis cantio. H.

Ouate iusti in Ioua, probos decet laudatio.

Celebrate Iouam cithara: hunc nablo cantate decem chordarum.

Hunc canite nouo carmine, scitè cum læto sonitu fidibus ludentes.

Nam Iouæ & dicta recta, & facta omnia [a] uera sunt.

a. æqua.

Amat iustitiam atque ius: Iouæ benignitate plenus est orbis terrarum.

Ad Iouæ dictum facti sunt cœli, & ad eiusdem oris spiritum omnes eorum copiæ. B

Is maris aquas quasi in cumulum aceruauit, undis in cellas conditis.

Ergo Iouam metuant omnes terræ, hunc omnes reformident habitatores orbis.

Nam quod ipse dicit, id fit: quod iubet, existit. Iudith. 16. c

Ioua gentium consilia dissoluit, populorum conatus reddit irritos.

Iouæ consilium in sempiternum: Iouæ mentis cogitata in alias atque alias durant ætates. C

Felix est natio cuius Ioua Deus est: populus quem ille sibi possidendum delegit.

De cœlis despectans Ioua, cernit omne genus hominum.

Ex habitationis suæ domicilio cõtemplatur omnes orbis terrarum incolas,

quorum & corda finxit, & omnia facta perspicit.

Non rex copiarum multitudine seruatur, non miles uirium præstantia liberatur. D

Fallax est equus ad defensionem, neque sui magnitudine roboris eripit ex periculo.

Enimuero intẽtum habet oculum Ioua in sui metuentes, in eos qui suspiciunt eius clementiã:

ut eorum animas à morte liberet, eosque in fame conseruet.

Anima nobis in Iouam spectat, adiutorem, et propugnatorem nostrum:

in quo mente gaudemus, cuius sacro nomine confidimus.

Vtere tua erga nos Ioua clementia, uti nos te suspicimus.

XXXIIII.

Dauidis, cum gestum suum apud Abimelechum immutasset, atque ita ab eo eiectus discessisset.

Agam Iouę gratias omni tempore, eius laudes semper habens in ore.

Et hoc carmen apud Hebræos scriptũ est ordine literarum.

De Ioua me iactabo, quo audito lætabuntur inopes.

Magnificate Iouam unà mecum, eiusque nomen pariter extollamus.

Iouam oraui, qui exoratus ex omnibus me liberauit terroribus.

Hunc qui intuebuntur renidebunt, nihil uultu erubescentes.

Hunc inopem Ioua inuocantem exaudiuit, & ex omnibus uindicauit angustijs. B

Circummunit Iouæ genius eius metuentes

atque defendit.

Gustate, & uidete quod bonus sit Ioua, quamque felix sit homo qui ei confidit.

Reueremini Iouā uos eius sancti, nam eum reuerentibus nihil deest.

Etiam iuuenes leones penuria & fame laborant: at Iouæ studiosi nullo bono carent.

C Adeste nati, audite me, dum uos Iouæ metū doceo.

1.Pet.3.b Si quis es homo uitæ cupidus, æui amans ut potiare bonis:

contine linguam tuam à malitia, & labia à loquendo fraudulenter.

Abstine à malo, & fac bene: stude paci, eamque sequere.

Eccles.15.d Habet Ioua intentos oculos in iustos: & aures ad eorum implorationem.

Heb.4.c. Habet Ioua intentam in maleficos faciem, ut eorum memoriam ex terris extirpet.

D Illos inuocātes exaudit Ioua, & ex omnibus eripit angustijs.

Adest Ioua mente fractis, & animo afflictos conseruat.

Quamuis multa sint iustorum mala, ex omnibus eos Ioua liberat,

eorum membra omnia sic seruans, ut eorum nullum frangatur.

Perimet improbitas impios, & euertentur iustorum inimici.

Afferet suorum animam Ioua, nec quisquam euertetur eorum qui habent in eo fiduciam.

XXXV.

Dauidis.

CONtende Ioua cum ijs qui contendunt mecum: pugna cum meis oppugnatoribus.

Cape clypeum scutúmque, & mihi surge in auxilium.

Hastam expedi, & infestus occurre meis infestis, pronuncians mihi esse te meam salutem.

Turpiter frustrentur, qui meę neci student: foede retrocedant, qui mihi malum cogitant.

Similes sint aceri per auras, agitante Iouæ genio.

Sit eorum uia tenebricosa, atque lubrica, persequente Iouæ genio.

B Nam contra me sine causa suum perniciosum rete abdunt: sine causa foueam in meum faciunt periculum.

Accidat ei nec opinātí pernicies: capiat eum rete, quod ipse occuluit, eò delapsum ad exitiū.

Tum meus animus in Ioua exultabit, Iouæ defensione lætus.

Omnia mea membra sic dicēt: O Ioua quis tibi par est? qui inopes à potentioribus, inopes & pauperes ab ipsorum tuere deprædatoribus.

Surgunt testes iniurij, quæ ignoro, eorum me postulantes.

Mihi malum pro bono reddunt, ut me uita orbent.

Atqui mihi, ægrotantibus eis, uestis erat cento: affligebam meipsum ieiunio, preces [a] in sinu

C meo iterans.

a. apud me.

Perinde ac si meus necessarius, aut frater esset, sic me gerebam: tanquam in materno funere pullatus, atque deiectus.

At illi in meo casu gaudent, & coeunt: coeunt in me nec opinantem mutili, sine intermissione proscindentes,

[b] & impurorum heluonum ritu dentibus in me stridentes.

b. ut heluones cibum, sic illi me mordent.

O Dñe ecquando hæc aspicies? retrahe hanc animā ab eorū sæuitia, à leonibus hanc unicam.

Celebrabo te ingenti in conuentu, te in magna hominum frequentia laudabo.

Iohan.15.c. Effice ne de me gaudeant, qui mihi falsò sunt hostes: ne [c] oculis significent, qui me immeritò odêre.

c. inter sese gaudeant.

Qui quidem tantum abest ut amicè loquantur, ut in hominum quietissimos malitiosa uerba excogitent:

& diducto contra me ore ita dictitent, Oho oho, uidemus oculis nostris. D

Vides Ioua, ne conniueto Domine, noli à me abesse.

Excitare & expergiscere ad iudicium meum, mi Deus & Domine, ad causam meam.

Iudica me pro tua iusticia, Ioua mi Deus, & effice ne de me lætentur:

ne sic cum animis suis cogitent, se uoti compotes esse, iactantes me à se deuoratum.

Pudeat ignominiosè eos, qui meo malo gaudent: pudore & turpitudine circumfundantur, qui contra me insolescunt.

Ouent & gaudeant innocentiæ meæ cupidi, semper dictitantes magnificandum esse Iouam, cui sui cultoris salus placeat.

Et mea lingua tuam iusticiam, tuas meditabitur assiduè laudes.

XXXVI.

Præcinendum cultoris Iouæ Dauidis.

IMpij peruersitas mihi penitus in mente loquitur, eum nullam ob oculos habere propositā religionem.

Adeò ipse sibi blanditur & placet, ut eius uitia reperiantur odiosa.

Eius oris uerba improba sunt, & fraudulenta: à recta uel sententia, uel actione abstinet.

Improba in lecto suo excogitat, uiam insistit non bonam, à malo non abhorret.

O Ioua, tua cœlestis est benignitas, æetherea fides:

iustitia proceris montibus altior, iudicia Oceano profundiora: homines tu, bestiasque conseruas Ioua.

Tam excellenti præditus es clementia Deus, ut hominum genus in alarum tuarum umbra fiduciam habeat,

tuæ domus ubertate circumfluat, eos te tuarum flumine deliciarum perfundente.

Nam te penes est uitæ fons, & in lumine tuo [a] lumen uidemus.

a. uiuimus.

Extende tuam clementiam in eos qui te norunt, iusticiam in probæ mentis homines.

Ne me superborum pes aggrediatur, ne manus uexet

nus uexet impiorum.

Eò delabantur malefici, sic agitati ut surgere non possint.

XXXVII.

Dauidis.

Huius cantionis alterni uersus in Hebræo scripti sunt ordine literarum.

NOli propter malos te torquere, noli maleficis inuidere.

Nam gramine citius succidentur, & ut herbæ uiriditas marcescent.

Confide Iouæ, & bene fac: incoles terram, & firmè pasceris.

Fruere Ioua, & tibi animi tui postulata concedet.

Reclina in Iouam tuas rationes, eique confide, & ipse rem transiget.

Tuamque innocentiam luce euidentiorem, tuum ius meridie clarius efficiet.

Expecta Iouam tacitus, ne te crucia propter fortunatos homines flagitiosos.

Desiste ab ira, desine succensere, ne te crucia, ut quidem malè facias.

Nam mali excindentur: qui uerò in Ioua spem habent, terram possidebunt.

paulo pòst iam nusquam erit impius, eiusque locum si contemplere, nusquam extabit.

Matt. 5. a B At inopes terram possidebunt, multa fruentes pace.

Conantur impij contra bonos, & dentibus in eos frendent.

Ridet eos dominus, quòd uidet eorum aduentare diem.

Gladios stringunt impij, arcusque suos intendunt, ut inopes & pauperes deijciant, ut rectè uiuentes trucident.

Eorum & gladius ipsorũ cor penetrabit, & arcus frangentur.

Multò præstat tenuis res iustorum, quàm impiorum opulentia.

Nam impiorum lacerti franguntur: at bonos Ioua sustinet.

Habet Ioua eam uitæ hominum integrorum rationem, ut eorum sit hæreditas in perpetuum duratura.

Non pudebit eos calamitoso tempore, & urgente fame saturantur.

Cum interim impij peribũt, Iouæ inimici cõficientur, ut opimi in fumũ euanescentes agni.

Mutuatur impius, neque reddit: bonus uerò miseratur, atque largitur.

Nam quibus ille bene uult, terram possidebunt: quibus autem malè uult, excindentur.

Eiusmodi hominis gressus à Ioua firmantur, eiusque uitæ uia illi accepta est.

Eccles. 2. c Si cadit, non pessum it, Ioua eum manu sustinente.

Puer fui, & iam senui, neque tamen uidi iustum derelictum, aut eius progeniem desiderare uictum.

Quotidie miseretur, & commodat, & eius progenies abundat.

Recede à malo, & bene fac, & durabis in perpetuum.

Nam Ioua iuris amans, pios suos non deserit, quin in æternum custodiantur.

G. Improbi uerò dabunt pœnas, H. & semen impiorum excindetur.

Iusti terram possidebunt, & in ea durabunt in perpetuum.

Iustus ore sapienter differit, linguaque ius loquitur. D Esai. 51. e

Et Dei legem in mente habens, gressibus non titubat.

Speculat̃ impius iustũ, eumque studet necare.

Sed Ioua eum non deseret in illius manu: neque damnabit, cum iudicabitur.

Spera Iouam, eiusque uiam tene, & euehet te in terræ possessionem, impiosque uidebis euerti.

Vidi ferocem impium, & frondentis more lauri uirentem:

qui deinde præteritus, iam non extabat, quærentique mihi non inueniebatur.

Obserua homines integros, considera probos, & inuenies huiusmodi hominum exitum esse felicem:

cum improbi simul pereant, sitque impiorum exitus exitium.

Iustorũ salus à Ioua est, qui est eorũ firmamentum temporibus aduersis.

Qui Ioua eis succurrit, eosque liberat: liberat ab impijs, atque conseruat, quandoquidem habent in eo fiduciam.

XXXVIII.

Cantio Dauidis admonitoria, G. de Sabbatho, H.

IOua noli in me seuius animaduertere: noli me iracundè punire.

Nam mihi tua tela infixa sunt, tua me urget manus.

Nihil est sanum in meo corpore, tanta est tua sæuitia: nihil est in meis membris illæsum, propter meum peccatum.

Nam mea delicta meum supergressa caput, me quasi graue quoddam onus opprimunt.

Putridæ fœtent uomicæ meæ, propter meam insaniam.

Affligor & deprimor uehementer, assiduè pullatus incedens.

Nam ilia mea plena sunt fœditate, nec quicquam est sanum in meo corpore. B

Vehementer eneruor & atteror, præ animi ægrimonia congemiscens.

Domine, quid omnino cupiam, tibi perspicuum est: quid suspirem, non te præterit.

Cor mihi palpitat, uires me deficiunt, adeò ut ne oculos quidem, nedum lumen habeam.

Amici necessarijque mei à meo uulnere absistunt: mei propinqui procul astant.

Qui uerò meæ neci student, insidias tendunt, C qui mihi malum cupiunt, scelerate deliberant, et fraudes assiduè comminiscuntur.

At ego non magis quàm surdus audio, neque magis hisco quàm mutus.

Sumque perinde ac si quis non audiat, nec in ore confutationem habeat.

Etenim in te Ioua spem habeo, cui tu respon-

de Domine mi Deus.

Sum sanè sollicitus, ne sim eis uoluptati, ne mihi, si pede uacillauero, insultent.

Nam equidem sum in casum pronus, meo dolore mihi semper obuersante.

Ergo meũ uitium ostendo, anxius ob meum peccatum.

At hostes mei uiuunt, ualentq́, & frequentes sunt qui me iniuria oderunt.

Malumq́ pro bono rependunt, mihi aduersantes qui sequar honestum.

Ne desere me Ioua mi Deus, ne mihi abesto.

Propera mihi succurrere, ô Dñe mea salus.

XXXIX.

Præcinenda Ieduthuni cantio Dauidis.

Côfer hoc carmẽ cum 90.

STatueram eam uitæ uiam tenere, ut ne quid lingua peccarem: meumq́ os frenare, quamdiu mihi obuersarentur impij.

Sed cum tacitus obdurarem, tantum aberat ut aliquid proficerem, ut etiam meus dolor crudesceret:

Adeoq́ mihi cor in pectore incalesceret, cogitationis igne ardescens, ut ita lingua loquar:

Ostende mihi Ioua meum exitum, & quis ętatis meæ sit modus, ut sciam quàm sim lõgæuus.

En tu mihi ætatem concessisti dodrantalem, meumq́ æuum ferè nihil est apud te: adeò omnino nihili est omnis hominis natura. Sela.

adeò imaginariam uitam ducit homo: adeò temerè tumultuatur, congerens, quę quis sit percepturus ignorat.

Et nunc quid sperem Domine: nisi ut in te sitam spem habeam?

Ex omnibus meis delictis liberas me: ne me insanorum ludibrijs expone.

Obmutesco, ne mutiens quidem, te negotiũ transigente.

Aufer à me tuum uulnus: tuæ manus sæuitia deficio.

Qui cum de homine uitij sumis supplicium, eius elegantiam tineæ more sideras, adeò nihili est omnis homo. Sela.

Exaudi meas preces Ioua, meam attendens querelam: ad meas lachrymas ne obsurdesce, qui a peregrinus apud te sum, aduena, sicut omnes mei maiores.

a. æui breuis. Hæc uita mihi propria, hoc est, diuturna non est, sicut nec peregrino terra in qua habitat.

Relaxa me, ut me colligam, priusquam eò deuenio, ut nullus sim.

XL.

Præcinenda Dauidis cantio.

IOuam sperauit, & mihi flexus est, meamq́ exaudiuit implorationem.

Et me ex horrida uoragine, ex cœnoso luto extraxit, meosq́ pedes in rupem euexit, meos gressus confirmans:

Et ori meo carmen nouum suppeditauit, Dei nostri laudationem.

Quo uiso multi Iouam uerebuntur, ei confidentes.

Beatus homo qui collocat in Ioua suam fiduciam, nec in arrogantes falsiq́ sectatores intuet.

B Tam multa facis tu Ioua mi Deus, ut tua erga nos miracula atq́ cogitata sint inæstimabilia: adeò ut mihi de te prædicare & loqui uolenti, occurrant innumera.

Sacrificium & fertum tibi nõ placet: aurem a mihi uellis, te uictimas et piacula non postulare.

a. me familiariter mones. Heb. 10. d

Ergo ita dico, En adsum, b mecum scriptum libri uolumen ferens.

b. de tua lege cogitãs, eiq; obediens.

Mihi tuam mi Deus uoluntatem exequi placet, tuam legem in imis habenti uisceribus.

Iustitiam frequenti conuentu prædico, labra mea nequaquam continens, ut tute scis Ioua.

Iustitiam tuam in meo pectore nõ tego, tuam fidelitatẽ & defensionẽ prædico, de tua clementia & fide frequentem cœtum minimè celans. C

Tu Ioua noli me à tua excludere misericordia, quin me tua clementia et fide semper tueare.

Nam me innumerabilia mala circumcludunt: tot me mea uitia opprimunt, ut ea perspicere nequeam: adeoq́ mei capitis capillos superant, ut animum despondeam.

Placeat tibi Ioua, liberare me: Ioua ad mihi succurrendum festina.

Frustrentur fœdè qui mihi animam extinguere conantur: retrocedant turpiter qui mihi malum cupiunt. D

Euertantur ob suam impudentiam, qui c de me sic dicunt, Oho oho.

c. mihi insultant.

Exultent & lætentur in te omnes tui studiosi, iugiterq́ Iouam extollendum esse dictitent amatores tuæ tutelæ.

Me uerò inopem & pauperem Ioua curato: tu qui defensor liberatorq́ meus es, mi Deus, ne cunctare.

XLI.

Præcinenda cantio Dauidis.

BEatus qui egentium habet rationem: eum aduerso tempore liberabit Ioua.

Atq́ ita tuebitur & conseruabit, ut sit in terris felix: nec eum libidini dedet inimicorum:

Ioua eum in lecto ægrotantem recreabit, a laborantis cubile prorsus euertens.

a. hoc fit persanato morbo.

Equidem ita dixi: Ioua miserere mei, medere animo meo, qui in te peccaui.

Inimici mei mihi maledicunt, quando morietur, eiusq́ nomen peribit?

Quòd si quis me uisit, falsum loquitur, animo improbum aliquid apud se conflans, quod foràs egressus eloquatur.

In me susurrant uniuersi aduersarij mei, mihi malum cogitantes.

Nempe me mala re urgeri, neque iam postquam decubui, surrecturum.

Quinetiam meus amicus, cui fidebam, meus conuictor calce me petit.

Tu uerò Ioua miserere mei, & me sic attolle ut illis merita rependam.

Hinc intelligo te mihi fauere, quòd de me nõ triumphat inimicus meus.

Quodq́ me tueris incolumem, & in tuo conspectu constituis in perpetuum.

Collaudetur Ioua Deus Israelitarum, per omnem æternitatem. Etiam atq́ etiam.

PSAL-

PSALMORVM LIBER SECVNDVS.

PSAL. XLII.

Præcinenda institutio Coranidarum.



Vemadmodū cerua mugit ad aquæ riuos, sic meus animus mugit ad te, Deus.

Sitit meus animus Deum, ad immortalem Deum quando ueniam, & in Dei præsentia comparebo?

Lachrymis pascor dies atq; noctes, dum hoc mihi quotidie obijcitur: Vbi est Deus tuus?

Equidem hæc (animi mei affectionem apud me effundens) recordor, solitum me illis[a] numerose præire ad fanum, cum læta uoce laudumq; celebratione, turba festum agente.

a. composito gressu, in numerū.

Quid te abijcis anime mi, & in me turbaris?

Spem habe in Deo, quem adhuc celebrabo, præsentem consecutus ab eo salutem.

O mi Deus, in me se deijcit meus animus, ideoq; tui memini in regione Iordanensi, & Hermone monte exiguo.

Vnda undam inuitat, sonantibus tuis torrentibus: omnes me tuæ impressiones & fluctus obruunt.

Solebat quidem Ioua ea interdiu conferre beneficia, ut noctu carminibus & precationibus ad Deum uitæ meæ uterer.

Nunc mihi sic ad Deum rupem meam conquerendum est:

Cur ita mei immemor es? cur pullatus incedo, hoste sæuiente?

aduersarijs membra mihi proscindentibus, dum conuiciantur, ita quotidie dictitantes: Vbi est Deus tuus?

Quid te deijcis anime mi? aut quid in me turbaris?

Spem habe in Deo, quē adhuc celebraturus sum, meum præsentē seruatorem atq; Deum.

XLIII.

Patrocinare mihi Deus, & meam causam age: ab inhumana natione, ab homine malitioso & iniquo libera me.

Nam tu qui meæ potentiæ Deus es, cur me repellis? cur pullatus ingredior, hoste sæuiente?

Mitte[a] lucem fidemq; tuam, quæ mihi duces sint, meq; in sacrum tuum mōtem, & in tuas perducant sedes.

a. præsidium.

Et accedam ad aram diuinam, ad Deum meæ uoluptatis delicias, teq; cithara celebrabo, Deus mi Deus.

Quid te deijcis anime mi? aut quid in me turbaris?

Spem habe in Deo, quem adhuc celebraturus sum, meum præsentem Seruatorem atq; Deum.

XLIIII.

Præcinenda Coranidarum institutio.

Deus auditione, & maiorum nostrorum narratione, accepimus, quale tu opus olim eorum temporibus patraueris.

Qui eos (expulsis tua manu gentib.) cōseueris, cæterisq; nationib. malo affectis immiseris.

Neq; enim suis armis quæsiuere terram, neq; sui eis lacerti peperere uictoriam: sed tua dextera, tuum brachiū, tui uultus lumen, quòd eis fauebas.

Tu rex noster es, ô Deus affice uictoria Iacobeos.

Per te nostros profligamus hostes: per tuum nomen pessundamus aduersarios.

Non enim arcubus nostris confidimus, non nos nostri defendunt enses.

Sed tu nos ab hostibus defendis, osoresq; nostros fœdè frustraris. B

In Deo nos semper iactamus, tuum nomen celebrantes perpetuò Sela.

Atqui tu nos repulsos afficis ignominia, neque cum nostris copijs egrederis.

Nos hosti uertere terga cogis, ab osoribus nostris diripiendos.

Nos pro comedendis ouibus habes, per cæteras gentes dissipatos.

Tuos sine ulla utilitate uendidisti, nihil ex eorum precio auctus.

Nos uicinorum probris, finitimorum derisioni & ludibrijs exposuisti.

Nos gentium dicterijs, nationum sannis obiecisti. C

Assiduè nobis obuersatur nostra turpitudo, uultusq; pudore uelamur,

propter maledicorum, conuiciatorumq; uoces, propter hostes & infestos.

Hæc omnia patientes, non tamen tui sumus immemores, fœdúsue tuum uiolamus.

Non mentibus retrocedimus, aut gressibus de uijs tuis deflectimus.

Cum tamen nos in feralem detrusos locum, tetra nocte operias.

Quòd si Dei nostri nomen obliti, manus ad alienum Deum porrigeremus:

esset quod id Deus animaduerteret, qui mentis arcana nouit. D

Sed tua causa quotidie interficimur, & pro ouibus lanienæ ducimur. Rom. 8

Excitare, cur dormis Domine? expergiscere, ne nos perpetuò reijcias.

Cur tuum uultum abdis? immemor nostræ miseriæ & calamitatis:

qui humi pessundati, pectoribus adhæremus terræ?

Agedum succurre nobis, & nos uindica pro tua clementia.

XLV.

Præcinēda ad rosas. Coranidarū institutio. Carmē amatoriū.

Dictat meus animus elegantem orationem: eloquor ego meum opus regi, lingua utēs pro stylo uelocis notarij.

Tu generis hominum formosissimus, labra habes gratia perfusa: ergo tibi fauet Deus in perpetuum.

Accinge femori gladium tuum, heros, tuum decus & grauitatem.

Atq; ista grauitate feliciter inuehere, fidei &

& tam mitis iustitiæ ergò: & tua tibi dextera res ostendet stupendas,

a. tuorum. tela ista acuta (populis tibi succumbentibus) in hostium ᵃ regis corda dirigendo.

Solium tuum, ô diue, in omnem permanet æternitatem: sceptrum æquitatis, sceptrum regni tui est.

Iustitiam amas perosus impietatem: propterea Deus, tuus Deus, oleo te lætifico potius inunxit, quàm tuos socios.

Nihil nisi myrrha & stacte & casia sunt uestimenta tua, intra eburnea palatia, unde uoluptatē percipis.

Regię puellæ tibi sunt in delicijs: astat tibi ad dexteram auro ophirio exornata sponsa.

Audi puella, uide ut aurem præbeas, & tuos populares patriamq; obliuiscare domum:

Et tuæ pulchritudinis amore capietur rex: is enim tuus est Dominus tibi colendus.

Tum puella Tyrus, ditissimi quiq; tibi cum muneribus coràm supplicabunt.

Omnis puellæ regiæ splendor est intimus, ueste auro segmentata.

Ea ducitur ad te ô rex, in uestibus phrygijs, eamq; sequentes uirgines eius amicæ, tibi adducuntur.

Adducuntur cum gaudijs & exultatione in regiam intrantes.

Parentibus tuis succedent tui liberi, quos toto orbe principes constituas.

Ego uerò tui nominis memoriam omni posteritatis ætati mandabo, ita ut te populi in omnem seculorum perpetuitatem concelebrent.

XLVI.

Præcinentium Coranidarum ad Alamoth carmen.

DEus nobis fiducia & robur est, præsidium rebus in aduersis præsentissimum.

Itaq; non metuemus, licet terra moueatur, et montes in medium mare transferantur:

tantaq; tempestate turbentur maris undæ, ut ad eius æstus montes contremiscant. Sela.

Diuinam quidem urbem, sacrum supremi domicilium, suus delectabit amnis fluuij.

Quæ (cum in ea uersetur Deus) non commouebitur, Deo ei maturè succurrente.

a. Cōfer cū Psal.76. Tumultuentur gentes, regna concitentur, ᵃ illo uocem emittente tellus ipsa colliquescet.

Ioua nobis armipotens adest, nobis munimento est Deus Iacobeorum. Sela.

Adeste, contēplamini Iouæ opera, quàm stupenda edat in terris.

Bella placat ad ultimas usq; terras: perfringit arcus, detruncat hastas, currus igni cremat.

Desistite, & me Deum agnoscite, extollendū in gentibus, extollendum in terris.

Ioua nobis armipotens adest, nobis munimento est Deus Iacobeorum. Sela.

XLVII.

Præcinenda Coranidarum cantio.

OMnes nationes applaudite, acclamantes ouante uoce Deo.

Nam Ioua supremus terribilis est, rex magnus in toto orbe terrarum.

Qui nobis cæteras nationes, qui populos nostris subijcit pedibus.

Qui nobis possessionē deligit pro Iacobeorum, quos amat, dignitate. Sela.

Ascendit cum iubilatione Deus, Ioua cum tubæ sonitu.

Cantate Deum cantate, cantate regem nostrū cantate.

Nam rex est totius orbis Deus, cantate scitè.

Regnat Deus in gentes, Deus in suo sacro sedens solio.

Populorum primarij colliguntur, hoc est populus Dei Abrahami, in cuius tam sublimis Dei tutela est orbis terrarum.

XLVIII.

Coranidarum cantionis carmen. G. secunda sabbathi. H.

MAgnus est Ioua, & præcipuè laudandus in urbe Dei nostri, sacro eius monte.

Amœnus tractus, totius orbis terrarum uoluptas mons Siō est, septentrionalis, regis urbs magni,

cuius in arcibus notus est propugnatione Deus.

Nam cum reges congregati simul processissent, simulac urbem uiderunt, attoniti, perturbati, trepidi,

tremore correpti sunt, qualis dolor est parturientium.

Quemadmodū frangit Eurus naues Cilicas.

ᵃ Qualia audiuimus, talia uidemus in urbe Iouæ armipotentis, in urbe Dei nostri, eam Deus condit in æternum. Sela. a. quod uerbis promissum erat à Deo, id re. nobis præstitum est.

Manemus quieti, Deus, tuam clementiam, in medio fano tuo.

Vt tuum nomen, Deus, sic tua laus pertingit ad ultimas terras, qui dexteram habeas iustitia plenam.

Gaudet mons Sion, exultant Iudææ ᵇ puellæ, propter tua iudicia. b. ciuitates.

Circuite, & circundate Sionem: numerate turres eius.

Aduertite animum ad eius propugnaculum, notate eius arces, ut hæc narretis posteritati.

Nam Deus hic, Deus noster est sempiternus, perpetuò recturus nos.

XLIX

Præcinenda cantio Coranidarum.

AVdite hoc, nationes omnes: attendite omnes orbis incolæ:

obscuri iuxtà ac illustres, diuites æquè ac pauperes.

Ore docta eloquar, prudenter à mente cogitata. *Psal.77.c Mat.13.c*

Aures intendam sententijs, pandens ænigma meum cithara.

Cur metuam malorum temporibus, circumstante me meorum pœna calcaneorum?

Qui suis fidunt opibus, & in suarum abundantia diuitiarum gloriantur. B

Non rediment alius alium, non suæ redemptionis precium Deo soluent:

tanti

tanti est cuiusque animæ redemptio, ut quis æternùm duret,

iterùmque perpetuò uiuat, nonpassurus interitum.

Apparet enim, sapientes simul & stultos fatuosque mori, atque perire, alijs suas relinquentes
C opes.

Cogitant illi quidem, suas domos æternas fore, suaque domicilia in alias atque alias ętates duratura, terras ex suis appellantes nominibus.

Sed homines in existimatione non permanent, similes bestijs intereuntibus.

Cumque hic eorum mos tam stultus sit, tamen eorum instituto posteri delectantur. Sela.

Illi quidem tanquam pecudes mandabuntur Orco, imperante morte, in eosque dominabuntur probi [a] ad matutinum, & eorum species abolenda est, eisque domicilium futurus est Orcus.

a. cum reuiuiscēt mortui.

D

At meam animā uindicabit ab Orco Deus, quandoquidem me asciscet. Sela.

Ne metue si quis diues sit, domumque multi splendoris habeat.

Nam in morte non auferet quicquam, nō eum sua sequetur deorsum gloria.

Placent illi quidem sibi in hac uita, & si tu tibi indulgeas, laudant.

Sed deuenient ad maiorum suorum genus, ad extremum non uisuri lumen.

Homo qui in precio est neque sapit, similis est bestijs quæ intereunt.

L.

Asaphi cantio.

DEus deorum Ioua dicit se conuocaturum orbem terrarum, ab ortu solis ad occasum.

Ex Sione, cuius perfecta pulchritudo est, Deus existet:

ueniet Deus noster sine dubio, igne ante eum uorante, uehementi circundatus tempestate.

Vocabit supernè cœlos atque terras, ad suos iudicandos.

B Conuocentur ad me pij mei, cum quibus mihi fœdus ictum est per sacrificium.

Tum cœlis ipsis iustitiam eius ostendentibus, qui Deus iudex sit, Sela,

Audi mi populus, inquiet, dum loquor, Israelita, dum te commonefacio, Deus Deus ego tuus.

Non equidem te propter sacrificia tua, propter tuas solidas hostias apud me perpetuandas reprehendam.

Non tauros ex tua domo, non hircos ex tuis accipiam caulis.

Nam mea sunt omnia syluestria animalia, omnes in mille montibus bestiæ.

Omnes ego montanas uolucres recognosco,
C terrestresque beluæ me penes sunt.

Quòd si esurirem, non id tibi dicerem, meus cum sit mundus, & quicquid eo continetur.

Scilicet taurina carne uescar, aut hircinum bibam sanguinem?

Sacrifica Deo gratijs agendis, & solue supremo tua uota.

Tum me rerum aduersarum tempore inuocato: & ego te ita defendam, ut tu me honores.

Impium autem sic alloquetur Deus: Quorsum tu mea narras instituta, meumque fœdus in ore habes?

cum disciplinam exosus, mea dicta post tergum reijcias.

Si furem conspexisti, curris cum eo: & cum adulteris habes commercium.

Os tuum laxas ad malum, lingua fraudes con- D
flans.

Sedens contra tuum fratrem loqueris, de eo detrahens cum quo tibi communis mater est.

Et ista me dissimulante faciens, arbitraris me tui fore similem: ego uerò coarguam, & præsentem conuincam.

Quæso hoc aduertite, qui Dei estis immemores, ne corripiam indefensos.

Qui gratijs agendis sacrificat, is me honorat: hac uia qui graditur, huic ego diuinam salutem præstabo.

L I.

Præcinendi cantio Dauidis, cum eum conuenisset Nathan uates, congressum cum Bethsaba. 2. Reg. 12.

MIserere mei Deus pro tua clementia, pro tua singulari misericordia dele meam noxam.

ablue me multum à meo uitio, à meo peccato purga me.

Nam meam noxam agnosco, meumque peccatum mihi semper obuersatur.

In te, in solum te peccaui, teque offendi, ut dictorum tuorum æquitas, iudicijque puritas appareat. Rom. 3. 4 Vide 4. Esdr. 8.

B

Equidem in uitio genitus sum, & in peccato me concepit mea mater.

Equidem tu ueritatem in præcordijs amas, & occultè [a] sapientiam mihi demonstras.

a. ostendis sapientiam esse, puram habere religiosamque mentem.

Expia me hyssopo, & purus ero: ablue me, & ero niue candidior.

Nuncia mihi lætitiam atque uoluptatem: exultent contusa à te membra.

Abde tuam faciem à meis peccatis, & omnia mea uitia dele.

Cor mundū crea mihi Deus, compositumque spiritum in meo pectore renoua. C

Ne me à tuo conspectu reijce: neue mihi tuū sanctum spiritum aufer.

Redde mihi tuæ lætitiam defensionis, & me principali spiritu sustenta.

Docebo peccantes tuas uias, ita ut nocentes tibi reconcilientur.

Vindica me [b] à sanguine Deus, Deus meæ salutis: mea lingua tuam modulabit iustitiam.

b. à cæde & scelere.

D

Domine mea labia aperi, & os meum tuam laudem prædicabit.

Non enim sacrificio delectaris, ut id exhibeā: non tibi acceptæ sunt uictimæ.

Diuina sacrificia sunt fractus spiritus: fractā afflictamque mentem tu Deus non despicis.

Benefac pro tuo fauore Sioni: construe muros Hierosolymæ.

Tunc iustis sacrificijs, uictimis, & solida re diuina

diuina delectabere: tunc immolabuntur ad aram tuam tauri.

LII.

1.Reg.22

Præcinenda Dauidis institutio, cum Doegus Idumæus Saulo nunciatum iuisset, Dauidem uenisse ad Abimelechum.

QVid gloriaris in prauè factis, ô ferox? cum quotidiana sit Dei clementia.

Tu scelera lingua meditaris, quasi acuta nouacula fraudes faciens.

Malum quàm bonum mauis, falsa quàm iusta loqui. Sela.

Amas omnem orationem temerariam, ô fraudulenta lingua.

Etiam te Deus eruet ad extremū: sublatumq; & auulsum ex tabernaculo, extirpabit ex terra uiuorum. Sela.

Quo uiso territi iusti, te deridebunt: En hominem qui uires suas in Deo non collocabat: sed suarum diuitiarum copia fretus, sua nitebatur prauitate.

At ego quasi uirens olea in Dei domo uersabor, diuina fretus clementia in omnem ætatem.

Teq; Deus huius rei autorem celebrabo perpetuò, in tuo tam miti apud pios tuos nomine spem habens.

LIII.

Psal.13.a

Præcinendum ad Mahalat Dauidis institutio.

COgitant insani cum suis animis, non esse Deum: adeò nefarijs sceleribus corrupti sunt, nullus ut rectè faciat.

Deus de cœlo despicit in hominum genus, ut uideat an sit aliquis sanus & religiosus.

Omnes pari improbitate deflectunt, adeò ut non sit qui rectè faciat, ne unus quidem.

An ignorant malefici, meorū consumptores, [a] se Dei uictu uesci, quem non inuocant?

Aliquando percellent incredibili pauore, tū cum Deus mēbra [b] tuorū discerpet oppugnatorum, te eos fœdante, quos Deus abhorreat.

a. Confer cum Psal. 4.&14.
b. Seipsum alloquitur, ut & Psalm.55

Vtinam detur ex Sione salus Israelitis, ut reuocante Deo ex captiuitate suos, exultent Iacobei, gaudeant Israelitæ.

LIIII.

1.Reg.23. & 26.

Præcinenda fidibus Dauidis institutio, cum Ziphæi Saulo indicatum iuissent Dauidem apud ipsos latitare.

DEus per tuum nomen serua me, per tuas uires patrocinare mihi.

Deus audi meas preces, attende uerbis oris (mei.

Nam hostes consurgunt in me, & crudeles meæ neci student, Deum sibi non proponentes. Sela.

En Deus mihi succurrit: Dominus is est, qui mihi uitam sustentet, malumq; rependat meis aduersarijs.

Eos tu Ioua pro tua fide disperde: ego ultro sacrificabo, tuū tam mite nomen Ioua celebrās: qui me ex omnibus rebus aduersis ita eripueris, ut ipse meis oculis pœnas hostium uiderim meorum.

LV.

Præcinenda fidibus Dauidis institutio.

AVscultà Deus meas preces, & ne te meæ subtrahe supplicationi.

Intende mihi, & concede quod oratione querula ac turbulenta peto,

propter hostium uoces, propter impiorum importunitatem, qui comminiscuntur in me crimen, mihi acerbè aduersantes.

Cor mihi in pectore trepidat, lethi me terrores incessunt:

timor & pauor inuadit, & horror tantus obruit, ut ita loquar: Vtinā alas haberem ut columba, quibus in tutum euolarem.

Equidem procul discederem, desertis mansurus in locis. Sela.

& ocyus euaderem quàm rapidus est uentus, aut turbo.

Perde Domine, diuelle linguas eorum: nam uideo crudelitatem & discordiam in urbe,

quæ eam per muros dies noctesq; circundāt: uersantur in ea crimina, & facinora:

uersatur inhumanitas, nec abscedit ex eius uicis dolus atq; perfidia.

Nō enim hostis in me bacchatur, ut id feram: non aduersarius meus in me inuehitur, ut eum deuitem.

Sed tu mei ordinis homo, præcipuus, familiarisq; meus, C

qui arcana suauiter inter nos communicabamus, qui in fanum coniunctè uentitabamus.

Tollat istos mors: [a] uiui descendant in Tartara: quandoquidem inter eos in eadem uersantur habitatione scelera.

a. Alludit ad excidiū Coræ, Dathanis, & Abirami.

Ego Deū inuocabo, meq; Ioua conseruabit.

Et uespere & mane & meridie quiritans orabo, & meam uocem exaudiet,

uitamq; meam incolumem tutabitur à meis oppugnatoribus: [b] tam multi mihi adsunt.

b. Deus mihi pro multis adest. D

Exaudiet Deus, eosq; opprimet, is qui manet æternus, Sela, Quorum nulla fiat mutatio, quiq; Deum nihil reuereantur.

Ille quidem ijs manus affert, [c] qui erant cum eo pacati, sua pacta uiolans.

c. mihi.

Et in ore dulciora butyro habens, in corde bellū gerit, uerbis utitur oleo mollioribus, cum sint spicula.

d Reijce tuum onus in Iouam, qui te fouebit: nunquam permissurus iustum labefactari.

Matt.6.d Luc.12.c 1.Pet.5.b
d. Seipsum alloquitur

Tu uerò Deus illos in foueam interitus detrudes: homines sanguinarij & fraudulenti ad ætatis suæ medium nō prouehentur, cum ego interea tibi confidam.

LVI.

2 Reg.21.d

Præcinendū [a] de columba procul muta Dauidis segmentum, cum eum Palæstini Gethæ cepissent.

a. de ipso Dauide, qui inter extraneos, tāquam columba, præ metu obmutescebat.

MIserere mei Deus: nam me opprimūt homines, assiduè acriter impugnantes.

Opprimunt aduersarij mei assiduè, nam multi me summa ope oppugnant.

Equidem meis periculosis temporibus tibi confido.

b In Deo promissa laudabo: in Deo fiduciam habens non metuam ne quid mihi faciant mortales.

b. Stabit Deus promissis, idque laudabo. Vide animaduersa in Psal.138.

Assiduè meis rationibus negotium exhibēt suas

suas omnes cogitationes in meam perniciẽ conferentes.

Coeunt, delitescunt, meos calceos obseruant, scilicet meæ necis auidi.

Deijce, Deus, homines iratus, qui habent in nequitia perfugium.

Tu qui meas uagationes numeratas habes, a refer meas lachrymas in tuum sacculum, hoc est in tuum commentarium.

a.memor esto mearũ lachymarum.

Ita retrò agentur hostes mei, inuocante me, qui sciam à me stare Deum.

In Deo promissa laudabo: in Ioua promissa laudabo.

In Deo fiduciam habens, nõ metuam ne quid mihi faciant mortales.

Tibi Deus uota debeo, tibi soluam gratiarũ actiones,

qui meam uitam à morte, hoc est meos pedes à casu sic defenderis, ut ingrediar coram Deo in luce uiuorum.

LVII.

1.Reg.22. & .24.

Præcinendum, Ne corrumpe: Dauidis segmentum, cum Saulum fugeret in spelunca.

MIserere mei Deus, miserere mei, tu in quo animi fiduciã habeo, in cuius alarũ umbra fiduciam habeo, dum transit inhumanitas.

Inuoco Deum supremũ, Deum mearũ transactorem rerum:

qui utetur de coelo, quo me defendat ab iniuria, qua opprimor, Sela: utetur Deus sua clementia atq; fide.

Versatur inter leones uita mea: iaceo inter incendiarium genus hominũ, quorũ & dentes spicula sunt atq; sagittæ, lingua gladius acutus.

Euehere supra coelos Deus, cuius gloria toto patet orbe terrarum.

Rete meis componunt gressibus, ad meæ uitæ ruinam: cauant ante me scrobem, in quam mediam casuri sunt ipsi. Sela.

Composito sum animo Deus, cõposito sum animo ad canendum modulatè.

Expergiscere mea gloria: expergiscere nablũ & cithara: expergiscar primo mane.

Celebrabo te apud nationes, Domine, te apud populos cantabo:

cuius clementia ad coelos, cuius fides ad æthram usq; porrigitur.

Euehere supra coelos Deus, cuius gloria toto patet orbe terrarum.

LVIII.

Præcinendum, Ne corrumpe: Dauidis segmentum.

VErène certè iusta pronunciatis? ex æquo iudicatis? ô genus humanum.

Imò & animis iniquitates agitatis in terris, et manibus iniuriam libratis.

Deflectunt impij iam ab utero: errant ab aluo matris falsiloqui.

Venenum habent quale anguis uenenum est: quale surdæ aspidis, quæ sibi aurem obturat, ne magi uocem audiat, diuini incantamentorum periti.

Deus elide eorum dentes in ipsorum ore, leoninos maxillares euelle Ioua.

Diffluant ut aqua: accidat eis, quod sagittas in irritum iaculanti:

quod limaci in limum abeũti: quod mulieris abortui, qui solem non uidit.

a Ac ueluti si cuius ollæ b spinas nondum senserint, sic illi tanquam crudi per iram uexentur.

Lætabuntur boni uiso supplicio, suaq; uestigia in impiorum sanguine lauabunt.

Atq; ita cõfitebuntur homines bonis esse fructum, Deumq; esse qui terras moderetur.

a.pereant ætate immatura, ut si carnes ex olla extrahantur semicrudæ. b.ignè, qui fieri solet. ex spinis.

LIX.

1.Reg.19

Præcinendum, Ne corrumpe: Dauidis segmentum, cum misisset Saulus qui eius domum custodirent, eius occidendi causa.

DEfende me à meis hostibus, mi Deus: contra meos infestos me protege.

Defende me à maleficis, me ab hominibus tuere sanguinarijs.

Etenim meæ uitæ insidiantur, coeuntes contra me homines præualidi, nullo meo delicto, aut peccato, Ioua.

Nullo meo uitio concurrunt, seq; parant.

Tu uerò age mihi obuiam ueni, & hæc aspice, Ioua Deus armipotens.

Deus Israelitarum, expergiscere ad uindicandas gentes omnes, nulla in quenquam perfidorũ ac maleficorum usurus misericordia. Sela. B

Qui uespere reuersi strepunt ut canes, urbẽq; circumeunt,

& heu qualia ore uomunt, gladios habentes in labris, si quis audiat.

At tu Ioua ludis eos, deridens gentes omnes.

Tibi uires meas acceptas fero, Deo propugnatori meo.

Deo erga me sua clementia usuro, Deo mihi in aduersarios meos exemplum edituro. C

Noli eos interimere, ne hoc mei populares obliuiscantur: agita eos tua ui, atque deprime, ô propugnator noster Domine.

Ob sui scelus oris, ob suorum dicta labiorũ capiantur in sua superbia, propterq; periuria & mendacia quæ comminiscuntur. Sela.

Confice seuerè, confice, & in nihilum eos redige, ut intelligatur Deum esse inter Iacobidas dominantem ad ultimas terras. Sela.

Qui uespere reuersi strepunt, urbemq; circumeunt ut canes, D

qui ob cibum uagantur, & nisi saturati ringuntur.

Ego uerò tuã canã potentiã, tuamq; benignitatẽ maturè resonabo: qui mihi munimẽto perfugioq; fueris in meis periculosis temporibus.

Te meam potentiam cantabo, qui Deus sis meus propugnator, Deus erga me clemens.

LX.

2.Reg.8.10 1.Par.18

Præcinendum ad rosam, oraculum, Dauidis segmentum docendum: cum certauit cum Mesopotamiis, Syrisq; Sophenes, reuersusq; Ioabus occidit Idumæorum in ualle salis duodecim millia.

DEus qui nos aspernatus iracundè dissipasti, reconciliare nobis.

Tu regionem hanc impressionibus concussisti, medere eius calamitatibus: nutat enim.

Tuos

Tuos duriter tractasti, tetrum uinum bibere nos cogens.

Præsta tui metuentibus signum, ad arcus effugiendos, ut euadant tui dilecti: defende nos ista dextera, mihi exoratus.

Promittit Deus in suo sacrario, quæ læter: diuidam Sichemã, uallemq; Sochotha dimetiar.

a. Galaaditæ, Manassenses. b Moabitas & Idumæos ad infirmam redigam seruitutem.

Meus est a Galaadus, meus Manasses, & Ephraimus mei capitis firmamentũ: Iudas meum est imperium:

b Moabus meum ahenum eluacrum: ad Idumum iaciam meum calciamentum: tu mihi Palæstina adoream acclama,

Quis me ad urbem sistet munitam? quis perducet ad Idumæum?

cum tu nos Deus reieceris, neque cum nostris proficiscare copijs?

Fer nobis auxilium contra periculum: quando uana est humana tutela.

Per Deum fortia patrabimus, eo nostros proterente perduelles.

L X I.

Præcinendum fidibus Dauidis.

EXaudi Deus meam querimoniam, attende meis precibus:

a. uide Ps. 63.

qui te a ex ultimis imploro terris, cum animi ægrimonia: peruehe me in rupem me sublimiorem.

Nam tu mea fiducia es, ualidaq; turris aduersus hostem.

Manebo in tuo tabernaculo in perpetuum, tuarum fretus alarum præsidio,

Tu enim Deus mea uota exaudis, tu possessionem das tuum nomen reuerentibus.

b. hoc est, meæ.

Aetatem ætati b regis adijce, ut eius anni perpetuentur seculis.

a. quem qui

Habitet æternùm apud Deum, sub clementiæ fiditq; custodia.

Ita tuum cantabo nomen in perpetuum, meis uotis quotidie soluendis.

L X I I.

Præcinenda Ieduthuni cantio Dauidis.

SAnè in Deo meus animus acquiescit, à quo Deo mea salus pendet.

Sanè is meum numen & salus est, & eiusmodi munimentum, ut nihil admodum cõmouear.

Quousq; in me iniuriosi eritis uniuersi perimere me conantes, tanquam parietem inclinantem, tanquam conuulsam maceriam?

Sanè de me de statu deijciẽdo cõsultãt: falsiq; studiosi ore bene, pectore malè precantur. Sela.

Attamen in Deo acquiesce anime mi: nam in eo sita est mea spes.

Sanè is meum numen & salus est, & eiusmodi munimentum, ut non commouear.

In Deo mea salus est atq; gloria: meæ potentiæ numen, mea fiducia in Deo est.

Ei confidite omni tempore mortales: effundite apud eum uestros affectus, qui Deus est nostra fiducia, Sela.

Sanè adeò uana res est genus hominum, adeò friuolũ quiddam est moratle genus, ut si simul in statera ponantur, sint ipsa uanitate leuiores.

Ne cõfidite fraudibus & rapinis: ne uos usq; adeò uanos præbete: opes si affluãt, ne in eas animum intendite.

Vnum pronunciat Deus, id quod ego non semel audiui, Dei esse potentiam.

tuamq; Domine esse benignitatem, qui pro suo quenq; facto remunereris. Mat.16.d Rom.2.b 1.Cor.3.b Galat.6.b

L X I I I.

Dauidis cantio, cum esset in sylvis Iudææ. 1.Reg.22

DEus qui meus es Deus, ego te uigilanter requiro, te animo sitio: te ipso corpore desidero, in squalida, torrida, siticulosaq; terra.

Te quasi in fano contemplor, tuæ potentiæ et gloriæ uidendæ gratia.

Te, cuius mansuetudo est uel uita melior, his labijs commendo:

atque ita dum uiuam collaudabo, manus in tuo nomine attollens.

Equidem mihi adipe quodammodo, & pinguilatiari uideor, dum te ore cum labiorum modulatione laudo,

quandocunq; tui memor in meo cubili, de te per uigilias cogito.

Nam mihi tu auxilio es, in cuius alarum umbra ouo.

Tibi animo adhæreo, qui me tua dextera sustines

Qui uerò meæ uitæ moliruntur exitium, ij ad telluris ima deuenient:

ferriq; mucrone trucidati, eandem cum uulpibus sortem subibunt.

At rex per Deum lætabitur, a per quem quicunque iurant, gloriaturi sunt, falsiloquorũ oribus obstructis.

a. quẽ qui colũt. Quẽ enim colut homines, per eundẽ iurare solent.

L X I I I I.

Præcinenda Dauidis cantio.

EXaudi Deus orationis meæ uocem: ab hostili terrore uitam meam tuere.

Subtrahe me improborum conatui, insultui maleficorum

Qui suas linguas ut enses acuunt, dirorum spicula uerborum iaculantes.

Vt ex occulto in homines integros collineantes eos de improuiso figant, nihil tale metuentes.

Confirmant sese ad rem malam, de absconditis pedicis consultantes, solliciti ne quis eas animaduertat.

Comniscuntur iniqua, quæ excogitata perficiant, & quidem adhibitis ad id penitissimis cuiusque mentis sensibus.

Sed eo figet eos telo Deus, ut inexpectatis percutiantur ictibus.

Adeò ut percussis ex ea re linguis hæsitent, eos quicunq; uiderint.

Quo uiso, homines omnes Dei prædicabunt opus, eiusq; factum rite perpendent.

Tum boni gaudebunt in Ioua, eiq; confident gloriantes omnes mente probi.

L X V.

Præcinenda Dauidis cantio musica.

TIbi destinata laus est Deus in Sione, uotaque soluenda sunt,

Adte,

Ad te, qui preces exaudis, mortales omnes conuenient.

Nos quidem uitiorum negoscium uperauerat, sed tu delicta nostra expias.

Beatus quem tu deligis, & cooptas: in tuis habitaturum porticibus, satiandum tuæ domus, tuæ sacræ cellæ bonis.

Tu nobis mirifica æquitate indulges, Deus nostræ salutis, qui es omniũ terræ finium, & mari remotorum fiducia.

Qui montes tua uirtute cõstabilis, accinctus fortitudine.

Qui pelagi murmur coerces, murmur eius undarum, tumultumque populorum.

Cuius prodigia formidãt, qui usquã habitãt: qui & matutini ortum, & uesperum exhilaras.

Qui terram curando, perpetuandoque multum locupletas, diuino riuo aqua pleno hominibus frumenta suppeditans.

Sic enim eam paras, dum sulcos eius irrigas, glebas deprimis, eam imbre emollis, eiusque germina fœcundas.

Annonam bonis tuis ornas, tuique gressus manant ubertate.

Manant saltuum pascua, collesque lætitia cinguntur.

Vestita plana pecudibus, & farre ualles obductæ, hilari cantu personant.

LXVI.

Precinendum carmen musicum.

Sonate Deum totus orbis:

Cantate nomini eius gloriam, laudis ei præstantes honorem.

Dicite Deo, ô quàm horrenda sunt tua facta: tibi propter magnitudinem tuæ potentiæ, tui subijciuntur hostes.

Te uniuersus orbis terrarum colet, atque cantabit: tuum nomen cantabit.

Adeste, considerate Dei opera, quàm sit erga genus humanum natura mirificus.

a. Exitus ex Aegypto. [a] Mare conuertit in siccum: traiectum est flumen pedibus, nobis ibi eo lætantibus.

Qui sua uirtute dominatur æternùm, oculis ita gentes speculans, ut se contumaces non efferant. Sela.

Commendate populi Deum nostrum, eius laudationis uoce personantes.

Qui nostras uita donat animas, pedes nostros labare non passus.

Expertus es tu quidem nos Deus: nos explorasti sicut exploratur argentum.

b. graui. Nos in retia egisti: nos cruciatu [b] laterum affecisti.

Homines imposuisti capitibus nostris, uenimus per ignes & per aquas: & idem nos in ubertatem eduxisti.

Veniam in ædem tuam cum uictimis, mea tibi uota persoluturus,

quæ labijs nuncupaui, quæ ore promisi in meis aduersis.

Victimas tibi pingues immolabo, cum arietino suffitu: faciam cum hircis boues. Sela.

Adeste, audite, dum narro, omnes Dei reuerentes, quid mihi præstiterit.

Eum ore inuocaui, & lingua subuexi.

Quod si cuiuspiam criminis mihi conscius fuissem, non exaudiuisset Dominus.

Atqui exaudiuit Deus, ad uocem meæ precationis intentus.

Gratias ago Deo, qui meas preces non repudiarit, neque suam mihi negauerit clementiam.

LXVII.

Precinenda fidibus cantio musica, G. carmen Ieremiæ & Hezechielis, captiui populi, cum essent profecturi. H.

Deus miserere nostri, & nobis faue, tuo nos illustrando uultu. Sela.

Vt in terris tua ratio, ut apud omnes gentes tua cognoscatur tutela.

Te populi Deus celebrent, te populi celebrẽt uniuersi.

Gaudeant, ouentque nationes, quòd populos ex æquo regas, & nationes moderere per terras. Sela.

Te populi Deus celebrent, te populi celebrent uniuersi.

Edente suum terra prouentum, Deus nobis Deus faueat noster.

Faueat nobis Deus, eumque omnes terrarum tractus reuereantur.

LXVIII.

Precinenda Dauidis cantio musica.

Exurget Deus, dissipabuntur eius hostes, fugientque ante eum eius osores. *Num.* 10. & Vide huius Psalmi declarationẽ.

Vt fumus disijcitur, sic eos ille disijciet: ut liquescit igni cera, sic à Deo peribunt impij.

Boni uerò gestientes gaudebunt apud Deũ, fruenturque uoluptate. *Christus uictis improbis, probos reddet felices, uolente patre.*

Canite Deum, cantate nomen eius: extollite eum qui polis uehitur, cuius nomen est in Ioua: & apud hunc lætitia gestite.

Pater est pupillorum, patronus uiduarum: Deus in suo sacro domicilio.

Deus qui [a] solitarios domi collocat, compedibus uinctos educit: cum interim rebellatores siticulosa loca incolant. a. uide Ps. 130.

Deus cum tuo populo præires, cum per solitudinem incederes: Sela. *Exitus ex Aegypto.*

terra contremiscebat, ipsique cœli fluebant, ad illius Sinaiensis Dei præsentiam, ad Dei, Israelitarum Dei præsentiam.

Tu [b] pluuia magnificè tuum Deus patrimonium conspergebas, fessumque recreabas, B b. in Israelitas manna de pluebas.

Atque illic tuæ consedere copiæ, te Deus (quę tua bonitas est) inopibus prospiciente.

Suppeditabit Dominus argumentum nuncijs magni exercitus mulieribus: *Christus in uitam reuocatus mulieribus apparet.*

cessere, cessere copiarum reges, & domi residens spolia partiuntur.

Etiamsi iacueritis inter cortinas, similes columbinarum eritis alarum, argentei coloris, plumis in aurum uirentibus.

Profligatis quidem in ea ab Omnipotente regibus erit ipsa niuoso Salmone candidior.

Mons Dei, mons est fertilis, mons tumidus, mons est fertilis,

Ecclesiæ excellentia. (cur insolescitis mõtes tumidi?) mons in quo Deus amat habitare, quem ipse Ioua incolet in perpetuum.

C Iouæ quadrigæ sunt non semel decem millia: multiplicia millia, in quibus est Dominus Sinaiensis in fano.

Ephes. 4. b *Christi in cœlos ascensus.* Ascendis in altum: captiuos abducis: donis fungeris inter homines, & quidem etiam contumaces, ut permaneat Ioua Deus.

Laudetur Dominus in dies in nos munificus, nostræ Deus salutis. Sela.

Deus Christum à morte reuocat. Qui Deus nobis Deus est ad salutem, & Iouæ Domino ad mortis exitum.

Sanè Deus caput truncabit hostiũ eius, uerticem comatum uersantium in suis criminibus.

Dominum (inquit) ex Basana retraham, retraham ex pelagi gurgitibus:

Christi triumphus. ut & tu tuos in hostium sanguine pedes, & tui canes eodem linguam lauent.

Spectatur tuus incessus, Deus, incessus mei Dei, mei regis in fano,

præeuntibus cãtoribus, sequentibus fidicinibus, in medio pulsantibus tympana puellis.

Hebræi primi ad Euangelium uocati. Collaudate Deum Dominum gregatim, uos ex fonte Israelis.

Princeps adsit pusillus Beniamin, & Iudæi proceres in primis, proceres Zabulonij, proceres Nephthalenses.

D *Deinde cæteræ gẽtes.* Constituit tuam Deus tuus potentiam: confirma Deus quod nobis facis.

Ob tuum fanum tibi Hierosolymam munera reges afferent.

Romanum imperium sub Christo cadit. Territa gregem lancearìorum, rempublicam eorum qui sunt quasi tauri quidam inter populorum uitulos, demersam in argẽti segmentis, profliga populos certandi cupidos.

Gentiles ad Christũ accedunt. Aduenient ex Aegypto lautissimi quiq;.

Aethiopia Deo manus suas [a] curret.

a. cursim dabit. Terrestria regna canite Deum: cantate Dominum. Sela.

Qui cœlos, qui antiquos cœlos insidet, uehementem sua uoce sonitum daturus.

b. Vide Deut. 33. ad finẽ. Tribuite Deo potentiam, [b] cuius excellentia est erga Israelitas, & in æthere potentia.

Qui Deus in suo mirificus sacrario, Deus Israelitarum, potentiam uiresq; dat populo diuinitùs fortunato.

LXIX.

Præcinentium ad rosas Dauidis.

CONserua me Deus, in aqua de uita periclitantem.

Demergor in tantam paludis uoraginem, ut nullum sit fundũ: uenio in tantam aquæ profunditatem, ut fluctibus obruar.

Mihi & guttur clamandi lassitudine raucum est, & oculi Deum meum suspiciendo deficiũt.

Me plures quàm sunt mei capitis capilli oderunt immeritò: tot me hostes iniuria incessunt, ut

a. immeritò dem pœnas. [a] quod non rapui, tamen reddam.

Deus tu scis an sim in uitio, neq; te mea latent crimina.

Ne in me pudeat eos, qui in te spem habent, Domine Ioua armipotens: ne ignominia afficiantur in me tui cupidi, Deus Israelitarum.

Nam tua causa infamiã sustineo, faciem ignominia tectam habens. B

Alienus & extraneus meis habeor fratribus, eadem mecum matre natis.

Quoniam tuæ domus studio conficior, tuorumq; conuiciatorum conuicijs impetor. *Iohann. 2. d* *Rom. 15. a*

Quodq; me flebiliter ieiunijs affligo, hoc mihi probro datur.

Et dũ cẽtone pro ueste utor, sum eis dicterio.

De me fabulantur in curia sedentes, & cantilenas habent inter pocula.

Ego uerò à te precibus Ioua cõtendo, tempore accepto, Deus, ut pro tua singulari clementia, mihi (quæ tuæ tutelæ fides est) exoreris.

Eripe me ex luto, ne summergar: liberer à meis osoribus, ex aquæ profunditate.

Ne me fluctus obruat aquæ: ne gurges hauriat: ne hiatu absorbeat uorago.

Exaudi me Ioua pro tua tam benigna clementia: pro tam præstanti humanitate respice me.

Néue me tuum auersare, qui sum in periculo: propera exaudire me.

Accede ad uitam meam uindicandã, me propter hostes meos redime. C

Tu meum probrũ, pudorem, & ignominiam nouisti, habes omnes aduersarios meos in conspectu.

Cor mihi probro rumpitur: anxius expecto cõmiserationem, quæ nulla est: consolationem, quam nullam adipiscor.

Quin mihi pro cibo fel, & sitienti acetũ porrigunt bibendum. *Matt. 27. f*

Sit eis apposita mensa laqueus, & pacatissima quæq; detrimentosa.

Caligent oculis ne uideant, eisq; latera iugiter obtunde.

Effunde in eos tuam bilem, & eos ardenti ira opprime.

Fiat eorũ habitatio deserta, nemine in eorum domicilijs habitante. *Act. 1. d*

Quandoquidem quem tu cæcidisti insectantur, sauciorum tuorum dolorem adaugentes.

Eorum uitia uitijs accumula, néue in tuam ueniant iustitiam.

Deleantur ex libro uiuorum, neq; iustis ascribantur. D

Me uerò inopem & ægrum tua Deus protegat tutela.

Laudabo Dei nomen carmine, eum gratijs agendis magnificans.

Id quod erit Iouæ gratius, quàm bos, quàm taurus cornutus cornipes.

Quo uiso lætabuntur inopes, Dei studiosi mente uiuent,

Quod exaudiat pauperes Ioua, uinctos suos non contemnens.

Eum cœli atq; terræ, eum maria, quæq; in eis mouentur omnia collaudabunt.

Si quidẽ Deus Sionẽ cõseruabit, urbesq; Iudææ construet, ut ea incolatur & possideatur.

Eamq;

Eamq; tenebit eius cultorum progenies, & eius amatores nominis habitabunt.

LXX.

Præcinendum Dauidis ad admonendum.G.ad Seruet me Dominus.H.

DEus ad me defendendũ, Ioua ad mihi subueniendum festina.

Turpiter frustrentur qui meæ neci student: fœde retrò cedant mei maleuoli.

Auferant hoc impudentiæ suæ præmium, ut uertantur, qui dictitant Oho oho.

Exultent & lætentur in te omnes tui studiosi, semperq; dictitent magnificandum esse Deum amatores tuæ tutelæ.

Mihi uerò inopi & pauperi Deus propera, qui meus es propugnator, atq; liberator, Ioua ne cunctare.

LXXI.

G.Dauidis cantio Ionadabidarum, & eorum qui primò in captiuitatem ducti sunt.H.

TIbi Ioua confido, ne frustrer unquam.

Pro tua iustitia defende & libera me: præbe mihi aurem, sic ut me conserues.

Esto mihi pro firma rupe, in quam me semper recipiam: tu qui me mandas conseruandum, qui mihi rupis & arcis es loco.

Mi Deus libera me ab impiorum manu, ab iniquorum atq; sæuorum manu.

Nam tu mea spes es Domine Ioua, mea iam à teneris fiducia.

Te nixus sum iam ab utero: tu me ex meæ pa-

B rentis uentre extraxisti: in te mea perpetuatur laudatio.

Equidem multis sum quasi portentum quoddam: sed tu mihi firma fidentia es.

Tuis plenum laudibus os, & honore, continenter habeo.

Ne me rejice tempore senectutis: ne me uiribus effœtum desere.

Etenim cõtra me deliberant hostes mei: quiq; meam uitam captant, in hunc modum consultant:

Deus eum deseruit: persequendus est, & capiendus, dum nullus defendit.

Deus noli à me abesse, mi Deus, ad mihi succurrendum festina.

C Pudore conficiantur meæ uitæ aduersarij: infamia & turpitudine cooperiantur, qui meo malo student.

Ego uerò spem perpetuò fouens, ad tuas tot laudes addam.

Ore tuam asiduè iustitiam & uictorias exponam, quarum ignoro numerum.

Obibo fortia Domini Iouæ facinora, tuam solius iustitiam commemorans.

Deus tu me à pueris docuisti, & hactenus tua prædico miracula.

Ne ad senectam quidem & canos Deus me

a. uires desere, dum tuum [a] brachium posteris, dum

D. tuam futuris omnibus prædico uirtutem:

& arduam, ô Deus, iustitiam, qui Deus tam magna facis, ut sis incomparabilis.

Qui cum mihi multa exhibuisses aduersa atque tristia, mihi uitam reconciliatus defenderis: qui me ex ima tellure reconciliatus extraxeris:

qui meam amplificaueris magnitudinem: qui me, pacatior factus, recreaueris.

Ego quoq; te instrumento nablo, tuam fidem celebrabo, mi Deus, te cithara cantabo ô auguste Israelitarum.

Te ouantibus cantabo labris, atq; animo, quẽ redemeris.

Nec non lingua tuam totos dies meditabor iustitiam, quòd turpiter frustrati fuerint qui mihi malum moliebantur.

LXXII.

De Salomone.G.Cantio Dauidis.H.

DEus iura tua regi, iustitiam tuam regis filio da.

Populum tuum ex æquo, tuos inopes ex iure iudicabit.

Ferent montes pacem populo, & colles iustitiam.

Hominibus patrocinabitur inopibus: tuebitur genus pauperum, fraudatores attenuans.

Atq; ita dum sol, & diutius quàm luna durabit, æternis timebere seculis.

Erit quasi descendens in detonsa prata pluuia, ut terram irrorans imber.

Florebunt eius tempore boni, multaq; pax donec desinat esse luna.

Imperabitq; ab altero mari ad alterum, [a] à flumine ad extremum terræ. a. scilicet Euphrate.

Ei syluani succumbent, eiusq; hostes lingent puluerem.

Ei Ciliciæ insularumq; reges munera pensitabunt: ei Arabes Sabæique stipendium afferent.

Eumq; colent omnes reges, omnes ei gentes seruient.

Liberabit enim conquerentes pauperes, & defensore carentes inopes.

Tenues miserabitur & egenos, pauperumq; uitam tuebitur,

eos à fraude & iniuria uindicando, & eorum sanguinem in precio habendo.

Viuet, eiq; suppeditabit aurum Arabicum, & pro eo fient asiduæ preces, cum quotidianis in eum faustis ominationibus.

Fietq; ut farris pugilli terrę mãdati fructus in montano uertice strepat ut Libanus, florentibus terrestrium herbarum more ciuibus.

Erit nomen eius in perpetuum: quandiu sol manebit, eius fama propagabitur: in eoq; sibi placebunt omnes gentes, eum beatum ferentes.

Laudetur Ioua Deus Israelitarum, Deus solus mirificus.

Laudetur & eius gloriosum nomen in æternum, eiusq; gloria repleatur uniuersus orbis terrarum:

Etiam atq; etiam.

Hactenus precationes Dauidis Isai filij.

PSALMORVM LIBER TERTIVS.

PSAL. LXXIII.

Asaphi cantio.


Est quidem bonus Israelitis Deus, mente puris,

Verum ego ferè pedibus deflexi, gressu propemodum labefactato,

quod indignarer in uecordes, res impiorum prosperas animaduertens.

Non sunt enim necessitates, quæ eos enecent: sed uigent ualentq́.

Humanis laboribus non agitantur, neq́ cum cæteris clades patiuntur.

Itaq́ superbia torquati, iniusticiæ amictu palliantur.

Eis oculi præ obesitate prominent, animi uota superant.

Occalluerunt, atrociaq́ loquuntur facinora, B fastidiosè loquuntur.

Et ore cœlos attingunt, & lingua peragrant terras.

Propterea eò redigunt [a] illius homines, quasi undantibus fluctuantes in aquis.

a. scilicet dei, hoc est, homines pij. Vide Ps. 125.

ut in hunc modum ratiocinentur: Scilicet hæc intelligit Deus, scilicet habet horum cognitionem Supremus.

En impij hi, in hac uita fortunati, opes consequuntur.

Næ ego frustra & mentem meam expurgo, et manus innocentia perluo,

cum quotidianas calamitates, assiduaq́ perferam supplicia.

C Si hunc in modum argumentari cogito: En iniuriam facio [b] tuorum filiorum generi.

b quasi Deo curæ non sint.

Itaque hoc mihi perspicere conanti, uidebatur arduum.

Donec [c] ingressus in Dei sanctuarium, consideraui illorum exitium.

c. penitus contemplatus Dei mentem, arcanumq́ eius consilium.

Enimuero tu in lubrico collocatos deijcis in exitium:

Adeò, ut quàm repentina deleti calamitate, horribili modo conficiantur.

Vt somnium euanescit expergefactis, sic tu eorum imaginem, Ioua, in ciuitate aboles.

Sed mihi cor erat in fermento, meiq́ renes extimulabantur:

D adeò apud te bardus & imperitus, adeoq́ brutus eram.

Cum apud te ea semper conditione sim, ut tu me dextera mea prehensum,

tuo consilio ducas, deinde ad honorem cooptes.

Ecquem, excepto te, uel in cœlis habeo, uel in terris, quem adamem?

Deficiat licet corpus, corq́ meū, mei cordis numen est, meaq́ conditio, Deus in perpetuū.

Nā certè perituri sunt, qui à te recedūt: perdes omnes qui à te meretricio more deficiunt.

Mihi uerò suauis cum Deo familiaritas est, fiduciam in te, domine Ioua, collocatam habenti, tuis tot operibus enarrandis.

LXXIIII.

Asaphi institutio.

CVr ô Deus tanta ira in oues tuorū pascuorum exarsisti, ut eas prorsum reieceris?

Memento ciuitatis tuæ, quam olim comparasti: nationis tui patrimonij, quā uindicasti: montis illius Sionis, quem incolis.

Incede sublimis, ad euertendos funditus omnes sacro nocentes hostes.

Perstrepūt tui perduelles, positis suis signis, hoc est trophæis, in medijs tuis curijs. B

Ita ut uideantur in densas arbores altè secures immitti.

Iamq́ eius ualuas bipennibus simul, & malleis demoliti,

iniecerūt ignem in tuum sacrarium, humi polluto tui nominis tabernaculo.

Et habentes in animo ea semel depopulari, cremarunt omnes Dei curias in hac regione.

Signa nostra non uidemus: nō iam uates, non nobis adest qui sciat quousq́ duratura sint hæc.

Quousq́ tandem, ô Deus, conuiciabuntur aduersarij, proscindent hostes nomen tuum?

Cur istam manum, cur dexteram intra sinum tuum omnino contrahis?

Cum sis iam olim Deus rex noster, uictoriarum per terras autor. C

Luc. 1. g

Tu diuulso ista potentia mari, capita [a] cetorū in aquis perfregisti.

a. Aegyptiorum.

Tu dissectis [b] balænæ capitibus, eam syluanorum populo dedisti ad pastum.

b. Pharaonis.

Tu fontem flumenq́ expressisti: tu uehementia exiccauisti [c] flumina.

c. Iordané.

Tua dies, ipsa tua nox est: tu lucem solemq́ condidisti.

Tu omnes terrarum statuisti terminos: æstatem tu, hyememq́ creauisti.

Memineris huius tam contumeliosi hostis, ô Ioua, & insanorum hominum tuum nomen proscindentium. D

Ne prode feris uitam tuæ turturis: noli perpetuo gregis inopum tuorum esse immemor.

Specta fœdus, quandoquidem refertæ sunt terræ latebræ domicilijs iniusticiæ.

Effice ne turpiter abeant tenues, ut inopes & pauperes nomen tuum laudent.

Agedum Deus, age tuam causam: memēto ignominiæ, qua te quotidie afficiunt insani.

Ne immemor esto uocis aduersariorum, tumultus infestorum tuorum crescentis assidué.

LXXV.

Præcinenda, Ne corrumpe, Asaphi musica cantio.

AGimus tibi gratias Deus, tibi gratias agimus, cuius præsens adest nomen tua narrantibus miracula.

Vide Psal. 28.

Cum certum tempus adeptus fuero, equidē ex æquo iudicabo.

Dissoluitur & tellus, & omnes eius incolæ, cuius ego constabiliui columnas. Sela.

Edico uesanis, ne insanite: & impijs, ne cornu efferte.

Ne

Ne tam altè istud efferte cornu, loquentes ceruice præfracta.

Nam nec ab ortu occasúue, nec à meridie proficiscitur excellentia.

Sed rerum Deus arbiter, hunc deprimit, illum extollit.

Habet enim in manu Ioua calicem, rubente uino plenũ turbido: unde fundit ille quidem, sed ita ut eius expressam fecem bibant omnes terrarum impij.

At ego Iacobidarum Deum in æternum cantans prædicabo.

Et impiorum omnia rumpam cornua, bonorum cornibus extollendis.

LXXVI.

Præcinenda fidibus Asaphi musica cantio G. in Assyrios. H.

NOtus est in Iudæa Deus, magni apud Israelitas nominis.

Estq; in Solymis eius tentorium, & in Sione domicilium.

Ibi fregit arcuum spicula, & clypeos, & enses & bellum. Sela.

Tu clarior es, & generosior, quàm sunt montani prædones.

Direpti sunt magnanimi a suo somno sopiti, b nec inuenere tot bellatores suas manus.

a. eccisi. b. non potuerunt resistere.

Ad tuas, Deus Iacobidarum, minas consopiti sunt & quadrigarij & equi.

Tu tu adeò terribilis es, ut ante te, quandocunque irasceris, stare quis possit?

Quo de cœlo sententiam pronunciante, tellus ipsa territa silescit:

insurgente ad iudicium Deo, ad defendendos omnes terrarum inopes. Sela.

Nam tibi rabies hominum laudi est: tu exuperantibus furoribus decoraris.

Vouete, & uota soluite Iouæ Deo uestro omnes eius necessarij: afferte munera terribili.

Qui potentibus præcludit spiritum, formidabilis regibus terrarum.

LXXVII.

Præcinenda Ieduthuni Asaphi cantio.

INuocatus uoce mea Deus, mea uoce inuocatus Deus mihi auscultauit.

Cum essem in angustijs Dominum oraui, suppurante noctu meo uulnere sine intermissione, animo meo consolationem respuente.

Memor eram Dei turbidus, & cogitabũdus, animo sese cruciante. Sela.

Et a te meorum custodiam oculorum agente, sic afficiebar, ut nihil loquerer. a. insomnis.

B Sed præteritũ tẽpus, priscos annos reputans, recolebam meam cantilenã noctu, cum mente mea cogitabundus, animo hunc in modum sciscitante.

Adeóne in perpetuum aspernatur Dominus, ut deinceps fauturus non sit?

Prorsúmne finita est eius clementia? desieruntne eius promissa in omnia secula?

Oblitúsne facilitatem Deus, misericordiam suam præ iracundia cohibet? Sela.

Tum cogitans mihi sperandam esse uicissitudinem dexteræ supremi,

memoria repetebam Iouæ naturam, recolendis tuis priscis miraculis,

Tuaq; tot facinora recogitans, de tuo sic ratiocinabar ingenio.

Tu Deus te sanctè geris, Cui Deo quis par Deus est?

Tu mirifice Deus tuam apud populos ostendisti potentiam,

dum tuos potenter uindicasti, Iacobi Iosephique posteros. Sela.

b Viderunt aquæ te Deus, uiderunt aquæ trepidantes, cohorrentibus ipsis fluctibus. b. Scilicet in traiectu maris rubri.

Cum quidem nubes aquis manarent: nubila fragorem ederent, c tua tela ferrentur: D

tuum in æthere tonitru sonaret, fulgura coruscarent per mundum, tellus tremefacta cohorresceret. c. fulmina

Tu per mare mensus iter, per uastas ingressus aquas, tuis non extantibus uestigijs,

tuos tanquã oues per Mosem & Aharonem duxisti. Exod. 14.e

LXXVIII.

Asaphi institutio.

AVdite mei populares meam disciplinam, præbete aures orationi meæ.

Aperiam os meum in sententiam, antiqua eloquens ænigmata. Mat. 13.

Quæ auditione didicimus, narrantibus nostris patribus,

non celabimus eorum prognatos, enarrandis posterorum generi Iouæ laudibus, potentia & editis miraculis.

Sanxit enim apud Iacobeos oraculum, legemque tulit apud Israelitas,

qua præcipit maioribus nostris, ut ea suis natis declararent,

Quæ sciat posteritas, quiq; procreandi succedent, suis porrò natis enarrent,

quo suam in Deo spem collocent, diuiniq; moris haud immemores, eius præcepta tueantur:

neq; sint quales eorum maiores, natio degener atque contumax: natio uecors, & animi erga Deum infidi:

Ephraimtæ, armati sagittarij, a terga uerterunt tempore dimicandi. a. Iudic. 12 B

Non conseruauere Dei fœdus, ex eius lege uiuere recusantes,

eiusq; morum immemores, & miraculorum quæ eis exhibuerat.

Qui quidem apud eorum maiores mira fecerat in Aegypti agro Tanensi. *Exitus Israelitarum ex Aegypto.*

Eos mare partitus traduxerat, aquis quasi in aceruum congestis.

Et per nubem interdiu, totasq; noctes per lumen ignis duxerat. Exod. 13. & 14.f

Tum disclusis in solitudine cautibus, undas eis affatim dederat ad bibendum. Psal. 104.d Exod. 17.b

Et prolectis ex rupe laticibus, quasi fluuiorum corriuauerat aquas.

At illi in eum peccare, supremum irritare in desertis perrexerunt.

Deumq́ animis tentarunt, cibum ad uictum postulando.

Num.11.a Et Deo obloquentes, ita dixerunt: Nunquid poterit Deus mensam in solitudine instruere?

Num.20.b Esto, cautem percussit, manatq́ lympha, & exundant flumina: num & panem suppeditare poterit, aut carnis copiam suis facere? C

Itaque ea re audita, indignato Ioua, exarsit in Iacobidas ignis, & in Israelitas sæuitum est:

Num.41.a qui Deo diffisi, eius tutelæ non confidissent.

Ergo ille sublimi imperauit ætheri, apertisq́ cœli foribus,

Manna. eis Mannam ad uescendum depluit, & cœleste dedit frumentum.

Exod.16.c Iohan.6.d 1.Cor.10.a Tam nobilem panem comederunt homines, misso eis ab illo commeatu ad satietatem.

Num.11.g Tum acto per cœlum Euro, immissoq́ ui sua Austro,

pluit eis carnes puluere crebriores, alatas aues marinis numerosiores arenis.

Quas in media eorum castra iniecit, circum eorum tabernacula.

Num.11.g Igitur cum uescentes sese ingurgitarent, ab illo quæ concupiuerant adepti. D

nondum cupiditatem deposuerant, adhuc suũ in ore cibum habentes,

cum eos aggressa Dei ira, interfecit eorum [a] unctissimos quosq́, & Israelitarum lectissimos edomuit.

a. locupletissimos.

Ac cum sic quoq; peccare pergerent, non adiungentes eius miraculis fidem,

ille eorum æuum celeriter, eorum annos perniciter consumpsit.

Quòd si quando eo interficiente, eum requirebant, Deoq́ resipiscentes inuigilabant:

recordantes Deum esse ipsorũ numen Deum supremum ipsorum uindicem:

quamuis ore eum fallerent, & lingua ei mentirentur:

non bene erga eum animati, neque in eius fœdere fideles:

ipse tamen exorabilis, data uenia, eos non perdebat: sæpeq́ iram suam coercens, non totam bilem suam incitabat,

memor eos carnem esse, spiritu abeunte, neq; redeunte.

E Quoties eum in solitudine irritarũt? quoties ei in desertis negocium facesserunt?

& iteratò Deum tentauerunt, augusto Israelitarum præscribentes?

immemores eius manus, tum cum eos ex periculis uindicarat.

Exod.7.d Qui sua in Aegypto ostenta, in agro Tanensi prodigia ediderat.

Eorumq́ uerterat amnes in sanguinem, ita ut flumina non biberentur.

Exod.8.a Immiserat eis & insecta, quę eos conficerent, & ranas quæ peruastarent.

Exod.10.c Et bruchis fruges eorum, & locustis laborem addixerat.

Exod.9.a Et grandine uites, & imbre conglaciato peremerat sycomoros.

Et eorum ueterina grandini, & pecora prestetibus exposuerat.

Vsus erat in eos iræ suæ feruore, indignatione, seueritate, & asperitate, opera malorum geniorum.

Laxauerat in eos iræ suæ impetum, & nihil parcens quo minus eorum animas neci dederet, eorum uitam pesti addixerat.

Omniaq́ in Aegypto primogenita, primordia uirilitatis [b] in Chameis domicilijs occiderat. Ex.12.14.d F

b. apud Aegyptios, qui sunt à Chamo prognati per Misraimum.

Et deportatos inde suos tanquam oues, ueluti gregem per deserta deduxerat.

Atq; imperterritos tutò perduxerat, eorum hostibus mari obrutis. Exod.14.c

Et in suos sacros fines adduxerat, in montem illum sua dextera quæsitum.

Exactisq́ eorum gratia gentibus, Israeliticas tribus in illarum collocauerat domicilijs, hæreditate sorte eis distributa. Iosu.13.b

At illi summũ Deum tentando exasperarunt, eius monita non conseruantes.

Retroq́ cedentes præuaricati sunt, ut ipsorũ maiores: inuersi, ut fallax arcus.

Et eum suis sacellis irritarunt, suisq́ simulachris incenderunt.

Quo audito indignatus Deus, et ab Israelitis magnopere abhorrens,

Siluntis tentorium deseruit, quod tabernaculum apud homines collocauerat. 1.Re.4.g

[c] Suamq́ potentiam captiuitati, suum decus hostili exposuit manui. G

c. Arcam fœderis. 1.Re.4.

Et ferro suos obiecit, indignatus in suum patrimonium.

Eorum & iuuenes igne confecti sunt, & uirgines [d] ingloriæ.

Sacerdotes occubuere ferro: nec uiduis defleti sunt. d. innuptę.

Ac quasi ex somno excitus Dominus, uelut heros à uino uociferans,

[e] hostium suorum terga cæcidit, æternam eis imponens ignominiam.

e. scilicet Israelitarũ, ut & Esa.11. uocantur.

Et repudiato Iosephidarum tabernaculo, improbataq́ Ephraimitarum tribu,

delegit tribum Iudæam, montem Sionem sibi dilectum.

Et suum quàm magnificè sacrarium extruxit, in terra à se fundata in æternum.

Delectumq́ suũ Dauidem à caulis accersiuit,

atque ab agendis fœtis abduxit, ad regendos suos Iacobeos, suumq́ patrimonium Israelitas.

Quos ille sincera mente, peritisq́ manibus pauit atq; duxit.

LXXIX.

Asaphi cantio.

O Deus, gentes tuum aggressæ patrimoniũ polluunt tuum sacrum fanum, Hierosolymam redigentes in rudera.

Tuorum cadauera cultorũ uolucribus aerijs, tuorum corpora piorum bestijs obijciunt comedenda terrestribus.

Effundunt eorum sanguinis undas circum Hierosolymam, sepeliente nemine.

Sumus

Sumus uicinis nostris ostentui, finitimis derisui & ludibrio.

B Quousque tandem saeuies Ioua, isto impetu quasi igne exardescens?

Iere.10.d Effunde bilem istam in gentes ignaras tui: in regna quae tuum non inuocant nomen.

Nam consumpti sunt Iacobidae, eorum habitatione uastata.

Esa.64.d Noli in nos animaduertere praeterita commissa:

C propera in nos uti tua misericordia, nam ualde sumus attenuati.

Succurre nobis Deus nostrae salutis, tui nominis gloriae causa: nosque libera, & nostris peccatis ueniam da, tui nominis gratia.

Ne quaerant gentes ubinam sit noster Deus: cernatur a pudgentes in nostris oculis ultio effusi tuorum sanguinis.

Veniat in tuum conspectum gemitus uinctorum:

D pro tui magnitudine lacerti reliquos fac eos qui sunt morti destinati.

a. penitus. Nostrisque uicinis [a] in sinum septuplo repende ignominiam, quam tibi Ioua inurunt.

Nos uero tuus populus, & oues tui pascui, te in omnem seculorum perpetuitatem, tuas enarrando laudes, concelebrabimus.

LXXX

Praecinendum ad rosas oraculum cantionis Asaphi G. de *Assyrijs*. H.

PAstor Israelitarum ausculta, qui Iosepheos agis ut oues:

Cherubis insidens affulge.

Apud Ephraimitas, Beniamitas, & Manassenses excita tuam fortitudinem, & nobis suppetias ueni.

Deus recocilia nos, tuo'que uultu collustra, & salui erimus.

Ioua Deus armipotens, quem ad finem succensebis tuis precantibus?

B quos ter geminarum cibo potuique lachrymarum pascis.

a. certatim. illudedos. Tu nos finitimis [a] certamen exposuisti, nostris deridendos hostibus.

Deus armipotens reconcilia nos, tuo'que uultu collustra, & salui erimus.

Vineam ex Aegypto transtulisti, quam exactis gentibus plantasti.

C Ei'que ita purgauisti solum, ut actis radicib. repleuerit terram:

& umbra montes operuerit, ramis diuinas aequantibus cedros.

b. scilicet Euphratē. suos'que palmites ad mare, sua sarmenta ad [b] flumen usque distenderit.

Cur eius diruisti sepem, ut ab omnibus carpatur uiatoribus?

Vt ab apris syluestribus deuastetur, ut depascatur a feris?

Deus armipotens reconciliare quaeso: aspice de coelis, & hanc uineam respice atque cura:

Vitiarium, tua quod dextera conseuit, scilicet natos quos tu tibi confirmasti.

D Conflagrat igni succisa, ad tui uultus truculentiam pereunt.

Adsit ista manus hominibus, ista dextera hominum generi quos tu tibi confirmas.

Ne nos a te recedamus, sed a te conseruati, nomen tuum inuocemus.

Ioua Deus armipotens, reconcilia nos, tuoque uultu collustra, & salui erimus.

LXXXI.

Praecinendum ad Gittith, Asaphi.

OVate Deo, potentiae nostrae: resonate Iacobeorum Deum,

Vtimini cãtione, adhibito tympano, suauique cithara cum nablo.

Clangite in nouilunio tuba, nostro solenni die festo. Genes.41.f

Nam is Israelitarum ritus est, iure Dei Iacobeorum,

qui id inter Iosepheos oraculo instituit, cum terram inuaderet Aegyptiam, ubi ignotum sermonem audiebamus.

[a] Subduxi uestros humeros oneri, uestris manibus a figlina deductis. a. uerba Dei. B

Vosque in angustijs inuocantes liberaui, [b] uobis occultus in tonitru postulata concessi, cum uos ad aquam iurgij explorassem. Sela. b. scilicet cum legem in Sina tradidit.

Audi mi populus, dum te commonefacio: Israelita si mihi obedies, Exod 17.b 20.a

non habebis alienum Deum, neque peregrinum Deum coles.

Ego sum Ioua Deus tuus, qui te ex Aegypto deportaui: [c] aperi os tuum, & ego id implebo. C c. tantū accipe quod dabo, & te pascam.

Sed meus populus mihi dicto audiens non fuit: Israelitae mihi non obtemperarunt.

Itaque eis libidinum suarum licentiam concessi, ut suis obsequantur consilijs. Rom.1.c Act.14.c

Quod si mihi meus populus obediret, si Israelitae meis graderentur uijs: Baruch 7 b D

confestim eorum hostes domarem, conuersa in eorum aduersarios manu.

Subiectis'que eis Iouae inimicis, durarent in aeternum,

me eos flore pascente tritici, & melle satiante rupis.

LXXXII.

Asaphi cantio.

DEus astat in consessu diuino, in medio [a] diuorum iudicans. uide Ps.75. a. gubernatorum.

Quousque iudicabitis inique, & impijs indulgebitis? Sela.

Agite tenuium pupillorum'que causam, inopes & pauperes absoluite. Prouer.14.

Tenues & egenos liberate, eos ab impiorum defendentes iniuria.

Indocti imperitique sunt, in tenebris gradiuntur, nutant omnia terrarum fundamenta.

Equidem uos uniuersos appello diuos, & supremi filios. Iohan.10.g

Veruntamen ut homines moriemini, [b] utque quiuis de principibus cadetis. b. ut dignū est principes, hoc est mortales, non Deos immortales.

Surge Deus, iudica terras, tu qui gentes omnes haereditate obtenturus es.

LXXXIII.

Asaphi cantio musica.

O Deus ne cessa, ne conniue, neue quiesce Deus.

Nam ecce tumultuantur hostes tui, osores tui caput efferunt.

Contra tuum populum malitiosè consultant, conspirantes contra tuos intimos in hūcmodum

Agite, deleamus eos ex hominum genere, ne amplius memoretur nomen Israelitarum.

B Nam conspirant uno animo, ictó contra te fœdere a tabernacula Idumæorum, Ismaelitarum q'ue: Moabitarum, & Hagarenorum:

a. Castra, & porro milites, & populi.

Gebalenses, & Ammonitæ, atq; Amalechitæ: Palæstina cum Tyrijs.

b. Ammonitis, & Moabitis.

Assyrij quoque sese eis coniunxere, Loto prognatis opitulantes.

Iudic 4. f. 7. d

Fac eis ut Madianitis ut Sisaræ, ut Labini apud Cisonem fluuium.

C qui apud Endor deleti stercorauerunt humū.

Tracta eorum duces ut Orebum, ut Zebum, ut Zebam, & ut Salmunam omnes eorum gubernatores, Iudic. 7. b

qui statuunt diuinas occupare sedes.

Mi Deus, utere eis ut rota, ut stipula iactata uento.

D Vt syluam comburit ignis, ut montes incendit flamma:

sic tu illos tua tempestate uexa, tuoq; turbine perturba.

Reple uultus eorum dedecore, ut tuum requiratur nomen Ioua.

Fœdè perturbentur perpetuò, turpiter'que pereant:

ut intelligatur, te solum isto nomine, Ioua, supremum esse toto orbe terrarum.

LXXXIIII.

Præcinenda ad Gittib cantio Coranidarum

O Amabiles tuas sedes, Ioua armipotens.

Conficior animi desiderio atriorum Iouæ, & mente & corpore ad Deum immortalem ouans.

Etiam passer sibi domum inuenit, & hirundo

B nidum, ubi pullos suos ponat ad tuas aras, armipotens Ioua, mi rex atque Deus.

a. Alludit ad fontem quem Moses elicuit ex rupe: Vide declarationem.

Beati qui domi tuæ habitant, te continenter collaudantes. Sela.

C Beati qui eas mente uias tenent, ut habeant sitam in te potentiam.

Qui si per flebilem transeant uallem, a eam reddent fontalem, etiam cisternas prætexente pluuia.

C Semperq; perficient in opibus, apud Deum in Sione apparituri.

Ioua Deus armipotens audi meas preces, ausculta Deus Iacobidarum. Sela.

Propugnaculum nostrum aspice Deus, & tui uncti personam respice.

Præstat enim dies unus ~~in tuis atrijs~~, quàm mille: ~~malim in Dei mei domo ad limen esse, quam in impiorum tabernaculis habitator.~~

D Nam sol & propugnaculum Ioua Deus, Ioua gratiam gloriamq; confert ijs qui se gerunt innocenter, eis bona non denegans.

O' armipotens Ioua, beatus homo qui tibi confidit.

LXXXV.

Præcinenda cantio Coranidarum.

FAuisti Ioua terræ tuæ, reuocatis ex captiuitate Iacobeis. Confer cū Psal. 102.

Dedisti tuis ueniam, obductis omnibus eorum peccatis. Sela.

Cohibuisti tantā istam seueritatem, istius iræ feruore coercito.

Reconcilia nos Deus nostræ salutis, tua aduersum nos sæuitia repressa.

Perpetuóne in nos desæuies, iram istam per æterna secula retinens? B

Nónne tu nos reconciliatus conseruabis, ut tui lætentur in te?

Exhibe nobis tuam Ioua clementiā, tuamq; defensionem præsta.

Audio quid promittat Deus Ioua: promittit enim pacem suo populo, suisq; pijs, ita ut ad dementiam non reuertantur. C

Certè adest eum reuerentibus, eius præsidiū, ut habitet in nostra terra gloria.

Pietas ueritas'que inter sese occurrent: iustitia & pax deosculabuntur inuicem.

Veritas ex terra germinabit, & iustitia de cœlo existet. D

Ioua quoq; bona dabit, & terra nostra suas fruges edet.

Illum antecedet iustitia, in uia, uestigia ponentem.

LXXXVI.

Dauidis precatio.

PRæbe mihi aurem tuam, & exorare Ioua, inopi atque pauperi.

Tuere meam animam, qui pius sum: serua cultorem tuum, mi Deus, tibi confidentem.

Miserere mei Ioua, qui te totos dies inuoco.

Exhilara meam, qui tuus sum, animam, qui ad te Domine animum attollo.

Nam tu Domine bonus & facilis es, & ad clementiam procliuis, erga omnes te inuocantes. Ioel. 2. c

Ausculta Ioua meas preces, attentus ad meā uocem supplicem:

qui te tum, cum sum in angustijs, imploro, quod tu mihi exorari soleas.

Nullus tibi deorum par est, Domine: nulla cum tuis facta sunt comparanda.

Omnes à te factæ gentes te coràm adoratum uenturæ sunt, Domine, tuúmque ueneraturæ nomen.

Nam solus tu magnus, tu mirificus es Deus.

Erudi me Ioua ad uiam tuam, ut in tua fide gradiar: applica meam mentem ad tui nominis reuerentiam.

Celebrabo te, Domine mi Deus, tota mente tuum nomen honorans in æternum:

qui pro tuæ erga me clementię magnitudine, meam animam ab imo liberaris Orco.

Deus consurgūt in me superbi, crudeliumq;

caterua

caterua mihi necem machinatur, te sibi propositum non habens.

Tu uerò Domine, Deus exorabilis, & misericors, ad iram tarde, ad clementiã & auxilium propense,

respice me, & miserere mei: præbe tuam potentiam tuo seruo, & ancillæ tuæ filium tuere.

Ede mihi faustum omen: quo uiso meos pudeat osores, quòd tu mihi Ioua succurreris, mé que fueris consolatus.

LXXXVII.

Coranidarum musica cantio.

CVius fundamentum est sanctis in montibus,[a] amat Ioua portas Sionis præ cunctis Iacobidarum domicilijs.

Gloriosa dicuntur de te, urbs diuina Sela.

[b] Cum Aegyptum & Babylonẽ apud meos notos commemoro,

Adde Palæstinam & Tyrum cum Aethiopia, [c] ille ibi natus est.

[d] De Sione uerò dicetur, alium atq; alium in ea natum, eamq; ab ipso supremo esse conditam.

Si Ioua scripto numeret populos, ille ibi natus est. Sela.

At in te cantores simul & tripudiantes, omnes mei fontes sunt.

a. Vide Es. 54.
b. Dei uerba sunt.
c. ita pauci sunt illarũ gentiũ homines, ut possint facilè numerari, si cum Sionijs cõferantur.
d. eadẽ sententia est, Si ego Ioua cęte orum populorũ hominũ numerum describã, certos & paucos inueniam. At si tuorum ô Sion, hoc est Christianorũ: tãtus erit fons, ut sit præ multitudine canendum

LXXXVIII.

Coranidarum cantio musica, præcinenda ad Mahalath alternis, institutio Hemanis Ezrahitæ.

IOua meæ Deus salutis, apud quem dies noctesq; conqueror,

admitte meas preces, præbe aurem meæ querimoniæ.

Nam animus mihi malis satur est, meaq; uita ad inferos usq; accedit.

Inter humatos habeor, ut homo inualidus,

inter mortuos [a] defunctus, ut interempti in sepulchro iacentes, quorum tu iam non meministi, qui que sunt ex tua procuratione exemptit.

B

a. liber à terrestrib. dominis atq; negocijs. Vide 1003.

Tu me ad imum detrudis barathrum, in profundæ caliginis locum,

& iracunde urgens toto premis impetu. Sela.

Atque ita meos à me familiares alienasti, ut me eis abominandum reddideris: ita inclusum, ut exitu caream.

C

In hac ego miseria, languentibus oculis, te Ioua totos dies inuoco, passis ad te palmis.

Nunquid tu mortuis facies admiranda? aut ad te celebrandum manes resurgent?

Scilicet in sepulchro tua clementia, tua fides in interitu prædicetur?

Scilicet tua miracula in tenebris, tua iustitia [b] in obliuionis terra cognoscatur?

b. apud inferos.

Equidem te Ioua imploro, & manè meis interpello precibus.

Cur hanc animam Ioua rejcis, tuum mihi uultum abdens?

Inops ego & moribundus à pueritia, tuos perfero terrores æstuans.

Tuæ me iræ obruunt, tuæ peruadunt formidines,

undatim circundantes assiduè, & simul obsidentes,

cum tu à me amicos necessariosq; remoueris, familiares que mei delitescant.

LXXXIX.

Institutio Ethanis Ezrahitæ.

TVam Ioua clementiam perpetuò canam, tuam fidem in alia atque alia secula hoc ore demonstrans.

Etenim cogito tuam clementiam perpetuò propagandam, qui tuam fidem cœlis in ipsis cõstitueris hunc in modum.

Percussi fœdus cum delecto meo, sic iurans Dauidi meo cultori. 2. Reg. 7. c

Ego tuam prolem in æternũ condam, tuumq; solium in perpetuas ætates construam. Sela.

Ergo cœli ipsi tua miracula, Ioua, tuamq; fidem in sanctorum cœtu concelebrant.

Nam quis in æthere cum Ioua cõparandus? quis Iouæ similis est in genere diuorum?

Deus est in frequenti sanctorum concilio formidandus, omnibusq; suis stipatorib terribilis. B

Ioua Deus armipotens, quis tibi par est? Ioua præpotens, qui tua fide stiparis.

Tu superbiæ maris imperas, & fluctus cum attollit, coerces.

Tu Aegyptũ clade attriuisti, tuos hostes tuæ lacerto potentiæ profligans.

Tui sunt cœli, tua & tellus: mundum tu, & quicquid eo continetur fundauisti. *Genes. 1. a*

Aquilonem tu [a] dexteramq; creauisti: in tuo nomine ouant [b] Tabor & Hermon.

a. austrum
b. Occidẽs & Oriens.

Tu lacertum robore præditum, tu manum potentem, tu dexteram habes excellentem.

Tuum solium iustitia & æquitate aptum est: tibi præstò adsunt benignitas atque fides. C

Beatus populus, qui te Ioua cantare norunt, in tui uultus lumine gradientes.

Qui in tuo nomine gestiunt assiduè, in tua sese iactantes iustitia.

Nam tu eorum uirium ornamentum es, tuoq; fauore cornu nostrum euehis.

Etenim Iouæ est nostrum propugnaculum, & sancti Israelitarum est rex noster.

Tu aliquando per prædictionẽ tuis pijs pollicitus es in hanc sententiam:

[c] Auxilium heroi accommodaui, electum ex plebe extuli.

Nactus sum Dauidem meũ cultorem, quem meo sacro oleo unxi.

Quem sic mea manu stabiliam, sic meo lacerto confirmabo,

ut eum non hostes superent, non iniqui homines opprimant.

c. Quæ hic Dauidi promittuntur, D ad Christũ successorem Dauidis sunt referenda.
1. Reg. 6. c
Acto. 13. d

Et eius hostes ei contundam, osores euertam, tanq; eum fide prosequar, & benignitate, ut in meo nomino eius [d] cornu euehatur.

[e] Eiusq; manum mari, eius dexteram fluminibus imponam.

Ipse me suum patrem, Deumq; & suę numen salutis appellabit.

Ego quoq; eum primogenitũ efficiam, summum regum terrarum.

d. potestas:
e. ei imperiũ à mari ad Euphratem dabo.

Perpetuò

Perpetuò meam erga eum benignitatem retinebo, meumq; fœdus ei fixum manebit.

E Et eius semen in æternum, eius solium dum cœli durabunt propagabo.

Quòd si ex eo prognati, relicta mea lege, non se gesserint ut meæ sententiæ postulant:

si profanatis meis placitis, mea præcepta non conseruauerint:

eorum equidem noxam uirga, eorum culpam plagis uindicabo.

Sed meam erga eum benignitatem non interrumpam, neque fidem fallam.

Non meum fœdus uiolabo, non oris mei pronunciatum mutabo.

Semel per sanctitatem meam iuro, Dauidi nō mentiturus,

2.Reg. 7.d Ioan. 12.e — eius semen æternum fore, eius'que solium ut solem apud me,

F Apocal. 1.b 3.c — utq; lunam duraturum semper, ut sit f testis fidus in æthere. Sela.

f. scilicet sol & luna.

Atqui tu uncto tuo repudiato & repulso irasceris.

Rescidisti quod tuo cultori pactus eras, eius diademate humi prostrato.

Dirutisq; omnibus eius septis, eius munitiones in ruinam redegisti.

Prædæ est omnibus uiatoribus, ostentui uicinis.

Extulisti eius aduersariorum dexteram, exhilarasti omnes eius hostes.

G Eius etiam ensis aciem retudisti, eum in prælijs non stabiliens.

Ei dignitatem abrogasti, eius solium ad terram demolitus.

g Eius iuuentutis tempus decurtasti, eum turpitudine uestiens. Sela.

g. effecisti, ut præ malis consenuerit, canusq; sit factus.

Quousq; tandem Ioua latebis, ira ista quasi igne flagrans?

Memineris ego quantuli sim æui, quàm friuolum creaueris omne genus hominum.

Quis homo uiuit, qui non sit mortem sensurus? qui sit animam suam ab orco uindicaturus?

2.Reg.7.c — Vbi est antiqua illa clementia, Domine, qui Dauidi fidem interposito iureiurando dedisti?

Memento Domine ignominiæ tuorū, quam ego penitus à tam multis populis perfero:

quanta ignominia tui hostes, Ioua, quanta ignominia tui uncti calces afficiant.

Laudandus Ioua in perpetuum:

Etiam atque etiam.

PSALMORVM LIBER QVARTVS.

PSAL. XC.

Mosis diuini uiri precatio.



DOMINE tu nobis receptaculum es perpetuis seculis.

Tu qui ante natos montes, ante formatam terram atq; orbem, ab æterno in æternum Deus es,

redigis homines in puluerem, & humanum genus redire iubes.

Nam apud te mille anni habentur pro hesterno die præterito, proq; nocturnis excubijs.

Spargis eos, somnium sunt, ut manè gramen adolescit.

Manè florens adolescit, & uespere recisum arescit. B

Nam ira tua consumitur, tua perturbati sæuitia.

Tu uitia nostra in tuo conspectu, abdita nostra a in tui uultus lumine collocas.

a. recordaris atq; punis, ut Psalmo 109.

Etenim tota ætas nostra irato te cedit: finimus annos nostros dicto citius.

Aetatis nostræ spacium septuaginta terminatur annis: aut (ut sit bona ualetudo) octoginta: Eccles. 18.a C

quorum tamen potissima pars labores sunt, & incommoda: tam celeri sectione auolamus.

Quòd si quis iræ tuæ uim norit, sæuitia tua est prout tui reuerentia est.

Aetatem metiri nostram sic ostende, ut mentem acquiramus sapientem.

Reconciliare Ioua, quid differs? & placare tuis.

Satiato nos manè tua clementia, & ouātes gaudebimus per omnem ætatem nostram. D

Exhilara nos pro tempore, quo nos affligis: pro annis, quibus malum patimur.

Exhibeatur tuis opus, decusq; tuum apud eorum natos,

Dominiq; Dei nostri uoluptatem consequamur, & opus nostrarum manuum nobis perage, & opus nostrarum manuum perage.

XCI.

G. Laudatorium carmen Dauidis. H.

QVi habitas in præsidio Supremi, qui degis in Omnipotentis umbra,

statue Iouam tibi esse fiduciam, arcemq;, & Deum cui confidas.

Is enim te à laqueo uenatorio, ab exitiali peste defendet.

Te ala sua proteget, subq; pennis eius tutus eris, eius fidei scuto atq; parma.

Non tu nocturnos terrores, non uolucres interdiu sagittas formidabis.

Non pestem in caligine peruadentem, nō meridie grassantem luem.

Etiam si tibi ad leuam mille, ad dexteram decem millia occumbant, non modò id te non attinget,

uerumetiam tuis ipsis oculis aspicies, & uidebis impiorum pœnas,

quoniam in Ioua fiduciam, quoniam in Supremo perfugium tibi collocaueris.

Nihil tibi mali accidet, neq; clades tuam domum accedet.

Nam de te suis mandabit genijs, ut te quòcunque perges, tueantur: Matt. 4.a

qui te manibus sustineant, ne pedem ad lapides offendas. Luc. 4.b

Pardos peruades & aspides: leones conculcabis, & dracones.

Quoniam

a. Dei promissum.

a. Quoniam mei percupidus est, eum liberabo: eum protegam, qui meum nomen agnoscat,

& ab eo inuocatus exorabor: ei in aduersis adero, eum liberans & honorans.

Eum æui longitudine satiabo, meamq́; ei salutem præstabo.

XCII.

Musica cantio ad diem Sabbathi.

Conuenit te Ioua concelebrare, tuumq́; ô Supreme nomen cantare,

tuam clementiam manè, tuam fidem noctu prędicando,

decachordo atque nablo, citharæq́; modulamine.

Sic enim me Ioua tuis operibus delectas, ut ad manuum facta tuarum lætus exclamem.

O' quàm magna facta tua Ioua, quàm profundæ sunt cogitationes?

Hoc nesciunt stupidi, hoc non intelligunt insani:

ideo germinare impios sicut herbas, et omnes florere maleficos, ut in perpetuum intereant, te in sempiternum excellente, Ioua.

Nam certè tui hostes, Ioua, nam certè tui hostes perituri sunt, et profligandi omnes malefici.

Cum interea extolles uelut unicornis meum cornu, uiridiq́; delibutus oleo,

pœnas hostium meorum, & infestantium me improborū, & oculis cernā, & auribus audiam.

Boni uerò ut palmæ florebunt, ut cedri in Libano proficient.

Sati in domo Iouæ, in Dei nostri atrijs florebunt,

& adhuc in senio pingues uirentes'que fortificabunt,

ut feratur æquum esse Iouam meum numen, iniquitatis expers.

XCIII.

G. Ad pridie Sabbathi cum inhabitata terra est: laudatorium carmen Dauidis. H.

Ioua regnat excellentia uestitus, uestitus Ioua accinctusq́; uiribus, mundum ipsum condidit immobilem.

Conditum est olim tuum solium, qui es ab omni æternitate.

Edant licet flumina, Ioua: edant flumina sonitum, edant suum flumina strepitum:

Tu tot aquarum sonitibus, tam insignib. maris fragoribus insignior es in sublimi Ioua.

Oracula tua certissima sunt: domum tuam decet, Ioua, diuturna sanctitas.

XCIIII.

G. Dauidis cantio ad trinam Sabbathi. H.

Deus ultor Ioua, Deus ultor affulge.

Inuehere terrarum arbiter: redde superbis præmium.

Quousq́; impij, Ioua, quousque exultabunt impij?

Intolerāda uerba proferunt, insolescentes omnes malefici.

Populum tuum, Ioua, atterunt: tuum patrimonium affligunt.

Viduas & peregrinos interimunt, & pupillos occidunt: B

& id uidere Iouam, id Iacobidarū Deum negant intelligere.

Intelligite, ô hominum stupidissimi, & insani: ecquando sapietis?

Scilicet aurium sator non audiet? aut oculorū formator non cernet?

scilicet gentium punitor non pœnas sumet?

Qui scire docet homines,

Ioua, scit hominum cogitationes esse uanas.

Beatus homo quem tu Ioua corrigis, tuamq́; legem doces,

ut securum reddas à malis temporibus, dum cauatur impijs fouea. C

Non enim destituet Ioua suum populum, nō deleret suum patrimonium:

a quin ad iustitiam redeat iudicium, quam sequantur omnes homines frugi.

a. quin Messias ęquum iudiciū faciat. Vide finem Psal. 96. & initiū Esa. 42.

Quis mihi resistit improbis? quis mihi cum maleficis congreditur?

Nisi Ioua mihi succurreret, periculum esset ne apud inferos habitarem:

Sed cum mihi pedem labefieri cogito, tua mihi Ioua adminiculatur clementia.

In tot mei pectoris solicitudinibus, tua mihi consolatio recreat animum.

Nihil enim tibi commune est cum solio sceleratorum, qui facinora patrant ex instituto:

coeuntes contra iustas animas, et innocentem sanguinem condemnantes.

Sed mihi Ioua præsidio est: mihi Deus meus numen est, cui confidam:

qui illis iniuriam rependet, & ob ipsorum improbitatem perdet eos, perdet eos Ioua Deus noster.

XCV.

G. Laudatorium carmen Dauidis. H.

Adeste, cantemus Iouam, resonemus numen salutare nobis.

Interpellemus eum celebrando, & cantionibus resonando.

Etenim Deus magnus est Ioua, & rex omniū maximus deorum.

Cuius in manu terræ penetralia, cuius sunt montium altitudines.

Cuius est mare quod ipse fecit, siccumq́; suis quod manibus formauit.

Agite ueneremur supplices, flexis ante Iouā creatorem nostrum genibus.

Is enim Deus noster est, et nos eius gubernationis populus, eiusq́; procurationis oues.

Cuius uocem si hodie audieritis,

nolite mētes obfirmare uestras, ut in illo iurgio, ut in die tentationis in solitudine, Heb. 3. b

cum me tentauere maiores uestri, cum me probauere, quamuis meum uidissent opus.

Quorum generis ego quadraginta pertæsus annos, cogitans homines esse socordes, meæq́; ignaros uiæ, Heb. 4. a

iratus iuraui, non esse in meam requietem peruenturos.

XCVI.

XCVI.

1.Paral. 16.c

G.Laudatorium carmen Dauidicum, cum templum ædificatum esset post captiuitatem.H.

CAntate Iouam nouo carmine, cantate Iouam totus orbis terrarum.

Cantate Iouam, eius nomen commendantes, eiusq́ tutelam quotidie prædicantes.

Eius gloriam in gentibus, eius miracula in omnibus narrate nationibus.

Nam maximus est Ioua, & laudabilissimus, omniumq́ deorum formidabilissimus.

Eccl.43.d Omnes enim cæterarum nationum dij deastri sunt: at Ioua cœlorum conditor est,

quem penes est maiestas, & autoritas, cuiusq́ in sacrario potentia est atque decus.

Tribuite Iouæ, ô populorum genera, tribuite Iouæ gloriam atque potentiam.

Tribuite Iouæ nomini gloriam, & munera ferentes uenite in eius atria.

Veneramini Iouam cum decenti sanctimonia: hunc cōtremiscite uniuersus orbis terrarū.

Dictitate per gentes, Ioua regnat, is qui mundum condidit immobilem, populos ex æquo iudicaturus.

Gaudeant cœli, exultetq́ tellus: intonet mare, & quod eo continetur.

Gestiāt & agri & quicquid inest, tum omnes syluarum ouent arbores.

In aduentum Iouæ, qui uenit, qui uenit iudicatum terras, orbem iuste, & populos fideliter iudicaturus.

XCVII.

G.Dauidis cantio, cum in eius potestatem uenisset terra.H.

IOua regnat, exultet tellus, lętentur tot insulæ.

Nube circundatus & caligine, soliū habet ex iustitia & æquitate aptum.

Eum præcedit ignis, eius hostes undique inflammans.

Micant per orbem eius fulgura, quo uiso terra concutitur.

Montes ut cera liquescunt, aduentu Iouæ, aduentu Domini totius terræ.

Eius prædicant iustitiam cœli: eius gloriam uident omnes nationes.

Leuit.26.a Exod.20.a Deut.5.c Heb.1.c Pudeat omnes simulachricolas, de deastris gloriantes: eum ueneramini omnes dij.

a.ciuitates. Quo audito gaudeat Sion, lætenturq́ Iudęæ puellæ, propter tua, Ioua, iudicia.

qui toto orbe terrarum summus, deorum omnium longè supremus es.

Amos 5.d Rom.12.b Odio habete malum, amatores Iouæ, qui piorum suorum uitas tuetur, eos ab impiorum manu defendens.

Lux seritur iustis, & mente probis gaudium.

Gaudete iusti in Ioua, eius sanctam celebrantes memoriam.

XCVIII.

Cantio G. Dauidis, H.

CAntate Iouam nouo carmine, qui mira facit, dum sibi sua dextera, suo sacro brachio uictoriam parit.

Ostendit Ioua suam uictoriā, in oculis gentium suam patefacit iustitiam: Esa.52.c & 63.b

memor suæ erga domum Israeliticam mansuetudinis, atque fidei, spectantibus Dei nostri uictoriam omnibus terrarum finibus.

Resonate Iouam totus orbis: prorumpite, ouate & cantate.

Cantate Iouam cithara, cithara & canora uoce

Buccinis & tubæ sonitu personate ante regem Iouam.

Reboet & mare, & quod eo continetur: orbis, & eius habitatores.

Ipsi manibus plaudant amnes, simulq́ montes ouent in aduentum Iouæ: qui uenit iudicatum terras, orbem iuste, & populos iudicaturus ex æquo.

XCIX.

G.Cantio Dauidis. H.

IOua regnat, contremiscant populi: Cherubis insidet, commoueatur tellus.

Ioua in Sione adeò magnus est, omnes ut populos superemineat.

Celebretur magnū istud & terribile nomen, quod sanctum est.

a Regia quidem potentia ius amat: tu æquitatem constituis, tu ius æquum'que facis apud Iacobeos. a.tu qui regia es potentia.

Extollite Iouam Deum nostrum, eiusq́ pedum subsellium ueneramini, qui sanctus est.

Moses & Aharon ex eius sacerdotibus, & Samuel ex eius nomen inuocantibus, Iouam inuocantes exorabant,

eosq́ ipse in columna nubis alloquebatur, cōseruantes oracula & institutionem ipsis ab eo traditam.

Tu Ioua Deus noster, qui te sic facilem Deū eis præbebas, ut ab eis exorareris, tamen b eorū factum ultus es. b. quod eis aditum in Chananæa negauit. Vide Nu.20. & Deut.32. ad finem. Psal.106.

Extollite Iouam Deum nostrum, eiusq́ sanctum montem ueneramini: nam sanctus est Ioua Deus noster.

C.

Cantio agendis gratijs G.Dauidis.H.

PErsonate Iouam totus orbis: seruite Iouæ cum lætitia: uenite in eius cōspectum cum modulis.

Cognoscite Iouam Deum esse, à quo, non à nobisipsis facti simus, eius populus, eiusq́ pascui oues.

Ingredimini eius portas cum commendatione, atria cum laudibus: eum celebrantes, eius nomen collaudantes.

Nam bonus est Ioua, perpetuæ clementię, & sempiternæ fidei.

CI.

Dauidis cantio.

CLementiam iusq́ canam, te Ioua cantans.

Innocentiæ uiam prudenter insistam: quando ad me uenies, sincera me mente geram in mea familia.

Non mihi nequitiam proponam: maleficentiam sic exosus, ut apud me non hæreat.

Peruersa

Peruersa mens a me facesset, ignaro mali.

Detrahentes occultè alteri euertam, supercilium & animi elationem non feram.

Regionis fidelissimos quosque in oculis ferens, contubernales habebo: qui se gerent innocenter, mihi ministrabunt.

Non manebunt domi meæ perfidiosi, non falsiloqui consistent ante meos oculos.

Maturè euertam omnes regionis impios, excindendo ex Iouæ ciuitate omnes maleficos.

CII.

Inopis precatio, cum angitur, & apud Iouam fundit orationem.

Cōfer cum Psal. 85.

IOua audi meas preces, & meam admitte querimoniam.

Noli tuum mihi uultum abdere, cum uersor in angustijs: præbe mihi aurem, inuocanti protinus exoratus.

Nam mea quasi fumus euanescit ætas, meaq́ membra ueluti torris arescunt.

Cor mihi uelut icta siccatur herba, immemori capiendi cibi.

Tam gemebunda est mea uox, ut mihi adhæreant ossa carni.

B Refero onocrotalum syluestrem, solitario similis cuculo.

Peruigilo, qualis est solus in tecto passerculus.

Quotidiana me ignominia afficiunt hostes mei, & in me debacchantes coniurant:

adeò ut puluere pro pane uescar, meam'que potionem fletu diluam:

ob tuam sæuitiam atque iracundiam, qui me sublatum abieceris.

Aetas mea umbræ modo inclinat, me herbæ ritu arescente.

At tu Ioua, qui manes æternus, cuiusq́ sempiterna est memoria,

tu age miserere Sionis: nam tēpus, nam eius miserandi uenit occasio.

Desiderant enim tui cultores eius lapides, eius miserti pulueris.

Ita gentes tuum Ioua nomen, ita omnes terrarum reges tuam reuerebuntur gloriam:

quòd instaurauerit Ioua Sionem, in sua conspicuus gloria,

C & solicitorum preces non aspernatus respexerit.

Scribetur hoc ad posteritatem, hominesq́ futuri Iouam collaudabunt:

qui Ioua de suo sublimi fano despexerit, de cœlis terras aspiciens,

audiendo uinctorum gemitus, soluendo morti destinatos,

ut Iouæ nomen in Sione, ut Iouæ laus Hierosolymis prædicetur,

D cum populi eódem, regnaq́ ad Iouam colendum conuenerint.

Quem equidem meas uires in uitæ cursu affligentem, meum æuum decurtantem,

sic alloquor: Mi Deus, noli me in media ætate tollere, tu qui annis sempiternus,

olim terram fundasti, cuiusq́ manuum opus sunt cœli. Heb. 1. c

Et illi quidem peribunt, te permanente, omnesq́ tanquam indumentum inueterascent, uestis in modum te mutante obsolescentes.

At tuorum cultorum nati (qui annorum es infinitorum) perdurabunt, eorum'que stirps erit apud te stabilis.

CIII.

Dauidis G. cantio. H.

COllauda [a] anima mea Iouam, & totum meum pectus sacrum eius nomen.

a. animam suā uocat seipsum.

Collauda anima mea Iouam, tot eius beneficiorum haud immemor.

Qui tuis tot uitijs ignoscēs, tuos tot morbos sanat.

Qui uindicat ab interitu tuam uitam, clementia te & misericordia coronans.

Qui bonis tuas satiat maxillas, tuam quasi aquilæ iuuentutem renouans.

Qui Ioua æquum iusq́ facit omnibus oppressis.

Qui suas Mosi uias, qui suam naturam ostendit Israelitis. B

Misericors & exorabilis Ioua, ira tardus, clementia multus: Num. 14. c

non perpetuò rixatur, non semper iniuriæ memor est.

Non nos pro nostris peccatis tractat, non nos ut digna sunt nostra uitia remuneratur.

Quin quantum terras superemineut cœli, tantum excellit eius erga ipsius reuerētes clemētia.

Quantum distat oriens ab occidente, tantum remouet à nobis delicta nostra.

Vt miseretur filiorum pater, sic Ioua sui reuerentium. C

Nouit enim conditionem nostram, memor nos esse puluerem.

Hominis ætas similis est graminis: floret ut flos terrestris,

qui à uento inuasus nusquam est, eum'q́ suus amplius [a] nescit locus.

a. non habet.

At Iouæ clementia ab æterno durat in æternum erga eius reuerentes, & iustitia erga natos natorum:

erga eius fœderis conseruantes, & obeundorum eius placitorum memores: D

Qui Ioua solium sibi composuit in cœlis, regno suo omnibus imperans.

Collaudate Iouā eius Genij uirtute præstantes, eius exequentes iussa, auditis eius mādatis.

Collaudate Iouā omnis eius exercitus, eius ministri eius facientes uoluntatem.

Collaudate Iouam uniuersa eius opera, in uniuersis eius imperij locis: collauda anima mea Iouam.

CIIII.

G. Dauidis cantio super mundi statu. H.

COllauda anima mea Iouā: Ioua mi Deus, perquàm magnus es, autoritate uestitus, & maiestate.

Qui lumine quasi ueste indutus, cœlos tanquam uelum intendis.

Tuas aulas in aquis contabulas, & nubium uehiculo utens, uenti alis incedis.

Heb. 1. c Facis tibi ex spiritibus nūcios, ex igne flammanti ministros.

Terram in suis basibus ita fundasti, ut nullo commoueatur æuo.

Quam cum profundo tanquam ueste operuisses, quæ super montes stabant aquæ, te increpante fugerunt:

& ad tui tonitrui sonum, in locum sibi à te destinatum (ascendentibus montibus, descendentibusq; uallibus) præcipitauerunt.

B Eis tu terminum statuisti, quem non transeāt, neque terras iterum operiant.

Emittis fontes in flumina, quę montes intermeent, unde omnia terrestria bibant animalia, & onagri sitim extinguant.

Ad ea cœlestes habitant uolucres, de medijs uocem frondibus emittentes.

a. nubibus. Tu montes ex tuis irrigans [a] fornicibus, terram tuorum operum fructu exaturas.

Gramina pecudibus germinare facis, et herbas ad usum hominum, eliciens ex terra uictum:

& uinum quod hominum exhilaret animos, & oleum quo niteant facies, & panem qui hominum corda sustentet.

Saturantur & arbores Iouæ, Libani cedri ab eo satæ,

C ubi nidulentur auiculę, & in pinnis ædificans ciconia.

Montes ardui damis, rupes cuniculis perfugio sunt.

Tu lunam statorum temporum causa fecisti, solemq; peritum occasus sui.

Si tenebras inducis, fit nox, in qua omnia syluestria gradiuntur animalia.

Leones ad prædam frementes, & à Deo pabulum sibi petentes.

Oritur sol, sese recipiunt, inq; suis lustris recubant.

Prodit homo ad opus munusq; suum, usque ad uesperum.

O' quàm multa sunt opera tua Ioua? qui cuncta sapienter fecisti, cuius rerum plena tellus est.

D Tum uastum illud, latéq; patens pelagus, ubi natantia sunt innumera, animantes minutæ simul & magnæ.

Illac eunt naues, tum balæna illa, quam tu ut in eo ludat condidisti.

A' te pendent omnia, ut eis suo tempore pastū suppedites.

quem te dante colligunt, te manum aperiente satiantur bonis.

Si faciem tuam abdis, conturbantur: si eorum spiritum comprimis, expirant, & in suum puluerem redeunt.

Si spiritum tuum emittis, recreantur, & terræ faciem renouas.

Duret Iouæ gloria in æternum, lætante Ioua suis factis:

cuius aspectu tellus concutitur, tactu montes fumant.

Canam Iouam dum uiuam: cantabo Deum meum donec ero,

cui dum mea placeat oratio, in Ioua lætabor.

Cum interea scelerati omnino ex orbe tollentur, & impij iam nusquam erunt: collauda anima mea Iouam. [a] Haleluia. a. Laudate Iouam.

C V.

CElebrate Iouam, eius & nomen inuocantes, & naturam in populis demonstrantes. 1. Par. 16. a Esa. 12. a

Hunc canite, hunc cantate, tot eius miracula meditantes.

Huius in sancto nomine uos iactate, gaudentibus animis cupidorum Iouæ.

Studete Iouæ, eiusq; potentiæ, eius uultum requirentes continenter.

Recolite quæ edidit miracula, prodigia, & latas ab eo sententias.

O' Abrahami stirps eius cultoris: ô Iacobo prognati, eius electo:

is Ioua Deus noster est, cuius iura toto patent orbe terrarum:

memor in æternum sui fœderis, rei quam in mille secula mandauit,

quod cum Abrahamo percussit, quod Isaaco iureiurando confirmauit, Gen. 22. c. d

idq; Iacobo statuto, Israeli pacto statuit æterno,

promittens sese eis Chananæam daturum terram, eorum patrimonij sortem.

In qua cum essent exigui numero, pauci, & ij peregrini:

cumq; ex alijs gentibus ad alias, ex alijs regnis ad alias migrarent nationes, B

non permisit eis à quoquam iniuriam fieri: quin eorum causa animaduertit in reges. 1. Par. 16. c. d

Nolite meos unctos tangere, meis'ue nocere [a] uatibus. 1. Reg. 1. c a. nā Abrahamum uocat uatem Deus, Genes. 20. & Iacobus moriēs uaticinatur.

Deinde cum in ea regione famem excitasset, fracto omni alimentorum adminiculo,

Præmisit illis hominem, in seruitutem uenditum Iosephum,

cuius pedes compedibus uexati, cuius anima tentata ferro est, Iosephus. Gen. 37. f. et 39. d. 40. c

usque ad id tempus, quo uenit quod erat de eo decretum: eumq; Iouæ iussu exploratum,

rex hominum dominator eruendum, soluendumq; curauit: Pharao

& domus suæ dominum, omniumq; suarum facultatum gubernatorem constituit: Genes. 41.

ut & proceres eius arbitratu suo cogeret, & senatores [a] erudiret. a. faciendo præscriberet.

Ergo uenit Israel in Aegyptum, peregrinatus est Iacobus in terra [b] Chamea. Genes. 46. a

Atque ille populum suum ita fœcundauit, ut eum supra ipsius hostes augeret. b. Chamus pater fuit Misraimi, à quo Aegyptij.

C Itaq; illorum animos ad populi sui odium, ad suos cultores circumueniendos conuertit.

Tum Mosem cultorem suum, & à se delectū Aharonem misit,

qui apud illos mandata ab eo ostenta & prodigia

Exod. 10.f digia ediderunt in terra Chamea.

Tum tenebrarum obscuritatem inuexit, illis *7.d* eius mandata non detrectantibus,

Mutauit illorũ aquas in sanguinẽ, eorumq́ pisces necauit.

Exod. 8.b Scatuit eorum terra ranis, etiam in ipsorum penetralibus regum,

Exod. 8.9.b Iussit & insecta prouenire, & pediculos in omnibus eorum finibus.

Eis pluuiæ loco grandinem, flammantésque immisit ignes in eorum terram,

& eorum uites ficusq́ contudit, arboresq́ finium eorum perfregit.

Exod. 10.c Iussit & locustas bruchosq́ existere innumerabiles,

D qui omnes in eorum territorio herbas, terræq́ fruges perederunt.

Exod. 12.d Occidit & omnia in eorum regione primogenita, omnis eorum uirilitatis primordium.

Atq́ ita suos aurum argentumq́ ferentes eduxit, nemine in eorum tribubus impedito,

Exod. 13.d gaudentibus eorum emigratione Aegyptijs, utpote eorum terrore perculsis.

Ille nubẽ explicuit in operimentũ, ignemq́ *Exod. 13.d* *Psal. 77.b* ad noctu prælucendum.

Exod. 16.c *Num. 20.c* Petentibus coturnices inuexit, eosq́ cœlesti pane satiauit.

Cautem disclusit, unde scatente lympha, manauit per deserta fluuius.

Genes. 22.c *Iosue 3.d* Meminerat enim, quid Abrahamo cultori suo sanctè promisisset.

Igitur populum suum cum lætitia, delectos suos cum cantu eduxit:

eisq́ gentium aliarum terras, eis populorum laborem dedit possidendum:

ut eius decreta legesq́ tuerentur & conseruarent. Haleluia.

CVI.

Haleluia.

Iudith. 13.e CElebrate Iouam qui bonus, qui æternæ est clementiæ.

Quis Iouæ uirtutes, quis omnes fando laudes exprimat?

Eccles. 43.d Beati qui ius tuentur, qui æquum faciunt omni tempore.

Memento mei Ioua pro tuo erga tuos fauore: affice me tua salute:

ut electorũ tuorum bona uideã, ut tuę gentis uoluptate fruar, cum tua glorians hæreditate.

Peccauimus cum maioribus nostris, uitiose & impiè egimus.

Exitus Israelitarũ ex Aegypto. *Iudith. 7.d* Maiores nostri in Aegypto tua miracula non ritè perpenderunt, tuorumq́ tot beneficiorum immemores, in ora maris rubri rebellarunt.

B *Exod. 14.c* Et tamen eos propter suum nomen conseruauit, ut suam ostenderet potentiam.

Traiectum mare rubrum. Increpitoq́ & exiccato mari rubro, per profunda duxit tanquam per syluam,

& ab aduersariorum manu defendit, ab hostium manu uindicauit:

cum interim eorum hostes sic obruti fuerint *Exod. 14.g* aquis, ut ex eis ne unus quidem superfuerit.

Itaque illi eius dictis credentes eius cecinere laudes.

Sed eius factorum protinus obliti, non expectato eius consilio, *Exod. 17.a* *Num. 11.g*

Capti cupidine in syluis, Deum in solitudine tentarunt: *Busta cupiditatis.* C

qui eis ita postulata dedit, ut eis uitæ luem immiserit.

Item inuiderunt Mosi in castris, & Aharoni Iouæ sacro.

Itaq́ tellus hians, Dathanem deuorauit, Abiramiq́ gregem obruit: *Num. 16.e* *Dathanis coniuratio.*

& incenso in eorum cœtum igne, impios flãma combussit.

Præterea fecere uitulum in Horebo, conflatumq́ uenerati sunt, *Vitulus.* *Exod. 32.a*

gloriam suam permutantes cum herbiuori bouis imagine: D

obliti sui conseruatoris Dei, qui tam magna in Aegypto,

tam mira in terra Chamea, tam horrenda ad mare rubrum fecerat.

Itaq́ statuerat eos extinguere, nisi Moses eius electus eũ interpellasset in illa strage, ut eius sæuitiam ab illorum internecione retraheret. *Exod. 32.c*

At illi tam elegantem terram aspernati sunt, eius dictis non credentes:

& in suis murmurantes tabernaculis Iouæ, dicto audientes non fuere.

Ergo ille manum illis attulit, eos per syluas sternendo: *Num. 14.e*

eorumq́ progeniẽ per gentes deijciendo, & eos dispergendo per terras.

Itemq́ cum Baale Phegore copulati, mortuales polluxere uictimas: *Baal Phegor.*

quibus eorum moribus irritato Deo, grassata in eos clades est. E

Cum quidem extitit Phinees, ad cuius preces cohibita clades est: *Num. 25.b* *Phinees.*

id quod ei iustitiæ datum est, in omnem seculorum perennitatem.

Adhæc ei ad aquam iurgij mouerunt iram, adeò ut Mosi nocuerit eorum culpa. *Num. 20.a* *Aquæ iurgij.*

Nam per eos offensus animo, perperam uerba fecit.

Non deleuere nationes, quas eis Ioua iusserat: *Deut. 7.a* sed cum cæteris permixti gentibus, earum & facta didicerunt,

& statuas coluerunt, quæ eis fuere detrimẽto, *Israelitæ simulacricolæ.* suosq́ filios & filias sacrificarunt cacodæmonibus:

atq́ ita insontem fudere sanguinem, uidelicet F liberum suorum, quos Cananæorum immolauere statuis, quo sanguine incestata terra est.

Adeò suis factis polluti, & moribus meretricati sunt, ut iratus suo populo Ioua, suam abhorruerit hæreditatem,

& illos gentibus in potestatem traditos, inimicorum imperio subiecerit.

à quibus hostibus uexati sunt, & sub eorum ditionem subiuncti.

Ille eos sæpenumero liberauit, cum ipsi suo G

consilio ei aduersarentur, suaq; culpa attenuarentur:

& in aduersis respexit rebus, auditis eorum querelis.

Deut. 30. 6 Memorq; fœderis quod ipsi cũ eis intercedebat, recõciliatus est pro sua singulari clementia.

& in eos misericordiam commouit omnium, apud quos erant captiui.

Serua nos Ioua Deus noster, & ex cæteris gentibus collige, ut tuum sanctum celebremus nomen, in tuis nos laudibus iactantes.

Collaudetur Ioua Deus Israelitarum per omnem æternitatem, dicat'que populus omnis, Amen. Haleluia.

PSALMORVM LIBER. QVINTVS:

PSAL. CVII.

G. *Haleluia*. H.



CELEBRATE Iouam, qui bonus, qui æterna est clementia.

Dicant hoc Iouæ clientes, quos ille uindicat ex periculis:

& diuersis ex terris, ex oriente, occidente, septentrione atq; mari colligit.

Qui per syluas & auia loca errant, oppidum quod incolatur non inuenientes:

Errantes. famelici & sitibundi, animóq; anxij. Si in ea angustia Iouam inuocant, ille eos liberat ex periculis:

a. Hebræa uox cõmunis est urbis, oppidi, uici, & pagi. Rectáq; uia eò deducit, ut in a oppidum ueniant quod habitetur.

Celebrent illi Iouæ clementiam & miracula apud hominum genus,

qui satiauerit indigos, bonisq; repleuerit famelicos.

Vincti. Qui in tenebris & funesta nocte sedent, miseria & ferro constricti,

Quoniam supremi Dei dictis et consilio contumeliose aduersati sint:

quorum ille mentes labore domat, quiq; iacent indefensi,

B si in ea angustia Iouam inuocant, ille eos asserit ex periculis:

eos ex tenebris & funesta nocte eripit, abruptis eorum uinculis.

Celebrent illi Iouæ clementiam, & miracula apud hominum genus:

qui ostia perruperit ærea, ferreáque claustra perfregerit.

Aegroti. Vesani, qui propter peccandi consuetudinem propterq; sua uitia torquentur:

qui animo cibum omnem abhorrentes, ad lethi portas appellunt:

si in ea angustia Iouam inuocant, ille eos asserit ex periculis.

suóq; iussu sanandos curat, & ab interitu liberandos.

Celebrent illi Iouæ clementiam, & miracula apud hominum genus,

faciántque grati animi sacrificia, eius opera cum cantu narrantes.

Nauigãtes. Qui nauibus in mare descendunt, negotia in uastis exercentes aquis:

ij Iouæ facta & miracula uident in profundo. C

Nam ille suo iussu uentum excitat tempestuosum, quo fluctus maris attollente,

ascendunt in cœlum, descendunt in gurgites, animis in tanto malo fathiscentibus.

Vacillant & titubant ebriorum more, absumpta omni eorum peritia.

Quòd si in ea angustia Iouam inuocant, ille eos eripit ex periculis,

tempestatem tranquillans, illosq; fluctus sedans:

qua illi tranquillitate læti, ab eo in optatum ducuntur portum.

Celebrent illi Iouæ clementiam & miracula apud hominum genus,

eum in hominum cœtu extollentes, & in senum consessu collaudantes,

Qui fluuios in syluam, aquarum scatebras in loca siticulosa,

terram fertilem in a salsam redigit, ob scelus incolarum. a. sterilem. D

Qui solitudinem reddit aqua stagnantem, aridumq; solum lymphis scatens,

ibiq; famelicos collocat, qui habitandum cõdant oppidum,

agros conserant, uineas pangant fructuosum edituras prouentum.

Atq; eos ille multum fœcundans auget, nec minus eorum pecus,

cum oppressi malorum necessitate & mœrore, fuissent diminuti.

Aspergit contemptu primates, eosq; per deuia sentaq; loca errare facit.

Pauperes autem à calamitate protegit, efficiens quasi ouium gentilitates.

Id quod uidentes probi lætantur, cum omnis improbitas obmutescat. Iob 22. e

Qui sapiet, hæc obseruabit, & intelliget beneficia Iouæ.

CVIII.

Musica cantio Dauidis.

COmposito sum animo Deus ad canendũ, atq; cantandum. Psal. hic est sectus ex Psal. 57. & 60.

Age mea gloria: expergiscere nablum & cithara, expergiscar primo mane.

Celebrabo te apud nationes Ioua, te apud populos cantabo:

cuius clementię magnitudo cœlos exuperat, cuius fides attingit æthera.

Euehere supra cœlos Deus, cuius gloria toto patet orbe terrarum.

Vt euadant tui dilecti, conserua nos ista dextera, mihi exoratus.

Promittit Deus in suo fano, quæ læter: diuidam Sichemam, uallemq; Sochotha dimetiar.

Meus est Galaadus, meus Manasses, & Ephraimus mei capitis firmamentum.

Iudas meum est imperium: Moabus meæ lebes lotionis: ad Idumum iaciam meum calciamentum:

mentum: in Palæstinam adoream sonabo.

Quis me ad urbem sistet munitam? quis me perducet ad Idumæum?

cum tu nos Deus reieceris, neq; cum nostris proficiscare copijs.

Fer nobis auxilium contra periculum, quando uana est humana defensio.

Per Deum fortia patrabimus, eo nostros proterente perduelles.

C I X.

Præcinenda cantio Dauidis.

a. quem laudo.

O Deus [a] mea laus, ne dissimula. Nam impium perfidumq; os in me aperitur: aduersū me loquitur lingua mendax:

uerbis circunsessus inimicis, oppugnor immeritò.

b. Deū pro illis cōprecatus.

Pro amore meo infestor, idq; [b] comprecatione usus:

malóque pro bono, & odio pro meo amore afficior.

Præfice ei impiū, eiq; Satan ad dexterā astet.

Cum iudicabitur, abeat damnatus, eiusq; preces ei sint crimini.

Ioan.17.c Actor.1.d

Sit eius ætas breuis, eius munus excipiat alius:

Sint eius nati pupilli, & uxor uidua:

B errantesq; mendicent eius liberi, indigentes, utpote derelicti.

Irretiat creditor omnes eius facultates, eiusq; labore parta diripiant alieni.

Ne sit qui eum benignitate prosequatur, ne sit qui eius pupillorum misereścat.

c. eius liberorum.

Sit eius exitus excidium, in posterum deleto [c] illorum nomine.

Recolatur eius parentum culpa apud Iouam: nec eius matris crimen obliteretur.

Illosq; semper habens propositos Ioua, extirpet ex terris eorum memoriam.

Quandoquidem exercendæ beneficentię immemor, hominem inopem, pauperem, animoq; C ægrum persequitur ad necem.

Et postq; infelicitatem amat, ea contingat ei: postquàm felicitate nō delectatur, facessat ab eo.

Vestiatur infelicitatis amictu, quæ ut aqua in eius uiscera, ut oleum in artus penetret:

quæ sit ei pro uestis amictu, proq; cinctu iugiter cingendo.

Hæc merces à Ioua meis aduersarijs eueniat, meæq; uitæ perniciem cogitantibus.

Tu uerò Ioua Domine transige meum negotium propter tuum nomen: pro tuæ beneficentię bonitate libera me.

Nam inops & pauper ego sum, cor in pectore saucium habens.

Vt inclinans umbra discedo, locustarum more stridens.

Genua mihi labant præ inedia, meo corpore defectu pinguitudinis tabente.

Sumq; illis probro, qui me spectantes motu D capitis derident.

Succurre mihi Ioua mi Deus, conserua me pro tua clementia:

Vt sciāt hoc opus esse tuū, hoc te Ioua fecisse.

Detestentur illi, tu faueas: eis'que turpiter confusatis, tuus ego gaudeam.

Vestiantur aduersarij mei ignominia, sue'que turpitudinis pallio induantur.

Agam Iouæ gratias ingentes hoc ore, & eum in frequenti corona laudabo:

qui pauperi dexter astiterit, eum ab eius uitæ condemnatoribus defendens.

C X.

Dauidis cantio.

Matth.22.d 1.Cor.15.d Actor.2.f

AIt Ioua Domino meo: sede ad meam dexteram, donec tuos hostes effecero scabellum pedum tuorum.

Sceptrum tuæ potentiæ mittet ex Sione Ioua, ad dominandum inter hostes tuos.

tuæ copiæ uoluntariæ erunt, qua die expeditionem cum sacra maiestate facies, [a] ex utero auroræ habebis rorem tuæ iuuentutis.

Iohan.11 a. tot habebis discipulos, per quos hostes uincas, quàm densus est ros matutinus. Vide Miche.5.

Iurat Ioua, non mutaturus sententiam, te sacerdotem esse in æternum, [b] ad rationem Melchisedeci.

b. Vide Hebr.5. & 6

Dominus tibi dexter, tum cum irascetur, reges obtruncabit.

Vlciscetur gentes cum uasta strage corporū:

caput obtruncabit, quod amplæ terre præest, ita ut [c] ex torrente bibat in uia, atq; ideo, [d] caput attollat.

c. ex redundante cęlorum sanguine bibi poslit. d. uictor regnet.

C X I.

Haleluia.

CElebrabo Iouam toto corde in proborum consilio, atque cœtu.

Magna sunt facta Iouæ, stupenda quibuscūq; placent.

Eius & opus autoritatis & maiestatis est, & iustitia stat in æternum.

Famam sibi suis comparauit miraculis, exorabilis & misericors Ioua.

Prædam dedit sui metuentibus, memor semper suæ pactionis.

Factorum suorum uim suis ostendit, dum eis gentium possessionem dedit.

Eius manuum opera uera atq; æqua sunt, fida sunt eius omnia mandata,

fixa ad perpetuitatem, in fide & æquitate constituta.

Redimendos curauit suos: sanxit in æternum suum fœdus, sanctū & terribile nomen habens.

[a] Sapientiæ caput est Iouæ metus: rectè sapiunt, hæc quicunq; præstant, quorum laus æterna manet.

a. Vide Iob 28. Prouer.1.d & 9.c Eccles.1.b

C X I I.

Haleluia.

Huius Psalmi uersus & dimidij uersus in Hebræo incipiunt ordine literarum.

BEatus homo qui Iouā reuerens, eius præceptis multum delectatur.

Potens in terris erit eius progenies: genus proborum fortunabitur.

In eius domo erūt opes & diuitiæ, eius liberalitate in perpetuum manente.

Probis lux oritur in tenebris, qui mansueti, misericordes & liberales sunt.

Vir bonus miseretur & commodat, sua uerba iudicio temperans.

Nunquam enim commouetur, estq́ benefici hominis æterna memoria.

Malorum auditu nõ terretur, tutum animum habens Iouæ fiducia.

Adeò fixo animo est, ut nihil formidet, quin uisurus sit hostium suorum pœnas.

2.Cor.9.b Dispergit largiens pauperibus, durat semper eius liberalitas, eiusq́ cornu extolletur gloriosè.

Id quod uidentes impij, sic ægrè ferent, ut dentibus frendentes contabescant, eorumq́ cupiditas peribit.

CXIII.

Haleluia.

LAudate Iouæ cultores, laudate Iouę nomẽ.

Commendetur Iouę nomen deinceps in perpetuum.

Ab ortu solis ad occasum laudabile Iouæ nomen est.

Malach.1.c Excellit gentes omnes Ioua, gloria cœlesti.

Quis est Iouæ Deo nostro conferendus? qui alta incolens,

humilia uidet, cœlos incolens uidet terras.

Qui tenuem excitat ex puluere, pauperem alleuat ex fimo:

eum inter præcipuos collocans, inter præcipuos suorum.

Sterili familiam conciliat, liberos quibus mater gaudeat. Haleluia.

CXIIII.

G. *Haleluia.* H.

CVm Israelitæ ex Aegypto, cum Iacobea domus emigraret ex populo barbaro,

Exod.13.d Iudæi Israelitæ [a] Deo fuere sanctitati atq́ potestati.

a. in eis sanctitaté, potestatemq; suam ostendit.

Quo uiso mare fugit, & Iordanis retrocessit.

Mõtes arietum, colles oue natorum ritu exiliuerunt.

Quid tibi acciderat mare, ut fugeres? quid Iordanis, ut retrocederes?

Quid montes, ut arietum, quid colles, ut oue natorum ritu exiliretis?

Ad Domini pręsentiam [b] contremisce tellus, ad Dei Iacobeorum præsentiam:

a. cõtremiscendũ est. B

qui petram in aquæ stagnum, cautem in aquæ fontem conuertit.

CXV.

NE nobis Ioua, ne nobis, sed tuo nomini gloriam tribue, ob tuam benignitatem atque fidem.

Ne quęrant gentiles, ubinam sit Deus noster:

cum sit Deus noster in cœlis, quicquid ei libet faciens.

Illorum simulacra argentum aurumq́ sunt, humanarum opus manuum.

Suprà 15.d Os habent, neq́ loquuutur: oculos habent, neque uident.

Aures habent, nec audiunt: nares habent, nec olfaciunt.

C Manus habent, neq́ tangunt: pedes habent, nec ambulant: nihil suo guttute sonant.

Tales erunt qui ea faciunt, quicũq́ fidunt eis.

Vos Israelitæ confidite Iouæ, quorũ ille pręsidium & propugnaculum est.

Vos domus Aharonis confidite Iouæ, quorũ ille præsidium & propugnaculum est. D

Vos Iouæ reuerentes confidite Iouæ, quorũ ille præsidium & propugnaculum est.

Ioua nostri memor fortunabit, fortunabit Israelis domum, fortunabit Aharonis domum,

fortunabit Iouæ reuerentes, paruos iuxtà atque magnos.

Amplificabit Ioua uos, uos, uestrosq́ natos.

Fauorabiles eritis Iouę cœli terrę́q creatori.

Qui cœlum, qui Ioua cœlum habẽs, terram dedit hominum generi.

Bar.2.d Quem Iouam non mortui, non ulli [a] ad silentium degressi collaudabunt.

a. eò ubi silet, hoc est ad interitum.

Sed nos Iouam commendabimus, deinceps in sempiternum. Haleluia.

CXVI.

G. *Haleluia.* H.

AMo Iouam, qui meam supplicem uocem exaudiuerit:

quoniãq́ mihi aurem præbuit, ideo eum per omnem uitam inuocabo.

Cum me mortis lora circundarent, & Stygiæ inuasissent angustiæ: cum in periculum & sollicitudinem incidissem:

Iouæ nomen inuocaui: obsecro Ioua libera hanc animam.

Exorabilis, iustusq́ Ioua, Deus noster misericors,

custos Ioua simplicium, me conseruauit afflictum.

Redi anima mea ad tuam quietem, postquàm tibi Ioua benefecit:

qui & animam meam à morte, & oculos à lacrymis, & pedes à casu liberauit,

ita ut uerser apud Iouam in uiuorum terris.

Equidem credidi, ideoq́ locutus sum, cum tantopere uexarer:

2.Cor.4.c atque in hac trepidatione dixi, [a] omnem hominem esse fallacem.

Quid Iouæ rependam pro tot eius aduersum me meritis?

[b] Poculũ sumã salutis, Iouę nomen inuocãs,

Iouæ mea uota soluam, idq́ eius omni populo præsente:

Qui Ioua [c] suorũ mortem piorum tanti ducat.

Euge Ioua: nam ego seruus tuus, ego seruus tuus sum, ancillæ tuæ filius, qui [d] mea rupisti uincula

Tibi sacrificium animi grati faciam, Iouę nomen inuocans.

Iouæ mea uota soluam, idq́ eius omni populo præsente,

in atrijs templi Iouæ, in medio tui Hierosolyma. Haleluia.

a. à nullo homine sperandam salutẽ esse, sed tantum à Deo. b. Iouæ libabo uinũ, qui me cõseruauerit: c. tãti suos faciat, ut eos perire non sinat. d. me liberasti.

CXVII.

G. *Haleluia.* H.

Rom.15.c Iohan.12.c LAudate Iouam gentes omnes, hunc celebrate nationes omnes:

cuius Iouæ & clementia erga nos excellit, & fides æterna est. Haleluia.

CXVIII.

CXVIII.

G.Haleluia.H.

CElebrate Iouam qui bonus, qui æterna clementia est.

Dicant Israelitæ eius æternam clementiam.

Dicat Aharonis domus eius æternam clementiam.

Dicant Iouæ reuerentes, eius æternam clementiam.

Iouam in periculis inuocaui, Ioua me exoratus explicuit.

Heb.13.c Iouam habens non metuo ne quid mihi faciāt homines.

Iouam habens defensorem, uisurus sum inimicorum meorum pœnas.

Iouæ præstat fidere, quàm homini.

B Iouæ præstat fidere, quàm primatibus.

Omne genus gentes me obsederant, quas tamen Iouæ nomine excîdi.

Obsederant me etiam atq; etiam, quas tamen Iouæ nomine excîdi,

Obsederant me apum more, quas tamen quasi spinarum ignem extinctas Iouæ nomine excîdi.

Tu me quidem impuleras ad cadendum, sed mihi Ioua succurrit.

Exod.15.a Ioua mea potentia atq; cātus, mihi saluti fuit.

Ergo uictoriæ cantu bonorum domus personant: Iouæ dextera fortiter facit.

C Iouæ dextera excellens, Iouæ dextera fortiter facit.

Non moriar, sed uiuens Iouæ facta narrabo.

Castigauit me quidem Ioua, sed neci non dedidit.

Aperite mihi iustitiæ portas, ut per eas ingrediar ad agendas Iouæ gratias.

Hæc Iouæ porta est, qua boni ingrediuntur.

Mat.21.d Luc.20.c Gratias ago tibi, qui mihi exoratus salutem attuleris.

a. Lapis ab ædificatoribus improbatus, adhibitus est ad caput anguli.

A Ioua profectum est hoc, quod nobis mirum uidetur.

Hanc diem Ioua fecit, in qua lætemur exultantes.

a. expulsus Dauid, tamen rex euasit. quod idem accidit & Christo.

D Eia Ioua, serua age: eia Ioua, faue age.

Act.4.b Rom.9.g Bene sit ei qui uenit in Iouæ nomine: fausta uobis ominamur, ô Iouæ domestici.

1.Pet.2.a Esa.28.d Deus Ioua nobis illucet: alligate festam hostiam restibus ad aræ cornua.

Tibi mi Deus ago gratias: te mi Deus extollo.

Celebrate Iouam, qui bonus, qui æterna clementia est.

CXIX.

G.Haleluia.H

Aleph.

Scriptū est in Hebræo carmē hoc ordine literarum, quæ singulæ singulorū octonariorū uersus incipiunt.

BEati qui bene morati ex Iouæ lege uiuunt.

Beati qui eius obeunt oracula, toto corde studentes ei.

Qui sanè nihil iniquum agentes, uiuunt ad eius normam.

Tu sane instituta tradidisti diligenter seruanda.

Vtinam moribus sim ad seruanda tua decreta comparatis.

Ita demum non frustra ero, si omnia tua præcepta spectabo.

Agam tibi sincera mente gratias, cum tuas iustas sententias didicero.

Tua decreta seruabo: ne me desere omnino.

Beth.

Quânam re purget adolescens suos mores? exequendis tuis uerbis.

Tibi toto corde studeo, ne me à tuis auoca præceptis.

In mente mea habeo recondita tua dicta, ne quid in te peccem.

Tu laudande Ioua, doce me tua decreta.

His ego labijs enumero omnes oris tui sententias.

Oraculorum tuorum ratione perinde oblector, ac summa opulentia.

Tua mandata meditor, intuens in tua instituta.

Tuis decretis oblecto me, tuorum dictorum haud immemor.

Gimel.

Affice me tuum uitæ beneficio, & tua dicta exequar.

Reuela meos oculos, ut uideam tuæ legis miracula.

Peregrinus in terris ego sum: ne mihi subtrahe tua præcepta.

Mihi languet animus perenni tuarum sententiarum cupiditate.

Detestabiles obiurgas superbos, à tuis præceptis deerrantes.

Auolue à me probrum atque contemptum, qui oracula tua obeo.

Quamuis contra me deliberātes sedeant principes, tamen tuus ego tua decreta meditor:

Tamen oracula tua, meæ deliciæ, mihi sunt pro consiliarijs.

Daleth.

Humi prostrata est anima mea: cōserua mihi uitam ex tuis promissis.

Mores meos expono, ut tu exorere mihi: doce me tua decreta.

In tuorum mandatorum ratione instrue me, & tua meditabor miracula.

Mihi perfluit animus præ anxietate: erige me ut ferunt tua promissa.

Falsam uiam à me remoue, & mihi per gratiā largire tuam legem.

Viam ueritatis elegi, tuas mihi sententias proponens.

Adhæreo tuis oraculis Ioua, ne me frustra habueris.

Viam præceptorum tuorum curram, cum mihi mentem a explicueris.

a. scilicet ex angustijs.

He.

Institue me Ioua in ratione tuorum decretorū: & ea prorsus exequar.

Erudi me in exequenda tua lege: & eam obibo toto corde.

Dirige me per iter pręceptorum tuorum: nam id mihi placet.

Effice mihi mentem propensam ad tua oracula, non ad auaritiam.

Auerte meos oculos ab intuenda nequitia, ut tam mihi in tuo conseruans instituto.

Præsta mihi tuo promissa tua, qui te reuereor.

Aufer meum dedecus, quod exhorreo: nam tuæ sententiæ bonæ sunt.

Cum sim tuorum mandatorum cupidus, conserua mihi uitam pro tua iusticia.

Vau.

Mihiq́ tua contingant beneficia Ioua, tua defensio, ut fert tuum promissum.

Et dabo meo conuiciatori responsum, tua fretus oratione.

Néue mihi prorsus ex ore eripias uerum uerbum, qui à tuis sententijs pendeam.

Et tuam legem exequar iugiter in omnem perpetuitatem.

Atque ita expeditus incedam, quòd tuis studeam mandatis.

Neque me de tuis apud reges oraculis loqui pudebit.

Meq́ tuis oblectabo præceptis, quę amo.

Attollamq́ manus ad tua præcepta mihi dilecta, & tua decreta meditabor.

Zain.

Memento quid mihi tuo promiseris, quo mihi spem fecisti.

Quæ quidem mea consolatio est in mea miseria, tuo promisso me conseruante.

Arrogantes mihi magnopere illudunt, neque tamen à lege tua deflecto.

Memor tuarum sempiternarum Ioua sententiarum, me consolor.

Horrore corripior ob impios tuæ legis desertores.

Cantilenæ mihi sunt tua decreta[a] in peregrinationis meæ domicilio.

a. in hac uita, in qua peregrinus sum, æuique breuis.

Recolo noctu nomen tuum Ioua, tuamq́ legem obeo.

Hoc teneo, ut tua mandata exequar.

Heth.

Tu mihi conditio es, Ioua, cuius dictis parêre statui.

Te coràm oro toto corde, miserere mei ut promisisti.

Recogito meos mores, meosq́ pedes ad oracula tua conuerto.

Festino sine cunctatione ad obeunda tua pręcepta.

Impiorum lora me implicant, non tamen legis oblitum tuæ.

De media nocte surgo ad te celebrandum, ob tuas iustas sententias.

Coniungo me cum omnibus tuis reuerentibus, tuaq́ mandata exequentibus.

Benignitate tua Ioua plenus est orbis terrarũ: doce me tua decreta.

Teth.

Bene facis mihi tuo cultori Ioua, ex tuo promisso.

Bonum sensum & scientiã doce me, qui tuis præceptis fidem habeo.

Priusquam uexarer, errabam: nunc tuis dictis pareo.

Tu bonus & beneficus, doce me tua decreta.

Connectunt contra me mendacium arrogantes, tua mandata toto corde obeuntem.

Illorum cor quasi obesitate obtusum est, cum ego me tua lege oblectem.

Mihi uexari conducit, ut tua decreta discam.

Mihi utilior est oris tui disciplina, quàm aureorum argenteorumq́ millia.

Iod.

Manus tuæ me fecerunt atq́ condiderunt: erudi me ut discam tua præcepta.

Tui reuerentes me uiso lętabuntur, qui in tuo spem habeam promisso.

Scio Ioua, æquas esse tuas sententias; meq́ uerè à te premi.

Sit mihi quæso tua clementia solatio, ut tu mihi tuo pollicitus es.

Contingat mihi misericordia, ut uiuam: nam tua lex meæ sunt deliciæ.

Pudeat superbos, qui mihi exitiũ falsò machinantur: ego tua mandata meditabor.

Concilientur mihi, qui te uerentur: tuaq́ norunt oracula.

Sit mea mens in tuis integra decretis, ne me pudeat.

Caph.

Animus mihi languet expectatione tuæ defensionis, in tuo promisso spem habenti.

Oculi mihi languent expectatione tui promissi, cogitanti ecquando sis me consolaturus.

[a] Sum enim ut uter in fumario, haud immemor tamen tuorum decretorum.

Quodnã mihi tuo spacium statuitur? ecquando de meis infestis sumes supplicium?

Cauant mihi superbi scrobes, [b] non sanè ex tua lege.

Omnia tua præcepta uera sunt: succurre mihi, quem illi insectantur iniuria.

Ferè me humi conficiunt, neq́ tamen tua mandata desero.

Pro tua clementia conserua me, & oris tui oraculo parebo.

Lamed.

In æternum Ioua tuum uerbum permanet in cœlis.

Sempiterna pręditus es ueritate, qui staturam terram condidisti.

Quę quidem ex tua sententia stant hodie: nam omnia tibi seruiunt.

Nisi tua mihi lex esset in delicijs, equidem in mea perirem inopia.

Nunquam tuorum mandatorum obliuiscar: nam per ea mihi uitam tueris.

Tuus sum, serua me qui tuis studeo mãdatis.

Imminent impij meo exitio, qui tua oracula perpendo.

Omnium interiturarum rerum finem uideo: tuum præceptum perquàm[a] latè patet.

a. infinitum est.

Mem.

Adeò tuam legem amo, ut hæc sit mea quotidiana meditatio.

Sapientiorem me, quàm sunt hostes mei, reddit tua disciplina, quam perpetuò habeo.

Plus sapio quàm mei doctores uniuersi, quod oracula tua mea sunt meditatio.

Senes intelligentiâ supero, quòd tua mandata teneo.

Ab omni uia mala contineo meos pedes, ut tuis dictis paream:

De tuis sententijs non deflecto, quòd tu me erudias.

Multo sunt uerba tua meo palato et ori melle dulciora.

A' tuis mandatis disco, ideoq; omnes falsos mores odi.

Nun.

Lucerna meo pedi sunt tua dicta, meoq; lux itineri.

Iuraui (id quod præstabo) me seruaturum esse tua iusta iura.

Crucior uehemēter Ioua, medere mihi ut fert tua promissio.

Mei oris liberalitatem gratam habe Ioua, & me tuas sententias doce.

Versor in perpetuo uitæ discrimine, neq; tuæ legis obliuiscor.

Mihi laqueum obtendunt impij, neq; tamen ex tuis mandatis aberro.

Possideo oracula tua perpetuò, quæ sunt mei cordis gaudia.

Animum ad obeunda tua decreta applico, in perpetuum prorsus.

Samech.

Malè cogitantes odi, & tuam legem amo.

Tu mihi latebra & propugnaculum es, à cuius uerbis pendeo.

Facessite à me improbi, ut exequar Dei mei præcepta.

Sustine me oratione tua, ut uiuā: neue meam expectationem frustrato.

Fulci me ut conseruer, & tuis decretis semper oblectabor.

Conculcas omnes à tuis recedentes decretis, quorum fallax sit calliditas.

Vt scoriam deles omnes terrarum impios, ideo tua amo decreta.

Horret mihi corpus tui pauore, tuas reformidanti sententias.

Ain.

Ius æquumq; facio, ne me permitte meis oppressoribus.

Accommoda me tuum cultorem ad bonum, ne mihi superbi faciant iniuriam.

Oculi mihi languent expectatione tuæ defensionis, iustæq; promissionis.

Tracta me tuum, ut tua fert clementia, meq; tua decreta doce.

Tuus ego sum, erudi me ut sciam tua oracula.

Tibi Ioua agendi tempus est, cum tua lex uiolatur.

Itaque tua præcepta plus quàm aurum & obrizum amo.

Itaq; tuis omnibus mandatis prorsum rectè utens, omnem falsam consuetudinem odi.

Pe.

Mira sunt oracula tua: ideo ea animo teneo.

Rudimenta tuorum dictorum rudes collustrant, & erudiunt.

Quæ quidem hianti ore haurio: tantopere tua amo præcepta.

Respice me, & miserere mei, pro tua erga tui nominis amantes æquitate.

Vestigia mea in tuis dictis constabili, ne ullum dominetur in me maleficium.

Vindica me ab hominum iniurijs, & tuis parebo mandatis.

Illustra tuum me tuo uultu, & tua me decreta doce.

Riuis aquæ manant oculi mei: quoniam non seruatur tua lex.

Zade.

Iustus es Ioua, rectæq; sunt tuæ sententiæ.

Oracula tradidisti æquissima, atq; uerissima.

Conficior indignatione, quòd hostes mei tuorum dictorum sint immemores.

Probatissima est oratio tua, quam tuus ego diligo.

Paruus ego & contemptus, tua mandata non oblitus sum.

Iustitia tua, iustitia est sempiterna, tua'que lex uera.

In aduersis periculis'que deprehensus, habeo tua præcepta in delicijs.

Tuorum æquitas oraculorum æterna est: erudi me, & uiuam.

Coph.

Toto corde inuoco: exaudi me Ioua, & tua tenebo decreta.

Te inuoco, serua me: & tuis oraculis parebo.

Diluculum querelis præuerto, à tuis dictis pendens.

Oculis uigilias anticipo, tuis dictis meditandis.

Vocem meam exaudi pro tua clemētia Ioua, pro tua æquitate uitam mihi custodi.

Adsunt persequētes flagitia, à lege tua remoti.

Ades tu Ioua, cuius omnia præcepta uera sunt.

Iamdiu de tuis oraculis hoc scio, te ea in perpetuum fundasse.

Res.

Vide meam miseriam, & me libera: qui tuæ legis oblitus non sum.

Age meam causam, meq; assere, & ex tua promissione conserua.

Abest salus ab impijs, quoniam tuis decretis non student.

Multa præditus es misericordia Ioua, conserua me pro tua æquitate.

Multi sunt qui me insectantur, mihiq; aduersantur: neq; tamen à tuis oraculis deflecto.

Videns perfidos crucior, quòd tuis dictis nō parent.

Considera me tua mandata amare Ioua: pro tua clementia conserua me.

Tuorum dictorum caput est ueritas, sunt'que

tuæ omnes iustæ sententiæ sempiternæ.

Sin.

Me principes insectantur immeritò, qui men te tua dicta formido.

Lætor ego tuis uerbis, perinde ac qui multam nactus est prædam.

Falsa odi atque detestor, amans tuam legem.

Septies quotidie te laudo, ob tuas iustas sententias.

Multa pax est tuæ legis amatoribus, nec est eis impedimentum.

Intueor tuā tutelam Ioua, tuaq́ præcepta exequor.

Animo tua oracula teneo, ea multum amans.

Seruo tua mandata atque oracula: nam mei mores omnes tibi sunt expositi.

Thau.

Accedat in tuum conspectum oratio mea, Ioua: ex tuo promisso erudi me.

Veniat in tuum conspectum mea supplicatio: defende me ut pollicitus es.

Fundent mea labra laudem, quòd tua me decreta docueris.

Eloquetur lingua mea tua dicta, cuius omnia præcepta iusta sunt.

Sit mihi tua manus auxilio, qui tua mandata elegi.

Cupidus sum tuæ defensionis Ioua, tuaq́ lex meæ sunt deliciæ.

Viuat hæc anima ut te laudet, tuæq́ sententiæ me iuuent.

Erro uelut ouis perdita, quære me tuum, qui tuorum præceptorum memoriam non deposui.

CXX.

Carmen gradarium.

CVm Iouam rebus in aduersis inuoco, exaudit me.

Ioua libera hanc animam à falsis labijs, à lingua perfida.

Quid tibi [a] dabit, aut quid addet tibi lingua fraudulenta,

[b] sagittæ militares acutæ, carbonesq́ iuniperini?

Hei mihi qui tamdiu peregriner, habitans [c] cum Cedarianis tabernaculis.

Ego diutius habito cum pacis osoribus,

qui me pacis mentionem faciente, ad bellum inclinant.

a. proderit.
b. quæ & pungit ut sagitta, & urit ut carbo.
c. in humanis, quales sunt Cedare Ismaelis filio prognati.

CXXI.

Carmen gradarium.

ATtollo oculos in montes, unde mihi uenit auxilium.

Auxilium meum à Ioua est, cœli terræq́ creatore.

[a] Non sinet tuos labefieri pedes, non dormitabit custos tuus.

Scito non dormitaturum, neq́ dormiturum custodem Israelitarum.

Ioua tuus custos, Ioua umbra tua, tibi dexter adest.

Te neq́ sol interdiu, neq́ luna noctu feriet.

Ioua te ab omni malo, Ioua tuam animam tuebitur.

Ioua te & euntem & redeuntem tuebitur, deinceps in sempiternum.

a. Par. 20.
a. Seipsum alloquitur.

CXXII.

Carmen gradarium Dauidis.

DElector eis qui me sic adhortantur: Eamus in Iouæ domum.

Astant nostri pedes in tuis portis Hierosolyma.

Hierosolyma extructa ut urbs [a] sibi simul coniuncta,

Quò quidem tribus ascendunt, tribus Iouæ, [b] ex edito Israelitis oraculo, ad Iouæ nomen celebrandum.

Illic enim sita sunt trubunalia iudicialia, tribunalia domus Dauidis.

Orate pacem tuam Hierosolyma, cuius amatores sospites sint.

Sit pax in tuo propugnaculo, felicitas in tuis palatijs.

Propter fratres cognatósque meos tuæ paci consulam.

Propter domum Iouæ Dei nostri tuo bono studebo.

a. concors, & ideo duratura.
b. ut Israelitis oraculo præceptum est.

CXXIII.

Carmen gradarium, Dauidis.

AD te oculos attollo, ô cœlicola.

Et quidem ut seruorum oculi dominorum manum, ut ancillæ oculi heræ manum: sic nostri Iouam Deum nostrū intuentur, dum misereatur nostri.

Miserere nostri, Ioua, miserere nostri qui multo sumus contemptu saturi:

quorum animi multa sunt opulentorum derisione, fastuosorum contemptu saturi.

CXXIIII.

Carmen gradarium.

NIsi Ioua nobis adfuisset (dicant Israelitæ) nisi Ioua nobis adfuisset, cum in nos consurgerent homines:

iam pridem nos uiuos deuorassent, cum in nos arderent ira,

Iampridem nos aquæ inundassent, obrutos torrente:

iam pridem nos impotentes obruissent aquæ.

Agimus Iouæ gratias, qui nos non passus sit prædam esse dentibus illorum.

Vita nostra sicut auicula euasit aucupum laqueum: rupto laqueo nos euasimus.

Nobis auxilium est in Iouæ nomine, cœli terræq́ creatoris.

CXXV.

Carmen gradarium.

QVi Iouæ confidunt, similes sunt Sionis monti, qui perpetuò manet immobilis.

Et montes Hierosolymam, & Ioua suum populum circundat hinc in sempiternum.

[a] Non enim residebit impietatis sceptrum in iustorum sortem, ne iusti manus admoueant nequitiæ.

Benefac Ioua bonis, & mente rectis.

Qui uerò ad suas peruersitates declinant, eos [b] ducet Ioua cum maleficis, saluis Israelitis.

a. Nō dominabuntur impij in bonos. Vide Psal. 73.
b. puniet ut maleficos.

CXXVI.

CXXVI.

Carmen gradarium.

a. Israelitas, qui nūc sūt Sionij. b. ut olim ex Aegypto, cum quidem in meridiana & siticulosa regione fontem eis elicuisti. c. Vide 1. Cor. 15.

CUm reuocaret Ioua a Sionios captiuos, uidebamur nobis somniare.

Tunc & ora nostra risu, & linguæ cantu plenæ erant:

tunc dictitabatur inter gentes: Ioua his magna præstitit.

Ioua nobis magna pręstiterat, id quod lætabamur.

Reuoca Ioua nostros captiuos, b amnium ritu meridianorum.

c Qui serunt cum lachrymis, cum cantu messuri sunt.

Qui flendo it, carum semen ferens, rediturus est cum cantu, suos ferens manipulos.

CXXVII.

Carmen gradarium, Solomonis.

a. scilicet liberis. b. frustra laborat, qui Deo charus nō est. Liberi quidem, quorū causa laboratur, proueniūt pijs, quasi uirgula diuina, sine ipsorum solicitudine. c. defendētur à suis natis in litibus.

NIsi Ioua domum a instruat, frustra laborant qui eam instruunt: nisi Ioua urbem custodiat, frustra uigilat custos.

b Frustra & summo mane surgitis, & tardè residetis, uictu uescentes laborioso, adeò ille dilectis suis somnum conciliat.

Liberorum quidem hæreditas à Ioua est: fœtus uentris præmio datur ab eodem.

Quales sunt in manu uiri fortis sagittæ, tales sunt iuuentutis nati.

Felices qui talibus refertas habent pharetras: c non illi frustrabuntur, cum disceptabunt cum aduersarijs in curia.

CXXVIII.

Carmen gradarium.

BEatus est quicunque Iouam reuerens, uiuit ad eius normam.

Labore manuum tuarum si uesceris, beatus es, & bene tibi erit.

Vxor tua similis erit fœcundæ uitis, in lateribus domus tuæ: liberi tui quasi oliuarum plantæ, circum tuam mensam.

Sic quidem certè fortunabitur homo Iouæ metuens.

Sic te fortunabit Sionius Ioua, ut Hierosolymæ bonum uideas per omnem uitam.

Videas & natorum tuorum natos, saluis Israelitis.

CXXIX.

Carmen gradarium.

SAepe oppugnatus sum à pueritia (dicat Israelita)

sæpe oppugnatus sum à pueritia, neque tamen expugnatus.

Dorsum meum arauerunt aratores, longos ducentes sulcos.

Ioua iustus abrupit impiorum lora.

Turpiter retro agūtur omnes Sionis osores:

Suntque similes herbæ tectorum, quæ priusquam euellatur, arescit:

qua neque messor manum, neque manipulator sinum implet:

neque dicunt uiatores, Adsit uobis Iouæ fauor: fausta uobis precamur per Iouæ nomen.

CXXX.

Carmen gradarium.

EX profundo te inuoco Ioua,

Domine audi uocem meam: præbe aures attentas meæ uoci supplici.

Si uitia obseruaueris, Ioua Domine, quis stabit?

Sed est in te facilitas, ut reuerendus sis.

Iouam spero, speranti animo eius promissum suspiciens.

Animo Dominum suspicio, à matutinis custodijs, ad alteras matutinas custodias.

Suspiciat Israelita Iouam: nam in Ioua est clementia, multumque præsidij.

Et is Israelitam uindicaturus est ab omnibus eius uitijs.

CXXXI.

Carmen gradarium Dauidis.

IOua neque animum effero, aut supercilium tollo:

neque maiora, aut magis ardua, quàm pro me tracto.

Quin animum meum sic ad modestiā composui, ut est ablactatus erga matrē, quasi ablactatū habeam animum.

Suspice Israelita Iouam, hinc in sempiternū.

CXXXII.

Carmen gradarium.

MEmento Ioua Dauidis, & eius tantæ modestiæ. 2.Reg.7.a

qui Iouæ iurauit, qui sic Iacobeorum numini uouit.

Neque meæ domus tectum subibo, neque cubicularem lectum inscendam:

neque meis oculis somnum, meis palpebris soporem concedam,

quin Iouæ locum, quin Iacobidarum numini domicilium inuenero.

a Ecce autē id Ephratæ audiuimus, id in syluestribus agris inuenimus. a. Huius loci sententiā non intelligo.

Intremus in eius domicilium, ueneremur eius pedum scamnum. B

Surge Ioua in tuam requietem, tuque tuæque arca potentiæ. Par. 6. g

Tui sacerdotes iustitia uestiantur, tuique pij ouent.

Propter Dauidem tuū ne auersare uincti tui animam.

Iurauit Ioua Dauidi, fidem nō reuocaturus: C

ex uentris tui fœtu imponam tuo solio. 2.Reg. 7.e

Quòd si seruauerint tui nati meum fœdus, & oracula quæ eos docuero, eorum quoque nati in perpetuum sedebunt in tuo solio. Luc.1.e Act.2.e

Delegit enī Ioua Sionē, eam sibi sedē optās. D

Hæc est mea sempiterna requies, quam mihi habitandam concupiui.

Cuius & annonam fœcundabo, & pauperes saturabo uictu:

& sacerdotes salute uestiam, & pij ouabunt:

Ibi germinare faciam cornu Dauidis, b lucernam uncto meo componens. b. posteritatem concilians.

Eius hostes pudore circumfundam, cum interea suum in eo diadema florebit. Luc.1.g Mal.3.a

CXXXIII.

CXXXIII.

Carmen gradarium Dauidis.

O Quàm suaue, quamq́ iucundum est, habitare fratres simul.

Vt bonum unguentum quod ex capite in barbam, barbam inquam a Aharonis, & uestimentorum oram defluit.

Vt ros Hermonius, qui defluit in montes Sionis, ubi Ioua semper duraturam conciliat abundantiam bonorum.

a. pótificis, ut Latine Cęsares appellantur à primo Cæsare.

CXXXIIII.

Carmen gradarium.

O Collaudate Iouam, omnes Iouæ cultores, qui noctu manetis in Iouæ domo.

Attollite manus ad sanctuarium, Iouam collaudantes.

Faueat tibi Sionius Ioua, cœli terræq́ condi (tor.

CXXXV.

Haleluia.

Laudate Iouæ nomen, laudate ô Iouæ cultores,

qui degitis in Iouæ domo, in atrijs domus Dei nostri.

Laudate Iouam, qui tam bonus sit, cantate Iouæ suaue nomen.

Nam Iacobeos Ioua, Israelitas sibi delegit in peculium.

Scio enim Iouam: dominumq́ nostrum omnium esse maximum deorum.

B Quicquid ei libet facit Ioua in cœlis & in terris, in aquis & undis omnibus.

Nebulas excit ab ultimis terris: fulgura per pluuiam facit: ex suis uentos cellis excitat. Hier.10.c

Qui occidit Aegypti primogenita, tum hominum, tum pecorum, Exod.12.d

missis in medio tui Aegypte ostentis, & prodigijs in Pharaonem, omnesq́ Pharaonicos.

Qui multas occidit gentes, regesq́ potentes interfecit:

Sehonem Amorræorum, & Ogum Basanæ regem, omniaq́ regna Chananæa: Nu.21.e.g

C & eorum terram possidendam, possidendam suis dedit Israelitis. Iosu.12.c

Ioua tuum nomen æternum: Ioua tui memoria perennis est.

Patrocinatur enim suo populo Ioua, sui cultoribus reconciliatus.

Gentium signa argentum aurumq́ sunt, humanarum opus manuum.

Os habent, neq́ loquuntur: oculos habent, neque uident: Sap.15.d

D aures habent, nec audiunt: nec est in eorum ore spiritus.

Tales sunt eorum autores, quicunq́ eis confidunt.

Vos domus Israelis commendate Iouam: uos domus Aharonis commendate Iouam:

Vos domus Leuis commendate Iouam: uos Iouæ reuerentes commendate Iouam.

Commendetur Sionius Ioua, habitator Hierosolymæ, Haleluia.

CXXXVI.

G. Haleluia. H.

Celebrate Iouam quia bonus, quia æterna benignitate est.

Celebrate deorum Deum, quia æterna benignitate est.

Celebrate dominorum Dominum, quia æterna benignitate est.

Qui solus magna facit miracula, quia æterna benignitate est.

Qui cœlos prudenter fecit, quia æterna benignitate est. Gen.1.a

Qui terram super aquas extendit, quia æterna benignitate est.

Qui ingentia fecit luminaria: quia æterna benignitate est. Gen.1.d

Solem ad moderationem diei, quia æterna benignitate est. B

Lunam & stellas ad moderationem noctis, quia æterna benignitate est.

Qui Aegyptum clade affecit primogenitorum, quia æterna benignitate est. Exo.12.d

Et ex eorum medio eduxit Israelitas, quia æterna benignitate est.

Forti manu porrectoq́ brachio, quia æterna benignitate est.

Qui mare rubrum in partes diffidit, quia æterna benignitate est. Ex.14.d

Et per eius medium traiecit Israelitas, quia æterna benignitate est. C

Impulitq́ Pharaonem & eius copias in mare rubrum, quia æterna benignitate est. Exod.14.g

Qui suos per deserta loca duxit, quia æterna benignitate est.

Qui magnos reges occidit, quia æterna benignitate est.

Qui nobiles reges interemit, quia æterna benignitate est. Num.21.e

Sehonem Amorræorum regem, quia æterna benignitate est.

Et Ogum Basanæ regem, quia æterna benignitate est. Num.21.g

Eorumq́ terram dedit possidendam, quia æterna benignitate est, Iosu.12.c

Possidendam suis Israelitis, quia æterna benignitate est. D

Qui in humilitate nostra memor fuit nostri, quia æterna benignitate est.

nosq́ nostris eripuit aduersarijs, quia æterna benignitate est.

Qui uictũ suppeditat omnibus animalibus, quia æterna benignitate est.

Celebrate cœlestem Deum, quia æterna benignitate est.

CXXXVII.

G. Dauidicum per Ieremiam. H.

Ad Babyloniæ fluuios sedebamus, idq́ plorantes, cum recordaremur Sionem,

suspensis in ea regione citharis nostris ad salices.

Illic enim nostræ captiuitatis & eiulationis autores carmina nos lætitiamq́ poscebant:

Canite

Canite nobis carmen aliquod Sionium.

Quo pacto canamus Iouanum carmen in aliena terra?

Quando te sumus obliti Hierosolyma, oblita est nostra dextera.

Adhæret lingua nostra palato, nisi tui simus compotes, nisi Hierosolymam ad nostræ lætitiæ caput adhibeamus.

Reminiscere Ioua Idumæorum, qui die Hierosolymæ dicebant, Euertite, euertite funditus eam.

O' puella Babylon deuastãda, felix qui tibi tua in nos merita rependet,

Esa.13.c Felix qui correptos tuos infantes saxis allidet.

CXXXVIII.

Dauidis G. cantio Aggæi & Zachariæ. H.

TE tota mente celebrabo, te apud diuos cantabo.

Ad tuum sacrum fanum uenerabor, tuumque celebrabo nomen, ob tuam benignitatem atque fidem, qui promissa tua facias maiora quàm est tuum tantum nomen.

Qui me inuocantem exaudias, meam animam fortiter euehens.

Te Ioua celebrabunt terrarum reges omnes, cum audiuerint oris tui promissa:

canentque Iouæ mores, cuius Iouæ tanta sit gloria.

Qui Ioua sublimis cum sit, humilia respiciat, excelsitatem procul perspicuam reddens.

Si in medijs uerser periculis, tu me seruabis, & hostium meorum iræ manũ tuam obijciens, ista me dextera defendes.

Tu Ioua meam rem perages: Ioua æterna benignitate præditus manuum tuarum facta non omittes.

CXXXIX.

Præcinenda cantio Dauidis. G. Zachariæ, cum essent dispersi. H.

IOua tu me exploratum cognitumque habes.

Tu me sedentẽ surgentemque nosti, meam longè rationem perspiciens.

Me gradientẽ cubantemque cingis: omnesque meas rationes peruestigatas habes:

adeò ut ne prolatam quidem mea lingua sententiam tu Ioua pernoscas.

Tu me & à tergo & à fronte formasti, mihique manum istam admouisti.

Cuius rei cognitio adeò difficilis est & ardua, ut eam ego consequi non possim.

Quònam declinem tuum spiritum? aut quò tuam fugiam præsentiam?

Siue cœlum scandam, ibi tu es: siue in orco cubem, tu ades.

Amos 9.a Sumam auroræ alas, habitem in ultimo mari:

etiam illic tua me manus tenebit, tuaque dextera comprehendet.

Quòd si me certè tenebris occultandum cogitem, ipsa mihi nox lumen est.

Ipsæ etiam tenebræ tibi non contenebrant: ipsaque nox splendet ut dies, nullo tenebrarum lucisque discrimine.

Tu meos enim [a] renes possides, qui me in meæ matris utero composueris.

a. affectus

Ago tibi gratias, quòd tam abstrusa ratio mirificè in me adhibita est: mirifica sunt tua facta, id quod ego animo præclarè recognosco.

Non te latuere mei artus, cum in abdito fierem, ingeniosè contextus [b] in ima terra.

b. in utero ignoratus, ut ea quæ sub terra sunt.

[c] Mei rudimenta uidisti tuis oculis, eaque spacio conformanda temporis, omnia, ne uno quidem excepto, erant in tuo descripta codice.

c. me in utero inchoatum.

Vah quãti apud me sunt tuæ rationes Deus? quarum tanta summa est,

ut cum eis numerandis inuigilo, sint arena numerosiores, & [d] adhuc tecum hæream.

d. ad tuam naturã contemplandã attentus, eã nõdum pernoscere queam.

O' si euertas impios, Deus: facessite à me homines sanguinarij,

qui de te nefariè loquuntur, aduersarij tui nequitia elati.

Nempe tuos osores odi Ioua, tibi contrarijs infensus.

Et quidem odio capitali odi, eos hostium numero habens.

Explora me Deus, meam mentem noscitãs: proba me meos sensus noscitans.

Et uide an sim in praua uiuendi uia, meque in uiam ducito [e] durabilem.

e. rectam Nam recta & proba durant, cum praua pereant, ut est in 1. Psal.

CXL.

Præcinenda cantio Dauidis.

DEfende me Ioua à malis hominibus, ab inhumanis hominibus me tuere.

Qui animis malè cogitantes, quotidie bella moliuntur.

Acuunt suos dentes ut serpens, uirus aspidis habentes sub labijs. Sela.

Sup.13.b Rom.3.b

Tutare me Ioua ab impiorum manibus: ab inhumanis hominibus tuere me, qui mea labefactare uestigia cogitant.

Abscondunt mihi laqueos atque funes superbi, tendunt secundum semitam retia: mihi ponunt offendicula. Sela.

Equidem Iouam meum appello Deum: ausculta Ioua meæ uocem supplicationis.

Ioua Domine, meæ firmamentum salutis, qui meum caput protegis, quandocunque sumenda arma sunt.

Noli impios, Ioua, uoti reddere compotes, ne si eis conata secundes, insolescant. Sela.

Eorum caput, qui me circumueniũt, obruat facinus, quod ipsorum labra moliuntur.

Opprimantur carbonibus, in ignem deturbati, in specus unde non emergant.

Homo linguax ne consistat in terris: inhumanus homo malo agatur in ruinam.

Scio Iouam inopum pauperumque litem & causam acturum esse.

Certè iusti tuum celebrabunt nomen, habitabunt in tuo conspectu probi.

CXLI.

Cantio Dauidis.

IOua te inuoco, festina ad me, ausculta uocem qua te inuoco.

Habeantur apud te meæ preces pro suffitu,

& manuum extensio pro ferto uespertino.

Impone Ioua custodiā ori meo, serua meorum labiorum ostium.

Ne inclina meum animum ad rem malam, ut sim impijs ingenij moribus cum maleficis: neue eorum uescar delicijs.

Verberent me iusti, beneficij loco ducam: castigent me, id mihi pro præstantissimo erit unguento: neq; solum mihi caput non lædent, uerumetiam in eorum incommodis precabor,

ut eorum condemnatores per saxosa præcipitentur loca, ut audiant quàm sit oratio mea suauis.

Vt sulcari proscindiq; terra solet, membra nostra ad orci fauces disperguntur.

Atqui in te Ioua Domine, coniectos oculos, in te fiduciam habeo: noli uitam meam profundere.

Tutare me ab iniuria laquei, quem in me tendunt, & à maleficorum tendiculis.

Decidant simul in suos casses impij, dum interim ego transeo.

CXLII.

1.Reg.24. *Institutio Dauidis precantis, cum in spelunca precaretur.*

VOce mea Iouam inuoco, uoce mea Iouæ supplico.

Apud hunc orationem meam fundo, apud hunc angorem meum indico,

animo meo sese in in me cruciante. Et tu quidem uiam meam nosti: in semita qua sum iturus, abditur mihi laqueus.

Ad dexteram intuens, uideo nullum esse qui me agnoscat: perijt mihi perfugium, non est qui meam uitam curet.

Ad te clamo Ioua, te meam fiduciam, te meā appello sortem in terra uiuentium.

Attende meam querimoniam, qui tantopere sum attenuatus: defende me à meis infestis, qui sunt me potentiores.

Educ ex claustro hanc animam, ad tuum celebrandum nomen: stipabunt me iusti, cum tu sic de me fueris meritus.

CXLIII.

2.Reg.17. *Cantio Dauidis, G. cum eum persequeretur Absolomus eius filius. H.*

IOua audi meas preces: ausculta meæ supplicationi, pro tua fide: exaudi me pro tua iustitia.

a. Ne mecū iure agito. [a] Neue in ius mecum, qui tuus sum, uenito: nam coram te nemo mortalium absoluetur.

Hostis enim hanc animam persequens, meā uitam pessundat humi: me ad tenebras redigit, in qualibus sunt perpetuò mortui.

Itaq; æstuat mihi animus: mihi mens penitus attonita est.

Recolo prisca tempora: recogito tua tot opera, tuarum manuum facta contemplans.

Ad te manus pando, animo te suspiciens ut terra siticulosa. Sela.

Propera exaudire me Ioua, animo deficientem: ne mihi tuum uultum abde, ut fiam quales qui descendunt in barathrum,

Nuncia mihi maturè tuam benignitatem, qui tibi confido, ostende mihi qua uia gradiar, qui ad te animum attollo.

Libera me à meis hostibus Ioua, ad quem perfugio.

Doce me tuam exequi uoluntatem, tu qui meus es Deus: deducat me tuus bonus spiritus per planum solum.

Propter nomen tuum Ioua, conserua mihi uitam: pro tua iustitia eripe ex periculo hanc animam.

Et pro tua benignitate euerte meos hostes, & omnes uitæ meæ aduersarios perde, quoniā tuus ego sum.

CXLIIII.

Dauidis.

GRatias ago Iouæ meo numini, qui meas manus ad certamen, meos digitos ad pugnam docet:

in me beneficus, mea arx, meum propugnaculum, meus defensor, meus clypeus, cui confidam: qui meum populum mihi subijcit.

Ioua quid est homo, ut eius habeas rationē? quid est homine natus, ut eum cures?

Homo perinde ac nihil est, cuius ætas uelut umbra prætereat.

Ioua inclina cœlos tuos, & descende: tange montes, & fumabunt.

Stringe fulmen, quo eos dissipes: mitte tuas sagittas, quibus eos disturbes.

Porrige manus tuas ex alto: eripe & libera me ex tantis aquis, ex manu generis alienorū: qui & os falsiloquum, & dexteram habent fallacem.

Deus te nouo carmine canam, te decachordo cantabo nablo,

qui des regibus salutem, qui Dauidem tuū à noxio asferas gladio.

Eripe & libera me ex manu generis alienorum, qui & os falsiloquum, & dexteram habēt fallacem.

Nam nostri quidem filij sunt crescentibus similes plantis, in pueritia: nostræ filiæ quasi angulares quędam columnę, templi similitudine incisæ.

Penaria nostra altè referta sunt, ab alia annona in aliam: balantes nostræ millecuplis, decies millecuplis per uicos nostros fœtibus augentur.

Boues habemus oneris ferentes: nulla strages, nullus abactus, nulla est in uicis nostris eiulatio.

Beatus populus cum quo sic agitur: beatus populus cuius Ioua Deus est.

CXLV.

Dauidis laudatio.

EXtollam te, mi Deus rex, tuumq; nomen in perpetua commendabo secula.

Te quotidie commendabo, tuumq; nomen in perpetua laudabo secula.

Adeò magnus, adeò laudabilis est Ioua, eius ut sit inexplicabilis magnitudo,

Seculum

Seculum seculo succedens tua facta prædicat, tuasque uirtutes indicat.

Tuæ gloriosæ maiestatis decorem, tuaque mira facta meditabor.

Tuorumque arduorum potentia facinorum dicetur, narrante me tuam magnitudinem.

Tuæ singularis bonitatis prædicabitur memoria, tuaque decantabitur iustitia.

Exorabilis & misericors est Ioua, ad iram tardus, clementiaque magnus.

Bonus est omnibus Ioua, & in omnia sua opera præditus lenitate.

Celebrant te Ioua omnia tua opera: tui te pij collaudant.

tui regni gloriam dicentes, tuamque uirtutem eloquentes:

ad declarandas hominum generi tuas uirtutes, tuique gloriosi maiestatem regni.

Regnum tuum, regnum est omnium seculorum: imperium tuum in omnem durat ætatum seriem.

Ioua omnes & cadentes sustinet, & lapsos (alleuat.

Omnium oculi sunt in te coniecti, eisque tu suo tempore pastum largiris,

apertaque manu omnia uiuētia optatis satias.

Iustus est Ioua in suis omnibus institutis, benignus in suis omnibus factis.

Præsens adest Ioua omnibus se inuocantibus, omnibus qui eum fidenter inuocant.

Voluntatem facit eorum qui eum reuerentur, eosque quiritantes exaudiens conseruat.

Tuetur Ioua omnes sui amantes, omnesque perdit impios.

Iouæ laudes eloquetur os meum, celebrabuntque omnia mortalia eius sanctum nomen in omnem perpetuitatem.

CXLVI.

Haleluia. G. Aggei & Zachariæ. H.

LAuda anime mi Iouam.

Laudabo Iouam donec uiuam: Deum meum cantabo, donec ero.

Nolite primatibus, nolite homine nato confidere,[a] cui salus non est:

a. ne sequidem, nedū alios, seruare potest.

qui cum spiritum efflat, & in suam reuertitur humum, tum pereunt eius conatus.

Felix qui præsidium habet in Deo Iacobeorum, in Iouam Deum suum intuens.

Qui cœli terræque, maris & omniū quæ sunt in eis, conditor, fidem seruat in perpetuum.

Qui Ioua ius reddit affectis iniuria: uictum dat famelicis: uinctos soluit.

Apoc. 14. b *Act. 14. c*

Ioua cæcos illustrat, Ioua collapsos attollit: Ioua iustos amat.

Ioua peregrinos tuetur: pupillos & uiduas subleuat, & impiorum institutum euertit.

Regnet in sempiternum Ioua Deus tuus, ô Sion, in perpetua secula. Haleluia.

CXLVII.

G. Haleluia. H.

COllaudate Iouam: conuenit enim Deum cantare nostrum: nam iucunda est laudationis elegantia.

Extruit Hierosolymam Ioua, extorres congregaturus Israelitas.

Is est qui sanat mente fractos, eorumque medetur doloribus.

Computat numerum stellarum, omnes appellans nominatim.

Magnus est Dominus noster, multarumque uirium, & immensæ prudentiæ.

Subleuat humiles Ioua: impios sternit humi.

Iterate Iouæ prædicationem, cantate Deum nostrum cithara.

Qui cœlum nubibus obducit: qui parat telluri pluuiam: qui facit ut germinent mōtes gramina.

Suum bestijs pabulum dat, coruorum pullis clamantibus.

Cui non equi robur acceptum est, non uiri crura placent.

Placent Iouæ, qui eum reuerentur, eius benignitatem suspicientes.

¶Commenda Hierosolyma Iouam: lauda Deum tuum Sion.

Qui tuarum claustra portarum confirmat, tuos in te natos felicitans.

Qui tuis pacem finibus conciliat, te tritici polline saturans.

Qui simulac terræ mādatum dat, confestim[a] currunt eius dicta.

a. fiunt eius iussa.

Qui dat niuem tanquam lanam: pruinā spargit ut cinerem.

Iacit suam [b] glaciem frustulatim, cuius frigus est intolerabile.

Itemque ea dato liquefacit mandato, eoque suū reuocante flatum [c] fluit aqua.

b. grandinem, quæ est aqua glaciata. c. liquescunt.

Is sua dicta Iacobeis, sua placita & sentētias Israelitis indicauit.

Id quod non fecit ulli cæterarum gentium, nec illæ iura norunt. Haleluia.

CXLVIII.

Haleluia. G. Aggei & Zachariæ. H.

LAudate Iouam cœlestia, laudate supremis in locis.

Hunc omnes eius genij, hūc uniuersus eius exercitus laudate.

Hunc sol & luna, hunc omnia laudate siderum lumina.

Hunc cœlorum cœli, hunc aquæ laudate [a] cœlestes.

Dan. 3. c a. pluuiæ.

Hæc Iouæ nomen collaudent, quo iubente creata sunt:

Quæque ipse statuit in perpetuum, præscripta lege non uiolanda.

Laudate Iouam terrestria, cete & omnes undæ.

Ignis & grando, nix & uapor, uentus procellosus eius mandatum exequens.

Montes & colles omnes, arbores fructiferæ, cedrique omnes.

Feræ & pecudes omnes, reptilia & alatæ uolucres.

Reges terrarum & nationes omnes, principes & terrarum gubernatores omnes.

Adolescentes simul & uirgines, senes pariter & iuuenes.

collaudent Iouæ nomen: cuius unius cum adeò augustum nomen sit, ut eius maiestas terra cœloque pateat,

euehit tamen sui populi cornu, ad omnium piorum laudem suorum, uidelicet Israelitarum hominum ei proximorum. Haleluia.

CXLIX.

Haleluia.

CAnite Iouæ laudes nouo carmine, in cœtu piorum.

Lætentur Israelitæ in creatore suo, exultent Sionij in suo rege:

eius nomen choris laudantes, eum tympanis citharisque cantantes.

Fauet enim Ioua suo populo, suos ornaturus humiles salute.

Exultabunt pij gloriose, in suis ouantes cubilibus:

Dei prædicationem in gutture, & gladium in manu habentes ancipitem:

ad sumendum de gentibus supplicium, ad capiendas de populis pœnas:

ad eorum reges catenis, ad nobiles uinculis constringendos ferreis.

Ad exercendum præscriptum in eos iudicium, quod sit omnibus eius pijs ornamento. Haleluia.

CL.

Haleluia.

LAudate Deum in eius fano: laudate in eius potestatis æthere.

Hunc ex eius uirtutibus, hunc secundum eius excellentem laudate magnitudinem.

Hunc tubæ clangore, hunc nablis & citharis laudate.

Hunc tympanis & choris, hunc laudate fidibus & modulis.

Hunc uocalibus cymbalis, hunc tinnientibus laudate cymbalis.

Omnia Iouā laudent animantia. Haleluia.

Hactenus ex Hebræo. Quod sequitur carmen, apud Græcos extat, extra centum quinquaginta carminum numerum, & Dauidi ascribitur, cum singulari certamine cum Golia pugnasset.

CVm fratrum meorum infimus, & paternæ familiæ natu minimus, pascerem mei patris oues,

feci meis manibus instrumentum, meisque digitis psalterium concinnaui.

Quod quis meo Domino renunciauit? ipse ipse Dominus exaudit.

Ipse me suo misso [a] nuncio, à mei patris ouibus abduxit, suoque unctorio inunxit oleo.

a. scilicet Samuele.

Cumque mei fratres pulchri magnique forent, non tamen probauit eos Dominus.

Ego ad congrediendum cum Palæstino illo processi: qui cum me per suos deastros execraretur,

ego ipsius ense stricto, ei caput abscidi, & Israelitarum ignominiam aboleui.

SOLOMONIS PROVERBIA.

CAPUT I.



OLOMONIS Dauidis filij Israelitarum regis sententiæ, ad sapientiā disciplinámque discendam, ad intelligēda scite dicta, ad adipiscēdam ingenij disciplinam, iustitiam, æquitatem, ac probitatem, ad conciliandam incautis cautionem, iuuenibus doctrinam ac solertiam. Audiendo sapiens eruditione crescit, & peritus industriam comparat, ad sententias ac orationem, ad dicta & obscuras quæstiones sapientum intelligendas. Iouæ metus caput est scientiæ: sapientiam disciplinamque stulti contemnunt. (Psal.111.B Eccl.1.B) Audi mi fili disciplinā patris tui, ne'ue matris tuæ doctrinā desere: nam ea tuo capiti gratiam, colloque torquem præstabūt. Fili mi, si te allicient improbi, ne obsequere. si dicent: Comitare nos: insidiabimur sanguini: occulti obseruabimus insontes sine causa: eos uiuos integrosque deuorabimus, sicut Orcus humatos: omne genus preciosas opes nacti, replebimus nostras domos spolijs: tu sortem tuā conferes nobiscum: unam crumenā omnes habebimus: fili mi, ne habeto cum eis iter: cōtine pedem tuum ab eorū tramite, quorū pedes ad malum currāt, & ad sanguinē fundendū properent. (Esa.59.B) [a] Frustra autem tenditur rete ante oculos cuiusquā alati. [b] Illi quidē suo ipsorum sanguini insidiantur, suam ipsorū uitam insidentes. Eiusmodi est omnis auari mos, ut ei, in quo est, uitam adimat. C Vociferatur in foro sapientia, uicatim uocem edens apud frequētiores turbas: clamat in portarum ingressibus per urbem, sic uerba faciens: Quousque imperiti amabitis imperitiā? et scurræ scurrilitatis erunt cupidi? & stulti scientiā oderint? Cōuertite uos ad castigationē meam, quæ uos afflabo spiritu meo, uobis mea dicta demōstrans. Quandoquidē clamantem me respuitis, nec quisquā me manum intendente attētus est, (Esa.65.B Iere.7.C) & omne meum consiliū rescinditis, castigationemque repudiatis, ego uicissim in uestro exitio ridebo, illudēs cum uenerit pauor uester. Cum uenerit & aderit quasi quædā uastitas ac tempestas pauor exitiūque uestrum, cum uos inuaserit angustia atque necessitas, tunc inuocātes me non exaudiā, nec mihi inuigilantes me inuenient, D quoniā exosi scientiā, Iouæ metū nō elegerint, et meum renuentes consiliū, omnem castigationem meam fuerint aspernati. Itaque suarū actionum fructu uescentur, [c] suisque saturabunt consilijs. Nam imperitos sua occidet peruersitas, stultosque sua perdet felicitas. At qui me audiet, is tutus aget, quietus à pauore mali.

a. ut auis uisum rete uolatu, sic tu malorum insidias praemonitus facile potes effugere.
b. Mali cōsilium consultori pessimum.
c. dignas suis conatibus pœnas dabunt.

CAPVT II.

MI fili, si mea dicta præceptaꝙ admittes, ac apud te condes, præbens aurem sapientiæ, applica animum ad prudentiam. Nam si intelligentiam uocabis, si prudentiam uoce tua interpellabis, si eam ut argentum atꝙ pecuniam quæres ac uestigabis, ita Iouæ metū percipies, Deiꝙ cognitionē inuenies. Etenim Ioua dat sapientiā: ex eius ore scientia est atꝙ prudētia, isꝙ probis profectū reseruat, protegens ge- B rentes se sincerè, mores æquos piorūꝙ suorum institutū tuens atꝙ conseruans. Ita iustitiā, ius, æquitatē, omnes bonas artes tenebis. Si tibi sapientia in mente insederit, animoꝙ tuo placuerit scientia, te solertia & prudentia custodiet ac tuebitur, te cōtra malos mores defendens, contra peruerse loquētes homines, qui omissis certis semitis, per tenebrosas gradiuntur uias: qui C malefacere gaudent: exultantes in peruersitate mala: qui prauis perditisꝙ sunt moribus & institutis. Te ab aliena ac non tua muliere defendet, quę uerbis utitur blandis, quæ [a] iuuentutis suę ducē deserit, [b] fœderis Dei sui oblita, cuius domus atꝙ mores ad mortem & ad manes sint procliues, ita ut eorum qui ei congrediunt nullus redeat, aut [c] uitæ uias assequatur. Vt bonorum gradiare uia, iustorūꝙ semitas custodias. Nam probi integriꝙ terram incolent, in ea superstites. At impij perfidiosiꝙ ex terra funditus exterminabuntur.

[a. primum maritum. b. fidei coniugalis. c. mortem euadat. Iob. 18. d]

CAPVT III.

FIlli mi disciplinam meam ne obliuiscere, meaꝙ præcepta mente retine: nam tibi longum æuū uitæꝙ annos & pacem conciliabūt. Noli benignitate & fide destitui: eas & collo tuo illiga, & tabulæ mētis inscribe, & gratiam ingeniiꝙ bonum inuenies tum apud Deum, tum apud homines. Confide Iouæ toto corde, néue tuæ prudentiæ innitere: eum in omnibus tuis actionibus agnosce, & is tua diriget instituta. Ne tibi uideare sapiens metue Iouam, malumꝙ declina: erit hoc tibi pro umbilici medicina, proꝙ membrorum aspersione. Honora Iouam tuis B facultatibus totiusꝙ prouentus primitijs, & implebūtur horrea tua copia, mustoꝙ tua torcularia circumfluent. Iouæ disciplinam aut castigationē fili mi ne respue, néue fastidi: nam quem amat Ioua, & quo sicut pater filio delectatur, eum castigat. O felicem hominem qui sapientiam prudentiamꝙ inuenit ac obtinuit: nam melior est eius negociatio ac prouentus quàm argentū aut obrizum. Ea est gemmis preciosior, nec quicquā possis expetere quod sit cum ea comparandum. Ei ad dexterā est æui lōgitudo, ad sinistrā diuitiæ & gloria. Eius uię semitæꝙ omnes amœnæ sunt atꝙ pacatæ. Ea [a] uitalis arbor est ipsam tenētibus: quiꝙ eam prehenderūt, beati sunt. Sapientia Ioua terram fun- C dauit, prudentia cœlum condidit. Eiusdē scientia [b] finduntur profunda, & rore fluit æthra. Mi fili ne recedant ab oculis tuis, tene rationem ac industriam, & hæc erunt animæ tuæ uita; colloꝙ gratia. Ita tutus iter facies, neꝙ pes tuus impinget. si cubabis, nō pauebis, cubansꝙ suauiter dormies. Non tu repentinum terrorem, non ueniens ab impijs damnum formidabis. Nam Ioua tibi ad latus aderit, tuūꝙ pedem custodiet D ne capiatur. [c] Ne alteri suum bonum denega, cum tibi sit in manu facere: ne altero dicito ut abeat, deinde redeat, te ei cras daturum esse, cum sit penes te: G. nescis enim quid crastina pariet. H. Ne machinare alteri malū, cum is apud te securus agat. Ne contende cum quoquā sine causa, qui de te malè meritus non sit. Ne æmulare hominem inhumanum, aut ullam eius uiam eligito: nam ab improbis abhorret Ioua, et cum probis arcana sua communicat. Infelicitat Ioua domos impiorum, & iustorum sedes fortunat. Derisoribus se derisorem prębet, & facit humilibus gratiam. Gloriam sapientes obtinebunt: at stulti auferent infamiam.

[Deut. 8. a & 30. a. Rom. 12. Tob. 4. b. Luc. 14. c. Heb. 12. b. Apoc. 3. d. a. salutaris. b. terra fruges per meatus suos parit. c. Et benefaciendū & citò benefaciendum est. Psal. 36. a]

CAPVT IIII.

AVdite filij disciplinam patris, et este ad discendam prudentiam intenti. Nam bonam eruditionem uobis trado, nolite doctrinā meam relinquere. Nam cum me pater meus filium haberet delicatum, matri meę charissimū, erudiebat me huiusmodi uerbis: Concipe mente dicta mea, conserua mea præcepta, & uiues. Compara sapientiam, compara prudentiam, noli orationem meam obliuisci, aut ab ea deflectere. Ne eam relinque, & te conseruabit: ama eam, & te tuebitur. Principio sapiendi compara sapientiam, & summa ope compara pruden- B tiam. Eam extolle, et ipsa te euehet: te decorabit, si eam fueris amplexatus. Addet tuo capiti additamentum gratiæ: te decoris corona muniet. Audi mi fili, & admitte mea dicta, & tibi uitæ prorogabuntur anni, G. ut multas habeas uiuendi uias. Nam H. per sapientiæ uiam dirigo te, per rectos ducens tramites: cum incedes, non prementur tua uestigia: & si curres, non impinges. Ita teneto disciplinam, ne remittas: retine C eam, nam ea est uita tua. Per impiorum semitā ne ito, néue te in malorum uia iactato. Eam euitato: per eam ne transito: declina eam ac præteri. Etenim nō dormiunt, nisi mali fecerint: insomnesꝙ sunt, nisi damnū dederint. [a] uescūtur enim pane impietatis, & iniustitiæ uinum bibunt. At iustorum uia lucis modo splendet, magis magisꝙ lucentis usꝙ ad conditum diē. Impiorū uia quasi caligo est, qui quò impingāt nesciūt. Fili mi attēde uerbis meis, prębe meis dictis aurē. Ne recedant ab oculis tuis, ea peni- D tus in mente tua custodi. Nā hæc salutaria sunt ijs à quibus inuenta sunt, & toti eorum corpori salubria. Omni cura tuere mentem tuam, nam ex ea uitæ est origo. Aufer à te [b] prauitatem oris, labrorum'que peruersitatem procul à te remoue. Oculos habeto æquum intuentes, & lumina rectè prorsum directa. Libra pedum tuorum callem, omnes'que uiæ tuæ certæ sint. Nec ad dexteram deflecte, nec ad læuum, abstine pedes tuos à [c] maleficio. G. L. Dexteras enim

[a. uiuūt impiè. b. prauā orationem. c. Gr. mala uia.]

uias nouit Deus, sinistræ uerò sunt peruersæ. Ipse uerò diriget tuas semitas, tuosque gressus feliciter promouebit. H.

CAPVT V.

Filli mi, attende sapientiæ meæ, accommoda aurem meæ prudentiæ, ut industriam custodias, & tuis labijs tueare scientiam. Nam fauo fluunt,[a] alienæ labra, eiusque fauces oleo sunt molliores: sed eius exitus tam est amarus quàm absynthiũ, tamque acutus quàm gladius anceps. Eius pedes ad mortem descendũt, eius uestigia tendunt in Orcum. Vitæ uiam non librat, errantibus nescio quò eius itineribus. Quare nati audite me, & ab oris mei dictis ne recedite. Procul ab ea iter facito, néue ad eius ædium fores accedito, ne honorem tuum alijs, ne tuos annos addicas crudelibus, ne tuis facultatibus satientur alieni, sint'que tui labores in peregrina domo, & tu postremò tuo corpore uictuque consumpto gemas, atque ita dicas: Cur odi disciplinam, & castigationem animo fastidiui? nec magistrorum meorũ dictis obtemperaui? nec præceptoribus aurem præbui? Propemodum sum in omnibus malis, in medio uulgo atque cœtu.[b] Bibe ex tuis cisternis aquã & latices, & ex medio tuo puteo scateant aquæ riuis fontes tui foris uicatim, quos tu solus habeas, nõ etiam alieni tecum. Sit tuus fons felix, & fruere tuæ iuuẽtutis uxore, amabili cerua, lepidaque dama, cuius te omni tempore irrigent ubera, cuius amore potiare semper. Cur autẽ potiare, mi fili, alienæ? cur in gremio non tuæ hæreas? cum ob oculos positas habeat Ioua uias hominis, & eius gressus libret omnes. Ipse suis criminibus capitur impius, suorumque peccatorum restibus implicatur, moriturus sine correctione, & suam tantam luiturus insaniam.

a. mulieris non tuæ.

B

C

b. cõtentus esto uxore tua, ex qua liberos nõ spurios procrees.

D

Iob 34. c

CAPVT VI.

Filli mi, si alteri fideiusseris, & alij manũ præbueris, irretitus es oris tui uerbis, captus es oris tui uerbis. Hoc agedum, effice mi fili ut libereris, qui ueneris in alterius manum. I, insta, urge alterũ, ne concede tuis oculis & palpebris somnum & soporem: elabere ueluti caprea de manu, aut ut auis è manu aucupis. Adi formicam, piger, aspice eius mores ut sapias: quæ cũ rectorem, præfectum, aut dominũ non habeat, condit æstate uictum suum, congerit in messe alimentum. G. Aut apem adi, & disce quàm operosa sit, quam'que augustum opus exerceat. Cuius laboribus & reges & priuati uescuntur salubriter, ea'que omnibus est & amabilis & illustris: & quãuis uiribus infirma sit, sic tamẽ sapientiæ studio promouit. H. Quousque piger cubabis? quãdo ex isto somno surges?[a] Paulisper dormiendo, paulisper dormitãdo, paulisper manus ad quietem complicando, ueniet tibi more uiatoris aut hominis scutati indigentia ac egestas. G. L. Sin autem impiger fueris, ueniet[b] ut fons messis tua, egestas autẽ procul aufugiet ut cursor. H. Homo improbus, uir nequã, ore peruerso graditur, oculis annuit, loquitur pedibus,

a. si paululum dormies, & itẽ paululũ, & item paululum, multũ dormies,

B

qua pigritia fiet ut tibi de improuiso egestas obrepat.

.copiosa.

docet digitis suis, peruersitate mentis machinatur malum, ferens omni tempore dissidia. Itaque de improuiso ueniet eius exitium, repentina & irremediabili clade. Sex ac septẽ sunt, quæ'perosus Ioua animo abominatur: elatos oculos, linguam mendacẽ, & manus insontem fundentes sanguinem, mentem improbos conatus machinantem, pedes ueloces ad currendum ad maleficium, falsiloquũ testem, uanũ & serentẽ inter fratres dissidia. Retine, mi fili, patris tui præceptum, néue omitte matris tuæ disciplinam. Ea semper alligata pectori & collo annexa habeto. Hæc te ambulantem ducant, hęc cubantẽ custodiant: in hac meditatione experrectus uersare (nam præceptio & disciplina lucerna est atque lux, et uitæ uia est disciplinæ castigatio) ut à mala fœmina, à blanda alienæ lingua caueas, néue eius pulchritudinem animo concupiscas, aut eius capiare palpebris. Nam meretrix & libidinosa mulier,[c] cum ualeat ipsa unum panẽ, preciosam uenatur animam. Scilicet fouebit quisquam ignem in gremio suo, ut nõ eius crementur uestimẽta? aut ingredietur per carbones, nec eius pedes adurentur? Sic est qui cum alterius uxore congreditur, ut nõ impunè ferat quisquis eam attigerit.[d] Non tractatur contumeliose fur, qui furatus est ut appetitioni satisfaceret, cum esuriret. Deprehensus quidem reddit[e] septuplum, soluit[f] uel omnes suæ domus opes. Qui cum muliere adulterat, mente captus est, perdit ipse se qui id facit, plagas & ignominiam inuenit, eius probro nunquam delendo. Nam obtrectatione furens uir nihil parcit in ulciscendo, nullius habet redemptionis rationem: & quamuis multa dones, renuit.

C

c. cum sit ipsa uilissima.

D

d. periculosius est adulterare quàm furari. Nam fur tantũ pecunia, at adulter honore mulctatur, & uapulat.

e. septuplũ ponit pro grauissima pœna.

Gen. 4.

f. scilicet si tantum est furatus ut quadruplũ soluens impendat omnia.

CAPVT VII.

Filli mi audi mea dicta, meaque pærcepta apud te conde. Custodi mea præcepta ut uiuas, meamque disciplinam tanquam oculorum tuorum pupillam. Ea & digitis alligata, & in tabula cordis inscripta habeto. Appella sapientiam sororem tuam, & prudentiam uoca cognatam, cauendo alienam & non tuam mulierem, blandiloquam. Cum per fenestrã ædium mearum, per transennã prospicerẽ, uidi inter imperitos, animaduerti inter iuuenes excordẽ adolescentem, transeuntem per angiportum apud angulum, & uersus[a] illius ædes gradientem sub uespertinum diei crepusculum, in noctis obscuritate atque caligine. Et ecce ei obuiam mulierem habitu meretricio, & mente astutam. Garrula erat, profligata, cuius pedes domi non habitarent: nunc in foro, nunc in uicis & passim in angulis insidiari. Hæc illum prehensum suauiata impudenti uultu sic alloquitur: Rem diuinam pro salute feci, hodie solui uota mea, ideoque tibi obuiam egressa sum, tuum uultũ uidere maturans: itaque te inueni. Stragulis straui lectũ meũ picturatis textis Aegyptiacis. Suffiui cubile meũ myrra, aloe & cinnamomo. Ades, circumfundamur amplexibus usque in crastinũ, indulgeamus amoribus. Nam uir abest domo, longũ iter

B

a. impudicæ.

C

iter ingressus, ferens secum fiscum pecuniæ, reuersurus domum ad solennem diem. Hac ora-
D tionis suę copia, uerborumq; blandimentis, illum pellexit ac impulit ut se cōfestim sequeretur, ut bos ad cædem uadit, aut ut compede coercetur insanus, donec transfigat ei sagitta iecur, quemadmodum properat auis ad laqueum, nesciens hîc agi suam uitā. Quamobrem nati audite me, & oris mei uerbis attendite. Noli mentem ad illius uias inclinare, aut in eius errare semitis. Nā multos sauciatos deiecit, & ingens est tam multorum ab ea cęsorum copia. Eius domus uia est ad inferos, in lethi penetralia deferens.

CAPUT VIII.

Clamat uidelicet sapientia, & prudētia uocem emittit: in tumulorū uertice, ad uiam inter semitas, astans apud portas, in urbis faucibus, in hostiorū aditu uociferat. Ad uos homines clamo, humanū genus appello. Discite imperiti calliditatem, & stulti discite cordati esse. Audite: nam nobilia loquor, & de uirtute uerba facio. Nam uera faucibus sono, impietatem labijs abhorrens. Inest in omnibus uerbis oris mei iustitia citra prauitatem aut peruersitatem, suntq; omnia intelligentibus & scientiam asse-
B cutis certa atq; recta. Accipite disciplinā meam ac scientiam, potius quàm argentum aut aurum lectissimum. Nam melior est sapiētia gemmis: cum hac quæcunq; expetuntur non sunt conferenda. Ego sapientia callidè dego, & solertię cognitionem inueni. Iouæ metus est odisse malū: superbiam, arrogantiā, malos mores, & os peruersum odi. Meum est consilium & ratio: ego prudentia sum: mea est fortitudo. Per me reges regnant, & gubernatores iusta sciscunt. Per me principes imperāt, illustresq; sunt omnes orbis præsides. Ego amatores meos amo: me'que qui diligenter quærunt, inueniunt. Me penes sunt diuitię & gloria, firmę opes & iustitia. Melior
C est meus fructus auro atq; obrizo, meusq; prouentus argento lectissimo. Per iustitiæ uiā, per medios iuris tramites duco, ut rem meis amatoribus donē possidendam, eorumq; cellas refer-
Sapien. 9. b ciā. Me Ioua principio sui instituti habuit, iam olim ante sua opera. Ab omni æternitate cōstituta fui principio ante ortū terræ. Cum profunda non essent, ego genita eram, cum aqua grauidi fontes non essent. Priusquam defixi montes essent, ante colles ego genita fui. Cum nondum terram & fora & [a] humi mundanæ caput fecisset, cum cœlum conderet, ego aderā: cum [b] globum supra profunda circinaret, cum æthera
D supernè firmaret, cum profundi fontes stabiliret, cum mari legem diceret, ita ut aquę eius pręscriptum non transirent, cum iaceret fundamenta terræ, ei ego fidelis aderam, quotidiana uoluptate fruens, ludens coram eo iugiter, ludens in orbe eius terræ: & mihi uoluptati est esse cum hominum genere. Quare nati audite me, cuius instituta qui conseruant, beati sunt, audite disciplinā & sapite, néue negligētes este. Beatus homo qui me audit, excubans ad meas fores quotidie, obseruādo ostiorum postes meorū. Nam qui me inuenit, uitā inuenit, & obtinet à Ioua fauorē. At qui in me peccat, is uitæ suæ facit iniuriam: quicunq; me oderunt, mortem amant.

a. terram, quæ est in quoddam quasi caput & globum formata. b. cœlum.

CAPUT IX.

Sapientia domū suam extruxit, excisis [a] septem eius columnis: uictimā suam immolauit, uinum libauit, instruxitq; mensam, & dimissis pedisequis suis clamat ex urbis arce summa: Qui imperitus est, huc diuertat: amētes adeste (inquit eis) uescimini meo pane, meæq; li- **B**
bationis uinum bibite. Desinite incauti esse, & uiuetis, G. ęternumq; regnabitis, & quęrite prudentiā ut uiuatis, H. & per prudentiæ uiam ambulate. Qui scurrā arguit, despectionem: qui castigat impium, maculam sibi cōflat. Ne castiga scurram, ne te oderit: castiga sapientē, & amabit te. Da sapienti, & sapiet magis: doce iustum, & **C**
doctrinam acquiret. Sapientiæ principium est Iouæ metus, & scientia sanctorū est prudentia. Nam per me tua ætas prorogabitur, tibiq; uitę ad dent anni. Si sapies, sapies tibi: sin scurraberis, ipse solus lues. G. Filius eruditus sapiens erit, & uesano utetur famulo. Qui mēdacijs nititur, uentos pascit, atq; idem uolantes sectatur aues. Reliquit enim suæ uineæ uias, & à prædijs sui orbitis aberrat, ac per aridam solitudinem siticulosamq; terrā graditur, & manibus congerit sterilitatem. H. Mulier uesana, garrula, pellax, omniū ignara, sedet pro foribus suæ domus in sella in edito urbis loco, uocās iter habētes qui rectà uiam eūt (qui incautus est, deflectat huc) & amentem sic alloquēs: Furtiua aqua dulcior est, & clandestinus panis suauior. Ille uerò nescit ibi manes esse, & eius inuitatos in imo Orco. G. Verùm resili, néue cūctatus fueris in eius loco, néue ad eam oculum adieceris. Sic enim transibis in alienam aquam, & alienū fluuium traijcies. Ab aqua uerò aliena abstineto, néue ex alieno fonte biberis, ut longo uiuas tempore, multorumq; annorum uitam consequare. H.

a. quid sint hæ colūnæ ego nescio.

Sap. 1. a *Psal. 110. d* *Eccles. 1. b*

CAPUT X.

Solomonis sententiæ.

Filius sapiens patrem exhilarat: stultus filius matris suæ mœror est.

Nihil prosunt improbè parta: at iustitia à morte defendit.

Non sinit famere Ioua uirum bonum: at impiorum noxas repellit.

Egestatem parit remissa manus, strenua manus ditat.

Aestate congerit filius industrius: in messe stertit filius pudendus.

Felicitas capiti iusti: at [a] impiorum os tegit inhumanitatem.

Iusti memoria fausta est: at impiorū nomen (fœtet.

Cui cor sapit, is admittit præcepta: [b] cui uerò labra desipiunt, uapulabit. **B**

Qui bona fide graditur, tutò graditur: qui uerò peruersè se gerit, deprehendetur.

Qui nictat oculo, negocium facesset, & stultus labijs uapulabit. *Eccles. 27. c*

a. impij maledici sūt, ideoq; infortunati. b. qui temerè loquū.

Vitæ fons est os iusti: impiorum os tegit inhumanitatem.

1.Pet.4.b
1.Cor.13.b
c.cōdonat.

Odium cōtentiones excitat: charitas omnia peccata c tegit.

In labijs prudentis inuenitur sapientia: at dementis tergo uirga.

d.stultus temere indicat quod scit, itaque sibi malum accersit.

Sapientes celant quod sciunt: d stulti ori imminet contusio.

C

e.eis fidit ceu urbi munitæ.

Diuitis opes e sunt eius urbs potentiæ: tenuium uerberatio est ipsorum egestas.

Iusti opus ad uitam, impij fœtus ad peccatum tendit.

Ad uitam tendit qui disciplinā custodit: sed qui reprehensionem relinquit, errat.

Tegunt odium labra mendacia, & qui profert infamiam, is insanus est.

In uerborum multitudine non abest peccatum: & qui labia sua cohibet, sapit.

Lectum argentum est lingua iusti: cor impiorum parui est.

Iusti labra multos pascunt: stulti uecordia moriuntur.

Iouæ fauor ipse locupletat, nec ullam secum ffe rt molestiam.

D

f.prudēter agit, nec temere scelus facit.

Insano pro ludo est scelus facere: f homini prudenti res est seria.

Quod horret impius, id ei accidet: & quod sperant iusti, dabitur.

Prætereuntis ritu procellæ perit impius: at iustus æternùm fixus est.

Quod acetum dentibus, quod oculis fumus est, id est piger ijs à quibus mittitur.

Iouæ metus ætatem conciliat: at impiorum anni decurtantur.

Iustorum expectatio gaudium est: at impiorum spes perit.

Et integris firmamento, & maleficis detrimento est Iouæ institutio.

Iustus nunquam commouebitur: at impij terram non incolent.

Iusti os sapientiam propagat: at peruersa lingua excindetur.

g.dicit fauore digna

Iusti g labia fauorem, os impiorum peruersitatem scit.

CAPVT XI.

Fraudulentam trutinam abominatur Ioua: eidem placet pondus perfectum.

Vbi adest superbia, adest & despectio: at modestiæ comes est sapientia.

Probos sua ducit integritas: perfidos sua perdit malitia.

Eccles.5.d

Nihil prosunt opes tempore supplicij: at iustitia defendit à morte.

Integri iustitia eius uiam dirigit: at impietate sua cadit impius.

Sua probos iustitia defendit: perfidi improbitate capiuntur.

Sapien.5.c

Moriente homine impio perit spes, interitúque iniustorum expectatio.

Iustus ex periculo liberatur, ei'que succedit impius.

B

Ore simulator perdit alios: at iusti scite liberant.

Iustorum bono exultat ciuitas, & impiorum interitu triumphat.

Proborū benedictis euehitur ciuitas, & impiorum ore euertitur.

Alios spernit amens: prudens uerò tacet.

Qui se garrulum præbet, detegit arcanū: sed qui fidelis est animi, rem tegit.

Industriæ defectu cadit populus: at in cōsultorum multitudine salus est.

Malo mulctatur qui pro altero fideiubet: qui uerò a fideiussores odit, tutus est.

a.à fideiubendo abstinet.

Mulier uenusta gloriam, feroces diuitias cōparant.

b.beneficētia est illi ipsi utilis qui benefacit.

b Bene de seipso meretur homo benignus: inclemens autem semetipsum perturbat.

C

Impius facit opus fallax: sed serentis iustitiā certa merces est.

Vt iustitia ad uitam, sic mali sectator ad mortem suam tendit.

Abominatur Ioua mēte peruersos, eidemque placent bene morati.

c.conspirātes inter se se improbi. Infrà 16.

c Manus manum comitans nō immunis erit mali: sed iustorum semen euadet.

Monile aureum in rostro suis, est mulier formosa, eademque socors.

Iustorum cupiditas est duntaxat bonum: impijs expectandum est supplicium.

Est qui largitur, & tamē fit copiosior: est qui præter æquum parcit, & tamen fit indigentior.

D

d.beneficia confert.

Qui munificus est, reddetur unctior: & qui d irrigat, ipse quoque irrigabitur.

e.annonā.

Qui e far retinet, eum uulgo execrantur: qui uendit, huius capiti fausta exoptant.

Qui bono inuigilat, quærit fauorem: qui malo studet, id ei continget.

Qui suis diuitijs confidit, cadet: at iusti frondium more uernabunt.

f.decoctor
g.sua stultitia redigetur in seruitutem, decocto patrimonio.

f Qui fortunas suas cōturbat, possidebit uentum, g seruietque stultus cordato.

Iusti fructus est uitalis arbor, animosque capit sapiens.

1.Pet.4.d

Etiam iustus in terris punitur, nedū impius & improbus.

CAPVT XII.

Qui correctionem amat, scientiam amat: qui uerò reprehensionem odit, stolidus est.

Bonus à Ioua fauorem impetrabit: sed flagitiosus homo ab eo damnabitur.

Non erit fixus homo in impietate: at iustorum stirps erit immota.

Strenua mulier, mariti sui ornamentum est: at pudenda, est quasi quoddam pus in eius membris.

Iustorum cogitata æqua, impiorum cōmenta fraudulenta sunt.

Impiorū uerba insidiantur sanguini: at proborum os eum defendit.

Euersi peribunt impij: at iustorum domus stabit.

B

Ob suam industriam laudatur homo: sed uecors est despectui.

Præstat

Ecclef.10.d Præstat ignobilis qui seruū habet, quàm nobilis qui uictu caret.

Habet rationem iustus uel iumenti sui: impiorum affectiones sunt inclementes.

Eccles.10.d Qui suam colit humū, saturabitur uictu: sed qui ignauos imitatur, excors est.

a Cupit impius b quod uenantur mali: iustorum radix pullulabit. (a. ita se gerit ut cupere uideat. b. exitium.)

C Labiorum peccato irretitur malus: iustus ex angustijs emergit.

Ex oris sui fructu bonis satiabitur homo, & suarum cuique actionum meritum rependetur.

Stulto sui mores probi uidentur: sed sapiens audit consilium.

Stulti iracundia cognoscitur interim: sed cautus indignitatem tegit.

Qui uerum eloquitur, iustitiam indicat: at falsus testis fraudem.

Est qui effutit, quasi gladij cuspides: at sapientum lingua medicamentosa est.

Labium uerax perpetuò fixum est: lingua mendax, momentanea.

Fraus est in corde machinantium malum: & salubriter consulentibus gaudium.

Iustos nullum lędit incōmodum: impij malo pleni sunt.

Abominatur Ioua labra mendacia, eidemq́ placent qui uerum faciunt.

Cautus homo c tegit quod scit: d insanorum mens stultitiam prædicat. (c. arcana celat. d. stulti effutiunt omnia.)

Strenua manus imperat: ignaua fit tributaria.

In hominis mente solicitudo mentē affligit: oratio læta exhilarat.

Excellit alios iustus: impios suum seducit institutum.

e Non torrebit ignauia ferinam suam: hominis strenui preciosæ sunt opes. (e. nihil capit ignauus.)

In semita iustitiæ est uita: uia de uia ducit ad mortem.

CAPVT XIII.

Filius sapiens patris reprehensionem audit: derisor obiurgationem non audit.

Ex sui quisque oris fructu uescetur bono: at perfidi homines a inhumanitate. (a. scilicet uescentur, hoc est dabunt inhumanitatis suę pœnas.)

Qui os suum tuetur, seipsum seruat: qui labijs est futilibus, huic accidet infortunium.

Appetit & caret pigrorum appetitus: strenui homines saginantur.

Verbū mendax odit iustus: impius putidum se turpemq́ præbet.

Iustitia bene moratos tuetur: impietas peruertit improbos.

B Sunt qui se diuites simulent, cum nihil habeant: sunt qui pauperes, cum sint opulenti.

Hominem suæ redimunt diuitiæ: pauper b non audit obiurgationem. (b. non obiurgatē, sed punitur.)

Iustorum lux exhilarat: impiorū lucerna extinguitur.

Superbia nihil nisi iurgia dat: consulti sunt præditi sapientia.

Opes nequitiæ minuentur: manu congesta augebuntur.

Prorogata expectatio mentem cruciat: c uitalis arbor est cum adsunt optata. (c. res suauis.)

Qui mandatum contemnit, detrimentum capiet: qui præceptum ueretur, præmio afficietur. C

Sapientis disciplina est uitæ fons ad mortis declinandos laqueos.

Bonum ingenium gratiam conciliat: perfidorum mores d sunt truces. (d. sua truculentia inuisi sunt.)

Cautus omnis scitè agit: insanus stultitiam prodit.

Improbus nuncius incidet in malum: fidelis legatus est salutaris.

Reprehensionem declinantis comes est paupertas & despicatio: castigationis custos honorabitur.

e Adeptū esse quod optaueris recreat animū, insani maleficiorum declinationem abhorrēt. (e. boni bene faciendi cupidi sūt, mali cōtrà.) D

Qui cum sapientib. uersatur, fit sapiens: insanorum familiaris malo afficietur.

Nocentes insequitur malum: insontibus reddetur bonum.

Bonus nepotes relinquet hęredes, suntq́ innocenti repositæ nocentis copiæ.

Abundant uictu noualia pauperū: sed f sunt quæ iniquè percipiantur. (f. pauperū fructus interdū à diuitibus intercipiunt.)

Qui uirgæ suæ parcit, filium suum odit: qui uerò eum amat, correctionem maturat.

Iustus ad appetitus sui satietatem comedit: impiorum uenter indiget.

CAPVT XIIII.

Sapiēs mulier domum suam instruit: stulta suis manibus euertit. Iob.12.4

Qui probè se gerit, Iouā metuit: qui ab eius institutis recedit, eum contemnit.

a In ore stulti baculus est superbiæ: sapientes suis seruantur labijs. (a. stultus superbiloquētia efficit, ut uapulet.)

Absque bubus præsepe b mundum est, & in boum uiribus sita est prouentus copia. (b. uacuum.)

Fidus testis nō mentitur: profert falsus testis mendacia.

Quærens scurra sapientiam, non adipiscitur: prudenti scientia facilis est.

c Hominis insani præsentiam euita, si quidē scitam orationem ignoras. (c. apud insanos prudenter loquendum.)

Cautorum sapientiæ est suas actiones, insanorum stultitiæ fraudes perpendere.

Stulti crimina loquūtur: inter probos est beneuolentia.

d Sua cuiusq́ mens animi tristitiā nouit, nec eius lætitiæ consors est alius. (d. animi dolorē aut lætitiā nouit sola mens cuiusq;.) B

Impiorum domus euertetur: proborū tabernaculum uernabit.

Nonnulla instituta hominibus recta uidentur, quorum exitus tendit ad mortem.

Etiam in risu dolet mens, gaudijq́ exitus est angor.

e Suis moribus & uecors satiabitur et uir bonus. (e. pro suis cuiq; meritis præmia reddentur.)

Imperitus quibuslibet uerbis credit: cautus f gressus suos perpendit. (f. quo pacto se gerat.)

Sapiens maleficium timet & declinat: insanus pergit audacter.

Iracundus temerè agit, & uersutus homo est odiosus. C

Habens

Habent incauti stultitiam: cauti scientia ornantur.

g. mali pauperes, boni diuites erunt.

g Summittentur mali bonis, & impij ad iustorum fores.

Etiam familiari suo inuisus est pauper: diuitis amici multi sunt.

Contemnit alios improbus: qui miseratur inopes, is est beatus.

Nimirum aberrabunt qui malum moliuntur: bonum molientium comes est benignitas atque fides.

h. labore non uerbis parátur opes.

h Omnem laborem comitatur abundantia: labiorum uerba tantum ad egestatem spectant.

Suæ sapientibus diuitiæ sunt ornamēto: stultitia insanorum, stultitia est.

Animas liberat uerax testis: falsiloquus fraudulentus est.

a. Iouā metuentis.

In Iouæ metu tuta est potentia, a eiusque filijs erit perfugium.

D

Iouæ metus fons est uitæ, ad mortis declinandos laqueos.

In hominum multitudine sita est regis maiestas: in populi defectu occasus imperij.

Ad iram tardus est multæ prudentiæ: iracundus stultitiam b euehit.

b. perspicuā reddit, hoc est manifeste stultus est.

Vita corporis est sana mens: membrorū pus est inuidia.

Infrà 17. a

Qui tenui facit iniuriam, dedecorat eius conditorem, eundemque honorat qui miseretur pauperis.

Sua prauitate profligabitur impius: iustus in morte sua spem habet.

In mente prudentis residet sapientia: in insanorum pectoribus c ignoratur.

c. negationé ex Græco adieci.

Gentem extollit liberalitas, populorum'que benignitas d est piaculum.

d. peccata expiat.

Regis oblectamentum est seruus solers: eidemque stomachum facit turpis.

CAPVT XV.

Responsio mollis bilem compescit: oratio molesta iram excitat.

Sapientum lingua quod scit eo bene utitur: insanorum os ebullit stultitiam.

Vbique sunt oculi Iouæ, speculantes malos atque bonos.

Sana lingua uitalis arbor est: at in qua improbitas inest, ea est animi calamitas.

Stultus patris sui admonitionem respuit: qui castigationem seruat, is cautus est.

Domi iusti multæ sunt facultates: in impij redditibus est conturbatio.

B

Sapientum labra spargunt scientiam: insanorum mens non item.

Eccles. 34. c

Ab impiorū sacrificio abhorret Ioua, idemque proborum precibus oblectatur.

Abhorret ab impij moribus Ioua, et iusticię sectatorem amat.

Malè mulctabitur qui uiam deserit: reprehēsionis osor morietur.

Orcus & interitus Iouæ patent, nedum humani generis mentes.

Non amat eum scurra à quo castigatur: sapientes non adit.

Læta mens uultum exhilarat: in mentis dolore cruciatur animus. Infrà 17. a

Prudentis mens scientiæ studet: insanorum os stultitiam alit.

a Tota inopum ætas mala est: sed læta mens perpetuum est conuiuium.

a. paupertatis molestiam discutit mentis lætitia.

C

Pręstat tenuitas cum Iouæ metu, quàm multæ opes turbulentæ.

Præstant olusculi epulæ ubi adsit charitas, quàm bos altilis cum odio coniunctus.

Biliosus homo concertationes excitat: lentus sedat lites.

Pigri uia, est quasi spinosa sepes: proborum iter est expeditum.

Sapiens filius patrem exhilarat: insanus homo matrem suam despicatur. Infrà 19. a

Sultitia dementibus gaudio est: prudens uir rectè graditur.

Absque consilio irriti sunt conatus, & ijdem in consiliariorum multitudine rati.

Gaudet homo oris sui b responso, & tempestiuè dictum per bonum est.

b. scilicet docto.

Tenet iter uitæ sursum prudens, ut inferum declinet Orcum.

Superborum domum demolietur Ioua, & uiduarum fines stabiliet. D

Abominatur Ioua cogitationes malas, eique iucunda sunt pura uerba.

Conturbat domum suam auarus: sed c qui odit dona, uiuet. Infrà 16. a

c. integer & minime nūmarius.

Iusti mens meditatur quid respondendū sit: impiorum os effutit mala.

Procul abest ab impijs Ioua, iustorumque preces exaudit.

Lumen oculorum mentem exhilarat: bona fama corpus saginat.

Auris quæ salutarem audit castigationem, inter sapientes degit.

Qui admonitionem uitat, uitam suam repudiat: qui castigationem audit, cordatus est.

Iouæ metus est sapientiæ disciplina, & gloriam d pręcedit modestia.

d. parit.

CAPVT XVI.

Hominis a est mentis compositio: sed à Ioua est b linguæ responsio.

a. homines deliberát, sed Ioua decernit. Vide uers. 9. & cap. 19. uers. 2. 1

b. curte decernere.

Suæ hominibus actiones puræ uidentur: sed animos componit Ioua.

Committe Iouæ tuas res, & tua conata perficientur.

Omnia fecit Ioua propter seipsum, etiam impios ad pœnarum diem.

Abominatur Ioua omnes mente superbos: manus manui iuncta non erit impunita.

Clementia & fide uenia culpę impetratur: et Iouæ metu declinatur malum. Suprà 11.

Cum delectatur Ioua cuiuspiam moribus, etiam eius inimicos ei pacat. Suprà 15. d

Prestat cū iustitia tenuitas, quàm multi prouentus absque æquitate.

B

Mens hominis de eius uia deliberat: sed eius gressum componit Ioua.

Oraculum

Oraculum habet in labijs rex, cuius os in iure crimen non committit.

Statera & trutina sunt iuris Iouæ, eisdem opus sunt omnia pondera.

Impiè agere [a] regibus est inuisum: nam iustitia solium aptum est.

a. scilicet ueris & iustis, alioqui nó tam reges quá tyranni dicendi sunt.

Placent regibus iusta labra, & probè loquentes amant.

Regia bilis est mortis nuncius, & eam uir sapiens diluit.

In serenitate uultus regis uita est, eiusque fauor est quasi quædam serotina nubes.

C

Habere sapientiã, longè est prꝯstãtius quàm aurum: & prudentiam habere, excellentius est quàm argentum.

Proborum iter est, declinare malum: qui seipsum curat, is uiam suam tuetur.

Calamitatem superbia, ruinam fastus animi præcedit.

Præstat animum summittere cum modestis, quàm spolia participare cum superbis.

Qui rem callet, inueniet bonũ: & qui Iouæ confidit, felix est.

Cui mens sapit, uocatur prudens: & labiorũ suauitas acquirit eruditionem.

Ingenium suis est uitæ fons: stultorum admonitio stultitia est.

Cor sapiens os suum erudit, labijsque suis peritiam conciliat.

Fauus mellis est amœna oratio, & animo dulcis, & corpori salubris.

Suprà 14.b

Probantur interdum homini mores, quorũ exitus tendit ad mortem.

D

Qui laborat, sibi laborat, quippe quem suum cogit [d] os.

d. cibi necessitas.

Improbus homo malum effodit, & habet in labijs quasi accensum ignem.

Homo peruersus dissidium excitat, & sycophantæ abalienant primates.

Inhumanus homo decipit alterum, & per improbam uiam ducit.

Qui nictat oculis, improba comminiscitur: agitans labra maleficium patrat.

Honestum ornamentum est canities inuenta in uirtutis uia.

Præstantior est lentus quàm fortis: & qui animo suo imperat, quàm qui urbem capit.

In gremium conijcitur sors, sed à Ioua est totum eius iudicium.

CAPVT XVII.

Melior est cũ incolumitate buccella sicca, quàm domus iurgiosis referta uictimis.

Ecclesi.10.d

Seruus cordatus turpi filio familiæ imperabit, & inter fratres hæreditatem participabit.

Aurifex argentum, fornax aurum, corda probat Ioua.

Malus orationem nequam attendit: mendax improbæ linguæ obtemperat.

Suprà 14.d

Qui pauperem deridet, eius creatorem uituperat: qui perniciei gaudet, non feret impunè.

Senum ornamentum sunt nepotes, & parentum decus sunt liberi.

Nec stultum præstabilis, nec primarium falsa decet oratio.

Elegans gemma est donum in oculis suorũ: quócunque se uertit, proficit.

Qui [a] peccatum celat, amorem [b] quærit: & qui rem [c] iterat, primates abalienat.

a. scilicet alterius. b. sibi conciliat. c. enunciat

Centies plus absterret intelligentem obiurgatio, quàm insanum plagæ.

Nihil nisi malum quærit cõtumax, in eumque immittetur [d] immitis nuncius.

d. hoc est mortis, hoc est morte plectetur.

Occurrat homo potius orbæ ursæ, quàm uesano in eius stultitia.

Qui bonum malo pensat, ab eius domo non facesset malum.

Rom. 12.d 1.Pet.3.b 1. Tim. 5.d

E

[e] Laxat aquam princeps seditionis: antequam misceatur lis, deserenda est.

e. cõcitata seditio ruit ut aqua.

Et qui sontem absoluit, & qui insontem damnat, utrumque æquè detestatur Ioua.

[f] Quorsum habet in manu precium insanus ad comparandam sapientiam, cum sit cordis expers?

Esa.5.e

f. non pecunia, sed animi præstantia comparat sapientiam.

G.L. Qui altam facit domum suam, quærit ruinam: & qui disciplinam detrectat, incidet in mala.

H. Semper diligit amicus, & [g] frater in aduersis nascitur.

g. Qui frater, hoc est uerus amicus est, is in periculo cognoscitur.

Demens homo manum porrigit, fideiubens apud alterum.

[h] Qui peccatum amat, rixam amat: qui fores suas extollit, quærit cladem.

h. peccatũ rixã parit.

Qui peruersæ mentis est, non inueniet bonũ: & qui praua lingua est, incidet in malum.

Qui uesanum gignit, sibi angorẽ parit, nec fatui pater gaudebit.

D

Mens hilaris bonam reddit habitudinem: at tristis animus corpus exiccat.

Suprà 15.b

Munus [a] de sinu impius accipit, ut iuris uias deprauet.

a. clàm.

In uultu prudentis est sapientia: insanorum oculi sunt [b] in extremo terraum.

Eccles. 2. c 8.a

b. uagi & instabiles.

Et patri suo molestiæ, & genitrici acerbitati est filius insipiens.

Nec iustos premere, nec principes ferire ob æquitatem conuenit.

c. si te iuste damnauerint.

Qui uerbis parcit, sciens est, & [d] animi frigidi homo prudens est.

Iacob.1.c

d. remissi & non temerarij.

Quamuis stultus, dum silet, sapiens habetur: qui labra sua comprimit, prudens est.

CAPVT XVIII.

Qui cupide dissociari studet, quauis ratione utitur.

Non delectatur insanus prudentia, sed ijsque corde suo uolutat.

Vbi adest impietas, adest & contemptus: & despicationis comes est ignominia.

[a] Profunda aqua sunt hominis uerba: fluuius torrens est sapientiæ fluxio.

a. prudens eloquentia torret inexhausta.

Habere sontis rationem non cõuenit, insontem in iure opprimendo.

Vesani labra ueniunt in certamen, eiusque os colaphos prouocat.

Suum

Suum uesano os detrimento est, ipsiusque labra sunt eius uitæ tendicula.

Calumniatoris uerba sunt [b] quasi seipsum ferientis, eaque in intima uiscera descendunt.

b. ita criminatur, ut inuitus & uero coactus facere uideatur.

Etiam qui in suo negocio segnis est, germanus decoctoris.

Firma turris est Iouæ nomen, in quam perfugiendo iustus protegitur.

Diuitis opes sunt eius firma urbs, & quasi alta mœnia, eius quidem opinione.

Ante calamitatem insolescit mens hominis, & gloriam anteit modestia.

Qui respondet antequam audiat, id ei stultitiæ & pudori est.

Eccles. 11.a

C

[c] Hominis mens eius morbum sustentat, sed animum ægrum quis toleret?

c. mens corporis morbum leuat, sed non contrà.

Mens prudens scientiam comparat: sapientum auris studet scientiæ.

Hominem suum donum explicat, & reddit apud optimates quietum.

[d] Innocens est primus in sua causa, sed uenit alius qui rimetur eam.

d. qui primus suam causam exponit, ius sibi uendicat: sed audiendus est aduersarius.

Controuersias sedat sors, & [e] uehementes dirimit.

e. uehementer dissidentes.

D

[f] Offensus frater munitam urbem superat, & eiusmodi contentiones sunt arcium claustris similes.

f. quo arctior fuit coniunctio, eo uehementius est eadirempta dissidium.

[g] Sui cuiusque oris fructus suus satiabitur uenter: prouentu suorum laborum satiabitur.

g. prout quis bene aut malè loquitur, ita ei bene aut malè erit.

Mors & uita in linguæ potestate sunt, & qui eam amat, eius fructu uescetur.

Qui [h] uxorem inuenit, bonum inuenit, & Iouæ fauorem obtinuit.

h. scilicet bonam.

Suppliciter loquitur pauper: diues durè respondet.

Necessarius necessitudini idoneus est, & [a] hæret interdum magis amicus quàm frater.

a. in amicitia perseuerat.

CAPVT XIX.

PRæstat pauper integrè se gerens improba labra habenti & uesano.

Ne uita quidem sine scientia suauis est: & [a] qui pedibus festinat, offendit.

a. qui temere agit, hoc est qui scientia caret.

Sua hominis stultitia eius institutum euertit, & tamen is mente succenset Iouæ.

Opes multos parant amicos: tenuis ab amico disiungitur.

Testis falsus non impunè feret: qui falsa eloquitur, non euadet.

Dan. 13.g

Multi illustrium personas suspiciunt, suntque omnes liberalibus amici.

Pauperem omnes sui fratres oderūt, nedum familiares ab eo recedunt, [b] uerba persequente quæ nusquam sunt.

b. frustra promissa reposcente.

B

Qui cordatus est, seipsum amat: qui prudentiam seruat, inuenturus est bonum.

Testis falsus non impunè feret: & qui mendacia eloquitur, peribit.

Nec uesanum deliciæ, nec seruum decet imperare principibus.

Intelligens homo lenta est ira, eiusque decus est ignoscere peccato.

Similis leonini fremitus est regis indignatio: fauor autem quasi ros in herbas.

Patris miseria est, uesanus filius: & rixosa uxor, stillicidium perfluens.

Domus & opes sunt hæreditas patria: sed intelligens uxor à Ioua est,

Pigritia soporem inijcit, & ignauus homo famebit. C

Qui præceptionem seruat, uitā suam seruat: qui suas actiones spernit, morietur.

Iouam fœnerat qui miseratur tenuem, eique meritum rependet ille.

Castiga filium tuum dum spes est, & [c] eum necare, animum ne induxeris.

c. ne cōmitte tua indulgētia ut pergat esse nequam, atque ita pereat. Vide cap. 23.

Tardus [d] ad bilem damnum faciet: nam si sieueris [e] euadere, [f] iterandum tibi erit.

d. ad puniendum filium

D

e. impunitum.

f. iterū peccabit, & tibi puniendus erit.

Audi consilium, & admonitionem admitte, ut ad extremum sapias.

Multæ sunt in hominis mente cogitationes: sed Iouæ consilium ratum est.

[g] Homini capienda est pietas, præstatque pauper homini mendaci.

g. præstat pauperē religiosū esse, quàm diuitem mendacem.

Inf. 21.b

Iouæ metus salutaris est, [h] saturque deget inexpertus malo.

h. scilicet Iouæ metuens.

Abdit piger manum suam in sinu, [a] ne ad os quidem suum eam referens.

a. ægrè, ut cap. 17.

Scurram feri, cautus fiet ex incauto: prudentem castiga, scire discet.

Patrem perdit, matrem fugat pudendus probrosusque filius.

Noli mi fili audire disciplinam à scitis dictis auocantem.

Testis nequam ius deridet, & impiorum os crimen absorbet.

Scurris paratæ sunt pœnæ, & ictus insanorum tergo.

b. scelerate mētiri sustinet.

CAPVT XX.

SCurrile uinum, tumultuosum temetum: & quisquis eo decipitur, desipit.

Quasi leonis rugitus est regis terror: eum qui irritat, [a] peccat in seipsum.

a. seipsum uocat in periculum.

Homini honestum est uacare lite, cum qua stultis omnibus res est.

[b] Piger qui propter frigus nō arauerit, quod petet in messe non adipiscetur.

b. qui non arat, nō metet.

Profunda aqua est in hominis mente consilium, quod tamen uir prudens exhaurit.

[c] Multi homines uiri pij uocantur, sed fidelem uirum quis inueniet?

c. nomine multi sunt pij, sed reuera pauci.

Qui sincerè se gerit iustus, beatos habet successores liberos.

Rex in iudiciali solio sedens, discutit oculis suis omne maleficium.

Quis se mente purum, quis mundum à peccato dicat?

B

Iohan. 1.a

3. Reg. 8.e

2. Para. 6.g

Eccles. 7.c

Et dispar pondus, et dispar mensura, utrunque iuxtà inuisum est Iouæ.

Ex ingenio suo puer quoque cognoscitur an pura rectaque futura sint eius opera.

[d] Vtrunque & aurem audientem & oculum cernentem Ioua fecit.

d. Ioua & audit & uidet, quippe horū seu suū autor.

Somnum ne ama, ne sis egens: [e] aperi oculos tuos ut satiere uictu.

e. uigila.

Etiam

f. merce m.

Etiam atq; etiam [f] uituperat emptor, sed digressus tum demum gloriatur.

C

Sit aurum licet & gemmarũ multitudo, preciosa quidem supellex sunt perita labra.

g. sponsor appellandus.

[g] Cape uestem eius qui pro altero spopõdit, & eum pro alijs pignera.

h. iniquè parta nocent.

[h] Dulcis est homini panis iniquus: sed postea eius os replet calculis.

Cogitata consilio compone, & consideratè gere bellum.

Exod. 21. c
Leuit. 20. b
Mat. 15. a

Enunciat arcanum qui se loquacem præbet: cum pellace noli contrahere.

a. Luce et ui ta priuabitur.

Qui suo patri matri ue imprecatur, [a] huius lumen extinguetur in medijs tenebris.

b. qui celeriter ditescunt, iniquè ditescunt.

[b] Patrimonium principio properatũ, ad extremum erit infortunatum.

D

Ne statue iniuriam rependere: expecta Iouã qui te uindicet.

Supra 17. c
Rom. 12. d
1. Pet. 3. b
1. Thes. 5. d

Iouæ inuisa sunt disparia pondera: fraudulenta trutina, res est non bona.

A Ioua pendent uiri gressus, & quis hominum uiam suam perspiciat?

c. irrita sũt sacrilegorum & sceleratorum uota.

[c] Detrimentosum est homini uorare sacrum, deinde uota quærere.

Profligat impios rex sapiens, & in eos uertit equuleum.

Iouæ perspicuus est hominis spiritus, omnia intima uiscera perscrutanti.

Clementia fidesq; regem tuentur, eiusq; solium nititur clementia.

Iuuenum decus, uires sunt: senum maiestas, canities.

d. mali non nisi plagis emendant.

[d] Plagarum uibices, & in uiscera penetrantes ictus, emendant malos.

CAPVT XXI.

a. uiolenta res est regis animus, & uni Iouę moderabilis.

Aquæ [a] unda animus regis est in manu Iouæ, eum quócunq; libet inclinat.

Sui cuique mores probantur, sed Ioua mentes componit.

Iustum æquumq; facere, Iouæ acceptius est quàm sacrificium.

b. uitæ lethalia. Lego aũt Ner cum Gr. & Lat. non Nir.

Supercilium, animiq; fastus, sunt impiorum [b] luminis piaculum.

Strenuorũ conatus duntaxat ad abundantiã: omnes autem temerarij ad egestatem spectant.

Rem facere lingua mendacij, friuola uanitas est mortem quærentium.

e. metuunt pœnas.

Impios [e] suũ terret periculum, quoniam æquum facere nolunt.

Qui homo negocium inuertit, is inuisus est: puri opus probum est.

B
Infrà 25. d

Pręstat in angulo tecti degere, quàm uxorẽ habere rixosam & domum communem.

Suprà 29. d

Animus impij maleficium cupit, erga alios immisericors.

d. & malorũ pœnis, & bonorũ felicitate doceni rudes.

[d] Dum mulctatur scurra, sapit incautus, & sapientis successu scientiam comparat.

e. dum iniuriã nõ persequit, sit

[e] Moderatus erga genus impium iustus, impios deturbat in malum.

Qui aurem suam uociferationi pauperis obducit, ipse uicissim clamabit, nec exaudietur.

Donum clandestinum, iram: munus insinuatum, impotentem bilem restinguit.

ut illos puniat Deus. Vide ca. 25. & contrà cap. 24.

C

Aequum facere, & iustis iucũdum, & maleficis inamabile est.

Homo qui à uia moderationis deerrat, in Manium cœtu iacebit.

Egens homo uoluptatis amans, uini unguẽtiq; amans, non ditescet.

f. boni euadent, mali punientur.

[f] Iustorum redemptio sunt impij, proborum permutatio sunt perfidi.

Eccles. 25. e
Infrà 25. d

Satius est in deserta terra degere, quàm cum uxore contentiosa ac irritabili.

g. sapiẽs diuitias parit, stultus decoquit.

[g] Elegantes opes & unguenta sunt in habitatione sapientis: ea uesanus homo abligurit.

Qui liberalitatem clementiamq; sequitur, is uitam, liberalitatem, & gloriam inueniet.

h. uires superat sapientia.

[h] Fortium urbem scandit sapiens, tutamque munitionem deijcit.

D

Qui suum os linguamq; custodit, is seipsum contra pericula custodit.

Superbus petulans nomine scurra agit segniter & superbè.

Sua pigrum cupiditas occidit, quoniam nolunt eius manus operari.

Semper cupit cupidus: at iustus largiri non parcit.

Esai. 1. d

Impiorum sacrificia nefaria sunt, præsertim si flagitiosè fiant.

a. qui testatur quæ audiuit aut uidit.
b. non interficietur.

Testis mendax peribit: sed [a] auditor homo [b] semper loquetur.

Frontem perfricuit impius homo: probus suos mores componit.

Non est sapientia, non prudentia, non consilium contra Iouam.

Paratur ad pugnæ diem equus, sed Iouæ est uictoria.

CAPVT XXII.

Eccles. 7. a

Longè præferenda est fama diuitijs, estq; argento atq; auro gratia potior.

Diues & pauper contrarij sunt, & utriusque tamen conditor est Ioua.

Cautus malum uidet, & euitat: incauti pergunt, & læduntur.

Præmium modestiæ metuentis Iouam sunt diuitiæ, gloria atque uita.

Spinæ & laquei sunt in praua uiuendi uia: qui suam uitam curat, ea declinabit.

Instituendus puer est in ea uiuendi ratione, à qua etiam cum senuerit, non recedat.

Diues pauperibus imperat, seruitq; creditori debitor.

a. causa.

Qui serit iniquitatem, metet infortunium, sę uitiæq; suæ [a] uerbere conficietur.

b. homo liberalis & misericors.
B

[b] Bonus oculus fortunabitur, qui uictum suum tenuibus impertiat.

Eccl. 31. c

G. L. Victoriam honoremq; parit, qui dona dat: sed idem animam aufert accipientium.

H. Eijce scurram, & exibit dissidium, cessabitq; lis & infamia.

c. eos qui dicũt quod sciunt, hoc est ueraces.

Qui & mentis puritatem amat, & elegantis est orationis, huic familiaris est rex.

Ioua suis oculis [c] scientiam tuetur, idemq; perfidorum uerba peruertit.

I Dicit

d Dicit piger, Leo foris est, in medijs uicis interficiar.

d. domi se præpigritia tenet, perinde ac si in urbe grassarent leones.

Gurges profundus est os e alienarũ, quo cadunt quibus infensus est Ioua.

Annexa est puerorum pectori stultitia, quam castigatrix ferula ab eo propellit.

C

Qui tenuem fraudat, ut abundet ipse, is f diuiti dat, sed inde carituro.

e. scilicet mulierum. f. sibi.

Præbe aurem, & audi uerba sapientum, & mentem adhibe meæ disciplinæ.

Sunt enim amœna, si ea in pectore custodias, & simul in labris habeas composita:

Quæ quidem tibi quoque hodie, ut in Ioua fiduciam habeas, ostendo.

Nimirum præscribo tibi magnopere considerate atque scite,

Demonstrando tibi certa ueraciaq; dicta, ut ueracia dicta referas ijs qui tibi negocium mandauerint.

D

Tenuem ne diripe, quoniam g sit tenuis, neue inopem opprime in curia.

g. iniuriam repellere nequeat.

Nam Ioua eorum causam aget, eorumq; spoliatores uita spoliabit.

Noli amicitiam cõtrahere cum homine iracundo, aut cum bilioso uersari.

Ne eius mores discas, atq; ita animæ tuæ detrimentum patiaris.

Noli eorum esse qui manũ præbent, qui debitorum sponsores sunt, ne si soluendo non sis, h tibi lectus tuus subtrahatur.

h. te creditor pigneretur.

Ne summoue terminum antiquum quem tui fecere maiores.

Vides uirum in negotio suo celerem, is regibus administrabit, non obscuris hominibus.

CAPVT XXIII.

Cum accumbes conuiuia principi, considera quid tibi sit appositum.

Et a admoue gutturi tuo cultellum, si tibi est appetentia.

a. appetitũ cohibe.

Ne concupisce eius cupedias, qui cibus sit fallax.

Ne labora ditescere: ista b prudentia supersede.

b. diuitias cõparandi.

Scilicet in id oculos conijcies quod non assequeris? quippe quod comparatis aquilinis alis auolat in cœlum.

Ne uescere cibo hominis sordidi, neue eius cupedias concupisce.

Nam (ut sunt eius animi sordes) te ad edendum bibendumq; inuitabit ille quidem, sed animo à te alieno.

B

c Quam comederis bucceam, euomes, tuaq; elegantia uerba perdes.

c. tibi apud sordidum insuaues erũt epulæ, nec proderit sermonis elegantia, quæ solet in conuiuijs adhiberi.

Audiente uesano ne loquere: nam orationis tuæ ingenium contemnet.

Antiquũ limitem ne summoue, neue in pupillorum agrum inuade.

Nam d uindicem habent potentem, qui eorum causam tecum disceptabit.

d. Deum.

Adhibe mentem tuam disciplinæ, & aures uerbis peritis.

Puerum castigatione priuare noli, quem si ferula uerberabis, e non morietur: eum

Supra 13. d

Eccles. 30. a

tu ferula uerberato, & eius animam ab Orco defendes.

e. fiet melior, suppliciumq; uitabit.

Fili mi si tibi mens sapuerit, et mihi quoque mens gaudebit.

f Mei que renes exultabunt, tuis labris rectè loquentibus.

f. lætitia exiliam.

Improbis ne inuideto, sed semper in Iouæ metu agito.

Infra 24. a

Etenim g tandem finis erit, nec tua spes incidetur.

g. expecta præmium, non frustraberis.

Audi tu fili mi ut sapias, tuamq; mentem per uiam dirigas.

Ne sis ex uini potoribus, carnisq; liguritoribus.

C

Nam potatores liguritoresq; fiũt pauperes, induitq; pannos h sopor.

h. pigritia, piger.

Audi patrem tuum qui te genuit, neue matrem quæ senuerit uilipendito.

Veritatem eme, non uende: sapientiam, disciplinam, ac prudentiam.

Lætitia gestit pater iusti, qui que sapientem progenuit, gaudet eo:

h Gaudeat tuus pater atque mater, & exultet tua genitrix.

h. afficere gaudio patrem, &c.

Præbe mihi, fili mi, tuã mentem, oculiq; tui meis delectentur institutis.

Nam profundus gurges est meretrix, angustaq; scrobs mulier aliena.

Ea sanè latronum more insidiatur, & hominum perfidos conficit.

Cui heu? cui hei? cui iurgia? cui sollicitudo? cui uulnera impunè? cui oculorum rubor?

D

Vini sectatoribus, compotationes rimatum euntibus.

G. Nolite uino inebriari, sed cum bonis uiris H. a & se probè gerentibus, G. consuetudinem habete ac uersamini.

a. Hoc in Hebræorũ apte positũ, interposui Græco.

H. Vinum ne aspice quia rubeat, quia in poculo colorem suum ostentet, & specie sua blandiatur.

Eius exitus mordet ut coluber, et uiperę modo pungit.

Et oculi tui absurdè uidebunt, & animus ineptè loquetur.

Erisq; quasi qui in medio mari, aut quasi qui in mali nauis uertice cubet.

b Verberatus non doleo, ictus nõ sentio, experrectus idem iterum requiram.

b. Ebrius sẽsu caret, & pocula subinde repetit.

CAPVT XXIIII.

Malos homines ne æmulare, neue eorum comes esse concupisce.

Suprà 23.

Nam & corde perniciosa comminiscuntur, & labris loquuntur facinorosa.

Sapientia domus construitur, & prudentia componitur.

Et scientia referciuntur penetralia omni genere preciosarũm & amœnarum opum.

Vir sapiens potentia, peritus homo uiribus pollet.

Nam industria bellum geres, & in consultorum multitudine sita uictoria est.

Adeo

Adeò ardua est stulto sapientia, ut in senatu non hiscat.

Qui maleficia excogitat, sceleratus uocandus est.

Stulti conatus peccatum est, & homini abominandus est scurra.

Si defetiscéris in rebus angustis, angustæ uirtutis es.

Psal.81.d

Libera eos qui ad mortem ducuntur, qui ad necem aguntur.

B

Quòd si prætermittes, quippe qui neges istud scire te, certè ipse mentium conditor perspiciet, ipse animi tui formator cognoscet, & homines pro ipsorum operibus remunerabitur.

Comede, mi fili, mel quod bonum est, & fauum tuo palato dulcem.

Sic sapientiæ cognitionē animo tuo si fueris adeptus, erit præmium, nec tua spes incidetur.

Ne insidiare impiè mansioni iusti, ne uasta eius cubile.

Nam [a] licet septies G.L. in die H. cadat iustus, resurgit: cùm impij corruant in malum.

a. ex omnibus periculis emergunt boni.

Inimici tui casu ne gaudeto, ne eius lapsu animo exultato.

Ne id uidens Ioua, improbet, & ab illo iram suam auertat.

C

Noli ob malos indignari, aut impijs inuidere.

Nam non habebit malus posteritatem: impiorum [b] lux extinguetur.

b. genus.

Time Iouam, mi fili, & regē: cum inconstantibus ne habeto commercium.

Nam insperatum uenit ab eis exitium, incognita omnibus [c] utriusq; sæuitia.

c. Iouæ & regis.

G. Pręcepta seruans filius erit extra perniciē, quæ ubi acceperit, nullum regi mendacium dicito, nihilq; falsum lingua sua promito.

Gladius est lingua regis, non carnea: ei quisquis traditur, conteritur.

Nam si ea incanduit, cum neruis homines consumit, hominumq; ossa exest, & quasi flamma comburit, ita ut aquilarū pullis nō sint esui.

Mea dicta filij reueretor, ijsq; admissis mores corrige. H.

Hæc quoque sunt sapientum.

Leuit.19.d Deut.1.c Eccl.42.a

HAbere personarum rationem in iudicio nefas.

Qui nocentem dicit insontem esse, hunc populi detestantur, hunc execrantur homines.

Qui uerò arguunt, iucundi sunt, & faustis afficiuntur ominibus.

[d] Labra deosculabit qui sana uerba respōdet.

d. scilicet aliorum. Hoc est, alij eum deosculabūtur præ amore.

Compone foris rem tuā, & tibi ruri prospice, deinde tuam domum construes.

Ne sis testis iniurius in alterū, aut tuis labijs fallas.

Suprà 10.b

Ne cogita par pari referre, & homini digna eius facto reddere.

Cum hominis ignaui fundum, cum dementis uineam præterirem,

Animaduerti enatas ubique urticas, eiusq; solum ruscis obductum, diruta eius lapidea maceria:

Id quod ego contemplatus, in animum demisi: eo uiso documentum cepi.

Sup. cap. 6.b

Paulisper dormiendo, paulisper dormitādo, paulisper manus ad quietem complicando, ueniet tibi ambulans paupertas, & egestas more hominis scutati.

CAPVT XXV.

Hæ quoq; sunt Solomonis sententiæ, quas Hezechiæ Iudææ regis homines composuerunt.

DEo [a] rem celare gloriosum est: regib. rem scrutari gloriosum est.

a. Deus ut magister rē celat, quo discipulos exerceat. Rex tāquā discipulus rem scrutatur.

Quàm sublime cœlum, quàm profunda terra, tam est regum mens inexplicabilis.

Tolle ex argento scoriā, & exibit fictori uas.

Tolle ex conspectu regis impios, & aptabitur eius solium iustitia.

Ne te apud regem ostenta, néue in optimatum loco steteris.

Nam satius est ut tibi dicatur, Huc ascende: quàm ut te apud principem deijci cernas ipse tuis oculis.

Ne citò ad litigandum procede, ne postremò non habeas quod agas, [b] turpatus ab altero.

b turpiter uictus.

B

Ita de causa tua disceptato cum altero, ut [c] arcanum alij non patefacias:

c. tuum aliquod peccatū, dum consiliū petis ab amico.

Ne te [d] dedecoret qui audiuerit, atq; ita irreuocabili inuraris infamia.

d. tuum arcanum patefaciēdo. Quomodo enim celabit alienū, cum tu tuū non celes?

G.L. Gratia & amicitia defendunt, quas tibi compara, ne fias infamis.

H. Aurea mala in cælaturis argenteis est oratio rotundè pronunciata.

Inauris aurea, aut monile aureum est reprehendens sapiens aurem audientem.

Quale niuis frigus hora messis, talis est fidus nuncius eis à quo missus est: adeò Domini sui animum reficit.

Nubes & uentus est sine pluuia homo qui [e] se iactat de falsa donatione.

e. promittit neq; prestat.

C

Suprà 15.d

Lentitudine [f] pellicitur princeps, linguá que mollis frangit ossa.

f. placatur, eiusq; frangit uel ossea duritas.

Mel nactus comede tibi quod sit satis, ne eo satiatus reuomas.

Rarius infer pedem in tui familiaris ędes, ne te satiatus inuisum habeat.

Malleus, gladius, acuta sagitta est homo qui in alterum dicit falsum testimonium.

Dens uitiatus, & pes luxatus est collocata in perfidioso fiducia in rebus aduersis.

Quod est detrahere uestem dum frigus est, & [g] aceto nitrum perfundere, id est carmina canere mœsto cordi.

g. ut aceto nitrū reddit asperius, sic mœstus animus carmine exacerbatur.

Rom.12.d

Si esurit inimicus tuus, præbe ei cibum: si sitit, præbe potionem.

Nam [h] carbonibus incendes eius caput, & Ioua te remunerabitur.

h. in causa eris ut Ioua illū urat ac puniat. Vide ca.21. & 24.

G. L. Vt tinea pannum & teredo lignum, sic hominis tristitia mentem lædit.

Vt aquilo pluuiam, sic seuerus uultus [a] clandestinam profligat linguam.

a. proditoris & calumniatoris.

D

Sup.21.b

Præstat in angulo tecti habitare, quàm contentiosam

tentiosam habentem uxorem in domo communi.

Quod est aqua gelida homini lasso, id est lætus nuncius ex longinqua terra.

b Turbatus fons & corrupta uena est uir bonus qui deliquit coram improbo.

b. improbus ob unū uiri boni delictū totam eius uitam dānat.

Neque multum comesse mellis expedit, neque suam affectare gloriam est gloriosum.

Vrbs discincta sine muro est homo animi sui incontinens.

Ecclef. 3. a

CAPVT XXVI.

VT æstatem nix & messem pluuia, sic insipientem gloria dedecet.

a Vt mobilitate passer, ut hirundo uolatu ualet, sic iniustæ diræ non eueniunt.

a. quàm facile uolant aues, tā facilè uitanī, quæ quis inique imprecatur.

Equo flagellum, asino camus, stultorum tergo uirga.

Ne responde stulto secundum eius fatuitatem, ne tu quoque sis eius similis.

Responde stulto secundum eius fatuitatem, ne sibi sapiens esse uideatur.

b Truncat pedes imbutus inhumanitate, qui mittit mandata per stultum.

b perinde agit ac si suo nuncio pedes crudeliter trūcaret, dein de eum iubet et ire.

B

Vt claudum crura tollere est absurdum, sic in stultorum ore sententia.

c Quale fundæ lapidem alligare, tale est tribuere stulto honorem.

c. absurdū est.

d Qualis spina uenit in manum temulenti, talis est in ore stultorum sententia.

d. nec spinā ebrius, nec sententiā stultus tractare potest.

e Magister obit omnia: qui uerò stultum conducit, infidum conducit.

Vt canis ad uomitum suum redit, sic stultus uesaniam suam iterat.

2. Pet. 2. d.

Si uideas hominem qui sibi sapiens esse uideatur, maior est de stulto spes, quàm de illo.

e. sapiens per seipsū, nō per stultos, curat negocia.

Dicit piger: Pardus in uia, leo in uicis est.

Vt foris in cardine, sic piger in lecto suo uertitur.

Abdit piger manum suam in sinu, eam ægrè f ad os suum referens.

Suprà 19. d

f. ad cibum capiēdum.

C

Septies sapientior sibi uidetur piger, quàm qui scitè respondent.

Prehēdit auribus prætereuntem canem, qui se in certamen interponit alienum.

Qualis est qui insaniam simulans iaculatur ignes sagittas, necem: talis est qui alterum fraudat, & se equidem ludere dicit.

Vbi desunt ligna, extinguitur ignis: itidem ubi calumniator abest, cessant concertationes.

Prunā carbo, ignem ligna, iurgiosus homo certamen accendit.

Ecclef. 28. b

D

Calumniatoris uerba sunt quasi seipsum ferientis, & in uiscera penitus descendunt.

g Argenti scoria inducta fictili, sunt infesta labra & mala mens.

g. fœda res

Ex labris suis agnoscitur inimicus, & in pectore fraudes reponit.

Quamuis suppliciter uerba faciat, ne crede ei: nam h septem habet in mente scelera.

h. multa.

Cuius odium in solitudine tegitur, euius malitia detegetur in uulgus.

Ecc. 10. 27. d

Qui foueam cauat, in eam cadet: & qui saxum uoluit, id in eum recidet.

Lingua mendax quos premit odit, et os blandum efficit uexationem.

CAPVT XXVII.

NE glorieris in diem crastinū: nescis enim quid paritura sit dies.

Laudet alius te, non tuum os: alter, non tua labia.

Ecclef. 11. b

Grauis lapis, arena ponderosa: sed utroque grauior stulti uesania.

Crudelis bilis, impetuosa ira, sed inuidia est intolerabilis.

Melior est manifesta reprehensio, quàm occultus amor.

Amici plagę fideles, inimici oscula proterua sunt.

Satur fauum fastidit: esurienti quantumuis amarum dulce est.

Iob 6. b

a Qualis auicula quæ ex nido, talis est homo qui ex loco suo migrat.

a. domi manendum.

B

Vt unguentum & suffitus animū exhilarant, sic dulcis est cuiusque amicus ex animo consulens.

Tuum aut tui patris amicū ne desere, b & tui fratris domū ne adito tuo periculoso tempore.

b. ne sint tibi adeundi longinqui fratres, habeto propinquos amicos.

Potior est propinquus uicinus, quam remotus frater.

Sapias mi fili, & mihi mentē exhilara, ut habeam quod cōuicia toribus meis respondeam.

Cautus animaduersum malū euadit: incauti pergentes læduntur.

C

Cape uestem eius qui pro alio spoponderit, eumque alterius causa pignerare.

Suprà 20. a

c Qui alteri clara uoce bene precatur, ubi primo mane surrexit, id ei imprecationis loco ducendum est.

c. hoc affectatoris est.

Stillicidium pluuio tempore perfluens, et uxor rixosa similia sunt.

Eam qui recondit, uentum recondit, aut d clamaturum in dextera sua unguentum.

d. mulieris clamore patefacit, sicut unguētum odore si in manu sit.

e Vt ferrum ferro, sic homines alij alijs coniunguntur.

e. arctissima amicitiæ coniunctio.

Qui ficum custodit, uescitur eius fructu: & qui dominum suum seruat, honoratur.

1. Cor. 2. d

f Vt aqua uultum uultui, sic mens g hominem homini.

f. ut in aqua cernis quale sit tuum corpus, sic in consideranda tua mente intelliges qualis homo sis.

Vt Orcus et interitus, sic hominis oculi sunt insatiabiles.

Argentum h cote, aurum fornace, homo sui laudatoris ore.

G. L. Improbi mens sceleribus, proba mens scientiæ studet.

D

H. Stultum etiam si in pila pistillo pinsas inter graneam, non recedet ab eo eius stupiditas.

Ecclef. 14. b

g. ostendit

h. exploratur.

Agnosce balantum tuarum faciem: applica ad greges animum.

a Non enim semper opes, non durat b corona perpetuis seculis.

a. cætere diuitię cōsumunt æuo, sed pecora & herbæ prole perpetuantur

Existunt gramina, apparent stirpes, montanæque colliguntur herbæ.

Agni uestitum tibi præbebunt, rusticumque precium erunt capri.

1. Tim. 6. b

b. regnum.

Sufficiet

Sufficiet tuæ familiæq; tuæ alimoniæ caprinum lac, & ancillarum tuarum uictui.

CAPVT XXVIII.

FVgiunt impij persequente nullo, cum iusti leonis more tuti sint.

Quemadmodum propter regionis peccatũ [a] frequentes sunt eius principes, ita propter intelligentes & doctos homines, durant.

a. non diu durant.

Vir pauper, & idem tenuium oppressor, pluuia est quæ panificium noxia perimit.

Legis desertores laudant impios, at legis custodes in eosdem indignantur.

Homines mali æquitatem non perpendunt, at Iouæ studiosi omnia perpendunt.

Suprà 19. a

Prę̃stãtior est pauper sincerè se gerens, quàm peruersis moribus diues.

Qui legem tuetur, filius est prudens: qui uerò alit heluones, patri suo pudori est.

B

Qui suas opes fœnore auget & usura, [b] is eas congerit beneficio in pauperes.

b. his potietur aliquis beneficus.

Qui aurem suam ab audienda lege abducit, huius etiam preces sunt nefariæ.

Qui probos in malam uiam auocat, ipse in suam cadet foueam, cum interea integri potientur bonis.

Diues suo iudicio sapiens est: sed pauper prudens eum explorat.

[c] Exultare iustos perhonestum est, sed euectis impijs [d] requiruntur homines.

c. beatos & fortunatos esse.
d. pauci sunt & latent boni. Vide finem capitis.

Qui sua peccata tegit, non sospitabitur: sed qui fatetur & relinquit, huic uenia dabitur.

Beatus homo qui semper [e] pauet: sed qui mẽtem suam obstinat, cadet in malum.

C
e. Deũ metuit.

Fremens leo, aut famelicus ursus, est dominator impius in tenuem plebem.

Expers prudentiæ rector multus est iniurijs, inimicus auaritiæ diu deget ætatem.

Homo uitæ & sanguinis oppressor [f] uel ad barathrum fugiens non retinebitur.

f. nemo eũ à periculo reuocabit: est omnibus inuisus.

Qui se præbet integrum, seruabitur: sed qui peruersis est moribus, semel cadet.

Qui suam colit humum, uictu satiabitur: sed qui ignauos imitatur, egestate satiabitur.

Suprà 12. b
Eclesi. 20. d

Fidelis homo multę est opulentiæ: qui uerò [g] ditescere properat, non feret impunè.

g. quo iurę qua iniuria.

Rationem habere personarum nefas, & ob [h] frustum panis peccat [a] homo.

Infrà 13. b
h re nihili.
D
a. qui rationem habet personarũ.

Festinat ad opes homo sordidus, & ignorat sibi uenturam indigentiam.

Qui hominem reprehendit, maiorẽ tandem gratiam inibit, quàm qui lingua blanditur.

Qui patrem matremue diripit, & peccatum esse negat, is [b] hominis perditi socius est.

b. homo est perditus.

Qui animo insolens est, dissidium excitat: qui uerò Iouæ confidit, saginabitur.

Qui animi fidens est, uesanus est: qui sapienter se gerit, euadet.

Qui pauperi largitur, nõ egebit: qui [c] oculos suos subtrahit, erit planè infortunatus.

c. nõ respiciẽt egẽtes.

Cum euehunt impij, [d] latent homines: cum ijdem perduntur, multi sunt iusti.

d. rari sunt boni.

CAPVT XXIX.

PErtinax & duræ ceruicis homo de improuiso frangetur insanabiliter.

Pollẽtibus iustis gaudet populus: impio imperante congemiscit.

Homo sapientiæ amator patrem suum exhilarabit: qui uerò meretrices alit, perdet opes.

Sup. 5. c

Rex æquitate regionẽ stabilit: sed homo tributis indulgens eam euertit.

Homo qui alteri assentatur, eius gressibus obtendit rete.

Peccatum uiro malo damnosum est: iustus triumphat lætus.

Curat iustus tenuium causam: impius nihil habet pensi.

B

Nugatores homines ciuitatem labefactant: sapientes [a] iram reprimunt.

a. suppliciũ.

Vir sapiens cum homine stulto litigans, stomachando, ridendo, nihil requietis habet.

Integrum uirum oderunt sanguinarij: probi uerò eius uitæ student.

Totum animũ suum promit stultus: sapiens in posterum reprimit.

Dominatoris falsa uerba attendentis ministri omnes sunt impij.

Pauper & creditor contrarij sunt, quorum amborum oculos Ioua perlustrat.

Regis solium, qui tenuibus ex æquo ius reddit, fixum erit in perpetuum.

Virga & castigatio sapientiam conciliat: laxatus puer pudore matrem suam afficit.

Quo plures sunt impij, eo plura sunt scelera: sed iusti uidebunt eorum ruinam.

C

Corrige filium tuum, & te recreabit, tibiq; conciliabit animi uoluptates.

Vbi absunt oracula, profligatur populus: & qui legem seruat, felix est.

Verbis non emendatur seruus, qui tametsi percipiat, non obsequitur.

Vides hominem oratione præcipitem: maior est de stulto spes, quàm de isto.

Delicatè nutritus à pueritia seruus, ad extremum [b] erit filius familias.

b. superbiet quasi sit liber.

Iracundus homo dissidium excitat, & biliosus multum peccat.

D

Hominem sua deprimit superbia, & animi modestia gloriam consequitur.

Iob 22. d

Qui cum fure participat, seipsum odit: periurium audit, nec indicat.

Homines formidare, detrimentosum est: qui uerò Iouæ confidit, protegetur.

[c] Dominantis conspectum requirunt multi: sed à Ioua est hominum iudicium.

c. principibus placere student, sed Deo placere conuenit, à quo non à principibus, iudicabimur.

Et iustis homines nequam, & impijs bene morati sunt inuisi.

CAPVT XXX.

Dicta Aguris Iacæ filij, Oraculum.

AIt [a] uir Ithieli, Ithieli & Vchali: Equidem sum hominum stupidissimus, et humanę prudentiæ expers, neque sapientiam edoctus, aut scientiæ sanctorũ peritus. Quis in cœlum

a. scilicet Agur.

ascendit, & descendit? quis uentum pugnis suis cõprehendit? quis aquas ueste constrinxit? quis constituit omnes fines terræ? quod est eius nomen? aut quod eius filij nomen est: si nosti. Omnis Dei sermo exploratus est, clypeus eo fretis. Noli eius uerbis addere, ne te redarguat, & falsitatis conuincat.

Psal. 18. c
Deut. 4. a
12. d

B Duo à te postulo, quæ mihi denegare noli, antequàm morior.

Vanitatem falsamq; orationem à me remoue, neq; pauperiem mihi neq; diuitias dederis: pasce me meo stato uictu, ne aut satiatus ingratus sim, nec Iouam agnoscam: aut egens furer, Deiq; mei nomen peierem.

Noli seruum apud dominum suũ criminari, ne illo te detestante in crimen incurras.

Sunt qui patres execrantur suos, neq; matribus benedicunt.

Sunt qui sibi uidentur puri, cum non sint à suo stercore abluti.

Sunt qui admodum arrogantes & elato sunt supercilio.

Sunt quorum dentes gladij, quorum genuini sunt enses, ad inopes & pauperes comedendos, & ex terris & hominum genere tollendos.

b Sanguisuga duas habet filias, cedo, cedo.

b. similes sunt hirudini, quæ duo habet ora, q sanguine satiari nequeũt.

Tria quatuórue sunt insatiabilia, quæ nunquam dicunt esse satis. Orcus, contracta uulua, terra aquis insatiabilis, & ignis qui nunquam dicit esse satis.

Oculum qui patrẽ irridet, matrisq; disciplinam spernit, c effodient fluuiales corui, & aquilini pulli comedent.

c. in crucẽ tolletur.

Tria quatuórue sunt supra captum meum, & ignota mihi: aquilæ uestigium in aere: serpentis uestigium in saxo: nauis uestigium in mari: et d uiri uestigium in puella. Talis adulteræ fœminæ mos est: e comedit, & absterso ore suo negat se admisisse flagitium.

d. si rem habuit cum puella.
e. negat se stupratam. ut si quis postquam comedit, os sibi abstergeat, & se comedisse neget.
D
f. diuitem.

Ob tria quatuórue horret terra, nec ea sustinere potest: regnantem seruum, fatuum f cibo saturum, inuisam nuptam, & ancillam heræ suæ hæredem.

Quatuor sunt in terris minima, quæ tamen sapientia prædita sunt. Formicæ, populus imbellis, quę tamen æstate uictum sibi comparãt. Cuniculi, populus imbecillis, qui tamen in rupibus domum suam collocant. Locustæ, quæ rege carentes, omnes tamen gregatim proficiscuntur. Aranea, quæ manibus g carpit, & in regijs degit palatijs.

g. net.

Tria quatuórue sunt quæ magnifico incedunt gressu. Leo bestiarũ fortissimus, qui nullius occursum uitat. Gallus h non elumbis: hircus, & inuictus rex.

h. Heb. Gallus lumborũ, hoc est non castratus. nam capo non incedit magnificè.

Si quid per arrogãtiam stultius aut flagitiosius fecisti, a os manu compesce.

a. nemini dicito.

Qui lac premit, exprimit butyrũ: qui nasum, sanguinem: qui iras, litem.

CAPVT XXXI.

Dicta Lamuelis regis, quo oraculo eum sua mater erudiuit.

QVid mi gnate? quid uteri mei gnate? quid exoptate mihi gnate? noli tuas impendere facultates in mulieres, aut tuum uitæ institutum in a regum perniciem.

a. mulieres quę sunt regibus perniciosæ.

Non est regis, Lamuel, non est regis uinum, non est principis temetũ potare, ne potus obliuiscat̃ instituti, & alicuius inopis hominis causam euertat.

Detur pereunti temetum, & uinum mœrenti animo, ut potus egestatem suã obliuiscatur, suumq; laborem iam non recordetur.

b Aperi os tuum muto in causa omnium qui c pertunduntur.

b. inopum causam age, qui pro se loqui nesciunt.
B
c. iniuria afficiuntur.
d. Hæc usq; ad finẽ scripta sunt Hebraicè ordine literarum.
e. abundat opibus domesticis.

Aperi os tuum, iustè iudica, & inopibus ac pauperibus patrocinare.

d Strenuam mulierem quis inueniat: cuius precium gemmas longè superat.

Ei confidit ex animo maritus, e nec cibariorũ est indigus.

Ipsa de eo bene non malè meret̃ per omnem uitam suam.

Lanam quærit & lina, & manibus libenter operatur.

Similis est mercatoriæ nauis, uictum suum procul aduehens.

Surgitq; de nocte, & familiæ suæ cibum, ancillisq; pensum distribuit.

Cogitat de fundo, eumq; comparat, & suarũ manuum quæstu pangit uineam.

Sua latera fortiter succingit, sua'que brachia confirmat.

Sentit quàm bonum sit suum negocium, inextincta noctu eius lucerna. C

Admouet colo manus, fusumq; manibus tenet.

Manus inopi pauperiq; præbet ac porrigit.

Non metuit suæ familiæ à niue, quippe cum sit omnis eius familia uestita cocco.

Stragulam uestem sibi facit: lineum purpureumq; uestitum habet.

f Conspicuus est in curijs maritus eius, dum sedet in ciuium senatu.

f. textis ab ea uestibus ornatus.
D

Lintea facit ac uendit, & cingula mercatoribus suppeditat.

Præclarè & honestè uestita g futurũ tempus eludit.

Os suum sapienter aperit, pietatis disciplinã habens in lingua.

Familiæ suæ statum cõsiderat, h nec pigritię cibo uescitur.

Assurgunt liberi qui eam beatam ferãt: eius quoque maritus eam laudat.

Multæ fœminæ rem fecerunt: sed tu eas omnes transcendis.

Fallax gratia, uana pulchritudo, mulier Iouæ metuens laudabilis est.

a Huic detur manuum suarũ fructus, eamq; in curijs sua laudent opera.

a. laudetur ut meretur.

ECCLE-

ECCLESIASTES, HOC EST CONCIONATOR.

CAPVT PRIMVM.

Dicta concionatoris, Dauidis filij, Hieroſolymæ regis.



ANA VANItas, inquit Concionator: uana uanitas, omnia ſunt uanitas. Quid egregiũ conſequitur homo omni ſuo labore quo ſub ſole fungit? Abit ætas, & uenit ætas, terra ſemper ſtante. Oritur ſol, & occidit B ſol, eodem'que anhelat ubi ortus eſt: abit ad Auſtrum, reuertitur ad ſeptentriones, circuit undique peragrans uentus, & in orbem reflectit ſe uentus. Omnia flumina eunt in mare, nec tamen plenum eſt mare: ac quem in locum abeũt flumina, eundem iteratò repetunt. Res omnes ſunt difficiliores quàm ut eas poſsit quiſquam eloqui. Nec oculus uiſu ſatiatur, nec auris expletur auditu. Quod fuit, idem futurum eſt: & quod factum eſt, idem fiet, nec eſt quicquam ſub C ſole nouum. Eſt aliquid quod tanquam nouum oſtentatur, quod tamen iam fuit priſcis temporibus, quæ nos anteceſſerunt. Non eſt priorum memoria, ſed neq; poſterorum, qui futuri ſunt, erit memoria apud eos qui porrò futuri ſunt. Ego concionator, qui rex ſum Iſraelitarum Hieroſolymis, cum animũ applicuiſſem ad quærendum ac ſapientia ueſtigandũ quicquid ſub cœlo fit (hanc malam moleſtiã exhibuit Deus humano generi, eius uexandi gratia) conſiderandis rebus quæcunq; ſub ſole fiunt, deprehendi eſſe omnia uana, & animum cruciantia, cum & deprauata ſint inemẽdabilia, & defectus infiniD ti. Cogitaui ego aliquando cum animo meo, me eſſe magnum, & maiorem cõparaſſe ſapientiam quàm ullum eorum qui Hieroſolymis ante me fuerunt, meq; animo multã habere ſapientiæ & ſcientiæ cognitionẽ: ſed cum mentẽ adhiberem ad cognitionẽ tum ſapientiæ tum ſtultitiæ ac ueſaniæ, intellexi id quoq; eſſe animi moleſtiam. Nam in multa ſapientia, multum eſt tædium: & qui ſcientiam acquirit, dolorem acquirit.

CAPVT II.

CVm ſic mecum cogitarem: Agè circumfluam uoluptatibus, fruarq; bonis, deprehendebam id quoq; uanum eſſe: riſum inſaniam appellabam, et uoluptatem inutilem. Apud me decreui corpori meo indulgere uinũ (mente tamen tractante ſapientiam) & ſtultitiã capeſſere, donec uiderẽ ubi tandem ſitum eſſet hominum generi bonũ, eis ſub cœlo tandiu perſequendũ quandiu uitam agerent. Magnifica opera feci, mihi domos extruxi, uineas conſeui, feci hortos & pomaria, & in eis omne genus fructuoſas arbores ſeui. Feci aquæ ſtagna, quibus irrigaretur cõſitum nemus arboribus. Emi ſeruos & ancillas, nec ſolùm familiã habui, ſed etiã maiorem tum maiorum tum minorum pecorũ copiam, quàm quiſpiam eorum qui fuerunt ante B me Hieroſolymæ. Argentum quoq; & aurum congeſsi, regumq; & prouinciarũ opes. Comparaui cantores & cantatrices, & humani generis delicias, prægustatores atq; ſcyphos, adeoq; magnus euaſi, ut plus haberẽ quàm quiſquam eorum qui fuerunt ante me Hieroſolymæ, & tamen ſapientiam meam retinerem. Tum quicquid expetebant oculi mei, nihil eis denegabã, nec animum meum ab ulla uoluptate abſtinebam, quo minus omni meo labore frueretur, atque hoc erat quod omni meo labore conſequebar. Verùm cum intuerer in omnia quæ manibus meis fecerã opera, inq; laborem quo in faciendo functus eram, inueniebã omnia eſſe uanitatem ac animi moleſtiã, nec quicquam eſſe ſub ſole excellens. C Igitur cum me ad conſiderandũ ſapientiã ſtultitiamq; ac ueſaniam cõuertiſſem ([a]nam quis hominũ eſt qui regem ſequatꝰ eum, qui iam factus eſt?) equidem animaduerti tanto eſſe ſapientiã ſtultitia præſtãtiorem, quanto lux tenebris antecellit. Sapiens habet oculos in capite, ſtultus autem in tenebris ambulat. Sed hoc quoq; ſcio ego, eundem caſum omnibus euẽturum. Itaq; ſic mecum ratiocinabar: Cum idẽ mihi quoq; quod ſtulto ſit euenturũ, quorſum me tandẽ tanto plus ſapere? Atq; hoc quoq; uanum eſſe cum animo meo ſtatuebam. Nam ſapientis æquè ac ſtulti nõ eſt æterna memoria, cum præterita pariter ac futura omnia mandentur obliuioni, & ſapiens iuxtà ac ſtultus moriatur. Itaq; uitam odi: adeò mihi diſplicent res quæ ſub ſole fiunt, utpote cum ſint omnes uanæ & animo moleſtæ. Idem ego odi & omnia quæ ſub ſole elaboraui, quæ ſim ſucceſſori meo relicturus. D Quis autẽ ſcit ſapiensne ſit, an ſtultus futurus, qui dominus futurus eſt omniũ quę tanto labore ac ſapientia ſub ſole cõparaui? Quod etiã uanum cum eſſet, eò me conuerti ut animo auerſarer quicquid labore & ſapientia ſub ſole quęſiuerã. Eſt enim nõ nemo cuius labor cum ſapiẽtia ſcientia officioq; coniunctus eſt: qui homini, qui in eo nõ elaborauit, ſuas facultates tradit, id quod etiã uanum & ualde malum eſt. Quid enim iuuat hominẽ labor omnis & animi moleſtia quã ſub ſole tolerat? cum ſit omne eius æuũ laborioſum, indignaq; miſeria, adeò ut ne nocte quidem quieſcat eius mens? id quod etiã uanũ eſt. Nihil eſt in homine bonũ, niſi ut comedat & bibat, & in labore ſuo ſibimetipſi uoluptatẽ præſtet, id quod etiã uideo diuinitùs dari ([b]quis enim plus quàm ego comedat aut liguriat?) quippe qui hominibus, qui ipſi placent, ſapientiam, ſcientiam, uoluptatem'que largiatur: improbis autem miſeriam imponat cogendi ac congerendi, quæ dentur eis qui Deo placent. Hoc quoq; uanitas eſt, animiq; moleſtia.

a. nemo me, poſtea quàm rex creatus ſum, ſapientia æquiparat.

Infrà 8. Prou. 17.

b. nemini plures quàm mihi delicias largitus eſt Deus, quo fit ut iudicare poſſim hoc Dei munus eſſe, quippe qui ſciã Deum autorem eſſe meæ ſapientiæ, qua hæc quæſita ſunt. Vide Sap. 7.

CAPVT III.

SVa cuiq; rei tempestiuitas est, habetq; tempus quicquid sub cœlo libet. Est nascendi tempus, est & moriendi. Est serendi tempus, est & sata euellendi. Est interficiendi tempus, est & sanandi. Est destruendi tempus, est & construendi. Est plorandi tempus, est & ridendi. Est lugendi tempus, est & saltandi. Est disijciendi lapides tempus, est & comportandi. Est amplexandi tempus, est & abstinendi ab amplexu. Est quærendi tempus, est & perdendi.

B Est custodiendi tempus, est & abijciendi. Est consuendi tempus, est & dissuendi. Est tacendi tempus, est & loquendi. Est amandi tempus, est & odiẽdi. Est belli tẽpus, est & pacis. Quid eximiũ consequit̃ qui aliquid agit, in eo quod laborat? Video quam miseriã iniunxerit Deus humano generi, eius torquendi gratia. Omnia pulchrè facit suo tempore, qui etiam in eorum corda ita uitam indiderit, ut a à principio ad finem non inueniant homines b quam rem faciat Deus. Scio nihil in eis esse bonum, nisi ut lætentur, & bene agant in uita sua. Et quidem quod quicunque hominum epulatur, & in omni suo

a. per omnẽ uitam suã.
b. qua ratiõe faciat quæ facit.

C labore fruitur bonis, id Dei muneris est. Scio quicquid facit Deus, id ęternum esse, nec ei addendum, aut de eo detrahendum esse: facit autẽ Deus ut metuatur. Quod fuit, iam est: & quod futurum est, iam fuit, repetitq; Deus quod fugatum est. Pręterea uidens ego sub sole, loco iuris & iustitiæ impietatẽ esse ac iniustitiam, cogito apud me Deum & iustos esse et iniustos iudicaturum: nam aliquando omnium tempus erit & libidinum & operum. Apud me cogito, quod ad homines attinet, eos diuinitus ita destinatos esse, ut bestiæ esse uideantur. Nam eadem est hominis & bestiæ conditio, ut hæc moritur, sic

D & ille: eodemq; spiritu præditus est uterq;, nec est quo bestiæ antecellat homo, cum sit uterque uanus. Vterq; eundem locũ petit: uterq; ex humo ortus, uterq; in humũ reuertitur. Quis scit humani generis spiritus an sursum ascendat? aut bestiæ spiritus an subter terram descendat? Itaq; uideo nihil esse bonum, nisi ut lætetur homo in suis operibus, nã hoc est quod consequit̃. Quis enim eum perducat eò, ut uideat quid sit post se futurum?

CAPVT IIII.

RVrsum uidens ego tot iniurias quæ sub sole fiunt, & eorum qui opprimũtur lachrymas, quos nemo consolatur, qui ui opprimuntur nemine consolante, præfero equidem mortuos qui iam obierunt, uiuentibus qui adhuc uitam agunt, & utrisque præpono eos qui nondũ sunt, qui quidem malas res nõ uideant quæ sub sole fiunt. Video item omnem laborem & actionis officium esse mutuam hominum inter ipsos inuidiam, quod etiam uanitas est & animi molestia. Stultus a manus suas cõplicat, & b suã ipsius carnem comedit. Præstat pugillus cum

a. piger est.
b. famet.

B quiete, quàm plena utraque uola cum labore & animi molestia. Rursum uideo quiddam sub sole uanum, quod est aliquis solus, nullum successorem, ne filium quidem aut fratrem habens, qui tamen nullum laborandi finem facit, c oculo diuitijs insatiabili, & d cui laboro ego meum defraudans genium? id quod etiam uanum est, & misera miseria. Præstant uni duo, quibus est bonum sui laboris præmiũ. Nam si ceciderint,

c. cupiditate, quoniã ea ex aspectu nasci solet.

C alter alterum alleuabit. At cum solo malè agitur, qui si ceciderit, non habet alterum qui se attollat. Adde quòd duo si cubant, concalescunt: at unus quo pacto calescet? & si uincatur unus, resistent duo, nec celeriter abrumpitur funiculus triplex. Præstat puer eruditus & sapiens regi seni atq; stulto, qui iam nescit edoceri. Nam

d. prima persona pro tertia, ut Pro. 23.

D & ex carcere prodit qui regnet, & est qui e in regno suo natus fiat pauper. Vidi mortales omnes, qui sub sole uersantur, comitantes successorem puerum qui patri successurus erat, adeò ut eum infiniti homines & anteirent & sequerent̃, non tamen gauisuri, adeò hoc quoq; uanitas est, animiq; molestia.

e. natus rex.

CAPVT V.

CVstodi a pedes tuos cum diuinam ædem adis, & accede magis ut audias, quàm ut uesanorum uictimas obmoueas, b qui nesciunt quantum mali faciant. Noli temere ac celeriter uerba aut ore proferre, aut mente dictare apud Deum: nam Deus in cœlo est, & tu in terris: quapropter utere paucis uerbis. Nam et in multa sollicitudine somnium, & in multis uerbis stulta uox interuenit. Cum Deo uotũ nuncupaueris, noli committere ut non soluas: nam c stulti accepti non sunt: tu quod uoueris, soluito. Satius est ut nõ uoueas, quàm ut uoueas, neq; reddas. Noli d ore tuo uti in tui ipsius noxiam: néue dixeris apud genium imprudentia factum esse, ne offensus uoce tua Deus, manuũ tuarum opus euertat. Nam in multis uerbis multa sunt e somnia atque uana: ergo Deum time. Si pauperibus iniuriam fieri, & ius æquumq; uiolari uideris in prouincia, ne mirare licentiam: nam f sublimẽ sublimior obseruat, & hos alij porrò sublimiores, omniũq; in terra summus est ipse rex agri colendi. Qui pecuniã amat, is pecunia insatiabilis est: & qui amat opes, fructu caret, quod etiã uanũ est. Vbi multa sunt bona, multi sunt qui ea comedãt, nec aliud inde percipit eorum Dominus, quàm oculorum suorum aspectum. Dulcis est laborantis somnus, siue parũ g siue multũ comederit: at h diuitem satietas dormire nõ sinit. Est miserum uitium quod sub sole uideo, diuitiæ quæ domino suo seruantur ipsius malo, quæ quidem diuitiæ miserrimè pereunt, cum ille nihil habiturum genuerit filium, & quemadmodum egressus est ex matris utero nudus, sic iterum redeat ut uenerat; nec quicquã ex labore suo tollat quod secũ auferat, id quod etiã miserũ uitium est, cum prorsus ut uenerat, sic discedat, nihil utilitatis consecutus, qui laborauerit in uentũ. Adde q; per omnẽ uitam suam cibum capit in tenebris, multo cum tædio morbo atq; stomacho. Itaq; quod bonum ego, quod pulchrum esse uideo, hoc est ut epuletur, & per

a Gere te prudenter. 1. Reg. 15. e
b. impiorũ sacra Deũ irritant. Osee 6. c
Deut. 23. d
c. qui quod uouerunt nõ soluũt, id quod stultitiæ
B est.
d. scilicet uouendo.
e. inepta.
f. cum tot sint præfectorum in prouincia gradus, nõ mirũ est si
C rex prouinciæ, qui est omniũ summus, nõ potest cauere ne cui fiat iniuria.
Iob. 20. g
g. nã labor cibũ conficit quãuis copiosum.
h. quippe qui non laboret.
Iob. 1. d
1. Tim. 6. b
D

per omnem uitam in omni labore, quem sub sole exantlat, fruatur bonis sibi à Deo donatis: nam eæ sunt eius fortunæ. Et sanè cuicunque homini largitur Deus diuitias & opes, eique potestatem facit eas epulandi, & hac portione sua potiendi, suoque labore fruendi, hoc diuini muneris est. Nec enim multum recolit [a] uitæ suæ tempus, Deo ei animi uoluptatem concedente.

a. suam miseriam.

CAPVT VI.

EST malum quod sub sole uideo, & quidem frequens apud homines, uidelicet quod alicui largitur Deus diuitias et opes & gloriam, ita ut nulla re careat quam animo possit expetere, nec eidem potestatem dat Deus uescendi il-
B
lis, sed eis uescitur alienus, id quod uanum est & miserum uitium. Si quis uel centũ liberos gignat, & per multos annos ętatem uitæ suæ proroget, & idem non modò appetitum suum bonis non exaturet, uerùm etiam sepultura careat, dico hunc deteriore conditione esse quàm abortum. Nam [a] hic qui & ne quicquam uenit, & in
C
tenebras abit, eiusque nomen tegitur tenebris, & ne solem quidem uidit aut nouit, quietior est quàm ille. At ille quamuis mille iterumque mille annos uixerit, si bonis fruitus non est, nónne eundem in locum abeunt ambo? Omnis hominis labor eius ori seruit, & est appetentia inexplebilis. Nam stulto sapiens quid præstat? quid modestus qui se scitè gerit erga mortales? Potior est [b] oculorum aspectio, quàm [c] animi progressio, quod ipsum quoque uanitas est, & animi molestia. Qui fuit, is iam est nominatus,
D
& eum fuisse hominem notum est, nec potuisse [d] cum fortiori se contendere. Cum sint igitur tot res quæ uanitatem augent, quid emolumenti consequitur homo? Quis enim nouit quid sit homini bonum in uita, toto eius tam friuolæ uitæ tempore, quod umbræ ritu transigit? quis uerò homini indicabit quid post ipsum sub sole sit futurum?

a. abortus.
b. bonum quod cernitur & adest.
c. quod speratur.
d. mortem effugere.

CAPVT VII.

Pro. 22. a

POtius est bonum nomen quàm bonum unguentum, & dies mortis quàm suus cuiusque natalis. Præstat in lugubrem ire domum, quàm in epularem: in eam quæ cunctis hominibus finis est, quàm quæ uitam in eorũ corda insinuat. Præstat tædiũ risui: nam [a] per uultus tristiam lætat mens. Sapientũ mens est in lugubri domo, stultorũ autẽ in uoluptaria. Pręstat obiurgationem audire sapientis, quàm si quis cantionem stultorũ audiat. Nam qualis est spinarum sub olla crepitus, talis est stulti risus. Atqui hoc quoque uanum est, quod dementat [b] iniuria sapientem, adimuntque dona mentem. Præstat
B
cuiusque rei extremum eiusdem principio: præstat animo lentus superbo. Ne esto animo irritabili: nam irritabilitas [c] in stultorum sinu posita est. Noli quærere quid sit cur superiora tempora fuerint meliora præsentibus: nam istud parum sapienter interrogas. Melior est sapientia quàm patrimonium, & [d] solem cernentibus utilior. Nam in sapientiæ & pecunię præsidio hoc excellentior est scientia ac sapientia, quod uitam conseruat ei qui eam habet. Aspice Dei opus, quod eiusmodi est, ut quod ipse deprauat, nemo possit corrigere. Bono tempore ita esto in bono, ut malum tempus spectes: siquidem utriusque uicissitudinem fecit Deus eo consilio [e] ne quid in eo deprehendat homo. Omnia uideo in mea tam inani ætate: est qui innocens in sua pereat innocẽtia: est qui nocens
C
duret in improbitate sua. Ne esto nimis innocens, néue nimium sapias, ne pereas. Ne nimiũ nocens, néue stultus esto, ne moriare [f] non tuo tempore. Expedit ut hoc teneas, adeò ut hoc de manu non dimittas: nam Dei metuens euadet omnia. Sapientem decies magis confirmat sapiẽtia, quàm esse in republica principem. Nam nemo in orbe adeò iustus est, ut ita rectè faciat, ut nihil peccet. Etiam ad omnia uerba quæ dicuntur noli animum applicare, ne seruum tuum tibi imprecantem audias, quippe cum tute tibi conscius sis, te quoque sæpenumero alijs imprecatum esse. Hæc omnia tentaui sapientia, conans sapientiam adipisci: sed ea procul abest à me. Longius hoc abest, & altius demersum est, quàm ut inueniri possit. Equidem uersans
D
animum in sciscitanda, rimanda, uestiganda sapientia atque ratione, inque discenda stultorum improbitate & uesanorum insania, inuenio ego morte acerbiorem fœminam, cuius et mens retia sunt atque casses, & manus uincula, quam quidem qui Deo charus est, euadit: qui autem improbus, is ab ea capitur. Ecce quid inuenerim (inquit Concionator) per singula rationem peruestigando, quam adhuc animo quæro, nec inueni. [d] Virum unum ex mille inueni: sed fœminam in omni fœminarum numero non inueni. Præterea ecce quid inuenerim, à Deo homines factos esse probos, sed ipsos [e] multas quæsiuisse rationes.

a. tristitiam sequitur lętitia.
b. munera quę dantur vt alicui fiat iniuria.
c. stultorũ est propria.
d. uiuentibus.
e. vt sciat nihil esse in hac uita certi, ideò quę sit in omnẽ euentũ paratus.
f. ante iustũ æui tẽpus.
3. Reg. 8. e
2. Par. 6. g
Prou. 20. b
1. Iohan. 1. d
d. scilicet uerum, & dignũ uiri nomine.
e. curiositate sua sibi malum cõflasse, qui quid bonũ malũue esse scire uoluerint, gustato illo fructu.

CAPVT VIII.

Pro. 17. d

QVis cum sapiente conferendus? & quis rerum explicationem nouit? Hominis sapientia eius uultum illustrat, & adimit feritatem. Suadeo ut regis os obserues, & diuini iurisiurandi rationem habeas. Ne temere [a] ab eius præsentia recedito, ne in re mala perstato: nam quicquid ei libet, facit. Cum regis dicto coniuncta est potestas, adeò ut ab eo nemo facti rationem quærat. Qui præceptum exequitur, nescit rem malam: & tempus & ius nouit mens sapiens: nam quicquid libet, id & tempus & ius habet. quoniam homo multis afficicitur malis, utpote qui quid futurum sit ignoret: nam futura quis ei significet? [b] Nec uento imperat homo, ut uentum cohibeat, nec in
B
diem mortis habet potestatem, nec in bello arbitrium, nec liberat impietas suos. Hæc omnia uidi, & animum intendi in res omnes quæ sub sole fiunt, dum interim dominantur homines alij in alios ad ipsorum malum. Itidem uidi impios qui sepulti erant discesserant, & ex sacro

a. ab eo alienis.
b. Non magis potest impietas impios tutari, quàm homo uentis imperare, &c.

c.Hierosolyma.

c sacro loco abierant, commendari in urbe, in qua sic egissent, quod etiam uanum est. Quia non celeriter editur in maleficos exemplum, propterea hominum generi planè est animus male facere. Sed quamuis centies malefaciant improbi, & tamen durent, scio tamen fore bene religiosis & Dei metuentibus: impijs au-
C tem non bene fore, nec eos ita diu ætatem acturos ut non sit umbræ similis, qui Deum non reuereantur. Est quiddam uanum quod fit in terris, quod sunt insontes quibus accidunt digna sontibus: rursumq; sontes quibus accidunt digna insontibus: quod etiam uanum esse dico. Itaque uoluptatem probo, quod nihil est homini sub sole boni nisi ut epulis & uoluptati indulgeat, atque hoc saltem labore suo in uita sua teneat quod ei Deus sub sole concesse-
D rit. Cum animum ad sapientiæ cognitionem appulissem, & ad considerandam miseriam quæ contingit in terris, adeò d ut nec interdiu nec noctu somnum suis uideant oculis, animaduerti eiusmodi esse omnia Dei opera, ut non possit homo eorum rationem peruestigare quæ sub sole fiunt, & quantumuis in perquirendo laboret, non tamen inueniat: & licet id discere statuat sapiens, non tamen inueniri re possit.

d. ut homines præ curis & miseria non possint dormire.

CAPUT IX.

NAm hoc totum in animo meo agitaui ac perscrutatus sum, iustos ac sapientes eorumque opera in manu Dei esse, adeò ut a nec amorem homines, nec odium norint, cum sit eis planè perspicuum eadem usuuenire cunctis. Eadem est iusti fortuna & iniusti, boni purique & impuri, sacrificantis & non sacrificantis, boni & improbi, periuri & periurium reformidantis. Hoc in omnibus quæ sub sole fiunt malum est. quod ut est eadem omnium fortuna, sic habent homines uitijs & insania plenos animos dum uiuunt, deinde ad manes eunt. Etenim (id quod optandum est) uiuis o-
B mnibus spes est: nam uiuus canis præstat leoni mortuo, siquidem sciunt uiui se morituros esse: at mortui nihil sciunt, nec superest eis præmium, quippe deleta eorum memoria: & amor & odium ac inuidia eorum iam interijt, nec iam ullum habent unquam commercium cum eis quæcunque sub sole fiunt. I, uescere tuo pane lætus, & hilari mente bibe tuum uinum, postquàm iam accepta Deo sunt opera tua. Ha-
C be semper candidas uestes, & unguento delibutum caput sine intermissione. Fruere uita cum dilecta tibi coniuge, quandiu durabit ista inanis uita, quæ tibi sub sole concessa est: quandiu durabit, inquam, ista uanitas. Nam istud est quod in uita consequeris isto labore quem sub sole pateris. Quicquid tibi facere licebit, facito totis uiribus: nam nec opus nec ratio nec scientia aut sapientia est apud inferos, quo tu discedis. Rursum uideo sub sole nihil nec celeritatem ad cursum conferre, nec fortitudinem ad bellum, nec sapientiam ad uictum, nec prudentiam ad diuitias, nec scientiam ad gratiam comparandam, sed tempus & fortunam omnibus interuenire. Nam neque suum fatum norunt homines: utq; pisces fallaci reti, & aues laqueo capiuntur, sic homines ipsi aduerso tempore irretiuntur, oppressi inexpectato casu. Hoc quoque uideo sapientiæ esse sub sole, quæ apud me magni est. Est paruum oppi-
dum, & in eo homines pauci, quod aggreditur rex magnus, obsidetq;, extructis aduersus id ingentibus machinis. In eo reperitur uir ignobilis ita sapiens, ut oppidum sua sapientia liberet, b cum eius ignobilis nemo memor esset. Itaque dico ego sapientiam uiribus esse præstantiorem, tametsi hominis ignobilis sapientia sit contempta, nec eius uerbis obtemperetur. Sapientum quieta dicta magis audiuntur, quàm clamor dominãtis inter insipientes. Præstat armis bellicis sapientia, & improbus unus multum boni perdit. D

a. ex euentu iudicari nō potest quis Deo charus, quis inuisus sit, cum sæpe & bonis malè, & malis bene fit, cumque omnibus æquè moriendum sit.

b. cum fuerit antea ignotus.

Sapien. 6.a

CAPUT X.

LEthales muscæ odoratum unguentum, paucula stultitia sapientiæ & gloriæ excellentiam corrumpens turpificat. Sapiens dexteram, stultus sinistram mentem habet. Etiam in uia stultus cum ambulat excors est, & se stultum esse a fatetur omnibus. Si tibi succensebit b rector, locum tuum ne deserito: nam tranquillum esse, magnis peccatis c medetur. Est quoddam malum quod sub sole uideo quasi à dominantis imprudentia profectum: euehitur stultus ad magnum fastigium, cum diuites sedeant humiliter: uidi seruos in equis, cum principes humi seruiliter ambularent. Qui fossam fodit, B
in eam cadet: & qui sepem dissipat: eum mordebit anguis. d Qui saxa portat, in eis laborat: & qui ligna findit, in eis æstuat. Quemadmodū si obtusum & impolita superficie est ferramentum, etiam robustos fatigat, ita e præstantiam reddit efficacem sapientia. f Serpente, si non incantatus mordeat, nihilo præstantior est linguax. Sapientis oratio gratiosa est: stultum sua labra perdunt. Eius orationis & initium stultitia, & extremum misera uesania est. Cum stul- C
ti multa uerba faciant, nesciunt homines quid sit futurum, quidq; sit eos secuturum, est eis inapertum. g Stultos suus fatigat labor, qui in urbem ire nesciunt. Miseram te, terra, quæ iuuenem regem, & principes habes h mane epulantes. Felicem te, terra, cuius & rex canos habet, & principes tempore cibum capiunt, uirium non potationis gratia. Pigritia uitiatur cōtignatio: & manuum inertia perpluit domus. Ri- D
dendi causa fit panis, & uinum uitam exhilarat, et omnia domat pecunia. i Ne per cogitationem quidem regi maledicito, nec in penetralis tui lecto diuitem detestator: nam uocem aeræ ferent aues, & rem enunciabunt aligeræ.

a. palàm facit.

b. Princeps, tranquillum te prębeto.

c. ueniam impetrat.

Pro. 26. d

Eccl. 27. d

d. Grauia munia graui cum labore sunt obeunda.

e. uires sine industria sunt ueluti ferrū sine acumine.

f. Aspidem innuit, de quo Ps. 58.

g. Qui rei gerēdæ uiā ignorat, is multum & frustra laborat.

h. non sobrios.

i. multę rerū aures.

CAPUT XI.

IAce a tuum panificium in humorem: nam diuturnitate temporis id inuenies. Imperti

a. Sere humido loco, hoc est liberalis esto.

uel

b uel septem aut etiam octo hominibus: [c] nescis enim quid mali sit futurum in terris. [d] Cum plenę sunt nubes, pluuiam effundunt in terram, [e] & siue in Austrum cadit siue in septentriones arbor, quo loco cadit, ibidem manet. [f] Qui uentum obseruat, non serit: & qui spectat nubes, non metit. Quomodo ignoras quod uenti uestigium, qualia sint in pręgnantis utero ossa: sic Dei opus ignoras qui facit omnia. Et mane semen tuũ semina, & uespere ne remitte manum, nescis enim hoc ne an illud magis expediat, an utrumque æquè bonum sit. Et dulce lumen est, & suaue oculis est uidere solem: sed quamuis multos uiuat annos homo, & eos omnes cum uoluptate, si tamen meminerit quàm longa futura sit tenebrarum dies, quicquid obtingit est uanum. Fruere iuuenis adolescẽtia tua, & mentem tuam exhilara tua iuuenili ætate, & animo tuo oculorumq́ sensui ac libidini indulge: sed scito futurum ut te Deus ob ista omnia iudicio sistat. Tolle ergo ex mente tua ferocitatem, & ex tuo corpore scelus aufer: nam adolescentia & imperitia uana est.

b. multis. c. fieri potest ut tu quoque aliquando egeas. d. dum abũdas largire. e. Mortuus largiri non B poteris, ut lapsa arbor iam nequit in quam uelit partem ferri. f. qui ideo C benignè non facit, quia futura ignorat, perinde facit ac si quis uenti aut nubis metu serere aut metere dubitet. D

CAPVT XII.

ET memento creatoris tui, dum iuuenis es, antequàm ueniãt mala tempora, accedant'que anni quibus te delectari neges, antequam [a] tenebrescat sol atque lux et luna & sidera, [b] redeant'que post pluuiam nubes, tum cum [c] domus custodes trement, & nutabunt [d] milites, & cessabunt imminutæ [e] molæ, & caligabunt [f] spectantes per meatus, & claudentur [g] fores extrinsecus, [h] cum exili sonitu molæ, & surgetur ad [a] auis uocem, & cassæ erunt omnes [b] musicæ puellæ. Cum etiam alta & illisus in uia timebuntur, & [c] florebit amygdalus & [d] conuenient cicadæ, & peribit appetitus, discedẽte homine in æternam domum suam, & circumeuntibus in uico lugentibus. Antequam [e] abrumpatur argentea catena, & quassetur guttus aureus, & urna frangatur ad scatebram, & cõquassetur ad foueam currus, redeat'que puluis in terram qualis fuerat, & spiritus ad Deum redeat qui eum dedit. Vana uanitas (inquit concionator) omnia sunt uanitas. Præterea qua excellebat concionator sapientia, docuit homines alia scitu digna, & quæ peruestigauerat, elocutus est, multas componens sententias. Studuit concionator inuenire placitura dicta, & probam ueracium dictorum scripturam. Sapientum dicta sunt quasi quidam aculei, suntq́ collectores, ab uno pastore dati, quasi quidam affixi stimuli. Cęterùm fili mi edoctus esto: faciendi tot libros nullus est modus, & nimia anxietas corpus fatigat. In summa, omnibus auditis Deum metue, eiusq́ præcepta exequere: nam hoc est omnium hominũ. Etenim [g] omne opus, quamlibet occultum sistit ad iudicium Deus, tum bonum, tum malum.

a. senio excutias. b. tibi caligantes lachryment oculi. c. manus d. crura. B e. dentes. f. lumina. g. labra. h. dentibus parum mandentibus. a. galli, hoc est parum dormies. b instrumẽta uocis. c. canities. d. stridula & querula C uox. e. Hæc quatuor ego non intelligo. D g. Totius libri cõclusio. Reddẽda omniũ ratio est, sed in altera uita. Nã id in hac uita nõ fieri, demonstratum est.

CANTICVM CANTICORVM.

CAPVT I.



CANTICVM musicum quod Solomonis est. Dissuauiare me tui oris suauio: nam tui amores sunt uino suauiores. Ad tuorũ suauiũ unguẽtorum odorẽ (fusum unguentũ est tuum nomen) te amant puellæ. Trahe me post te: curremus, introducet me rex in sua conclauia, exultabimus de te lętantes, recolendo tuos, quem probi amãt, uino suauiores amores. Fusca quidem, sed tam uenusta sum, puellę Hierosolymitanæ, quàm sunt Cedariana tabernacula, quàm sunt uela Solomonia. Ne hoc in me spectate q̃d fusca sum, quoniã me sol aspexit: mei germani mihi irati me uinearum custodem statuerunt, quæ meam ipsius uineam non custodiui. B

Sulamitha Solomonis amica atq; sponsa.

Indica mihi tu, quem ex animo diligo, ubi pascas, ubi stabules in meridie, ne pro [a] uelata habear apud sociorum tuorum greges.

a. meretrice, nam meretrices uelantur.

Si istud nescis, ô fœminarum pulcherrima, egredere per balantum uestigia, & pasce tuos hœdos apud pastorum attegias. Equitatui meo inter Pharaonias quadrigas assimulo te, amica mea. Lepidulas habes inter inaures genulas, inter monilia collum. Inaures aureas tibi faciemus, uermiculatas argento. C *Solomo.*

Quandiu rex est in suo complexu, mea nardus suum reddit odorem. Myrreum sertum est mihi meus amicus inter meas pernoctans mamillas. Vua [b] Cypria est mihi meus amicus ex uineis Engaddiensibus. *Amica.* D

b. Est generosum aliquod genus uuæ.

O te formosam amica mea, ô te formosam columbinis ocellis. *Solomo.*

O te formosum amice mi, ah amœnum ah uernantem nostrum lectulum, domus nostræ tigna cedrina, laquearia nostra pinea. Ego flos Saronius, ego rosa uallium. *Am.*

CAPVT II.

QValis rosa inter spinas, talis est amica mea inter fœminas. *S.*

Qualis malus inter syluestres arbores, talis est meus inter iuuenes amicus, cuius in optata sedeo umbra, cuiusq́ fructus est meo dulcis palato. Introducit me in cellam uinariam, & amoris uelo tegit. Sustẽtate me lagũculis, substernite mihi mala, nam amore langueo. Sinistrã meo capiti subijcit, & me dextera complectitur. *A.* B

Obtestor uos Hierosolymitanę fœminę per capreas & per ceruas agrestes, ne excitatum expergefaciatis amorem, donec ei libebit. *S.*

Ecce uox aduenientis amici mei, per mõtes & colles exultim salientis: Similis est amicus meus

meus capreæ aut hinnulo ceruino. En is post
nostrum astans parietem aspicit per fenestellas,
per cancellos eminens, & surge amica mea (in-
C quit alloquens me meus amicus) formosa mea,
& ades. Nam ecce præteriit hyems, euanuit,
abiit imber, apparent humi flosculi: cantandi
tempus adest, & uox turturis auditur in nostra
patria: ficus suos edit grossulos, florentes que
fragrant odore uites. Surge mea amica, mea for
mosa, & ades. Mea columbula in petræ fo-
D rulis, in cochleæ latibulis, ostende mihi tuum
uulticulum, fac ut audiam tuam uoculam: nam
& uoculam uenustulam, & uulticulum habes
lepidulum. Capite nobis uulpeculas, uulpecu-
las peruulas, uinearum uastatriculas, cum no-
stræ florent uineæ. Meus amicus meus est, &
ego eius, pascentis inter rosas. Dum afflet dies,
& fugiant umbræ, reuertere similis tu amice
mi capreę, aut hinnulo ceruino, per montes Ba-
thrios.

CAPVT III.

IN lectulo meo noctu quæro quem meus a-
mat animus: quæro, nec inuenio. Age sur-
gam, & urbem, uicos, fora perlustrabo, quæ-
rens quem meus amat animus, quem quæsi-
tum non inueni. Nacta custodes urbem per-
lustrantes: Quem meus amat animus uidistis-
B ne? Donec paululum eos prætergressa, inueni
quem meus amat animus, quem comprehen-
di, nec dimisi, quin eum in meæ materculæ do-
mum, in meæ cubiculum genetriculæ introdu-
xerim. Obtestor uos Hierosolymitanæ fœmi-
nę per capreas, & per ceruas agrestes, ne exper-
rectum excitetis amorem, quandiu libebit ei.
Quid est id quod exhalat ex sylua quasi quædã
C fumi palmæ? ex suffitu myrræ atque thuris, o-
mnisq; pulueris seplasiarii? Ecce eius, scilicet
Solomonis, cubile sexaginta circũseptum mi-
litibus, Israelitarum fortissimis, qui cuncti gla
dios tenent, rei militaris periti, suum quisque
ensem ad femur habentes contra pauorem no-
cturnum. Augustale sibi fecit rex Solomo ex
D Libaniis lignis, cuius columnas fecit argẽteas,
solum aureum, purpuream sedem, eius medio
amore instrato, Hierosolymitanarum fœmina
rum gratia. Prodite, & spectate, Sioniæ fœmi-
næ, Solomonem coronam gestantem, qua eum
sua mater eius sponsaliorum & animi uolupta-
tis die coronauit.

CAPVT IIII.

S O Te formosam amica mea, ô te formosam
quæ columbinos habes ocellos, cincin-
nulis interiectos: crines gregis capellarum si-
miles, ex monte Galaado emicãtium. Tui den-
tes tonsas referunt ouiculas à lotione recentes,
omnes gemelliparas, nulla earum sterili. Coc-
cineæ uittæ similia sunt tua labella: elegans o-
B ratiuncula: malæ similes putaminis mali puni-
ci cincinnulis interpositæ. Ceruiculam habes
Dauidicæ turris similem, propugnandi gratia
constructæ, mille clypeis, omnibus militum
pharetris ex ea dependentibus. Duæ istæ ma-
millæ, duos exprimunt gemellos hinnuleos
capreæ, pascentes inter rosas. Dum aspirat dies,
& fugiant umbræ, conferam me ad montem
myrræ, thuriferumq; collem. Tota bella es, ami
ca mea, expersq; maculæ. Mecum ex Libano, C
sponsa, mecum ex Libano uenies, despiciens
ex Amani uertice, ex Seniris & Hermonis uer
tice, ex leonum lustris, & montibus tigrium.
Tu mihi cor uulnerasti, mea sororcula sponsa:
tu mihi cor uulnerasti altero ocellorum tuorum,
altera comarum tuæ ceruiculæ. Quanto formo
siores habes mammulas: mea sorocula sponsa,
quanto pulchriores habes mammulas uino, &
unguenta quibusuis odoribus fragrantiora?
Fauo manant tua labella, sponsa, mellifluam ha
bes lactifluamq; linguam, & uestimenta Liba-
nium odorem redolentia. Conclusum poma-
riolum est sororcula mea sponsa, conclusum po
mariolum, obsignatus fonticulus. Tua planta- D
riola sunt punicorum uiridariolum cum pomo
rum fructibus cypriis atque nardo. nardus, cro-
cus, calamus, cinnamomus, cum omnibus Li-
baniis arboribus, myrra, aloe, unà cum præ-
stantissimis quibusque odoribus. Fonticulus
hortensis, puteolus aquæ uiuæ, & ex Libano
scatentes riuuli.

Surge Aquilo, ades Auster, affla meos hor- A.
tulos, fluant eorum odores, intret meus amicus
in suos hortulos, & uescatur pomorum fructu
suorum.

CAPVT V.

VEnio in meos hortulos, sororcula mea spõ S.
sa: decerpo meam cum odoribus myrram:
comedo meum cum melle fauum: bibo meum
cum lacte uinum: comedite sodales, potate, &
amoribus perfundimini.

Ego dormio, uigilante meo corculo: uox au A.
ditur pulsantis amici mei.

Aperi mihi mea sororcula, mea amicula, mea S.
columbula, mea perfecta: nam & caput rore, &
capillos nocturnis plenos guttulis habeo.

Exui meam tuniculam, quo pacto eam in- A.
duam? laui meos pedes, quo pacto eos inquina- B
bo? Immisit amicus meus manum suam per fo
ramen, atque eo affectu commota surrexi ad ape
riendum amico meo, manibus digitulisq; meis
myrra manantibus, per anulos pessuli transflu-
ente. Aperui equidem amico meo, sed amicus
meus sese subduxerat, quo loquente exanima-
ta eum quęsiui, nec inueni, nec mihi uocanti re-
spondit. Nacti me custodes urbem peragran-
tes uerberarunt, uulnerarunt, multitiis spolia-
runt me custodes murorum. Obtestor uos Hie
rosolymitanæ fœminæ, si meum repereritis a-
micum, ut ei significetis me amore ægram esse. C
Quis est iste tuus amator amicus? mulierũ pul- Fæm.
cherrima: quis est iste tuus amator amicus, ut
tu nos sic obtestere?

Amicus meus candidus & rubicundus est, A.
uexillarius legionarius. Caput habet obrizo
auro simile: crispam cæsariẽ coruo nigriorem: a. candidis-
oculos quales sunt columbarum quæ a lacte simæ.

lo tæ manent apud plenos aquę riuulos. Malas D habet areolis odoriferis, turriculis unguentariorum similes: labra fluentibus excellenti myrrha rosis. Manus ei teretes aureæ, hyacinthis refertæ; uenter pyxis eburnea, sapphiris operta.

Crura columnæ marmoreæ aureis basibus innixæ, aspectus Libani similis, cedris pręstantior: guttur suauissimum: deniq; totus est elegans. Is amicus, is amator meus est, Hierosolymitanæ fœminæ.

F. Quò iuit tuus amicus, mulierum pulcherrima? quò se contulit tuus amicus, ut eum conquiramus tecum?

CAPVT VI.

A. MEus amicus in hortum suum descendit ad odoriferas areolas, ut in hortulis pascatur legendis rosis. Ego amici mei sum, & meus amicus meus est, qui pascitur inter rosas.

S. Tu Tirsa formosior, amica mea, tu Hierosolyma uenustior, tu agminibus formidabilior.

Auerte tuos ocellos ex meo conspectu, qui me sublimem tollunt.

B Tuus capillus similis est gregis capellarum ex Galaado emicantium: dentes qualis ouicularum grex à latione recentium, quæ omnes gemelliparæ sunt, nulla earum sterili. Putamini punici mali similes habes genulas cincinnulis intersitas. Cum sint sexaginta reginæ & octoginta concubinæ, & innumeræ pedisequę, hæc una mea columbula, mea perfecta, hæc una C materculæ suæ, hæc suæ genitriculæ lectissima est, quam uidentes beatam prædicant muliercułæ, quam reginæ concubinæq; laudant. Quæ est ista quæ emergit ut Aurora, luna pulchrior, sole præstantior, agminibus formidolosior?

A. D In nucum uiridaria descendi, ut fluuiaticas uiriditates, ut uiderem an florerent uites, an florerent punicæ. Inscientem me reddidit animus meus [a] Aminadabi quadrigarum similem.

a. uelocissimam.

F. Reuertere reuertere Sulamitha, reuertere reuertere quo te spectemus.

S. Quid Sulamitham spectatis agminum choris similem?

CAPVT VII.

QVàm bella habes in soleis uestigia? puella nobilis. Femorum tuorum uertebræ similes sunt monilium operis artificis egregij. Vmbilicus tuus pocillum est tornatile, non carens latice: uenter aceruus tritici rosis cinctus. Duæ istæ mammulæ uidentur gemelli duo hinnuli capreæ. Ceruicula qualis eburnea turricula: ocelli stagna Hesebonia apud Bathrabbim portam: nasus formam habet turris Libaniæ, spectantis Damascum uersus. Capitulum habes Carmeli simile: capituli capillos regiæ purpuræ fistulis uinctæ. Quàm formosa, quam bella es, amore delicatula. Ista tua statura palmæ similis est, mammæ uuis. Volo per palmam ascendere, & eius ramos prehendere: & sint sanè tuæ mammulæ tanquam uuæ uiteæ, narium odor tanquam malorum, & tuum guttur tanquam uinum bonum, quod [a] amico meo rectè fluit, dormitantibus labellis balbutienti.

a. mihi qui tuus sum amicus. sed balbutit hic dormitãs amator, et amicæ uoces imitatur.

A. Ego sum amici mei, & ipse uicissim à me pendet. Ades amice mi, exeamus rus, in uillis pernoctaturi.

Mane uisemus uineas, uisuri an germinauerint, an flores explicauerint uites, an floreant punicę. Illic tibi meos indulgebo amores. Mãdragoræ reddunt odorem, & pro foribus nostris sunt omnis generis poma tum recẽtia tum uetera, amice mi, quæ tibi reposui.

CAPVT VIII.

VTinam [a] esses mihi quasi fraterculus, qui meæ mammas materculæ suxisses, quem ego nacta foris dissuauiarer, neque tamen afficereris cõtumelia. Te ego ducens introducerem in meæ materculæ domum: tu me doceres, ego tibi odoriferum uinum, ego suauem punici succum darem bibere. tu me tua sinistra capiti subiecta meo, tua complecterere dextera.

a. utinã te posse quasi fratrẽ sine cuiusquam suspicione deosculari, ita ut nemo te propterea læderet.

S. Obtestor uos Hierosolymitanæ fœminę ne excitatum expergefaciatis amorem, quandiu libebit ei. Quæ est ista quæ ex sylua proficiscitur, amico innixa suo? Sub malo te agitaui. B ibidem ubi te tua mater enixa, ubi tua genitrix enixa fuit.

A. Admoue me tanquam sigillum tuo pectori, tanquam sigillum tuo brachio: nam tam potens est quàm mors amor, tã durus est Cupido quàm Orcus: eius spicula sunt Iouano inflammata igni. Non aquę multitudine extingui, non fluuijs obrui potest amor, adeò ut si quis uel omnes suæ domus facultates ob amorem impendat, tamen [b] despectui sit. C

b. frustra laboret.

S. Est nobis paruula sororcula, quę mammulas non habet: quid faciemus nostrę sororculæ tum cum de ea uerba fient?

Si murus est, extruemus in eo arcem argenteam: sin foris est, eam cedrinis compingemus tabulis.

A. D Ego sum murus, & meæ mammulę sunt quasi turriculæ: ita ei uideor pacis inuentrix.

Vineam habet Solomo in Baalhamone, quã uineam custodibus ea lege elocauit, ut singuli pro eius fructu mille pensitent argenteos.

Vinea mea, quam ob oculos habeo, [c] mille tibi Solomo, & ducentos eius fructus custodibus.

c. scilicet argenteos pendet.

S. Quæ sedes in hortulis, attendunt socij, fac ut tuam uocem audiam.

A. Fuge amice mi, & capreæ similis esto, aut hinnuleo ceruino, per montes odoriferos.

SOLOMONIS

SAPIENTIA.

CAPVT I.

3.Reg.3.a
Esa.56.a
2.Par.15.a



MATE iustitiã rectores orbis: este Domini studiosi, eum cum bonitate et simplicitate animi quærentes: nam ijs inuenitur qui eum nõ tentant, eisq; patefit qui ei non diffidunt. Etenim prauæ cogitationes alienant à Deo, tentataq; [a] potentia arguit insipientes: siquidem in malitiosum animum non intrat sapientia, nec habitat in corpore peccatis obnoxio.

a. Deus potens.

B

Hier.4.e

Sanctus enim disciplinæ spiritus fugit dolum, & ab imperitis cogitationibus abigitur, et iniustitiæ aduentu [b] cõfutatur. Humanus enim sapientiæ spiritus non sinet impunitũ eum, qui uerbis utitur maledicis, quippe cum eius & [c] renum conscius sit Deus, & cordis uerus inspector, & linguæ auditor. Nam Domini spiritus orbem replet, & omnia continens notitiã habet uocis. Itaque qui iniusta loquitur, latère non potest, aut ultricẽ uitare pœnã. Nam in impij calumnias inquirit, eiusq; dictorũ auditio uenit ad Dominũ, ad eius coarguẽda crimina:

b. fugat & homini inutilis redditur.
c. affectionum & cupiditatum.

C

siquidem ultrix auris audit omnia, neque latet murmuris strepitus. Cauete igitur murmur inutile, & à linguæ maledictis abstinete. Nam clandestinum dictũ non abit inaniter, & mentiens os animum interimit. [d] Ne affectate mortẽ, errore uitæ uestræ, neue perniciem accersite uestris operibus. Nam Deus mortem non fecit, nec uiuentium interitu delectat: cum omnia creauerit ut essent, fueritq; mundi origo incolumis, nullo infecta

d. ne errate aut peccate, quæ res uobis mortẽ afferat.

D

pernicioso ueneno, nec regnante in terris Orco. Nam iustitia immortalis est. L. iniustitia autem, mortis est cõciliatio. G. quam mortem impij manibus & uerbis accersunt, & amicam arbitrantes, contabescũt, & cum ea fœdus ineunt, quippe digni qui sint eius partium.

CAPVT II.

DIcunt enim apud se, non rectè ratiocinantes: Breuis est & laboriosa uita nostra, nec ullum remedium est contra hominis interitum, nec cognitus quisquã est ab Orco reuersus. Nã & temere nati sumus, & posthac erimus perinde ac si nõ fuissemus, utpote cum qui flatus nobis in naribus est, fumus sit, & exiguam habeamus in cordis motione scintillam, qua extincta in cinerem redigetur corpus nostrũ, & spiritus, ceu inanis aer, diffundetur, & nomen nostrum tempore ueniet in obliuionem, nec quisquam memorabit opera nostra, & præteribit uita nostra tanquam nubis uestigium, & sicut nebula radijs agitata solis, & eiusdem calore grauata dissipabitur. Est enim æuum nostrum umbræ

1.Par.29.d

transitio, neque regressum habet obitus noster, nempe ita cõclusus, ut nemo reuertatur. Quare, agite, fruamur bonis præsentibus, & rerum natura (dum est iuuenta) nauiter utamur. Vino precioso & unguentis nos repleamus, [a] neque nos prætereat flos temporis: coronemur rosarum calycibus, priusquam marcescant. L. Nullum pratum sit quod non obeat nostra luxuria. G. nemo nostrũm nostræ sit exors insolentiæ: ubique uoluptatis indicia relinquamus, quoniã hæc conditio, hæc nostra sors est. Pauperes insontes opprimamus, uiduis ne parcamus, néue longæuos senũ canos reuereamur. Quin [b] nostra uis iustitiæ lex esto: quandoquidem quod infirmum est, inutile arguitur. Insidiemur iusto, quandoquidem nobis est incommodus, & nostris aduersatur operibus, nobis peccata in legem exprobrans, & disciplinæ nostræ delicta culpans.

Esa.56.d & 22.b
a. neque frustra præter ire patiamur amœnissimã æui partem.
Mat.17.e
b. sic uolo, sic iubeo, sit pro ratione uolũtas.

C

Dei cognitionẽ profitetur, & sese Domini natum nominat. Nostra cogitata coarguit, nobis uel aspectu grauis, quippe cum eius uita sit alijs dissimilis, & dispar institutum. Pro adulterinis habemur ei, abstinetq; à nostro commercio, tanquam ab impura re. Iustorum exitum beatum prædicat, & patrem gloriatur Deum.

D

Videamus an sit eius oratio uera, & quid sit ei euenturum experiamur. Nam si iustus est Dei filius, ille ei succurret, eumq; ex aduersariorum manu liberabit. Contumelia cruciatuq; eum exploremus, ut eius modestiam cognoscamus, & de patientia iudicemus. Infami morte eum condemnemus: ita enim [c] ex suis ipsius uerbis tractabitur. Hæc cogitãt, & falluntur. Cæcauit enim eos sua prauitas, nec diuina arcana norunt, nec sanctimoniæ mercedem sperant, neque intemeratorũ animorum præmium perspiciunt. Nam Deus hominem ad immortalitatem creauit, & suæ ipsius naturæ imaginem fecit. Verùm diaboli inuidia mors in mundum intrauit, quam qui sunt illius partium, experiuntur.

Mat.27.e
c. apparebit an sit patiens & ad extremũ beatus, quéadmodum prædicat.
Gen.1.d 2.b 5.a
Eccl.17.a
Gen.3.a

CAPVT III.

AT iustorũ animæ in manu Dei sunt, nec eos cruciatus attingit. Videntur quidem insipientum iudicio mori, & putatur malus eorũ exitus, & discessus à nobis calamitosus, cum salui sint. Nam in hominũ conspectu si crucientur, eorum spes est immortalitatis plena, & leuiter castigati magna bona consequuntur. Siquidem Deus eos explorat, & se dignos inuenit: eos tanquam aurum in fornace explorat, & tanquam solidum sacrificium acceptos habet. Itaq;

Deut.33.a
Mat.13.f

B

quo tempore habebitur eorũ cura, effulgebunt, & ut in stipula scintillæ discurrent. Iudicabunt gentes, & populis imperabunt, regnante in eos Domino in sempiternum: quo qui freti sunt, ij uerum intelligent, & fideles ei in charitate adhærebunt. Etenim gratia & pax continget eius pijs, & eius electorum cura habebitur. At impij dignas suis conatibus pœnas dabunt, qui & Deum neglexerint, & à Domino defecerint. nam qui sapientiam & disciplinam despiciunt, miseri

miseri sunt, eorumque & uana spes est, & cassi labores, & opera inutilia.

C

Eorū & uxores amentes sunt, & liberi nequā, & genus execrandum. Est enim fœlix sterilis intemerata, quæ flagitiosum cubile non nouit: ea fructum consequetur, cum habebitur animorum cura. Item spado, qui neque crimen reipsa commisit, neque contra Dominū nequiter cogitauit. Dabitur enim ei eximium fidei munus, & sors in Domini fano iucundissima. Bonorum enim laborum gloriosus

D

est fructus, & prudentiæ radix imperdita. At adulterorū liberi sunt imperfecti, & nefarij concubitus progenies aboletur. Etenim siue diutinæ uitæ sunt, nihili fiunt, estque ad extremum eorum ingloria senectus. Siue celeriter moriuntur, nec spem habent, nec animaduersionis tempore solatium. Siquidem iniusti generis tristes sunt exitus.

CAPUT IIII.

a. uide Ecclesiastici 16.

b. adepta certaminis immortalia præmia.

Potior [a] est cum uirtute sterilitas, cum uirtutis sit immortalis memoria, quippe quæ & Deo nota sit, & hominibus, qui & præsentem imitantur, & absentem desiderant: quæ in mundo coronata triumphat, [b] uicto immortalium præmiorū certamine. At impiorum multigena multitudo non peruenit ad frugem, nec ex adulterinis propaginibus altè radices agit, neque so-

B

lidum iacit fundamentum. Licet enim ramis ad tempus egerminet, tamen infirmè posita concutitur uentis, & eorum ui eradicatur, imperfecti circùm rami defringuntur, eorumque fructus inutilis intempestiuus esui, & ad nihil idoneus est. Nam ex nefarijs concubitibus nati liberi, nequitiæ testes sunt aduersus parētes, tum cum in eos inquiritur. At iustus, quamuis præmaturè obeat, in quiete est. siquidē honesta senectus non temporis longitudine, nec annorum numero metienda est: quin hominibus canities prudentia est, & senilis ætas intaminata uita. Cum

C

Deo placeret ille, amatus est: & cum inter sontes uiueret, sublatus est: raptus, ne eius sensum immutaret prauitas, aut animum fallacia deciperet. Fascinum enim uanitatis honesta abolet, & concupiscentia uaga sincerā mentem immutat. Defunctus breui [c] longa tempora cōpleuit, utpote cum Deo placeret eius animus, ideoque properauit è medio malitiæ. Id quod uidēs uulgus hominū, nō cogitat et animaduertit hoc ipsum beneficiū & misericordiā in illius pios esse, & eius electorum causa fieri. Condemnat autem mortuus iustus uiuentes impios, & [d] iuuentus

D

exacta celeriter longæuam iniusti senectutem. Videntes enim sapientis exitū, nō animaduertunt quid de eo statuerit, & cur eum in tuto collocauerit Dominus, sed id uidentes spernūt. Verùm deridebit eos Dominus, & postea turpiter lapsi, æterna inter mortuos afficientur ignominia. Nā ille eos uesanos præcipites franget, & à fundamētis cōuellet, ita ut funditus solo æquati, sint in dolore, perdita eorum memoria. Vadent peccatorum suorum cogitatione pauidi, suisque sceleribus coràm conuincentur.

c. perinde est ac si diu uixisset.

d. scilicet iusta, & cū uirtute cōiuncta.

CAPUT V.

Tunc stabunt multa cum audacia iusti in eorum conspectu qui eos presserint, eorumque labores labefactauerint: quo illi uiso, graui metu percellentur: & eorum inopina salute attoniti, dicent apud se pœnitentes, & præ spiritus angustia gementes: Hi sunt quos nos aliquando risui habuimus & contumeliosis dicterijs. Dementes qui eorum uitam putauimus insaniam, et exitum inhonestum. Ergóne diuis annumerati, sanctorum consortes sunt? Ergo nos à ueri uia deerrauimus, neque nos iustitiæ lumen collustrauit, neque nobis sol ortus est prudentiæ. Perniciosis iniustitię uijs planè incedētes, inuias peragrauimus solitudines, ignari Dominicæ uiæ. Quid nobis superbia profuit? quid diuitię cū arrogantia contulerunt? Præterierunt omnia illa tanquā umbra, aut prætercurrens nuncius: tanquam nauis fluctuantem aquam permeans, cuius elapsæ uestigium inuenire non est, aut meatus notam in fluctibus. Aut sicut auis aërem peruolantis nullum extat meatus indicium: sed uerbere pennarum flagellata leuis aura, & stridente ui sulcata, motis alis permeata est, nec ullum deinde signum itineris extat in ea. Aut ut coniecto ad

B

scopum telo sectus aër protinus in seipsum denuò coit, ita ut quà trāsierit nesciatur. Ita & nos nati defecimus, & uirtutis signū nullum ostendere ualentes, in prauitate nostra cōfecti sumus.

Prou. 11.a & 10.d

L. Talia dicunt apud inferos qui peccarunt. G. Nam impiorum spes est ut uento sublata lanu-

C

go, ut spuma tenuis agitata procellis, ut fumus uento diffusus, & ut hospitis unius diei memoria præterit. At iusti in perpetuum uiuent, habentque in Domino positam mercedem, eorum curam gerente Supremo. Ideo regnum prēclarū adipiscentur, & de Domini manu diadema pulcherrimum. Nam eos sua dextera proteget, & L. sancto G. brachio defendet. Sumet armaturam suæ uehementiæ, & rerum naturam armabit in hostium ultionem. Induet iustitiæ loricam, &

D

aperti iudicij galeam uestiet. Sumet inexpugnabilem sanctitatis clypeum, & seuerā iram acuet in ensem, ipseque adeò mundus unà cum eo dementes oppugnabit. Ferentur collimantia iacula fulgurum, & tanquam ex decenter curuato nubium arcu in scopū desilient, ac ex lapidante furore grandines plenæ iacientur. Sæuiet in eos aqua maris, & amnes exundabunt acerrimè: eis aduersabitur uehemens uentus, eósque procellæ more uentilabit, atque ita uniuersum orbem depopulabitur iniustitia, potētumque sedes euertet maleficentia. L.

CAPUT V.

Eccl. 9. Rom. 13.

Potior est sapientia, quàm uires, & uir prudens quàm potens. G. Quapropter audite reges & attēdite: discite rectores finium terræ. Auscultate qui multitudini imperatis, & uobis in gentium turbis placetis. Vobis sanè à Domino imperium, à Supremo potestas est data, qui uestra & facta excutiet, & consilia examinabit, quod cum essetis eius regni ministri, non rectè

B iudicaueritis, neq; legem executi fueritis, neq; uos gesseritis ex Dei uoluntate. Ille uos horribiliter & celeriter inuadet: nam in excellentissimos quosque seuerissimum exercebitur iudicium. Etenim infimi uenia digni sunt: at in potentes potenter animaduertetur. Nec enim personam reformidabit Dominus omniũ, nec magnitudinem uerebitur: quippe qui idem & paruos fecerit & magnos, & omnium æquè curam agat. Potentes autem uehemens quęstio manet. Ad uos igitur, ô tyranni, uerba facio, ut discatis sapientiã, neq; delinquetis. Nam qui sanctè sanctimoniã seruauerint, fient sancti: & qui eam didicerint, habebunt quo suã causam defendant. Quare studete meis dictis, & erudiri cupite. Præclara est & quæ nunquam marcescat sapientia, & facilè à suis amatoribus cernitur: C & à quibus quæritur, ab eis inuenitur. Vltrò se cupidis offert cognoscendam, nec eius causa uigilanti laborandum est: assidentem enim foribus suis inueniet. Nam de ea uel cogitasse, prudentiæ perfectio est: & qui propter eam uigilauerit, citò securus erit. Nam se dignos ipsa circumeundo quærit, eisque per uias comiter apparet, & omni studio occurrit. Eius enim initium est uerissima disciplinæ cupiditas: disciplinæ cura, charitas: charitas autem, est eius legum conseruatio: legum cura, est integritatis cõfirmatio: integritas Deo propinquum facit: ita sapientiæ D cupiditas perducit ad regnum. Quamobrem si solijs & sceptris, ô tyranni populorum, delectamini, colite sapientiam, ut perpetuò regnetis. Quid sit autem sapientia, & quomodo orta, referam, nec uos arcana celabo, sed eius cognitionem à prima origine uestigabo, palamq; faciam, neque ueritatẽ præteribo. Neq; uerò cum inuidia tabidis uersabor, ut qui sint expertes sapientiæ. Sapientum autem multitudo, salus est humani generis: et prudens rex, est populi firmamentum. Quapropter uerbis meis erudimini, & proderit uobis.

Deut.10.d, 2.Par.19.c, Iob 34.b, Eccl.35.b, Rom.2.b, Galat.2.b, Ephes.6.b, Colos.3.d, Act.10.e, 1.Pet.1.e

CAPVT VII.

SVm autẽ ego quoq; mortalis homo, similis omnium, et primigeno prognatus, ac in matris aluo corpus conformatus, decem mẽsibus, ex sanguine ac semine uiri coagulatus, cum uoluptate comitata concubitũ. Natus autem communem aërem hausi, & in eiusdem naturæ terram delapsus, primã uocem, æquè ac omnes, flebilem edidi, in fascijs educatus atq; curis. Nullus enim rex aliud habuit nascendi primordiũ, estq; unus omnium in uitam ingressus, & idem exitus. Propterea optanti mihi & oranti prudentia data est, & sapientiæ spiritus obuenit, quã ego sceptris et solijs antepono: et diuitias, si cum ea conferantur, nihili facio, neq; preciosas gemmas cum ea comparandas duco. *Iob 28 c* Nam omne aurum cum ea collatum, tenuis arena est: & præ ea argentum pro luto ducendum. Hanc ego supra ualetudinem & formam amo, eámque B habere malo quàm lucem, quippe cuius splendor sit inextinctus. *3.Reg.3.b* Cum ea autem mihi cuncta simul bona, & eius opera immensæ diuitiæ euenerunt, quibus omnibus delectatus, quòd horum autor esset sapientia, cum eam horum matrem esse ignorassem, & sedulò didici, & liberaliter impertio, nec eius opes celo. Nam is est inexhaustus hominibus thesaurus: quo qui utuntur, ij cum Deo coeunt in amicitiam, ob doctrinæ dotes cõmendati. Mihi quidem dedit Deus ut sententiosè loquerer, & ijs digna, quæ mihi concessa sunt, cogitarem: quippe qui & sapientiæ sit autor, & sapientum moderator. Etenim in eius manu & nos sumus & sermones nostri, omnisq; prudentia & artium peritia. *Solomonis sapientia.* C Is enim mihi dedit rerum cognitionem uerissimã, ut sciã mundi statum, & elementorũ effectionẽ, principium & finem & medium temporũ, solstitiorũ uicissitudines, et tempestatũ mutationes, annorum orbes, & siderũ situs, & naturas animantium, & bestiarũ animos, & uentorũ impetus, & ratiocinationes hominũ, & stirpium differẽtias, & radicum uires: deniq; quæcunq; uel occulta sunt, uel aperta, noui, utpote cum me omnium opifex docuerit sapientia. Inest enim in ea spiritus sagax, sanctus, unigenus, multiplex, subtilis, agilis, expeditus, incontaminatus, clarus, innoxius, boni studiosus, acutus, ineluctabilis, beneficus, humanus, fixus, firmus, securus, omnipotens, omnia cõtemplans, & omnes mentis puros tenuesque spiritus obiens. Nam D quouis motu mobilior sapientia omnia præ puritate penetrat, obitq;. Est enim quidã uapor diuinæ potentiæ, & sincera gloriæ Omnipotentis effluẽtia, quo fit ut nihil in eam cadat polluti. Est enim lucis æternæ splendor, & intaminatũ actionis Dei speculũ, & imago bonitatis eius. *Heb.1.a* Et cum sit una, omnia potest: & in seipsa permanens, omnia renouat: & per secula in sanctas animas migrans, Dei amicos & uates efficit. Nihil enim amat Deus, nisi sapientiæ cõtubernalem: nam ea sole speciosior est, & omnem siderum compositionem superat, luciq; comparata præstantior inuenitur: siquidem illi succedit nox: at sapientiam nõ uincit improbitas, quin ea ab extremo ad extremũ ualentior pertingat, et cuncta probè administret.

CAPVT VIII.

HAnc ego à teneris adamãs quæsiui, & mihi sponsam ducere studui, eius pulchritudinis amore captus. Ea generositatis est gloriosæ, Dei conuictu utens, & omnium adamata Domino. *Sapientiæ utilitas.* Est enim Dei scientiæ antistes, & eiusdẽ operũ præses. Quòd si diuitiæ res est in uita expetenda, quid sapientia locupletius? quæ efficit omnia. B Quòd si operatur prudentia, quis ea in rerum natura magis est artifex? Quòd si quis iustitiã amat, iustitię labores sunt uirtutes. Temperantiam enim edocet & prudentiã, iustitiam & fortitudinẽ, quibus nihil est hominibus in uita utilius. Sin quis multarũ rerũ peritiã expetit, hæc & antiqua nouit, & futura conijcit: sermonum fallacias et obscurarum quæstionũ solutiones callet: monstra prodigiaq; prænoscit, & tem

porum

porum ac tempestatū euentus. Hanc ergo mihi ad uitæ societatē asciscere decreui, sciens mihi bona daturam consilia, & curarum ac doloris lenimento futuram, per quam & gloriam apud uulgus, & honorem apud seniores consequitur iuuenis. Acutus inueniar in iudicio, & in conspectu potentum admirandus, L. principibus me coram stupentibus, G. qui me & tacentem manebunt, & loquentem attendent, pluribusq́
C disserente me manum ori admouebūt. Per hanc consequar immortalitatem, & ęternam posteris memoriā relinquam. Administrabo populos, mihiq́ gentes subijcientur, me uel auditum horrendi metuent tyranni, & uulgo bonus & bello fortis extabo: & in ea domum meam ingressus, acquiescam. Nihil enim acerbitatis aut doloris habet eius cōmercium atq́ conuictus, sed delectationem ac lætitiā. Hæc apud me cogitans & animo perpendens, esse in sapientiæ cognatione immortalitatem, inq́ eius & amicitia iucundam delectationē, & manuum laboribus inexhaustas diuitias, & collocutionis exercitatione prudentiam, & sermonum communicatione cla-
D ritatem, conabar circumiens eam mihi cooptare. eram autem puer bene natus, & bona indole præditus, quinetiam bonis ipse intaminatum corpus nactus eram. Sed intelligens me non aliter illius fore compotem, quàm si Deus dedisset (quod quidem erat prudentiæ, scire cuius esset beneficium) interpellaui Dominū, eumq́ orans sic toto corde locutus sum.

CAPUT IX.

Sapientiā Solomo petit à deo. 3.Reg.3.d

Deus patriæ & misericors Domine, qui cūcta tuo iussu fecisti, tuaq́ sapiētia hominē fabricatus es, ut creatis à te rebus dominaretur, & orbem sanctè iustéque administrans, rectò animo iudicium exerceret, da mihi assectatricem solij tui sapientiam, neue me ex tuorum cultorū numero reijcias, qui tuus sum seruus, ancilla tua natus, homo infirmus, æui breuis, & iudiciorum legumq́ peritia minor. Quamuis enim sit aliquis in hominum genere perfectus, absente
B quidem ista sapientia, nihili est habendus. Tu me tui populi regem tuorūq́ liberūm iudicem delegisti: tu iussisti templum ædificari, in sacro tuo monte, & in urbe tuæ habitationis aram, ad imitationem tui sacri tabernaculi, quod iam olim præparasti: & unà tecum operum tuorum conscia sapientia, quæ cum mundum conderes, aderat, scitq́ quid acceptum tibi, quid rectum sit in tuis præceptis. Manda eam ex sacris cœlis & à tuo glorioso solio: mitte eam, ut mihi præstò laboret, intelligamq́ quid tibi sit gratū (nouit enim illa & perspicit omnia) quæ mihi in
C meis actionibus ita prudenter præeat, & in sua gloria me custodiat, ut accepta sint opera mea, tuūq́ populū iustè administrē, et sim mei patris solio dignus. Nam quis homo cognoscat Dei consilium? aut quis perspiciat quid uelit Deus? Sunt enim mortaliū cogitationes miseræ, periculosaq́ nostra commenta: quippe cum mortale corpus animū grauet, obruatq́ mentē terrestre uas, adeò ut uix multa cum cura contemplemur D
terrestria, & quæ sunt in manibus ægrè inueniamus: tantum abest ut cœlestia quisquā peruestigare possit, aut consilium tuum cognoscere, nisi tu sapientiā dederis, sanctumq́ tuum spiritū ex alto demiseris, ut ita terrestrium mores corrigantur, & quæ tibi grata sint doceantur homines, sapientiaq́ conseruentur.

CAPUT X.

Haec primigenium generis humani patrem solum creatū conseruauit, & a à suo delicto uindicauit, eiq́ potestatem dedit in omnia dominandi. Sed ab ea cum irate defecisset b iniustus, pœnas ob interemptum fratrem capitales dedit, propter quem inundatam terrā denuò seruauit sapientia, in uili ligno iustum gubernando. Hæc inter improbitatis consensum gentium confusarum iustū agnouit, et inculpatum Deo tutata est, ac ut erga filium animata firmū cōseruauit. Hęc iustum pereuntib. impijs liberauit, elapsum ex demisso in quinq́ urbes incendio, quarū etiamnum nequitię testimonium perhibet fumans solum, & imperfectæ tempestiuitatis fructum edentes stirpes, & cōtumacis animæ monimentum posita salis statua. Nam neglecta sapientia nō solum detrimenta passi sunt, dum honesta ignorant, uerumetiam uesaniæ reliquerūt in uita indicium, ut in quibus lapsi sunt, in his ne latêre quidem possint. At sapientia cultores suos ex laboribus liberat. Hæc profugū ob fratris iram iustum rectis deduxit uijs, ei diuinū regnum ostendit, sanctorum cognitionem dedit, suppeditauit in ærumnis, & eius laboribus copiam suggessit, per fraudem oppresso adfuit, eum locupletauit, contra hostes conseruauit, ab insidiantibus tutata est, & ardui certaminis uictorē præstitit, ut intelligeret omnium potentissimā esse pietatem. Hæc uenditum iustum non reliquit, sed à peccato defendit: cum eo in antrum descendit, nec eum in uinculis deseruit, eousq́ ut ei regni sceptra attulerit, & in suos tyrannos potestatem mendacesque ostenderit eius criminatores, & ei gloriam conciliauerit æternam. Hæc pium populū inculpatamq́ progeniem ab infesta gente liberauit, ingressa in animum cultoris Domini: formidandis regibus cum miraculis ac ostentis restitit: pijs laborum suorum mercedem soluit: eos mirabili uia duxit, eis & tegu- D
mentum interdiu, & sideream flammam noctu præbens. Eos mare rubrū traduxit, & per uastas traiecit aquas, ac eorum hostibus demersis, ex imis emisit undis. Itaq́ iusti impios deprædati, tuum sanctum, Domine, nomen cantarunt, & in uictam manum laudarunt uno cōsensu, quandoquidem mutorum os aperuit sapientia, & infantium linguas reddidit expeditas.

a. quoniam metuit Adamus Deū (quæ uera est sapientia) nō perijt. Gen.1.d 2.b 4.b b. Cainus. Gen.7.b B Noa. B Gen.19.e Lothus. Gen.28.b Iacobus. Iosephus. Gen.37.f Exod.1.b Exo.3.b Exo.14. Psal 77.b Exo.12.e 15.a

CAPUT XI.

Successum dedit eorum operibus: sancti uatis opera iter fecerunt per incultam solitudinem, & in inuijs locis tentoria fixerunt, aduersarijs restiterunt, hostes ulti sunt. Cum te sitientes inuocassent, data est eis ex rigida caute du-

Ex.16.a. 17.c Num.20.

roq; saxo aqua, sitisq; remedium. Quibus enim puniti sunt eorum hostes, L. uidelicet potionis penuria, iisdem abundantes ipsi recreati sunt, G. iisdem in sua penuria benignè donati sunt. cum quidem illi pro perennis fonte fluminis, sangui guine cruento perturbati sunt, ad arguendum de occidendis infantibus edictum: at his uberrimam aquã præter spem dedisti, ostendens per illam sitim quemadmodum L. & tuos extolleres, & G. aduersarios punires.

Aegyptiorum pœnæ.

B Cum enim rebus aduersis afficerentur (quanquã clementer castigabantur) cognouerunt quàm iracundè pœnis cruciarentur impii. Siquidem hos tanquam pater castigans probasti: de illis autem tanquam rex seuerus damnatis supplicium sumpsisti. Et absentes autem & præsentes æquè torquebant, duplici dolore correpti, & præteritorũ memoria gementes. Cum enim audirent, dum ipsi cruciantur, illis benefieri, sentiebãt Dominum. Quem enim expositum olim abiectumq; deridentes repudiauerant, eundem in extremo rerum euentu admirati sunt, cum siti longè alia, quàm iusti, laborarent.

Exod. 7. d

C Pro uesanis autem improbisq; eorum cogitationibus, quibus decepti brutos serpentes, uilesq; bestias colebant, tu eis brutorũ animalium multitudinẽ ultionis causa immisisti, ut intelligerent per quæ quis peccat, per eadem puniri. Nec enim nequibat omnipotens manus tua, quæ mundum ex informi materia condiderat, illis immittere ursorum multitudinem, aut audaces leones, aut noui generis furore plenas ignotas bestias, aut igniuomũ spirantes flatũ, aut fumi crepitum efflantes, aut horrendis per oculos scintillis fulgurantes, quarũ non solũ noxa illos conficere posset, uerumetiã aspectus perterritos perdere. Adde quòd sine his uno flatu deiici poterant, urgente pœna, afflatu potentiæ tuæ uentilati.

D Uerũ omnia modo numeroq; & pondere temperasti. Nam multum posse tibi semper licet, & inuicti roboris brachiũ habes. Siquidẽ tibi perinde est uniuersus orbis, ac stateræ momentum, aut matutina gutta roris, ad terrã delapsa. Sed omnium misereris, qui omnia potes, & hominum peccatis ignoscis ut redeãt ad frugem. Amas enim res omnes, nec eorum quicquã inuisum habes quæ fecisti: nihil enim fecisses, si quid odisses: nedum ut possit aliquis inuito te manere, aut iniussu tuo cõseruari. Parcis autem omnib. quoniam tua sunt, amator animarum Domine.

CAPUT XII.

Deut. 9. a 12. d 18. b

Chananæorum pœnæ.

NAm incorruptus iste spiritus inest omnibus, per quẽ delinquẽtes paulatim arguis, & eorũ, in quibus peccãt, submonens, castigas, ut liberati uitiis, tibi fidẽ habeant, Domine. Etenim priscos illos tuæ sacræ terræ habitatores exosus, quod teterrima ueneficiorum facinora, nefariaq; sacra facerent, liberùmque cæsores immisericordes, & cruentas scelerosasq; dapes eorum qui humanorum corporum uiscera uescebantur, & fanaticos sacerdotes, & parentes [a] in defensarum animarũ interfectores, interficere uoluisti per maiores nostros, ut dignã Dei cultorũ coloniam acciperet tellus omniũ apud te honoratissima. Sed tamen [b] illis, ut hominibus, pepercisti, misistiq; exercitus tui præcursores uespas, quæ illos paulatim profligarent, non quia non posses acie impios iustis in potestatem tradere,

a. suorum liberorum.

b. Chananæis.

B aut feris bestiis, aut seuero iussu ad unum delere: sed quo paulatim puniendo, locum dares pœnitentiæ, non ignorans eos natura nequam esse, & eis innatam uitiositatem, nec unquam eorum mentes mutatum iri, quippe qui prosapia forent iam à principio deuota. Neq; uerò cuiusquam metu ueniam peccatorũ illis dabas. Nam quis à te facti rationem exigat? aut quis tuo decreto resistat? Quis te ob abolitas gentes, quas tu feceris, accuset? aut quis se tibi uindicem opponat, iniustorum hominũ gratia? Nec enim Deus est quisquam, præter te cui omnia sunt curæ, ut [c] ostendas te non iniquè puniuisse: neque rex ullus aut tyrannus oculos contra te attollere audeat pro iis quibus pœnas irrogaueris. Sed iustus cum sis, iustè administras omnia: & non meritum pœnas condemnare, alienum iudicas à tua potentia.

Exo. 23. d Deut. 7. a

2. Pet. 7. b

c. illi Deo rationem reddas.

C Nam tuæ uires iustitiæ caput est: & quòd omnibus dominaris, id ipsum facit ut parcas omnibus. Vires enim ostendis, dum non crederis esse perfecta potentia, & ignarorũ audaciã refellis. Tu uerò potestatis arbiter, ex æquo iudicas, & multa cum indulgentia regis nos: quippe cum tibi, cum uelis, posse liceat. Verùm talibus factis populum tuum docuisti, eum qui sit iustus, humanum esse oportere: & bonam spem tuis natis fecisti, te in peccatis locum dare pœnitentiæ. Si enim cultorum tuorum hostes, & mortem commeritos, tanta cum moderatione atque admonitione ultus es, & tempore & loco dato, quo recederent à uitiis, quanta cum diligentia regis tuos natos? quorum maioribus tot bona per iusiurandum & fœdera promiseris.

D Nos igitur si castigas, hostes nostros millies grauius cædis, ut bonitatem tuam considerate perpendamus: & cum punimur, misericordiam expectemus. Itaq; & insanam uitam degentes iniustos, per sua ipsorum scelera cruciasti. Nam per erroris uias longius errauerant, deos arbitrando animalia etiam apud hostes infamia, insipientum infantium more decepti: ideoq;, ceu pueris ratione carentibus, pœnam ad contumeliã irrogasti. Cumq; illi reprehensionis contumelia non corrigerentur, dignum Deo supplicium senserunt. Nam per ea quæ inuiti perpessi sunt, cum [d] iis ipsis rebus, quas deos esse putabant, torquerentur, cognouerunt quem olim se nosse negauerant, uerumq; agnouerunt Deum: & id circo extremo supplicio affecti sunt.

d. à bestiis ac aliis quæ sequenti capite declarantur.

CAPUT XIII.

Rom. 1. b

ETenim natura naui sunt omnes homines, in quibus inest ignoratio Dei, quiq; ex aspectabilibus bonis nõ possunt eum, qui est, cognoscere, nec considerandis operibus opificem agnoscunt: sed aut ignem, aut flatũ, aut pernicem aerem, aut astrorũ orbem, aut uiolentam aquam, aut cœli luminaria arbitros mundi deos esse putant,

putant. Quorũ si pulchritudine delectati deos arbitrantur, cognoscant quanto horum Dominus sit præstantior, quandoquidem ea condidit primus generator pulchritudinis. Sin autẽ potentiam & efficaciam admirati, intelligant ex eis quanto potentior sit eorum cõditor. Siquidem ex magnitudine & pulchritudine rerũ creatarũ, collatus ijs earum creator spectatur. Quãquam a his minus reprehendendi sunt. Nam fortasse Deum quærentes, & inuenire uolentes, errant: siquidem in eius operibus uersantes, scrutãtur, & aspectui obtemperant, quoniam quæ cernuntur, pulchra sunt, tametsi ne hi quidem uenia digni. Si enim tantũ cognoscere ualuerunt, ut potuerint mundi cognitionem pertingere, huius Dominũ qui fit ut citius nõ inuenerint? Sed infelices sunt, & spes in rebus mortuis sitas habẽt ij qui deos uocant humanarum manuum opera, aurum & argentũ arte fabrefactum, & animalium simulacra, aut ignauũ saxum, antiquæ manus opus. Aut si quis faber materiarius, succisa aliqua arbore tractabili, omnem circà corticem scitè destrinxit, & elegãti arte fabricatus est idoneum uas ad usum uitæ. Reiectanea autem operis parando cibo cõsumpsit ad satietatem. Tum illorum recisamentum ad nihil accommodum, tortuosum, ramisq́ nodosum trũcum sumpsit, & per ocium diligenter sculpsit, & uacãs peritè formauit, ac hominis effigie figurauit, aut animalis cuiuspiã uilis simile fecit, ac illito minio atq; fuco, id rubro colorauit, & omni in eo obducta macula, facta ei digna ipso ædicula, id in pariete collocauit, ferroq́ firmauit, ac ne decideret prospexit ei: sciens illud ne seipsum quidem adiuuare posse, quippe imaginem, & opis indigum. Deinde illud pro possessionib. pro nuptijs liberisq́ suis orare non erubescit, inanimum alloquẽs. Ac pro ualetudine quidem imbecillum inuocat: pro uita mortuũ interpellat: pro auxilio ei, quo nihil est magis mutilũ: pro itinere ei, qui ne gressu quidem uti possit, supplicat: de quæstu deniq;, de actione, de manuum successu ab ignauissimo petit manib. nauitatẽ.

B

a. Leuius peccãt qui Dei opera, ut ignẽ, ut aquam colunt, quàm qui simulacra.

In simulacri colas.

Esa.44.b Iere.10.a

D

CAPUT XIIII.

Rursus nauigationem adornans aliquis, ferasq́ permeaturus undas, lignum ei ipso, quo uehitur uitiosius implorat. a Illud enim quæstus auiditas excogitauit, artifex sapientia fabricauit, & tua Pater prouidentia gubernat: quippe qui per mare & undas uiam iterq́ tutum dederis, ostendens posse te quidem omnino conseruare, etiam si quis sine arte conscenderit: sed nolle opera sapientiæ tuæ esse ociosa. Hanc ob rem perexiguo ligno credũt homines uitã suã fluctusq́ traiecti nauibus euadunt. Et quidem iam primùm b pereuntibus superbis gigantib. mundi spes perfugio nauium reliquit seculo semen generis, tua gubernata manu. Felix enim lignũ est, per quod iustè fit: at manufactum detestabile est tum ipsum, tum eius fabricator: hic, quoniam fecit: illud, quoniam cum sit interiturum, Deus nominatur. Nam æquè inuisa sunt Deo & impius, & eius impietas: etenim opus unà cum opifice punietur. Itaq; etiam in simulacra gentium animaduertetur, quoniam in opificio Dei ad nefas sunt, & ad humanarum animarũ detrimenta, & ad dementium pedes illaqueandos. Siquidẽ scortandi caput, & uitæ corruptela, est simulacrorũ excogitatio atq; inuentio. Nam nec olim erant, nec perpetuò erunt: quippe hominũ ambitione introducta sunt in mundum, ideoq́ pernix eis finis est destinatus. Cum enim quidã pater immodico luctu sublati præmaturè filij angeret, imagine facta mortuum tunc hominem iam ut Deum honorauit, subditisq́ suis sacra ac ceremonias tradidit. Deinde tempore roborata impia consuetudo, pro lege seruata est, & tyrannorũ imperio colebantur effigies: ac quos corãm uenerari nõ poterant homines, quòd procul habitarẽt, eorum procul remotam faciem exprimentes, conspicuã uenerandi regis imaginẽ fecerunt, ut absenti perinde ac præsenti studiosè adularentur. Ad cultus autem intẽtionem etiã imperitos pellexit artificis studium. Is enim fortè dominãti placere uolẽs, elaborauit arte similitudinẽ pulchrius. Vulgus autẽ operis uenustate allectũ, quẽ modò ut hominem honorarat, mox numẽ existimauit: atq; hoc uitæ fuit dãnosum, quod calamitati aut tyrãnidi seruiẽtes homines, nulli cõmunicãdum nomẽ saxis & lignis imposuerũt. Iam uerò non satis erat circa Dei cognitionẽ errare, nisi in magno ignorãtiæ bello uiuẽtes, tanta mala pacem appellarent. Aut enim liberorũ immolationis sacrificia, aut clãdestinos ritus, aut insanas ex alijs ritibus bacchationes agitãdo, neq; uitã iam, neq; cõnubia tuentur mũda, sed alius alium aut per insidias interficit, aut adulterando angit: deniq; omnia passim occupat sanguis, cædes, furtum, fraus, corruptela, perfidia, tumultus, periurium, perturbatio bonorũ, beneficiorũ obliuio, animorũ labes, generis suppositio, connubiorũ cõfusio, adulteriũ, ac impudicitia. Nã infandorũ simulacrorũ cultus omnis mali origo, et causa, & finis est. Aut enim insanè lætantur, aut falsa uaticinantur, aut uiuunt iniustè, aut facilè peierãt, utpote qui inanimatis cõfisi simulacris, falsum iusiurãdum sibi fraudi futurũ nõ arbitrentur. Verùm utraq; de causa meritas luẽt, & quòd simulacris dediti, malè de Deo sentiunt: et quòd spreta sanctimonia, nequiter dolo iurant. Non enim eorum, qui iurantur, potentia, sed peccantium ultrix iustitia semper iniustorũ delicta plectit.

Nauigatio

a. artem nauigandi.

b. scilicet diluuio.

B

Simulacrorum origo.

C

D

CAPUT XV.

Tu uerò Deus noster es benignus atq; uerus, lentus, & omnia clementer administrans. Etenim si peccauerimus, tui sumus, sciẽtes tuam potestatẽ, non peccabimus uerò scientes nos tuos cẽseri. Nam nouisse te, absoluta iustitia est: & tuã scire potestatẽ, radix immortalitatis. Nec enim deceperit nos hominũ improborũ inuentum, nec adumbrationũ labor infructuosus, figuræ uarijs maculatæ coloribus, quorum aspectus in demẽtibus cupiditatẽ parit, ita

ut imaginis mortuæ speciem inanimam aueāt: malorū amatores, a quali spe digni sunt & qui faciunt, & qui concupiscunt, & qui uenerātur. Nam figulus mollem humū laboriosè pressās, fingit ad usum nostrū quid uis, ac ex eadem argilla & honestis operibus seruitura uasa, & his cōtraria pariter effingit, eorumq; quis cuiusq; in utroq; genere sit usus, arbiter est figulus. Atq; idem ille pessimè locans operā, uanum Deum fingit ex eodem luto, cum ipse nuper è terra natus, breui sit in eādem, ex qua sumptus est, abiturus, cum animæ debitum ab eo exiget. Sed ei cura est nō quàm sit laboraturus, neq; quàm sit uitæ breuis, uerùm certat cum aurificibus et argentarijs, ærariosq; fabros æmulatur, res nihili fingere gloriosum ducēs. Cuius quidem & cor puluis est, & spes terra uilior, & uita argilla abiectior, qui eum ignoret, qui finxit ipsum, qui ei operosam inspirauit animā, et uitalem spiritum inflauit. Sed illi uitam ætatemq; nostrā ludum esse arbitrant, lucrosamq; nundinationem, qui dicant undecunque, etiam ex mala re, quæstum esse faciendū. Is enim omniū optimè scit peccare se, qui ex terrea materia, fragilia uasa signaq; fabricatur. Sed longè amētissimi ac puerilibus animis miseriores sunt tui populi hostes, qui ei imperāt, qui omnia simulacra gentium pro dijs habeant, quibus nec usus oculorū est ad uidendum, neq; nares ad hauriendum aerem, nec aures ad audiendum, nec manuū digiti ad tangendum, nec pedes ad gressum habiles. Eos enim fecit ac finxit homo, qui ipse precariū spiritum habet, cum nullus homo simile sibi possit Deū fingere. Sed mortalis ipse mortuum efficit manibus nefarijs, cum sit ipse præstantior, quàm sunt ipsius numina, quippe qui uiuat, illa nunquam. Quinetiam inuisissima uenerantur animalia, quæ collatis inter sese brutis, sunt alijs deteriora, ne tanta quidem pulchritudine prædita (qualem animalium forma capit) ut expetantur: quæ deniq; b Dei & laude carent & fauore.

a. talibus dijs in quibus spē habeant. B
Rom. 9.d
C
Psal. 113.b 134.c
D
b. ea Deus impura uocat, uitariq; iubet, ut est in Mosis lege.

CAPUT XVI.

PRopterea per similia meritò puniti sunt, qui per multitudinē bestiarum cruciati fuerint: pro qua pœna populo tuo benefecisti, auidæ appetentiæ cibū noui saporis exhibēdo, uidelicet coturnices, ut illi quidem quamuis cibū cupientes, tamē a propter immissorū in se animalium appetentiam, etiam à necessarijs cibis appetēdis abhorrerēt: hi uerò paulisper penuriam passi, etiam nouū participarēt saporem. Oportebat enim illis iniustè imperātibus, ineuitabilem penuriam accidere: his autē duntaxat ostendi quo pacto eorū hostes cruciarent. Nam cum eos tam grauis bestiarū furor inuasisset, ut tortuosorū serpentum morsibus interirent, nō durauit ad extremū ira tua, sed castigationis gratia paulisper turbati sunt, b salutare signū habētes, quo legis tuæ præcepta recordarent. Non enim qui respiciebat, per rem uisam, sed per te seruatorem omnium, seruabat. Atq; in eo nostris hostibus persuasisti eum esse te, qui ab omni malo tueare, quod cum illos locustarum muscarumq; morsibus interemisses, ita ut nullum inueniretur eorū uitæ remediū, quippe qui digni essent qui talibus plecterent, natos tuos ne uenenatorum quidem draconū uicēre dentes, utpote tua intercedente misericordia, & eos sanāte. Siquidem ad oraculorum tuorū recordationē stimulabantur, citoq; seruabant, ne in altam obliuionem prolapsi, tuo beneficio retrahi nō possent. Nam nec herba, nec malagma curauit eos, sed sermo tuus, Dñe, qui sanat omnia. Tu enim uitæ necisq; potestatem habes: tu ad Orci portas deprimis, & idē inde retrahis. Homo quidem improbitate sua c interficit, sed egressum spiritū non reuocat, nec sublatum animū dissoluit. At tua manus ut effugiatur fieri non potest. Negantes enim impij te sibi notum esse, robore brachij tui uerberati sunt, insuetis pluuijs, grādinibus, & imbribus ineuitabilibus infestati atque confecti. Quod enim maximè incredibile est, in aquam omnia extinguentem uim summā habebat ignis, quippe ipso mūdo propugnatore iustorum. Nam modo mitescebat flamma, ne immissa in impios animalia cōbureret, sed ipsi se palàm diuinis pœnis agi uiderent: modò etiam inter aquam, supra ignis uires, ardebat, ut sceleratæ regionis fœtus corrūperet. Pro quibus rebus geniorū cibo pauisti tuos, eisq; paratū nullo labore panē de cœlo misisti omni uoluptate pollentē, omniq; gustui accommodatum. Nam quod tu præbebas, id tuā erga natos suauitatem patefaciebat, quod uescētis appetentiæ subseruiens, ad cuiusq; uoluntatē temperabat. d Nix quoq; & glacies ignē sustinebant, neq; liquefiebant, ut illi cognoscerent, qui ignis inter grādinem & pluuias ardens atq; fulgurans, hostium fruges corruperat, eundem rursum, ut alerentur iusti, suas ipsius uires oblitū esse. Rerum enim natura tibi cōditori obsequēs, & in pœnas cōtra improbos intenditur, & eorū, qui tibi confidunt, gratia remittitur ad beneficiū. Propterea tum quoq; in omnia se trāsferens, tuæ omniū nutrici benignitati inseruiebat ad egentium arbitrium, ut discerent tui nati, quos adamasti, Domine, nō frugum prouentu homines ali, sed uerbis tuis, eos qui tibi fidem habeant, conseruari. e Quod enim igne non corrūpebatur, idem planè exiguo solis radio calefactum liquescebat, ut notum esset solem agendis tibi gratijs præueniendū, & te sub ortum lucis interpellandum esse. Nam ingratorum spes uelut hyberna glacies liquescet, & inutilis aquæ ritu diffluet.

Num. 11.g
a. quod illa animalia omnia uorabāt ac fœdabant, ut nullus superesset intactus cibus, quo Aegyptij uesci sustinerent.
Num. 21.b
b. serpentē æneum.
B
Exod. 10.d 8.f
Apoc. 9.b
Deut. 32.f
1.Reg. 2.a
Tob. 2.a
c. mortem inferre potest, sed nō item uitam C reddere, aut animā quā à corpore seiunxerit, dissoluere. At tu omnia potes.
Exod. 9.e
Exod. 16.c
Num. 11.b
Psal. 77.c
Iohan 6.d
Exod. 9.e
D
d. Manna, quæ nix quædam & glacies erat, tamen igne coquebat, neque liquescebat, cum eadem solo solueretur.
Deut. 8.a
Matth. 4.a
e. Manna.

CAPUT XVII.

SVnt enim magna tua iudicia L. Domine, G. & inenarrabilia L. uerba, G. ideoq; imperiti errarunt homines. Nam arbitrati se sanctā gentem oppressuros, scelerati, tenebrarū uinculis et longæ noctis constricti, cōclusi tectis ab æterna prouidentia extorres iacuerūt. Siquidem in occultis peccatis lucifugo obliuionis uelamēto latère se putantes, profligati sunt, attoniti grauiter, spectrisq; perturbati. Nec enim quæ continebat

Exod. 10.f
Aegyptiæ tenebræ

tinebat eos latebra, seruabat impauidos: sed cōfragosi sonitus circumsonabant, & tristi obstipoq; uultu lemures apparebant. Et ignis quidē

B nulla uis lucere poterat, nec siderū fulgētes flāmæ inamabilē illam noctē ualebant illustrare.

Exod. 7.b. 8.d

Tantū eis ultrò apparebāt pleni timoris ignes; quo aspectu parū perspicuo perterriti, grauiora putabunt quæ L. non G. cernebant. Iacebant autē magicæ artis præstigiæ, & a prudentiæ iactātia turpissimè refutabatur.

a. magi qui se prudentes iactabant.

Nam qui se promittebant ægrotantis animi timores ac perturbationes depulsuros, iidē ridicula timiditate laborabāt. Quamuis enim b nihil eos turbulentū terreret, bestiarū transitionibus serpentiūq; sibilis cōsternati, peribant tremebundi, & c ineuitabilem prorsus aerē intueri recusantes.

b. scilicet quod esset reipsa, erat enim tantū spectra.

c. spectra illa, quæ uitari non poterant.

Est enim timida res improbitas, proprio teste damnata. Semper aūt d augentur aduersa, comitante consciētia. Nihil enim est metus, nisi destitutio ad-

C miniculorū rationis.

d. grauius urunt, cum mēs est sibi male conscia.

Cum autē minus est intus expectatio, plura opinat, propter ignorationem causæ cruciatū exhibētis. Ergo illi impotētem uerè noctem, & ab impotentis Orci recessibus profectā, eodem somno sopiti, partim spectrorum monstris exagitabant, partim animi defectione exanimabant. Repentinus enim eos inexpectatusq; pauor inuadebat: atq; ita quicūq; tandem ibi collapsus erat, is in carcerē citra ferrum conclusus, custodiebat. Nam siue quis a-

D gricola, siue pastor erat, aut solitariorū laborum operarius, is oppressus, ineuitabilem necessitatem sustinebat. Siquidem una tenebrarū catena omnes cōstricti erant, siue sibilans spiritus, siue densos inter ramos modulatus auium sonitus, siue murmura quæ uiolenter decurrentis, siue immanis ruentiū saxorū fragor, siue salientium animaliū cursus inaspectabilis, siue mugientiū sæuissimarū bestiarū uox, siue repercussa montium cauernis echo eos metu exanimabant. Cū enim totus orbis clara luce collustraretur, & inoffensis operibus occuparetur, solis illis grauis incumbebat nox, imago excepturarum eos tenebrarum, qui ipsi sibi grauiores erāt tenebris.

CAPUT XVIII.

AT tuis piis maxima lux erat, quorum a illi uocē quidem audientes, sed faciem nō uidentes, quòd quidem nō & b illi eadem paterētur, beatos prædicabāt: quòd aūt iniuria lacessiti nō læderent, gratias agebant, & inimicitiarū ueniam rogabāt.

a. Aegyptii.
b. Israelitæ.
Exod. 10.

Pro quibus tu tuis igneā columnā, quæ & itineris ignoti dux, & honorificæ peregrinationis sol innocuus esset, exhibuisti. Etenim digni erāt c illi, q luce priuati in tenebris tenerentur, qui cōclusos tenuissent tuos natos, per quos legis immortale iubar seculo tradēdū erat.

Exod. 14.e
Psal. 77.b & 104.d
c. Aegyptii.

Cū igitur illi piorū tuorū infantes occidēre decreuissent, tu uno exposito, & ad cōfutandos illos seruato puero, eos tot liberis orbasti, et uniuersos in uehemēti aqua perdidisti. Fuerat enim nostris præcognita maioribus illa nox, ut

Exod. 1.d 2.c
Exo. 14.f.g

E certò scientes iusiurādum, cui crediderāt, bono essent animo. Atq; ita cōsecutus est tuus populus & iustorū salutem, & hostiū perniciē. Nam quòd aduersarios ultus es, hoc ipso nos monitos affecisti gloria. Cum enim clam d sacrificarent pii bonorū nati, & diuinā legem concorditer sancirent, eadem pariter & bona & pericula participaturos esse sanctos, patribus iam laudes præcinentibus, obstrepebat dissonus hostium clamor, & miserabilis puerorū, qui deplorabātur, luctus dimanabat.

d. Paschales agnos.
Exo. 12.d.e

Eādem aūt pœna seruus unà cum dño affectus, & eadem plebeius cū rege passus erat, pariterq; cūcti uno mortis nomine mortuos habebāt innumerabiles, adeò ut ad sepeliendū uiui nō sufficerent, quādo uno momento præclarissima eorū proles interierat. Cū enim propter ueneficia nihil crederent, in primogenitorū exitio cōfessi sunt Dei filium esse populū. Nam quieto silentio omnia tenente, & nocte suū medium diuidente cursum, omnipotens sermo tuus de cœlo ex regali solio, seueris- C simus bellator, in mediū profligatę regionis dēsiliit, acutū apertissimi tui mādati ensem ferens; & ita omnia morte cōpleuit, cum quidē & cœlum tangeret, & in terra ingrederet. Tum illos subitò uisa somniorū grauiter perturbare, & inexpectati timores inuadere, cū alius alibi iacēs semiuiuus, ob quam moreretur causam indicaret. Id enim turbulenta somnia præsignificarāt, ne ignari cur mala paterentur, perirent. Tetigit aūt etiam iustos experientia mortis, & cladem in desertis accepit ciuitas, sed nō diu durauit sæuitia. Properauit enim e uir integerrimus propugnare, & sui muneris arma, preces, & suffimenti piaculū gestans, furori restitit, & calamitat finem imposuit, ostendens se famulum esse tuum.

Num. 16.
e. Aaron. D

Vicit autem turbā non roborē corporis, nō armis usus, sed uerbis punitorem superauit, cōmemorādo maiorū iureiurādo atq; fœdere. Nam aceruatim iam collapsis aliis super alios mortuis, medius obstās sæuitiā præcidit, & ad uiuentes aditū interclusit. Inerat enim in indumento talari totus ornatus, & patrum decora in quadruplicis lapidū ordinis cælatura, maiestasque tua in eius capitis diademate.

Exod. 28.b

His perditor ille cessit, hęc extimuit, quòd sæuitiā uel tētasse satis esset.

CAPUT XIX.

Exod. 14.a

AT impiis usq; ad extremū furor immisericors institit. Præuidebat enim ille etiam quid facturi essent, uidelicet fore ut quos abire permisissent, & studiosè deduxissent, eosdem pœnitentes persequerent. Adhuc enim in mānibus habentes luctus, & ad sepulchra mortuorum lamentantes, aliud adhibuerūt dementiæ consilium: & quos supplicando eiecerāt, eosdē ut fugitiuos insequuti sunt. Trahebat enim eos ad eum exitum digna necessitas, & eorū, quæ acciderant, obliuionē iniiciebat, ut quod supplicii cruciatibus deerat, explerēt, et populus tuus incredibile experiretur iter, & illi nouam mortem inuenirent. Etenim tota rerū natura in suo E genere rursum de integro trāsfigurabatur, tuis mādatis seruiens, ut tui nati conseruarentur illæsi: castra nubes umbrabat: ubi steterat aqua prius,

prius, conspecta est emersa tellus arida: pro eo quod fuerat mare rubrũ, fuit iter expeditum, & herbosus ex gurgite uiolento campus, per quẽ tota gens transijt, tua manu protecti, miranda monstra intuiti. Ergo ut equi pasti, ui que agni exultarunt, laudantes te, Domine, liberatorem suum. Meminerant enim adhuc quæ in peregrinatione sua accidissent, ut pro animalium genere tellus insecta edidisset, pro aquatilibus flumen ranarum multitudinẽ euomuisset. Postremò etiam nouũ auium genus uiderũt, quod cu-

C

piditate ducti delicatas postulassẽt dapes. Nam ad mitigandos eos ascenderunt eis ex mari coturnices, cũ interim [a] sontes inuasissent pœnæ, non sine prægressis fulminũ ui portentis. Nam digna peruersitate sua patiebantur, qui grauiorem inhospitalitatẽ exercuissent. Siquidem alij ignotos aduenas nõ recipiebant: alij bene meritos hospites in seruitutem redigebãt. Iam uerò quónam supplicio puniendi, qui extraneos uel inimicè acciperent, uel festiuè admissos, & iam eiusdem iuris factos, grauibus affictarent

Exo.16.c
a.Aegyptios.
Nume.11.g

D

laboribus? Ergo etiam cæcitate mulctati sunt, ut [b] illi pro foribus [c] hominis iusti, cũ tetris circumfusi tenebris suarũ quisq; foriũ introitum quærerent. Nam elementa alia in alia cõcinnè migrantia mutant nomen, sicut in fidibus concentionis soni, cum tamen semper sonitu maneant, id quod licet ex ijs quæ acciderunt diligenter contemplandis conijcere. Nam & terrestria in aquatilia mutabantur, & natatilia in terram transibant: ignis retinebat in aqua uim suã, aqua extinguẽdi uim oblita. Rursum flammæ à mortalibus animantibus calcatæ, earũ carnes non conficiebant, nec immortalis cibi glaciale genus, liquatu facilè, liquefaciebãt. Etenim per omnia, Domine, populum tuũ amplificasti, ac decorasti, neque commisisti ut non ei omni & tempore adesses, & loco.

b.Sodomitæ.
c.Loti.

ECCLESIASTICVS, SIVE SAPIENTIA IOSVAE SIRACHI FILII.

Quæ sunt inclusa his duabus notis [ ], non in omnibus extant Græcis exemplaribus. Neque tamen id ubique notauimus, præsertim ubi eadem Latinè extant.

Interpretis Græci Præfatio.



VM MVLTA nobis & magna per legem atq; uates, aliosq; q illos secuti sunt, tradita sint, propter quę laudandi sunt Israelitę eruditionis ac sapientiæ nomine: cumq; non solum lectores ipsos oporteat doctos euadere, sed etiam externis posse studiosos & dicẽdo & scribẽdo utiles esse, auus meus Iosua, cum se legis & uatum aliorumq; patriorum librorũ lectioni multum addixisset, & in his magnũ progressum fecisset, adductus est & ipse ut aliquid eorũ, quæ ad eruditionem ac sapientiam pertinerent, conscriberet, ut studiosi, & qui se his dedidissent, multo plus ad legitimè uiuendũ proficerent. Vos igitur exhortor, ut cũ beneuolentia & attentione legatis, ac ueniam detis, sicubi uidebimur circa interpretationem elaborãdo, uim quorundam uerborum non assecuti. Non enim eandẽ uim habent eadem, quæ suo modo Hebraicè dicuntur, cum in alienã linguã translata fuerint. Neq; uerò solũ hæc, sed alia quoq;, ut ipsa lex & oracula, cæteriq; libri, nõ parũ interest utrũ sua lingua dicãtur. Igitur anno regis Ptolemæi Euergetę duodequadragesimo cum uenissem in Aegyptum, ibiq; cõmoratus, non mediocris eruditionis exemplar reperissem, in primis operæprecium duxi, studiũ aliquod & laborẽ ad interpretandum hũc librũ adhibere. Multum aũt & uigilãtię adhibui, & industrię, eo temporis spacio, ut ad finem perductus liber ederetur, utq; qui uellẽt in exilio studijs operã dare, ij cõponendis moribus ex lege uiuerent.

CAPVT I.

3.Reg.3.b.
4.c
Iob.28.b
Iacobi 1.a

OMnis sapientia à Domino est, & penes eundem est perpetuò. Arenam maris, & pluuię guttas, & seculi dies quis enumeret? Altitudinem cœli, & terræ latitudinem, & pelagi L. profundũ quis dimetiatur? G. & sapientiam L. Dei omnia excellentem G. quis peruestiget? Prima omnium creata est sapientia, & prudens intelligentia ab æternitate. L. Sapientiæ fons est supremus Dei sermo, & aditus eiusdem æterna præcepta. G. Sapientiæ radix cui detecta est? eius calliditatem quis nouit? L. Sapientiæ disciplina cui detecta patefactaq; est? aut quis eius tam multiplicem uiam nouit? G. Vnus est sapiens, L. creator omnium supremus, omnipotens, & rex potens, G. ualde terribilis, sedens in

Ro.11.d

B

solio suo Dominus, L. & dominãs Deus. G. Is eam L. sancto spiritu G. creauit, uidit, enumerauit, L. & mensus est. G. Hac omnia opera sua, mortalesq; omnes pro sua munificentia perfudit, eamq; sui amãtibus suggessit. Domini metus gloria est, & gloriatio, & uoluptas, & corona lætitiæ. Domini metus mentem delectat, uoluptatemq;, & gaudium, & longũ æuum præbet. Metuenti Dominum bene erit ad extremum, isq; tum, cum obibit, inueniet gratiã. L. Amor Dei præclara est sapientia, quam qui intuentes uiderunt, ij uisam, & ex ipsius amplitudine agnitam diligunt. G. Sapientiæ caput est Deũ metuere, eaq; cum fidelibus unà in utero creatur, L. & cum lectis fœminis graditur, & cum iustis & fidelibus agnoscitur. Domini metus scita est religio. Religio mentẽ custodit, iustamq; reddit, & uoluptatẽ gaudiumq; præbet. G. Ea apud homines sempiternum iecit fundamentũ, eorumq; soboli concreditur. Sapientiæ plenitudo est metuere Dominum, eaq; homines fru-

Pro.1.a.9.c
Psal.110.d

C

nes fructibus suis exaturat: suam domum omnem suis delicijs, & cellas prouentibus replet, quod utrūq; Dei muneris est, ad felicitatē pertinēs. Sapiētiæ corona est Domini metus, pacem germinās, & salutarē incolumitatē, cuius amatores gloria abūdè exhilarat. Scientiam & prudentiæ cognitionē depluit sapientia, & capessentes se gloria extollit. Sapientiæ radix est metuere Dominū: rami autem grandæuitas. L. Sapientiæ cellis inest intelligentia, scitaq; religio: sed fontibus inuisa est sapiētia. G. [Domini metus peccata depellit, & quandiu præsens est, irā arcet]. Non potest homo iracundus absolui, utpote cum eius ad furorē procliuitas sit ei ruinæ

D causa. Ad tempus tolerat, qui patiēs est, & postea exoritur ei lætitia. Ad tempus sua uerba supprimit, & eius prudentia multorū oratione prædicatur. In sapientiæ cellis reposita est intelligētia: sed fonti inuisa est pietas Sapientiā si cupis, exequere præcepta, & Dominus eam tibi suggeret. Sapientia enim & eruditio Domini metus est, eiq; accepta fides est, & mansuetudo. Ne esto in Domini metum cōtumax, néue eum, si qua re eges, adito corde duplici. a Ne simulator esto apud ora hominū, & da operā ne teipsum tuis labris extollas, ne cadas, & tibi ipsi dedecus cōfles, detegatq; arcana tua Dominus, & te palàm uulgo deijciat, quod Domini metū uerè nō susceperis, sed animū fraudis plenū habueris.

a. ne te apud alios laudes, cū lateāt in te crimina.

CAPVT II.

Mat. 4. a — 2. Timot. 3. b — 2. Pet. 4. b

Fili si Domino Deo seruire aggrederis, L. retine iustitiam ac religionem, & G. animum tuum ad res aduersas para. Habe rectam mentem, & dura. L. Præbe aurem, scitaq; uerba percipe, G. & ne incursionis tempore trepidato. L. Sustine patienter Deum, G. ei adhæreto, néue desciscito, ut ad extremum amplificeris. Quicquid tibi contigerit, libenter accipe. L. dolorem tolera: G. & in afflictionis tuæ uicissitudine patiens esto. Nam & aurū igne, & homines accepti afflictionis fornace probantur. Fidem habe Deo, & tibi subueniet: rectis insiste uijs, & in

Prou. 17. a — Psal. 30. a — Esai. 26. b

B illo spem habeto. L. eius metum retine, & in eo consenesce. G. Qui Dominū reueremini, expectate eius misericordiam, & ne deflectite, ne cadatis. Qui Dominū reueremini, ei fidem habete, & merces uestra nō intercidet. Qui Dominum reueremini, sperate bona, & æternam uoluptatem ac misericordiam. L. Qui Dominum reueremini, eum diligite, uobis illustrabuntur animi. G. Contemplamini prisca secula, & considerate ecquis Domino fidem habuerit, & fuerit frustratus, aut quis in eius metu perstiterit, et desertus fuerit: aut quis eum inuocauerit, quem

Psal. 30. a

B ille despexerit. Nam clemēs & misericors Dominus, peccata condonat, & aduerso tempore defendit, L. omniumque tutator est, qui ei uerè student. G. Væ mentibus ignauis, L. scelestisq; labris, G. & manibus remissis, & improbo, duabus L. in terra G. uijs gradienti. Væ dissolutæ menti, quæ quia fidem non habet, ideo nō protegetur. Væ uobis qui amisistis patientiam, L. relictisq; rectis uijs, in prauas diuertistis. G. ecquid facietis, cum Dominus in homines inquiret? Qui Dominū reuerentur, non sunt in eius dicta contumaces: & qui eum amant, eius uias tenent. Qui Dominum reuerentur, eius fauorem quærunt: & qui eum amant, eius lege complentur. Qui Dominū reuerentur, mentes suas componunt, & animos illi summittunt. L. Qui Dominum reuerentur, eius præcepta exequuntur, & donec ipsorum ille rationē habeat, tolerāt, dicētes: Nisi resipuerimus, G. incidemus in manus Dñi, non in manus hominū. Quanta enim eius est maiestas, tāta est & misericordia. L.

2. Reg. 14. c

CAPVT III.

Natorum officium

Sapientiæ filij cœtus iustorum est, & eorum genus obedientia & charitas. G. Sententiā patris audite nati, & sic agite ut seruemini. Dominus enim patrem liberis decorauit, & matris sententiam in liberos sanxit. Qui patrē obseruabit, peccata expiabit, L. & ab eis sese cōtinebit, ac interim orans exaudietur. G. Et qui matrem suam honorat, perinde est ac si thesaurū compararet. Qui patrē obseruabit, liberis delectabitur: cumq; supplicabit, exaudietur. Qui patrem honorabit, uiuet diu: & qui Dominum audiet, matrem suā recreabit, & parentibus suis, tanquam dominis, seruiet. Et re & uerbis L. cum omni B

Exod. 20. e — Deut. 5. b — Matth. 15. a — Mar. 7. b — Eccles. 6.

patientia. G. honora patrem tuū, ut ipse tibi benè precetur, L. eiusq; fausta precatio perpetuò maneat. G. Patris enim fausta precatio stabilit liberorū domos: matris uerò imprecatio funditùs eas diruit. Noli ex tui patris dedecore tibi gloriā quærere: nec enim tibi gloriæ est patris dedecus. Nam hominis gloria ex eius honore patris est, & probrosa liberis est mater infamis. Fili subueni tuo patri in eius senectute, néue ei acerbā uitam reddito, & si sensibus fuerit alienatus, ignosce, & ne eum non honores summa ope caueto. Nam adhibita in patrē beneficentia non tradetur obliuioni, quin tibi aduersum peccata construetur: in tuis rebus aduersis recordabitur tui: ut per serenitatem gelu, sic resoluentur tua peccata. O quàm impius est qui patrem deserit? & Domino execratus, qui matrē suam irritat? Fili res tuas còmiter transige, & hominibus probis charus eris. Quanto maior es, tanto te magis summitte, & à Domino gratiā inibis. C

Multi quidem præstantes sunt, & illustres: sed modestis patefiūt arcana. Nam magna est Dñi potentia, & à modestis honorat. Maiora ac difficiliora tuis uirib. ne quęre aut scrutare. Quæ tibi L. à Deo G. præcepta sunt, ea sanctè meditare, L. nec in multis eius operib. esto curiosus G. Nō enim tibi opus est, ut oculis tuis arcana spectes. Quę ad tua negocia nō pertinent, superuacuò curare noli: nam plura tibi, q; pro humano captu, monstrata sunt. Multos enim sua decepit uana persuasio, eorūq; mentes labefactauit opinio praua. [Pupulis orbus lumine carebis, itaque scientiā, cuius expers es, ne profitere]. Durus animus tandē malo mulctabitur, & q periculū amat, in eo peribit. L. Animus duabus uijs ingre-

Prou. 25. d

ingrediens, succes sib. carebit, & mala mens in eis offendet. G. Durus animus laboribus grauabitur, & improbus peccata peccatis adijcit. Per suasionis superborum nullum est remedium, [eorumq́ gressus conuellent]. Nam in eis radices egit stirps nequitiæ. Prudentū animus sententias excogitat, & auditorum auris, a cupiditas est sapientum. L. Sapiens & intelligens animus à peccatis se abstinet, & in iustè factis feliciter uersatur. G. Vt ardētem ignem restinguit aqua, ita peccata expiat beneficētia. Qui gratiam refert, b memor est futuri, ita ut si quādo labatur, adminiculum inueniat.

D

a. est id quod cupiunt.

Dan. 4 c

b. sibi prospicit in futurū. Nam qui non est ingratus, huic libenter subuenimus.

CAPVT IIII.

Fili pauperē uictu ne defraudato, néue oculos egenos differto. Esurientem hominē ne contristato, néue quenquam in eius inopia irritaueris. Irritatum animum ne insuper turbato, néue indigenti donare differto. Supplicem afflictum ne repudiato, néue à paupere uultum auerteris. Ab egente oculos ne auerteris, néue locum homini dederis detestandi te. Nam si te ille exacerbato animo detestatus fuerit, exaudiet eius preces eius creator. Præbe te L. pauperum G. cœtui amabilem, L. animumq́ tuum seniori, G. & optimati caput summitte. Præbe aurem pauperi nō grauatè. L. Fungere officio tuo, G. eiq́ amicè & comiter responde. Libera eum, cui fit iniuria, ab eo qui infert iniuriam: néue paruum animum habeas in iudicando. Esto pupillis ut pater, & eorum matri pro uiro: & eris Supremo pro filio, qui te plus amabit, quàm tua ipsius mater. Sapiētia filios suos extollit, suiq́ studiosis subuenit, L. & iustitiæ uiam præit. G. Eam qui amat, uitam amat: & qui ei inuigilant, uoluptate refercientur. Ea potitus, gloriam consequetur: & quócunq́ iuerit, fortunabit Dominus. Hanc qui colent, c fano ministrabunt, & eius amatores amat Dominus. Sapientiæ qui obediet, gentes iudicabit: quiq́ ei operā dederit, tutò habitabit. Si se fidum præstiterit, eam possidebit, suisq́ posteris hæreditariam relinquet. Ea quidem primum cum eo aget obliquè, eiq́ metum ac formidinem incutiet, & eum sua disciplina torquebit, donec eius animo fidem habeat. Deinde ubi eum suo iure tentauerit, rursus recta aggredietur uia, exhilarabitq́, & ei arcana sua deteget, L. eumq́ue scientia & iustitiæ prudentia locupletabit. G. Quòd si aberrauerit, eū deseret, & in casum permittet. L. Fili, G. Obserua tempus, & caue malum, néue te de temet ipso L. uerū dicere G. pudeat. Nam alius pudor peccatum affert, alius gloriam gratiamq́ conciliat. Ne personarum habeto rationem, si tuam salutem amas: néue G. L. alterum ita uerearis, ut ea res tibi detrimentum afferat. G. Cum est aliquis defendendus, orationem ne cohibueris, [néue tuam celaueris sapientiam, cum sit illustranda.] Nam ex sermone uerbisq́ linguæ cognoscitur sapientia, ac eruditio, L. & prudentia, & scientia, & doctrina ex oratione prudētis, & ex iustis operibus firmitas. G. Noli ullo modo

Tob. 4. b

Deut. 15. a

Matth. 25. c

B

c. Dei facerdotes erūt, hoc est beati.

C

D

contradicere ueritati, quin te, si quid per imprudentiam falsum dixeris, b pudeat. Ne uerecundare tuum peccatū confiteri. c Ne obnitere contra fluminis agmen, néue te homini stulto substraueris. Potentis personæ rationē ne habeto: ad mortē usq́ decerta pro ueritate, L. & uel cum uitæ periculo cōtende pro iustitia, G. & Dominus Deus pro te L. cōtra tuos inimicos G. propugnabit. Ne lingua audax, factis autem ignauus & remissus esto. Ne esto domi tuæ quasi quidā leo, néue cerebrosus domesticos cōtunde, L. aut subditos opprime. G. Ne manū habeto ad accipiendum porrectam, ad reddendum contractam.

b. ne impudenter nega, sed uerecundè fatere.

c. effræni st ultitię nō magis obsisti potest, quàm flumini.

CAPVT V.

Noli tuas spectare facultates, néue tibi ad uitam satis esse cogitaueris: L. nihil enim proderunt, tum cum ad supplicium deposcēris. G. Noli tuæ libidini aut uiribus obsequi, animi tui cupiditatibus obsequendo, néue te L. ita potentem esse G. cogites, ut sis insuperabilis. Nam te uindex Dominus ulciscetur. Ne dixeris nihil tibi, quamuis peccaueris, accidisse: Dominum enim esse lentum atq́ placabilem: is uerò te non sinet impunitum. Ne securus esto, peccata peccatis addendo: néue sic cogites, eum pro sua singulari clementia tuis tot peccatis esse ueniam daturū. Cum enim ab eo & misericordia proficiscatur, & ira, in nocentes incumbit sæuitia. Ne cunctare ad Dominū redire, néue diem ex die ducas: nā ex improuiso prodibit ira Domini, ita ut negligēdo perdaris, & ultionis tempore pereas. Ne specta facultates iniustas: nihil eñ tibi proderunt tum cum ad pœnas peteris. Neq́ quolibet uento uentila, neq́ qualibet semita gradere, tanquam bilinguis improbus. In tua certa sententia, L. uiaq́ Domini, & scietia G. firmus esto, & unus esto sermo tuus, L. uerbaq́ pacata atq́ iusta sint tibi familiaria. G. Esto & ad audiendū celer, & ad responsum reddendū tardus. Si rem tenes, alteri respondeto: sin minus, os tuum manu cōprimito, L. ne indocto sermone turpiter capiaris. G. In sermone et decus inest & dedecus, suaq́ homini lingua ruina est. Caue, L. si tuam uitā amas, G. ne calumniator uocēre, néue tua lingua insidieris. Nam cum furem comitetur pudor, bilinguem sequitur L. pœnitentia, & G. grauissima uituperatio: L. & calumniatorem odium, inimicitiæ, atq́ infamia. G Nihil tantum tantillúmue imprudenter age.

B

Prouer. 16.

C

Prou. 11. a & 10. a

D

CAPVT VI.

Noli ex amico inimicus fieri. Nomē enim malum, probrum, & dedecus feret talis improbus bilinguis. Ne teipsum extollito in animi tui consilio, ne te tuus animus a quasi taurus quidā discerpat, tuaq́ folia depascat, & fructus perdat, teq́ tanquam aridam L. in syluis G. arborē relinquat. Nam improbus animus eum perdit, à quo habetur, & inimicorū ludibrio exponit, L. ac in impiorū sortem deducit G. Suaue guttur multos sibi cōciliat amicos, L. et mitigat inimicos, G. linguaq́ diserta multū parat affabilitatis. Pacatos habeto multos, cōsiliarios uerò unum,

a. ut solent tauri uasta re stirpes.

unum de mille. Si amicum paras, periclatione parato, & ne ei cito credideris. Est enim aliquis amicus, dum ipsi opportunum est, qui in tuis rebus aduersis non perseueret. Est amicus qui ad inimicitias & bellū transferat, tuumque probrum deregat.
B Est et amicus mensarum socius, qui in tuis difficultatibus nō maneat. Rebus quidem tuis secundis erit alter tu, et in tuos domesticos [b] utetur libertate. Quod si fueris deiectus, erit tibi contrarius, seque tuo cōspectui subtrahet. Ab inimicis tuis teipsum separa, & ab amicis caue. Fidus amicus, firmum praesidium: eum qui inuenit, thesaurum inuenit. Amicum fidelem nulla res exaequat, nec ullum L. auri argentiue G. pondus eius fidei dignitatem aequiparat. Fidus amicus salutaris medicina est, L. & immortalitas: G. quem quidem inueniunt qui Dominum reuerentur. Qui Dominum reueretur, [c] recta utitur amicitia, adeò ut sit ille tanquam alter idem. Fili ab ineunte aetate excipe disciplinam, & usque ad canos sapientiam inuenies. Eam quasi arans aut serens adito, & eius bonos fructus expectato. Nam in eius opere paululū laborabis, & breui eius uescēre prouē-
C tibus. Ea est indocilibus perquàm aspera, nec in ea manent excordes, quippe quae tam rigida sit eis, quàm est [d] probator lapis, ita ut eam abijcere non cunctentur. Eis enim sapientia [e] nomine est, neque multis est perspicua. Audi fili, & sententiam meam admitte, nec meū consilium repudia. Insere tuos pedes in eius compedes, & collum in numellam. Eam subiecto humero tuo porta, néue eius grauare uincula. Ad eam toto animo accede, totisque uirib. uias eius tene. Vestiga & quaere, & tibi cognoscetur, qua tu potitus, ne eam reliqueris. Ad extremum enim requietem eius inuenies, tibique ea uertetur in uoluptatem, & erunt tibi eius compedes pro uali-
D do praesidio, L. solidoque fundamento: G. & numellae pro amictu honorifico. Est enim aureo compta mundo, eiusque uincula sunt textū hyacinthinum. Ea pro amictu honesto uestieris, & festae coronae loco indueris. Si uolueris, fili, erudieris: & si animum adhibueris, cautus fies. Si libenter audieris, adipiscēre prudentiam: & si aurem praebueris, fies sapiens. In seniorum coetu uersare, & si quis sapiēs est, huic te adiunge. Omnem diuinū sermonē audire uelis, nec te scita dicta fugiant. Si quem uideris intelligentem, ei inuigilato, eiusque forium gradus tuo pede terito. De Domini praeceptis prorsus cogita, eiusque mandata assiduè meditare. Is tibi mentem cōfirmabit, cupientique tibi sapientia dabitur.

b. si quid in te peccauerint, obiurgabit, eisque liberè imperabit, tibi ea ratione adulās.

c. uerū amicū Dei munere nanciscitur.

d. cos.

e. nomine non re nota est.

CAPVT VII.

Mala ne facito, ne te malum inuadat: abstine ab iniustitia, & recedent à te L. mala. G. Fili ne sere in sulcos iniustitiae, ne septuplū inde metas. Nec à Domino principatum pete, nec à rege sedem honorificā. Neque te apud Dominū excusa, L. utpote qui mentes norit. G. neque apud regem sapientiam ostenta. Ne stude iudex fieri, ne [a] iniurias ferre non possis: ne fortè potentis personam ueritus, [b] integritati tuae labem inuras. Ne pecca in ciuitatis multitudinem, néue te in turbam praecipita. Peccatū ne iterādo concatenato, ne unum quidem impunè laturus. Ne cogitaueris supremum Deū tua quamlibet multa munera respecturū, & libamina accepturum.
B Ne sis animi pusilli in tuis precibus, néue benigne facere omiseris. Hominem animi aegritudine laborantem ne derideto: [c] est enim qui & deprimat & euehat, L. Deus animaduersor. G. Ne quid falsum machinare cōtra fratrem tuum, néue quid tale facito in amicum. Noli ullo modo mentiri: nam mendacij frequentatio nihil affert boni. In seniorū coetu ne garrito, nec eandem rem in tuis precibus iterato. Laboriosum opus, & conditam à Supremo agriculturam ne oderis. Ne teipsum ad improborum coetum aggrega: animum tuum multū summitte: memento poenam non abfuturā diu: nam impiorū supplicium ignis est atque uermes. Amicū rei quamuis excellentis causa ne permutato, nec germanum fratrem uel auro Ophirio. Sapiēte bonaque
C uxore ne excide, L. quā Domini metuentē sortitus sis. G. nam eius L. pudicitiae G. gratia pluris est quàm aurum. Ne malè tractaueris famulū fideliter operantem, aut seipsum impendentem mercenarium. Bonum famulum animo charum habeto, ne eū libertate defraudaueris. Sunt tibi pecora, ea curato: & si tibi sunt utilia, maneant tibi. Sunt tibi nati, eos doceto, eorūque ceruicem à pueris flectito. Sunt tibi filiae, earū corpus obseruato, nec eis hilarem uultum praebeto. Eloca filiam, & magnum opus peregeris, & eam uiro prudenti tradito. Vxorem habes ex animi tui sententia, ne eam repudiaueris, L. néue te inuisae credideris. G. Toto corde patrem tuū honorato, néue matris [d] dolores obliuiscere. Memento te per eos natum, non posse eis parem
D gratiam referre. Toto animo reuerere Dominum, & sacerdotes eius suspice. Totis uirib. dilige creatorem tuum, néue sacros eius ministros deserueris. Dominum uerere, & sacerdotes honora, eisque suam portionem tribue, ut tibi praeceptum est, primitias, piacularia, porrectitios armos, lustrales uictimas, sacrorumque primitias: tum pauperibus manum porrige, ut perfecta sit tua L. liberalitas ac G. munificentia. Grata est apud mortales omnes largitio: [e] ne mortuo quidem liberalitatem denegaueris. Ne desto plorantibus, L. quominus eos consolēre: G. & cum lugentibus lugeto. Aegrotū uisere ne pigrere: nam ob talia charus eris. In omnibus tuis negotijs memento exitus tui, & nunquam peccabis.

a. iudex eo-

rū odijs & iniurijs obnoxius est, quos condēnauerit.

b. iniquam sententiam feras.

c. potest Deus & illū derisum extollere, & derisorē deprimere.

Tob. 4. a

d quos te gestādo & pariendo pertulit.

Leuit. 2. a

e. Quid sit hoc, uide quae in Tob. 4. a. scripsimus.

Matth. 25. d

CAPVT VIII.

Ne pugna cum homine potente, ne in eius manus incidas. Ne contende cum locuplete homine, ne te [a] praepōderet. Multos enim perdidit aurum, & argentum, G. etiamque regum mentes L. distraxit ac G. deprauauit. Ne pugna cum homine linguaci, néue eius [b] ignem lignis confercito. Ne collude cum indocto, ne dedecorentur maiores tui. Ne conuicium dicito homini

a. sua autoritate & pecunia superet.

b. loquacitatem contradicēdo.

mini ab improbitate recedenti; memento nos omnes esse in crimine. B Hominem in eius senectute ne spernito: etenim ex nobis sunt qui consenescunt. Ob inimicum tuum mortuũ ne gaudeto, memor omnes obire nos. Ne omittito L. senum G. sapientum sermones, & in eorum uersare sententijs: nam ab eis disces L. sapientiam, scitamq́ G. doctrinam, & commode ministrare magnatibus. Senum sermones ne prætermitte: didicerunt enim ipsi à patribus suis: itaque ab eis prudentiam disces, & tempestiuè responsum dare. C Ne incende carbones improbi, L. eum arguens, G. ne eius L. peccatorum G. ignea flamma conflagres. Noli contumelioso non assurgere, ne quasi insidiatorem corpori tuo colloces. Ne mutuato homini te potentiori: quòd si mutuaueris, pro amisso habeto. Ne fideiubeto supra uires tuas: quòd si fideiusseris, esto sollicitus, perinde ac soluturus. Cum iudice ne litiga: nam secundum eum fiet iudicium. Cum audace iter ne facito, ne tibi sit grauis: nam ipse arbitratu suo aget, & tu simul per eius amentiam peribis. Cum iracundo pugnam ne commiseris, D neue cum eo deserta peragraueris: nam sanguinem pro nihilo ducit: & ubi aberit auxiliũ, prosternet te. Cum stulto cõsilium ne inito: nec enim rem continere poterit. Coram alieno nihil arcani feceris: nescis enim quid designaturus sit. Vili homini mentem tuam ne aperis ne tibi falsam referat gratiam, L. conuiciumq́ faciat. G.

Senes

CAPVT IX.

COniugi quam complecteris, ne obtrectato, neue contra teipsum malã disciplinam doceto. Vxori animum tuum ne addicito, ita ut potestatem tuam superscandat, L. ad tuum dedecus. G. Meretricanti mulieri ne occurrito, ne fortè in eius laqueos incidas. Fidicinam ne frequentato, L. neue audito, G. ne eius capiaris artibus. Virginem ne contemplare, ne ea tibi crimini sit & detrimento. Scortis animum tuum ne addicito, ne L. & te & G. tuam perdas hæreditatem. Ne circumspice per urbis uicos, nec per eius infrequentia loca uagare: auerte à muliere formosa oculos, nec alienam contemplare pulchritudinẽ. Mulieris pulchritudine multi B decepti sunt, atque ex ea amor, ut ignis, exardescit. L. Omnis impudica mulier quasi stercus in uia, ab omnibus prætereuntibus conculcabitur. Multi mulieris alienæ faciem admirati, nequam facti sunt: colloquium enim illius quasi ignis exardescit. G. Cũ marita muliere omnino ne sedeto, L. neue cum ea in conuiuio accumbito. G. neue uino cõmercium cum ea habeto, ne fortè ad eam tuus inclinet animus, atque ita affectu tuo prolabaris in perniciem. Amicum ueterem C ne deserito: nam recens ei par non est. Vinum nouum, amicus nouus, si inueterauerit, id cum uoluptate bibes. Improbi gloriæ L. & opibus G. ne inuideto: nescis enim quis sit futurus eius exitus. Improborũ prosperitas tibi ne placeat: memento eos non esse ad [a] Orcum usque pœnas euasuros. Procul abesto ab homine qui potestatem habet interficiendi, & nõ eris mortis timore dubius. Quòd si ad eum accesseris, ne delinquito, ne tibi uitam adimat. Cognosce te per medias meare pedicas, & per urbiũ pinnas ingredi. Pro uirili alios exploratо, & cum sapientibus consultato, cumq́ prudentibus colloquia conferto, & de Supremi lege tuus sit omnis sermo. D Viri boni sint tibi conuiuæ, & in Domini metu sit tua gloriatio. De manu artificum laudatur opus, & de oratione sua populi gubernator, L. & de prudentia senilis oratio. G. Formidolosus est in ciuitate linguax homo, & temerarius oratione sua inuisus est.

a. interitũ

CAPVT X.

REctor sapiens populũ suum docet, & prudentis principatus est ordinatus. Qualis populi rector est, tales & eius ministri: & qualis est urbis gubernator, tales sunt omnes eius incolæ. Rex imperitus perdit suum populum, & potentum prudentia, frequentatur urbs. In Domini manu terræ potestas est, qui ei quem expedit, opportunè præficit. In Domini manu est hominis prosperitas, idemq́ suam literatorum personis gloriã tribuit. Vllam ob iniquitatem alteri ne irascere, ne ue quicquam per iniuriam facito. Inuisa & Domino & hominibus est superbia, & utriq; iniusta facinora auersantur. Propter iniurias enim, & cõtumelias, & fraude partas opes, regnum ab alia ad aliam gentem transfertur. G. Nam auaro nihil est scelestius. B [a] Nihil est iniquius quàm amare pecuniam: is enim etiam animam uenalem habet, L. quippe qui in uita [b] omnem humanitatis affectum abiecerit. G. Omnis potentatus, breuis uita est: langor prolixior grauat medicum. Longum morbum præcidit medicus, & hodie rex, cras morietur. G. Quid terra superbit & cinis? cum mortui hominis hæreditas serpentes sint, & bestiæ, & uermes? Superbiæ caput est, hominem à Domino deficere, & animum à creatore suo auocare: nam peccati caput est superbia, & q ea præditus est, nefaria designat, L. donec tandem euertatur. G. Propterea deturpat Dominus fastus L. malorum, G. eosq; euertit ad extremum. C Solia L. superborum G. principũ deturbat Dominus, eorumq́ loco mansuetos collocat. Superbarum gentium stirpem extirpat Dominus, & pro eis humiles gloriosè plantat. Gentium regiones euertit Dominus, & eas ex terra funditus abolet. Eos tollit atq; perdit, & eorum memoriam ex terris aufert. L. Superborũ memoriam Deus abolet, & memoriam relinquit eorum qui sunt animo modesti G. [c] Nec hominibus superbia, nec furiosa ira generi mulierum creata est. Honesta progenies est, scilicet hominis progenies: honesta progenies est, scilicet Dominum reuerentes. Turpis progenies est, scilicet hominis progenies: turpis progenies est, scilicet qui præcepta uiolant. Certa progenies sunt qui reuerentur Do-

a. quod hic interpositum erat, Quid terra superbit & cinis, id transposuimus.
b. G. intestina aut uiscera sua iocũ puto deprauatum.

c. aliena debet esse ab hominis natura.

tur Dominũ, & honesta planta qui eum amant. [Turpis progenies sunt, qui legem negligunt: uana progenies, qui præcepta uiolant.] Inter fratres, qui eis præest, honorabilis est: & qui Dominum reueretur, apud [d] ipsum. Ne deficiat imperium, obstat Domini metus: duritia uerò & superbia imperium amittitur. Et diuitis, & illustris, & pauperis gloriatio esse debet Domini metus. Nec prudentem pauperem non honorari, nec L. diuitẽ G. improbũ honorari æquum est. Summates & gubernatores & potentes honorantur: sed eorum nullus maior est reuerente Dominũ. Sapienti seruo liberi seruiunt, & uir prudens L. ac docilis G. cum docetur nõ fremit: L. & imperitus nõ honorabitur. G. Ne uerecundare opus tuum facere, néue [e] ita gloriosus esto difficili tempore. Præstat qui operatur, & omnibus abũdat, quàm qui gloriosus eget uictu. Fili mansuetudine personam tuam honestato, & ei pro eius dignitate honorem conciliato. Peccantem contra suam ipsius personam quis excuset? aut quis suam ipsius uitam infamantem honoret? Pauper ob scientiam L. religionẽq; G. suam: diues ob suas diuitias honoratur: qui uerò honoratur in paupertate, quanto magis si esset in diuitijs? & qui infamis est in diuitijs, quanto foret in paupertate magis?

d. scilicet Dominum honorabilis est.

D

Pro. 17. a

e. ab opere abhorrens, quasi indignũ sit tua gloria.

Pro. 12. b

CAPVT XI.

SApientia humiliũ caput extollit, & eos inter optimates collocat. Ne uirum ob eis pulchritudinem laudaueris: ne hominem ob eius formam abhorrueris. Cum uolucrũ minima sit apis, eius fructus dulcedinis primas tenet. In amictu uestium ne gloriare, nec cum in honore es, efferaris: nam L. [a] solius supremi G. Domini opera mirabilia sunt, L. & gloriosa, G. & occulta, L. ignotaq; G. eius facta apud homines. Multi tyranni sederunt humi, & non nemo præter opinionẽ diadema gestauit. Multi potentes magnam subierunt infamiam, & honorati in aliorum manus traditi sunt. Priusquam exploraueris, ne reprehende: cognosce prius, deinde L. iure obiurgato. Antequam audieris ne responde, néue medios sermones interpella. De re, quæ tua nihil interest, ne contende, néue in improborũ iudicio conside. Fili ne labores multa congerere: si enim abundaueris, non eris innocẽs: et si persecutus fueris, non assequêris: neq; si aufugeris, effugies. Est qui laboret, & moliat, et sat agat, qui tamen tanto magis indiget. Est tardus et opis indigus, uiribusq; destitutus, qui tamen in paupertate abundat, eumq; Dominus benignis respicit oculis, & ex humilitate attollit, & eius caput ex calamitate euehit, ita ut eum spectantes admirent multi, L. Deumq; prædicent. G. Bona & mala, uita & mors, paupertas & diuitię, à Domino proficiscunt. A Domino item sapientia ac scientia, legisq; peritia, tum charitas & bene morata uita. [Scelerosis cognata sunt error & tenebræ: & qui sibi placent in uitijs, in prauitate consenescunt.] Domini liberalitas permanet pijs, eiusq; fauor feliciter perpetuatur. Est qui diligentia & tenacitate ditescat, cuius mercedis cõditio ea est, quod dum se nactum esse quietem dicet, & nunc suis epulaturum bonis, nescius quod tempus uenturum sit, relinquet alijs ea, & morietur. Mane in conditione tua, & in ea uersare, ac in opere tuo consenesce. Improborũ facta ne mirare: fidem habe Domino, & in labore tuo perseuera: nã Domino facile est citò repentè ditare pauperẽ. Dominus fauore suo ad piorum mercedem L. festinat, G. breuiq; tempore fauorem suum germinat. [b] Ne dixeris, [c] Quis est usus mei, aut quęnam mihi deinceps erunt bona? Néue dixeris: Satis habeo, multaq; possideo, & quid deinceps in uita mali patiar? Bonorũ tẽpore ne immemor esto malorũ, & malorum tempore memento bonorum. Facilè est enim Domino obitus tempore homini digna factis præmia soluere. Temporis difficultas obliuionem affert deliciarum, & in hominis interitu est eius operum patefactio. Ante obitum neminem beatum dixeris, atq; ex suis natis cognoscitur. Ne quemuis hominem domum tuam introducito: nam multæ sunt malitiosorũ insidiæ. L. Vt enim eructant præcordia fœtidorum, utq; G. capta perdix conjicitur in caueam, L. & ut caprea in laqueum: G. ita superbi animus, tanquam speculator, casum obseruat. Nam bona in mala conuertẽs insidiatur, & laudabilibus labem infert. Vt G. una L. ignis scintilla fit multa pruna, L. ita ab uno malitioso fit multus sanguis, G. et impius homo sanguini insidiatur. A malefico (fabricatur enim mala) caueto, ne tibi notam inurat æternam. Alienum in contubernium admitte, & te turbis euertet, ac tuis ipsius bonis priuabit.

Iohan. 7. c

Daniel 6. a

a. periculũ est ne te ille deprimat, ut solet superbos.

Pro. 18.

B

Pro. 10. c

C

Luc. 12. c

b. neq; pauperi calamitoso desperáda est melior fortuna, neq; fortunato nõ metuẽdus casus.

c. Quid agã? aut quá do desinã esse miser?

D

Infrà 17.

CAPVT XII.

SI benefacis, cognosce cui facias, & L. multam G. inibis tuis benefactis gratiã. Pijs benefacito, & L. magnum G. consequêre præmiũ, si non ab ipsis, at à Supremo. Non sunt bona perseueranti in malis, & egentibus nõ largienti L. Cum Supremus improbos odio habeat, & resipiscentium misereatur, G. largire pio, & ne subueni improbo: benefac inopi, & ne impio largire: quin eum uictu prohibe, néue ei largire, ne te per ea opprimat. Nam bis tantum malorum consequêre, quantumcunque bonorum in eum contuleris: siquidem Supremus improbos odit, et impijs pœnas irrogabit, quos in supplicij diẽ reseruat. Largire bonis, néue improbis succurre. Nec secundis rebus dignoscitur amicus, nec aduersis latet inimicus. Secunda hominis fortuna eius inimici dolent: aduersa etiam amicus abscedit. Inimico tuo nunquam credideris: nam quale æruginosum æs, [a] talis est eius malitia. Et quãuis sese deijciat, ac summisse gerat, aduerte animum, & ab illo caue, & eris ei perinde ac qui speculum exterseris, cognoscesq; eum tãdem [b] nõ æruginosum. Eum apud teipsum ne statueris, ne te euerso, in locũ tuum subeat. Eum tibi ad dexteram ne collocaueris,

B

a. simultatione tegitur, ut æs ærugine.

b. detecta

C

b. detecta simulationis ærugine.

ueris, ne tuam conetur occupare sedem, tandémque dicta mea recognoscas, & te mea uerba remordeant. Quis misereatur incantatoris à serpente icti? aut ullius qui ad bestias accesserit? itidem etiam eius qui hominem improbum adierit, séque eius peccatis admiscuerit. Vnam horam tecum in statu iusto permanebit: quòd si nutaueris, non durabit. D Labris quidem suauibus utetur inimicus, & multum garriet, & tecum bella oratione aget, & oculis illachrymabit: sed mente deliberabit de te in foueam præcipitando: quòd si tempus fuerit nactus, [c] non explebitur sanguine. Mala si tibi acciderint, eum ibi priorem te reperies: atque is opitulari se simulans, tibi calce supplantabit. Caput suum quassabit, & manibus plaudet, & multa garriet, & personam suam mutabit.

c. utetur inexplebili crudelitate.

CAPVT XIII.

QVi picem tangit, contaminatur ea: & qui cum superbo communicat, fit eius similis. Grauius quàm pro te onus ne subiueris, néue cum potentiori te aut ditiori communica. Quid communicet olla cum aheno? in quod si offenderit ea, confringetur. Diues etiam quum fecit iniuram, minatur: pauper etiam cum passus est iniuriam, supplicet oportet. [a] Si utilis eris, in seruiet tibi: sin egebis, deseret te. Si habebis, uiuet tecum, téque exinaniet, nec ipse laborabit. Egens tui te decipiet, tibi arridebit, spémque dabit, pulchrè alloquetur: Qua tibi re opus est? inquiet: sed te parasitando turpiter illudet, donec te bis terque exinaniat, & ad extremum etiam irrideat. Postea te spectabit, & deseret, & caput suum aduersum te quassabit. B L. Summitte te Deo, & eius manus expecta. G. Caue ne mente fallaris, aut amentia tua affligaris. L. [b] Noli humilis esse in sapientia tua, ne depressus in stultitiam, seducaris. G. Aduocatus à potente, fac ut refugias, & tanto te magis aduocabit. Ne ingere te, ne repellaris: néue procul absiste, ne tradaris obliuioni. Ne stude cum eo colloqui, néue pluribus eius uerbis crede: multo enim sermone tentabit te, & quasi arridens arcana tua rimabitur. Immisericors [c] obseruabit L. tua G. uerba, nec à lædendo & uinculis abstinebit. Obserua, & diligenter operam da, ut audias, nam in periculo uersaris. L. Atque illis auditis uerbis, simula somnum, & tamen uide & uigila. Per omnem uitam tuam ama Deum, & ad salutem C tuam inuoca. G. Omne animal sui simile diligit, & omnis homo alterum: denique omnia animalia cum suo genere congregantur, & sui similibus coniunguntur homines. Quid commune lupo cum agno? sic improbo cum pio: quæ pax hyænæ cum cane? quæ pax diuiti cum paupere? ut præda leonum syluestres asini sunt in saltibus, sic diuitum pabula pauperes. Vt inuisa superbo humilitas, ita inuisus est diuiti pauper. Diues nutans confirmatur ab amicis: at humilis lapsus repellitur. Diuitis, si deliquerit, D multi sunt adiutores, qui etiam nefaria locutum defendant. Humilis, si deliquit, etiam obiurgatur: si doctè uerba facit, non datur ei locus. Diuite loquente, silent omnes, & eius orationem ad nubila extollunt: pauper si loquitur, dicunt: Quis iste est? quòd si offenderit, eum etiam euertunt. [d] Bonæ sunt diuitiæ, quibus L. conscia G. non inest improbitas: & mala paupertas in impiorum domibus. Hominis cor eius uultum mutat, modò ad lætitiam, modò ad mœrorem. Cordis indicium in rebus prosperis est uultus hilaris, & laboriosæ cogitationes, sententiarum commentatio est.

a. Loquitur de falso amico, de quo suprà cap. 6.

b. Hanc sententiam nō intelligo.

c. in Græco est, nō obseruans, sed malui Latinum sequi, cuius aptior est sententia.

d. nec malæ sunt diuitiæ, si diues sit bonus, nec bona paupertas, si pauper malus.

CAPVT XIIII.

FElix homo qui nec ore delinquit, nec peccati dolore angitur. Felix [a] quem suus non damnat animus, quíque sua spe non excidit. Hominem sordidum non decent diuitiæ, & homini inuido quorsum pecuniæ? Qui defraudando suo genio L. iniustè G. congerit, alijs congerit, eiusque bonis luxuriabuntur alij. Qui ipse sibi malus est, cui bonus erit? cum ipse suis rebus non oblectetur? Qui sibimet inuidet, eo nemo nequior est. atque hoc est eius malignitatis præmium, quòd si bene facit, dolens L. nolensque G. facit, & tandem malignitatem suam patefacit. Nequam est oculis qui inuidet, uultum auertit, & homines despicit. B Auari oculus nulla conditione expletur, & maligni iniquitas eius animum tabefacit. Malignus oculus in pane inuidus, & in sua mensa indigens. Fili, pro eo quod habes benefac tibiipsi, & Domino munera dignè libato, memor non tardaturam mortem, nec tibi statum fati tempus esse declaratum. Antequam obeas, amico benefac, eique pro tuis facultatibus subministra atque largire. Ne careto suaui tempopore, neu te bonæ cupiditatis sors prætersugiat. C Nempe tuos labores alijs, & ægre quæsita sortis diuisioni relinques. Da & accipe, animúmque sanctum habe. L. Ante obitum tuum exerce liberalitatem: G. nec enim est apud inferos alimentum quærendum. Omne animal uestis more ueterascit: est enim ab omni æternitate fatale, mortem obire. Vt uirentia in frondosa arbore folia alia decidunt, alia nascuntur, ita carnis & sanguinis genus aliud obit, aliud gignitur. Omne opus putrescens deficit, & eius autor post id discedit. L. Omne uerò egregium opus euadet, & eius autor per id decorabitur. G. Beatus homo qui sapienter honesta meditatur, qui prudenter & sanctè disputat, qui sapientiæ uias mente cogitat, D & arcana perpendit. Insequere eam à tergo tanquam explorator, & in eius insidiare diuerticulis. Qui per eius fenestras inspicit, & pro foribus eius auscultat, qui iuxta eius domum diuersatur, & [fixo in eius parietibus palo, [propter eam tabernaculum suum collocat, is L. perpetuò G. uersabitur in diuersorio bonorum: suos natos illius tutelæ committet, sub eiusque ramis deget: per eam ab ardore protegetur, & in eius gloria uersabitur.

a. qui non est sibi malè cōscius.

Pro. 27. d

Suprà 4. d
Tob. 4. b

Esa. 40. b
Iacob 1. b
1. Pet. 1. d

CAP.

CAPUT XV.

QVi Dominum metuit, rectè facit: & qui legem tenet, sapientiam comprehendit, eaq; illi, tanquam L. honesta G. mater, occurrit, & eũ quasi uxor uirgo ducta excipit. Hæc cum L. uitæ ac G. prudentiæ pabulo pascit, & ei L. salutaris G. sapientiæ potionem bibere dat. Ea firmatus atque nixus haudquaquam labefactatur, aut frustratur. Hæc eum supra alios extollit, & in media cõcione os eius aperit, L. eumq; sapientiæ & prudentiæ spiritu replet, & gloriæ amictu uestit. G. Ei uoluptatem & lætitiæ coronam comparat, & nomen æternum conciliat. Non eam comprehendunt indociles homines: non improbi uident: abest à superbia L. dolóque G. procul, nec eius meminerunt homines mendaces. L. At ueraces per eam tantum consequuntur, ut usq; ad Dei cognitionem proficiat. G. Nõ est honesta laus in ore improbi, quippe quæ à Domino nõ proficiscatur. Nam L. & à Deo proficiscitur sapientia, & G. per sapientiam pronuncianda laus est, L. quæ laus ubi in ore fideli multa est, G. Dominus ei aspirat. Ne te dixeris [b] autore Domino deliquisse: quæ enim odit, facere non debes. Ne dixeris te ab eo deceptum esse: [c] nec enim homine eget improbo. Omne nefas odit Dominus, idq; eum reuerentibus charum non est. Ipse L. Deus G. principio cum creasset hominem, cum arbitrio sui consilij permisit. L. Adiecit mandata & præcepta sua. G. Si præcepta exequi uolueris, & fideliter ac libenter agere, L. ipsa te conseruabunt. G. Propositus est tibi ignis & aqua: ad utrum uoles manum tuam porriges. Homini proposita est uita & mors, L. bonum & malum. G. utrum ei placuerit, id ei dabitur. Est enim multa sapientia Dominus, & potentia pollet, & omnia uidet L. sine intermissione, G. & coniectos habet oculos in sui metuentes, et omne opus hominis cognoscit, neque cuiquam impiè agere præcepit, neq; cuiquam peccandi licentiam dedit. [d] L. Non enim ullo omnino infideli & nequam filio delectatur. G.

b Dominũ esse in causa ut tu deliqueris, cũ delinquere ueret.

c. nõ est eorum similis qui improbos corrũpunt, ut eorum opera faciãt quod uolunt.

Matth. 19. c. Hier. 21. c. Psal. 33. c. Heb. 4. c.

d. si peccandi licentiã dedisset, placeret ei qui peccarent, sicut placet patri filius qui est ei dicto audiẽs.

CAPUT XVI.

NE opta copiam inutilium liberũm, neúe impijs lætare filijs: si multi sunt, ne eis delæare, nisi Domini metu præditi sunt. Noli eorum aut uitæ confidere, aut multitudinem spectare. Præstat enim unus bonus, quàm mille improbi: & sine liberis mori, quàm liberos habere impios. Per unum enim prudentem frequentatur urbs: [a] improborum uerò genus breui uastatur. Multa talia & oculis uidi, & auribus etiam his grauiora audiui. In improborum cœtum incenditur ignis, & in cõtumacem gentem exarsit ira. Implacabilis fuit Deus in priscos gigantes qui suis insanis uiribus deprauati essent. Non ijs pepercit, apud quos commorabatur Lotus, quos ob eorum superbiam abominaretur. Non est misertus gentis perditorum, qui suis peccatis sublati sunt, atque ita sexcẽta millia peditum, qui animi pertinacia conspirauerant, flagellãdo, miserando, cædendo, sanandó que Dominus misericordia castigationeq; conseruauit. Quod si uel unus in populo contumax fuerit, mirum hoc erit, si impunè feret. Est enim eius & clementia & ira: & ueniam dare, & iram fundere potest, ut magnæ clementiæ, ita & magnæ seueritatis est; pro suis quenque factis iudicat. Nec rapinis effugiet improbus, nec pij frustra erit patientia. Omni beneficentiæ locum dabit. Suis quisque digna factis L. & anteactæ uitæ prudentia G. consequetur. [Dominus Pharaonem ita indurauit, ut Pharao eum non cognosceret, ut ipsius fortia facta subiectæ cœlo terræ innotescerent. Omni rerum naturæ eius clementia nota est, adamante discreuit lucem suam & tenebras.] Noli ita cogitare: Latebo Dominum: quis mei suprà meminerit? inter tot homines nulla erit mei recordatio: nam quantula est mea persona in immensitate rerum? Ipsum etiam cœlum, cœliq; cœlum Dei profundum & tellus, & quæcunque in eis insunt, eius aspectu commouentur, simulq; montes, & terræ fundamenta, eo intuente, tremore concutiuntur, quæ omnia, nulla mente dignè perspici queunt, L. cum illi perspicuæ sint mentes omnium. G. Eius quidem rationes & impetus ne animo quidem comprehendi possunt, nedum oculis cerni humanis, & maior eius operum pars occulta est. Iustitiæ opera quis enunciet? aut quis sustineat? nam ita remotum est fatum, ut omnium inquisitio fatiscat. Hæc summissa mẽs cogitat: at insanus homo, & errans, stulta cogitat. Audi me nate, & scientiam disce, & mea dicta animaduerte. explicabo perpensam doctrinam, exactéque scientiam indicabo. Cum ratione fecit Dominus principió opera sua, & ijs conditis, eorum partes distribuit. Ornauit in perpetuum opera sua, & eius sua manu eiusmodi principia dedit, in alias atque alias ætates duratura, [ut non esuriant, nec in suis operibus defatigentur, aut ab officijs cessent.] Non infesta sunt alijs alia, nec unquam eius imperium detrectant. Deinde intuitus Dominus terram, eam suis impleuit bonis, ita ut eius solum omni animalium genere operiatur, quorum fiat in eandem reuersio.

a. Latinus sic, à tribus impijs desolatur.

1. Petr. 3. d. b

CAPUT XVII.

DOminus ex terra creauit hominem, rursum'que redegit in eandem. Numeratos dies & tempus eis dedit, eos ad imaginem sui conditos suis uiribus induit, & eorum metum omnibus incussit animantibus, ita ut bestijs ac uolucribus imperarent, L. creato ex ipsis adiumento eorum simili. G. Eis iudiciũ, & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit ad cogitandum. [Sexto loco, mentem quoq; impertiuit, & septimo sermone operibus suis explicandis.] Eos prudenti scientia repleuit, & eis bona mala'que demonstrauit. Adiecit ad eorum corda suos oculos, eis operum suorum magnificentiã ostendens. [Eis dedit miraculis suis gloriari perpetuò, ut prudenter enarrent eius opera, & electi

Gen. 1. d. 2. b 5. a. Gen. 2. d

nomen eius sanctũ collaudent.] Addidit scientiam, legemq́ uitæ possidendam dedit, [ut se mortales esse cognoscerent.] Cum eis fœdus iniit æternum, & eis sua iura monstrauit. Eius & gloriæ magnificentiam suis uiderunt oculis, & uocis gloriam audiuerunt auribus, iussitq́ ut omne nefas cauerent, & de cuiusque erga alios officio præcepit. Ei semper patent eorũ mores, nec eius oculos latet. [Sed omnes homines ab ineunte ętate malis dediti sunt, nec potest eorum cor ex lapideo fieri carneum. Igitur in distribuendis totius terræ gentibus] suum cuique genti ducem præfecit: sed Israelitã sibi peculiariter desumpsit, [quem ut primogenitum disciplina educat, & lumen charitatis impertiẽs non deserit.] Ergo omnia eorũ facta tam ei perspicua sunt, quàm sol: in eorumq́ mores oculos habet assiduos.

C

Non eum prætereunt eorum iniustè facta, suntq́ omnia eorum peccata Domino perspicua. [Verùm ipse quum benignus sit, & opificium suum habeat cognitũ, nec abiicit homines, nec deserit, ut q parcat eis.] Apud eum hominis beneficentia quasi consignata est, conseruatq́ cuiusq́ benignè factum, tanquam pupillam, [eius filiis ac filiabus dans locum pœnitentiæ.] Postea exurget, eisq́ præmia soluet, & in suum cuiusque caput meritum rependet.

Infrà 29.

Cæterùm pœnitentibus concedit regressum, et defethiscentes hortatur ad patientiã, L. eisque sortem ueritatis destinauit. G. Redi ad Dominum, & peccata relinque: ei coram supplica, & offensam minue: propera ad Supremum (is enim te ex tenebris in lucem pacis adducet) & ab iniustitia recede, & nefas odio summo prosequere, L. & Dei uirtutes ac iura cognosce, & in sorte proposita, & supremi Dei imploratione manens, [a] in partes concede seculi sancti. G. Supremum quis laudabit apud inferos? ut uiui & gratias agentes? L. Ne persiste in impiorum errore: ante mortem lauda Deum. G. A mortuo, perinde ac si nullus esset, abest gratiarum actio: uiuus & sanus Dominum laudat, L. & in eius misericordia gloriatur, G. quæ sanè Domini misericordia, & erga redeuntes ad ipsum placabilitas, permagna est. Non enim in hominibus esse possunt omnia, quippe quum nõ sit immortale genus humanum, L. quod uitiorum uanitate delectatur. G. Quid solis luce splendidius? atqui hæc quoque deficit, nedum ut nequiter cogitans caro & sanguis L. non resellatur, G. cũ ille sublimitatis cœli uirtutẽ perlustret, & homines omnes terra sint atq́ cinis.

D

a. da operã ut beatam sanctorum uitam consequaris.

CAPVT XVIII.

Genes.1.4

QVi sempiternus uiuit, omnia pariter condidit Dominus, solus iustus habendus, L. & manens inuictus rex in perpetuum. G. [Is mundum suæ manus palmo condidit, cunctaq́ parent eius uoluntati, quippe qui sua potentia regat omnia, quæ in eis sacra sunt disiungens à profanis.] Cui hoc dedit ut eius opera exponat? aut quis eius magnificentiam peruestiget? Eius magnitudinis imperium quis declaret? aut quis eius clementiam exponere aggrediatur? Non est minuere aut augere, sed neque peruestigare Domini miracula. [a] Cum absoluerit homo, tum incipiendum erit: & cum destiterit, tum dubitabit. Quid homo, aut quis eius usus est? quod bonum, quod'ue eius malum est? Aetatis hominis numerus est, ut multũ, centum annorũ, [nec ullius ex omnib. certus est obeundi modus.] Quãtula est aquæ gutta è mari, aut ex arena calculus, tantillum sunt anni mille in infinitate temporis. Propterea tolerat eos Dominus, & misericordia sua perfundit. Videt & intelligit eorum L. animi arrogantiã, ac G. peruersitatem esse malam: ideo multa utitur placabilitate, L. & eis uiam æquitatis ostendit. G. Hominum misericordia est aliorum in alios: Domini uerò misericordia est in omne corporeum genus: arguit, castigat, docet, & reuocat, ut pastor gregem suum: eorum qui disciplinam admittunt, miseretur, & qui eius sententiis student.

a. Si quis Dei magnitudinem inuestiget, cum omne studium eò cõtulerit, nihil tamẽ effecerit.

Psal.89.c

B

Fili [b] beneficiis aut ulli largitioni reprehensionem aut uerborum molestiam ne addito. Nimirum ut ardorem mitigat ros, ita ipso dono potior est oratio: cumq́ sit ipso munere melior oratio, [c] utrumq́ est in homine munifico. Stultus ingrate exprobrat, inuidiq́ donum tabefacit oculos. Antequam loquaris, disce: & ante morbum sanare. Ante iudiciũ explora teipsum, & animaduersionis hora ueniam consequere. Anteq́ ægrotes, teipsum continentia domato, et tempore peccatorum ostende uitæ correctionem. Noli impediri quominus uotum tempestiuè exoluas, neue [d] tui absolutionem ad mortem usque differto, L. quoniam diuina merces æterna manet. G. Priusquàm uota facias, præpara teipsum, & ne esto quasi qui homo tentet Deum. Memento iræ extremo tempore futuræ, & temporis supplicii quod [e] auerso uultu irrogabitur. Recordare tempus famis, tempore ubertatis: pauperiem ac penuriam, tempore diuitiarum. [f] A mane ad uesperam mutatur tempus, & apud Dominum subita sunt omnia. Vir sapiens semper metuit, & [g] peccatorum tempore delicta cauet: [at insipiens non explorat tempora.] Omnis prudens sapientiã agnoscit, [& doctrinam] & eam adepto laudem tribuit. Prudentes & uerbis sapiunt, L. & uerum æquumq́ sciunt, G. & animi moderatione exactas fundunt sententias. [Optima loquendi autoritas solius est Domini: siquidem mortali cor inhæret mortuum.] Cupiditates tuas ne sequere, & appetitus tuos cohibe. Si animo tuo cupiditatis libidinem indulseris, exponet te hostium ludibrio, qui tibi inuident. Ne delectare nimis deliciis, ne earum consortio constringaris. Noli pauper fieri, conuiuando de mutuo, cum nihil tibi sit in marsupio. [alioquin insidiator uitæ tuæ famosus eris.]

b. ne exprobra cui benefacis.

c. & benefacit, & orationis gratiã muneri addit.

C

Luc.18.a
1.Thes.5.d

d. Voti solutionem qua fidem tuam liberes.

Suprà 7

e. seuerè & irato Deo.

D

f. forsitã hodie moriris, ne in crastinũ diem uitæ correctionem differas.

g. huius uitæ in qua peccatur.

Rom.13.d & 6.b

CAPVT XIX.

EBriosus operarius non ditescit: qui spernit exigua, paulatim cadit. Vinum et mulieres

lieres deprauant prudentes, L. confutant'que cordatos, G. & qui meretricibus hæret, nequior est. Eum caries & uermes obtinebunt, & homo temerarius tolletur, [graui'que supplicio contabescet.] Qui citò credit, leuis animi est, & peccando delinquit in seipsum. Qui nequitia gaudet, dammandus est: [qui uerò uoluptatibus resistit, uitam suam coronat. Qui linguæ temperat, is potest etiam cum homine difficillimo uiuere,] et qui loquacitatem odit, minus est uitiosus. Nunquam L. nequiter & durè G. dicta retuleris, & nihil tibi incommodabitur. L. Cuius tibi cōscius B es, id G., nec apud amicum, nec apud inimicum enunciato: & si quidem inest in te peccatum, ne patefacito. Nam ille, audito te, obseruabit, & aliquando oderit te. Si quid L. aduersus alterum G. audiuisti, id [a] unà tecum moriatur, neu metue ne te rumpat. Orationem enititur stultus, ut fœtum quæ parit. Quale est corporis femori affixum telum, talis est in stulti pectore oratio. Amicum reprehende, ne forte [b] faciat: & si quid fecit, ne amplius faciat. Amicum reprehende, ne C fortè dicat: & si semel dixit, ne iteret. Amicum reprehende, sed [c] ne cuiuis orationi crede: sæpe enim existit calumnia. Est qui uerbis, non animo delinquat: & quis lingua non peccat? Alterum reprehende priusquam mineris, & [expers iræ] da locum legi Supremi. [Domini metus primus, quo ad eum recipiare, gradus est: amorem autem eius demeretur sapientia. Cognitio præceptorum Domini uitalis doctrina est: & qui ei obediunt, fructum percipient immortalitatis.] Domini metus summa sapientia est, & summæ sapientiæ est legis executio, [ac summæ eius potentiæ cognitio. Si seruus neget Domino facturum se quod illi placet, & tamen idem postea faciat, offendit altorem suum.] Non est sapientia nequitiæ scientia: nec est consilium, improborum prudentia: sed est nequitia, ea'que nefaria, est'que homo demens expers sapientiæ. Prestat expers ingenij religiosus, abundanti prudentia, & eidem contra legem facienti. Est interdum D exacta calliditas, ea'que iniusta est: & qui sententiæ pronunciandæ gratiam euertat, [rursum'que alius, qui iustè iudicet, sapiens.] Est improbitate preditus demissus ac tristis, cuius pectus fraude refertum est, faciem tegens, & surdum se simulans: is te nec opinantem opprimet, & si defectu uirium peccare prohibeatur, si occasionem nactus fuerit, malum dabit. Ex aspectu cognoscitur homo, & ex uultus occursu cognoscitur cordatus. Suus quemque uestitus, & dentium risus, & incessus, indicant.

a. nunquam enunciato, ne enim tibi tacuisse nocebit, ut noceret uenenum nisi euomeres.

Leui. 19. d
Matth. 18. b
Luc. 17. a
Iacob. 3. a

b. scilicet uitiosum aliquid.

c. ne prius reprehēde, quàm rem cōpertá habeas.

CAPVT XX.

Est quædam indecora reprehensio L. in ira contumeliosi: est & iudicium quod improbum arguitur: G. est & qui prudenter taceat. Longè honestius est reprehendere, quàm clàm irasci: & qui culpam fatetur, ab incommodo defenditur. Qualis est spadonis uirginem stuprandi libido, talis est qui per uim exercet iudicia. Est qui tacendo se sapientem ostendat: est & qui crebra loquacitate sit odiosus.] Est qui taceat, quia non habet quod respondeat: est & qui taceat, tempori seruiens. Homo sapiens silet ad tempus: at nugator & amēs, tempus omittit. Qui uerbis multis utitur, inuisus est: & qui sibi potestatem uēdicat, odio est. [Perpulchrum B est reprehensum agere pœnitentiam: sic enim uoluntarium peccatum effugias.] Est interdum homini damnosa prosperitas, & est cum repersse aliquid sit incommodum. Est largitio, quæ tibi nihil prosit: est & largitio cuius dupla sit remuneratio. Est interdum incommodi causa gloria: est & qui ex humilitate caput attollat. [a] Est qui multa paruo emat, & eadem septuplo rependat. Sapiens oratione seipsum reddit amabilem: stultorum uerò gratiæ fluxæ sunt. Munus insipientis tibi nihil proderit [acceptum, nec item inuidi propter importunitatem:] nam oculos habet [ad accipiendum] pro uno multos: pauca dabit, & multa exprobrabit, atque os suum more præconis aperiet. Hodie commodabit, & cras repetet: inuisus [& Deo & hominibus] est talis homo. Dicit stultus, amicum non habeo, C nec est meis bonis gratia: qui meo uictu uescuntur, sunt lingua futiles. Quoties & quot eum derident? L. quippe qui quod habet, [b] non recta ratione distribuat: id quod perinde est ac si non haberet. G. Pronior est à lingua casus quàm à lacunari: adeò uelociter malorum ruina uenit. Homo illepidus, intempestiua fabula, ore indocto continuata. In ore stulti displicet sententia, quod eam parum tempestiuè pronunciat. Est qui inopia peccare prohibeatur, qui in quiete sua non [c] stimulatur. Est qui animam suam [d] uerecundia perdat, & ob dementem personam pereat, L. ac personæ alicui indulgendo, perdat seipsum. G. [e] Est qui præ uerecundia promittat amico, & eum sibi nequicquam inimicum faciat. Malum uitium est in homine mendacium, in indocto ore assiduum. Tolerabilior est fur, quàm mendacijs assuetus, tametsi in perniciem uterque incurret. Familiaris est homini mendaci ignominia, suum'que dedecus cum comitatur assiduè. Sapiens seipsum dictis prouehit, placet'que primoribus uir prudens. Qui terram colit, saltum sibi facit aceruum, L. & qui iustitiam colit, seipsum euehit. & qui primatibus placet, euitat iniuriam. Largitiones dona'que excæcant oculos sapientum, & tanquam oris obstructio reprehensiones impediunt. Sapientia occulta & thesauro abdito quid est in utrouis utilitatis? Potior est homo qui stultitiam, quàm qui sapientiam suam celat. [Potior est necessaria sequenti Dominum patientia, quàm suæ uitæ gubernator absque Domino.]

a. quæ uidentur paruo constare, interdū magno constant.

b. largitur assentatoribus, qui ei non magis gratiá referunt, quàm si nihil accepissent.

c. scilicet peccati cōscientia, quod fieret si per opes peccare posset.

d. dum alicuius gratia aliquid uel iustū facere, uel ini D quum nō facere pudet.

e. qui negare non audet, quod tamen præstiturus nō est, is postea nō præstando promissum, facit ex amico inimicum.

f. multū frumenti comparat.

Pro. 1. b 28. c
Exod 23. a
Deut. 16 d
Infrà 41. e

CAPVT XXI.

Filli si peccasti, ne deinceps facito, & præteritorum ueniam petito. Tanquam anguem

fuge peccatum: nam si accesseris, mordebit te. Peccati dentes leonini sunt, hominum animas perimentes. Perinde ac anceps gladius est omne nefas, cuius irremediabile uulnus est. Concertationes & iniuriæ diuitias depopulantur, & L. domus, quæ nimis locuples est, abo letur superbia: G. ita superbi domus deuastatur. [a] Pauperis petitio est ab ore ad eius aures: eiusque responsum festinanter uenit. Qui reprehensionem odit, [b] in improbi uestigio est: at qui Dominum reueretur, is ex animo se corrigit. Potens procul ex lingua cognoscitur: sed cordatus nouit quando ille delinquat. Qui domum suam ære construit alieno, [c] perinde facit ac si quis sibi lapides ad sepulchri sui tumulum congerat. Stuppa congesta est sceleratorum cœtus, quorum exitialis exitus est flamma ignis. Improborum uia lapidibus est complanata, cuius in extremo est Orci barathrum, L. & tenebræ atque pœnæ. G. Qui seruat legem Domini, is suis cogitationibus imperat, & [d] perfectus Domini metus est sapientia. Docilis non est qui non est astutus: sed est quędam astutia, quæ multũ habet acerbitatis. Sapientis scientia eluuionis in modum redundat, eius'que consilium est quidam quasi limpidus uitæ fons. Stulti pectus, perinde ac confractum uas, nullius scientiæ capax est.

Suprà 5.b 7.b 12.c Psal. 40.c Luc. 15.c

a. cum petit, ei statim responderi debet. nã dilationem nõ patitur pau-B pertas.

B

b. improbus est.

c. in suã perniciem congerit.

Suprà 16.

d. fortassis hæc est sententia, Domini metus est perfecta sapientia.

C

Sapienter dictum si quando audit intelligens, laudat, id'que exaggerat: idem si audijt aliquis imperitus, improbat, & post tergum suum abijcit. Stulti sermo est quasi in itinere sarcina: at in labris intelligentis inuenitur lepos. Prudentis os in conuentu requiritur: eius'que dicta animo perpenduntur. Stulto sapientia [e] perinde est ac deleta domus, imprudentis'que scientia sunt inconsiderata dicta. Compedes sunt insanorum pedibus doctrina, & quasi manicę in manu dextera. Stultus sublata uoce ridet: at cautus homo uix & tacitè subridet. Pro ornatu aureo est prudenti doctrina, pro'que armilla in brachio dextero. Stulti pes in L. alterius G. domum uelox est: at peritus homo etiam ad aspectum L. potentis G. erubescit. Insipiens per [f] ianuam domum introspicit: at doctus homo stat foris. Ad ianuam auscultare, hominis inscitia est: prudens uerò dedecus ægrè fert. Labra loquacium dicunt absurda: at prudentium dicta, statera ponderantur, Sulti cor in ore, sapientes [g] os in corde habent. Dum impius Satanam execratur, ipse seipsum execratur. Polluit semetipsum calumniator, & ubicunque degit, inuisus est: L. at tacitus & cordatus honoratur. G.

e. pro nihilo.

D

f. Latinus fenestram.

g. sapientis mens eius ori moderatur.

CAPVT XXII.

Lapidi conspurcato similis est piger, [quem omnes contumeliosè derideant. Sterquilinij stercori similis est piger, quod quisquis tollit, manum excutit.] Probrosa patri est indocta proles, & L. fatua G. filia damnosa est. Filia prudens est sui uiri patrimonium: at turpis genitori dolorem parit. Et patrem & uirum dedecorat temeraria, L. nec ab impietate abest, G. & utrique despicatui est. Carmen in luctu est intempestiuus sermo: at flagra & doctrina quouis tempore sunt sapientiæ. [Liberi, si cum proba uita uictum habent, ignobilitatem parentum obliterant. Liberi, si cum contumacia imperitia'que fastuosi sunt, fœdant suæ cognationis nobilitatem.] Testam conglutinat, qui stultum docet, & ueterno sopitum expergefacere conatur: Oscitantem alloquitur, qui stultum alloquitur, qui finito sermone quærat qui'dnam id sit? Mortuum deplora qui luce careat, & stultum deplora qui prudentia careat. Mitius deplora mortuum qui requiescat: at stulti uita morte deterior est. Mortui luctus, septem dierum est: at stulti & impij totius æui eius uitæ. Cum insipiente ne uerba multa facito, néue imprudentem adito. Eum caue, ne tibi negotium exhibeatur, aut eo [a] excusso contamineris. Eum declina, & adipiscèris requiem, nec eius amentia torqueberis. Plumbo quod grauius sit nihil est, nisi is cui nomen est stultus. Arenam, & salem, & ferri massam ferre facilius est, quàm hominem stupidum. Vt lignea compages, in ædificio connexa concussu non dissoluitur: sic animus meditato consilio firmatus nullo tempore pertimescit. Animus prudenti sensu nixus, perinde est ac politus paries arenaceo tectorio. Vt positi sublimiter ualli, L. & cæmenta sine impensa posita, G. uentum non sustinent, ita timidus animus in cogitatione stulta nullum metum subsistere potest. Qui pungit oculum, lachrymas elicit: qui pungit animum, patefacit affectum. Qui uolucres lapide petit, eas abigit: & qui amico facit conuicium, dissoluit amicitiam. In amicum si gladium strinxeris, ne despera, est enim regressus. In amicum si uerbis inuectus fueris, bono es animo: est enim reconciliatio. Cæterùm conuicio, & superbia, & arcani enunciatione, & ictu fallaci, his inquam fugatur amicus omnis. [b] Fidem retine in paupertate erga alios', ut eorum bonis pariter fruare. Aduerso tempore perge in eos fidelis esse, ut eorum facultatum sis particeps. [Nec enim spernenda semper angusta res est, nec diues mentis inops admirandus.] Vt ignem camini uapor fumus'que, sic sanguinem conuicia, L. contumeliæ, minæ'que G. præcedunt. Amicum tueri non me pudebit, nec me eius conspectui surripiam: quod si malum mihi propter eum acciderit, quisquis audiuerit, ab eo sibi cauebit. Vtinam habeam præfectam ori meo custodiam, & labris cautum sigillum, ne his delinquam, & me mea lingua perdat.

Suprà 12.c Gene. 50.b

B

Suprà 12.c

a. ut inquinata sus, si suũ corpus excutiat, cõtaminat quod propè est.

Pro. 27.a

C

1. Cor. 14.c

Infrà 27.

D

b. si pauperes, fidelis esto, & tibi benefaciẽt alij.

Psal. 140.

CAPVT XXIII.

Domine uitæ meæ pater & domine, ne me in [a] eorum arbitrio desere, ne me sine apud eos labi. Vtinam præficiantur menti meæ stimuli, & cordi meo sapientiæ disciplina, quæ neque meis parcant erroribus, neque peccata prætereant, ne erroribus & peccatis abundans atque scatens, labar coram meis aduersarijs, quod sit hosti meo uoluptati, [cuius spes procul

a. aduersariorum.

Procul absit à tua misericordia.] Domine uitæ meæ pater atque Deus, ne mihi supercilium dederis, [sed giganteum animum à tuis semper prohibe.] Auerte à me [spes uanas, &]cupiditates, [tibiq; perpetuò seruire cupientem, in officio retine.] Ne me uentris & coitus inuadat appetentia, néue me tuum impudentibus, L. & uesanis G. addixeris hominibus. Veracis oris disciplinam audite nati, quam qui seruauerit, nō capiatur suis ipse labris, L. nec nequiter factis lædatur. G. His capientur improbi: his maledici & superbi lædentur. Iurijurando tuum os ne B assuefacito, L. nam multi casus in eo sunt: G. neue sanctum b nominare consuesce, L. aut sacris uti nominibus: nam ea impunè non feres. G.

b. hoc est, iurare.

Vt enim uapulans assiduè seruus non caret uibicibus: ita qui semper deierat, & Deum nominat, non est à peccato purus. (Infra 27. a) Iurator homo nequitiæ plenus est, nec facesset ab eius domo calamitas. Si deliquerit, dabit pœnas: si contemptim fecit, dupliciter peccauit. Quod si inaniter iurauit, non euadet, quin eius domus calamitatibus impleatur. Est quædam uestita morte locutio: ea ne inueniatur in Iacobidarum patrimonio: nam à pijs hæc omnia facessunt, nec ij in peccatis uolutantur. Imperitæ temeritati os tuum ne assuefacito: est enim in ea peccati meditatio. Memento tui patris atque matris, dum c inter optimates sedes, ne L. Deo G. apud eos uenias in obliuionem, & tua consuetudine infatueris, ita ut d cupias te nunquam fuisse natum, & natalem tuum execrere diem. Homo uerbis probrosis assuescens, nunquam per omnem uitam suam docebitur. (2. Reg. 16. b) C Duo sunt quæ multa peccata committunt, & tertium adducit pœnas. Animus in modum ardentis ignis æstuans, non antè extinguendus, quàm consumatur. Libidinosus homo, qui sui corporis mēbro non nisi incenso igne conquiescit. Homini libidinoso e panis omnis suauis est: nunquam cessat, donec intereat. Homo migrat ex suo lecto, ita secum cogitans: (Esa. 29.) Quis me uidet? tenebris circumseptus sum, & parietibus tectus, neque me uidet quisquam. Quid metuam? peccata mea non meminit Supremus. Humanos metuit oculos, nec intelligit oculos Domini millies sole splendidiores, intueri mores hominum omnes, L. & ima profundi, & hominum corda, G. & abstrusas contemplari partes. D Omnia ei cognita sunt, & antequam condita, & postquam perfecta. Is per urbis fora punietur, L. & quasi pullus equinus fugabitur, G. ac de improuiso comprehendetur, L. eritq; turpis omnibus, quòd Domini metum nescierit. G. Itidem & mulier, quæ uirum suum relinquit, & f hæredes summittit ex alieno. Etenim primùm est in Supremi legem contumax: deinde in uirum suum delinquit: tertiò stupratur adulterio, & natos ex alieno uiro supponit. Hæc in concionem producetur, & in eius natos animaduertetur. Non agent eius nati radices, nec rami fructum ferent: suiq; memoriam relinquet infamem, nec unquam abolebitur eius probrum, scientq; minores nihil esse religione melius, nihil suauius quàm Domini præceptis operam dare. [Deum sequi, ingens est gloria: & ei acceptum esse, uitæ longinquitas.]

c. dignitate præditus es.
d. fias miserrimus.
e. mulier.
f. filios ex adultero gignit, qui fiunt hæredes mariti.

CAPVT XXIIII.

Sapientiæ laudatio.

SApientia seipsam commendat, & inter suos gloriatur. In Supremi republica uerba facit, et apud eius potentiā gloriatur, L. atq; inter suos sese extollit, estq; in sancta ciuitate admirationi, & in electorum multitudine laudem obtinet, seq́ue beatam inter beatos prędicat, ita dicens: G. Ego ex ore Supremi prodij, L. ante omnem rerum naturam genita. Ego feci in cœlis ut oriretur perenne lumen, G. & quasi nebula terram omnem operui. Ego in sublimi consedi, solium habens in nubis columna. Cœli orbem sola circuiui, & ima perambulaui profunda. Fluctus marinos, totamq; terram, & omnes populos ac gentes obtinui, L. & omnium tum excellentiū, tum humilium, corda uirtute calcaui, G. Cum his omnibus quietem quæsiui, & cuius in possessione degerem. Tum omnium conditor, qui me creauit, meum fixit tabernaculum, mihi præcipiens ut in Iacobeis degerem, in Israelitis B possessionem haberem, L. ac inter eius electos radices agerem. G. (Prou. 8. d) Is me ante æuum principio creauit, nunquam defecturam. (Exo. 31. a) In sacro tabernaculo apud eum ministerium inij, atque ita in Sione firmata sum, & in urbe dilecta, per eum quietem adepta sum, estq́ue mea potestas Hierosolymis: & in glorioso radicata populo, in sorte possessionis Domini, excreui in altum ut cedrus in Libano, & ut in montibus Hermonijs cupressus. Quasi palma in litoribus in sublime creui, & ut rosarum stirpes apud Hierichuntem: ut elegans olea in amœno campo, & ut humore platanus euecta sum. Vt cinamomum & aspalathus aromaticum odorem dedi, & ut eximia myrrha suaui odore fragraui: ut galbanus, & onyx, & stacte, utq; thuris nidor in tabernaculo. Ego ut terebinthus expandi meos ramos, qui mei rami gloriæ sunt & gratiæ rami. Ego sum quasi uitis, qui eleganter egerminauit, meiq́ue C flores sunt gloriæ fructus, & diuitiarum. [Ego pulchræ charitatis, ego religionis sanctæ, que spei mater, meis natis quibus iussit Deus, uniuersis æterna præmia do.] In me omnis est uiæ ueritatisq́ue gratia: in me omnis uitæ spes est & uirtutis. G. Accedite ad me omnes mei cupidi, meisq; fructibus explete uos. Nam mei memoria atq; possessio melle est, mellisq; fauo dulcior, adeò ut qui me comedunt, adhuc esuriant: & qui bibunt, sitiant. (Ioan. 4. b) Qui mihi obedit, nunquā frustratur: & qui mihi nauant operam, non peccant: L. quiq; me declarant, uitam consequentur æternam. G. Hæc omnia L. uitalis G. est liber fœderis Supremi Dei, L. & ueritatis cognitio G. lex quam Moses. L. tradendis uirtutum præceptis. G. tulit, reipublicæ Iacobeorum possidendam.

[Ne elassescite quò minus erga Dominum fortiter uos geratis, ut ipse quoque confirmet uos.] Ei adhærete, quandoquidem Dominus omnipotens Deus unus est, nullo præter eum seruatore, L. Is suo Dauidi pollicitus est, fore ut ex ipso regem excitet potentissimum, qui in maiestatis solio sedeat in sempiternum. G. Ea lex sapientia abundat ut Ganges, & ut Tigris uerno tempore: Exuberat prudentia ut Euphrates, aut ut Iordanis tempore messis. Disciplinam ostendit ut lumen, quasi Nilus uindemiæ tempore, quàm a neque primus perfectè nouit, nec ultimus item peruestigauit, quippe cuius mens & consilium mari sit & oceano abundantius. Ego uerò [sapientia] quasi L. immensæ aquæ G. corrugus à flumine, quasi'que aquæ ductus in pomarium exiui, statuens meum præstantissimũ hortum irrigare, meum'q; iustum puluinum perfundere: & ecce meus corrugus factus est fluuius, meus'q; fluuius euasit in mare. Nam disciplinam ceu diluculum illustro, ac procul ostendo. L. Omnes imas terræ partes penetro: omnes dormientes inspicio: & omnes Dominum sperantes collustro. Item doctrinam ut oraculum effundo, ac in omnem seculorum perpetuitatem relinquo L. quærentibus sapientiam, neq; per eorum ætates desinam usq; in æuum sanctum. G. Videte nõ soli mihi laborasse me, sed omnibus ipsam quærentibus L. ueritatem. G.

Gen. 2.b *Iof. 3.d* D *a. nec primus, nec ultimus, hoc est nemo unquam.* *Infrà 24.c*

CAPVT XXV.

TRibus rebus exornor, & apud Dominum, & apud homines uenusta efficior: eæ sunt fratrum concordia, propinquorum amicitia, & uxor atque uir inter se consentientes. Tria item sunt quæ odi, eorum'que uitę infensissima sum: pauperem superbum, mendacem diuitem, & senem adulterum, mente captum. Nisi in iuuentute congesseris, quo pacto in senectute rem facies? Quàm decet canos iurisdictio? & seniores consilij peritia? Quàm honesta senibus est sapientia? & honoratis prudentia atque consilium? Senum corona & gloria est multa experientia, Domini'que metus. B Nouem decem'ue sunt quæ & animo beata iudico, & lingua L. hominibus G. eloquar. Homo qui & liberis uiuens fruitur, et inimicorum L. suorum G. ruinam uidet. Beatus qui cum prudenti uxore degit, qui'que nec lingua delinquit, nec indigno se seruit. Beatus qui a prudentiam assecutus L. de uirtute G. disserit in auribus audientium. Permagnus est qui sapientiam est adeptus: sed Domini metuentem nullus antecellit. Domini metus claritate superat omnia. L. Beatus homo cui datum est ut Dominum reuereatur, G. qua reuerentia qui præditus est, incomparabilis est. [Domini metus est eius amoris initium, & fides origo coniunctionis cum ipso.] L. C Summum uulnus est animi tristitia, summa'que malitia est mulieris nequitia. G. Quoduis esto uulnus, dum ne sit uulnus animi: quæuis nequitia, dum ne fœminę nequitia: quęuis inuectio, dum ne maleuolorum inuectio: quæuis pœna, dum ne ab inimicis irrogata pœna. Nullũ caput serpentis capite nocentius est: nulla ira, mulieris iram superat. Cum leone malim & dracone degere, quàm cum mala muliere habitare. Mulieris nequitia eius aspectum immutat, & uultum tanquam saccum infuscat. Ea efficit ut uir eius cogatur inter alios sedere, & acerbè gemere. Parua est quæuis prauitas, præ mulieris prauitate, in quam precor improbi sorte cadãt. D Quod scupulosus ascensus est pedibus senis, id est linguax mulier quieto uiro. In fœminæ pulchritudinem ne offendito, neue mulierem uoluptatis causa concupiscito. Ingens pœna, & impudentia, & turpitudo est mulier, si suo uiro imperat. Afflicta mens, & mœsta facies, & animi uulnus est, & remissæ manus resoluta'q; genua, ubi mala mulier est, quæ uirum suum nequaquam beat. A fœmina initium peccati, per eam'q; morimur omnes. Nec aquæ L. uel tantillum G. exitũ dederis, nec malæ mulieri potestatem. Nisi tibi sub manu obsequitur, L. te in inimicorum conspectu pudore afficiet: G. abscinde eam à tuo corpore, amanda ac repudia, L. ne te semper abutatur. G.

a. Lat. amicum uerũ. *In malam mulierem Pro. 21.c* *Gen. 3.b*

CAPVT XXVI.

BOnæ fœminæ uir beatus est, & duplicem uiuit ætatem. Strenua mulier uirum suum exhilarat: & eius annos cum pace complet. Mulier bona, sors bona est, quæ Dominum metuentibus sorte datur L. ob rectè facta. G. Tam diuites quàm pauperes, si bonæ mentis sunt, ij semper in Domino uultum habentes hilarem exultant. Tria sunt, atque adeò quatuor, quæ & animo reformido, & uultu pertimesco: ciuitatis proditionem, & uulgi seditionem, & calumniam, quæ omnia morte deteriora sunt. Animi dolor & luctus est obtrectans fœmina fœminæ, & linguæ flagellum, quæ cum omnibus communicat. B a Iugum boum quodagitatur, est uxor mala: eam qui tenet, perinde est ac qui scorpionem prehendit: Magnum supplicium est ebriosa [& indomita] mulier, neq; suam turpitudinem tegit. Mulieris impudicitia in eius supercilio ac palpebris agnoscitur. Filiæ seuerissimam adhibe custodiam, ne nacta licentiam, utatur sua libidine. Oculum impudentem obserua, & noli mirari si in te deliquerit. Tanquàm uiator sitiens reperto fonte hiabit, & ex proxima quaque aqua bibet: apud omnem palum sedebit, & cõtra omne telum pharetram aperiet, L. donec deficiat. G. Vxoris L. sedulæ G. gratia eius uirum delectat, uiri'que pinguefacit artus eius peritia. C Domini donum est taciturna cordata'que coniux, neque quicquam est quod doctum animum æquiparet. Multiplex gratia est mulier pudica & fidelis, nec ulla re dignè rependi potest eius animi continentia. Quod est in sublimi sol oriens Domini, hoc est bonæ fœminæ pulchritudo in eius domus ornamenta. Lucerna splendens in sacro can-

delabro

Bona fœmina. *a. ut dissentientes in iugo boues, omnia perturbant, sic uxor mala coniugiũ.*

delabro, est formæ uenustas in ætate constanti. D Aureæ columnæ in basibus argenteis sunt formosi pedes cum pectore stabili. [Fili ætatis tuæ uigorem incolumem conserua, néue robur tuum alienis impertire.] Vbi per omnes campos fœcundam b possessionem quæsieris, fac generositate tua fretus, propria semina iacias. Ita fiet ut soboles tua superstes, libera ingenuitatis professione confisa adolescat. Meretricem fœminam scrofæ similem putato: nuptas autem maritis propugnaculum contra mortem existimato. Mulier impia, sorte datur iniusto: pia uerò contingit reuerenti Dominum. Inhonesta mulier contemnit ignominiam: at honesta puella uirum reueretur. Impudica fœmina cum cane conferenda est: at pudica Dominum metuit. Mulier uirum suum honorans, sapiens ab omnibus iudicatur: at eum spernens, nobilitatur superbia. [Clamosa mulier & linguax ad hostes fugandos exquiratur: cum eiusmodi moribus quisquis homo uiuit, eius animus uersatur inter tumultus bellicos.] L. Vt æterna sunt in solido saxo fundamenta, sic Dei præcepta in animo sanctæ mulieris. G. Duo, uel potius tria sunt, quæ animo meo dolorem faciunt, & mihi stomachum mouent. Vir bellicosus laborans egestate: uiri prudentes, si contaminantur: & qui à uirtute redit ad uitia, quem quidem Dominus gladio destinat. L. Duo sunt quæ mihi difficilia uidentur & periculosa: G. uix delictum euitat mercator: & caupo peccato non caret.

b. uxorem.

CAPVT XXVII.

PRopter opes multi peccarunt, & qui studet abundare, a peruerso est oculo. Inter coagmenta lapidum figitur palus: itidem inter uenditionem & emptionem pangitur peccatum, L. & delictum cum delinquente conteretur. G. Nisi quis Domini metum studiosè tenuerit, breui euertetur eius domus. Vt excutiendo cribro remanent sordes, ita b in hominis oratione sunt ipsius spurcitiæ. Vt fictilia uasa explorat fornax, ita hominis exploratio in ipsius oratione posita est. Vt suus cultam arborem fructus declarat, sic hominem sermo ab eius mente dictatus. Ante locutionem ne quenquam laudaueris: nam ea est hominum exploratio. Si sectabere iustitiam, assequeris, & eam quasi honorificam togam indues, L. & cum ea habitabis, eaque te perpetuò proteget: & cum animaduertetur, inuenies præsidium. G. B Vt uolucres ad sui similes diuertunt, ita ueritas ad eos qui ei dant operam, se confert. Vt leo feris, ita maleficis insidiatur peccatum. Pij sermo, L. ut c sol, G. semper est cum sapientia coniunctus: at insipiens more lunæ mutatur. Inter imprudentes obserua L. loquendi G. occasionem: at inter cordatos continuato. Stultorum sermo odiosus est, eorumque risus peccati sunt deliciæ. Iuratoris uerba horrorem incutiunt, taliumque concertationes aures obtundunt. Superborum concertatio, sanguinis effusio est, eorumque conuicia auditu grauia. Qui arcana enunciat, fidem amittit, nec sibi amicum inueniet. Amicum dilige, & ei fidelis esto: quòd si eius arcana detexeris, nolito eum insequi. Vt enim perdit aliquis hostem suum, sic tu alterius amicitiam perdidisti: & perinde ac si auem de manu tua emisisses, sic alterum amisisti, non recepturus. Noli eum persequi: nam procul abscessit, & effugit, ceu caprea laqueum. Etenim uulneri mederi licet, & à maledictis est reconciliationi locus: sed qui arcana patefecit, huic, L. infelici animæ, G. desperandum est. Qui oculo innuit, machinatur mala: & eum qui nouit, ab eo abstinebit. In tua præsentia utetur ore suaui, & tua dicta admirabitur: sed postea os suum inuertet, & tua dicta in deteriorem partem trahet. Multa odi, sed nihil æquè ac eum quem etiam Dominus odit. Qui lapidem in sublime iacit, in suum ipsius caput iacit, & fraudulentus ictus uulnus infligit. Qui foueam cauat, in eam cadet: & qui laqueum ponit, eodem capietur. Qui mala facit, ea in eum reuoluentur, neque sciet unde ea sibi ueniant. Illusio & ignominia superborum est, eisque pœna more leonis insidiatur. Laqueo capientur qui piorum casu delectantur, & ante mortem dolore conficientur. Sæuitia & pœna eiusmodi sunt, ut ab ijs abhorreatur: sed eis obnoxij sunt improbi.

a. iniustus est, & irreligiosus. b. qui malus est, mala loquit. c. scilicet semper suũ lumen retinet. Suprà 23.b

Suprà 22.d C Pro.10.b D Pro.26.d Eccls.10.b

CAPVT XXVIII.

VIndictæ cupidum manet à Domino supplicium, isque acriter in eius peccata animaduertet. Remitte alteri iniuriam, ita fiet ut oranti tibi peccata condonentur. Homóne in hominem iram retineat, & à Domino remedium petat? homini sui simili misericordiam non tribuat, & peccata sua deprecetur? ipse mortalis foueat iram L. & Deum ueniam oret? G. quis ei peccata condonet? Memento extrema, & depone inimicitias, néue alteri exitium & necem per iram molire, sed in præceptis persiste. Memento præceptorum, & alteri ne irascere: memento Supremi fœdus, & L. alterius G. imprudentiæ ignosce. Abstine à iurgijs, B peccata minues: nam iracundus homo pugnam accendit. Improbus homo turbat amicos, inter pacatos calumniam iniiciens. Prout est materia, ita incenditur ignis: pro cuiusque uiribus est eius furor, & pro cuiusque diuitijs intumescit ira: & pro rixæ uehementia gliscit ardor. Festinata lis incendit ignem, & festinata pugna effundit sanguinem. Scintillam si afles, exardescit: sin conspuas, extinguitur: & tamen utrumque ex ore tuo proficiscitur. Sycophanta & bilinguis execrandi sunt: multos enim alioqui pacatos perdunt. Lingua duplex multos exagitauit, & ex alia in aliam gentem transtulit, & ualidas urbes diruit, & potentum domos euertit, L. & populorum uires excidit, & potentes deleuit gentes. G. Lingua duplex

Deut.32.e Rom.12.d Matt.6.d Mar.11.c In linguaces. C

duplex strenuas mulieres eiecit, suisque laboribus defraudauit. Qui ei deditus est, tranquillitatem non inueniet, nec quietè deget. Scuticæ ictus uibices facit: at linguæ ictus confringit ossa. Multi acie gladij occubuerunt, sed non tot quot per linguam. Felix qui contra eam defensus est, qui in eius furorem non incurrit, qui eius nec iugum subijt, nec uinculis constrictus est. Eius enim iugum, ferreum iugum est: & uincula, ærea uincula. Mors mala, mors eius est: & Orcus est ea conducibilior. L. Ea non perdurat æternum, sed iniustorum mores tenet. G. Pios

D

quidem nequaquam tenet, nec ij eius flãma conflagrant. Qui Dominum deserunt, in eam incidunt, eaque in eos exardet inextincta. In eos more leonis immittitur, eosque tanquam pardus uastat. Spinis L. [a] aures tuas G. circumsepito, L. & linguam nequam audire noli, & ori tuo fores, & auribus seras facito. G. [b] Argentum aurumque tuum conflato, unde uerbis tuis trutinam stateramque facias, & ori tuo [c] portam atque claustrum: da operam ne quid [d] ea delinquas, & coram insidiatoribus L. inimicis G. labare, L. qui tuus casus lethalis sit & insanabilis. G.

a. Græ. possessionem tuam. b. Impende omnia, hoc est magnopere operá da ut considerate uerba facias. c. lat. fixenos rectos. d. lingua.

CAPVT XXIX.

QVi benignè facit, [a] fœneratur alteri: & qui [b] manui suę imperat, is præcepta exequitur. Alteri commodato, dum eget: & rursum alteri reddito suo tempore. Dictis stato, & alteri te fidum præstato, & omni tempore tibi necessaria inuenies. Plerique quod mutuo acceperunt, pro re inuenta habent, & ijs, à quibus adiuti sunt, negotium facessunt. Dum accipiat, osculabitur alterius manum, & propter eius pecunias utetur uoce humili: idem dum soluendũ erit, diem extrahet, & ægro sermone L. fremens G. respondebit, tempusque causabitur. Quod si soluendo sit, L. tergiuersabitur sedulo: G. dimidium uix afferet, idque [c] pro repertitio ducet. Aut etiam creditorem sua pecunia fraudabit,

B

eumque sibi inimicum sine causa faciet: ei male dicta conuiciaque reddet, & pro honore L. ac beneficio G. contumeliam rependet. Multi homines auersantur, non nequitia illi quidem, sed per iniuriam fraudari metuentes. Veruntamen inopi facilis esto, nec ei beneficium differto. Ob præceptum subueni pauperi, nec in eius egestate eum remitte uacuum. Impende argẽtum propter fratrem, & amicum: néue id sub saxo ad perniciem [d] obducatur rubigine. Thesaurum tuum ex Supremi præceptis colloca, & tibi magis proderit quàm aurum. In cellas tuas conclude beneficentiam, & ea te ab omni malo asseret. L. Hominis beneficentia ipsi pro loculis est, quæ hominis gratiam quasi pupillã conseruet,

C

& postea resurgat, & in suum cuiusque caput meritum rependat. G. Ea magis, quàm præualidus clypeus, robustaque hasta, aduersus hostem propugnabit. Vir bonus pro altero fideiubet: qui uerò uerecundiam amisit, eum deserit. Fideiussoris beneficium ne obliuiscere, qui uitam suam pro te impenderit. Fideiussoris beneficium euertit improbus: [improbus fideiubere non uult] & ingrata mente liberatorem suum deserit. Fideiussio multos bene alioquin agentes perdidit, & in modum marini fluctus exagitauit. Viros potentes L. uersans G. domo exegit, ita ut apud extraneas gentes uagarentur. Improbus contra Domini præcepta faciens, ad L. malas G. fideiussiones delabitur: & qui redemptiones sectatur, incidit in litem. Succurre alteri pro uirili, sic tamen ut operam des ne offendas.

D

Vitæ hominis caput est aqua, cibus uestitus, & domus quæ deformitatem tegat. Potior est pauperis uita sub tecto trabum, quàm epulæ lautæ in alieno. Vel paulum, uel multum, boni consule, G. & [e] peregrinitatis probrum non audies. G Vita misera est ex alia domo in aliam migrare: ubi eris inquilinus, non audebis hiscere. Hospitio L. cibo et potione accipies [f] nullã ad gratiã, & insuper acerba audies. Ades inquiline, mensam extrue, & si quid tibi ad manũ est, præbe mihi cibum. Migra inquiline ad aduentum honoratiorum L. amicorum meorum: hospes mihi frater est, opus est domo. Grauia sunt hæc homini cordato: obiectatio domus, & creditoris conuicium.

a. ei cũ fœnore reddetur. b. largitur. Nam manũ aperire pro largiri dicitur. Inde larga manus.

c. tibi iputabit, quasi tu id repereris, & ipsi debeas tu, non ipse tibi.

Tob. 4. b
d. aliàs absconde.

Suprà 17. c

Infrà 39. d

e. non habitabis in alieno, id quod tibi exprobretur. f. eos qui tibi nullã habebunt gratiam.

CAPVT XXX.

QVi filium suum amat, ei uerbera continuat, ut eo lætetur ad extremum, L. neque palpet ostia proximorum. G. Qui filium suum castigat, iuuabitur eo, & inter notos de eo gloriabitur. Qui filium suum docet, lacesset inimicum, & apud amicos de eo renidebit. Si obijt eius pater, perinde est ac si mortuus nõ esset, quippe qui sui similem reliquerit superstitem. Et in uita sua eum uidens lætatus est, nec in obitu doluit, L. nec eum apud inimicos puduit. G. Reliquit & aduersus inimicos uindicem, & qui amicis gratiam referat. Qui filio indulget, [a] eius uulnera obligabit, eique ad omnem clamorem turbabitur pectus. Equus indomitus fit durus, & filius remissus fit temerarius. Lacta filium, te stupefaciet: collude cum eo, te torquebit. Ne cum eo rideto, ne etiam unà doleas, & aliquando dentibus infrendeas. Ne dederis ei in pueritia licentiam: unde eius latera, dum puer est, ne duratus, tibi non pareat, animoque tuo dolorem faciat. Castiga tuum filium, & in eo elabora, ne in eius turpitudinem offendas. Præstat pauperem esse sanum, & firma ualetudine, quàm diuitem male affecto corpore.

C

Sanitas & bona habitudo est omni auro præstantior, & ualens corpus immensis opibus. Nullæ meliores sunt diuitię quàm sanitas corporis: nec ulla uoluptas maior, quàm animi lætitia. Potior est mors, quàm acerba uita: & L. æterna requies, G. quàm longus morbus. Boni cibi ori [b] clauso offusi, sunt epularum fercula in sepulchro apposita. Quid prodest simulacro libamentum, cum nec comedat, nec odoretur? [c] ita se habet qui à Domino infestatur, L. & criminis pœnas luit: G. [d] aspiciens oculis, & gemiscens quasi spado uirginẽ complectens, & suspirans. Noli animum tuum dedere

Pro. 13. d. 23. b
De liberis instituẽdis.

e. in causa erit ut sit nequam & percussor, atque ita uapulet, adeo ut ubicunque pater tumultum audierit, metuat ne ibi periclitetur filius.

Suprà 7. c

b. ægrotantis, cui non sapiũt epulæ.

Dan. 14. b
c. ægrotat. d. epulas uidelicet.

D dedere dolori, aut teipsum deliberationibus angere. Animi uoluptas homini uita est, L. thesaurusque sanctitatis inexhaustus, G. & hominis lætitia est longæuitas. Ama tuam ipsius animam, L. acceptus Deo, eius'que sanctimonia G. solare tuum animum, & mœrorem à te procul amoue. Multos enim mœror interemit, nec ulla in eo utilitas est. Inuidia & iracundia ætatem minuunt, & ante tempus senectam affert solicitudo. Lautus ac bonus animus cibos sibi procurat ad uescendum.

2.Cor.7.b

CAPVT XXXI.

Diuitijs inuigilare, corpus tabefacit: earumque solicitudo somnum abigit. Solicitudo uigil soporem arcet, & grauis ægritudo somnum excutit. Siue laborat diues, congerit opes: siue cessat, expletur uoluptatibus. Siue laborat pauper, uictu caret: siue cessat, fit indigens. Qui aurum amat, pœnas non euadet: & qui corruptelam sectatur, [a] explebitur. Multi propter aurum pessundati sunt, id'que eis palàm fuit exitio. Est aurum quasi stipes quidam in quem offendat, eis qui ipsi sacrificant, eoque capitur omnis amens. Beatus diues, qui reperitur insons, quique aurum non sequitur, L. nec spem in pecunia thesaurisque ponit. G. Quis est, ut eum prædicemus, qui tam mira inter sui generis homines faciat? Quis auro exploratus est, qui se præstiterit integrum, ut sit is gloriosus? Quis peccare potest, qui non peccet? & malè facere, qui non faciat? sanciantur eius rectè facta, eius'que beneficia L. omnis sanctorum G. cœtus prædicet. Magnæ mensæ accubans, noli ei faucibus inhiare, aut [b] multa ibi apposita esse cogitare. Memento malam rem esse oculum sordidum: improbius oculo quid creatum est? ideo quacunque de causa lachrymatur. Quocunque aspexerit, ne manum extendito, nec in catinum unà cum eo inculcato. Alterius ingenium ex teipso conijce, & rem omnem considera. Appositis tibi ut L. sobrius G. homo uescere, néue te ingurgita, ne uenias in odium. Desine primus, ciuilitatis gratia: néue sis insatiabilis, ne offendas. Quòd si inter complures discumbes, noli primus omnium manum porrigere, L. primus'ue potum petere. G. Nam paululum homini bene morato satis est, is'que in cubili suo [c] non anhelat, L. neque dolorem sentit. G. Somnus salubris est temperato uentri: manè surgit, est'que sui compos: cum insatiabilem hominem comitetur peruigiliæ cholerae'que labor, & tormina. Quòd si fueris ad cibos coactus, surge obambula, & uome ut conquiescas, L. nec morbum corpori tuo contrahas. G. Audi me, fili, néue me sperne, & tandem mea dicta inuenies. In omnibus tuis negocijs esto strenuus, & tibi nullus morbus accidet. Qui uictu lautus est, ei uulgo benè precantur, est'que eius honestatis durabile testimonium. At de uictu sordido fremit ciuitas, est'que eius sordium certum testimonium. D In uino uirum te præbere noli: multos enim perdidit uinum. Vt fornax aciem intinctu ostendit, sic uinum animos in superborum certamine. Vitale est homini uinum, si id temperatè bibas. Quæ uita est ei, qui uino uincitur? quod ad uoluptatē hominibus, L. non ad ebrietatem principiò G. creatum est. Lætitiam animi parit & hilaritatem uinum tempestiuè modicèque potum. L. Animo corporique salubris est potus sobrius. Animo acerbitati est uinum affatim potum cum rixis ac dissidijs. Insanis ebrietas furorem & multum parit & perniciosum, uires eneruans, & item uulnera faciens. In uinoso conuiuio alterū ne reprehende, néue in eius uoluptate uitupera. Eum probroso dicto ne pete, néue aduersando preme.

a. scilicet pœna.

Luc.6.d

In conuiuijs quomodo sit agendum

B b. te ob epularum copiam ingurgitare.

C c. ut solent qui se nimio cibo onerarunt.

Pro.22.a

CAPVT XXXII.

Si [a] magister factus es, noli efferri: esto inter alios quasi unus eorum: cura eos, deinde sedeto, & tuo munere ritè perfunctus, accumbe, ut per eos uoluptatem capias, & ornatus gratia coronam accipias. Loquere senex (decet enim te) sed eleganter atque doctè, & ne impedito musica. [b] Vbi non est audientia noli, uerba effutire, aut intempestiuè sapere. Sigillum carbunculi in ornamento aureo est, concentus musicus in uinoso conuiuio, & smaragdi sigillum in aureo uase est musicum carmen ad suaue uinum. L. Audi tacitus, & uerecundia consequere beneuolentiam. G. Loquere adolescens, si tui usus est, uix, B etiam bis rogatus in pauca confer orationem, & paucis multa: esto perinde ac sciens & tamen tacens, inter proceres noli te eis æquare, & [c] alio loquente noli multum garrire. Vt tonitru fulgetra præcurrit, ita pudentem anteit gratia. L. ita fiet C ut isto pudore beneuolentiam consequaris. G. Maturè surge, & noli ultimorum esse: fuge domum impigrè, ibi ludito, & animo tuo indulgeto, dummodo absint peccata, superbus'que sermo: & simul agito creatori tuo gratias, qui te bonis suis exuberet. Qui Dominum reueretur, eius disciplinam admittit: & qui ei inuigilant, eius fauorem inueniunt. Qui legi studet, explebitur ea: sed qui simulatè agit, per eam lædet. Qui Dominum reuerentur, ius obtinebunt, & uirtutum quasi lumine lucebunt. Improbus homo reprehensionem declinat, & arbitratu suo defen- D sionem comminiscitur. Consultus homo deliberationem non spernit: at ineptus & superbus metu non afficitur, etiamsi agat inconsultè. Inconsultè nihil facito, sed ita facito ut te non pœniteat. Neque per impeditam uiam ingredere, ne in petricosis offendas: neque planæ uiæ confide, & à tuis liberis caue, L. & tuos famulos obserua. G. In omni opere tuo animum fidelem habeto: hoc est enim executionis præceptorū. Qui legi fidus est, præceptis dat operam: & qui Domino confidit, non lædetur.

a. scilicet conuiuij.

Eccl.3.a
Suprà 20.a
b. aliàs, ubi est audientia, hoc est ubi sunt alij audiēdi.

c. aliàs, præsente sene.

CAPVT XXXIII.

Dominum reuerenti non accidet malum: quin contrà defendetur à periculis. Vir sapiens legem non odit: sed qui fictè uersatur in ea, perinde est ac nauis in procella. Prudens homo & ipse in lege fideliter uersatur, & lex ipsi fidelis est. Tāquam præclara quæstio sit, præme-

ditare quod dicas: ita tibi audientiā facies: compara doctrinam, atque ita respondeto. Dum stultus eloquitur quæ habet in pectore, [a] perinde est ac uersata circum axem rota plaustri. Vt equus admissarius hinniens sub omni insidente, sic est amicus scurra.

a. ægrè loquit, & radit aures.

Dierum discrimen.

Cur dies diem præcellit? cum totius anni dierum lux sit à sole? Domini prouidentia distincti sunt, qui temporum festorum'que uices disposuit, L. diuina'que sapientia diui-

B sit, facto sole, qui iussa exequatur. G. Igitur alios dies extulit & consecrauit: alios in reliquorum numero dierum posuit. Item homines omnes ab humo, & Adamus ex terra creatus est: tamen eos singulari prudentia distinxit Dominus, eorumque uitæ uias diuersas fecit.

Genes. 1. d

Eorum partim fortunauit euexit'que, partim consecrauit ac sibi cooptauit. Alios detestatus depressit, & de suo statu euertit. Vt figulo creta in manu est, isq; ea arbitratu suo in quemcunque modum utitur: ita homines creatori suo in manu sunt, qui eos, ut ei uisum fuerit, remuneretur.

Rom. 9. e

Contrarium est malo bonum, & contraria morti uita est: [itidem pio contrarius est improbus, & improbo pius.] Ita in omnibus Supremi operibus bina queque uideas, quorum alterum repugnat alteri.

2. Corin. 6. c

C Equidem ultimus expergefactus sum, qui racemos post uindemiatores, fauente Domino, colligere insisterem, & quasi uindemia torcular implerem. Considerate non soli mihi laborasse me, sed omnibus discendi cupidis. Audite me, populi proceres, & reipublicæ gubernatores, auscultate.

Suprà 14. d

Filio uxori'ue, fratri, amico'ue ne dederis in te potestatem, dum uiues: néue facultates tuas dederis alteri, ne tibi pœnitenti sit propter eas supplicandum. Dum uiuis adhuc, & tibi superest spiritus, noli te ulli mortalium emancipare: satius est enim tuos liberos supplicare tibi, quàm te in natorum tuorum manus spectare. In omnibus rebus tuis tene principatum, ne existimationi tuæ labem inferas. Cum tibi ultimus uitæ dies claudendus, & ex uita migrandum erit, tum tu hæreditatem distribuito. Asino pabula, & baculus, & onera: seruo uictus, & castigatio, & opus. Seruo utere, inuenies re-

D quiem: eidem manus remitte, quæret libertatem. Iugum & lorum ceruicem L. duram G. subigunt: item malū seruum neruus & tormenta. Adhibe eum ad opus, ne ocietur: nam multa uitia docet ocium. Operi eum admoue, ut ei conuenit: quòd si non paret, ei graues adhibe compedes, sic tamen ut ne sis nimius in ullum corpus, néue quid sine iudicio facias. Si tibi L. fidelis G. seruus est, sit eadem conditione qua es tu, quoniam [b] consanguineum eum comparasti. Si tibi seruus est, tracta eum ut teipsum: nam eo perinde ac teipso indiges. Quòd si eū iniuria læseris, ita ut fuga sibi cōsulat, qua uia eū queres?

Suprà 7. c

b. nō est bellua, sed homo ut tu.

CAPVT XXXIIII.

INanes falsasq; spes habet imperitus homo, & [a] somnia alatos faciunt dementes. Tanquam qui umbram comprehendit, uentum'que persequitur, sic est qui pendet à L. falsis G. somnijs.

a. dementes somniāt se uolare, hoc

[b] Aliquid alicuius simile est somniorum uisio contra formā effigies formæ. Ab impuro quid purgetur? & à falso quid ueri existat? Diuinationes, auguria, somnia'que L. maleficorum, G. uana sunt, & quasi animi deliria parturientis fœminæ. Nisi à Supremo tui curam gerente missa fuerint, noli ad ea animum adijcere. Multos enim deceperūt insomina, qui in eis spem habentes, lapsi sunt.

est [illegible]

b. perinde est quod cernitur in somnijs, ac rei imago quæ cernitur in speculo.

[c] Citra mendacium lege perfungendum est, & perfecta sapientia in ore fideli sita est. Vir edoctus multa nouit: & qui multa expertus est, eius est prudenter disserere. Qui periclitatus non est, pauca nouit: sed qui deceptus fuit, est multo cautior. Multa uidi interea dum deceptus sum, plura'que, quàm mea dicta ferunt, intelligo. Sæpe de uita periclitatus, per hæc euasi, L. Dei beneficio. G. Reuerentium Dominum spiritus uiuet: quandoquidem eorum spes in ipsorum seruatore sita est. Qui Dominum reueretur, nihil timet aut formidat, quippe cuius spes ille sit. Metuentis Dominum beata est anima, qui ab illo pendeat, eo'que nitatur.

c. quid sit agendū, ex lege discendum est, nō ex falsis somnijs, aut augurijs: & qui uult perfectè sapiens esse, legi pareat, quæ est lata diuinitus.

B

C Oculis obseruat amatores suos Dominus, potens præsidium, firmamentum'que ualidum, tegumentum aduersus æstum, umbraculum contra meridiem, contra offensionem custodia, auxiliumq; contra casum. Is animum alleuat, collustrat oculos, medicinam dat, uitam'que & prosperitatem. Sacrificium ex iniustè partis nugatoria est libatio, nec accepta sunt sceleratorum donaria, L. sed solis integritatis iustitiæ'que uiam tenentibus adest Dominus. G. Non mactus fit Supremus impiorum libaminibus, L. nec iniustorum donaria respicit, G. nec ob sacrificiorum multitudinem peccatis dat ueniam: [d] Filium præsente patre mactat, qui sacra facit ex bonis pauperū. Victus tenuis est uita pauperum: eam qui defraudat, sanguinarius est. Hominem interficit, qui uictum aufert: & sanguinem fundit, qui mercenarium mercede fraudat. Si quod unus extruit, alter destruit, quid præter laborem consequunt? Vno bene precante, & altero imprecante, utrius uocem exaudiet Dominus? Qui tacto mortuo lauat, rursum'que tangit, quid lotione proficit? similiter homo, qui propter peccata sua ieiunat, deinde rursus eadem committit, eius preces quis exaudiet? aut quid is seipsum affligendo proficit?

Pro. 15. b

d. non magis est acceptus Deo, quā si &c.

D

Deu. 24. c

Suprà 7. c

Num. 19. b

2. Petri 2. d

CAPVT XXXV.

QVi legem exequitur, multum libat: salutariter sacrificat, qui studet præceptis. Qui gratiam refert, similagine supplicat: & qui benignè facit, sacrificium facit gratiarum actionis. A nequitia recedere, Domino acceptum est, & ab iniustitia desistere, litatio est. Coram Domino uacuus comparere noli: [a] hæc enim omnia præcepti gratia facienda sunt. Aram pinguefacit iustorum libatio, eaq; Supremo suaue olet. Viri boni sacrificium acceptum est, & memoriæ nunquā obliuiscendæ. Bono oculo Dominum honora, & [b] manuum tuarum primitias ne minue. In omni munere hilari uultu esto, &

Iere. 7. c

Philip. 4. c

Exod. 23. b 24. c

Deut. 16. d

a. quoniam præcepit Deus ut sacrificet, obediēdum est. Alioqui faciendum non esset.

B

2. Cor. 9. b

b. quas libas. Tob.4.b c. pro eo quod tibi largitus est.

cum lætitia decumas consecrato. Da Supremo [c] pro eius munificentia, idque bono oculo, pro eo quod tibi suppetet: nam Dominus is est qui remuneretur, qui tibi reddet septuplum. Noli iniustum aliquid donare: non enim accipiet: neue iniquo fungere sacrificio: nam Dominus is iudex est, apud quem nulla sit personarum dignitas. Nullam habebit personæ rationem aduersus pauperem, quin eius preces exaudiat, cui facta erit iniuria. Pupilli supplicationem, aut uerba L. cum gemitu G. fundentem uiduam non contemnet. Nimirum descendentes per uiduæ genas lachrymæ de eo expostulant, qui eas excutit. L. A genis enim ad cœlum usque ascendunt, eis que fauet is, qui exaudit, Dominus. G. Qui L. Deum G. colit, is fauorabiliter admittitur, eiusque supplicatio ad usque nubila pertingit. Humilium precatio nubila penetrat: nec prius finem facit aut desistit, quàm ad Supremum peruenerit, qui animaduertat, iusteque iudicet, & æquum faciat. Dominus uerò in ea re non ita lentus erit, ut cõmittat ut immites non delumbet, & de gentibus pœnas sumat: ut nõ tot iniuriosos tollat, & iniustorum sceptra confringat: ut non suis cuique digna factis rependat, & hominum facta, ut digni sunt eorum conatus, remuneretur: ut non suorum causam iudicet, eosque pro sua misericordia lætus reddat, quæ eius misericordia tam est calamitatis opportuna tempore, quàm sunt nubes tempore siccitatis.

C Leuit. 22.c Deut.15.d Rom.2.b Deut.10.b 2.Par.19.c Iob.34.b Sap.6.b Galat.2.b Ephes.6.b Coloss.3.d Act.10.e 1.Pet.1.c D

CAPVT XXXVI.

Preces pro Israelitis.

MIserere nostri Domine Deus omniũ, & respice nos, L. nobisque tuæ clementiæ lumen ostende, G. metumque tui cunctis gentibus, L. quæ tui studiosæ non sunt, G. incute, L. ut intelligant nullum præter te Deum esse, atque ita tua prædicetur amplitudo. G. Intenta manum istam gentibus alienis, quo tuam uideant potentiam. Vt spectantibus illis numen tuum in nobis declarasti, ita spectantibus nobis magnitudinem tuam exere in illis, ut agnoscant, quemadmodum & nos agnoscimus, nullũ esse Deum præter te Domine. Instaura, ostenta, itera miracula, decora manum istam, brachiumque dexterum. Excita & effunde sæuas iras, aufer aduersarios, & profliga hostes. Vrge tempus, memor [a] iurisiurandi, ut tua prædicentur præclara facinora. Ira ardenti conficiantur qui supersunt: & ijs pernicies accidat, qui tuis faciunt iniuriam. Contere principum capita [b] hostium qui se solos esse iactant. Congrega Iacobidarum tribus omnes, L. ut intelligant nullum, excepto te, Deum esse, tuaque præclara facta prædicent, G. easque ut olim posside. Miserere populi, Domine, ex tuo nomine appellati, & Israelitæ, quem [c] primogeniti loco habuisti. Miserere urbis tui sacrarij Hierosolymæ, [d] urbis tuæ quietis. Reple Sionem tuis excellentibus promissis, tuaque populum tuum gloria. Da oraculum tuæ priscæ possessioni, & excita nomine tuo uaticinationes. Da præmium pendentibus à te, & effice ut tuis uatibus habeatur fides. Exaudi Domine [e] supplicum tuorum preces, ut habet [f] Aaronis ad populum tuũ fausta precatio: L. et nos in uirtutis uiam dirige, G. ut intelligant, quicunque usquam terrarum sunt, te Dominum esse Deum sempiternũ.

B a. aliàs iræ, aliàs decreti. b. aliàs gentium. Exo.4.f c. aliàs primogenitũ nominasti. d. al. loci. C Num.6.d e. al. seruorum.

f. hoc est pontificis.

¶ Omni cibo uescitur uenter: est tamen cibus cibo melior. Vt palatum ferinam gustu deprehendit, ita sagax animus uerba falsa. Praua mens dolorẽ facit: sed peritus homo resistit ei. Omnẽ marem admittit fœmina, sed puella puellã antecellit. Fœminæ pulchritudo uultũ exhilarat, & omnem hominis cupiditatem excedit. Si linguæ eius inest pietas, comitas, & sanitas, [g] non est uir eius humanæ conditionis. Qui L. bonam G. uxorem nactus est, principium habet facultatum, adiutorem sibi accommodatum, & columnam in qua conquiescat. Vbi non est sepes, diripitur possessio: item cui non est uxor, is gemit uagus. [h] Quis enim fidat accincto latroni, ex alia in aliam urbem transilienti? quis item homini non habenti nidum, & ubicunque aduesperauerit, considenti?

D g. ita felix est ut Deus esse uideat. h. uxori carenti habẽdus est famulus, cui cũ larib. careat, nõ magis fidendũ est quàm latroni uago.

CAPVT XXXVII.

QVíuis amicus dicit: Huic ego quoque sum amicus: sed sunt quidam amici solo nomine amici. Ergo permanet ad mortem dolor, sodali aut amico in inimicum uerso. O mala mens, unde prorepsisti, quæ dolo terram operires? Sodalis rebus amici lętis delectatur, idem calamitoso tempore futurus aduersarius. Sodalis amicum adiuuat uentris causa, et aduersus hostem sumit clypeum. Amicum animo obliuisci noli, neue sis eius immemor, quum locuples eris. Omnis consiliarius extollit consilium suum: sed sunt qui in rem suam consulant. A consiliario tibi caueto, & prius qua re indigeat, cognoscito (nam ipse sibi consulet) ne te in fortunæ periculum conijciat, & tuum quidem institutum rectum esse dicat, sed interim stet ex aduerso, ut quid tibi sit euenturum, uideat. Cui suspectus es, cum eo ne consultato: & inuidentes tibi, de tuo consilio celato. L. De sanctitate cum irreligioso, de iustitia cum iniusto, G. cum fœmina de eius pellice, cum timido de bello, cũ mercatore de permutatione, cum emptore de uenditione, cum sordido de referenda gratia, cum inclementi de humanitate, cum pigro de ullo opere, cum annuo mercenario de operis perfectione, cum ignauo seruo de multo opere, cum his inquam nullum consilium consociato, sed uirum pium frequentato, quem Domini præceptis obedientem cognoueris, cuius ingenium tuo conueniat ingenio, qui que si lapsus fueris, tuam uicem doleat. Animi consilium L. tecum G. institue: nam eo nemo tibi fidelior (solet enim interdum septies plura monere suus cuiusque animus, quàm in celsa specula sedentes speculatores) & tamen Supremum ora, ut institutum tuum fideliter dirigat. Omnis operis initium sit ratio, & actionem omnem præcedat consilium. Mutationis animi indicium est uultus. Quatuor existunt res, bonum & malum, uita & mors, quarum perpetuò dominatri-

B C

trix est lingua. Est qui cautus sit, multorũq; doctor, et idem sibimet inutilis. Est qui sibi uerbis sapientiam arroget, qui sit inuisus. Is omni alimento carere debet, quippe cui non ea sit à Domino concessa gratia, cum careat omni sapientia. Est qui sibi sit ipsi sapiens, cuius in ore [a] certi sint fructus prudentię. Vir sapiens docet suos, eiusq; prudentiæ certi sunt fructus. Vir sapiens faustis cumulatur omnibus, eumq; beatum prædicant quicunq; uident. Hominis uita, finiti est æui: at Israëlitarum æuum est infinitum. Sapiens apud suos gloriam obtinebit, eiusq; nomen uiuet in perpetuum. Fili, dum uiuis, fac animi tui periculũ, & uide ecquid insit in eo uitij, néue ei indulgeto: ut enim non omnia conducunt omnibus, ita [b] non omnis animis in omni probatur. Noli te ullis ingurgitare delicijs, neue cibis profusus esto: nam nimias epulas comitatur morbus, & in bilem abit edacitas. Per edacitatem multi interierunt, cum temperantes diutius uiuant.

a. al. laudabiles.

b. fieri potest ut insit aliquod in animo tuo uitium.

CAPVT XXXVIII.

De medicis.

MEdicum suis præmijs affice, ut habeat ea quibus opus est: nam eum creauit Dominus. Est enim à Supremo medicina, & à rege stipendium accipit. Medici scientia eius caput extollit, ita ut proceribus sit admirationi. Dominus creauit ex terra medicamenta, quæ prudens homo non fastidit. Nónne ligno dulcuit aqua L. amara, G. ut eius uis ab hominibus cognosceretur? Ipse scientia hac donauit homines, ut suis miraculis gloriam consequeretur. Per hæc medetur, eorum'que dolores tollit. Ex his & compositiones facit seplasiarius, L. ad suauitatem, & malagmata ad ualetudinem, G. [a] nec ullus est eius operum modus: ea est ab illo per orbem prosperitas. Fili in morbo tuo Dominum orare ne neglige, & ipse te sanabit. Amoue culpam, rectas habe manus, et ab omni peccato cor tuum expurga: obmoue suaues odores, & similaginis monimentum, opimumq; libamen, ut qui non [b] conferas: & da medico locum, utpote cuius autor sit Dominus: néue à te discedat, cum eo sit opus. Est etiam cum eis prosperè succedit opus: nam & ipsi Dominum orant, ut sibi lenimentum secundet, & uitæ causa sanationem. Qui in creatorem suum peccat, [c] incidet in medici manus. Fili super mortuo demitte lachrymas, & acerba patiens, fungere luctu, illius'que corpus pro eius conditione uelato, néue sepulturam negligito. Acerbum ploratum, ardentem que planctum adhibe, & luctu fungere, ut decet, unum atque alterum diem, calumniæ uitandæ gratia: deinde consolare te propter dolorem: nam ex dolore mors oritur, animi'que ægritudo uires infringit. Animi inductione dolor abit, & calamitosi uita animo constat. Animum tuum angori ne dedito: sed eum à te repellito, memor exitus. Noli obliuisci nullam esse reditionem: & illi nihil proderis, & tibi ipsi officies. Memento eandem eius esse ac tuam conditionem: heri mihi, tibi hodie. Requiescente mortuo, depone eius memoriam, & te de eo consolare, egresso eius spiritu. Literatorum sapientia in ocij opportunitate est: & quo quisque minus habet negocij, eo facilius fit [d] sapiens. Qui fiat sapiens qui tenet aratrum? qui in stimuli hastili sibi placet, boues agens, & in eorum operibus uersans, cuius'que circa taurorum genus uersatur oratio? Ducendis sulcis intendit animum, uaccarumq; pabulis inuigilat. Itidem fabri omnes, & fabrorum magistri, seu quis noctu seu agit interdiu. Qui sigillorum sculpunt cælaturas, & quorum assiduitatis est multam adhibere uarietatem, ij animũ ad exprimendam picturam applicant, & operi perficiundo inuigilant. Itidem faber ferrarius ad incudem manens, opus'que ferreum considerans, ignis uapore eius corpus exiccante, fornacis æstu conflictatur, & mallei sonitu eius aures obtundente, oculis in propositum operis exemplum intentis animum operis absolutioni adijcit, & ei exactè poliendo inuigilat. Similiter manẽs in opere suo figulus, rotamq; suis conuertens pedibus, in opus suum solicitè assiduus incumbit, & omnia ad numerum agens, nunc lutum brachio figurat, nunc pedibus uim eius prosubigit, nunc animo ad perliniendum opus incumbit, & fornacem uigilanter expurgat. Omnes hi suis freti manibus, in sua quisque arte industriam exerunt, nec sine his frequentatur urbs, nec habitatur nec perambulatur: [uerùm nec sententiam rogantur in consultatione populi,] nec in concione emicant, nec pro tribunalibus sedent,] nec iudiciorũ rationem tenent: sed neque de iure & æquo pronunciant, nec in sententijs locũ habent, sed opificium mundi tuentur, uersanturq; eorum uota circa artis exercitationem.

Exod. 15. d

4. Reg. 4. c

a. fiunt infinitæ ex stirpibus compositiones, tantus est Dei in homines fauor.

b. scilicet ista Deo, sed ab eo accepta ei referas.

Suprà 22. a

c. ægrotabit.

Lugentis officium.

Pro. 15. b 17. d

d. eruditus

De illiteratis.

CAPVT XXXIX.

De doctis.

QVi uerò ad meditãdam Supremi legem animum adiecit, is antiquorum omnium sapientiam exquirit, uatibusq; uacat: illustrium uirorum disputationes obseruat, & in sententiarum subtilitates penetrat: arcana prouerbiorum exquirit, & in sententiarum ambagibus uersatur. Inter proceres obit munia, & principibus apparet. Alienarum gentium terras peragrat, nempe bona simul & mala inter homines experitur. Animum ad inuigilandum, Domino creatori suo confert, & Supremum orans, os suum reserat in preces, deq; peccatis suis obsecrat. Si Dominus ille magnus uoluerit, is prudentiæ spiritu replebit, & sapientiæ uerba profundet, interq; preces Dominum celebrabit, ac per eum recto consilio scientia'que utetur, & eius meditabitur arcana. Idem illius doctrinę disciplinam declarabit, & in lege fœderis Dominici se iactabit. Eius prudentiã laudabunt multi, nec unquam delebitur aut deficiet eius memoria, quin eius nomen in perpetua uiuat secula. Eius sapientiam prædicabunt gentes, eiusq; laus celebrabitur in circulis. Siue uita defungatur, millies celebrius nomen relinquet quàm alij;

a. scilicet fama. alij: siue permaneat in uita, a acquiret. Plura commentatus edisseram, quandoquidem ut plena luna plenus sum. Audite me pij filij, & tãquam ad undosum nata fluuium rosa pullulate, utq; thus odore suaui fragrate, et lilij more flores emittite. Spirate odorem, & cantate laudes, Dominum de tot eius operibus celebrantes. Tribuite eius nomini magnitudinem, & suis eum laudibus celebrate, tum labrorum carminibus, tum citharis. Sic autem in laudatione dicetis: Opera Domini omnia sunt optima, et omnia iussa fient suo tempore, nec licet dicere: Quid hoc quorsum hoc? omnia enim suo tempore examinabuntur.

Dei laudes. Gen. 1. d Mar. 7. d

C Ad eius dictum stetit aqua, quasi aceruus: & ad eius oris uerbum concretæ sunt undæ. In eius iussu inest omnis fauor, nec est qui eius præsidiũ minuat. Ei mortalium omnium facta patent, necque licet eius oculos latere. Ab omni æternitate in omnem æternitatem peruidet, nec ei quicquam est arduum. Nihil est quod dicatur: Quid hoc? quorsum hoc? omnia enim in usus suos creata sunt. Eius fauor ut amnis exuberat. Vtq; diluuium terrã mersit, sic eius iram sentient gentes, L. quæ eum non curant, G. sicut olim b aquas conuertit in salsuginem. Eius uiæ ut pijs rectæ, ita sceleratis scrupulosæ sunt. Vt bona bonis principio creata sunt, ita improbis mala. Summa omnium ad hominis uitam necessariorum est aqua, ignis, ferrum, sal, simila tritici, mel, lac sanguis uuarum, oleum, & uestitus. Hæc omnia ut pijs bona sunt, sic improbis uertuntur in mala.

Gen. 7. d Exod. 14. c b. Sodomã Gomorrãque in salsum lacum. Suprà 29. d

D Sunt quidam ad irrogandas pœnas conditi spiritus, qui sæuiter uerbera incutiunt, & internecionis tempore uires effundunt, creatoris'que sui sæuitiam explent. Ignis, grando, fames, lethum, hæc omnia ad pœnas condita sunt. Ferarum dentes, & scorpij, & serpentes, & gladij, impios capitali pœna plectentes, illius præcepto gaudent, & in terris, ubi opus est, præstò sunt, neq; contra iussa temporibus suis faciunt. Hãc ob rem principio explorata meditataq; re, literis mandaui opera Domini omnia esse bona, & eum omnia necessaria suo tempore subministrare, nec dici posse aliud alio deterius esse: omnia enim tempore comprobatum iri. Quare toto corde atque ore nomen Domini cantate atque collaudate.

2. Thim. 4. d Infrà 40. d

CAPVT XL.

Hominum miseria.

INgens neg[...]um & graue iugum omnibus Adamo prognatis hominibus impositum est à die eorum egressionis ex suæ cuiusque matris utero, ad diem reuersionis in omnium matrem: cogitationes, timores animi, expectandarum rerum imaginationes, & dies obitus. Tam eum qui in solio gloriosè sedet, quàm qui humi & in pædore est: tam qui hyacinthũ coronamq; gestat, quàm qui crudo lino indutus est, hos inquam furor, æmulatio, perturbatio, commotio, mortis timor, iracundia, lites, & tempore quietis nocturnus in cubili somnus, dementant. Parum ac penè nihil datur queti: deinde in somnis, perinde ac si sint excubiæ, animorũ suorum uisionibus perturbati, quasi ex prælio euaserint, (cum sint extra periculum expergesiunt, & terrorem, qui nullus est, mirantur. Hæc cum omnibus animantibus, tam hominibus quàm bestijs, insunt, tum improbis præterea septuplo plura, neces, cædes, lites, gladij, impressiones, fames, calamitates, clades, quæ omnia in sceleratos creata sunt, propter quos etiam fuit diluuium. Quæcunq; ex terra orta sunt, in terram redeunt: & quæ ex aqua, in mare reuertuntur. Omnis largitio & iniustitia abolebitur: at fides semper manebit. Iniustorum facultates in modum fluminis exarescent, & a ut ingens strepit in pluuia tonitru. Dum b manus aperiunt, lætantur. Non multos edet ramos soboles impiorum, & impuræ in summa rupe radices. c Carices in quantouis humore & ripa fluminis, primæ omnium herbarum euelluntur: ita delinquentes prorsus deficient. Benignitas est felicium hortorum similis, durat'que in perpetuum beneficentia. Dulcis est uita contenti suis & operarij, sed utrunque superat qui thesaurum inuenit. Liberi & urbis extructio, nomen stabile reddunt: sed utroque potior censenda est uxor inculpata. Vinum & musica delectant animum: sed utrique præstat amor sapientiæ. Tibia & psalterium suaues cantus edunt: sed utrunque suauis lingua uincit. Venustatem licet & pulchritudinem expetant oculi tui, tamen utrunque excellit segetis uiriditas. Amicus & socius commodè conueniunt: sed utrunque antecellit uxor iuncta uiro. Fratres & auxilium in calamitosum tempus: sed utroque magis tuetur beneficentia. Aurum & argentum pedem stabiliunt: sed utroque commendabilius est consilium. Opes & potentia animum erigunt: sed utroque magis Domini metus. Domini metui nihil deest, nec opem in eo desideres. Domini metus similis est felicis pomarij, cuius ornatus omnem magnificentiam exuperat. Fili mendicam uitam ne degito: mori satius est, quàm mendicare. Hominis ab aliena mensa pendentis uita non est habenda uita, qui seipsum cibis contaminet alienis, id quod peritus uir & doctus cauebit. Impudendis ori dulcis est mendicatio: sed in eius uentre ardet ignis.

B Suprà 39. d Gen. 7. d Genes. 3. d Infrà 41. b Eccls. 1. b

a. ut tonitru uehemẽter strepit, & citò euanescit, ita tantus opũ strepitus citò peribit. b. dona accipiunt. c. Vide eandem similitudinẽ Iob 24.

C D

CAPVT XLI.

OMors quàm amara tui recordatio est homini in bonis suis quieto: homini ocioso, omniaq; prospera habenti, & adhuc cibũ capere ualenti? O mors quàm cõuenit tuũ fatum homini egenti, effœtis uiribus decrepito, undique districto, desperanti, patientiaq; destituto? Ne formida mortis fatum: memento a & maiores & minores tuos: quod cum sit à Domino omnibus animantibus fatale, cur quod Supremo placet, recuses? Siue decem, siue centum, siue mille sint anni, nulla est apud Ditem uitæ defensio. Nefarij sunt improborum nati, & qui in impiorum habitationibus uersentur. Improborũ natorum perit hæreditas, eorumq; posteritatem æterna comitatur infamia. Patrem impium est quod accusent

a. morientium omnibus.

B

cusent nati, qui per eum sint infames. Hei uobis homines impij, qui supremi Dei legem reliquistis: nam siue nascimini, in miseriam nascimini: siue morimini, misera est uestra conditio. Quæcunque ex terra orta sunt, in terram abibunt: itemque impij ex miseria in exitium. Hominum corpora lugentur: sed improborum nomen sinistrum delebitur. Habe curam tui nominis: id enim tibi magis manebit, quàm auri mille ingentes thesauri. Bonæ uitæ ætas finita est: at bonum nomen durat in perpetuum. Doctrinam placide cõseruate nati: occulta sapientia et thesaurus abditus quid prodest utrũuis? Præstat homo suam celans stultitiam, quàm homo suam celans sapientiam. Ergo in eis, quæ dicam, erubescite: nam quouis quidem pudore teneri non est honestum: b nec ubique probatur fides. Pudeat uos luxuriæ, propter patrem & matrem: mendacij, propter principem & potentatum: delicti, propter præsidem & magistratum: sceleris, propter ciuitatem & populum: iniuriæ, propter socium & amicum: furti, propter quem incolis locum, & propter diuinam c fœderis ueritatem. Pudeat & d panibus inniti cubito, & criminis accepti dati ue muneris, & salutatum silere, et meretricem fœminam aspicere, & à cognato uultum auertere, & hæreditariam donatámue rem alicui eripere, & maritam mulierem contemplari, & eius ancillam sollicitare, aut ad eius lectum accedere, & amicis conuicium facere, & postquàm donaueris exprobrare, & quam rem audiueris enunciare, & arcana dicta patefacere. Ita uerè pudens eris, & tibi omnium hominum conciliabis beneuolentiam.

C — b. sunt quædam in quibus uerecũ D dus esse sine perfidia non possis, quæ cap. sequenti dicentur. c. legis, quę furari uetat. d. hoc in mensa dedecet.

CAPVT XLII.

AT in his uerecundus ne esto, néue indulgendo personæ, peccaueris in Supremi lege ac fœdere, in iudicio, secundum eum, à quo iniuria est, iudicando: in sociorum uiatorumque ratione: in sociarum hæreditate partienda: in libræ & ponderum æquitate: in multis paucis'ue possidendis: in ęquabili uẽditione mercium: in multa liberũm castigatione, & mali serui latere cruentando. Si uxor mala est, conuenit claustrum: & ubi multæ manus, conclude: quicquid committes, id ad numerum pondusque facito: & quicquid uel dabis, uel accipies, in codicem refert o. Insipientem et fatuum castigato, & si quis ætate decrepita cum iuuenibus litiget: & eris uerè doctus, omnibus'que mortalibus acceptus. Filia patri clàm curæ est, & solicitudini tantæ, ut ea somnum abigat: in iuuentute, ne exolescat: in coniugio, ne sit inuisa: in uirginitate, ne stupretur, & in patria domo fiat grauida: uiro iuncta, ne delinquat, aut ne elocata sit sterilis. Filiæ rigidissimam adhibe custodiam, ne te faciat inimicorum ludibrium, ciuium fabulam, in populo'que famosum, & in uulgus dedecoret. In nullius hominis pulchritudinem intuere, néue inter fœminas sedeto: nam & à uestibus tinea, & à fœminis proficiscitur nequitia. Satius est cum improbo uiro contrahere, quàm cum mu-

Leuit. 19. c Deut. 1. b 16. c Prou. 24. c Iacob 2. a Vitiosus pudor. B C

liere proba quidem, sed quæ causa sit turpis infamiæ. Commemorabo equidem opera Domini, & quæ eius facta in eius dictis didici exponam. Sol lucidus intuetur omnia, est'que eius splendore plenum illius opus. Neque uerò dedit hoc sanctis Dominus, ut eius omnia exponerent miracula, quæ condidit Dominus omnipotens, uniuersitate gloriosè stabilienda, qui profunda mentes'que perscrutatur, earumque calliditates peruidet. Nouit enim Dominus quicquid sciri potest, & æui penetrale aspicit: præterita futura'que declarat, & arcanorum uestigia detegit. Eum nulla præterit cogitatio, nullum uerbum latet. Sapientia prędi tus est ita magnifica atque ornata, ut cum sit & ante æuum, & in omne æuum, nec augeatur, nec diminuatur, nec ullius egeat consilio. O' elegantia eius omnia opera, quorum tantum quasi scintillam spectare licet. Viuunt hæc omnia, & durant per æuum, omnia'que ad omnes usus obediunt. Omnia bina, alterum alteri contrarium, neque quicquam fecit mancum. Alterum alterius bona confirmat, & quis Dei spectanda gloria satietur?

De Dei operibus. D

CAPVT XLIII.

SVblimitatis ornamentum, puritas ætheris, species cœli gloriosa uisu, sol in exortu suo conspicuus existens, instrumentum mirabile, opus Supremi, qui meridianus agros ardore torret, uel eis intolerabili qui fornacem afflant in a ardoris operibus. Sol triplo magis montes exurit uapores exhalans igneos, radijsque coruscans præstringit oculos. Magnus est Dominus qui eum fecit, cuius'que iussu accelerat iter. Fecit & lunam ut suo tempore existat, indicium temporis, & seculi signum. A' luna festa designantur, lumine eousque decrescente ut deficiat. Ab eadem denominatur mensis, ea'que accretione mirabili mutatur. In sublimi apparatus est castrensis, in æthere cœlesti refulgens cœli pulchritudo, siderum splendor, lucens ornatus, in supremis Domini locis, ad cuius sacra iussa stãt illa continuò, nec in suis stationibus fatiscunt. Vide irim, & eius authorem prædica, quæ fulgore uenustissima, splendido cœlum ambit circulo, Supremi manibus exporrecta. Idem imperio suo niuem urget, & fulgura suo concitat arbitratu. Ergo reclusis cellis prouolant uolucrum more nubes, quas eo pro sua magnitudine cohibente, eliduntur grandinis lapides. Ad eius aspectum concutiuntur montes: ad arbitrium flat auster. Eius tonitrui fragor terram tremefacit, & aquilonis procella, & uenti turbo niuem quasi deuolantes spargit aues, cuius lapsus similis est locustarum sidentium, cuius & candoris pulchritudinem mirentur oculi, & imbrem stupeat animus. Idem pruinam quasi salem fundit humi, quæ concreta palos inspicat: Tum frigidus uentus boreas spirans cogit aquã in glaciem, & in omnem aquæ affluentiam sidens, aquam quasi lorica induit, montes depopulatur, syluas adurit, & herbas ut ignis extinguit.

Sol. a. quæ igne fiunt. Luna. Stellæ. B Gen. 9. b Iris. Nix. Fulgura. Nubes. Grando. Tonitru. Nix. C Pruina. Glacies.

[Nebula.] guit. Omnium præsens remedium est nebula & ros [Ros.] occurrens post ardorem exhilarat. Ille æquor mente sua pacat, & in eo plantauit insulas. Qui mare nauigant, narrant eius pericula, quæ nos auribus audientes miramur. Atque illic incredibiles sunt & miræ res, tanta uarietas animalium, & natura cetorum. Denique per eum succedit eius opificium, eiusque mandato constant [D] omnia. Multa licet dicamus, non tamen rem expediemus. Sūma autem dictorū hæc est: Ipse est omnia. Laudando quidem quātulum ualemus? cum sit ipse maior cunctis suis operibus. Terribilis est Dominus, & permagnus, & mirabili potestate. Collaudantes Dominum quantum potestis extollite, tamē adhuc exuperabit: in eo extollendo summas uires indefessi impendite, ne sic quidem satisfacturi. Quis eum uidit, ut exponat? aut quis eum pro eius natura magnificet? Multa occulta sunt his maiora: pauca enim eius operum didicimus: nam fecit omnia Dominus, deditque pijs sapientiam.

CAPVVT XLIIII.

[Priscorum Israelitarū laudes.] Laudemus sane nobiles uiros, & nostri generis parentes, per quos multam sibi gloriam peperit Dominus, quæ est eius ab omni æternitate magnitudo. Qui in regnis suis domi nati sunt, uiri potentia celebres: qui ingenij consilio ualuerunt: qui prodiderunt oracula, qui consilijs & publicarum literarum peritia populo præfuerunt, quorum in doctrina sapienter dicta sunt: qui concentus musicos excogitarunt: qui scriptorum carmina explanarunt: homines diuites, potestate excellentes, qui domi pacem habuerūt: omnes his suis seculis in gloria fuerunt, suorumque temporum decus. [B] Eorum sunt qui explicandis [a] laudationibus nomen reliquerunt [a. Psalmis, nam is liber apud Hebræos sic inscribitur.]: sunt & quorum nulla est memoria, qui perierunt, & facti sunt perinde ac si nunquam uixissent, aut nati fuissent, tum ipsi, tum eorum nati post eos. Hi uerò pij sunt homines, quorum uirtutes non sunt obliuioni traditæ: quorum stirpi permanet bona hæreditas: quorum progenies pacto stat: quorum posteri durant æternum: quorum neque progenies, neque gloria aboletur unquam: quorū & corpus cum pace sepultum est, & nomen uiuit uel ad perpetuitatem: [Supr. 39.b] quorum sapientiam prædicant populi, quorumque laudes celebrant in uulgus. [Henochus.] [C] Henochus Deo placuit, & L. in paradisum G. translatus est [Gen. 5.c Heb. 11.a], exemplum emendandæ uitæ seculis. Noe perfectè iustus inuentus [Gen. 6.a 7.b], tanti est habitus, ut cum extitit diluuium, fuerit orbis reliquiæ, [Noe.] & cum eo factum sit fœdus æternum, nūquam omnes animantes diluuio abolēdas esse. [Heb. 11.b] [Abrahamus] Abrahamus ille magnus, tot gentiū pater, gloria fuit incomparabilis, qui Supremi legem executus, [Gen. 17.a] cum eo uenit in fœdus, idque fœdus in suo corpore sanxit, [Gen. 12.a] & in periclitatione fidelis est inuentus. [D] Ideoque ille ei iureiurando confirmauit, [Galat. 3.b] felicitatum iri gentes per eius semen, & se eum ad [Gen. 22.d] instar pulueris terræ multiplicaturū, eiusque posteros ad astra euecturum, eisque possessionem daturum ab altero mari ad alterum, & à flumine usque ad regionis extremum. Idem in Isaaco [Isaacum.] quoque, propter eius patrem Abrahamum, sanciuit: & omnium hominum felicitatem, & fœdus in Iacobi caput peregit: eum fauore suo curauit [Iacobum.], & hæreditate donauit, eamque partitus in duodecim tribus diuisit.

CAPVT XLV.

Ex eo uirum eduxit pium, cunctis mortalibus [Moses.] acceptum, & Deo & hominibus charum Mosem [Exod. 11.a], cuius felix est memoria. Hunc [Act. 7.c] [a] sanctis gloria æquauit [a. diuis.], & hostium terrore magnum fecit [Exo. 6.c 16.c]: ad huius dicta peregit portenta: hunc apud reges honorauit: huic ad populum suum mandata dedit, & splēdorem suum ostendit: hunc fide sacrauit & lenitate, & ex omnibus [Exod. 9.] delegit mortalibus: huic suam uocem edidit audiendam, & in caliginem inducto, præcepta coràm tradidit, uitalis scientiæ legem, ut Iacobeos fœdus, ut Israelitas iura sua doceret. [Abaron.] Huic similem Aharonem sanctum euexit, eius [Exod. 4.d] fratrem ex tribu Leuitica, cum quo fœdus iniji æternum, cui populi sacerdotium dedit, quem ornatu beauit, & uestitu nobili amiciuit: quem perfecto decore uestiuit, & egregio instruxit apparatu, tibialibus, toga, & epomide, & globulis [Exod. 28 f] [B] succinxit aureis, crebrisque per circuitum tintinnabulis, quæ eo incedente tinnirent, & in æde sonitum redderent, quod esset generis eius popularium monimentum. Vestis sacra auro, hyacintho, purpura, opere uariegata, cum oraculo iudicij CLARITAS ET INTEGRITAS, opere coccinis filis artificioso, preciosis lapidibus cælatura sigillari auro illigatis, opere gemmarij, quod monimentum esset, inscriptione pro Israeliticarum tribuum numero incisa. Item aurea imposita cidari corona, sigilli sacri figura, honorificum ornamentum, opus eximium, elegans, & oculorum aspectu ornatissimum, quale ante id nullū unquam factum est, nec ullus extraneus induit, sed soli eius nati & nepotes in perpetuum, hostijs bis quotidie consumendis perpetuò. Eius manus initiauit [Leui. 8.a] [C] Moses, eūque sacro inunxit oleo. Ei sempiterno fœdere assignatum est, eiusque posteritati quandiu cœlum durabit, ut Deo administrent simul & sacra faciant, eius'que populo fausta precentur per eius nomen. Eum ex omnibus elegit mortalibus, qui Domino libamen, suffitum, & suaues odores obmoueret, monimenti ergò, ut suo populo propitiaretur. Ei suis præceptis [Num. 16 a] potestatem dedit in iudiciorum constitutionibus, docendi Iacobeos oracula, & suam legem Israelitis declarandi. Aduersus eum cum conspirassent alij, & ei furiosè ac iracundè inuiderent in syluis gregales Dathanis, & Abirami, Coranaque factio, Dominus id animaduertens, adeò improbauit, ut illi atroci supplicio confecti sint, eos'que monstrificè ignis sui flamma consumpsit, Aharonique gloriam adiecit [D], & hæreditatem dedit, [b] eis frugum primitias diuidendo [b. Aharonijs sacerdotibus.], & primis uictum abundè

parando, scilicet ut Domini uictimis uescerentur, quas ipse tum ei, tum eius stirpi dedit, ea cõditione, ut in populi terra patrimonium nõ haberent, neq; possessionem inter populares suos sortirentur, quippe quibus pro hæreditatis sorte Dominus esset. Tum Phinees Eleazari filius gloria tertius est, qui religionis studio impulsus, in populi defectione, strenua animi bonitate constiterit, & Israelitis ueniam impetrarit. Quapropter ille ei pacificatoria pactione sanxit, antistitẽ fore sacrorum, populi'que sui, ita ut tum ipse, tũ eius progenies sacerdotij amplitudinem obtineret in sempiternum.[c] Cæterùm qui & Dauidi Isæi filio tribus Iudaicæ regni, & Aharoni eiusq; semini sacerdotij possessionem pactus est, quæ ad solos solius posteros perueniret, is nobis eam det animi sapientiam, ut eius populus iustè regatur, ne illorum bona aboleantur, sed eorum gloria duret apud ipsorum minores.

Phinees. Num.25.c 1.Mach.2.f

c. hanc totá uerborum complexioné ex Græco simul & Latino concinnaui ut potui: est enim ualde deprauata.

CAPVT XLVI.

Iosua.

POtens bellis Iosua, Nunis filius, et Mosis in diuinatione successor, fuit magni nominis ad electorum Dei salutem, dum infestos hostes ulciscitur, ut Israelitas induceret in possessionem. Quantam est adeptus gloriam uel manibus suis[a] extollendis, uel gladio in ciuitates uibrando? Quis ante eum talis extitit? utpote cum Domini bella gesserit. Nónne per eum restitit sol, & dies unus excreuit ad duos? Cum supremum rerũ præpotentẽ, hostibus undiq; urgentibus, inuocasset, ille, eo exaudito, magnus Dominus, uehementis uiolentæq; grandinis lapidibus ruit in prælium aduersus gentem illam, & in cliuo perdidit aduersarios, ut gentes illius arma, & id bellum cõtra Dominum geri cognoscerent. Nam rerum potentem secutus erat, et Mosis temporib. piè se gesserat unà cum Calebo Iephonis filio, hosti resistendo, populũ à peccando prohibendo, & improbitatis fremitum cohibendo. Atq; hi duo ex sexcentis peditum millibus euaserunt, ducendi in possessionem, in terrã lacte melle'que manantem. Dedit autem Calebo Dominus eam fortitudinem, quæ ei usq; ad senectutem permansit, ita ut regionis fastigium scãderit, eiusq; progenies hæreditatem obtinuerit, ut intelligerent omnes Israelitæ quàm Dominũ sequi sit bonum. Præsidum quoq; nominatim omniũ, quotquot animo non fuerunt impudico, nec à Domino defecerunt, fausta fuerit memoria: eorum & ossa suis locis reuirescãt, & nomen per successiones ad celeberrimos quosque posterorum tradatur. Charus Domino suo Domini uates Samuel reges constituit, & in eius populum principes inunxit: ex Domini lege rempublicã administrauit, per eiusq; fidem subuenit Dominus Iacobeis. Cõpertus est uates, & ex fide sua fidus oraculorum interpres agnitus. Cum'que Domino potenti, hostibus undiq; prementibus, agno lactãte supplicasset, intonuit de cœlo Dominus, & ingenti cum strepitu uoce sua personuit, & Tyriorum duces, & omnes Palæstinorum principes obtriuit. Tum antequàm in perpetuũ obdormiret, testatus est coram Domino atq; eius uncto, se nihil rei ab ullo mortalium, ne calceos quidem abstulisse, nec de eo quisquam hominum conquestus est. Itemq; postquàm obdormiuit, uaticinatus est, & regi ipsius interitum ostendit, ac ex terra oraculum edens uerba fecit, populi scelus deletum iri.

a. in preces. Iosu.10.c

Num.14.c

B

Calebus.

Iosu.14.c

C

Præsides qui iudices dici solent.

Samuel.

D

1.Reg.7.c et deinceps.

CAPVT XLVII.

Nathan. Dauid. 2.Reg.11.[illegible] et deinceps.

POst hunc extitit qui uaticinaretur Nathan tempore Dauidis. Dauid tanquã adeps ex hostia pro salute, sic ex Israelitis secretus fuit. Cum leonibus quasi cum hœdis lusit, cumq; ursis quasi cum ouillis agnis. An non iuuenis adhuc gigantẽ interemit? & populi dedecus aboleuit, admota ad fundæ silicem manu, & Goliati fastu deiecto? Inuocauerat enim Dominum Supremum, qui ei id dexteræ robur dedit, ut potentem bello uirum tolleret, suorumq; popularium cornu extolleret, atq; ita eum inter tot legiones cohonestauit, & diuinis laudibus celebrauit, delato ad eum gloriæ diademate. Nam hostes undique obtriuit, & aduersarios Palæstinos profligauit, fracto ad hũc diem eorũ cornu. In omni opere suo gratias Supremo numini honorifica oratione egit: creatorem suum L. Deum, qui sibi aduersus hostes potestatẽ dedisset, G. toto pectore celebrauit amauitq;, & cantores ante aram, suauibus ad eorum modos carminibus compositis, instituit, [qui suis cantibus laudes quotidie dicerent.] Festis addidit decorem, & ad summum exornauit solennia, quibus sanctum Dei nomen collaudarent, & usque à mane sacrarium personarent. [Eius peccata deleuit Dominus, eiusq; cornu in perpetuum erexit, & ei regnum & maiestatis in Israelitis solium pactus est.] Huic successit prudens filius Solomo, qui per eum latè uiguit, & pacato tempore, id'que gloriosè, regnauit, quum Deus ei omnia undique pacasset, ut ipsius nomini ædem statueret, & sacrarium pararet in perpetuum. Quàm sapiens in iuuentute tua fuisti, & fluminis in morem prudentia refertus? Totum orbem operuit animus tuus, et sententiarum ambagibus impleuit. Ad insulas procul tuum nomen peruenit, & pace tua charus fuisti. Te in carminibus, & prouerbijs, & sententijs, & interpretationibus, admiratæ sunt nationes in Domini Dei nomine, qui Israelitarum Deus uocatur. Tu aurum quasi stannum congessisti, & argenti, quantum si plumbum esset, comparasti. Verùm dum latera ista mulieribus acclinas, & isto corpore subigeris, inussisti gloriæ tuæ maculam, semen'que tuum profanasti, quo supplicium tuis natis conflasti, causaq; fuisti ut eos tua angeret amentia, diuiso imperio, & ex Ephraimitis exorso regno contumaci. Sed Dominus suam erga opera sua clementiam nunquam omiserit, aut perdiderit: nunquam electi sui nepotes deleuerit, aut amatoris sui progeniem sustulerit.

B

Solomo. 3.Reg.4.d et deinceps.

C

D

Itaq;

a. manifestò dementem. Roboamus. 3. Reg. 12. d Ieroboamus.

Itaque Iacobo reliquias, & Dauidi ex ipso stirpem dedit. Igitur Solomo, ubi cum maioribus requieuit, reliquit post se ex semine suo [a] populi dementiam, expertemque prudentiae Roboamum, qui consilio suo populum abalienauit, & Ieroboamum Nabati filium, qui Israelitis peccandi causa fuit, & Ephraimitis flagitij uiam tradidit, quorum tot peccata extiterunt, ut eos patria sua expellerent, adeoque omne flagitiorũ genus exquisiuerunt, ut eos saeuum inuaserit supplicium, L. quo tot peccata luerent. G.

CAPVT XLVIII.

Elias. 3. Reg. 17. a

IGitur extitit Elias, uates igneus, oratione facis in morem ardente, qui eis grauem inuexit famem, eosque seueritate sua redegit ad paucos, L. quod Domini praecepta sustinere non possent. G. Is Domini iussu coelum continuit, ignemque ter de coelo deduxit. Quantã gloriam adeptus es, Elia, miraculis tuis? ecquis se tibi parẽ gloriari potest? qui Supremi iussu mortuũ ex letho atque orco excitasti: qui reges in exitium, & nobiles ex sede sua deturbasti, L. eorumque potentiam facilè fregisti: G. qui in Sina Domini obiurgationem, & in Horebo ultrices sententias audiuisti: qui reges ad uicem rependendam, & successuros tibi uates unxisti: qui
B sublatus es ignea procella, in curru igneorum equorum: qui reprehensionibus in certa tempora destinatus es ad sedandã iram iudicij Domini, antequàm saeuiatur, & [a] ad reconciliandum patris animũ filio, Iacobeasque tribus constabiliendas. Beati qui te uiderint, & cum charitate obdormiuerint: etenim nos [b] reuiuiscemus. Huius Eliae, procella circunfusi, spiritu repletus est Elisaeus, qui suo tempore à nullo principe perculsus, neque cuiusquã potestati subiectus est, omni ratione inuictus: quin uita defuncti corpus uatem egit: cumque edidisset ille in uita prodigia, etiam in obitu mira sunt eius opera. Sed ne sic quidem ad sanitatẽ redijt populus, nec à suis peccatis destiterunt, eousque ut
C ex patrio solo abacti, toto orbe dispersi sint, relicto exiguo popello, & principe, in domo Dauidis, quorum tamẽ partim ad Dei uoluntatem se gesserunt, partim multa peccarũt. ¶ Ezechias muniuit urbem suã, & in eam induxit aquam: cauauit ferro scopulum, & fontes, aquae gratia, cõstruxit. Hius tempore Sennacheribus expeditionem fecit, militique Rabsacem, qui cõtra Sionem & manum extulit, & superbè gloriatus est. Tunc illi & animis & manibus perculsi parturientium ritu dolentes, misericordẽ Dominum, passis ad eum manibus, implorarunt:
D & Sãctus ille de coelo protinus eos exaudiuit, L. nec eorum memor peccatorũ hostib. eos dedidit, sed G. interprete L. sancto uate G. liberauit, concisis Assyriorũ castris, & à Domini genio profligatis. Gessit enim se Ezechias ad Domini arbitriũ, tenuitque parentis sui Dauidis uiuendi uiam, quam praeceperat Esaias, uates ille magnus, & in diuinatione fidelis, cuius tempore retrocessit sol, uitãque regis ampliauit. Is magno spiritu uidit ultima, & lugentes in Sione consolatus est: olim futura et abdita demonstrauit, priusquam euenirent.

a. Malach. ult. de Iohãne Baptista. b. ita beati erunt qui cum chaitate uixerint. Elisæus. 4. Reg. 13. d Ezechias. 4. Reg. 18. c 4 Reg. 19. g Esaias. Esa. 37. g.

CAPVT XLIX.

IOsiae memoria quasi quaedã suffiminis compositio confecti arte unguentarij, in omnium ore dulcis est ut mel, aut ut musica in uinoso cõuiuio. Is in emendando populo dexteritate usus, sustulit nefaria flagitia: animo fuit bene erga Dominum composito, & sceleratorum tempore pietatem composuit. Praeter Dauidem, Ezechiam, & Iosiam, omnes relicta Supremi lege deliquerunt. Degeneres Iudaeae reges, suũ cornu alijs, suam gloriam extraneae genti prodiderunt, quae lectam urbem sacrarij cremauit, eiusque semitas desolauit, ut fuerat à Ieremia praedictum. Hunc enim laeserant, quum ab utero uates consecratus esset ad extirpandum, & affligendum, & perdendum: item'que ad extruendum ac plantandum. Est & Ezechiel is, qui splendoris uisum uidit, quod ei in Cheruborum curru ostensum est. Is enim & [a] in nimbo memorauit hostes, & recta incedentes uia erexit. Duodecim quoque uatum ossa ex suo loco reuirescant, [eorumque fausta sit & felix memoria, qui Iacobeos consolati sint, & spe fida defenderint.] Zorobabelem uerò quo pacto praedicem? qui fuerit quoddam quasi sigillum in L. Israelis G. manu dextera. Item Iosuam Iosedeci filium, qui tempore suo instaurauere templum, aedem'que sacram Domino extruxerũt, sempiternae gloriae destinatam. Inter eximios est & Neemias, diuturnae memoriae, qui nobis collapsos erexit muros, portasque et claustra posuit, & complanatas domos nostras erexit. Iam uerò Henocho par in terris extitit nemo, quippe qui sit sublatus ex terris: ne Iosepho quidem fratrum duci, populi praesidio, cuius ossa reposita sunt. Semus & Sethus inter homines gloria excelluerunt, sed omniũ in rerum natura animalium princeps extitit Adamus.

Iosias. 4. Reg. 23. b B Ieremias. Ier. 1. b; 18. b Ezechiel. Ezech. 1. a C a. Israelitis nimbũ, hoc est hostes minatus est. Duodecim uates. Zorobabel. Agg. 2. a Iosua Iosedeci filius. Zach. 3. a 4. Esd. 3. b 2. Esd. 1. a Neemias. Nehe 7. a D Henochus. Suprà 44. b Iosephus. Gen. 50. d Semus & Stehus. Adamus. Simon põt.

CAPVT L.

SImon Oniae filius pontifex, aedem in uita sua instaurauit, & templum suo tempore firmauit, ab eoque duplex altitudo fundata est, celsum munimen templo circumiectum. Huius tempore conceptaculum aquae, hoc est lacus aeneus, tertia circiter parte minutum est. Hic popularium suorum curam contra casus aduersos gessit, urbemque aduersus obsidionem firmauit. Quanto uerò erat in honore, cum uersaretur in populo, egressus extra templi uelum, quasi stella matutina per mediam nubem, sicuti suis plena diebus luna L. lucet, G. ut sol Supremi templum collustrans, utque iris in splendidis refulgens nubibus: ut flos rosarum uerno tempore, ut apud aquae riuos lilia: ut thuris surculus aestiuo tempore, ut ignis & thus in foculo: ut uas auro solidum, omni gemmarum genere exornatum, ut elegans ac fructifera olea,

olea, utꝙ cupressus, ad nubes usꝙ procera, cum nobilem illam ueste sumebat, perfectumꝙ decus induebat, & in sacri altaris ascensu, sacrarij ambitum condecorabat. Cum uerò ex sacerdotum manibus frusta accipiebat, & ad aræ focum fratrum corona cinctus astabat, similis erat natæ in Libano cedri, illis quasi palmarum stirpibus, & omnibus Aharonijs cum suo splendore circumstantibus, & Domini fertum manu tenentibus, coram uniuerso cœtu Israelitarū. Igitur rem diuinam ad aram faciens, Supremo omnipotenti munus obmouendo, admota pateræ manu libabat uuæ sanguinem, fundens ad aræ radices, suauem odorem, summo omnium

C regi. Tunc exclamare Aharonij, & ductilibus strepentes tubis, magna uoce personare, quod esset apud Supremum monimento. Tunc uniuersus populus communiter properans, pronus humi procidere, Dominum suum adorando, omnipotentem Deum Supremum, cum quidem cantores Deum cum multo dulcissimi carminis sonore collaudarent, populo Supremum clementem Dominum precibus interpellante, donec Domini cultus peractus esset, atque illi rem diuinam absoluissent. Tunc ille descendebat, manusꝙ suas in totum Israelitarum conuentum extollebat, Domino suis ipse labris gratias agens, & in eius nomine glorians. Deinde preces ad Supremi fauorem impetrandum iterabat.

D Quamobrem agite cūcti Deo gratias, Deo prorsus magnifico, qui nostrum æuum ab utero matris euehit, & erga nos utitur sua clementia. Det nobis animi lætitiam, faciatꝙ ut nostris temporibus pax sit in Israelitis, ut priscis temporibus, ut rata sit eius erga nos clementia, & nos nostro tempore liberet. Duabus tribus'ue gentibus infensus est animus meus, quæ gentes non sunt: incolis montis [a] Samariæ, incolis Palęstinę, et stulto populo Sichimis habitanti. Doctrinam prudentiæ scientiæꝙ exarauit in hoc libro Iosua Sirachi filius, Eleazari nepos, Hierosolymitanus, qui animi sui sapientiā effudit. Felix qui in his uersabit, & his memoriæ mandatis, sapiens erit. Nam hæc si fecerit, ad omnia ualebit: ponet enim in Domini luce uestigia, [qui sapientia pios imbuit. Prędicetur Deus in perpetuum.]

a. Lat. Seir.

Etiam atꝙ etiam.

CAPVT LI.

Iosuæ Sirachi filij precatio.

AGo tibi gratias Domine rex: te laudo Deum seruatorem meum. Ago tuo nomini gratias, qui mihi defensor fueris & adiutor, meumꝙ corpus ab interitu & calūniatricis linguæ decipula liberaueris: qui mihi aduersus falsiloqua labra, contraꝙ aduersarios auxilium tuleris, meꝙ pro tua tanta clementia, tantoꝙ nomine liberaueris à rictibus ad uorandum paratis, ab eorum manu, qui mihi uitam eripere conabantur: à tot, in quibus eram, angustijs: ab ignis circūiecti suffocatione, & ex medio igne, ita ut eo non arserim: ab imo Orci barathro, & impura lingua falsa'que apud regem criminatione, & iniustæ linguæ calumnia. Ad mortem B pené uenerat, & prope imum Orcum erat anima uita'que mea: tenebar undique, nec erat qui succurreret, & intuenti mihi in humanum auxilium, nullum erat. Ergo tuæ clementiæ, Domine, priscorumꝙ factorum recordatus, qui te fretos liberes, & ab hostium iniuria tueare, supplex à terra sursum uersus, ut à morte defenderer, oraui, Dominū [a] Domini mei patrem inuocans, ne me aduerso tempore desereret, cum nullum esset contra superbos auxilium. Laudabo tuum nomen assiduè, agendisꝙ gratijs cantabo. Itaque auditæ sunt meæ preces: conseruasti enim me ab interitu, & periculoso tempore liberasti. Hanc ob rem tibi gratias ago, te laudo, tuumꝙ nomen Domine celebro. C Iuuenis adhuc, antequaam errarem, sapientiam precibus apertè petij: eam & ante templum oraui, & ad extremum conquiram, in modum maturescētis uuæ florētem. Ea delectatus est meus animus, meus'que pes rectà ingressus est. Hanc à pueris uestigaui, & paulisper admota aure admisi, multam'que doctrinam comparaui, in qua progressus habens, ei qui mihi sapientiam dedit, honorem tribuam. Eam enim exequi statui, nec me honestatem sequi, pudebit. Ad eam animo contendi, perpensisꝙ meis actionibus, passis sursum manibus, animi mei errores agnoui, eumꝙ ad sapientiam composui, & bene erga eam ab initio animatus, eam expurgatus inueni, ideo'que non deserar. Eam feruenti pectore quæsiui, itaque rem bonam comparaui. Dedit mihi præmio linguam Dominus, qua eum laudem. Accedite ad me imperiti, in'que domo disciplinæ uersamini. Quid cunctamini, & quid ad hæc dicitis? cum tantopere sitiant animi uestre. A perto ore uerba feci, comparate uobis sine precio L. sapientiam: G. ceruicem iugo subdite, & animo doctrinā admittite, quam inuenire in promptu est. Videte uestris oculis me & parum laborasse, & multam comparasse requietem. [b] Comparate magna argenti copia doctrinam, & per eam multum auri quæretis. Lætentur animi uestri in illius clementia, nec uos eius laudationis pudeat. Fungimini officio uestro ante [c] tempus, & ille uobis soluet suo tempore mercedem.

a. Messiæ quē Dominum suū uocat, ut David Ps. 110. & Dan. 9.

b. multo plus proderit, quàm quanti constiterit.

c. scilicet mercedis.

VATES.

VATES.

ESAIAS.

CAPUT PRIMUM.

Oraculum Esaiæ Amosi filij, quod edidit de Iudæa & Hierosolymis, temporibus Oziæ, Iothami, Achazi, Ezechiæ regum Iudææ.



AVDITE ô cœli, attende ô terra, nam Ioua loquitur. Filios alui et educaui, qui à me defecerunt. Nouit bos herum suum, & asinus præsepe dominicum: Israelitæ non no- [B] uerunt, populus meus non sapit. Heu gentem improbam, populum uitijs onustũ, stirpem maleficam, natos perditos, qui Iouam deseruerunt, sanctum Israelitarum despicati sunt, retrò recesserunt. Qua iam in parte feriemini, si delinquere perrexeritis? totum caput ægrum est, totum cor languidum, à pedis uestigio ad caput nihil est in eo sanum: uulnera, uomicæ, ulcera'que purulenta, non malagmate curata, non obligata, [Infr.5.d] non unguine mitigata. Terra uestra uasta est: urbes igni crematæ: agrum uestrum in conspectu uestro comedunt alieni: eo'que hostiliter depopulato, restat puella Sion ut casa in uinea, ut [C] tugurium in horto cucumerum, ut urbs obsessa. [Rom.9.f] Quòd nisi Ioua armipotens reliquias nobis [Genes.19.c] reliquas fecisset, essemus penè ut Sodoma, esse- [Iere.6.e] mus Gomorræ similes. Audite Iouæ dicta, [Amos 5.f] principes Sodomitani: attendite Dei nostri disciplinam, populus Gomorrane: Quid mihi cum uestris tot sacrificijs? inquit Ioua. Satur sum arietum uictimis, & opimarum hostiarum adipe. taurorum, agnorum, & hircorum sanguine non delector. Quum uenitis ad comparendum apud me, quis istud à uobis exigit, ut atria mea teratis? Ne deinceps inane fertum [D] obmouete: à suffitu abhorreo: nouilunia, sabbatha, conuentuum actiones, ferias, uana ista non fero. Nouilunia solennia'que uestra animo odi, mihi onerosa sunt: defessus sum ferendo, uobisq; manus pandentibus, oculos meos subtraho, ac quamuis multas faciatis precationes, non audio, quum sint uestræ manus plenæ sanguine. Lauamini, mundamini, remouete ue- [Infrà 9.d] stri ingenij prauitatem de meo conspectu: de- [1.Petr.3.d] sinite malefacere, discite bene facere, æquitati studete, oppressos defendite, patrocinamini [E] pupillis, causas agite uiduarum. Agite corriga- [Iere.5.g] mus nos, inquit Ioua: etiamsi uel coccinea fuerint peccata uestra, fient albiora niue: si fuerint ostro similia, fient candidiora lana. Si obedire uoletis, terræ bonis fruemini: sin autem renuetis, & contumaces eritis, ferro conficiemini, quoniam loquitur os Iouæ. Ergóne adeò impudica facta est urbs [a] fidelis, ut quæ æquitatis erat [F] plena, & in qua iustitia degebat, in ea nunc sint homicidæ? Argentum tuum in scoriam mutatum est: meracum tuum aqua mixtum: principes tui desertores, & furum socij, omnes donorum cupidi, atque nummarij: pupillis ius non reddunt, uiduarum causas non admittunt. Itaque sic inquit Dominus Ioua armipotens, numen Israelitarum. Heu ut in [b] meos aduersarios uindicabo, ut hostes ulciscar, [Iere.5.g] & conuersa in te mea manu, scoriam tuam quàm purissimè expurgabo, omne stannum tuum auferam, & tibi iudices reddam, quales olim habuisti, & consiliarios quales principiò, ac postea uocaberis urbs iustitiæ, ciuitas fidelis. [G] Sion æquitate, eius'que exules iustitia redimentur: sontes uerò & improbi simul profligabuntur: Iouæ desertores conficientur. Eos enim pudebit diuorum, quos appetitis, & uos hortorum pœnitebit quos elegistis. Eritis enim ueluti quercus, cuius folia deciderunt, & uelut hortus aqua carens, & numen istud fiet stupa, & eius fabricator scintilla, atque ita ambo simul, nullo extinguente, deflagrabũt.

[a. hoc est casta. nam castæ fidem seruant.]

[b. scilicet Israelitas, ut & Psal.9.]

CAPUT II.

Effatum quod edidit Esaias Amosi filius de Iudæa, & Hierosolymis.

[Mich.4.a] FIet postremis temporibus, ut fixus sit ædis Iouæ mons in culmine montium, & collium editissimus, confluentq; ad eum gentes omnes, & uenient multi populi, atque ita dicent: Agite, ascendamus ad montem Iouæ, ad ædem Dei Iacobeorum, qui nos de suis uijs erudiat, ut eius semitis gradiamur. Nam ex Sione lex, ex Hierosolymis Iouæ disciplina proficiscetur. Ille gentibus ius dicet, & multos populos corriget, ita ut cudant ex suis ensibus uomeres, & ex spiculis falces, neq; gentes aliæ alijs arma inferant, neque amplius bella discant. O' Iacobea domus, agite, gradiamur in luce Iouæ. [B] Tu quidem tuum populum, Iacobeam domum, ideo deseris, quod cum sint iam olim [a] pleni, utũtur hariolis ut Palæstini, & ab externis pendent hominibus: ut'que eorum terra argento & auro sic referta est, ut sint eorum thesauri infiniti, adeoq; equis abundat, ut nullus sit quadrigarum modus, sic etiam plena diuis est: suarum manuum opus colunt, quod ipsorum fecere digiti. Verum deprimentur homines, deijcientur uiri, nec tu eis ignosces. [C] Ingredere in rupem, abde te sub terram ob Iouæ terrorem, & eius excelsitatis maiestatem. Deprimentur hominum superbi oculi, humanaq; deturbabitur excelsitas, & solus Ioua extolletur in illa die. Nam Iouæ dies armipotentis talis erit in omnia sublimia atque alta, in omnia elata, ut deprimatur, in omnes proceras altasq; cedros Libani, in omnes Basanæ ilices, & in omnes arduos montes, [D] in omnes editos colles, in omnes excelsas turres, in omnes munitos muros, in

omnes

[a. diuites.]

omnes Cilicas naues, denique in omnes res elegantes, atq; ita deijcietur mortalium celsitudo, humanaq; deturbabitur altitudo, & solus Ioua extolletur in illa die, deastrosq; prorsus euertet. Itaque ingredientur in rupium cauernas, & in terræ uoragines, ob Iouæ terrorem, & eius excelsitatis maiestatem, cum ad orbem uexãdum consurget. Tum quidem deijcient homines suos argenteos aureos'que diuos (quos ipsi sibi fecerint colendos) in talparum foramina, in'que cuniculos, ut subeant in antra petrarum, & in prærupta rupium, ob Iouæ terrorem, & eius excelsitatis maiestatem, cum ad orbem uexandum consurget.

Luc. 23. d
Osee 10. b
Apoc. 9. b

CAPVT III.

DEsinite [a] hominem, qui flatum habet in naribus: nam quanti est? Etenim Dominus Ioua armipotens ablaturus est Hierosolymis & Iudææ opem, atque sustentaculum: omnem adminiculum cibi et potionis, milites & bellatores, iudices & uates, diuinos & senatores, semicenturiones, & autoritate præditos, & consiliarios, & artibus eruditos, & dicendi peritos, eisq; pueros dabo principes, & eos infantium imperio subijciam. Itaque uulgo inter sese factiones alij in alios facient, conspirantibus & iuuenibus contra senes, & obscuris contra nobiles, ita ut uulgo suæ cognationis & stirpis homines sic compellent: Est tibi uestitus, esto noster gubernator, & huic ruinæ suppone manum. Ac tum quidem ille sic referet: [c] Non ego is ero qui isti malo medear: nolite me (qui neq; uictum domi, neque uestitum habeã) constituere populi gubernatorem: Vsqueadeò corruet Hierosolyma, cadent'que Iudæi, quoniam & lingua & ingenio contrarij sunt Iouæ, in gloriosos eius oculos rebellando. Eorum uultus indicium eos incusat, suumq; ipsi peccatum, (ut Sodomitani) ostentant, nihil celantes. Ah miseri: luent enim suum scelus. Iustos sanè bonitatis accusate, sed dignus suo cuiusque ingenio fructus percipietur. Væ sceleratis impijs. nam præmia digna suis factis accipient. Mei populi magistratus infames sunt, eisq; mulieres imperant. O' mi populus, tui rectores sunt fraudatores tuarum'que rationum uiam peruertunt. Adest ad iurisdictionem Ioua: præstò est ad iudicandum de populis. Ioua in iudicium ueniet contra suorum senatores, atque principes. Vos uineam depascitis, spolia calamitosorum domi uestræ sunt: quid quod meos opprimitis, & miserorum facies obtunditis? inquit Dominus armipotens Ioua. Tũ hæc inquit Ioua: Quoniam superbiunt Sioniæ mulieres, & exporrecta ceruice incedunt, lasciuis oculis, ingressu molli, composito gradu, glabrabit Dominus Sioniarum uerticem, Ioua earum uerenda deteget: aliquando Dominus ornamẽtorum decus auferet, calamistra, lunulas, pastillos, uentralia, calanticas, mitras, brachialia, lemniscos, monilia, inaures, anulos, frontalia, ricas, supparos, pulpas, crumenas, specula, sudaria, flammea, & multitia, e-

a. ne pendete ab homine qui potest extingui. Vide Lament. 4. ad finem, & Psal. 146.

B

c. ubi magnates infestantur, nemo uult esse princeps

C

Apoc. 1. b

In Sionias

D

ritq; pro odoribus fœtor: pro cingulo, ruptio: pro calamistrato capillo, glabretum: pro tenui interula, amictus centonis: adusta cutis pro pulchritudine. Tui mortales ferro, tui milites bello occumbent, dolentibusq; & lugentibus tuis portis, tu destituta sedebis humi, adeò ut septem fœminæ uirum unum eo tempore prehensent, atque ita dicant: Nos sumptu nostro uiuemus, atque uestiemur: tantum à te denominemur, nostrumq; dedecus aboleas.

CAPVT IIII.

EO tempore erit Iouæ germẽ nobile & gloriosum, terræq; fœtus eximius, et decorus, uidelicet elapsi Israëlitæ: ac qui in Sione & Hierosolymis reliqui superfuerint, ij sancti dicentur, uidelicet omnes Hierosolymis ad uitam descripti, cum abluerit Dominus sordes Sioniarum, & Hierosolymæ cædes ex ea abegerit, spiritu æquitatis, & spiritu ardoris, creabitq; Ioua in omnes Sionis montis stationes atque conuentus, nubem interdiu fumumq;: noctu autẽ flammantis ignis splendorem, adeò ut omnem protegat nobilitatem, sitq; umbraculum ad opacandum interdiu aduersus æstum, & ad receptaculum atque operimentum contra nimbos & pluuias.

CAPVT V.

VOlo canere amico meo carmen amabile, de eius uinea. Habebat amicus meus uineam in quodam pingui dorso, quam sepiuit, elapidauit, generosa stirpe conseuit, in eaq; media construxit turrim, necnon torcular in ea excidit: & ecce cum uuas edituram speraret, edidit labruscas. Nunc Hierosolymitani & Iudæi, iudicate inter me meam'que uineam: quid amplius faciendum fuit meæ uineæ, quod ei non fecerim? cur sperante me parituram uuas, peperit labruscas? Itaque uolo uobis ostendere quid sim facturus meæ uineæ: eius sepem auferam, ut depascatur: maceriam diruam, ut proteratur, eam'que in tantam redigam uastitatem, ut neque putetur, neque pastinetur, oriantur'que in ea uepres, atque spinæ: tum autem nubibus uetabo ne pluuiam pluant in eam. Iam Iouæ armipotẽtis uinea est Israëlitica stirps, & Iudæi eius deliciarum plantariũ, à quibus cum ius speraret, ecce ictus: cum iustitiã, ecce querelas. Væ qui domos domibus coniungitis, fundos fundis continuatis, eousq; ut nullo restante loco, soli in media terra sedem habeatis. Faxo ego Ioua armipotens tot domus desolentur, tantæ tam elegantes sine habitatore sint. Nam decem uineæ iugera batum duntaxat facient: & seminis modij decem reddent unum modium. Væ qui manè surgunt ut potationi indulgeant, & statim à diluculo uino incalescunt: qui conuiuia citharis, nablis, tympanis, tibijs, uino celebrantes, Iouæ facta non spectant, eius manuum opus non considerant. Quamobrem exulabit imprudens meus populus, eiusq; et nobilitas fame cõficietur, & uulgus arescet siti. Itaque pandet Orcus suum

Iere. 2.
Matth. 21.

B

In auaros.

C

In gulosos.

suum spiraculum, & fauces diducet in immensum, eoque descendent Iudaei clari iuxtà ac plebeij, locupletes atque exultantes, demissisque & D deiectis mortalibus, superborumque supercilijs depressis, extolletur ob aequitatem armipotens Ioua, sanctusque Deus ob iustitiam sanctè coletur. Tum agni pascentur arbitratu suo, & uasta loca carpent arietes peregrini. Vae qui scelera funibus nequitiae, qui peccata quasi plaustri loris trahunt, atque ita dicunt: Acceleret, properet illius opus, ut id uideamus: appropinquet eueniatque Sancti Israelitarum consilium, ut id co- E gnoscamus. Vae qui malum bonum, & bonum malum dicunt: qui tenebras in lucem, & lucem in tenebras conuertunt: qui amarum in dulce, & inamarum dulce mutant. Vae qui sibi sapientes uidentur, suo'que iudicio sunt prudentes. Vae qui ad potandum uinum fortes sunt, & ad fundendum temetum robusti: qui sontes absoluunt ob munera, & insontibus suum ius eripiunt. Quamobrem ut lambens ignis stipulam consumit, ut festucam flāma conficit, sic illorum stirps tanquam putre quiddam erit: illorum frutex quasi cinis abibit: qui armipotentis Iouae F repudiauerint legem, & Sancti Israelitarū dicta contempserint. Hac de causa incensus in suos Ioua, eos porrecta manu tanta clade afficiet, ut ipsi montes cohorrescant: adeò ut eorum cadauera medijs in uicis tanquā lutum iaceant, & tamen ne sic quidem pacatus, habebit adhuc porrectā manum. Tum signum externis procul extollet, & eos ab ultimis usque terris sibilo uocabit: & ecce euestigiò leues aderunt, ita ut nullus sit eorum qui defatigetur, aut impingat: nemo dormitator aut somniculosus: nemo [a] cuius laterū baltheus soluatur, aut calceamenti corrigia rum G patur. Erunt eorum & acutę sagittae, & arcus omnes intenti: equorum ungulas silices esse putes, & rotas turbines. Iam fremitus eorum erit qualis est leonis, aut scymni, qui praedam frendens corripit, eaque potitur indefensa. Sic illi tum in istos marini murmuris ritu frement, ut si terram aspicias, uideas calamitatis tenebras, quarū caligine lumen obscuretur.

Prou. 3. Rom. 12. d

a. quem res ulla remoretur.

CAPVT VI.

QVo anno mortuus est rex Ozias, ego sedentem in sublimi editoque solio Dominum uidi, cuius laciniae fanum replebant, astantibus superne Seraphis, senas alas habentibus, quarum binis facies suas, alteris pedes tegebāt, tertijs uolabant, & alius ad alium clamabant his uerbis: SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS, IOVA ARMIPOTENS, CVIVS GLORIA PLENVS EST VNIVERSVS ORBIS. Ad B huius clamoris sonum commotis uestibuli postibus, totáque aede repleta fumo, ego ita dixi: Hei mihi, perij, qui cum & ipse homo simimmundis labijs, & inter homines labijs immundos habitem, regem Iouam armipotentem uiderim meis oculis. Tum ad me aduolauit unus C de Seraphis, habens in manu candentem carbonem, quem forcipe sumpserat ex ara, quē admouit ori meo, atque ita dixit: Simulatque tua labra tetigit hic carbo, abijt culpa tua, peccatoque tuo data uenia est. Hic ego Domini uocem audiui ita dicentis, Quémnam mittam? aut quis [a] nobis ibit? Et ego: Ecce me, inquam, mitte me. Atque ille: I nunciatum isti populo in hunc modum: Audite, & ne intelligite: uidete, & ne cognoscite: oblima istius populi cor, eius'que & aures aggraua, & oculos hebeta, ne oculis uideat, & auribus audiat, & corde intelligat, & ita mutatus sanetur. Atque ego: Quousque Domine? Et ille: Donec ita uastentur urbes, ut nullus sit incola, ita domus, ut ibi nemo sit, terraque uastata desoletur, adeò remotis per Iouam hominibus, ut sit in media terra uasta solitudo. Cumque fuerit adhuc in ea [b] denarius numerus, iterum depopulabitur, ut quercus aut robur, quae depositis folijs [c] habent statum: sic istius terrae status erit semen sanctum.

Apoc. 4. e

a. erit noster nūcius

Matt. 13 b Marc. 4. b Luc. 8. b D Ioan. 12. f Act. 28. f Rom. 11. b

b. decem reges. nā sub Sedecia captiuos abduxit Nabuchodonosor, qui Sedecias fuit decimus à Iothamo, sub quo haec dicit uates

c. non planè perierunt, sed superest adhuc eis uita.

CAPVT VII.

TEmporibus Achazi Iothami filij, Ozię nepotis, Iudaeę regis, Rasin Syrię rex, & Phacea Romeliae filius Israelitarū rex, bellum Hierosolymis intulerunt, neque ea potuerunt expugnare. Postquam autem Dauidis domi nunciatum est cum Ephraimitis coiuisse Syros: & regis & suorum animi non aliter commoti sunt, quàm uento mouentur syluarum arbores. Et Ioua sic cum Esaia locutus est: Exi obuiam Achazo, unà cum Sariasubo filio tuo, ad caput aquae ductus piscinae superioris, ad semitam agri fullonis, & ei sic dicito: Cura ut sis quietus, neque metuas aut animo remollescas, ob istas duas caudas titionum fumantium, id est propter iram Rasinis, & Syrorum, filijque Romeliae, quod tibi Syri, Ephraimitae, & Romeliae filius malum moliantur, statuentes Iudaeam inuadere, & ei negotium exhibere, eaque sibi subacta, regem in ea constituere Tabealis filium. Sic dicit Dominus Ioua: Id non praestabitur, non fiet: nam & Syriae caput est Damascus, & Damasci caput est Rasin, & exactis annis [a] sexagintaquinque, desinet Ephraimitarū esse populus, quorū Ephraimitarum caput est Samaria, & Samarię caput est B Romeliae filius. Quòd si nō creditis (ut estis increduli) pete tibi signū (inquit Ioua, Achazum porro alloquens) à Ioua deo tuo, idque rei quamlibet uel depressae, uel sursum elatae. Hic cum Achazus negaret se signum petiturū, aut Iouā tentaturū: Audite (inquit ille) [b] Daudidae. Parúmne uobis est hominibus exhibere negotium, nisi exhibeatis etiam deo meo? Ergo dabit uobis Dominus ipse signum. Ecce puella praegnans C filium pariet, quem nomine uocabit Emmanuelem, qui butyro melleque uescetur, discēdo reprobare malum, eligere bonū. prius enim quàm is puer malum reprobare, bonumque eligere sciat, desolabitur terra, cuius ob duos reges tu es anxius. Inuehet Ioua tibi tuo'que populo, & domui paternae, tempora, qualia nō fuerunt ex quo defecerunt à Iudaeis Ephraimitae: scilicet Assyriae regem. Ac tum quidem euocabit sibilo Ioua

a. uidelicet ab Amoso praedictis, Am. 5.

b. Hierosolymitani.

Matth. 1. d Luce 1. b

ua c muscas usque ab extremo flumine Aegypti, & apes ex Assyria, quæ uenient, & omnes in uallibus desertis, in petrarum cauis, inque omnibus caudicibus & foraminibus cōsident. Tum radet Dominus d conductitia nouacula, id est per eos qui trans flumen incolunt, per Assyriæ regem, caput crurumque pilos, etiamque barbam tondebit, atque ita fiet ut si quis unam buculam, uel duas oues aut capras alat, is præ copia lactis, quod proueniet, butyro uescatur: adeo'que butyro & melle uescentur omnes qui superfuerint in terra. Itaque tum omnia loca, in quibus mille uites mille ualuerint nummos argenteos, uepreta erunt, atque dumeta: adeò ut eo e cum sagittis & arcubus ueniatur: adeoque tota terra in senticeta uertetur, atque uirgulta, ut montes omnes, qui ligonibus coluntur, præ uepribus & uirgultis sint inaccessi, atque à bobus peruadantur, & à pecore terantur.

c. hostes acerrimos & infestissimos, qui omnia occupabūt & infesta reddent.
d. uide Ezechielē 29. ad finem.
4.Reg.19.f
e. scilicet ferarū metu.

CAPVT VIII.

TVm mihi Ioua mandauit ut sumpto magno uolumine, scriberem in eo humano stilo, CELERISPOLIO, VELOCIPRAEDAE. Itaque adhibitis fidis testibus, Vria pontifice, & Zacharia Barachiæ filio, accessi ad uatem: quæ cum grauida esset, filium peperit, quē Ioua iussit ut CELERISPOLIVM, VELOCIPRAEDAM nominarem: fore enim ut prius quàm puer is sciret mi pater, aut mea mater pronunciare, opes Damasci, Samariæque spolia, ab Assyriæ rege auferrentur. Præterea mecum amplius loquutus est Ioua hunc in modum: Quoniam isti repudiata Siloæ aqua, quæ placidè fluit, Rasine & Romeliæ filio delectantur,
B
propterea Dominus est eis adducturus aquam fluuij uehementem atque abundantem, hoc est Assyriæ regem cum omni suo apparatu, qui superatis omnibus suis alueis, omnesque ripas supergressus, redundabit in Iudæam, tanto fluens agmine, ut ad collum pertingat, alarum'que suarum porrectione terram tuam, quàm latè patet, repleat, Emmanuel. Conspirate sanè, ô populi, & profligabimini: attendite omnes qui estis in finibus remotis: accingite uos, & profligabimini: accingite uos, & profligabimini: inite consilium, & dissoluetur: decernite rem, & erit irrita, quoniam f nobis adest Deus: Sic enim me Ioua quasi manu prehensum allocutus, docuit non esse huius populi uia gradiendum,
C
ita dicens: Ne coniurationem dicite quicquid populus iste coniurationem dicit: neue eius metu metuite, aut pauete: sed Iouam armipotentem sanctè colite: is metus uester, is pauor esto. Is erit autem sanctitas, & lapis offendiculi, & saxum illisus, duabus Israeliticis domibus: laqueus, & tendicula Hierosolymitanis: impingentque eorum multi, & cadent, & frangentur, & irretientur, & capientur. Preme oraculum: obsigna disciplinam apud discipulos meos. Ergo
D
Iouam expectabo, qui uultum suum à stirpe Iacobi abscondit: eumque sperabo. Ecce me & pueri quos mihi Ioua dedit ad edenda apud Israelitas ostenta, miracula'que ab armipotente Ioua Sionem montem incolente. Quod si uobis suaserint ut uentriloquos magos'que mussantes & murmurantes consulatis, nónne suum debent homines Deum consulere? pro uiuis ne g mortui? Ad legem & ad oraculum: alioquin ea dicent illi, in quibus nihil erit auroræ: regionemque in difficultate famelici peragrantes, præ fame irati, & regem & deos detestabuntur suos, cum quidem & sursum intuentes, & terram despicientes, animaduertēt res aduersas, et tenebras cæcam necessitatem, rapidamque caliginem.

f Hebraicè, Emmanuel, propter nomē pueri superius positū.
Luc.2.e
Rom.9.g
1Pet.2.b
Heb.2.b
g. scilicet consulentur.

CAPVT IX.

QVanquam non cæcutiet ea terra, cui hæc accidet necessitas, quemadmodum superiore tempore Zabuloniæ Nephthalensi'que terræ parum fuerit. Nam postea mare uersus, trans Iordanem, Galilææ extraneorum multum erit, ita ut uersantes in tenebris homines magnam lucem uideant, & tetræ noctis terram incolentibus affulgeat lux, te gentem multiplicante, tantáque afficiente lætitia, ut apud te gaudeant sicut in messibus gauderi solet, quomodo in diuidendis spolijs exultatur. Nam eorum oneris iugum, humerorumque uirgam, hoc est baculum eis imperātium, perfringes, ut a die Madianitarum. Cumque soleat omne certamen cum motu uestiumque in sanguine uolutatione dimicari, istud flagrātis ignis incendio geretur.
B
Nam puer nobis nascitur, filius nobis datur, qui humeris suis principatum gerit, qui nomine uocatur admirabilis consiliarius, Deus potens, Pater æternitatis, Princeps pacis: ad principatus amplificationem pacem'que infinitam in solio regno'que Dauidico, ad id iure iustitiaque condendum, & stabiliendum in omnem deinceps æternitatem, id quod armipotens Ioua suo studio faciet. Rem mittet Iacobidis Ioua, eaque Israelitis accidet, quam sciet uniuersus Ephraimitarum populus, & Samaritani, qui superbè elatoque animo ita dictitant: Lateritia ceciderunt, quadrato lapide ædificabimus: sycomori succisæ sunt, cedros reponemus. Enimuerò ita muniet miscebitque Ioua Rasinis hostes & perduelles aduersus eum, ut à fronte Syri, à tergo Palæstini Israelitas toto ore deuorent, ne sic quidem sedata illius ira, quin habeat adhuc porrectam manum.
C
Et quia non redit populus ad eum à quo cæditur, armipotentis Iouæ securus, abscindet ex Israelitis Ioua caput & caudam, ramos & iuncos, uno die. Caput senes sunt & autoritate præditi: cauda autem uates, qui falsa docent. Quoniam istius populi gubernatores sunt deceptores, quique gubernantur conficiuntur, propterea eius neque iuuenibus delectabitur Dominus, neque pupillorum & uiduarum miserebitur
D
(quandoquidem uniuersi impuri sunt, & facinorosi, omnes'que ore flagitiosè loquuntur) ne sic quidem pacata eius ira, quin habeat adhuc porrectā manū. Nam ardēs quasi impietatis incendium uepres uirgultaque absumet, & incensa syluæ densitate, tantus se fumi globus exprimet in

a. cum Madianitæ à Gedeone uicti sunt. Iud.7.d
Christus. Iohan.1.f

met in altum, ut ea armipotentis Iouæ sæuitia tellus obscuretur, erunt'que homines quasi fomes incendij, adeoq; non parcent alius alij, ut dextra læuaq; rapiant quod comedant, & famentes, nec tum saturati, sui ipsorum brachij carnem uorent, Manassensi cum Ephraimita, & Ephraimita cum Manassensi contra Iudæum conspirantibus, ne sic quidem sedata illius ira, quin habeat adhuc porrectam manum.

CAPVT X.

VAe qui decreta statuunt iniqua, scribendaq; dictant facinorosa, ad tenuium euertendas causas, eripiendumq; ius inopibus mei populi, quò uiduas habeant prædę, pupillosq; diripiant. Quid uerò facietis pœnarum uenturæq; procul uastitatis tempore? ad quem perfugietis ad auxilium? aut ubi uestram relinquetis nobilitatem, ne uinculis succumbant, cæsiq; occumbant, ne sic quidem sedata illius ira, quin habeat adhuc porrectam manum? O' Assyrie iræ meæ fustis, cuius in manu meæ atrocitatis uirga est, quem ego ad impuram gentem mit-
B tam, quem ad populum (cui infensus sum) mandabo, ut spolia auferat, prædamq; diripiat, & illum ut uicorum lutum pessundet. Quanq; ipse non sic arbitrabitur, neq; sic animo cogitabit, sed gentes non paucas euertere atq; excindere habebit in animo. Dicet enim: Nonne proceres habeo planè reges? Annō idem accidit Calano quod Charcamis? aut Hemathę quod Arphado? aut Samariæ quod Damasco? Cum ego mea potentia regnis potitus sim, quæ diuis & simulacris Hierosolymam Samariam'que uincerent, quod Samariæ eius'que diuis feci, idem scilicet
C Hierosolymæ eiusq; statuis non faciam? Enimuerò postquam Dominus suum opus omne in montem Sionem Hierosolymam'que expediuerit, puniet (ut dignum erit) animi regis Assyriæ fastum, tamq; gloriosum supercilium,
4.Reg.19.g qui quidē ita dicat: Meæ manus uiribus, meaq;
infrà 37.g sapientia atq; prudentia effeci, ut sublatis populorum terminis, eorum cellas diriperem: egregieq; habitantes deturbaui, manu'que hac populorum opes tanquam nidum nactus, quomodo relicta colliguntur oua, sic omnes ego terras collegi, nullo uel alam mouente, uel aperto striden-
D te rostro. Securim'ne gloriari aduersus eum qui secat ea? aut se serram iactare aduersus eum qui eam sic agitat, ut agitatur baculus, sicq; attollit, tanquam qui uirgam, non arborem, attollat? Quamobrem immittet Dominus Ioua armipotens illius obelis maciem, eiusq; [a] nobilitatem quasi incendij rogo succendet, ita ut Israelitarum lux pro igne, & Augustus pro flamma sit, quę illius [b] uirgulta et uepres uno die consumet, eiusq; syluę & segetis noblitatem tum animas, tum corpora, ita conficiet, ut ipse sic quasi exanimatus signifer, eruntq; reliquæ eius syluæ arbores adeò numerabiles, ut eas uel puer describat.
E Atq; ita fiet ut deinceps reliqui Israelitæ, quiq; Iacobidarum euaserint, non amplius in [c] eo nitantur, à quo cæsi fuerint, sed in Israelitarum Augusto Ioua uerè nitantur. [d] Reliquiæ reuertentur, reliquiæ Iacobidarum: ad Deum potentem. Rom.9.f
Nā sit licet tuus populus, ô Israel, marina numerosior arena, reuertentur eius duntaxat reliquię, atroci strage abundante iustitia. Nam stragem, & quidem atrocem, edet Dominus armipotens Ioua per omnem terram. Quamobrem sic dicit Dominus armipotens Ioua: Ne metue, mi populus, Sionis habitator, Assyrium: cædet ille quidem te baculo, sua'que uirga petet [e] Aegyptiaco more. Verùm perquàm paulò pòst consumetur iræ meæ sæuitia in eius excidium, F
utetur'que in eum armipotens Ioua flagro, qualis fuit Madianitarum cædes in Orebi rupe, [f] & elata in mare sua uirga, eum auferet Aegyptiaco modo, atq; ita illius & onus ex humero tuo, & iugum ex ceruice auferetur, [g] iugo præ pinguitudine corrupto. G
Venit ad Aiatham, transit per Magronem, depositurus ad Machmas impedimenta sua. Traiecto uado pernoctatur ad Gabam, formidante Rama, Gabaatha Sauli fugiente, Ede ululatum puella Gallima: attende Laisa, inops Anathotha, migrat Mademena, confirmant se Gebimenses. Adhuc dies est, ut non sit apud Nob cōmorandum: manum suam agit ad montem puellæ Sionis, ad collem Hierosolymæ. Verùm Dominus Ioua armipotens ramos uiolenter eruet, prælatáque succidentur, & procera deijcientur, & ita syluæ densitatem ferro excindet, ut [h] Libanus generose cadat.

a. nobilem exercitum.
b. milites.
c. Assyrio.
d. Alludit ad nomen Sariasub. positū ca.7. quod significat, reliquia reuertentur, hoc est pauci.
Infrà.18.f
e. ut olim Pharao.
Iudic.7.
f. eum perimet, ut Pharaonem i. suo uirga mari peremit.
g. eius imperio ob nimias opes & superbiā deleto.
h. Senacheribi exercitus

CAPVT XI.

EXistet autem surculus ex caudice Isæi, & ab eius radicibus pullulabit stolo, in quo residebit spiritus Iouæ, spiritus sapientiæ & intelligentiæ, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & metus Iouæ, per quē Iouæ matu afflatus neque ex oculorum aspectu iudicabit, neque ex aurium corriget auditu. Sed terrarum tenues iustè iudicabit, inopesq; terrarum corriget ex æquo, & terras oris sui baculo uerberabit, & spiritu labrorum suorum necabit impios, habens pro laterum cinctu iustitiam, pro ilium cinctu fidem. Itaq; uersabitur cum agno lupus, accubabitq; pardus hœdo, copulatosq; uitulum & leonem & taurum ducet puer paruulus: & uacca ursusq; compascentur, concubantibus eorum pullis: & leo more boum palea uescetur, & ludet super aspidis foramen lactens infans, super'que uiperæ cauernam deliculus puer manum agitabit. Nusquàm malè aut nequiter fiet in meo sacro monte, quoniam tantæ erit Iouæ cognitionis plena terra, quantis operitur aquis mare. Atque illo tempore Isæam stir- C
pem, expositum populis uexillum, conquirent gentes, eritq; eius gloriosa requies. Atque illo tempore admouebit iterum Dominus manum ad comparandas sui populi reliquias, quæ restabunt ex Assyria, Aegypto, Parthia, Aethiopia, Elamitide, Babylonia, Hematha, & marinis insulis: elatoq; gentibus uexillo, colliget dissipatos Israelitas, disiectosq; congregabit

Christus.
2.Thess.2.c
B
Infrà 65.d

Iudæos ex quatuor terrarum regionibus. Ac facesset Ephraimitæ æmulatio, Iudæorumq; excindent aduersarij, neq; Iudæo æmulabitur Ephraimita, neq; Ephraimitę aduersabit Iudęus, quin statim in Palæstinorum humeros inuolabunt ad occidentem, & orientales deprædabuntur, Idumæis & Moabitis manus afferent, & Ammonitas ditionis suæ facient. Itemq; uastabit Ioua linguã maris Aegyptij, & admota manu sua flumini, uehementia sui spiritus id in septem scindet fluuios, peruadendum etiam calceatis, quò uia sit reliquijs eius populi, quæ ex Assyria supererunt, quemadmodum fuit Israelitis, tum cum ex Aegypto profecti sunt.

Exod. 14.

CAPVT XII.

Atque eo tempore dices: Ago tibi Ioua gratias, qui quum mihi fuisses iratus, me, ira ista cohibita, consolatus es. Cum sit mihi salutaris Deus, confidam intrepidus, postquam mea potentia & cantio [a] Ia Ioua est qui mihi saluti fuit. Etaquam læti ex fontibus salutis haurietis, atq; ita tũ dicetis: Agite Iouæ gratias: huius nomen inuocate: huius naturam per populos demõstrate, eius tam sublime recolite nomen. Cantate Iouam, qui tam arduam rem fecerit per omnes diuulgandam terras. Exclama & oua [b] Sionis habitatrix, nam magnus est in te Augustus Israelitarum.

Exod. 15.a Psal. 117.d

a Ia idem qui Ioua dicit, decurtato uerbo.

b. hoc est Sion.

CAPVT XIII.

In Babylonem oraculum, quod edidit Esaias Amosi filius.

IN edito monte tollatur signum, excieantur sublato clamore manúque significatione, ut [a] principum portas intrent. Ego meis ad hoc destinatis impero, meósq; ad iram meam uoco milites, qui de mea sublimitate exultant. Tumultuosus auditur in montibus sonus, qualis est in gentis populi, sonus strepentium regnorũ, gentibus coeuntibus, Ioua armipotens recenset militares copias. Veniunt ex remota terra, ab ultimo cœlo, Ioua eius'que sæuitiæ tela, ad omnem terram uexandam. Eiulate: propinquat enim Iouæ dies, ut aduentans ab omnipotente uastitas. Itaque omnes uirorum & manus resoluentur, & animi remollescent, cruciatibus'que perturbati, & uexationibus correpti, parturientium ritu dolebunt, inter sese attoniti, inflammata facie. Aduentat ecce Iouæ dies atrox, sæuus, & ira ardens, qui terram in uastitatem redigat, & ex ea eius improbos euertat, adeò ut cœlestes stellæ & sidera non micent suo lumine, & in ortu suo sol caliget, neque luna sua luce splendeat. Animaduertamq; in orbis peruersitatem, in impiorum noxam: & arrogantium fastum comprimam, superbiam'que ferocium deprimam, efficiens ut [b] uiri obrizo, ut homines Ophirio prę ponantur auro. Quin & cœlum ipsum treme faciam, ipsaq; tellus suo conuelletur loco, desæuiente Ioua armipotẽte, & in iras exardescente. Ac quasi disiectæ capreæ, aut nullo cogente oues, alij in alias nationes atque terras diuersi sese fuga recipiẽt. Quisquis inuentus, quisquis fuerit deprehensus, confodietur, occumbetq; gladio. Eorum & paruuli, spectantibus ipsis, elidentur, & domus diripientur, & stuprabuntur uxores. Ego in eos exciebo Medos: qui argentum despicientes, aurumq; fastidientes, pueros arcubus elident: non uteri fœtus miserebuntur, non à filijs abstinebunt, eritq; Babylon, regnorum ornamentum, Chaldaicæq; sublimitatis decus, qualis diuina Sodomæ Gomorræq; ruina est. Nunquam habitabitur: nullo incoletur æuo, non ibi tendet [c] Arabs, non ibi stabulabuntur pastores, sed & cubabunt ibi Syluani, & eorum domos replebunt Fauni: ibi habitabunt struthiones, ibi saltabunt Satyri: cantabunt in eius arcibus ululæ, in amœnis palatijs dracones, & quidem propediem ueniet eius tempus, neque protrahetur eius dies.

a. Babyloniorum.

B

Ezec. 32.b Ioel. 3.c Matth. 24.c Marc. 13.c Luc. 21.c

b. milites malint eos interficere, quàm auro pacisci.

C

Psal. 136.b

D

Gen. 19.e

c. Arabes erant pastores uagi, sedemque subinde mutantes.

CAPVT XIIII.

MIserebitur enim Ioua Iacobeorum, delectosq; rursus Israelitas quietè collocabit in ipsorum solo, adiunctis peregrinis, et cum Iacobi domo consociatis: accersitosq; eos cæteræ nationes adducent in suum locum, & illis utentur Israelis posteri in Iouæ solo seruis & ancillis, eos habentes captiuos, quorum fuerant captiui, & suis imperantes heris. Itaq; cum tibi Ioua requiem à tuo labore & formidine dederit, & à tam dura, quam tuleris, seruitute, uteris in Babylonium regem huiusmodi sententia: Qui fit ut cesset exactor? cesset tributum? Fregit Ioua uirgam impiorum, baculum dominantium, qui populos cædebat atrociter, irremisso ictu, iratè gentibus imperans, inclementer infestatis. Placidè quiescit omnis terra, aperto triumpho, etiam pinis cedris'que Libani super te gaudentibus: ex quo occubuisti nullus ad nos sector ascendit. Infernus Orcus ad tuum cohorrescens aduentum, Titanes tibi conciet, omnes terrarum gubernatores, omnes tibi gentium reges ex suis sedibus excitans, qui te omnes sic alloquantur: Túne etiam nostri similis, uictus es, ut & nos? depressa'que ad inferos ista superbia, isto nablorum strepitu, tibi substernunt lumbricitéque uermes operiunt? Quo pacto delapsus es de cœlo, Lucifer Auroræ fili, deturbatus ad terram, qui gentes opprimebas? Atqui sic cum animo tuo dicebas: Ego cœlum scandam: supra diuinas stellas meum extollam solium, & in monte solennitatum septentrionalibus sedebo regionibus. Excelsa scandam nubila supremo similis. Imò uerò ad Orcum deturbaberis, in Erebi regiones, ubi qui te uidebunt, ad te conquiniscent, te'que contemplantes, dicent: Hiccine est ille uir, qui terras perterrens, qui regna treme faciens, orbem redegit in solitudinem, eius urbes euertens, captosq; domum non relaxans? Omnes planè gentium reges suæ quisque domi iacent honorificè: at tu extra sepulchrum tuum abiectus es, tãquam in uisus stolo, ut perfossi gladio occisi, qui induti in lapideũ demittuntur

B

C

D

tuntur barathrum, tanquam protritum cadauer.
E Non coniungêris eis sepultura, qui terram tuam depopulatus, populũ tuum occideris. Nulla fiat unquam stirpis improborum mentio: paretur eius natis cædes ob parentum culpam, ne existãt, & terras occupent, orbem'que frequentent urbibus. Equidem in eos cõsurgam (inquit armipotens Ioua) Babylonisq; nomen, & reliquias, & nepotes & posteros excindã (inquit Ioua) eam'que in erinaciorum habitationem, & aquarum stagna redigam, excidialibusq; scopis conuerram, inquit armipotens Ioua. Iurat armipotens
F Ioua in hęc uerba: Prorsus ut statui, decreui'que, ita fiet, atque eueniet, ut Assyrium in terra mea perfringam, & in montibus meis obteram, facessatq; ab eis illius iugum, & onus ex eorum dematur humeris. Hoc est consultum de omni terra decretum: hæc manus est in omnes porrecta gentes. Nam quod armipotens Ioua decreuit, quis rescindat? eius'que porrectam manum quis retrahat?

Quo anno mortuus est rex Achazus, editum est hoc minax oraculum.

NE ideo gaude cuncta Palæstina, quòd fractus est baculus qui te cædebat: nam [a] ex colubri stirpe orietur uipera, cuius fœtus erit prester uolucris, pascenturq; tenuium primogeniti, & pauperes tutò cubabunt, perimam'que
G famẽ tuam stirpem, & tuæ necabuntur reliquiæ. Eiula porta: quiritare urbs: dissolueris cuncta Palæstina: aduentat enim ex Aquilone fumus, nullo absente in eius conuentibus. Quid uerò respondebunt gentis nuncij? à Ioua fundatam esse Sionem, & in eo inopes eius populi tutos esse.

a. Achazo succedet alius qui in te sæuiat acrius

CAPVT XV.

In Moabitas oraculum.

NEmpe noctu perijt deletum Ar Moabitarum: nempe noctu perijt deletũ Cir Moabitarum. Ascendit ad templum, Dibonis'que sacella, ad ploratum, super Nabone & Medaba
B eiulans Moabita, omnibus eius capitibus rasis, detonsisq; mentis. Per eius compita centonibus induti sunt: super tectis pérque uicos eiulant omnes, flendo descendentes, adeoque clamat Hesebon, & Eleale, ut eorum uox audiatur ad Iasam, eousque ut armati Moabitæ ægri
C animis uociferentur. Mens mihi super Moabitide quiritatur, cuius profugi ad Sigorim, uitulam triennem, perueniunt: nempe per Luhithæ cliuum plorando ascenditur, nempe per Horonaimæ uiam calamitosus excitatur clamor: nempe Nemrimæ perdita est aqua: nempe aruerunt gramina, defecerunt stirpes, abest uiriditas. Ergo quas comparauerant copias, eorum'que fa-
D cultates, ad salicum fluuium asportantur. Nempe tantus obit Moabitidis fines clamor, ut eius ululatus ad Eglaim, ut eius ululatus ad puteum Elim audiatur. Nempe Dimonis aqua sanguine repletur: nempe ad Dimonem adijciam incrementa, elapsis Moabitis: terræq; reliquijs, leones.

Hier. 48. Ezech. 7. c

CAPVT XVI.

MIttite [a] agnos dominatori terræ, ex petra solitudinis, ad montem puellæ Sionis. Nam quasi uagæ misso nido uolucres, sic erunt Moabiticæ puellæ, ad uada Arnonis. Vtere cõsilio: adhibe rationem: præsta umbra tua quandam quasi noctem in ipso meridie: absconde disiectos: ne prode uagos: commorentur in te mei dilecti, ô Moabitis, esto eis contra grassatores latebra: nam desinunt oppressores, pereunt grassatores, abolentur ex terra uastatores, componiturq; pietate solium, in quo in Dauidis taberna- B
culo fideliter sedeat qui iudicet, iusq; uestiget, & iustitiam properet. Audimus Moabitæ adeò fastuosam superbiam, ut eius fastus, superbia, ferocitas, excedat eius captũ. Itaq; eiulabit Moabita ad Moabitam, uniuersi eiulabunt, [b] mutilis quoq; ad Cirharesæ murorum radicem plangentibus. Nam Hesebon iæ segetes succiduntur: Sabamensem uineam Domini gentium cõtundunt, cuius palmites ad Iazer usque patentes, syluas pererrant: cuius porrecti traduces ma- C
re transeunt. Itaq; Iazerensi ploratu Sabamensem deploro uineam, meis te lachrymis aspergens Hesebon & Eleale, quoniam cecidit æstatis messisq; tuæ celeusma, sublatumq; est gaudium & lætitia ex agro culto, neq; per uineas ouatur: nõ clamatur: uinũ in torcularibus non calcat factor: celeusma cohibui. Hanc ob rem pectus mihi præcordiaq; super Moabitis & Cir- C
haresa citharæ modo strident. Ita fiet ut appareat Moabitas ad sacellum fatigatos, suum'que ingressos sacrarium ad supplicandum, nihil profecisse. Hæc res est quam Ioua de Moabitis iam olim pronunciauit, & nunc ita pronunciat tribus annis, ut sunt anni mercenariorum, ita fœdatum iri nobilitatem Moabitarum, ut ex omni tam multa turba perquàm exiguæ sint & infirmæ reliquiæ.

a Pendite tributũ Iudæis ut olim 2. Reg. 8. quod facere desijstis 3. Re. 1.

Hier. 48. c

b. scilicet mendicis.

CAPVT XVII.

In Damascum oraculum.

FVturum est ut Damascus urbs esse desinat, in ruinæ aggerem redacta. Desertas Aroerenses urbes habebunt greges, cubantes deterrente nullo, priuabiturq; & Ephraimita præsidio, & Damascus regno, eruntq; Syri reliqui ut Israelitarum nobilitas, inquit armipotens Ioua. Illo tempore autem attenuabitur Iacobeorum nobilitas, eorumq; corpulentiæ macrescet obesitas, et accidet perinde ac si quis segetis mes- B
sem colligat, spicasq; in ulnam suam demetat: aut perinde ac si quis spicas in ualle gigantum legat. Relinquetur in eis quod racemetur, ut in olea stringenda duæ tresúe baccæ in summa arbore, quatuor quinquéue in fructuarijs restant flagellis, inquit Ioua Deus Israelitarum. Illo C
tempore intuebuntur homines in conditorem suum, oculisq; spectabunt Augustum Israelitarum: neq; aras, suarum manuum opus intuebuntur, quæúe suis ipsi fecere digitis lucos & simulacra spectabunt. Illo tempore eorum potentes urbes erunt, ut derelictus saltus et arbustum, de-

relictæ propter Israelitas. Quæ quidem uastitas ideocontinget, quoniã tu Deum seruatorem oblita tuum, numinis tuæ potentiæ immemor fueris: propterea cum amœna plantaueris plantaria, eaq; c peregrina stirpe cõseueris, postea quàm curaueris ut ea plantaria crescant, ut tuum seminarium maturè germinet, perierit messis tum, cùm esset percipienda, eritq; dolor dirus.
D O' nationum multarum turbam, marini more tumultus tumultuantium: ô populorum murmur, ritu murmuris uehementium aquarum murmurantium, qui populi ritu murmuris aquarum multarum murmurantes, illo increpante fugient procul, agitati, uelut montana uento stipula, aut floccus turbine. Sub uesperũ ecce terror ingruet: ante matutinum nusquam erunt. Hoc est eorum fatum, qui nos depopulantur: hæc sors eorum qui nos deprædantur.

c. excelenti, quales aliunde importari solent.

CAPVT XVIII.

OAlis umbrosa tellus, trans Aethiopiæ sita fluuios, quæ dimittis per mare legatos, idque in scirpeis per aquas nauigijs. Ite leues nuncij ad distractam direptamq; gentem, ad popu-
B lum eorum qui sunt ultra ipsum, formidabilissimum: gentem alios atq; alios limites habentem, attritamq;, depopulatis eius terram fluminibus: ô omnes orbis incolæ, terrarumq; habitatores, elato montano signo aspicite, & clangente tuba audite. Sic enim dicit Ioua mihi: Quiescam, in-
C que mea statione spectabo, ut serenus æstus secundum pluuiam, ut roscida nubes in calore messis. Nam ante messem, perfecta germinatione, & flori succrescente fructu, abscindentur sarmenta falcibus, excisiq; palmites auferentur. Relinquentur tum montanis alitibus, tum bestijs terrestribus, superq; eis & alites æstiuabunt, &
D terrestres omnes hybernabunt bestiæ. Eo tempore afferentur armipotenti Iouæ munera à distracto direptoq; populo, à populo, eorum qui sunt ultra ipsum, formidabilissimo, gente limitibus uariante, attritaq;, depopulatis eius terram fluminibus, in locum nominis Iouæ armipotentis, montem Sionem.

CAPVT XIX.

In Aegyptum oraculum.

INuectus leui nube Ioua adorturus est Aegyptum, facessentq; ad eius aduentum Aegyptij diui, & Aegyptiorum animi in ipsorum pectoribus remolescent. Atq; ita Aegyptios cum Aegyptijs committam, ut frater cum fratre, propinquus cum propinquo, ciuitas cum ciuitate, regnum cum regno belligeret, & exinaniti mente pectoris Aegyptij, profligato à me eorum consilio, diuos, hariolos, uentriloquos, magosque consulant: dedamq; Aegyptios potestati durorum dominorum, ferusq; rex eis imperabit, ait Dominus Ioua armipotens. Ac deficiente lacus aqua, siccus arebit fluuius, & destitutis fluuijs exhausti arebunt amnes aggerati: arundo papyrusque deprimetur: uirentes secundum flumen,
B secundum ripam fluminis herbæ, omneq; fluuiale semen arefactũ stirpitus interibit. Ita mœrebunt piscatores, lugebunt quicunq; deijciunt in flumen hamum, quique super aquas expandunt euerricula peribunt, & pudebit opifices eximij lini, textoresq; macularum, laceris a illius cassibus, nec non omnes stagnorum, hoc est uiuariorum artifices. Stulti sanè Xoitæ principes: sapientum Pharaonis consiliariorum infatuatum est consilium: audebitisne Pharaoni dicere uos esse sapientum genus, priscis prognatos regibus? Vbinam sunt tui sapientes? age indicent tibi, sciantq; quid armipotens Ioua decreuerit aduersus Aegyptũ. Delirant Xoitæ principes: errant Memphis principes, decipiunt Aegyptum qui sunt eius nationum columen. Ioua eam confudit eo uertiginis spiritu, ut illi Aegyptios in tantum omnium rerum errorem adduxerint, in quanto errore est dum uomit ebrius,
C necullum habeant opus Aegyptij quod b caput caudáue, ramus iuncúsue faciat. Per id tempus effœminabuntur Aegyptij, pauebuntq; trepidi ad motum manus armipotentis Iouæ, quam in eos uibrabit: tantóque erit Iudæa tellus Aegyptijs terrori, ut ad eius recordationem expauescant omnes, ob armipotentis Iouæ decretum, quod in illos decreuerit. Ea tempestate erunt quinque in Aegyptia terra ciuitates sermone utentes Chananæo: perq; Iouam armipotentem iurantes: quarum una dicetur Heliopolis. Tunc erit ara Iouæ in media Aegypti terra, Iouæq; sedes edita ad eius confinia: quæ argumento testimonioq; sit armipotenti Iouæ in Aegyptia terra, quo illis Iouam contra oppressores inuocantibus, defensorem magistrumque mittat, qui li-
D beret eos. Innotescetq; Ioua Aegyptijs, & Iouam cognoscentes eo tempore Aegyptij, sacra fertum-que peragent, Iouæq; uota facient atque persoluent. Cumq; clade affecerit Ioua Aegyptios, medebitur, & ad se reuersos exoratus sanabit. Eo tempore patebit iter ex Aegypto in Assyriam, commeabuntq; & Assyrij in Aegyptum, & Aegyptij in Assyriã, & unà cum Assyrijs c colent Aegyptij. Eo tempore erit Israelita felicitate tertius in terris ab Aegyptio & Assyrio, quam eis conciliabit armipotens Ioua his uerbis: Felix meus populus Aegyptius, mearumque manuum opus Assyrius, & mea hæreditas Israelita.

a. scilicet Aegypti.

b. primarius aut plebeius: potens aut inops.

c. scilicet Iouam.

CAPVT XX.

QVo anno Thartan à Sargone Assyriæ rege missus Asotum aggressus est, idq; ui cepit, eo tempore locutus est Ioua per Esaiam Amosi filium in hunc modum: Iussit ei ut iret exutum suis lateribus centonem, calceosq; ibi de pedibus detraheret: quod cum ille fecisset, nudusq; & discalceatus ambulasset, sic dixit Ioua: Quemadmodum ambulauit meus Esaias nudus & discalceatus, tres annos, quod in Ae-
B gyptios & Aethiopes signum prodigiumq; esset, sic abiget Assyriæ rex captiuos Aegyptios, extorresq; Aethiopes iuuenes senesq;, nudos & discalceatos, detectis natibus, ad ignominiã Aegypti, eosq; pauentes pudebit Aethiopiæ, suæ spei, & Aegypti sui decoris: atq; ita tum dicent

a. Iudææ. b. Aegyptus.

cent istius habitatores a insulæ: Cum eiusmodi sit, b nostra spes, quò ad auxiliū confugimus, ut contra Assyriæ regem defenderemur, quonam pacto euademus nos?

CAPVT XXI.

In syluam marinam oraculum.

In Babylonem. a. Assyrij

SImilis gliscenti australi procellæ uenit ex terribili syluæ terra. Durum oraculum mihi expositum est: a oppressoris oppressor, uastatorisq; uastator proficiscere Elamita, obside Mede: faxo tot illati ab illa gemitus compescantur. Ergo mihi doloris plena sunt latera: me cruciatus corripiunt, quales sunt cruciatus parturientium. auditu percellor: aspectu perturbor: cor mihi palpitat: pauor me perterret: suaue mihi crepusculum uertitur in horrorem. b Adornatur mensa, speculante speculatore: estur, potatur: surgite principes: polite clypeos. Nam ita mihi dicit Dominus: I, statue speculatorem, qui quod uidebit nunciet. Videt autem currus, biiuges equites, currus asinorum, currus camelorum, multum'que & diligenter intentus clamat c leo. In specula, Domine, ego per diem assiduè sto, inq; mea custodia totas noctes permaneo. Ecce autem ueniunt hominum currus, biiuges equites: cadit, cadit Babylon, inquit, omnia'que eius deorum simulacra perfringuntur humi. O d tritura mea areæq; meæ destinati, quod ex armipotente Ioua Israelitarum Deo audiui, id uobis enuncio.

b. Epulabuntur Babylonij qua nocte capiet Babylon.

Habac 12.4

c. speculator, leonis more speculans.

Hier. 51.a

Apoc. 6.b

d nos quos ego trituratos hoc est malis opprimēdos, prædico. & crepidationis, summiq; pauoris descriptio.

In Dumam oraculum.

AD me clamatur ex Seire: e Custos quid de nocte? custos quid de nocte? Et custos: Venit matutinum, inquit, etiamq; nox: si sciscitari uultis, licet: redite alias.

In Arabiam oraculum.

IN Arabiæ sylua f pernoctabitis, quà iter est Dodanim. Occurrite sitientibus ferentes aquam, incolæ soli Themani: excipite pane profugos, qui arma, qui strictos enses, intentos arcus, bellum graue fugiunt. Nam sic mihi dicit Dominus: Exacto anno, ut sunt anni mercenarij, peribit omnis gloria Cedaris, reliquúsq; numerus arcuū Cedariensium militum erit exiguus, quoniam Ioua Deus Israelitarū fatur.

f. scilicet fugientes.

D

g. certo & definito.

CAPVT XXII.

In a fatidicam uallem oraculum.

a. Hierosolymam.

QVid tibi tandem accidit, ut omnis tecta conscenderis, turbarum plena, urbs populosa, ciuitas exultans? Tui non ense saucij, non prælio sunt mortui. Omnes tui primates b emigrarunt simul c sine arcubus uincti: omnes qui in te inuenti sunt, uincti pariter procul fugerunt. Propterea edico ut me fletu cruciari sinatis, néue me de patriæ meæ uastatione consolari tentetis. Nam tumultus, depopulationis, trepidationisq; diem agit Dominus armipotens Ioua in ualle fatidica, mœnia contemplans, & ad montem proclamans: Et Elamitæ quidem ferunt pharetras in curribus: homines, equites, et clypeos promit Cyrene, estq; uallium tuarum lectissima referta curribus, & equites portam inuadunt. Ac tum ablato Iudæorum tegumento, spectabis ad arma d domus syluestris, uidentesq; tot urbis Dauidicæ ruinas, e cogetis aquā inferioris piscinæ, numeratisq; Hierosolymæ domibus, diruetis domos ad munienda mœnia, & conceptaculum facietis inter duos muros, ad aquam piscinæ ueteris, neq; in eius autorem spectabitis, neque in eum, qui eam olim condidit, intuebimini. Ac tum uocante Domino armipotente Ioua ad fletum, ad luctum, ad tondendum, amiciendosq; centones, erit uoluptas & lætitia: occidi boues, mactari oues, comedi caro, potari uinum: comedamus & potemus, nam cras moriemur. Itaq; faxo ego armipotens Ioua, ista uobis culpa non ignoscetur, quin moriamini, dicit Dominus armipotens Ioua. Sic dicit Dominus armipotens Ioua: I, adi quæstorem istum Sobnam dispensatorem.

b. in exiliū: c. sine prælio. Idē antè dixerat: Non ense saucij.

B

d. erat à Solomone cō C structa domus Hierosolymis, in qua arma ponebātur. 3 Reg. 7.

e. scilicet ad intritā.

D

Sap. 2.b

1. Cor. 15.d

Infrà 56.d

In Sobnam.

Quid hic habes? aut quem hic habes? ut hic tibi sepulchrum excidas, altè tibi sepulchrum excidens, domicilium tibi in saxo sculpens. En Ioua te uiriliter transportabit, conuolutumq;, tanquam pilam, uersando rotabit in spaciosam terram, ubi moriare, ubi'que sint tui gloriosi currus, ô dehonestamentum domus tui Domini. Atque ita tum te de sede & gradu exturbato, atque euerso, asciscam meum Eliacimum, Helciæ filium, eumq; tuo & uestitu induam, & cinctu confirmabo, & ei prouinciam tuam in manum tradam, eritq; Hierosolymitanis & Iudææ domui pater, Dauidicæq; domus clauem eius humero imponam, ita ut quod aperuerit nemo claudat, & quod clauserit nemo aperiat: eumq; figam, tanquam clauum, in loco firmo, eritq; suæ domui patriæ pro glorioso solio, atq; in eo suspendent omnem paternæ domus gloriam nepotes & posteri: omnem minimam supellectilem à peluibus uasis, ad omnia instrumenta musica. Tunc (inquit armipotens Ioua) refixus clauus, qui fuerat affixus firmo loco, frangetur, & cadet, rumpeturq; onus ei impositum, quoniam fatur Ioua.

E

F

Apoc. 14.d

Iob. 12.b

G

CAPVT XXIII.

In Tyrum oraculum.

EIulate naues Ciliciæ, uastatis in quas diuertatur, domibus, in quod eis ex Macedonia conflatur. Obmutescite habitatores insulæ quam Sidonij mercatores, mare peragrantes, implebant, cuius prouentus erat fluuialis messis Niliacæ per uastas aquas sementis, quæq; mercatus erat gentium. Erubesce Sidon, nam a mare, nam marina sic loquitur potentia. b Non enixa sum, non peperi, non alui iuuenes, aut uirgines educaui. Quod ubi apud Aegyptios increbuerit, dolebunt, ut dignum est ad Tyri famam. Transite in Ciliciam, eiulate habitatores insulæ. Ergo ne gestientem istam, originis tam antiquæ, sui ferent pedes, procul commoraturam? Quis istud decreuit in coronatam illam Tyrū, cuius mercatores principes, cuius negociatores sunt illustrissimi terrarum? Id armipotens Ioua decreuit, ad fœdandam omnis nobilitatis

a. Tyrus, b. nullos iā habeo natos, perinde ac si nunquam peperissem.

B

superbiã, ad deturpantes illustrissimos quosque terrarum. c Peragra terram tuam ritu fluminis puella Cilicia: non iam est robur. Manum suam extendit in mare regna tremefaciens Ioua, iubens Chananææ potestatem euerti, atque ita pronuncians: Non iam deinceps exultabis, oppressa uirgo puella Sidon: in Macedoniam, surge, migra, ne illic quidem adeptura requiem. d En terram illam Chaldæam hominibus destitutam Assyrij condidere Syluanis: eam ille, suis extructis propugnaculis, dirutis eius arcibus, redigit in ruinam. Eiulate naues Cilicæ, nam uestra perijt potentia. Ac tum mandabitur obliuioni Tyrus annis septuaginta, quanta est unius regis ætas, quibus annis septuaginta finitis, erit de Tyro quasi meretricium canticum: Sume citharam: urbem circui, meretrix oblita: modulare bene: multum cane, ut recolaris. D Ac præteritis septuaginta annis, Tyrus, curante Ioua, ad suum reuersa quæstum, scortabitur cum regnis omnibus, quæ sunt per orbem terrarum, sic tamen ut eius negotiatio quæstus sit Iouæ sacer, neque repositus condat, sed habeant eius negotiationem qui degunt apud Iouam, quo habeant unde & ad satietatem epulentur, & egregiè uestiantur.

c liquesce in lachrymas. uã Tyrus, nauiũ C tuarũ potestas, perijt.

d. etiam Babylon ab Assyrijs condita uastabitur, eáq; hominibus desertã incolent Syluani: nedũ ut Tyrus tãto minor euadat.

CAPUT XXIIII.

IOua terram ita exhausturus & depopulaturus est, itaque eius & faciem inuersurus, & dissipaturus incolas, ut nihil plebeius à sacerdote, nihil seruus a domino, ancilla ab hera, emptor à uenditore, qui fœneratur à fœneratore, debitor à creditore differat: adeo exhaurietur diripieturque terra: quoniam hanc rem Ioua pronunciat. Luget collapsa tellus: interit collapsus orbis: intereunt terrestrium hominum præstantissimi. Et quia terra sub suis impurata est incolis, quippe contra leges facientibus, institutum mutantibus, fœdus uiolantibus æternum, ideo terram conficit dira calamitas: quoniam'que eius deliquerunt incolæ, eam ob causam deflagrarunt habitatores terræ, superstitibus paucis hominibus. B Luget mustum: interiere uites: gemunt omnes animo antea hilares: cessat tympanorum uoluptas: desijt strepitus exultantium: cessat citharæ uoluptas: cum cantu non bibitur uinum: acerbum est bibentibus temetum: fracta est ciuitas nequam: clausus est omnium domorum aditus: clamor est ob uinum in uicis: obliteratũ est omne gaudium: exulat terræ uoluptas: superest in urbe solitudo, itaque est uastitate porta. Nam tale quiddam per terras, per populos erit, quale fit strictis oleis, aut qualis est post peractã uindemiam racematio. Ipsi sublata uoce ouabunt, ad C Iouæ sublimitatem uociferãtes marini. Ergo Iouam, ergo Iouæ Israelitarum Dei nomen honorate a per claritatem, uos insulares. Ab extremo terrarum cantiones audimus, decus iustorum: et tabem, tabem, inquam, sentio: hei mihi, perfidi perfide agunt, & perfidiosè perfidi perfidè agũt. Tibi pauor, & fouea, & laqueus imminet, incola terræ. Ac qui uocem pauoris effugerit, decidet in foueã: & qui ex fouea erepserit, capietur laqueo: nam patefactis ex sublimi meatibus, cõtremiscent fundamenta telluris. D Rumpetur tellus: dissoluetur tellus: cõmouebitur tellus: nutabit tellus ut ebrius, & summouebitur ut tugurium, suisque grauata peccatis corruet, non resurrectura. Ac tum animaduertet Ioua, & in sublimem exercitum in sublimi, et in terrestres reges in terra: uinctique cogentur in barathrum, & claustro concludentur, multo pòst tempore uisendi. Erubescet aũt luna, pudebitque solem, adeò gloriosè regnabit Ioua armipotens in monte Sione, & Hierosolymis, apudque suos senatores.

Osee 4.b

a. hoc est facti Christiani. Alludit ad uerba monilis põtificis, de quibus uide Deut.33. super Leu.

Hier. 48.g

CAPUT XXV.

TE Ioua, qui meus es Deus, extollã, tuo nomini gratias agens, qui olim decreta, certa fide, mirificè perfeceris. Qui urbem in tumulum, munitam urbem in ruinam, hostium arcem eò redegeris, ut non sit urbs, nunquam instaurandam. Hanc ob causam te potens uenerabitur populus, te ferocium gentium reuerebitur ciuitas, qui tenuibus, qui sis pauperibus firmamentum in aduersis, contra inundationem receptaculum, contra æstum umbra. B Nam ferocium a spiritus est quasi parieti inũdatio. Ut b æstus in æstuoso loco, tu hostiũ fastum deprimis, æstus in umbra nubis, ferocium stirpem opprimit. Habebit autem armipotens Ioua populis omnibus in hoc monte adipatũ defæcatum'que conuiuium, in quo cõuiuio medullarum adipes apponentur, & fex erit expressa, conficietque in hoc monte laruam, qua laruati sunt omnes populi, et tegumentum, quo gentes omnes tegunt. C Conficiet mortem ad extremũ, & absterget Dominus Ioua lachrymas ex omni facie, ignominiamque sui populi auferet ex toto orbe terrarum: nam Ioua fatur. Itaque tum dicetur: Ecce Deus ille noster, qui nos in se spem habentes seruauit: Ioua ille, in quo cũ spem habuerimus, exultemus in collata ab eo salute læti. Quiescet enim Iouæ manus in hoc monte, tundenturque in suo solo Moabitæ, ut tunditur in fimo stramen, passis in sua ipsorum regione manibus, ut solent natatores ad natandum: usque adeò illorum fastum manusque membrosas deprimet, arduamque murorũ uestrorum munitionem ad terram demolietur, deturbabit, humi pessundabit.

a. fastus & uiolentia.

b. Deus qui si æstu sũpes, superbos extirpat, suos interim contra æstum il lũ quasi nubis umbra tegens.

CAPUT XXVI.

Eo tempore canetur carmen hoc in Iudæa.

VRbem habemus potentem, cui pro muris & propugnaculo salus est. Aperite portas, & intrabit iusta gens, custos fidelitatis. a Natura fixa pacem pacem tuebitur, quippe tibi confidens. Confidite Iouæ in perpetuum: nam b Ia Ioua numinis est sempiterni. Deprimit enim altè habitantes: urbem elatam deijciet ad terram, deiectam affliget humi, ita ut eam pes, pedes inopum, uestigia tenuium proculcent. Iustorum uia est æquitas, rectum iustorum callem tu libras. B Sanè tuarum uia sententiarum Ioua in te spem habemus, animo tui nominis & memoriæ cupido. Animo te noctu cupio, tibi auida mente pectoris inuigilãs: nam ut sunt tuæ sententiæ in

a. iusta gẽs, ad permanendũ creata.

b. Ia idem qui Ioua.

tię in terris, iustitiam discunt habitatores orbis. Quòd si impio tribuatur misericordia, non tamen discet iustitiam, c in terra correctionis nequiter agens, nec Iouæ sublimitatem animaduertens. O Ioua, elatam istam manum non cernunt: cernent, & eos pudebit: populi studium ignisq; tuus hostilis eos conficiet. Tu Ioua nobis pacē conciliabis, quippe d qui nobis omnia nostra perficias opera. Ioua Deus noster, cum nobis imperent domini præter te, duntaxat in te tuum recolimus nomen. e Mortui non reuiuiscent, manes non resurgent: propterea tu eos pœnis euertes, eorumq; perdes omnem memoriam. Auges gentem Ioua, auges gentem cum tua gloria, summouens omnes fines terrarum. Ioua, in aduersis habetur tui cura: funditur oratio, cum irrogatur à te pœna. Vt prægnans, propinqua partui, ægra præ cruciatibus clamat, sic nos sumus apud te Ioua. Prægnantes ægri quasi parimus uentum, neq; terris parta salus est, ut non

D occumbant orbis incolæ. Reuiuiscent tui mortui, nostra corpora resurgent: expergiscimini, & ouate, ò pulueris habitatores. nam f tuus ros herbarum ros est, maniumq; demoliris terrā. Recipe te mi populus in tua cōclauia, & te tuis ostijs conclude: late paulisper subitò, dum transit iræ uitia. Nam Ioua ex suo proditurus est loco, ad uitia habitantium terras in ipsos uindicanda: detegetq; suum terra sanguinem, neq; suos amplius cæsos operiet.

c. in hac uita, in qua est pœnitentiæ locus.

C

d. uide Psal. 90.

e. scilicet improbi in priore resurrectione. Vide Apoc. 20.

f. ut ros herbas, sic tu manes in uitam elicis, deiecta & reclusa terra qua teguntur.

CAPVT XXVII.

Leuiathan.

TVnc animaduertet Ioua suo duro, magno, ualidoq; gladio in Leuiathanem serpentem teretem, & in Leuiathanem serpentem tortuosum, interficietq; cetum qui est in mari. Tunc eam decantatote uiniferam uineā, quam ego Ioua tuens subinde irrigem, eam ne inuadatur, noctes diesq; custodiens. Non sum equidem iracundus: si quis tamen mihi spinas & sentes in pugna obijciat, eas continuò peruadam

B atq; incendam: alioqui meam potentiam indeptus faciat pacem mecum, pacem faciat mecum. Erit cum ita radices aget Iacobus, ita florebit & fruticabit Israel, ut prouentu repleatur facies orbis. a Nunquid eum cædet simili cæde cæsoris sui? aut nunquid occidetur simili occisorū suorum occisione? Eam modicè deserendo obiurgabis, sonans tuo duro spiritu, Euri tempore. Quapropter ita demum expiabitur culpa Iaco-

C bi, & hic est omnis fructus auferendi eius peccati, si omnes altarium lapides eò redegerit, ut sint quales sunt in calcem dissoluti lapides, ita ut luci simulacraq; nō resurgant. Nam urbs munita erit solitaria statio, derelicta, desertaq; tanquam solitudo, ubi & pascantur & cubent uituli, eius'que flagella consumant, & arefactos fractosq; ramos mulieres crematum ueniant: quoniamq; indocilis est populus, iccirco eius creator conditorq; erga eum clementia & misericor-

D dia non utetur. Ac tum triturabit Ioua à b fluminis alueo, ad Aegypti fluuiū, & uos singuli colligemini Israelitæ, & clangente tum ingenti tuba, uenient perditi in Assyria, & in Aegypto profugi, Iouam'que in sacro monte Hierosolymis adorabunt.

a. hos duos uersus non intelligo, ideóque de mea translatione dubito.

b. Euphratis.

CAPVT XXVIII.

HEu superbiæ corona, temulenti Ephraimitæ, & flos decidua uenustatis elegantiæ, qui est in capite uallis opimæ oppressorum uino: ecce fortis robustus'que Domini quasi grandinis quædam procella, impetuosaq; tempestas, quasi impotens quędam redundantis aquæ diluuies, uos ui prosternet humi. Pedibus conculcabimini, ò superbiæ corona temulenti Ephraimitæ, accidetq; flori decidua uenustatis elegantia, qui est in opimæ uallis capite, quod baccæ primitiuæ ante æstatē, quā qui uidit, simulac uidit, eam adhuc in manu habens deuorat. ¶ Tunc B

erit armipotens Ioua elegantiæ corona, uenustatisq; sertum reliquis sui populi, mensq; iuris sedenti ad ius dicendum, et fortitudo auertentiū ad portam bellum. At isti quoq; uino falluntur, errantq; temeto: sacerdotes uatesq; temeto falluntur, obruti uino errant: præ temeto falluntur in prędicendo, titubant in iudicio, quippe omnibus ubiq; mensis fœdo uomitu refertis. Quem docebit scientiam? quém ue ita erudiet ut quid dicatur intelligat? a Deliculos, & ab uberibus remotos, ita ut ad præcipe, præcipe: ad præcipe, C

præcipe: ad normam, normam: ad normam, normam: paulum ibi, paulum ibi. Nam ridiculo sermone alia'que lingua alloquendus est ei hic populus, qui ab eo moniti in eo positā esse requietem atq; relaxationem, si fessos recreent, audire nolunt, suntq; eis Iouæ dicta ad præcipe, præcipe: ad præcipe, præcipe: ad normam, normam: ad normam, normam: paulum ibi, paulū ibi: ut eāt, & retrò ruant, & frangant, & irretiantur, & capiantur. Quamobrem audite Iouæ dicta, homines scurræ, istius Hierosolymitani populi do- D

minatores, qui dicitis percussisse uos cum morte fœdus, & ita uobis prospexisse cum Orco, ut licet ruens grasset scutica, non uos inuadat, quippe mendacij utentes præsidio, & in falso latitantes: Quocirca sic dicit Dominus Ioua: Ego sum fundaturus in Sione lapidem propugnaculi, lapidem angularem, preciosum, probè fundatum (qui crede, non properabit) statuamq; ius ad normā, & iustitiā ad stateram, euerretq; grando præsidium mendacij, & latebram inundabit E

aqua: rescindeturq; uestrum cum morte fœdus, & erit irrita uestra cum Orco cautio: ruens cum grassabitur scutica, ab ea proteremini: ac quandiu ea grassabitur, uos comprehendet: grassabitur autem quotidie, dies noctesq;: atq; hanc quidem orationem, b uexatio tantum docebit. c Erit enim breuior lectus quàm ut se quis in eo exporrigat: angustiusq; tegumentum, quàm ut quis eo se comprehendere ualeat. Nam ut in monte Pharazimo cōsurget Ioua, ut in ualle Gabaonia fremet, ad suum facinus, d insuetum suum facinus, faciendum: ad suum opus, inauditum suum opus, operandum. Quamobrem nolite scurrari, ne uestræ gliscant pœnæ; nam atrocem interne-

a. non plus intelligūt, quàm infantes, qui docendi sunt balbutiendo, & syllabas præeundo: 1. Cor. 14. d

Mat. 21. d Act. 4. b 1. Pet. 2. a Rom. 10. a

b. nō prius intelliget, quàm sentiatur.

2. Reg. 5. d 1. Para. 14. a Iof. 10. c

c. mēdaciū in quo tanquam in lecto iacetis, nō uos proteget.

F

d. ingens & mirabile.

internecionem audiui ex Domino Ioua armipotente, in omnem terram. Ausculate, & meam uocem audite: attendite, & mea audite dicta. Num semper arat arator ad seminandum, humum suam proscindens atque pastinans? Nónne postq́ eius solum exæquauit, gith spargit, cuminum serit, eximiumq́ triticum, & egregium hordeum atque zeam, suis finibus deponit, suo eum Deo ad rationem instruente ac docente?
G Neque enim tribula trituratur gith, aut plostelli rota super cumino uoluitur: sed pertica gith, & baculo cuminum uerberatur. Panificia quidem teruntur: non enim perpetuò triturat ea, aut plostelli stridēte orbe equisq́ terit. Hoc quoq; ab armipotente Ioua proficiscitur, qui & cōsilio mirus, & ratione magnus est.

CAPVT XXIX.

HEu Leodeus, Leodeus, urbs expugnata Dauidi: [a] addite annum anno: festæ iugulentur hostiæ, & Leodeum mœrore & tristitia angam, eoq́ [b] ut Leodeo utar, & te obsidens undiq́ adeò machinis urgebo, excitatis cōtra te munitionibus, ut deiecta loquaris humiliter, & humi uerba facias, uoce utens subterranea, Pythiarum ritu, humiq́ uerba mussans. Sed hostium tuorum turba, quasi tenuis quidam pul-
B uis, ferocium turba quasi præteriens stipula, repentè, de improuiso, ab armipotente Ioua punietur, tonitru, motu, ingenti sonitu, turbine, tempestate, ignisq́ flamma uoracis. Ac quod in nocturnis somnij uisis, idem accidet tot gentium turbæ cōtra Leodeum militantium, omniumq́ eum machinis & munitionibus urgentium. Vt
C enim somnians famelicus uidetur sibi comesse, deinde experrectus sentit inanem stomachum suum: utq́ somnians sitibundus uidetur sibi bibere, deinde expergefactus lassum se, auidiq́ appetitus deprehendit: sic accidet tot gentium turbæ aduersus montem Sionem militantium. Dubitate admirabundi, qui cæci cæcatis, absq; uino ebrij, absq; temeto titubantes. Nam uos Ioua ea ueterni aura obruit, uobisq́ sic oculos ob-
D struxit, uates primariosq́ uestros fatidicos obruens, ut sit uobis omne oraculū perinde ac uerba obsignati libri, qui si literarum perito tradat, isq́ iubeatur eum legere, neget se posse, quippe obsignatū. Rursum si tradatur illiterato, isq́ iubeat legere, neget se scire literas. Ergo sic pronunciat Dominus: Quoniam populus iste ore me accedens, labijsq́ me honorans, cor habet à me procul, estq́ eius erga me religio humanę doctrinæ disciplina, propterea ego sum insuper adeò mirificè, adeò mirabiliter erga populum i-
E stum acturus, ut eius sapientum sapientia pereat, prudentumq́ [c] lateat prudentia. Væ qui Iouam de consilijs altè celant, quorumq́ facta sunt in tenebris, quiq́ ita dicūt: Ecquis nos uidet, aut nouit? O' uos peruersos: scilicet idem de figulo putetur, quod de creta, ut neget opus se ab autore suo factum: aut figmentū appellet factorē suum imperitū. Enimuero admodū paulo pòst [b] uer-
F tetur Libanus in Carmelū, & Carmelus sylua

a. hoc est altero ab hinc anno, ut patet cap. 32.
b. ut dignus est.
Matth. 15. a
Marc. 7. b
1. Corinth. 1. c
c. nulla fit.
Abdiæ 1. c
Eccls. 23. c
d. extranei ad Christū

habebitur, audientq́ tum surdi uerba libri, et ex caligine atq; tenebris oculi cæcorum uidebunt, acquirentq́ inopes in Ioua lætitiam, & pauperes homines in Augusto Israelitico exultabunt: quippe deletis ferocibus, consumptis scurris, excisis omnibus ad iniquitatem uelocibus, qui uerbis efficiunt ut peccent homines, & castigatores impediunt in curia, iustosq́ nequitia deprauant. Quare sic dicit Ioua Iacobeæ domui, G
is qui redemit Abrahamum: Non nunc pudebit Iacobeos, neq; nunc erubescent: sed cum uiderint pueros suos, manuū mearū opus, inter ipsos meum sanctè celebrare nomen, Augustūq́ Iacobeorum sanctè colere, & Israelitarum Deum reformidare: cumq́ scient socordes prudentiam, & discent garruli disciplinam.

CAPVT XXX.

HEu filios degeneres (inquit Ioua) qui consilium instituant non autore me, commentumq́ comminiscantur non afflatu meo, ut addatur peccatum peccato: qui pergunt in Aegyptum descendere, non sciscitati meam sententiam, ut Pharaonis potentia nixi, Aegyptiæ confidant umbræ. Verùm uobis erit Pharaonis potentia probro, Aegypiæq́ umbræ fiducia dedecori. Fuerunt enim eorum principes Xoæ, Hanemq́ accessere legati: pudet omnes non profuturi eis populi, neque solum non auxilium utilitatem' ue allaturi, uerùm etiam probro & ignominiæ futuri.

In iumenta australia oraculum.

PEr difficilem periculosamq́ terram, ubi leones tigresq́ sunt: item uiperæ uolucres' que presteres, portant suorum asinorum dorsis, camelorumq́ tuberibus, suas facultates, atq; thesauros, ad homines non profuturos. Aegyptij qui- B
dem nequicquam inaniterq́ succurrent: propter ea ad [a] istam clamo, eorum res egregiè habituras, si remanserint. Nunc i, inscribe tabulæ apud eos, & imprime libro qui in posterū duret in omnem perennitatem, uidelicet populū esse contumacem, filios falsos, filios nolentes audire Iouæ legē, qui præuidentib. dicunt, Nolite preuidere: & fatidicis, Nolite prædicere nobis sana: nobis effamini blanda: nobis prędicite fallacias: deflectite de uia: declinate de semita: auferte ex nostro conspectu Augustū Israelitarū. Quãob- C
rem sic pronunciat Augustus Israelitarū: Quoniam uos repudiata hac oratione, calūnijs prauitatiq́ confiditis ac innitimini, propterea accidet uobis in ista culpa, quod in rimosa, caduca & putumente excelsi muri parte, cuius repentina de improuiso fractura uenit, & quidē qualis est fictilis urcei fractura, qui adeò inclementer confringit, ut ne testa quidem in eius fragmentis inueniatur ad capiendū de foco ignē, aut hauriendam ex lacuna aquā. Cum enim sic pronunciet Dn̄s Ioua, Augustus Israelitarū, uos remanendo quiescēdoq́ seruandos, uobisq́ uires in ocio D
& securitate esse positas recusatis, atque ita dicitis: Imò fugiemus equis (itaque fugietis) & in pernicibus equitabimus; itaq; pernicies erunt

qui uos

se conuerterent, à Iudæis repudiatum.
a. Hierosolymam.

qui uos persequentur: ac milleni ad singulorum increpationem, ad quinorum increpationem fugietis, eousque ut restetis b quasi nauis malus in montis uertice, aut in colle pertica. Atque eam ob causam rem differt suspenditque Ioua, ut erga uos misericordia utatur & comitate, quippe qui Deus sit æquus, à quo quicunque pendent, beati sunt. Nam in Sione habitante populo, Hierosolymis non flebitis: ille uos audita querimoniæ uestræ uoce, uestri misertus, exaudiet. Cum'que E uobis dederit Dominus angustiæ panem, angoris'que aquam, non auolabit amplius doctor uester, quin et oculis uestris doctorem uidebitis uestrum, & auribus à tergo huiusmodi uocem audietis: Hæc uia est, ite per eam, si ad dexteram sinistrámue deflexeritis. Fœdabitis'que argentata simulacra uestra, & uestita auro signa, tanquã menstrualem separantes, exire iubebitis. Dabit autem pluuiam semini uestro, quo consueueritis humum, & prouenïens ex terra panificium. Tum pingue opimumque uestrum pecus amplo pascetur in pascuo, boues'que & asini, cultores agri, sinceram comedent farraginem, uentilabro uannoque purgatam, erunt'que in omnibus altis F montibus, editisque collibus manãtes aquæ riui, uastæ cædis tempore, collapsis turribus. Erit & lunæ lux, ut lux solis, & solis lux septuplex. ut septem dierum lux, tum cum obligauerit, Ioua sui populi fracturam, & inflictum ei uulnus sanauerit. Ecce Iouæ nomen procul aduenïens, ardentis ira & graue ferentis onus, cuius & labia sæuitiæ plena sunt, & lingua igni uoraci similis, & flatus inundanti fluuio, qui ad collum usque secat, ad uentilandas uanitatis uentilatione gentes, populorum'que maxillas erroris freno coercendas. Carmine utemini quale noctis est, qua festum indicitur: animique lætitia, quali qui cum tibijs in Iouæ montem ire pergunt, ad numen Is G raelitarum. Sonabitque Ioua uoce suæ maiestatis, & brachij sui impressionem ostendet cum truculento uultu, & edacis ignis flamma, strage, nimbo, grandinisque lapidibus. Nam Iouæ uoce pauefiet Assyrius, ferientis fuste: ac quacunque fixa transibit uirga, quam illi Ioua incutiet, tympana citharæ'que audientur, eoque baculo uehementia prælia decernet. Est enim pridem ordinatus Acheron, isque regi altè lateque paratus, igni multisque lignis ardens, Iouæ flatu, quasi sulphureo quodam torrente, eum incendente.

b. paucissimi, ut si una arbor de sylua restet ad faciendam malum.

CAPUT XXXI.

VAe qui descendunt in Aegyptum ad auxilium, equisque nituntur, & curribus confidunt, utpote multis: & equitibus, utpote præualidis: neque Israeliticum Augustum suspiciũt, aut Iouam curant. Et ipse quoque sapiens est, & importabit malum, neque dicta sua rescindet, consurgetque aduersus improborum domum, et maleficorum auxilium. Et Aegyptij homines sunt, B non dij: & eorum equi corpora, non spiritus: & Ioua manum suam extendente, corruet adiutor, concidet'que adiutus, simulque conficientur uniuersi. Sic enim mihi dicit Ioua: Qualis rugit super C præda sua leo iuuenis, & coacta in se quantauis pastorum manu, ad eorum uocem non pauet, turbæ'ue cedit: talis descendet armipotens Ioua ad militandũ pro Sione monte, proque eius colle. Vt aues uolando, sic proteget armipotens Ioua Hierosolymã: et ita proteget, ut præteriens liberet, ac defendat. Redite ad eum, à quo tantopere descitum est, Israelitæ. Nam eo tempore rejicient suos quisque argenteos, aureos'que diuos, D quos uobis scelerate istæ manus fecerint: cadétque Assyrius non uirorum gladio, & non humano confectus ense, fugæ se mandabit non ob gladium, eiusque delecta pube, ipse præ terrore suam arcem præteribit, expauescentibus uexillũ proceribus eius, ait Ioua, qui ignem in Sione, qui caminum habet Hierosolymis.

CAPUT XXXII.

REgnabit autem iustè rex, & principes ex æquo imperabunt, a erit'que uir ut receptaculum contra uentum, ut latebra contra procellam, ut aquæ riuus in arido loco, ut ingentis umbra rupis in siticulosa terra: neque hallucinabũtur oculi uidentium, & aures audientium attendent, et temerariorum discet animus intelligere, et balborum lingua expeditè & articulatè loquetur. Non iam uesanus uocabitur nobilis, aut auarus dicetur liberalis. Nam uesanus & uesanè loquitur, & animo agitat improba, scelerate agendo, B ut à Ioua deerretur suadendo, famelicos exhauriendo, & siticulosos priuãdo potu. Auarus autem malis præditus artibus, flagitiosa decernit, inopes falsis uerbis circumueniendo, pauperes'que damnando. At nobilis nobilia decernit, & nobilitate euehitur. Mulieres quietæ surgite, audite meam uocem fœminæ securæ, auscultate mea dicta. Aliquanto post annum ex- C horrebitis, ô securæ, amissa penitus'que sublata uindemia. Pauete quietæ, horrete securæ, exuite & spoliate uos, & succingite latera lugubrésque mammas. In eleganti agro, in fructuosa uinea, in terra mei populi, sentes uepresque crescent, quinimò in omnibus uoluptuosis urbis exultabundæ domibus, quippe arce deserta, urbana turba derelicta, munitione & propugnaculo in speluncas redactis æternas, onagrorum uoluptatem, gregumque pascuum, donec spiritu perfundemur ex sublimi, & ex inculto loco fiet Carmelus, & Carmelus sylua habebitur, habita D bitque in inculto loco ius, & manebit in Carmelo iustitia, & erit iustitiæ opus pax, & æquitatis effectum tranquillitas, & securitas æterna, manebitque meus populus in mansione pacata, sedibusque tutis & stationibus quietis. Grandinabit autem in deiectu syluæ, urbe in humili iacente. Felices uos, qui in omnem seminatis humorem, immittentes bouis asinique pedem.

a. erũt principes suis &c.

Supra 29. f

CAPUT XXXIII.

O a Tu qui uastas, neque uastaris ipse: qui prodis, nec ipse proderis: quum absolueris uastationem, uastaberis: quum proditioni tuæ finem feceris, proderis ipse. Ioua miserere nostri sperantiũ te, quorum tu brachiũ esto maturè, &

a. Sencheribum alloquitur.

turè, & aduerso tempore salus. Ad tubæ sonitum diffugiunt populi, ad sublimitatem tuam dissipantur gentes, & tamen legetur præda uestra, ut leguntur multipedæ, ut auidè appeti solent locustæ. Extollendus est Ioua, qui altè habitans, tanto iure iustitiaq; replet Sionem, ut tui temporis firmitas sint uictoriarum opes, sapientia atque prudentia, tu cuius thesaurus est Iouæ metus. Ecce nunc ij foris uociferantur, legati [b] pacis acerbè plorant: desolata sunt itinera: cessant uiatores: fœdus [c] uiolat: ciuitates repudiat: nihili facit homines, luget depopulata tellus: prostratus erubescit Libanus: Saron solitudini similis est, spoliatusq; Basan & Carmelus. Iam surgam (inquit Ioua) iam attollam me: iam inuehar: uos palea grauidi stipulam parietis: uestri spiritus ignis uos cõficiet. eruntq; populi quasi in calcem cremati, ut succisæ spinæ comburuntur igni. Audite, ô remoti, quid fecerim, & cognoscite, ô propinqui, meã fortitudinem. Pauent in Sione sontes: inuadit pauor impuros: quis nostrûm accolet ignem edacẽ? quis nostrûm accolet incendium æternũ? [d] Qui se iustè gerit, æquũq; loquitur: iniuriosum lucrum respuit, suam manum, ne dona capiat, excutit: aurem, [e] ne sanguinem audiat, obstruit, oculosq; ab iniuria uidenda continet. Is altè habitabit, rupium munitionibus armatus, suppetente ei uictu, aquaq; perdurante. Regem in sua pulchritudine aspicies istis oculis: uidebis [f] remotam terram, & [g] attonito sic cogitabis animo: Vbi est scriba? ubi publicanus? ubi scriba castellanus? Potentem populum non uidebis, populũ abstrusioris sermonis quàm ut audiatur, ridiculæq; linguæ, & non intelligendę. Aspicies Sionem, urbem nostrorum solennium: oculis tuis uidebis Hierosolymam, mansionem quietam, tabernaculum non migraturum, cuius nec pali transferentur unquam, nec ulli funes abrumpentur: quin ibi Iouam illum nobilem habebimus, quo loco spaciosa erunt amnium flumina, qua non ibit remigans nauis, nobilis'ue transibit classis. Nam Ioua iudex noster, Ioua imperator noster, Ioua rex noster nos conseruabit. [h] Remissi funes tui neq; malum firmabũt suam, neq; uelum extendent, atq; ita multa diuidetur spoliorum copia, ut uel claudi prædam diripiant: nec ægrotare se querentur incolę, data noxæ uenia populo in [i] ea manenti.

b. de pace ad Senacheribũ missi, c. scilicet Senacheribus. B

C Psal. 14.a d. boni beati futuri sunt Psa. 15. e. ne ei persuadeat ut iniuriam faciat. f. cœlestem Hierosolymam, quæ nunc abest. 1. Cor. 1. c g. miraberis iam nusquam esse scribas, etc. hoc est uos D esse alienarum gentiũ seruitute liberatos.

h. alloquitur hostiũ classem.

i. scilicet Hierosolyma.

CAPVT XXXIIII.

Accedite gentes ad audiendum, & populi attendite: audiat tellus, & quicquid ea continetur: orbis, & omnis eius propago. Nam incensus ira Ioua in omnes gẽtes, earumq; omnes copias, eas perpopulatus neci dabit, ita ut stratis cæsorum cadaueribus fœtor exhalet, manantibus eorum cruore montibus: tabescent'que omnes cœlestes copiæ, & conuolutis schedæ ritu cœlis, labentur omnes eorum copiæ, ut ex uite ficu'que decidua labuntur folia. Etenim conspersus in cœlis meus gladius, in Idumæos, & in perpopulandum a me populum ad pœnas descensurus est. Iouæ gladius & cruore plenus, & adipe pinguis est: annorum hircorumq; cruore, arietinorum renum adipe. Siquidem habet Ioua Bosræ sacrificiũ, & ingentem in Idumæa cædem, occumbentq; cum illis unicornes, taurique cum iuuencis, atq; ita eorum & terra cruore conspergetur, & humus imbuetur adipe, quoniam supplicij diem, pœnarum annum agit Ioua, Sioni patrocinans. Ergo uertentur [a] illius & fluuij in picem, & humus in sulphur, & in ardentem redacta picem terra, noctes diesq; erit inextincta, æternum exhalans fumum, perpetuis deserta seculis, nemine eam ullo peragrante æuo. Occupabunt autem eam ibes, erinaceiq;, & ululæ, coruiq; habitabunt, [b] uastitatis incultusq; norma atq; libra ab illo definitam. Eius optimates, deleto ibi regno, quiritabuntur, & proceres omnes ad nihilum redigentur, crescentq; in eius arcibus spinæ, carduusq; & paliurus in munitionibus, et erit draconum mansio, struthionũq; statio. Occurrentq; Syluani Faunis, Satyriq; clamabunt inuicem: quin illic quietem nacta residebit lamia. Illic bubo nidificabit impunè, exclusosq; sua fouebit umbra pullos: illic et milui inter sese conuenient. Sciscitamini ex Iouani libri lectione: ne unum quidem illorum deerit: nullum ab alio desiderabitur: quoniam eius & os mandat, & spiritus ea congregat, atq; ipse eis sortem iacit, manuq; sua illam regula diuidit in æternum possessuris, & in ea in omnem seculorum perpetuitatem habitaturis.

B

a. scilicet Idumææ. C

b. in uastitaté incultumq; redactam.

D

CAPVT XXXV.

Laetabuntur deserta, & inculta, exultansq; solitudo florebit ut lilium. Florebit, inquã, & exultando gestiens ouabit, Libani gloriam, Carmeli & Saronis maiestatem adepta, qui quidem Iouæ gloriam, Dei nostri maiestatem uidebunt. Confirmate manus languidas, & labantia corroborate genua: dicite animi festinis: Este fortes & impauidi, en Deus uester ultor ueniet, præmiator Deus ipse ueniet seruatum uos. Tunc & cæcorum patebunt oculi, & surdorum reserabuntur aures: tũc cerui ritu saliet claudus. ouabit'que lingua muti. Nam erumpet in desertis aqua, & in solitudine flumina, ita ut stagnent arida, & scateant siticulosa lymphis: ac in qua statione cubuerint dracones, in ea sit arundinis iunciq; statio. Erit autem ibi semita atque uia, quæ uia sacra uocabitur, quæ pollutis imperuia, ijs patebit qui [c] uia gradientur, neq; stulti errabunt. Non erit ibi leo, nec eam sæua scandet bestia, aut ibi extabit: sed ambulabũt redempti, Iouæq; clientes reuersi uenient in Sionem, ouantes: & sempiterna perfusi caput lætitia, uoluptatem gaudiaq; consequentur, fugiente mœrore atque gemitu.

B

Matt. 11.a

C

c. rectè uiuent. D

CAPVT XXXVI.

Anno autem decimoquarto regis Ezechię, expeditionem fecit Senacheribus Assyriæ rex in omnes munitas urbes Iudææ, eisq; captis misit Lachi Hierosolymam Rabsacem, cum magnis copijs, ad regem Ezechiam: qui Rabsaces postq; apud aquæductum piscinæ superioris

4. Reg. 18.a 2. Paral. 32.a

perioris in semita agri fullonij constitit, prodijt ad eum Eliacimus Helciæ filius, procurator domus, & Sobna scriba, & Ioa Asaphi filius commentariensis: ad quos Rabsaces huiusmodi oratione usus est: Hæc Ezechiæ dicite: Sic dicit rex magnus, rex Assyriæ: Quæ tandem est ista, qua tu confidis, fiducia? uerba orationis, credo, consilium, & uirtus bellica. Sed qua tandem spe fretus in me rebellasti? An uidelicet confidis con- B fracto isti arundineo baculo (uidelicet Aegyptijs) cui si quis innitatur, ei manum perforet? talis est Aegypti rex Pharao in omnes, qui ei cōfidunt. Quod si mihi dices, nos Ioua Deo uestro confidere, an non is est, cuius Ezechias sacella arasq; sustulit, iussitq; Iudæis & Hierosolymitanis ut ad certam quandam aram Deum adorarent? age iam, uis tu cum Domino meo rege Assyriæ spōsionem facere, si tibi duo equorum millia tradidero, ni tu non possis totidem equites ad eos suppeditare? Tune ausis resistere uel uni prætori, meorum conseruorum minimo? & fiduciam tibi collocas in Aegyptiorum curribus & equitatu? An ego porro sine Ioua ad hanc terram peruastandam ascendi? Ipse me Ioua iussit in hanc regionem expeditionem fa- C cere, eamq; depopulari. Hic Eliacimus, Sobnaq; & Ioa, Rabsacem interpellarunt, rogantes ut se Syriacè (sese enim scire) non autem Iudaicè, audientibus qui in muris erant militibus, alloqueretur. Quibus Rabsaces ita respondit: Quasi uero ad dominum tuum aut ad te miserit me Dominus meus ad hæc dicenda: ac non potius ad eos qui manent in muris, ut uobiscū et merdam suam comedant, & urinam bibant. Audite regis magni, regis Assyrię, mandatū, inquit, stās, & uoce magna Iudaicè clamans: Hæc dicit rex: Ne uobis imponat Ezechias: neq; enim poterit uos à mea manu defendere: néue ab eo persuaderi uobis sinite ut Ioua cōfidatis, quasi uos Ioua sit defensurus, neq; urbem istam in regis Assyriæ manum permissurus. Nolite Ezechiæ obtemperare. nam ita edicit Assyriæ rex: Agite mecum amicè, mihiq; uos dedite, & uestris D quisq; uineis, ficubus, et puteorū aquis tantisper uiuite, donec ueniam ad uos in terram uestræ similem transferendos, terram frumenti & uini, terram panis & uinearum feracem, ut ita uestræ saluti prospiciat: néue uos Ezechias spe defensionis à Ioua fallat. Num reliquarū gentium dij suam quisq; terram ab Assyriæ rege defenderūt? Vbi sunt dij Hemathenses, & Arphadenses? ubi dij Sepharuaimenses? nunquid Samariam à mea manu tutati sunt? Quis tandem est ex omnibus illarum terrarum dijs, qui suam terram à mea manu defenderit, ut Ioua Hierosolymam defensurus esse uideatur? Ad hæc Rabsacis dicta homines tacuerunt, nec ei uel unum uerbum retulerunt; hoc enim à rege præceptum fuerat, ne quid ei responderent. Tum Eliacimus Helciæ filius, procurator domus, & Sobna scriba, & Ioa Asaphi filius à cōmentarijs, Ezechiam scissis uestimentis adeunt, eiq; Rabsacis uerba referunt.

Rabsacis oratio ad Hierosolymitanos.

CAPUT XXXVII.

His auditis rex Ezechias, laceratis uestimentis suis, centone indutus, Iouæ templum ingressus est, misitq; Eliacimum domus præfectum, & Sobnam scribam, & seniores sacerdotum centonib. amictos, ad Esaiā uatem Amosi filium, qui ei ita dicerent: Sic dicit Ezechias, Dies angustiæ, & atrocitatis, & contumeliæ hodiernus dies est, [a] iam fœtu in arctum progresso, nec suppetentibus ad pariēdum uiribus. Mirum ni audiuit Ioua Deus tuus uerba Rabsacis, quem rex Assyriæ dominus eius misit ad conuiciandum Deo immortali, tam petulantibus uerbis: quæ cum Ioua Deus tuus audiuerit, fer tu preces pro reliquijs, quæ extant. Hæc postq; Ezechiam Esaiæ retulerunt, Esaias illis respondit in hunc modum: Hæc dicetis domino uestro. Sic dicit Ioua: Noli metuere uerba, quæ audiuisti, quibus Assyriæ regis famuli in me inuecti sunt. Nam ego eum ita afflabo, ut accepto nuncio, terram suam repetat, curaboq; ut in terra sua ferro cadat. Rabsaces autem reuersus, Assyriæ regem, quem à Lachi discessisse acceperat, Lebnam oppugnantem inuenit. Qui cum audiret Tharacam Aethiopiæ regem in se expeditionem facere, legatos iterum ad Ezechiā misit cum huiusmodi mandato. Sic dicetis Ezechiæ regi Iudææ. Ne tibi imponat Deus tuus, cui tu confidis, quasi Hierosolyma in potestatem regis Assyriæ uentura non sint. Tutemet audiuisti quid reges Assyrij in tot depopulandis regionibus fecerint. & tu euades? Nunquid illos dij gentiles tutati sunt, quos maiores mei euerterunt? Gozanem, Haronem, Resephā, & Edenenses Thelassarianos? ubi sunt rex Hemathæ, rex Arphadi, rex ciuitatis Sepharuaimi, Henæ & Auæ? Has ubi literas à nuncijs acceptas legit Ezechias, ascendit in templū Iouæ, eisq; ante Iouam explicatis, apud eum precatur in hunc modum: ¶ O Ioua armipotens Deus Israelitarū, Cherubis insidens, qui solus omnium orbis regnorū Deus es, qui cœlum terrasq; fecisti, præbe Ioua aurē tuā et audi, aperi Ioua oculos tuos, & uide: audi omnia uerba Senacheribi, qui hunc ad Deo immortali conuiciandum misit. Sanè, Ioua, exciderunt reges Assyrij illas gentes omnes, earumq; terras deosq; flammis incenderunt, utpote non deos, sed humanarum manuum opera, lignea & lapidea: itaq; ergo illos perdiderunt. At tu Ioua deus noster, defende nos ab illius manu, ut intelligant omnia regna terrarum, te Ioua, solum esse. ¶ Tum Esaias Amosi filius misit ita nunciatū Ezechiæ, Sic dicit Ioua deus Israelitarum: Quod me super Senacheribo Assyrię rege precatus es: hoc est quod dicit ad illum Ioua: Te contemnit & deridet uirgo puella Sion, post te caput mouet puella Hierosolyma. In quem tu tam petulāter inuectus es? in quem uocem, cum tam elato supercilio extulisti? In sanctū Israelitarum: tu per seruos tuos Domino maledixisti, atque dixisti: Ego cum tot meis currib. montiū fastigiū, Libani tractus conscendi, & excindendi

4. Reg. 19. a

a. tantus est noster dolor, quātus parturientis fœminę, quæ ad eijciendū fœtum, iam ad uuluæ fauces progressum, uires non habet.

B

C

Ezechiæ preces.

D

E

b. hoc est magna.
c. istarũ uastitatum autorem esse, de quibus tute iactas?

eius cedrorũ proceritate, pinorum excellentia, ad ultimũ diuersoriũ in eius cultam syluam perueni. Ego effodi & epotaui aquas, meorũꝗ pedum uestigijs omnia [b] aggeribus munita flumina siccaui. Nunquã ne audiuisti, me [c] hoc olim ita comparasse, & à multis iam temporibus destinasse, quod nunc ad rem contuli? urbes munitas in uastæ solitudinis rudera redactũ iri, earumꝗ incolas, quasi mancos, tam pudendo pauore percellendos esse, ut essent agrestib. herbis similes, stirpiumꝗ uiriditati, & gramini tectorũ, quod
F ante iustum arescit incrementũ. Tuas ego mansiones, tuos exitus, tuos ingressus noui, tuamꝗ aduersũ me bacchationẽ. Quoniam tu in me debacchatus es, & iste fastus ad aures meas peruenit, ego te, unco meo naribus, lupato labijs tuis iniecto, eadem, qua uenisti, uia retrahã. Tu uerò Ezechia, hoc signum habeto. Viuite hoc anno segete restibili: altero item anno eo quod sponte sua proueniet: tertio anno sementim messemꝗ facitote, & uineas conseritote: earumꝗ fructu uescimini. Ac quod ex puella Iudæa reliquum euaserit, id rursus acta deorsum radice, sursum edet fructum. Nam à Hierosolyma manabunt reliquię, ex Sione aliquid euadet, ita efficiente Iouæ armipotentis studio. Quare sic pronunciat
G Ioua de rege Assyrię: Nõ ueniet in urbem istam, nullũ istuc missile iaculabitur, neꝗ eam clypeis inuadet, nec aggere obstruet. Qua uenit uia, eadem regredietur, neꝗ in urbẽ istam ueniet, inquit Ioua, me eam meo præsidio defendente, propter me, propterꝗ meum Dauidem. Igitur Assyriorum castra adortus Iouæ genius, centum octoginta quinꝗ hominũ millia occidit. Manè ubi surrectum est, conspecta tanta strage digressus illinc Senacheribus Assyriæ rex, Niniuẽ repetijt, ubi postquã consedit, eum in æde Nesrochi Dei sui adorantem, Adramelechus & Sarasar ipsius filij ferro obtrũcarunt, atꝗ in Armeniam euaserũt, inꝗ eius loco regnauit Esaradon eius filius.

4. Reg. 19. g
Tob. 1. d
Eccli. 48. d
2. Ma. 8. e

CAPVT XXXVIII.

Ezechiæ morbus.
4. Reg. 20. a
2. Par. 32. f

PEr eos dies ægrotauit Ezechias lethaliter, ad eumꝗ uenit Esaias Amosi filius uates, qui ei ita dixit: Sic dicit Ioua: facito testamentũ. nam moriere, neꝗ conualesces. At Ezechias, uultu ad parietẽ cõuerso, Iouam precatus ita est: Quæso Ioua, memento quã ego me tibi fidelẽ sincerięꝗ animi præstiterim, & quę tibi placerẽt fecerim: fleuitꝗ Ezechias magna uoce. Tum Ioua cum Esaia sic locutus est: I, & Ezechiæ dicito: Sic dicit Ioua Dauidis parentis tui Deus: Tuas & preces exaudiui, & lachrymas respexi: en ego ætati tuæ annos addo quindecim, teꝗ & urbẽ istam à manu regis Assyriæ tuebor: eamꝗ protegam. Atꝗ hoc tibi signum erit à Ioua, fa-
B ctũrum esse quod promittit: en ego retraham umbram solarij, quæ descendit in Achazi solario in sole retro decem gradus, estꝗ regressus sol decem gradus, per quos gradus descenderat.

Scriptum Ezechiæ Iudææ regis, cum ex morbo, quo ægrotauerat, conualuisset.

EGo cogitaui, mihi ætate præcisa eundum esse per Orci portas, priuato reliquis annis meis. Iam non ego uidebo Iouam (inquiebã) Iouam [a] in terra uiuentiũ: non homines aspiciam deinceps apud orbis incolas. Abit ablata mihi mea commoratio, ut pastorale tabernaculũ: mihi [d] more textoris amputatꝰ uita: tu me tabe consumens, à die ad noctẽ usꝗ conficis. Expecto ad matuti-
C num: omnes artus mihi quasi à leone perfringuntur: tu à die ad noctẽ usꝗ me cõficis. Hirundinis gruisꝗ ritu strido, gemens ut colũba, oculis mihi suspiciendo tabescẽtibus, ô Domine mihi fit iniuria, pacare mihi. Quid dicam, quò mihi promittat, idemꝗ præstet? An meos tam paucos annos cum animi mei ęgrimonia allegẽ? O' Domine, cum diutius uiuatꝰ, tam paucis annis spiritus mei uita terminatur: an si me consopiueris, in ui-
D tam reuocabis? Cum mihi salua re iam acerbus euenerit casus, nunquid tu hanc animam ex lethali busto uindicare uis reiectis post tuum tergum meis omnibus peccatis? Neꝗ enim tibi gratias acturus est Orcus: nõ te laudabit mors: nõ tuam fidem prædicabunt humati. Viui uiui tibi gratias agent, ut ego hodie: patres liberis ostendent fidẽ tuã. O' Ioua intende meę saluti, & nos meos modulos per omnẽ uitam nostram in æde Iouæ modulabimur. Iussit aũt Esaias ficuum massam sumi, & ulceri in cataplasmate imponi, ut ille cõualesceret. Et Ezechias quæsiuit quonam signo sciret se ascensurum in Iouæ templum.

a. in hac uita.
b. ut amputat textor filum.

CAPVT XXXIX.

Merodacus mittit ad Ezechiam legatos.
4. Reg. 20. c

SVb id tempus misit Merodacus Baladan, Baladanis filius, Babyloniæ rex, literas & munus Ezechiæ, quem ægrotasse & cõualuisse audiuerat. Quibus delectatus Ezechias, ostendit legatis apparatũ suum argentũ, aurum, aromata, balsamum, armarium uniuersum, deniꝗ nihil
B extabat in eius thesauris, quod non illis Ezechias, tum domi suæ, tum in toto imperio suo, ostenderit. Tum Esaias uates regem Ezechiam his uerbis aggressus est: Quid dixerunt homi-
C nes illi? aut unde ad te uenerunt? Cui Ezechias: Procul terrarum ad me uenerunt, à Babylone. Quid autem domi tuę uiderunt? Omnia, inquit ille, quæ domi meæ sunt, uiderunt: nihil fuit in meis thesauris, quod non eis monstrauerim. Et Esaias: Audi armipotentis Iouæ dictum, inquit
D Ezechię: Scito fore tempus, cum omnia, quę domi tuæ sunt, quæꝗ tui maiores ad hunc diem cõgesserunt, auferentur Babylonẽ, nulla omissa re, inquit Ioua. Quin & de filijs tuis à te ortis atꝗ genitis sumentur, qui in regis Babylonij palatio sint spadones. Cui Ezechias: Non recuso quod abs te ex Iouæ mandato dictum est: dũmodo, inquit, sit meo tempore pax, & promissorũ fides.

CAPVT XL.

a. Iouæ duplices, hoc est graues pœnas dederit. Vide Iere. 16. 17.
Matth. 3. a
Mar. 1. a
Luc. 3. a

COnsolamini, cõsolamini meum populum, dicit Deus uester. Alloquimini blãde Hierosolymam, clamantes ei eius impletum esse spacium, eius remissam esse culpã, quippe quę [a] ex Iouæ manu duplũ acceperit, ob sua tot peccata. Vox clamat in solitudine: Parate uiam Iouæ: corrigite in incultis locis Dei nostro semitam:

Omnis

Omnis et uallis attollet, & mons collisꝗ deprimetur, & praua in recta, & iniqua in plana redigentur, patefietꝗ Iouæ gloria, cernentibus uniuersis mortalibus, quoniā os Iouæ loquit. Vox dicit: Clama. Quid clamabo? inquit. Omnes mortales herba sunt, eorūꝗ pietas omnis quasi flos terrestris. Aret herba: cadit flos, Iouano afflatus uento: nę herba sunt homines: Aret herba, cadit flos: at dei nostri dicta rata sunt in sempiternum. Altum conscende montē: ô nuncia Sionis: attolle ualidè uocē tuā ô nūcia Hierosolymorū: attolle impauida, dic Iudęis ciuitatib. ecce Deū uestrū. Ecce Dominū Iouam fortiter uenientē, & suo sibi brachio dominantē: en habet secum suam mercedē, suumꝗ præmium in præsentia. Vt pastor gregē suū pascet: lacerto suo congregatos in sinu gestabit agnos, fœtas agens. Quis uola sua mensus est aquas? cœlumꝗ palmo aptauit? & telluris humum triente cōprehendit? trutinaꝗ mōtes, & lancib. colles pōderauit? Quis Iouæ mentem aptauit? aut quis homo suū ei consilium ostendit? Cuius cōsilio usus est, qui eum instruxerit, rationisꝗ uiam docuerit, & scientia erudierit, eiꝗ uiam ostenderit prudētiæ? En gentes pro gutta situlę, proꝗ stateræ granulo habentur: en insulas quasi momentum transfert, nec Libanus ad rogum, nec eius animalia ad uictimas sufficiunt. Omnes gentes apud eum perinde nihili flocciꝗ fiunt, ac si non essent. Et cui Deum assimilabitis? aut quam cum eo similitudinē cōparabitis? Simulacrū cōflat opifex, idꝗ auro ducit fictor, & argenti bracteis fabrefacit. Qui ignobilius donariū facit, lignū deligit, quod nō putrefiat, peritūꝗ fabrum sibi conquirit ad concinnandū simulacrum immobile. An nescitis? an nō audiuistis? an nō uobis olim indicatū est? an ignoratis fundationem terræ? Qui terræ globo insidet, eius incolis locustarū similibus: qui cœlos quasi membranam intendit, utꝗ tabernaculum expandit, inhabitādi gratia. Qui optimates redigit in nihilum, gubernatoresꝗ terrarum abolet, ita ut quasi nō plātati, quasi non sati, quasi nō actis eorum caudicis radicibus, eo in illos uel flante arefacti, turbine tanꝗ stipula auferantur. Cui me uerò cōparabitis? ut æquiparer inquit Augustus. Attollite in sublime uestros oculos, & aspicite quis [b] illa creauerit, qui eorū exercitum numero educit, suo quodꝗ nomine uocans, tanta uirtute, tamꝗ firmis uiribus, ut nullum desit. Cur dicas, Iacobida, cur ita loquaris, Israelita, tuos mores latêre Iouam, nec ullum habere tui rationem Deum tuū? An nescis, aut non audiuisti, Deum æternū Iouam, ultimarū creatorem terrarū, indefessum, indefatigatū, inexplicabilis prudentiæ, uires dare defessis, infirmisꝗ robur augere? Cumꝗ iuuenes lassitudine laborent, labefactiꝗ cadāt adolescentes, qui in Ioua spē habēt: uirib. adolescūt, crescentib. quasi aquilinis pennis, neꝗ currentes delassant, neꝗ defatigantur ambulantes.

Iohan. 1. c · B · Eccl. 14. c · Iacob. 1. b · 1. Pet. 1. d · Iohan. 12. e · C · Iohan. 10. b · Eze. 34. f. 37. f · Rom. 11. d · 1. Cor. 2. d · Sap. 9. e · D · Act. 17. d · F · G

b. scilicet sidera.

CAPVT XLI.

Conticescite mihi insulæ, & populi uirib. aucti accedant, ac tandē loquant, congressis nobis ad disceptationem. Quis excitam ex oriente [a] iustitiā uocat ad pedes suos? eius ditioni gētes regesꝗ subijcit, eos eius gladio arcuiꝗ tanꝗ puluerem, mobilē ue stipulam, obijciens? ita ut eos persequens pertrāseat incolumis, semita [b] suis nō ambulata pedibus. Quis agit & facit accersens à capite secula? ego Ioua primus, & cum postremis ego idem. Quo uiso pertimescunt insulæ, pauentesꝗ extremæ terrarū cocūt, & coueniunt. Alij alios adiuuāt, & inter sese ad fortitudinē cohortantur, & fictorē faber, & qui malleū polit, eum qui tundit incudē, cōfirmat, dicens bonum esse ferrumen, atꝗ [c] illud firmat cōpagibus ne cōmoueat. At tu serue mi Israelita, Iacobida quem elegi, semen Abrahami amice mi, tu quem ex ultimis terræ finibus ascitū, et ex eius primarijs euocatū, meum pronūciaui, & non repudiaturus elegi, ne metue, nam ego tibi adsum: ne remollesce, nam ego te Deus tuus corroboro, te iuuo, te mea iusta dextera fulcio. Pudore quidem & ignominia afficient omnes, qui tibi sunt irati: in nihilū redacti peribunt homines qui à te dissident, ita ut eos quærens, non sis inuenturus: homines qui contendunt tecum, redigentur in nihilum, abolebunturꝗ tui perduelles. Nam ego Ioua Deus tuus dexteram tuā prehendo: te (quem ego iuuo) formidare ueto. Ne formida, uermis Iacobee, mortales Israelitæ: ego te iuuo, inquit Ioua uindexꝗ tuus Augustus Israelitarū. Ego ex te traham efficiā, tribulam nouam, dentatam, qui montes tritures, atꝗ teras, & colles pro paleis habeas, quos uentus, te uentilante, auferat, dissipetꝗ turbo, quum tu interea in Ioua exultabis, in Augusto Israelitarū gloriaberis. Inopes pauperesꝗ aquā torrida præ siti lingua requirentes, neꝗ nanciscentes, ego Ioua exaudiam, Deus Israelitarū non deseram. Aperiam per culmina fluuios, & medijs in uallibus fontes: deserta siticulosaꝗ loca in aquarum stagna lympharūꝗ scatebras redigā. Dabo desertis in locis cedrum, spinā, myrtū, cupressum: ponam in incultis pinū, ulmum, buxūꝗ simul, ut appareat, intelligatur, aduertatur, atꝗ animaduertatur Iouam Israelitarū Deum hoc sua manu egisse, atꝗ fecisse. Afferte causam uestrā, inquit Ioua: allegate argumenta uestra, inquit Iacobeorum rex. Adsint iudicent'que nobis quæ sint euentura. [d] Præterita quæ sunt præsignificate, & animum aduertemus, eorumꝗ sciemus exitū: aut uentura eloquimini nobis, significate futura posthac, & intelligemus deos esse uos: saltem prodesse aut officite, ut id simul ac uiderimus, prædicemus. Vos uerò nihili estis, opus'que uestrum futile est: uos qui eligit, detestabilis est. Excitatus à me ab aquilone ueniet, ab ortu solis, qui meum inuocans nomen, primates, tanquam lutum peruadat, quomodo calcat cœnum figulus. Quis hoc pręsignificat, ut sciamus? quis antè denunciat, ut ab eo ius esse fateamur? At non est qui significet: at nō est qui eloquat: at non est qui uerba audiat uestra. Primus ego Sioni ea instare demonstro, & Hierosolymæ lętum nuncium

a. hoc est iustum.

b. insolita.

Infrà 44. d & 48. b · B · Apoc. 2. d & 22. c · C · D · E · F

c uidelicet simulacrū.

d. Si Senacheribi casum prædixissetis, esset causa cur animū. &c.

do. Nam istorum quidem neminẽ animaduerto consiliariũ, qui interroganti mihi quicꝗ respondeat: adeò & omnes ipsi uani, & eorum opera nihili, & simulacra uentosa sunt atq; futilia.

CAPVT XLII.

ECce meus seruus, cui adminiculor, quẽ mihi ex animi mei sententia delectũ, meo spiritu donaui: ius edet gentibus: non clamabit, nõ quiritabitur: nõ uoce sua foris strepet: quassatam arundinẽ nõ perfringet, [a] languescens ellychniũ nõ extinguet: ius ad ueritatem perducet: nõ languescet, neq; fatiscet, quin ius in terris statuat, ab eiusq; lege pendeant insulæ. Sic dicit Deus Ioua, qui cœlos creauit atq; distendit, qui terram eius'que progeniẽ porrexit, flatum incolentib. eam hominibus, spiritũ uersantibus in ea dans. Ego Ioua te cũ tua iusticia uoco, prehẽsumq; manu tueor, & humano fœderi, gentium'que collustrationi destino, ad aperiendos cæcos oculos, ad uinctos & in tenebris habitantes ex ergastulo & carcere educendos. Ego, cuius nomen Ioua est, gloriam meam alteri, laudem'ue meã simulacris non dabo. Præterita ecce uenerunt, & noua ego significo: nondum orta uobis eloquor. Canite Iouam nouo carmine, Iouæ laudem, extremi terrarum, qui descendunt in mare, & quicquid eo continetur, insulæ: earumq; habitatores. Clament deserta, eorũq; oppida, habitati Cedarianis pagi: ouent [b] Petræ incolæ, ex montium uertice uociferantes: afficiãt Iouam gloria, eiusq; laus in insulis prædicetur. Ioua herois ritu prodibit: uiri bellicosi modo impetum dabit, clamansq; & uociferãs, in hostes suos sese corroborabit. C Qui iamdiu tacitus, me cõtinens, dissimulaui, more parturientis exclamabo, desolans atq; populans: deuastabo montes, & colles, omnesq; eorum herbas siccabo, & fluuios in insulas redigam, stagnaq; arefaciã, & cæcos per ignotam eis incognitãq; uiam & semitas ducens agam, tenebras in lucem, & praua in recta conuertens ante eos: quas me res illis faciente, nec eos deserente, cædent retrò præ pudore qui simulacris confidunt, fusilia suos appellantes deos. O surdi audite, & cæci aspicite ut uideatis. Quis cæcus est, nisi seruus meus: aut surdus ut missus à me nuncius? quis cæcus ut perfectus? quis cæcus ut Iouæ seruus? Cernunt multa, nec obseruantur: patent aures, nec auditur. Ioua pro sua iusticia fauens, magnam legem condet & nobilem. D Sed ij homines diripiuntur, & depopulant, illaqueati in antris omnes & in carceribus latentes, prędæ & populationi sunt, nullo defendente aut asserente. Quis uestrûm hæc auscultans attendet, & audiet posthac? Quis populationi Iacobeos, q̃s prædonibus addixit Israelitas? Nonne Ioua, in quem peccauimus, cuius uiuẽdi uijs ingredi nolunt, nec eius obediunt legi? Itaq; in eos iræ suę ardorem, bellicq; uires effundit, & eos inflãmat undiq;, nec sentiunt: urit, nec animaduertunt.

Matth.12.b — De Christo — a. quod incipit extingui. — Infrà 49.b — B — Infrà 48.b — Psal.149. — b. urbs est Arabiæ caput

CAPVT XLIII.

QVuamobrẽ sic dicit Ioua creator tuus, ô Iacobida, cõditor tuus, Israelita. Ne metue: nam ego te redemi, te meum nominatim uocaui. Si per aquam trãseas, ego tibi adsum: si per flumina, non te summergent: si per ignem uadas, non cremaberis, nec te flamma comburet. Nam ego Ioua Deus tuus, Israelitarum Augustus seruator tuus, Aegyptios, tui piaculũ, Aethiopes & Sabæos pro te addicam. Quandoquidẽ apud me in precio es, & gloria, ego te amans, homines & populos pro te tuaq; uita addicã. Ne metue: nam ego tibi presens ex Oriente stirpẽ tuam adducam, teq; ab Occasu colligam. Iubebo Septentrioni ut reddat, & Austro ne recuset meos natos longè, measq; natas ab ultimis terris adducere, uidelicet omnes de meo nomine nuncupatos, quosq; ad meam gloriam creaui, condidi, feci. B Educãtur homines cæci, quibus sunt oculi: & surdi, qui habent aures. Cõgregentur eodem gentes omnes: coeant populi: quis eorum hoc indicabit, & præterita nobis significabit? dent testes suos, iusq; suum tueantur, audiantq;, & fateantur uerum. Vos mihi testes estis (ait Ioua) et meus seruus, quem delegi, ut rem intelligentes mihi credatis, perspiciatisq; eum esse me, ante quẽ nullus sit Deus conditus, neq; pòst futurus. Ego, ego sum, Ioua, quo excepto nullus est seruator. Ego et indico et cõseruo, & significo, nec est apud uos [a] alienus, et uos mihi testes estis, inquit Ioua, me esse Deum. Equidem ab omni ęternitate is sum, cuius manui nihil eripi, quoq; agente nihil rescindi possit. Sic dicit Ioua uindex uester, Augustus Israelitarũ: Vestra causa mittam Babylonem, demolitũ claustra omnia, efficiãq; ut sit Chaldæorum clamor in nauibus: ego Ioua uester Augustus, Israelis creator, rex uester. C Sic dicit Ioua [d] qui per mare uiam, per tam ualidas aquas semitam præbet: qui quadrigas & equos, copias et potestatẽ sic educit, ut non surrecturi iaceant uniuersi, oppressi extinctiq; tanquam ellychnium. Ne prisca recolite, ne antiqua considerate: ego sum nouũ quiddam facturus, quod iam orietur, id quod sanè scietis: uidelicet in desertis uiã, in inaccessis locis pręstabo flumina. Honorabunt me agrestes feræ, dracones & struthiones, quia in desertis aquam, in inaccessis prębuerim locis flumina, unde bibat meus electus populus, quem populũ ego mihi cõdidi, meas prædicaturum laudens. D Nec id uerò, quia me inuocauisses Iacobee, aut mea causa laborasses Israelita. Non tu mihi tuorũ solidorũ sacrorũ pecus attuleras, aut me tuis honorauéras sacrificijs: non ego te exigendo ferto presseram, aut thure fatigaueram: non tu mihi pecunia calamum emeras, aut me tuarum uictimarum adipe perfuderas: quinimo tuis me peccatis presseras, uitijsq; fatigaueras. ~~Ego, ego tua delicta propter me metipsum deleo, tuorum peccatorum immemor.~~ Reduc me in memoriam, disputemus unà, expone quæ ad tui defensionem faciant. Primus ille parens tuus peccauit, tuiq; [c] interpretes in me deliquerunt, itaque sacrarij principes fœdè perdidi, & Iacobeos excidio, Israelitas contumelijs addixi.

Ose.13.b — a. scilicet Deus. — b. de exitu ex Aegypto. — 1. Cor.5.d — Apoc.21.b — c. Moses & Aharon.

CAPVT

CAPVT XLIIII.

Ier.30.g
46.g

QVamobrem audi mi Iacobee, Israelita quem delegi. Sic mandat autor conditor'que tuus Ioua, tuus ab utero adiutor. Ne metue, mi Iacobee, tu probe, quem elegi. nam perfundam aqua sitientes, aridum'que solũ riuis: perfundam spiritu meo tuam stirpem, meaque beneficentia tuam progeniẽ, ita ut graminum more pullulent tanquam ad aquã profluentem salices. Hic se Iouæ esse dicet: ille Iacobi nomen appellabit: alius manu sua Iouæ scribet, se'que Israelis nomine nuncupabit. Sic mandat Ioua Israelitarum rex atque uindex, Ioua armipotens: Ego primus, & idem ultimus, preter quem nullus est deus. Quòd si quis mihi par est, clamet, idque indicet, & mecum conferat de constituto à me prisco populo: tum futura uentura'que indicet. Ne pauete, néue formidate, cum iam olim uobis significauerim, atque indicauerim (cuius uos mihi testes estis) nullum excepto me deum, aut ignotum mihi numen esse.

Suprà 41.b
Infrà 48.b
Apoc.1.c
22.d

B Simulacrorum conditores omnes sunt futiles, & quæ habent charissima, ad nihil aliud prosunt, quàm ut testimonio sint eos nihil uidere aut intelligere, quo eos pudeat. Quis Deum formet, simulacrúmue conflet nihil profuturum, cum futurum sit ut omnes eius socios pudeat, ut'que artifices (qui quidem omnes ex hominibus congregati constent) paueant, eosque simul pudeat? Faber ferrarius, adhibito forcipe, agit carbonibus, illudque malleis format, & tanta brachiorum ui agit, ut esuriens uiribus destituatur, & ne fessus quidem aquam bibat. Faber lignarius regulã extendit, illudque amussi delineatum, ad normã factum, circinoque descriptum, efficit ad hominis effigiẽ humanãque uenustatẽ, ut in æde maneat. Cædit sibi cedros, adhibet tirsam, & ilicẽ, seque in syluestribus exercet arboribus, sata aucta'que pluuijs orno. His homo ad comburendum utitur, calescitque, & eis incensis panem coquit:

Sap.13.c

C tum Deum efficit, quem adoret, et inde simulacrum facit, cui sese summittat. Partim cremauit igni, partim ad carne uescendũ usus, eaque satiatus est assa, neque non incaluit, et euge, inquit, concalui, adeptus ignem. Ex reliquo fabricatus Deũ, sese simulacro suo summittit, id'que uenerabundus precatur. Defende me (inquit) nam meus es Deus. Non intelligunt, neque considerant habere se obductos & oculos ne uideant, & animos ne sapiant. Non reuocat in mẽtem, nec tantum intelligentię habet, aut solertię, ut ita cogitet. Huius partem igni cremaui, ac eius carbonibus panem coxi, carnemque qua uescerer, assaui: ex reliquo feci [a] nefas, ut ad ligneũ truncum me summittã. [b] Cinerem pascit, inductus uesania, neque seipsum liberat, neque cogitat se falso agere. Hæc memineris Iacobee, Israelita qui meus es seruus, qui à me conditus mihi seruus es. O Israelita ne obliuiscere mei,

a. nefarium simulacrũ. b. frustrà laborat.

D qui delicta peccata'que tua, tanquam nubem nebulam'que deleo: redi ad me, qui te redimo. Oua te cœli, quoniam Ioua rem agit: exclamate [c] ima terrarum, erumpite montes in ouatũ, syluæ, earũque arbores omnes, quoniã redimit Ioua Iacobeos, & in Israelitis decorat. Sic pronunciat tuus ab utero, uindex conditorque Ioua: Ego sum autor omnium Ioua, qui cœlũ solus extendi, terrã per me porrexi: qui diuinorũ signa dissoluo, hariolosque infatuo: qui sapientes retrò ago, eorum'que stultam reddo scientiam: qui serui mei negotium perago, meorumque nunciorũ perficio consilium: qui Hierosolymã incoli, urbesque Iudææ refici impero, eiusque uasta loca instauro: qui gurgitem arere iubeo, eius exiccans fluuios: qui Cyrum meum appello pastorem, meam omnem perfecturum uoluntatem: quique Hierosolymam refici, templum'que fundari mando.

c. terra quæ infima est.

Cyrus.

CAPVT XLV.

SIc mando Ioua uncto meo Cyro, cuius dexteram prehendo ad deprimendas eius aduentu gentes, [a] regnum'que latera discingo, ad ostia in eius aduentum recludenda, patefaciendasque portas. Ego te præcedens praua corrigã, ærea perfringam ostia, ferreaque claustra conuellam, et tibi occultos tradã thesauros, abditas'que pecunias, ut scias me Iouam esse Israelitarum Deum, qui te nominatim uocem, qui te, inquã, propter seruos meos Iacobeos, propter lectos meos Israelitas, tuo nomine uocans nuncupem, cum tu me tamen ignores. Ego Ioua, quo excepto nullus est, excepto me nullus est Deus, te accingo, cum tu me tamen ignores, ut sciatur ab ortu solis ad occasum, unum me Iouam esse, preter quem non sit quisquã qui lumen condam,

a. reges ex armo & subigo.

B tenebrasque creem, qui pacem faciã, [b] malũque creem: hæc ego Ioua omnia facio. Rorate cœli desuper, & iustitiam destillet æther, apertaque terra fœtificet salus, simulque iustitia fruticet, me Ioua, [c] illius creatore. Væ qui contendit cum fictore suo, fictile cum terræ opifice. Scilicet dicet argilla fictori suo: Quid agis? aut caret opus tuum ansis. [d] Vę qui quærit ex patre quid gignat, aut ex fœmina quid enitatur. Sic dicit Israelitarum Augustus fictorque Ioua: De futuris interrogate me, super meis filijs, super'que mearũ manuũ opere mihi date negotium. Ego qui terram feci, hominemque in ea creaui: ego qui manibus cœlos intendi, & omnibus eorum copijs imperaui: ego idem illũ cum iustitia excito, eius omnia dirigens itinera, qui meam urbem extruat, exulesque meos nullo precio aut munere, dimittat: dicit armipotens

b. uidelicet bellum, pestem, famẽ
c. scilicet iusti.
Rom.9.d
Ier.18.a
d. Perinde indignũ est à Deo facti rationẽ exigere, ac si quis ex parentibus rationem suæ generationis exigat.

C Ioua. Sic dicit Ioua: Aegyptiorũ [e] labor, Aethiopumque merx, & Sabæorũ hominũ procerorum, ad te migrabunt, eruntque tua, illis te sequentib. catenatisque migrantibus, & te uenerantib. suppliciter: denique in te Deus erit, quo excepto Deus nullus est. Sanè tu is Deus es qui te occultes, Deus Israelitarum, seruator. Pudebit fœdo cum dedecore facessentes uniuersos simulacrorum opifices. Israelitæ in Ioua sempiterna salute seruati non pudore, non dedecore ullis afficientur seculis. Sic enim dicit cœli creator Ioua, qui Deus terram finxit fecitque, qui eam sic condidit, ut non inertem crearet, sed habitandam fingeret: ego Ioua, præter quem nullus est: non [f] occulte lo-

e. facultates.
f. scilicet ut necromantes aut Apollinis uates.

tè loquor in tenebricosæ terræ loco:non nequic-
quam Iacobeam stirpem moneo ut me requirat:
D ego Ioua iusta loquens, æqua declarans. Coite,
& uenite, congregati eòdem, qui externos eua-
g. simulacrum ligneum.
sistis, adeò imperitos, ut g simulacri sui lignum
ferant, Deum'que precentur non seruaturum.
Declarate & proferte, id'que collatis consilijs,
quis hoc olim significauerit, tanto antè mon-
strando: nimirum ego Ioua, quo excepto nul-
lus præterea Deus est: ego præter quem iustus
seruator'que Deus non est. Recipite uos ad me,
& seruamini, omnes fines terrarũ: nam ego sum
Deus, quo excepto nullus est. Per me iuro, hoc
ore iustum uerbum proferens, nõ reuocandum:
Rom.14.b
mihi & omne genu flectetur, & omnis lingua
Philip.2.b
iurabit, se'que in Ioua dicent habere sanè uirtu-
tes & potentiam, ad eum'que peruenietur, & fru
stratis omnib. in eum iratis, in Ioua iustum fiet,
se'que iactabit omne semen Israelis.

In deos Babylonios, et porrò in Babylonem.

CAPVT XLVI.

SVccumbit Bel: collabitur Nabo: habent eo-
rum statuas bestiæ & iumenta, sarcinas ue-
stras adeò ponderosas, onus tantæ lassitudinis,
a. scilicet iumenta.
ut a collapsa succumbant, nec onus perferre ua-
B leant. illis in captiuitatem abeuntibus. Audite
me, Iacobea domus, & omnes Israeliticæ do-
mus reliquiæ, qui iam ab aluo gestamini, iam
ab utero portamini. Etiam ad senectutem ego
idem, etiam ad canitiem ego feram, ego idem
& feci & portabo, idem & feram & perferam.
Cui me assimilabitis, componetis, aut compa-
rabitis, ut similis sim? qui profundunt ex locu-
lis aurum, & argentum statera appendunt, con-
ducto fusore, qui Deum inde faciat, quem sup-
Bar.6.c
pliciter adorent. Tollũt eum humeris, portatũq;
C ita sua sede reponunt, ut stet loco suo, non mouen
dus, nedum ut inuocantem exaudiat, aut à rebus
defendat aduersis. Recordamini hoc, & uos col
ligite: redite sontes ad mentem, recordamini iam
olim præterita, me uidelicet esse Deum, præter
quem sit nullus: Deum cuius nullus sit similis,
qui secutura præsignifico, & nondum facta antè
denuncio: qui meum consilium ratum pronun-
cio, & quicquid mihi libet, facio: qui ex oriente
alites, ex remota terra uirum à me destinatum e-
D uoco: qui & dico & præsto: qui & inchoo, & fa-
cio. Audite me magnanimi à iusticia remoti. Iu
stitiam meam præsentabo, non remouendam, sa
lutem'q; meam non absuturam, & Sionem salu-
te & Israelitas meo decore donabo.

CAPVT XLVII.

a. inexpugnata.
DEscende, & humi sede a uirgo puella Baby
lon: sede ad terram sine sella, puella Chal-
dæa: neq; enim deinceps uocabere mollis & de
licata. Prehende molam, & mole farinam: de-
tege cincinnos tuos: denuda plantas: detege cru-
Naum 3.b
ra: transi flumina. Detegentur uerenda tua, ap-
b. nullo mihi resistẽte.
parebunt'que tua obscœna: sumam pœnas, b nec
mihi quisquam hominum occurret. Vindex no-
ster est nomine Ioua armipotens, Augustus I-
sraelitarum. Sede tacita, & uade per tenebras,
puella Chaldæa: nec enim deinceps uocabere
domina regnorum: quæ cũ ego meis iratus, meã B
profanauerim hæreditatem, eos'que tibi in ma-
num tradiderim, tu nulla in eos humanitate u-
sa, senes iugo tuo prægrauisti, te semper domi-
nam fore cogitans, atq; adeò non hoc animo re-
putans, immemor exitus eius rei. Quapropter
hoc audi delicata, quæ secura sedes, cogitãs cum Apoc.18.b
animo tuo, te unicam illam esse, quæ uidua ses- Infrà 51.b
sura non sis, nec orbitatem sensura. Atqui eue- C
nient tibi hæc duo repentè eodem die, orbitas
& uiduitas, & plenè euenient, ob tuas tot præ-
stigias, ob astrologiæ tuæ tantam copiam, quæ
ista improbitate freta, negas te conspici: quæ (tua
ista sapientia ac scientia, te peruertente) cogitas
cum animo tuo te eam esse, prẹter quam nulla sit.
Atqui eueniet tibi malum, cuius ortum ignora
bis: accidet tibi calamitas, quam non poteris a-
uerruncare: eueniet de improuiso tibi nec opi-
nanti uastitas. Sta quæso cum astrologia tua,
cumq; istis tot prẹstigijs, in quibus à pueritia ela
borasti, si quid possis proficere, et prẹ multitudi D
ne tuorum consiliorum fatigata, corroborari.
Adsint sanè, teq; defendant, cœli uentilatores,
contemplatores siderum, ex nouis lunis diuinã
tes, à tuis futuris casibus. Illi uerò stipularũ simi
les igni comburent, ne seipsos quidem à flãma
tutantes, nulla ad calescendum pruna, aut rogo
ad quem sedeatur. Tales tibi sunt quibus adla-
borasti, tui à tua pueritia negotiatores, diuersi
uagantes, te indefensa.

CAPVT XLVIII.

AVdite hoc, Iacobea domus, ab Israele de-
nominati, & ex a aqua Iudæ orti, qui per a. fonte, semine.
Iouæ nomen iuratis, Israelitarumq; Deum com
memoratis, non uerè, neq; iustè, utpote ex urbe
sacra nuncupati, & Israelitarum Deo nixi, cuius
armipotens Ioua nomen est. b Superiora antè de b. uidelicet de Senacheribi casu.
nunciaui, & hoc ore prolata significaui, atque
ex improuiso ut euenirent effeci. Quoniam du
rum esse te, ferreo'que neruo ceruicis, & ærea
fronte sciebam, ea tibi prædixi, & ante euentum
significaui, ne diceres à tuis facta statuis, et à tuis
simulacris signisq; curata. Quòd si audiueras, B
uaticinare rem omnem, & uos certè indicate. Si-
gnifico tibi noua iam nunc, recondita'que & ti-
bi ignota, quæ nunc fiunt, nõ olim, aut antehac,
eaq; inaudita tibi, ne te ea sciuisse dicas, quæ nec
audiueras, nec scieras, nec unquam auditione
acceperas. Scio enim te perfidè acturum, & im
probum iam ab utero c uocari. Mei nominis c. hoc est esse, ut Matthæi 5.
causa iram meam retardabo, meam'que lau-
dem tibi præcludam, ne te excindam. Explora-
bo equidem te, nec id ob pecuniam: & in forna-
ce calamitatis eligam. Mea causa, mea causa fa-
ciam (alioqui quanta esset indignitas?) ut glo- Suprà 42.b
riam meam alteri non concedam. Audi me Ia-
cobida, & Israelita, qui es à me uocatus. Ego sũ,
ego primus & idem postremus: ego cuius ma- Suprà 41.b & 44.a
nus terram fundauit, cuius dextera palmo me-
tata cœlos est, quos simul ac ego uocaui, adsue C
runt. Coite uniuersi, & audite, ecquis eorũ hæc
signifi-

d Cyrum.

significet. Ioua [d] illum amat; ille eius uoluntatem in Babylonem, & potestatem in Chaldæos exequetur. Ego, ego & loquor, & illum uoco, illum adduco, iter facientem prosperè. Accedite ad me, audite hoc. Non tectè ab initio locutus sum: ex quo id euenit ego idem adsum, & nunc Dominus Ioua misit me, suumque spiritum. Sic dicit Ioua, uindex tuus Augustus Israelitarum: Ego Ioua Deus tuus te utiliter doceo, te per uiã qua eas dirigo. Quòd si meis præceptis intenderes, [e] esset tua & pax flumini, & iustitia marinis similis undis: esset & tuum semen arenæ simile, & tui alui progenies calculis, nomine nunquam apud me excindendo aut abolendo. Exite Babylone, fugite ex Chaldæis, cum ouante soni tu: hoc prędicantes significate, hoc ad ultimas diuulgate terras: dicite: Redemit suos Ioua Iacobidas, neque sitiunt, eo ipsos per arentia loca ducente: aquam eis elicit ex caute, fissaque rupe fluũt lymphæ. [f] Pacem Ioua negat impijs.

e abundaret.

D

Exod. 17. b
Num. 20. b
Infrà 57. d
f. Hoc dicit ut intelligatur hanc felicitatẽ solis pijs' promitti

CAPVT XLIX.

Christus.

AVdite insulæ me, & attendite remoti populi. Ioua me ex utero uocauit, ex uentre meæ matris meum nomen memorauit, meumque os simile reddidit acuti gladij: me in umbra suæ manus abdidit, & politam ex me fecit sagittam, meque in pharetra sua recondidit, mihique ita dixit: Tu seruus meus es [a] Israelita, de quo glorier. At qui ego me frustrà laborare dico: nequicquam & incassum uires meas consumo: [b] tametsi meum ius penes Iouam est, meaque merces penes Deum meum. Itaque dicit Ioua, qui me iam ab utero seruum sibi formauit, & reducendos ad ipsum Iacobeos, & Israelitas ei allegendos; ut in oculis Iouæ decorer, sitque meus Deus mea potentia: dicit inquam. Parum est ut mihi sis seruus, in suscitandis Iacobidarum tribubus, instaurandis'que ruinis Israelitarum: etiam te cæteris gentibus lumen dabo, ut pateat mea salus ad extrema terrarum. Sic alloquitur Ioua, sancti sui Israelitæ uindex [c] contemptam animam, hominibus abominatum, dominantium seruum. Viso & reges assurgent, & principes uenerabuntur propter Iouam, qui fidelis Augustus Israelitarum te delegerit. Sic dicit Ioua: Te accepto tempore exaudiam, tibi'que salutari die subueniam, & te tutabor, & ad faciendum cum hominibus fœdus adhibebo, ut terrarum orbem suscites, ut uastatas possessiones occupes, ut uinctos exire, ut eos qui sunt in tenebris imperes prodire, pasturos secundum uias, & omnibus in iugis habituros pascua. Non esurient, neque sitient, nec ardore aut sole afficientur, quoniam qui eorum misertus fuerit, prę erit eis, eosque ad aquæ scaturigines ducet: reddamque montes meos omnes peruios, eruntque sublimes meæ semitæ. Alij longè uenturi sunt, alij à septentrionib. aut mari, alij ab australi terra. Ouate, ô cœli, & exulta, ô tellus: erumpant montes in ouatum, quoniam cõsolatur Ioua suum populum, suos miseratus inopes. Et dicit Sion se à Ioua desertam, se à Domino obliuioni esse traditam? Scilicet obliuiscetur mulier infantis sui, immisericors in uentris sui filium? Atqui etiam si obliuiscantur illæ, ego tui non obliuiscar. Ego te palmis [d] imprimã, tuos muros [e] in conspectu semper habens. Approperant structores tui, euersoribus populatoribusque tuis ex te emigrantib. Cõijce circumquaque oculos, & aspice omnes gregatim ad te cõuenientes. Sic uiuã ego, inquit, Ioua, ut tu illis omnibus pro ornatu uestieris, & tanquam sponsa redimieris, adeò ut uasta & derelicta ista loca, euersaque terra, iam futura sit quàm pro incolis angustior, remotis tuis uoratoribus. Adhuc dicent in auribus tuis [f] orbitatis tuæ filij: Angustior mihi locus est: cede mihi, ut sit ubi habitem. Et tu sic cum animo tuo dices: Quis mihi genuit hos, orbæ & liberis priuatæ: extorri & exuli? hos uerò quis educauit? cum ego sola fuerim relicta, undénam sunt hi? Sic dicit Dominus Ioua: Scito fore ut ego meam manum gentibus attollam, signum'que populis efferam, qui tuos afferent natos in sinu, tuæque natæ gestabuntur humeris, eruntque reges educatores tui, & eorum principes fœminæ, tuæ nutrices: te dimisso ad terram uultu uenerabuntur, pedumque tuorum puluerem lingent, sciesque me Iouam esse quem sperantes non frustrentur. Auferetur'ne forti præda? aut captus feroci elabetur? Et tamen sic dicit Ioua: & captus forti auferetur: & feroci elabetur præda: & cum ijs, qui tecum contendunt, ego contendam: tuosque seruabo natos: & eos qui tibi uim faciunt, sua ipsorum carne pascam, suoque sanguine ceu uino inebriabuntur: scientque mortales omnes me Iouam esse tuum seruatorem atque uindicem, Iacobidarum numen.

Infrà 51. e
a. Israelitã uocat Christum Israele prognatum.
b. licet frustrà doceã Israelitas, at non frustrà seruio Iouę, quem penes est me remunerari.
B
Suprà 42. b
Act. 13. g
c. Christũ.
2. Cor. 6. a
C
Apoc. 7. d
D

d molliter premam & informabo, ut solet
E
recens natus infans.
e. curans.
f. tui quæ fueris orba.
F
G

CAPVT L.

SIc dicit Ioua: Vbi tandem est libellus repudij uestræ matris, quam dimisi? aut quis meorum creditorum est, cui uos uendidi? En ob uestra uitia uenditi estis, ob'que peccata uestra dimissa est uestra mater. Cur cum uenerim, nullus adest? cum clamem, nullus audit? Breuior est credo mea manus quàm ut possit asserere: aut mihi uires desunt ad liberandum, qui mea increpatione mare exicco: fluuios in syluas redigo, ita ut eorum pisces siti enecti, aquæ penuria putrescant: qui pullo cœlum uestio, & centonis operimento induo. Dominus Ioua mihi linguam dedit eruditam, ut sciam tempestiuè fessos alloqui. Vellit per dies singulos, uellit aurem mihi, ut discipulorum more audiam. Dominus Ioua mihi aurem aperit, nec ego contumax retrocedo. Tergum meum uerberantibus, genasque uellicantibus præbeo: faciem meam ignominijs, sputoque non subtraho: & Dñs Ioua mihi succurrit. Vnde fit ut inturbatus uultum prębeam marmoreum, certus nõ me frustratum iri. Adest qui me absoluat: si cui mecum lis est, congrediamur: si quis mecum habet causam, accedat ad me. Cum Dominus Ioua me adiuuet, quis me cõdemnet? cum futurũ sit ut omnes ritu uestis obsolescãt, à tineis corrosi. Qui uestrum Iouam reuerens

Vide cap. 59. a
Infrà 59. a
B
C
Matt. 26. g
D

a. Christo.

obedit eius a seruo: qui in tenebris gradit, splendoris expers, confidat Iouæ nomini, suo nixus Deo. En b uos omnes ignem incenditis, scintillas circumiecti: ite in ignis uestri lumine, inque scintillis, quas accendistis: hoc uos ex mea manu habentes, in dolore iacebitis.

b. uide finẽ cap.1. & caput 47.

CAPVT LI.

Audite me iustitiæ sectatores, Iouæ studiosi: spectate ex qua rupe excisi, ex quo barathri cauo sitis execti. a Spectate Abrahamum parentem uestrum, et Saram genitricem uestrã, quẽ unum uocaui, fortunaui, ac multiplicaui. Solabitur enim Ioua Sionem, solabitur omnes eius uastitates, eiusque deserta reddet quale est Eden, & inculta quales Iouani sunt horti, ut in ea uoluptas, lætitia, gratiarum actio, cantionumque sonitus reperiatur. Attendite me mei, ausculta mihi mi populus: nam prodibit à me lex, meumque iudicium ad populorum illustrationem repræsentabo. Aduentat mea iustitia: prodit mea salus, mei'que lacerti populos iudicabunt, me sperabunt insulæ, suspicientes meum lacertum. Attollite in cœlum oculos, terramque despicite: nam & cœli, tanquam fumus, euanescent, & terra ceu pannus obsolescet, eiusque itidem morient habitatores, cũ interim mea salus semper durabit, meaque iustitia erit irrupta. C Audite me iustitiæ periti homines, meam legem in mentibus habentes: nolite hominum opprobrium timere, aut ignominia frangi. Etenim quasi pãnum corrodẽt eos tineæ, quasi'que lanam comedent blattæ, cum interim mea iustitia semper, mea salus perpetuis durabit seculis. Eia, eia, indue potentiam, lacerte Iouæ: eia, ut antiquis priscorum seculorũ temporibus. D Nõne tu is es qui Aegyptum excidisti, qui b cetum trucidasti? nonne tu is es qui marinas uasti pelagi aquas exiccasti, qui maris fundum reddidisti peruium ad redemptorũ transmissionem? Ergo reuersi Iouæ clientes, in Sionẽ ouantes peruenient, æterna circumfusi lætitia, uoluptates adepti & gaudia, fugiente mœrore atque gemitu. Ego, ego uester sum consolator: quis tu es qui hominem moriturum, qui homine natum metuas? cuius eadem, quæ graminis, cõditio est: oblitus'que Iouæ creatoris tui, E qui cœlũ intẽdit, terram'que fundauit, perpetuò semper formides tyranni furorem, dum se cõponit ad perdendũ? c Vbi uerò est tyranni furor, ultro citroque solui festinãtis, ne perditè moriatur, néue uictu careat? At ego Ioua Deus tuus, qui mare, frementibus eius fluctibus, findo, nomine Ioua armipotens, uerba mea ori tuo suggerã, teque meæ manus umbra tegam, ad plantandum cœlum, fundandamque terram, & ad dicendum Sioni: Tu meus es populus. F Expergiscere, expergiscere, surge Hierosolyma, quæ de manu Iouæ eius furoris calicem potasti: quæ tetri calicis expressam fecem potasti: quam qui deducat: qui ue manu prehendat, ex tot quos peperisti natis, ex tot filijs quos educasti, nullus est. Duo hæc tibi euenerunt: quis tuam uicem dolet? depopulatio & clades, fames et arma: ecquis G te solatur? Nati tui exanimati passim iacent uicatim: uelut irretiti uri, c Iouæ Dei tui furore & sæuitia pleni. Quapropter hoc audi, ô subacta & ebria, nec id uino. Sic dicit Dominus tuus, Ioua Deus tuus, sui populi causam acturus: Capturus sum tetrum de manu tua calicem, fecem calicis mei furoris, nec amplius deinceps eum potabis: quin eum tuis in manu ponam extinctoribus, qui tibi ut te summittas imperant, quo transeant, dorsum'que tuum humi pro uico supponas transeuntibus.

a. Sicut seni Abrahamo, & sterili Saræ, prolem dedi, sic & uos (qui steriles uidemini) propagabo.

Psal.36.c

b. Pharaonem.

Exod.14.c

c. quid tibi noceat, qui ipse sibi metuit?

Suprà.49.d.

Sup.47.b

c. à Iouæ seuiter tracti.

CAPVT LII.

Eia eia, indue tuam potentiam, Sion, indue uestimenta decoris tui Hierosolyma, urbs sancta: neque enim deinceps iam per te ibit præputiatus & impurus. Excute te de puluere: surge: sede Hierosolyma: soluere tui colli uinculis captiua puella Sion. Nam sic dicit Ioua: Gratis uendidi, nulla quoque redimemini pecunia. Sic enim dicit Dominus Ioua: In Aegyptũ descendit meus populus primùm, ad ibi cõmorandum: tum Assyrius eum oppressit impunè. B Iam uerò quid ago? inquit Ioua, cum captus gratis meus populus, sub heris suis eiulet, inquit Ioua, semperque meum nomen assiduè male audiat? Quo circa sciet meus populus meum nomẽ, sciet, inquam, tum, eum esse me, qui me adfuturũ promiserim. O' quam elegãtes sunt in montibus pedes nunciantis, significãtis pacem, nunciantis bonũ, significantis salutẽ, dicentis Sioni: Regnat Deus tuus. C Voce speculatores tui, uoce sublata simul ouabunt, quod ipsis oculis corã spectabunt, cum reuocabit Ioua Sionẽ. Exclamate simul & ouate uastitates Hierosolymæ: solat enim Ioua suũ populũ: redimit Hierosolymã. Exerit Ioua suũ sacrum lacertũ ob oculos omniũ gentiũ, spectantibus omnibus terrarum finibus Dei nostri salutem. Discedite, discedite, emigrate istinc, immũdum ne tangite, emigrate ex a ea, este puri, ô gestatores d supellectilis Iouę. Nõ enim c trepidè emigrabitis, aut fuga abibitis: nam uos Ioua præcedet, uos deus Israelitarum colliget. D En sapiet meus seruus. multũ euehendus, efferendus, extollendus. Quàm fuerint eum mirati multi, tam eius species et forma corrumpet, ut nõ iam sit homo, non sit unus de humano genere: tam gentes multas asperget, obmutescentib. super eo regibus, quippe qui sibi indicta cernent, & inaudita contemplabuntur.

Gen.46.a

Rom.2.d

Ier.36.c

Rom.10.c

Naum 1.d

Psal.97.a

2.Cor.6.d

a. scilicet Babylone.

b. nam cum [illegible]

d. plurima e Babylone reportata sunt.

c alludit ad emigrationem ex Aegypto, & hæc omnia ad Christi regnum refert.

CAPVT LIII.

Qvis credit orationi nostræ? & Iouæ brachium cui patefit? cum creuerit ille corã eo ut uirgultum, & stirps ex æstuosa terra, informis, indecorus, nullam ut in eo formam cerneremus, quo eum appeteremus. Contemptus & minus quàm homo: homo dolorum ægritudinisque gnarus, quasique aspectu auersandus, adeò cõtemptus, ut eum esse nõ arbitraremur. Sanè morbos nostros ac dolores ipse tulit ac tolerauit, & nos B eum existimauimus uulneratum, cęsum diuinitus, & oppressum. Atque ipse ob peccata uitiaque nostra pereptus, atque contusus, pœnas nobis salutares dedit, eiusque uibicib. sanati sumus. Omnes nos ut oues errauimus, suam quisque uiam secuti,

Rom.15.c

Iohan.12.f

Rom.10.d

Mar.9.b

Matth.8.b

1.Petri.2.d

1.Cor.15.a

& Ioua

& Ioua in eum omnium nostrûm crimen coniecit. Mulctatus ipse, oppressusq; ne mutiuit quidem, ut pecus dum ad cædem agitur, ut agnus ante suum tonsorem obmutescēs, ne mutiuit quidem. Ex uinculis & iudicio a ductus est, atq; b eius genus quis eloquatur? cum sit ex uiuorum terra excisus, accepto ob mei populi peccatum uulnere, sitq; ei mortuo tributū cùm impijs & cum diuite sepulchrum, quòd neq; scelus fecerit, neque fraudem habuerit in ore. Libuit autem Iouę eum ægritudine contundere: quia si animā suam piaculo exposuerit, semen adipiscetur diuturnum, Iouæq; fauor eius in manu prosperè succedet. Per animæ suæ laborem adipiscetur satietatem, cognitione sui iustos reddet, iustus ipse seruus meus, multos, eorūq; crimina feret. Itaq; impertiar ei inter multos, cumq; potentibus spolia participabit, quoniam obiecerit animā suam morti & sontibus annumeratus, multorum peccatum tulerit, pro'que sontibus interpellauerit.

a. scilicet ad supplicium.
C
b. quis eum dicat Deo natū, cum sit infra omnes infimos homines?
Matth.26.f Act.8.f 1.Pet.2.d 1.Iohan.3.a Mar.15.c Luc.22.d

CAPVT LIIII.

OVa sterilis quæ non paris: erumpe in hilarem cantum, & exclama, quæ non eniteris: nam plures fore desertæ, quàm maritæ, natos promittit Ioua. Dilata tuorum tabernaculorum locum, tuorumq; contuberniorum uelis intendendis noli parcere, tuos & funes producens, & palos obfirmans.

Luc.23.d Gal.4.d

B Nam dextra sinistraq; propagabere, tuaq; proles gentes obtinebit, & desertas habitabit urbes. Ne metue, non enim te pudebit: néue erubesce, nō enim dedecoraberis: quin adolescentiæ tuæ pudorē oblita, tuæ uiduitatis infamiam iam non recordabere. Nam maritus tuus creator tuus est, nomine Ioua armipotens: (Luc.1.e)

C uindexq; tuus Augustus Israelitarum, Deus totius orbis terrarum uocabitur. Etenim ut derelictam animoq; destitutam mulierem uocat te Ioua, utq; ductam in iuuentute fœminam, quæ repudiata fuerit, dicit, Deus tuus. Breui spacio te dereliqui, & prolixa misericordia te colligam. Mometanea sæuitia tibi paulisper uultū meum subtraxi, & æterna clementia tui miserebor, ait

D uindex tuus Ioua. Nam idem hic ago, quod in Noanis aquis, cum quidem iuraui non amplius peruasuras terram Noanas aquas: sic nunc iuro me in te nō sæuiturū, aut inuecturum. Ac licet et mōtes moueantur, & colles labefiant, mea erga te clementia non mouebit, meumq; pacificū fœdus nō labefiet, ait qui tui miseret, Ioua. (Gen.9.b)

E O inops uexata, consolationis expers, equidem tuos lapides in margarita collocabo, teq; in sapphiris fundabo: & tua lumina crystallina ponam, tuásque portas ex carbunculis gemmis, et tuos fines omnes ex elegātibus lapidibus, eruntq; tui nati omnes à Ioua docti, & in multa pace degent

F tui nati. Iustitia componêris, & eris adeò ab oppressoribus remota, ut non metuas: & à terrore, ut ad te non accedat. Quod si quis commorabitur, nisi autore me, si quis tecum commorabit is, tibi aduersando cadet. Cum ego a fabrum creauerim qui flat in igne carbones, & artis suæ telum procudit, & idem ego perditorem creauerim ad exitium, omne telum contra te cusum, erit infortunatum, omnemq; linguam, quæ contra te ad disceptandum surrexerit, condemnabis. Hæc est Iouæ cultorum hæreditas, & iustitia, autore me, inquit Ioua.

Iohan.6.e

a. creatorem & fabrorum, qui tela cudūt,

G

eorum qui ijs utūtur, facilè te cōtra illa defendam.

Eccl.15.d

CAPVT LV.

HEus quicunque sititis, uenite ad aquam, & qui pecunia caretis, uenite emptum quod edatis, uenite emptum nulla pecunia aut precio, uinum atque lac. Cur ita pecuniam impenditis, ut tamen uictus non comparetur? aut laboratis non unde satiemini? Audite me, & bonis uescemini, & opimis delicijs fruetur appetitus uester. Præbete aures, & uenite ad me, audite, & uiuet anima uestra, feriam'que uobiscum fœdus æternum, fideli Dauidis benignitate, quem populorum monitorem, quem ducem præceptoremq; populorum daturus sum. a Tu ignotā tibi gentem uocaturus es, ignaraq; tui gens ad te curret, propter Iouam Deum tuum, Augustum'que Israelitarum, qui te decorauerit. Quærite Iouā, dum inuenitur, eum inuocantes dum adest. Relinquat impius rationes suas, & improbus cogitationes suas, ad Iouamq; se conuertat, qui eius misereatur: ad Deum nostrum, qui tam propensus est ad ignoscendum. Non enim eædem meæ, quæ uestræ sunt cogitationes; nec eædem uestræ, quæ meæ sunt rationes, inquit Ioua. Nam quantum cœlum terras supereminet, tantū meæ rationes cogitationesq; supereminent uestras. Vt enim delapsa cœlo pluuia, aut nix, eò non reuertitur, quin terram imbuat, & ita grauidet ac fœcundet, ut & semen ad seminandum, & panificia edat ad uescendū: ita accidet in uerbo, quod ex ore meo prodierit, ut ad me nō redeat infecta re, quin faciat quod mihi uisum fuerit, feliciter'que transigat quod ei mandauero. Nam cum lætitia emigrabitis, & cum pace deportabimini, erumpentibus aduentu uestro in lætum cantum montibus atque collibus, omnibusq; terrestribus arboribus plausum edentibus. Pro spina pinus, pro urtica crescet myrtus, id quod Iouæ nomen existimationem'que conciliabit nunquam interituram.

B Act.13.e
a. Christū alloquitur.
C
D

CAPVT LVI.

SIc dicit Ioua: Seruate ius, iustitiamq; colite: nam propediem mea uentura salus est, meaq; patefacienda iustitia. Felix homo qui hoc faciet: felix homine natus qui hoc tenebit, cauens ne Sabbathum profanet, suamq; manum ab ullo patrando malo abstinens. Nec uerò sic dicat peregrinus homo, Iouæ adoptatus: Separabit me Ioua à suo populo: neque dicat spado: En ego sum arbor arida. Etenim sic dicit Ioua de spadonibus qui mea Sabbatha seruabunt, quodq; mihi placet eligent, & meum tenebūt fœdus: ijs ego in mea domo murisq; locum nomenq; dabo, filijs filiabusq; præstantius: ijs, inquam, nomen æternum dabo, non obliterandum. Peregrinos aūt homines ad Iouam cooptatos, ad ei ministrandum: Iouęq; nomen amandū, ut ei sint serui, omnes

Sap.1.a
B

ui, omnes ne Sabbathũ profanent cauentes, meumꝗ tenentes fœdus, hos ego in meum sacrum C montem ducam, & in mea supplicationis domo exhilarabo, suis uictimis & sacrificijs ad aram meam litãtes, nam domus mea domus supplicationis uocabitͬ omnibus nationibus, ait Dominus Ioua, collector dissipatorum Israelitarum. (Matth. 21. b, Mar. 11. c, Luc. 19. g) item prȩter eos colligam ad eorũ collectitios, bestias omnes agrestes: uenite ad epulandũ omnes syluestres bestiæ. Eorũ speculatores omnes cæci sunt, indocti omnes, muti canes, latrare nõ potentes, D iacentes, recubantes, amantes stertere. Et canes ingluuiosi, nesciunt saturitatem, & ipsi pa(Ier. 6. c)stores incõsiderantes, omnes ad unũ suam uiam, suum quisꝗ lucrum sequuntur. (Sap. 2. b) Adeste, sumam uinumꝗ, potabimus temetũ, eritꝗ similis huius dies crastinus, multò celeberrimus.

CAPVT LVII.

IVsti pereunt, nemine animum aduertente: hominesꝗ pij obeunt, nullo aduertente, quum præ malis obeãt iusti. Cum adueniet pax [a] quiescent in suis cubilib. ea præter eos eunte. (a. eam ignorabunt impij, nec eius erunt participes, dormientes in suis peccatis.) Et uos huc accedite, hariolæ nati: progenies adulteri, atque prostitutæ. In quem luditis? in quẽ diducto ore linguã exertatis? nónne uos nefarium genus falsaꝗ progenies estis? qui diuis passim sub frondosis incalescitis arboribus, mactantes in amnibus natos sub rupium scopulis. Tibi cum læuibus saxis fluuialibus res est: illa illa sunt tua sors, illis & libamen fundis, & fertũ affers: egóne ut ad ista mihi temperẽ? Sublimi editoꝗ monti cubile tuum imponis, B eoꝗ faciendi sacrificij causa ascendis, & post ostium postemꝗ monimentũ tuum collocas, utpote quæ alij ꝙ mihi prostes: conscendensꝗ tuũ cubile dilatas, & tibi cum illis pacisceris, eorum amans concubitũ, ubi conspicata es. Atꝗ ad regem cum unguento tendis, multis adhibitis pigmentis, tuosꝗ procul dimittis legatos, te ad inferos usꝗ dejcies. Cumꝗ itineris istius magnitudine labores, nõ renuis: sufficit uiriũ tuarũ uigor: ideoꝗ nõ grauaris. Quẽ C uerò sollicita times, ut in me perfida sis: immemorꝗ mei, nõ animo repures me nimirũ dissimulare, id'que iam olim, neꝗ me timeas? Ego [b] tuam innocentiam, tuaꝗ facta ostendam, neꝗ te quiritantẽ iuuabunt defendent'ue tui cateruarij, (b. an sis innocens.) ꝗs uniuersos leuiculus uentus sublatos auferet. At mihi fretus terrã possidebit, meumꝗ sacrum mõtem occupabit, dicentꝗ: Cõplanate complanate, æquate uiã, tollite impedimẽta de uia mei populi. Sic enim dicit excelsus & elatus, æternùm habitans, & augusti nomen habens. Excelsus & augustus cũ uexatis animoꝗ deiectis habitabo ad recreandos deiectorũ animos, ad recreandas uexatorũ mentes. D Non enim semper contendam, nõ perpetuò sæuiam: nam induetͬ profectus à me spiritus, & animantes ego faciã. Vitio eius auaritiæ iratus cum cæci di, meꝗ latente & irascente auersus abit suæ mentis uia, eius uias intuitus, ei medebor, eum ducam, & solatia ei eiusꝗ lugẽtibus reddam, hanc creans orationẽ. Pax pax tum remotis, tũ propinquis, inquit Ioua, eiꝗ medebor. At impij similes erunt agitati maris, quod quiescere nequit, cuiusꝗ aqua sordes ejcit & cœnum. Pacem negat Deus impijs. (Suprà 48. d)

CAPVT LVIII.

CLama gutture effuse: attolle quasi tubæ uocem tuã, meoꝗ populo suam noxam, suum Iacobeæ domui peccatũ ostende, qui me quotidie quærunt, measꝗ scire rationes auent, & perinde ac ij sint qui æquum faciant, ac non Dei sui ius reliquerint, ex me iustitiæ iura petunt, diuinæ familiaritatis auidi: Cur nos ieiunantes non respicis? & nosipsos subigentes non curas? En tum cùm ieiunatis, libidini satisfacitis, & omnia B quæ uobis debentur exigitis. En ad lites & iurgia ieiunatis, & ad pugnis impiè cædendum. Ne isto pacto ieiunaueritis, ut [a] in alto uox audiatur uestra. (a. in cœlo. Zach. 7. b) Hoccine est ieiuniũ quod ego approbem? dies quo se ipsum subigat homo? scilicet ut caput in iunci modũ curuet, centone stratus & puluere. Hoccine uocandũ est ieiuniũ, & fauorabilis Iouæ dies? Enimuerò hoc est quod ego approbẽ ieiuniũ, impietatis aperire nexus, iugi nodos soluere, quassatos dimittere liberos, ut' que iugũ omne abrumpatis. Nimirũ ut esurienti panem tuũ impertias, inopesꝗ uagos domũ introducas: (Ezech. 18. b, Matth. 25. c) nudum si uideris, operias, neꝗ tuis te subducas consanguineis. Tũc erũpet auroræ modo C tua lux, incolumitasꝗ celeriter pullulabit, teꝗ, & tua præcedet iustitia, & Iouana gloria excipiet. Tunc te uocantem Ioua exaudiet, conquerenti se præstò esse dicet, si iugum ex te, si [b] digiti extensionẽ iniquãꝗ orationem remoueris. (b. Hoc non intelligo.) Si te ipsum profuderis esurienti, atꝗ afflictũ hominẽ satiaueris, orietur in tenebris tua lux, tuaꝗ caligo erit ut meridies, & Ioua te semper deducens, D appetitum tuum in siccitatibus saturabit, artusꝗ tuos ita curabit, ut similis sis irrigui uiridarij, aut aquæ origini, cuius latices [c] nõ sunt fallaces. (c. sunt perennes.) Ac per te antiqua extruentur uasta loca: tu prisca fundamenta eriges, & ruinarum uocaberis instaurator, (Infr. 61. a) qui semitas ad habitandũ restituas. Si Sabbatho pedem tuum auocaueris ab exequẽda tua libidine, meo sacro die, [d] uocauerisꝗ Sabbathũ honorandas sancti Iouȩ delicias, (d. habueris pro.) & id honoraueris, nõ ex tuis moribus agendo, neꝗ tuæ libidini obsequendo, aut isto modo loquendo, tunc delicijs fruêris in Ioua, teꝗ [e] in terræ fastigia sublatum pascam hæreditatȩ Iacobi parentis tui, quandoquidem Iouæ os loquitur. (e. in terrarũ excellẽtissimá. ut Deuter. 32.)

CAPVT LIX.

NOn est quidem Iouæ uel manus decurtata quo minus conseruare, uel auris obtusa, quo minus audire possit. (Num. 11. e, Suprà 50. a) Verùm crimina uestra uos à deo uestro disiungunt, peccataꝗ uestra eius uultum uobis subtrahũt, quo minus audiat. Nam uobis & manus sanguine, digitiꝗ crimine contaminati sunt, & labra falsum loquuntͬ, & lingua nequitiã exprimit. (Suprà 1. d) Nullus iustè auxiliũ inuocat, nullus uerè disceptat, & inani rei confiditur, & improba oratio est: cõcepto facinore parietur nequitia. Viperæ oua excluduntur, & araneí telæ texuntur: (Iob 15. d) qui eorum oua comederit, morietur

rietur, & si exprimantur, excludetur aspis. Eo- B rum telæ nō adhibentur ad uestem, nec ipsi suis [Rom.3.c] operiuntur operibus, opera eorum opera sunt ne- [Prou.1.b] quitiæ, habentq; iniustitiæ facinus in manibus. Eorum pedes ad malum currūt, festinantq; ad insontem effundendum sanguinem. Cogitationes eorum, cogitationes sunt nequitiæ: exitium & calamitas est in eorū semitis. Viam pacis nesciunt, nullum ius est in eorum callibus: iter habent adeò peruersum, ut quisquis in eo graditur, pacem ignoret. Itaque ius à nobis abest, neque nos assequitur iustitia, lumen expectamus, & ecce tenebræ: splendorem, & in caligine gradimur. Attrectamus ut cæci parietem, & tanquam oculis carentes palpamus, impingentes in meridie, quasi in crepusculo, in tumulos, ut mortui. Fremimus omnes ut ursi, & columborum ritu sona- C mus: ius expectamus, nec est: salutem, & abest à nobis. Sunt enim multa in tuo conspectu peccata nostra, delictaq; nostra nos accusant, quippe qui nostris præditi peccatis, uitia nostra agnoscamus. Peccauimus, & fidem Iouæ fregimus, & à sequendo Deo nostro recessimus, uim & declinationem suadendo, & falsa uerba animis concipiendo atque meditando. Ergo retrò ius abijt, proculq; stat iustitia, quod ueritas offendit in uicis, neq; sana mens aduenire potest, adeoq; de- [a. uitium.] ficit ueritas, ut qui [a] malum declinat, is prædæ habeatur. Quo uiso Ioua dolet non esse ius, ne- D minemq; animaduertens, & neminem occurre- [Eph.6.c] re miratus, uincit suo sibi brachio, ipse sua fultus [1.Thes.5.b] iustitia. Ac iustitia loricatus, galeato uictoria capite, induit ultricium uestium indumentum, sagatus impetu, ut ad pœnas atroces irrogandas suis aduersarijs, soluturus hostibus suis, soluturus insulis digna præmia. Ac uidebunt & occidentales Iouæ nomen, & orientales gloriam, [Rom.11.d] quando ueniet infesti more fluminis, Iouæ spiritu ei uexillum impellente. Veniet autem Sioni uindex, & eis Iacobeorum, qui se à peccato retraxerint, inquit Ioua. Atque hoc mihi cum eis fœdus intercedet, inquit Ioua, ut meus, quo tu præditus eris, spiritus, meaq; dicta, quæ ori tuo suggeram, non recedant ex ore uel tuo, uel tuorum natorum aut nepotum (ait Ioua) hinc in æternitatem.

CAPVT LX.

AGe reluce, aduentat enim tua lux, tibiq; Iouæ gloria exoritur. Nam futurum est ut obtegentibus terras tenebris, & populos caligine, tibi Ioua oriatur, eiusq; gloria in te appareat, ambulentq; gentes in tua luce, & reges in [Suprà 49.c] exorto tibi splendore. Circumijce oculos, & aspi- [a. in sinu, in ulnis.] ce ut omnes tibi collecti ueniant: nati tui procul aduenient, tuæque natæ [a] ad latus educabuntur. Quo tum uiso renidebis, seque tuus animus explicabit attonitus, quòd conuersa ad te marina turba, tibi gentium copiæ uenient. Te camelorum armentum obruet, dromades Madianitici, & Ephani, omnes ex Sabæa uenient, aurum & thus afferentes, & Iouæ laudes prædicātes. Tibi omnes Cedarianæ cōgregabuntur oues: tibi Nabaiothenses ministrabunt arietes, altari meo ad B litandum impositi, domūq; mei decoris decorabo. Quinam isti ut nubes aduolant, utque columbi in suos forulos? Nam me sperabunt insulæ, et Cilicæ naues inprimis, tuos natos procul aduehendo, unà cum ipsorū argento atq; auro, ad Iouæ Dei tui nomen, & ad Israelitarum Augustū, qui te decorauerit. Extruentq; alienigenæ tuos muros, & eorum reges tibi ministrabūt, quoniā ego tui, quam iratus cæcidero, propitius miserebor. Patebunt aūt tuę portę cōtinenter interdiu, noctuq; nō claudendæ, ut ad te perueniant gen- [Apoc.21.g] tium copiæ, earūq; reges adducant. Nam gens & regnum quæ tibi nō seruierint peribunt, gentesq; euertentur. Ad te gloria Libani ueniet, pi- C nus simul & ulmus, atq; buxus, ad decorandum mei sacrarij locum, meorumq; pedum locū honestabo. Itaq; ad te sese recipient humiliter homines, qui te afflixerint, & tuorum pedum uestigia uenerabunt omnes tui conuiciatores, teq; Iouæ urbem, Sionē Augusti Israelitarū appellabunt. Pro eo quòd deserta, inuisa, & inaccessa fueris, efficiam ex te sublimitatem æternam, uoluptatem perennem, adeò ut cæterarum gentium lac, regumq; sugas ubera, sciesq; me Iouam esse ser- [NB] uatorem uindicemq; tuum, Iacobeorū numen. Pro ære inducā aurum: pro ferro inducam argentum, pro lignis æs, proq; lapidibus ferrum: efficiamq; ut pro tui administratione sit pax, & pro magistratibus iustitia. D Nō iam crudelitas in tua terra, nō uastitas aut calamitas in tuis finibus audietur, tuosq; muros salutem, & portas laudem appellabis. [Apoc.21.g 22.a] Nō amplius tibi sol interdiu lumen præbebit, neq; lunæ splendor illucebit, sed erit tibi Ioua lux æterna, deusq; tuus decori. Nō occumbet amplius tuus sol, tuaue luna occidet: nā Ioua tibi lux erit æterna, finita tui luctus die. Tuus aūt populus, iusti omnes, semper terram possidebunt, à me sata stirps, manuum mearum opus, quod mihi sit honestamento. Minimus in mille, minutissimus in populosam gentē excrescet, id quod ego Ioua suo tempore accelerabo.

CAPVT LXI.

SPiritu Domini Iouæ præditus sum, quando [Christus. Luc.4.c] quidem unxit me Ioua, me ad læta inopibus nuncianda misit, ad medicandum mente fractis, ad edicendam captiuis libertatem, uinctisq; solutionem carceris, ad edicendum fauorabilem Iouæ annū, diemq; ultionis Dei nostri, ad consolandum lugentes omnes, ad conciliandū dandumque Sionijs lugentibus decus pro puluere, uoluptatis unguentū pro luctu, laudis amictum pro mœsto animo: utque uocentur arbores iusti- B tiæ, Iouæ plantarium quo decoret. [Sup.58.d] Extruentur autem uastitates antiquę, ueteresq; ruinę erigentur, & prisca depopulatarum urbium uasta loca renouabuntur, aderuntque alieni qui uestras pascant oues, & extranei homines, uestri erūt agricolæ ac uinitores. Vos uerò Iouæ sacerdotes uocabimini, Dei nostri ministri dicemini, gētium facultatibus uescemini, & uos in earum gloria efferetis. Pro duplici isto pudore atque infamia, ouabunt

C ouabunt uicissim, itaq; in sua terra duplū possidebunt, lætitiam habentes æternam. Nam ego Ioua iuris amans, osor rapinæ in uictimis, mercedem eis fideliter soluā, & cum eis feriam fœdus æternum. Atq; ita innotescet apud gentes et populos eorum semen & progenies, ut eos qui- D cunq; uiderint, agnoscant semen esse, cui Ioua faueat. Delectabor in Ioua, animo gestiens in deo meo, qui me salutis uestimentis induerit, qui me toga iustitiæ amiciuerit, ut sponsus decore comitur, aut ut sponsa suo ornatur mundo. Etenim ut terra stirpes suas edit, utq; suum hortus seminarium procreat, sic procreabit Dominus Ioua iustitiam atq; laudem coram cunctis gentibus.

CAPVT LXII.

Sionis causa non cessabo, Hierosolymæ causa nō quiescam, quin exeat, ut splendor, eius iustitia, eiusq; salutis tanquā fax ardeat. Videbūtq; gentes tuam iustitiam, & reges omnes gloriam, & nouo nomine uocaberis, quod Iouæ os pronunciabit, erisq; decoris corona in Iouæ manu, B & regni diadema in Dei tui palma. Non iam dicère derelicta, neq; iam tua terra dicetur uasta, sed & tu chara mihi uocaberis, & tua terra nupta: nā & tu Iouæ chara eris, & tua terra nubet. Vt enim uirginem in matrimonium capit adolescens, sic te tui nati capient: & quam de sponsa capit uoluptatem spōsus, eam de te capiet Deus tuus. Muris tuis, Hierosolyma, custodes prẹficiam, totos dies totasq; iugiter noctes non cessaturos. Qui C Iouam memoratis [a] nolite uel uobisipsis, uel intermissionem dare, quin componat reddat'que Hierosolymam in terris laudabilem. Iurat per suam dexteram Ioua, per'que suæ potentiæ lacertum, ni tuum frumentum non amplius hostibus tuis comedendum dabo, neque bibent homines extranei tuum mustum quod elaboraueris. D Quin illud qui collegerint comedent, Iouamq; laudabunt, & hoc qui congesserint, bibent in meis sacris atrijs. Transite, transite per portas, præparate populi uiam, æquate æquate semitam, elapidate, extollite signum populis. Ecce Ioua nunciat ad ultimum terrarum, dicite puellę Sioni, Ecce aduentantē seruatorem tuum, ecce suam mercedem habentem secum, suumq; præsens præmium. Ac uocabuntur sacer populus, Iouæ redempti, & tu uocaberis requisita, urbs indeserta.

a. eum sine intermissione orate.

Zac. 9. b
Matth. 21. a

CAPVT LXIII.

Quis iste uenit ab Idumæa, rubicundis uestimentis à Bosra? iste magnifico uestitu, summa ui incedens? Ego qui iustè loquor, uictoriosus. Cur tua [a] rubet uestis, tua'que indumenta similia sunt eius qui torcular calcat? Prælum calcaui solus, neque mihi quisquam ex populis adfuit: cum'que eos ira incensus calcando contunderem, aspersa uino sunt indumenta mea, uestitumq; meum omnem infeci. Nam mihi ulciscendi dies in animo est meorumq; redimendorum uenit annus. Cumq; nullum adiutorem, nullum esse adminiculatorē animaduertens mirarer, uictoriam mihi meo peperi lacerto, mea mihi adminiculante bile, populosq; iratus cōtudi, & bi- B le mea inebriaui, deiecto ad terram eorum potentatu. Iouæ beneficentiam, Iouæ laudes commerabo, pro tot eius erga nos meritis: tot'que bona, quæ in Israeliticam domum, pro sua misericordia & beneficentia singulari cōtulit. Quos cum populum suum, filios fidem non falsuros cogitaret, eis se seruatorem ita præbuit, ut in tot periculis non periclitarentur, eius apparitore genio eos conseruante: pro'que suo amore & indulgentia eos redemit, sublatosq; olim tanto tempore pertulit. Sed illi contumaces, eius sancto spiritui do- C lorem fecerunt: itaque uersus eis in hostem ipse eos oppugnat. Ergo recolit prisca Mosis tempora populus eius: ubi est qui illos eduxit ex mari per pastores suarum ouium? ubi est qui inter eos suum sanctum collocauit spiritum? qui Mosem dextera ducebat, suo nobili brachio? qui ad eorum aduētum aquam diffidit, quo sibi nomen compararet æternum? qui eos per profunda duxit, ut equos in desertis nō impingentes? Quemadmodum in planiciem pecus descendit, Iouæ spiritus eis præbebat requiem: sic tu tuum populum perduxisti, ut decorum tibi nomen quæreres. Aspice de cœlis, & uide ex tua sacra decora'- D que sede. Vbi est tuus impetus fortia'q; facta? tuá ne erga nos tanta misericordia atq; humanitas repressa est? Atqui tu pater es noster. Nam Abrahamus quidem nescit nos, neq; Israel nos agnoscit: tu Ioua parens, tu uindex es noster, nomine præditus antiquo. [b] Cur nos à tuis Ioua uijs auertis? cur mentes nostras à tui reuerentia auocas? Reconciliare propter tuos cultores, propter hæreditatis tuæ tribus. Cum paulisper in possessione fuerit tuus sacer populus, hostes nostri tuum conculcauere sacrarium. Sumus quasi quibus tu nunquam dominatus fueris, quiq; non fuerint à te denominati.

Christus.
a. alludit ad nomina, nā Idumæa à rubendo, & Bosra à uindemiando nomen habet.
Apocalyp. 19. c

Exo. 14. c
Deu. 16. d
Baruch 2. d

b. cōfer hoc cum uerbis quæ paulo ante dixit: Sed illi contumaces etc.

CAPVT LXIIII.

Vtinam cœlis abruptis descendas, fluentibus aduentu tuo montibus, & quasi incendio in humorem præ ignis feruore colliquescentibus, ad declarandū hostibus tuis nomen tuum, contremiscentibus aduentu tuo gentibus. Cum miracula faceres inexpectata nobis, ad tuum descendentis aduentum fluebant montes, nec un- B quā uel auribus auditus, uel oculis uisus Deus est, excepto te, qui talia spem habentibus in se præstaret: Ades ultrò tu quidem ijs, qui æquum facere gaudent, tui in præscriptis à te uitæ uijs memores. Enimuerò & tu sæuis, & nos in [a] eis iamdiu peccauimus, & seruabimur? qui cuncti ut immundi sumus, nostræ'que uirtutes omnes sunt menstruati panni similes, cuncti'que cadi- C mus ut folia, uitijs nostris nos uenti modo auferentibus. Nec est tuum qui nomen inuocet, sese ad te comprehendendum excitans: quippe qui subtracto nobis tuo uultu, nos in uitiositatis nostræ potestate profliges. Atqui tu Ioua pater es noster: nos creta sumus: tu noster es figulus, cuius manuum opus sumus omnes. Ne sæui Ioua tantopere, néue perpetuò memor esto culpæ. En aspi-

1. Cor. 2. b

a. scilicet uijs.

Psal. 78. b

En aspice: nos omnes tui sumus. Vrbes tuæ sanctæ solitudo sunt, Sion solitudo est, Hierosolyma desolata. Nostra domus sacra, nostrumq́ decus ubi te laudauêre maiores nostri, incendio deflagrauit, & elegantissima quæque nostra in uastitatem redacta sunt. An ad hæc te cōtinebis Ioua, dissimulans, & nos usq́ adeò affligens?

D

CAPVT LXV.

Rom. 10. d

Peruestigor non petentibus, reperior non quærentibus me, dico ecce me, ecce me, genti meum nomen non inuocanti. pando meas manus totos dies, ad degenerem populum, qui uia gradientes non bona, suas sequuntur cogitationes: populum qui me coram semper irritant, sacrificantes in hortis, & super [a] lateribus suffientes. Qui manent apud sepulchra, & ad tumulos pernoctant, carne uescentes suilla, & detestandorum deorum ius habentes in uasis suis: qui [b] dicunt, Contine te, ne ad me accedas, nam te consecrarem. Hęc mihi in nasum [c] fumum concient, ignem perpetuò flagrantem. Hoc equidem [d] ob oculos scriptum habeo: non negligam, quin eis rependam, & rependam penitus. Vestra maiorumq́ uestrorum uitia coniuncta sunt, inquit Ioua, qui in montibus suffiuerunt, mihiq́ in collibus detraxerunt, quibus ego [e] pristinum ipsorum opus remetiar penitus. Sic dicit Ioua. Quēadmodum uua reperto in ea musto corrumpi uetatur, quod in ea sit aliquid boni, sic ego faciam propter meos cultores, ne corrumpam omnes, educamq́ue ex Iacobo & ex Iuda progeniem meum montem possessuram, quem mei tenebunt electi, meiq́ cultores ibi habitabunt, præbebitq́ Saron ouibus domicilium, & uallis Achoris stabulationem bubus meorum, qui mihi studebunt. At uos qui relicto Ioua, mei sacri montis obliti, [f] Gadi mensam instruitis, & [g] Meni peragitis libamina, uos ego gladio [h] numerabo, cunctiq́ neci succumbetis, quod me uocante non respondetis, me loquente non auditis, quodq́ mihi displiceat facitis, & quod mihi non acceptum sit eligitis. Quare sic dicit Dominus Ioua: Futurum est ut comedentibus meis uos esuriatis, bibentibus meis uos sitiatis, gaudentibus meis uos pudeat, ouantibus prę mentis uoluptate meis uos præ mentis dolore quiritemini, præq́ animi cruciatu eiuletis: uestrumq́ nomen relinquetis detestabile meis electis, uosq́ perimet Dominus Ioua. Suos autem alio nomine uocabit, ita ut qui sibi placebit in terris, in uero Deo placeat: & qui iurabit in terris, per uerum Deum iuret, quippe pristinis rebus aduersis obliuioni traditis, & sublatis ex meo conspectu. Nam ego cœlum nouum, terramq́ nouam creaturus sum, ita ut superiora non recolantur, neq́ ueniant in mentem. Quin lætabimini & exultabitis in perpetuum, autore me, quippe qui creaturus sum exultantem Hierosolymam, eiusq́ populum lætantem, & ita in Hierosolyma meoq́ populo lætus exultabo, ut in ea non amplius audiatur ploratus, aut querimoniæ sonitus. Non erit [a] illinc amplius ætate infans, aut senex, qui non suam compleat ætatem. Nam [b] qui centum annos natus morietur, puer erit: & qui sons centum natus annos, afficietur supplicio. Quasq́ domos ædificauerint, eas incolent: & quas conseuerint uineas, earum fructu uescentur. Non ædificabunt quod habitent alij: non serent quod comedant alij, quin erit meorum ætas similis ætatis arborum, suarumq́ manuum opere fruentur electi mei. Non frustra laborabunt, nec in cassum gignent: erunt enim proles cui Ioua faueat, itémque eorum progenies. Ac prius quàm inuocent, ego exorabor, & adhuc loquentes exaudiam. Lupus & agnus simul pascentur, & leo ut bos stramen comedet, serpentisque uictus erit puluis. Non nocebitur, neque corruptè agetur in toto meo sacro monte: dicit Ioua.

a. lateritijs aris.

b. alios à se tanquã sacri profanos arcent. Vide Lã. 3. c. iram.

d. nõ obliuiscar.

e. digna factis præmia rependam.

B

f. Sunt qui putant fortunam.

Prouer. 1. c

Ier. 7. c

Infrà 66. b

g. Nescio quis Deus à numero denominatus: quidã Mercuriũ arbitrãtur.

C

h. Alludit ad nomen Meni.

Apoc. 21. a

a. Hoc est eorum qui illic erunt.

D

Vide animaduer. in Psal. 68.

b. ita diu uiuent, ut qui centenarius morietur, puer moriatur.

Psal. 31. b

Supra 11. a

CAPVT LXVI.

Act. 7. f

Sic dicit Ioua: Cœlum, meum solium est, & terra meorum pedum scabellum: ubinam domus est quam uos mihi construetis? aut ubi meæ requietis locus? Cumq́ hæc omnia fecerit mea manus, cum hæc omnia [a] extiterint, inquit Ioua, hunc ego respicio uidelicet inopem, animoq́ fractum, & mea dicta formidantem. Qui bouem immolat, [b] occidit hominem: qui ouem sacrificat, iugulat canem: qui fertum obmouet, suillum sanguinem obmouet: qui thure supplicat, commendat improbitatem. Quàm ipsi suos mores diligunt, suisq́ flagitijs animo delectantur, tam ego [c] eorum infantes deligam, quod'que pauent, eis importabo: quoniam uocanti mihi nemo respondet, neq́ loquentem audiunt, faciuntq́, mihi quod doleat, & quæ mihi displicent eligunt. Audite Iouæ dicta, qui eius dicta formidatis. Vestros fratres, osores uestros, qui uos [d] propter meum nomen uexant, dictitantes: [e] afficiatur Ioua gloria, ut uestrum uideamus gaudium, hos pudebit. Auditur tumultus ex urbe, auditur ex delubro, auditur Ioua reddens hostibus suis præmia. Antequàm parturiuerit, parit: antequam eam partus dolores inuaserint, edit marem. Quis huic simile audiuit? quis uidit talia? nunquid enititur uno die tellus? aut nascitur gens semel? ut enixa pariat Sion natos suos? Scilicet ego fœtum exprimam, neque pariam? inquit Ioua: ego parere faciam, & abstinebo? inquit Deus tuus. Gaudete cum Hierosolyma, exultantes in ea, omnes eius amatores: percipite cum ea uoluptatem, quicunque eius uicem lugetis, ut eius solatorium, mammam sugatis ad satietatem, ut eius gloriæ ubertatem suauiter exugatis. Nā sic dicit Ioua: Ego sum in eam quasi pacis flumen extensurus, quasiq́ redundantē cæterarum gentium gloriæ fluuium, ita ut lactentes [f] ad latus gestemini, & in genibus ludatis. Vt aliquem sua solatur mater, sic ego uos solabor, Hierosolymæ solandos. Quo uiso, uos animis lætabimini, uestraq́ mēbra stirpium ritu uirescēt, & Iouæ manus erga suos cultores agnoscet, seuientis in hostes suos. Est enim uenturus in igne Ioua, similibus tur-

a. facta sint

b. non magis mihi gratus est, quàm si hominē occideret, &c.

B

c. in eos adeò grauiter animaduertam, ut etiã infantes ad pœnas desumam.

Supra 65. b

Prouer. 1. c

Ier. 7. c

d. mei odio.

e. defendat uos, quod sit ei gloriæ. Vide cap. 5

C

D

f. in ulnis.

bini quadrigis, ut iram sæuitiamque suam, igneis incandescens flammis, exerat. Nam igne Ioua,
E gladioque suo mortales omnes ulciscetur, eruntque multi à Ioua cæsi. Qui lustrati, purificatique in medijs hortis per uices carnem suillam, nefasque, & murem comedunt, simul tollentur, inquit Ioua. Atque ego eorum facta & cogitationes collectum ueniam, unà cum omnibus gentibus atque linguis, quæ uenient uisum meã gloriam, eisque signum apponam, & ex eis elapsos dimittam ad gentes Ciliciæ, Africæ, et Lydiæ sagittarias, Hesperiæque, & Græciæ remotas insulas, quæ meã nec audiuere famam, nec uiderunt gloriam: qui meam prædicent apud gentes gloriã, uestrosque fratres omnes ex omnibus gentibus, Iouæ munus aduehant, equis, quadrigis, lecticis, mulis, carris, in meum sacrũ montem Hierosolymam
F (inquit Ioua) quemadmodum afferunt Israelitæ munera in uasis puris in ædem Iouæ. Et ex eis quidem sacerdotes Leuitas desumã, inquit Ioua. Vt enim cœlum nouũ, terraque noua, quæ ego facturus sum, durabunt coram me, inquit Ioua, sic durabit uestrum semen atque nomen. Ac
G singulis mensibus, singulisque Sabbathis mortales omnes me coràm adoratum uenient, inquit Ioua, egressique uidebunt hominum cadauera, quia à me defecerint, quorum neque uermis morietur, neque ignis extinguetur, id quod erit triste cunctis mortalibus spectaculum.

Apoc. 21. a
Mar. 9. c

IEREMIAS.

CAPVT I.

Verba Ieremiæ Helciæ filij ex Anathotensibus sacerdotibus in Beniamitide, cũ quo uerba fecit Ioua temporib. Iosiæ, Amonis filij, Iudææ regis, anno eius regni decimotertio. Fuit autem tempore Ioacimi Iosiæ filij Iudææ regis, usque ad peractum annum undecimum Sedeciæ Iosiæ filij Iudææ regis, donec in captiuitatem acti sunt Hierosolymitani mense quinto.



OVA MECVM uerba fecit in hunc modum. Ego te priusquam in aluo formassem, noueram: & priusquam ex utero
B exijsses, consecraueram, uatem gentibus destinans. At ego: Ah Domine Ioua, inquam, en loqui nescio, quippe qui sim puer. Et Ioua me alloquens: Ne dixeris (inquit) te esse puerum: nam quo te cunque ego misero, ibis, & quicquid tibi mandauero, eloquêris. Ne illos timeto: adsum enim tibi, tui defendendi gratia, inquit Ioua. Tum promissa manu sua Ioua mihi tetigit os, & me sic allocutus est: En mea dicta tibi in os trado. Aspice, præficio te hodierno die gentibus & regnis, ad extirpandum, diruendum, perdendum & euertendum: ad extruendum & plantandum. Tum mecum uerba faciens Ioua: Quid uides, inquit, Ieremia? Cui ego: Baculum C
amygdalinum uideo, inquam. Et Ioua, Rectè [a] uides, inquit: nam ego meum dictum exequi maturabo. Et iterum me alloquens Ioua: Quid uides? inquit. Cui ego: Ollam ebullientem uideo ab Aquilone spectantem. Et Ioua: Ab Aquilone malum aperietur, inquit, in omnes regionis incolas. Nam ego regnorum nationes omnes ad Aquilonem conuocabo, inquit Ioua, uenientque & suum quisque solium collocabunt pro portis Hierosolymæ, & undique ad omnes tum eius tum cæterarum omnium Iudææ urbium, muros, ab eisque tanti sceleris pœnas expetam, D
qui me relicto, dijs suffiuerint alijs, suarumque manuum opera adorauerint. Tu uerò accinctus latera, surge: & eis eloquere quicquid ego tibi mandauero, néue illos pertimesce, ne ego te coram eis excindam. Ego uerò ex te iam hodie efficio munitam urbem, ferream columnam, & aheneum murum, contra totam regionem, in Iudææ reges atque principes, in sacerdotes, & incolas, ita ut te oppugnantes non uincant, quoniam tibi ego adsum (inquit Ioua) tui defendendi gratia.

Infra 18. a

a. Amygdalus Hebraice à maturando nomẽ habet.
Infra 4. b

CAPVT II.

TVm mecum uerba fecit Ioua in hunc modum: I, & clama, audiente Hierosolyma, in hæc uerba. Sic dicit Ioua: Memini collata in te iuuenem sponsamque beneficia, atque amorem, cum tu me per deserta, per incultam sequerere terram. Cum sint Israelitæ Iouę sacri, eiusque prouentus primitiæ, quicunque consumunt eos, crimen committunt, eisque malum ueniet, inquit Ioua. Audite Iouæ dictum, Iacobea domus, & omnes Israeliticæ domus cognationes. Sic dicit Ioua: Quam deprehenderunt in me culpam uestri maiores, ut à me recederent uanaque uani sequerentur? neque cogitarent ubi esset Ioua, qui eductos ex Aegypto, per deserta duxisset, per incultam squalidamque terram, per siticulosam horridamque terram, per terram hominibus non peragratam aut habitatam. B
Perduxi autem uos in terram cultam, ut eius frugibus bonisque uesceremini: quo postquàm peruenistis, terram meam polluistis, meamque hæreditatem impiastis. Non cogitauere sacerdotes ubi esset Ioua, legisque professores nesciuere me, & pastores à me defecerunt, & uates per Baalem uaticinati sunt, secuti non profutura. Itaque adhuc & uobiscum (inquit Ioua) & cum uestrorum natorum natis certabo. Transite enim ad [a] Cittias insulas, & uidete, & in Cedar [b] mittite, ac considerate diligenter, & uidete ecquid acciderit huiusmodi, an mutauerit gens ulla deos (quam- C
uis dij non sint) & tamen meus populus [c] gloriam suam cum haud profuturis permutauit. Obstupescite ad hoc ô cœli, uehementi horrore perculsi, inquit Ioua. Nam duo mala fecere mei: me reliquerunt, aquæ uiuæ fontem, ut sibi cisternas exciderent, cisternas fractas, & perfluentes. Seruus'ne est Israelita, aut uerna? cur

a. Græcas.
b. scilicet nuncios.

prædæ

prædæ est, rugientibus in eum cum uocis soni-
tu leonibus, eiusque terram in uastitatem redigen
tibus, adeò uastatis eius urbibus, ut careant in-
D colis? Memphitici quoque, Thaphnensesque tibi
ceruicem lædent, cuius rei tu tibi nimirum au-
tor eris, Iouam Deum tuum relinquens, quo
tempore te per uiam deducit. Et nunc quid tibi
itio est in Aegyptum, ut Nili bibas aquam? aut
quid tibi itio est in Assyriam, ut d fluminis bi-
bas aquam? Tua te improbitas peruersitasque
plectet atque puniet, cognosces que & uidebis
quàm malum atque acerbum sit, quod Iouam
Deum tuum relinquis, neque mei formidine te-
neris, inquit Dominus armipotens Ioua. Ete-
nim cum & ego olim tuum iugum fregerim,
tuosque nexus abruperim, & tu te nihil commis-
suram promiseris, tamen passim per arduos col-
les, subque frondosis prostas arboribus, scortum.
E Cumque ego te generosa uite, ueróque prorsum
semine conseuerim, qui fit ut mihi sis in dege-
nerem alienamque uersa uitem? Quòd si te nitro
laueris, & quantumuis struthij adhibueris, ta-
men notata apud me est tua culpa, inquit Do-
minus Ioua. Potésne negare te pollutam, Baa-
lesque secutam esse? Aspice tuam in ualle uiam:
recognosce quid facias, cita camelus suas impli-
cans uias, assueta syluis onagra, quæ præ libidi-
nis auiditate cupidè ducit auras irreuocabilis,
quam quicunque quærunt, non est quod defa-
tigentur: suo eam mense inuenient. e Prohibe
tuos discalceari pedes, tuumque sitire guttur. Mi-
nime uerò (inquis) quin alienos amans inse-
F quar. f Vt pudet furem deprehensum, sic pudet
Israelitas, ipsos, eorum reges, principes, sacerdo
tes, atque uates, qui lignum patrem, qui lapidem
genitorem appellant suum. Qui cum mihi ter-
gum obuerterint, non faciem, tamen malorum
tempore, petunt ut surgam, seque conseruem. Vbi
uerò tui sunt dij, quos tibi fecisti? surgant, si
te tuo malo tempore conseruaturi sunt, quan-
doquidem quot oppida, tot habes Iudææ deos.
Cur mecum contenditis, qui omnes defecistis à
me? inquit Ioua. Nequicquam natos uestros
uerbero, correctionem non admittentes, con-
sumente uestro gladio uestros uates, tanquam
exitiabili leone. O seculum! uidete quid Ioua
dicat. g Desertáne & obscura terra fui Israelitis?
cur sibi uendicat meus populus imperium, seque
amplius uenturum ad me negat? Obliuiscetur
ne ornatum suum uirgo? aut sponsa suos lemni-
G scos? & meus populus oblitus est mei dies in-
numerabiles. Quid tuam rationem componis
ad amorem captandum, & ideo alias quoque do-
ces tuos mores, h extatque tuis in gremijs paupe-
rum hominum sanguis, innocentum, quos non
in a scrobibus, sed apud omnes quercus inue-
nio? Et te dicis insontem? iramque meam à te
auertendam? Ego uerò hoc ipsum in te animad-
uertam, quod te peccasse negas. Quid tantope
re diffluis, ut uiam tuam mutes? etiam Aegypti
te pudebit, ut pudet Assyriæ, ac istinc migrabis,
b manus habens in capite, quoniam tuam respuit

d. Euphratis.

Infrà 3. b
Esa. 5. a
Matt. 21. d

e. Caue ne committas ut tibi in captiuitatem nudis pedibus procul eúdum sit.

f nó magis pudet Israelitas quàm fures.

Infrà 11. c

g. inutilis ne fui Israelitis ut me relinquãt?

h. homicida es & hominum exitij causa.
a. occultis locis.
b. cum probro, ut stuprata ab Amnone Thamar.

Iouæ fiduciam, nec ea tibi cadet prosperè.

CAPVT III.

SIc accipe, si repudiauerit uir uxorem suam,
eaque ab eo digressa, facta fuerit alterius uiri,
nunquid adhuc ille ei reconciliabitur? Atqui
cum mœchata sit ista terra, túque cum multis a-
matoribus scortata sis, tamen redi ad me, inquit
Ioua. Attolle oculos ad a cacumina, & uide ubi
non stuprata sis: quæ illis secundum uias pro-
stans, tanquam b Arabs in syluis, terram ista li-
bidine & prauitate incestauisti. Cumque c in-
terceptæ sint pluuiæ, imberque serus deficiat, tu
frõte meretricia pudere renuis. Nónne deinceps
me patrem tuũ, tuæque iuuentutis moderatorem B
appellabis? Nunquid perpetuò semperque d me-
mor erit iniuriæ? Tu uerò flagitia & loqui po-
tes, & patrare. Ioua mihi Osiæ regis tempore
sic dixit: Vidistí ne quid fecerit defectrix Israe-
litis? Ea per omnes arduos montes, & subter
omnes frondosas arbores commeans, ibi scorta
ta est, meque (postquàm illa fecit omnia) hortan-
te ut ad me rediret, non redijt. Hoc conspicata
perfida soror eius Iudæa, uidens ut ego defectri
cem Israelitidem, propter tot eius adulterij cau-
sas, repudiassem, eique libellum diuortij dedis-
sem, tamen adeò nihil metuit perfida Iudæa so-
ror eius, ut ipsa quoque meretricatum iuerit.
Cumque illa impudicitiæ suæ fama terram ince- C
stasset, cum saxis mœchata lignisque, nec sic qui-
dem ad me toto pectore redijt perfida soror illi-
us Iudæa, sed fallaciter, inquit Ioua. Habet uerò
(inquit Ioua mihi) iustiorem causam defectrix
Israelitis, quàm perfidiosa Iudæa. I, & hæc uer-
ba uersus septentriones pronuncia. Redi defe- D
ctrix Israelitis, inquit Ioua, & ego e non conij-
ciam in uos meum uultum, quippe qui, ut sum
clemens (inquit Ioua) non perpetuò recorder in
iuriæ. Tantum recognosce tuam culpam, quæ à
Ioua Deo tuo desciueris, dum ultro citroque cum
peregrinis, passim sub frondosis uersaris arbori
bus, neque mihi dicto audientes estis, inquit Io
ua. Redite defectores nati, inquit Ioua: nam e-
go maritus uester, uos singulos ex singulis ciui
tatibus, & binos ex singulis ascitos nationibus
perducam in Sionem, uobisque pastores ex ani-
mi mei sententia dabo, qui scitè uos prudenter-
que pascant. Ac cum illa tempestate multiplica-
ti fœtificaueritis in terra (inquit Ioua) non iam
prædicabitur arca Iouani fœderis, nec in men- E
tem ueniet, nec recoletur, nec desiderabitur,
nec amplius fiet. Illo tempore uocabitur Hiero-
solyma Iouæ solium, ad eamque Hierosolymam
congregabuntur gentes omnes, ad Iouę nomen,
nec amplius suæ malæ mentis peruersitatem se-
quentur. Per illa tempora adibit Iudæa domus
Israeliticam domum, uenientque simul ex aqui-
lonia terra, in terram quam ego maioribus eo-
rum hæreditate dedi. Equidem cogitaueram te
sanè filiorum habere loco, tibique elegantem ter-
ram, nobilem hæreditatem, exercitus gentium
dare, fore putans ut tu me patrem uocares tuum, F
nec à sequendo me auocareris. Enimuerò ut

a. scilicet montium.
b. pastores erant uagi.
c. scilicet ob tuũ peccatum.

d. scilicet Ioua.

e. nó sæuiã.

f. coniugi. g. ob istam perfidiã calamitas accidit Israelitis, unde ploratus extitit. h. hoc dicite. ecce, &c. a. scilicet deorum.

fidem fallit fœmina f amico suo, sic uos mihi fidem fefellistis, domus Israelis, inquit Ioua. g Vox in cacuminibus auditur, miserabilis Israelitarũ ploratus, quod mores deprauauere suos, Iouam Deum suum obliti. Redite filij defectores, ego sanabo uestras defectiones: h ecce nos uenimus ad te, qui sis Ioua Deus noster. Certè nequicquam est ex collibus a turba montana: certè in Ioua Deo nostro salus est Israelitarum. Ergo patrum nostrorum laborem, uidelicet oues, boues, filios, filiasq́ consumit iam à pueritia nostra turpitudo. G Iacemus in turpitudine, & obruimur ignominia, quod aduersus Iouam Deum nostrũ peccauimus tum nos, tum patres nostri, à teneris ad hodiernum diem, neq; Iouæ Deo nostro obtemperauimus.

CAPVT IIII.

a. si te corriges.

SI a redieris Israelita (inquit Ioua) ad me redibis: & si tua remoueris ex conspectu meo flagitia, non exulabis, ac uiuentem Iouam uerè, iurè, iusteq́ iurabis, inq; eo sibi placebunt, & se iactabunt gentes. Nam sic monet Ioua Iudæos homines & Hierosolymitanos. Proscindite uobis noualem, & ne in spinas seminate. (Osee 10.d) Circumcidimini Iouæ, & detrahite uestri cordis præputia, homines Iudæi, & incolæ Hierosolymæ, ne egressa ignea mea bilis, ardeat inextincta, ob uestræ naturæ prauitatem. Nunciate per Iudæam, & Hierosolymæ significate, (Suprà 1.c) B tubáque clangentes in terra plenè clamate, in hunc modum uerba facientes: coite, & munitas adeamus urbes. Efferte signum Sionem uersus: corroboramini: ne state: nam ego ingens malum & calamitatem inuecturus sum à septentrionibus. Ascendit ex sua densa sylua leo, gentiumq́ uastator proficiscitur, ex suo prodiens loco, ad terram tuam in tantam redigendam uastitatem, ut depopulatæ urbes careant incola. Hanc ob causam accincti centones plangite, eiulantes, quoniam acerbitas iracundiæ Iouę à nobis non auertitur. C Atque eo tempore (inquit Ioua) & rex & principes exanimabuntur, & sacerdotes obtupescent, & uates consternabuntur. At ego: Ah Domine Ioua (inquam) ergo tu huic populo & Hierosolymis imposuisti, pacem eis pollicitus, cum sit capitale bellum. Illo tempore dicetur huic populo, & Hierosolymitanis: Ventus æstuosus per syluarum cacumina tendit uersus b puellam mei populi, non ad uentilandum aut euellendum. Ventus plenior quàm c ad talia mihi uenit: nunc ego quoque de eis pœnas sumam. Ecce autem d ascendit more nubium, quadrigis turbini similibus, equis perniciori-bus quàm sunt aquilæ: hei nobis, perijmus. D Perlue à prauitate tuum cor, Hierosolyma, ut conserueris: quousq; manebunt in tuo pectore istæ detrimentosæ cogitationes? Auditur enim uox nunciantis e a Dane, & significantis detrimentum à monte Ephraimitarum. Commemorate gentibus, en significate: in Hierosolymam custodes ueniunt ex longinqua terra, & in urbes

b. ciuitatẽ, uidelicet Hierosolymam c. ad uentilandum.

d. Nabuchodonosor.

e. Illac Babylonijs erat iter in Iudæam.

Iudææ clamorem edunt, eam undique, tanquam custodes agri, circundantes, quoniam in me rebellauit, inquit Ioua. (Sapien. 1.b) E Tui mores & ingenium ista tibi faciunt: ista tua prauitas adeò acerba, ut ad cor tuum permanet. Viscera, uiscera, præcordia adeò mihi dolent, adeò mihi turbatur cor, ut tacere nequeam, quippe cum ego ipse tubæ sonitum, belli clangorem audiam. Calamitas super calamitatem proclamatur, uastata tota terra, meis tabernaculis subitò, meis uelis repentè uastatis. Quousque signa aspiciam? quousque tubæ sonitum audiam? Quoniam insipientes mei me non cognoscunt, dementes, non prudentes filij, ad malum sapientes, ad bonum indocti, uideo terram squalentem, & incultam, cœlúmque sua carere luce: uideo commoueri montes, omnesq́ colles concuti, uideo neminem adesse, F aereas'que uolucres omnes extorres esse: uideo culta inculta, desolatis omnibus eorum oppidis à Ioua, & eius acerbitate iracundiæ. Sic enim dicit Ioua: Vasta erit tota terra, nec internecionem faciam, eamq́ ob rem lugebit terra, & sublime cœlum infuscabitur, quandoquidem deliberatum pronunciaui, cuius me non pœnitebit, nec ab eo deducar. G Ad equitum sagittariorumq́ sonum diffugit omnis ciuitas: eunt in f nubila, scopulosq́ scandunt: omnia derelinquuntur oppida, nemine in eis remanente. Tu uerò perdita quid facies? coccum licet induas, licet aureo te mundo comas, licet ocellos tibi oblinas fuco, frustra te pulchram facies: respuunt amatores te, tuam uitam petentes. Etenim uocem audio quasi parturientis, quasi cruciatum primò parientis, uocem puellæ Sionis, anxiæ, palmas expandentis. hei mihi, exanimor ab interfectoribus.

f. ardua loca.

CAPVT V.

PErlustrate Hierosolymæ uicos, & uidete, ac noscitate, perq́ eius fora conquirite, si quem esse comperietis qui ius faciat, uerúmque studeat, & ego Hierosolymæ ueniam dabo. Quòd si per uiuentem Iouam dicunt, at peierant. O Ioua nónne oculos habes ad uerum intentos? uerberas eos, neq; dolent: conficis eos, & recusant admittere correctionem, obduratáq; magis, quàm est saxum, facie, ad sanitatem redire renuunt. Equidem sic cogitabam: At hi quidem plebeij desipiunt, quod Iouæ uiam, quod Dei sui sententiam ignorant. Aggrediar optimates, eosq́ alloquar: nam ij Iouæ uiam, ij Dei sui sententiam tenent. Ii uerò & iugum fregerunt, & uincula ruperunt. B Hanc ob rem cædit eos syluestris leo, uastat lupus agrestis, uigilat pardus in eorum oppida, ita ut quisquis ex eis prodeat, rapiatur, quoniam tot tantaq́ sunt eorum peccata atque peruersitas. Quo pacto tibi istud ignoscam? tui nati, relicto me, per non deos iurant, & à me satiati, adulterant, in'que lupanar sese cuneant. (Ezec. 22.e) Equi sunt saginati, a matutini, alij in aliorum uxores adhinnientes. In ista ne ut ego non animaduertam? inquit Ioua: aut ab istius

a. equi manè collecto per noctem semine, sũt libidinosiores.

ab istiusmodi gente pœnas non repetam? Scandite muros eius, & uastate, sic tamen ut ad internecionem non agatis: detrahite eius palmites, quoniam Iouæ non sunt. Nam mihi fidem fregerūt Israelitæ, Iudęaq; domus, inquit Ioua: Iouam abnegant, eumq; esse, aut sibi malum euenturum, aut se arma famem'ue uisuros, negant. Vates autem uentosi sunt, nec est eorum quisquam qui quid sit eis futurum, antè denunciet. Itaq; sic dicit Ioua Deus armipotēs: Quoniam uos istā rem dicitis, en ego faxo ut b uerba mea sint ignis in ore tuo, & illi ligna, quę consumat. En ego procul in uos gentem adducam, domus Israelis, inquit Ioua, quæ gens immanis, quæ gens antiqua est, cuius tu gentis linguam ignorabis, neque quid dicat intelliges: cuius pharetra similis est patentis sepulchri, fortes omnes. Ea comedet tuam messem atq; uictum: comedet tuos filios & filias: comedet tuas oues & boues: comedet tuas uites & ficus, excindetq; ferro tuas urbes munitas, quibus tu cōfidis. Quāquam ne tum quidem uos (inquit Ioua) ad internecionē delebo. Quòd si quæsieritis quam ob causam fecerit uobis ista omnia Ioua Deus uester: quemadmodū relicto me (dices eis) dijs seruiuistis alienis in terra uestra, sic peregrinis seruietis in terra non uestra. Nunciate hoc domi Iacobi, & in Iudæa significate his uerbis: Audite hoc, ô insani & excordes homines, qui oculos habetis, nec cernitis: & aures habetis, nec auditis. Nónne me timebitis? inquit Ioua, & meum conspectum tremetis? qui mari fines arenam posui, quem æternum terminum non transeat, nec eum possint, quamuis turbati agitentur fluctus, superare. At homines hi degenere cōtumaciq; mente præditi, degeneres abeūt, nec ita suis in animis cogitant: Metuamus Iouam Deum nostrum, qui & primores & posteriores suo tempore dat imbres, qui nobis c statos messis septenarios custodit. Has res auertūt uestra uitia, uestraq; delicta uos priuant bonis. Inueniuntur enim in populo meo impij, qui quasi positis decipulis insidientur, excidentes foueas, quibus capiantur homines. Vt cauea auibus, sic eorum domus refertę sunt fraudibus, ideoq; crescunt & ditescunt: ac quanto magis pinguescunt nitescuntq;, tanto magis in improbitate progrediuntur, non patrocinantes uidelicet pupillis, cum tamen prosperè habeāt, neq; pauperum causam agentes. In istáne ut ego non animaduertam? inquit Ioua: aut ab istiusmodi gente pœnas non repetam? Stupenda horrendaq; fiunt in terra: uates falso uaticinantur, & sacerdotes d manibus suis admittunt, & populus id fieri amat: quid denique facietis?

C D E F G

b. quæ ego tibi dicēda mando, damnabunt eos, & per ea punientur.

c. stata messis tempora dat. Vide Deu.16.

Esa.1.f Zach.1.c

d. uidelicet munera, mercede docentes. Vide Miche.3.

CAPVT VI.

Eluctamini Beniamitę, ex media Hierosolyma, & Thecuæ tuba clangite, atq; ad Bethacharam efferte signum: nam ingens malum à septentrionibus, & calamitas ingruit. Speciosæ & delicatę assimilo puellā Sionem, a ad quā uenient cum suis pastores gregibus, & ad eam per circuitū figent sua tabernacula, & sua quisque regione pascēt. Indicite ei bellum: agite ascēdamus meridie. b Hei nobis, quod inclinante die, uespertinæ uergunt umbræ. Agite ascendamus uel noctu, & eius euertamus arces. Sic enim dicit armipotens Ioua: Secate ligna, & extruite in Hierosolymā aggerem: urbs est punienda, tota iniurijs referta. Vt puteus aqua scaturit, sic ista prauitatem ebullit: crudelitas & pernicies auditur in ea coram me assiduè, cruciatus & uerberatio. Emendare Hierosolyma, ne ego animo à te alienatus, in eam solitudinem te redigam, ut terra sis inculta. Sic dicit armipotens Ioua: Racemabuntur, tanquam uites, reliquiæ Israelitarum, c refer manum tuam, ceu uindemiator in qualos. Ecquos alloquar moneam'ue, ut audiant? cum aures habentes præputiatas, attendere nequeant: quum Iouæ dicta probro habentes, non delectentur eis. Ergo Iouæ bile tam plenus ego sum, ægrè ut me contineam, quin ea pariter infantes'que uicatim, iuuenum'que concilium perfundam. Nam uiri iuxtà ac fœminæ, senes ac æuo pleni capientur, transferentur'que eorum & domus & agri & uxores, ad alios, cum ego manum incolis afferam, inquit Ioua. Nam parui iuxtà ac magni omnes auari sunt: uates æquè ac sacerdotes omnes agunt nefariè, leuiterq; sanant puellę mei populi calamitatem, pax pax dictitantes, cum nō sit pax. Pudore afficientur, qui cum sceleratè faciant, non pudet eos tamen, neq; uerecundari sciunt: itaq; cadent inter cadentes, quo tempore animaduertam in eos: labentur, inquit Ioua. Sic dicit Ioua: State per uias, & antiquas uidete ac quærite semitas, ubinam bona uia sit, eamq; ingredimini, et requietem animis uestris inuenietis. Non ingrediemur, inquiunt. Ergo statuam uobis speculatores: attendite tubæ sonitum. Non attendemus, inquiunt. Igitur audite gentes, & cognosce quæ in eis es multitudo: audi terra: ego sum malum importaturus in hos homines, quale eorum cogitationibus dignum est, qui meis dictis non attenderint, meamq; repudiauerint legem. Quorsum mihi tādem thus afferatis ex Sabæa? aut præstabilem calamum ex longinqua terra? non litant hostiæ uestræ: non accepta mihi sunt uestra sacrificia. Itaq; sic dicit Ioua: Ego isti populo opponam impedimenta, in quæ parentes simul & liberi incurrant, uiciniq; & eorum propinqui pereant. Sic dicit Ioua: Venturus est ex aquilonia terra populus, & gens magna ex terræ lateribus excienda, qui arcus lanceasq; teneant, crudeles & immisericordes, uoce strepentes ut mare, equis insidentes, in pugnam uiriliter instructi contra te, puella Sion. Eorum audita fama colliquescunt nobis manus, angore correptis, & cruciatu qualis est parturientis. Ne exite rus, néue iter facite: nam hostilis gladij terror circumsidet. O' puella mei populi, amicire centone, prouolue te in puluere, & perinde ac si luctu fungaris unici filij, sic acerbè mœre, quoniam ex improuiso ua-

a. ut pastores lætū pascuum undiq; depascūt, sic hostes Sionē.

b. tam auide inuadēt urbem hostes, ut malint noctu B pergere, quàm crastinum expectare.

c. crebros capiendo, ut solent leguli.

C D E F G

Esa 56.d Infrà 8.d

Matth. 11.d

Esa.1.d

 stator

stator inuadet nos. Castellũ ego te statui in meo populo munitum, qui eorum mores recognoscas atq; probes: omnes degeneres deflectunt, uersantes in calumnijs, ænei ferreiq;, omnes deprauati sunt. Inardescit igne follis: consumptũ est plumbum: frustra conflat cõflator, cum mali non excernantur. Argentum improbum uocantur, quippe quos improbet Ioua.

CAPVT VII.

Sermo ad Ieremiam habitus à Ioua hunc in modum.

STato ad portam ædis Iouæ, & ibi hęc dicta pronunciato, ac dicito: Audite Iouæ dictũ omnes Iudæi, qui per has portas ad Iouam adorandum introitis. Sic dicit armipotens Ioua *Infrà 28.d* Deus Israelitarum: Corrigite uestros mores & ingenium, & collocabo uos in hoc loco. Nolite falsis rebus confidere, dicentes, Iouæ templum, Iouæ templum, Iouæ templum est. Etenim si uestros mores & ingenium emendaueritis, si ius hominibus inter ipsos feceritis, pere- B grinos, pupillos, uiduas non affeceritis iniuria, insontem sanguinem non effuderitis in hoc loco, neque alios deos uestro malo fueritis secuti, collocabo uos in hoc loco, quam terram uestris dedi maioribus in omnem ęternitatem. En uos falsis cõfiditis, rebus nihil iuuãtibus: furari, occidere, adulterare, peierare, suffire Baali, alienosq; sequi deos, uobis ignotos: & postea uenitis, in meoq; stantes conspectu, in hac à me denominata æde, defendi postulatis, ut ista tot sce- *Matth.21.b Mar.11.c Luc.19.g* lera committatis? Pro spelunca grassatorum habetis hanc à me nuncupatam ædem, id quod ego quoque (ut sciatis) uideo, inquit Ioua. Adite enim locum meum, qui est Silunte, ubi ego C meum nomen primò collocaueram, & uidete quo pacto eum tractauerim ob Israelitarũ meo- *Prouerb.1.c Esa.65.b 1.Reg.4.c Infrà 14.b* rum improbitatem. Quamobrem quoniã uos ista tot patratis facinora, inquit Ioua, mihique uos sedulò admonenti non auscultatis, neque uocantem auditis, faciam ædi (quæ à me nomẽ habet, cuiq; uos confiditis) & loco (quem uobis, uestrisq; dedi maioribus) quomodo feci Silunti, uosq; à meo reijciam conspectu, quemadmodum reieci uestros omnes fratres, scilicet omnem Ephraimi progeniem. Tu uerò ne precare pro istis hominibus, néue pro eis oratione & precibus utere, néue me compella, nec enim te audiam. Nónne uides quid faciant, cùm in op- D pidis Iudææ, tum in uicis Hierosolymæ? Nati ligna colligunt, patres incendunt ignem, & mulieres massam subigunt ad faciendas [a] cœli reginæ placentas, fundendaq; dijs alienis libamina, mei irritandi gratia. Quasi uerò me irritent (inquit Ioua) ac non potius seipsos, ut hac re fronti suæ pudorem concilient. Itaque sic dicit Dominus Ioua: En ira bilisq; mea fluet in istũ locum, in homines & bestias, in ruris arbores terræq; fruges, & ardebit inextincta. Sic dicit armipotens Ioua Deus Israelitarum: [b] Hostias uestras solidas legite cum uestris sacrificijs, & carnem comeste. [c] Nec enim dixi aut præcepi maioribus uestris, tum cum eos ex Aegypto e- B duxi, de re solidi sacrificij, aut sacrificij. Quin eis hanc rem sic præcepi: Obtemperate mihi, & ego uobis Deus, & uos mihi populus eritis: & ingredimini per omnẽ uiam, quam uobis præcepero, ut bene sit uobis. Sed non obtemperarunt, nec aurem præbuerunt, suaq; consilia & perditã animi prauitatem secuti, retrorsum cessere, non prorsum. *Infrà 16.c* Ex quo egressi sunt maiores uestri ex Aegypto, in hunc diem, cum ego uobis interim meos tot uates missiculauerim, & E diligenter missiculauerim, non obtemperauere mihi, nec aures præbuere, quin obfirmata ceruice, fuere maiorib. suis uitiosiores. Eloquêris autem eis hæc omnia uerba, tibi non auscultaturis, & tibi non responsuros uocabis, & sic alloquêris: Hæc gens est eiusmodi, ut Iouæ deo suo dicto audiens non sit, neque correctionem admittat, ac ex eius ore perierit excisa ueritas. Tonde atq; abijce tuam comã, & ede per cacumina næniam, quoniam repudiat deseritq; Ioua nationem, in quam sæuit, quoniam offenderunt me Iudæi, inquit Ioua, posuere sua [d] flagitia in æde à me denominata, eius polluendę causa, extruxeruntq; sacella Topheth, quod est in ualle filij Hennomi, ad suos filios filiasq; igni cremandos, id quod neq; iussi, neq; mihi uenit in mentem. Itaq; tempus erit, inquit Ioua, cum non deinceps Topheth, aut uallis filij Hennomi G dicetur, sed uallis cædis: sepelientq; in Topheth penuria loci, & erunt huius populi cadauera pastui aereis uolucribus, terrestribusq; bestijs, absterrente nullo: *Ezec. 26.c* atq; ex oppidis Iudææ, Hierosolymæq; compitis, tollam uoluptatis et gaudij, tollam sponsorum sponsarumq; uocem, in uastitatem redacta terra.

a. Iunonẽ puto. *Infrà 44.c*

b. habete uobis istas uictimas.

c. lege.4. Esd.3.

d. nefarios deos.

CAPVT VIII.

EO tempore (inquit Ioua) extrahentur regum principumq; Iudææ, & sacerdotum, & uatum, & Hierosolymitanorum ossa suis ex sepulchris, exponeturq; soli et lunę omnibusq; cœli copijs, quas amauerint, quibus seruierint, quas secuti sint, quibus studuerint, quasq; adorauerint, ita ut incondita insepultaq; terræ solum stercorent: & præponetur uitæ mors omnibus superantibus ex ista mala natione reliquijs, ubicunq; locorum ego relictos dissipauero, inquit armiporens Ioua. Dices autem eis: Sic dicit oua: D Nunquid ita caditur, ut nõ resurgatur? aut ita deficitur, ut non redeatur? Qui fit ut populus iste Hierosolymitanus defectione perpetua defecerit, fallaciam tenens, redire renuens? Attendo, & audio: non rectè loquuntur: neminem sceleris sui pœnitet, ut dicat, Quid egi? omnes in suum uertũtur cursum, ut equus ruens in prælium. Etiam aerea ciconia nouit sua tem- C pora, turturq;, & hirundo, & grus aduentus sui tempus obseruant, & meus populus Iouę sententiam nescit. Potestisne dicere uos sapientes, Iouæq; legem penes uos esse? næ ille frustra stylum, frustra literatos fecit: pudebit sapientes,

fractiq;

fractíque capientur, qui cum Iouæ edicta respuant, quorum eis sapientia? Itaque eorum & uxores alijs, & agros alijs possessorib. dabo, quoniam parui iuxtà ac magni omnes auari sunt, uates æquè ac sacerdotes omnes nefanda faciunt, leuiterque sanãt puellę mei populi calamitatem, pax pax dictitãtes, cum non sit pax. Pudore afficientur, qui cum scelerate faciant, non pudet eos tamen, neque uerecundari sciunt. Itaque lapsi cadent inter cadentes, quo tempore animaduertetur in eos, collabentur, inquit Ioua. Perdam eos, inquit Ioua, nec uuæ in uitibus, nec ficus in ficubus erunt, & folia decident, eis'que [b] peritura dedero. Quid nos desidemus? coeatur, & eamus in urbes munitas, illic quieturi, quandoquidem Ioua Deus noster coercet nos, felleaque potionat aqua, quoniã peccauimus aduersus Iouam. Speratur pax, & abest bonũ: speratur sanationis tempus, & adest terror. Vsque à Dane audiunt [c] eius equorum ronchi, et ad hinnitus sonitũ sonipedum eius tota terra percellitur. Veniunt autem regionem, & quę continent ea, urbem & eius incolas comesuri. Nã ego in uos serpentes immittã, aspides cantari nescios, qui uos mordeant, inquit Ioua. Dum mœrorẽ cohibere conor, mihi torquetur animus. Ecce querulam uocem puellæ mei populi, ex longinqua terra. Num Ioua in Sione, nũ eius rex in ea nõ est? cur me suis simulachris, cur peregrinis irritauere [d] uanitatibus? Præterijt messis, peracta est ęstas: et nos sumus indefensi. Calamitate puellę mei populi rumpor, pullatus, & stupore correptus. Num resina in Galaaditide, num medicus ibi non est? qui fit ergo ut puellæ mei populi ualetudo non procedat?

Margin: D · Psal. 56.d · Supra 6.c · E · b. quæ dedero peribunt. · Infra 14.d · c. Assyrij. · F · G · d. uanis dijs.

CAPUT IX.

Vtinam & caput meum sit aqua, & oculi fons lachrymarum, ut puellæ mei populi occisos dies noctesque plorem. Vtinam in solitudine uiatorium habeam diuersoriũ, ut populares meos relinquã, ab eisque discedam, quando quidẽ sunt omnes adulteri, proditorũ caterua, qui fallacẽ linguæ suæ arcum intendunt, & pollent in terris non ueritate, quin ex malo in malum prodeunt, ignorantes me, inquit Ioua. Ac suum quisque proximum caueat, néue ulli fratri confidite. nam omnis & frater circumuenit, & proximus calumniatorem agit: suumque quisque proximum fallit, neque uera loquuntur: suam linguam docent falsa loqui nequitia lassati. Tibi sedes est in medijs fraudibus: præ fraudibus nosse me recusant, inquit Ioua. Itaque sic dicit armipotens Ioua: ego eos examinabo ac explorabo: quid enim aliud agerem circa populi mei puellam? qui acuta linguæ suæ sagitta fraudulenter loquuntur: qui ore alloquentes alios amicè, in pectore struunt insidias. Egóne ut ista in eos non animaduertam? inquit Ioua: aut ab istiusmodi gente pœnas non repetam? Super montibus lamentabilem edam ploratũ, superque solitudinis mansionibus næniam, quæ ita desolatæ sint, ut illac nemo transeat, nec sonitus audiatur pecoris, quod & aereæ aues, & quadrupedes, profugæ discesserint. Redigam autem Hierosolymam in tumulos, draconum domicilium, Iudęæque oppida in tantam redigam uastitatem, ut nullus inhabitet. Ecquis est uir sapiẽs qui hoc intelligat, & quod ei elocutus ore suo Ioua fuerit, enunciet? quamobrem perierit regio, in tantã uastata solitudinem, nullus ut eam peragret. Et Ioua: Quoniam reliquère meam legem, inquit, quã eis proposueram, neque mihi dicto audientes fuère, neque ex ea degerunt, sed animi sui peruersitatem, & quos à patribus suis didicerant, Baales secuti sunt, propterea sic dicit armipotens Ioua, Deus Israelitarum: Ego istos homines & absinthiũ comedere, & felleã aquam bibere cogam, eosque per gentes & ipsis & ipsorum maioribus ignotas dispergam, armisque ad internecionem persequar. Sic dicit armipotens Ioua: Videte ut euocandas præficas, sapientesque accersendas curetis, quæ næniam de nobis editum properè ueniãt, profundantque oculi nostri lachrymas, & lumina fluant aqua. Nam lamentabilis auditur ex Sione uox: Vt perijmus? ut magna sumus affecti ignominia? qui reliquerimus terram, ex nostris habitationibus exacti? Audite enim mulieres, Iouæ dictũ, eiusque oris pronunciatum auribus percipite, & filias uestras næniam, & alias aliæ lamentationem docete. nam mors per nostras ascendit fenestras, nostras peruadit arces, ut infantes ex uicis, ut iuuenes excindat ex compitis (sic, inquit Ioua, loquere) iaceantque hominum cadauera, ut stercus, sub dio, utque post messorem manipuli, colligente nullo. Sic dicit Ioua: Ne se iactet sapiens in sua sapiẽtia: ne se iactet fortis in sua fortitudine: ne se iactet diues in suis diuitijs: sed in eo se iactet, qui se iactat, quòd me percipiat & cognoscat Iouam esse qui clementer, qui ius æquumque faciã in terris: nam hæc mihi placent, inquit Ioua. Futurum est, inquit Ioua, ut animaduertam in omnes qui circumciso sunt præputio, in Aegyptios, in Iudæos, in Idumęos, in Ammonitas, in Moabitas, & in omnes [a] extremum solitudinis tractum incolentes. Sunt enim & hæ gentes omnes, & omnis Israelis domus præputiato corde.

Margin: B · C · Psal. 27.b · D · Infra 23.e · E · F · 1. Cor. 1.d · 10.d · G · H · a. Cedarieno. Vide cap. 49.

CAPVT X.

Audite quid uobis dicat Ioua, domus Israelis. Sic dicit Ioua: Gentiũ morem ne discite, néue cœlestia signa formidate, quòd ea gentes formident. Nam populorum instituta uana sunt: cæditur enim arbor ex sylua, & fabrilium manuum arte dolata, argento aureque comitur, clauisque firmatur et malleis, ne auelliatur. [a] Illi solidę palmę similes, neque loquunt, & portandi sunt, quippe qui non gradiantur. Eos ne metuite, quos penes neque nocere sit, neque prodesse. Nullus tibi par est, Ioua, qui magnus & magnę uirtutis nomine pręditus es. Quis te nõ metuat, ô gentiũ rex? cuius id imperiũ est, ut in omnib. gentiũ sapientibus, omnibusque regnis, nullus sit tibi cõferendus. Insaniunt autem illi, ac planè

Margin: Sap. 14.b · a. Scilicet lignei illi dij. · Apoc. 15.b

ac planè desipiūt, coarguente uanitatem ligno. Diductum argentum ex Cilicia importatur, & B aurum ex Ophaz, fabri manuumq; aurificis opus, hyacinthino purpureoq; uestitu, quæ omnia peritorum sunt opus. At Ioua Deus uerus, Deus est uiuens, & rex æternus, ad cuius iram tellus contremiscit, neq; sustinent eius indignationem gentes. Cosi gli direte: Gli iddij, i quali non hanno fatto il cielo & la terra, saranno tolti de la terra, & de sotto'l cielo. Qui terrā sua ui fecit, sapientia orbem condidit, prudentia cœlum extendit, uoce dat aquæ multitudnē c in cœlo, attollitq; ab ultimis terris nebulas, fulgura pluuiæ facit, & ex suis uentum cellis educit. Insanit omnis homo inscitia: simulachrorū C pudebit fictores omnes, quorum falsa & inanima sint fusilia. Vana sunt, opus fallax, eorū supplicij tempore peritura. Non talis est is cum quibus rem habent Iacobei, quin is omnium conditor est, nomine Ioua armipotēs, cuius hęreditatis natio sunt Israelitæ. Collige ex terra tuam mercem, d quę degis in munitione Nam sic dicit Ioua: En ego nunc incolas quasi funda disijciam, eosq; urgebo e ut digni sunt. Hei mihi, quanta sum in calamitate? quàm atrox uulnus habeo? quem quidem meum morbum mihi ferendum esse cogito. Perditum est meum tabernaculum, abruptis omnibus meis funibus: mei nati à me digressi, non adsunt: non iam est qui D meum tabernaculum intendat, & uela erigat. Insaniunt enim pastores non studiosi Iouæ, ideo'que cum non sapiant, omnis eorum dispersa pastio est. Auditur fama: ecce aduentat, ingens'que ex septentrionali terra motus aduenit, ad Iudæas urbes in uastitatem, draconum mansionem, redigendas. Scio, Ioua, non esse penes hominem ipsius uiam, non esse penes mortales ingredi, & suum firmare gressum. Castiga me Ioua, sed ratione, non iratè, ne me diminuas. Effunde bilem istam in gentes ignaras tui, in nationes quæ tuum nomen non inuocāt, quæ quidem Iacobeos conficiant, & conficiendo consumant, peruastantes eorum sedem.

Gen. 1. a. Infrà 51. b. c. in aere. Psal. 134. b.

d. Hierosolymitani. e. ad uerbū ut inuenirant, scilicet quod quærunt, hoc est ut dignas dent pœnas.

Psal. 6. a. 78. b.

CAPVT XI.

Sermo qui ad Ieremiam habitus est à Ioua in hunc modum.

AVdite uerba fœderis illius, et Iudęos ac Hierosolymitanos his uerbis alloquimini: Sic dicit Ioua Deus Israelitarum: Execrabilis homo qui illius fœderis dictis non obedierit, quo ego maioribus uestris (cum quidem eos ex Aegypti fornace ferrea eduxissem) præ- B cepi hunc in modum: Este mihi dicto audientes, & quęcūq; uobis pręcipio facite, & uos mihi populus, & ego uobis Deus ero, ut præstem quod maiorib. uestris iureiurando promisi, daturum me eis lacte melleq; scatentem terram, ut perspicuum est. Et ego respondens: Ita esto, inquam, Ioua. Et Ioua: Pronuncia (inquit me alloquens) hæc omnia uerba in oppidis Iudææ, per'que uicos Hierosolymæ, ita dicens: Obedite eius fœderis dictis, eaq; exequimini. Cum enim ego maiores uestros, ad hunc usq; diem, ex quo eos ex Aegypto eduxi, uigilanter monere perseuerauerim, ut mihi dicto audientes essent, non obediuerunt, nec aurem præbuerūt, sed sui quisque animi perditæ libidini obsecuti sunt. Itaq; ego inuexi eis omnia in illo fœdere contenta, quoniam quod à me iussi erant facere, non fecissent. Deprehensa coniuratio est (inquit alloquens me Ioua) in Iudæis & Hierosolymitanis: redierunt ad priscorum maiorum suorum uitia, qui meis dictis obtemperare recusarunt, secutiq; sunt alienos deos colendi gratia: uiolarunt Israelitica Iudæaq; domus fœdus, quod ego cum eorum maioribus percusseram. Itaq; sic dicit Ioua: Ego in eos malum inueham, ex quo emergere non poterunt, nec eos inuocantes exaudiam, ibuntq; Iudęæ ciuitates & Hierosolymitani inuocatū eos, quibus suffiunt, deos qui eos periculoso eorum tempore C nō tuebuntur. Nam quot habetis oppida Iudęi, tot habetis deos: quot sunt Hierosolymæ compita, tot pudendas aras posuistis, aras ad suffiendum Baali. Tu uerò noli pro isto orare populo, aut oratione precibus'ue uti: nec enim exaudiam tum cum inuocabunt me suis in malis.

Suprà 2. f. Infrà 14. b.

Quid meo dilecto est in templo meo, cum ea tot cōmittat flagitia? facessant à te sacræ carnes, quæ malefaciendo exultes. Pulchrè frondentē, decenterq; fructuosam oleam te nominauit Ioua, cuius folia magno sonitus strepitu cōburet ignis, cuiusq; rami frangentur. Atq; idem qui te plantauit Ioua armipotens, in te malum decernit, ob Israeliticæ Iudææq; domus scelus, quo cōmittendo me irritarunt, dum Baali suffiunt. Ego uerò ostendente mōstranteq; Ioua, noui mores eorum. D Atq; equidē similis eram gregalis ouis, quæ ad cędem ducitur, nec intelligebam eos in me talia moliri. a Corrūpamus arborem cum suo cibo, eumq; ex uiuentium terris excindamus, ne nomē eius memoretur amplius. At ô armipotēs Ioua, iuste iudex, renū cordisq; explorator, uidebo tuā de illis ultionē, quando quidē tibi meā patefeci causam. Itaq; sic dicit Ioua in Anathothenses, qui tibi necem machinantur, uetantes te Iouæ nomine uaticinari, nisi uelis manib. eorū mori: sic inquā dicit armipotēs Ioua: En ego sic in eos animaduertā, ut eorū & iuuenes ferro, & filij filiæq; fame moriant̄, nec ex eis supersint reliquiæ: tantum mali importabo Anathothensibus anno eorum supplicij.

a. Ieremiā interficiamus, ut pereant eius actiones. Cibum arboris uocant fructum. Infrà 7. b. 20. c.

CAPVT XII.

QVanquā iustus es, Ioua, si tecum contendam, tamen iure tecum experiar. Cur ita prospera est impiorum uia? cur fortunati sunt omnes perfidiosi, & à te plantati, radices agunt, proficiētesq; fructū edunt? cumq; tu in eorū ore adsis, abes à renibus? Tu uerò, Ioua, qui me nosti & perspicis, animumq; meū exploratū habes, abripe eos, tanquam oues, ad cædem, & necis diei destina. Quousq; lugebit terra, & omnis agri arebit herba, ob incolarū scelus quadrupedibus uolucribusq; consumptis? quoniam

Iob 21. a. Habac. 1. a.

negant

negant me uisurum esse ipsorum [a] exitum. [b] Si cum peditibus currens, defatigaris ab eis, quo pacto cum equitib. certabis? & si istud tibi in [c] pacato solo, in quo securus es, accidit, quid in Iordanis [d] fastigio facies? Nam tui etiam fratres pater naq; familia, te ipsi quoq; produnt, te pleno clamore insectantes, quibus noli credere, quamuis te comiter alloquantur. Deserui meam domum, dereliqui meum patrimonium, addixi id quod erat animo meo charissimum, eius hostium manibus. Est mihi meum patrimonium quasi leo syluestris, me sua uoce persequens, ideoq; ego id odi. [e] Habeóne tale patrimonium, qualis est uersicolor ales? est'ne alitibus circundatum? agite, congregentur omnes agrestes bestiæ, uenite ad epulandum. Multi pauores corrupere meam uineam, proculcauere meum fundum, meum elegantem fundum in uastam redegere solitudinem. Is in uastam redactus uastitatem luget apud me: uastata est tota regio, quod nemo hoc in animum demittit. Omnia saltuum cacumina peruadunt depopulatores, Iouę gladio regionem ab extremo ad extremum conficiente, ita ut nihil mortale pacem habeat. Triticum seminarunt, & spinas metunt: inutilia possident, eosq; suorum [f] pudet prouentuum, ob acrem Iouæ iram. Sic minatur Ioua meis omnibus malis uicinis, ad quos pertinet patrimonium, quod ipse suis dedit Israelitis possidendum. Ego & eos ex sua terra, et Iudæam domum ex medio eorum euellam: ac postquam eos auulsero, miserabor eos, recóciliatus, & in suum quenq; patrimonium terramq; reuocabo. Quòd si meorum mores sic instituerint, ut meum uiuentis Iouæ nomen iurent, quemadmodum eos Baalem iurare docuerunt, extruentur inter meos. Sin non obtemperauerint, eam ego gentem perdam funditus, inquit Ioua.

a. supplicium, sicut minari soleo, ut cap. 11. hoc est putant se impunè peccare.
b. Si te fatigant Anathotenses quid faciét Hierosolymitani?
c. patria tua.
d. montibus, in quibus sunt leones. ut est cap. 49.
hoc est Hierosolymæ.
e. Mea patria, sic infestatur à multis, ut nouctua ab auibus.
f. habés minimos prouentus.

B

C

D

CAPUT XIII.

Sic mihi dixit Ioua: I comparatum cinctum lineum, idq; tuis lateribus accommodato, et ne in aquam immittito. Igitur ego cinctum ex Iouæ mandato comparaui, & meis lateribus accommodaui. Et Ioua mecum iteratò locutus est: Sume, inquit, cinctum, quem comparasti, quem habes in lateribus, & ad Euphratem profectus, eum ibi in cauo rupis abscondito. Itaque iui, eúmque ad Euphratem abscondi, quemadmodum mihi Ioua præceperat. Deinde multo pòst tempore, sic me Ioua alloquitur: Age, i ad Euphratem, & illinc sumito cinctum, quem ego te illic occultare iussi. Ego ad Euphratem profectus, cinctum ex eo loco effodi, in quo eum abdideram, quem quidem cinctum ita corruptum offendi, ut ad nullam rem esset idoneus. Et Ioua me alloquens: Sic dicit Ioua (inquit) sic ego tantum Iudææ Hierosolymæq; fastum corrumpam, efficiam'que ut homines isti mali, qui meis dictis obtemperare recusantes, animi sui prauitati obsequuntur, alienos sequentes deos colendi adorandiq; causa, similes sint istius cinctus qui ad nihil est idoneus. Vt enim adhæret cinctus lateribus hominis, sic ego mihi applicaueram omnem Israeliticam Iudæamq; domum (inquit Ioua) ut mihi populus, & famæ, & laudi, decori'que essent, nec obtemperarunt. Itaque hanc rem eis dices: Sic dicit Ioua Deus Israelitarum: Omnis lagena impletur uini. Atque illi tibi dicent: Quasi nesciamus, omnem lagenam impleri uini. Et tu eis dices: Sic dicit Ioua, En ego omnes istius incolas terræ, & reges qui pro Dauide sedent in eius solio, & sacerdotes, & uates, omnes'que Hierosolymitanos, ebrietatis implebo, eos'que inter sese collidam, parentes simul & liberos (inquit Ioua) nihil neque parcens, neque temperans, neque miserescens, quo minus eos perdam. Audite & auscultate sine arrogantia, quandoquidem Ioua loquitur: tribuite Iouæ Deo uestro gloriam, antequàm contenebret, & antequàm offendant in caliginosis montibus pedes uestri, speratam'que uobis lucem ipse in feralem terram'que uertat & redigat caliginem. Cui rei nisi obtemperaueritis, [a] flebo ego in occulto istam superbiam, & lachrymabundi demittent oculi mei lachrymas, abacto Iouæ grege. Dic regi & reginæ: Degite humiliter: nam uestri capitis ornamentum, uestri corona decoris, descendet. Australes urbes clauduntur, aperiente nullo abacta Iudæa, abacta penitus uniuersa. Attollite oculos, & aspicite uenientes à septentrionibus. Vbinam est traditus tibi grex? tui decoris oues? Quid dices, cum in te animaduertet? que illos contra teipsam docueris duces esse præcipuos: nónne te dolores inuadent, quales parturientem fœminam? Quòd si cogitaueris cum animo tuo curnam tibi ista acciderint: ob tui criminis magnitudinem [b] tui calces diductis tuis sinibus, detecti sunt. Si mutabit Aethiops suam cutem, aut pardus maculas, & uos rectè facere poteritis, edocti malè facere. Itaque uos ego dissipabo, tanquam actas syluestri uento stipulas. Hæc tibi sors conditionis à me admetienda est, inquit Ioua, quæ oblita mei confidis falsis. Ego quoque sinus tuos in faciem tuam subducam, ut appareant tua uerenda. Tua adulteria, hinnitus, flagitiosam in collibus sub dio luxuriam, tua scelera uideo: hei tibi Hierosolyma: deinceps aliquandiu non purgaberis.

C

a. dabitis superbiæ pœnas, id quod mihi Ieremiæ dolebit.
Thren. 1.

D

Infrà 30. c
b. fœdo affecta supplicio es, ut si meretrici, subductis uestis finibus, detegãtur ad ignominiam obscœna.

CAPUT XIIII.

Iouæ sermo habitus ad Ieremiam super siccitate.

Lvget Iudæa, excisæ'que eius portæ, humi pullatæ iacent, & exorto Hierosolymitanorum clamore, nobiles eorum miserunt suos minores ad aquam: qui ad conceptacula profecti, non inuenta aqua, inanibus uasis reuertuntur, tanto pudore erubescentes, ut sibi caput operiant. Quoniam uitiata tellus est, carente terra pluuia, agricolæ præ pudore sibi caput operiunt. Quinetiam cerua ruri, quod peperit, deserit herbarum penuria: & onagri stantes in cacuminibus, auram more draconum ducunt, oculis herbæ defectu consumptis. Si nos uitia nostra accusant, Ioua, facito tui nominis gratia, quandoquidem dum nimis à bona fruge sumus

mus auersi, te offendimus. O Israelitarum spes, & seruator aduerso tempore, a cur sis quasi peregrinus in terra? quasique diuertens ad pernoctandum uiator? cur sis quasi uir somniculosus, quasi defendere non ualens miles? cum tamen sis inter nos Ioua à te denominatos. Ne destitue nos. Sic dicit his hominibus Ioua: Quoniam sic amant uagari, pedibus suis non temperantes, Ioua iam (cui non placent) eorum memor criminis, in eorum delicta animaduertet. Et Ioua mihi: Ne precare, inquit, pro hominum istorum utilitate, quorum ego ieiunantium orationem non exaudio, neque uictimis et ferto facientes mihi placent, quin eos armis, fame, peste'que conficiam. At ego: Ah Domine Ioua, inquam: tamen uates eos uel arma uisuros, uel famem passuros negant, sed te eis fidam hoc in loco daturum pacem. Et Ioua: Falso uaticinantur meo nomine uates (inquit mihi) non missione, non iussu, non mandato meo, falsas præsensiones, diuinationes, futilia, animi'que sui fallaciam uaticinantes uobis. Itaque sic minatur uatibus Ioua, qui à me non missi, meo nomine uaticinantur, negantes regionem istam armis aut fame infestandam. Et ipsi uates armis fameque conficientur, & homines, quibus uaticinantur, præ fame armisque per Hierosolymæ uicos iacebunt, carentes sepultore, tum ipsi, tum eorum uxores, atque liberi, eosque ego suo scelere perfundam. Dices autem eis hanc rem: Profundet oculi mei noctes diesque lachrymas indesinenter, quippe ingenti calamitate fracta uirgine puella mei populi, uulnere perquam atroci. Si rus exeo, ecce ferro cæsos: sin urbem ingredior, ecce fame languentes: & uatibus, & sacerdotibus in ignotam sibi terram profectis. Iudæámne repudiasti? aut animo Sionem respuis? cur ita nos uulnerasti, ut remedio careamus? salutem sperantes, nihil boni consequamur? pro'que expectato medicinæ tempore, sit pernicies? Agnoscimus ô Ioua, impietatem nostram, culpam auitam, qui aduersum te peccauerimus. Ne detestare, (tui nominis gratia) ne demolire tuæ solium gloriæ: memento ut quod tibi nobiscum fœdus intercedit, non soluas. Nunquid sunt in cæterarum gentium b uanitatibus qui pluant, efficiantque ut cœlum det imbres? nonne tu is es, Ioua Deus noster, in quo horum omnium autore spem habemus?

a. cur adeò B auersus es, ut nos non magis cures, quàm si nulla nobiscum necessitudine coniunctus esses?

Supra 7.c

Infrà 23.d 27.b 29.c

C

Thren. 1.f 2.f

D

Supra 8.c

b. uanis dijs.

CAPVT XV.

AT Ioua mihi dixit: Etiamsi coram me staret Moses & Samuel, non essent homines isti mihi cordi: apage ex meo conspectu, abeant. Quòd si tibi dixerint, Quò abeamus? dices eis: Sic dicit Ioua: Partim ad lethum, partim ad ferrũ, partim ad famem, partim ad captiuitatem, in eosque quatuor pœnarum generibus animaduertam, inquit Ioua, ferro, necando: canibus, laniando: & aereis auibus, terrestribusque beluis, uorando atque corrumpendo: efficiam'que ut per omnia orbis regna iactentur, ob Manassis Ezechiæ filij, Iudææ regis, facinus, quod commisit Hierosolymis. Quis enim tibi parcat, Hierosolyma? quis tua causa condolescat? quis tibi a pacem petere aggrediatur? Tu relicto me (inquit Ioua) retro abis: itaque afferam tibi manum, te'que corrumpam, b temperando defessus, & eos uentilabro per terræ portas disijciam, orbans perdens'que meos à suis moribus non desciscentes. Efficiam ut sint eorum uiduæ marina numerosiores arena: adducam eis in c matrem sobolis, uastatorem in meridie, incutiens ei nec opinanti & urbem & subitam perniciem. Interit d septipara, animam exhalat: occidit e sol eius de die: pudet eam turpiter, & eorum reliquias hostili ferro obijciam, inquit Ioua. Hei mihi ô mater mea, quæ me hominem omnium mortalium rixis & litibus exponendum peperisti: qui f cum neque creditor sim, neque debitor, omnes mihi maledicunt. Enimuero (inquit Ioua) cæteroquin tibi bene erit, nisi quòd tibi malo aduerso'que tempore hostem impingam. g Scilicet ferro ferrum rodetur h septentrionale, aut æs? Vestras ego copias & facultates prædæ exponam, nullum ob precium, ob uestra tot peccata, quæ totis patent uestris finibus: uosque hostibus uestris in ignota uobis terra subijciam, quandoquidem incensus ira mea ignis incendet uos. Tu rem nosti, Ioua: memento mei, eamque mei curam habe, ut me à meis insectatoribus ulciscaris. Noli me a tua lentitudine tollere: cognosce me tua causa ferre ignominiam. Inuenta tua dicta comedi, & tua dicta mihi fuere lætitiæ, & animi uoluptati, quoniam à tuo nomine censeor, Ioua Deus armipotens. Nõ ego in derisorum concilio exultans dego: ob tuam manum seorsum dego, quoniam tu me sæuitia repleuisti. Cur in dolore sum continuo? adeo'que sæuum nulnus habeo, ut sanari renuat? dum b tu mihi, sicut infidelis aqua, quasi fallax es. Ergo sic dicit Ioua: Si redieris, reconciliabo te, c appariturum mihi: & si d preciosum à uili discernes, eris quasi meum os: redibunt illi ad te, neque tu redibis ad eos, efficiamque ut sis hominibus istis murus aheneus, adeò munitus, ut te oppugnantes non uincant, quippe cui ego conseruator & liberator adero, inquit Ioua, teque ex malorum & inhumanorum manu & potestate conseruabo atque uindicabo.

Ezech. 11.b

4. Reg. 21.a

4. Reg. 21.a

a. salutem.

b à pœnis me continendo.

B

c. Hierosolymam.

d. fœcũda.

Amos 8.c

e. lætæ res.

C

f. cum similitibus alienus.

g. Cum te ferreum æneumq; fecerim, tibi noceri non potest. Vide finem capitis.

h. quod ex septentrione importetur, hoc est durissimũ.

Deu. 32.c

D

Rom. 10.d

a. hostium pœnas differẽdo, qui mihi perniciẽ moliuntur.

b. speratũ à te auxilium non adipiscor, ut si quis speratam in fonte aquã nõ inueniat.

c. ministraturum.

d. prudens eris.

CAPVT XVI.

ITem mecum Ioua locutus est his uerbis: Vxorem ne ducito, néue filios aut filias habeto in isto loco. Sic enim dicit Ioua de filijs & filiabus qui in isto loco nascẽtur, deque matribus eos parituris, & de patribus eos genituris in ista terra. Tristi morte occumbent, & indefleti atque insepulti, terræ solum stercorabunt, ferro'que & fame confecti, cœlestes uolucres, bestiasque terrestres suo pascent cadauere. Nam sic dicit Ioua: Ne domum a parentalium ingredere, néue ad lugendum ito, néue de illis deleto. Nam auferam meã pacem ab istis hominibus (inquit Ioua) clementiam, ac misericordiam, morienturque magni iuxtà ac parui in terra ista, neque sepelientur, neque compungendis glabrandísue corporibus lugebuntur, neque panis in luctu distribuetur ad quempiam

a. in qua fiunt parentalia, hoc est funebre conuiuiũ.

B quempiam de morte alterius consolandum, neque poculo inuitabuntur consolatorio in paterno maternoue funere. Igitur in domum cōpotationis ne intrato, ut cum eis accumbas sumendi cibi potionisque gratia. Sic enim dicit armipotens Ioua, Deus Israelitarum: Ego uobis uidentibus, uestroque tempore, efficiam ut in isto loco neque uoluptas aut gaudium, neque sponsus audiatur aut sponsa. Cum autem illis hęc omnia renunciaueris, interrogatus ab eis quamobren in eos Ioua haec tot tanta mala decreuerit, aut quod sit ipsorum crimen, aut commissum in Iouam ipsorum Deum peccatum, dices eis: Quoniam maiores uestri, relicto me (inquit Ioua) deos alienos secuti coluerunt, atque adorarunt, meque relicto, meam legem non seruarunt, & ecce uos maiorum uestrorum praue facta superantes, sui quisque animi perditae improbitati obsequimini, ne mihi obediatis. Itaque exigam uos ex ista terra, in terrā & uobis & maioribus uestris ignotam, ubi dijs alienis dies noctesque seruiatis, me uobis nullam conciliantę gratiam. Ergo futurum est (inquit Ioua) ut non iam dicatur: Sic uiuat Ioua, qui Israelitas ex Aegyptia terra deportauit. Sed ita: Sic uiuat Ioua, qui Israelitas deportauit ex aquilonia terra, omnibusque terris, in quas eos profligauerat, eosque reducam in suam terrā, quam eorum dedi maioribus. Ego multis mandabo piscatoribus (inquit Ioua) ut piscentur eos: deinde multis mandabo uenatoribus, ut eos ex omnibus montibus, collibus, antrisque rupiū, uenentur. Veruntamen cum oculos in eorum D uias omnes sic habeam intentos, ut me non lateant, nec eorum crimen meos subterfugiat oculos, pensabo prius duplo eorum crimen atque peccatum, qui [b] flagitiorum suorum cadauere terram meam polluerint, suisque sceleribus meam possessionem repleuerint. O Ioua mea potētia, meum firmamentum, meum aduerso tempore perfugium: ad te gentes conuenient ab ultimis terris, & ita dicent: Nae falsa possedere maiores nostri, uana & inutilia. Hominémne sibi facere deos, qui dij non sint? Itaque ego nunc eis meam manum atque uirtutem ostendam, ac demonstrabo, scientque meum nomen esse Ioua.

Suprà 5.c — C — Suprà 7.f — Infrà 23.b — Suprà 15.

b. foedis suis dijs.

CAPVT XVII.

IVdaeorum peccatum stylo scriptum ferreo, & adamantina cuspide exaratum est in eorum cordis tabula, altariumque cornibus: qui [a] quantum suos filios suas recolunt aras, & frondentes arboribus, lucos editisque collibus impositos. Meus mons complanabitur: uestras ego copias & facultates omnes praedae obijciam, sacella uestra, ob peccatum quod totis uestris finibus patet, uosque istinc ex patrimonio uestro uobis à me dato deturbatos, subijciam uestris hostibus, in terra uobis ignota, quandoquidem uos arsurum perpetuo ignem ira mea incendistis. Sic dicit Ioua: Infelix est homo qui fidit homini, & sibi collocat in carne praesidium, à Ioua suum remouens animum. Hic incultae myricae similis est, quae boni aduentum nullum sentit, horridè posita in syluestri [b] salsa terra, non durat. Felix homo qui Ioua fretus, habet in Ioua fiduciam. Is arboris est similis ad aquam satae, suasque radices porrigentis ad riuum, quae aestus aduentum non sentit, sed frondosa folijs, secura siccitatis anni, fructum suum edere non intermittit. Cum omnium malitiosissimum saeuissimumque sit cor, quis id cognoscat? ego Ioua & cor perscrutor, & renes exploro, pro suis cuiusque factis, & ut cuiusque moribus dignum est, soluturus. Qualis perdix fouet quod non peperit, talis est qui diuitias non iure comparat, eas media relicturus aetate, & ad extremum futurus insanus. Gloriosum solium sublimitatis antiquae, est locus nostri sacrarij. O Israelitarum spes Ioua, quicunque te reiinquunt, pudore afficientur, & defectores [c] inscribentur terrae, qui perennis aquae fontem Iouam reliquerint. Sana me Ioua, & sanus ero: serua me, & saluus ero, tu qui mea laudatio es. illi quidem sic ex me quaerunt: Vbi est Iouae praedictio? eueniat sanè. C Atqui non ego, te sequens, incommodare conor, neque saeuam diem cupio: tute scis: quod ego pronuncio, id tibi in conspectu est. Ne mihi sis formidini, tu qui mea fiducia es temporibus malis. Frustrentur insectatores mei, neque frustrer ego: paueant illi, neque paueam ego: inuehe illis tempus malum, eosque duplici clade frangito: Sic mihi dixit Ioua: I, & sta in porta plebis, per quam Iudaeae reges ingrediuntur & egrediuntur, inque omnibus portis Hierosolymae, atque ita eis dicito: Audite Iouae dictum, Iudaeae reges, omnesque Iudaei, & omnes Hierolymae habitatores, qui per has portas ingredimini. Sic dicit Ioua: Cauete, si uestram salutem amatis, ne onera tollatis die Sabbathi, aut per Hierosolymae portas feratis, néue onera ex aedibus D uestris efferatis die Sabbathi, aut ullum opus faciatis, sed Sabbathi diem sanctè agatis, ut ego praecepi uestris maioribus, qui sanè non obediuerunt, neque aurem praebuerunt, sed obfirmauere ceruicem, ne obtemperarent, aut disciplinam admitterent. Quòd si mihi in eo obediueritis (inquit Ioua) ut onera per huius urbis portas non inferatis die Sabbathi, utque diem Sabbathi ita sanctè agatis, ne in eo ullum opus faciatis, [d] ingredientur per huius urbis portas reges & principes, qui in solio Dauidis sedent, curribus & equis insidentes, tum ipsi, tum ipsorum proceres Iudaei & Hierosolymitani, habitabiturque haec urbs in perpetuum, uenientque ex Iudaeae ciuitatibus, ex Hierosolymorum finitimis, ex Beniamitide, ex demissis montanisque locis, & meridie, qui uictimas, qui sacrificia, qui fertum, qui thus afferant, & gratiarum actionem in aedem Iouae inferant. Sin autem mihi non obediueritis, diem Sabathi sanctè agendo, & onera die Sabathi non gestando, aut per Hierosolymę portas ingrediendo, incendam igne portas Hierosolymae, qui eius arces consumat inextinctus.

a. non minus amant aras, quàm solent amari liberi.

Infrà 48.a

b. sterili. Psal. 1.a — B

Apoc. 2.f Psal. 7.c 1.Re. 16.b

c. in terram redibunt, hoc est, morientur.

d. salua manebit urbs, & regnum.

CAPVT

CAPVT XVIII.

Sermo qui ad Ieremiam habitus est à Ioua his uerbis.

AGè, descende in domum figuli, et ego illic tibi mea dicta nũciabo. Igitur ego degressus in domũ figuli, eum offendi opus facientem in rotis. Cũq; in figuli manu corruptũ esset uas, quod ex creta faciebat, iterauit, & ex eo uas fecit aliud ut ei uisum est. *Rom. 9.d* Tum mecũ Ioua sic uerba fecit: Scilicet ego non possim uobis facere ut figulus iste? domus Israelitica, inquit Ioua: qui quidem quod est in figuli manu creta, id estis in mea manu domus Israelitica. *Ezech. 32* Verbi gratia: minabor alicui genti aut regno euersionẽ, excidiũ, interitum: *Esa. 45.b* si ea gens, cui minatus fuero, sese à suis sceleribus retraxerit, *Suprà 1.b* ego quoq; malo temperabo, quo eam afficere cogitaueram. B Rursum exempli causa, promittam alicui genti aut regno, constructionem ac stabilitatem: si me offenderit, meis dictis non obtemperando, ego quoq; bono temperabo, quod ei conferre statueram. Quapropter age, refer Iudæis et Hierosolymitanis hęc uerba: *Ionæ 3.d* Sic dicit Ioua: En ego malum in uos molior, *Inf. 25.b 35.c* & quiddam cogito: retrahite uos à sua quisq; uitiosa cõsuetudine, uestrasq; consuetudines & mores corrigite. Minimè uero (inquiunt) quin cogitationes nostras sequemur, et sui quisq; animi prauę obsequemur improbitati. Itaq; sic dicit Ioua: Cõquirite sanè per gentes, ecquis talia audiuerit, quę improbè fecit uirgo Israel. Niuémne relinqui subdialis rupis Libani? aut omitti [a] recentem gelidam manantem aquã? *a. iugem.* C Atqui obliti me mei, suffiunt rebus nihili, & in æternis uiarum suarũ orbitis impingunt, ambulantes per nõ tritę uię semitas, ut in uastitatem redacta tellus eorum, sibiletur æternum, dum quicũque præteribit eam, caput, stupefactus, quassabit. *Infrà 19.c 49.c 50.c* Eos ego, euro actos, hosti profligabo, ceruicem ei, non frontem ostendens, tum cum interibunt. Illi uero ita dicũt: Adeste, cõminiscamur aliquid in Ieremiam: nam neque sacerdoti lex, neque sapienti consilium, neque uati deest oraculum: [b] est nobis feriendus in lingua, nec est eius loquacitas attendenda. *b. hoc est eum occidamus, ut loqui desinat.* Attende me Ioua, & audi meorum aduersariorum uocẽ. Itáne uerò pro bono rependitur malum, ut mihi cauent foueam? Memento me ante te stetisse, ut eorum utilitati consulerem, D auertendo ab eis tuam bilem. Ergo expone eorũ natos fami, eos'que armis sic uexa, ut eorũ & mulieres orbentur, uiduentur'que, & uiri mortem oppetant, & iuuenes in pugna armis occumbãt. Audiatur ex eorum domibus clamor, adductis in eos à te militibus ex improuiso, quoniam foueam ad me capiendum cauant, meisq; pedibus laqueos abscondunt. Tu uerò Ioua, qui omne eorum de mea nece consilium nosti, ne ignosce eorum crimini, néue eorum peccatum ex tuo conspectu obliterato, quin coràm offendant, dum tu eos, tum cum irascẽris, ita tractabis.

CAPVT XIX.

SIc mandauit Ioua: I comparatum testaceam fideliam à figulo, & assumptis ex populi sacerdotúmque senatoribus, exito in uallem filij Hennomi, quę est ante portam lateritiam, & ibi uerba, quæ ego tibi dicam, pronunciato, atq; ita dicito: Audite Iouæ dicta. Iudææ reges & Hierosolymitani. Sic dicit armipotens Ioua, Deus Israelitarum: Ego eiusmodi malum in hunc locum inueham, ut quisquis id audiuerit, auribus reddatur attonitus: quoniam relicto me, locum istum abalienarunt, suffientes in eo dijs alienis, quos nec ipsi, nec eorum maiores, aut Iudææ reges, nouerãt, eumq; locũ sanguine repleuerũt innocentũ, B extructis Baali sacellis, ad liberos suos igni cremandos, Baali uictimas, quod ego non iussi, neque mandaui, neque mihi uenit in mentem. Itaque tempus erit (inquit Ioua) cum non iam uocabitur locus iste Topheth, aut uallis filij Hennomi, sed uallis occidionis. Rescindámque Iudæorum & Hierosolymitanorum consilium in isto loco, & eos armis, ipsorum hostibus, & per eorum necis cupidos deijciam, atq; eorum cadauera auibus aereis bestijsq; terrestribus obijciam uoranda. Redigamq; urbem istam in sibilandam solitudinem, *Suprà 18.c Infra 49.c 50.c* ita ut quicunq; præter eam transibit, stupefactus ad tot eius clades, sibilet, C & eos suorum filiorum filiarumq; carne pascam, ita ut alij aliorũ carnem comedant præ angustia & necessitate, qua eos prement hostes, & eis necem molientes. Franges autem fideliam spectantibus tuis comitibus, & eis ita dices: Sic dicit armipotens Ioua: Sic ego istum populum urbem'que frangam, ut frangitur fictile uas, irremediabili modo, & in Tophetho sepelientur, deficiente ad sepulturam loco. Sic ego isti loco faciam (inquit Ioua) & eius incolis, reddam'que urbem istam similem Tophethi, D ita ut sint Hierosolymæ regumq; Iudææ domus, qualis est Tophethi locus, impuræ scilicet, in quarũcunq; domorum tectis suffiuerunt omnibus copijs cœlestibus, uinaq; alienis libauere dijs. Reuersus autem ex Tophetho Ieremias, quò eum Ioua miserat ad uaticinandũ, stetit in atrio ædis Iouæ, & omnem populum sic allocutus est: Sic dicit armipotens Ioua Deus Israelitarum: Ego sum in urbem istam, inq; omnia eius municipia, importaturus quicquid ei mali minatus sum, quoniam obfirmauere ceruices suas, ne meis dictis obtemperarent.

CAPVT XX.

HAs res uaticinantem Ieremiam cum audiuisset Phassur Emmeris filius pontifex, qui Iouani templi administrationem gerebat, Ieremiam uatem uerberauit, & in carcerem coniecit, qui carcer erat ad portam Beniamiticam superiorem, positam secundum Iouæ ædem. Deinde eum postridie produxit ex carcere. Et Ieremias sic eum allocutus est: Non Phassurem nominat te Ioua, sed Omniterriũ. Etenim sic dicit Ioua: B Ego & tibi & tuis omnibus amicis terrorem incutiam, efficiamq; ut cadant hostium suorum armis, tuis spectantibus oculis, & Iudæos omnes Babylonio regi in manum tradam, qui eos in Babyloniam deportet, trucidétque ferro, & omnes istius urbis opes, omnia labore parta, omnia precio-

preciosa, omnes regum Iudææ facultates hostibus eorum in manum tradam, qui direpta captaque in Babyloniam asportent. Tu uerò Phassur omnesque tui domestici, abibitis captiui, & in Babyloniam uenies, ibique morieris, ac sepelieris, tuque tuique omnes amici, quibus falsò ua- *a. uide marginē ca. 15. paulo ante finem.* ticinatus es.a Decepisti me Ioua, deceptumque tenes ac uincis, qui cotidianæ sim derisioni, omnibus mihi illudentibus. Nā quādocunque uerbis quiritans, iniustitiæ & sæuitiæ occlamito, sunt mihi Iouæ dicta quotidiano probro ac ignominiæ. Sin te deinceps non commemorare, neque tuo nomine loqui cogito, est mihi in corde quasi ardens ignis, in meis cōclusus artubus, quē laborās cōtinere nequeā. Etenim mul- C torum probra audio, terrore circunsessus: comminiscendum est crimen aliquod quo eum accusemus (inquiūt omnes qui mihi pacati sunt, *Infra 23.g* meā occupantes ruinā) si fortè eum deceptum uincere possimus, & de eo pœnas capere. At Ioua mihi quasi ferox miles adest, ideoque cadēt infesti mei, neque uincent, adeoque non succedet eis, ut pudore uehementi infamiaque afficiantur *Supra 11.d* æterna, ac nunquam obliteranda. O' armipotens Ioua, qui iustos probas, renes cordaque perspiciēs, uidebo tuam de illis ultionē, quoniam tibi meam patefeci causam. Canite Iouam, collaudate Iouam, qui pauperis uitam liberet ex *Iob 3.a* manu nocentiū. Infelix meus dies natalis: dies quo mea me peperit mater ne sit felix. Infelix homo qui meo patri nunciauit ei natum esse filium marem, afficiens eum lætitia. Sit is homo similis urbiū quas Ioua immisericorditer euer- *b. scilicet pereuntiū* tit, audiatque & b clamorem mane, & quiritatum meridiano tempore, quod me non necaueris ab utero, ut esset mihi mea mater sepulchrum, & eius uterus grauiditas perpetua. Cur tandem ex utero exiui, ut laborem & ægrimoniam uiderem, & ætatem finirem turpiter?

CAPUT XXI.

Sermo qui habitus est ad Ieremiam à Ioua, cum misisset ad eum rex Sedecias Phassurē Melchiæ & Sophoniam Maaseiæ filium pontificē, cum hoc mandato: Consule quæso de nobis Iouā, quos Nabuchodonosor Babyloniæ rex oppugnat, si fortè perficiat nobis Ioua, quēadmodum tot eius miraculis dignū est, ut ille à nobis discedat. Quibus Ieremias: Sic Sedeciæ dicetis, inquit. Sic dicit armipotens Ioua Deus Israelitarū: Ego retundā tela bellica, quæ uos habetis in manu, quibus pugnatis cum Ba- B byloniæ rege & Chaldæis uos extra muros obsidentibus, illosque in mediā istam urbē cōgregabo, & ipse porrecta manu, ualido lacerto iratissimè, ardētissimè, atrocissimè uobis repugnabo, & istius urbis incolas & homines & bestias magna percussos lue negabo. Deinde (inquit Ioua) Sedeciam Iudææ regem, Sedecianosque, & plebem, & qui in ista urbe ex lue, ex ferro, ex fame restabunt, tradam in manū Nabuchodonosoris Babyloniæ regis, & hostium ipsorum, eorumque necem cupientiū, qui eos sine ulla uenia, sine continētia, sine misericordia ferro trucidet. *Infra 38.a* Isti autē populo dices: Sic dicit Ioua: E- C go uobis uitæ mortisque uiā propono. Qui in ista urbe māserit, is ferro, fame, peste morietur: qui uerò egressus ad Chaldæos (qui uos obsident) transfugerit, uiuet, uitęque suę consulet. Etenim ego uultū ad istius urbis nō utilitatē, sed perniciē conieci, inquit Ioua: efficiamque ut ea ueniat in Babyloniæ regis potestatē, qui eam igni cōburet. Quod itē ad familiā regis Iudææ *Infra 22.a* attinet, audite quid Ioua dicat, Dauidica fami- D lia. Sic dicit Ioua: Agite maturè causas, & oppressos ab iniuriosis defendite, ne mea bilis erumpat ut ignis, & ardeat inextincta, ob morū uestrorum prauitatem. En tibi me, uallis incolarum campestris rupis (inquit Ioua) qui dicitis: Quis in nos impressionem faciet? aut quis nostras mansiones inuadet? Ego uerò in uos, ut merentur uestri mores, animaduertam (inquit Ioua) & c istius syluam igne incendam, qui omnia circa eam comburat. *c. Hierosolymæ.*

CAPUT XXII.

Sic mihi mandauit Ioua: Descende in domū regis Iudææ, & illic hanc rem eloquere, ita dicens: Audi Iouæ mandatum, Iudææ rex, qui in Dauidis solio sedes, tu tuique stipatores, & homines qui per has ingrediuntur portas. *Supra 21.d* Sic dicit Ioua: Facite ius & æquum, & oppressos à calumniatorū iniuria liberate, néue peregrinos, pupillos, uiduas premite: ne sæuite, insontē sanguinem ne fundite in isto loco. Nā si hanc rem feceritis, ingredientur per istius domus portas B qui in Dauidis solio pro ipso sedēt reges, curri- *Deut 29.d 3.Reg.9.b.* bus & equis insidentes, unà cum suis seruis atque populo. Sin his uerbis nō obedieritis, per me iuro (inquit Ioua) domū istam fore desertam. Sic enim minatur Ioua domui Iudęæ regis. Tu mihi Galaadus es, ô Libani caput, ni ego te redigam in solitudinem urbium nō habitatarum, & aduersum te destinabo armatos telis depopulatores, qui lectissima quæque cedrorū tuorum excindant, & in ignem coniiciant. Ac inter sese percontantibus qui præter istam urbē frequentes transibunt hominibus, quare sic tractauerit C istam tantā urbem Ioua, respōdebitur, quoniā illi omisso Iouæ Dei sui fœdere, deos uenerati sint alienos, eisque seruierint. Ne deplorate mortuum, aut eius uicē dolete: deplorate discedentem, qui iam nō sit reuersurus, & suam uisurus patriā. Etenim sic dicit Ioua de Sellumo Iosiæ Iudææ regis filio, regnante pro Iosia patre suo, qui ex loco isto migrauit: Nō redibit istuc amplius: nam quē in locum exul abductus est, ibi *In Ioacimum.* morietur, neque terrā istam uidebit amplius. Væ qui domum suā iniustè, qui cœnacula ædificat D iniquè, utens aliorū opera gratis, nec eis soluēs *a. alta & uētis exposita.* præmiū. qui sibi spaciosas ędes, a perflabiliaque cœnacula extruere cogitat, & fenestras secat, cedroque tegit, & sinopide illinit. Tune ergo regnabis, ut tibi sit res cū cedris? Pater tuus nónne *b. satis locuples erat.* b habebat quod esset ac biberet? cumque ius e æquum faceret, ei bene erat, & inopum pauperum

rumq́; causas agenti bene erat: hoc nimirum est nosse me, inquit Ioua. At tu & oculos & mentē tuam non nisi ad quæstum tuum intendis, & ad insontem sanguinē hauriendum, iniquitatesq́; & uiolentiam exercēdam. Itaq; sic minatur Ioua Ioacimo Iosiæ filio, Iudææ regi. Nō plāgetur, c Heu frater, heu soror: non plangetur, Heu Domine, heu maiestas. Asini sepultura sepelietur, raptatus & proiectus extra portas Hierosolymæ. Cōscende Libanū, & quirita, & in Basana uocē ede, quiritans per regiones: nam fracti sunt omnes amatores tui. Cum ego te sospitem monerē, negasti te obtemperaturam. quæ tua est iam à teneris cōsuetudo mihi morē non gerendi. Omnes tuos pastores d pascet uentus, tuiq́; amatores captiui discedent, te tum ob tua tot scelera turpiter erubescente. Degis in Libano, nidulata in cedris, ô quàm futura gratiosa, cum tibi cruciatus uenient, qualis est parturientis dolor? Ita uiuā (inquit Ioua) ut etiam si esset Chonias Ioacimi Iudææ regis filius, mihi e anulus in manu dextera, inde te auellam, & tibi necem molientibus, eisq́; quos tu horres, & Nabuchodonosori Babyloniæ regi Chaldæisq́; in potestatem tradam: & te, & quæ te peperit matrem, in aliam terrā, in qua nati non estis, transferam, ibi morituros: nec in terram, quò redire feret animus, redituros. Contempta ne & cassa statua est homo iste Chonias? aut uas quod displiceat? ut transferat & ipse & eius progenies, & in ignotam sibi terram proijciantur? Terra terra, terra, audi Iouæ dictum. Sic dicit Ioua: f Scribatur homo iste orbus, uir infelicis æui, quippe cuius ex stirpe nemo sit eam felicitatē consecuturus, ut in Dauidis solio sedeat, aut deinceps imperet Iudææ.

E

c. nec à cognatis, nec à subditis lugebitur.

d. ad nihilū redigentur

F

e. charissimus & coniunctissimus.

G

f. quę scribuntur certa sūt. Certum est istū hominē orbare, &c.

CAPUT XXIII.

Ezech. 34. a

HEu pastores, qui meæ pastionis oues perditis atq; dissipatis, inquit Ioua. Itaque sic minatur Ioua Deus Israelitarū pastoribus meos pascentibus populares: Vos meas oues dispergitis atque profligatis, eas non curantes: ego in uos ingenij uestri prauitatē uindicabo (inquit Ioua) colligamq́; mearum ouium reliquas omnibus ex terris, quò eas profligauero, & in sua reducam stabula, fœtificabūtq́;, & multiplicabuntur, & in eas pastores suscitabo, qui eas ita pascant, ut deinceps neq; timeant aut terreantur, neq; a desiderentur, inquit Ioua. Futurum est (inquit Ioua) ut ego suscitem Dauidi iustam stirpē, qui rex regnet, & sapiat, & ius æquumq́; faciat in terris. Eius tēpore seruabitur Iudeus, degetq́; tutus Israelita. Vocabitur autē hoc nomine: Ioua iustitia nostra. Itaq; tempus erit (inquit Ioua) cum non iam dicetur: Sic uiuat Ioua qui deportauit Israelitas ex Aegypto: sed, Sic uiuat Ioua qui deportauit, quiq́; adduxit Israeliticæ domus progeniem ex aquilonari terra, exq́; omnibus terris, in quas ego eos profligauero, degentq́; in sua terra. b De uatibus mihi & cor in pectore rumpitur, & omnes artus uacillāt, similisq́; sum hominis ebrij, uiri uino turbati, ob Iouam eiusq́; sacra uerba. Nam adulteris referta terra est: nam ob periuria luget terra, erubescunt stationes saltuum, adeò malus est illorū cursus, & potestas iniqua. Si quidē tum uates, tum sacerdotes impuri sunt, eorumq́; scelus etiam c domi meæ deprehendi, inquit Ioua. Itaq; uiam habebūt tanquam lubricum in caligine locum, in qua uexati cadent, me eis inuehente malum, anno eorum supplicij, inquit Ioua. Et in Samaritanis uatibus absurditatem uideo, uaticinantibus per Baalem, Israelitasq́; meos in errorem inducentibus. Et in Hierosolymitanis uatibus fœditatem uideo, adulterantibus falsaq́; sectantibus, & d improborum manus corroborantibus, ne à sua quisq; prauitate desciscant. Sunt omnes mihi perinde ac Sodomitani, eiusq́; incola sicut Gomorrani. Item sic minatur armipotens Ioua uatibus: Ego eos & absinthio cibabo, & aqua potionabo fellea, quādoquidem à Herosolymitanis uatibus profecta est impuritas in totam regionē. Sic dicit armipotens Ioua: Nolite uerba audire uatum, uobis uaticinantium, qui uos frustra habent animi sui uisa, non meo Iouæ ore prolata, eloquentes. Qui meis cōtemptoribus dicūt Iouam eis pacem promittere, & omnibus animi sui peruersitati obsequentibus negāt euenturum malum. Quis enim adfuit in Iouæ consilio? eiusq́; dicta uidit & audiuit? quis eius orationem attendit & audiuit? En prodit excandescentis Iouæ procella, irruens procella in impiorum caput incūbet: Non cohibebitur ira Iouæ, quin animi sui cogitata fecerit, ac præstiterit, id quod uos olim consideratius cōsiderabitis. Ego non misi uates, & currunt: non affatus sum, & uaticinantur. Quòd si adfuerunt in meo consilio, nuncient mea dicta meis, eosq́; à sua praua uitę uia morumq́; prauitate reuocent. Recēnsne Deus ego? inquit Ioua: ac non Deus e longinquus? Videlicet ita latebit in tenebris homo, ut ego eum non uideam? inquit Ioua: quasi uerò non ego cœlum terrámque compleam, inquit Ioua. Audio quid dicant uates, per meum nomen falsò ita uaticinantes. Somniaui, somniaui. Quousqué nam habebunt in animo uates, falsa animiq́; sui fallaciam uaticinari? qui cogitant meum populum in mei nominis obliuionem adducere suis somnijs, quæ narrant alius alij, quemadmodum obliti sunt meum nomen maiores eorū per Baalem. Qui uates somnium habet, somnium narret: qui autem dicta mea habet, dicta mea uerè narret: quid f stramini cum farre? inquit Ioua. Nónne sic sunt dicta mea, ut ignis, inquit Ioua, utq́; petrā diffindens malleus? Itaque ego minitor uatibus (inquit Ioua) qui mea dicta surripiunt alius alij. Ego minitor uatibus (inquit Ioua) qui g suis linguis utuntur ad inquiendum, inquit. Ego minitor falsa uaticinantibus somnia (inquit Ioua) narrātibusq́;, & meos mendacijs, ac temeritate sua decipientibus, quos cum ego nō miserim, nec id eis præceperim, nihil proderūt isti populo, inquit Ioua.

Infra 33. a
a. perdant.
Esa. 4. b. 40 c. 45. b
Ezech. 34. g
B
Dan. 9. g
Iohan. 1. g
Deut. 33. d
Suprà 16. c
b. ob uates

C
c. in tēplo
d improbos in improbitate confirmantibus.
Supra 9. c
D
Supra 14. e
E
Inf. 27. c 29. c
e. antiquus & cuius omnium rerum cognitio & maiestas uobis nota esse debeat.
F
f. uanitati cum ueritate? Plurimū differt inter falsa & uera.
g. dicunt illud, inquit Ioua.

Quod

h. minæ oraculum.

Quod si ex te istorum aliquis plebeius, aut uates, aut sacerdos, quæsiuerit, ecquæ sint Iouæ [h] minæ, dices eis: Quid minæ? cum ego sim sublaturus uos, inquit Ioua. G Quòd si quis uates aut sacerdos aut plebeius dixerit Iouæ minas, animaduertam in hominem illum, atque in eius domum. Sic inuicem dicetis inter uos: Quid respondit Ioua? aut quid locutus est Ioua? Iouæ quidem minas ne memorate amplius. Nam sua cuique uerba erunt minæ, dum uiuentis Dei, Iouæ armipotentis Dei nostri uerba inuertitis. Sic dicetis uati: Quid tibi respondit Ioua? aut quid elocutus est Ioua? Quòd si Iouæ minas dixeritis, idcirco sic dicit Ioua: Quoniam dicitis hoc uerbum, Iouæ minæ, cum ego mandauerim uobis ne Iouę minas diceretis, ideo ego uos tollam, & uos & urbem, quā uobis uestrisque dedi maioribus, auferam ex meo conspectu, & uos æterna ignominia, perpetuóque ac nunquam obliterando probro afficiam.

Supra 20.e

CAPVT XXIIII.

Ostendit mihi Ioua duas ficuum fiscellas ante Iouæ cellam positas, posteaquā Nabuchodonosor Babyloniæ rex Iechoniam Ioacimi Iudææ regis filiū, Iudææque principes, & fabros, & opifices, Hierosolymis captiuos in Babyloniam deportauit, quarum fiscellarū altera erat ficuum ualde bonarum, quales sunt primores ficus: altera ita malarum, ut comedi non possent. Et Ioua mihi dixit: Quid uides, Ieremia? B Ficus (inquam ego) quarum bonæ, ualde bonæ sunt: & malæ, ualde malæ, adeò, ut comedi non possint. Tum alloquens me Ioua: Sic dicit Ioua Deus Israelitarum, inquit: Vt ficus istæ bonæ sunt, sic ego exulum Iudæorū (quos istinc in Chaldæam terram misi) rationem habebo, in eosque conijciam oculum boni causa, & eos in terram istam reducam, instruamque, non C euertam: & plantabo, non eruam: & eam illis mentem dabo, ut me Iouam esse intelligant, & ipsi mihi populus, & ego eis sim Deus, cum ad me toto corde reuerterint. Rursum quales sunt malæ ficus, ita malæ ut comedi non possint, tales ego reddam (inquit Ioua) Sedeciam Iudææ regem, principesque, & reliquos Hierosolymitanorū, qui in terra ista supersunt, quique in D Aegypto degunt, eosque malè uexandos in omnia terrarum regna dabo, ita ut ignominiæ, dicterio, fabulæ, & detestationi sint, ubicunque locorum eos profligauero: in eosque arma, famem, pestem immittam, eousque ut omnino pereant ex terra, quam ego eis eorumque maioribus dedi.

Infra 21.d
Infra 29.d

CAPVT XXV.

Huius historiæ tempus cohæret cū capite 36.

Sermo qui ad Ieremiam habitus est ad omnem Iudæum populum, anno quarto Ioacimi Iosiæ filij, Iudææ regis, qui annus est primus Nabuchodonosoris Babyloniæ regis, cū quidem affatus est Ieremias uates omnem Iudæum populum, omnesque Hierosolymitanos in hunc modum: Ab anno Iosiæ, Amonis filij, Iudææ regis decimotertio, ad hodiernū diem, per hos uiginti tres annos, & Ioua me, & ego uos allocutus sum, & uigilanter allocutus sum, nec audiuistis, nec obediuistis, aut aures ad audiendum præbuistis, cum mitteret ad uos Ioua suos tot seruos uates, & quidem uigilanter, qui uos ita monerent: Desciscite à sua quisque mala consuetudine, morumque prauitate, & manebitis in terra, quam Ioua uobis uestrisque dedit maioribus, in omnem seculorū ęternitatem. B Neue alienos sequimini deos, seruiendi aut colendi causa, ne ego uestris actionibus irritatus, uobis malefaciam. Sed non audiuistis me (inquit Ioua) ut me uestris actionib. ad uobis malefaciendum irritaretis. Quare sic dicit armipotens Ioua: Quoniam uos mihi dicto audientes nō fuistis, ego curabo accersendas omnes aquilonares nationes (inquit Ioua) meumque Nabuchodonosorem Babyloniæ regem, quos in terram istā, inque omnes eius incolas, & in omnes istas finitimas gentes inueham, easque euertam, & in stupendam, sibilandam, perpetuā solitudinem redigam, C efficiamque ut in eis neque uoluptas aut lætitia, neque sponsus aut sponsa, neque molæ audiantur, aut lumen sit lucernæ. Atque ita omni ista terra in stupendam redacta solitudinē, seruient istę gentes Babylonio regi annos septuaginta. Deinde cōpletis annis septuaginta, uindicabo in Babyloniæ regē, inque gentem illam (inquit Ioua) eorum culpam, inque terram Chaldæam, & eam in perpetuam redigam uastitatem, & in terram illam importabo quicquid ei minatus sum, uidelicet quicquid in libro isto scriptū est, quo uaticinatus est Ieremias aduersum gentes omnes: quandoquidem & ipsæ seruierunt [a] eis: gentes multæ, magnique reges: itaque eis digna suis factis & actionibus rependam. D Sic enim mihi dixit Ioua Deus Israelitarū: Accipe de mea manu hoc tetri uini poculum, et eo potiona gentes omnes, ad quas ego te mitto, ut bibant, & inde commoueantur uel ad rabiem, ob arma quæ ego inter eos immittam. Igitur ego accepto de Iouæ manu poculo, gentes omnes potionaui, ad quas me Ioua miserat, uidelicet Hierosolymam, Iudææque ciuitates, atque reges, & principes, ut in stupendam sibilādamque & detestandam uastitatem redigerentur, ut res indicat. Item Pharaonem Aegypti regē, eiusque & seruos, & proceres, & omnē populum. Item omne promiscuum uulgus, omnesque reges terræ Husæ, & omnes Palæstinæ reges, Ascalonem, Gazā, Accaronē, Azotique reliquias, Idumæos, Moabitas, Ammonitas: omnes Tyrios, E Sidoniosque reges, & insulares, reges transmarinos, & Dedanem, Themam, Buzam, omnesque ultimas incolentes oras: omnes tum reliquæ Arabiæ reges, tum eos qui saltus incolunt: omnes Zambriorū, Elamitarūque reges: omnes Mediæ aquilonaresque reges, siue finitimos, siue alios ab alijs remotos, denique omnia quæcunque sunt in orbe regna. Rex autem [b] Sesac potabit post illos. Dices autem eis: Sic dicit armipotēs Ioua Deus Israelitarū: Potate, & inebriamini, & uomite, & cadite non surrecturi, propter ar-

4.Reg.17.d
Supra 18.e
Infra 35.e

Infra 29.e
2.Par.36.d
1.Esd.1.a
Dan.9

a. scilicet dijs peregrinis, ut & Israelitæ.

b. Babyloniæ.

ma, quæ ego inter uos immitto. Quòd si pocu- F lum recusauerint de manu tua sumere ad potandum, dices eis: Sic dicit armipotẽs Ioua, Potabitis. Nam cum ego urbi à me denominatę ma- 1. Pet. 4. d lefacere incipiam, uos scilicet impunè feretis? Non impunè feretis: si quidem arma omnibus terrarũ incolis edico, inquit armipotens Ioua. Amos 1. a Tu uerò has omnes res eis uaticinare, ita dicẽs: Ioel. 3. d Ioua ex sublimi rugiet, ex sua sacra sede sonitũ edet: rugiet aduersus domicilium suum, clamorem emittens, qualis est uuas calcantium, in omnes terrarum habitatores, perueniente ad ultimas terras strepitu, quoniam certamen habebit Ioua cum gentibus, contendet cum omnibus mortalibus, impios armis obijciens, inquit Ioua. Sic dicit armipotens Ioua: Exiturum est G tantum malum ex gente in gentem, & tam ingens procella ab extremis excitãda terris, ut sint tum Iouæ cæsi c ab altero terrarum fine ad alterum, neq; plangentur, neque colligentur, neque sepelientur, sed terræ solum stercorabunt: Eiulate pastores, & quiritate, uos ipsos uolutantes, ouium magistri, siquidem completo ad cædem uestrã spacio, dispergemini, & tanquam elegans supellex cadetis, carebuntq; effugio pastores, & salute ouium magistri. Auditur quiritatus pastorum, eiulatio magistrorũ ouium, quoniam depopulatur eorum pascua Ioua, pereuntq; pacatæ stationes, ardenti ira Iouæ, qui quasi leo lustrum suum reliquit, eorum terra ob atrocem sæuitiam, ob eius iræ sæuitiam, in uastitatem redacta.

c quàm longè patet terra.

CAPVT XXVI.

INitio regni Ioacimi Iosiæ filij, Iudææ regis, hic sermo est habitus à Ioua. Sic dicit Ioua: Asta in atrio ædis Iouæ, & eloquere in omnes Iudææ ciuitates: quæ in ædem Iouæ adoratum ueniunt, omnia uerba, quæ ego tibi ad eas eloquenda mando, ne uerbo quidem subtracto, si forte audiant, & à sua quisq; mala consuetudine descíscant, ut ego malum reuocem, quo eos afficere ob eorum mores prauos cogito. Dices B igitur eis: Sic dicit Ioua, Nisi me audiueritis, legi, quam uobis proposui, obsequendo, & meorum uatum dicta audiendo, quos ego ad uos (quamuis non audiatis) mitto, & quidem uigilanter mitto, reddam ædem istam ut Siluntem, urbemq; istam efficiam omnibus terrarum gen- 1. Reg. 4. b tibus execrandam. Audiebant autem sacerdotes et uates omnisq; populus, Ieremiam, ea uerba in æde Iouę pronunciantem. Igitur simul ac Ieremias cõprehenditur. perorauit Ieremias omnia quæ omni populo dici Ioua iusserat, comprehenderunt eum sacerdotes & uates omnisq; populus, mortem ei mi- C nantes, qui Iouæ nomine uaticinãs, dixisset eam ædem futuram esse ut Siluntem, urbem'que ab habitatoribus desertum iri. Igitur cum congregaretur ad Ieremiam omnis populus in æde Iouæ, principes Iudæi, his rebus auditis, ex regia ascenderunt in ædem Iouæ. Atq; ubi hi ante portam Iouæ nouam constiterunt, dicebãt sacerdotes & uates principibus cunctoq; populo, hominem illum capitale commisisse crimen, qui in urbem illam uaticinatus esset quę il- D li suis auribus audiuissent. Tum Ieremias principes omnes cunctumq; populũ alloquitur: Ioua me misit (inquit) ad uaticinandum in hanc ædem atque urbem quæcunque uos audiuistis. Quapropter corrigite uestros mores atque in- Suprà 7. a genium, & Iouæ Dei uestri dictis obedite, & is malo temperabit, quod in uos statuit. Equidem sum in uestra manu: facite mihi ut uobis uidebitur, & libebit. Veruntamen scitote fore, si me interfeceritis, ut uos & hęc urbs & incolæ E luant innocẽtis sanguinem. Nam uerè misit me ad uos Ioua, ut uobis audientibus hæc omnia dicerem. Hic principes & omnis populus, sic sacerdotes & uates alloqui: Non est hic homo in capitali crimine? si quidem nos Iouæ Dei nostri nomine affatus est. Tum surrexerunt homines ex regionis seniorib. qui ad omnem popu- Mich. 3. d li concionem sic uerba fecerũt: Michęas Morastita uaticinatus est Ezechiæ Iudææ regis tempore. Is omni Iudæo populo dixit, sic armipotentem Iouam dicere, fore ut Sion ager araretur, & Hierosolyma essent rudera, & tẽpli mõs syluestria fastigia. Num eum ideo occidit Ezechias Iudææ rex, aut ullus Iudæorum? nonne Iouam ueritus, precibus compellauit, atque ita temperauit Ioua malo quod illis minatus erat? & nos tanto facinore committendo animas nostras obligabimus? Fuit item uir quidam Iouæ nomine uaticinãs, Vrias Semeiæ filius, Cariathiarimensis, qui eadem planè in hanc & urbem & terram uaticinatus est, quæ in Ieremiæ G uerbis habentur. Eius orationem ubi audiuit rex Ioacimus, & omnes eius milites atque proceres, conatus est eum necare: quo audito ueritus Vrias aufugit, & in Aegyptum se contulit. Sed misit rex Ioacimus homines Aegyptios, uidelicet Elnathanẽ Achoboris filium, & certos cum eo, in Aegyptum, qui eductum ex Aegypto Vriam ad se perduxerunt, isq; eum ferro necauit, & eius corpus in publicum sepulchretum proiecit. Ahichamus quoq; Saphanis filius, Ieremiæ fuit præsidio, nec permisit eum in populi potestatem ad necandum.

CAPVT XXVII.

INitio regni Ioacimi, Iosiæ filij, Iudææ regis, habitus est ad Ieremiam hic sermo à Ioua, in hæc uerba: Sic mihi dixit Ioua: Fac tibi uincula & ligamina, quæ tuo collo adaptes, & mittas ad Idumææ, Moabitarũ, Ammonitarũ, Tyri, Sidonisq; reges, per legatos qui Hierosolymã ad Sedeciã Iudææ regem uenerũt, eis'que ad ipsorũ dominos hoc mãdatum des. Sic dicit armipotẽs Ioua, Deus Israelitarũ. Vos ita uestris dominis dicetis: Ego & terram, & homines, et in terris uersantes bestias, mea magna ui porrectoq; brachio & feci, & quibus uisum est, do. Et nunc omnes istas terras meo Nabuchodonosori Babylonię regi in potestatem de- B di: quinetiam terrestres bestias ei in seruitutem addixi, eique & eius nato, & nepoti, seruient

gentes

gentes omnes, donec eius quoque terræ tempus ueniat: ei, inquam, multæ gentes, magnique reges seruient. Ac quæ gens regnúmue non seruierit ei, uidelicet Nabuchodonosori Babyloniæ regi, quæque collum suum iugo regis Babyloniæ non subdiderit, in eam ego gentem ferro, fame, peste animaduertam, inquit Ioua, eo usque ut per eum consumatur. Vos uerò nolite uestros audire uates, hariolos, somniatores, magos & præstigiatores, qui negant uos esse Babyloniæ regi seruituros. Nam falsa uobis uaticinantur, ut uos à terra uestra remoueant, & à me uexati pereatis. Quæ uerò gens ceruicem suam regis Babylonij iugo subiunxerit, ei'que seruierit, eam ego in sua terra sinam, inquit Ioua, eamque colet atque habitabit. Sedeciam quoque Iudææ regem ijsdem prorsum uerbis allocutus sum ita: Summittite ceruices uestras iugo
C regis Babyloniæ, eique et eius hominib. seruite, & uiuetis: ne tu, tuique ferro, peste, fame moriamini, quemadmodum minatur Ioua genti, quæ Babyloniæ regi non seruierit. Néue uatum dicta audiatis, qui negant uos Babyloniæ regi seruituros. Etenim falsa uobis uaticinantur: nec enim eos ego misi (inquit Ioua) sed ipsi meo nomine falsa uaticinantur, ut à me profligati pereatis & uos, & uates qui uobis uaticinantur. Item sacerdotes & omnem hunc populum allocutus sum ita. Sic dicit Ioua: Nolite audire dicta uestrorum uatum, qui uobis uaticinantur futurum esse ut templi Iouæ uasa ex Babylone propediem reportentur: nam falsum uobis uaticinantur. Nolite eos audire: seruite Babyloniæ regi, & uiuetis: alioquin fiet hæc urbs de-
D serta. Quòd si uates sunt, & habent Iouæ mandatum, impetrent sanè ab armipotente Ioua, ne uasa, quæ in Iouæ æde, & in Iudææ regia, Hierosolymisque restant, Babylonē ueniant. Sic enim dicit Ioua de columnis, ed lacu, & basibus, reliquis'que uasis, quæ in hac urbe restant, quæ non abstulit Babyloniæ rex Nabuchodonosor, cum Iechoniam Ioacimi Iudææ regis filium, omnésque Iudæos & Hierosolymitanos nobiles Hierosolyma Babylonem transtulit: sic inquam dicit armipotens Ioua, Deus Israelitarum, de uasis, quæ in æde Iouæ, in'que Iudææ regia & Hierosolymis supersunt, ea portatum iri Babylonem, ibíque fore, donec ego ea (inquit Ioua) in locum istum referenda ac reportanda curem.

Suprà 14.c & 23.d Infra 29.b

4.Reg.25.a

CAPVT XXVIII.

Ananias falsus uates.

EO anno initio regni Sedeciæ Iudææ regis, anni quarti mense quinto, Ananias Azuris filius uates Gabaonita, me in æde Iouæ, sacerdotibus totoque spectante populo, sic est allocutus: Sic dicit armipotens Ioua Deus Israelitarum: Ego frangam iugum regis Babyloniæ. Hinc ad biennium referam in locū istum omnia ædis Iouæ uasa, quæ Nabuchodonosor Babyloniæ rex istinc ablata, Babylonem deportauit. Iechoniam quoque Ioacimi filium Iudææ regē, omnesque Iudæos exules, qui in Babyloniam uenerunt, ego istuc reducam, inquit
B Ioua, cum regis Babyloniæ iugum fregero. At Ieremias uates in sacerdotū totius'que populi præsentia, qui in æde Iouæ aderant, sic Ananiæ uati respondit: Vtinam sic Ioua faciat, & quæ tu istis uerbis uaticinatus es, præstet, ædisque Iouæ uasa & captiuos omnes, ex Babylonia hunc in locum reportet. Verùm audi hāc rem, quam ego, te & cūcto audiente populo, eloquar. Qui uates iam olim ante me & te fuerunt, & in multas regiones, ingentiaque regna, bellum, aut aliquod malum, aut pestem uaticinati sunt, eorum uatum si quis faustum aliquid uaticinatus erat, ubi illud à uate dictum euenerat, apparebat uatem uerè à Ioua esse missum. At Ananias uates,
C detractum de Ieremię collo ligamen rupit, & cuncto spectante populo dixit: Sic dicit Ioua: Hoc ego pacto Nabuchodonosoris Babyloniæ regis iugum hinc ad bienniū ex omnium gentiū ceruicibus abrumpam. Tum Ieremias uates inde degressus est: & eum Ioua post abruptum ab Anania uate ex eius collo uinculum, sic alloquitur: I, & ita dicito Ananię: Sic dicit Ioua: Tu lignea uincula rumpendo, pro eis fecisti ferrea. Nam sic dicit armipotens Ioua Deus Israelitarum: Ego ferreum iugum imponam
D ceruicibus omnium istarum gentium, ut Nabuchodonosori Babyloniæ regi seruitutem seruiant, cui ego etiam beluas terrestres dedi. Igitur Ieremias cum Anania uate locutus est in hanc sententiam: Audi sanè Anania: Non misit te Ioua, & tu hunc populum in falsam spem adducis. Hanc ob rem sic dicit Ioua: Ego te ex orbe amandabo: morieris hoc anno, quoniam à Ioua deficiendi autor es. Itaque mortuus est Ananias uates eius anni mense septimo.

CAPVT XXIX.

Ieremiæ epistola ad exules.

EXemplar epistolę quā misit Ieremias uates Hierosolymis ad reliquos senatores exules, & ad sacerdotes uates'que, & ad omnem populum, quem Nabuchodonosor Hierosolymis in Babyloniā deportauerat, postquàm Iechonias rex, reginas, spadones, principésque Iudæi, & Hierosolymitani, fabrique & opifices, Hierosolymis emigrauerant: quam epistolam per Elasam Saphanis, & Gamariam Helcię filium (quos Sedecias Iudæę rex Babylonem ad Babylonię regem Nabuchodonosorem, mittebat) his uerbis misit: Sic dicit armipotens Ioua, Deus Israelitarū, omnibus exulibus, quos ipse Hierosolymis in Babyloniam relegauit. Aedificate quas habitetis domos, & hortos, quorum fructu uescamini, conserite: ducite u-
B xores, liberosque gignite, & filijs uestris uxores capite, & filias nuptum locate, quę liberos pariant, atque istic crescite, néue decrescite, & saluti studete urbis, quò uos ego relegaui, Iouámque pro ea orate: nam in eius salute uobis sita salus est. Sic enim dicit armipotens Ioua, Deus Israelitarum: Ne committite ut uobis imponāt

Suprà 14.c
Suprà 25.c
2.Par.36.d

uates hariolíq́ue uestri, qui uersantur inter uos, néue audite quæ ipsi somniatis somnia. Etenim falso uobis meo nomine uaticinantur, nõ meo missu, inquit Ioua. Nam simulac conpleuerit
C
Babylon annos septuaginta (inquit Ioua) ego curabo uos, & quæ bona promisi præstabo, uobis in locum istum reuocandis. Scio enim quas de uobis habeam cogitationes (inquit Ioua) amicas uidelicet, non inimicas, ut exitum spémque dem uobis. Ac uos inuocantes me, & oratum uenientes, exaudiam, méque uestigantes inuenietis, si tota mente requisiueritis, inuentúsque uobis (inquit Ioua) reuocabo uos captiuos, ac quócunque gentium aut locorum profligauero, inde colligam (inquit Ioua) & eódem, unde relegaui, reducam, [a] qui dicitis Iouam uobis ad Babylonem suscitasse uates.
D
Nam sic dicit Ioua de rege, qui sedet in Dauidis solio, déque omni populo in hac urbe degente, qui uestri sunt consanguinei, uobiscum in exilium non profecti, sic inquam dicit armipotens Ioua: Ego in eos ferrum, famem, pestémque immittam, similésque reddam tetrarum ficuum, adeò malarum ut edules non sint: & eos ferro, fame, peste persequens, ita per omnia terrarum regna diuexandos dabo, ut quócunque gẽtium eos profligauero, ibi mirè detestabiles sibilandi, & infames sint, quoniam meis dictis non obtemperarunt, inquit Ioua, qui eis uates meos, & quidem uigilanter, missiculauerim,
E
nec uos tamen obediueritis, inquit Ioua. Vos uerò audite Iouæ dicta, omnes extorres, quos ego à Hierosolymis in Babyloniam amandaui. Sic dicit armipotens Ioua Deus Israelitarum de Achabo Coliæ, & Sedecia Maasiæ filio, qui uobis meo nomine uaticinantur falso. Ego eos Nabuchodonosori Babyloniæ regi dedam, qui eos in oculis uestris ita occidat, ut ab eis præbeatur omnibus exulantibus in Babylonia Iudæis huiusmodi imprecatio. Afficiat te Ioua ut Sedeciam, & Achabum, quos
F
Babyloniæ rex igne torruit: quoniã flagitium in Israelitis committunt, & aliorum uxores constuprant, meúmque nomen in re falsa interponunt, iniussu meo, cuius ego rei conscius ac testis sum, inquit Ioua. Semeiæ quoque Nehelamitæ hæc dices: Sic dicit armipotens Ioua Deus Israelitarum: Quandoquidem tu tuo nomine cùm ad omnem, qui Hierosolymis est, populum, tum ad Sophoniam Maasiæ filiũ pontificem, & ad omnes sacerdotes, misisti literas in hæc uerba. Cum te Ioua pontificem in Ioiadæ pontificis locum fecerit, ut Iouæ tẽplo præfectus, omnes lymphatos, & uaticinãtes, in cõpedes & fidiculas conijcias, cur Ieremiam Anathothensem uobis uaticinantem nõ coerces?
G
qui nobis in Babyloniam significauerit, longum fore: cõstruamus domos, quas incolamus, hortósque conseramus, quorum uescamur fructu. Recitauerat autem hanc epistolam Sophonias pontifex, audiente uate Ieremia. Igitur Ioua cum Ieremia hoc modo uerba fecit: Significa omnib. exulibus in hanc sententiã: Sic pronũciat Ioua de Semeia Nehelamita: Quoniam uobis uaticinatus est Semeias Nehelamita, non missu meo, uosq́ue in falsam adduxit fiduciam, propterea sic pronunciat Ioua: Ego Semeiam Nehelamitam, eiusq́ue progeniem, ita puniam, ut non sit ex eo quisquam remansurus in isto populo, neque bona uisurus, quibus ego meos afficiam, inquit Ioua, quoniam à Ioua deficiẽdi autor est.

a. ne fortè fidẽ habeatis uatibus, quos Babylone habetis, quasi diuinitus afflatis, cum aliter dicant quàm futurũ sit.
Suprà 24.c
1.Esd.1.a
Dan.3.a

CAPVT XXX.

Sermo ad Ieremiam habitus à Ioua in hæc uerba.

SIc dicit armipotens Ioua, Deus Israelitarũ: Describe tibi in libro omnia uerba, quæ ego tibi eloquor. Nam tempus erit, inquit Ioua, cum captiuos meos Israelitas & Iudæos reuocabo, inquit Ioua, & reducam in terram quam eorum dedi maioribus, eámque posside bunt. Hæc sunt autem uerba quæ eloquitur Ioua ad Israelitas & Iudæos. Nempe sic dicit Ioua: Formidinis uocem audimus, & pauoris impacati. Sciscitamini quæso, & uidete [a] num pariat mas? Cur uideo uiros omnes admotis ad latera manibus more parturientis, omnésque uultus in pallorem uersos? Heu quanta quamq́ue incomparabilis est illa dies, & aduersum tempus Iacobeo? ex quo tamen euadet, eritq́ue dies, inquit armipotens Ioua, cum ego illius iugum ex tua ceruice abrumpam, tuáque uincula dissoluam,
B
nec illi seruient amplius alienis, sed Iouæ Deo suo seruient, Dauidiq́ue regi suo, quem eis suscitabo. Tu uerò ne metue mi Iacobee, ne formida Israelita. Nam ego te procul, ego tuam progeniem ex captiuitatis suæ terra ita uindicabo, ut reuersi Iacobei placidè quiescant, exterrente nullo. Siquidẽ ego tibi adero, inquit Ioua, tui conseruandi gratia. Cúmque sim gẽtes omnes, quò te dispersero, prorsum perditurus, te tamen non prorsum perdam, tametsi impunitatem tibi non concedens, iure castigabo. Sic enim dicit Ioua: Sæua tua calamitas, cruciabile tuum uulnus est: non est qui causam tuam quasi medicando agat: tu salubri medicina cares. Omnes tui amatores te obliti non requirunt,
C
quoniam ego tibi crudelis castigationis hostile uulnus inflixi, ob tua tot tantáque uitia ac peccata. Quid de sæuo calamitatis tuæ dolore conquereris? ob tua tot tantáque uitia ac peccata feci ego ista tibi. Ergo quicunque te conficiunt, conficientur: & omnes quicunque tibi aduersantur, abibunt captiui, obijcientúrque tui depopulatores omnes depopulationi, & omnes direptores tuos ego exponam direptioni. Nam incolumitatem tibi pariam, & te à tuis uulneribus sanabo, inquit Ioua, quam uocant repudiatam Sionem, eam quam nullus expetat. Sic dicit Ioua: Ego captiuos reuocabo tabernaculorum Iacobei, eiusq́ue habitationum ita miserebor, ut urbs in sua mole instauretur,
D
& arx habitetur in suo statu. Atque ab eis gratiarum actio, ludentiumq́ue uox proficiscetur,

a. cum uiri párere non soleant, qui fit ut parturientiũ more doleant?
Ioel 2.c
Amos 5.c
Soph.1.d
Esa.44.a
Luc.1.g
Suprà 13.d
Suprà 15.d

ficiscetur, & eos ita multiplicabo, ut non decrescant, itaque honorabo ut non imminuantur, efficiámque ut habeant natos ut olim: eorumque ciuitate apud me cōposita, in omnes eorum depopulatores animaduertam. Erit autem eorum dux ex ipsis, eorumque dominator ex ipsorum medio proficiscetur, & ij asciscente me, accedēt ad me. Etenim [b] quis est qui mentem suam ad me accedendum libenter applicet? inquit Ioua. Et uos mihi populus, & ego uobis Deus ero. En excandescentis Iouæ procella exit, procella ruens, quæ in impiorum caput incumbet. Non cohibebitur ardens ira Iouæ, quin animi sui cogitata fecerit ac exhibuerit, quam rem uos olim considerabitis.

b. nemo, nisi alliciente me.

CAPUT XXXI.

IN illo tempore, inquit Ioua, & ego omni Israelitarum generi Deus ero, & ipsi mihi populus. Sic dicit Ioua: Charus fuit in desertis reliquus ab armis populus, uadens in requietem suam Israelita, cui Ioua procul apparuit, & æterno [a] te amore prosecutus sum, ideoque usus erga te clementia. Aliquando structore me construêris, uirgo Israel: aliquando tuis ornata tympanis, exibis cum ludentium choris: aliquando uineas conseres in montibus Samariæ, quas ijdem qui conseuerint, [b] profanabunt. Erit enim dies cum clamabunt in Ephraimitarum monte custodes: Agite, ascendamus in Sionem, ad Iouam Deum nostrum. Sic enim dicit Ioua: Oue tur iucundè Iacobeis, & clametur in [c] cacumine gentium, ita uerba cum laudibus faciendo:

1. Cor. 6. a

a. fœmininū in Hebræo est, quippe relatū ad puellam Israelē.

b. fructum percipient. alludit ad Deuter. 28.

c. editissimo loco.

B Serua, Ioua, tuum populum, Israelitarum reliquias. Eos equidem adducam ex septentrionali regione, & ab extremis terrarum oris colligam, huc unà cum cæcis & claudis, cum grauidis & puerperis magna frequentia rediturus. Cumque plorantes abierint, eos ego clementer reportabo, ducens ad aquæ fluuios rectà uia, qua non impingant, quoniam Israelitæ pater ego sum, meusque primogenitus est Ephraimita. Audite Iouę dicta, gentes, & procul per insulas ita prædicate: Qui sparserat Israelitas, idem eos colligit custoditque, sicuti pastor suum gregem. Redimet enim Ioua Iacobeos, & ex manu potentioris quàm sunt ipsi uindicabit, uenientque triumphatum in Sionis fastigio, & Iouæ bonis, frumento, musto, oleo, ouinoque & caprino ac bouino genere affluent, & animum rigui horti similem habentes, non amplius deinceps

C dolebunt. Tunc & uirgines choris, & iuuenes simul atque senes lætabuntur, conuertamque eorum luctum in uoluptatem, eos consolans, & ex mœrore exhilarans, & [d] sacerdotum appetitum pingui perfundam, efficiamque ut meus populus meis bonis saturetur, inquit Ioua. Sic dicit Ioua: Auditur apud Ramam lamentabilis acerbæ complorationis uox, Rachelis suos natos ita deplorantis, ut de eis consolationem respuat, quia perierunt. Sic dicit Ioua: Cohibe & uocē tuam à ploratu, & oculos à lachrymis, quoniam erit operi tuo merces, inquit Ioua, redibunt'que ex hostili terra, est'que tibi ad extremum spes, inquit Ioua, redituros esse natos in suos fines. Audio afflictātem sese Ephraimitam: Ego te castigante, castigor ut rudis uitulus: reuoca me, & redibo, quoniā tu Ioua Deus meus es. Postquā enim redij, pœnitet me: post D

Mat. 2. d

d. terrā ita fœcūdabo, ut primitijs & primogenitis, quæ libabuntur, sacerdotes ad satietatē epulentur.

quàm me ipsum recognoui, plango femur, pudore erubescens, qui feram meæ iuuentutis infamiam. Preciosusne mihi filius est Ephraimita? aut deliciarum puer? quoniam ex quo eius mentionem feci, adhuc eius meminero: ideo'que commotis in eum meis uisceribus, miserebor eius, inquit Ioua. Statue tibi cippos, pone tibi cumulos, animaduerte qua iueris uia abeas, redi uirgo Israel, redi ad istas tuas urbes. Quousque palabere puella perfida? Siquidem rem nouam Ioua facturus est in terra: ambibit fœmina marem. Sic dicit armipotens Ioua, Deus Israelitarum: Aliquando dicetur hoc uerbū in Iudæorum terra atque urbibus, cum eorum reuocauero captiuos: Felicitet te Ioua, E

statio iustitiæ, mons sanctitatis: in ea'que degent Iudæi simul & omnes eorum ciuitates, agricolæ, & cum grege proficiscentes. Nam ego lassas animas conspergam, omnes'que dolentes animas replebo, ad id expergefactus & intuitus, meo somno delectatus. Tempus erit, inquit Ioua, cum Israeliticam & Iudæam domum humano pecorino'que semine conseram: ac quemadmodum eis destruendis, eruendis, euertendis, perdendis, lædendis inuigilauero, sic extruendis & conserendis inuigilabo, inquit Ioua. Per ea tempora non iam dicetur patres comedisse uuam immaturam, & filiorum dentes stupere: sed sua quisque culpa Ezech. 18. a

moritur: quisquis homo uuam comederit immaturam, huic ipsi dentes stupebunt. Tempus erit, inquit Ioua, cum feriam cum Israelitica Iudça'que domo nouum fœdus, non quale F Nouum fœdus.

fœdus percussi cum eorum maioribus, tum cum manu prehensos eduxi ex Aegypto, quod quidem meum eis imperantis fœdus uiolarūt, inquit Ioua. Sed hoc fœdus erit quod cum Israelitica domo post illa tempora percutiam, inquit Ioua. Meam legem in eorum pectora dabo, inscribamque cordi, & ego eis Deus, & ipsi mihi populus erunt, nec iam inter sese docebunt alius alium, ad Iouam cognoscendum cohortantes, quin uniuersi me parui iuxtà ac magni cognoscent, inquit Ioua, qui eorum culpæ ignouero, eorum peccatum non recordaturus amplius. Sic dicit Ioua qui & solem diurno, & lunæ stellarumque leges nocturno lumini tribuit, quo mare findente, murmurant eius fluctus, cuius nomen est armipotens Ioua. Si mutabuntur hæ leges apud me, inquit Ioua, etiam Israelis progenies desinet coram me gens esse perpetuo. Sic dicit Ioua: Si & superum cœlum metabitur, & inferæ terræ fundamenta peruestigabuntur, etiam ego omnem Israelis pro-

Heb. 8. c

Luc. 1. g

Suprà 24 e

Act. 10. g

G

geniem repudiabo ob eorum facta omnia, inquit Ioua. Futurum est, inquit Ioua, ut construatur urbs Iouæ à turri Hananeelis, ad portam angularem, præter quam prodibit porrò mensoria linea ad collem Gareb, Goatham'que circundabit. Ac tota cadauerum cinerisq; ualli, totiq; campi, usque ad torrentem Cedronem, usq; ad angulum portæ equorum, ad orientem, erunt Iouæ sacra, nullo deinceps æuo diruenda aut euertenda.

CAPVT XXXII.

SErmo ad Ieremiam habitus à Ioua, anno Sedeciæ Iudææ regis decimo, qui annus est Nabuchodonosoris duodeuigesimus, cum quidem cœpit Babyloniæ rex obsidere Hierosolymam, Ieremia uate concluso in atrio carceris, qui erat in domo Iudææ regis, quem concluserat Iudææ rex Sedecias, quoniam uaticinatus esset in hunc modū: Sic dicit Ioua: Ego urbem istam Babylonię regi in manū tradam, qui eam capiat, nec euadet Sedecias Iudææ Chaldæorum manum, quin Babyloniæ regi in manum dabitur, eum'que præsens præsentem & ore alloquetur, & oculis aspiciet, atq; ille Sedeciam deportabit Babylonem, ibi futurum donec eum ego curem, inquit Ioua. Quòd si cum Chaldæis pugnabitis, infeliciter uobis accidet. Igitur (inquit Ieremias) Ioua mecum ita locutus est, uenturum esse ad me Hananeelem Sellumi B
patrui mei filium, petiturum ut fundum suum Anathothensem emerem: nam meum esse eum fundum cognationis iure uendicare. Ergo uenit ad me Hananeel patrui mei filius, ut Ioua prædixerat, in atrium carceris, mèque hortatus est ut emerem fundum suum qui Anathothis esset in Beniamitide: esse enim meum possessionis ac uindicandi ius: proinde emerem. Tum ego Iouæ mandatum esse intelligēs, emi ex Hananeele patrui mei filio fundum Anathothensem, eiq; argentum appendi, septem siclos, & decem argenteos, idq; in scheda scripsi ac obsignaui, testatus testes, appensoq; in statera argento. Deinde sumpsi emptionis schedam tum obsignatam, ut institutio decretaq; postulant, tum apertam, eamq; Barucho Nerię filio, Maasię nepoti, tradidi, in præsentia Hananeelis mei patrui & testium, qui emptiōis schedam subscripserant, præsentibus Iudæis omnibus, qui in carceris atrio degebāt, atque ita in illorum præsentia, Barucho præcepi: Mandat armipotens C Ioua Deus Israelitarum, ut sumas has schedas, hanc emptionis schedam obsignatam, tum apertam hanc, easq; in uase fictili reponas, quo durent diu. Sic enim dicit armipotens Ioua, Deus Israelitarum, aliquando emptum iri domos & fundos & uineas, in hac terra. Deinde postquā Barucho Neriæ filio emptionis schedam tradidi, Iouam precatus sum in hæc uerba: O Domine Ioua, tu quidem cœlum terrasq; magna ista ui, & extento brachio condidisti, nec ulla tibi res est ardua: qui benignitate in mille stirpis genera uteris, parentumq; culpam post eos in eorum natos penitus ulcisceris: Deus, magne, potens, cuius armipotens Ioua nomen est, ingens consilio, natura magnus, qui apertos habes oculos in omnes humani generis mores, ad reddenda cuique digna moribus & ingenio præmia: qui ea ostenta prodigiaq; tum in Aegyptia terra antehac, tum apud Israelitas, hominesq; reliquos, edidisti, ut hanc tam claram tibi famam comparaueris, Israelitas'que tuos ex Aegyptia D
terra, per ostenta & prodigia, præualente manu, extento brachio, ingenti cum terrore eduxisti, eisq; terram hanc dedisti, quam eorum maioribus te eis daturum promiseras, terrā lacte melleq; scatentem. Cuius cum possessionem adepti, tibi non fuerint dicto audiētes, neq; tuæ legi obsecuti sint, omnia'que tu eis facienda præceperas nō facientes, inuexisti eis hoc, omne malum. En aggeres admouentur urbi ad eam capiendam: eaq; Chaldæis, à quibu oppugnatur, propter ferrum, famem atque pestem, in potestatem datur: quæq; prędixisti fiunt, ut uides: tamen iubes Domine Ioua, ut ego fundum mihi argento emam, testibus adhibitis, cum urbs in Chaldæorum potestatem ueniat.

Tum Ioua Ieremiam sic est allocutus: Quasi uerò mihi, qui Ioua sum omnium mortalium Deus, res ulla sit ardua. Itaque sic dicit Ioua: Ego iam urbem istam Chaldæis & Nabuchodonosori Babylonię regi, in potestatem dabo, qui E
eam capiat: ueniētq; Chaldæi qui urbem istam oppugnant, & eam domosq; (quarum in tectis suffitum Baali, & fusa dijs alijs libamina sunt, irritandi mei gratia) igne incensam cremabunt. Nam nihil aliud quàm me offenderunt Israelitæ & Iudæi ab ineunte ętate: nihil aliud Israelitę quàm me suis factis irritarunt, inquit Ioua. Nam mihi iram bilem'que mouit urbs ista ex quo die condita est, ad hunc usque diem, ut ego eam ex meo conspectu tollam, ob tot Israelitarum Iudęorumque scelera, quibus faciendis me irritarunt ipsi, eorum'que reges, principes, sacerdotes, uates, Iudęi, ac Hierosolymitani, mihi'que tergum obuerterunt, non fa F
ciem. Ac cum docerentur, & uigilanter docerentur, non obtemperarunt, ut castigationem admitterent: sed denominatam à me ędem, suis a sceleribus in ea ponendis polluerunt. Quin Baalis sacella, quę sunt in ualle filij Hennomi, construxerunt, ad suos natos natas'que Molocho traijciendos, id quod eis equidem non iusseram, nec mihi uenerat in mentem, ut fieret eiusmodi scelus, quo ad peccandum adducerentur Iudęi. Quapropter sic dicit Ioua, Deus Israelitarum, de urbe ista, quam uos dicitis pręarmis, fame, ac pestilentia in regis Babylonię potestatē esse uenturam, Ego quò cūq; terrarum eos, magna ira & bile incensus, dissipauero, inde relegam, & in locum istum reductos, in tuto collocabo. et ipsi se mihi populum, & ego me eis Deum præstabo, eisq; mentem unam,

Ieremias iubetur fundum emere.

Exo.35.a

a. infandis simulachris.

4.Reg.21.a

Ezech.11.c

G unam, uiam'que unam dabo, ut me perpetuò uereantur, ad ipsorum posterorumq́ utilitatem. & eis fœdere paciscar æterno, me ab eis beneficentia prosequendis non desciturum: & eum mei metum in eorum animos dabo, ut à me nō discedant, eisq́ benefaciēdo delectabor, & eos in terra ista uerè plantabo toto meo corde atque animo. Etenim sic dicit Ioua: Quemadmodum inuexi isti populo istud tam ingens malum, ita inuebam eis omne bonum quod eis promitto, emetur'que ager in ista terra, quam uos dicitis hominibus pecudibúsq́ derelictam, uenire in Chaldæorum potestatem. Ementur agri argento, scribentur'que & obsignabuntur schedæ, & testes adhibebūtur in Beniamitide finitimisq́ Hierosolymæ, & in oppidis Iudæis, in montanis, in campestribus ac meridianis, cum reuocauero eos captiuos, inquit Ioua.

CAPVT XXXIII.

Locutus est item Ioua iterum cum Ieremia, adhuc concluso in carceris atrio, his uerbis: Sic dicit Ioua [a] eius autor, Ioua eius formator ac compositor, nomine Ioua. Implora me, & ego tibi exoratus, magna reconditaq́ indicabo, ignota tibi. Sic enim dicit Ioua Deus Israelitarum de istius urbis Iudæorumq́ regum domibus, quæ aggeribus, & machinis dirutæ sunt, qui reges ueniunt ad pugnandum cum Chaldæis, & ad [b] domos cadaueribus hominum replendas, quos homines ego ira incensus occidero, cum quidem ob eorum tot scelera uultum meum isti urbi subduxero. Equidem ei incolumitatem remediumq́ pariam, & eis medebor, & pacis fideiq́ ornamentum aperiam, & Iudeorum ac Israelitarum captiuos reducam, eosq́ prole instruam ut olim, & ab omni commissa contra me culpa expurgabo, data uenia omnibus quibus in me deliquerint ac
B peccauerint, uitijs. Ita fiet ut ea mihi iucundum nomen laudemq́ & decus pariat apud omnes terrarum gentes, quæ audito quanta ego eis beneficia contulerim, cohorrescent, attonitæ tot beneficijs tantaq́ pace, qua eam affecero. Sic dicit Ioua: Aliquando audietur in isto loco (quē uos & ab hominibus & à pecudibus desertum dicitis) in Iudææ oppidis, Hierosolymæq́ uicis, ab homine, ab incola, à pecore derelictis, uox uoluptatis & lætitiæ, uox sponsi atque sponsæ, uox dicentium: Celebrate armipotentem Iouam, quoniam bonus Ioua, quoniam æternæ est clementiæ: afferentium in ædem Iouæ gratiarum actionem, reuocatis à me regionis captiuis in pristinum statū, inquit Ioua. Sic dicit armipotens Ioua. Aliquando erunt in isto loco, tum ab hominibus, tum à pecoribus deserto,
C inq́ omnibus eius oppidis, stationes pastorum oues stabulantium. Montana, campestria'que & meridiana oppida, & Beniamitidem, & Hierosolymæ finitima, & oppida Iudææ peragrabunt oues aliquando sub manu recensentis, dicit Ioua. Tempus erit, inquit Ioua, cum ego promissa bona præstabo, quæ Israelis Iudææq́ domui promisi. Illa tē pestate ac tempore faciam ut germinet Dauidicum germen iustitiæ, quod ius æquúmque faciat in terris. Illa tempestate seruabitur Iudæa, tuteq́ deget Hierosolyma, eaque hoc nomine uocabitur, Ioua iustitia nostra. Sic enim dicit Ioua: Non aberit ex Dauidicis qui sedeat in Israeliticæ domus solio: itemq́ ex sacerdotibus Leuitis non aberit qui corā me solida sacra faciat, fertóque suffiat, & sacrificia faciat perpetuò. Item cum Ieremia locutus est his uerbis Ioua: Sic dicit Ioua: Si pactionem, quæ mihi cum die & cum nocte intercedit, rumpetis, ita ut non sint dies D
noctes'que suo tempore, etiam quod ego Dauidi meo cultori pactus sum, rumpetur, ut non sit ex eo prognatus qui regnet in eius solio, aut quod Leuitis sacerdotibus ministris meis. Vt innumerabiles sunt [c] cœlestes copiæ, & immensa maris arena, sic ego & cultoris mei Dauidis progeniem, & ministrantes mihi Leuitas, multiplicabo. Item Ieremiam his uerbis allocutus est Ioua: Vidésne quid homines isti dictitent? quas duas Ioua [d] familias elegerit, easdem repudiasse: utq́ meum populum ita despicentur, ut eis non amplius gens esse uideatur? Sic dicit Ioua: Si pactionē cum die noctéque non feci, si cœli terræq́ leges non posui, etiam Iacobi Dauidisq́ mei progeniem repudiabo, non sumendo ex eius semine qui Abrahami, Isaaci, Iacobiq́ posteris imperent, cum eos captiuos, eorum misertus, reuocauero.

a. Sionis.

b. Sūt enim in causa ut multi occidātur, dum Babyloniæ regi repugnant.

c. stellæ.

d. regalem & sacerdotalem.

CAPVT XXXIIII.

Sermo ad Ieremiam habitus à Ioua, cum Nabuchodonosor Babyloniæ rex cum suis omnibus copijs, imperijq́ sui regnis ac populis, Hierosolymam & omnia eius oppida oppugnaret. Sic dicit Ioua Deus Israelitarum: I nunciatum Sedeciæ Iudææ regi in hanc sententiam: Sic dicit Ioua: Ego urbem istam Babyloniæ regi in potestatem tradam, qui eam cōburat igni, nec tu eius euades manum, quin captus ei tradêris, & oculis istis Babyloniæ regis oculos uidebis, & ille te ore suo alloquetur, ibisq́ Babylonem. Veruntamen audi Iouæ dictum, Sedecia Iudææ rex. Hoc tibi promittit Ioua, non te armis, sed placidè moriturum, ac quemadmodum in funere maiorum tuorum regum superiorum, qui te antecesserunt, cremati sunt odores, ita cremabuntur etiam in tuo, ac heu Domine lugeberis. Quandoquidē rem ego pronūcio, inquit Ioua. Igitur elocutus est Ieremias uates Sedeciæ Iudææ regi, eas omnes res, Hierosolymis, cum quidē oppugnarēt Babyloniæ regis milites Hierosolymam, & omnia reliqua Iudææ oppida, Lachim & Azecā: nam hæc oppida ex oppidis Iudææ, munita supererāt. ¶ Sermo ad Ieremiam habitus à Ioua, postquàm pepigit rex Sedecias cum omnib. hominibus, qui Hierosolymis erāt, ut eis indiceretur libertas, ut suos quisque seruos & ancillas Hebræos & Hebræas

B De seruorū manumißione.

Hebræas manumitterent, ne quis eorum ullo Iudæo consanguineo suo uteretur seruo. Inquã quidem pactionem qui uenerant omnes tum principes, tum plebeij, cum obediuissent, & obsecuti, suos quisque seruos & ancillas manumisissent, nec amplius eorum uterentur seruitio, postea quos seruos & ancillas manumiserant, eosdem rursum seruituti subiecerant. Igitur ad Ieremiam huiusmodi uerba facta sunt à Ioua:

C Sic dicit Israelitarum Deus Ioua, Ego cum maioribus uestris, cum quidem eos ex Aegypto, domo seruitutis, eduxissem, pactionem feci in hanc sententiam: Peractis septem annis, dimittetis suum quisque consanguineũ Hebræum, qui tibi uenditus, sex annos seruiuerit, eum, inquam, manumittes. Sed mihi non obediuere maiores uestri, nec aurem præbuere. Rursum uos hodie, cum quod mihi placeret fecissetis, uocantes alij alios ad libertatem, facta coram me pactione in æde à me denominata, rursum meum profanastis nomen, & suos quisque seruos & ancillas, quos liberos & sui iuris dimiseratis, iterum uobis subiecistis in seruitutem. Ita-

Exod. 21. a

Deut. 15. c

D que sic dicit Ioua: Quandoquidem uos mihi non obediuistis, ut inuicem alij alios in libertatem uocaretis, ego uobis manumissionem, inquit Ioua, ferro, peste, fame indico, uexandos daturus per omnia regna terrarum, tradámque homines, (qui contra meum pactum facientes, non stetere uerbis pactionis, quam pepigere coram me, in duo partiti uitulum, & inter partes eius transeuntes) principes Iudæos & Hierosolymitanos, spadónes'que & sacerdotes, omnẽ

E que regionis populum, qui inter nituli partes transierunt, eos ego hostibus, & eorum necem cupientibus, dedam, erunt'que eorum corpora cœlestibus uolucribus, bestijs'que terrestribus pastui. Et Sedeciam Iudææ regem, & eius proceres, hostibus & eorum neci studentibus, regis'que Babyloniæ militibus, qui à uobis discessere, dedam. Curabo ego, inquit Ioua, ut reuertantur ad istam urbem, eam'que expugnatã captam'que igni comburant, & oppida Iudæa in eam redigam uastitatem, ut nullus sit incola.

CAPVT XXXV.

Sermo ad Ieremiam habitus à Ioua, tempore Ioacimi Iosiæ filij Iudææ regis, in hunc modum. I domum Rechabitarum, & eos allocutus, in Iouæ ædẽ introducito in aliquod cœnaculorum, eis'que uinum bibendum dato. Ita accersiui Iezoniam Ieremię filium, Habsaniæ nepotem, eiusque fratres & filios omnes, omnem'que Rechabitarum domum, eos'que in Iouæ templum introduxi, in cœnaculum filiorũ Hananis Iegedeliæ filij, [a] diuini, quod erat secundum principum cœnaculum, positum supra Maasiæ cœnaculum, Sellumi filij, ad limẽ custodis, apposui'que familiæ Rechabitarum filijs cyathos uini plenos, & calices, & eos ad bibendum uinum inuitaui. At illi uinum se bibere negarunt. Nã Ionadabus, inquiũt, Recha-

Rechabitæ.

a. uatis.

B bi filius, parens noster, præcepit nobis ne uinũ, nos nostri'ue nati, unquam biberemus, néue domum construeremus, aut sementim faceremus, uineámue custodiremus, aut haberemus, sed in tabernaculis degeremus per omnem uitam, ut diu uiuamus in terra, in qua commoramur. Itaque Ionadabo Rechabi filio, parenti nostro in omnibus nobis ab eo præceptis obtemperamus, à uini potione per omnem uitam abstinendo, nos uxores'que & liberi nostri, & habitandas nobis domos non ædificando: nec uineam ullam, aut agrum, aut seminariũ habemus, & in tabernaculis manemus, patri'que nostro Ionadabo obsequentes, quicquid nobis pręcepit exequimur. Cum autem expeditionem faceret Nabuchodonosor Babyloniæ rex in hanc regionem, statuimus Hierosolymam conferre nos, ob Chaldæos Syros'que milites, atque ita Hierosolymis manere. Tum Ioua Ieremiam alloquitur: Sic dicit armipotens Ioua, Deus Israelitarum: I, & ita dicito Iudæis ac Hierosolymitanis: Nónne disciplinam admittetis, meis C obediendo dictis? inquit Ioua. Obeditur iussis Ionadabi Rechabi filij, uetiti'que ab eo eius filij uinum bibere, non biberunt hactenus, quippe patris sui præcepto obsequentes: & uos mihi admonenti, & uigilanter admonenti, non obtemperatis: Cum'que mittendis ad uos tot uatibus meis seruis, uos sedulò commonefecerim, ut à suo quisque prauo desciscẽtes instituto, uestros mores corrigeretis, néue alienos secuti Deos coleretis, ut maneretis in terra quam uobis uestris'que maioribus dedissem, non præbuistis aurem, neque me audiuistis. Cumq́ id D exequantur Ionadabi filij, Rechabi nepotes, quod eis præcepit pater, isti homines mihi non obediunt. Quapropter ita dicit Ioua Deus armipotẽs Deus Israelitarum: Ego Iudæis omnibusq́ Hierosolymitanis importabo quicquid eis mali minatus sum, quoniam mihi loquenti non obtemperarunt, neque clamanti responderunt. Rechabitarum autem familiæ dixit Ieremias: Sic dicit armipotens Ioua Deus Israelitarum: Quoniã uos Ionadabi parentis uestri præcepto obediuistis, eius'que omnia mandata conseruastis, ac quicquid uobis præcepit fecistis, hãc ob rem sic dicit armipotens Ioua, Deus Israelitarum: Non deerit unquam [b] Ionadabo Rechabi filio qui coram me duret.

Suprà 25. b & 25. b

b. de stirpe Ionadabi.

CAPVT XXXVI.

Anno quarto Ioacimi Iosiæ filij, Iudææ regis, Ioua cum Ieremia huiusmodi uerba fecit: Sume libri uolumen, & in eo scribe quæcunque ego tibi contra Israelitas Iudæos'que & omnes gentes effatus sum, ex quo te Iosiæ temporibus affatus sum, ad hunc usq́ diem, si fortè Iudæa domus, audito quot ego malis eos afficere cogitem, desciscant à suo quisque prauo instituto, atque ita ego eorum culpæ peccatóque ignoscam. Igitur uocauit Ieremias Baruchum, Neriæ filium, scripsitq́

De Ieremiæ libro, quem Ioacimus cremauit.

Baruchus

Baruchus ex ore Ieremiæ, quæcunque ei Ioua effatus erat, in libri uolumine. Tum Ieremias ita Barucho præcepit: Conclusus ego non possum in ędem Iouæ ire. Tu ibis, & ex uolumine recita bis quæ ex ore meo descripsisti Iouæ di-
B cta, audiente populo, in æde Iouæ, die ieiunij: necnō audiētibus omnibus Iudęis, qui ex suis urbibus aduenerint, ea recitabis, si fortè compellato eorum supplicatione Ioua, desciscant à suo quisq; prauo instituo: nam magna est ira & sæuitia, quam minatur huic populo Ioua. Ita fecit Baruchus Neriæ filius, quicquid ei Ieremias uates præceperat, ut ex libro recitaret Iouæ uerba in æde Iouæ. Cumq; anno quinto Ioacimi Iosiæ filij, Iudææ regis, mense nono, omnibus tū Hierosolymitanis, tum ijs qui ex Iudææ oppidis aduenerāt, indictum esset Hierosolymæ apud Iouam ieiunium, legit Baru-
C chus ex libro, uerba Ieremiæ, in æde Iouæ, in cœnaculo Gamariæ Saphanis filij, scribæ, in atrio superiore, ante nouam templi Iouæ portam, audiente omni populo. Tum Michæas Gamariæ filius, Saphanis nepos, auditis ex libro omnibus Iouæ dictis, descendit in regiam in scribæ cœnaculum: & ibi nactus omnes proceres sedentes, Elisamam scribam, Dalaiam Semeiæ, Elnathanem Achoboris, Gamariam Saphanis, & Sedeciam Ananiæ filium, omnesq; primates, exposuit eis omnem orationem, quam Barucho librum in auribus populi recitante audiuisset. Itaque omnes principes miserunt ad Baruchū, Iudim Nathaniæ filium, Selemiæ nepotem, Chusis pronepotem, qui ei significaret ut secum ferens uolumen, quod audiēte populo legisset, ad eos ueniret. Baruchus Neriæ filius, uolumen secum ferens, eos adit, & hortantibus ut sederet, ac audientibus ipsis
D legeret, legit. Atque illi audita omni oratione, attoniti inter sese, Barucho dixerunt, sese omnem orationem illam regi expositoros. Tum ex ipso Barucho petunt ut eis exponat quo pacto ea omnia ex illius ore scripsisset. Quibus Baruchus ita respondit: Ego illo mihi hæc omnia ore suo dictante, descripsi in libro, atramento. Et proceres: I, inquiunt, & latita tu & Ieremias, ne quis sciat ubi sitis. Deinde regem adeunt in atrium, deposito uolumine in Elisamæ scribæ cœnaculo, & audiente rege, rem omnem exponunt. Tum rex Iudim mittit petitum uolumē. Et Iudis illud ex Elisamæ scribæ cœnaculo petitum, cepit, audiente rege & omnibus qui regi astabant proceribus, legere:
E Sedebat autem rex in tepidario, mense nono, ardente ante eum foculo. Is lectis à Iudi tribus aut quatuor paginis, uolumen scalpro librario dissecuit, & in foculi ignem coniecit, ita ut totum uolumen eo foculi igne consumeretur: tantumq; abfuit ut attoniti sua uestimenta conciderent rex regijq; omnes, qui omnem illam orationem audiebant, ut ne Elnathani quidem & Dalaiæ ac Gamariæ, ne uolumen combureret, dehortantibus, obtemperauerit
rex. Quinetiam mandauit Ierameeli Amelec- F
chi, & Saraiæ Azrielis, & Selemiæ Abdeelis filio, ut Baruchum notarium, & Ieremiam uatem comprehenderent. Sed eos abdidit Ioua, & Ieremiam post combustum à rege uolumen, & post orationem quam Baruchus scripserat ex ore Ieremiæ, sic allocutus est: Iterum sume uolumen aliud, & in eo scribe omnia priora uerba, quæ erant in priore uolumine, quod combussit Ioacimus Iudææ rex, atque ipsi Ioacimo Iudææ regi dicito: Sic dicit Ioua: Tu uolumen istud cremasti, quod in eo uenturum esse Babyloniæ regem scripsissem, & hanc regionem depopulaturum, ex eáque & homines sublaturum, & pecudes. Quapropter sic pro- G
nunciat Ioua de Ioacimo Iudææ rege. Non erit ex eo qui sedeat in Dauidis solio, eiusq; cadauer & ardori interdiu, & gelu noctu obiectum iacebit, animaduertamq; in eum & in eius progeniem atque seruos, eorum culpam, & eis & Hierosolymitanis ac Iudæis omne malum inueham, quod minanti mihi non obtemperarunt. Igitur Ieremias sumptum aliud uolumen tradidit Barucho Neriæ filio, notario, in quo ille ex ore Ieremiæ scripsit omnia uerba libri, quem Ioacimus Iudææ rex igni cremauerat, additis insuper & multis eius generis alijs.

CAPVT XXXVII.

Sedecias Iudææ rex.

Regnauit autem Sedecias Iosię filius pro Iechonia Ioacimi filio, creatus in Iudæa rex à Babyloniæ rege Nabuchodonosore, nec obtemperauit ipse, aut eius serui, aut regionis populus, Iouæ dictis, quæ per Ieremiam uatem eloquebatur. Is rex Sedecias Iuchalem Selemiæ, & Sophoniam Maasiæ filium pontificem misit ad Ieremiam uatem cum hoc mandato: Precare quæso pro nobis Iouam Deum nostrum. Versabatur autem Ieremias in publico, nec erat in carcerem coniectus, & Pharaonis exercitus erat ex Aegypto profectus, cuius audita fama Chaldæi, qui Hierosolymam obsidebant, à Hierosolyma discesserant. Igitur Ioua cum Ieremia uate uerba fecit in hunc modum: Sic dicit Ioua Deus Israelitarum: Sic dicetis Iudææ regi, qui uos ad me consulendum misit. Exercitus Pharaonis, ad ferendum uobis auxilium profectus, reuertetur in Ae- B
gyptum, suam terram, reuersiq; Chaldæi urbem istam opugnabunt, capientq;, & igni comburent. Sic dicit Ioua: Nolite animos efferre, arbitrantes discessuros à uobis Chaldæos: non enim discedent. Quin licet Chaldæos omnes uobiscum bellum gerentes, ita concideritis, ut ex eis transfossi duntaxat supersint homines, illi ipsi surgent ex suo quisque tabernaculo, & urbem istam igni cremabunt. Profecto autem Chaldeorum exercitu à Hierosolymis, ob Pharaonis exercitum, egressus est Hierosolyma Ieremias, iturus in Beniamitidem, ut inde hominum uulgus subterfugeret. Sed ubi ad Beniamiticam portam uentū est, is cui illic

cura

C cura mandata erat, Ierias nomine, Selemiæ filius, Ananiæ nepos, Ieremiã uatem cõprehendit, dicens eum ad Chaldæos transfugere, neq; Ieremiæ falsum esse dicenti, seq; ad Chaldæos transfugere neganti, auscultauit, sed cõprehensum ad proceres perduxit, qui in Ieremiam sæuierũt, eumq; cæsum in uincula cõiecerunt, in ædibus scribæ Ionathanis: nam ex eis fecerant carcerem. Cum Ieremias in barathrũ imamq; specum deuenisset, & ibi multos dies mãsisset, curauit rex Sedecias inde accersendum, eumq; domi suæ clàm interrogauit, ecquod esset Iouę effatum. Est, inquit Ieremias. Tu in manũ regi

Ieremias in carcerem conijcitur.

D Babyloniæ traderis. Sed quid in te peccaui? inquit, aut in tuos, aut in hunc populũ, ut me conieceritis in carcerem? Et ubi sunt uates uestri, qui uobis uaticinabãtur, Babyloniæ regem nõ esse uos & hanc terram aggressurum? Et nunc audi quæso, domine mi rex: admitte quæso meam supplicationem, néue me in scribæ Ionathanis ædes remiseris, ne illic moriar. Itaque iussit rex Sedecias poni Ieremiam in atrio custodiæ, eiq; quotidie panis unus dabatur ex foro pistorio, donec consumptus est omnis in urbe panis: atq; ita mansit Ieremias in atrio custodiæ.

CAPVT XXXVIII.

De Ieremia in fossam coniecto.

Supra 21.a

AVdiuit autem Saphatias Mathanis, Godolias Phassuris, Iuchal Selemię, & Phassur Melchiæ filius, Ieremiam ad omnem populum loquentem his uerbis: Sic dicit Ioua: Qui manserit in hac urbe, is ferro, fame, peste morietur. Qui uerò ad Chaldæos exiuerit, is uitæ salutisq; suæ consulet. Sic dicit Ioua, uenturam esse urbem hanc in exercitus regis Babyloniæ potestatem, ab eoq; capiendam. Hanc ob rem illi proceres ita regi dixerũt: Moriatur quæsumus is homo, qui reliquorũ in hac urbe militum, totiusq; populi, manus emolliat, huiusmodi uerbis eos alloquendo. Nam is homo non saluti

B studet eius populi, sed malo. Quibus rex Sedecias: Is uerò uobis est in manu, inquit: nec enim in uos quicquam potest rex. Tum illi captum Ieremiam, deiecerunt in Melchiæ regis filij fossam, qui erat in atrio custodiæ, & funibus demiserunt: qua in fossa cum nõ esset aqua, sed cœnum, demersus est Ieremias in cœnum. Sed Abdemelechus, homo Aethiops, spado, qui erat in regia, ubi Ieremiam audiuit in fossam esse coniectum, egreditur ex regia, & regem, qui sedebat in porta Beniamitica, his uerbis alloquitur: Domine rex, omnino malè ege-

Abdemelechus Aethiops.

C runt homines isti, in eo quod Ieremiæ uati fecerunt, quem quidem in fossam coniecerint, ibidem fame moriturum, quippe cum non supersint in urbe cibaria. Tum rex Abdemelecho Aethiopi mandauit, u tassumptis triginta ex ijs qui aderant hominibus, Ieremiam uatem ex fossa extraheret, priusquã moreretur. Itaq; Abdemelechus, adhibitis hominibus, iuit in regiã, sub cellã, & sumptos inde laceros obsoletosq; pannos, funibus ad Ieremiã in fossam demisit, monuitq; ut eos subter axillas suas funibus supponeret: quod cum fecisset Ieremias, illi eum funibus extrahentes, subduxerũt ex fossa, D

atq; ita mãsit Ieremias in atrio custodiæ. Deinde rex Sedecias Ieremiã uatem ad se in tertium templi Iouę aditum iussit accersi, eumq; sic allocutus est: Ego quæram ex te quiddam, quod noli celare me. Cui Ieremias: Si ego id tibi exposuero, tu forsitan occides me: & si tibi consilium dedero, nõ mihi obtemperabis. Tum rex Sedecias Ieremiæ clàm iurat: Per Iouã immortalem, inquit, qui nobis hunc animum creauit, non occidam te, neq; tradam illis hominibus, qui tuam necem cupiunt. Et Ieremias Sedeciã sic alloquitur: Sic dicit Ioua Deus armipotẽs, Deus Israelitarum: Si ad regis Babyloniæ pro- E

ceres exiueris, & tu unà cum tua domo uiues, neque hæc urbs igni cremabitur. Sin non exiueris, & hæc urbs ueniet in Chaldæorum potestatem, qui eam igni comburent, neque tu eorum manus euades. At rex: Formido Iudæos, inquit, qui ad Chaldæos transfugerunt, ne eis tradar illudendus. Non traderis, inquit Ieremias: audi Iouæ uocem, quam ego tibi eloquor, ut tuo bono salutiq; consulatur. Quòd si exire renuis, accipe quid mihi Ioua monstrauerit. Omnes mulieres, quæ in Iudææ F

regia supersunt, educentur ad regis Babyloniæ proceres, & tibi obijcient, te à tuis amicis proditum atque uictum esse, pedibus in cœnum demersis, illis retrò regressis. Tum omnes tuæ uxores ac liberi educentur ad Chaldæos, neque tu eorum manus effugies, quin regis Babyloniæ manu capiêris, qui & urbem hanc igni cremabit. Et Sedecias: Hæc nemo rescilcat, inquit, ne tu moriare. Quòd si primates me te- G

cum esse locutum audierint, teq; conuenerint, petentes ut sibi exponas & quid tu cum rege, & quid rex tecum locutus sit, ac tibi mortem, si id se celaueris, minitantes, dices eis te à rege precibus contendisse, ne te in Ionathanis ædes reduceret, ne ibi moriaris. Igitur cum audiuissent primates omnes Ieremiam, eumq; interrogassent, retulit eis prorsus eodem modo, quo iusserat rex: itaque illi ab eo se abstinuerunt, re inaudita. Mansit autem Ieremias in atrio custodiæ ad eum diem quo capta Hierosolyma est.

CAPVT XXXIX.

Hierosolymæ expugnatio.

4.Re.25.a

Infra 52.a

QVa quidem capta (irruptum est autem in urbẽ anno Sedeciæ undecimo, quarti mensis die nono, cum quidem eiusdem Sedeciæ Iudææ regis anno nono, mense decimo, Nabuchodonosor Babyloniæ rex cum suis omnibus copijs Hierosolymã adortus obsedisset) ingressi omnes regis Babyloniæ proceres, manserunt in porta media, Neregal, Sarescr, Samgarnabo, Sarsachimus, Rabsaris, Neregal, Sarescr, Rabamagus, & omnes reliqui regis Babyloniæ proceres. Quibus uisis Sedecias Iudææ rex, & omnes milites, aufugerunt: & ex urbe noctu egressi, regiorum hortorum uia,

uia, per portã duobus muris interpositam, profecti sunt per campestria. Sed eos persecuti milites Chaldæi, Sedeciam in Hiericuntijs cam-
B pis assecuti, comprehenderunt, & ad Babyloniæ regem Nabuchodonosorem, ad Reblatham, in Hemathensem terram adduxerunt. Is Babyloniæ rex Reblathæ de Sedeciæ supplicio egit, & eo spectante, eius filios, & omnes Iudæos nobiles trucidauit. Tum ipsum Sedeciam oculis excæcauit, & catenis, Babylonem ducendum, colligauit. Regiam autem plebeiasꝙ domos igni combussere Chaldæi, & Hierosolymæ muros diruerunt. Reliquias hominum, qui in urbe supererant, transfugasꝙ, qui ad illum perfugerant, & quod populi restabat, transtulit Nabuzardan magister equitum in Ba-
C byloniam, relictis ex tenui & inopi plebe in Iudæa, quibus tunc uineas agrosꝙ assignauit. Mandauit autem Nabuchodonosor Babyloniæ rex de Ieremia Nabuzardani equitum magistro, ut eum accerseret, curæ que haberet, néue eum ulla re læderet, sed ipsius arbitrio tractaret. Itaque curauit Nabuzardan magister equitum, necnon Nabusazbazus, Rabsaris, Neregal, Sareser, Rabamagus, omnesꝙ Babyloniæ regis optimates, accersendum ex atrio custodiæ Ieremiam, eumꝙ Godoliæ Ahicami filio, Saphanis nepoti, tradiderunt, educendum domum, & in publico uersaturum. Ieremiam
D autem in atrio custodiæ conclusum, allocutus erat his uerbis Ioua: I, & Abdemelecho Aethiopi dicito: Sic dicit armipotens Ioua Deus Israelitarum: Scito me importaturum urbi isti quæ prædixi mala, non bona, eaꝙ tum te præsente futura. Sed te tum defendam, inquit Ioua, neꝙ in hominum potestatem uenies quos exhorres: quin te ita tuebor, ut armis non cadas, uitæꝙ tuæ consuletur, quoniam mihi confidisti, inquit Ioua.

Abdemelecho salutẽ promittit Ioua.

CAPUT XL.

SErmo à Ioua habitus ad Ieremiam, postquã eum à Rama dimisit magister equitum Nabuzardan, cum quidem eum inter tot Hierosolymitanos Iudæosꝙ extorres, qui in Babyloniam relegabantur, manicis constrictum prehendisset, atque ita allocutus esset: Ioua Deus tuus malum hoc in istum locum & prædixerat, & ut prædixerat, intulit, fecitꝙ, quoniam uos in Iouam peccastis, nec ei dicto audientes fuistis, ideoꝙ uobis ista res accidit. Nunc ego soluo te hodie manicis istis, quas in manibus habes. Si tibi placet mecum Babylonẽ ire, ueni: ego geram tui curam. Sin minus placet, omitte: tota quidẽ terra tibi patet: tu quò tibi eundum uidebitur ac placebit, ito. Cum que Ieremias nondum reuerteretur, ille eum sic alloqui perrexit: Aut reuertere ad Godoliam Ahicami filium, Saphanis nepotem, quem urbibus Iu-
B dææ præfecit Babyloniæ rex, & cum eo inter hominum uulgus maneto: aut quócunque tibi uidebitur eundum, ito: ei que dedit magister equitum uiaticum & munus, & eum dimisit. Ita uenit ad Godoliam Ieremias, Ahicami filium, ad Maspham, & apud eum mansit inter eos qui in terra supererant, homines. Cæterùm cum audiuissent omnes militiæ duces qui in agris erant unà cum suis hominibus, Godoliam Ahicami filium, à Babyloniæ rege prępositum esse regioni, & cum eo collocatos uiros, fœminas, paruulos, et regionis tenuissimos quosꝙ, C
ex ijs qui Babylonem nõ fuissent relegati, uenerunt Maspham ad Godoliam Ismael Nathanię filius, Iohannes & Ionathan Careæ filij, Saraias Thanehumeti filius, et Ephai Netophatitę filij, & Iezonias Maachatis filius, ipsi eorumꝙ homines. Quibus eorumꝙ hominibus Godolias Ahicami filius, Saphanis nepos, iurauit in hunc modum, Ne metuite seruire Chaldæis: manete in hac regione, Babylonio regi seruientes, & bene uobis erit. Equidem hic Masphæ dego, ut Chaldæis præstò sim, qui ad nos uenerint: uos quoꝙ uinum, fruges, oleum percipite, & in uasis uestris condite, quæꝙ tenetis oppida uestra, incolite. Omnes quoꝙ Iudæi, qui apud Moabitas, Ammonitas, Idumæos, deniꝙ qui omnibus in terris erant, ubi intellexerunt Babyloniæ regẽ reliquos fecisse Iudæos, eisꝙ Godoliã Ahicami filium, Saphanis nepotem, præfecisse, reuersi sunt omnibus ex locis, in quę fuerant dissipati, seꝙ Maspham in Iudęam cõtulerunt ad Godoliam, & uini frugumꝙ plu- D
rimum perceperunt. Iohannes uerò Careæ filius, & omnes militię duces, qui erant in agris, Maspham ad Godoliam uenerunt, eum que certiorem fecerunt, à Baali Ammonitarum rege missum esse Ismaelem Nathaniæ filium, qui ei mortem inferret. Quibus non credente Godolia, Iohannes Carę filius eum Masphę clanculum sic est allocutus: Vis ut eam occisum Ismaelem Nathaniæ filium, nemine conscio? ne ille tibi mortem consciscat, atque ita dispersis omnibus, qui ad te congregati sunt Iudæis, pereant Iudææ reliquiæ. Cui Godolias: Tu uerò istud ne feceris, inquit: nam de Ismaele falsum dicis.

Nabuzardan soluit Ieremiam.

Dißipati conueniunt ad Godoliam.

4. Reg. 25. f

CAPUT XLI.

SEptimo autem mense uenit Ismael Nathaniæ filius, Elisamę nepos, de semine regio, regijꝙ optimates, & cum eo uiri decem, Maspham ad Godoliam Ahicami filium, atꝙ ibi Masphæ cum simul cibum caperent, surgit Ismael Nathaniæ filius, & uiri decem eius comites, et Godoliam Ahicami filium, Saphanis nepotem, gladijs uulnerant ac interficiunt, quem regioni præfecerat Babyloniæ rex. Itemꝙ Iudæos omnes, qui Masphę cum illo Godolia erant, & Chaldæos milites, qui ibi reperti sunt, occidit Ismael. Secundo die post interfectũ nemine sciente Godoliam, aduenerunt homines à Sichema, Silunte, & Samaria, uidelicet octoginta, [a] rasis barbis, laceratis uestibus, & compuncti, fertum atque thus secum ferentes, ut ea in ædem Iouæ inferrent. Quibus Ismael Nathaniæ filius Maspha exijt obuiam, flens inter B

De Godoliæ & aliorum morte.

a. lugẽtes.

eundum, atque ubi eis ocurrit, inuitauit ut ad Godoliam Ahicami filium uenirent. Deinde ubi in medium oppidum uenerunt, trucidauit eos Ismael unà cum suis comitibus, & in mediam fossam proiecit. Inuenti sunt autem in eis homines decem, qui ab Ismaele petierunt ne se interficeret: esse enim sibi reconditum in agris triticum, hordeum, oleum atque mel: itaque ille se ab eis inter ipsorum cognatos perimendis abstinuit. Fossa autem, in quam proiecit Ismael omnia hominum corpora, quos secundum Godoliā occidit, ea erat quam fecerat rex Asa propter Baasam Israelitarū regem, quam quidem Ismael Nathaniæ filius cæsorum corporibus re-

C pleuit. Deinde reliquum hominum, quicunque erant Masphæ, regis filias, & quicquid hominum Masphæ restabat, quibus præfecerat Nabuzardan magister equitum Godoliam Ahicami filium, abigens Ismael Nathaniæ filius, in Ammonitas ire contendit. Sed Iohannes Careæ filius, & quicunque militum duces cum eo erant, audito quantum scelus patrasset Ismael Nathaniæ filius, adhibitis omnibus uiris, profecti sunt ad inferendum ei bellum, eumque offenderunt ad magnum quendam fluuium apud Gabaonem. Ac Iohannem & omnes eius comites militiæ duces conspicati quicunque ab Ismaele à Maspha abducebantur, læti ad Iohannem reuerterunt. Ismael autem

D cum octo uiris Iohanni elapsus, ad Ammonitas se contulit. Iohannes omnes'que eius comites militiæ duces, adhibitis hominum reliquis, quoscunque ab Ismaele Maspha, post interfectum ab eo Godoliam, abactos, abduxerat à Gabaone, uidelicet uiros milites, mulieres, paruulos, & spadones, uenerunt in Geruthchamaam, qui locus est apud Bethlehemam: ibique commorati sunt ut Aegyptum peterent, Chaldæorum metu, quòd Godoliam prouinciæ à Babyloniæ rege impositum, occidisset Ismael.

CAPVT XLII.

Dissipati Ieremiam quid sibi faciendum sit consulunt.

ACcesserunt igitur omnes militiæ duces, & Iohannes Careæ, & Iezonias Osaiæ filius, uniuersusque populus tum parui, tum magni, ad Ieremiam uatem, & cum eo egerunt in hanc sententiam: Patere quæsumus exorari te ut pro nobis Iouam Deum tuum ores, pro his quantiscunque reliquijs, qui pauci restamus ex multis, ut tute nos tuis oculis uides, ut nobis ostendat Ioua Deus tuus quam uel uiam insistamus, uel rem agamus. Quibus Ieremias: Audio, inquit: ego, ut postulatis, Iouam Deum uestrum orabo: ac quicquid uobis Ioua responderit, id uobis indicabo, neque quicquam uos celabo. Atque illi: Ioua nobis fidus certusque testis esto (inquiunt Ieremiam alloquentes) nos utcunque tibi Ioua Deus tuus ad nos mandauerit, ita facturos esse, siue bonum, siue malum sit. Iouæ Deo nostro, ad quem te mittimus, dicto audientes erimus, ut bene nobis eueniat, cum obediuerimus Iouæ Deo nostro. Igitur peractis decem diebus, Ieremias, Ioua eum allocuto, Iohannem Careæ filium, omnesque eius comites militiæ duces, denique omnem populum à minimo ad maximum, euocat, & sic affatur: Sic dicit Ioua Deus Israelitarū, ad quē me misistis uos, ut uestram supplicationem ei præsentarem. Si remāseritis in ista terra, construā uos, nō diruā: conserā uos, nō euertam: quoniam pœnitet me mali, quo uos affeci. Ne metuite regem Babyloniæ, quem metuitis: eum ne metuite, inquit Ioua: nam ego uobis adero ad uos conseruandos, & ab illius manu defendēdos, & erga uos eam commouebo eius misericordiā, ut uos in terram uestrā reuocet. Quòd si Iouæ Deo uestro nō obtemperantes, negatis uos in regione ista māsuros, sed potius in Aegyptū uenturos, ubi manentes neque bellū uideatis, aut tubæ sonitum audiatis, neque panem esuriatis, audite uerò Iouæ dicta, reliqui Iudæi. Sic dicit armipotens Ioua Deus Israelitarum: Si uos ad petendam Aegyptum conuertitis, eoque cōmorandi causa uaditis, fiet ut quæ timetis arma, uos illic in Aegypto comprehendant, famesque, propter quam sollicitamini, illic in Aegypto uos à tergo urgeat, & ibi moriamini. Ac quicunque hominum sese ad Aegyptum conuerterint, ut eò profecti, ibi commorentur, ij armis, fame, peste morientur, nec quisquam eorum supererit aut euadet: tantum ego eis malorum inueham. Sic enim dicit armipotens Ioua, Deus Israelitarum: Quemadmodū destillauit ira bilisque mea in Hierosolymitanos, ita destillabit mea bilis in uos in Aegyptū profectos, eritisque cum admiratione execrabiles, detestabiles, infames, nec amplius locum istum uidebitis. Edicit uobis Ioua, ò reliqui Iudæi, ne in Aegyptū eatis: cognoscite uos à me hodierno die commonitos esse. Vestræ enim uitæ periculo erratis, qui cum me ad Iouam Deum uestrū misistis, potentes ut pro uobis Iouam Deum uestrum orarem, ac quicquid Ioua Deus uester dixisset, uobis renunciarem, uos enim facturos: cum ergo id uobis hodie renunciauerim, uos non obtemperatis Iouæ Deo uestro in omnibus quæ ipse mihi ad uos mandata dedit. Quamobrem scitote uos armis, fame, peste morituros in loco, in quem ire ad ibi peregrinandum concupiscitis.

CAPVT XLIII.

POstquàm perorauit Ieremias ad omnem populum hanc orationem, quam ei Ioua Deus eorū ad eos mādauerat, Azarias Osaiæ, & Iohannes Careæ filius, & hominū arrogantissimi quique, Ieremiæ sic responderunt: Tu falsum dicis: non tibi mandauit Ioua Deus noster ut nos uetares ire commoratum in Aegypto. Sed Baruchus Neriæ filius te in nos instigat, ut nos in manum conijciat Chaldæorum, qui nos uel interficiant, uel in Babyloniam deportent. Ita Iouæ dicto audientes non fuerunt Iohannes Careæ filius, & omnes tum militiæ duces, tum reliqui, ut in Iudæa terra manerent, assum-

assumpseruntq́ Iohannes & omnes duces, reliquias omnes Iudæorum, qui ex quacunque gentium in quas fuerant dissipati, redierant ad commorandum in Iudæa, uiros fœminas, paruulos, regias filias, denique quoscunque homines Nabuzardan magister equitum, Godoliæ Ahicami filio Saphanis nepoti, reliquerat, nec non Ieremiam uatem, & Baruchum Neriæ
C filium, & in Aegyptum iuerunt, Iouæ non obedientes. Postquam ad Taphnim peruenerunt, Ioua Taphnis Ieremiam sic allocutus est: Sume manu duos magnos lapides, & eos in argilla, in figlina, quæ Taphnis est, pro foribus domus Pharaonis, spectantibus Iudæis hominibus, abdito, eisq́ dicito: Sic dicit armipotens Ioua, Deus Israelitarum: Ego meum Nabuchodonosorem Babyloniæ regem accersendum curabo. & eius solium istis, quos abdidi, lapidibus superimponam, super que eis augustale suum tendet, & Aegyptiam terram qua letho, qua capitiuitate, qua ferro, uerberatum ueniet,
D incensasq́ Aegyptiorum deorum domos igni comburet, & eos captiuos abiget, atque ita omni [a] Aegyptia terra amictus, quomodo amicitur sua ueste pastor, exibit inde incolumis, fractis statuis templi Solis, quod est in Aegypto, Aegyptiorum'que deorum templis igni crematis.

a. Aegypto spoliata.

CAPVT XLIIII.

In Iudeos Aegypti.

SErmo ad Ieremiam habitus ad omnes Iudæos Magdolis, Taphnis, Memphis, & Phari in Aegypto incolas, in hunc modũ, Sic dicit armipotens Ioua, Deus Israelitarum: Vos uidetis quot ego mala in Hierosolymam, inq́ omnes Iudæas urbes importauerim, adeò ut hodierno die desolatæ careant incolis, propter illorum scelera quibus cõmittendis me irritarunt, dum alienis dijs adolendo seruitum eunt, quos nec ipsi, nec uos, nec maiores nouerant uestri. Cum'que ego meis tot uatibus aduos mittendis, & uigilanter mittendis, monerem ne tam nefariam rem, & mihi inuisam faceretis, non audiuerunt, nec aurem præbuerunt ut à suo scelere se reuocarent, alienis non adolen-
B do dijs. Itaque destillans bilis & ira mea, usque adeò in Iudeas urbes & Hierosolymorum uicos exarsit, ut in uastam solitudinem uersę sint, ut res indicat. Quare sic dicit Ioua Deus armipotens, Deus Israelitarum: Cur uos uestro ipsorum periculo, tantum scelus facitis: ut uestrûm & uiri & fœminæ & pueri lactentes'que extirpentur ex Iudæa, nec ex uobis quicquam reliquum fiat, dum me uestris factis irritatis, alienis adolendo dijs in Aegypto, quò ad commorandum uenistis, ut excindamini, & in omnibus terrarũ gentibus detestabiles sitis & infames? Oblitíne estis scelera maiorum uestrorum, Iudææq́ regum, & uxorum eorũ, uestraq́ & uestrarum uxorũ, quæ scelera illi in Iudæa, perq́ Hierosolymæ uicos fecerunt, indomiti ad hũc diem, neq́ ueriti, nec meæ lege & institutis obsequentes, quæ ego uobis uestrisq́ maioribus proposui? Quocirca sic dicit armipotens Ioua, Deus Israelitarum: Ego ad uestrum malum cõuersus, Iudæos omnes excindam, eorumq́ reli-
C quos qui se ad Aegyptum conuerterunt, ut ibi commoratum uenirent, ita accipiam, ut omnes in Aegypto conficiantur, ferro cadant, fame cõsumantur à minimo ad maximum, ferro'que & fame enecti, mirum in modum execrabiles, detestabiles, & infames sint. Animaduertam'que in incolas Aegypti, sicut in Hierosolymam animaduerti, ferro, fame ac pestilentia. nec erunt ex reliquis Iudæis, qui in Aegyptum ad commorandum uenerunt, qui elapsi supersint, & in Iudæam reueniant, quò se redituros esse, & i-
D bi mansuros sibi persuadent: nec enim redibũt præterquam [b] elapsi. At uiri omnes (qui sciebant uxores suas alienis adolere dijs) & omnes quæ aderant mulieres, cœtus ingens, omnisq́ populus Phari, in Aegypto degentium, Ieremiæ responderunt in hanc sententiam: Quam tu rem nobis per Iouæ nomen renuncias, in ea tibi nos nõ obtemperabimus. Quin quamcunque rem pronunciauerimus, eam faciemus, ut cœli reginę adoleamus, & latices libemus quẽadmodum fecimus & nos, & maiores, regesq́ & principes nostri, cùm per cæteras urbes Iudææ, tum per uicos Hierosolymæ, ut uictu læti abundemus, nihil'que mali patiamur. Equidem ex quo reginæ cœli adolere, & libamina fundere desijmus, omnibus rebus caruimus, ferro'que & fame confecti sumus. Quòd si nos
E cœli reginæ adolemus, & latices libamus, an sine uiris nostris eam faciendis placentis, fundendis'que libamentis, placamus? Tum Ieremias omni populo, uiris, fœminis, denique omnibus, qui ei responsum illud dederant, ita dixit: Ergo quæ suffimenta uos maioresq́ & reges & principes, & conterranei uestri, adoleuistis in oppidis Iudęæ, inq́ Hierosolymę uicis, ea adeò meminit & in animo habuit Ioua, ut uestrorum morum prauitatem, & quæ flagitia fecistis, amplius pati nequiuerit, sit'que terra uestra in stupendam & execrandam redacta uastitatem atque in cultum, ut apparet. quoniam suffiuistis, & in Iouam peccastis, Iouæ non obsequentes, aut ex eius lege, institutis, monitisq́ uos gerentes, quam ob causam uobis accidit istud mali, ut res indicat.

F Audite Iouæ dictum (inquit, omnem populum, omnes'que fœminas alloquens Ieremias,) quicunque Iudæi estis in Aegypto. Sic dicit armipotens Ioua, Deus Israelitarum: Vos uxoresq́ uestrę & ore dicitis, & manibus exequimini, dicentes uestra uota, quibus cœli reginæ suffitionem libaminumq́ fusionem uouetis, facturos, & eadem uota præstantes atq́ facientes. Quapropter audite Iouæ dicta, quicunq́ Iudæi degitis in Aegypto. Ego per meum magnum nomen iuro (inquit Ioua) non amplius appellatum iri meum nomen in tota Aegypto ullius ore Iudæi, dicentis: Per immortalem Dominum Iouam. Ego eorum malo, non bono,

Amos 9.b

b. pauci qui euaserint.

Sup. 7.d

C ita inuigilabo, ut quicunq; Iudęi sunt in Aegypto, ij ferro fameq; consumantur ad internecionem: ac qui ferrum euaserint, ij ex Aegypto in Iudaeam numero pauci redibunt, scientq; omnes reliqui Iudaei, qui in Aegyptum commorandi gratia uenerunt, utrum mea an ipsorum dicta rata sint. Atq; hoc signi habetote, inquit Ioua, me isto in loco animaduersurum esse in uos, ut intelligatis meas in uos minas fore ratas. Sic dicit Ioua: Ego Pharaonem Ophram, Aegypti regē, capitalibus eius hostibus in manum tradam, ut & Sedeciam Iudaeę regem Nabuchodonosori Babyloniae regi, eius hosti capitali, in manum tradidi.

CAPVT XLV.

Ad Baruchum oraculum.

SErmo quem habuit Ieremias uates ad Baruchum Neriae filium, cum is illa uerba scripsisset in libro ex ore Ieremiae, anno quarto Ioacimi Iosiae filij, Iudaeae regis, huiusmodi uerbis: Sic tibi dicit Ioua Deus Israelitarum, Baruche: Conquereris miserabiliter, Iouam dolori tuo addere moerorem, teq; gemendo defes-
B sum, non inuenire requiem. Sic ei dices: Sic dicit Ioua, Ego quod extruxi, idem destruam: & quod plantaui, eruam, uidelicet omnem istam terram: & tu tibi tam [a] magna petes? Ne pete, nam ego malum omnibus importans mortalibus, inquit Ioua, saluam tibi uitam concedam, quocunq; locorum uades.

a. ardua & difficilia uidelicet requietem, in omnium inquietudine.

CAPVT XLVI.

Habitus ad Ieremiā uatē sermo Iouae aduersus exteras gentes.

In Aegyptios.

IN Aegyptios, aduersum Pharaonis Nechonis, Aegypti regis, exercitum, qui erat Charcanis apud Euphratem fluuium, quem fudit Nabuchodonosor Babyloniae rex, anno quarto Ioacimi Iosiae filij, Iudaeae regis: Parate clypeos & scuta, & inite praelium. Iungite equos, & ascendite equites, atque in galeis consistite: polite lanceas, induite loricas. Cur eos uideo pauidos? retrò cedentes? eorum'que fortissimos caesos, fugam capessere sine respectu, terrore circundante, inquit Ioua? Ne effugiant celeres,
B res, néue fortes euadant: ad aquilonem secundū flumen Euphratem allisi cadunt. Quis iste est qui [a] ritu fluminis ascendit, ruentibus eius quasi fluuialibus aquis? Aegyptius ritu fluminis ascendit, ruentibus quasi fluuialibus aquis: Ascendam, inquit, terram operiam, urbem cum suis incolis perdam. Ascendite equi: furite quadrigae: prodeant fortes Aethiopes, Libyes'que clypeati, & lydij sagittarij. Ille quidem dies, Domino Iouae armipotenti dies est ultionis,
C quo suos ulciscatur hostes, comedat'que ad satietatem gladius, & cruore madeat illorum, Domino Ioua armipotente sacrificium in septentrionali terra ad flumen Euphratem habente. Ascende in Galaaditidem, & pete resinam, uirgo puella Aegypte: frustra multis uteris medicamentis: nihil tibi proficitur. Audiunt gentes tuam turpitudinem, tua'que replet terram querimonia, quoniam fortes fortibus allisi, utrique cecidere pariter.

a. rapidè

Sermo quem habuit ad Ieremiam uatem Ioua, de uenturo Nabuchodonosore Babyloniae rege ad inferendam Aegypto cladem: Praedicate per Aegyptum, nunciate Magdole, nunciate & Memphi atque Taphnis: dicite, Consiste, te'que compone, nam uorat ensis circa te. Qui fit ut deuicti tui generosi nō stent, Ioua eos profligante? Frequentes labuntur, incidentes alius in alium: &, Age, inquiunt, redeamus ad nostros in terram patriam, ob perniciale gladiū. Clamatur ibi, ô Pharao Aegypti rex, [b] tumultus intercipit tempus. Sic uiuam, inquit rex nomine armipotens Ioua, ut quàm est Tabor montanus, et Carmelus maritimus, tam [c] ille ueniet. Instrumenta exilij tibi facito, habitatrix Aegypti puella: nam in solitudinem redacta & excisa Memphis, carebit habitatoribus. Vitula formosa Aegyptus est, quàm inuadet, inuadet ab aquilone impressio, adeò ut etiam eius [d] mercenarij, qui in ea saginatorum uitulorum similes uersantur, uersi fugiant simul, neque stent, quippe quibus perniciosus supplicij dies aduenerit. [e] Vox eius feretur anguinea, quādoquidem cum exercitu uenientes eam securibus aggredientur, quasi lignatores, eius syluam succisuri, inquit Ioua, utpote infiniti, plures locustis, & innumerabiles, inquit Ioua. Pudet puellam Aegyptum deditam in potestatem aquilonaris populi. Dicit armipotens Ioua, Deus Israelitarum: Ego in turbam Minoanam, in Pharaonem & Aegyptum, in'que Aegypti & deos & reges, & tum in Pharaonem, tum in confidentes ei, animaduertam, eos'que eorum necem cupientibus, & Nabuchodonosori Babyloniae G
regi, ac Nabuchodonosorianis, in potestatem tradam: deinde habitabitur ut olim, inquit Ioua. Tu uerò ne metue, mi Iacobida, ne formida, Israelita: nam ego te procul, ego posteros tuos ex eorum captiuitatis terra conseruabo, ita ut reuersus Iacobida, placidè quiescat, exterrente nullo. Tu ne metue, mi Iacobida, inquit Ioua: nam ego tibi adsum: ego gentes omnes, quò te dissipauero, funditus delebo: at te non funditus delebo, sed moderatè castigabo, nec sinam impunitum.

b. repentinus hostiū aduentus Aegyptum opprimit, ita ut nullū sit pugnādi tempus.
c. Assyrius in Aegyptum.
d. scilicet milites.
e. Aegyptus attonita stridebit.

CAPVT XLVII.

Habitus ad Ieremiam uatem sermo Iouae in Palaestinos, antequàm expugnasset Pharao Gazam.

In Palaestinos.

SIc dicit Ioua: Ascensura est ex aquilone aqua, quae in torrentem redundans, terram & quod ea continetur, urbem & eius incolas, inundet. Adeoq; clamabunt homines, adeò eiulabunt incolae, ut prae sonitu strepitus ungularum [a] illius ducum, prae quadrigarum motu & fragore rotarum, ne parentes quidem respiciant liberos: adeò erunt [b] solutę manus eo die, qui dies uenerit ad perdendos omnes Palaestinos, ad excidendam Tyrum & Sidonem, omnes auxiliarium reliquos. Perdet enim Ioua Palestinos, reliquias [c] insulae Cappadocū. Venit [d] rasura in Gazam: deleta est Ascalon, reliquiae

B
a. Nabuchodonosoris.
b. territi homines.
c. insulā uocat maritimum locū.
d. luctus, in
C
quo raduntur pili.

quia uallis eorũ? quousq; te e laniabis? Heu Iouæ ensis, quem ad finem non cessabis? condere uagina tua, & tacitus quiesce. D Quo pacto cessabis, cui Ioua aduersus Ascalonem marinumq; litus imperet, f quò tibi indixit?

e. scilicet in luctu, hoc est quousque lugebis? f. ubi te adesse iussit.

CAPUT XLVIII.

De Moabitis.

In Moabitas.

SIc dicit armipotens Ioua, Deus Israelitarũ: Heu Nabo, nam periit: pudet captam Cariathaimam: pudet fictaam Misgabam: nõ iam Moabitarum laus est Hesebone, cui malè cogitetur: Agite, excindamus eam ex hominũ numero. Tu quoq; Madmena deleberis, persequẽte te gladio. Auditur querula uox ab Horonaima, strages & calamitas ingens: fracta Moabitis est: edunt eius paruuli querelã. Nempe per Luhithę cliuum cum lugubri ploratu ascenditur: nempe per Horonaimæ descensum hostilis calamitatis quiritatus auditur. Fugite, consulite uitę uestrę, similes futuræ syluestris myricæ. Etenim quoniam tuis rebus facultatibusq; freta es, tu quoque capieris, migrabitq; a Chamosus in exilium, unà cum suis sacerdotibus & proceribus, peruadetq; uastator omnes urbes, B nec urbs euadet ulla, & ualles peribunt, & campi uastabuntur, nam id dicit Ioua. Date Moabitidi pennas: nam emigrabit, & eius urbes in tantam uastitatem redigentur, ut nullus in eis habitet. Execrabilis qui facit opus Iouæ fraudulenter: execrabilis item qui eius ensem prohibet à sanguine. Tranquillus Moabita à pueritia, inq; suis quiescens fæcibus, non est ex alio uase transfusus in aliud, nec abiuit in exilium, ideo'que manet suus in eo sapor, nec est eius odor immutatus. Itaque tempus erit, inquit Ioua, cum ego ei uectores mittam, qui eum uehant, eiusque uasa uacuent, et lagenas collidant, pudebitque Moabitas Chamosi, quemadmodum pudet Israelitas Bethelis, suæ fiducię. C Audebitis ne dicere uos esse fortes, & bello pollentes uiros? Perit Moabitis, eiusque & urbes deflagrant, & lecta pubes ad cędem descendit, inquit rex nomine armipotens Ioua. Breui ueniet excidium Moabitæ, eius'que malum multum properat. Dolete eius uicem omnes eius finitimi, omnes'que quibus notum est eius nomen, dicite: Qui fit ut fractus sit potens baculus, uenusta uirga? Descende de gloria, & dege in siti, puella Dibonensis: nam Moabitarum uastator ad te proficiscitur, tuas corrupturus munitiones. Ad uiam sta, & speculare, quæ Aroer incolis: interroga profugos & elapsos, quærens quid acciderit. Pudet confractũ Moabitam, eiulate quiritantes, nunciate ad Arnonem, periisse Moabitam, sumptum'que supplicium esse de terra campestri, de Helone, de Iasa, Mephaatha, Dibone, Nabone, Bethdiblathaima, D Cariathaima, Bethgamule, Bethmaone, Cariothis, Bosra, denique de omnibus Moabiticæ terræ oppidis tum remotis, tum uicinis. Abscissum est Moabi cornu, brachiumq; fractum, inquit Ioua. Inebriate eum, quoniam contra Iouam sese effert, b pauiat'que Moabita uomitum suum, & sit ipse quoque ludibrio. nisi fortè ubi non fuit Israelita ludibrio, quasi inter fures deprehensus, qui simulac eius mentionem facis, c commoueris. Deserite urbes, & habitate Petram, Moabitidis incolæ, & este columbæ similes nidificantis intra caui fauces. Audimus Moabitæ fastum, ualde fastosi, arrogãtiam, superbiam, insolentiam, animi'que fastidium. E Ego noui (inquit Ioua) tam immodicam eius ferocitatem, ut eius uires non paria faciant. Itaque Moabitas eiulabo, de Moabitis omnibus conquerens: ad Cirheresenses sonabitur. Iazerensi ploratu plorabo te, ô Sabamensis uinea, cuius palmites traiecto lacu, ad Iazerensem lacum pertingunt. In æstatem uindemiam'que tuam irruit uastator, sublatum'que est ex agro culto, & Moabitica terra, gaudium & lætitia, & uinum ex torcularibus abstuli: non calcabitur cum celeusmate, celeusma celeusma nõ erit. Ex Hesebonis clamore ad Eleale, ad Iasam edunt uocem, à Sigori ad Horonaimam, d uitulam trimam: nempe etiam Nemrimana aqua redigetur in uastitatem, auferam'que ex Moabitis (inquit Ioua) immolantes in sacellis, & diis suis adolentes. F Ergo mihi animus de Moabita tibiarum ritu sonat: mihi super Cirheresensibus animus tibiarum ritu sonat, quandoquidem quas comparauerãt, periere copiæ. Nam omne & caput tonsum, & mentum rasum est: omnes manus scalpturis, omnia latera centonibus obducta sunt: in omnibus Moabiticis & tectis & uicis plangunt omnes, quoniam ego Moabitam fregi tanquam uas iniucundum, inquit, Ioua. Qui factum est ut sit obtritus? ululate. qui factum est ut tergum tam turpiter Moabita uerterit, Moabita omnibus illudendus & obterendus finitimis? Sic enim dicit Ioua. Vt inuolans aquila, ita ille in Moabitam suas explicabit alas. Expugnata sunt Cariotha, captę arces, G eritq; ea die Moabitarum militum animus qualis animus est parturientis fœminæ, peribitq; ex hominũ genere Moabita, qui sese aduersus Iouam extulerit. Pauor, & fouea, & laqueus tibi imminet, Moabitidis incola, inquit Ioua. Qui pauorem effugerit, cadet in foueam: & qui ex fouea erepserit, capietur laqueo, quandoqidem ei, scilicet Moabitidi, ego inueham annum eorum supplicii, inquit Ioua. In Hesebonis umbra stãt sine uirib. profugi, quoniã Hesebone egressus ignis, & flamma ex Sehoniis, Moabitarum tractum hominumq; tumultuosorũ uerticem confecit. Hei, tibi, Moabita, periit Chamosi populus, quoniam & nati captiui, & natæ tuæ captiuę abducunt. Sed Moabitarum captiuos certo pòst tempore reuocabo, inquit Ioua. Hactenus Moabitarum supplicium.

Suprà 17.a
a. Moabitarum Deus.
3.Reg.12.g
Esa.16.b
b. ira Iouæ ira inebriet & persundatur, ut ei accidat quod ebriis, qui uomunt, caduntque in uomitum.
c. exultas, eius calamitatis lætitia.
Esa.16.e
Esa.16.e
d. lasciuam
Esa.15.a
Ezec.7.e

CAPUT XLIX.

De Ammonitis.

In Ammonitas.

SIc dicit Ioua: An liberis caret Israel? an hæredem non habet, ut Gaditas occupauerit

a. Ammonitarũ Deus.

a Melchomus, eiusq; populus eorum urbes incolat? Ergo tempus erit, inquit Ioua, cum ego in Rabbatham Ammonitarum canam classicum, eáque in uastitatis tumulum redigetur, & eius coloniæ igni conflagrabunt, possidebitq; Israelita eos, à quibus possessus est, inquit Ioua. Eiula Hesebon, nam perijt Hais: uociferamini Rabbathanæ coloniæ, amicite centones, & plangentes pererrate sepes: siquidem abit Melchomus in exilium, unà cum suis sacerdotibus ac proceribus. Quid de uallibus gloriaris? effluxit tua uallis, puella perfida tuis cõfisa facultatibus: b quis me inuadet? Ego uerò tibi pauorem tantum adducã, inquit Dominus armipotẽs Ioua, ab omnibus tuis finitimis, ut dissipemini quorsum quisq; uersus erit, nullo colligente palantes. Sed postea reuocabo captiuos Ammonitas, inquit Ioua.

b. te à nemine inuadi posse putas.

In Idumæos.

De Idumæis.

Sic dicit armipotens Ioua: Nulláne superest in c Themane sapientia? perijt'ne prudentum consilium, superuacanea eorum sapientia? Fugite: terga uertite: abstrudite uos penitus, ô Dedanenses: nam ego Esao perniciem affero, tempus meæ in eos animaduersionis. Si te uindemiatores aggressi forent, tamen reliquissent racemos: si fures nocturni, diripuissent quantum eis satis esset. At ego Esaum ita spoliaui, itaque eius abdita detexi, ut latêre nequeat, ita perdita eius progenie, & cognatis, & uicinis, ut ipse nusquam sit. Omitte tuos pupillos: ego alam, mihiq; tuæ uiduæ confident. Sic enim dicit Ioua: Scilicet d potandi poculi insolentes, tamen potabunt, & tu immunis eris? non eris, quin potabis. Nam per me iuro, inquit Ioua, uastam, infamem, desertam, execrabilem fore Bosram, eiusq; oppida æternas fore solitudines. Auditione accepi à Ioua, & legatus ad gentes missus est. Coite, eamq; inuadite, & in bellum consurgite. Nam ego te gentium minimum & hominum contemptissimum reddam. Tua tibi terribilitas, & animi fastus imponit, quæ in præruptà rupe habitas, tenens collis cacumen. Etiam si tam altè nidificaueris quàm aquila, inde te deturbabo, inquit Ioua: eritq; ea Idumææ uastitas, ut quisquis eam præteribit, sibilet, tot eius cladibus attonitus. Cuiusmodi est Sodomæ Gomorræq;, & eius uicinarum euersio, inquit Ioua, sic illic nemo deget: in ea nullus hominum commorabitur. Ac ut leo ex Iordanis e fastigio inuadit firmum stabulum, sic ego faciam ut ille ob eam repentè currat: & qui erunt lectissimi, eos aduersus eam destinabo. Nam quis mihi par est? quis mecum congrediatur? quisnam f pastor est qui mihi resistat? Ergo audite quod Ioua consilium ceperit in Idumęos, & quæ cogitauerit in Themanis incolas: eos sine dubio raptabunt opilionum infimi, & aduersus eos sua stabula collocabunt. At eorum casus sonitum quatiet tellus, eorũ clamoris sono ad mare rubrum audiendo. Atque ille aquilæ modo ascendet, & passis in Bosram alis, aduolabit: eritq; tum Idumæorum militum animus, qualis animus est parturientis fœminæ.

c. Is fuit Esai nepos, Eliphazi filius, à quo mons Seir Theman appellatur.

C

d. perferendi supplicij.

Abdiæ 1.a

D

Gen. 19.c

e. mõtibus & syluis.

f hoc dicit propter similitudinẽ, quã paulo ante duxit à leone.

E

De Damasco.

In Damascum.

Pudet Hematham & Arphad, audito tristi nuncio fluentes, qualis esse solet in mari sollicitudo nescia quietis. Elanguit Damascus in fugam uersa, tremore capta, & angustia cruciatibusq; correpta, quales sunt parturientium. Mirum est tam laudatam ciuitatem, tam amœnam urbem non esse prætermissam. Ergo cadent eius iuuenes per eius uicos, omnesq; milites eo die delebuntur, inquit armipotens Ioua: incendamq; igni muros Damasci, qui Benadadi consumet arces.

De Cedare Hasorianisq; regnis, quæ subegit Nabuchodonosor Babyloniæ rex.

In Cedar.

F

Sic dicit Ioua: Agite, ascendite ad Cedar, & orientales perdite. Eorum tabernacula ouesq; capiantur: tentoria omneq; instrumentum & cameli auferantur, & in eos terror undique uocetur. Fugite: facessite magnopere: abstrudite uos penitus, ô Hasoris incolæ, inquit Ioua, contra quos Nabuchodonosor Babylonię rex consilium capiat, & aliquid moliatur. Agite, ascendite ad gentem beatam, in tuto degentem (inquit Ioua) seorsum sine ostijs, sine repagulis habitantium, quorum cameli direptioni, & pecorum multitudo prædæ erit, eosq; in omnes ultimarum regionum uentos dispergam, & ex omnibus eorum tractibus deducam eorum perniciem, inquit Ioua: eritq; Hasor draconum domicilium, desertum in perpetuũ, nemine mortalium ibi degente aut commorante.

G

Habitus Iouæ sermo ad Ieremiam uatem in Elamitas, initio regni Sedeciæ Iudææ regis, in hæc uerba.

In Elamitas.

Sic dicit armipotens Ioua: Ego Elamitarum arcus, quod caput est uirtutis eorum, frangam: adductisq; in Elamitas quatuor uentis ex quatuor cœli extremis, eos in omnes hos uentos dispergam: nec erit ulla gens quò non ueniant disiecti Elamitæ: obteramq; Elamitas capitalibus ipsorũ hostibus, & eis malum, ira ardens, inuehãm, inquit Ioua, eosq; armis persecutus ad internecionem, ponam in Elamitide meum soliũ, sublato inde rege & principibus, inquit Ioua. Sed certo pòst tempore captiuos Elamitas reuocabo, inquit Ioua.

CAPVT L.

Sermo quem Ioua per Ieremiam uatem in Babyloniam Chaldæorum terram fecit.

In Babylonem.

PVblicate per gentes & nunciate, sublato signo nunciate, nihil celando, in hunc modum: Capta est Babylon, turpificatus Bel: Merodachus obtritus: turpificatæ eius statuæ, obtrita infanda simulachra. Nam proficiscitur in eam gens septentrionalis, quæ eius terram eò uastitatis adducet, ut in ea nullus maneat, facessentibus abeuntibusq́ue tum hominibus, tum

tum pecudibus. Ea tempestate eoq; tempore, inquit Ioua, uenient unà cum Iudæis Israelitæ, plorantes'que uadent, & Iouam Deum suum requirent, Sioniam sciscitantes uiam, conuerso huc uultu: adeste, coniungamur cum Ioua, fœdere nunquam obliterando. Oues perditæ sunt mei, quæ à suis pastoribus seductæ, per montes oberrant, uadentes ex montibus in colles, cubandi nesciæ. Eas quicunque inueniunt, co- B medunt, negantq; earum hostes se crimen committere, quippe quæ in Iouam peccauerint, in Iouam iustitiæ domicilium, & maiorum ipsarum spem. Facessite ex Babylonia, & ex Chaldæorum terra migrate, & este ut hirci ante pecus. Nam ego excitabo adducamq; in Babyloniam magnarum gentium cateruam ex aquilonari terra, quæ in eam instruet aciem, atque inde capietur ipsa: quarum sagittæ tanquam periti militis, non reuertantur infecta re. erit'que Chaldæa prædæ, ita ut omnes eius deprædatores satientur, inquit Ioua. Quoniam uos possessionem meam cõculcantes, læti exultatis, quoniam altilis uitulæ ritu gliscitis, & sonipedum more hinnitis, fœdabitur mater uestra uehementer, infamabitur uestra parens, usque adeò [a] gentium exitus est uastitas, incultus, solitudo. Præ Iouæ sæuitia non incoletur, eritq; tota uasta, adeò ut quisquis præter Babylonem transibit, sibilet, attonitus tot eius cladibus. C Instruite in Babylonem circunquaque aciem, omnes sagittarij: iaculamini in eam, nihil parcentes sagittis, quoniam in Iouam peccauit. Canite in eam classicum undique: [b] dat manus, ruunt eius mœnia, euertuntur muri, quoniam Iouæ ultio est: ulciscimini eam, & ei par pari referte. Extirpate ex Babylone & satores, & falcibus tempore messis utentes. tanta sit armorum sæuitia, ut ad suam quisque nationem se referat, in suam quisque terram fugiat. Dispersum pecus est Israelita, à leonibus profligatum, quod prior comedit Assyriæ rex, & iste posterior exossauit, Nabuchodonosor Babyloniæ rex. Quare sic dicit armipotens Ioua, Deus Israelitarum: Ego in Babyloniæ regem, eiusq; terram, D animaduertam, quemadmodum in Assyriæ regem, & in eius terram animaduerti, Israelitam'que in suam stationem reducam, qui Carmelũ Basanamq; depascat, & in Ephraimitarũ montanis, & Galaaditide, seipsum exaturet. Illa tempestate illoq; tempore (inquit Ioua) quæsita Israelitarum culpa nusquam extabit, & Iudæorum peccata non inuenientur, quod ego eis ignoscam quos reliquos fecero. Aduersum terram contumacem proficiscere, & in puniendos incolas grassare: & eos persequens, funditus excinde: ac quicquid tibi ego imperaui, facito. Bellicus auditur sonus in terra, et calamitas ingens. Mirum est, elisum fractumq; esse totius orbis malleũ. Mirum est, in solitudinem redactam esse Babyloniam inter gentes. Irretiui te, captaq; es, Babylon, & quidem insciens: deprehensa capta'que es, quoniam Iouam irritasti. Aperto armamentario suo Ioua atrocitatis suæ tela deprompsit: nam hoc opus habet Dominus Ioua armipotens in Chaldæa. Inuadite eam ab extremis finibus: recludite eius uiuaria: proculcate quasi manipulos eam, & ita peruertite, E ut nihil ei supersit. Ferro trucidate omnes eius [c] tauros, descendant ad lanienam: uæ illis, utpote quorum dies, quorum supplicij tempus aduenerit. Auditur profugorum uox, & ex Babylonia terra elapsorum, ad nunciãdam in Sione, Iouæ Dei nostri uindictam, scilicet [d] eius templi. Euocentur in Babylonem multi: omnes sagittarij castra facite aduersus eam per circuitum: nemo euadat: reddite ei digna eius factis: prorsus ei parem gratiam referte, quæ in Iouam, quæ in Israelitarum Augustum superbierit, quam ob causam cadent illa die eius iuuenes per ipsius uicos, omnes'que delebuntur milites, inquit Ioua. Tibi ego minitor, ô superbe, inquit Dominus armipotens Ioua, siquidem uenit tua dies, tempus quo in te animaduertam, lapsus'que iacebit superbus, attollente nullo, & incendam eius urbes igni, qui omnia finitima consumat. Sic dicit armipotens Ioua: F Fit Israelitis Iudæisq; simul iniuria: & eos quicunque captiuos habent, retinent, & dimittere recusant. Sed eorum uindex potens, nomine armipotens Ioua, eorum causam aget, ut orbem quietum reddat, & Babylonios conturbabit. Gladij Chaldæis imminent, inquit Ioua, & Babylonis incolis, principibus, & sapientibus: gladij hariolis infatuandis: gladij militibus obterendis: gladij equis & curribus, omni'que promiscuo uulgo, quod in ea uersatur, effœminando: gladij eius facultatibus diripiendis: ariditas eius aquis exiccandis, quoniam simulacrorum terra est, & in terriculis gloriantur. Itaque degent cum Faunis Syluani, agént'que in ea struthiones, nec ea unquam deinceps incoletur, nec ullis habitabitur seculis. Vt est diuinitùs euersa Sodoma & Gomorra, eius'que uicinæ, inquit Ioua, sic ibi mortalium nemo G degetaut commorabitur. Aduenturus est ab Aquilone populus & gens magna, multi'que reges ex ultimis terrarum oris exciti, qui arcus & hastilia tractantes, ita crudeles erunt, ut nihil misereantur, uoce ritu maris sonantes, uecti equis, ordinati ut ad pugnam uiri, aduersum te, puella Babylon. Horum audita fama Babyloniæ rex languidis manibus angore corripitur, qualis cruciatus parturientis est. Ac ueluti leo ex Iordanis fastigio ascendit ad firmum stabulum, sic ego faciam ut illi ob eam repentè currant: & qui erunt lectissimi, eos aduersus eam destinabo. Nam quis mihi par est? quis mecum congredietur? quis'nam pastor est qui mihi resistat? Ergo audite quod Ioua consilium ceperit in Babylonem, & quæ cogitauerit in Chaldæam. Eos certò raptabunt opilionum infimi, & aduersus eos stabula collocabunt. Ad Babylonis captæ sonitum quatietur tellus, clamore apud gentes audiendo.

a. gẽtes ad extremum uastantur.

b. uincitur.

c. homines præcipuos.

d. qui Babylonios ultus sit ob profanatũ suum templum.

Genes. 19. c

Eadem ca. 49.

Iob. 41. d

CAPVT LI.

Sic dicit Ioua: Ego in Babylonẽ & incolas Lebcamai spiritum excitabo perniciosum, immittam'que in Babylonem uentilatores, qui eam uentilent, eiusq; territorium exinaniant, eam mali tempore undique circumsidentes. In eam & iaculentur sagittarij, & insultent loricati, nihil'que parcentes eius iuuenibus, eius omnem exercitum peruertite, cadant'que cæsi in Chaldæa, & per eius uicos transfossi. [a] Non enim uiduati sunt Israelitæ & Iudæi, Deo suo Ioua armipotente, sed eorum terra criminibus in Israelitarum Augustum commissis repleta est. Fugite ex Babylone, & suæ quisque uitæ consulite, ne in eius culpa deleamini, quandoquidem Iouæ uindictæ tempus est, quo soluit ei præmium. Poculum aureum est Babylon in manu Iouæ, totum orbem inebrians, potantibus ex eius uino gentibus, & ideo desipientibus. Repentè collapsa Babylon, fracta est: eiulate eam, adhibete ad eius dolorem resinam, si fortè sanetur. Medicati sumus Babyloni, neq; tamen sanata est: deseratur, & in suam quisque patriam proficiscamur, quoniam cœlum pertingit eius causa, ad æthram usque elata. Profert Ioua innocentiam nostram: adeste, & narremus in Sione factum Ioua Dei nostri. Acuite sagittas, replete pharetras, excit Ioua Medorum regum spiritum, quippe qui Babylonem perdere habeat in animo: quoniam Iouæ uindicta est, uidelicet eius templi. In Babylonis muros signum extollite: custodiam firmate: statuite custodes: insidias componite: nam Ioua & decreuit & faciet quod statuit in Babylonios. O' quæ [b] in humore copioso habitas, facultatibus abundans, uenit tuus finis, auaritiæ tuę modus. Iurat armipotens Ioua per semetipsum, fore ut ipse te repleat hominibus, tanquam erucis, qui contra te celeusma recinant, is qui terram ui sua fecit, orbem sua sapientia composuit, suaq; prudentia distendit cœlum. Qui uoce dat aquę multitudinem in cœlo, attollitq; ab ultimis terris nebulas, fulgura pluuiæ facit, & ex suis uentum cellis educit. Bardus est omnis homo inscitia: simulacrorum pudebit fictores omnes, quorum falsa inanimaq; sint fusilia. Vana sunt, opus fallax, supplicij sui tempore peritura. Non talis est is cum quo Iacobidis res est, quin is omnium conditor, eorum'que hæreditatis sceptrum est, nomine Ioua armipotens. Tu mihi malleus es, instrumenta belli: per te gentes contundo, per te regna perdo, per te equos & equites, per te currus & uectores, per te uiros & fœminas, per te senes & iuuenes, per te adolescentes & uirgines, per te pastores & eorũ greges, per te agricolas & eorum iuga, per te prætores & præsides contundo, rependamq;, spectantibus uobis. Babyloni & omnibus incolis Chaldææ, omne malum quo Sionem affecerunt, inquit Ioua. Ego tibi minitor, [c] mons perniciosè, inquit Ioua, qui totum orbem corrumpis: intensaq; in te manu, de rupibus te deuoluam, & exustum montem reddam, ita ut ex te non ad angulum, non fundamenta lapis sumatur, quòd eris æterna uastitas, inquit Ioua. Efferte signum per orbem, clangite tuba per gentes, destinate contra eam gentes, euocate aduersus eam regna Armeniæ, Minææ, & Ascaniæ, constituite aduersus eam imperatorem, adducite equos [d] hirsutarum erucarum similes, destinate aduersus eam gentes, uidelicet Mediæ reges, prætores, præsides omnes, omnem'que eius imperij terram, ita ut commota tellus excrucietur, quoniam accidunt in Babylonem, Iouæ cogitata, ut Babyloniam terram in solitudinem redigat, habitatorum expertem. Desiere Babylonij milites pugnare, manentes in munitionibus, amissa uirtute effœminati, incensis eius habitationibus, refractis'que claustris. Occurrit & cursori cursor, et nuncius nuncio, ad nunciandum Babyloniæ regi eius urbis partem esse captam, occupatos transitus, [e] stagna cremata igni, militésque perturbatos. Sic enim dicit armipotens Ioua Deus Israelitarum: Puella Babylon quasi quædam area est, cuius triturandæ tempus est, cui breui ueniet tempus [f] messis. [g] Consumpsit turbauitq; me Nabuchodonosor Babyloniæ rex: me uas inane reddidit: me quasi draco deuorauit: meis delicijs suam expleuit ingluuiem: me profligauit. Crudelitatis aduersum me carnem'que meam autor est Babylon, dicat Sionis habitatrix, mei'que [h] sanguinis habitatores Chaldææ, dicat Hierosolyma. Itaque sic dicit Ioua: Ego causam tuam agam, tuas'que persequar iniurias, illius'que & mare exhauriam, & ueniam exiccabo, ut sit Babylon cumuli draconum, stupenda & sibilanda mansio, incolarum expers. [a] Illi simul ritu leonum rugient, lasciuientes ut leonini catuli. Hos ego conuiuio calefaciam & inebriabo, ut exultent, atque ita somno sopiantur æterno, non expergefaciendi, inquit Ioua: deducam eos tanquam agnos ad cædem, tanquam arietes cum hircis. Ergóne expugnata est Sesach, & capta quæ erat toto orbe laudatissima? ergóne in uastitatem redacta est Babylon inter gentes? Scandit in Babylonem mare, cuius fluctuum multitudine ipsa obruitur. Redactæ sunt eius urbes in uastitatem, terram incultam atque derelictam, terram toti mortalium generi incultam ac inaccessam. Animaduertam autem in Belem Babylonium, eiq; [b] bolum ex faucibus eripiam, nec ad eum confluent amplius gentes, collapso etiam Babylonis muro. Emigrate ex ea mei, & suæ quisque uitæ consulite ob ardentem iram Iouæ, néue animis remollescentes metuatis, cum audietur per orbem fama, uenietq; per annum fama, item'que post eum per annum fama, & crudelitas in orbe, & dominator super dominatorem. Itaq; tempus erit cum in simulacra Babylonis animaduertam, totamq; eius terram pudebit, & omnes cæsi in eius medio cadent, ouabitq; super Babylone & cœlum & terra

a. non ideo in Chaldea exulant, quia sint à Deo destituti: sed quia eũ in Iudæa offenderunt.

Esai. 21. c Apoc. 14. b

B

b. opibus affluis, ut arbores in humido loco.

Amos 6. c Eadem ca. 10. b

C

e. Babylon quæ elata es & excellens.

d. horridos & densissimos.

D

e. exhaustá aquá. Nam Cyrus Euphraté ab urbe corriuasse aliò, & per alueũ ingressus esse dicitur.

f. excidij.

g. Sionis uerba.

h. hoc est cædis, scilicet autores sunt.

a. Medi.

E

b. uictimas & ferta.

terra & quæcunque sunt in eis, cum ab aquilone uenerint ei depopulatores, inquit Ioua. Per Babylonem cecidere cęsi Israelitę: per eandem Babylonē cecidere cæsi totius orbis. O' elapsi B ex armis uadite, nihil restantes: mementote procul Iouæ, & uobis Hierosolyma ueniat in mentem. Pudet nos probrum audientes, uultu infamia circumfuso, quod intrauerint hostes in ædis Iouę sacraria. Ergo tempus erit, inquit Ioua, cum in eius simulacra animaduertam, perq; omnem eius terram singultabunt saucij. Etiam si ascenderit Babybon in cœlum, potētięq; suæ excelsitatem muniuerit, à me uenient ei depopulatores, inquit Ioua. Querula uox auditur à Babylone, ingensq; clades ex Chaldæa terra, quoniam depopulatur Ioua Babylonē, tollitq; ex ea ingentem eorum uocem, quorum quasi copiosarum aquarum fluctus resonant, edendo uocis eorum tumultu. Inuadunt enim eam, uidelicet Babylonē, depopulatores, capiunturq; milites eius, fractis eorum arcubus, quandoquidem remunerationum Deus Ioua, præmia rependet. C Itaque eius & principes & sapientes & prætores & prędes & milites inebriabo, ut somnum dormiant æternum, non expergefaciendi, inquit rex nomine armipotens Ioua. Sic dicit armipotens Ioua: Babylonis crassa illa mœnia diruentur, eiusq; altæ illæ portæ igni succēdentur, atq; ita laborauerint incassum populi, et nationes a igni sese defatigauerint.

a. quod opus magno cum labore fecerint, id igni flagrabit.

Mandatum à Ieremia uate traditum Saraiæ Neriæ filio, Maasiæ nepoti, proficiscenti cum Sedecia Iudææ rege Babylonem, anno eius regni quarto, qui quidem Saraias erat cubicularius. Igit cum scripsisset in uno libro Ieremias quicquid mali erat euenturum Babyloni, uidelicet omnia illa in Babylonem scripta uerba, Saraiam sic alloquitur: Cum Babylonem perueneris, uideto ut hæc omnia uerba recites, atque ita dicas: Tu te, Ioua, locum hunc ita excisurum esse dixisti, ut in eo nec homo nec pecus degat, quippe qui futurus sit æterna uastitas. Deinde perfecto hoc libro, alligabis ei lapidem, eumq; in medium proijcies Euphratem, ita dicens: Sic pessum ibit, non emersura Babylon, præ malis quæ ego ei inueham, ac defethiscentur.

Hactenus uerba Ieremiæ.

CAPVT LIII.

De Hierosolymæ excidio.

a. & ideo regem bonū non daret, cuius pietate posset ab irrogādo supplicio reuocari, quoniam eorū puniendorū occasionem quærebat. Vide Esa. 6.

NAtus annos unum & uiginti Sedecias regnum inijt: regnauit Hierosolymis annos undecim, matre nomine Hamutale, Ieremiæ filia, Labnensi. Is Iouam offendit, ut fecerat Ioacimus, quoniam adeò iratus erat in Hierosolymitanos & Iudæos Ioua, ut eos ex suo cōspectu a abijceret. Igitur rebellauit in Babyloniæ regem Sedecias. Itaque anno eius regni nono, decima die mensis decimi, adortus est Nabuchodonosor Babyloniæ rex, unà cum suis omnibus copijs, Hierosolymam, in eamq; castra fecit, & aggerem undique construxit. Cumq; obsessa fuisset urbs ad undecimum annum Sedeciæ, quarti mensis die nono, uigente in urbe fame, uictuq; carentibus incolis irruptum est in urbem, omnesq; milites aufugerunt, & ex urbe per noctem egressi uia portæ, quæ erat inter duos muros, secundum regios hortos, circunsidentibus urbem Chaldæis, abierunt uia campestri. Sed Sedeciam regem persecuti Chaldæi milites, & in campo Hierichuntio assecuti, dilapsis omnibus eius militibus, cōprehenderūt, & Reblatham in Hemathensem regionem ad Babylonię regem perduxerūt, qui Babyloniæ rex de eius supplicio egit, et Reblathę Sedecię filios, spectante ipso, nec nō omnes Iudęę principes, trucidauit: tum ipsius Sedeciæ oculos cęcauit, catenisq; uinctum Babylonem abduxit, C et in custodiam dedit ad usq; mortis eius diem.

B 4. Reg. 14. d 2. Paral. 36. b Sup. 39. a 4. Reg. 15. a

¶ Mensis autem quinti die decimo, qui annus erat Nabuchodonosoris Babyloniæ regis undeuigesimus, uenit Nabuzardan magister equitum, Babylonię regis minister, Hierosolymā, ędemq; Iouę, & regiam, & omnes Hierosolymæ domos, præsertim maximas quasque, igni cremauit. Omnes autem Hierosolymæ muros undique diruerunt omnes Chaldęi milites, qui erant cum magistro equitum. Reliquias hominum, qui in urbe supererant, quiq; ad Babyloniæ regem transfugerant, quodq; uulgi supererat, Nabuzardan in exilium deportauit, relictis ex tenui plebe qui uinitores & agricolę essent. Columnas æneas, basesq;, & lacum æneū, quæ in æde Iouæ erant, fregere Chaldæi, eorumq; æs omne Babylonem portarunt. D Ollas, batilla, instrumenta musica, phialas, lances, omniaq; ænea uasa ministratoria ceperunt. Pelues, acerras, phialas, lebetes, candelabra, pateras, crateres, qua aurea, qua argentea, cępit magister equitum, columnas duas, lacum unum, boues duodecim æreos, basibus suppositos, quas Solomo rex ad ædem Iouę fecerat, quorum tot uasorum immensum æris pondus erat. Patebat autem duodeuiginti cubitos in altitudinem columna una, ambitu duodecim cubitorum, quatuor digitos crassa, concaua, capitulo æreo quin E quecubitos alto, reticulato opere, et punicis malis undiq; ornato, omnibus æreis: quę eadem et punicorum ratio erat in altera columna. Erant autem mala punica in singulis lateribus nonagintasex, quorum omnium summa efficiebatur centum, circum reticulatum opus. Comprehendit etiam magister equitum Saraiam summum pontificem, & Sophoniam secundarium pontificem, & tres atrienses, ac ex urbe eunuchum unum, qui fuerat præfectus militibus, & septē de regis asseclis, qui in urbe cōparebant, & Sophrem imperatorem, qui rei militaris indigenarum curam gesserat, & sexaginta indigenas F in urbe inuentos. Hos inquam comprehensos magister equitum Nabuzardan Reblatham ad Babyloniæ regem duxit, qui illic eos in finib. Hemathensium interfecit, & Iudęos ex ipsorū patria deportauit. Atque hi sunt homines quos Nabuchodonosor transtulit. Anno septimo,

Iudæorum

Iudæorum tria millia uiginti tres. Anno Nabuchodonosoris duodeuigesimo, transtulit Hierosolymis capita octingenta trigintaduo. Anno Nabuchodonosoris uigesimotertio transtulit Nabuzardan magister equitum Iudæorum capita septingenta quadragintaquinque, quorum omnium capitum summa efficitur quatuor
G millia sexcenta. Anno autem trigesimoseptimo exilij Ioachinis Iudææ regis, duodecimi mensis die uigesimoquarto, curauit Euilmerodachus Babyloniæ rex, quo anno regnum inijt, extrahendum ex carcere Ioachinem Iudææ regem: eumq́ comiter allocutus, collocauit in solio cæterorum regum, quos Babylone habebat, solijs altiore, mutatis eius carceris uestimentis: eumq́ per omnem uitam conuictorem habuit, & quotidiano demenso ex regio penu aluit quamdiu uixit.

IEREMIAE LAMENTATIONES.

CAPVT I. G.L.



POSTQVAM actis in captiuitatem Israelitis, Hierosolyma deserta est, sedit Ieremias uates plorans, & hac Lamentatione Hierosolymā lamētatus est, mœsto animo, suspirans & eiulans his uerbis: H.

Ordine alphabetico incipiūt hi uersus in Hebræo.

א Ergóne sola manet urbs tam populosa? est uiduæ similis gentium numerosissima? dominata prouincijs est tributaria?

ב Ploratum edit per noctem, manantibus per genas lachrymis, nullo eam ex omnib. eius amicis consolante, omnibus eius necessarijs in eam perfidiosis, hostibusq́ factis. *Ierem. 31. c*

ג Relegata prę miseria, seruitutisq́ magnitudine Iudæa, manet inter exteras gentes, nullam inueniens requiem, tot eius infestis eam inter
B angustias assecutis.

ד Viæ Sionis lugent, nullis ad solennia uentitantibus: omnes eius & portæ desertæ sunt, et sacerdotes gemūt, & uirgines anguntur, & ipsa in mœrore est.

ה Eius aduersarij superiores sunt: eius hostes feliciter agunt, Ioua eam ob eius tot peccata affligente: eius paruuli captiui discedunt ante aduersarios.

ו Migrauitq́ ex puella Sione omnis eius maiestas, dum eius principes, tanquam cerui pa-
C bulum non inuenientes, abeunt imbelles ante abactores.

ז Recordat Hierosolyma suę miserię, querimoniarumq́ tempore suas præteritorum temporum tot iucūditates, dum cadit hostili manu eius populus, nullo ei subueniēte, eāq́ spectantes aduersarij, derident eius Sabbatha.

ח Peccatum cōmisit Hierosolyma, ideoq́ in uexatione est: eam quicumq́ honorabāt, despectui habent, quippe qui eius obscœna uideant: at q́ ipsa se gemebunda [a] retrò uertit.

ט Lacinias [b] habet sordib. coinquinatas, immemor eorum quæ ei sunt à tergo, descenditq́ mirabiliter, nullo eam cōsolante. Respice Ioua meam miseriam, quoniam superbit hostis.

a. prę pudore aűertit. b. per lutū agit in exilium, & ita urget à prędonibus, ut respiciendi non sit potestas.

D

י Manum adiecit aduersarius ad eius charissima quæque, adeoq́ uidit ipsa extraneos ingressos suum sacrarium, quos tu in tuam uenire ciuitatem uetueras.

כ Cunctus eius populus gemebundi uictum requirentes, quæ habent charissima, ea ob cibū addicunt, uitæ recreandæ gratia. Aspice Ioua, & contemplare quàm ego sim despecta.

ל Et uos, ô quicunq́ hac iter habetis, contemplamini & aspicite an sit ullus dolor meo dolori par, quo me affecit afflixitq́ Ioua, tum cum ira incanduit.

מ Ex sublimi demisit ignē in membra mea, E qui ea domet, meq́, obtenso meis pedibus reti, retrò egit: me ita uastam reddidit, ut assiduè mœream.

נ Connexum est in eius manu meorum peccatorum iugum, quæ conserta meam ceruicem superscandunt: deiecit meas uires: tradidit me Dominus in eiusmodi manus, unde resurgere nequeam.

ס Conculcauit generosissimos quosq́ meorum Dominus, in medio mei, indicto aduersum me conuentu solenni, ad frangendos meos iuuenes: torculari calcauit Dominus uirginem puellam Iudæam:

ע His de causis ego ploro, oculis, oculis meis *Ierem. 14. c* aqua manantibus, quoniam abest mihi conso- F lator, qui mihi recreet animum, desolatis meis natis, utpote præualente hoste.

פ Pandit Sion manus suas, nemine eam consolante: immisit Ioua in Iacobidam undiq́ eius aduersarios, quos inter Hierosolyma diuexat.

צ Iustus est Ioua, quippe cui ego non morigerata fuerim: Audite quæso omnes populi, & meum aspicite dolorem, cuius & uirgines et adolescentes in captiuitatem abiuerint.

ק Voco meos amicos: at hi me fefellerunt: G mei sacerdotes & senatores per urbem expirarunt, cum sibi cibum quęrerent, quo suas recrearent animas.

ר Aspice Ioua in quanta sim angustia, quàm mihi uiscera turbentur, & cor in pectore uersetur, quoniam fui contumax: ut foris orbat gladius, sic domi mors est.

ש Cum fama sit me gemere, non est qui me cōsoletur: omnes hostes mei, meum audientes malum, lætantur, quod tu feceris ut adduceres destinatam à te diem. Sed fiant mei similes.

ת Veniant eorum tot scelera in tuum conspectum

ctum, eosque tracta ut me, propter mea tot peccata, tractas, quae cum tot gemitibus animo mœreo.

CAPVT II.

Ergóne atrauit iratus Dominus puellam Sionem? deiecit de cœlo in terram decus Israelitarum? immemor scamnipedum suorum prae iracundia.

ב Absorpsit Dominus inclemẽter omnes Iacobidarũ stationes: diruit saeuiter puellae Iudeę munitiones, humique stratum profanauit eius regnum atque principes.

ג Confregit, ardens ira, omne Israelitarum cornu, a eorum dexteram in hostis aduentu retrahens, exarsitque in Iacobidas, ut inflammatus ignis undique consumens.

a. eis resistendi uim adimens.

ד Intendit arcum suum tanquam hostis, adhibitaque sua quasi hostili dextera, peremit quaeque oculis charissima in puellę Sionis tabernaculo, effusa ignis in morem sua bile.

B

ה Praestitit se hostem Dominus: absorpsit Israelitam: absorpsit eius omnes arces, munitiones deleuit, & puellae Iudaeae mœstitiae mœrorisque multum conflauit.

ו Et profligauit tanquam hortensem casam suã, corrupit suas solennitates, aboleuit in Sione Ioua solennitates atque Sabbatha, iraque feruidus, & reges & sacerdotes despicatos habuit.

C ז Deseruit Dominus aram suam, sacrariũ suũ depopulatus est, compegit in hostium manus muros eius arcium, qui hostes in ęde Iouę strepitum edunt quasi solenni die.

ח Statuit Ioua corrumpere mœnia puellę Sionis: extendit regulam, neque manũ ab absumendo auocauit, excisaque lugent propugnacula simul & mœnia.

ט Pessundatę sunt eius portae: perdidit perfregitque eius claustra: eius & rex & principes sunt apud gentem exlegem, ne uatibus quidem oraculum à Ioua nanciscentibus.

י Humi sedent taciti senatores puellę Sionis, imposito capiti puluere, centonibus amicti: demittunt ad terram caput Hierosolymitanae uirgines.

כ Mihi prę lachrymis oculi consumuntur, uiscera turbantur, effunditur ad terram iecur, ob meorum popularium puellę calamitatem, cum infantes & lactentes per urbem uicatim exanimentur.

D

ל Matres rogant suas ubi frumentum sit et uinum, cum exanimentur, tanquam saucij, per urbis uicos, animum suum in maternos sinus effundentes.

מ Quid ego te moneam? cui te conferam, ô puella Hierosolyma? cui te comparem consolãdo, ô uirgo puella Sion? cuius calamitas tam ingens est quàm mare, quis tibi medeatur?

E נ Vates tui uana tibi futiliaque prędixerũt, culpam tuam nõ patefacientes, ut tuam cohiberent captiuitatem, sed uana tibi profligataque suis oraculis praedicentes.

ס Explodunt te manibus uiatores omnes, & sibilantes quassant capita in puellam Hierosolymam: hęccine est urbs quę perfectae uenustatis, quae totius orbis uoluptas dicebatur?

פ Os in te diducunt omnes hostes tui, & sibilantes dentibus frendẽt: absorpsimus, inquiũt: nimirum haec dies est quam sperauimus, nacti sumus, uidimus.

ע Fecit Ioua quod cogitauerat: reprę sentauit quod olim praedicendum curauerat: euertit nihil parcẽs, & de te exhilarauit hostem: euexit ad uersariorum tuorum cornu. Leuit. 26.b F Deut. 28.b

צ Clamat eorum cor ad Dominum: ô mure puellę Sionis, demitte dies noctesque torrentem lachrymarũ, nullam tibi dans intermissionem, irrequieta oculorum tuorum pupilla. Iere. 14. Suprà 11.

ק Surge, uociferare noctu, ineũtibus uigilijs: effunde undatim cor tuum in Domini conspectu: attolle ad eum palmas tuas ob paruulorum tuorum uitam, qui fame passim per compita exanimantur.

ר Aspice, Ioua, & considera ecquem unquam sic tractaueris: ecquando fœtus suos, infantes palmares, comederint fœminę, aut occisi sint in Domini sacrario sacerdotes atque uates. G

ש Iacent humi uicatim pueri senésque: meae uirgines atque iuuenes occubuere ferro, te irato occidente, mactante, nihilque parcente.

ת Euocasti ad me, quasi die solenni, terrores undique, neque fuit, irascente Ioua, qui euaderet aut superesset: adeò quos ego alui atque auxi, meus confecit hostis.

CAPVT III.

א Ego is homo sum qui miseriã sentiam, eius seuitię uirga.

א Agit ducitque me per tenebras, nõ per lucẽ.

א Nimirum in me conuersus, manum suam uertit assiduè.

ב Tabefacit carnẽ cutemque meam, ossa mea perfringens.

ב Obstruxit mihi, felle me & fatigatione circumuallans.

ב Me in tenebris collocauit, ut ęternum mortuos.

ג Circumsepiuit me, ne exeam, grauesque mihi compedes adhibuit.

ג Ac licet conquerar & clamem, meas excludit preces.

ג Obsepiuit meas uias quadrato lapide: meas semitas deprauauit.

ד Vrsus insidiator mihi est, leo in latibulis. B

ד Vias meas flexit, meque depopulatus desertũ reddidit.

ד Intendit arcum suum, & me quasi scopum ad sagittam constituit.

ה Egit per renes meos a pharetrę suę natos. a. sagittas.

ה Sum omnibus meis popularibus derisioni: quotidiana cantilena.

ה Me saturauit amaritudine: me absynthio conspersit.

ו Attriuitque meos dentes calculis: me puluere adobruit.

ו Ita ut ego pace destitutus, bonum nesciam.

Dicamque

C ו Dicamq; meum perijsse robur, & quam in Ioua spem habebam.

ז Memento meæ miseriæ & acerbitatis, absynthij & fellis.

ז Memoria repeto & animo mecũ meditor:

ז Hoc in mentem reuoco, ideoq; spero:

ח Iouæ clementiam uidelicet non esse cõsumptam: non defecisse misericordiam,

ח Quæ quotidie recens est: tu multa fide præditus es:

ח Mihi cum Ioua res est (inquit animus meus) ideoq; ab eo pendebo.

ט Bonus est Ioua sperantibus ipsum hominibus, eius studiosis.

D ט Bonum est patienter expectare Iouæ defensionem.

ט Bonum est homini ferre iugum in pueritia.

י Solus maneat tacitus, cum iugum subiuit.

י Os suum admoueat humo, si qua sit spes.

י Præbeat ferienti malam: saturet ignominia.

כ Non enim perpetuò deserit Dominus.

כ Sed idem & affligit, & pro sua singulari clementia miseretur.

כ Non enim libenti animo premit & affligit hominum genus.

ל Obterere sub pedibus suis omnes terrarum uinctos.

ל Inuertere ius hominis, [b] in supremi conspectu, — c. in iudicio. nã Deus adest in iudicantibus.

ל Circumscribere hominem in sua causa Dominus nescit.

E מ Quis'nam est quo dicente fiat aliquid, iniussu Domini, — Amos 3.b

מ Quin ex ore Supremi malum bonum'que prodeat?

מ Quid mortalis, quid homo ob sui peccati pœnam dolet?

נ Exploremus & perscrutemur mores nostros, & ad Iouam reuertamur.

נ Attollamus animos nostros cum palmis ad Deum cœlestem.

נ Nos contumaces peccauimus, id quod tu non ignouisti.

ס Obuelasti iracundè persequens nos, & nihil parcendo interficiens:

ס Obuelasti te nube, [c] ne transeant preces. — c. ne nostras preces audias.

F ס Quisquilias excrementumq; fecisti nos inter populos.

פ Hiant ore in nos omnes hostes nostri.

פ Formidinem foueamq; habemus, uastationem & calamitatem.

פ Manant aquæ riuis oculi mei, ob puellæ meorum popularium calamitatem.

ע Fluunt irrequieti mei oculi sine intermissione:

ע Donec aspiciat uideatq; Ioua de cœlo.

ע Oculi mihi [d] uitam afficiũt, propter omnes urbis meæ puellas. — d. mœrent.

צ Me uenati sunt ut auiculam hostes mei immeritò.

צ Detruserunt in barathrum uitam meam, meq; lapidarunt,

צ Redũdat supra meum caput aqua, ita ut me perijsse dicam.

ק Inuoco tuum Ioua nomen ex ima specu.

ק Vocem meam audis, noli tuam aurem meę subducere querelæ, quo respirem.

ק Tu præsens ades quandocunq; te inuoco, meq; timere uetas.

ר Discutis, Domine, meas lites, meam uitam redimens.

ר Vides, Ioua, quæ mihi fiat iniuria: age meã causam.

ר Vides tantas eorum simultates et conatus aduersum me.

ש Audis eorum conuicia, Ioua, & tantos cõtra me conatus:

ש Orationem aduersariorũ meorũ, & quotidianam contra me cogitationem.

ש Siue sedentes consideres, siue stantes, sum eis cantilena.

ת Redde eis, Ioua, dignum eorum factis præmium.

ת Obduc eorum animis callum, tua in eos dirate.

ת Insectare eos iracundè, & ex rerum natura tolle, Ioua.

CAPVT IIII.

א ERgóne [a] obscuratum est aurum? mutum obrizum? disiecti passim per compita sacri lapides? — a. preciosa indigne tractantur.

ב Nati [b] Sionis preciosi, auro repẽdendi, qui fit ut pro testaceis urceolis, opere manuum figuli habeantur? — b. superioris uersus, declaratio.

ג Etiam dracones, prolatis uberibus, catulos suos lactant: puella meorum popularium tam crudelis est facta, quàm sunt syluestres struthiones.

ד Hæret lactentium lingua palato pre siti: flagitant infantes panem, nec est qui porrigat.

ה Qui delicijs uescebantur, uicatim pereunt: qui in cocco sunt educati, complectuntur stercora.

ו [c] Maiorq; est puellæ meorum popularium culpa, quàm Sodomæ peccatũ quæ de improuiso euersa fuit, nec in ea relanguerunt manus. — Genes. 19.c — c. grauiores culpæ dat pœnas quàm Sodoma, quippe cum illa sine longo obsidionis langore perierit.

ז Eius Nazaræi, qui fuerant niue puriores, lacte candidiores, corpore gemmis rubicundiores insculptis in Sapphiro, — B

ח Obscuriorem habent ipsa nigritudine faciem, non agnoscendi per uicos: adhęret eorum cutis ossibus, aridior ligno.

ט Melius cum illis actum est qui ferro, quàm qui fame necati sunt: qui transfossi expirarunt, quàm qui terræ frugum penuria.

י Mites fœminæ, suis manibus suos coxere natos, & eis ad cibum usæ sunt in calamitate puellæ meorum popularium.

כ Assumpsit Ioua bilem suam: effudit ardentẽ iram suam, & igne Sionem incendit, qui eam funditus absumpsit.

ל Non credidissent terrarum reges, aut ulli habitatores orbis, ingressurum fuisse aduersarium & hostem per portas Hierosolymæ,

מ Ob

C מ Ob eius uatum peccata & sacerdotum uitia, qui in eius medio innocentum effudere sanguinem,

נ Vagantes cæci per uicos, ita sanguine contaminati, ut corũ tangi uestimenta non possent.

Esa. 65. ס Facessite polluti (clamabant illis) facessite, facessite, nolite tangere: adeò iurgantes uagabantur, negantes eos deinceps apud cæteras gentes esse commoraturos.

פ Eos infensus Ioua disiecit, non amplius respecturus eos: nulla neque sacerdotum habita est ratio, neque senioribus tributa misericordia.

d. frustra auxiliũ ab Aegyptijs intentissimè expectaremus. ע Cum adhuc [d] oculi nobis ad inane auxiliũ nostrum intabescerent, dum intenti in non defensuram gentem intuemur,

צ Venati sunt gressus nostros, ut per fora nostra non eamus: aduenit finis noster, peracto nostro spacio: qui finis noster ubi uenit, D

ק Leuiores aereis aquilis insectatores nostri, per montes nos persecuti, per syluas nobis insidiati sunt.

e. uita nostra. Vide Es. 3. ר Narium [e] nostrorum spiritus, Iouę unctus, captus est ab illis perniciosis, cuius nos in umbra fore sperabamus, ut apud exteras gẽtes uiueremus.

ש Lætare suauiter, ô puęlla Idumæa, in Hus terra degens: ad te quoque perueniet poculum, quo tu inebriata nudaberis.

ת Finita est tua culpa, ô puella Sion: non amplius te relegabit: animaduerte in te tuam culpam, ô puella Idumæa, patefactis tuis peccatis.

CAPVT V.

Memento Ioua nostri casus, aspice & uide nostrum opprobrium. Hæreditas nostra ad alienos, domus ad extraneos uersæ sunt. Pupilli sumus patre carẽtes, nostræ matres sunt quales uiduæ. Aquas nostras pecunia bibimus: ligna nostra precio ueneunt. Nobis infestantur ceruices: laboramus irrequieti. Aegyptijs damus, Assyrijsque manũ, ut uictum ad B satietatem habeamus. Maiores nostri peccauere, qui iam nõ sunt, & nos eorum cõmissa luimus. Serui nobis imperãt, nullo nos ab eorum uindicante manu. Vitæ nostræ periculo uictũ nostrum importamus, propter [a] arma syluarũ. Cutis nobis furno nigrior est, præ famis atrocitate. Mulieres in Sione, uirgines in urbibus Iudææ C stuprantur. Principes manibus illorũ suspenduntur, nulla senilium personarũ reuerẽtia. Adolescentes in pistrinũ rapiuntur, iuuenes [b] ligno pessundantur. Senatores in curijs desunt: adolescentes à suis cessant modulis. Cessat animorũ nostrorum uoluptas, uersis in luctum saltationibus nostris. Decidit nostri corona capi- D tis: hei nobis, quia peccauimus. Hãc ob rem nobis mœret animus: hanc ob causam nobis caligant oculi. Montem Sionem, qui uastatus est, peruadunt uulpes. Tu Ioua, qui permanes æternus, solio perenni, cur nostri perpetuò immemor, nos deseris tandiu? Reconcilia nos tibi Ioua, & reconciliabimur: instaura tempora nostra, qualia fuere quondam. Etenim repudiasti nos, sæuis in nos uehementius. Reconcilia nos tibi Ioua, & reconciliabimur: instaura tempora nostra, qualia fuere quondam.

a. hostes foris grassantes.

b. lignatores sunt.

G. L. EXEMPLVM EPISTOLAE, quam Ieremias ad abducendos Babylonem a Babyloniæ rege captiuos misit, ut eis exponeret quæ à Deo in mandatis habebat.

Propter peccata, quæ in Deum cõmisistis, duceminì Babylonẽ captiui, à Babyloniæ rege Nabuchodonosore, & Babylonẽ ingressi, eritis ibi longo complurium annorum tempore, ad septem [a] secula: postea illinc ego uos educam incolumes. Iam uerò uidebitis in Babylonia deos argenteos, aureos, & ligneos, humeris gestari, gentibus incutientes metum. Cauete ne uos quoque alienigenarum similes, eorum exemplo deos illos reformidetis, cum uidebitis eos à pręcedente & sequente turba adorari: sed ita animis cogitate: Te conuenit adorare, Domine. Meus enim genius uobis adest, is qui uestros animos explorat. Nam [b] istorũ quidem lingua à fabro ex polita est, ipsaque aurata & argẽtata, falsa sunt, neque loqui possunt. Ac quẽadmodũ in uirgine ornatus cupida fieri solet, aurum sumunt, & coronas suorum deorum capitibus conficiunt. Nonnunquam etiam ablatum à dijs suis aurum & argentum sacerdotes in seipsos impendunt, & inde domesticis scortis impertiunt, eosque tanquã homines uestimentis ornant, deos argenteos, deos aureos & ligneos: atqui illi rubiginem cariemque non euadunt, quamuis purpureo sint amicti uestitu, eorumque facies ab ædis puluere detergeatur, qui multus eis insidet. Habet ille sceptrũ ut regionis gubernator aliquis, qui tamẽ peccantem in se non interficit. Tenet pugionem dextera, aut securim, & tamen seipsum à bello & latronibus nõ uindicat, unde perspicuum est eos non esse deos. Quamobrem eos ne timete. Nã quale uas homini est, quod contritum fit inutile: tales sunt istorum dij, qui suis in ædibus positi, oculos habent pulueris plenos, qui ingredientium pedibus excitatur. Ac quemadmodum si quis regẽ offendit, undique clauduntur atria, ut illo ad necem abducendo, sic istorũ ædes muniũt sacerdotes ostijs, claustris, & repagulis, ne à latronibus diripiantur. Lucernas eis, & quidem plures quàm pro eorum numero, accẽdunt, quarum illi nullã possunt uidere, sunt que perinde ac trabes in ædibus. Eorum pectora aiunt à terrestribus elingi serpentibus, à quibus cum & ipsi & eorum uestitus erodantur, non sentiunt. Nigras habent ædium fumo facies: eorum corpori capitique inuolitant noctuæ, hirundines, & cæteræ aues, itemque feles, unde intelligatis eos non esse deos. Quapropter eos ne metuite. Nã quod auro pulchritudinis causa sunt obducti, nisi quis æruginem abstergeat, nõ fulgent: nec enim cum conflarentur, sentiebant: summoque precio empti, nullo spiritu prædití sunt. Inopia

Sap. 13. 14

a. seculũ uocat decẽ annos.

Esa. 44. b

b. simulacrorum.

B

C

Esa. 46. b

pedum gestantur humeris, suam ignominiam ostendentes hominibus. Pudenda sunt etiam suis cultoribus, cũ si fortè humi ceciderint, per se non resurgant, neq; si quis recta statuat, per se moueantur, neque proclinata erigantur, sed tanquam mortuis munera apponantur, eorumq; uenditis uictimis sacerdotes abutantur. Fœminæ item ex eis obsonant, neq; quicquam pauperibus aut inopibus impertiunt. Eorum sacrificia menstruales mulieres & puerperæ tangũt. Quocirca uos ex his intelligentes nõ esse deos, ne eos formidate. Vnde enim uocenť dij? cum mulieres istis argenteis, aureis, ligneisq; dijs cibos opponant, & in eorum ædibus sacerdotes sedeãt, laceris tunicis, & barba capiteq; raso ac detecto mugiant, uociferantes ante suos deos,
D perinde ac si sint in funebri cœna. Eis uestimenta detrahũt sacerdotes, quibus uxores liberosq; suos induant. Illi uero neque si malo, neque si bono à quopiam afficiantur, possunt rependere, neq; regem creare aut abrogare queunt, nec item diuitias aut æs dare ualent. Si quis nuncupatum eis uotum non reddat, in eum non animaduertunt: neminem à morte uindicant, nec minorem à potentiore defendunt. Homini cæco uisum non restituũt, hominem ex rebus aduersis non eripiunt, non miserentur uiduæ, non pupillo benefaciũt. Mõtanis saxis similia sunt L. istorum numina G. lignea, aurata & argentata, quorum cultores pudefient. Possunt'ne igitur dij putari aut dici? cum ipsi etiam Chaldæi ea dedecorent, qui si quãdo mutum & loquendi impotem uiderũt, ad moto Belo fari iubent, quasi Belus sentire possit, nec tamen possunt ea sensus expertia cogitare, itaq; relinquere. Iam uerò fœminæ funibus accinctæ, per uias sedẽt, furfuribus suffientes. Quòd si qua earum ab ali-
E quo prętereunte attracta, cum eo concubuit, id alteri exprobrat, quòd eius rei digna non fuerit habita, ut ipsa, nec eius funiculus fuerit abruptus. Deniq; omnia quę fiunt in illis, falsa sunt. Potest ne igitur eos esse deos putari aut dici? A' fabris & aurificibus confecta, nihil sunt aliud, quàm quod ea esse uolunt artifices, ipsiq; adeò fabricatores eorũ, longæui nõ sunt, tantũ abest ut eorũ opificia dij esse possint. Ostẽdunt enim ex ijs quæ accidunt quàm falsi sint, & probrosi. Siquidem si quando bellum eis, & mala accidunt, cõsultant apud sese sacerdotes, ubinam unà cum eis sese abdant, ex quo non intelligi nõ potest non esse deos, qui seipsos à bello malisue non uendicẽt. Cum sint enim lignea & inaurata ac argentata, futurum est ut cunctis gentibus falsa esse cognoscatur, utq; regibus perspicuum sit non esse deos, sed humanarũ manuum opera, in quibus nullum diuinũ sit opus. Quis nesciat non esse deos, qui neq; regionis creent regem, neque pluuiam dent hominibus, neque suam ipsorum causam agant, nec iniuriam pro-
F pulsent, ut pote inualidi, non minus quàm pendentes inter cœlum terramq; cornices? Nam si quando in ligneorum aut auratorum argentatorum'ue deorum ædem ignis incidit, eorum sacerdotes fuga euadunt: ipsi, tanquam trabes, medij conflagrant, nec regi aut hostibus resistunt. Possuntne igiť dij putari aut uocari? cum nec fures euadant, nec latrones, dij lignei argentei & aurei, quorum aurum, argentũ, uestitum, quo circundati sunt, potentiores auferunt atque asportant, nec illi sibimetipsis subueniunt. Itaque potior rex est, ostendens suam potentiã: aut in domo uas utile, quod Domino sit usui, quàm falsi dij: potior Ianua domus, quæ domi sunt custodiens, quàm falsi dij: potior regiæ columna lignea, quàm dij falsi. Nam sol quidem & luna, sideraq; fulgida, quæ ad usus mittuntur necessarios, obedientia sunt. Similiter & fulgur cum emicat perspicuum est. Itidem & uentus regionem omnem parflat, & nubes à Deo totum orbem permeare iussæ, mandatum exequuntur: ignis quoque ad montes arbustaq; consumẽda supernè demissus, imperata facit. Ista uerò nec formis nec uiribus cum his conferẽda sunt, unde deos esse nec arbitrandum est, nec dicẽdum, cum nec pœnam irrogare, nec beneficium hominibus conferre queant, quamobrem uos intelligentes nõ esse deos, nolite eos timere. Nam neque reges infelicitant aut felicitant, nec signa gentibus in cœlo ostendunt, nec ut luna lucẽt, suntq; illis præstãtiores bestiæ, quæ sub tectum effugiendo, sibi prodesse possint. Itaque nullo modo deos esse nobis est perspicuum. Quocirca eos ne formidate. Nam quale est in cucumerario terriculum nihil custodiẽs, tales sunt istorum dij lignei aurei & argentei: eodemq; modo qualis est in hortis rhamnus, super qua uolucres omnes sidunt. Itẽ iacenti in tenebris mortuo similes sunt istorum aurei argenteiq; dij. A' purpura denique & c marmorato in eis putrescente discetis non esse deos, ea'que tandem ad hominum dedecus consuptum iri. Itaq; potior est iustus homo, qui simulacra non habet: is enim procul aberit ab ignominia.

c. tectorio.

BARVCHVS.

CAPVT I. G.L.



ERBA LIBRI quę scripsit Baruchus Nerię filius, Maasiæ filij, Sedecię filij, a Asadię filij, Helciæ filij in Babylonia anno qn o, die mẽsis septima, quo tẽpore Chaldæi Hierosolymã ceperũt & igni cremarũt: cuius libri uerba recitauit Baruchus, audiẽte Iechonia Ioacimi Iudææ regis filio, omniq; populo, qui ad audiendum librum conuenerat: audientibus item proceribus, regumq; filijs, & senatoribus denique

a. Latinus legit, Sadei

denique audiente uniuerso Babylonis incolarum populo, ad fluuium Sodim, paruis æquè ac magnis. Itaque plorarunt ieiunaruntque, &

B Domino uota fecerunt, & argentum pro cuiusque facultate coegerũt, idque Hierosolymam ad Ioacimũ Helciæ filium, Salomi nepotem, pontificẽ, & ad sacerdotes populares que omnes quicunque tum cum eo Hierosolymis degebãt, miserunt, cum quidem ædis Domini uasa argentea, à Sedecia Iosiæ filio Iudææ rege facta, quæ ex templo exportata fuerant, recepisset Baruchus in Iudæam reportando, decimo die mensis Siban, postquàm Nabuchodonosor Babyloniæ rex Iechoniam & magistratus ac potentissimos quosque, uinctos, incolasque, Hierosolymis Babylonem deportarat. Miserũt autem cum hisce mandatis. Mittimus ad uos argentũ, quo argento ematis solidas hostias, & piaculares, atque thus fertumque faciatis, & ad aram Domini Dei nostri immoletis, próque Babyloniæ regis Nabuchodonosoris, & eius filij Baltasaris, uita supplicetis, ut tandiu ætatem agãt quan

C diu terris incumbet cœlum: utque nobis uires det Dominus, & [b] nostros illustret oculos, quò sub Nabuchodonosoris Babyloniæ regis, & eius filij Baltasaris, umbra uiuamus, eisque diu seruiamus, & eos propitios habeamus. Supplicate etiam pro nobis Domino Deo nostro, in quem adeò peccauimus, ut eius sæuitia ira'que nondum à nobis recesserit. Legetis autem hũc, quem uobis mittimus librum, recitãdo in æde Domini, diebus festis & solennibus, atque ita dicetis: [c] Domini Dei nostri iustitia est, nostra autem ignominia, ut perspicuum est, uidelicet Iudæorum, & Hierosolymitanorũ, & regum, & principum, & sacerdotum, & uatum, & maiorum nostrorum, qui in Dominũ contumaces peccauerimus, neque Domino Deo nostro dicto audientes fuerimus, ut eius præcepta, nobis ab eo proposita, exequeremur. Ex quo ma-

D iores nostros Dominus eduxit ex Aegypto, ad hunc usque diem, fuimus in Dominum Deum nostrum contumaces, & ei obedire perditi recusauimus. Itaque nobis inhæserunt mala & infelicitas, quam Dominus per Mosem suum minatus erat, cum ex Aegypto maiores nostros eduxisset, quo nobis lacte melleque circunfluentem terram daret, id quod res indicat. At nos Domini Dei nostri dictis non obtemperauimus, ut postulabant tot dicta uatum, quos ille mittebat ad nos: sed sui quisque animi uitiosæ libidini obsecuti sumus, dijs alienis operantes, atque ita Dominũ Deum nostrum offendentes.

b. quo nostra peccata agnoscamus, atque ita ueniam petamus, & Dei beneficio propitiũ regem habeamus.

Infrà 2. b

c. à Domino ius est, nos autem meritò miseri sumus.

Dan. 9. a

Deut. 28. b

CAPVT. II.

ERgo præstitit Dominus quod nobis nostrisque præsidibus, qui Israelitas rexerunt, & regibus, & magistratibus, Israelitisque & Iudæis, minatus fuerat, dum tantum nobis malorum importat, ut sub omni cœlo nihil tale acciderit, quale Hierosolymis factũ est, quemadmodum in Mosaica lege scriptum est, adeò ut in nobis fuerint qui suorum filiorũ filiarũmque

Deut. 28. f

carnes comederint. Iam uerò eos sub omnium nobis finitimorum regnorum potestatem redactos, infamiæ & uastitati exposuit per omnes finitimos populos, ubi à Domino dispersi, inferiores sint, non superiores. Peccauimus enim in Dominum Deum nostrum, eius dictis non obtemperantes. À Domino Deo nostro iustitia est, à nobis autem, nostrisque maioribus, pudor est & ignominia, id quod hac luce clarius est. Quæ nobis minatus erat Dominus, hæc tot mala nobis acciderunt, neque tamen ei supplicauimus, à suæ quisque malæ mentis ingenio recedentes. Hanc ob causam malis in nos inuehendis inuigilauit Dominus, & quidem omnia iustè fecit, cum nos eius imperio non obtemperauerimus, ut Domini præcepta, nobis ab eo proposita, exequeremur. Nunc Domine Deus Israelitarum, qui populum tuum ex Aegypto ualida manu, sublimi brachio exẽplis, prodigijs, magnaque potestate eduxisti, nomẽque tibi, ut perspicuum est, peperisti: peccauimus, impiè improbeque fecimus, Domine Deus noster, contra tuas omnes sententias. Sed auertatur à nobis ira tua, qui pauci restamus inter gentes, ubi tu nos dispersisti. Exaudi Domine precationem supplicationemque nostrã, & nos propter teipsum libera, nobisque beneuolentiã conciliа eorum, qui nos in captiuitatem abduxerunt, ut intelligat uniuersus orbis terrarum, esse te Dominum Deum nostrum, [a] cuius nomine censeatur Israel, eiusque genus: & respice ex tua sancta domo, nostrique rationem habe. Acclina Domine aurem tuam, & audi: aperi oculos, & uide. Neque enim mortui apud inferos, quorum pectoribus ademptus est spiritus, gloriam Domino, iustitiamque tribuent, sed mens quæ propter declinantem, & labescentem tantam [b] magnitudinem cruciatur, & languentes oculi, animusque famelicus, gloriam tibi, iustitiamque tribuent Domine. Neque enim uirtutibus maiorum, regumque nostrorum freti, te suppliciter appellamus, Domine Deus noster, qui in nos iratus sæuis, quemadmodum per cultores tuos uates minatus eras in hunc modum. Sic dicit Dominus: Summittite uestros humeros ad seruiendum regi Babylonis, & terram incoletis, quã ego dedi maioribus uestris. Quod nisi Iouæ dicto audientes estis, ut Babylonis regi seruiatis, efficiam ut in urbibus Iudææ, & Hierosolymis, neque uoluptates & gaudia, neque sponsi & sponsæ audiantur, sitque omnis ista regio uasta, & inculta. Nos uerò dictis tuis non auscultauimus ut regi seruiremus Babylonio. Itaque præstitisti, quæ per tuos cultores uates minatus eras, ut regum, maiorumque nostrorum ossa, loco mota suo, nunc diurno ardori, nocturno'que gelu exposita iaceant: illisque diris laboribus, fame, ferro, exilio mortuis, appellatum de nomine tuo templum in hunc statum redegisti, ob domus Israeliticæ, Iudaicæque noxam, cumusus fuisses erga nos, Domine Deus noster, tua tanta benignitate, tam'que singulari misericordia,

Suprà 1. e

B

Dan. 9. d

C

a. in cuius tutela sit.

D

Deut. 26. d

Esa. 63. d

Psal. 113. d

b. Israelitarum.

E

F

Leui.26.b Deut.28.b

quemadmodum per cultorem tuum Mosem (cum quidem ei mandasses, ut legem scriberet præsentibus Israelitis) prædixeras in hanc sententiam: Nisi mihi dicto fueritis audientes, sanè hæc tanta, tamque frequens turba, ad exiguam redigetur, inter gentes, ubi ego sum dispersurus eos. Scio enim non esse mihi obtemperaturos, quippe duræ ceruicis homines. Sed ad sanitatem reuersi, in exilij sui terra, intelligēt esse me Dominum ipsorum Deum, daboque eis & C cor ad intelligendum, & aures ad audiendum, meque in exilij sui terra laudabunt, & mei memores nominis, desciscent à sua tanta pertinacia, prauéque factis, recordantes maiorū suorum mores, qui aduersus Dominum peccauerint. Itaque reducam eos in terram, quam eorum maioribus Abrahamo, Isaaco, Iacobo iuraui, eámque possidebunt: & eos multiplicabo, non diminuendos: cumque eis fœdere paciscar æterno, ut & ego Deus ipsis, & ipsi mihi sint populus, nec ego deinceps meos Israelitas ex terra, quā eis dedero, amoueam.

CAPVT III.

Domine omnipotens Deus Israelitarum, te pressus animus, te anxia mens inuocat: audi Domine, & miserere nostri, qui contra te peccauimus, manentem perpetuò, pereuntes ipsi perpetuò. Domine omnipotēs Deus Israelitarum, audi preces [a] enectorum Israelitarum, & natorum qui contra te peccauerunt, tibi Deo suo non obtemperantes, quamobrē nos his malis sumus implicati. Noli uitia recordari maiorum nostrorum, sed tuam recordare [b] manum atque nomē hoc tempore. qui Dominus es Deus noster: & nos te laudabimus, Domine, qui ideo tui metū animis nostris incusseris, ut tuum nomen inuocaremus, teque laudaremus in exilio nostro, reuocata in mentem tanta maiorum nostrorum commissa contra te culpa. Ecce nos hodie in hoc, quo tu nos dispersisti, exilio, ignominijs, maledictis, supplicijs obnoxios, pro tot maiorū nostrorum uitijs, qui à Domino Deo suo defecerant. Audite Israelitæ uitalia præce- B pta: intendite cognoscendæ prudentiæ. Quæ causa est, ô Israelita, ut in hostili terra degas? ut in aliena terra cōsenescas? ut [c] cum mortuis pollutus, inferorum numero habearis? Reliquisti fontem sapientiæ. Diuina uia si ingressus esses, in pace perpetuò degeres. Disce ubi sit prudentia, ubi potentia, ubi intelligentia, ut scias simul ubi sit æui longitudo atque uita, ubi [d] lumen oculorum atque pax. Quis eius locum inuenit? aut quis in eius cellas intrauit? Vbi sunt principes gentium, terrestriumque bestiarū dominatores, qui aereis illudunt auibus, qui argentum aurúmque (cui confidunt homines) ita congerunt, ut nullus sit eorū quærendi modus? Nam qui argentum fabrefaciunt, opusque suum incredibili industria elaborant, pereūt, & in Orcum descēdunt. Ei succedunt iuniores alij, qui cum [e] lumē uideant, incolantque terras, scientiæ uiam C nesciunt, nec eius calles intelligūt, nec eam tuentur, & eorum filij ab eius uia procul absunt. Ea nec in Chananæa audita, nec in Themane uisa est, nec Agareni, omnium in terris scientiæ studiosissimi, nec Meranenses negotiatores, aut Themanenses, aut fabulatores & scientiæ uestigatores, sapientiæ uiam intelligunt, aut eius calles tenent. O Israelita, quàm ingens est Dei domus? quàm lōgè patet eius possessionis locus, magnitudine infinitus, altitudine immensus? Ibi extiterunt gigantes illi quondam celebres, immanes, & belli periti, nec tamen eos elegit Deus, nec eis scientiæ uiam tradidit: itaque perierūt, prudentiæ consilijque inopia & defectu. D Quis in cœlum ascendit, eamque sumptā de nubibus detulit? Quis eam traiecto mare nactus, auro puro cōparauit? Nemo est qui eius uiam teneat, callem'ue calleat. Sed qui nouit omnia, eam cognoscit, suaque prudentia inuenit, is qui terram ad perennitatem cōdidit, bestijsque quadrupedibus compleuit, quo mittente, it lux: eodemque uocante, trepida paret, & sidera suis in stationibus læta relucent, eoque uocante præstò adsunt, & cum lætitia conditori suo splendent. Hic Deus noster, præter quem alius nullus putandus est, nomen scientiæ uiam peruestigauit, Iacoboque cultori suo, Israeli sibi charo tradidit, quæ deinceps comparuit in terris, & apud homines uersata est.

a. calamitosorū, & penè extinctorum.

b. potestatem.

c. inuisus fœdusq; ut mortui.

Sapientia.

d. uita.

e. uiuant.

Gigantes.

CAPVT IIII.

IS est Dei præceptorū liber, & in perpetuum duratura lex. Eam quicunque tenuerint, uitam adepturi sunt: qui uerò reliquerint, morientur. Cōuerte te Iacobida, eamque comprehende. Ingredere ad fulgorem, ex aduersum eius lumini. noli alteri gloriam tuam, noli alienæ genti tua commoda concedere. Beati sumus, ô Israelitæ, quòd nobis nota sunt Dei nostri placita. Bono este animo, populares mei, [a] monimentum Israelis. Non uos ad perniciem gentibus estis emancipati, sed quia Deum irritastis, ideo estis aduersarijs dediti. Exacerbastis enim creatorē uestrum, dæmonijs, non Deo, sacrificantes: obliti estis uestrum conditorē, Deum immortalem, B altricemque uestram Hierosolymam læsistis, quæ diuinam iram uos aggressam conspicata, dixit: Audite, Sionis accolæ: inuexit mihi Deus grauem luctum. Vidi enim meorū filiorum filiarumque captiuitatem, quam eis Deus immortalis importauit: quos ego cum lætitia nutritos, amisi cum fletu atque luctu. Nemo mihi gratuletur, uiduæ, & à tam multis derelictæ: uastata sum propter meorum natorū peccata, quòd de Dei lege deflexerint, quòd Dei iura non nouerint, neque præceptorum uijs ingressi fuerint, C neque disciplinæ semitas iustè institerint. Adeste Sionis accolæ, & captiuitatem meorum recolite filiorum atque filiarum, quam eis aduexit Deus immortalis. Induxit enim in eos gentem remotam, homines immanes & barbaros, qui neque senes reueriti, neque puerorum miserti, dilectos uiduæ natos abegerunt, & filiabus orbarunt solitariam. Ego uerò quid uobis auxilij ferre

Lex.

a. posteris, in quibus Israelis nomen durat, & memoria.

Loquitur Hierosolyma.

ferre possum? idem qui mala uobis intulit, uos ex hostium uestrorum manu liberabit. Vadite
D nati, uadite: ego uerò sola deserta, exuto pacis uestitu, & meo supplicationis amicta centone, ad Deum immortalem per omnem uitam quiritabor. Bono este animo, nati: implorate Deũ, & ille uos ex hostium potestate manuq; uindicabit. Nam equidem iam ab immortali Deo salutem spero uestram, mihiq; uenit ab Augusto gaudium ob misericordiam, quæ breui uobis ab immortali uestro seruatore continget. Equidem cum ploratu luctuq; uos dimitto: sed mihi uos Deus cum gaudio & lætitia reddet in sempiternum. Vt enim nunc uiderunt Sionis finitimi uestram captiuitatẽ, ita cernent breui pro
E fectam à Deo uestro salutẽ, quæ uobis magna cum immortalis Dei gloria & splendore obueniet. O nati, magno animo ferte illatas uobis à Deo pœnas: nam hostium uestrorum, qui uos infestarunt, exitium propediem uidebitis, eorum'que ceruices peruadetis. Delicati mei per uias profecti sunt asperas, ab hostibus, tãquam raptum ouile, sublati. Bono este animo, nati, Deumq; inuocate. Nam qui uobis ista inuexit, uestri memor erit. Quanto enim mentes ad deerrandum à Deo procliuiores habuistis, tanto
F uel decies magis ei mutati, studete. Etenim qui uobis attulit mala, idem uobis sempiternam afferet cum salute lætitiam. Bono es animo, Hierosolyma: idem te confirmat, qui [b] nominauit. infelices qui te uexarunt, tuoq; casu lætati sunt. infelices urbes, quibus tui seruiuere nati: infelix [c] quæ tuos accepit natos. Vt enim tuo casu ruinaq; gauisa & delectata est, ita dolebit ipsa
G sua uastitate. Eius ego tam numerosæ sobolis exultationem auferam, & gloriationem in luctum conuertam. Nam eam inuadet ab immortali Deo ignis in longa tempora, eaq; diu à dæmonijs incoletur. Circunspice ad Orientẽ Hierosolyma, & aspice uenientem à Deo tuo lætitiam. Aduentant ecce tui filij, quos tu dimisisti: ueniunt ab Oriente usque ad Occidentem collecti, sancti Dei iussu, diuina lætantes gloria.

b. curat. nã quos nominamus, nouimus & quos nouimus, curamus.

c. Babylon.

Infrà 5. b

CAPVT V.

EXue, ô Hierosolyma, tui luctus & miseriæ stolam, & collatæ diuinitùs gloriæ decus indue sempiternum. Vestire palla diuinæ iustitiæ: impone capiti tuo mitram gloriæ sempiterni Dei. Deus enim toti subiectę cœlo terrę splendorem tuum ostendet. Nam uocabere diuinitùs hoc sempiterno nomine, Pax iustitiæ
B gloriaq; pietatis. Surge Hierosolyma, & sta in alto, et ad Orientẽ circũspiciens, aspice coeuntes sancti Dei iussu, usque ab ortu solis ad occasum, tuos natos, Dei recordatione lætos. Etenim cum à te pedestres, agentibus hostibus,
C exierint, adducit eos ad te Deus [a] sublimes, ut filios regios. Siquidem statuit Deus deprimendos esse montes omnes arduos, perennes'que scopulos, & ualles complendas, ac solo coæquandas, ut uadant Israelitæ tuti diuina gloria, arbustis etiam cunctis, & odoriferis arboribus,

a. honorificè gestatos.

Israelitas Dei iussu inumbrantibus. Præibit enim Deus Israelitarũ cum lætitia, suo splendido lumine, cum misericordia & iustitia, cuius ipse autor est. D

EZECHIEL H.

CAPVT I.



ANNO trigesimo, die quinto quarti mensis, cum ego inter extorres essem apud flumẽ Chobar, uidi aperto cœlo diuina uisa. Quinta mensis, anno quinto exilij regis Ioachinis, habitus est Iouæ sermo ad Ezechielem Buzis filium, sacerdotẽ, in terra Chaldæa, ad flumen Chobar. Illic igitur Iouæ manu instinctus, animaduerti tempestuosum spiritũ à septentrionibus uenientem, nubem magnã, B
ignemq; collectum, splendore circundatum, ex cuius ignis medio existebat quædã species electri, & indidem forma quatuor animaliũ, quorum ea erat facies, ut hominis formã haberent. Ea singula quaternos uultus habebant, quaternasq; alas, pedes rectos, pedum uestigijs uitulinorũ similibus, in æris politi speciem coruscan- C
tes. Alis suberant humanæ manus secundum quatuor eorum quadrati partes, habebãtq; quatuor illa ita compositas facies atq; alas, ut alæ essent inter sese coniunctæ, nec ipsa conuerterentur inter eundum, sed eorum quodq; eò tenderet, quò spectantẽ faciem haberet. Erant autem eorum facies ea figura, ut illa quatuor haberent dextera parte humanam leoninamq; faciem: sinistra bouinam & aquilinã. Atq; eorum facies & alæ erant ita supernè distinctæ, ut binæ singulorum essent coniunctæ: alteræ binæ tegerẽt eorũ corpora. Ibant autem eorum singula prorsum tendentia: quò spiritus agebat, ibãt, nec inter eundum cõuertebantur. D
Erat ea animalium forma ut specie referrent carbones ignis ardentes facium ritu, qui ignis inter animalia ferretur, splendorẽ habens, emicante ex igne fulgure: & currebant redibantq; animalia, qualis est fulgetri species. His animalibus intuendis animaduerti rotas quasdam humi apud animalia, ad quatuor eorum facies, ea figura atque opere, ut speciem referrent chrysolithi, eadẽ earum quatuor figura, ea forma atq; opere, quasi esset rotę interposita rota. Euntes in quatuor sui quadri partes tendebant, neq; inter eundum circumagebantur. Habebant & quatuor ipsæ canthos, eosq; altos & formidabiles, undique oculorũ plenos. Euntibus autem animalibus, ibãt & rotæ apud ea: cumq; à terra attollerentur anima- E
lia, attollebantur & rotæ. Quocunq; ferebat spiritus, eò tendebant, impellente spiritu, & rotæ

Figura gloriæ Iouæ.

secundum ea attollebantur. Nam præditæ animalium spiritu rotæ, illis euntibus ibant, stantibus stabant, attollendis humo, attollebātur & ipsæ secundū illa, utpote animaliū spiritu præ- F ditæ. Supra animalium capita erat figura ætheris, in modum terribilis crystalli, in eorū capita desuper extensi, cui ętheri suberant eorum alæ, altera ad alteram directæ, quæ singulorū binæ tegebant ea, hoc est eorum corpora. Audiui autem eorum alarum sonitū, qualis est abundantis aquæ, ut præpotentem sonitū, illis euntibus, sonitū tumultuosum, qualis est agminis. Cum uerò stantia remitterent alas, existebat ex æthere eorum capitibus superimminente, sonitus, il- G lis inter standum alas remittentibus. Supra æthram eorum capiti imminentem, erat ad Sapphiri gemmæ similitudinem figura solij, & supra figuram solij, figura similis humanæ, illi superimposita. Vidiq; quiddam quod specie electrum referret, uisu simile ignis undiq; obstructi, supra illius laterum formam: infra autem laterum formam, uidi quiddam uisu simile ignis splendore circūdati, qui circuniectus splendor, aspectu similis erat arcus qui est in nubibus, si quando pluit. Ea erat figura similitudinem habens gloriæ Iouæ.

CAPUT II.

EO uiso cum ego pronus cecidissem, audiui loquentis uocem, & ita mihi dicentis: Homo, consiste in pedes tuos, & te alloquar. Tum simulac ille me allocutus est, intrauit in me spiritus, meq; in pedes meos statuit, & audiui alloquentem me in hæc uerba: Homo mitto ego te ad Israelitas, hominum genus rebelle, qui in me B rebellarunt tum ipsi tum maiores eorum, qui a me ad hodiernum usq; diem defecerunt: ad duri oris obstinatique cordis natos, ad hos ego te mitto, quibus dicas: Sic dicit Dominus Ioua: Qui siue audient, siue (ut sunt genus hominum C contumax) non audient, at certè intelligent uersatum esse inter ipsos uatē. Tu uerò, homo, ne eos timueris, ne eorum uerba timueris, quamuis apud refractarios & intractabiles agas, & cum scorpionibus degas: ne eorum uel uerba timueris, uel conspectum expaueris, quamuis cōtumax sit natio: sed eis mea dicta eloquere, siue audiant, siue minus, ut sunt contumaces. Tu i- D gitur, homo, audi quod tibi ego eloquor, ne sis contumax: in natione contumaci, aperi os tuum, & comede quod ego tibi præbeo. Hic ego animaduerti porrectam ad me manum, in qua erat libri uolumen, quod ille coram me explicuit, in fronte tergoq; inscriptum, & inscriptum næniis, querelis, atque planctu.

CAPUT III.

Comedit Ezechiel uolumen.

ATque ille mihi: Homo, inquit, quod nactū fueris comede, comede uolumen hoc, & i allocutum Israelitas. Deinde cum ego os aperuissem, cibauit me illo uolumine, ita mecum loquens: Homo, tu uentre isto comedes, istisq; uisceribus conficies uolumē hoc, quod ego tibi præbeo: itaque comedi, fuitq; illud mihi in ore dulcedine melliū. Atq; ille: Homo, inquit mihi, age adi posteros Israelis, ut eos meis uerbis alloquare. Non enim ad abstrusi sermonis impeditæque linguę populum mitteris, ad Israelitarum genus: non ad diuersos populos abstrusi sermonis & impeditæ linguę, quorum uerba non intelligas: quin ad eos ego te mitto, qui te intelligant. Verùm ideo nolent Israelis posteri audire te, quoniam nolunt audire me, quippe cum B sint omnes Israelis posteri obfirmata fronte, duroq; corde. Ego uerò tuam & faciem & frontem obfirmatam reddo secundum eorū faciem atque frontem: qualis est saxo firmior adamas, talem ego reddo tuam frontem, ne eos timeas, aut eorum conspectum expauescas, quamuis sint hominum genus contumax. Homo (inquit ille me alloquens) quicquid ego tibi uerborum dixero, id & animo percipe, & auribus audi, & ad extorres populares tuos profectus, eos alloquere, eisq; dicito: Sic dicit Dominus Ioua: idq; siue C audiant, siue secus. Hic ego sublatus à spiritu, audiui post me magni motus sonitū: Prædicanda est Iouæ gloria ex ipsius loco: sonitumq; alarum animalium mutuò deosculantium, & rotarum secūdum illa sonitum, & magni motus sonitū. Igitur sublatus & ablatus à spiritu, abij stomachabūdus, animo incandescens, Iouæ manu ualidè agente me, & Thelabib ad exules profe- D ctus, flumen Chobar accolentes, mansi ubi manebant ipsi, septem dies, inter eos mœrens. *Infra. B. 4* Peractis septem diebus, Ioua sic alloquitur me: Homo, speculatorem ego te Israelis posteris constitui, qui auditis ex ore meo uerbis, eos à me commonefacias. *Speculatoris officiū.* Cum ego impio mortem minatus fuero, si tu impium illum uerbis non monueris, eius ab impio more suo auertendi gratia, quo uiuat, ipse quidem impius sua culpa morietur, sed E 18 eius sanguinis pœnas ego à te repetam. Sin autem tu monueris impiū, nec ille se ab impietate sua, ab impijs moribus, reuocauerit, morietur ille quidem sua culpa, sed tu teipsum liberaueris. Itē cum iustus & iustitia sua ad nequiter agendum defecerit, ideoq; ego ei infortunium aliquod obiecero, unde moriatur, quia tu eum nō admonueris, morietur ille quidem suo peccato, nulla eius rectè factorum habita ratione, sed eius sanguinem ego in te uindicabo. F Sin tu iustum monueris ne peccet iustus, isq; nō peccauerit, & ille uiuet, quippe monitus: & tu teipsum liberaueris. Tum ibi Ioua me sua manu actum, sic alloquitur: Surge, egredere in campum, & ibi ego te affabor. Atq; ego surrexi, & in campum exij, *Suprà 1. 4* ubi stantem Iouæ gloriam nactus, qualis erat gloria quam ad flumen Chobar uideram, cecidi pronus. Sed ingressus in me spiritus, me in pedes meos constituit, & ille mecum locutus est: G I, inquit, conclude te domi tuæ. Et tibi quidem, homo, lora adhibebuntur, quibus ita uinciaris, ut in eorum uulgus non exeas: tuamq; linguam ego ita tuo palato affigam, ut obmutescas, nec eis castigatorem præbeas, qui sint genus contumax. Sed te alloquens, os tibi aperiam,

ut eis

ut eis dicas, sic dicit Dominus Ioua: Qui audit, audiat: qui minus, omittat, quandoquidem genus sunt hominum contumax.

CAPVT IIII.

Hierosolymæ obsidio in latere.

TV uerò, homo, laterem sume, eumq́ue tibi propone, & in eo urbem sculpe Hierosolymam, & aduersus eam statue obsidionē, uallum construe, duc aggerem, fac castra, & arietes circa dispone. Deinde sartaginē sume ferream, eamq́ue pro muro ferreo colloca inter te & urbē, & composito in eam uultu, circumsessam obside, quod sit Israelitarum generi prodigiosum. Tu uerò iaceto in tuum latus sinistrum, & ei Israelitarum generis culpam imponito, laturus
B eam culpam quot dies in eo iacebis. Ego tibi do eorum culpæ annos ad numerum dierū trecentorum nonaginta: quibus tu Israelitici generis culpam feras. Quibus peractis, incubabis iterum lateri dextro, & Iudaici generis culpam feres quadraginta dies, me tibi totidē dies, pro totidem annis, dante, faciemq́ue tuam ad Hierosolymæ obsidionem compones, & exerto brachio uaticinaberis in eam. Atque ego tibi lora adhibebo, ita ut ex alio latere in aliud non uertaris, donec transegeris istius obsidionis dies. Tu uerò sume triticum, hordeū, fabam, lentes, milium, & uiciam, & ijs in unum uas coniectis, conficito ex eis tibi panem, pro numero dierum quibus in latus tuum iacebis, quo pane
C per trecentos nonaginta dies uescare, ita comparata eius comedendi ratione, ut uiginti siclorū pondus unoquoque die statis horis comedas. Aquā quoque ad mensurā, uidelicet Hinis sextam partem, certis horis bibes, & sparsitas hordeaceas comedes, easq́ue in illorum cōspectu humani excrementi stercoribus parabis. Sic comedent Israelitæ (inquit Ioua) panem suum immundum, apud gentes, quò ego eos profligauero. At ego: Ah Domine Ioua, inquam, atqui
D ego non sum pollutus, neque morticinum aut raptitium hactenus à pueritia comedi, nec est ingressa per os meum immunda caro. Et ille: En, inquit, ego tibi pro humanis stercoribus fimum bubulum do, in quo panem tuum facias. Et porrò: Homo (inquit ille mecum loquens) ego panis adminiculum Hierosolymæ ita frangam, ut panem ad pondus anxiè comedant, & aquam ad mensuram attoniti bibant, ut pane aquaq́ue carentes, stupeant inuicem, suaq́ue culpa contabescant.

Num. 24.f

Inf. 5.d. 14.d

CAPVT V.

Calamitas rasis pilis significata.

AT tu, homo, sume cultellum acutum, nouaculam tonsoriam, eaq́ue sumpta, rade tibi caput & mentum, ac sumpta trutina, partitus pilos, tertiam partem igni in media urba, completis obsidionis diebus, comburito: tertiam partem sumito, & cultello undiq́ue accidito: tertiam partem in auram dispergito, quos ego stricto gladio persequar. Inde paucos numero sumes, quos in tuis constringas gremijs: & ex illis porrò sumes, quos in medium ignis proiectos, exuras igni, ex quo prodeat incendium in totam Israelis domum. Sic dicit Dominus Ioua. Ista Hierosolyma, quam ego cæteris regionibus circundatam in medio gentium collocaui, mutauit in impietatem meas sententias magis quàm gentes exteræ, meaq́ue placita, magis quàm regiones ei finitimæ, quippe quæ meas sententias repudiauerit, neq́ue meis placitis obsecuta sit. Quare sic dicit Dominus Ioua: B
Quandoquidem uos plusquam finitimæ gentes tumultuando, meis institutis non paretis, neque meas sententias exequimini,[a] neque finitimarum gentium consuetudines imitamini, propterea sic dicit Dominus Ioua: En ego quoque tibi minitor, inq́ue tui medio exempla edam, spectantibus reliquis gentibus, faciamq́ue in te, quale neque feci, neque sum facturus deinceps, ob tua tot flagitia. Itaque in te & parentes liberos, & liberi parentes suos comedent: editisq́ue in te exemplis, omnes reliquias tuas in omnes dispergam uentos. Itaque sic uiuam ego, inquit Dominus Ioua: ut quoniam tu meū sacrarium tuis tot sceleribus & flagitijs polluisti, ego C
quoque nihil temperās aut parcens, excindam. Tertia pars tuorum partim peste morietur, partim fame conficietur in te: tertia pars armis cadet circum te: tertiam partem ego in omnes uentos dispergam, & in eos stringam gladium, ac me consumenda & exoneranda in eos mea ira atque bile solabor, scientq́ue me Iouam acriter minatum fuisse, cum in eos bilem meam consumpsero: & te derelictam infamemq́ue reddam D
apud finitimas gentes, in omnium prætereuntium oculis, erisq́ue finitimis gentibus infamia, probrum, exemplum, & admiratio, cum ego in te exēpla, atroci ira ardens atq́ue flagrans, edidero, inquā ego Ioua, cum in eos sęuas famis immisero sagittas, quę sint exitio, quas ad uestram mittam perniciē, & uos fame petens, uobis cibi adminiculum frangam, in uosq́ue malū immittam, & feras bestias, quę uos depopulētur, efficiamq́ue ut pestis & cędes in te grassetur, & arma in te inueham, inquam ego Ioua.

a. non obedistis Deo uestro, ut illæ suis.

Suprà 4.d Infrà 14.d

CAPVT VI.

Oraculum in montes. Infrà 36.a

ITem me Ioua his uerbis allocutus est: Homo, compone faciem tuam in montes Israeliticos, & in eos his uerbis uaticinare: O' Israelitici montes, audite Domini Iouæ dicta. Sic dicit Dominus Ioua mōtibus & collibus, depressis locis atq́ue uallibus, ego illatis in uos armis, sacella uestra perdam, uestraq́ue & altaria uastanda, & signa perfringenda curabo, & uestros prosternam coram uestris stercoreis diuis occisos, & Israelitarum cadauera ipsorum stercoreis diuis proponā, uestraq́ue ossa circum uestra altaria dissipabo. Vbicunq́ue degetis, urbes desolabuntur, sacellaq́ue uastabuntur, ut desolatis uastatisq́ue uestris aris, fractis abolitisq́ue stercoreis diuis, excisis signis, deletis uestris operibus, iacentibusq́ue inter uos occisis, intelligatis me esse Iouam. Reliquos autem faciam, qui ex uobis per terras dispersis, arma euadant apud gentes, qui uestrūm elapsi, recordabuntur D

mei apud gentes, ubi erunt captiui, quandoqui-
C dem factis per me impudicis eorum mentibus,
quæ à me defecerint, oculisq́, qui cum sterco-
reis eorum diuis fuerint meretricati, tædebit
eos palàm scelerum, que suis tot flagitijs com-
miserint, scientq́ me Iouam non ab re putasse
hoc illos afficiendos malo. Sic dicit Dominus
Ioua: Plaude manu, & pede paui, dicens: ah: su-
per tot tam scelestis domus Israelitarum flagi-
tijs, qui ferro, fame, peste cadent. Absentes pe-
ste morientur: præsentes ferro cadent: reliqui &
obsessi fame interibunt, in eosq́ meam bilem
D consumam, scientq́ me Iouam esse, cum erunt
eorum occisi stercoreis ipsorum dijs permixti,
circum eorum aras, per omnes editos colles, in
omnibus montium uerticibus, sub omnibus
frondosis arboribus omnibusq́ opacis ilici-
bus, per quę loca suis tot stercoreis diuis suaues
dederint odores: intentaq́ in eos mea manu, eo-
rum terram usq́ à saltu Deblatha uastam horri-
damq́ reddam, quacunq́ habitant, scientq́ me
esse Iouam.

CAPVT VII.

ITem sic me allocutus est Ioua: Tibi uerò, ho-
mo, sic dicit Dominus Ioua de Israelitarum
terra: Finis adest, finis quatuor terræ tractibus.
Iam [a] tibi adest finis, teq́ ego, laxata in te ira
mea, ut merita es, puniam, tibiq́ tua tot flagitia
rependam, neque mihi à te temperabo aut par-
cam, quo minus tuos mores in te ulciscar, tuaq́
flagitia penitus luas, sciatis que me esse Iouam.
B Sic dicit Dominus Ioua: Malum super malum
ecce adest, finis adest finis excitus in te: en adest,
adest matutinũ in te, ô incola terræ: adest tẽpus,
instat dies tumultus, nõ [b] montani sonitus. Nũc
ego propediem meam bilem irámque in te ef-
fundam atque consumam, te que ut merita es pu
niam, tibi que tua tot flagitia rependam: neque
mihi temperabo aut parcam, quo minus tuos
C mores in te ulciscar, tuaq́ flagitia penitus luas,
sciatisq́ me Iouam esse, qui feriam. Ecce dies,
ecce adest, exoritur matutinum, floret [c] uirga,
pullulat [d] superbia, [e] assurgit iniustitia in uir-
gam impietatis, nec ipsi, nec eorum multitudo,
aut opes, excipientur, nec erit ulla eorum deplo
ratio. Adest tempus, imminet dies: neque em-
ptor gaudeat, neque uẽditor mœreat, si quidem
uniuersæ eius multitudini impendet ira. Non
D enim redibunt uenditores ad res uenditas, quã-
diu erunt in uiuis superstites, siquidẽ eiusmodi
fatum uniuersæ multitudini eius impendet, ut
redituri non sint, aut suam quisque uitam reten
turi, id quod fiet eorum culpa. Clangetur tuba
parando omnia, nec erit qui eat in prælium, ut-
pote me in omnem eius multitudinem sæuien-
te. Foris arma, domi pestis atque fames: qui ruri
erit, armis morietur: qui in urbe, hunc fames pe-
stis que conficiet. Qui uerò eorum euaserint, ij
columbis conuallium similes in montibus, u-
E niuersi sua quisque culpa gement, omnes que
& manibus relanguescẽtes, & genibus rem ol-

a. Regionẽ alloquitur.
b. uani rumoris, qualis est echo.
c. qua uerberabimini.
d. uestra.
e. iniustitia ista in causa erit ut impietas uestra diuina uirga puniatur.

lescentes, centones amicient, & horrore cooper-
ti, omnes & in uultu pudorem, & in capite [f] gla-
bretum ge rent. Suum argentum per uicos pro-
ijcient, & eorum aurum dilapidabitur, nec ar-
gentum, nec aurum poterit eos tueri, sæuiente
Ioua: nec habebunt unde suum appetitum exa-
turent, aut uiscera repleant. Est enim eorum cul-
pæ infortunium, qui [g] nobili suo ornamento in
sublimi posito, suas scelestas imagines, sua sce-
lera fecerint in eo. Quamobrem id ego illis ef-
ficiam ut uexetur, hostibus que diripiendum &
hominum maximè impijs depeculandum pro-
fanandumq́ dedam, qui me illos auersante, me-
um penetrale impient, & id grassatores ingressi
contaminent. Fac catenam, quoniam enim & re
gio sanguinarijs iudicijs, & urbs iniquitate re-
ferta est, adducam gentium deterrimos, qui eo-
rum domos occupent: potentiumq́ superbiam
coercebo, & eorum profanãda curabo sacraria. E
Excidium aduentat, quæsita que pax non erit.
Miseria miseriæ superueniet, fama que famæ
succedet, & in uate oraculum requiretur, & sa-
cerdotes disciplina, & senes consilio carebunt.
Lugebit rex: circumfundetur calamitate magi-
stratus: plebeiorum manus turbabũtur: pro me
ritis eos tractabo, dignisq́ pœnis afficiam, sci-
entq́ me esse Iouam.

Esa. 15 Iere. 48. Pro. 11. Soph. 1. Ecc. 5.
f. glabrabãtur & tõdebãtur in lu- F ctu capita.
g. fano.

CAPVT VIII.

ANno autem [a] sexto, die quinta mensis sex-
ti, cum ego domi meæ sederem, Iudæis
senatoribus coram me sedentibus, ibi Domini
Iouæ manu inuasus, animaduerti quandam fi-
guram in formam ignis, supra cuius laterum for
mam ignis erat, infra latera erat forma splendo-
ris in speciem electri, qui emissa quadam qua-
si manu, prehendit me capitis mei cirro, & sub-
latum inter terram atque cœlum, tulit spiritus B
Hierosolymam, per diuina uisa, ad introitum
portæ interioris, spectantis ad septentriones, u-
bi collocatum erat [b] obtrectatorium simulachrũ,
efficiens obtrectationis. Atque illic nactus sum
Dei Israelitarum gloriam, qua forma uideram
in campo. Et ille me sic fatur: Homo, cõijce ocu-
los septentriones uersus. Et ego coniectis se-
ptentriones uersus oculis, animaduerti à septen-
trionibus, ad aræ portam, simulachrum illud
obtrectatorium in ingressu. Et ille sic mecũ lo- C
quitur: Homo, uidésne quæ faciant, quanta fa-
ciant, hic Israelis posteri flagitia, ut ego à meo fa
no recedam? Atqui iterum etiam maiora cernes
flagitia. Tum me duxit ad introitum atrij, ubi
cum animaduertissem in pariete foramen, ille
mihi sic dicit: Homo, perfora parietem. Cumq́
perforassem parietem, aspexi ostium unum. Et D
ille: Ingre dere, inquit, & uide quàm illi scelesta
committant hic flagitia. Tum ego ingressus,
animaduerti omne genus obscœnorum repti-
lium, atque quadrupedum imagines, omnesq́
stercoreos Israeliticæ domus diuos, undique in
pariete cælatos, & coram illis stantes Israeliti-
ci generis senatores septuaginta (quos inter
aderat

a. à capto Ioachino.
b. alieni Dei, quod Iouam irritaret, zelotypũq; redderet, ut maritum adulter.

E aderat Iezonias Saphanis filius) suum quemque thuribulum habentes in manu, exhalante nidore nebulæ suffitionis. Atque ille: Vidésne, homo (inquit) quid Israelitici generis homines faciant in tenebris, in imaginosis suis penetralibus: quippe qui se Iouæ conspicuos esse negent, quippe Iouam reliquisse terram. Et tamen iterum cernes etiam maiora, inquit, quæ faciunt F flagitia. Tum me duxit ad introitum portæ templi Iouæ quæ erat ad septentriones, ubi sedentes conspexi fœminas plorantes [c] Thāmuzum. Vidésne homo? inquit me alloquens. Atqui iterum etiam maiora his flagitia uidebis. Deinde me duxit in interius atrium templi Iouæ, & ecce ad introitum cellæ Iouæ, inter uestibulum & aram, homines ad uigintiquinque, qui à Iouæ cella auersi, & ad Orientem cōuersi, solem, G Orientem uersus, adorabant. Viden homo? inquit ille mihi: parúmne est Iudæorum generi, flagitia facere, quæ hic committunt, cum terram iniustitia repleuerint, nisi rursus irritent me, & (ut uides) odorem mittant in nares illorum? Ergo uicissim iracundè agam, nihil mihi temperans, nihilque parcens: nec eos, mihi in aurem ingenti uoce clamantes, exaudiam.

c. Nonnulli arbitrātur Adonidē.

CAPVT IX.

DEinde audiente me magna uoce clamans dixit: Instāt urbi supplicia, & suum quisque lethiferum habet in manu telum. Et ecce sex homines ueniebāt uia portæ superioris, spectantis in septentriones, suum quisque exitiabile telum manu ferentes, quos inter uir unus erat lino uestitus, in latere scriptorium habens atramentarium. Hi uenerunt, apudque æneam aram constiterunt, & Dei Israelitarum gloria à Cherubo, super quem erat, sublata est ad limen B ædis. Tum ad uirum linigerū, cui scriptorium erat atramentarium in latere, sic Ioua clamauit: Peragra urbem Hierosolymam, & nota signato frontes hominum, qui ad tot, quæ in ea fiunt, flagitia congemiscunt atque suspirant. Illis autem audiente me dixit: Peragrate urbem post eum, & cædite sine ulla temperantia aut continentia: senes, iuuenes, uirgines, paruulos, mu- C lieres funditus occidite: sed quisquis notā habebit, ad eum ne accedite: à meo autē fano incipite. Itaque initium fecerūt à uiris senibus, qui erant ante ædem. Cōtaminate ædem (inquit eis) & atria occisis complete: exite. Tum illi egressi cædebant per urbem. Quibus cædentibus relictus ego cecidi pronus, & clamans: Ah Domine Ioua, inquam, túne omnes Israelitarum reliquias delebis, tuam bilem effundens in Hierosolymam? D Et ille: Immodica est, inquit, Israelitarum Iudæorumque culpa, estque sanguine terra, & urbs iniustitia plena, quia dicunt Iouam deseruisse terras, Iouam nihil uidere. Ego uicissim me non continebo, neque parcam, quo minus eorum mores in ipsorum caput ulciscar. Interea uir ille uestitus lino, qui atramentarium habebat in latere, negotium retulit: feci, inquit, ut tu mihi imperasti.

Exo.12.c Apoc.7.a

CAPVT X.

DEinde animaduerti in æthra, quæ Cherubis supra caput erat, quasi sapphirum gemmam quæ solij figuram aspectu repræsentaret, illis supereminens. Tum ille linigerum uirum sic alloquitur: Ingredere inter currum, subter Cherubum, & imple uolas tuas igneis carbonibus, qui sunt inter Cherubos, eosque carbones in urbem effunde. Igitur ille, spectante me, ingressus est. Stabant autem Cherubi ad dexteram ædis, ingrediente uiro, & interius atrium repleuerat nebula, euectáque Iouæ claritate à Cherubo, supra limen ædis, repleta erat ædes nebula, & atrium splendore claritatis Iouæ, audiebaturque alarum Cheruborum sonitus ad exterius atrium, qualis uox est præpotentis Dei dum loquitur. Postquàm imperauit uiro lini- B gero ut ignem currui & Cherubis interpositum caperet, ingressus est ille, & apud rotas constitit. Tum Cherubus, immissa manu sua inter Cherubos, ad interiectum Cherubis ignem, sumpsit, & linigeri uolis imposuit: quo accepto ille exijt. Apparebat autem in Cherubis humanæ manus effigies sub eorum alis. Animaduerti autem quatuor rotas apud Cherubos, singulas apud singulos, quarum rotarum ea erat forma, ut gemmæ chrysolithi speciem exhiberent, eodem earum quatuor figuræ aspectu, perinde ac si rotæ foret interiecta rota. Inter eundum tendebant in quatuor sui quadrati partes, neque euntes circumagebātur, sed quò spectabat [a] caput, eò sequebantur, nullo inter uadendum circumactu. [b] Illorum autem totum corpus, & terga, & manus, & alæ, & eorum quatuor rotæ, C plena erant oculorum undique: quas quidem rotas audiente me uocauit currum. Habebant singuli quaternas facies, unam Cherubi, alteram hominis, tertiam leonis, quartam aquilæ, & attollebantur Cherubi, quod idem animal uideram ad flumen Chobar. Ac ambulātibus Cherubis, ambulabāt rotæ apud eos: attollentibúsque Cherubis alas suas, ut à terra subueherentur, rotæ quoque ab illis non recedebant. Stantibus illis, stabant: cumque efferrentur, efferebantur & ipsæ, quippe animantis spiritu præditæ. Digressa autem Iouæ claritas ab ædis limine, stetit super Cherubos, & Cherubi sub- D latis alis ab humo euecti, spectante me eorum digressum, comitantibus eos rotis, steterunt pro foribus ædis Iouæ orientalibus, Iouæ claritate eis desuper incumbente. Id erat animal quod ego uideram sub Israelitarum Deo, apud flumen Chobar, quos esse Cherubos cognoui, habentes singulos quaternas facies, quaternásque alas &, sub alis humanarum manuum effigiem, eadem facierum effigie, quales facies uideram ad flumen Chobar, eodem'que eorum aspectu atque natura, unoquoque ipsorum antrorsum ambulante.

a. facies quæ in capite ad uersa erat.
b. Cheruborum.
Suprà 1.e
Suprà 1.e

CAPVT

CAPUT XI.

TVm me sublatum tulit spiritus ad orientalem ædis Iouæ portam, spectantem ad orientem: & ecce pro foribus uigintiquinque uiros, quos inter uidi Iezoniam Azuris, & Pheltiam Banaiæ filium, populi primarios. Atque ille sic mecum locutus est: Homo, hi sunt homines qui in hanc urbem nefas cogitant, malumque consilium ineunt, qui dicũt: [a] Non prope est: construantur domus: hæc [b] olla est, nos autẽ caro. Quocirca uaticinare aduersus eos, uaticinare, homo. Hic cũ in me Iouæ spiritus illapsus esset: Dic (inquit ille me alloquens) Sic dicit Ioua: Vos ita loquimini, Israelitica domus, (& ego mentis uestræ cogitata noui) ut multos in ista urbe [c] interficiatis, eius'que uicos impleatis occisorum. B Quamobrem sic dicit Dominus Ioua: Occisi uestri, quos in ea posuistis, caro sunt: ipsa olla est: uos autem ego ex ea educam: arma metuitis, & arma uobis inueham, inquit Dominus Ioua, ex eaque eductos hostibus addicam, & in uos exempla edam: armis cadetis, & in Israelitarum finibus puniam uos, scietisque me esse Iouam. Nec ista uobis olla, nec uos in ea caro eritis, quos ego in finibus Israelitarum puniam, efficiamque ut sciatis me esse Iouam, cuius institutis uos non parueritis, cuius'que sententias non fueritis executi, sed finitimarũ gentium imitati mores. Hic uaticinante me, Pheltias Banaiæ filius mortuus est, & ego pronus cecidi, ac magna uoce clamans dixi: Ah Domine Ioua, funditus tu'ne deles reliquias Israelitarum? C At Ioua me alloquens: Homo, inquit, sunt fratres, sunt fratres tui, tuæ consanguinitatis homines, & uniuersa domus Israelitica, quibus dicunt Hierosolymitani: Discedite à Ioua: nobis hæc terra possidenda data est. Itaque dicito: Sic dicit Dominus Ioua: Si eos ego per gentes atque terras procul dispersi, ero eis paulisper fanum in quas uenerunt terras. Quocirca dic: Sic dicit Dominus Ioua: Ego uos ex nationibus atque terris, per quas estis disiecti, conuocabo atque colligam, & Israelitica terra donabo, quò cum uenerint, tollent ex ea omnia eius scelera atque flagitia, eisque unum cor dabo, & in uestra D pectora nouum spiritum immittam: detractóque de eorum corporibus lapideo corde, cor eis carneum dabo, ut ex institutis meis se gerãt, & sententias meas conseruent ac obeant, & ipsi mihi populus, & ipsis ego sim Deus. Qui uerò animis sua scelera & flagitia sequuntur, in eorum ego caput, ut digni sunt, animaduertam, inquit Dominus Ioua. Tum Cherubi, comitantibus rotis, alas sustulerunt, & Iouæ Dei Israelitarum splendor illis desuper incumbens, sese ex media urbe sustulit, atque in monte, qui urbi ab oriente est, substitit. Et spiritus sublatum me, in Chaldæam ad exules per uisum tulit, diuino afflatu: digressa'que à me uisione quam uideram, exulibus exposui quicquid rerum mihi Ioua ostenderat.

a. Procul absunt quę minantur uates.
b. ut in olla caro manet, ita nos in urbe manebimus.
c. necis causa estis, dũ eis Deo cõtraria persuadetis.

Ierem. 23. f
Infrà 36.

CAPUT XII.

ITem mecum locutus est his uerbis Ioua: Homo, tu inter contumax hominum genus habitas, qui & oculos habent ad uidendum, neque uident: & aures ad audiendum, nec audiunt, quippe genus hominum contumax. Igitur tu, homo, compara tibi migrationis instrumenta, & interdiu, cernentibus illis, emigra, uidelicet ex tuo loco in alium, ipsis spectantibus, si fortè uideant se contumax esse genus. Efferes autem B supellectilem tuam, sicut in migratione fieri solet, interdiu, spectantibus illis: & serò exibis, iisdem cernentibus, ut solent migrantes egredi. Illis cernentibus parietem perfode, & per eum effer. Illis cernentibus onustus humeros crepusculo efferes, tecto uultu, neque terram cernens, quoniam ego te prodigium Israelitarum generi do. Igitur ita feci ut iussus eram: supellectilem meam extuli, migrantium more, de die: serò autem, perfosso mea manu pariete, crepusculo extuli, portans humeris, illis spectantibus. C Manè autem Ioua mecum sic uerba fecit: Homo, nónne te interrogauit genus Israelitarum, genus contumax, quid ageres? Dicito eis: Sic dicit Dominus Ioua: Hierosolymitani principis est hoc triste fatum, & totius Israelitarum generis, qui inibi uersantur. Dicito: Ego uobis sum prodigio: quemadmodum ego feci, sic eis fiet: in exilium captiui abibunt. Princeps autem, qui uersatur inter eos, is humeris ferens crepusculo, per parietem exeundi causa per fossam exibit, tecto uultu, ne oculis cernat ipse terram. D Ei ego rete meum obtendam, captumque meis cassibus, Babylonẽ in Chaldæam terram perducam, quam neque uidebit, & ibi morietur. Omne autem eius stipatorum præsidium, omnem'que comitatum, in omnes uentos disiiciam, stricto'que gladio persequar, & efficiam ut me sciant esse Iouam, cum eos per gentes atque terras dissipauero atque dispersero. Cæterùm reliquos ex eis faciam homines numero paucos, ab armis, fame atque peste, ut narrent sua tot flagitia apud gentes, quò uenerint, sciatur'que me esse Iouam. E Item me his uerbis effatus est Ioua: Homo, tu panem tuum trepidè comedes, aquamque pauidè & anxiè bibes, & incolas sic alloquêris: Sic dicit Dominus Ioua de iis qui Hierosolymam in Israelitica terra incolunt. Et panem anxiè comedent, & aquam miserè bibent ut derelinquatur eius terra ab his quæ ea continentur, propter eius omnium incolarum iniustitiam: & habitatæ urbes desolabuntur, & terra deserta erit, scietisque me esse Iouam. F Item mecum Ioua uerba fecit hunc in modum: Homo, quid uult uobis dictum istud per Israelitarum terram dicentium? Longè abest tempus, periit'que omne oraculum. Ergo illis dicito: Sic dicit Dominus Ioua: Auferam dictum istud, nec eius erit amplius usus apud Israelitas: quin propè est tempus, (inquies eis) & omnis oraculi prædictio: Nec enim erit amplius ullum oraculum uanum, aut [a] lubrica diuinatio

Inf. 37. f. 32. a

a. ambigua & incerta.

diuinatio, inter Israelitarum genus. Nam ego Ioua eloquar, & quod uerbis eloquutus fuero, fiet: neque deinceps prorogabitur, quin uestro æuo, ô natio cõtumax, rem & dicam & faciam, inquit Dominus Ioua. Item me sic est allocutus Ioua: Homo, ecce dictitat Israelitarum genus: Quod ille effatur oraculum, id in multum spacium longinquaque tempora uaticinatur. Propterea dic eis: Sic dicit Dominus Ioua: Nõ differetur amplius ullum meum dictum: quam ego rem dixero, ea & fiet, inquit Dominus Ioua.

CAPVT XIII.

In falsos uates.

Infrà 14. e

a. Fallaces sunt, non propugnãt uates pro Israelitis, nõ Dei irã auertunt.

ITem Ioua mecũ uerba fecit hoc modo: Homo, uaticinare in uates Israelitas uaticinantes, & dicijs qui sua commenta uaticinãtur: Audite Iouæ dicta. Sic dicit Dominus Ioua, Væ uesanis uatibus, qui suum sequuntur spiritum, cum non præuideant. [a] Syluestrium uulpium similes sunt tui uates, ô Israelita: Vos non in ruinas ascenditis, aut Israeliticam domum septo sepitis, in pugna stando die Iouano. Vana uaticinantur diuinatione fallaci, dicentes, inquit Ioua: cum Ioua non miserit eos, & spem facientes euenturum esse quod dicitur. Nonne uana editis oracula, falsa'que diuinatis, dicentes, inquit Ioua: cum ego non sim locutus? Quamobrem sic dicit Dominus Ioua, Quoniam uana dicitis, falsa'que uaticinamini, propterea ego uobis B minitor, inquit Dominus Ioua: & ita manum afferam uatibus, qui uana effantur, falsa'que diuinant, ut in meorum concilio non sint, neque Israelitarum scripto ascribantur, neque in Israelitarum solum perueniant, scietis'que me esse Dominum Iouam. Quandoquidem meis errandi autores sunt, dicendo [b] pacem, cum pax non sit, & [c] quem extruxit ille murum, illi incondite trullissant, dicito trullissantibus incõdite, casurum esse. Erit inundans nimbus, & uos grandinosi lapides decidetis, irrumpet'que uentus tempestuosus, atque ita collapso muro, nimirum ex uobis quæretur ubinam sit quod trullissaueritis. Ergo ego, inquit Dominus Ioua, tempestuosum uẽtum iratus impingam, eritque nimbus inundans, & grandinosi lapides, me ira ardente ad internecionem, demolitusque murum, quem uos tam incondite trullissatis, ad terram C deturbabo, ruetque funditus, & uos in eius medio conficiemini, scietisque me esse Iouam: & in murum, & in eos qui eum tam incondite trullissant, bilem meam consumam, diceturque uobis, neque murum iam esse, neque trullissatores eius uates Israelitas, qui de Hierosolyma uaticinantur, & ei pacis edunt oracula, cum non sit pax, inquit Dominus Ioua. Tu uerò, homo, compone faciem tuam in populares tuas, commenta sua uaticinantes, & in eas his uerbis uaticinare. Sic dicit Dominus Ioua: Væ quæ puluinulos consuitis ad omnium manuum axillas, facitisque ceruicalia [d] ad omnis staturæ caput, ad aucupandas animas. Vos animas uenamini meorum, & [e] animas uobis conseruatis, meque profanatis apud meos, ob hordei pugillos, panisque frusta, animas & necando non morituras, & conseruando non uicturas, dum meis mentimini, audientibus mendaciorum. Quare sic dicit Dominus Ioua: Ego puluinulos istos, quorũ uos aucupio animas uenamini, uobis de brachijs euellam, animasque dimittam, quarum uos uitam aucupando captatis, istisque laceratis puluinulis, meos à uobis liberabo, non amplius istis uenãdos manibus, scietisque me esse Iouam, quoniam iustis falsum animi dolorem facitis, cum ego eis nõ sim doloris autor: impiorumque confirmatis actiones, ne omissis prauis suis moribus, uiuãt. Quamobrem non amplius incerta uaticinabimini, aut diuinationem edetis, quin ego meos à uestris manibus tuebor, efficiamque ut me Iouam esse intelligatis.

b. saluam esse rem.

c. Hierosolymá, quá Ioua cõdidit, uates male tuentur, falsa promittendo, quę res ruinæ causa erit.

In falsas uates.

d. omnium hominum

e. quibus uultis, uitá promittis meo nomine, quæ res efficit ut ego uanus D esse uidear, dum morte dignis uitá per uos promittere uideor, & contrà.

CAPVT XIIII.

CVm autem conuenissent me quidam de senatoribus Israelitis, & coram me sederent, Ioua mecum sic est locutus: Homo, hominibus istis sui stercorei diui cordi sunt, suũque detrimentosum crimen præ se ferũt: debeóne eis exorari? Ego alloquere eos his uerbis: Sic dicit Dominus Ioua: Si quis Israelitici generis homo, suos stercoreos diuos habens in animo, suumque detrimẽtosum crimen præ se ferens, conuenerit uatem, huic ego Ioua ut tot eius stercoreis diuis dignum erit, respondebo, B ut comprehendant in animis suis Israelis posteri sese suis tot stercoreis diuis à me desciuisse. Quocirca dic Israelitarum generi: Sic dicit Dominus Ioua, Redite, & auertite à uestris sordibus, à uestris tot flagitijs aspectum auertite. Nam quisquis uel genere Israelita, uel inter Israelitas commorans peregrinus, à me desciuerit, & suos stercoreos diuos habens in animo, suumque detrimentosum crimen præ se ferens, uatem adiuerit, eius de me consulendi gratia, huic ego Ioua dignum me responsum dabo, hominemque illum, infensus ei, sic disperdam, ut exemplo prouerbioque sit, & ex meorũ numero C extirpabo, scietisque me esse Iouam. Qui uates autem deceptus aliquid dixerit, illum ego uatẽ Ioua [a] decepi, eique manum afferam, & eum de meorum Israelitarum numero tollam, luentque suam culpam, eadem consultoris culpa qua uatis, ne deinceps Israelis posteros à me per errorem abducant, ne amplius suis tot peccatis contaminentur, sintque mihi populus, & ego eis sim Deus inquit Dominus Ioua. Item mecum uerba fecit Ioua in hũc modum: Homo: si ego cuipiam regioni, quæ cõtra me peccando crimen commiserit, manum afferam, fractoque ei panis adminiculo, & immissa in eam fame, homines ex ea bestiasque excindã, & fuerint in ea [b] hi tres uiri, Noa, Daniel & Iobus, ij domũ sua iusticia uitam suam liberabunt, inquit Dominus Ioua. Si feras in terrã immisero, quæ eam ita depopulentur, ut deserta sit, nullo in ea uersante, propter bestias, tribus istis uiris in ea uersantibus, ita

a. falso spiritu afflaui, Vide 3. Reg. 22. Malo consultori malum uatem dat Deus, & contrà.

D

Boni ex periculis euadunt

b. hoc est pauci uiri boni, quales erant illi.

E

bus, ita uiuam, inquit Dominus Ioua, ut neq;
filios neque filias liberabunt: ipsi soli euadent,
terra deserta. Aut arma in terram illam intule-
ro, iussisq; armis per terram illam grassari, ex-
F cindam ex ea tum homines, tum bestias, tribus
istis uiris in ea uersantibus, ita uiuam, inquit
Dominus Ioua, ut filios filiasue nō liberabunt,
sed soli euadent. Aut immissa in terram illam
peste, meam bilem in eam cædibus infundam,
homines bestiasq; ex ea extirpādo, & Noa, Da
niel, & Iobus in ea fuerint, ita uiuam, inquit Do
minus Ioua, ut neq; filium, neque filiam libe-
rabunt: ipsi sua iustitia uitam suam liberabunt.
Enimuerò sic dicit Dominus Ioua, atqui cum
quatuor mea mala supplicia, arma, famem, fe-
ras, & pestem in Hierosolymam immiserim,
G hominum pecorumq; ex ea extirpādorum gra-
tia, tamen supersunt in ea qui elapsi educantur,
filij atque filiæ, ijq; ad uos profecturi sunt, quo-
rum uobis perspecti mores atque natura, con-
solationem afferent malorum, quæcunque ego
in Hierosolymam importaui: uosq; consola-
buntur, cum perspectis eorum moribus atque
studijs, intelligetis nō ab re fecisse me quicquid
ei feci, inquit Dominus Ioua.

CAPVT XV.

De ligno uitis.

ITem mecū locutus est Ioua his uerbis: Ho-
mo quid fieri possit ligno uitis, ex omnibus
ramosis arboribus, quæ sunt in arborum syl-
ua? An scilicet sumetur ex eo lignum adhiben-
dum operi? an sumetur ex eo clauus, in quo
quodpiam suspendatur utensile? Quid si eo in
ignem coniecto ut consumatur, ignis utrum-
que eius extremum consumpserit, medium au
tem ustulatum sit, an erit ad opus accommoda-
tum? Etiam cum esset integrum, non adhibeba-
tur ad opus, nedum ut postquam igni absum-
B ptum atq; ustulatum est, fiat ex eo opus. Ergo
sic dicit Dominus Ioua: Quale lignum uitis est
in arborum sylua, si quis id comburēdum in i-
gnem coniecerit, tales ego Hierosolymitanos
reddam, & eis infensus, efficiā ut ignem egres-
si, consumantur igne, scietisq; me esse Iouam,
cum eis infensus eorum terram uastam reddi-
dero, quoniam in me crimen commiserint, in-
quit Dominus Ioua.

CAPVT XVI.

Hierosolymæ natiuitas.

PRæterea mecum locutus est in hunc mo-
dum Ioua: Homo, ostende Hierosolymæ
sua scelera, dicens: Sic dicit Dominus Ioua Hie
rosolymæ: [a] Tu originem natales'que trahis ex *(a. impura es ut illæ gentes, ut ab illis genus ducere uidearis.)*
Chananæa terra: tibi & pater Amorræus, &
mater Hettæa est, & ita natali tuo die nata es, ut
neque tibi abscissus sit umbilicus, neque aquæ
lotione fota sis, neque sale salita, nec inuoluta
fascijs. Nullus misericordia erga te motus, ul-
lam istarum rerum tibi præstitit, sed sub dio ab
iecta, cum uitæ tuæ periculo, natali tuo die ia-
cuisti. At ego te præteriens, cōspicatus in cruo *(b. uitā tibi cruētæ conseruaui.)*
re tuo uolutantem, [b] dixi tibi: Viue cruenta,
uiue, inquam, cruenta, Multiplici incremento,
tanquam terrestrem stirpem, te auxi, creuisti-
que & adoleuisti, & eò peruenisti, ut mundo co
menda fores, adepta mammas, & capillos adul-
tos: sed eras nuda atque detecta. Ego uerò te
præteriens, cum animaduertissem eius ætatis
esse, quæ esset amoribus idonea, expanso in te
meo gremio, tuam naturam texi. tibi'que iu-
rans, [c] tecum fœdus feci, inquit Dominus Io- *(c. te mihi despōsaui.)*
ua: factam'que meam aqua perlui, cruorem tu-
um elui, te unguēto perunxi, phrygianis indui,
calceaui melinis, amiciui bysso, serico operui,
ornamentis compsi, manibus armillas, iugulo B
torquem accōmodaui, faciei frontale, auribus
inaures addidi, & capiti decoram imposui co-
ronam. Tu uerò & auro atque argento ornata,
& bysso, serico, phrygionati'sque uestita, & si
mila, melle, oleo pasta, atque ita formosissi-
ma & regno idonea facta, cum istius pulchritu
dinis nomen per gentes propagatum foret, quip
pe quæ essent perfecta, ob meum decus quod
ego tibi apposuissem, inquit Dominus Ioua:
tu, inquam, freta tua pulchritudine, meretri-
cata es, lædendoq; famam tuam, impudicitiæ
tuæ copiam omnibus uiatoribus effuse, contra
fas, fecisti. Tum sumpta parte uestium tuarum,
tibi uaria fecisti sacella, in quibus contra fas
contra'que ius meretricata es. Preterea sum-
pto tui decoris instrumento, ex auro argento'-
que meo, quod ego tibi dederam, fecisti tibi ma
sculas imagines, cum quibus scortata es, quas'-
que sumptis tuis phrygionatis uestimētis ope-
ruisti, & eis unguentū suffitumq; meum appo-
suisti, & cibum meū, quem ego tibi dederam,
similam, oleum, mel, quo ego te cibaueram, ea
tu illis ad suauem odorem obiecisti: ita est, in
quit Dominus Ioua. Et insuper filios filiasq; C
tuas, quos mihi pepereras, sumpsisti, ac illis ad
cibum immolasti, quasi parum esset impudi-
citia tua, nisi meos mactares natos, & illis [d] tra- *(d. scilicet per ignem.)*
ijciendo dares. In quibus sanè tuis tot flagitijs
atque stupris, non recordata es ætatem pueri-
tiæ tuæ, cum nuda detectaq; in cruore tuo uo-
lutareris. Quinetiam post tua tam multa sce-
lera (hei, hei tibi, inquit Dominus Ioua) tu tibi
lupanaria extruxisti, & sacella passim per ui-
cos fecisti, quibus sacellis passim per compita
constructis, tuam incestasti pulchritudinem, &
tuos cunctis uiatoribus diuaricans pedes, libi-
dini indulsisti: cumq; Aegyptijs hominibus,
uicinis tuis, magna membra habentibus, scor-
tando, multa luxuria ad irritandum me usa es.
Cumq; ego tibi manum afferens, tuum institu-
tum abrupissem, & te inimicarum tuarum li-
bidini dedidissem, uidelicet Palęstinarum [e] pu *(e. ciuitatū.)*
ellarum, quas tuorum tam probrosorum pude-
ret morum, scortata es cum Assyrijs homini-
bus, insatiabilis, & ne sic quidem libidine satia
ta, impudicitiā tuam per Chananæam terram
ad Chaldæam usque auxisti, ne sic quidem exa
turata. O' te perditæ mentis, inquit Dominus
Ioua, quæ facias ista tot opera meretricis impu-
dentis, dum tua prostibula sacellaq; pasim, per D
omnia

omnia compita uicosq; ædificas atq; facis. Neque uerò meretricis similis es, negligẽdo quæstum: aut mulieris adulteræ; quæ pro uiro suo admittit alienos. Cum cunctis meretricibus dari soleat merces, tu mercedem cunctis tuis amatoribus soluis, eosq; luxuria tua conducis, ut ad te ueniãt undique: itaq; in te, tua ista libidine, contra mulierum consuetudinem, dum non ambiris ipsa ad scortãdum, sed & precium das, neque tibi precium datur, atque ita cæteris contraria es. Quare ô meretrix, audi Iouæ dicta: Sic dicit Dominus Ioua: Quoniam tu & [f] æs profusum, & obscœna detecta sunt, tua ista in amatores tuos, inq; tot stercoreos istos & abominandos diuos, libidine tuorum'que liberorum sanguine, quem illis dedisti, propterea ego congregabo omnes & amatores tuos, quibus tu te oblectasti, & quoscunque adamasti, unà cum omnibus quos odisti, eos, inquam, aduersum te undique congregabo, eis'que obscœna tua ita patefaciam, ut tua omnia uerenda uideant, & tibi adulterarum & sicariarum pœnas irrogabo, supplicium'que de te sumam, quale solet [g] ira & obtrectatione inferri, & te in eorũ manus tradam, qui tua prostibula euertent, sacella'que diruent, te'que tuis spoliatam uestibus, ablato tui decoris instrumento, nudam destituent atque detectam, & adducta in te multitudine, lapidibus obruent, gladiis'que perfodient, & tuas domos igni comburent, atque in te exempla edent, cernentibus multis [h] mulieribus, te'que à meretricio coercebo, efficiamq; ut nullum deinceps precium soluas: & [a] meam bilem in te sedabo, sublataq; mea in te obtrectatione, quiescam, non sæuiturus amplius. Quoniamq; immemor tuæ puerilis ætatis, me illis omnibus irritasti, ego quoque tuos mores in caput istud ulciscar, inquit Dominus Ioua, ita ut super tua tot scelera flagitium non facias. Iam uerò quicunque prouerbiis utuntur, ii in te prouerbium hoc dicent: Similis matri filia. Tu tuæ [b] filia matris es, quæ & uirum & natos suos respuit: & sororum tuarum soror es, quæ & uiros & natos respuerunt suos. Vestra mater Hettæa, & pater Amorræus, tuaq; soror maior est cum suis filiabus, Samaria quæ ad sinistram tuam degit. Minor autem te soror tua est ad dexteram tuam habitãs Sodoma cum suis filiabus. Quãquam tu propemodum earum mores & scelera non es imitata, sed in omnibus tuis moribus nequior illis fuisti. Sic uiuam, inquit Dominus Ioua, ut non fecit tua soror Sodoma, unà cum suis filiabus, qualia tu, unà cum tuis filiabus, fecisti. Hæc sanè culpa fuit Sodomæ sororis tuæ, quod cum tum ipsa, tum eius filiæ, culmen & uictus saturitatem, ociiq; prosperitatem haberent, inopibus egentibusq; nõ opitulatæ sunt, sed superbientes, flagitium aduersum me fecerunt, quo ego uiso eas sustuli. Samaria quidem dimidium peccatorum tuorum non commisit, adeoq; tu illas tuis sceleribus superasti, ut tot sceleribus cõmittẽdis tuas

f. pecunia.

Infrà 23.b

g. ab iratis & zelotypis maritis.

E

4 Reg. 25.d

h. gẽtibus.

a. satiabo me pœnis, quibus tu adeò opprimeris, ut deinceps flagitium quod mihi obtrectationem moueat, facere nequeas.

b. Hoc est similis.

F

Gen. 19.f

sorores [c] insontes reddideris. Ergo tu tuam lue obscœnitatem, quæ tuis sororibus patrocinata sis, dum peccatorum tuorum fœditate superatæ, sunt innocentiores te: tu quoque turpiter obscœnitatem tuam lue, quæ sorores tuas reddideris innocentes. Itaq; reuocabo earum captiuos, uidelicet Sodomæ & eius filiarum, & Samariæ eiusq; filiarum, & in his etiam tuos, ut obscœnitatis tuę des pœnas, teq; pudeat omniũ quæ feceris, dum consolaris illas: tuaq; soror Sodoma & eius filiæ in pristinũ statũ redibunt, & Samaria eiusq; filiæ in pristinum statum redibunt, & tu filiæq; tuæ in pristinum statum redibitis, quæ dignata non esses sororis tuæ Sodomæ isto ore mentionem facere, [d] cum in fastigio fores, ante patefactam prauitatem tuam, ut tempora dedecoris puellarũ Syrię, & omnium eius finitimarum puellarũ Palæstinarum, quæ nunc undique te dispicantur. Tu tuum flagitiũ sceleraq; lues, inquit Ioua. Sic enim dicit Dominus Ioua: Ego tibi parem gratiam referam, quæ uiolando fœdere, sacramentum contempseris. Sed memor ego fœderis quod mihi tecũ tua puerili ætate ictum est, pangam tecum fœdus æternum, teq; tuos recordantem mores pudebit, admissis tuis sororibus tum te grandioribus, tum minorib. [e] quas ego tibi filias dabo, nec id ex tuo fœdere, tecumq; fœdus meum stabiliam, sciesq; me esse Iouam: ut te memorem pudeat: nec audeas amplius hiscere præ pudore, cum tibi quæcunque feceris, ignouero, inquit Dominus Ioua.

c. effeceris ut præ te insontes esse uideantur.

G

d. regnante Dauide, qui Syros & Palæstinos subiugauit.

e. Hierosolyma mater est Christianorũ ex fœdere gratiæ.

CAPVT XVII.

AD hæc mecum Ioua locutus est his uerbis: Homo propone ænigma, & ede sententiam Israelitarum generi, atq; ita dicito: Sic dicit Dominus Ioua: Aquila ingens, ingens alis longa corpore, plena plumis atque picturata, uenit in Libanũ, sumpsitq; cedri surculum, & decerptum eius ramorum caput, sublatumq; in mercatoriam terram, collocauit in urbe negotiatorum. Præterea sumpsit ex eius terræ seminario, quod in solo satiuo (quod largo humore irriguum desumpserat) posuit, & compositè collocauit, id quod exortum euasit in luxuriantem uitem, statura humilem, in suo conspectu suos habentem palmites, suas'que radices subter se. Id igitur in uitem euasit, actis'que duraminibus, emisit sarmenta. Erat autem aquila quædam ingens, ingens alis, abundansq; plumis, ad quam ecce uitis illa suas flexit radices, eiq; suos palmites porrexit, ut ab ea per sui satus ordines irrigaretur, cum esset ipsa in bono solo, & in multo humore sata, ut & pampinos ederet, & fructum ferret, esset'que uitis nobilis. Ergóne ei bene eueniet (inquies) inquit Dominus Ioua? Nónne aquila, eius & radices extirpabit, & fructum decerpet, ut arefactis omnibus eius uitium ramis, exarescat? nec magna sanè manu multisq; copiis utetur in ea tollenda radicitus. An uidelicet sata feliciter

De aquila uinea.

B

C

aget? nonne afflata euro, arescet, & arescet in suarum uitium ordinibus? Tum alloquens me Ioua: Dic, agè, nationi contumaci, inquit. An ignoratis quid hæc sint? D Venit (inquies) Babyloniæ rex Hierosolymam, captumque eius regem & proceres, Babylonem ad se deportauit. Præterea sumpsit de regio semine, cum quo ad sacramentum adacto, pactionem fecit, regionisque potentissimos abstulit, ut esset humile regnum, ne sese efferret, sed eius pactione seruanda staret. At ille in eum rebellauit, missis in Aegyptum legatis, per quos copiosum equitatum postularet & exercitum. Ergò ne ei bene eueniet? ergóne euadet, qui hæc fecerit, pactumque uiolarit? E Euadet uerò? Ne uiuam ego, inquit Dominus Ioua, ni in patria regis eiusdẽ, à quo factus est rex, eius sacramentum contempsit, pactumque uiolauit, ni apud eum, in media Babylone morietur, nec ei magno cum exercitu multisque copijs in bello subueniet Pharao cum exprimetur agger, extrueturque propugnaculũ ad multorum mortalium excidium. Et quia uiolando pacto sacramentum contempsit, cumque manum [a] dedisset, tamen hæc omnia fecit, F non euadet. Quocirca sic dicit Dominus Ioua. Ne uiuam, ni meum sacramentum est, quod contempsit, meumque pactum, quod uiolauit, idque in eius caput ulciscar. tendamque in eum rete meum, & meo casse captum, Babylonem deportabo, ubi de eo supplicium sumam criminis quod contra me commisit. Omnes autem eius profugi, cum toto eius comitatu, ferro cadent: reliqui in omnes regiones dissipabuntur, scietisque me Iouam locutum fuisse. [b] Summam autem (inquit Dominus Ioua) de proceræ cedri coma, decerptũque ex eius surculorum cacumine flagellum, deponam, plantaboque in edito atque eminenti monte, G idque per me in altissimo Israelitarum monte depactum, ramos edet, fructumque pariet, fietque cedrus nobilis, sub qua, & in cuius ramorum umbra, omnes aues, omnes habitabunt alites, scientque omnes terrestres arbores, me Iouam arbores & altas deprimere, & humiles extollere, & arefacere uirentes, & siccæ ut reuirescant efficere: ego Ioua & dico & faciam.

a. scilicet Nabuchodonosori.

Suprà 22. d
Infrà 32. d

b Vide caput paulo ante finem.

CAPVT XVIII.

Patres comederũt uuã acerbã. Ier. 31. c

ITem mecũ Ioua locutus est his uerbis: Quid sibi uult prouerbium istud, quod uos per Israeliticam terram iactatis, dicentes: Patres comederunt uuam acerbam, & liberorum dentes stupent. Ne uiuam, inquit Dominus Ioua, ni non erit uobis amplius usus istius prouerbij apud Israelitas. Cumque omnes meæ sint animæ, cum tam patris quàm filij anima sit mea, quæ anima peccauerit, ea morietur. Ac qui homo iustus fuerit, æquũque & ius fecerit, B in montibus nõ polluxerit, aut oculos sustulerit ad stercoreos diuos Israeliticæ domus, neque alterius uxorem stuprauerit, nec ad menstrualem fœminam accesserit, neminem læserit, suum debitori pignus reddiderit, non exercuerit rapinam, uictum suum impertiuerit esurienti, nudumque ueste texerit, fœnori non dederit, nec usuram acceperit, ab iniquitate continuerit manum, uerum iudicium in hominũ controuersijs fecerit, ex meis decretis se gesserit, measque sententias, uerum faciendo, conseruauerit, is iustus uiuet, inquit Dominus Ioua. C Quòd si filium genuerit perditum, sanguinarium, qui in quodlibet horum commiserit, nec hæc omnia fuerit executus, quin polluxit in montibus, stuprauit uxorem alterius, inopes pauperesque læsit, rapinam exercuit, pignus non reddidit, ad stercoreos diuos sustulit oculos, fecit scelus, fœnerauit accepitque usuram, is ne uiuet? non uiuet, qui hæc tot scelera fecerit, sed meritò morte pœnas dabit. Rursum si is filium genuit, qui animaduersis tot commissis à patre suo peccatis, metuit nec imitatur illa, in montibus non pollucet, nec oculos ad domus Israeliticæ sordes attollit, D alterius uxorem non stuprat, neminem lædit, non retinet pignus, non rapinam exercet, uictum suum famelico largitur, nudumque ueste tegit, ab inope manum abstinet, fœnus & usuram non accipit, meas sẽtẽtias exequitur, & meis institutis obsequitur, is sui patris culpa non morietur, sed uiuet. Pater eius si fraudauit, si quid fratri eripuit, denique si quid non rectum fecit inter suos populares, is sua culpa mortuus est. Quòd si quæritis cur nõ luat patris culpam filius: fecit ius æquumque filius, omnia decreta mea cõseruauit atque obiuit: dignus est qui uiuat. Quę anima peccauerit, ea morietur: non filius patris, non filij pater culpam luet: E & suam iustitiam iustus, & suam impietatem feret impius. Quòd si quis impius ab omnibus suis, quæ commisit, peccatis recesserit, omniaque mea placita conseruauerit, & ius æquumque fecerit, uiuet, non morietur: quicquid peccatorum commisit, non recoletur ei, sed sua, quam exercuerit, iustitia uiuet. Num ego impij mortem expeto? inquit Dominus Ioua, ac non ut à moribus suis recedat atque uiuat? Rursum si iustus, omissa sua iustitia, nequiter egerit, F omnia quæ committunt impij scelera imitatus, is ne uiuet? omnes eius uirtutes, quas exercuerit, non recolentur ei, quin ob cõmissum à se crimen atque peccatum morietur. Et negatis [a] Domini constare rationem? Audite sanè, genus Israelis, meáne ratio non constet, an potius uestræ rationes non constent. Cum iustus, omissa iustitia sua, nequiter egit, ob eaque moritur, is ob commissam à se culpam moritur. Rursus cum impius, omissa quam exercuit impietate, ius æquumque facit, is uitam suam cõseruat, quodque perpensa re, ab omnibus, quæ exercuit, peccatis recedit, uiuere debet, non mori. Et negat Israelis domus Domini constare rationem? G Meæ ne, ac non potius uestræ domus Israelis, rationes non constant? Itaque uos ego pro suis quęque meritis iudicabo, domus Israelis, inquit Dominus Ioua: Redite, & uos

Esa. 58. b
Mat. 25. c

Deut. 24. c
4 Reg. 14. b
2. Par. 25. b

Psal. 29. d
Infrà 33. c

a. Dominũ esse iustum.
Infrà 33. d

Mat. 3. a

uos reuocate ab omnibus peccatis uestris, & non erit uobis detrimento culpa. Abijcite à uobis quæcunque peccata commisistis, & uobis cor nouum mentem'que nouam comparate, ut non moriamini, domus Israelis. Non enim mortem aueo morientis, inquit Dominus Ioua: reuocate uos, & uiuite. *Infrà 33.c*

CAPVT XIX.

TV uerò ede in Israelitarum principes næniam, & dicito: Iam uerò tua mater leæna, cubans inter leones, in medio iuuenū leonum enutriuit suos catulos. Quorum[a] unus ubi in leonem adoleuit, doctus prædam rapere, homines comedit. Quod postquàm de eo audiuere gentes, eum sua fouea captum, duxerunt catenis in Aegyptiam terram. At illa uidens amissa spe, frustra se expectare, sumpsit unum suorum catulorū, leonemque effecit,[b] qui inter leones uersatus, factus & ipse leo, prędā rapere didicit, homines que comedit, & eorum arces populatus est, urbes desolauit, terramque, & quod ea continebatur, sui rugitus sonitu uastauit. Hunc undique adortæ gentes ex prouincijs, rete suum ei obtenderunt, suáque fouea captum, dederunt in custodiam: catenisque constrictum, ad Babyloniæ regem adduxerunt, & in munitiones coniecerunt, ne uox eius amplius audiretur in montibus Israeliticis. Tua mater, tāquam in humore sata uitis, te[c] crueto, frugifera pampinea'que fuit, ob humoris abūdantiam. Ea uirgas habuit ualidas ad sceptra imperatoria, quæ cum inter comam in eam surrexissent proceritatem, ut altitudine sua in palmitum copia apparerent, ea furēter eruta, humi prostrata est, eiusque fructum arefecit Eurus, euulsasque & arefactas eius fortes uirgas consumpsit ignis. Nunc autem in inculto plantata loco est, in arida ac siticulosa terra, & profectus ignis à uirgis eius duraminum, fructum eius consumpsit, nec est in ea uirga potentię, baculus ad dominandum. Hæc nænia, & quidem lamentabilis est.

Margin: a. Ioachaz Iosię filius. — B — b. Ioacimus. — C — c. recens nato. — D — Osee 13.d

CAPVT XX.

ANno septimo, quinti mensis die decimo, uenerunt quidam de senatoribus Israelitis, ad Iouam interrogandum, quibus apud me manentibus, Ioua me his uerbis affatus est: Homo, alloquere senatores Israelitas, eisque dicito: Sic dicit Dominus Ioua: Vósne mei interrogandi causa uenistis? Ita uiuam ut uobis nō exorabor, inquit Dominus Ioua: Scilicet[a] patrocineris eis? scilicet patrocineris? homo. Scelera maiorū ipsorum eis demōstra, et ita dicito: Sic dicit Dominus Ioua, Cum Israelitas elegissem, promisissem'que stirpi Iacobeę domus, & eis in Aegyptia terra cognitus, recepissem me esse Iouam eorum Deum, cum, inquam, eis pollicitus essem educturum esse eos ex Aegyptia terra, in terram quam eis prouidissem, lacte melleque fluentem, quæ esset terrarum omnium nobilissima, eos monui ut eas quisque[b] obscœnitates abijcerent, in quas coniectos oculos haberent, néue Aegyptiorum stercoreis diuis contaminarentur: me esse Iouam ipsorum Deum. B At illi in me contumaces, mihi obedire noluerunt, nec eas quisque obscœnitates abiecerunt, in quas coniecerant oculos, nec Aegyptiorum reliquére stercoreos diuos. Ergo cogitaueram in eos bilem meam effundere, iramque consumere in media Aegypto: sed feci mei nominis causa (ne id profanaretur apud gentes, inter quas illi uersabantur, quibus'que spectantibus, ego illi innotueram) ut eos ex Aegyptia terra educerem. Itaque eductos ex Aegyptia terra, in solitudinem perduxi, eis'que mea instituta tradidi, & sententias ostendi, in quibus obeundis sita homini uita esset. Mea quoque Sabbatha eis tradidi, quæ argumento essent inter me & ipsos, quo sciretur me Iouam esse qui eos redderem sanctos. Sed in me contumaces Israelis posteri, in desertis non se gesserunt ut postulabant instituta mea, sententiasque meas repudiarunt, in quibus exequēdis homini posita uita est, meaque Sabbatha admodum profanarunt. Itaque cogitaueram eos in desertis bile mea perfusos cōficere. Sed habui mei nominis rationem, ne id profanaretur apud gentes, quibus spectantibus eos eduxeram. Tametsi confirmaui eis in desertis non esse me introducturum eos in terram, quam G. L. eis H. lacte melleque manantem dedissem, quæ esset omnium nobilissima terrarum, quoniam mea iura repudiassent, nec ut mea ferebant instituta, se gessissent, & mea Sabbatha profanassent, quippe sequentes animo suos stercoreos diuos. Quanquam mihi ab eorum interitu temperaui, nec eos in desertis funditus deleui. Sed eorum natos in desertis admonui, ne patrū suorum instituta sequerentur, aut mores retinerent, stercorei sue diuis coinquinarentur: me esse Iouam ipsorum deum: parerēt meis institutis, measque sententias tuerentur & obirent, & Sabbatha sanctè agerent, quæ essent inter me & ipsos signo, quo intelligeretur me Iouam esse ipsorum Deum. At contumaces contra me nati, non paruerunt meis decretis, non meas sententias exequendo seruarunt, quæ sunt eiusmodi, ut in eis exequendis homini posita uita sit: meaque Sabbatha profanarunt. Hanc ob rem cogitabam in eos bilem meam effundere, irámque absumere in desertis. Verùm meam D manum reuocaui, habuique mei nominis rationem, ne id profanaretur apud gentes, quibus spectantibus eduxissem illos. Tamen eis in solitudine confirmaui, me eos per gentes atque terras disiecturum & dispersurū esse, quoniam iura mea non obijssent, decretaque repudiassent, & Sabbatha profanassent,[c] secutique oculis essent maiorum suorum stercoreos diuos. Itaque ego etiam eis decreta tradidi nō bona, & sententias in quibus non esset eis uita posita, eosque cōtaminaui ob sua donaria, qui fœtus omnes, qui uuluam aperuissent,[d] traijcerent, ut eos euastarem, quo me Iouam esse scirent. Quamobrem

Margin: a. hoc enim fecerat uates cap. 9. — b. obscœnos deos — Leu. 18.a — Rom. 10.a — Exo. 20.c. 31.c — Deut. 5.b — Exo. 16.f — a. coluissent, & in precio habuissent. — d. scilicet per ignem.

alloquere genus Israelitarum, homo, & eis dicito: Sic dicit Dominus Ioua. In eo præterea me dedecorauere maiores uestri, crimen committentes contra me, quod cum eos in terram, quam eis daturum promiseram, introduxissem, illi animaduersis passim editis collibus, arboribusq; comantibus, ibi sua fecerunt sacrificia, ibi [e] suæ libationis irritamentum collocarunt, ibi posuere suos odores suaues, ibi fuderunt libamenta sua, & ex eis ego quęsiui quódnam esset sacellum ad quod irent, unde Sacellum nominatum est ad hunc diem. Quare dic Israelitarum generi: Sic dicit Dominus Ioua: Scilicet uos maiorum uestrorum moribus polluti, & eorum secuti obscœnitates, scortati fueritis, ferendisq; uestris donarijs, filios uestros per ignem traijciendo, istis tot stercoreis diuis, ad hunc diem contaminati, & ego uobis exorabor, domus Israelis? Ita uiuam, inquit Dominus Ioua, ut uobis non exorabor, neque fiet quod uos mente conceptum habetis, qui cogitetis similes esse cęterarum gentiũ nationumq; terrarum famulando lignis atq; lapidibus. Ne uiuam, inquit Dominus Ioua, nisi in uos rigida manu, porrecto brachio, effusáq; bile regnabo, uos'que ex populis educam, & ex terris, per quas eritis dissipati, colligam rigida manu, porrecto brachio, effusa'que bile, & in populorum

F solitudinem perducam, ubi uobiscum præsens cum præsentibus iure agam, ut egi cum maioribus uestris in Aegyptia solitudine: sic uobiscum iure agam, inquit Dominus Ioua, sub iugúmq; missos, adigam ad uinculum fœderis, ac separatos à uobis eos qui rebelles à me descíuerint, educam ex suæ peregrinationis terra, nec in Israelitarum terrã uenient, scietisq; me esse Iouam. Vobis uerò, domus Israelis, sic dicit Dominus Ioua: Ite, seruite suis quisque stercoreis diuis, postquã mihi non obeditis, et [f] meũ sanctum nomen ne profanate amplius uestris donarijs stercoreisq; diuis. Nam in meo sacro monte, in altissimo Israelitarum monte, inquit Dominus Ioua, ibi mihi seruiet uniuersa domus Israelis, quaquidem in terra eis fauebo, & ibi uestra honoraria uestrorumq; munerum primitias in omnibus uestris dicatis, libenter admittam, uobis persuaues odores fauens, cum uos ex populis eduxero, & ex terris collegero, per quas fueritis dispersi, atq; [g] in uobis sanctus habebor apud gentes, scietisq; me esse Iouam,

G cum uos in Israeliticã terrã introduxero, quam terram maioribus uestris daturum esse me promisi. Atque illic uos morum studiorum'que omnium uestrorum memores, quibus fueritis contaminati, tædebit pudebit'que tot commissorum à uobis scelerũ, scietisq; me esse Iouam, cum uos mei nominis gratia aliter tractauero, quàm uestri uitiosi mores corruptaq; studia merentur, domus Israelis, inquit Dominus Ioua.

e. suas libationes quibus ego irritarer.

Sacellum.

f. dum à me denominati, alios colitis, meum nomé profanatis, miscétes sacra profanis.

g. meum in uos beneficiũ in causa erit ut me gentes sanctè laudent

CAPVT XXI.

Item me allocutus est Ioua his uerbis: Homo compone faciem tuam uersus austrũ, & [a] perfunde Notum, ac in meridiani agri syluam uaticinare, & meridianæ syluæ dicito: Audi Iouæ dicta. Sic dicit Dominus Ioua: Ego te igne incendam, qui in te omnes tum uirides tum aridas consumet arbores, inextincta flammante flamma, qua flagrabunt omnes facies à meridie ad septentriones, uidebuntq; mortales omnes, me Iouam eam accendisse nõ extinguendam. At ego: O' Domine Ioua, inquam, ipsi me figurata oratione uti dicunt. Et Ioua me alloquens: Homo, inquit, compone faciem tuam uersum Hierosolymam, & perfunde fanum, ac in Israeliticam terram uaticinare, & Israeliticæ terræ dicito: Sic dicit Ioua: Te ego peto, eductoq; ex sua uagina meo gladio, excindam ex te & bonos & improbos: & quoniam ex te & bonos & improbos excidero, propterea exibit ex uagina sua meus ensis in omnes mortales à meridie ad septentriones, scientq; mortales omnes me Iouam meum ensem ex uagina sua eduxisse, non amplius reuersurum. Tu uerò, homo, ingemisce, & cum laterum ruptione

B atq; acerbè ingemisce, illis spectãtibus. Quod si te interrogauerint quorsum ingemiscas? dices: Ad famam, quæ talis aduentat, ut omne & cor liquescat, & manus relanguescant, & mens fatiscat, & fluxa fiant genua, id quod aduentat, fietq;, inquit Dominus Ioua. Item me sic est allocutus Ioua: Homo uaticinare, & dic: Sic dicit Dominus Ioua. Gladius, gladius & acutus & politus est: acutus, ut cædem faciat: politus, ut fulgorẽ habeat. Scilicet lætemur: mei nati sceptrum omne lignũ repudiat. Eum autem mandauit ille poliendum ut manu capiatur. Is est acutus, is politus gladius, interfectori tradendus in manum. Vociferare & eiula, homo:

C nam hic meo populo, hic omnibus impendet principibus Israelitis: terrores à gladio imminent meo populo: itaque plange femur. Est enim exploratio: quanquam quid tum postea, etiamsi scep trum non repudiaret? inquit Dominus Ioua.

Tu uerò, homo, uaticinare, & manus complode, & iteretur gladius, ac tertietur, gladius interfector, hoc est gladius magnæ cædis, illis penitus reconditus. Ego, ut animi deficiant,

D multiq; sint casus per omnes eorum portas, dabo formidinem gladij, heu ad fulgorem facti, ad cædem acuti. [b] Alterutrum facito, aut ad dexteram te, aut ad sinistram compone, quò destinatam faciem habes. Ego quoque [c] manus meas complodam, meamq; bilem [d] sedabo, ego Ioua loquor. Tu uerò, homo (inquit alloquens me Ioua) pone duas uias, quibus ueniat regis Babyloniæ gladius, ambas ex eadem terra profectas, & locum elige in biuio: urbem elige. Viam unam pone, qua ueniat gladius

E Rabbatham Ammonitarum, alteram qua munitam in Iudæa Hierosolymam. Consistit enim Babyloniæ rex in biuio uiarum diuortio, auspicij faciendi gratia: expedit sagittas, lares interrogat, aspicit iecur. Ad dexteram habet auspicium

a uaticinare in Israelitarũ terram, hominum alumnam, ut est sylua arborum, quæ Babyloniæ (in qua hęc dicũt) est à meridie.

Explicat allegoriam.

b. Regis Babyloniæ gladium alloquitur.

c. increpantis est.

d. totã supplicio consumam.

auspicium Hierosolymæ, ad admouẽdos arietes, ad edendam cum uociferatione cædem, ad edendum cum clangore sonitum, ad admouendos portis arietes, ad exprimendum aggerem, ad uallum extruẽdum. Sed [e] ijs uidetur uanum auspicium, quibus iuratum iusiurandum est, & [f] ipse crimen recolit, ut capiatur. Quapropter sic dicit Dominus Ioua: Quoniam uos crimen uestrum recolitis, patefaciẽdis peccatis uestris, ut quæ in omnibus uestris studijs delicta cõmisistis, appareãt: quoniam, inquam, recolitis, manu capiemini. Tu uerò, ô rei capitalis damnate princeps Israelitarum, cuius dies uenit, finiti criminis tempore, detrahe cidarim (sic dicit Dominus Ioua) & aufer coronam: quod est ne sit: humile extollẽdum est, & elatum deprimendum. Ad nihilum, ad nihilum, ad nihilum eam ego redigam, id quod tamen futurum non est, donec ueniat is cuius erit iudicium, quem ego dabo. Tu uerò, homo, uaticinare, & dicito: Sic dicit Dominus Ioua de Ammonitis, eorumque probro. Gladius, gladius (inquies) districtus est ad perimendum ac conficiendum, politus ut fulgeat, dum [g] tibi uana prędicuntur, dum tibi falsa diuinantur, ut [h] ponare cum ceruicibus damnatorum rei capitalis, quorum dies uenit, finiti criminis tempore. Scilicet referetur in uaginam suam: ego te quo in loco creata es, in originis tuæ terra puniam, meáque sæuitia perfundam: te atrocitatis meæ igne afflabo, & insanis hominibus perdendi artificibus dedam, igni consumendã. Erit sanguis tuus in media terra, peribitque tui memoria, quoniam ego Ioua locutus sum.

e. Iudæis qui Nabuchodonosori iurarunt.

F f. Sedecias, de periurio sese iactat, quæ res in causa erit ut capiatur.

G g. Alloquitur Ammonitidem regionem.

h. puniaris ut Sedecias.

CAPVT XXII.

ITem me affatus est his uerbis Ioua: Tu uerò, homo, scilicet patrocineris, scilicet patrocineris urbi cruentæ? imò ei demonstra eius tot scelera, & dicito: Sic dicit Dominus Ioua: O' urbs quæ in medio tui sanguinem fudisti, ut [a] tuum tempus ueniat, stercoreosque diuos cõtra temetipsam fecisti, ut polluaris: tu isto, quem fudisti, cruore, noxam contraxisti, istisque quos fecisti, stercoreis diuis polluta es, & diem tuam adduxisti, ad annosque peruenisti tuos, quam ob causam ego te gentium terrarumque omnium ostentui & ludibrio exponam, ut te & propinquæ, & à te remotæ, illudant, & nomine pollutam, & turbis insignem. [b] Equidem in te principes Israelitarum, pro suis quisque uiribus, in eo fuerunt ut sanguinem funderẽt: in te patres matres'que contempti sunt: in medio tui peregrinis facta iniuria est: in te oppressi sunt pupilli & uiduæ, tu meum fanum despicata es, mea'que polluisti Sabbatha. In te calumniatores fuerunt causa fundendi sanguinis: in te per montes pollutum est: in medio tui facta sunt incesta: in te uerenda patrum retecta sunt: in te pollutæ menstruales compressæ sunt: in te & uir cum alterius uxore flagitium commisit, & socer nurum incesto polluit, & sororem frater eodem patre natam cõpressit. In te dona accepta sunt ob fundendum sanguinem: tu fœnus usurámque cepisti, & alios auarè per iniuriam fraudasti, oblita mei, inquit Dominus Ioua. Iam uerò ego istam, quam tu exercuisti, auaritiam, & factas in tui medio cædes explosi: quò minus animo constes, & manibus ualeas, quò ego tempore agam tecum. Ego Ioua & dixi, & faciam, teque per gentes & terras sparsim dissipabo, & à sordibus tuis coercebo, ita ut tute apud te in præsentia cæterarum gentium dolens, cognoscas me esse Iouam.

a. tui supplicij.

b. Hierosolymæ scelera.

B

Ier. 5. e

e. filij cum nouercis rem habuerunt.

C

D Item me allocutus est his uerbis Ioua: Homo, sunt mihi posteri Israelis uniuersi scoria, æs, stannũ, ferrum, & plumbum in media fornace: sunt argenti scoria. Itaque sic dicit Dominus Ioua: Quoniam cuncti uos scoria estis, hanc ob rem ego uos in mediam Hierosolymam colligam. Quomodo colligitur argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & stannum, in fornacem, ut igne afflata liquefiant, sic ego uos ira incensus colligam, & in ea collocatos liquefaciã, congestosque afflabo igne atrocitatis meæ, atque ita in ea liquefietis, ut liquefit in fornace argẽtum: sic uos liquefietis in ea, scietisque me Iouam bile mea perfudisse uos. E

Item mecum his uerbis egit Ioua: Homo, dic ei: Tu terra es non purgata, non compluta, dum sæuitur. In ea uersatur eius uatum proditio, qui sicut rugiens leo prædam rapit, sic animas comedunt, opes diuitiasque capiunt, multas fœminas in ea uiduant. Eius sacedotes legem meam temerant, profanantque meum fanum: sacrum à profano non discernunt, nec impurum dijudicant à puro, & [d] meis Sabbathis subtrahunt oculos suos, atque ego inter eos profanor. Eius principes in ea uersantes, similes sunt luporum prædæ rapacium, sanguinem fundendo, uitasque perdendo, quæstus faciendi gratia. Vates autem eius, eis incõditè trullisant, uana prædicentes eis, & uana diuinantes, dicendo, Sic dicit Dominus Ioua, cum Ioua non sit locutus. Plebeij iniuriam faciunt, rapinam exercẽt, opprimunt inopes & pauperes, et peregrinis iniquè faciunt iniuriam, quærensque ego ex eis aliquem qui septum reficiat, & in ruina mihi pro gente obsistat, ne eam corrumpam, non inuenio. Itaque eos sæuitia mea perfundens, meæ atrocitatis igne cõficiam, eorum mores in ipsorum caput ulciscens, inquit Dominus Ioua.

F

d. mea Sabbatha non spectant, hoc est non curant aut agunt.

Mich. 3. d

Sopho. 3. d

G

CAPVT XXXIII.

ITem mecum locutus est his uerbis Ioua: Homo, duæ mulieres eiusdem matris filiæ fuerunt. Eæ scortatæ sunt in Aegypto, idque in pueritia sua, compressis ibi & subactis earum uberibus mammisque uirgineis. Harum nomina sunt Tabernaculana maior et Tabernaculimea soror eius, quæ mihi nupserunt, filiosque & filias pepererunt. Nomina sunt Tabernaculanæ, Samaria: Tabernaculimeæ Hierosolyma. Tabernaculana [a] sub me est meretricata, adamans

Samariæ et Iudææ scelera.

a. cum mea esset.

ſuos amatores, uidelicet Aſſyrios propinquos, qui hyacintho ueſtiti prætores & primates erant, omnes iuuenes elegantes, equis inſidentes equites. His pudorem ſuum proſtituit, qui omnes eſſent Aſſyrij generis lectiſſimi, & quoſcunque adamauit, eorũ omnibus polluta eſt ſtercoreis diuis, non omiſſa tamen ſua cum Aegy-
B ptijs impudicitia, qui ei puellæ concubuiſſent, & ſubactis eius uirgineis mammis, eam perfudiſſent libidine ſua. Hanc ob cauſam ego eam ſuis amatoribus dedidi, uidelicet Aſſyrijs, quos adamaſſet, qui eius uerenda detexerunt, filios filiasque ceperunt, ipſam'que gladijs peremerunt, atque ita facta eſt mulierum famoſiſſi-
Suprà 16.c ma, editis in eam exemplis. Eo uiſo ſoror eius Tabernaculimea illam ſuam ſororem libidinis & meretricandi nequitia ſuperauit, Aſſyrios adamans prætores & primates, propinquos, omnes egregiè ueſtitos, equites equis inſidẽtes, elegantes iuuenes. Itaque uidi pollutam eſſe, & eandem eſſe utriusque uiam. Auxit autem hæc ſuam impudicitiam, quod ſculptos in pariete homines conſpicata, Chaldæorum imagines in ſino pide impreſſas, cinctas latera baltheis, tinctas in capitibus tiaras habentes, cunctas forma ducum, figura Babyloniorum Chaldææ, quæ eorum patria eſt, eos ad oculorum aſpectum adamauit, nunciósque miſit ad eos in Chaldæam. Itaque uenerunt ad eam Babylonij ad amatorium concubitum, eamque ſua luxuria polluerunt: à quibus ipſa polluta, animum ab eis auocauit. Ita cum impudicitiam obſcœnitatemque ſuam patefeciſſet, ego ab ea animum abduxi, ut ab eius ſorore abduxeram. Auxit item impudicitiã ſuam, memor ſui puerilis æui, quo ſcortata fuerat in Aegypto, & adamauit eorum cinædos, qui aſininos coles, equinamque genituram haberent, & pueritiæ tuæ flagitia re-
D coluiſti, cũ tibi ſubactæ fuiſſent ab Aegyptijs mammæ, propter ubera tua puerilia. Quare ô Tabernaculimea, ſic dicit Dominus Ioua: Ego in te excibo tuos amatores, à quibus animũ abſtraxiſti, & eos aduerſum te undique adducam, Babylonios omnesque Chaldæos præfectos, imperatores, illuſtres'que, una cum omnibus Aſſyrijs, qui ſunt omnes iuuenes elegantes, prætores & primates, duces atque celebres, omnes equis uecti. Hi te rhedis, quadrigis, curribus cum hominum multitudine adorti, ſcutis, clypeis, galeis circundabunt, & conceſſo eis à me arbitrio, more ſuo punient, me'que in te ſe ueritate mea utente, agentes iracundè tecum, nares tibi & auriculas eximent, te'que ferro ad extremum collapſa, tuos natos & natas auferent, & poſtremò conſumeris igni, atque illi te tuis ſpoliabunt ueſtibus, tuique decoris ornatu priuabunt, atque ita ego te à flagitijs tuis Aegyptioque meretricatu coercebo, ut oculos in illos non conijcias, nec Aegyptios reminiſcaris am-
E plius. Sic enim dicit Dominus Ioua: Ego te illis dedam, quos tu peroſa, animum ab eis reuocaſti, quas tecum odio agẽtes, omnia tua labore parta auferant, te'que nudam relinquant ac detectam, ut obſcœnitas tuæ impudicitiæ, tuaque flagitia & meretricatus appareat. Quæ quidem tibi ideo fient, quòd cum gentibus ſcortata ſis, quippe earum ſtercoreis diuis inquinata, tuæ uiam ſororis ingreſſa, [d] cuius ego calicem tibi in manum tradam. Sic dicit Dominus Ioua. Tu ſororis tuæ calicem profundum, latum, multæ capacitatis, deridenda ludendaque potabis, ebrietate ac mœrore replenda, ſtupendæ calicem deſolationis, calicem germanæ tuæ Samariæ. Eum tu epotabis & exuges, & eius teſtas cõfringes, tuaque uelles ubera, quoniam ego locutus ſum, inquit Dominus Ioua. Quocirca ſic dicit Dominus Ioua: Quoniam tu oblita mei, me poſt tergum reieciſti, tu quoque lue tuum flagitium ac impudicitiam. Tum alloquens me Ioua: Homo, inquit, tune Tabernaculanæ & Tabernaculimeæ cauſam agas? quin tu eis earum ſcelera expone. Mœchatæ ſunt enim, & habent manus ſanguinolentas: neque ſolum cum ſuis ſtercoreis diuis adulterarũt, ſed etiam liberos ſuos, quos mihi pepererant, illis epulandos traduxerunt per ignem. Atque inſuper hoc commiſerunt in me, quod eodem die polluerunt meum fanum, meáque Sabbatha profanarunt: cumque ſuos liberos ſuis ſtercoreis dijs immolaſſent, intrarunt eodem die in meum fanum, eius profanandi cauſa, idque in media æde mea fecerunt. Iam uerò uenturos procul homines acceſſiuerunt, qui legatione accerſiti uenerunt, quibus tu te lauiſti, oculos iſtos fucaſti, & ornata mundo, ſediſti in præclaro lecto, inſtructa ante eum menſa, ſuper quam ſuffimen unguentumque meum poſuiſti, adhibito ad eam feſtæ turbæ ſtrepitu, uirisque ex hominum uulgo adductis, Sabæis, ex ſaltibus, qui earum & manibus armillas, & capitibus decentes impoſuerunt coronas. Ac me cogitante mœchatos cum [e] uetula, nunc cum [f] huius quoque ſalacitate ſcortaturos, adiuerunt eam, quomodo fœmina meretrix adiri: ſic illi Tabernaculanam & Tabernaculimeam flagitioſas fœminas adiuerunt. Atque homines [g] iuſti, eas adulterarum ac ſanguinariarum ſupplicio afficient, utpote adulteras, quæ ſanguinolentas manus habeant. Sic enim dicit Dominus Ioua: Inuehatur in eas multitudo, eæ'que uexandæ dentur ac diripiendæ, quæ multitudo eas & lapidibus obruat, & gladijs trucidet, & earum filios filias'que perimat, & domos cremet igni. Atque ita ego flagitium ex terra auferam, caſtigatæque [h] mulieres omnes, non imitabuntur ueſtra flagitia, cum iſta flagitia fuerint in uos animaduerſa, & ſordium iſtarum peccata lueritis, meque eſſe Dominum Iouam intelligetis.

CAPVT XXIIII.

PRæterea affatus eſt me Ioua anno nono, decimi menſis die decimo, his uerbis: Homo, ſcribe diei nomẽ huius ipſius diei (hoc ipſo die oppugnat Babyloniæ rex Hieroſolymam) & utere

HIEL.

parta auferant, te'que nudam ... ctam, ut obscœnitas tuæ impu... gitia & meretricatus appare... bi ideo fient, quod cum gen... quippe earum stercoreis di... uiam sororis ingressa, d quin... in manum tradam. Sic dicit D... sororis tuæ calicem profun... capacitatis, deridenda luden... tate ac mœrore replenda, ... solationis, calicem germanæ ... tu epotabis & exuges, & eius ... tuaq; uelles ubera, quoniam ... inquit Dominus Ioua. Quo... minus Ioua: Quoniam tu obl... tergum reiecisti, tu quoque ... ac impudicitiam. Tum alloqu... mo, inquit, tune Tabernacul... culimeæ causam agas? quin ... ra expone. Mœchatæ sunt ... nus sanguinolentas: neque ... coreis diuis adulterarunt, ... quos mihi pepererant, illis ... runt per ignem. Atque ... runt in me, quod eodem die ... fanum, meique Sabbatha ... suos liberos suis stercoreis ... intrarunt eodem die in meum ... fanandi causa, idq; in media ... Iam uerò uenturos procul ... runt, qui legatione accersiti ... te lauisti, oculos istos fucasti ... sedisti in præclaro lecto, instru... sa, super quam suffimen ung... posuisti, adhibito ad eam ... uirisq; ex hominum uulgo ... ex saltibus, qui earum & ... capitibus decentes impos... me cogitante mœchatos cum ... cum f huius quoque salacitate ... uerunt eam, quomodo fœmin... sic illi Tabernaculam & Tab... flagitiosas fœminas adiuerunt ... homines g iusti, eas adulter... riarum supplicio afficient, ... quæ sanguinolentas manus ... dicit Dominus Ioua: Inue... do, eæ'que uexandæ dentur ... multitudo eas & lapidibus ... trucidet, & earum filios fili... domos crémet igni. Atque ... ex terra auferam, castigat... non imitabuntur uestra flagitia ... tia fuerint in uos animaduersa ... rum peccata lueritis, neq; ... uam intelligetis.

CAPVT XXIII...

PRæterea affatus est me ... decimi mensis die ... no, scribe diei nomē ... die oppugnat Babylon...

& utere ad hominum genus contumax allegoría, eisq; dicito: Sic dicit Dominus Ioua: a Para ollam, para, & aquam in eam infunde: congere eius offas in eam, optimas quasque offas, femora & armos: eam mēbris imple lectissimis. Ouium lectissimas sume, idq; succensis subter eā ossibus: feruefacius eius, & cura ut in ea coquātur eius artus. Ergo sic dicit Dominus Ioua: Heu urbem sanguinariam, ollam in qua ipsius spuma est, nec ex ea exiuit eius spuma: frustratim frustratim eam eijce, nulla super ea iacta sorte. Nam eius sanguis est in ea, quem ipsa super siccum saxum posuit, non ad terram effudit, ut operiretur humo. Vt gliscat bilis ad capiendam pœnam, ego posui eius sanguinē super siccum saxum, ne operiatur. Quamobrem sic dicit Dominus Ioua: Heu urbem cruentam: ego quoq; ingens incendium excitabo. Adhibeatur multum lignorum, accendatur ignis, caro consumatur, adhibeantur condimenta, ossa'que adurantur, colloceturq; ipsa super suam pyram uacua, ut caleat: ustoq; eius ære, liquescat in ea eius immunditia, consumpta spuma. Labore defessa est, nec exijt ex ea eius & copiosa & putida spuma. Flagitiosa est tua impuritas, quæ purgante me, non purgata sis ab ista impuritate, nō antè purganda, quàm ego in te meam bilem b sedauero. Ego Ioua & uentura dixi, & faciam: non cessabo, neque parcam, aut me pœnitebit, quominus pro moribus studijs'que tuis puniare, inquit Dominus Ioua.

Item me sic est allocutus Ioua: Homo, ego iam tibi c oculorum tuorum iucunditatē clade auferam, neq; tu planxeris, aut ploraueris, aut lachrymaueris. A suspirando te contineto: funereum luctum ne facito, comamq; redimitus, adhibeto tuis pedibus calceos, nec mentum uelato, nec uescere d consueto uictu. Igitur cum populo manè locutus sum. & mortua uespere mea cōiuge, feci manè sicut eram iussus. Ac petente populo ut eis exponerē quid sibi uellet id quod ego facerē, ita dixi: Iouæ sermo ad me habitus est in hæc uerba: Dic Israelitarū generi. Sic dicit Dominus Ioua: Ego iam meum profanabo fanum, culmen uestræ potentiæ, oculorū iucunditatem, & animorum delicias: uestriq; filij & filiæ, quos e reliquistis, ferro occumbent, & uos facietis ut ego facio: nō mentum uelabitis: non uescemini consueto pane: & comam in capitibus, & calceos in pedibus habentes, nō plangetis: non plorabitis, sed occallescetis in uestris uitijs, & alius alium f consolabimini, eritq; uobis Ezechiel portento, eius omne factum imitantibus, cum id euenerit, & me intelligetis esse Dominum Iouam. Tu uerò, homo nimirum cum ego ab eis ipsorum potentiam, decoris uoluptatem, oculorum iucunditatem, animiq; iactantiā, uidelicet filios & filias, abstulero, quo die ueniret ad te g elapsus, qui h sit autor famę, tu, inquam, a illo die (aperto apud elapsum illum ore tuo) loquēris, nec amplius tacebis, & eris illis ostento, scientq; me esse Iouam.

CAPVT XXV.

ITem affatus est me Ioua his uerbis: Homo, conuerte faciem ad Ammonitas, in eosq; uaticinare, et Ammonitis dicito: Audite Domini Iouæ dicta. Sic dicit Dominus Ioua: Quoniam tu meo fano insultasti, quod id profanatū esset: & Israeliticæ terræ, quod uastata: & Iudæorum generi, quod iuissent in exilium, propterea ego te a orientalibus occupandam dabo, qui in te castella sua collocabunt, sedesq; ponent, qui & fructus tuos comedent, & lac bibent, & Rabbam in camelorum stabulum, & Ammonitarum fines in ouium cubile redigam, efficiamq; ut sciatis me esse Iouam. Sic enim dicit Dominus Ioua: Quoniam tu & manu plausisti, & pede pauisti, omni animi petulantia de Israelitica b regione gaudens, propterea ego tibi manus afferam, teq; gentibus dabo compilandam, & ex populis extirpabo, & ex terris misere delebo, sciesq; me esse Iouam.

In Ammonitas. *a Chaldæis.* B *b. scilicet uastata.*

Sic dicit Dominus Ioua: Quoniam dictitāt Moabitæ & Seirij, c cuiusuis gētium simile esse genus Israelitarum, propterea ego Moabitarum latus, à certis eorum urbibus extremis, regionis nobilissimis, uidelicet Bethiesimothis, Baalmeone, & Cariathaimo, patefaciam orientalibus d in Ammonitas, quorū patriam ita occupandam curabo, ut nō memorentur inter gentes Ammonitæ: & in Moabitas ea edam exempla, ut sciant me esse Iouam.

In Moabitas. *c. non minus malis affici, quā alios, nec Deo esse chari ores.* C *d. per quod latus inuadant Ammonitas.*

Sic dicit Dominus Ioua: Quoniam inimicè cum Iudæis egerunt Idumæi, eosq; ulciscentes crimen cōmiserunt, hanc ob causam (inquit Dominus Ioua) ego afferam Idumææ manum, & excisis ex ea tum hominibus tum pecoribus, eam à Themane ad Dedanem uastam reddam, illis ferro lapsis, sumāq; de Idumæis eiusmodi suppliciū per meos Israelitas (qui Idumęos tractabūt ut postulat ira bilisq; mea) ut sciatur hoc ultionis esse meæ, inquit Dominus Ioua.

In Idumæos. D

Sic dicit Dñs Ioua: Quoniā inimicè egerunt Palæstini, & animo petulanti, æternis ad perniciem inimicitijs, pœnas expetiuerūt, propterea sic dicit Dominus Ioua: Ego manum Palęstinis inferam, excindamq; Cerethęos, & oræ maritimæ reliquias perdam, eisq; irata animaduersione tantas irrogabo pœnas, ut intelligant me esse Iouam, cum de eis supplicium sumpsero.

In Palæstinos.

CAPVT XXVI.

ANno autem undecimo, prima die mensis, habitus est ad me à Ioua huiusmodi sermo: Homo, quoniam dictitat Tyrus de Hierosolyma, Aha, effracta est, quæ erat a populorum portæ, conuersa est ad me, replebor ea uastata: propterea sic dicit Dominus Ioua: Ego te, Tyre, peto inuecturus in te gentes multas, quomodo suos fluctus attollit mare, quæ Tyria mœnia corrumpant, euertant'que turres, ac eam cum puluisculo euerram, & in siccum saxum redigam, ita ut seruiat expandendis sagenis in mari, quoniam ego locutus sum, inquit Dominus Ioua: & ipsa gentibus erit prædæ, & eius co-

In Tyrios. *a. celeberrima, & populis frequentata.*

ius coloniæ, quæ sunt in continenti, ferro perimentur, scieturq; me esse Iouam. Sic enim dicit Dominus Ioua: Ego ad Tyrum Nabuchodonosorem Babyloniæ regem adducã ex septentrione, regum regem, cum equis, quadrigis, equitibus, magnaq; copiarum multitudine, qui B & tuas colonias, quæ sunt in continenti, ferro perimet, & in te uallum admouebit, in te aggerem exprimet, in te eriget scutũ, & admota muris tuis uinea sua machina, tuas turres suis armis diruet, tanta equorum copia, ut te puluis eorum operiat, & præ equitum, curruum, quadrigarum sonitu, tua concutiantur mœnia, cum ille per tuas portas intrabit, quomodo in effractam urbem intrari solet, & equorũ suorum ungulis tuos omnes uicos proculcabit, tuum populum ferro necabit, tuæq; potentiæ statuas demolietur ad terram, & tuas opes deprædabuntur, merces diripient, euertent muros, suaues domos diruent, saxaq;, & ligna, & puluerem ponent in mediam aquam, atque ita carminum tuo C rum turbam coercebo, nec amplius audietur citharum sonitus tuarum, teq; in siccum saxum redigam, ut sis expandendis sagenis, non deinceps instauranda, quoniam ego Ioua locutus sum, inquit Dominus Ioua. Sic dicit Dominus Ioua Tyro: Nimirum ad ruinæ tuæ fragorem (cum quidem suspirabunt saucij, & edetur in te cædes) concutientur insulæ, descendent'que de suis solijs omnes maris principes: & detractis trabeis, exutisq; suis phrygianis uestibus, circunfusi formidinibus, humi sedebunt: & subito casu pauidi, ac de te attoniti, næniam de te edent, tibi'que dicent: Qui factum est ut perieris, ô æquorea, urbs tantopere laudata, quæ maris præpotens fuisti, tuque tui'que incolæ, qui terro D rem omnibus maris incolis incusserunt? Nunc pauent naues diem tuæ ruinæ, turbanturq; marinæ insulæ tuo exitu. Nam sic dicit Dominus Ioua: Cum ego te urbem desertã reddam, quales sunt quæ non incoluntur urbes, cum in te pelagus inueham, teq; uastæ obruent aquæ, demittam te cum ijs qui descendunt in barathrum, [b] ad æternum populum, & in sempiternis telluris imæ desertis collocabo cum ijs qui descendunt in Tartara, ut non habiteris, & [c] uiuentium terram nobilitans, ita te in nihilum redigam, ut nulla sis, quæsitaq; nunquam deinceps inueniaris, inquit Dominus Ioua.

Iere. 7. 8

b. ad manes.

c. Israëlitarum.

CAPVT XXVII.

TVm me sic est affatus Ioua: Tu uerò, homo, ede in Tyrum nęniam, & dic Tyro ad maris aditus sitæ, populorum ad multas insulas negociatrici. Sic dicit Dominus Ioua: O' Tyre, tu te perfectę pulchritudinis esse dicis. Fines habes in maris meditullio: te qui cõstruxerunt, absolutæ pulchritudinis fecerunt. Sanirijs pinis omnia tibi assamenta construxerunt: cedrum sumpserunt ex Libano, unde tibi mâlum facerent: tuos remos Basanicis ilicibus, tua transtra fecerunt ebore Assyrio, ex insulis Cyprijs apportato. Aegyptia byssus uersicolor, tua carbasus est: tibi uelum præbet hyacinthus, & purpura ex insulis Elisæ allata, tuum est operimentum. Tu Sidonios Aradiosq; remiges habes, B & tuorum Tyriorum peritissimos quosque, nauicularios: & senes doctosq; Gabalenses, refectores: omnibusq; maris nauibus, & earum nautis, uteris ad tua tractanda negocia. Persæ, Lydij, Libyes, in tuo sunt exercitu bellatores tui, qui suspensis in te clypeis & galeis, tibi decus conciliant. Aradij tuiq; milites undiq; per tuos muros, Gamadij'que in tuis sunt turribus, qui suspensis per murorum tuorum ambitum suis pharetris, tuam pulchritudinem perficiunt. Cilices institores tui, omni opulentiæ copia, argento, ferro, stanno, plumbo tuis funguntur C nundinis. Græci, Iberi, Moschi, tui in mancipijs æneisq; uasis mercatores, tibi mercimonia suppeditant. [a] Qui sunt ex genere Thogormæ equos, equites, mulos tuis nundinis suggerunt. [b] Rhodij mercatores tui, tot insulæ tuæ negociationis sociæ, eburneorum [c] cornuum ebeni que precia tibi subministrant. Syri tui negociatores, ob operum tuorum multitudinem, carbunculos, purpuram, prhygiana, byssum, coralia, crystallum præbent tuis nundinis. Iudæa & Israelitica regio, tui institores, tibi præcipui D tritici, balsami, mellis, olei & resinæ, præstant mercimonia. Damasceni propter operum tuorum multitudinem, tui sunt nundinatores omniopum copia, excellente uino, nitida'que lana. Tum Danij & Græci circunforanei exhibent in tuis nundinis ferrum fabrefactum, stacten, & calamum, quibus tu mercimonijs utare. Dedanenses tecum ingenua ueste stragula rem habent. Arabes & omnes Cedariani proceres, tecum agnorum, arietum, & caprorum mercimonia contrahunt. Mercatores Sabæi & Ra- E mani tecum habentes commercium, omne genus præstantissimorum aromatum, gemmarum'que, & auri, conferunt ad tuas nundinas. Haranenses, Cannenses, & Edenenses mercatores, Sabæi, Assyrij, & Chelmadenses tui mercatores, tecum rationem habent rebus absolutissimis, hyacinthinis phrygianisq; pannis, ac preciosis capsis, funibus constrictis & cedratis, quæ sint in tuis mercatibus. Naues Cilicæ sunt tuæ negociationis principes, ac te repletam, & in maris meditullio factam gloriosissimã, in altum subducẽt tui remiges, Euro in medio mari F frangendam. Tuæ opes, nundinę, institores, nauitæ, nauarchi, refectores, exercitores, tuiq; milites, quotquot in te sunt, tuaq; turba, quæcunq; in te uersatur, occumbent in medio mari, die tuæ ruinæ. Ad gubernatorum tuorum clamoris sonitum concutientur pomœria, descendent que de suis nauibus cuncti remigatores nauitæ, cuncti marini gubernatores in terra stabunt, & de te sublata uoce tristem edent clamorem, ac imposito capitibus suis puluere, in cinere uolutati, & propter te attonsi, amicti'que centonibus, cum tristi mœrentis animi luctu te de- G plorabunt, edent'que de te næniam eorum filij, te ita

a. Phryges.

b. Secutus sum Græcum, alioquin Dedã bis poneretur.

c. dentium elephantinorum.

te ita lamentantes. Fuit incomparabilis Tyrus, quæ nunc in mari deleta iacet. Tu quæ exeuntibus ex mari tuis mercibus, satiabas tot populos, quæ tuarum opum mercaturæq; copia locupletabas reges terrarum, eadem nunc mari in aquarum gurgitibus fracta es, mercatura cunctáque multitudine tua in te collapsa. Omnes & insulares de te obstupescunt, & eorũ reges horrore correpti, uultu conturbantur: te negociatores per populos exibilant, in nihilum redactã, & in perpetuum deletam.

CAPVT XXVIII.

In principem Tyriũ.

PRæterea alloquens me Ioua: Homo, inquit, dic principi Tyrio. Sic dicit Dominus Ioua: Quoniam tu elato animo, te Deum esse dicis, qui in diuina sede, in maris meditullio sedeas: cum'que homo sis, non Deus, animum geris quasi Dei, uidelicet tu Daniele sapientior, nihil ut tam sit abstrusum, quod te prætereat. Tu tibi pro tua sapientia prudentiaq;, copias, tu aurum argentumq; in tuum fiscum comparasti:
B tu tibi multas (quæ est tua singularis sapientia) copias tua negociatione peperisti, de quibus tuis copijs animo insolens es: propterea, inquã, sic dicit Dominus Ioua. Quoniam tu animum perinde geris ac si sis Deus, hanc ob rem ego in te hostes inueham, ferocissimos gentiũ, qui strictis [a] in istius sapientiæ elegantiã gladijs, tuum splendorem fœdabunt, in exitium te præcipitantes, atque ita uiolenta morte morieris in maris meditullio. Num tu te Deum esse dices apud tuum carnificem: tu uerò homo eris, non Deus, in occisoris tui manu, inhonesta morte interiturus hostili manu, quoniam ego locutus sum, in-
C quit Dominus Ioua.

a. in te, qui tibi tã præclara sapiẽtia præditus uideris.

Item alloquens me Ioua, dixit: Homo, ede in Tyrium regem næniam, & ei dicito: Sic dicit Dominus Ioua: Tu es omnibus numeris absolutum specimen, plenus sapientiæ & pulchritudinis perfectę. Es in Edenis diuino pomario, omne genus gemmas habens operimentũ, sardam, topazium, adamantem, chrysolithum, onychem, iaspidem, sapphirum, carbunculum, smaragdum atque aurum. Tuorum tympanorũ fistularum'que opus unà tecum, eodem quo tu
D editus es, die conditum est. Tu unctus patulusq; Cherubus es, qui à me in sacro Dei monte positus ita es, ut sis Deus, & in medio igneorum lapidũ ambules. Tu in isto statu perfectus fuisti, ex quo die creatus es, donec in te deprehensa est improbitas. Tu præ tuæ negociationis multitudine referto tuo pectore iniquitate, peccasti: itaque ego te ex diuino monte fœdè auferam atque perdam, Cherube patule, ex medio igneorum lapidum, qui animum ob pulchritudinem tuam effers. Corrupisti tuam sapien-
E tiam splendore tuo: te ego humi abiectum, regibus proponam despiciendum. Tu tuis tot uitijs, tuæ negociationis improbitate, tuum profanasti sacrarium, itaque ego ex medio tui ignẽ depromam, qui te cõsumat: téque in cinerem humi redigam, in omnium qui te uidebunt, conspectu, omnibus, qui te per populos nouerunt, de te attonitis, in nihilum redacto, & in perpetuum deleto. ¶ Item me allocutus est Ioua in hæc uerba: Homo, compone faciem tuam in Sidonem, & in eam uaticinans dicito. Sic dicit Dominus Ioua: Ego tibi minitor, Sidõ, & in te glo- F
riam mihi comparabo, efficiamq; ut sciatur esse me Iouam, cum in eam exempla edidero, & me sanctum exhibuero: immittamq; in eam pestem cædemq; tantam, ut uicatim occumbant in ea cæsi, armis eam circundantibus, scietur'que me esse Iouam, nec habebunt amplius Israelis posteri pungentes aculeos, & doloris efficientes spinas ab omnibus suis finitimis in eos petulantibus, scientq; me esse Dominum Iouã. Sic dicit Dominus Ioua: Cum ego genus Israelitarũ G
ex populis, per quos erunt dissipati, colligam, sanctum me in eis pręebebo ob oculos gentium, manebunt'que in sua terra, quam ego meo Iacobo dedi, & in ea tuto manentes, domos ædificabunt, conserentq; uineas, degentes in tuto, cum ego exempla edidero in omnes eorum finitimos qui sunt in eos petulantes, scientq; me Iouam esse Deum suum.

In Sidonem

CAPVT XXIX.

In regem Aegypti.

ANno decimo, die decimi mensis duodecimo, Ioua mecum sic uerba fecit: Homo, compone uultum in Pharaonem Aegypti regem, & aduersus eum, aduersus'que uniuersam Aegyptum, uaticinare, in hæc uerba loquens. Sic dicit Dominus Ioua: Te ego peto, Pharao Aegypti rex, cete ingens, in medio tuo flumine recubans, qui [a] te de flumine, quod habes, iactas, te'que à temetipso factum esse dicis. At ego te, adhibitis hamis tuo rostro, affixisq; omnibus fluminis tui piscibus ad tuas squamas, ex medio tui fluminis extrahã, omnibus fluminis tui piscibus hærentibus in tuis squamis, teq; omnesq; fluminis tui pisces in inculto loco deferam, ita ut sub dio iacens, non collectus aut congestus, terrestribus bestijs, aereisq; uolucribus, pastui sis, scientq; omnes Aegypti incolæ esse me Iouam, qui Israelitarum domui fuerint arundineus baculus, qui ab illis prehensus manu, quassatus sis, eisq; totum humerum laceraueris, & eis tibi innitentibus, fractus, eorum tota latera perforaueris. Quapropter sic dicit Dominus Ioua: Ego illatis in te armis, homines ex te bestias'que excindam, erit'que Aegyptia terra uasta & inculta, scietur'que me esse Iouam, quoniam tu te flumen habere, & te à teipso factum dicis. Itaque te ego tuumq; flumen peto, & Aegyptiam terram in tam incultæ solitudinis uastitatem redigam, à turri Syene, usque ad Aethiopiæ confinia, ut eam non humanus, non pecuinus pes peragret, nec habitetur per annos quadraginta. Reddam, inquam, Aegyptiam terram uastam, & unam de uastis terris, eiusq; urbes inter desolatas urbes erunt uastæ annos quadraginta, atque ipsos Aegyptios per gentes & terras ultro citroque dissipabo. Sic autem dicit Dominus Ioua: Peractis annis quadra-

a. tibi de Niliaca opulẽtia places, & ita superbis, quasi Deus sis, & per teipsum cõstes, non ta B ctus à Deo.

C

quadraginta, colligam Aegyptios ex populis, quo fuerint dissipati, reuocatósque Aegyptios captiuos reducam in terrã Phariam, quod eorum natale solum est, ubi erunt humile regnum, quod regnorum infimum, non se amplius supra gentes efferet, eis à me diminutis, ne gentibus imperent: nec erunt amplius Israelis domui fiduciæ, quæ criminis cõmonefaciat, dum b ad eos se conuertunt, scient'que me esse Dominum Iouam.

b. ab eis pendent.

D

Anno autem uigesimoseptimo, prima die mensis primi, habitus est ad me Iouæ sermo in hæc uerba: Homo, cum Nabuchodonosor Babyloniæ rex exercitum suum tantis operis onerauerit ad Tyrum, ut omnia eorũ & capita glabrata, & humeri depilati sint, nullam tamen de Tyro, nec ipse, nec eius exercitus, mercedem habuit, pro opera quam aduersus eam præstitit. Quare sic dicit Dominus Ioua: Ego Nabuchodonosori Babyloniæ regi Aegyptiam terrã do, qui eius turbam auferat, facultates deprædetur, diripiat fortunas, quæ sit eius exercitui merces. Pro officio quod in c illa præstiterũt, ego do eis Aegypti terrã, quod mihi opus fecerint, inquit Dominus Ioua. Tunc efficiam ut fruticet cornu domus Israelis, & d tibi faciam inter eos fandi copiam, scientq́ me esse Iouam.

c. Tyro.

d. Alloquitur uatem.

CAPVT XXX.

TVm alloquens me Ioua, inquit: Homo, uaticinare, & dicito: Sic dicit Dominus Ioua, Eiulate, heu diem: nam propinquat dies, propinquat dies Iouæ, dies nubilus, gentium a tempus erit, quo sic inuadent Aegyptum arma, ut sit in Aethiopia pauor, cum cadent in Aegypto saucij, eiusq́ turba capietur, & ipsa à fundamentis diruetur, cum quidem Aethiopes, Libyes, Lydij, plebs omnis & Cobij, & b fœderatæ regionis homines, cum eis ferro occumbent, sicut dicit Ioua, & cadent qui opitulantur Aegypto,
B
& deprimetur eius potentiæ fastigium, usque turri Syene cadentibus in ea ferro, inquit Dominus Ioua, & uastabuntur inter euastatas terras, & eorum urbes erunt inter urbes desolatas, scietur'que me esse Iouam, cum immisso à me in Aegyptum incendio, fracti fuerint omnes eius auxiliares. Eo die proficiscentur à me nuncij nauigijs ad perterrendos securos Aethiopes, eritq́ pauor in eis c quantum esse consentaneum est Aegyptia die, quandoquidem ea adueniet, ut dicit Dominus Ioua, Aegyptiamq́
C
turbam cohibebo per Nabuchodonosorem Babyloniæ regem. Is, unaq́ sui mortalium ferocissimi, ad regionis perniciem adducti, strictis in Aegyptum gladijs replebunt occisis terram, & flumina sicca reddam, & terram potestati malorum emancipabo, eámque & quæ ea continentur, hostili manu euastabo: ego Ioua loquor.
D
Sic dicit Dominus Ioua: Ego stercoreos dios, & deastros ex Memphi perdam atque tollam, nec erit amplius Aegyptius gubernator: & metu Aegyptiam terram afficiam, & Pharum euastabo, & in Xoim immittam incendium, & in Diospolim edam exẽpla, et in Saim Aegyptiorum potentiam, bilem meam effundam, & Diospolitanam multitudinem excindam. Inferam ignem Aegypto, dolore afficietur Sais, effringetur Diospolis, Memphis quotidianas feret res aduersas, Heliopolis Bubastiq́ iuuenes ferro occumbent, & ipsæ in captiuitatẽ abibunt. E Thaphnis d caligabit dies, cum abruptis illic à me nexibus Aegypti, coercitũ fuerit in ea eius potentiæ culmen. e Hæc nubes eam operiet, eiusq́ puellæ in captiuitatem abibunt, & edam eiusmodi in Aegyptios exempla, ut intelligant me esse Iouam.

a. fatale supplicium.

b Israelitę.

c. magnus. ut accidere necesse est in tanti regni interitu. Diem enim uocat fatũ, & supplicium.

Zach. 13. 4

d. luctus erit.

e. Alludit ad illud quod est in initio cap. Dies nubilus. nam in Hebræo est Dies nubis, hoc est calamitosus.

F

Anno autem undecimo, die mensis primi septimo, Ioua me sic est allocutus: Homo, ego Pharaonis Aegypti regis brachium frangam, idq́ ita ut non obligetur adhibendis medicamentis, apponendisq́ cataplasmatis, quò obligatũ firmetur ad tenendum gladium: Ergo sic dicit Dominus Ioua: Ego Pharaonem Aegypti regem peto, eius'que brachia, f tum ualidum tum fractum, frangam, & ei gladium de manu excutiam, Aegyptiosq́ per gẽtes atque terras sparsim dissipabo, et corroboratis regis Babyloniæ brachijs, ei gladium meum in manũ tradam, ita
G
fractis Pharaonis brachijs, ut coram illo sauciorum more suspiret, & Babylonij regis brachia confirmabo, & Pharaonis brachia ut concidant efficiam, scieturq́ me esse Iouam, cum gladium meum Babyloniæ regi in manum dedero, qui eum extendat in Aegyptiam terrã, dissipaboq́ & dispergam Aegyptios per gentes atq́ terras, faciamq́ ut sciant me esse Iouam.

f. nescio an dextrũ sinistrumque innuat.

CAPVT XXXI.

ANno autem undecimo, prima die mensis tertij, Ioua mecum locutus est his uerbis: Homo, dic Pharaoni Aegyptiorũ regi, eiusq́ multitudini: Cuinam ista magnitudine similis es? En Assyrius cedrus est in Libano, pulchris ramis, umbrosa materia, tanta proceritate, ut habeat inter nubila cacumen. Hanc humor enutrijt, profundum extulit, suis circum eius stirpem manantibus fluuijs, suisq́ riuis ad omnes B terrestres arbores dimissis. Itaq́ altitudine supra omnes terrestres arbores euecta est, in tantum multiplicatis eius ramusculis, porrecta'que coma, dum se præ humoris abundantia diffundit, ut & in eius surculis omnes aereæ nidulentur aues, & sub comis omnia terrestria pariant animalia, & in umbra pleræque omnes gentes degant: adeò sua magnitudine pulchra est, patulis ramis, quippe quæ radices habeat humore multo irriguas. C Hanc non obscurant ne a diuini quidem pomarij cedri: non æquant pinus eius surculos: non castaneæ pares sunt eius comæ, deniq́ nulla arbor in diuino uiridario eam pulchritudine æquiparat: tam pulchram eam, tam ramosam ego feci, ut ei omnes Edenenses arbores inuideant, quæ sunt in diuino pomario. Atqui sic dicit Dominus Ioua: Quoniam tanta proceritate euectus, ut cacumen suum sub D duxerit inter nubila, sublimitate sua animum extulit,

Assyrij me ictus.

a. Edenis.

extulit, ego eum Deo gentium in manum tradam, qui eum à me reiectum, tractet ut postulat eius impietas, eam'que excindent hostes mortalium ferocissimi, & in montibus relinquent, lapsisque per omnes ualles eius ramis, & fractis comis per omnia depressa terrarum, descendent ex eius umbra gentes totius orbis, eamque deserent,

E

habitantibus in eius ruina cunctis aereis uolucribus, omnibusque terrestribus animalibus per eius comas degentibus, ne se sublimitate efferant ullæ arbores irriguę, aut sua proferant inter nubes cacumina, néue eis ob ipsarū proceritatem astent ullæ [b] humoribibæ, quoniam omnes neci dedentur subter imam terram inter hominum genus, ad eos qui descendunt in Tartara. Sic dicit Dominus Ioua: Qua ille die ad inferos descendet, ego luctum faciam, eum profundo obruam, impediens eius fluuios, prohibitis tam multis aquis, deque eo pullatū reddam

F

Libanum: de eo terrestres omnes exanimabuntur arbores. Eius ruinæ sonitu cōmouebo gentes, cum ad inferos cum iis qui descendūt in barathrum, demittens, [c] afficienturque consolatione in ima terra omnes Edenenses arbores, Libani lectissimæ atque optimæ, quæcunque sunt potrices humoris, quę et ipsæ cum illo descendent in Orcū ad cæsos armis eiusque brachio, in eius umbra uersatæ inter gentes. [d] Tu qui ei gloria & magnitudine tam similis es inter Edenenses arbores, et demittis Edenēses arbores ad imam terrā, iacebis inter [e] præputiatos, cum ferro cæsis tum ipse, ô Pharao, tum omnis tua multitudo, inquit Dominus Ioua.

b. arbores.

c. hoc se solabūtur alij mortui, quod Assyrium habebunt sociū.

d. te Pharao Assyrij similē similis manet exitus.

e. impuros & inhonesta morte defunctos.

In Pharaonem.

CAPUT XXXII.

ANno autem duodecimo, prima die mēsis duodecimi, Ioua mecum his uerbis egit: Homo, ede næniam de Pharaone Aegypti rege, & ei dicito: Tu gentium leoni similis es, & quasi quidam cetus in æquoribus, qui per fluuios tuos ruens, aquas pedibus turbas, earum flumina conculcans. Sic dicit Dominus Ioua: Obtendam ego tibi rete meum per multorum populorum multitudinem, teque ab illis sagena mea extractum, humi sub dio desertum relinquam, & tibi omnes aereas uolucres impingā, & totius orbis animantes ex te saturabo, positóque tuo corpore in montibus, tabo tuo ualles complebo, & undantem tuam terram per montes irrigabo tuo cruore, ita ut te compleantur

Suprà 12.d & 17.f

B

aluei, & te extinguendo, cœlum obtegam, eiusque stellas atrabo: solem ipsum nube obducā, efficiam'que ut luna suo lumine non luceat: omnia luminis cœlestis luminaria de te atrabo, inque tuam terram tenebras inducam, inquit Dominus Ioua, & multorum populorum animos stimulabo, calamitatem tuam per gentes propagans ad ignotas tibi terras, & multos de te populos stupefaciam, quorum reges horrore de te corripientur, uibrante me meum gladium præter eorum ora, & suæ quisque uitæ repentè formi-

Esa. 13.b Ioel. 3.c

C

dabunt, cum tu cecideris. Sic enim dicit Dominus Ioua: Te regis Babyloniæ gladius inua-det: tuam ego multitudinem gladiis militum deiiciam, qui omnes mortalium ferocissimi perdent Aegypti fastigium, peribitque omnis eius multitudo, & omnes eius quadrupedes, quæ in tam abundantibus aquis uersantur, perdam, ut eas non hominis pes, non ungulæ quadrupedum turbent deinceps. Tunc eorū aquas tranquillabo, fluuios agens ut oleum, inquit Dominus Ioua, cum Aegyptia terra à me in uastitatem redacta, deserta erit ab eis quæ continet, cæsis à me omnibus eius incolis, scietur'que me esse Iouam. Hæc est nænia qua lamentabuntur [a] puellæ gentium, qua lamentabuntur, qua, inquam, Aegyptum & omnem eius multitudinem lamentabuntur, inquit Dominus Ioua.

a. ipsæ gentes.

D

Die autem mensis decimaquinta, anno duodecimo, Ioua mecum locutus est his uerbis: Homo, deplora Aegypti turbam, & eam, unáque gentium nobilissimarū puellas, ad telluris ima deprime cum descendentibus in Tartara. Quo tu amœnior es, eo magis descende, & iace cum præputiatis inter ense cæsos casuris, qui ensis dabitur distracturis & [b] ipsam & omnem eius turbam. Eum quidem alloquentur militum manes ex medio Orco, necnō eius auxiliares, qui degressi iacebunt præputiati cum ense cæsis. Ibi erit Assyria et eius omnis multitudo, suis circundata sepulchris, omnes cæsi, lapsi gladiis,

b. Aegyptū

E

cuius sepulchra erunt in penitissimo collocata barathro, ipsius sepulchro eius multitudine circundato, qui omnes cæsi gladiis occubuerint, cum [c] in uiuorum terra terrori fuissent. Ibi Elamis & eius tota turba ipsius sepulchro circumiecta, omnes cæsi, lapsi gladiis, qui præputiati ad telluris ima descenderint, cum se in uiuorum terra præbuissent terribiles, turpiter'que pœnas dederint cum degressis in Tartara. Ei cubile tribuetur in medio cæsorum, in omni eius turba sepulchro suo circundata, qui omnes præputiati, gladiis cæsi, cum præbuissent in terra uiuentium terrorē, turpiter pœnas dederint, cum

c. inter homines.

F

degressis, in Tartara inter occisos positi. Ibi erit Moschia, Iberia, eius'que omnis turba suis circūdata sepulchris, omnes præputiati, gladiis cæsi, quoniam se in terra uiuorum terribiles præbuerint, neque cum deiectis præputiatorum militibus iacebunt, qui cum suis armis bellicis ad inferos descendunt, suppositis eorum gladiis ipsorum capitibus, sed [d] eorum culpam ipsorum ossa luent, quod milites uiuentium terra fuerint terrori. Et tu in medio præputiatorum fractus iacebis cum ense cæsis. Illic Idumæa, eius reges principes'que omnes cum sua

d. insepulti iacebunt.

G

fortitudine, cum gladio cæsis collocati, iacebunt cum præputiatis, & in Tartara degressis. Illic septentrionales rectores uniuersi, cuncti'que Sidonii, qui cum occisis terribiles descenderint, de sua uirtute erubescentes, iacebunt præputiati cum gladio cæsis, turpiter'que pœnas dabunt, cum degressis in Tartara. Illis uisis Pharao mitigabitur super omni Aegypti turba cæsorum gladio, tum ipse Pharao, tum eius

tum eius omnis exercitus, inquit Dominus Ioua. Nam ego eum mei terrorē incutiam in uiuentium terra, ut iaceat in medio præputiatorum cum gladio cæsis Pharao, & eius turba omnis, inquit Dominus Ioua.

CAPUT XXXIII.

Speculatoris officiū.

ITem affatus est me Ioua his uerbis: Homo, loquere cum tuis popularibus, & eis ita me significare dicito: Si ego alicui regioni arma intulero: & incolæ aliquē sui corporis hominem sibi constituerint speculatorem, isq; conspicatus hostes regionem inuadentes, homines tuba clangens admonuerit, & quispiam audito tubę sono, non cauerit, itaq; ab hostibus oppressus perierit, is suo periculo perierit, qui audito tubæ sonitui non obtemperauerit. suo inquam periculo perijt, cum si obtemperasset, potuerit uitæ suæ consulere. Sin speculator, conspicatus uenientes hostes, tuba non clanxerit, itaq; non
B
præmonitis hominibus, uenerint hostes, & eorum aliquem oppresserint, is quidem [a] sua culpa fuerit oppressus, sed ego eius sanguinis pœnas à speculatore repetam. Tu sanè, homo, speculator à me datus es Israelitarum generi, qui auditis ex ore meo uerbis, eos à me commonefacias. Si ego impio minatus fuero mortem, neque tu locutus fueris ut impium à suo more admonendo retraheres, & ipse impius suo uitio morietur, & ego eius sanguinis pœnas à te reposcam. Sin tu impium monueris ut à suo more desciscat, nec is tamen desciuerit, ipse sua culpa morietur, tu uerò uitam tuam seruaueris.

a. ob aliquod suum peccatum. *Suprà 3.d*

C
Tu igitur, homo, dic Israelitarū generi: Vos ita quidem dicitis: [b] Si nos delicta peccataq; nostra luimus, & in eis tabescimus, qui fiet ut uiuamus? Dic eis: Sic uiuam ego, inquit Dominus Ioua, ut me impium mori non delectat, sed recedere impium à uia sua, & uiuere. Recedite, recedite ab istis malis moribus, ne moriamini, domus Israelis. Tu uerò, homo, dic tuis popularibus: Neque iustum sua iustitia tuebitur, si peccauerit: neque improbo oberit improbitas, si ab improbitate sua desciuerit: neque iustus poterit sua iustitia uiuere, si deliquerit: Si ego iusto uitam promisero, & is sua iustitia fretus, nequiter fecerit, is, nullius eius iustè factorum ratione habita, ob id quod nequiter fecerit, morietur. Rursum si ego improbo mortem fuero minatus, & is à suo peccato se abstinens, ius æquū
D
que fecerit, pignus reddiderit, ereptum retulerit [c] uitalibus institutis obediens, seque à nequiter agendo continens, is uiuet, non morietur, nec ullum commissorum ab eo peccatorum ducetur ei, qui ius ęquumq; fecerit: uiuet. Et negāt populares tui [d] cōstare Domini rationem? cum ipsorum ratio nō cōstet. Dum deflectit iustus à sua iustitia, nequiterq; facit, is mori debet. Rursus dum recedit improbus ab improbitate sua, & ius æquumq; facit, is debet uiuere. Et negatis constare Domini rationem? ego uos pro suis quemque moribus iudicabo, domus Israelis.

b. si nos pro nostris meritis punit Deus, actum est de nobis.

c. legi, in qua obeunda posita est uita.

d. æquum & iustum esse quod facit Dominus.

Suprà 18.g

Anno autem exilij nostri duodecimo, die E
quinta mensis decimi, uenit ad me quidam Hierosolymis elapsus, qui urbem subactam esse retulit, cum quidem uesperè illius aduentum antegresso mihi Iouę instinctu apertum fuisset os, donec ille uenit ad me manè, quo ore mihi aperto, deinceps non tacui. Egit autem mecum Ioua his uerbis: Homo, qui [e] ruinas illas incolunt in Israelitica terra, sic dictitāt: Vnus fuit Abrahamus, & tamen terram possedit: ergo nobis, qui plures sumus, terræ possessio data est. Ergo
dic eis: Sic dicit Dominus Ioua: Vos cum san- F
guine epulabimini, & oculos conijcietis in istos stercoreos diuos, sanguinemq; fundetis, & terram possidebitis? [f] Instatis uestris gladijs, facitis nefanda, & alij aliorum stupratis uxores, & terram possidebitis? Ita dices eis: Sic dicit Dominus Ioua: Ita uiuam ego, ut qui sunt in ruinis, ferro cadent: & qui ruri, eos bestijs dabo comedendos: & qui in arcibus aut speluncis, peste morientur, redigamq; terram in uastitatem ac solitudinem, coercita eius potentiæ sublimitate, reddamq; ita desertos montes Israeliticos, ut à nemine peragrentur: scieturq; me esse Iouā, cum terram in uastitatem solitudinemq; redegero, propter tot eorum nefanda facinora. De te G
uerò, homo, sermocinantur populares tui [g] apud parietes, & in domorum uestibulis, & inter sese colloquentes, dictitant alius alij, eundū esse ad audiendum ecquid effati à Ioua emanarit: teq; (quomodo uulgo fit) conueniunt, & coram te sedentes mei, tua uerba audiunt, nec ea exequuntur, sed faciunt ore suo cantica, animo suæ indulgentes auaritiæ, ac te pro amatorio carmine habent, eleganti uoce & fidibus bene modulato, & tua quidem dicta audiunt, sed non exequuntur. Verùm cum id euenerit quod aduentat, scient inter se uersatum fuisse uatem.

e. diruta urbes Iudææ.

f. crudeles estis & homicidæ.

g. uulgo in circulis, & ubi apricantur.

CAPUT XXXIIII.

Iere. 23.a In pastores.

ITem allocutus est me Ioua his uerbis: Homo uaticinare contra pastores Israelitarū, uaticinare, & dic illis pastoribus: Sic dicit Dominus Ioua: Heu Israelitarum pastores, qui uosipsos pascitis. Nonne [a] oues pascere, pastorum est? Adipem comedetis, lanam induetis, mactabitis opima, oues nō pascetis? Vos infirmas non confirmatis, ægras non sanatis, non obligatis fractas, non reuocatis profligatas, perditas non quæritis, eisq; uiolenter aspereq; imperatis. Itaq; uagantur defectu pastoris, & ita pa-
lantes, omnibus feris pastui sunt. Errant oues B
meæ passim per montes, perque omnes editos colles, perque omnes terrarum regiones uagæ sunt oues meæ, nullo uestigante, nullo quærente. Quamobrem, ô pastores, audite Iouæ dicta: Ne uiuam, inquit Dominus Ioua, ni quoniam oues meæ prædæ pastuiq; sunt omnibus bestijs agrestibus, defectu pastoris, neque meas oues conquirunt mei pastores, pascuntque pastores seipsos, oues autem meas non pascunt, hanc ob rem pastores audite Iouæ dicta. Sic dicit Do-
minus Ioua: Ego pastores petam, ouesq; meas C
ab eis

a. Hebræa uox ouium & caprarū communis est.

ab eis reposcam, et eos ouium pastione abdicabo, efficiamque ut non pascant amplius pastores semetipsos, & liberabo meas oues ex eorũ faucibus, ne sint eis pabulo. Sic enim dicit Dominus Ioua: Ego ipse sum meas conquisiturus omnes, & uestigaturus. Quemadmodum uestigat pastor suum gregem, quãdocunque est in medio dispersarum ouium suarũ, sic ego peruestigabo meas oues, & liberabo ex omnib. locis, ubi fuerint nubilo caliginosoque tẽpore dissipatæ, easque ex populis eductas, & ex terris collectas, intro ducam in suam terram, & per Israeliticos montes, per depressa loca, perque omnes terræ sedes

D pascam, & pascam in bonis pascuis, habebũtque in altissimis Israeliticorũ mõtium stabula, ubi in bonis cubent stabulis, & læta per Israeliticos montes pascua depascant. Ego meas oues pascam, ego idem stabulabo, inquit Dominus Ioua: Perditas quæram, profligatas reuocabo, fractas obligabo, cõfirmabo imbecillas, pingues autem robustasque perdam, eas cum ratione pascens. At uos, ò oues meæ, sic dicit Dominus Ioua: Ego pecus à pecore, arietes ab hircis dijudicabo. Parúmne uobis est pascuorum optima

E depasci, nisi etiã pabulorũ uestrorũ reliquias pedibus obteratis? aut limpidissimã aquam bibere, nisi insuper reliquam pedibus turbetis, ita ut oues meæ pedibus uestris & obtrita pascant, & turbata bibant? Quapropter sic eis dicit Dominus Ioua: Ego ipse inter obesum pecus & macilentum dijudicabo, quoniam uos lateribus humerisque detruditis, cornibusque uestris arietatis in infirmissimas quasque, eousque ut eas foràs sparsim quatiatis. Itaque ego meas oues conseruabo, ne sint amplius prædæ, & pecus à pecore diju-

F dicabo, eisque pastorem unum suscitabo, qui eas pascat, meum Dauidem, qui eas pascet, eisque pastor erit. Egó uero Ioua eis Deus ero: meus autem Dauid rector uersabitur inter eos. ego Ioua loquor. Percutiã autem cum eis fœdus [c] pacis, tollamque ex terra feras bestias, ita ut in desertis tutò degentes, dormiant in saltibus, eisque circa collem meum fœcunditatẽ dabo, & imbres suo tempore dimittã, qui imbres sint fœcundi, atque

Iohan. 10.
Esa. 40.
Dan. 9.
c. felicitatis.

G ita & terrestribus arboribus suos fructus, & humo suas edente fruges, erunt in sua terra tuti, scientque me esse Iouam, cum ruptis eorum iugi neruibus, eos ex eorũ potestate uindicauero, qui eis utebant seruis. Nec erunt amplius prædæ gentibus, necà feris comedent terrestribus, sed tutò degent interriti, eisque [d] plantatũ nomen erigam, nec amplius conficientur in terra fame, nec amplius gentium probrum patientur, scientque me Iouam suum Deum sibi adesse, seque meum esse populum Israele prognatos, inquit Dominus Ioua: Vos uero, ò meæ oues, meæ pastionis oues qui homines estis, ego sum Deus uester, inquit Dominus Ioua.

d. firmũ duraturúque nomẽ conciliabo.
Iohan. 10. b

CAPVT XXXV.

In montem Seirem.

ITem his me uerbis affatus est Ioua: Homo compone faciem tuam aduersus mõtem Seirem, & contra eum uaticinans, sic ei dicito. Sic dicit Dominus Ioua: Ego te petam, mons Seir, & tibi manus inferens, te in uastam solitudinem redigam, urbesque tuas desolabo, & tu desertus eris, scies'que me esse Iouam, quoniam æternas gerens inimicitias, compingis Israelitas in en-

B ses, tempore eorum exitij: tempore [a] peracti criminis. Quamobrem ne uiuam, inquit Dominus Ioua, ni te cæde afficiam, teque cædes persequetur: ni te qui [b] cædem odisti, cædes persequetur, redigamque Seirem montem in uastam solitudinem, & ex eo qui ibi obuersentur extirpabo, eius'que montana suis occisis complebo, ca-

a. supplicij, quod de peracto crimine irrogat.
b. non uis cædibus affici.

C dentibus per omnes tuos colles, per'que tum edita tum demissa loca, saucij ferro. Aeternas solitudines ex te faciam, nec incolentur urbes tuæ, scietisque esse me Iouam: quandoquidem dicis ambas gẽtes, ambasque terras fore tuas, [c] eámque uos esse possessuros, ubi Ioua est. Itaque sic uiuam, inquit Dominus Ioua, ut quemadmodum ira inuidiaque ista dignum est, qua præ tuo in eos odio usus es, sic agam, atque ita cum in te exemplum edidero, cognoscar apud eos, scies'que me Iouam audiuisse ista tot maledicta, quæ

c. Hierosolymam

D uos in Israeliticos montes contuleritis, dicentes uastatos esse, & uobis comedendos datos, & in me atroci oratione procacibus'que uerbis utentes, quæ ego audiui. Sic dicit Dominus Ioua: Gaudente toto orbe, efficiã te uastum: quemadmodum tu domus Israeliticæ patrimonium uastatum esse gaudes, sic efficiam ut uastus fias, mons Seir, & uniuersa Idumæa, scieturque me esse Iouam.

CAPVT XXXVI.

Suprà 6. a

TV uerò, homo, uaticinare ad Israeliticos montes, & dic: O' montes Israelitici, audite Iouæ dicta. Sic dicit Dominus Ioua: Quoniam in uos insultat hostis, & sibi [a] æternorum fastigiorum possessionẽ cessisse dicit: propterea uaticinare, dicens: Sic dicit Dominus Ioua: Quandoquidem uos undique uastati & depopulati, reliquis gentibus in possessionem cessistis, & in hominum dicteria atque probra uenistis, hanc ob rem, ô mõtes Israelitici, audite Domini Iouæ dicta. Sic dicit Dominus Ioua montibus, & collibus, & depressis locis, uallibus'que, & uastis ruinis, & derelictis urbibus, quæ reliquis undique gentib. prædæ ludibrioque sunt,

a. Israeliticorũ montium.

E sic, inquam, dicit Dominus Ioua: Omnino ego ardenti uehementia uti decreui cùm in reliquas gentes, tum in totam Idumæam, qui terræ meæ possessionẽ summa cum mentis lætitia animique procacitate sibi uendicauerint, quod ea esset obiecta prædæ. Quocirca uaticinare de Israelitica terra, et dic montibus atque collibus, depressisque locis & uallibus, Sic dicit Dominus Ioua: Ego acriter & iracundè loquor, quoniam uos gentium probra fertis, hanc, inquam, ob causam sic dicit Dominus Ioua: Ego uobis promitto gentes uobis undique finitimas infamiam passuras esse: uos autem, ò montes Israelitici, uestros & ramos edetis, et fructus feretis Israeliticis meis

F propediem [b] uenturis. Nam hoc uobis confir-

b. scilicet illis.

V mo-

mo, futurum esse ut ego respiciā uos, colendósque & seminandos curem, & hominib. frequentem, uidelicet uniuerso Israelitarū genere, utque urbes habitentur, & diruta construantur, faciámque ut in uobis & hominum sit & pecorum copia, qui crebrescant ac fœtificent, uosque in antiquum restituam, & pluribus bonis afficiam, quàm quæ habueritis olim, scietisque me esse Iouam, atque in uos perducam homines, uidelicet meos Israelitas, qui te possideant, quorum tu sis patrimoniū, nec eos deinceps depopuleris. Sic dicit Dominus Ioua: Quoniam tu hominum consumptrix, gentís que tuæ depopulatrix esse diceris, propterea non amplius homines consumes, gentémue tuā depopulabere deinceps,
D inquit Dominus Ioua, neque committam ut amplius audias probra gentium, neque deinceps aut populorum maledicta feres, aut tuam gentem depopulabere, inquit Dominus Ioua.

Præterea sic allocutus est me Ioua: Homo, Israelis posteri in terra sua manentes, eam suis moribus studijsque polluerunt. Itaque ego eorum mores pro menstrualis fœditate ducens, in eos bilem meam profudi, propter terram ab eis & sanguine perfusam, & stercoreis eorum dijs pollutam, eosque pro ipsorum moribus studijsque puniens, ultro citroque per gentes atque terras dissipaui. Illi uerò, ut uentum est in nationes in quas uenerunt, c meum sacrum profanauere nomen, cum Iouæ populus esse, qui ex sua terra migrassent, dicerentur. Sed ego indulgeo meo sacro nomini, quod profanarunt Israelis posteri in nationibus, in quas uenerunt. Quare dic Israelitarum generi. Sic dicit Dominus Ioua: Non ego uestra id causa facio, domus Israelis, sed propter meum sacrum nomen, quod uos apud gentes, in quas uenistis, profanastis. Hoc ego meū magnum nomen cōsecrabo, profanatum apud gentes, id uobis inter eas profanantibus, sciént que gentes me esse Iouam, inquit Dominus Ioua, cum ego me in uobis ob oculos illarū sanctum præbuero. Accersam autem uos ex gētibus, & ex omnibus collectos terris adducā in uestram patriam, puraque cōspersos lympha, ut ab omnibus uestris fœditatibus purgemini, ab omnib. uestris uos expiabo stercoreis diuis, uobisque & cor nouum, & spiritum nouum in pectora dabo, ac exempto de corporibus uestris lapideo corde, uobis carneum cor dabo, & dato in pectora uestra meo spiritu, faciā ut institutis meis pareatis, measque sententias conseruetis, quo faciendo manebitis in terra, quam ego dedi maioribus uestris, & uos mihi populus, & uobis ego Deus ero, uosque ab omnibus uestris impuritatibus uindicabo, & frumentum euocans atque multiplicans, nō imponam uobis famem, sed arborum fructus agrique fruges multiplicabo, ne uobis fames amplius apud gentes exprobretur. Recordantes autem uos uestros uitiosos mores, improbamque naturam, distædebit apud uosipsos uitiorum scelerumque uestrorum. Non propter uos ego hoc faciam, inquit Dominus Ioua, ut hoc sciatis: pudeat uos, & erubescite uestros mores, domus Israelis. Sic dicit G
Dominus Ioua: Cum ego uos ab omnibus uitijs uestris mundauero, & instauratis quæ diruta sunt, effecero ut habitentur urbes, deserta que terra, pro eo quòd deserta fuerit, colatur, spectantibus cunctis uiatoribus, dicetur terram istam uastatam, similem esse Edenensis uiridarij, urbesque dirutas, uastatas, euersas, habitari munitas, sciéntque gentes, quæ circum uos erunt reliquæ, me Iouam eum esse qui & euersa instaurem, & uasta conseram. Ego Ioua & dico & faciam. Sic dicit Dominus Ioua: Hoc adhuc ut Israelitis faciam exorabor, d uidelicet ut eos augeam quasi humanas oues. Quasi oues sacræ, quasi oues Hierosolymę in eius solennibus, sic erunt urbes dirutæ humanarum ouium plenæ, sciéntque me esse Iouam.

Esa.52 c
Roma.2.d

c. ibi quoque peccarūt, quo fit ut ego malè audiam,

E

cū mei dicātur esse Atque ob id crimē ego eos deferem. Sed malè audirem apud gentes, nisi eos reuocarem, ut promisi.

Supra 11.d

F

d. ut pastor oues habet, sic eos ego Hierosolymitanos homines habebo.

CAPVT XXXVII.

De renatis.

IOua me à se instinctum Iouano afflatu, perduxit in medium campum, qui erat ossium plenus, præter quæ ossa me per circuitum deduxit. erant autem permulta, in campi solo, ea que perarida. Atque ille me sic alloquutus est: Homo, reuiuiscéntne hæc ossa? Cui ego: Domine Ioua, inquam, tu id scis. Et ille: Vaticinare (inquit mihi) ad hæc ossa, & eis dicito: O' arida ossa, audite dicta Iouæ. Sic dicit Dominus Ioua his ossibus: Ego in uos immittam spiritum quo B
reuiuiscatis, uosque & neruis inducam, & carne obducam, & obtegam cute, spirituque donabo, atque ita reuiuiscetis, & me Iouam esse cognoscetis. Igitur ego uaticinatus sum, sicut eram iussus: ac me uaticinato, sonus extitit & motus, cū quidem accederent ossa ad suum quodque os, spectans que animaduerti crescere in ea neruios atque carnem, ea que cute desuper integi, sed carentia spiritu. C
Atque ille mihi: Vaticinare ad spiritum, inquit, uaticinare homo, & dic spiritui. Sic dicit Dominus Ioua: A' quatuor regionib. ueni, ô spiritus, & hos interfectos affla, ut reuiuiscant. Itaque uaticinatus sum, sicut eram iussus, atque in illa uenit spiritus: reuixeruntque, & in pedes suos constiterunt, copiæ sanè maximæ. Et ille mihi: Homo, inquit, hæc ossa sunt totum genus Israelitarum, qui sanè dicunt aruisse ossa sua, spem suam perijsse, séque excisos esse. Quamobrem uaticinare, & eis dicito. Sic dicit Dominus D
Ioua: Ego aperiam sepulchra uestra, & uos meos ex sepulcris uestris extractos, in Israeliticam terram introducam, scietisque me esse Iouā, cum ego apertis sepulchris uestris, uos meos ex eis extraxero, uobisque spiritum meum indam, faciámque ut uiuatis, & uos in patria uestra uicturos collocabo, scietisque me Iouā a eum esse qui & dicam & faciam, inquit Ioua.

a. ea facere quæ dixerim.

Item alloquutus est me Ioua hunc in modum: Tu uerò, homo, sume lignum unum, & in eo inscribe, Iudæorum & Israelitarum eorum sociorum. Item alterum lignum sume, & in eo inscribe, Iosepheum lignum Ephraimitarum, E
& totius Israelitarum domus eorum sociorum,

eaque

eaq; alterum alteri admoue, ut tibi sit lignum unum, fiantq; unum in tua manu. Quod si ex te petierint populares tui ut eis exponas quid tibi uelint ista, dicito eis. Sic dicit Dominus Ioua: Ego Ioscpheū lignum sumam, quod in Ephraimitarum manu est, et Israelitarum tribus eorum sociorum, atq; hos unà cum illis, cōponam cum Iudæorū ligno, & ex eis unum faciam lignum, eruntq; unum in mea manu. Habens autem inscripta à te ligna in manu, spectantibus illis, eos

F alloquere. Sic dicit Dominus Ioua: Ego Israelitas ex gentibus, in quas abiuerint, accersitos, &

Iohan. 10. b undique collectos, introducam in ipsorum patriam, eosq; in terra in unam gentem redigam, in montibus Israeliticis, unúmque regem habebunt omnes regem, nec erunt amplius duæ gentes, neq; deinceps in duo regna diuidentur, nec amplius suis stercoreis dijs, obscœnitatibus, & tot peccatis polluentur, ac eos ubicunque locorum (in quibus peccauerint) degentes seruabo & expiabo, & ipsi se mihi populū, et eis ego me

Suprà 34. f Ioan. 10. b. g Esa. 40. c Iere. 23. a Dan. 9. g Deum præbebo. Meus autem Dauid erit eorum rex, cunctique pastorem unum habentes, ad mea iura uiuent, mea'que decreta seruabunt & exequentur, & terram incolent, quam ego meo Iacobo dedi, quam eorum maiores incoluerunt: eam incolent ipsi, eorum'que nati, &

Iohan. 12. e Psal. 109 b & 116. a nepotes, in perpetuum, meum Dauidem rectorem habentes in sempiternum. Ac cum eis fœdus pacis feriam, fœdus æternum eis futurum, eosq; promouebo atq; augebo, ponamq; inter eos meum fanum in sempiternum, & habens apud eos habitationem, ero Deus illis, & ipsi mihi populus erunt, scientq; gentes me Iouam Israelitas consecrare, cum erit meum fanum inter eos in sempiternum.

CAPVT XXXVIII.

Apoc. 20. c In Gog & Magog. Item me sic affatus est Ioua: Homo, compone faciem tuam ad Gog terram Magog, summum Moschorum Iberorum'que ductorem, & in eum ita uaticinare. Sic dicit Dominus Ioua: Mihi tecum res est, Gog Moschorū Iberorumq; summe ductor: te ego retraham, & prehenso hamis tuo rostro, extraham, te'que & totum exercitum tuum, equos, & equites omnes indutos perfectè, cunctos ingenti multitudine scutatos & clypeatos, omnes ensibus utentes,

B Persas, Aethiopes, & Libyes unà cum eis, clypeatos omnes & galeatos, Galatiam cum suis omnibus copijs, genus Thogormæ, tractus septentrionales cum omnibus suis copijs, tot populis te comitantibus. Præpara & instrue te unà cum omni tuorum multitudine, qui ad te coïuerunt, ut sis eis custodiæ. In te post longa tempora animaduertetur, qui ultimis annis recidiuam ab armis terram inuades, ex multis collectam populis, in montes Israeliticos, qui perpetuò fuerint desolati, [a] qua ex populis educta degent [b] illi omnes in tuto. Vades autem in ea ex-

C peditione quasi tempestas quædam, quasi operiens terram nubes, tu tuæq; omnes copiæ, multis te comitantibus populis. Atque illo tempore (inquit Dominus Ioua) tu quædam animo concipies, & malam cogitationem habebis, statuesq; regionem aggredi [c] paganā, quietos inuadere, in tuto degentes, omnes sine mœnibus agentes, carentesq; claustris atque ostijs, ut spolia prędamq; agas atq; diripias, ut manum tuam conuertas ad habitatas ruinas, & ad collectum ex gentibus populum, qui pecuariam rem'que faciat, in terrarum umbilico degens. Sabæi, Dedanenses, Ciliciæq; mercatores, ac leones omnes, interrogabunt te num ad capienda spolia uenias, num ad diripiendam prædam coegeris multitudinem istam, ad tollendum argentum atque aurum, ad pecus atque res auferendas, ad magna capienda spolia. Quamobrem uaticina-

E re, homo, & dic Gogo. Sic dicit Dominus Ioua: Nimirum illo tempore, habitantibus in tuto meis Israelitis, tu cognita re, uenies ex loco tuo, ex tractibus septentrionalibus, cum frequētium populorum comitatu, qui omnes uehentur equis, quæ ingens erit copiosaq; multitudo atque exercitus: & aggrediere meos Israelitas, quasi quædam terram operiens nubes, ultimo tempore futurus, te'que in meam terram inducam, ut cognoscant me gentes, [d] cum in te præstitero me sanctum, ipsis cernent[i]bus, Goge. Sic dicit Dominus Ioua: Tune ille es de quo ego priscis temporibus per meos uates Israelitas, illorum temporum'annis uaticinatos, prædixe-

F rim fore ut te in eos adducerem? Atque illa die, qua die inuadet Gogus Israelitarum patriam, inquit Dominus Ioua, gliscet irato me bilis mea, ac cum igneæ atrocitatis impetu prædico fore omnino ea die tam ingentem in Israelitarū patria motum, ut me tremant & [e] marini pisces, & aeriæ uolucres, & bestiæ terrestres, & quæcunque gressilia gradiuntur humi, & quicunque homines sunt in terrę solo, euertanturq; montes, labantur arces, omnesq; muri concidant ad ter-

G ram. Atque in eum per totos montes meos ita concìebo gladios, inquit Dominus Ioua, ut ipsi se mutuo gladijs petāt, cumq; eo peste & cæde contendam, & undantem pluuiam, gradinosos lapides, ignem sulphurq; impluam in eum & in eius copias, inq; tot eum comitantes populos, atq; ita magnum me sanctumq; præstabo, & in multarum gentium conspectu cognoscar, scienturq; me esse Iouam.

CAPVT XXXIX.

Apoc. 20. Tu uerò, homo, uaticinare in Gogum, dicens. Sic dicit Dominus Ioua: Mihi tecum res est, Goge summe ductor Moschorum atq; Iberorum: te ego retraham, [a] sextaboq;, & cum te ex septentrionali tractu extractum adduxero in montes Israeliticos, tibi & arcum de sinistra excutiam, et sagittas de dextera deijciam, & in Israeliticis lapsum montibus teq; tuasq; copias omnes, & populos te comitantes, alitibus uolucribus quicquid alati est bestijsq; terrestribus comedendos tradam. Tu in agri solo occū-

B bes, quoniam ego locutus sum, inquit Dominus Ioua, immittamq; ignem in Magogum &

Margin notes:

a. scilicet terra, hoc est hominibus, loco pro incolis posito.

b. regionis homines.

c. nullis mœnibus munitam.

d. cum te puniuero, in quo sanctitas seueritasque mea apparebit.

Matth. 24. Luc. 21.

e. aquatiles.

a. sex pœnis afficiā, quas paulo antè posui, uidelicet peste, cæde, pluuia, grandine, igne, & sulphure.

in securos insulares, efficiamq; ut sciant me esse Iouam, ac meum sanctum nomen inter meos Israelitas declarabo, nec amplius meum sanctum nomen profanabo, scientq; gentes me esse Iouam, apud Israelitas sanctum. Ventura est & futura, inquit Dominus Ioua, illa, quam ego dico, dies, cum quidem egressi Israeliticarum urbium incolæ, accendent cremabuntq; arma, & clypeos, & scuta, arcus & sagittas, sudes & iacula, ijsq; facient ignē septem annos, nec ex agris ligna conuehent, nec ex syluis lignabuntur, sed armis ignem facient, illorumq; spolia ac prædam capient ac diripient, inquit Dominus Ioua. Atq; illo tempore tribuam ibi Gogo sepulturæ locum, in finibus Israelitarum, uallem uiatorum mare uersus, quæ efficiat ut prætereuntes sibi [b] nares obthurēt, ubi Gogus cum omni sua turba sepeliatur, quæ Gogicæ turbæ uallis appelletur. Sepelient autem eos Israelitæ, expurgandæ terræ gratia, septem mensibus. & sepelient omnes incolæ: eúmque diem, quo ego me gloriosum præstitero, habebunt celebrem, inquit Dominus Ioua. Tum [c] assiduos homines destinabunt, ad peragrandam regionem, cumq; ijs peragrantibus alios qui sepeliāt reliquos per terræ solum, eius purgandæ gratia, [d] quos quidem peractis septem mensibus, cōquirent. Atque illi terram lustrando obeuntes, si hominis ossa uiderint, extruent apud ea cippum, dum ea sepeliant humatores in ualle Gogicæ turbæ, eritq; etiam urbi nomen [e] Hamona, atque ita terram purgabūt. Tu uerò homo, sic dicit Dominus Ioua, dic auibus omnibus alatis, omnibusque bestijs terrestribus. Cōuenite & adeste, coite undique ad meum sacrificium, quod ego uobis, ingens sacrificium, in Israeliticis montibus sacrifico, & carnem comedetis: potabitis'que sanguinem. Carnem heroum comedetis, sanguinem'que principum terrarum bibetis, arietum, agnorum, hircorum atque taurorum, qui sunt omnes [f] Basanicè saginati. Comedetis autem adipem ad satietatem, & sanguinem bibetis ad ebrietatem ex meo sacrificio, quod uobis sacrificauero, & in mensa mea satiabimini equis & uectoribus, heroibus, omniq; genere militum, inquit Dominus Ioua, meāq; gloriam per gentes propagabo, cernentq; gentes omnes supplicium quod irrogauero, & manum quam eis intulero, scientq; & posteri Israelis me esse Iouam suum Deū, ab illa die deinceps, & cæteræ gentes sua culpa exulasse Israelis posteros, quibus ego propter eorum in me crimē uultum meum subtraxerim, eosq; suis hostibus addixerim, atque ita ferro omnes occubuerint, me eos, ut postulabat eorum fœditas & peccata, tractante, & uultum meum eis subtrahente. Quamobrē sic dicit Dominus Ioua: Nunc ego reuocabo captiuos Iacobeos, miseratusq; totum genus Israelitarum, [g] meo sacro nomini studebo (cum quidem illi infamiā passi dederint pœnas sui tanti contra me criminis, tum commissi cum in patria sua tuti, exterrēte nullo, degerent) dum eos

C D E F G

b scilicet præ fœtore.

c. certos & nauos.

d. per septē mēses sepeliēt omnes incolæ, ijs peractis cōstituentur certi, qui conquirāt si qui sepeliendi restent.

e. hoc est turba.

f. pinguissimi.

g. operam dabo ut mihi nomen sanctum famàque cōparem.

ex populis reuocabo, & ex hostilibus terris colligam, [h] meq'ue in eis sanctum præstabo in multarum gentium conspectu, efficiamq; ut sciant me Iouam esse Deum suum, dum quos ad gentes transtulero, eosdem in patriam suam congregabo, nullo amplius eorum ibi relicto, nec amplius eis uultum meum subducam, qui meo spiritu domum Israelitarum perfudero, inquit Dominus Ioua.

h. ita cum eis agam ut sanctus esse uidear.

Suprà 36.e

CAPVT XL.

Templi descriptio.

ANno exilij nostri uigesimoquinto, initio anni, decimo die mensis, anno ab urbe subacta decimoquarto, eo, inquam, ipso die Ioua me instinctu suo duxit illuc, duxit inquā me per diuina uisa in Israeliticam terram, & in prę alto mōte collocauit, in quo erat quasi urbis ædificium ab austro. Eò postquàm ille me duxit, uideo uirū forma quasi ærea, habentem in manu amussim lineam, & decempedam, qui ad portam stabat, qui uir sic me est allocutus: Homo, cerne tuis oculis, & auribus audi, & animo attende quicquid ego tibi monstrabo: nam ut tibi monstretur, huc adductus es. Referto quicquid uideris, Israelis domui. Circundabat autem undique murus templum, extrinsecus, & uir ille habens in manu decempedam sex cubitorum, qui singuli cubitū & quatuor digitos haberent, mensus est ædificij crassitudinem una decēpeda, & altitudinem una decempeda. Deinde uenit ad portam obuersam ad Orientē, ascenditq; per eius gradus, & portæ limē in unius decempedæ crassitudinem mēsus est, itemq; alterum limen in unius decempedę crassitudinē. Cellas quoq; in singularum decempedarū longitudinem ac latitudinem, quinis inter sese cubitis distantes. Distabat autem portæ limen à uestibulo, quod erat intus, una decēpeda. Vestibulum ita mensus est, ut intrinsecus [a] abesset una decēpeda, idq; octo cubitos pateret, appendices habens duorū cubitorum, intus collocatum. Erāt autem illæ in porta cellæ uersus Orientē, utrinque trinæ, eadem ipsarū omnium, eadem item appendicum hinc atq; hinc mensura. Ostij portæ latitudinem mensus est decem cubitis, ianua [b] longa tredecim cubitos. Ante cellas erant singulorum cubitorum spacia utrinq;, ipsęq; cellę hinc inde patebant senos cubitos. Itaque portæ latitudinem à cellæ tecto ad ipsius portæ tectū, mensus est uigintiquinque cubitis, cum ostium ostio respōderet. Fecit autem appendices sexaginta cubitorum, cum quidem appēdicem portæ circundaret atrium. Atq; à fronte ianuæ, qua intrabatur, ad frōtem interioris ianuæ uestibuli, erant quinquaginta cubiti. Habebant autem cellæ, itemq; appendices & accessiones, fenestras clusiles, parte interiore portæ, quæ fenestrę erant intrinsecus undique, erantq; appendices palmatę. Tum me duxit exterius in atrium, ubi cœnacula erant, & pauimentum factum per atrij circuitum, quæ cœnacula, ad pauimentum erant triginta. Erat autem pauimentum à latere portarum, secundum portarum longitudinem, idq;

B C

a. scilicet à liminis ingressu.

b. in altitudinem.

nem, id'que inferius. Latitudinem mensus est à fronte inferioris ianuæ ante interius atrium foris centum cubitis, tum ad Orientem, tum ad septentrionem. Item portæ, quæ erat septentrioni ad atrium exterius obuersa, longitudinem latitudinemque mensus est, ita ut trinas utrinque cellas & appendices ac proiecturas haberet, eiusdem cum prima porta mensuræ, longa quinquaginta cubitos, lata uigintiquinque, fenestris, appendicibus, palmisque eiusdem mensuræ, cuius erant portæ spectantis Orientem. Atque ad eam septem gradibus ascendebatur, ante quos erant eius appendices. Erat autem porta interioris atrij è regione alterius portæ, tam ad septentrio-

D nem, quàm ad ortum, mensusque est ab una porta ad alteram, centum cubitos. Deinde me duxit meridiem uersus. Erat uersus meridiem porta, cuius appendices & accessiones metatus est iisdem illis modulis. Ea & fenestras & appendices per circuitũ habebat, illis fenestris similes, patens in longitudinem quinquaginta cubitos, in latitudinem uigintiquinque. Eius ascensus erat septem graduum, ante quos erant eius appendices, quæ palmas habebant utrinque singulas, habebatque interius atrium portã meridiem uersus, à qua porta ad alterã portam meridiem uersus, mensus est centũ cubitos. Tum me duxit ad atrium interius per meridianam portam, quam meridianam portam mensuris iisdem dimensus est, iisdemque eius cellas & appẽdices ac accessiones, habentem tum ipsam, tum eius accessiones, fenestras per ambitum, longã quin-

E quaginta cubitos, latam uigintiquinque, circuniectis accessionibus longitudine uigintiquinque cubitorum, latitudine quinque, ad atrij [c] partem exteriorem pertinentibus: appendicibus autem palmatis, habente eius ascensu octo gradus. Itẽ me duxit ad atrium interius Orientem uersus, portamque ad illas rationes, item'que eius cellas, appendices, accessiones mensus est, undique fenestratam tum ipsam, tum eius accessiones, in quinquaginta cubitorum longitudinem porrectam, in latitudinem uigintiquinque, accessionibus ad exteriorem atrij partem pertinentibus: appendicibus autem hinc atque hinc palmatis, ascensu octo graduũ. Tum me duxit ad septentrionalem [d] portam, quam iisdem modulis dimensus est cellas, appendices, & accessiones, undique fenestratam, longam quinquaginta cubitos, latam uigintiquinque, accessionibus ad exteriorem atrij partem pertinentibus, appendicibus autem hinc atque hinc palmatis, octo graduum ascensu. Erant autem in portarum appen-

F dicibus cœnacula unà cum ostijs, ubi lauarẽtur hostiæ solidæ. In uestibulo erant utrinque binę mensæ, in quibus solidę & piaculares & noxales uictimæ mactarentur. Itemque ab externo latere ascensus, erant ad ostium portæ septentrionalis, duæ mensæ, & ad alterum latus, quod ad uestibulũ pertinebat, duæ alteræ mensæ. Ita ad portæ latera erant octo mensæ, utrinque quaternæ, in quibus immolaretur. Harum mensarum quatuor ad solidas hostias, erãt ex quadratis lapidibus, longæ singulos cubitos semis, latæ singulos cubitos semis, altæ singulos cubitos, in quibus reponerentur instrumenta, quibus cùm reliquæ, tum solidæ mactarentur hostiæ. Interius erant undique affixa labra palmaria, carne libaminũ mensis imposita. G. Supra easdem mensas erat tectum, quod eas à pluuia & ardoribus protegeret. Deinde me duxit in interius atrium. H. Erant extra portam interiorem G. duo H. cœnacula in ipso interiore atrio, quorum unum, quod erat ad portæ latus septentrionale, spectabat in meridiem. Alterum, quod erat ad portæ latus meridianum, spectabat in septentriones. Et ille me sic allocutus est: Hoc cœnaculum, G

quod spectat in meridiem, est sacerdotum ædis curam gerentium. Quod autem septentrionem aspicit, sacerdotum, est habentium aræ procurationem, qui sunt Sadociani, qui ex Leuitis accedunt ad Iouam, ad ministrandum ei. Deinde atrium mensus est longitudine et latitudine centenûm cubitorum, quadratum. Ante ædem erat ara. Duxit autem me in ædis uestibulum, id'que uestibulum quinis utraque parte cubitis dimensus est, ianua utraque parte lata trinos cubitos, uestibuli longitudine uiginti cubitorum, latitudine decem, ad quod [e] decem gradibus ascen- e. Lat. octo

debatur. Ad appendices hinc una & inde altera erat columna.

CAPUT XLI.

Deinde me duxit in cellam, & appendices dimensus est utraque parte in latitudinem senûm cubitorum, quæ latitudo erat operimenti. Ostij latitudo decem cubitorũ, erat, eiusdem humeri quinûm utrinque cubitorum. Longitudinem cellæ quadraginta, latitudinem uiginti cubitis dimensus est, Tum ingressus in penetrale, mensus est ostij appendicem duobus cubitis: ipsum ostium sex: ostij latitudinem G. utrinque humeri H. septenis. Ipsius penetralis longitudinem uiginti cubitis, latitudinẽ totidem terminauit in cellæ fronte, & mihi dixit: Hoc est sanctius sacratium. Aedis parietem sex cubitis mensus est: & tabulata undique per ædis ambitũ quaternos lata cubitos, & ea trina alia alijs imposita, idque tricies, quæ prodibant ad ædis parietem ipsis tabulatis undique circuniectum, ita ut essent ipsa inter sese cõtinua, nec ædis parietẽ B

attingerẽt. Quanto autem tabulata erant altiora, tanto erant & latiora, & maioris circuitus quod ædis ambitus quanto altior erat, tanto patebat latius. Atque ita infima ascensum ad summa habebant per media: cumque ædis altitudinem per circuitum spectarem, patebãt tabulatorum fundamenta, quanta est decempeda, uidelicet senûm cubitorum spacium. Parietis autem, qui erat extra tabulata, crassitudo erat quinque cubitorum. Quod ędis spacium uacabat inter tabulata, id ita habebat, ut cœnacula ædem undique circunstantia distarent inter se uiginti cubitorũ latitudine. Ostia tabulatorũ erant apud uacantem locum, spectantia altera septentrionem, altera

c. quæ erat extra portam.

d. scilicet interioris atrij.

tera meridiem. Locus per circuitum uacās erat latitudinis quinque cubitorum. Ita aedificium ipsum in fronte consepti collocatum, patebat Occidētali parte in latitudinem cubitos septuaginta, in longitudinem nonaginta, muro quinque cubitos crasso circumseptum. Itaque templi longitudinem centum cubitis dimensus est. C Item consepti & aedificij, unà cum eius parietibus longitudinem centum cubitis: itemque latitudinem frontis templi unà cum consepto parte Orientali, centum cubitis. Mensus est & aedificij longitudinem in fronte consepti post aedificium collocati, unà cum eius utrobique adiectionibus, centum cubitis. Et cella autem interior, & atriorum uestibula, & limina, & clusiles fenestrae, & additamenta quae circum trinis uestibulorum cellis inerāt, è regione liminum, erant undique ligno obducta, solo fenestris adaequato, fenestrisque tectis, idque mensuris usque ab ostijs ad interiorē aedem, & foris, & ad omnem undique parietem, tum intrinsecus, tum extrinsecus, adhibitis. Erant autem ita facti Cherubi atque palmae, ut essent alternae palmę Cherubis interiectae, ijsque bifrontibus, & hinc humana, illinc leonina facie palmam spectantibus, quod opus totam undique obibat aedem, factas à solo D usque ab ostio ad cellae parietem, Cherubis atque palmis. Cella postem habebat quadratum, simili & eius & sacrarij frontis aspectu. Ara lignea erat tres alta cubitos, longa duos, uersuris, & longitudine, & costis ligneis, de qua ille mihi dixit, eam esse Iouae appositam mensam. Habebant autem & cella & sacrarium, binas ualuas, easque bifores, utraque ualua binas fores uersatiles habente, in quibus cellae ualuis facti erant Cherubi & palmae, quemadmodum & in parietibus. In fronte uestibuli erat extrinsecus coassatio, & clusiles fenestrae palmaeque hinc atque hinc in humeris uestibuli, & tabulae, & coassatio per templum.

CAPUT XLII.

ITem me eduxit in atrium exterius, qua uia erat septentrionalis, & ad coenacula duxit, quae erant contra conseptum, contra'que aedificium ad septentrionem, qua ad ostium septentrionale patebat longitudo centum cubitos, latitudo quinquaginta, contra uiginti cubitos, interioris atrij, contraque pauimentum exterioris atrij, quae quidem coenacula erant trinûm tabulatorum, & processus habebāt altera alterorum processibus oppositos. Ante coenacula erat ambulatio decem cubitorum latitudine, tendens interius, & uia unius cubiti, habebant'que ostia ad septentrionem. Erant autem suprema coenacula contractiora, quippe quae excederentur à processibus infimorum, & mediorum structurae coenaculorum. Erant enim trinarum contignationum, neque columnas habebant, ut esse B solent atriorum columnae, ideo suprema à solo recedebant intra quàm infima atque media. Quod septum autem foris erat secundum coenacula, uersus exterius atrium, in fronte coenaculorum, id erat longitudine cubitorum quinquaginta. Nam & coenaculorū exterioris atrij longitudo erat cubitorum quinquaginta, cum secundum cellę faciem essent centum cubiti. Infra illa uerò coenacula erat aditus ab Oriente, per quem adirentur ab exteriore atrio, in crassitudine septi atrij, Orientem uersus, quae coenacula erant ad consepti aedificijque frontē, & ante ea iter, eadem forma, qua erāt coenacula uersus septentrionem, eadem & longitudine & latitudine, omnibusque eorum egressibus & rationibus, & ostijs, quae tum illis similia erant, tum ostijs coenaculorum, quae erant meridiem uersus, C ita ut & ostium esset in itineris capite, & iter esset ante accommodatum septum, uersus meridiem, quà adirentur. Atque ille mihi: Coenacula, inquit, tum septentrionalia, tum meridiana, quae sunt ante conseptum, ea sunt sacra coenacula, ubi sacerdotes, qui ad Iouam accedunt, sacrosancta comedent, ubi sacrosancta, & ferta, & piacularia, & noxalia reponent, quoniam sacer est locus, quem ingressi sacerdotes, non exibunt ex sacro in exterius atrium, quin ibi uestes suas reponāt, in quibus administrauerint, quippe sacras, aliasque uestes induant, atque ita tractent uulgaria. Igitur peracta interioris templi dimē[a]sione, eduxit me uersus portam Orienti obuersam, D & templum undique dimensus est. Mensus est regionem Orientalem decempeda, quingentis decempedalibus cubitis in ambitum. Mensus est & septentrionalem regionem decempeda, quingentis decempedalibus cubitis in ambitum. Et meridianam regionem decempeda mensus est quingentis decempedalibus cubitis in ambitum. Et Occidentalē regionem mensus est decempeda quingentis decempedalibus cubitis. Denique id ad quatuor regiones metatus est, muro circundatum, in longitudinem quingentorum, & in latitudinem quingentorum, ad disiungendum sacrum à profano.

a. profana

CAPUT XLIII.

TVm me duxit ad portam, quae porta spectabat Orientem, & ecce Dei Israelitarum splēdor ab Orientis uia ueniebat, cuius Dei sonus erat qualis est multarum aquarum sonus, illustrabaturque eius splendore terra. (Suprà 9.4) Erat autem figura illius figurae similis, quam figuram ego uideram, cum irem ad urbem delendam, similes'que figurae illi quam ad Chobar flumen uideram. Igitur ego pronus cecidi, & Iouae splendor in templum uenit uia portae spectantis Orientem. Tum spiritus sublatum me, tulit in atrium interius, (Suprà 1.4) animaduertique repletum Iouano splendore templum, E & audiui loquentem mecum de templo, astante mihi uiro, qui me sic est allocutus: Homo G. uides H. locum mei solij, locum uestigiorum pedum meorum, ubi habitabo inter Israelitas in perpetuum, neque polluent amplius Israelitae meum sacrum nomen, ipsi, eorum'ue reges, sua aut regum suorum impudicitia, aut regum suorum cadaueribus ac sacellis, dum sua limina meo limini, & postes postibus

postibus apponunt, interiecto inter me & eos pariete, meumque sacrum nomen suis, quæ committunt, sceleribus polluunt, ideoque irato me C conficiuntur. Iam remouebunt à me suam impudicitiam, regúmque suorum cadauera, atque ego inter eos in perpetuum habitabo. Tu, homo, expone Israelitarum generi, templum, ut ob sua uitia erubescentes, compositionem dimetiantur. Quòd si suorum tot factorum pudet eos, formam templi, & compositionem, & exitus aditus'que, denique omnes eius formas, instituta, descriptiones atque leges, eis demonstrato, & ante eorum oculos describito, ut eius omnes formas & instituta seruent & exequantur. Templi lex est hæc, ut in montis cacumine D sint omnes eius fines, undique sacrosancti. Et hæc quidem templi lex est. *Ara.* Aræ autem dimensiones, quæ illis cubitis fient, qui ualent singulos cubitos & quaternos digitos, erunt huiusmodi. Sinus erit cubitalis, latitudine cubitali, spacio ad crepidinem circundatus dodrantali. Atque hic quidem erit deiectus aræ. À sinu autem, qui humi erit, ad inferiorem aream unum cubitum latam, erunt duo cubiti: & porrò ab area minore unum cubitum lata, ad aream maiorem, erunt quatuor cubiti: Leo-E deus erit altitudinis quatuor cubitorum. Super Leodeum erunt quatuor cornua. Erit autem Leodeus tum longitudine, tum latitudine duodenûm cubitorum, quadratus quatuor quadraturæ suæ partibus. Area erit tum longa, tum lata quatuordenos cubitos, quatuor quadraturæ partibus, circundata spacio dimidij cubiti, sinum habens undique cubitalem. Eius gradus spectabunt Orientem. Atque ille mihi. Homo, inquit, sic dicit Dominus Ioua: Hæc sunt aræ instituta, cum facta fuerit ad libandas F in ea uictimas, fundendum'que sanguinem. Trades sacerdotibus Leuitis (qui Sadoci semine prognati, accedunt ad me, inquit Dominus Ioua, ut mihi ministrent) taurum bouinum ad piaculum, sumes'que eius sanguinis, quo' quatuor aræ cornua intingas, quatuor'que areæ uersuras, & circumiectum spacium, atque ita eam supplicando expies. Tum piacularem taurum sumes, & in templi loco ad id destinato combures extra sacrarium. Secundo die obmouebis caprum caprinum integrum ad ex-G piandum, expietur'que ara, sicut fuerit expiata tauro. Cum expiationem absolueris, taurum obmouebis bouinum integrum, & arietem ex pecore integrum, eos'que obmouebis Iouæ, & eos conspergent sale sacerdotes, ac Iouę solidos sacrificabunt. Septem diebus facies quotidie piaculari capro, fiet'que tauro bouino, & ariete *Exod. 29.a* ex pecore, integris, per quos septem dies expiabitur ac purificabitur ara, & sacerdotis manus initiabuntur. Peractis diebus, octauo die & deinceps facient sacerdotes in ara uestras solidas uictimas, & pro salute, fauebo'que uobis, inquit Dominus Ioua.

CAPUT XLIIII.

Deinde me reduxit uersus exteriorem sacrarij portam, obuersam Orienti, quæ clausa erat. Et Ioua mihi dixit: Hæc porta erit clausa, nec aperietur, nec hominum quisquam per eam ingredietur: nam per eam Ioua Deus Israelitarum est ingressus, ideo'que clausa futura est. Quod ad principem attinet, princeps in sacrario deget, ut coram Ioua cibum capiat, & per uiam uestibuli ingredietur, ac per eandem exibit. Tum me duxit uersus portam septentrionalem, ad templi frontem, ubi cum repletam Iouæ splendore ædem uiderem, cecidi pronus. Et Ioua sic mecum locutus est: Homo, B adijce animum, & oculis aspice, & auribus audi quicquid ego tibi eloquar de omnibus templi Iouæ institutis atque legibus, & animo aduerte tum ingressum templi, tum omnes exitus sacrarij, & isti contumaci Israelis domui dicito. Sic dicit Dominus Ioua: Esto tandem uobis tot scelerum modus, domus Israelis, qui peregrinos homines, & animo & corpore præputiatos, eò introducitis ut sint in meo sacrario, ædem meam profanando, dum mihi dapem adipe facitis & sanguine, atque ita uiolatur meum fœdus uestris tot sceleribus, neque sacrorum C meorum curam geritis, sed [c] uobis ipsius in sacrario meo posuistis qui disciplinę meæ custodes sint. Sic dicit Dominus Ioua: Nullus alienigena & animo & corpore præputiatus, intrabit in meum sacrarium, quotquot alienigenæ uersantur inter Israelitas. Quinetiam Leuitæ, qui à me recesserunt errantibus Israelitis, qui suos secuti stercoreos diuos à me aberrant, dabunt pœnas, erunt'que in sacrario meo ministri tum eorum quæ ad templi portas procuranda sunt, tum ipsius templi. Iidem populo tum solidas, tum reliquas mactabunt hostias: ijdem illis administrandi gratia apparebunt, quoniam D eis apud ipsorum stercoreos diuos administrāt, et Israelitice domui detrimentoso crimini sunt, hanc ob rem hoc eis confirmo, inquit Dominus Ioua, daturos pœnas: nec accedent ad me, mihi fungentes sacerdotio, & ad omnia mea sacra in sanctius sanctuarium accedentes, sed commissa à se scelera turpiter luent, eosque templi procurationi præficiam, quicquid eius muneris, & quicquid in eo faciendum est. At sacerdotes E Leuitę Sadoco prognati, qui Israelitis à me deerrantibus, seruant sacrarij mei disciplinam, ij ad me, mihi ministrantes, accedent, mihique apparebunt, adipem & sanguinem obmouentes, inquit Dominus Ioua. Iidem & in sacrarium meum ingredientur, & ad mensam meam, mihi administrantes, accedent, ac meam disciplinam conseruabunt. Venturi autem ad interioris atrij portas, induent uestes lineas, nec laneo utentur indumento, cum in interioris atrij portis, aut interius administrabunt. Lineos habebunt in capite pileos, lineis feminalibus ilia uestiti, nec cum sudore succingantur.

c. quos disciplinæ meæ custodes statuistis. uobis statuistis, non mihi. ut uobis, non mihi inseruiant.

De Leuitarũ officio.

Exituri uerò ad atriũ exterius, uidelicet ad populum, exuent sua uestimenta, in quibus administrabunt, & in sacris cœnaculis reponent, aliasq́ uestes induent, ne populum consecrent suis uestimentis.

F

Leuit. 21. c

Neq; caput uerò radent, neq; comam promittent, sed capillos decurtabunt. Neq; uinum bibent ulli sacerdotes in interius atrium intraturi, neque uiduas aut repudiatas ducent uxores, sed uirgines stirpis Israeliticæ domus. Viduas quoq; sacerdotibus uiduatas ducent. Docebunt autem meos quid inter sacrum & profanum differat, monstrabuntq́ discrimen puri & impuri. Iidem cõtrouersijs præerunt, causas meas dijudicabũt, illis ius dicent, & meas leges ac instituta in omnibus meis solennibus custodient, meaq́ Sabbatha sanctè agent, nec obeundis hominum funeribus polluentur, exceptis patre, & matre, & filio, & filia,

G

& fratre, & sorore, quæ uirum non habuerit: in his enim polluentur. Cæterùm post sui purificationem, septem numero dies agent: quo uerò die in sacrum intrabunt in atrium interius, ut in sacro administrent, obmouebunt sui piaculum, inquit Dominus Ioua.

Deut. 18. a
Num 18. c

Habebũt autem pro patrimonio, me patrimonium suum, nec eis possessionem tribuetis inter Israelitas: ego sum eorum possessio. Ferta & piacula, & noxalia comedent, omniáq; apud Israelitas deuota, erunt eorum.

Exod. 22. d

Item omnes omnium primogenitorum primitiæ, omniaq́ omnium exceptitiorum uestrorum exceptitia, erunt sacerdotum, uestrarumq́ frugum primitias dabitis sacerdotibus, ut domi uestræ resideat ubertas.

Leuit. 22. b

Nullo morticino aut rapto, siue ex auibus, siue ex quadrupedibus, uescentur sacerdotes.

CAPUT XLV.

Iouæ honorarium.

CVm autem terræ patrimonium sortiemini, excipietis Iouæ honorarium sacrum ex terra, longitudine uidelicet uigintiquinque [a] millium cubirorũ, latitudine decem millium, quod suis undique finibus erit sacrum. Ex eo quingentorum spacium tum in longitudinem, tum in latitudinem undiq; quadratum, cedet [b] sacro, habens undique quinquaginta cubitorum pomœrium.

a. Habebis huius totius distributionis declaratione cap. 48.
b. fano.

B

Atque ex ista mensura metieris longitudinem uigintiquinq; millium, latitudinem decem millium, & in eo sacrarium erit, sanctius sacrarium. Id sacrum de terra habebũt sacerdotes administri sacrarij, qui accedent administrandum Iouæ, & eum domibus locum, & sacrario sacrarium habebunt. Item uigintiquinque millium cubitorum longitudo, & decem millium latitudo, erit Leuitarum ædis administrorum, qui eam habebunt uiginti cœnaculorum possessionem. Vrbis possessionem ponetis latitudinis quinque millium, longitudinis uigintiquinque millium, secundum sacrum honorarium, quæ sit totius Israeliticæ domus.

C

Princeps autem ex utraque parte sacri excepti, & possessionis urbis, secundum sacrum exceptum, & secundum possessionem urbis, Occidentali parte uersus Occidentẽ, & Orientali parte uersus Orientem, longitudine, secundum unam partium, ab Occidentali termino ad Orientalem, habebit in terra possessionem apud Israelitas, nec grauabũt amplius mei principes meum populum, sed terram Israeliticæ domui tradent pro ipsorum tribubus.

D

Sic dicit Dominus Ioua: Modum tandem facite, principes Israelitarum: iniustitiam & atrocitatem tollite, & ius æquumq́ facite: auferte istas exactiones à meis inquit Dominus Ioua. Trutinam iustam, [c] ephi iustum, batum iustum habete.

De ponderibus & mensuris.
c. aridorũ & liquidorum mensuras.
Exod. 30. b
E
Leuit. 27. c
Num. 3. g

Ephi & bati erit eadẽ ratio, ut ualeat batus decimam cori partem, ephi item decimam cori partem, referenda eorum ratione ad corum. Siclus erit uiginti obolorum. Viginti, & uigintiquinque, & quindecim sicli, ualebũt uobis minam. Hoc autem honorarium excipietis, sextam ephi partem ex coro tritici, itemq́ sextam ephi partem ex coro hordei. Olei modus sic habebit, ut olei batus sit decima cori, decem batis corum facientibus. nam decem batorum corus est. Balantum autem ducentesimum quodq; pecus ex Israelitarum sagina ferto destinabitur, & solido sacrificio, & pro salute, ad supplicandum pro eis, inquit Dominus Ioua. Hoc honorario totus regionis populus fungetur Israelitarũ principi, & ad principem pertinebunt uictimæ, & ferta, & uini libamina in festis, & nouilunijs, & Sabbathis, denique in omnibus domus Israeliticæ solennibus.

F

Is piaculo, is ferto & solidis hostijs & pro salute faciet, pro domo Israelitica supplicando.

De sacrificijs.

Sic dicit Dominus Ioua: Prima die mensis primi sumes taurum boue natum integrum, & expiabis sacrariũ, sumetq́ sacerdos de sanguine piaculi, quo intinget templi postem, & quatuor aræ altaris cornua, postemq́ portæ interioris atrij: itidemq́ facies die mensis septimo [d] de homine qui insciens impudensq́ cõmiserit, proq; templo supplicabitis.

d. hoc est ob hominis causam.

G

Primi mensis die decimoquarto erit uobis Pascha septendiale festum, quo comedentur sine fermento panes, quo die faciet princeps pro se, pro'que omni regionis populo, taurum piacularem. Septem autem festis diebus faciet Iouæ solidum sacrificium septenis tauris, septenisq́ arietib. integris in singulos illos dies septem ac capro caprino quotidie. Fertum autem ephi in singulos tauros, & ephi in singulos arietes faciet, adhibito olei Hine ad singula ephi. Septimi mensis die decimoquinto in [e] festo eadem faciet septem diebus, tum piaculo, tum solido sacrificio, tum ferto, tum oleo.

e. scilicet umbraculorum.

CAPUT XLVI.

SIc dicit Dominus Ioua: Interioris atrij porta spectans Orientem, erit clausa sex diebus profestis: die uerò Sabbathi aperietur, & die nouilunij, ingressusq́ foris princeps uia uestibuli, stabit ad portæ postem, facientq́ sacerdotes eius solidum sacrificium, & pro salute, atque ille Deum ueneratus, ad portæ limen exibit, nec ante uesperum claudetur porta, adorabitq́

rabitq́

B rabitque regionis populus pro foribus illius portæ, in Sabbathis et nouilunijs, Iouam. Solidum autem sacrificium quod Iouæ obmouebit, princeps die Sabbathi, erunt agni sex integri, & aries integer, unà cum ephi ferto ad arietem, & ferto ad agnos, pro eius opibus, adhibito olei Hine ad ephi. Die uerò nouilunij, erit taurus, bos, integer, & sex agni, & aries, integri, facietque fertum ephi ad singulos tauros, & ephi ad arietem, & ad agnos pro facultate sua, adhibito C olei hine ad ephi. Cum autẽ intrabit princeps, intrabit uia uestibuli, eademque uia egredietur. At plebeij cum in Iouæ conspectum solennibus ingredientur, qui uia portæ septentrionalis fuerit ingressus ad adorandum, exibit uia portæ australis: & rursum qui uia portæ australis fuerit ingressus, exibit uia portæ septentrionalis, nec eiusdem portæ uia reuertetur qua fuerit ingressus, sed contraria exibit. Princeps autem inter eos ipsis intrantibus intrabit, & exeunti- D bus exibit, eritque festis & solennibus, fertum ephi ad taurum, & ephi ad arietem, & ad agnos pro eius opibus, adhibito olei hine ad singula ephi. Quòd si faciet princeps uoluntarium solidum sacrificium, aut pro salute uoluntarium Iouæ, aperiet sibi portam obuersam Orienti, facietque suum solidum sacrificium, aut pro salute, quomodo faciet die Sabbathi: deinde exibit, & egressus claudet portam. Cæterùm agnum anniculum integrum Iouæ quotidie faciet soli- E de, idque singulis matutinis, adhibito ad eum ferto singulis matutinis sextæ partis ephi, & olei tertia hinis ad similam miscendam, quod sit Iouæ fertum assiduum, æternis institutis: facientque agno, & ferto, & oleo, singulis matutinis, iuge solidum sacrificium. Sic dicit Dominus Ioua: Si dederit princeps donum cuipiam liberûm suorum, id habebunt eius liberi, quippe eius patrimonium, eritque hæc eorum hæreditaria possessio. Sin autem de suo patrimonio donum de- F derit alicui seruorum suorum, id erit illius usque ad annum libertatis, deinde redibit ad principem, cuius duntaxat patrimonium eius liberi habebunt, nec adimet princeps de plebeiorum patrimonio, sua eos possessione mulctans, sed de sua possessione suis dabit hæreditatẽ liberis, ne quis meorum à sua possessione distrahabatur. Tum me duxit per aditũ, qui erat ad portę latus, ad sacra sacerdotũ cœnacula uersa ad septentriones, ubi cum locus esset in cœnaculorum ultima parte ad Occidẽtem, ille mihi sic dixit: Hic locus est ubi coquent sacerdotes noxalia atque G piacula, ubi etiam ferta coquent, ne efferendo in atrium exterius, plebeios consecrent. Deinde me in atrium exterius eduxit, & ad quatuor atriorum angulos circumduxit. Erant autem in singulis atriorum angulis singula atriola, uidelicet in quatuor angulis, eaque fumosa, longitudine quadragenaria, latitudine tricenaria, eadem eorum quatuor angularium mensura, in quibus quatuor atriolis erant circumquaque mansiones, & sub mansionibus factæ per ambitum culinæ. Atque ille me alloquens: Hæ sunt coquorum domus, inquit, ubi ædis administri coquent populi uictimas.

Principis lex.

Culinæ.

CAPUT XLVII.

Aqua ex templo oriens.

Deinde me reduxit ad ingressum templi, & ecce oriebatur aqua sub templi limine Orientem uersus, quoniam templi frons erat Orientalis, quæ aqua sub templi latere dextro, deferebatur è regione aræ. Cum'que me uia portæ septentrionalis eductum, circumegisset exteriore uia ad exteriorem portam, uia ad Orientem spectante, manabat aqua à latere dextro. Et egressus homo ad Orientem, habens in manu lineam, & mille dimensus cubitos, traiecit me per aquam, quæ aqua ad talos pertingebat. Deinde mensus mille, traduxit me per aquam quæ ad genua pertingebat: & porrò mille mensus, traduxit me aquam quæ ad ilia perueniebat. Cum'que item mensus esset mille, fluuius erat, quem transire non possem, quippe tanta aquæ altitudine, ut tranãda foret, nec posset uado transiri fluuius. B Vidésne homo? inquit ille mihi, me'que iterum duxit ad fluuij ripam. Ac reuersus ego, animaduertebam ad fluuij ripam hinc atque hinc frequentissimas arbores. Et ille: Hæc aqua (inquit mihi) ad orientalem regionem defluens, delata per planiciem, ueniet in [a] lacum, quò cum peruenerit, sanabuntur aquæ, ac quocunque peruenerit fluuius, quodcunque animal ibi natabit, id uiuet, erit'que ingens piscium copia, quippe quò peruenerit hæc aqua, sanabuntur ac uiuent, quocunque peruenerit fluuius. Ita fiet ut [b] eum accolant piscatores, expandendis ab Engaddi usque ad Enaglaim retibus, piscium & uario genere & tanta copia, quanta est maris. Quod ad eius plaudes, & lamas attinet, non sanabuntur, sed in salsuginem redigentur. Cęterùm ad utramque ripam fluuij crescent omnis generis arbores edules, & folijs non deciduis, & fructibus inexhaustis, quæ suis mensibus nouos fructus edent, quippe quarum humor oriatur ex sano, eruntque earum & fructus esui, & folia medicinæ. Sic dicit Dominus Ioua: C Hi sunt fines quibus terræ cernetis hæreditatem in duodecim tribus Israelitarũ, ita ut gemina sit Iosepheorũ sors. Occupabitis autem eam æqua sorte, quam me maioribus uestris daturum esse promiserim, obtingetque uobis ista terra hæreditate. Igitur hi terrę fines erunt parte septentrionali, à mari Hethathalonẽ uersus, quà itur Sedad, Hematha, Berotha, Sabarim, quę est in Damasci Hemathęque cõfinio. Hazer mediũ, quod est Aurani cõfine, eritque terminus à lacu, Hazarenon confine Damasci, [& uergendo in septentriones, confine Hemathæ. Atque hæc quidem de latere septentrionali. D Latus Orientale ab ijs finibus, qui sunt inter Auranem, & Damascum & Galaaditidem, & Israeliticã Iordanensem terrã, ad lacũ Oriẽtalem, metiemini. Hoc erit latus Orientale, Meridianũ latus erit

à Thama

a. scilicet asphaltitis.

b. lacum.

Gen. 48. d

Terræ definitio.

à Thamare, ad Cadensem aquam iurgij fluuius, ad mare. Hoc erit meridianũ latus. Occidentale latus erit mare, ab eo termino, usq; contra quà itur Hematham. Hoc erit Occidentale latus. Istam terram uobis Israelitarum tribubus diuidetis, & hæreditate tum uobis sortiemini, tum degentib. inter uos peregrinis, qui liberos inter uos genuerint, eosq; pro indigenis in Israelitis habebitis, uobiscum sortitos hæreditatem inter Israelitarũ tribus. Ac in qua quisq; tribu peregrinus commorabitur, ibi ei hæreditatem tribuetis, inquit Dominus Ioua.

CAPVT XLVIII.

Terræ distributio in tribus.

CAeterùm hæc sunt tribuum nomina. Ab extremo septentrione, ad Hethaloniæ uiæ uicinitatem, quà itur Hematham, Hazerenane Damasceno, termino septentrionali, ad Hemathæ uicinitatẽ, ita ut Orientale latus sit ei lacus, erit Dania pars una. Daniæ confinis erit, ab Orientali ad Occidentale latus Aseriana una. Aserianę ab Orientali ad Occidentale latus, confinis erit Nephthalensis una. Nephthalensi ab Orientali ad Occidentale latus cõfinis erit Manassensis una. Manassensi ab Orientali & Occidentale latus confinis erit Ephraimitica una. Ephraimiticæ ab Orientali ad Occidentale latus cõfinis erit. Rubenensis una. Rubenensi ab Orientali ad Occidentale latus cõfinis erit Iudæa una. In Iudææ confinio ab Orientali ad Occidentale latus erit quod exceperitis Iouæ honorariũ, longitudine ac latitudine uigintiquinque milliũ, æquale uni partium, ab Orientali latere ad Occidentale pertinens, atq; in eius medio erit fanum. B Erit autem honorariũ, quod Iouę excepietis, longũ uigintiquinq; millia cubitorũ, latum decem millia, quod sacrum honorarium, erit sacerdotum, à septentrione longitudine uigintiquinq; milliũ: ab occasu latitudine decem millium: ab ortu latitudine decem millium: ab austro longitudine uigintiquinq; milliũ. Eius in medio erit Iouę fanum, sacerdotibus cõsecratum Sadoco prognatis, qui meam disciplinam conseruarunt, qui nõ errarunt errantibus Israelitis, quemadmodum errarunt Leuitę. Horũ erit exceptitium ex terræ exceptitio sacrosanctum, apud fines Leuitarũ. Leuitæ aũt secundum sacerdotum fines habebunt longitudinis uigintiquinq; millia, latitudinis decem millia, ut sit omnino longitudo uigintiquinq; millium, latitudo decem milliũ, nec de eo uendent, nec permutabuntur, nec alienabuntur terræ primitiæ, quippe Iouę sacræ. Quinq; autẽ millia in latitudine secundũ uigintiquinq; milliũ longitudinẽ restantia, locus erit profanus urbis, ad habitationẽ, & ad pomœriũ, cuius in medio erit urbs, ita metata, ut septẽtrionali latere, & meridiano, & Orientali, & Occidentali, pateat cubitorũ quaterna millia quingentenos, habeatq; pomœriũ C à septentrione, à meridie, ab Oriẽte, & ab Occidente, ducentenũm quinquagenũm. Eius autẽ quod superererit in longitudine secundũ sacrum exceptitium, uidelicet denũm milliũ ab Oriente, & totidem ab Occidente, quod erit secundũ sacrum exceptitium, eius, inquam, prouentus erit urbis colonis alimento, idq; colent urbis coloni qui erũt ex omnibus Israelitarũ tribubus. In summa exceptitium quod uicenaquina tum in longitudine, tum in latitudine milliũ habeat, quadratum, excipietis, quod partim sacrum sit, partim ad urbis possessionem. Quod autem ab utraq; parte exceptitij sacri, & possessionis urbis, secundũ uigintiquinq; millia passuum restabit, exceptum ad Orientalem Occidentalemq; terminũ, secundũ uigintiquinq; millia, ad Occidentalem terminum, secundum partes, id erit principis, sacrario templi in medio exceptitij sacri posito. Ex Leuitarũ aũt & urbis possessione, quod medium erit inter Iudæos & Beniamiticos fines, id principis erit. Reliquarũ tribuũ ab Orientali latere ad Occidentale partẽ unam habebit Beniamitica. Beniamiticæ confinem D unam habebit ab Orientali ad Occidentale latus Simeonia. Simeoniæ cõfinem unã habebit ab Orientali ad Occidentale latus Issachariana. Issacharianæ cõfinem unam habebit ab Orientali ad Occidentale latus Zabulonia. Zabuloniæ confinem unam habebit ab Orientali ad Occidentale latus Gadina. Ad Gadinorum terminum meridiano latere fines erũt à Thamare Cadensis aquæ iurgij fluuius, ad mare. Hæc terra est cuius hęreditatem sortiemini tribubus Israelitarum, atq; hæ sunt earum partes, inquit Dominus Ioua. Vrbis autem exitus sic habebũt, ut à latere septentrionis pateat quatuor millia quingentos cubitos, urbis portis ab Israelitarum tribubus denominatis, ut sint septentrionales portę tres, una Rubenensis, una Iudęa, et una Leuitica. Latus Orientale erit quatuor millium quingentorum cubitorum, portis tribus, una Iosephea, una Beniamitica, & una Dania. Latus meridianum patebit cubitorum quatuor millia quingentos, portis tribus, una Simeonia, una Issachariana & una Zabulonia. Latus Occidentale habebit quatuor millia quingentos, portas tres, unam Gadinam, unam Aserianam, & unam Nephthalensem. Vrbis circuitus erit cubitorũ duodeuiginti millium: nomen autem urbis deinceps, Iouæ statio.

Verbis exitus.

DANIEL.

CAPVT I.



NNO tertio regni Ioacimi Iudęę regis, adortus Nabuchodonosor Babyloniæ rex Hierosolymã, eam obsedit, & Ioacimo Iudææ rege dãte Domino potitus, est una cum parte uasorum fani in terram [a] Senna

a. Ea est Babylonia.

ram tra-

Danielis educatio.

ſam traduxit, & uaſa in Dei ſui templum illata, in eius fiſcum intulit. Tum Aſphenazo ſpadonum ſuorum magiſtro mandauit, ut ex Iſraelitis adduceret regio & nobili genere ortos iuuenes, omnis uitij expertes, forma præſtantes, omnib. ſcientijs, et diſciplinis eruditos, ac prudentes, nec non uiribus præditos, qui degerent in regis palatio, literasq; & linguam Chaldæã docerentur. Atq; ijs quotidianum uictum ex regio penu, uiniq; potu, rex aſſignauit, ut triennium educarentur: & eo finito, miniſtrarent re-
B gi. In his fuerunt ex Iudæ genere, Daniel, Ananias, Miſael, & Aſarias, quibus nomina impoſuit magiſter ſpadonum, uocauitq; Danielem, Baltaſarem: Ananiam, Sidracum: Miſaelem, Miſacum: Azariam, Abdenagonẽ. Daniel autem in animum induxit, regio cibo et uini potu non inquinari, quod ut liceret, à ſpadonum magiſtro contendit. Spadonum magiſter ad clementiam & miſericordiam erga Danielem diuinitus impulſus, cum eo ſic locutus eſt: Ego
D Dominũ meum regem metuo, qui uobis cibũ potionemq; aſſignauit, ne ſi facies ueſtras animaduerterit triſtiores, quàm ſunt ueſtræ conditionis iuuenũ, in cauſa litis ut à rege capite plectar. At Daniel Malaſarem, quem magiſter ſpadonum Danieli, Ananiæ, Miſaeli, & Azariæ præfecerat, ſic eſt allocutus: Fac quæſo noſtri periculum per decem dies, nobiſq; & legumina ad cibũ, & aquã ad potionem dari iube. Deinde tibi ſpectabuntur & noſtræ facies, & iuuenum qui regio uictu utuntur: ac pro eo quod animaduerteris, agito nobiſcum. Igitur ille eis hac in re obſecutus, eos per decem dies periclitatus eſt: quibus decem diebus præteritis, apparuerunt & forma lætiores, & corpore pinguiores, quàm ulli iuuenũ qui regio uictu utebant.
E Itaq; Malaſar eis cibi uiniq; demenſum detraxit, & legumina dedit. Hos quatuor iuuenes Deus cognitione & prudentia omnium literarum ac doctrinarum donauit, & Danielem omnium uiſorum & ſomniorũ peritum reddidit. Finito tempore, quo rex eos ad ſe iuſſerat adduci, eos ſpadonum magiſter in conſpectum Nabuchodonoſoris adducit: & allocuto eos rege, nullus omniũ inuentus eſt cum Daniele, Anania, Miſaele & Azaria conferendus. Itaq; ij regi adminiſtrarunt. Ac quacunq; eos de re quæ doctrinæ eſſet & ingenij, rex interrogauit, comperit omnibus & coniectoribus & diuinis, qui in uniuerſo eius regno erant, decuplo præſtantiores. Fuit autem Daniel uſq; ad primum Cyri regis annum.

Infra 6. 8

CAPVT II.

De ſtatua quã uidit in ſomnis Nabuchodonoſor.

ANno autem regni ſui ſecundo, ſomniauit rex Nabuchodonoſor ſomnia, quibus cum anxium animum haberet, ei ſomnus excuſſus eſt. Itaq; iuſſit euocari coniectores, hariolos, præſtigiatores, & Chaldæos, qui regi declararent eius ſomnia. Qui poſtquàm uenerunt, & in regijs conſpectu ſteterunt, ſic eos allocutus eſt rex: Somniaui ſomnium, cuius ſomnij cognoſcendi cupiditate anxio ſum animo. Et Chaldæi regi Syriacè ſic dixerunt: Rex in perpetuum uiue: Dic tu tuis nobis ſomnium, & nos quid id ſibi uelit, exponemus. At rex Chaldæis reſpondens: Excidit mihi res, inquit. Quòd niſi mihi & ſomnium & eius ſententiã oſtenderitis, & uos fimus fietis, & ueſtræ domus in latrinas redigentur. Sin autem ſomnium eiusq; ſententiam protuleritis, magna munera & præmia honorem'que accipietis à me. Quapropter ſomnium eiusq; ſententiam explicate.
B At illi rurſum reſpondent: Rex ſomnium nobis eloquatur, nos interpretationem afferemus. Tum rex: Enimuero intelligo ego uos inde occaſionem aucupari, quòd mihi rem uidetis excidiſſe. Quòd niſi mihi ſomnium oſtenditis, eſt profectò uobis una ſententia atq; propoſitum, fallacem peruerſumq; ſermonẽ habere apud me a donec mutetur tempus. Quare ſomnium mihi ediſſerite, ut ſciam uos interpretationem eius afferre poſſe. At Chaldæi ſic regi reſpondent: Nemo eſt in terris, qui rem iſtam, ô rex, poſſit exponere: ſiquidem nullus rex, princeps, aut præſes, talia ab ullo coniectore diuinòue, aut Chaldæo quæſiuit unquam: eſtq; quod tu, rex, rogas, ita difficile, ut nõ ſit alius qui id tibi explicare ualeat, præter deos, quorum non eſt cum mortalibus habitatio. Hac re uehementi ira percitus rex, iuſſit omnes Babylonios ſapientes perdi. Hac pronunciata ſententia, reſtabat ut ſapientes interficerentur, & Daniel eiusq; ſocij quærebantur ad necem. Tunc Daniel de eo **C** conſilio ac decreto Ariochum interrogauit, regium magiſtrum equitum, qui ad interficiendos ſapientes Babylonios exierat, & ex eo regio præfecto quæſiuit, cur tam atrox eſſet à rege ſententia. Cumq; rem ei demonſtraſſet Ariochus, Daniel regem adit: petit ut ſibi tempus det: ſeſe ei interpretationem allaturum. Deinde domum ſe recipit, & Ananiæ, Miſaeli, & Azariæ, ſocijs ſuis, rem aperit, cœleſtiſq; Dei miſericordiam ſuper eo arcano implorant, ne Daniel eiusq; ſocij unà cum reliquis Babyloniæ ſapientibus perirent. Igitur Danieli per nocturnum uiſum patefactũ eſt id arcanum, itaq; cœleſti Deo gratias egit his uerbis: Prædicandum eſt Dei nomen per omnem ſeculorum æternitatẽ, cuius eſt ſapientia atq; uirtus, qui tempora permutat & tempeſtates, qui idem reges & abrogat & creat, idem ſapientes ſapientia, & prudentes donat intelligentia: idem profun- **D** da & abdita patefacit, uidens, quæ ſunt in tenebris, habitante apud eum luce. Tibi, maiorum meorum Deus grates ago: te celebro, qui mihi ſapientiam fortitudinemq; contuleris, & nunc quod à te rogauimus, oſtenderis, regis negotium nobis demonſtrans.

a. ut ira tempus extrahatis, dum ego rem omittam.

Pſal. 113.

Daniel agit Deo gratias.

Igitur profectus Daniel ad Ariochũ, cui rex perimendi Babylonios ſapientes negotium dederat, ab eo petijt ne Babylonios ſapiẽtes interimeret, ſed ſe ad regem duceret, ſeſe ei ſomnij ſententiã declaraturum. Tum Ariochus Danielem con

lem con

lem cõtinuò deducit ad regem, & ei dicit repertum esse ex exulibus Iudæis hominem, qui regi sit interpretationem allaturus. Rex Danielem nomine Baltasarem alloquitur: Túne mihi potes, inquit, & quod uidi somnium, & eius significationem declarare? Et Daniel regi respondens. Quod quæris arcanum, inquit, ô rex, non sapientes, non harioli, non coniectores, non aru

B spices tibi possunt explicare. Verùm est in cœlo patefactor arcanorum Deus qui regi Nabuchodonosori demonstrat quid sit olim futurum. Somnium tuum, & tui capitis cubicularia uisa, sunt hæc. Tu, rex, in cubili tuo in cogitationem uenisti, ecquid posthac futurum esset: & arcanorum declarator tibi futura demonstrat. Mihi uerò (non quidem per sapientiam, qua mortales omnes antecellam) patefactum est id arcanum, ut regi demonstretur ea sententia, & tui cordis cogitata perspicias. Tu, rex, tibi spectare uidebaris magnum quoddam simulachrum, quod simulachrum & magnitudine ingens, & forma excellens, stabat coram te, aspectu terribili. Eius simulachri caput erat ex auro probo: pectus & brachia argentea: uenter & femora ænea: tibiæ ferreæ: pedes partim ferrei, partim cretacei. Interea te spectante, abscissus nullis manibus lapis, simulachri ferreos cretaceos'que pedes percussit, atque contriuit, simul' que contritum est ferrum, creta, æs, argentum atque aurum, & ea uentus, tanquam æstate puluerem ex area, sic sustulit, ne uestigio quidem eorum extante. Lapis autem, qui simulachrum percussit, factus est mons tantus, ut totam terram impleuerit.

Omnij explanatio.

F Hoc est somnium, cuius significationem nos apud te, rex, dicemus. Tu ô rex, regum rex es, cui cœlestis Deus regnum, imperium, potestatem, honorem'que largitus est tantum, ut ubicunque degit hominum, ferarum, pecorum, & aerearum uolucrum genus, omnia sub tuum imperium ditionem'que subiunxerit. Tu caput es aureum. Post te surget aliud regnum tuo deterius, & porrò tertium regnum æreum, quod toto orbe dominabitur. Quartum autem regnum erit durum ut ferrum. Vt enim ferrum omnia conterit atque domat, sic illud, tanquam uiolentum ferrum, omnia illa comminuet ac uiolabit. Quòd autem pedes pedúmque digitos uidisti partim ex argilla fictiles, partim ferreos, regnum dissidens erit, & ex parte ferreum rigorem obtinebit, sicut uidisti ferrum cum argilla figulari mixtum. Quòd aût pedum digiti partim erant ferrei, partim cretacei, regnum ex parte firmum, ex parte fragile futurum est. Quodque ferrum uidisti argillæ figulari mixtum, illi quidem humano semine miscebuntur, sed inter sese non coalescent, quomodo ferrum cretæ permisceri non potest. Istorum autem regnorum temporibus suscitabit

G Deus cœlestis nunquam euertendum regnum, cuius imperium non relinquetur alteri, quod quidem illa omnia regna comminuet ac conficiet, ipsum autem durabit æternum, quemadmodum uidisti de monte abscissum nullis manibus lapidem, qui ferrum, æs, cretam, argentum, aurum'que contriuit. Deus maximus tibi, rex, demonstrat quid sit posthac futurum, estque somnium uerum, & certę significationis. Tum rex Nabuchodonosor Danielem pronus accidit, eumque ueneratus, fertum & odores ei libari iussit, eum huiusmodi uerbis alloquens: Profectò Deus uester, deorum Deus est, regum' que dominator, & arcanorum demonstrator, qui potueris hoc arcanum patefacere. Itaque Danielem amplificauit rex, multisque & magnis donatum muneribus, totius Babylonicæ regionis imperio præfecit, & omnium Babylonię sapientum principem constituit. Daniel uerò à rege obtinuit ut Sidracum, Misacum, et Abdenagonem, præponeret regionis Babylonicæ negotijs, & ipse Daniel in aula uersaretur.

CAPVT III.

G.

ANno undeuigesimo CHAL. fecit Nabuchodonosor rex aureum colossum altitudine cubitorum sexaginta, latitudine sex, eúmque in campo Dura, in Babyloniæ finibus erexit, & satrapas, præfectos, prætores, præsides, tyrannos, optimates, magistratus, denique omnes regionis administratores, congregandos curauit, ut adessent ad colossi dedicationem, quem Nabuchodonosor rex erexisset. Cumque conuenissent satrapæ, præfecti, præsides, tyranni, optimates, magistratus, denique omnes regionis administratores, ad colossi dedicationem, quem rex Nabuchodonosor erexisset, & ante eum colossum starent, pręco clara uoce ita proclamauit: Vobis edicit populi, nationes, atque linguę, ut simulac sonitum audiueritis tubæ, tibię, citharę, sambucæ, psalterij, symphoniæ, omniumque musicorum instrumentorum, procumbatis, & erectum à rege Nabuchodonosore aureum colossum ueneremini. Qui uerò non procubuerit, ac ueneratus fuerit, is euestigio conijcietur in ardentem igne fornacem. Igitur simul ac audiuerunt omnes populi uocem tubæ, tibiæ, citharę, sambucæ, psalterij, symphoniæ, denique omnium musicorum instrumentorum, procidderunt omnes populi, nationes, atque linguæ, aureum uenerãtes colossum à Nabuchodonosore rege erectum. Eodem tempore Nabuchodonosorem regem aggressi quidam Chaldęi, Iudęos apud eum hac oratione accusarunt. Rex in perpetuum uiue. Tu, rex, edictum proposuisti, ut quisquis homo tubæ, tibiæ, citharæ, sambucæ, psalterij, symphonię, denique musicorum omniũ instrumentorum uocem audiuisset, procideret, & aureum ueneraretur colossum: ac qui nõ procidisset ac ueneratus fuisset, eum in ardentem igne fornacem conijciendum esse. Sunt quidam Iudęi, quibus tu Babylonicę regionis procurationem mandasti, Sidracus, Misacus & Abdenago, quos nulla tui, rex, cura tangit: tuos deos B

Nabuchodonosoris colossus.

non

non colunt, nec erectum à te colossum aureum uenerantur. Hic Nabuchodonosor ira ardens, Sidracum, Misacum, & Abdenagonem adduci iubet, adductos'que in suum conspectum homines, alloquitur in hæc uerba: Itáne est, Sidrace, Misace, & Abdenago, ut uos nec meum colatis deum, nec erectum a me colossum aureum ueneremini? Quòd si tamen adhuc protinus audita uoce tubæ, tibiæ, citharæ, sambucæ, psalterij, symphoniæ, musicorumq; omnium instrumentorum procideritis, uenerantes factum à me colossum: sin autem non uenerabimini, confestim in mediam flagrantis ignis fornacem conijciemini. Ecquis uerò Deus est, qui uos eripere possit ex manu mea? At Sidracus, Misacus & Abdenago regi responderunt his uerbis: Non equidem sumus solliciti, quomodo tibi ad rem istam respōdeamus, cum sit eiusmodi Deus is, quem nos colimus, ut possit nos ex incensæ fornacis ardore seruare, & ex tua, ô rex, manu seruaturus sit. Quod etsi non ita esset, scito tamen, rex, nos neque tuos adorare Deos, nec erectum à te colossum aureum uenerari. Tum Nabuchodonosor furore plenus, immutato in Sidracum, Misacum & Abdenagonem uultus colore, iubet fornacem septuplo magis incendi, quàm prius erat accensa: & suorum militum ualentissimis imperat, ut Sidracum, Misacum, & Abdenagonem, uinctos in ardentem igne fornacem immittant.

C Ergo colligati homines cum suis saraballis, tunicis, capitalibus, ac indumentis, coijciuntur in flagrantem igne fornacem, adeò urgente regis mandato, ut cum esset tantopere incensa fornax, homines illos, qui Sidracum, Misacum, & Abdenagonem proijciebāt, flamma ignis extinxerit. At illi tres homines, Sidracus, Misacus, & Abdenago, uincti in ardentem ignis fornacem delapsi, G.L. ambulabant in media flamma, Deum laudātes, Dominumq; celebrantes. Ac stans Azarias, ita precatus est, & in medio igne sic uerba fecit:

Prædicandus es Domine Deus maiorum nostrorum, & laudabile gloriosumq; nomē habes in perpetuum. Nam quicquid nobis fecisti, iustè fecisti: utq; omnia tua facta uera sunt & recti mores, & ueræ sentētiæ sic in omnibus, quæ in nos, inq; sanctam maiorum nostrorum ciuitatem Hierosolymā importasti, uero iure usus es, uere'que & iure hæc omnia, propter peccata nostra inuexisti. Peccauimus enim, & à te nefariè defecimus, & errauimus in omnibus, neque tua præcepta audiuimus, neq; conseruauimus, neq; fecimus, ut nobis præceperas, quo bene nobis esset. Itaq; quęcunq; nobis importasti, quæcunq; nobis fecisti, uerò iure fecisti. Tradidisti autem nos in manus nefariorum hostium, inimicissimorum perfugarum, & regis iniusti, omniumq; qui uisquam sunt in terris deterrimi.

D Nunc nobis hiscere non licet, tuis'que seruis & cultoribus probro sumus & ignominiæ. Noli sanè prorsum prodere nos, tui nominis gratia: ne uiola pactum tuum, néue misericordiam tuam à nobis aufer, Abrahami gratia dilecti tui, & Isaaci cultoris tui, sancti'que tui Israelis: quibus pollicitus es te stirpem eorum ad cœlestium siderum, arenæ'que litoris marini numerum amplificaturum. Etenim, ô Domine, nos sumus infra gentes omnes, & hodie toto orbe abiectissimi, propter peccata nostra: nec est nobis hac tempestate princeps, aut uates, aut gubernator: non res diuina, non sacrificium, non libatio, non suffitio, non tibi fruges libandi locus & misericordiam obtinendi. Verùm patere ut animo fracto, abiecta'que mente litemus, pro arietum taurorum'que uictimis: ac pro multis opimorum agnorum millibus habeatur apud te hodiernum nostrum sacrificium, & officium erga te, cui confidentes non frustrantur. Igitur te toto animo sequentes reueremur, tuumq; conspectum requirimus. Ne nos frustrare, sed utere erga nos tua clementia & misericordia singulari, & nos (ut es mirificus) libera, atque eam tuo nomini gloriam concilia, Domine, ut confutentur omnes qui tuos malis afficiunt: omniq; ui & potentia frustrentur, & eorum frangatur potestas, ut intelligatur Dominum esse te, Deum solum, totó que orbe gloriosum. ¶ Non desinebant autem E regis ministri, qui eos iniecerant, caminum naphtha, pice, stuppa, sarmentis'que succendere, ita ut flamma in nouem & quadraginta cubitos supra caminum diffusa ac euagata, cremauerit quos Chaldæorum nacta est circum caminum. Genius autem Domini descenderat unà cum Azaria & socijs, in caminum, & disiecta ex camino flamma ignis, mediam caminum roseo & leniter spirante uento refrigerauerat, ita ut eos ignis nec attingeret, nec læderet, aut offenderet. Tunc illi tres Deum uno ore celebrare, prædicare, collaudare cœperunt, in camino, his uerbis:

Prædicandus es Domine Deus maiorū nostrorum, & laude extollendus immortali. *Trium iuuenum carmen.*

Prædicandū est gloriosum tuum sanctumq; nomen, & laude extollendum immortali.

Prædicandus es in sacræ tuæ gloriæ fano, & summa immortalique cōmendatione dignus, & gloria.

Prædicandus es qui Cherubis insidens, profunda cernis, & summa æternaq; commendatione efferendus.

Prædicandus es in glorioso regni tui solio, summáque & æterna commendatione dignus. & gloria.

Prædicandus es in æthere cœlesti, & summa æternaq; commendatione dignus, & gloria.

prædicate omnia opera Domini Dominū, & æterna commendatione extollite.

Prædicate cœli Domini Dominum, & æterna commendatione extollite. *Psalm.148.4*

Prædicate Genij Domini Dominum, & æterna commendatione extollite

Prędicate omnes aquę cœlestes Dominum,

& æterna commendatione extollite.

Prædicate omnes Domini potestates Dominum, & æterna commendatione extollite.

Prædicate sol & luna Dominum, & æterna commendatione extollite.

Prædicate cœlestia sidera Dominum, & æterna commendatione extollite.

Prædicate omnis imber & ros Dominum, & æterna commendatione extollite.

Prædicate omnes spiritus Dominum, & æterna commendatione extollite.

Prædicate ignis & ardor Dominum, & ęterna commendatione extollite.

Prædicate rores & pruinæ Dominum, & æterna commendatione extollite.

F Prædicate noctes diesq́ Dominum, & æterna commendatione extollite.

Prædicate lumen tenebræq́ Dominum, & æterna commendatione extollite.

Prædicate gelu frigusq́ Dominum, & æterna commendatione extollite.

Prædicate glacies niuesq́ Dominum, & ęterna commendatione extollite.

Prædicate fulgura nubesq́ Dominum, & æterna commendatione extollite.

Prædicet terra Dominum, & æterna commendatione extollat.

Prædicate montes & colles Dominum, & æterna commendatione extollite.

Prædicate omnia ex terra nascentia Dominum, & æterna commendatione extollite.

Prædicate fontes Dominum, & ęterna commendatione extollite.

Prædicate mare fluuijq́ Dominum, & æterna commendatione extollite.

Prædicate cete omnia que in aquis mouentia Dominum, & æterna commendatione extollite.

Prædicate omnes uolucres aereæ Dominũ, & æterna commendatione extollite.

Prædicate omnes bestiæ pecoraq́ Dominũ, & æterna commendatione extollite.

Prædicate hominum genus Dominum, & æterna commendatione extollite.

Prędicent Israelitæ Dominũ, & æterna commendatione extollant.

Prædicate Domini sacerdotes Dominum, & æterna commendatione extollite.

Prædicate Domini cultores Dominum, & æterna commendatione extollite.

Prædicate iustorum mentes animiq́ Dominum, & æterna commendatione extollite.

Prędicate sancti animo humiles Dominum, & æterna commendatione extollite.

Prædicate Anania, Azaria, Misael Dominum, & æterna commendatione extollite.

Quoniam eripit nos ex Orco, et à mortis iniuria tuetur, exq́ media camino, ardente flāma, medioq́ igne liberat.

Gratias agite Domino, qui bonus, qui æterna est clementia.

Prædicate omnes Domini cultores, deorum Deum, eumq́ commendantes, ei gratias agite, cuius clementia duret in omnia secula.

CHAL. Tunc rex Nabuchodonosor attonitus, repentè surgit, & proceribus suis dicit: G Nónne tres uiros, constrictos in ignem coniecimus? Verum, inquiunt illi regi respondentes. Atqui ego uideo quatuor, inquit, uiros solutos per mediam ambulātes fornacem illæsos, quorum quartus formam habet Deo nati similem. Deinde accessit Nabuchodonosor ad incensæ fornacis pręfurnium, &, O Sidrace, inquit, Misace & Abdenago, supremi Dei cultores, prodite & uenite. Tunc prodierunt Sidracus, Misacus, & Abdenago, ex igne, cum quidem congregati satrapæ, præfecti, prætores, consiliarij que regis, homines illos spectarent, in quorum corpora nullam uim habuisset ignis, ne capillo quidem capitis adusto, integris saraballis, & ab ignis afflatu intactis. Igitur Nabuchodonosor ita locutus est: Ago Sidraci, Misaci, & Abdenagonis Deo gratias, qui misso genio suo liberauerit sui cultores, qui eo confisi, regis dictum fecerunt irritum, suaq́ corpora dederunt, ne cui Deo, præterquàm suo, ullum cultum aut honorem haberent. Atque à me decretum proponitur, ut qui, cuiuscunque sit populi, nationis aut linguæ, de Sidraci, Misaci, & Abdenagonis Deo maledixerit, is fimus fiat, eiúsque domus in latrinam redigatur, quandoquidem non est alius Deus, qui possit ita liberare. Deinde rex Sidracum, Misacum, & Abdenagonem in regione Babyloniæ auxit, G. & omnibus Iudæis, quotquot erant in eius regno, præsidere iussit.

CAPUT IIII.

CHALD.

De Nabuchodonosore in brutã naturam mutato.

NAbuchodonosor rex omnibus omnium linguarum populis & nationibus, toto orbe degentibus, salutem plurimam dicit: Prodigia ac miracula, quæ in me supremus fecit Deus, uisum est mihi declarare, quòd eius Dei adeò multa prodigia, adeoq́ ingentia sint miracula, eiusq́ regnum sempiternum regnum sit, & imperium per secula perennet.

Ego Nabuchodonosor, cum domi meæ, cum in meo palatio feliciter florerem, somnium uidi, quo equidem territus sum, & cubicularibus meis cogitationibus, capitisq́ mei uisionibus perturbatus. Itaque mandatum dedi ut ad me sisterentur omnes Babyloniæ sapientes, qui mihi somnij significationem ostenderent. Cumq́ coniectores, harioli, Chaldæi, aruspices conuenissent, eis somnium retuli: sed eius significationem mihi non demonstrarunt. Postremò uenit ad me Daniel, qui secundum Dei mei nomen Baltasar appellatur, sanctorum deorum spiritu præditus, ad quem somnium detuli. Baltasar coniectorum princeps, quem ego scio sanctorum spiritu deorum esse præditum, nec quicquam esse tam obscurum, quod tibi negotium exhibeat, accipe quæ ego uisa per somniũ uiderim, & somnij sententiam eloquere.

quere. Sunt autem mei capitis cubicularia uisa huiusmodi. Videbar mihi uidere in media terra,
B
magnæ proceritatis arborem, quæ arbor adeò creuit & roborata est, ut fastigio cœlum attingeret, ad extremum totius orbis conspicua, pulchras frondes, copiosum fructum, & omnibus alimentum habens. Sub ea terrestres habitabant bestiæ, eius in ramis aereæ nidulabantur aues, ea'que uescebantur mortales omnes. Hanc dum ego per mei capitis cubicularia uisa aspicio, ecce uigil & sanctus de cœlo descendit. qui uehemẽter clamauit, & ita dixit:[a] Excidite arborem: eius ramos detrũcate: frondes excutite: dispergite fructum: discedant quæ sub ea sunt bestiæ, & ex eius ramis uolucres: tantum eius radicum stirpem relinquite in terra, ferreoque & æreo colligatus uinculo, in herbida terra cœlesti rore tingatur, & eandem cum pecoribus sortem in graminoso solo perferat, humano priuatus, &
C
bruto præditus animo, atque ita septem [b] tempora transigat. Hæc res decreto uigilum, hæc rogatio pronunciatione sanctorum perlata est, id'que eo consilio, ut sciant mortales Supremum illum in hominum regno dominari, & id cui ipsi uisum sit, tradere, ei'que uel infimum hominum præficere. Hoc somnium uidi ego rex Nabuchodonosor: tu uerò, Baltasar, interpretationem edissere, quandoquidem omnes regni mei sapientes mihi significationem eius non potuerunt ostendere. At tu potes, quippe sanctorum afflatu deorum præditus. Tunc Daniel, nomine Baltasar, circiter unam horam, mente conturbatus, tacuit. Et rex: Noli, inquit, somnio, Baltasar, & eius significatione perturbari. At Baltasar: Ah domine, inquit, somnium, eius'que significationem, tuis inimicis & hostibus imprecor. Quam tu arborem uidisti, quæ adeò
D
creuit atque conualuit, ut fastigio pertingeret ad cœlum, toto orbe conspicua, pulchra fronde, copioso fructu, ferens omnibus alimentum, sub qua bestiæ degebant terrestres, & in eius ramis aereæ habitabant uolucres, tute es, ô rex, qui tanto incremento corroboratus es, ut tanta ista magnitudo ad cœlum, imperium autem ad ultimum orbem pertineat. Quod autem uidisti, rex, uigilem & sanctum de cœlo descendere, qui iussit arborem excidi atque euerti (relicta tamen eius radicum stirpe in terra) ac ferro atque ære uinctum, in herboso solo cœlesti rore tingi, & eiusdem cum bestijs terrestrib. esse sortis, donec septem peregisset tempora, hæc est declaratio, rex, & Supremi sententia, quæ in te domine
E
rex, competit. Tu ex hominibus depulsus, uersaberis inter bestias terrestres, herbis'que boum ritu, pascẽris, & cœlesti rore tingẽris, atque ita septem perages tempora, donec intelligas Supremum in hominum regno dominari, & id cui uelit tradere. Quod autem iussum est ut stirps radicum arboris relinqueretur, tuum tibi regnum manebit, postquàm cœlestem recognoueris potentiam. Quocirca, rex, ô mi rex uelis peccata culpas'que tuas, benignitate & erga inopes beneficentia redimere, si fortè tuæ saluti consulatur. Hæc omnia Nabuchodonosori regi contigerunt. Præteritis enim duodecim mensibus, in regio Babylonis palatio deambulans rex, ita locutus est: Nempe hæc est magna Babylon, quam ego, ut mihi regni domus, & maiestatis decus esset, ualidis opibus construxi. Adhuc orationem habebat rex in ore,
B
cum uox de cœlo delapsa est: Tibi dicitur, ô Nabuchodonosor rex: tu regno exactus, & ex hominibus depulsus, cum bestijs agrestibus deges, herbis'que ritu boum pasceris, donec transactis temporibus septem, recognoscas supremũ in hominũ regno dominari, & id cui libeat tradere. Eodem momento contigit ea res Nabuchodonosori, ex hominibus'que depulsus, herbas more boum comedit, eius'que corpus cœlesti rore tinctum est, adeò ut ei & pili ut [c] aquilis, & ungues ut alitibus increuerint. Exacto spacio, ego Nabuchodonosor, sublatis in cœlum oculis, in mentem redij, & Supremum illum
G
atque immortalem gratiarum actione, laudibus, et honore sum prosecutus, cuius imperium, sempiternum imperium est, cuius regnum perpetuis durat ætatibus, ad quem uniuersi terrarum incolæ nihil sunt, qui arbitratu suo & cœlesti exercitu, & terræ habitatoribus utitur, nec est quisquam qui eius manum impediat, aut ab eo facti rationem exigat. Eo tempore mens mihi reddita, & gloriosa regni maiestas, unà cum
D
pristina forma restituta est, atque à meis consiliarijs ac primatibus conquisitus, in regnum repositus sum, & dignitate auctus. Quare ego Nabuchodonosor, cœli regem laudo, extollo, honoro, cuius opera & facta omnia uera æqua'que sunt, qui'que superbè se gerentes potest deprimere.

[a] Hoc est excidatur &c.

[b] annos.

Infrà 5.f

Eccl. 3.d

[c] scilicet crescunt plumæ.

Infrà 7.d

CAPUT V.

De manu quam uidit Balsasar scribere in pariete.

Balsasar rex mille suis proceribus lautum conuiuium habuit, & apud eos uino potus, iussit inter pocula proferri aurea argentea'que uasa, quæ eius auus Nabuchodonosor ex Hierosolymitano fano deportauerat, in quibus biberent rex, eius'que proceres, & uxores, atque concubinæ. Itaque adferuntur uasa aurea, quæ ex Hierosolymitano delubro fuerant translata, & in eis potat rex, unà cum suis proceribus, & uxoribus, ac concubinis. Atque inter potandum uinum, cum aureos, argenteos, æreos, ferreos, ligneos, lapideosq; laudarent diuos, repentè extiterunt humanæ manus digiti, & apud candelabrum in tectorio parietis regij palatij scripserunt, ipso rege scribentem manum summam inspectante. Itaque
B
[a] mutauit colorem rex, adeò'que mente perturbatus est, ut eneruatis lateribus, genua eius inuicem confligerent. Ergo magna uoce iussit accersi diuinos, & Chaldæos, & aruspices, eis'que Babyloniæ sapientibus hoc pronunciauit, quisquis scriptũ illud legisset, eius'q; fecisset explana-

[a] expalluit.

explanationem, eum purpura uestitum iri, auream'que torquem in collo gestaturum, & tertium in regno dominaturum. Sed cum conuenissent omnes regij sapientes, scriptum legere, aut quid id sibi uellet, regi ostendere nequiuerunt. Qua re uehementer perturbatus rex Balsasar, colorem mutauit, eius quoque proceribus attonitis. Ob hoc regis & procerum negotium, re-
C gina in cœnationem ingressa, sic loquitur: Rex in perpetuum uiue. Noli mente perturbari, coloreḿue mutare. Vir est in regno tuo sanctorum afflatu deorum instinctus, cuius præclara peritia, & diuina plane sapientia, tempore aui tui comperta fuit, quem quidem rex Nabuchodonosor auus tuus, ô rex, coniectorum, diuinorum, Chaldæorum, aruspicum'que magistrum constituit, quod eum Danielem (cui auus tuus Baltasari nomen imposuit) compertum esset in somnijs interpretandis obscuris'que explicandis, & ambiguis enodandis, ingenij esse, scientiæ'que & peritiæ singularis. Quapropter euocetur Daniel, qui proferat interpretationem. Tum Daniel ad regem sistitur, eum'que rex affa-
D tur his uerbis: Tu es ille Daniel ex exulibus Iudæis, quos auus meus rex ex Iudæa transtulit. Audio te à sanctis afflatum dijs, compertum esse præclaræ peritiæ, excellentis'que sapientię. Nam sapientes quidem harioli, qui ad me adducti sunt, ut mihi scriptum hoc legerent, ac interpretando enuclearent, nō potuerunt rei significationem explanare. Te autem audio sententias declarare, & ambigua enodare posse. Quāobrem si mihi scriptum legere, & interpretando euoluere potueris, purpura uestieris, & in collo torquem habebis auream, ac tertius in regno dominaberis. Tum Daniel regi sic respon-
E dit: Tua tibi dona & munera habeto, aut in alios conferto: tamen scriptum tibi, rex, legam, & interpretatione illustrabo. Nabuchodonosori auo tuo, ô rex, supremus Deus tantam regni magnitudinem, tantæ'que maiestatis gloriam largitus erat, ut præ ea magnitudine, quam ei ille tribuerat, omnes eum omnium linguarum populi atque nationes trepidè metuerent, quippe qui quem uellet, occideret: quem uellet, cæderet: quem uellet, efferret: quem uellet, deprimeret. Sed cum elatus animo, spiritu superbo insolesceret, de regni sui solio deturba-
F tus est, & dignitate priuatus, ac ex hominum
Suprà 4.e consortio exactus, eundem cum bestijs animum habuit, & cum onagris habitauit, herbis'que boum more pastus, rore cœlesti tinctum corpus habuit, donec cognouit dominari supremum Deum, in hominum regno, & ei pręficere quem uelit. Tu quoque eius nepos Balsasar, non animum summisisti, cum tamen hæc scires omnia: ac contra cœli Dominum superbiens, eius templi uasa tibi apponenda curasti, in quibus tu, tui'que proceres, & uxores ac concubinæ, uinum potastis, argenteos'que, & aureos, & æreos, & ferreos, & ligneos, & lapideos (qui nec uident, nec audiunt, nec intelligunt) prædicastis deos, cum Deo (cuius in manu tua anima & actiones omnes sunt) non habueris honorem. Itaque ab eo missa est hæc summa manus, quæ scriptum hoc exarauit, quod quidem exaratum
G scriptum sic habet: MENSVS EST, MENSVS EST, PONDERAVIT, ET DIVISIT. Cuius rei sententia est hæc: MENSVS EST: mensus est Deus tuum regnum, idq́ consummauit: PONDERAVIT: ponderatus es in trutina, & inuentus leuior. DIVISIT: Diuisum est tuum regnum, & Medis Persisq́ traditum. Tum iussit Balsasar Danielem purpura uestiri, eiusq́ collum aureo torque indui, ac eum tertium in regno principem proclamari. Eadem nocte occisus est Balsasar Chaldęorū rex, eiusq́ regnum occupauit Darius Medus, annos duos & sexaginta natus.

CAPVT VI.

De Daniele per inuidiam ad leones proiecto.

VIsum est Dario centum uiginti satrapas regno præficere, qui toti regno præessent, eis'que tres præponere præsides, quorum unus fuit Daniel, ad quos illi satrapæ rationes referrent, ne rex prægrauaretur. Excellebat autem is Daniel præsides atque satrapas, quippe ingenio præstans: itaque fecit rex, ut eum toti regno præficeret. Quamobrem præsides crimen aliquod quærebant, quod Daniel in administratione regni commisisset. Verum cum nullum crimen aut culpam inuenire possent, quippe qui integrior esset, quàm ut ullum facinus aut culpa in eo deprehenderetur, rationem comminiscuntur, qua Danielem illum, si nulla alia
B in re, saltem in eius Dei religione criminarentur. Itaque regem simul adorti præsides & satrapæ, sic alloquuntur: Dari rex in perpetuum uiue. Statuerunt omnes regni pręsides, pręfecti, satrapæ, consiliarij & prætores decreto regio & lege sanciendum esse, ut quisquis rem ullam ab ullo uel deorum, uel hominum, (præterquàm à te, rex) per triginta dies petiuerit, is conijciatur in specum leonum. Quapropter, rex, confirma decretum, & libellos sanci, ita ut quemadmodum fert irreuocabilis Medorum Persarum'que lex, rescindi non possit. Ita rex Da-
C rius scriptum decretúmque sancit. Quod scriptum Daniel ubi sancitum cognouit, in domum suam se confert, & aperta conclauis sui fenestra Hierosolymam uersus, ter quotidie flexis genibus Deum collaudat, ac orans celebrat, ut antea solitus erat facere. Tum homines illi congregati, cum orantem Danielem, ac Deo suo supplicantem, deprehendissent, regem conueniunt, & cum eo de regio decreto sic agunt: Nónne decreto sanxisti, ut quisquis homo rem ullam ab ullo uel Deo uel homine (præterquam à te, rex) per triginta dies petijsset, is conijceretur in leonum specum? Et rex, Vera res est, inquit, idque Medorum & Persarum lege irreuocabi-
D li. Tum illi, Daniel (inquiunt regi) qui est ex exulibus Iudæis, nullam neque tui, neque sancitā

citā

citi à te decreti rationem habens, ter in die precibus orat. His uerbis auditis, magno inde dolore affectus rex, animum ad Danielem liberandum adiecit, & de eo eripiendo ad occasum usque solis laborauit. Sed homines ad regem congregati, demonstrant Medorum Persarum'que institutum esse, ut omne regis decretum atque statutum ratum esset ac immutabile. E Igitur rex Danielem adduci, & in leonum specum iubet coniici, cum his uerbis prosequens: Deus tuus, quem tu assiduè colis, te tueatur. Deinde affertur saxum: & speluncæ ostio admouetur, ac regis procerum'que anulis obsignatur, ne quod de Daniele placitum erat, impediretur. Deinde in regiam profectus rex mansit incœnatus, nullis adhibitis fidibus, caruit'que somno. Mane autem diluculo surrexit, & festinanter ad leonum speluncam se contulit: & ad eam propinquans, Danielem tristi uoce clamauit his uerbis: O' Daniel, uiuentis Dei cultor, potuítne te Deus iste tuus, quem tu perpetuò coluisti, à leonibus defendere? Et F Daniel cum rege loquens, Rex in perpetuum uiue, inquit. *1.Mach.2.f* Deus misso genio suo, ora leonum obstruxit, ita ut me non læserint, quoniam & erga eum innocens inuentus sum, nec aduersum te quidem, rex, scelus commisi. Tum rex ingenti inde lætitia affectus, Danielem ex specu iussit extrahi: quo extracto, nulla in eo extitit læsio, utpote qui Deo suo confidisset. Deinde iussit rex homines adduci, qui crimen in Danielem conflauerant, & in leonum antrum unà cum ipsorum liberis ac uxoribus, coniici: quos antequàm antri solum contigissent, leones corripuerunt, eorum'que membra comminuerunt omnia. G Deinde Darius rex ad omnes omnium linguarum populos ac nationes, qui toto orbe degerent, ita scripsit: Saluete plurimum. Edictum à me ponitur, ut in uniuersa regni mei ditione, terrori sit & formidini Danielis Deus, qui Deus est uiuens, æternum'que durans, regnum imperditum, & dominatum habens infinitum, conseruator, liberator, ostentorum & miraculorum tum in cœlo, tum in terra effector, qui Danielem defenderit ab iniuria leonum. *Suprà 1.d* Floruit autem is Daniel regnante Dario & Cyro Persa.

CAPVT VII.

De quatuor animalibus quæ uidit Daniel.

ANno Balsasaris Babyloniæ regis primo, cum Daniel per cubicularia sui capitis uisa somnium uidisset, scripsit id somnium, cuius orationis initium hoc erit: Loquitur Daniel in hunc modum: Ego per nocturna uisa mihi uisus sum quatuor uidere cœli uentos, in uasto mari ruentes, & quatuor ingentia animalia ex mari existere, inter se dissimilia. Eorum primum simile erat leoni, aquilinis alis, quibus eius alis interea spectante me reuulsis, ipsum sublatum est ex terra, & in pedes tanquam homo constitit, humana mente donatum. Ecce autem aliud animal secundum, urso simile, constituit una ex parte, habens in ore tres costas inter dentes, quæ sic ei dicebant: Agedum, comede carnem affatim. B Deinde spectante me ecce aliud animal pardi simile, quod animal habebat in dorso quatuor alas uolucres, & quatuor habebat capita, ei'que datum est imperium. Postea animaduerti per nocturna uisa quartum animal, terrificum, horribile, ac prævalidum, dentibus ferreis, magnis, comedens ac comminuens, & reliquum pedibus conculcans, id'que omnia excellens animalia superiora, habens decem cornua. Ea cornua dum ego contemplor, C ecce aliud paruulum cornu extitit inter ea, à quo tria ex superioribus cornibus deiecta sunt. Erant autem in eo cornu, oculi quales humani, & os grandiloquum, G. atque id cornu bellum contra sanctos gerebat. H. Interea spectante me positis sellis, sedit LONGAEVVS, *Longæuus.* ueste niuis in morem candida, capillo capitis nitidæ lanæ simili: cuius solium erant igneæ flammæ, rotæ autem flagrans ignis. *Apoc.5.d* Ab eo manans proficiscebatur igneus fluuius, ei'que ministrabant decies centena millia, & in eius conspectu stabant millies centena millia, D dato'que iudicio aperti sunt libri. Ac dum ego specto, ob tam magniloquam uerborum uocem, quæ cornu illud faciebat, spectante me peremptum est animal, eius'que contrucidatum corpus, igni traditum est ad cremandum. Cætera autem animalia sua potestate priuata sunt, concesso eis certo æui & temporis uiuendi spacio. Spectabam per nocturna uisa, cum in nubibus aereis tanquam [a] hominis filius ueniebat, *a. hoc est homo.* qui ad Longæuum peruenit, in eius conspectum adductus. Atque ei tanta potestas, dignitas, regnum datum est, ut omnes omnium linguarum populi ac nationes eum colerent, æterna, ac immutabili potestate, imperdito'que regno præditum. *Luc.1.c Mich.4.e Suprà 2.g & 4.g* Hic ego Daniel, uix animi compos (tanta fuit rationis uisa illa contuentis perturbatio) E accessi ad unum ex astantibus, & ex eo quæsiui illorum omnium ueritatem, quam ille mihi dixit, & rei sententiam demonstrauit. Animalia hæc quæ sunt quatuor, inquit, quatuor reges sunt, qui in terris existent. Deinde occupabunt [b] supremi sancti regnum, et regnum obtinebunt in omnem seculorum perennitatem. *b. Israelitæ, hoc est Christiani.* Tum mihi libuit ueritatem exquirere animalis quarti, omnium illorum præstantissimi, tam terribilis, ferreis dentibus, unguibus æneis, quod minutatim comedebat, & reliquum pedibus obterebat. Item de decem in capite cornibus, ac de alio cornu, quod succreuerat, à quo deiecta fuerant tria, quod quidem cornu oculos habebat, F & os grandiloquum, erat'que maioris quàm cætera staturæ, quod cornu spectante me cum sanctis prælium gerebat, eos'que superabat, donec uenit Longæuus, & iudicium sanctis supremis datum est, uenit'que tempus quo regnum tenuere sancti. Atqui ille: Quartum animal, inquit, quartum regnum est, futu- *Imperium Romanum*

rum in terra, quod omnium regnorum potentissimum, totum orbem conficiet, contundet, atque conteret. Decem autem cornua, decem reges sunt, qui ex eo regno existent, post quos surget alius, qui superiores antecellens, tres reges deprimet, uerba contra Supremum faciet, supremos sanctos subiget, & tempora legem'que mutare cogitabit, illis ei in potestatem traditis ad tempus & tempora & dimidium temporis. Sed iudicio dato, potestate priuabitur, euersus'que peribit funditus, atque ita imperij, quod toti cœlo subiacet, regnum, potestas, amplitudo tradetur supremorum sanctorum populo, cuius regnum erit æternum regnum, quémque potestates omnes colent, ac ei obedient. Hactenus finem habet oratio. Ego Daniel mente admodum perturbatus, & colore immutatus, orationem tradidi memoriæ.

G

Luc. 1. c

CAPVT VIII.

ANno Balsasaris regis tertio, apparuit mihi Danieli uisum, post illud quod mihi apparuerat principio, quod quidem huiusmodi uidi. Cum essem Susis in arce, quæ est in Elamitide prouincia, uisus sum mihi per uisum (cum quidem essem ad Eulæum fluuium) cernere [a] arietem unum stantem ante fluuium, habentem duo cornua sublimia, quorum alterum altero sublimius erat, quod sublime posterius creuit. Eum arietem uidebam ad Occidentem, ad septentriones, & ad meridiem arietare, ita ut nullum animalium ei resisteret, nec esset qui contra uim eius defenderet, quo minus arbitratu suo ageret, ac magnus euaderet. Interea considerante me, ecce caprinus hircus, qui ab Occidente ita peruadebat omnem terram, ut terram non attingeret, is'que [b] cornu habens inter oculos conspicuum. Is [c] illum cornutum arietem adortus, quem ego ante flumen stantem uideram, in eum efferatis uiribus incurrit, ac uidente me, cum ariete congressus, in eum ita desæuijt, ut eum uicerit, & ei ambo cornua fregerit, cum aries ad obsistendum ei uires non haberet, & humi prostratum conculcauit arietem, non habentem à quo contra eius uires defenderetur. Ita creuit caprinus hircus mirum in moeum: atque ubi inualuit, fractum est illud ingens cornu, cuius loco succreuerunt [d] quatuor eminentia cornua, quatuor cœli plagas spectantia, ex quorum uno ortum est [e] unum exiguum, quod in austrum atque Occidentem, & in [f] nobilitatem mirum in modum increuit, auctum'que in [g] cœlestes copias, de copijs de'que stellis pessundedit ac proculcauit, & in copiarum [h] ducem eousque insoleuit, ut ab eo sublatum sit [i] perenne, illius'que sacrarij prostrata sedes. Est autem datum certum spacium expiandi perennis, quo spacio illud cornu humi prostrata ueritate, ageret prospere. Audiui enim loquentem unum sanctum, qui sanctus loquentem quendam interrogabat, quousque fatale esset perenne inexpiatum in calamitate esse, factum'que & copias proculcari. Atque ille mihi ita dixit: Ad uesperomatutina bis mille & trecenta. Deinde expiabitur sacrum. Id uisum cum ego Daniel cernens, intelligentiam quærerem, ecce astitit contra me quasi quædam uiri species, audiui'que hominis uocem, inter Eulæum his uerbis clamantem: Gabriel, doce hunc de spectro. Atque ille ad eum locum uenit, ubi ego stabam, cuius aduentu perterritus, cum pronus cecidissem, ille mihi dixit ita: Attende homo tu: nam ad ultimum tempus pertinet oraculum. Interea illo mecum loquente, ego humi pronus sopiebar. At ille me tãgẽs, erexit in uestigia, atque ita dixit: Ego te iam docebo quid sit extremo supplicio futurum. nam hoc ad ultimum tempus pertinet. Aries ille cornutus quem uidisti, reges sunt Mediæ atque Persiæ. Hircus caprinus, est Græciæ rex. Cornu ingens, quod est inter eius oculos, est [b] primus rex. Quod autem eo fracto, quatuor eius loco cõstituerũt, regna quatuor ex ea gẽte existent, sed illi uiribus imparia. Sub extremum autem regni illorum, [c] sontibus consummatis, existet in humanis & ænigmatum peritus rex, qui uiribus confirmatus (non tamen illi paribus) mira edet funera, & successu utetur secundo, fortes populum'que sanctorum depopulans, ac ingenij acumine ad dolos, & quidem prospere utens, animoque insolens, multos fortunatos peruertet, & contra principem principum stans, nulla manu frangetur. Illud quoque de uesperomatutinis uisionis effatum uerum est. Tu oraculum conclude, quippe quod sit [d] diuturnitatis. Ego uerò Daniel debilitatus, ægrotaui dies aliquot: atque ubi conualui, ad regia me negocia contuli, attonitus uisione non intellecta.

a. Medorũ & Persarũ imperium, in quo Persarũ est potentius.
B
b. Alexãder Magnus. c. Darium.
C
d. regna Syriæ, Aegypti, Asiæ, & Græciæ. e. Antiochus Epiphanes. 1. Macr. 1. Iosep. 12. Ant. 7. f. Sionem. g. Israelitas. h Deum. i. scilicet sacrificium.
D
E
Infrà 9. f
F
b. Alexãder Magnus.
c. cumerũt peccata perfecta, ideoque puniẽda.
G
d. olim futurum.

CAPVT IX.

ANno primo regni Darij, Assueri filij, Medo genere nati, qui in Chaldæorum regno imperauit, ego Daniel, cum aduertissem in literis annorum numerum, per quos duraturam esse Hierosolymæ calamitatem Ioua Ieremiæ uati prædixerat, uidelicet annorum septuaginta, ad Dominum Deum me conuerti, cum precibus suppliciter, usus ieiunio, centone, ac puluere, implorans, ac Iouam Deum meum, peccata confitens, precatus sum his uerbis:

Iere 25. c & 29. c

O Domine Deus magne & metuende, qui pactum clementiam'que seruas erga tui amantes, & tua præcepta seruantes: peccauimus, culpam commisimus, impiè & contumaciter à tuis præceptis & institutis deflectentes, neque seruos tuos uates audiuimus, qui nomine tuo reges, principes, patres nostros, cunctum'que regionis populum commonefecerunt. Tua, Domine, est æquitas, nostra est (ut liquidò apparet) infamia, uidelicet Iudæorum & Hierosolymitanorum, omnium'que Israelitarum, siue propinquorum, siue longinquorum quocunque

a. Esd. 1. b Danielis supplicatio.
B

que tu terrarum eos ob commissum ab eis in te crimen dissipasti. O Domine nostra est infamia, nostrorum regum, principum, atque patrum, qui aduersum te peccauerimus. Domini Dei nostri est lenitas & placabilitas, in quem nos rebellauimus, neque Iouæ Deo nostro dicto audientes fuimus, ut ex eius legibus uiueremus, quas nobis seruorum suorum uatum opera proposuerat: omnesque Israelitæ contra eius legem fecerunt, eius dictis obedire C recusantes. Itaque defluxerunt in nos diræ, & (Deut.17.c) execrationes, quæ scriptæ sunt in lege Mosis, serui Dei, quoniam in eum peccauimus: præstitítque quod nobis, & nostris gubernatoribus, qui nobis præfuere, minatus erat, tantum mali nobis inferendo, ut nusquam sub cœlo acciderint, qualia Hierosolymis acciderunt. Quẽadmodum scriptum in lege Mosis est, hoc omne malum nobis euenit, neque tamen Iouam Deum nostrum interpellauimus, à nostris desciscendo uitijs, eiúsque fidem scitè perpẽden- D do. Ergo Ioua Deus noster malo inuigilans, id nobis inuexit. Est enim iustus Ioua Deus noster in omnibus quæ facit operibus, cui nos dicto audientes non fuimus.

Quare, ô Domine Deus noster, qui tuis ex (Exod.15.c) Aegypto ualida educẽdis manu, tibi nominis claritatem comparasti, nos peccauimus, impiè egimus. Domine, pro tua singulari æquitate inhibe quæso iram sæuitiámque tuam ab urbe tua Hierosolyma, tuo sacro monte: nam propter peccata nostra, maiorúmque nostrorum uitia, Hierosolyma tuúsque populus infamis est apud omnes nostros finitimos. Quamob- E rem exaudi Deus noster, meas, qui tuus sum, preces, & supplicationem, tuóque uultu collustra fanum tuum uastatum, propter a Dominum. (a. Christũ.) Præbe, mi Deus, aurem istam, & audi: aperi oculos istos, & nostras respice calamitates, urbémque de tuo nomine uocatam. Nec enim uirtutibus nostris, sed tua præstanti lenitate freti nos, hisce te supplicationibus compellamus. Domine exaudi, Domine ignosce, Domine attende, & citra cunctationem age, propter teipsum, mi Deus, cuius de nomine tua urbs, tuúsque populus appellatur. ¶ Hæc ego oratione precabar, et tum mea tum meorum F popularium Israelitarum peccata confitebar, & Iouam Deum meum, ad Dei mei sacrum montem conuersus, suppliciter interpellabam, cum (Suprà 8.c) me adhuc orando loquente, uir ille Gabriel, quem initio in uisione uideram, aduolauit, méque tetigit uespertini ferti tempore, atque his uerbis alloquens edocuit: Daniel, nunc profectus sum ut te intelligere doceam. Initio tuæ supplicationis, editum est mandatum, id quod ego tibi indicatum ueni, quoniam iucundus es: itaque rem attende, & oraculum percipe. (Matt.24.b) Septuaginta septenarij destinati sunt tuo populo, (Iohan.1.g) tuæque sacræ urbi, ad consummandum peccatum, ad obsignanda delicta, ad ignoscendam culpam, & ad inducendam æternam iustitiam, & ad obsignandam uisionẽ ac uaticinationem, & ad ungendum sanctorum sanctissimum. Scies igitur, & intelliges ab edito mandato de G reditu, & de instauranda Hierosolyma, usque ad Messiam principem, fore septenarios septem & sexaginta duos, quibus redibitur, & uici rursusque instaurabuntur, id'que in difficultate temporum. Post duos autem & sexaginta septenarios, perimetur Messias, id'que destitutus, urbemque, & sacrum qui depopuletur princeps ueniet populus, erítque finis eius in grassatione, & ad belli finem sæuissimæ calamitates. Confirmabit autem fœdus multis unus septenarius, dimidiusque septenarius sacrificium fertúmque tollet, & pinnis imponentur calamitosa scelera, id'que ad internecionem, fluente ad (Matt.24.b) uastitatem sæuitia.

CAPUT X.

ANno Cyri Persarum regis tertio, res est patefacta Danieli, qui Baltasar nominatus est, eaque uera, & longi spacij, quam rem perspexit, & præmonstratam intellectu assecutus est. Per id tempus ego Daniel in luctu fueram ter septem dies, nec primario pane uescens, nec uictu carnis aut uini, nec unguentis utens toto illorum ter septem dierum spacio. Die autem uigesimoquarto mensis primi, cum essem apud magnum flumen, uidelicet Tigrim, sublatis oculis animaduerti uirum quendam lino uestitum, lateribus auro obrizo succinctis, corpore chrysolitho simili, facie fulguris in modum corusca, oculis ignearum facium similibus, brachijs pedibusque resplendentis æris speciem referentibus, uerborum sono qualis turbæ sonus est. Id spectrũ solus ego Daniel uidi: B qui autem mecum aderant homines, spectrum non uiderunt, sed graui terrore perculsi, latebram fuga quæsiuerunt. Ego solus relictus, uiso tam ingenti spectro, sum robore destitutus: & mutata perditaque coloris elegantia, nihil retinui uirium. Tum illius uerborum uocem audiui, qua uerborum uoce audita, pronus humi consopiebar. Et ecce manus me tetigit, ac in genua manuúmque palmas statuit, & me sic ille allocutus est: Daniel, uir iucunde, attende uerba quæ ego tibi dicam, & in uestigia consiste. Nunc enim ad te missus sum. Quæ cum ille mecum loqueretur, constiti tremens. At ille: Ne metue Daniel, inquit mihi: nam ex C quo primùm die animum ad considerandum, & te Deo tuo submittẽdum appulisti, audita est oratio tua, atque equidem propter orationem tuam ueni. Tametsi regni Persici dux mihi cõtrà stetit dies unum et uiginti, cum quidem Michael unus de primis ducibus mihi suppetias uenit, cum essem illic apud reges Persiæ relictus. Veni autem tui docendi gratia quid in posterum sit tuis popularibus euenturum: nam adhuc ad certum tempus pertinet oraculum. Huiusmodi uerbis cum ille me alloquerẽt, ego demisso ad terram uultu obmutescebam, & ecce

hominum similis imago mea labra tetigit, atq; ego aperto ore, eum, qui contra me stabat, his uerbis allocutus sum: Domine, uel aspectu adeò mihi collabefacti sunt nerui, ut nihil uirium D retineam, nedum ut talis ego tuus, talem te, Domine, possim alloqui, cum mihi iam nunc exanimato, nullæ uires constent. Hic me rursum attactu suo confirmauit illud hominis simulacrum, dicens: Pone metum, homo iucunde: saluus es: recipe te ac recollige. Igitur eo mecum loquente, colligi me, & Loquere sanè Domine, inquam, quandoquidem me confirmasti. Et ille: Scin cur ad te uenerim? inquit, iam reuersurus ad pugnandum cum duce Persiæ, qui simulac profectus fuero, dux aderit Græciæ. Sed tamẽ enunciabo tibi quid sit in scripto ueritatis exaratum, quãquam in his ne unus quidem à me stat, excepto Michaele duce uestro, à quo ego quoque anno primo Darij Medi, steti, eum'que auxilio iuui, & nunc tibi uerum indicabo.

a. Xerxes. b. Alexander. c. quatuor successores. d. Ptolemæus Ceraunus Ptolemæi Philadelphi frater. e. Alexandri successoribus. f. Seleucũ. g. Ptolemæi Philadelphi. h. Berenice. a. Antiochum Hieracem. b. fœdus. c. Ptolemæus. d. Berenice. e. Ptolemæo Philadelpho. f. Ptolemeus Euergetes Berenicæ frater. g. Seleuci Callinici. h. Antiochus Magnus, & Seleucus Ceraunus. a. Antiochus Magnus. b. Ptolemei Philopatoris. c. Ptolemæus Philopator. d Antiocho Magno. e Antiochus Magnus. Esa. 19.

CAPUT XI.

CVm tres adhuc reges extiterint in Perside, [a] quartus erit omnium maximis præditus diuitijs, quarum opibus uniuersum Græciæ regnum concitabit. Sed existet [b] rex potẽs, qui amplissimum adeptus imperium, rerum potietur. Qui postquàm constiterit, frangetur eius regnum, & in quatuor cœli regiones diuidetur, nec id habebunt eius posteri, nec erit tanti imperij, quantum habuerit ipse, quippe distrahetur eius regnum etiam in alios, quàm in [c] illos. Inualescet autem [d] rex australis, & de [e] illius principibus [f] unum superabit, ac principatum adeptus, latè imperabit. Deinde præteritis aliquot annis, societatem coibunt, ueniet'que [g] australis regis [h] filia ad [a] septentrionalem regem ad [b] æquum faciendum, sed robur illud uires non retinebit, nec stabit [c] ipse, aut eius [d] proles, sed dedetur ipsa, eiusq; ductores, & parens, & adiutor, certis temporibus. Verùm succedet [e] illi de stirpe radicum eius [f] qui expedi- B tionem faciet, & arcem inuadet [g] regis septentrionalis, efficietq; ut illos superet, adeò ut eorum etiam deos, cum eorum primatibus, unà cum eleganti argentea aureaq; supellectile, in Aegyptum prædatus inferat. Atq; is quidem aliquot annos regi septentrionali resistet, se'que in regnum regis australis conferet, ac patriam repetet. Sed incitati illius [h] filij, uim ingentem militum colligent, & [a] ille grassans inuadet ac peruadet, iterúmque usque ad [b] illius arcem incitabitur. Ergo exacerbatus [c] rex australis exibit, & cum [d] septentrionali rege pugnabit, magnis coactis copijs, ac potitus exercitu, uictor animo superbiet exercitus: ac legiones prosternet, neque pollebit. Nam [e] septentrionalis rex C iterum maiores, quàm antè copias conficiet, ac peracto aliquot annorum spacio, ueniet cum magno exercitu, multáque opulentia. Quibus sanè temporibus frequentes [f] australi regi obsistent, necnon profligati homines populares tui efferentur, ut comprobetur oraculum, ac offendent. Veniet igitur [g] rex septentrionalis, expressóque aggere, munitam urbem capiet, nec habebit manus australis, lectíque homines, uires ad resistendum, quo minus eos aggressus, suo utatur arbitrio. Ita nullo resistente in [h] nobili terra consistet, quæ per eum conficietur. Tum eò se uertet, ut cum totius regni sui robore uadat, comitantibus eum [a] probis, facietq; ut mulierem illi det ad eam corrumpendam, sed ea non stabit, nec eius erit. Deinde se conuertet ad insulas, capiet'que multas: sed rector ita illius in se contumeliam compescet, ut ille eam in ipsum contumeliam non iteret. Ergo referet se ad munitiones suæ terræ, offendet'que, & ita labetur, ut nusquam inueniatur. D Succedet in eius locum translaturus regiã maiestatem tyrannus, qui diebus aliquot, nulla iracundia nulloq; bello, frangetur. Huic porrò succedet despectus quidam, cui cum regia dignitas non fuerit tributa, ueniet feliciter, regnumq; per blanditias adipiscetur, atque ab eo grassantes manus grassatura frangentur, necnon autor fœderis, cum quo per speciem societatis dolo malo aget, profectusq; præualebit exigua gente feliciter, ac regionis opulentissima peruadens, faciet quæ neque patres eius, neque maiores fecerint: prædam, spolia, facultates illis dispertiet, inq; munita loca suos conatus conferet, idq; ad tempus. Deinde uires animu'mque suum in australem regem magno cum exercitu concitabit. Rex autem australis ad prælium magno exercitu impelletur, ualebitq; multum, neque tamen consistet, quoniam insidijs petetur, & à suismet conuictoribus fractus, magnã, E profligato eius exercitu, ab illo cladẽ accipiet. Atq; ambo illi reges malitiosis animis eadem in mensa falsum loquentur: quod tamen non succedet, quoniam adhuc finis differetur. Ille autem patriam cum magnis facultatibus repetet, animo ad sacrum fœdus adiecto, proficiet'que, deinde patriam repetet. Aliquanto pòst iterum in austrum ueniet, sed non ut prius, sic posterius accidet: ibunt enim ad eum naues Citiæ, itaque dolens reuertetur, & in sacrum fœdus sæuiet, proficietq;, & iterum se in desertores sacri fœderis intendet, existentq; ex eo manus, quæ munitum sacrarium profanabũt, sublatoq; perenni, scelus calamitatis importabunt. F Fœdifragos autẽ blandimentis corrumpet. At homines Dei sui notitiam habentes, ualebunt ac proficient, eorumq; peritiores erudient multos, & gladijs, flamma, captiuitate, direptione succumbent diu. Succumbentibus autem eis, exiguo subuenietur auxilio, eisq; multi per blãditias coniungentur, atque ex peritioribus succumbent nonnulli, ut explorentur, expurgentur, dealbentur usq; ad ultimũ tempus. nam adhuc supererit tempus. Aget autem rex pro sua libidine, elatus'que superbiet contra omnem Deum, & cõtra deorum Deum mirificè loquetur, & secundo successu utetur, donec peractum sit sup-

f. Antiocho Epiphani. g. Antiochus Magnus. h. Iudæa. a. Israelitis.

sit supplicium. nam agetur sæuiter. Neque uerò deos ille patrios, neque mulierum uoluptatem, nec ullū omnino Deum curabit, quin sese supra omnia extollet. G Cæterùm Maozim Deum uice eius colet, & ignotum maioribus suis Deum auro, argento, gemmis, preciosisꝗ rebus honorabit, facietque ut munitores Maozios, necnon illum peregrinum, quem agnouerit, Deum gloria cumulet, & eis imperiū in multos conciliabit, ac terram precio diuidet. Extremo autem tempore confliget cum eo rex australis, in quē rex septentrionalis multis cum curribus, equitibus, ac nauibus, impetum dabit, ac terras grassando peruadet atque percurret, inuadet'que terram nobilem, & multi succumbēt. Euadent autem eius manum Idumæi, Moabitæ, & bona pars Ammonitarum. Injiciet autem manum terris, nec terra euadet Aegyptia, thesaurisꝗ potietur auri argentiꝗ, & omnibus quæ in Aegypto, Libya, Aethiopia, quacunꝗ gressum inferet, erunt preciosa. Sed nuncijs ab Oriente ac septentrione cōturbatus, proficiscetur, uehementer incensus, ad multos funditus perdendos, & fixis castrorum suorum tentorijs inter maria, ad sacræ nobilitatis montem, ueniet ad finē suum, nullo ei succurrente.

CAPVT XII.

At que illo tempore existet Michael princeps ille magnus, qui tuis præest popularibus, eritꝗ temporis difficultas quanta nulla unquā post homines natos ad id temporis fuerit. Ac illo tempore euadent populares tui, quicunꝗ in libro scripti extabunt, multiꝗ eorum, qui obdormiuerint, humatiꝗ fuerint, expergiscentur, alij ad uitam æternam, alij ad dedecus (Matth. 24. c) B & miseriam æternam. Periti autem fulgebunt ut fulgor æthereus, qui'que multos reddiderint iustos, erunt stellarum similes in omnem æternitatem. At tu, Daniel, conclude hæc uerba, librumꝗ consigna ad tempus ultimum. Versabunt sese multi, crescetꝗ scientia. Hic ego Daniel animaduerti duos alios, alterum ad alteram fluminis ripam stantes, atque ille dixit homini linigero, qui erat supra fluminis aquam: Quando tandem finis erit miraculorum? (Apoc. 10. a) Audiui que hominem linigerum, qui erat supra fluminis aquam, dextra sinistraꝗ in cœlum sublata iurantem C per immortalem, fore ad tempus temporum, & dimidium, finitaꝗ dispersione manus populi sancti, finienda esse illa omnia. Id ego auditum cum non percepissem, Domine, inquam, quis erit istorum exitus? At ille: Abi Daniel, inquit: nam conclusa consignata'que sunt hæ euerba ad ultimū tempus. Expurgabuntur, dealbabuntur, & explorabuntur multi, & impiè agent D impij, nec intelligent ulli impij: at periti intelligent. A' tempore autem sublati perēnis, usꝗ ad illatum calamitatis nefas, erunt dies mille ducēti nonaginta. Beatus qui expectabit & pertinget ad dies mille trecentos triginta quinꝗ. Tu uerò perge ad finē, requieturus & staturus in tua sorte ad finem dierum.

CAPVT XIII.

G. L.

Vir quidam Babylonis incola fuit nomine Ioacimus. Is uxorem duxit nomine Susannam Hekiæ filiam, formosam in primis, & (De Susanna narratio.) Domini reuerentem, boni sque ortam parentibus, & ab ijsdem in lege Mosis eruditam. Erat Ioacimus prædiues, & hortos habebat domui suæ proximos. Ad eum itabant Iudæi, quod erat omnium clarissimus. Quodam autem anno creati sunt iudices duo de populo seniores, de quibus locutus est Dominus, cum ait, iniustitiam Babylone ortam esse à senioribus iudicibus, qui populum regere uiderentur. Hi domum Ioacimi frequentabant, ad eósque commeabant omnes qui lites habebāt. Cum autem iam abierat populus in meridie, solebat Susanna in uiri sui hortos intrare, & ibi inambulare. Eam quotidie intrātem & inambulantem cum aspicerent duo senes, capti eius cupiditate, à recto mentes deflexerunt & oculos, ut neque in cœlum intuerentur, necꝗ iuris & æquitatis meminissent. Cumꝗ ambo eam deperirent, suam B tamen ægritudinem inter sese non indicabant, quippe quos puderet tantam potiendi eius libidinem enunciare. Illud quidem diligenter obseruabant, ut eam quotidie uiderent. Cum'que inuicem cōmonuissent ut domum irent, quod hora esset prandij, digressi sunt. Pòst rursum eòdem congregati, cum alter ex altero causam percontaretur, confessi sunt suam uterque libidinem. Tunc communiter de tempore statuerunt, quo solam possent nancisci. Atque illis accommodatum ei rei diem obseruantibus, ipsa cū duabus pedisequis hortos suo more ingressa, in eis lauare cupijt: erat enim æstus. Et cum illic nullus esse præter duos seniores latentes, & eam obseruantes, iussit pedisequis ut oleum sibi & unguenta peterent, hortorum'que portas clauderent, ut lauaret. Illæ dicto eius parebant, & clauso hortorum ostio, per posticum, quod erat ad latus, ad petenda ea quę erant iussa, exierunt, neque seniores aduerterunt, quippe occultos. C Illi egressis pedisequis surgūt continuò, ad eamꝗ accurrunt, & ei sic dicunt: Vides hortorum ianuam esse clausam, neque nos quisquam cernit, & sumus tui cupidi. Quapropter concede te nobis in congressum. Alioqui testificabimur tecum fuisse iuuenem, eáque de causa pedisequas à te esse dimissas. Hic Susanna ingemiscens: Angor undique, inquit. Nam siue hoc facio, mors mihi impendet: siue detrecto, non effugiam manus uestras. Sed mihi satius est detrectando in uestras manus incidere, quàm cōtra Dominum peccare. Itaꝗ magnum clamorem sustulit Susanna. At seniores ambo contrà occlamare, & alter ad ostium hortorum aperiendum currere. Eò in hortis audito clamore famuli, qui domi erant, per posticum insiliunt, ut eius casum cognoscerent. Atꝗ eos quidem audita seniorū oratione, dispuduit, quòd nihil

nihil unquam tale iactatum esset de Susanna.

D Postridie cum conuenisset populus ad uirum eius Ioacimum, præstò fuerũt duo illi seniores, nefaria mente pleni, & mortem Susannæ studentes, qui apud populum iusserunt accersi Susannam Helciæ filiam, Ioacimi uxorẽ. Eorum ergo accersitu uenit ipsa, eiusque parentes, & liberi, & cognati omnes. Cum esset autẽ Susanna delicatissima, et specie formosissima, illi eam conscelerati iusserunt detegi (erat enim uelata) ut eius pulchritudine explerentur, cum omnes qui aderant, quique eam nouerant, flerent. Tum duo illi seniores in medio populo constiterunt, manibusque Susannæ capiti impositis, cœlum cum multo fletu intuentis, quippe quæ Domino ex animo cõfideret, ita uerba fecerunt: Cum nos in hortis soli deambularemus, hæc cũ duabus ancillis ingressa est, ijsque clausa hortorum ianua, amandatis, uenit ad eam iuuenis, qui in occulto latebat, & cum ea concubuit. Nos, qui
E in hortorum angulo eramus, uiso flagitio, ad eos accurrimus, & eos uidimus quidem coeuntes, sed illum cõprehendere nequiuimus. Nam cum esset nobis ualentior, aperta ianua exilijt. Tantum hanc prehensam rogabamus quis esset iuuenis: sed nobis noluit enunciare. Hæc nos testificamur. Ita illis, ut senioribus & populi iudicibus, habita à conuentu fides est, & damnatur rei capitalis Susanna, quæ tunc clara uoce in hæc uerba exclamauit: O' Deus immortalis, qui occulta nosti, qui omnia ante eorum ortum perspicis, tu scis hos falsum contra me testatos, meque mori cum nihil fecerim eorum quę contra me per malitiam commenti sunt. Eius uocem audiuit Deus. Itaque cum duceretur ad necem, excitauit animum iuuenis cuiusdam pueri, cui nomen erat Daniel, qui magna uoce exclamauit in hunc modum: [a] In huius sanguine ego me extra omnem culpam pono. Ad eum cum uniuersus populus sese conuertisset, & qui dnã diceret rogauisset, ipse in medio eorum stans, ita fatus est.

[a] in huius necem non consentio.

Itáne stulti estis, Israelitæ, ut neque quæstione habita, neque ueritate comperta, condemnaueritis Israelitidem? Reuertimini in curiam. Hi enim falsum contra eam testimonium dixe-
F runt. Ergo omnis populus celeriter reuertitur. Atque ei seniores ita dicunt: Agedum, sede in medio nostrûm, & tuam nobis pronuncia sententiam, postquàm tibi senatus diuinitùs datur. Tum Daniel: Disiungite eos procul, inquit, ut ego eos examinem. Deinde illis disiunctis, alterum euocat, & sic alloquitur: Vetule ueterator, nunc tua te scelera petunt, quæ faciebas antea, cum insontibus condemnandis, & sontibus absoluendis, iniqua iudicia faceres, Domino insontem & iustum interfici uetante. (Exod.23.a) Nunc igitur, si quidem hanc ui disti, dic sub qua eos arbore congressos uideris. Sub lentisco, inquit. Et Daniel: Probè, inquit, in tuum caput mentitus es. Iam enim Dei nuncius, mandato ab illo accepto, discindet te medium. Deinde illo amoto, iubet produci alterum, et cum eo sic agit: Genus Chananæum, non Iudæum, te uenustas fefellit, tibi cupiditas mentem peruertit. Ita uerò agebatis cum Israelitidib. quæ præ metu in uestrum congressum pertrahebantur. Sed non Iudæ progenies uestrum flagitium sustinuit. Nunc ergo dic mihi, sub qua eos arbore congressos deprehenderis. Sub ilice, inquit ille. At
G Daniel: Tu quoque probè, inquit, in tuum caput mentitus es. Præstò est enim Dei nuncius cum framea, qui te medium dissecet, uosque perdat. Hic uerò uniuersus conuentus clamorem efferre, Deo gratias agendo, qui sibi confidentes seruet, et est factus in seniores impetus, quorum testimonium Daniel suis ipsorum uerbis refellisset, suntque eadem, quam alteri per calumniam parauerant, pœna ex lege Mosis mulctati, (Deut.19.d) id est necati, & est illo die capitale periculum ab innocentis capite depulsum. Helcias autem, & eius uxor, Deum de filia sua Susanna laudauerunt, unà cum eius uiro Ioacimo & cognatis omnib. quòd in ea nullius rei fuisset deprehensa turpitudo. Quare Daniel apud populum deinceps erat in magno nomine & gloria.

CAPUT XIIII.

De Belo narratio.

Astyage rege uita defuncto, Cyrus Persa in eius regnum successit, cuius regis Daniel erat conuictor, uir omnium illius amicorum illustrissimus. Erat autem Babylonijs simulacrum nomine Belus, in quod impendebantur quotidie siliginis artabæ duodecim, oues quadraginta, & uini metretæ sex, quod simulacrum etiam rex uenerabatur, & singulis diebus ad adorandum adibat. Daniel autem suum Deum adorabat. Ex quo cum rex quæsiuisset, cur non adoraret Belum: Quoniam non ueneror (inquit) simulacra manufacta, sed uiuentem Deum, qui cœlum creauit & terram, tenetque omnium rerũ humanarum principatum. Et rex: Non uidetur tibi Belus esse uiuẽs Deus? Non uides quantum edat & bibat quotidie? At Da-
B niel subridens: Is uerò (ne tu erres, ô rex) intrinsecus luteus est, extrinsecus autem æreus, neque unquam comedit. Hic iratus rex, Beli sacerdotes conuocat, & mortem minatur tum eis, nisi sibi dixissent quis illum sumptum consumeret: tum Danieli, si illi eum Belum esse ostẽdissent, quoniã de Belo maledixisset. Et Daniel: Placet uerò, inquit, ista conditio. Erant autem Beli sacerdotes septuaginta, præter eorum uxores & liberos. Venit ergo rex cum Daniele in ædem Beli, & cum eo sacerdotes sic egerũt. Nos iam foràs concedemus: tu uerò, rex, cibis ei appositis, & uino infuso, ostium claudito, & tuo anulo obsignato. Cumque manè redieris, nisi inueneris omnia à Belo comesa, morte pœnas luemus: aut ipse Daniel, si fuerit mentitus contra
C nos. Erant autem securi animo, propterea quòd sub mensa fecerant occultum aditum, per quem assiduè introibant, & illa consumebant. Ergo cum egressis illis cibum rex Belo apposuisset, iussit

iussit Daniel suis famulis, ut cineres afferrent, quibus totius templi solum, uno rege præsente, consperserunt. Deinde egressi clauserunt ianuam, & ea regis anulo obsignata, abierunt. Sacerdotes autem de nocte suo more uenerunt unà cum uxoribus & liberis, & omnia perederunt atque ebiberunt. Manè rex cum surrexisset, Danielem, qui eum comitabatur, sic alloD
quitur: Saluáne signa sunt, Daniel? Planè salua, rex. Et simul atque aperta est ianua, intuitus rex in mensam, magna uoce exclamauit: Magnus es, Bele, & omnis doli expers. Hic Daniel ridens, prehensum regem ab introeundo retinuit. Et aspice, inquit, solum, & cognosce cuius hæc sint uestigia. Equidem uideo uestigia uirorum, & mulierum, & puerorum. Tunc iratus rex, sacerdotes, et eorum coniuges, liberos'que comprehendit: & cum ab eis occultos introitus didicisset, per quos ingressi, ea, quæ erant in mensa, consumebant: eos interfecit, & Belum Danieli in potestatem dedit, qui eum eiusque delubrum euertit.

De dracone Babylonico.

Erat & quodam in loco draco magnus, quem uenerabantur Babylonij, de quo rex Danieli ita dixit: Num tu hunc quoque æreum esse dices? Vides ut uiuat, edat'que & bibat? non potes hunc negare Deum esse uiuentem. Itaque adora eum. At Daniel: Dominū Deum meum
E adorabo, qui Deus est uiuens. Sed tu, rex, fac mihi potestatem, & ego draconem sine ullo gladio aut telo interficiam. Facio, inquit ille. Tum Daniel picem & adipem & pilos simul coxit, & hinc confectas offas, draconi in os iniecit, ex quo cum crepuisset ille, Ecce uestra, inquit Daniel, numina. Ea re audita Babylonij adeò offensi sunt, ut in regem conuersi, eum Iudæum esse factum dictitarent, qui & Belum deturbasset, & interemisset draconem, & sacerdotes trucidasset. Itaque regem aggressi, Danielem sibi dedi postulabant, regi mortem & eius familiæ minitantes, nisi fecisset. Rex cum uideret se ita
F urgeri, coactus est eis dedere Danielem, quem illi in specum leonum iniecerunt, ubi fuit sex dies. Erant in eo specu leones septem, quibus cum quotidie duo corpora, & totidem oues dari solitum esset, tunc data non sunt, ut Danielem deuorarent. Erat autem Habacucus uates in Iudæa, qui edulium quoddam, quod intrito in catinum pane parauerat, rus portabat ad messores, quem Domini Genius interpellauit hoc modo: Defer istud prandium Babylonem ad Danielem, in specum leonum. Cui Habacucus Domine Babylonem nunquam uidi, specus ubi sit nescio. Tum genius eum uertice pre-

Ezech. 8.c

G hensum, & capitis coma sublatum, sui spiritus momento Babylonem deportauit, & super specum deposuit. Atque hic Habacucus ita clamauit: Daniel, Daniel, accipe prandium quod tibi misit Deus. Atque ille: Etiam mei, inquit, meministi, ô Deus, nec eos deseris, qui te curant & amant. Hoc dicto surrexit, & comedit. At Dei genius Habacucum statim in suum locum reposuit. Rex autem septimo die uenit ad lugendum Danielem. Et cum ad specum accessisset, & Danielem sedentem aspexisset, clamorem magnum edidit. Magnus es (inquit) Domine Deus Danielis, nec est alius præter te. Deinde eum extraxit, & eius necis autores cōiecit in specum, qui extemplò ipso præsente sunt deuorati.

O S E A.

CAPVT I. H.



QVAE SERMO habitus ad Oseā Beeris filiū, temporibus Oziæ, Iothami, Achazi, & Ezechiæ Iudææ regū, & tēpore Ieroboami Ioæ filij regis Israelitarum. Principiò allocutus est Oseam Ioua his uerbis: I, duc uxorem meretricem, liberos geniturus meretricios, quoniam terra, omisso Ioua, meretricabitur. Itaque iuit, duxitque Gomeram Diblami filiam, quę grauidata, filium ei peperit: de quo Ioua sic ei dixit: Nomina eum Iezraelem, nam prope diem pœnas sumam Iezraelitici sanguinis de B
domo Iehu, tollamque regnum domus Israeliticæ. Atque eo quidem tempore frangam Israeliticum arcū in ualle Iezraelitica. Deinde cum iterum grauida facta filiam peperisset, iussit Oseæ Ioua ut eam Immiserandam nomine uocaret, quoniam non iam deinceps miserabor Israeliticam domum, inquit, sed eos tollam. At Iu- C
dæorum domum miserabor, eosque per Iouam ipsorum Deum non arcu, non ense, non bello, non equis equitibúsue seruabo. Deinde cum post abactam à mammis Immiserandam grauidata, coniux filiū peperisset, ille ita iussit: Nuncupa eum Nopopulmeum, quoniam neque uos meus populus estis, nec ego uester ero, eruntque D
[a] Israelitæ numero pares arenæ maris immensæ ac innumerabilis: ac pro eo quod negati fuerint meus esse populus, dicentur uiuentis Dei filij, congregatique eodem Iudæi ac Israelitæ [b] caput unum sibi constituent, & ex [c] terra proficiscentur, tanta est [d] Iezraelitica dies.

a. Christiani. Rom. 9. b. Messiā: c. scilicet captiuitatis. d. Christianitatis, nā Iezrael diuinum semen significat.

CAPVT II.

Dicite fratres uestros meum populū, sororesque uestras miserandas. Obiurgate matrem uestram, obiurgate, quoniam nec ipsa mea uxor, nec ego uir eius sum, ut sua stupra à suo uultu, suaque adulteria à suo auferat inter mammis, ne ego eam spoliem ac denudem, talemque reddam, qualis natali die suo fuit, ac in desertæ uastæque terræ statum redactam siti perimam, nec eius natos miserer, quippe meretricios

cios natos: Meretricatur enim eorum mater, agit impudicè eorum genitrix, quæ ita dicat: Sequar meos amatores, qui mihi panem, aquam, lanam, linum, oleum, potionem'que præbeant. Quamobrem ego uias tuas spinis obstruam, ac sepi obsepiam, ita ut semitas suas non inueniat: suosq; persequens amatores, non assequatur: & quærens, non inueniat, atque ita dicat: Referam me ad uirum meum priorem: nam melius tunc mecum agebatur, quàm nunc. Ipsa quidem nescit me sibi suppeditare frumentum, mustum, oleum, argenti'que multum & auri dare, quibus Baali operantur. Qua de causa rursus frumentum mustumq; meum suo anni tempore intercipiam, lanam'que & linum meum, quibus eius uerenda teguntur, auferam, iamq; eius uesaniam ob oculos eius amatorum detegam, nemine eam à mea manu defendente, atque omnes eius uoluptates, festa, nouilunia, Sabbatha, denique omnes eius solennitates, tollam,

C uineasq; & ficus (quas suum quæstum esse, sibi à suis datas amatoribus, dicit) euastabo, & in syluam redigam, à terrestribus bestijs depascendas, sumamq; de ea supplicium temporis Baalum, quibus suffiuit, & inaure monilique suo compta, suos amatores secuta est, oblita mei, inquit Ioua. Quapropter ego eam solicitabo, & in deserta ductam, comiter alloquar, atque inde ei suas dabo uineas, Achorisq; uallem, ad spei ingressum, ubi recinat, quomodo tum, cum iuuenis erat, & cum ex Aegypto discessit. Ac eo tempore (inquit Ioua) tu me uirum tuum, non dominum, deinceps appellabis, & tibi ex ore ita Baalum nomen detraham, ut eorum nominis nulla fiat amplius mentio, atq; illos tum

D fœdere coniungã cum bestijs agrestibus, aereis uolucribus, & cum ijs quæ in terra mouentur, & fractis per terras arcubus, gladijs, atque bellis, eos in tuto collocabo, ac te mihi in perpetuum despondebo, te mihi iustitia, iure, pietate, ac humanitate despondebo: te mihi fide despondebo, efficiam'que ut Iouam cognoscas. Ac eo tempore exorabor, inquit Ioua, exorabor ego cœlo, & cœlum terræ, & terra frumento, musto, oleo, & illa Iezraelitis exorabuntur, eamq; mihi in terra seminabo, & Immiserandæ misere-

Rom.9.e
1.Pet.1.b

bor, & non meum populum meum populum dicam, & ipse me suum Deum dicet.

CAPVT III.

Item mihi dixit Ioua: I nunc, ama mulierem alterius amicam ac adulteram, ut amat Ioua Israelitas, qui tamen in alienos intuentur deos, & uuarum obbas amant, cum ego eam mihi quindecim argenteis nummis, hordeiq; coro, & dimidio hordei coro, conciliauerim, eiq; ita dixerim: Tu mihi diu ita manebis, ut neq; meretriceris, neque tu uirum, nec ego te habeam.

B Nam diu manebunt Israelitæ sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine statua, sine ephodo ac laribus. Postea rursum quærent Israelitæ Iouam suum Deum, Dauidemq; suum regem, formidabuntq; Iouam, & eius bonitatem, postremis temporibus.

CAPVT IIII.

Audite Iouæ dicta, Israelitæ: nam Iouæ lis est cum terræ incolis, quoniã nulla fides, nulla pietas, nulla Dei cognitio est in terra. Peierare, mentiri, occidere, adulterare, profligati sunt, [a] sanguinemq; contingit sanguis. Ideoq; lugebit terra, peribunt'que omnes eius incolæ, unà cum terrestribus bestijs, auibus'que aereis, confectis etiam piscibus aquatilibus. [b] Iam uerò nemo quenquam obiurget aut reprehendat, cum tua plebes cum sacerdotibus certare uideatur. Itaque laberis hodie, labitur etiam uates te

B cum noctu, tuamq; matrem perdomabo. Pereunt mei præ inscitia: quoniam tu scientiam reijcis, ego te ab obeundo mihi sacerdotio reijciam: quoniamq; Dei tui legem oblitus es, ego quoque tuos natos obliuiscar. Quo plures sunt, eò magis in me delinquunt: eorum ego gloriam conuertam in dedecus. Meorum piaculo uescuntur eorumq; [c] culpa uitam suam sustinent, & est qualis plebeius, talis sacerdos. Itaque in eos ipsorum actiones animaduertam, eisq; mo-

C res ipsorum ita rependam, ut comedentes non saturentur, scortantes non propagentur, quia Iouam desierunt obseruare. Venus, & uinum mustumq;, mentem eripiũt. Mei lignum suum consulunt, [d] eisq; suus dat responsa stipes, quippe impudicitiæ afflatu decipiente, ita ut omisso Deo suo, meretricentur. In montium uerticibus sacrificant, in'que collibus suffiunt sub robore, & populo, & quercu, cuius bona umbra sit. Hanc ob causam uestræ & filiæ scortabuntur, & nurus adulterabunt, nec ego in uestras uel fi-

D lias scortatas, uel mœchatas nurus, animaduertam, quippe cum ipsi cum scortis secedatis, cumq; meretricibus sacrificetis: itaq; uapulabit indocilis populus. Si scortaris tu Israelita, at ne committat crimen Iudæus: ne ite Galgala: ne proficiscimini Bethauen, neue uiuentem iurate Iouam. Iam enim Israelitas contumacis more uaccæ deficientes, Ioua pascit [e] ut agnum in planitie. Coniunctus est simulacris Ephraimita: omitte eum. [f] Excedit modum perpotatio, scortantur eius propugnatores: adducite propudiũ. Constringit eam [g] uentus suis alis, sed eos suorum pudebit sacrificiorum.

CAPVT V.

Audite hoc sacerdotes, attendite domus Israelis, & regia domus auscultate: nam uestra causa agitur, qui[a] laqueus estis ad Maspham, & expansum rete in Tabore, altam cædem facientes, noxij, quorum ego omnium castigator ero. Ego noui Ephraimitam, nec me latet Israelita, nempe nunc meretricaris Ephraimita, polluitur Israelita. Non dant operam ut ad Deum suum redeant, quippe qui impudicitiæ spiritum in pectore habentes, Iouam ignorent. Itaque [b] loquitur Israelitæ superbia in ipsius uultu, & Israelita et Ephraimita sua culpa offendunt, offendente etiam Iudæo cum ipsis.

Cum

a. perpetrãtur cædes.

b. non est quod alij alios reprehẽdant, cũ omnes æquè sint nocentes.

c: noxalibus uictimis.

d. à dijs è stipite factis petunt oracula.

e. ad cædẽ & supplicium.

f. Ephraimitidis principes uino calẽtes, iubent meretrices adduci, hoc est simulacra colũt.

g. scilicet meretricius, ut paulopòst patebit.

a. apud Masphã & Taborem retis hominesad simulacrorũ cultũ, quare in causa estis ut multi ob crimen istud à me pereãt.

b. perspicua est.

Cum suis & balātibus et bubus ibūt quęsitum
Iouam, nec inuenient, quippe declinantem eos.
In Iouam perfidè egerunt, qui filios genuerint
degeneres, quos iam uel unus mensis consu-
met cum ipsorum possessionibus. Clangite tu-
C ba in colle, buccina in sublimi: strepite apud
Bethauen, post te, ô Beniamita. Ephraimitis
uasta fiet pœnæ tempore, ostendente me quæ
sit in Israelitarum tribubus fidelitas. Sunt Iu-
dæi principes, tanquam translatores termino-
rum, quos ego atrocitate mea undatim perfun-
dam. Opprimitur Ephraimita, quassatur sup-
plicio, quoniā tam cupidè sequitur c præceptū:
itaque ero ego Ephraimitæ quædam quasi ti-
D nea, & Iudæ domui quasi caries. Cum uideat
autem Ephraimita suum morbum, & Iudæus
suum uulnus, adit Ephraimita Assyrium, accer
sitq; Iarebum regem: sed is uos sanare non po-
terit, neque uulneri uestro mederi. Nam ego
quasi panthera ero Ephraimitæ, quasi leo Iu-
dææ domui. Ego, ego rapiam, & abibo: aufe-
ram, eripiente nullo.

c scilicet Ieroboami de colendo uitulo.

CAPVT VI.

ABibo, redibo in meum locum, donec cō-
missō crimine requirant meam præsenti-
am, mihi rebus in aduersis aduigilantes. agite,
redeamus ad Iouam: nam idem nos & rapuit,
& sanabit: idem & sauciauit, & curabit: reuo-
cabit nos in uitam a post biduum, die tertio su-
scitabit nos, & coram eo uiuemus: discemusq;,
B & Iouam cognoscere enitemur, cuius ortus tan
quam auroræ compositus est, quiq; nobis ue-
niet ut pluuia, ut irrigans terrā serotinus imber.
Quid tibi faciam, ô Ephraimita? quid tibi fa-
C ciam ô Iudæe? b quorum pietas est matutinæ
nubi similis, aut abeunti maturè rori. Ideo ua-
tes fodico, eos oris mei uerbis enecans, ut c o-
riatur æquitatis tuæ lux: quandoquidem pieta-
tem malo, quàm sacrificium, & Dei cognitio-
nem, quàm uictimas. At illi, ut Adamus faciūt
contra fœdus, & ibi sunt in me perfidi. Galaa-
dus ciuitas est maleficorum, d sanguine callida:
D estq; expectantium homines latronum similis
sacerdotum societas, qui in uia perimunt quà
itur Sichemā, quippe qui e flagitium faciant. In
Israelis domo uideo teterrima: ibi Ephraimitæ
impudicitia est, contaminatur Israelita: tu quo-
que Iudæe compara tibi messem quæ erit, reuo
cante me mei populi captiuos.

1.Cor.15 a
a cum Christo, qui tertio die reuixit.
b qui celerrimè pietatē relinquitis.
c. iustus piusq; fias. Matth.9.b & 12.a Eccl.4.d 1.Reg 15.e
d. in cædibus exercitata.
e ad simulachrorū cultum pelliciant, quod perinde est ac si interficerent.

CAPVT VII.

MEdicante me Israelitis, patescit Ephrai-
mitarum crimen, & Samaritana scelera:
nam iniustè faciunt, & fures sunt intus, & latro-
nes foris dispoliant: neque cogitant cum suis a-
nimis, me omnia sua scelera meminisse, quos
iam sua circumuenient facinora, mihi proposi-
ta. Sceleribus mendacijsq; suis a regem & prin
cipes exhilarant. Vniuersi b sunt adulteri, tam
ardētes quàm est pistoris furnus: qui pistor c ex
citare cessat, subacta massa, donec fermentata sit.
B Regē nostrū eius die ita d delassant principes,
furore uinolento, ut is cū scurris cōmercium ha
beat. Applicāt enim e furni ritu animū suū suis
insidijs: tota nocte dormit eorū pistor, manè ar-
det tanquā flamma ignea. Vniuersi flagrāt ut fur
nus, f cōficiuntq; suos gubernatores: labūtur o-
mnes eorū reges, nullo eorū inuocante me. Ipse
Ephraimita cū cæteris permixtus populis, E-
phraimita panis est depsititius nō inuersus. Co C
medunt eius facultates alieni, & tamē non sen-
tit: etiā g canicie cōspergitur, et tamē non sentit:
loquiturq; Israelitæ superbia in ipsius uultu, &
tamē non redeunt ad Iouā Deum suū, nec eum
requirūt: suntq; Ephraimitæ tam fatui ac excor-
des quàm est colūba. Aegyptios aduocāt, As-
syrios adeūt: quos ego simulac erūt profecti, ob
tenso reti meo, tanquā aereas aues deijciam, eos
mulctās, ut denunciatū est eorum multitudini.
Væ eis, qui à me deficiant, pernicies eis, qui in D
me rebellēt: qui à me redēpti, falsa aduersum me
loquūtur, neq; me animo implorāt, sed in suis le
ctis eiulāt, & ob h frumentū mustumq; fremen-
tes, à me recedūt: cumq; ego eorū brachiū corre-
xerim, & confirmauerim, in me malè cogitant.
i Reuertētur, sed nequicquā: fallacis arcus simi
les cadent ense principes eorū, & ita k suæ lin-
guę pœnas dabūt. Id erit eorū ludibriū in Ae-
gyptia terra.

a obedientes ei in colendo uitulo.
b. ardent libidine colendi deos.
c scilicet fœminas, quæ massam afferāt.
d uino onerant & inebriant, ut insanus ludat cū scurris.
e ardenter insidiātur, ut pistor manè post nocturnam quietē suū opus urget, sic illi sua maleficia.
f suis peccatis in causa sunt, ut ego eis malos dem principes, quos deinde puniam.
g prę malis senescit.
h. frumenti penuriam.
i. scilicet in Aegyptū. Ier.43. Cōfer autem hūc locum cum cap.9
k suorum in me male dictorum.

CAPVT VIII.

BVccæ tuæ a tubā b aquilæ more, aduersus
ædem Iouæ, quoniam meum uiolauere fœ
dus, et in legē meā deliquerunt. Ad me quirita
bunt: ô mi Deus, nos te nouimus Israelitæ. Re-
liquit Israelita bonū, eum persequetur hostis. I-
psi regem crearunt non autore me: principes fe-
cerunt inscio me: argēto auroq; suo sibi simula-
chra fecerūt, c ut excidātur. Relicturi sunt tuum
uitulū, ô Samaria, flagrāte in eos ira mea, quan- B
diu nequibūt d innocentiam. Nam Israeliticus
est & ipse, factus à fabro, non Deus: nā fragmen
ta erit Samaritanus uitulus. Seminauerint enim
uentū, messuri tēpestatem: seges erit carens ger
mine, nō factura farinā: aut si fecerit, uorandā ab
alienis. Vorantur Israelitæ, iamiam sunt apud
gentes quasi uas iniucundū. Proficiscūtur enim
in Assyriā, e onager solitarius, Ephraimitæ con C
ducunt amatores. Etiamsi cōduxerint, ego per
gentes eos iam ita f cogam, ut parum doleant
prę regis fato proceres. Facit enim Ephraimita
multas aras ad peccādum: aræ sunt ei causa pec-
cati. Scripserim ei legis meæ magnificentiam,
habetur pro aliena. Libādarum mihi uictima-
rum immolant corpora, comeduntq;: quibus D
adeò non delectatur Ioua, ut iam sit eorum cul-
pam recordaturus, & in peccatum animaduer-
surus. Ipsi repetent Aegyptum: cumq; oblitus
Israelita conditorem suū, palatia construat, mul
tasq; faciat Iudæus urbes munitas, immittā in
eius urbes ignem, qui eius consumat arces.

a scilicet admoue & clama.
b perniciter eunt hostes.
c quæ res in causa erit, ut &c.
d innocentes esse.
e præ libidine.
f puniā, ut Rex multo etiā grauiores det pœnas, quàm proceres.

CAPVT IX.

NE lætare Israelita, ut cæteræ nationes e-
xultant, qui omisso Deo tuo a scorteris,
b quæstum amans ob frequentes areas frumen-
ti. Nec area nec torcular pascet eos, & mustum
c eis mentietur: nec in Iouæ terra manebunt, sed

a deos eolas alienos, ut tibi frumenta fœcundent.
b meretricem agens.
c eos fallet, erit uini penuria.

Aegyptũ repetet Ephraimitæ, & in Assyria ue-
scentur immundis. Nõ libabunt Iouæ uinum,
nec ei placebunt eorum sacrificia, quæ eis erunt
perinde ac lugubris panis, quo quicũq; uescun-
tur, polluuntur: nam eorum daps pro eorũ uita,
non intrabit in ædẽ Iouæ. Quid facietis solen-
d.ibunt in B ni die, & Iouæ festo die? Nam (ut hoc sciatur)
Aegyptũ, ob calamitatẽ [d] digressos Aegyptus colliget,
& ibi mo- Memphis sepeliet: eorũ [e] pecuniæ elegãtiã oc
rientur. cupabit urtica: erit lappa in eorũ tabernaculis.
e possessio- Aduentant animaduersionis dies, aduentant re
nũ elegan- munerationis dies: cognoscent Israelitæ [f] uesa-
tissimas. num uatem, lymphatum hominem, uentosum,
f uanos fuis ob tuorũ criminũ multitudinem, & simultatis
se uates qui magnitudinẽ. Speculator Ephraimitarũ apud
eis lætiora Deum meũ uates, laqueus est aucupatorius per
promittũt. omnes eorum uias, simultas in æde eorum Dei:
g Iudic.19.a tam penitùs deprauati sunt, quàm [g] Gabaano
C tempore: recordabitur eorum crimen, animad-
uertet in eorũ peccatum. Vt uuas in desertis in-
ueni Israelitas, ut in ficu primitias in eius pri-
mordio aspexi maiores uestros, qui Baalphe-
gorẽ adierunt, & addicti turpitudini fuerunt, ne
h adamati diui. farij ut ipsorum [h] amor. Ephraimitarũ uolucris
i fœtuũ fer auolabit [i] gloria à partu, à uentre, & à conceptu:
tilitas. quòd si suos educauerint natos, eos ex homini-
k natis. bus tollã: nam uæ etiã [k] illis, cũ ab eis discesse-
D ro. Ephraimita (ut uideo) Tyri similis amœni-
ter sitæ, idem Ephraimita educturus est ad inter
fectorem suos natos. Da eis Ioua quod dare de-
1.Reg.2.d bes: da eis & uterum sterilem, & sicca ubera.
Omne eorum scelus est Galgalis: nam ibi eos
odi ob scelus moris eorum. eos ex æde mea ex-
pellam, non amplius amaturus eos, quorum o-
mnes principes sint degeneres. Cæsi Ephraimi
tæ arefacta eorum radice, fructum non ferent:
l filios. quòd si etiam genuerint, perimam eorum [l] uen
tris delicias. Repudiabit eos Deus meus, qui
ei non obediuerint, eruntq; uagi per gentes.

CAPVT X.

a sibimet, nó mihi domino seruiunt. VItis inutilis Israelita, [a] fructũ sibimet edit:
quo plus habet fructus, eo plures facit a-
ras: quo melior est eorum terra, eo melius simu-
lachra faciunt. Diuisum habent animum, iam-
iam crimen commissuri: eorum ipse & aras con
b Rege priuabuntur. fringet, & statuas disperdet. Iam enim [b] dicent:
c.nobis opitulari nó poterit. Caremus rege, quoniam Iouam nõ metuimus,
rex quidem [c] quid faciet nobis? Verba dede-
B runt, falsum iurantes, fœdus ferientes: itaq; ger
d Ieroboami uitulũ, qui perierit. minabit fellea pœna per agri sulcos. Ad Betha
uenses uitulas horrescẽt Samaritani suo [d] illum
lugente populo: suisq; (qui de eo exultabant)
flaminibus, ob eius gloriam qua priuatus erit.
Ipse quoq; in Assyriã deportabitur, munus re-
Esa.2.d gi Iarebo: pudor inuadet Ephraimitam, & sui
Apoca.9.d consilij pudebit Israelitam. Abolebitur Sama-
Luc.23.c riæ rex, ut spuma in aquæ superficie, perdẽtur-
Iudic.20.a.b que Auenensia sacella, scelus Israelitarum: cre-
scent in eorum altaribus spinæ, ac tribuli: [e] di-
e extremis malis afflictabuntur. centq; mõtibus, Obruite nos: & collibus, Deci
dite in nos. A Gabaæ tempore peccasti, Israe-
lita, ubi steterunt illi non attingendi apud Ga-
baã prælio aduersus homines improbos, quos
ego uolens ita puniui, ut ad eos aggregati sint
populi, cum suis utrique criminibus constrin-
gerentur. Cum sit autem Ephraimita docta ui-
tula, ego triturare amans, obibo eius [f] ceruicis f bonã ceruicem.
bonitatem, equitãs in Ephraimita, arãte Iudæo, Ier.4.a
occante ei Iacobida. Seminate uobis ad iusti-
tiam, messuri pro ratione pietatis: nouate uobis
nouale, dum tempus est quærendi Iouæ, donec
ueniat, & uos iustitiam doceat. Aratis impie- D
tatem, improbitatẽ metitis, comeditis fructum
mendacij: quoniã tuis moribus, tuorũ militum
multitudini confidis. Sed existet in populo tuo
tumultus, omnesq; tuæ munitones uastabun-
tur, ut uastauit Salman Betharbel, cum quidem
tantũ fuit bellum, ut mater collisa sit cum filijs.
Sic uobis fecerit Bethel ob sceleris uestri per-
uersitatem, extincto maturè Israelitarum rege.

CAPVT XI.

CVm puer esset Israelita, eum amaui, & ex Matth.2.c
Aegypto filium meũ euocaui. Quoma-
gis uocantur, eo magis abeunt è cõspectu: Baa-
libus sacrificant, & simulachris suffiũt. Cumq;
ego prehensos brachijs Ephraimitas pedaue-
rim, nesciunt me sibi remedium attulisse. Hu-
manis funib. loris amatorijs, eos attraxi: eisq;
fui quasi qui impositum eorũ maxillis iugum
alleuaret, & eis demisi [a] pabulũ, quasi qui non a mannam.
essent redituri in Aegyptiã terrã, aut Assyrium B
regem habituri: sed corrigi recusarunt. Itaque
grassabuntur in eorũ urbibus enses: eorum'que
opes consument ac conficient ob ipsorum con-
silia. Meus uerò populus ad me redire cuncta-
tur, & ad supremum uocatus, protinus non mo
uetur. [b] Vt ego te dedam, Ephraimita? ut te ad- C
dicam, Israelita? ut te dedam sicut Adamã? te b minatur extremam
afficiam ut Seboim? [c] Versatur mihi mens, si- pœnam.
mulq; affectu permoueor: non utar iræ meæ fer Gen.19
uore, non me ad corrumpendum Ephraimitas c reuocat
conuertam: quippe cum Deus sim, non homo, se.
inter uos sanctus, qui [d] in urbem non intrẽ. Io- D
uam sequentur leonis ritu rugientem: rugiet e- d nó sim hominũ simi-
nim, & pauebunt filij in mari, pauebunt ut auis lis, qui habitant ur
in Aegypto, utq; colũba in Assyria terra: et eos bes.
in suis domibus collocabo, inquit Ioua.

CAPVT XII.

CIrcumuenerunt me mendacio Ephraimi-
tæ, & perfidia domus Israelis, Iudæo ad-
huc dominante cum Deo, & cum sanctis fide-
li. Ephraimitæ uentum pascunt, eurumq; se-
ctantur, quotidianum frequentantes menda-
cium atque perniciem: & fœdus cum Assyrio
percutiunt, & oleum portatur in Aegyptum.
Habet autem Ioua controuersiam cum Iudæo,
in Iacobum pro eius meritis animaduersurus, Genes.25.e
& ei eius moribus digna soluturus. Ille in ute- B
ro fratrem suum supplantauit: suo'que robore Gen.32.f
cum Deo egregiè dimicauit, & genium dimi-
cando uicit, sibi flebiliter supplicantem, Bethe
le nactus eum, & ibi cum eo collocutus. Atqui
Ioua Deus armipotens erat eius commemora
tio. Tu quoque ad Deum tuum redeas, pieta-
tem æquumq;

tem æquitatemque serues, & in Deo tuo spem semper habeas. ª Chananæus fallacẽ habens in manu ᵇ trutinã, amat fraudare: dicitque Ephraimita, se ditatum, inuenisse sibi facultates, nec ullum inuentum iri in omnibus suis ᶜ laborib. crimen, in quo peccatũ sit. At ego Ioua Deus tuus ᵈ ab Aegyptia terra Deus, aliquando te in tabernaculis collocabo, sicut solennib. diebus: idemque & uates alloquar, & frequẽtia edam oracula, & uatum opera similitudinibus utar. Si Galaadus est nefarius, profectò nequam sunt qui Galgalis boues immolant, quorum etiam tot sunt altaria, quot tumuli per sulcos agri. Quòd autem aufugit Iacobus in agrum Syriæ, & quòd seruiuit Israel pro uxore, & pro uxore custodiuit, & quòd eduxit Israelẽ Ioua ex Aegypto, quodque is custoditus est, id omne per uatem factum est. Irritauit Ephraimita acerbè suum Dominũ, itaque ille eum capitaliter fœdeque puniet, ac remunerabitur ut dignus est.

a Ephraimitæ Canaanam incolentes.
C
b hoc dicit quoniam Chanaan significat etiam mercatorem.
c actionibus.
d ex quo te eduxi ex Aegypto.
D
Gen. 28.a
Exod. 14.e

CAPVT XIII.

LOquente Ephraimita, tremitur, tãtus est inter Israelitas, & tamẽ crimen commisit in Baale, quo morietur. Et nunc insuper peccarũt, sibique fecerũt fusiles argento suo sua solertia statuas, quæ omnia fabrilia sunt opera, de quibus dicunt: Qui hominem immolauerint, uitulos osculabuntur. Itaque erunt ut matutina nubes, utque ros celeriter abiens, ut abrepti ex area aceres, utque fumus ex fumario. Atqui ego sum Ioua Deus tuus ab Aegyptia terra, nec Deus ullus, præter me, tibi agnoscendus est: nec seruator ullus est, excepto me, qui te in solitudine curaui, in inaccessa terra. Qui simulac pastu saturati sunt, saturi animum exulerunt: ideoque obliti sunt mei. Itaque eis ero quasi panthera, quasi tigris ad uiam Assyriæ. eis occurram ut orbatus ursus: & laceratis eorum præcordijs, eos ibi leonis more comedam, à feris agrestibus discerpendos. Tua est pernicies, Israelita, cum meum sit tibi subuenire. Vbi nunc est tuus rex qui te in omnibus tuis urbibus seruet? tuique gubernatores, qui tibi regem principesque dari postulaueris? Regẽ tibi & iratus dabo, & sæuiẽs auferam. Ephraimitæ arctum crimen, intimum peccatum est: eum parientis dolores inuadent, filius est insipiens: sed erit, cum non manebit in angustia pariendi. Eos ab Orci potestate redimam, à morte uindicabo, ero tua pestis, ô mors: ero tua lues, ô Orce, ª solatio carebũt oculi mei. Nã ipse inter fratres fœtificabit, ueniet orientalis Iouæ uẽtus ex solitudine profectus, qui eius uenã arefaciet, eius fontem exhauriet, is omnis elegantis supellectilis thesaurũ diripiet.

B
Esa. 43.b
G
1. Reg. 8.a
1 Cor. 15.g
Heb. 2.d
Ezec. 19.d
a non dormiam quin hoc fecero.

CAPVT XIIII.

CRimen commisit Samaria, quæ à Deo suo defecerit: ense cadent: eorum & impuberes collidentur, & grauidæ dissecabuntur. Redi, Israelita, ad Iouam Deum tuum: quoniam tua culpa lapsus es. Adhibete uerba, & ad Iouam redite, eique dicite: Omne cõdona crimen, & accipe bonum, & nos labrorum nostrorum tauros soluemus. Non nos seruabit Assyrius, nõ in equis equitabimus, nec dicemus amplius deos nostros opus nostrarum manuum, cum tuum sit misereri pupilli. Medebor eorum ª auersationi, eos mea spõte amans: quippe mea in eos ira coercita. Ero Israelitæ, quasi ros quidã: germinabit in modũ rosæ, agetque radices more Libani. Procedẽt eius surculi, eritque eius decus oleæ simile: & odorẽ habebit, qualis est Libani. Redibũt in eius umbra habitaturi, uiuẽt frumento, & uitis more pullulascent: eius memoria erit ᵇ ut Libaniũ uinum. O' Ephraimita, quid mihi amplius rei est cum simulachris? Ego eum exoratus respiciam: ego uirentis pinus similis, ex quo eodem me tuus fructus extat. Qui sapiens & prudens erit, hæc intelliget ac cognoscet: nam rectæ sunt Iouæ uiæ: in eisque & iusti gradiuntur, & sontes offendunt.

B
C
a defectioni.
b suauis & honesta.
D

IOEL.

CAPVT I.

Iouæ sermo habitus ad Ioelem Phatuelis filium.



AVDITE hoc senes, & auscultate, quicunque terram incolitis, ecquid tale fuerit, uel uestris uel maiorum uestrorum temporibus. Hoc & uos natis narrate uestris, & uestri nati suis, & ipsorum nati posterorum generi. Erucæ reliquias consumpsit locusta: locustæ reliquias consumpsit bruchus: bruchi reliquias consumpsit rubigo. Expergiscimini ebriosi, plorate & eiulate omnes uini potores, ob ereptũ ex ore uestro laticem. Nam inuadit terram meam potens & innumerabilis ª gẽs, leonis dentibus, molares habens quales sunt uetuli leonis, quæ uineas meas uastas efficit, ficus'que decorticando nudas reddit, ac peruastat, dealbatis earum ramis. Eiula ut centone succincta uirgo, ᵇ ob iuuentæ suæ maritum. Sublatum est fertum & libamina ex æde Iouæ: lugent sacerdotes Iouæ ministri. Vastatus est ager, luget humus, quippe uastatum est frumentum, fœdatum uinum, perijt oleum. Dispudet agricolas, eiulant uinitores ob triticum atque ordeum: quippe agri messe perdita. Fœdatæ sunt uineæ, periere ficus: punica, palma etiam, & malus, breuiter omnis agri arbores aruerunt, fœdata humani generis uoluptate. ᶜ Amicite, & plangite, ô sacerdotes: eiulate altaris administri. ite, pernoctate in centonibus, ô ministri Dei mei, adempto ex ęde Dei uestri ferto ac libamine. Indicite ieiunium: proclamate ferias: conuocate senes, ô omnes incolæ, in

a locustæ.
b dũ luget.
C
c scilicet centones.
Infrà 2.d

læ,in ædem Iouæ Dei uestri, & Iouam implo-
D rate. O diē:propinquant enim Iouæ dies,ab o-
mnipotente uentura, sicuti uastitas,nimirū ante
oculos nostros aufertur alimētum ex æde Dei
nostri, gaudiū ac lætitia. Fracuerunt grana sub
glumis suis,destructæ sunt cellæ,euersa horrea,
quippe fœdato frumēto. O quàm ingemiscit
pecus:plorant armenta boū,quòd carēt pabulo:
etiam balantū greges mulctantur. Te Ioua in-
uocabo, quòd ignis stationes saltuum consum
psferit, et flāma omnes ruris cōbusserit arbores:
ipsæq; adeò terrestres quadrupedes ad te mu-
gient, quod exaruerint aquarum aluei: ignisq;
mansiones saltuum consumpserit.

CAPVT II.

Clangite tuba in Sione, strepite in sacro
monte meo,cōtremiscant uniuersi incolæ,
quoniam aduentat Iouæ dies,quoniam propin
quat dies tenebricosus ac caliginosus: dies nu-
bilus atq; ater. [a] Quàm diffunditur supra mon
tes aurora,tam multus potēsq; populus est,quā
tus neq; fuit unquam,neq; post eum ullis secu-
lorum annis futurus est. [b] Ante eum consumit
ignis, post eum flamma comburit. Edenensis
uiridarij similis est ante eum terra:post eum ua-
sta solitudo:nec quicquā est quod eum euadat.

a. ut aurora montes, sic locustæ, omnia occupant.

b. locustæ terram uastant, quasi incendium fit.

B Formam habent equorū formæ similem, & sic
currunt,ut equites. Qualis est quadrigarum so-
nitus, sic illi per montiū cacumina saliūt:qualis
est igneæ flammæ strepitus,stipulas consumen-
tis, tanquam potens populus ad pugnā instru-
ctus, quem tremant populi, omnium uultibus
pallorem contrahentibus. Militum more cur-
runt, bellatorum ritu scandunt muros, uadunt
sua quisq; uia, neq; de suis semitis deflectunt,
nec alij alios urgent, suo quisq; itinere uadunt,
ac per missilia ruunt illæsi. Vrbem peruadunt,
muros percurrūt,scandunt domos,per fenestras
intrant ut fures. Eorum aduentu contremiscit
tellus, commouetur cœlum, sol lunaq; obscu-
rantur, & stellæ suum splendorem amittunt: &
Ioua sonitum edit ante [c] suum exercitum: nam
permagnum est eius agmen. nam potentes sunt
qui eius mandatum exequuntur: nam ingens
est Iouæ dies,& terribilior, quàm ut eum quis
quam sustineat. Et tamen,inquit Ioua,redite ad
me toto pectore,cum ieiunio,ploratu ac plāgo-
re,& uestra corda lacerando, non uestes, redite
ad Iouam Deum uestrum:nam is est exorabilis
& misericors,ad iram tardus,multæq; clemen-
tiæ,qui se ab inferendo malo contineat. Quis
scit,an recōciliatus,se cohibeat,relinquatq; post
D [d] illum ubertatem, fertum, uiniq; libamen Io-
uæ Dei uestri? Clangite tuba in Sione, indicite
ieiunium, proclamate ferias, conuocate popu-
lum,indicite conuentum,senatores congregate,
conuocate paruulos ac subrumes: prodeat &
sponsus ex suo penetrali, & sponsa ex thala-
mo. Inter uestibulum & aram plorent sacer-
dotes Iouæ ministri, dicant que: Habe, ô Io-
ua, tuorum rationem, néue tuam hæreditatem

Mat. 13. c
Mar. 13. c
Luc. 21. e
Ezec. 32. b
Esa. 13. b
C
c. locustas.
Iere. 30. b
Amos 5. e
Soph. 1. d
Psal. 85. a
Ionæ 3. d
& 4. a
d. scilicet locustarum populum.
Supra 1. c

probro addixeris, ita ut eis imperent extranei,
ne quæratur apud cæteras nationes,ubinam sit
eorum Deus. Ita Ioua suæ terræ studio indu-
ctus,parcet suis: eis que exoratus,ita dicet: En
ego uobis frumentum, mustum, oleumq; mit-
ta m,quibus satiemini, nec cōmittam amplius,
ut probro sitis apud gentes. [e] Septentrionalem E
autem(qui [f] faciem ad orientale mare, & extre-
mum ad ultimū mare habet) à uobis amouebo,
& in inuiam desertamq; terram abigā, ita ut pu
trefactus,fœtorem exhalet:tam magna [g] ille fa-
ciet. Ne metue,tellus,gesti lætitia:nam magna
Ioua faciet. Ne metuite, ô terrestres pecudes:
nam & saltuosæ regiones stirpes edent,& arbo
res fructus suos ferent: ficus uitesq; uim suam
exerent. Et uos ô Sionij, gestite lætitia in Ioua
Deo uestro: dabit enim uobis doctorem ad iu-
stitiam,demittetq; & primorē, & seriorem plu
uiam in primis, ita ut & areæ farre compleanť,
& torcula musto & oleo redundent: reddamq; F
uobis annonas,quas comederint locustæ,cen-
tipedæ,rubigo, & eruca, meus ingens exerci-
tus, quem in uos immisero: comedetis que ad
satietatem,& Iouæ Dei uestri nomen collauda-
bitis,qui uobiscū tam mirificè egerit,nec meos
pudebit unquam: scietisq; me inter Israelitas
uersari, me Iouam Deum uestrū, præter quem
nullus sit: nec meos pudebit unquam. Post ea
autem perfundam omne genus hominum meo
spiritu:uaticinabunturq; uestri filij & filiæ,ue-
stri & senes somnia somniabunt, & iuuenes ui
siones uidebunt: quin & seruos & ancillas il-
lis temporib. meo spiritu perfundā, daboq; in
cœlo ac terra prodigia,sanguinem, ignemq;,&
fumi exhalationem: sol in tenebras uerteť, & lu
na in sanguinem, antequā ueniat Iouæ dies in-
gens ac terribilis: ac quicunq; Iouæ nomen in-
uocauerit,euadet. Siquidem in Sione monte,ac
Hierosolymis,erūt qui euadant,quemadmodū
ꝓmittit Ioua: ac in reliquis,quos Ioua uocabit.

e. locustas, à septētrionibus inuectas.

f. totā terrā ab altero mari ad alterum occupat.

g. scilicet Ioua.

Act. 2. c
Esa. 44
G
Mat. 24. c
Luc. 21. e
Rom. 10. c

CAPVT III.

Nam illis diebus, illoq; tempore, quo Iu-
dæos ac Hierosolymitanos captiuos re-
uocabo,colligā gentes omnes,& in [a] Iosaphati
uallem deducā, atq; ibi cum eis iudicio conten
dā de Israelitis meo populo ac hæreditate,quos
per gentes dissipauerint,meamq; terram partiti
fuerint: & de meis iacta sorte,pueros cum scor-
tis permutauerint: puellasq; uino uendiderint
ac potauerint. Vobis quoq; quid mecum rei est
ô Tyre & Sidon, omnesq; Palæstinæ tractus?
Vtrum mihi uos refertis, an potius confertis?
Ego celeriter & citò uestra merita in uestrū ca-
put referam, qui argentū aurumq; meū capitis,
& bonorū meorū elegantissima quæq; infertis
in uestra palatia: Iudæosq; & Hierosolymita-
nos Græcis uenditis,ut à suis finibus remoue-
antur. At ego eos ex loco,in quem uos eos uen
dideritis, excibo, & uobis in caput meritū ue-
strum rependā: uestrosq; natos & natas Iudæo-
rum opera uendā, qui uēdent eos Sabæis in gen
tem longinquam: quoniam Ioua loquitur. Pro-
clamate

a. significat uerbū hoc, Iouæ iudicium.

clamate hoc per gentes, bellum indicite, cōcite milites: accedant, proficiscantur, bellatores o- C
mnes, cudite uomeres uestros in enses, et falces in lanceas: [b] dicat se fortem imbellis. Coite & conuenite gentes omnes undiq;, & eò congregamini, ubi sternet Ioua tuos milites. Cōcieantur & proficiscātur gentes in uallem Iosaphati. nam ibi sedebo ad iudicandum gentes omnes undiq;. Immittite falcē, maturuit enim messis. adeste, descēdite: nam refertū est prelū, redundant torcula, tanta est eorū improbitas. Turbæ, turbæ in ualle Seueritatis: nam propinquat Iouæ dies in ualle Seueritatis. Sol & luna obscurabuntur, & stellæ splendorem suū amittent, & Ioua ex Sione rugiet, ex Hierosolyma sonitum dabit, commouebiturq; cœlū atque terra: cum tamē Ioua suis erit fiducia, Israelitis firmamentum: scietisq; me esse Iouam Deum uestrum, D
Sionis incolam, mei sacri montis. eritq; Hierosolyma sancta, nec amplius eam peragrabunt alieni. Atque eo tempore stillabunt montes laticem, colles'que lacte manabunt, & omnes aluei Iudææ scatebunt aqua, oriente ex Iouæ templo fonte, qui flumē Sittim adaquet. Aegyptus erit deserta, & Idumæa erit deserta solitudo, ob inhumanitatem in Iudæos, qui insontem sanguinem in sua terra fuderint. Iudæa autem semper, Hierosolyma perpetuis habitabitur seculis: eorumq; sanguinem expiabo, quos non expiauero, & habitabit in Sione Ioua.

b summa ope pugnādū est, etiā imbellibus, tantum instat bellū.

Apoc. 14. d — Suprà 2. g — Ier. 25. f. — Amos 1. a

AMOSVS.

CAPVT I.



EFFATA Amosi, qui ex Thecuanis pastoribus fuit: quæ de Israelitis, temporibus Oziæ Iudææ regis, & Ieroboami Ioæ filij, Israelitarum regis, biennio ante terræmotum his uerbis edidit. ¶ Rugiēte ex Sione Ioua, & sonitū à Hierosolymis dante, lugebunt pastorum nationes, arescet'que Carmeli caput.

Zac. 14. a — Iere. 25. f — Ioel 3. c

Sic dicit Ioua: Ob tria Damascenorum, quatuorq; peccata, non retraham eos, qui Galaaditas ferreis tribulis triuerint. Itaque immittam
B in Hazaelis domum ignem, qui Benadadi consumat arces: effringamq; claustra Damasci, & excindam habitatores ex Bacathauene, & sceptriferum ex Bethedene: relegabiturq; Syrus populus Cyrenem, inquit Ioua.

In Damascum.

Sic dicit Ioua: Ob tria Gazæorū quatuorq; peccata non retraham eos, qui pleno exilio [a] relegauerint, addicendo Idumæis. Itaque ignem immittam in Gazæ muros, qui eius consumat arces: excidāq; & Azoti habitatores, & Ascalonis sceptriferum, & manū in Accaronem conuertam: efficiamq; ut pereant Palæstinorum reliquiæ: inquit Dominus Ioua. C

In Gazæos — a scilicet Israelitas.

Sic dicit Ioua: Ob tria Tyriorum quatuorq; peccata non retraham eos, qui prorsus exules addixerint Idumæis, fraterni fœderis immemores. Itaq; immittam in Tyri muros ignem, qui eius consumat arces. D

In Tyrios.

Sic dicit Ioua: Ob tria Idumæorū quatuorq; peccata nō retraham eos, qui gladijs fratres suos persecuti sint, & abolita humanitate per iram rapuerint, atrocitatemq; suam retinuerint perpetuò. Itaq; ignem immittam in Themanem, qui Bosranas consumat arces.

In Idumæos.

Sic dicit Ioua: Ob tria Ammonitarum quatuorq; peccata non retraham eos, qui Galaaditicas dissecuerint grauidas, ut fines suos amplificarent. Itaque incendā Rabbæ muros igne, qui eius consumat arces, cum clamore in die prælij, cumq; tempestate, die procelloso: ibitq; eorum rex in exilium, unà cum suis proceribus: inquit Ioua.

In Ammonitas.

CAPVT II.

SIc dicit Ioua: Ob tria Moabitarū, quatuor'que peccata non retraham eos, qui Idumææ regis ossa combusserint in fauillā. Itaq; immittam in Moabitas ignem, qui Cariothenses consumat arces: efficiamq; ut moriantur tumultuosè Moabitæ cum clamore & tubæ sonitu, excidamq; eum qui in [a] ea est gubernatorem, & omnes regionis principes unà cum ipso perimā: inquit Ioua.

In Moabitas. — a Moabitide.

Sic dicit Ioua: Ob tria Iudæorum quatuorq; peccata non retraham eos, qui Iouæ legem repudiauerint, nec eius instituta conseruauerint, B
sua decepti perfidia, quam secuti erant eorū patres. Itaq; immittā in Iudæam ignē, qui Hierosolymitanas consumat arces.

In Iudæos.

Sic dicit Ioua: Ob tria Israelitarū quatuorq; peccata nō retrahā eos, qui insontes argento, & pauperes calceorum causa uēdant, qui humi in puluere tenuium capita pessundent, [b] inopūq; uiam flectant, & eandē puellā cōprimant filius & pater, quo profanetur sacrū meū nomen, inq; uestibus pignoratitijs passim apud aras decumbant, & multatitiū uinum in æde sui Dei potēt. C
Atqui ego eorum causa Amorræos deleui, qui & proceritate cedros, & robore æquabant robora: eorūq; & fructū super, & radices subter perdidi. Ego idem uos ex Aegyptia terra eduxi, & per deserta annis quadraginta duxi, ad occupandam terram Amorræam, & ex uestris filijs uates, & ex adolescētibus Nazaræos constitui. An non hoc ita est, ô Israelitæ, inquit Ioua. At uos & Nazaræis uinum datis bibere, D
& uates uaticinari uetatis. En ego [c] sub uobis strideo, quemadmodum stridet plaustrū, quod est manipulis refertum. Itaq; & fugam amittet uelox, neq; ualidus suis uiribus ualebit, neque miles suam uitā tuebitur, nec sagittarius consi-

In Israelitas. — b inopum uitæ offi-ciāt. Nam uia est, uitæ cursus. — Num. 21. e — Deut. 2. f — Exod. 14. e — c grauatim me, tædet me uestri.

stet, neque celer pedibus suis euadet, nec eques suam uitam seruabit, et militum animosissimus nudus fugiet illa die, inquit Ioua.

CAPVT III.

AVdite dictũ hoc, quod uobis pronunciat Ioua, Israelitæ, ad totam nationem, quam ex Aegyptia terra eduxi: Vos ego duntaxat, inquit, noui ex omnibus terræ nationibus: itaq; in uos omnia uestra crimina animaduertam. [a] Num faciũt duo simul iter, quin sint coniũcti? num rugit in sylua leo, quin prædã habeat? nũ uocẽ emittit in lustro suo iuuenis leo, quin ceperit? nũ cadit auis in laqueũ humi, quin sit ei tendicula? num tollitur à terra laqueus, quin ceperit? num clãgitur in urbe tuba, quin populus expauescat? aut est in urbe malũ, quod Ioua nõ fecerit? Nõ facit enim Dominus Ioua quicquam, quin arcanũ suum seruis suis uatib. patefaciat. Leone rugiente quis nõ metuat? Domino Ioua loquẽte quis nõ uaticinetur? Nunciate per arces Azotias, perq; arces Aegyptiæ terræ, & dicite: Cõuenite ad Samariæ mõtes, & uidete quot in ea turbæ, quot iniuria oppressi sint, utq; nihil sanum sciant facere, inquit Ioua, qui iniuititiam perniciemq; congerunt in suis arcibus. Itaq; sic dicit Dominus Ioua: Premetur obsessa terra, deq; tua deturbabere potentia, & tuæ diripientur arces. Sic dicit Ioua: Vt eripit pastor ex leonis ore duo crura, aut auriculam: sic [b] eripientur Israelitæ, qui Samariæ [c] in cubilium spondis & lectis Damascenis habitant. Audite, & Iacobeorum domum commonete, inquit Dominus Ioua Deus armipotens. Nam qua die Israelitarum peccata in ipsos animaduertam, animaduertam & in Bethelenses aras, truncatáque aræ cornua decutiam ad terram, hybernasq; pariter & æstiuas domos ita subigam, ut eburneæ domus lugeant, aboleanturq; multæ domus, inquit Ioua.

a ut hæc uera sunt, sic uerũ est, ciuium calamitatis autorem esse Iouam.
B
C
b rapientur euadentq; pauci.
c molliter, & delicatè, uiuunt, ut declaratur cap. 6.
D

CAPVT IIII.

AVdite dictum hoc, ô Basanicæ buculæ, quæ estis in monte Samariæ, quæ tenuibus facitis iniuriam, quæ pauperes quassatis: quæ dominis uestris dicitis, Afferte quod potemus. Iurat Dominus Ioua per sanctitatem suam, futurum esse ut uos scutis, uestramq; posteritatem [a] lenunculis auferat, egressæq; sparsim diuersæ proijciamini in Armonam, inquit Ioua. Ite Bethel, & peccate, Galgalis multum peccate, & afferte manè uestra sacrificia, tribus diebus uestras decumas, & adolete ex fermẽto gratiarum actionum, ac uoluntaria sacra proclamantes nunciate: quandoquidem ista facere amatis, Israelitæ, inquit Dominus Ioua. Et quamuis ego uobis [b] dentium immunitatem, cibiq; egestatem per omnia oppida locaq; uestra dederim, non rediistis ad me, inquit Ioua. Quamuis pluuiã à uobis auerterim, cum ad messem superessent adhuc tres mẽses, & in hanc urbem pluens, in illam non pluerem, alius'que fundus complueretur, alius non compluitus areret, ita ut duo triaue oppida ad unũ oppidum aquandi gratia confluerent, neque satiarentur, non tamen ad me rediistis, inquit Ioua: Affeci uos uredine ac rubigine: quantũ uobis erat hortorum, uinearum, ficetorũ, ac oliuetorum, consumpsit eruca: nec tamen rediistis ad me, inquit Ioua. Immisi pestem uobis [c] Aegyptio more: peremi ferro iuuenes uestros cum equorum uestrorum abactu, ita ut [d] agmina uestra fœtorem etiam in nares uestras exhalarent, neque tamen rediistis ad me, inquit Ioua. Euerti uos quomodo diuinitus euersa est Sodoma & Gomorra, ita ut similes sitis torris ex incendio erepti: nec tamen rediistis ad me, inquit Ioua. Quamobrẽ sic tecum agam, Israelita: & quoniam sic tecum agam, compone te in occursum Dei tui Israelita. Est autem montiũ conditor, uentiq; creator, quiq; homini quæ sint eius cogitata, indicat, auroræ facit obscuritatem, & terræ fastigia supergraditur: is est nomine Ioua Deus armipotens.

a hoc est, per aquam.
B
b famem.
C
c ut in Aegyptios, cũ illic essetis.
d uestri milites interficerentur, ac sub dio insepulti iacerent.
D
Gen. 19. e

CAPVT V.

AVdite dictum hoc, quo ego utor in uos lamentabili, domus Israelis. [a] Cecidit nõ amplius surrectura uirgo Israel, humi derelicta, alleuante nullo. Sic enim dicit Dominus Ioua. [b] Quæ Israeliticæ domus urbs mille emittebat, retinebit centum: & quæ centum emittebat, retinebit decem. Sic enim dicit Ioua Israelis domui: Quærite me, & uiuetis: néue quærite Bethel, néue Galgala ite, néue Bersabam concedite: nam & Galgal relegabitur, & Bethel fiet [c] nefas. Quærite Iouam, & uiuetis, & ipse inuadat ut ignis domum Iosephi, qui ita Bethel consumat, ut non sit qui extinguat: qui ius in [d] absynthium uertitis, & æquitatem humi deseritis. Qui Arcturum Orionemq; fecit: qui [e] ferales tenebras conuertit in matutinum, & nocte diem obscurat: qui maris aquas euocat, & in terræ superficiem refundit, Ioua nominatur: qui ualida pernicie fortes petit, facit'que ut inuadat munitiones pernicies. Oderunt in curia reprehensionem, & sincerè loquentem abominantur. Itaque quoniam tenues prædamini, & ab eis [f] farris accipitis onus, quas quadrato lapide domos ædificastis, in eis non degetis: & quas elegantes panxistis uineas, earum non bibetis uinum. Nam uestra tot tanta'que peccata ac scelera noui, qui premitis insontes, accipiendo precium ob absoluendum, & pauperes in senatu labefactando. Itaque [g] qui sapiet, hoc tempore tacebit, quoniam tempus malum est. Quærite bonum, non malum, ut uiuatis, atque ita uobis adsit Ioua Deus armipotens, quemadmodum petitis. Oderitis malum, amate bonum, & æquitatem in curia constituite, si fortè gratiam faciat Ioua Deus armipotens reliquijs Iosepheorum. Ergo sic dicit Ioua Deus armipotens Dominus: Per omnia fora plangor erit, per'que uicos omnes eiulabitur, & ad luctum uocabuntur agricolæ, & ad plangorem, lamentandi periti: in'que uineis omnibus erit plangor, me inter uos grassante,

a Præterito, pro futuro utitur ad rem magis exprimendam.
b in qua erant mille uiri.
B
c ut nefariũ punietur. Vide Ioel 10.
d acerbissimam iniuriam.
e noctem. Infrà 9. b
C
f suos primarij accipitis munera, ut ante lege. Soph. 1. c
D
g Veritas odiũ parit.
Rom. 12. b
Psal. 36. d
E
Iere. 9. b

Ioel 2.c
Soph.1.c
b. tristis, nó lætus.

fante, inquit Ioua. Heu qui Iouæ diem cupitis: quorsum uobis tandem Iouæ diem? qui b tenebricosus est, non lucidus: perinde ac si quis leonem elapsus, occurrat urso: aut eum cum domum uenerit, & manum ad parietem applicuerit, mordeat anguis, nimirum tenebrosus est Iouæ dies, non lucidus: caliginosus, & splendoris expers.

F
Esa.1.d
Mala.2.c

Odi, respuo uestra festa, nec ferias uestras olfacio. Et quamuis mihi solidas hostias immoletis, & ferta obmoueatis, non mactus fio, nec opima ista pro salute sacrificia aspicio. Apage sis à me carminum uestrorum turbam: neque nablorum uestrorum cantum audio. a Fluat ut aqua ius, & iustitia ut fluuius uehemens.

a. abundet.
Acto.7.c

Num mihi uictimas & fertum obmouistis in solitudine annis quadraginta, domus Israelis? imò uestri regis umbraculum tulistis, signumque uestrorum simulachrorum, sidus Dei uestri, quod uobis feceratis: itaque uos ultra Damascum relegabo, inquit Ioua nomine Deus armipotens.

CAPVT VI.

Luc.6.d

HEu securos in Sione, & fidentes in monte Samariæ, qui montes sunt omniũ (qui usquam gentium extant) illustrissimi atque primi, & in quos ueuerunt Israele prognati: cõierte uos Calanem, et uidete: atque illinc ite Hematham magnam, & ad Getham Palæstinorum descendite, a num sitis regnis istis præstantiores? an potius eorum fines fuerint uestris finibus ampliores? qui à se triste tempus amouent, & in iustitiæ sede utuntur: qui in lectis cubantes eburneis, luxuriantur in suis cubilibus, & ouilium agnos, & ex medio saginario uitulos comedunt: qui nablo numeros modulantur, sibi Dauidis ritu instrumenta musica commenti: qui phialis uinum potãt, præcipuis unguẽtis delibuti, neque Iosepheorum calamitatem dolent.

a qui regna illa uestro maiora deleui, & uestra ne deleam possum, ne fortè uestris montibus confidatis.
B

Quamobrem iamiam relegabuntur inter exulum præcipuos, amoris luxuriosorum epulis. Iurat Dominus Ioua per semetipsum, ait Ioua Deus armipotens: Abominor ego Iacobeorum superbiam, eorumque arces odi, & urbem, quodque ea continetur, ita afficiam, ut si super fuerint in una domo homines decem moriant, & eos eorum patruus sublatos cremabit, ut efferat ossa domo, dicetque ei qui erit ad latera domus: superest'ne ullus apud te? Nemo, inquiet. Et ille c Pax: inquiet: neque enim eò memorandum est Iouæ nomen.

C
Ier.51.b
b retũ quidem ad Iouæ dibũt.

Nam futurum est, ut Ioua maiorem domum ruinis, minorem rimis curet labefactandam. Num per rupes aut equi currẽt, aut bobus arabitur? ut uos ius in fel, & æquitatis fructum in absynthium uerteritis? qui ab re gaudetis, iactantes uos uestris uiribus comparasse uobis cornua. Ego uerò in uos suscitabo, domus Israelis, inquit Ioua Deus armipotens, gentem quæ uos ab Hemathæ regione ad occiduum fluuium uexabit.

D

CAPVT VII.

HViusmodi quiddã ostẽdit mihi Dominus Ioua. Fingebat locustas initio incrementi fœnicordi. Erat autem cordum post regis fœnisecium. Igitur cum terrestres planè consumerentur herbæ, ego ita dixi: Domine Ioua ignosce quæso: quis Iacobeum eriget, qui tantillus est? In eo continuit se Ioua. Non fiet, inquit Ioua. B

Huiusmodi quiddam ostendit mihi Dominus Ioua. Vocabat ad certandum ignem Dominus Ioua, qui uastum pelagus, quique agrum consumebat. Et ego: Domine Ioua, desine quæso: quis Iacobeum eriget, qui tantillus est? Continuit se in eo Ioua, ne hoc quidem fiet, inquit Dominus Ioua. Tale quid ostendit mihi. Stabat Dominus super muro regulari, habens in manu regulam. Et Ioua mihi: Quid tu uides, inquit, Amose? Regulã, inquam. Et Dominus: En ego a ponam regulã, inquit, inter meos Israelitas, quam non amplius transcendam, ut Isaacidarum sacella uastentur, & Israelitarum sacraria desolentur, consurgam'que gladio in Ieroboami domum.

a immutabili decreto statuam.

Misit autem Amasias sacerdos Bethel, ita significatum regi Ieroboamo: Coniurat in te Amosus apud Israelitas garrulitate genti intoleranda. C Sic enim dicit Amosus, Ieroboamum ferro moriturum, & Israelitas à sua patria relegandos. Item'que ipsum Amosum sic est allocutus Amasias. Fatidice abi, aufuge in Iudæam terram, & ibi cibum cape, ibi uaticinare. Bethele quidem nolito amplius uaticinari: nam regia domus, regium'que fanum est. At Amosus sic Amasiæ respondit: Neque uates ego, neque uatis filius eram, sed bubulcus, & caprificarius. D Verùm abduxit me Ioua ab agendis ouibus, mihique mandauit ut irem uaticinatum in suos Israelitas. Quapropter audi Iouæ dictum. Tu me uetas in Israelitas, & in Isaaci domum uaticinari ac b fluere. Ergo sic dicit Ioua: Vxor tua in urbe stuprabitur, tuique filij ac filiæ armis occumbent, & tua terra linea diuidetur, & tu in impura terra morieris, & Israel ita à sua patria exulabunt.

b oracula fundere.

CAPVT VIII.

TAle quid ostendit mihi Dominus Ioua: Erat corbis æstiua. Atque ille: Quid tu uides, Amose? inquit. Cui ego: Corbem æstiuam. Et Ioua: Venit exitus meis Israelitis (inquit mihi) quem ego exitum iam non transcendam, eiulabuntque a delubri carmina illo die, inquit Dominus Ioua, multis ubique locorum prostratis cadaueribus, b pax. Audite hoc qui pauperes pessundatis, & regionis inopes abolet is, c dicentes: Ecquando præterierit nouilunium, quo cibaria uenundemus? & Sabbathum, quo far aperiamus? d imminuto ephi, aucto siclo, & fallaciter uitiata trutina, ut tenues argento, ut pauperes ob calceos emamus, ac farris quisquilias uendamus. Iurat Ioua e de Iacobeorum superbia, nunquam se tot eorum facinora obliturum. Scilicet non contremiscet hanc ob rem terra? non lugebunt eius omnes incolæ, & tota fluminis in morem tumens, disijcietur, ac redundabit ut Aegyptium flumen

a qui in delubro cantant.
b. quæ res stuporẽ et silẽtiũ faciet.
c uellent nullas esse
B
ferias ut quotidie lucrum facerent.
d curtis mẽsuris uendunt, & grauiori pondere nummos accipiunt.
e Cõfer cum cap.6
C

Tob. 2. b. 1. Mach. 1. e. f. calamitatem terrilia importabo.

men? Atque illa die, inquit Dominus Ioua, f faciam ut occidat in meridie sol, terramque clara die tenebris obducam, uestraque & festa in luctum & carmina omnia in lamentationem cōuertam, atque omnia & latera centonibus, & capita glabreto obtegam, eamque ad extremum in eum statum redigam, qui est cum acerba die lugetur unicus filius. Futurum est, inquit Dominus Ioua, ut immittam famem in terrā, nō famē panis, aut aquæ sitim, sed audiendi g Iouæ dicta, ita ut ab altero mari ad alterum pererrent, & à septentrionibus ad orientē peragrent, quærendo Iouæ dicta, nec tamē inueniant: cum quidem formosæ uirgines iuuenesque siti exanimabuntur, qui per Samaritanum h crimen iurant, dicuntque: Viuat deus tuus Dan, & uiuat i Bersabanum iter: ij cadēt, non amplius surrecturi.

D

g. oracula. Vide Mic. 3

h. deum, in quo crimē inest.

i. is Deus qui Bersabam aditur.

C A P V T I X.

VIdi stantem super ara Dominum, & dicentem: Percute tholum, ut commoueantur limina, eosque uniuersos in caput cōfice: quos ego ad extremum ita ferro perimam, ut eorum nemo effugiat, nemo euadat. Etiāsi ad inferos penetrauerint, eos illinc mea manus petet: etiamsi cœlū scanderint, illinc eos detraham: & licet in Carmeli uertice latitent, eos ego inde perscrutatus petam: licet sese ex oculorum meorum conspectu in fundo maris abstrudant, illic a serpens, iubente me, mordebit eos: & si captiui ante suos hostes abierint, illic eos ensis mandāte me trucidabit, daboque operam ut lædantur, non ut iuuētur. Est autem is Dominus Ioua armipotens, b quo tangente terra liquefit, lugentibus eius omnibus incolis, totaque fluminis in morem tumēs stagnat ut amnis Aegyptius: qui suos in cœlo gradus ædificauit, suumque c nodum fundauit in terra: qui euocatis maris aquis, terram perfundit, nomine Ioua. Nimirum d uos mihi perinde ac Aethiopes estis, Israelitæ, inquit Ioua: nimirum & Israelitas ex Aegypto, & Palęstinos ex Cappadocia, & Syros ex Cyrene eduxi. Cum'que ego Dominus Ioua dem operam, ut improba regna ex orbe terrarum aboleam, non tamen abolebo Iacobeorū genus, inquit Ioua: sed curabo quidem agitandū per omnes gentes genus Israeliticum, e sicut agitatꝰ uānus, nec tamen cadunt ad terram grana. Armis occumbent omnes meorū improbi, qui sibi negant euenturum aut occursurum esse malum. Illo tempore erigam collapsum Dauidis tabernaculum, eius'que & interrupta obstruam, & diruta erigam, & id in pristinum statum reponam, ut possideant Idumæorum omniumque f à me de nominatarū gentium reliquias, inquit huius rei autor Ioua. Futurū est (inquit Ioua) ut & messorem arator, & uuarum calcator satorem attingat, fluantque latice montes, & colles omnes circumfluant: meorumque Israelitarum captiuos reuocabo, qui uastatas urbes instaurabunt & incolent, uineasque pangent, ac earum uinum bibent: & hortos facient, eorumque fructibus uescent: eosque sic in sua terra pangam, ut non amplius euellantur ex suà terra, quam eis dedero, inquit Ioua Deus tuus.

Psal. 138. 4

a. Leuiathā, hoc est balæna.

Iere. 44. e

B

b. Cōfer cū cap. 4

Suprà 5. c

e. Terrā solidā firmamque quasi nodū quendam fixit, ubi pedes poneret.

d. Quamuis tam sitis improbi, quā nigri sunt Aethiopes, non tamen uos, ut alios delebo. Vide Abdiam & Eze. 14. & Ier. 30

C

e. ut aceres ex uanno, non grana eijciuntur, sic ego malos perdēs, seruabo electos.

D

Act. 15. c

f. Iouanarū, hoc est, mearum.

A B D I A S.

Abdiæ oraculum.



SIC dicit Dominus Ioua Idumææ. Hæc nos auditione accepimus à Ioua, misso per gentes legato. Surgite, cō surgamus in eam bello. Cum ego te gentium minimum effecerim, ita ut sis contemptissimus: tu animi fastu turges, habitans in rupium mandris, quæ tuæ sedis altitudo est, sic animo cogitans: Quis me deprimet ad terram? Etiamsi te ut aquila euexeris, adeoque nidum tuū posueris inter sidera, inde ego te detraham, inquit Ioua. a Si te fures, si nocturni grassatores inuasissent (o quā depopulatus es?) profectò furati essent quantum ipsis fuisset satis. Si te uindemiatores aggressi forent, profectò reliquissent racemos. At quàm peruestigati sunt Esaini? quàm perquisita eorum intima? Vsque ad confinia te deducunt omnes tui fœderati, te deceptum uicerunt homines, qui erant erga te pacati: tui conuictores b tibi uulnus subiecerunt imprudenti. Nimirum illo tempore, inquit Ioua, perdam Idumææ sapientes, & Esaini montis prudentiam: pauebuntque tui milites, ô Theman, ut homines ex Esai monte occisione extirpentur. Tu ob inhumanitatem in fratrem tuum Iacobeum, pudore operièris, & excidêris in perpetuum. Cum tu contrà stares, cum captiuas abigerent alieni copias eius, & alienigenæ portas eius adorti, ducerēt super Hierosolyma sortem, tu quoque sicut'eorum unus eras. c Ne uerò aspicito fratrum tuorum diem, cum d alienabuntur, néue de Iudæis gaudeto tum cum peribunt, néue e ore insolescito aduerso tempore. Ne ito ad meorum portam, cum erit eorum exitium: ne specta tu quoque eorum malum, cum erit eorum exitium: néue inueharis in eorum copias, cum erit eorum exitiū: néue steteris ad uiarum diuortia, ut eorū elapsos perdas: néue eorum reliquos dedideris aduerso tempore. Nam instat Iouæ dies aduersum gentes omnes: ut tu feceris, sic tibi fiet: par pari tuo capiti referetur. Vt enim potaueritis in meo sacro monte, potabuntur gentes omnes assiduè, & ita potando abligurientur, ut sint perinde ac si non fuissent. At in monte Sione erunt qui euadant, erit'que fanum, et possidebunt Iacobi posteri suas possessiones, eritque Iacobeorum genus ignis, & Iosepheorum genus flamma, & Esainorum genus pro stipula: eos'que illi cremabunt atque consument, ita ut ex Esainorum genere nullus supersit, quoniam Ioua loquitur. Possidebunt autem australem Esainorum

In Idumæos Ier. 49. c

B

a. Vide Ierem. 49. c

C

Esa. 29. e

b. pro puluinis, qui solent in conuiuijs supponi, tibi aliquid durū potius, & quod uulneraret, supposuerūt, hoc est te prodiderunt.

D

c. ne gaudeto. nā quæ placent aspicimus, quæ displicent auersamur.

E

d. in alienū solū abducentur.

e. uerbis.

F

G Esainorum montem, depressaq; loca Palæstinorum, & Ephraimiticum Samaritanumq; agrum tenebunt, & Beniamitæ Galaaditidem. Istius autem Israelitarum exercitus exules, qui Chananæi sunt ad Sarephath, & exules Hierosolymitani, qui erūt in Sepharad, occupabunt australes urbes, existentq; seruatores in Sione monte, qui Esainorū montem ulciscant̄, eritq; Iouæ regnū.

IONAS.

CAPVT I.

Ionam mittit Ioua Niniuen.



IONAE Amittæi filio mandauit Ioua, ut ad Niniuen maximam illam urbem proficisceretur, & aduersus eam prædicaret, eius scelera in Iouæ conspectum ascendisse. At Ionas fugiendi Iouæ gratia, in Ciliciam ire contendit, et ad Ioppen descendit: nauemque nactus, quæ in Ciliciam iret, dato naulo conscendit, ut cum illis in Ciliciam, Iouam deuitans, perueniret. Sed
B Ioua tantū uentū in mare concitauit, tantaq; tempestas in mari coorta est, ut nauis propemodum rumperetur. Qua re perterriti nautę suum quisq; Deum inuocare, & leuandi nauigij gratia iacturam facere: cum Ionas interea degressus ad nauis latera, cubans dormiret. Quem aggressus nauicularius sic alloquitur: Quid dormis? surge, inuoca Deum tuum, si fortè ducet nostri rationem Deus, ne pereamus. Deinde inter sese ita dictitare: Agite, iaciamus sortes, ut sciamus ecquis nobis huius mali causa sit. Itaque iecerunt sortes.
C cumq; designasset sors Ionam, sic cum eo egerūt: Expone nobis quam ob rem hoc nobis mali acciderit, quæ sit ars tua, unde uenias, cuias sis, & unde gentium? Quibus ille respondit, sese Hebræum esse, & Iouam cœlestem Deum uereri, qui mare terramq; fecisset. Hic homines, postquam eum Iouæ conspectum fugere ex eius indicio cognouerunt, eum ingenti metu perculsi, sic alloquuntur: Cur istud fecisti? Quid nos tibi faciemus, ut nobis placetur mare? nam mare magis magisq; æstuabat. Quibus ille: Tollite me, inquit, & in mare deijcite: ita uobis pacabit̄ mare. Scio enim ego, uos mea causa hac tanta tempe-
D state uexari. At homines ad terrā eremigare conari: quod cum non possent, propterea quod gliscebat in eos assiduè maris tempestas, Iouā huiusmodi uerbis implorarunt: Quæsumus te, Ioua, ne propter huius hominis animā pereamus, neue à nobis sanguinis innocentis pœnas repetas. nam tu, Ioua, arbitratu tuo facis. Deinde sublatum Ionam, in mare deiecerunt, atque id sæuire desijt. Itaq; homines Iouam magno metu reueriti, Iouæ sacrificium fecerunt, uotaq; nuncuparunt. Præparauerat autem Ioua ingentem piscem ad Ionam absorbendum: cuius in piscis uentre fuit Ionas tres dies, ac tres noctes, & in eo piscis uentre Iouam Deum suum precatus est his uerbis:

a. ne nos tāquā insontis interfectores puniās.

Mat. 12 c 16 a Luc. 11 d 1. Cor. 15. a

CAPVT II.

Ionas Iouā precatur. *Psalm. 119. a*

TE ego Ioua in meis angustijs inuoco, & tu mihi exoraris, meam ex orci uentre orantis uocem audiens. Equidem ubi tu me in
B medium maris profundum pręcipitasti, cum fluctibus obruerer, & totis tuarum undarum gurgitibus opprimerer, uidebar mihi abs tuis oculis fugatus. Scilicet (inquiebam) tuam sacram cellam adhuc reuisam, cum aqua lethaliter circumfluar, *Psalm. 68. a*
C profundo adobruar, capite uorticibus circumuoluto subter ima montium deferar, & terræ claustris æternùm obstruar: & tu meam scilicet uitam, Ioua mi Deus, ab interitu extrahes? Igitur mihi ita animum despondenti, tu in mentem Ioua uenisti, & mea ad te precatio in tuam
D sacram cellam peruenit. Qui nequitiæ uanitatē retinēt, ij a suam relinquunt clementiam. At ego cum uoce gratiarum actionis tibi sacrificabo, & quæ uouero præstabo, ab Ioua salus est.

a. hoc est, Deum, qui alioquin est erga eos clemens.

CAPVT III.

TVm piscis Iouæ iussu Ionam in terram euomuit. & Ioua Ionæ iterum mandatum dedit, ut ad Niniuen magnam illam urbem proficisceretur, & id in eam proclamaret, quod ipse ei præcipiebat. Itaque Ionas Niniuen ex Iouæ mandato profectus est. Erat autem Niniue urbs diuinæ magnitudinis, tridui iter patens. In hanc urbē Ionas ubi processit unius iter diei, proclamauit fore ut post quadraginta dies Niniue euerteretur. At Niniuitæ Deo fidem habentes, ieiunium proclamare, & centones summi iuxtà infimiq; induere. Ea re ad Niniuæ regē perlata, surrexit ex solio, & deposito insigni suo operuit se
B centone, & sedit humi: iussitq; regis & eius primorum decreto per Niniuen pędicari, ac pronūciari, ne homines, neue pecora, siue maiora, siue minora quicquam gustarent, neue pascerent, aut aquam biberent. Tum illi hominibus pariter ac pecudibus, cētones indutis, Deum uehementer implorare, & sese à prauis suis moribus & iniustitia, quam exercuerant, reuocare, si fortè recon-
C ciliatus Deus, sese contineret, & ab iræ suæ feruore retraheret, atq; ita fieret, ut nō perirent. Itaq; Deus, uisis eorum factis, qui se à prauitate morū auocassent, cohibuit se, & à pœna, quam in eos irrogare statuerat, abstinuit.

Niniuitæ pœnitentiā agunt. *Matt. 12. d* *Luc. 11. e* *Ioel. 2. c* *Ierem. 18. b*

CAPVT IIII.

EA res usque adeò Ionæ displicuit, ut iratus, Iouam in hæc uerba oraret. O' Ioua, nimirum hoc meum dictum fuit, cum in mea patria essem: ideoq; in Ciliciam aufugere præoccupabam, qui scirem te Deum esse exorabilem ac misericordem, ad iram tardum, multæq; cle-
B mentiæ, & à supplicijs abstinentē. Quamobrem Ioua, aufer quæso hanc animam à me. Nam me mori, quàm uiuere, melius est. At Ioua eum interroga-

Psal. 85. a *Ioel. 2. c*

interrogauit, rectène irasceretur. Igitur egressus
C ex urbe Ionas, ad urbis orientem consedit, facto
sibi illic umbraculo, sub quo in umbra maneret
Iouæ cucurbita. donec uideret quid urbi accideret. Præparaue-
rat autem Ioua Deus cucurbitam, quæ superscā-
so Iona, eius capiti præberet umbram, eumq; ab
incōmodo defenderet: qua cucurbita Ionas ma-
gnopere gauisus est. Sed præparauit item Deus
uermem, sub ortum auroræ postridie, à quo per-
stricta cucurbita exaruit. Deinde sol exortus, in-
ducto diuinitus Euro penetrabili, Ionæ caput fe-
riebat, adeò ut æstuans, mortem oraret: mortem
D sibi, quàm uitam, potiorem dicens. Tum Deus:
Satis'ne rectè (inquit Iouæ) propter cucurbitam
irasceris? Rectè (inquit ille) irascor, uel ad mor-
tem. Et Ioua: Ergo tu cucurbitę causa mouearis,
inquit, quam nec elaborasti, nec auxisti: quæ una
nocte orta, una nocte periit: ego non mouear ob
Niniuen, tantā urbem, in qua sunt plusquā centū
uiginti hominū millia, qui dexterā suā à sinistra
dignoscere non norunt, & tam multa pecora?

MICHAEAS.

CAPUT I.



QVAE sermo habitus ad Michæam Morasti tam temporibus Iothami, Achazi, & Ezechiæ, Iudææ regum, quo Samariæ Hierosolymæque fata dixit.

Audite uni-
uersi populi, attende terra, et quod ea continetur,
Esa.26.d & erit uobis Dominus Ioua monitor, Domi-
nus ex suo sacro delubro. Etenim Ioua prodibit
ex suo loco, & degressus terræ fastigia supergra-
dietur, subterq; eum & montes liquescent, &
ualles findentur: illi ut igne cera, hæ ut aquis per
decliue præcipitantibus: idq; omne propter Ia-
cobeorum peccatum, & propter Israeliticæ do-
B mus scelera. Quod est autem Iacobeorum pec-
catum, nisi Samaria? aut quæ sunt Iudæorum sa-
cella, nisi Hierosolyma? Itaq; ego Samariam in
agreste rudus, in uinearum plantaria redigam:
congestis'que eius lapidibus in uallem, [a] eius
a. eam funditus diruā fundamenta patefaciam, atq; eius omnia simu-
lachra contundenda, omnem quæstum combu-
rendum curabo, omnia signa in uastitatem redi-
gam: quippe meretricio collecta quæstu, in me-
retricium quæstum redibunt. Hanc ob rem plā-
gens eiulabo, spoliatus & nudus incedens: plan
gorem draconum ritu, & luctum ut struthiones
edam, ob dirum eius uulnus, quod in Iudæam
peruenerit, quod ad popularium meorum portā,
ad Hierosolymam pertigerit. Apud Getham ne
nunciaueritis, ne ploratum edideritis: apud Be-
thaphram in puluere te uoluta. Commigrate Sa
phiris incolę, turpiter detecti: ne exeunto Saana
nis incolæ: Bethaeselensis luctus sumet à uobis
[b] statuū suum. Dolent enim ob bonū amissum *b. initium.*
Marothenses, quoniā descendit à Ioua malū ad D
portam Hierosolymæ. Iunge ueredis currū, in-
cola Lachis, quę puellæ Sioni peccati principiū
fuisti, quoniam in te reperta sunt Israelitarū pec-
cata. Ideoq; munera dabis ob Gethensem posses
sionem, domos Axibenses, Israelitarum regib.
fallaces. Aliquando depopulatorem tibi indu-
cam, incola Maresæ, ad Odollam ueniet Israeli-
tarum gloria. Glabresce & tondere ob tuarū de-
liciarum filios: habe glabretum quātum aquila,
quippe illis à te exulantibus.

CAPUT II.

HEu iniquitatem comminiscentes, malumq;
fabricantes suis in cubilibus, quòd primo
manè patrent, si modò sit eis in manu: qui quos
agros, quas concupiuere domos, eripiunt & au-
ferunt, & homines cum suis domibus & patri-
moniis opprimunt. Quamobrem sic dicit Ioua:
Ego contra nationem istam malū cogito: unde
ceruices uestras non subducetis, nec elatè ince-
detis: tam triste tempus erit. Tunc utentur de uo
bis sententia & lamentabili næniæ lamento, hu-
iusmodi uerbis: Perditi sumus, latifundiū meo-
rum popularium ille permutat: tantumq; abest B
ut mihi restituat, ut pro reddendo, agros nostros
partiatur. Itaq; non habebis qui funem iaciat in
sorte, in Iouano conuentu. Ne uaticinamini:
aut si uaticinantur, non talia uaticinentur, ne
probra comprehendant. O' dicta Iacobi domus,
est'ne contractus Iouæ spiritus? an ea est eius na-
tura? non'ne dicta mea bona sunt rectè gradien-
tibus? At meus antea populus in hostem surgit:
uos detracto uestibus honestamento, spoliatis C
prætereuntes securè, reduces à bello. Meorum
uxores ex suarum uoluptatum domo eiicitis, ab
earum infantibus auferentes meum decus in per
petuū. Surgite & abite, non est enim ista requies:
quoniam polluta est, uastabitur, idq; uastatione
dira. Siquis homo uentosus ambularet, & falsa D
dicens mentiretur, Vaticinabor tibi de uino ac
temeto: is esset huius populi fatidicus. Cogam
uos uniuersos, Iacobidæ, & congregatas Israe-
litarum reliquias simul collocabo, tanquam Bos
ranas oues, tanquam gregem in sua caula, tumul
tuantes præ hominum copia. Antecedet irru-
ptor eos: irrumpent, portamq; transibunt, & per
eam exibunt, præeunte eos ipsorum rege, & Io-
ua in eorum capite.

CAPUT III.

DIco autem, Audite quæso principes Iaco-
beorū, & Israeliticę domus gubernatores:
nimirum uestrum est nouisse ius, qui bonum ex-
osi, malum amant, detrahentes istis cutem & car
nem ab ossibus: quiq; [a] meorum carnem come- *a. ex meorum incōmodis sua comparant commoda.*
dunt, & eis cute dispoliatis, eorum ossa contun-
dunt, & tanquam in ollam cōcidunt, quasiq; car
nem in ahenū. Erit cum Iouam inuocabunt, nec
eos exaudiet, sed eis uultū suū subducet illo tē- B
pore, quemadmodū ipsi prauis morib. fuerint.

Sic pronunciat Ioua contra uates mei populi deceptores, qui dentibus mordent, & pacem proclamant: quòd si quis eis in os non iniiciat, indicunt ei bellum. Quapropter uos noctes & tenebras absque uisis ac diuinatione habebitis, occidetque uatibus sol, & dies obscurabitur, ac prae C pudore erubescent fatidici & diuini, sibique labra obuelabunt uniuersi, quòd aberunt diuina responsa: Caeterùm ego uirium à Iouae spiritu, iurisque & uirtutis plenus sum, ut Iacobeis & Israelitis suum peccatum & scelus exponam. Audite hoc, quaeso principes Iacobeorum, & Israeliticae domus gubernatores, qui à iure abhorretis, & omnem peruertitis aequitatem, Sionem (Ezech.22.f) D sanguine, Hierosolymam iniquitate construendo, cuius & principes ob munera iudicant, & (Ier.26.f) sacerdotes precio reprehendunt, & uates argento diuinant: & tamen Ioua nituntur, negantes, cum Ioua inter eos uersetur, euenturum sibi malum. (Esa.2.a) Hanc ob rem uestra causa Sion ager arabitur, & Hierosolyma erunt rudera, aedisque mons syluestria cacumina.

CAPVT IIII.

Fiet autem postremis temporibus, ut aedis Iouae mons sit in montium culmine fixus, & (Soph.3.a) collium editissimus, confluentque ad eum populi, & uenient multae gentes, dicentque: Agite, ascendamus ad Iouę montẽ, & ad Dei Iacobeorũ aedem, qui nos de suis uiis erudiat, ut eius semitis gradiamur. Nam ex Sione lex, ex Hierosolymis Iouae disciplina proficiscetur. Ille multis populis ius dicet, potẽtesque gentes procul castiga- B bit, cudentque ex ensibus suis uomeres, & spiculis falces: nec gentes aliae aliis arma inferent, nec amplius bella discent, degentque sub suis quisque uitibus ac ficubus, exterrente nullo, quoniam Iouae armipotentis os loquitur. Cum enim populi cuncti in sui quisque Dei nomine gradiantur, nos in Iouae Dei nostri nomine gradiemur, (Soph.3.d) in omnem perpetuitatem. Eo tempore (inquit (Luc.1.c) Ioua) congregabo [a] claudas, disiectas'que & à (Dan.7.c) me afflictas colligam, & ex claudis reliquias, & ex disiectis gentem efficiam potentem, in quos regnabit in monte Sione Ioua deinceps in sempiternum. Tu uerò, ô [b] turris gregis, puellae Sionis arx, ibit ad te, uenietque pristinum impe- C rium, regnum puellae Hierosolymae. Nunc cur questus edis? an in te rex non est? aut tuus periit consiliarius, ut te dolor teneat quasi parientem? Dole & uexare puella Sion, tanquam pariens: iam enim ex urbe migrabis, & ruri habitabis, peruenies'que in Babyloniam, ubi liberaberis, ubi te uindicabit Ioua ex hostium tuorum manu. Nunc quidem coeunt aduersum te gentes multae, dicentes turpificatam esse, seque suis oculis uidere Sionis poenam. Sed ignorant Iouae cogita- D ta, nec intelligunt eius consilium, qui sit eos collecturus, tanquam manipulos in aream. Surge, & tritura, puella Sion: nam tibi et cornu ferreum, & ungulas efficiam aeneas, ut frequentes comminuas populos; quorum lucra opes'que Iouae & totius terrae Domino sacrabo.

[a] scilicet oues.

[b] Sion omnium Christianorum sedes.

CAPVT V.

Iam impressionem facies, tu impressioni obnoxia, nobis obsidione circumsessis, qui uirga percusserint in maxillam iudicem Israelitarũ. (Matt.2.a) Et tu Bethlehema Ephratha, quę es pręfecturarũ (Ioan.7.f) Iudęae minima, ex te mihi prodibit qui sit in Israelitis dominator, cuius erit antiqua origo ab aeternis temporibus. Itaque dedet eos usque ad tempus, quo pariet genitrix, & eius fratrum reliqui redibunt ad Israelitas, stabitque, & pascet per Iouae potentiam, per sublimitatem nominis Iouae Dei sui, redibũtque cum iam creuerit ad extrema B terrarum. Erit autem is pax, si nostram aggressus fuerit Assyrius terram: sique nostras arces peruaserit, suscitabimus aduersus eum septem pastores, & octo rectores hominũ, qui Assyriam, qui Nembrodicã terrã gladiis eiusque spiculis uexẽt: & defendet ab Assyrio, si terram nostrã aggressus fuerit, & nostros fines peruaserit. Erunt autem Iacobeorum reliquiae inter tot populos quasi ros quidam Iouanus, quasi imber super herba, qui in hominibus spem non habet, nec ab huma- C no genere pendet. Erunt autem Iacobeorum reliquiae apud gentes inter tot populos, tanquam leo quidam inter syluestres quadrupedes, tanquam iuuenis leo in ouium gregibus, quo grassante, proterente, rapiente, nullus defendit. Extolletur in aduersarios tuos manus tua, omnesque tui excindentur hostes. Atque illo tempore, inquit Ioua, excindam istinc tuos equos, tuos'que currus perdam, & tuae terrę oppida euertam, tuasque mu- D nitiones omnes diruam, & tibi de manu praestigiatores extorquebo, & magos eripiam, & ita simulachra ista atque statuas istinc excidam, ut non amplius adores opera manuum tuarum: & quos habes lucos extirpabo, & tuas urbes delebo, & cum ardẽti ira poenas irrogabo gentibus quae non obediuerint.

CAPVT VI.

Audite, quaeso, quid Ioua dicat. Age, contende cum montibus, audiant'que colles tuam uocem: Audite, ô montes, contentionem Iouae, & edura terrae fundamenta: nam Iouae est cum suo populo, & cum Israelitis, contentio ac (Exod.15.e) controuersia. Mi populus quid tibi feci? aut quid te laesi? responde mihi: qui te ex Aegypto eduxi, & ex seruitutis domo redemi, praemisso tibi Mose, Aharone, & Maria. Mi po- (Num.22.c & 23.b) pulus, recordare quaeso, quid statuerit Moabitarum rex Balacus, & quid ei responderit Ba- B laamus Beoris filius, à Sittimo ad Galgala, ut Iouae innocentiam intelligas. Quánam re Iouam interpellem, genua flectens sublimi Deo? interpellem eum uictimis, uitulis hornis? Delectabitur'ne Ioua arietum millibus? aut denis fluuiorum olei millibus? dem'ne meum primogenitum, peccati mei uictimam? mei uentris fructum, animae meae piaculum? Tibi ipse declarauit, ô homo, quid bonum sit, et quid à te exigat Ioua: uidelicet ut aequum facias, & pietatem ames, teque summisse geras erga Deum tuum. Io- C uae uox ad urbẽ clamabit, & ratio nomen tuum uidebit:

uidebit. Audite uirgā, & qui uibrat eam. Adhuc sunt in improborū ædibus improbè parta, & curtum inuisum ephi. Scilicet purus ero cum improba trutina, & cum fisco fraudulentorū a lapidum. Eius & diuites iniustitiæ pleni sunt, & incolæ falsa loquunť, habentes fallacē in ore linguam. Ego quoq; infirmabo te cædendo, uastando, ob tua peccata. Tu comedes, neq; satiaberis, & penitus opprimēris. b Fœmina cōprehendet, nec edet: aut quod ediderit, id ego gladijs exponam. Tu seminabis, neq; metes: oleum calcabis, nec ungēris oleo: mustumq;, nec bibes uinum: Obseruantur c Amriana instituta, omniaq; domus Achabicæ facta, uosq; geritis ex eorū consilijs, ut ego uos uastandos, & eius incolas sibilandos curem, populiq; mei probrum luatis.

a ponderū.
D
b aut abortient fœminę, aut si pepererint, ego partus necabo.
Deu. 28. d
Agg. 1. b
c impia. nā impius fuit Amri. 3. Re. 16.

CAPVT VII.

HEu me: accidit enim mihi quod fit in percipiendis frugibus, inq; uindemiæ racematione: non est ad uescendum racemus, me primorem fructum animo desiderante. Perierunt ex terris pij, nec est in hominibus probitas: omnes sanguini insidianť, germanus germanum euerriculo uenatur. Ad malum adaptanť manus. princeps poscit, iudex est numarius: ipsi optimates animi sui nequitiam eloquuntur, eamq; condensant. Eorum optimus ac probissimus est tanquā paliurus in sepimento. a Speculatoria dies tua, animaduersio tua aduentat, b iamiam futura eorum perplexitate. Ne credite familiaribus: ne confidite ducibus: c ab ea ipsa quæ cubat in sinu tuo, oris tui ostia custodi. nam filius patrem despicatur: filia in matrem, nurus in socrum insurgit: patrisfamiliâs inimici sunt sui domestici. At ego Iouam speculabor: pendebo à Deo meæ salutis: exaudiet me Deus meus. Ne gaudeto ô inimica mea, de me: si cecidero, resurgā: si in tenebris mansero, Ioua mihi lux erit. Iram Iouæ feram, quoniam in eum peccaui, donec litem causamq; meam ipse disceptet, agatq; donec educat in lucem me, uideamq; eius iustitiam. Quo uiso, circumfundeť inimica mea pudore, quæ mihi d dicit: Vbi est Ioua Deus tuus? eius supplicium uidebo meis oculis: tu iamiam conculcanda es, ut solet uicorum lutum. Tempore instaurationis tuarum maceriarum, illo tempore procul ibit decretum, eodemq; tempore ad te uenietur usque ab Assyria & urbibus munitis, & usque à munitione ad flumen, & à mari ad mare, et ad montem à monte, cum fuerit deserta terra propter suos incolas, ut eorum mores cōmeriti fuerint. Pasce tuos pedo tuo, oues tuas hęreditarias, habitantes seorsum syluam in medio Carmelo, pasturos Basanam & Galaaditidem, sicuti priscis temporibus. Quemadmodū tum, cum ex Aegyptia terra egressi estis, ostendam eis mira, quò uiso gentes pudebit suæ totius potentiæ: & opposita ori manu, auribus obsurdescent. Lingent serpentis more puluerem, ritu humi repentium horrebunt in suis septis: Iouam Deum nostrum pauescent, ac te timebunt. Quis tibi par Deus est? qui culpæ ignoscis, & peccatum condonas reliquijs tuæ hæreditatis: neq; semper iram tuam retines, quippe amans clementiæ? Tu reconciliatus, misereberis nostri, confectis nostris criminibus, proiectis in fundum maris nostris omnibus peccatis. Præstabis Iacobo fidem, Abrahamo clementiam, quam maioribus nostris iurasti iam olim.

a belli, cū statues in muris speculatores.
b mox æstu abūt homines.
c ne uxori quidem arcana patefacere tutū est.
Matt. 10. c
d insultat, perinde ac si sim à Io-
C
a destitutus.
D
Act. 10. g

NAHVMVS.

CAPVT I.

Aduersum Ninue fatum, liber oraculi Nahumi Elcesæi.



DEVS æmulus, & ultor Ioua, ultor Ioua & biliosus, ultor Ioua aduersariorum suorum, & iniuriæ memor in hostes suos. Ioua ad irā tardus, uiribusq; magnus, qui impunitatem non concedat: Ioua is est, cuius uia in procella ac tempestate sit, cuiusq; pedū a puluis sit nubes. Mare increpādo arefacit, omnesq; fluuios exiccat: perit Basan & Carmelus, perit & Libani uiriditas. Montes per eum conmouentur, collesq; dissoluuntur, & tollitur eius aduentu tellus, orbisq; & omnes eius incolæ. Eius sæuitiam quis sustineat? aut quis eo ira ardente cōsistat? fluente ignis ritu eius bile, & cautibus per eum dissilientibus. Bonus est ad firmamentum Ioua aduerso tempore, & sibi confidentes b nouit, ac grassante diluuione, tollet c eius locum funditus, suosq; persequeť d tenebris hostes. Quid in Iouam excogitatis? qui sic internecionem facturus est, e ut non iteretur angustia. Nam ut perplexæ spinæ, tum cum madebunt cōpotatione, consumentur tanquam siccitatis plena stipula. Ex te profectus est excogitator cōtra Iouam mali, consiliarius nequam. Sic dicit Ioua: Quo pleniore sunt multitudine, eo magis attondebunť, postquam f te g illo grassante afflixero, non afflicturus amplius. Iamq; eius imposita tibi subiugia rumpā, tuaq; uincula abrumpā: ac mandante Ioua h de te, non seminabitur tuo nomine amplius: ex æde tui Dei simulachrum excindam, et ex imagine conflata faciam tuum sepulchrum: adeò uilesces. Ecce in montibus pedes nuncij, significantis pacem. Age, Iudæa, tua festa: redde tua uota. nec enim deinceps amplius in te grassabitur nequam, totus excisus.

a solum.
B
b curat ac tuetur.
C
c Ninue.
d calamitatibus.
e semel Niniuen funditus euertet.
D
f Iudæam.
g Chaldęo.
h Chaldæū alloquitur.
Esa. 52. b
Rom. 10. f

CAPVT II.

EXpeditionem facit depopulator aduersum te, moliens obsidionem. speculare uiam: confirma latera: corrobora uires admodum: Vlciscitur enim Ioua adhibitam in Iacobeos superbiam, ut dignum est ulcisci adhibitam in

Israelitas

Israelitas superbiam, quippe quos a praedones exhauserint, eorumq; stirpes corruperint. b Eius & heroum clypei rubent, & milites purpurei sunt, c taedis ardente curru, tum cum apparatur, d tetrisq; piceis. Peruicos furiunt currus, per fora collidentes, aspectu facium simili, tanquã fulgura cursantes. Recordatur suorum nobilium: impingunt incedendo properantes ad muros, & parata est testudo. Fluminũ ostia panduntur, palatiumque dissoluit, & e Husaba abigitur in exilium, eiusq; pedisequę cum uoce columbina ducunt, sua pectora tundentes: estq; Niniue similis aquariae piscinae carentis aqua, illis profugientibus: f state, resistite, at nemo respicit. Diripite argentũ, diripite aurum, & infinitas opes conditas, splendidissima quaeq; tam elegantis supellectilis. Direptio, rapina, depopulatio: corda remollescunt: genua labant: inestq; in omniũ laterib. cruciatus, & cunctorum facies pallorem cõtrahunt. g Vbi est leonum lustrum? & ipsa scymmorum pascua? quò se leo, leaena, leoninus catulus recipiebant, exterrente nullo. Leo, qui quãtum suis catulis satis esset, rapiebat, leaenisq; suis strangulabat, & antra lustraq; sua rapta praeda replebat. Tibi ego minitor, (inquit armipotens Ioua) incendam fumo currus tuos, scymmosq; tuos consumet ensis, & excidam ex terris tuam rapinam, h nec amplius tuorum nunciorum uox audietur.

a Niniuitae. b Nabuchodonosoris. c taedarum ritu. B d. ut ex piceata taeda terrẽdolentes. e. regina. C f. ita ut neque resistãt, neq; respiciant. Esa. 13. b g. perijt Niniue, quae habebat principes. D h. nec amplius imperabis. Nam nũcios mittere, imperantis est.

CAPVT III.

Heu urbem sanguinariam, totam falsam, rapina plenam, indesinente praeda. Sonus auditur scuticae, sonus actae rotae, & quadrupedantis equi, salientisq; quadrigae. Elatus ab equite flammat ensis, coruscat hasta, multi caesi, ingens cadauerum uis, infinitaq; corpora, adeò ut in eorum corpora impingat. a Propter tot meretricis libidines, uenustae ac lepidae, maleficijs usae, quę gentes nationesq; suis libidinibus maleficijsq; uendidit. En te ego peto, inquit armipotẽs Ioua: retegam sinus tuos in faciem tuam, uerendaq; et obscoena tua gentibus & regnis ostendã: teq;, cõiectis in te sordibus, ita ignominiosè tractabo, ac ostentui exponam, ut te quicunq; uiderit, recedat à te, dicatq;: Perijt Niniue. quis eius uicem dolebit? unde tibi quaeram consolatores? Tu'ne praestantior eris quàm populosa Diospolis, in fluminibus sita, aquis circundata, cuius opes mare, cuius murus erat marinus? Eius robur erãt Aethiopes & Aegyptij infiniti, Africi & Libyes erant in eius auxiliaribus. Tamen ea quoq; captiua abijt in exilium: eius quoq; & impuberes passim per compita collisi sunt, & de illustribus iacta sors est, & optimates omnes compedibus constricti sunt. Tu quoq; b inebriata latebis: tu quoq; quaeres contra hostem firmamentum. Omnes tuae munitiones ficus erunt cum primitiuis fructibus, qui concussi decidunt in os comesuri. En quos habes uiros, foeminae sunt: hostibus tuis reclusae sunt terrae tuae portae, consumptis igni tuis repagulis. Obsidionalem aquam hauri tibi, confirma tuas munitiones, uade per lutum, intere argillam, tracta figlinam, ibi te & ignis consumet, & gladius perdet: te c bruchorũ more consumet. Esto tam copiosa quàm bruchi, tam copiosa quàm locustae, mercatores habens coelestibus stellis numerosiores: explicabunt se bruchi, & auolabũt. Eximijs praesidibusq; tuis accidet, ut locustis locustarijs, quae degentes in sepibus, cum frigus est, orto sole discedunt, ita ut quo loco fuerint, non appareat. d Dormiũt tui pastores, ô Assyriae rex: iacent tui nobiles: palantur homines tui per mõtes, nullo colligente. Nõ languida est tua calamitas: cruciabile tuũ uulnus est. quicunq; de te audiunt, de te manus complodunt: ad quem enim non peruenit tuum assiduum malum?

Ezec. 24. b Habac. 2. c a. scilicet haec fiunt. Esa. 47. c B C b. diuinae irae poculo. c. ut consumuntur & pereũt bruchi. D d. mortui sunt.

HABACVCVS.

CAPVT I.

Minax oraculum, quod edidit Habacucus uates.



QVOVSQVE Ioua, clamante me nõ exaudies? me apud te iniustitiam conquerente, non succurres? Cur facis ut iniquitatem uideam, a aspicis facinora, perniciem & iniustitiam habeo in conspectu, uigent'que lites ac certamina? Itaque cessat lex, nec finem adipiscitur ius, quoniam insontem circumuenit nocens, ideoq; est peruersa iurisdictio. Aspicite per gentes, & cernite admirabundi, quoniam fiet opus uestro tempore, quod uobis dictu uideatur incredibile. Nam ego Chaldaeos suscitaturus sum, acerbam festinamq; gentem, uadentem quàm latè terra patet, ad occupandas habitationes non suas. Ea horribilis est, ac terribilis, orto ex ipsa eius iure ac dignitate: suntq; & tigribus uelociores eius equi, & uespertinis lupis acriores, & diffusi equites procul adueniunt, aduolantes ut ad uorandũ properans aquila. Vniuersi ad saeuiendum ueniunt, b faciem habentes occursu similem Euro, captiuos c arenatim collecturi. Ipse autem reges tyrãnosq; deridet, habetq; ludibrio: ipse quamuis munitionem ridet, & d humo congesta capit. Sed aliquando e spiritu gliscens transibit modum, comittetq; crimen, suas illas uires Deo suo tribuens. Nimirum tu antiquus es, Ioua mi sancte Deus, non moriemur: Tu Ioua, eum poenae destinasti: tu, ô numen, eum ad puniendum fundasti. Qui purioribus es oculis, quàm ut scelus uideas, nec aspicere facinus potes: cur aspiciens perfidiosos, dissimulas, dum absorbet improbus meliorem se: facisq; homines qua si pisces aquatiles, quasi dominantis expertes quadrupedes? Ille omnes hamo extractos, in suum euerriculum sagenamq; cogit, congeritq;, & ic-

a. pateris. B Act. 13. f C b. omnia aduentu suo perurẽtes. c. innumerabiles. d. cincta aggere. e. superbiens. D

circo gestiens lætatur. Itaque [f] euerriculo cassiq; suo sacrificat atque adolet, quod per ea opimam conditionem, pinguemq; uictum habeat. Ideo'ne assiduè deplebit euerriculum suum, & gentes occidere non parcet?

f. uictoriam nō tibi, sed suis uiribus acceptam fert.

CAPVT II.

IN custodia mea stabã, meq; tenebam in propugnaculo speculabundus, ut uiderem quid mecum loqueret meus castigator, & quid ei referrem, cum quidem affatus est me Ioua his uerbis: Scribe oraculum, & in tabulis sic exprime, ut id uel currentes legere possint. Nam adhuc ad tempus pertinet oraculũ, idq; ille ad extremum effatur, neq; mentitur: si tardabit, id expectato: ueniet enim sine dubio. Cum autem pertinax nō rectam mentẽ habeat, iustus fide sua uiuet. Quin imo uinum fallit hominem audacem, neque duraturum, qui aperit tanquam Orcus spiraculũ suum, & quasi mors insatiabilis, gentes omnes & populos ad se cogit atq; colligit. Nimirũ illi omnes prouerbio de eo, obscuroq; utent dicterio, dicentes: Heu qui multa paras nō tibi [a] quousq;: & contra teipsum magnã uim crassi cœni comparas. Sanè repentè surgent expergefientq; qui te morsibus lanient, prædæq; habeãt. Quoniam tu multas gentes dispolias, te dispoliabũt omnes populorum reliqui, ob humanũ sanguinem, & adhibitam in terram crudelitatem, in urbem, & omnes eius incolas. Heu qui malum lucrum facis domui tuę, ponens in sublimi nidum tuum, ut malũ euadas. Consulis domui tuæ turpiter, tot conficiendo populos, cuius rei tute pœnas dabis: nam lapis ex pariete occlamabit, eiq; succinet ex materiatura lacunar. Heu qui urbem sanguine construis, qui ciuitatem iniquitate cōdis. Nimirum ab armipotente Ioua fiet ut [b] igni laborent populi, & nationes incassum fatigent. Replebitur enim terra tanta cognitione gloriæ Iouæ, quanta aqua tegit mare. Heu qui alios potare facis, addito furore tuo, ita ut inebrient, quo tu eorum uerenda uideas. Infamia quàm gloria saturior, tu quoq; pota ac denudare: conuertet in te dexteræ Iouæ poculum, & in gloriã tuam uomitus infamis. Nam te Libania crudelitas obruet, territarumq; beluarum pernicies ob humanum sanguinem & crudelitatem adhibitam in terram, in urbẽ & in omnes eius incolas. Quid prodest sculptum à formatore suo simulachrum conflatum, falsusq; doctor, ut fictili suo fidat fictor, mutos faciendo deastros? Heu qui ligno stupidoq; saxo iubet ut expergefiat ac excitetur, docturum scilicet: cum sit ipsum auro argentoq; obductum, nullo spiritu prædítum. At Ioua est in sacro delubro suo, toti terræ stupendus.

Esa.21.a Ioan.3.d Rom.1.b Heb.10.b Galat.3.b

B a. semper nō fiet istud?

C Ezech.14.b Nah.3.a b. consumẽtur quæ elaborant.

D Psal.10.b

CAPVT III.

Habacuci uatis precatio ad defensiones.

O Ioua, ego famam tuam audiens, reformido. O Ioua tuum opus interea temporis excitato, interea temporis ostendito, in atrocitate misereri memento. Deo sancto ex [a] Themane, ex monte Pharane ueniente, Sela, obtegebat eius maiestas cœlos, eiusq; laude replebatur terra. Tum fulgore coruscanti habebat ad manum [b] cornua, ubi erat eius potentiæ latebra. Præcedebat eum pestis, prodeũte ad eius pedes lue. Stãdo terram metiebatur, aspiciendo profligabat gentes, cum quidem mōtes dissilirent perennes, æterni colles subsiderent, illius æternis incessibus. Subiecta pœnis uidimus tabernacula Chusanis, perterrita uela terræ Madianitarum. Num in fluuios incanduit Ioua? Num in fluuios ira ista? num in mare sæuitia fuit? ut tuis equitares in equis, adhibitis tuis uictoriosis curribus? Exertus est arcus tuus, ut tribubus iureiurando pronũciatum fuerat, Sela, fluuijs terram sulcasti. Videntes te perculsi sunt montes, prætereunte [c] aquæ gurgite, edente sonitum unda, tuis manibus alte elatis. [d] Sol lunaq; stetit in statione sua, cum ad missiliũ tuorum lucem, ad fulgoris hastę tuæ splendorem ambularetur. Tu terram seuerè peruasisti, gentes iratè triturans. Prodijsti, ad conseruandum tuum populũ, ad cōseruandos tuos unctos: trucidasti [e] caput impiæ domus [f] subruto ad collum usq; fundamento, Sela. Tu [g] eius ipsius telis caput eius paganorũ trãsuerberasti, ruentium ad nos profligandos, eo ardore quasi ad inopes conficiendos occultè. Incessisti per mare tuis equis, per tantam aquarũ molem. Quæ audienti mihi trepidat pectus: strepũt ad hanc famam labia: labefactis'que membris in meis uestigijs trepido, tamen quieturus aduerso tempore, cum [h] ascendetur ad populũ qui in eum facturus est impressionem. Nam neque ficus germinabit, et uineæ erunt infructuosæ: fallet oliuæ prouentus, agri'que non ferent alimoniam: eripietur ex caulis pecus, nec erunt in stabulis boues. At ego per Iouam lætabor, in meæ Deo salutis exultans. Ioua Dominus, meæ uires, pedes mihi ceruinos efficiet, me'que per mea diriget fastigia, ad præcinendum meis fidibus.

a. Seire.

b. legem. Vide Deut. 33.

B Iudic.3.c Iudic.6.a

c. fontis e petra excitati.

C d. Iosuæ iussu.

e Pharaonē f regno funditus euerso.

g propter ipsum, qui D tibi sua culpa quasi telā dederit impellẽdo, ad paganorum eius militum pœnam.

h ibitur in ciuitatem ad Chaldęos, qui Israelitam inuasuri sunt.

SOPHONIAS.

CAPVT I.

Iouæ sermo habitus ad Sophoniam Chusis filium, Godoliæ filij, Amariæ filij, Ezechiæ filij, tempore Iosiæ, Amonis filij, Iudææ regis.



PERIMAM quicquid est in terræ solo, inquit Ioua. perimam & homines & pecudes: perimam & aereas uolucres & aquatiles pisces, nec nōn impedimenta, hoc est impios, & homines ex terræ solo excindam, inquit Ioua. Ac extenta in Iudæam, in'que omnes Hierosolymitanos, manu, extirpabo ex isto loco Baalenses reliquias, uidelicet flaminum simul & sacerdotum nomen; & qui in tectis cœ-

Et qui falsa docent, & qui docentur, & qui Baalem simul & Iouam, & qui neutrũ colũt, sunt puniendi. Vnus Ioua colendus.

B

ctis cœlestes adorant copias, & qui Iouam ita adorando iurant, ut per regem quoq; suum iurent: & qui à Ioua defecerunt, quiq; Iouam non curant, neque morantur. a Pax aduentu Domini Iouæ: nam instat Iouæ dies, apparat enim Ioua sacrificium, indicit suis inuitatis, in qua quidem Iouani sacrificij die animaduertam in principes regiosq; filios, & in omnes peregrina ueste uestitos. Animaduertam & in omnes b limen transilientes illa die, qui dominorum suorum domos iniustitia fraudibusq; replent: eritq; illa die inquit Ioua, querula uox à porta piscium, & eiulatio ab altera c parte, ingensq; clades à collibus. Eiulate d Molaris habitatores: quippe deleto uniuerso mercatorum genere, excisisq; omnibus pecuniosis. Atq; illo tempore rimabor Hierosolymam e lucernis, & in homines f suis concretos fæcibus animaduertam, qui cum animis suis Iouam nec prodesse nec obesse cogitant. Itaq; cedent eorum opes in rapinam, & domus in uastitatem: quasq; domos construxerint, non habitabunt: & quas panxerint uineas, earum non bibent uinum. Instat Iouæ dies magna, instat, & ualde properat, cuius Iouanæ diei uox est acerba, g clamante ibi milite: Dies est sæuitiæ dies illa, angustiæ angorisq; dies, calamitatis & miseriæ dies, tenebrarum & caliginis dies, nubilosa nebulosaq; dies, tubæ clangorisq; dies, aduersum munitas urbes, aduersumq; h pinnas altas: adeóque homines angam, ut cæcorum more ambulent, quoniam in Iouam peccarunt: eorumq; sanguis ut puluis, & caro ut stercora fundetur, nec eos argentũ aurum'ue suum poterit liberare, sæuiente Ioua: quin eius impetus igne conficietur tota regio: adeò incolas omnes & prorsus & citò delebit.

a. obstupescatur.
b. aliena occupantes.
c. scilicet urbis.
C
d. locus erat in urbe, mercatu celebris.
e. acutissime.
f. in suis sordibus demersos.
Amos 5.e
g. erit bellum.
D
Iere. 30.c
Ioel. 2.c
Amos 5.e
h. scilicet murorum.
Ezec. 7.e
Infrà 3.b

CAPVT II.

COite ac conuenite, gens inamabilis, antequam edatur edictum, in paleæ modum prætereunte die, priusquam uos inuadat ardens ira Iouæ, priusquam uos inuadat irati dies Iouæ. Studete Iouæ omnes orbis modesti, qui eius sententiam exequimini: studete iustitiæ, studete modestiæ, si fortè euadatis, irascente Ioua. Nam & Gaza derelicta, & Ascalon uasta futura est. Azotus in meridie a abigetur, & Accaron suffodietur. Heu marini tractus incolæ, Cerethæa gens, uos petunt Iouæ uerba, ô Palæstinæ terræ mercatores: quam ego sic perdam, ut careat incolis, erit'que maritimus tractus pastoriciarum caularum mansiones, ouiumq; consepta, quas in eo Iudæorũ reliqui, eum tractum habentes, pascant, in Ascalonijs domibus uespere stabulantes: quum eos Ioua ipsorum Deus, sumpto de eis supplicio, reuocauerit ex captiuitate. Audiui Moabitarum ignominiam, Ammonitarumq; conuicia, quibus meos affecerũt, & in eorum fines superbierunt. Quamobrem ita uiuam, inquit armipotens Ioua, Deus Israelitarum, ut Moabitis Sodomæ, & Ammonitæ Gomorræ similes erunt, urticeta, & salinæ, & uastitas æterna, à mei populi, gentisq; reliquijs. & superstitibus, diripiendi ac obtinendi: id quod eis accidet ob ipsorum insolentiam, qui in armipotentis Iouæ populum ignominiose superbierint. In eos erit Ioua terribilis, quippe qui omnes terræ deos obliterabit, efficietq; ut se uenerentur suo quiq; loco, omnes gentiũ insulares. Vos quoq; Aethiopes eritis eius ense cęsi, extensaq; in septentriones manu, perdet Assyriam, & Niniuen in incultam desertamq; uastitatem rediget, ita ut in ea cubent omnia gentium animalia, & onocrotali & rinacei in eius tholis degant, resonante per fenestras coruorum uoce, qui erunt in limine, quippe detecta b cedro. Ergóne lasciua illa urbs, secura degens, quæ cum animo suo dicebat, se eam esse, præter quam nulla foret, in uastitatem redacta est? stabulum ferarũ? ita ut quisquis eam præterit, mota manu sibilet.

a. in captiuitatem.
B
C
D
Esa. 34.c
b. cedrinis ædificijs.

CAPVT III.

HEu contumacem ac contaminatam, urbem diram, quæ dicto audiens non est, disciplinam non admittit, Iouæ non confidit, ad Deum suum non accedit. Cuius principes in ea sunt rugientes leones: iudices lupi uespertini, a non ad posterum diem exossantes, uatẽs temerarij, homines perfidi, sacerdotes sacrum profanant, legem uiolant. Ioua quidem in ea iustus est, nihil iniquum facit: per dies singulos rationem suam in lucem proferre non intermittit: sed nesciunt iniqui pudorem. Euerteram gentes, uastatis earum b pinnis, earum uicos desolaueram, ita ut ibi nemo uersaretur, ita captis earum urbibus, ut nemo esset incola. Cogitabam fore ut ea certe metuens me, admitteret disciplinam, atq; ita fieret ut non excideretur eius mansio, me in eam tam multa animaduertente: illi uerò suos omnes mores corrumpere maturant. Quamobrem expectate me, inquit Ioua, ad diem quò tandem surgam. Nam mea sententia est colligere gentes, regna congregare, & in ea sæuitiam meam & omnem iræ ardorem effundere, siquidem mei impetus igne cõsumetur tota terra. Tunc enim restituam populis purum c labium, ut uniuersi Iouæ nomen inuocent ei seruientes uno d humero. Trans Aethiopiæ fluuios erunt qui me orent, Phusæa e puella mihi fertum afferet. Eo tempore non te pudebit tuorum tot facinorum, quibus in me peccaueris: tunc enim ex te remouebo f tui fastus proteruos, ut deinceps amplius non insolescas in meo sacro monte: & in te humilem tenuem'que populum relinquam, qui Iouæ nomini confidant. Israelitarum reliqui non iniquè facient, neque falsa loquentur. nec inuenietur in eorum ore lingua fraudulenta: uerùm pascent cubabunt'que, nullo exterrente. Triumpha, puella Sion: exclamate, Israelitæ: gaude & gesti toto corde, puella Hierosolyma, Sustulit Ioua tuas pœnas, tuos hostes depulit: Israelitarum rex Ioua uersatur in te, ne deinceps malum timeas. Illo tempore dicetur Hierosolymæ: Ne metue, Sion, ne committe ut tibi manus remollescant. Ioua Deus tuus in te uersatur, fortis, seruaturus, qui de te gaudio gestiens, acquiescet in amore g suo, de te cum oua-

Ezec. 22.f
Mich. 3.d
a. nihil prædæ relinquentes, hoc est uoraces.
b. muris.
B
c. orationẽ.
d. cõsensu.
e. gens.
f. tuos, qui fastuosi es.
C
D
g. erga te.

tu exultans. Remotos à cœtu colligam, qui ex te erunt, ô oneri subiecta dedecoris. Equidem omnes qui te afflixerint, illo tempore cōficiam, & claudas conseruabo, & disiectas recolligam, eisq; laudem ac nomen conciliabo, ubicunque terrarum erubuerint. Nam quo tempore adducā uos, quo tempore colligam uos, nomen uobis laudemq; cōciliabo apud omnes orbis terræ populos, reducens uestros captiuos, spectantibus uobis, inquit Ioua.

HAGGAEVS.

CAPVT I.



ANNO Darij regis secundo, prima die sexti mēsis, habitus est Iouæ sermo per Haggæum uatē, ad Zorobabelē Salathielis filiū, Iudeę pretorē, & ad Iosuam Iosedeci filiū, pontificem maximum, his uerbis. Sic dicit armipotens Ioua: Negat iste populus uenisse tempus cōstruendæ ædis Iouæ. Ergo Ioua Haggæi uatis opera sic uerba facit: Ergo'ne uos tempus habetis habitandi in uestris laqueatis ædibus? & ista ædes erit deserta? Hanc ob rem sic dicit armipotens Ioua. Aduertite animū ad rationes uestras:
B multū seminatis, et parū colligitis: comesse, neq; saturari: bibere, neq; sitim extinguere: uestiri, neq; calescere: & qui facit quæstum, facit in loculos pertusos. Sic dicit armipotens Ioua: Aduertite animū ad rationes uestras. Ascendite in montē, & aduehite ligna, ædemq; construite, & eo delectabor ac honorabor, ait Ioua. Spectator ad multum, & est parum: importatis domum, & ego id
C difflo: Quamobrem? inquit armipotens Ioua. Ob ædem meā, quæ deserta est, cum uos ad suas quisq; ædes curratis. Itaq; uobis & cœlum rorem, & terra prouentum suum negat, inuexi'que siccitatem in terram, & in montes, & in frumentum, & in mustum, & in oleum, & in ea quæ procreat tellus, & in homines, & in pecora, & in omnem manuum laborem. Igitur obtemperarunt Zorobabel Salathielis, & Iosua Iosedeci filius, pontifex maximus, omnisq; reliquus po-
D pulus, Iouæ Dei sui mandato, & uerbis Haggęi uatis, quem Ioua eorum Deus misisset, ueritiq; sunt homines Iouam. Et Haggæus Iouæ nuncius, ut ferebat Iouæ mandatum, sic populum allocutus est: Ego uobis adsum, inquit Ioua: Igitur excitauit Ioua mentem Zorobabelis Salathielis filij, Iudææ prætoris, & Iosuæ Iosedeci filij pontificis maximi, reliquiq; totius populi, ita ut irent ad opus faciendum in æde armipotentis Iouæ Dei sui die uigesimoquarto sexti mensis, anno Darij regis secundo.

Deut. 28.d
Mach. 6.d

CAPVT II.

VIgesimaprima mensis septimi locutus est Ioua per per Haggæum uatem his uerbis: Alloquere Zorobabelem Salathielis filium, Iudææ prætorem, & Iosuam Iosedeci filium pontificem, reliquumq; populū, in hæc uerba: Qui uestrûm superstites uiderunt ædem istam in sua gloria pristina, cum eam nunc uidetis, non'ne uobis uidetur esse nihil? Atqui fortis esto, ô Zorobabel, inquit Ioua: fortis esto, ô Iosua Iosedeci fili, maxime pōtifex: fortis esto omnis regionis populus, inquit Ioua, & agite. nam ego uobis adsum, inquit armipotēs Ioua, quemadmodum uobiscum pactus sum, cum ex Aegypto migrasetis, manetq; inter uos meus spiritus: ne metuite. Sic enim dicit armipotens Ioua: Propediem *Heb. 12.g*
erit cum ego cœlum, terram, mare, siccumq; cōmouebo, cunctasq; gentes commouebo, ita ut B
auidè ueniant gentes omnes, istamq; ædem replebo gloria, dicit armipotens Ioua. Meum est argētum, meum est & aurum, inquit armipotēs Ioua. Maior erit istius posterioris ædis gloria, quàm prioris, dicit armipotens Ioua: & in loco isto dabo pacem, inquit armipotens Ioua.

Vigesimaquarta noni mensis, anno Darij secundo, Ioua cum Haggæo uate uerba fecit hunc in modum: Sic dicit armipotens Ioua: Interroga de lege sacerdotes, si quis carnem sacram in uestis suæ gremio tulerit, & tangat gremio suo panem, aut pulmentum, aut uinum, aut oleum, aut quemuis cibum, an id consecretur? Non consecratur, inquiūt respondentes sacerdotes. Et Hag- C
gæus: Quid si exequijs pollutus, quiduis istorū tetigerit: polluetur'ne? Polluetur, inquiūt respōdentes sacerdotes. Tum Haggæus: Eadem est mihi istius populi, eadem gentis ratio, inquit Ioua: eadem & omnium eorum operum ratio, ut quod accedunt, id impurum sit. Quamobrem animaduertite ab hodierno die superius tempus, cum nondum lapis lapidi impositus esset in Iouæ cella, cum quidem ita se res haberet, ut cum tanquam ad uicenarium aceruum ueniretur, esset denarius: cum in torcular ad hauriendas quinquaginta amphoras ueniretur, essent uiginti: cum ego uos, hoc est omnia manuum uestrarum opera, ardore, rubigine, grandine peterem, nec ad me uos conuerteretis, inquit Ioua. Animaduertite supra hodiernum diem, hoc est, animaduertite à uigesimo quarto die mensis noni, quo die fundata est Iouæ cella, cum scilicet D
adhuc sunt in uaginis semina, necdum uites, aut ficus, aut punicæ, aut oliueta tulerūt, ab hoc die fœcunditatem dabo.

Item Haggæum denuò allocutus est Ioua, die mensis uigesimaquarta, his uerbis: Alloquere Zorobabelem Iudææ prætorem, in hunc modum: Ego cœlum terram'que commouebo, & regnorum solium euertam, perdamq; extraneorum regnorum robur & quadrigas, & earum uectores euertam, faciam'que ut cadant & *Eccl. 49.b*
equi & equites, alij aliorum gladijs. Eo tempore, inquit armipotens Ioua, asciscam te, mi

Zoro-

a. charissimum & coniunctissimum.

Zorobabel Salathielis fili, inquit Ioua, & a pro anulo habebo: quoniam te delegi, inquit armipotens Ioua.

ZACHARIAS.

CAPUT I.



MENSE octauo, anno Darij secundo, uerba fecit Ioua cum Zacharia Barachiæ filio, Addonis nepote, uate, hunc in modum: Sæuitia usus est in patres uestros Ioua. Dices autem eis: Sic dicit armipotẽs Ioua. Redite ad me, inquit armipotens Ioua: & redibo ad uos, inquit armipotens Ioua. Nolite uestros maiores imitari, ad quos cum proclamarent superiores uates iussu armipotentis Iouæ, ut à suis malis morib. & ingenijs recederent, non obtemperarunt, nec attenderunt me, inquit Ioua. Vestri patres ubi sunt? & uates num perpetuò uiuunt? At uerò mea dicta ac decreta, quæ seruis meis uatibus mandaueram, nonne patribus uestris contigerunt, ita ut uersi confessi sint, quemadmodum decreuerat armipotens Ioua eos pro ipsorum moribus ac ingenijs tractare, ita cum ipsis egisse?

Malac. 3.a Esa. 21.d 45.c Iere. 3.c Eze. 18.a 20.g & 33.a Osee 14.a Ioel. 2.c

B

Die uigesimaquarta mensis undecimi, hoc est mensis Sabat, anno Darij secundo, allocutus est Ioua Zachariam Barachiæ filium, Addonis nepotem, uatem, in hunc modum: Cõspiciebam noctu hominem rubro equo insidentem, eumque stantem inter myrtos, quæ erãt in profundo, post quem erant equi rubri, uarij, & albi, &, Qui sunt isti, Domine? inquam. Tum genius qui mecum loquebatur, ita dixit: Ego tibi ostẽdam, qui sint isti. responditque homo qui stabat inter myrtos, his uerbis: Hi sunt, quos misit Ioua ad peragrandam terram. C Atque illi Iouæ geniũ inter myrtos stantem sic allocuti sunt: Peragrauimus terram: est autem tota terra in tranquillo statu. Et Iouæ genius huiusmodi uerba fecit: Armipotens Ioua, quousque Hierosolymæ urbiumque Iudææ nõ misereris tu, qui eis irasceris annos iam septuaginta? At Ioua genio mecum loquenti respondit mitibus uerbis, ac consolatorijs. Et genius qui mecum loquebatur, sic mihi dixit: Proclama his uerbis: Sic dicit armipotens Ioua: Magno studio Hierosolymam: Sionemque prosequor, & idem magnopere a quietis gentib. irascor, quæ cũ ego leuiter b irascerer, c adiuuere malũ. Quãobrem sic dicit Ioua: Reconciliatus sum Hierosolymæ clementer: ædes mea ædificabitur in ea, inquit armipotens Ioua, & regula in Hierosolymam extendetur. Item proclama dicens: Sic dicit armipotens Ioua. D Futurum est ut diffluant urbes meæ, præ bonorum copia, & consoletur Ioua Sionem, & eligat Hierosolymam.

Infrà 8.a

a. bello carentibus. b. scilicet Israelitis. c. grauius eos presserunt, quàm ferebat ira mea.

Cum autem sublatis oculis animaduertissem quatuor cornua, dixi genio qui mecum loquebatur: Quidnam sunt ista? Et ille: Ea sunt cornua (inquit mihi) quę Iudęam, Israelitidem, & Hierosolymam dissiparũt. Cumque mihi ostendisset Ioua quatuor fabros, dixi: Quid isti factum ueniunt? Et ille: Hæc sunt, inquit, cornua, quæ dissipauere Iudæos, adeò ut nemo caput attolleret. Venerunt autem hi ad exterrendos illos, ad deijcienda cornua gentium, quæ cornu extulerunt in Iudæam terram, eius dissipandæ gratia.

CAPUT II.

ITem sublatis oculis animaduerti hominem qui in manu habebat amussim, &, Quò uadis? inquam. Et ille: Metatum Hierosolymam (inquit mihi) ut uideã quantæ sit latitudinis, quantæque longitudinis. Et ecce genius, qui mecum loquebatur, exijt: eique obuiã egressus alter genius, dixit: Curre, loquere cum iuuene isto his uerbis: Sine muris habitabitur Hierosolyma, præ hominum pecorumque multitudine, quæ erunt in ea: B atque ego ei ero (inquit Ioua) murus igneus per circuitum, eroque in ea gloriæ. Heus, heus, profugite ex septentrionali terra, inquit Ioua: nam per quatuor cœli regiones ego dispersi uos, inquit Ioua. Heus Sion, euade puellæ Babylonis habitatrix. C Sic enim dicit armipotens Ioua: a Sectatum gloriam misit me ad gentes, quæ uos dispoliarunt. nam qui uos tangit, eius oculi pupillam tangit. Siquidem ego in eos manum meã uibrabo, ita ut suis seruis prædæ sint, scietisque me ab armipotẽte Ioua esse missũ. D Oua & gaude, puella Sion: nam ego ueniã, & in & habitabo, inquit Ioua: iungentur'que crebræ gentes cum Ioua ea die, & mihi populus erunt in te habitanti, scies'que me ab armipotente Ioua ad te esse missum, & obtinebit Ioua Iudæam, fundum suum, in terra sancta, & eliget aliquando Hierosolymã. Conticescant mortales omnes aduentu Iouæ: excitur enim ex suo sacro domicilio.

a. ad pariendam gloriã in eis puniendis. Loquitur autẽ Christus.

CAPUT III.

OStendit autem mihi Iosuam pontificem maximum, stantem ante Iouæ genium, astante ei ad dexteram Satane, ut ei aduersaretur. Et Ioua Satani dixit: Coercebit te Ioua, Satan: coercebit te Ioua, qui Hierosolymam elegit: nimirum iste est torris ereptus ex incendio. B Cum esset autem Iosua sordidis uestibus indutus, & staret corãm genio, ille eos qui coram se stabant, huiusmodi uerbis allocutus est: Detrahite ei sordida uestimenta: en (inquit ei) aufero à te tuam culpam, te'que splendidè induo: imponatur eius capiti pura insula, inquit. Itaque puram insulam eius capiti imposuerunt, eumque uestibus induerunt, astante Iouæ genio, qui Iouæ genius Iosuam huiusmodi uerbis admonuit: C Sic dicit armipotens Ioua: Si meis uijs iueris, sique meam disciplinam conseruaueris, tu quoque & ædem meam reges, & atria mea custodies, tibique aditus dabo inter hos astantes. Audi sanè, Iosua maxime pontifex, tu necessarijque

tui, qui apud te degunt, qui quidem homines
Luc. 1.g sint a portentosi: nam ego adducturus sum ser-
D uum meum Germen. Etenim quem lapidem Io
a. qui aliquid portēdant. suæ proposui, in quo uno lapide septem sunt o-
culi, eum ego sculptura sua sculpam, inquit ar-
Infra 6.c mipotens Ioua, & eius terræ crimen una die de-
lebo. Illa die (inquit armipotens Ioua) uocabi-
tis alius alium subter uitem, subterq; ficum.

CAPVT IIII.

RVrsum genius, qui mecum loquebatur, ex-
citauit me, perinde ac si quis ex somno ex-
citetur, &, Quid tu uides? inquit mihi. Cui ego:
Video, inquam, candelabrum totum aureum. cu
ius in capite est lenticula, & super id septem eius
lucernæ: & ad septem impositas eius capiti lu-
cernas, septem infundibula. tum apud id oleæ
duæ, altera ad lenticulæ dexteram, altera ad sini-
B stram. Atq; ego genium, qui me alloquebatur, in-
terrogaui: Quæ sunt ista, Domine? Et genius mi
hi ita respondit: An nescis, quid hæc sint? Non,
inquam ego, Domine. Tum ille mihi sic respon
dit: Hoc est Iouæ mandatum ad Zorobabelem,
his uerbis: Non potentia, neq; uiribus, sed spiri
tu meo, inquit armipotens Ioua: qui mons es in-
C gens ante Zorobabelē, cōplanaberis, educetq;
lapidem primarium, qui gratiam, gratiā habere
clamitabitur. Item me Ioua sic allocutus est: Zo
robabelis manus ædem istā fundauerunt, & e-
iusdem manus absoluent, sciesq; me ab armipo
tente Ioua ad uos esse missum. Nam qui paruam
diem cōtemnunt, gaudebūt, uidebuntq; stanneū
lapidem in Zorobabelis manu, qui septem sunt
oculi Iouæ, qui totam terrā perlustrant. Et ego
D eum alloquens: Quæ sunt istæ duæ oleæ, inquā,
ad dexteram, sinistramq; candelabri? Iterumq;
eum interrogans: Quæ sunt, inquam, duæ olea-
rum spicæ, quæ sunt in manu duorum aureorum
rostrorum, effundentes ex seipsis aurum? Et ille
mihi: An nescis, inquit, quid hæ sint? Nescio, in-
quam, Domine. Hi sunt, inquit, duo olei filij,
stantes apud totius terræ Dominum.

CAPVT V.

EGo iterum sublatis oculis, aspexi uolumen
uolans. Atq; ille: Qui uides? inquit mihi.
Video, inquam, uolumen uolans, longitudinis
B uiginti cubitorum, latitudinis decem. Et ille:
a. hūc locū uerti ut potui, non enim intelligo. Hæc est, inquit mihi, diritas in omne terræ solū
prodiens.[a] Nam hinc omnis fur, sicut ea, absol-
uetur: hinc omnis periurus, sicut ea, absoluetur.
b. diritatē. [b] Eam ego eduxi, inquit armipotens Ioua eaq;
C [a]ggressa furis, & per meum nomen peierantis,
domum, deget in eius domo, eamq; & eius li-
gna saxaq; conficiet. Tum egressus genius, qui
mecum loquebatur, sic mihi dixit: Attolle ocu-
los, & aspice quid hoc sit, quod exit. Quid est?
inquam. Epha est, inquit, quæ exit. Est autem, in-
quit, hæc eorum species in tota terra. Ecce autem
plumbea massa tollebatur, quæ erat quędam mu
lier in media epha sedens. Hæc est impietas, in-
quit ille, eamq; coniecit in mediam epham, & in
eius os lapidem plumbeum coniecit. Tum ego
D sublatis oculis, conspexi mulieres duas exeun-
tes, uentum habentes in alis, quas alas habebant
similes alarum ciconiæ, quæ epham inter terram
cœlumq; tollebant. Et ego genio, qui mecum lo
quebatur, ita dixi: Quò agunt hæ epham? Et ille
mihi: Ad construendam ei domum, inquit, in ter
ra Senaaria: ubi figatur, & in basi sua collocetur.

CAPVT VI.

ITem sublatis oculis aspexi quatuor quadri-
gas exeuntes inter duos montes, qui montes
erant ænei. In prima quadriga erant equi rubri:
in secunda nigri: in tertia candidi: in quarta ma-
culosi, ijq; ualidi. Tum ego colloquentem me-
cum geniū interrogans: Qui sunt hi, Domine?
inquam. Hi sunt quatuor cœli uenti (inquit mihi B
respondens genius) digredientes à totius terræ
domino, cui astabant. Quæ nigros habet equos,
ij in septentrionalem terram proficiscūtur, albis
post eos proficiscentibus. Maculosi proficiscun
tur in meridionalem terram. Proficiscentibus au
tem ualidis, & terram perambulare conantibus,
dixit: Ite, perambulate terram. Cumq;[a] illæ ter- a. quadrigæ
ram perambulassent, ille me uocauit, & allocu-
tus est ita: En, qui in septentrionalem terram pro
fecti sunt, [b] mentem meam in terra septentriona- b. mandata mea executi sunt.
li recreauerunt. Item me Ioua sic allocutus est:
Assumito ex exulibus, ex Holdaianis, Tobia- C
nis, & Idaianis, qui ex Babylonia uenerunt: tum
ito tu domum Iosiæ, Sophoniæ filij, sumptoq;
argento atq; auro, facito coronas: & imponito
capiti Iosuæ Iosedeci filij, pontificis maximi,
eiq; ita dicito: Sic dicit armipotens Ioua: Vir e-
rit nomine Germen, sub quo germinabit, qui Io Luc. 1.g
uæ fanum construet. Idem & Iouæ fanum con- Supra 4.d
struet, & autoritatem obtinebit, sedensq; domi- D
nabitur in solio suo, & erit in solio suo sacerdos,
eritq; pacis consilium inter utrumq;: & coronas
habebunt Helemus, Tobias, Idaias, & Hen So-
phoniæ filius, ad monimentū in Iouæ fano, & lō
ginqui uenient qui in Iouę fano ędificēt, scietisq;
me ab armipotente Ioua ad uos esse missum, idq;
si Iouæ Deo uestro fueritis dicto audientes.

CAPVT VII.

ANno autem Darij regis quarto, habitus
est à Ioua sermo ad Zachariam, quarta
mensis noni, hoc est Casleu, cum quidem ad
Bethel misit Sarasar, & Rogommelechus, e-
iusq; homines, rogatum Iouam, & interroga-
tum ædis Iouæ armipotentis sacerdotes atque
uates, in hunc modum: Plorabimus'ne mense
quinto deuoti, quemadmodum fecimus hosce
aliquot annos? Tum mecum armipotens Io- B
ua huiusmodi uerbis egit. Hæc cuncto terræ
populo, & sacerdotibus dicito. Quòd ieiuna-
stis ac planxistis quinto septimoq; mense, ac per
hos septuaginta annos, mihi'ne ieiunastis?
Aut si comeditis bibitis'ue, nónne uobismet &
comeditis & bibitis? Nimirum ita est, quemad- Esa. 58.a
modum uerbis proclamauit Ioua per priscos ua
tes, cum & Hierosolyma incoleret ac felix esset,
& eius finitima oppida, australiaq;, & demissa C
loca habitarentur. Sic dicit armipotens Io-
ua, inquit Zachariam alloquens Ioua. Verùm
iudicium

Exod. 22. d Esa. 1. f Iere. 6. g

iudicium iudicate, & clementia ac humanitate inuicem utimini: & uiduis, pupillis, peregrinis, humilibus iniuriam ne facite, neue malũ alij in alios animis excogitate. Sed renuerunt attendere, & humeros detrectãtes præbuerunt, & aures suas, ne audirent, obfirmarunt: & corda sua præstiterunt adamantina, ne legem audirent, & uerba quæ significabat armipotẽs Ioua spiritu suo, opera priscorum uatum. Inde orta est tanta ab armipotente Ioua sæuitia. Itaq; quemadmodum ipsi clamantem non audiuerunt, sic ego clamantes non audiam, inquit armipotẽs Ioua: eosq; in omnes ignotas sibi gentes disijciam, terra post eos deserta, nullo in ea obuersante: redigeturq; tam elegans terra in uastitatem.

D

CAPUT VIII.

TUm uerba fecit armipotẽs Ioua in hunc modũ. Sic dicit armipotẽs Ioua: Qui Sionẽ magno impetu, magno ardore insectatus sum, idẽ (inquit Ioua) Sioni reconciliatus, habitabo in media Hierosolyma: uocabiturq; Hierosolyma urbs ueritatis: & mons armipotẽtis Iouæ, mõs sacer. Sic dicit armipotens Ioua: Aliquando manebunt senes & anus in Hierosolymæ uicis, & homines qui baculos in manu habeant præ eui longitudine: urbisq; uici pueris ac puellis replebũtur, uicatim ludentibus. Sic dicit armipotẽs Ioua: Si reliquijs huius populi uidebitur arduũ, illo tẽpore, etiam mihi uidebitur arduũ, inquit armipotẽs Ioua. Sic dicit armipotens Ioua: Ego meos ab Orientis & ab occasus solis terra seruabo, & Hierosolymã habitatum ducam: & ipsi mihi populus, et ego eis ero Deus, ueritate ac iustitia. Sic dicit armipotẽs Ioua: Habetote fortes manus, qui audietis illo tempore hæc ore uatum dicta, qui fuerint tum, cum iacta fuerint ædis armipotentis Iouæ fundamenta, delubri cõstruendi gratia. Nam ante tempus illud & homines & iumenta mercede caruerint, nec exeuntes aut intrantes pacẽ habuerint, propter res aduersas, me homines omnes inter sese cõmittente. At nunc non ego, ut priscis temporib. cum huius populi reliquijs agam, inquit armipotens Ioua. nam semen pacis erit, suũq; & uitis fructũ, & terra fruges, & cœlũ rorem dabit, atque hæc omnia reliquijs huius populi dabo possidenda. Ac quemadmodum infelices fueritis apud gentes, Iudæ & Israelis posteri: sic uos ita seruabo, ut sitis fortunati. Ne metuite: habete fortes manus. Etenim sic dicit armipotẽs Ioua: Quemadmodũ uobis malefacere statui, cum mihi mouissent iram maiores uestri dicit armipotens Ioua, neque me cõtinui: sic reconciliatus, statui temporib. illis benefacere Hierosolymæ ac Iudææ: ne metuite. Hæc sunt quæ facietis: alius alij uera dicite, uerum amicũq; iudicium uestris in curijs iudicate, ne alter alterius malum animis excogitate, neue periuriũ amate: sunt enim ista omnia inuisa mihi, inquit Ioua. Item mecum Ioua locutus est his uerbis. Sic dicit armipotẽs Ioua: a Quarti mensis ieiuniũ, & b quinti, & c septimi, & d decimi uertentur Iudaico generi in uoluptatẽ atq; gaudium, inq; lætas solennitates: uerũ autem & pacem amate. Sic dicit armipotẽs Ioua: Aliquãdo uenturi sunt populi, urbiumq; multarũ incolæ: ij que incolæ alius alium conuenient huiusmodi uerbis: Conferamus nos ad Iouam orandum, quærendũq; armipotentem Iouam: Vadam ego quoq;. Itaq; Hierosolymam uenient frequentes populi, numerosæq; gentes, quæsitum armipotentem Iouam, & præsentem Iouam oratum. Sic dicit armipotens Ioua. Illa tempestate futurum est, ut prehendant deni homines ex omnium linguarum gentibus, prehendant inquam hominis Iudæi gremium, dicentes: Comitabitur uos, audimus enim uobis adesse Deum.

B

C

Eph. 4. f

a capta est urbs.

b euersa.

c Godolias necatus. 4. Reg. ult. & Iere. 41

d urbis excidium Babylone nũciatum est.

D

CAPUT IX.

MInax oraculum Iouæ in Hadraci terram, a cuius requies est Damascus (nã Iouæ est etiam cæteros omnes homines, non solum Israeliticas tribus aspicere) in b cuius finibus etiam Hematha est, Tyrus, & Sidõ, quæ est adeò sapiẽs: Tyrus quę sibi munitionem construxit, quæ argentũ auruq; tantum cõgessit quantũ pulueris est & luti in uicis. Eã occupaturus est Dominus, eiusq; copias cæsurus in mari, ea igni cõsumenda. Quo uiso timebit Ascalon, & Gaza magnopere cruciabitur, id quod conspicatam pudebit Accaronẽ: peribitq; Gazæ rex, & Ascalon erit inculta, incolentq; Azotum spurij: & Palæstinorum superbiam euertam, eisq; eorum sanguinem & sordes ex ore inter dentes, auferam, ita ut restent & ipsi Deo nostro, sintq; tanquam præfectura in Iudæa, & Accaronenses ut Iebusæi. Adhibebo autem meæ domui monumentum, ne quis penetret aut redeat, nec ad eos penetrabũt amplius exactores: quippe me tum demum c hisce oculis intuente. Exulta uehementer puella Sion: exclama lætè puella Hierosolyma: ecce tibi uenit rex tuus, qui iustus & uictoriosus est, humilis, equitans in asino, et pullo asina nato. Itaque exterminabo ex Ephraimitis quadrigas, & ex Hierosolymis equos: ac exterminatis bellicis arcubus, pronunciabit pacem gentibus, & ab altero mari ad alterum, à flumine ad extrema terræ imperium habebit. Etiam uinctos tuos per sanguinem d tui fœderis emittam ex fouea, in qua non est aqua. Conuertite uos ad munitionem, uincti e spei: etiam hodie nũcio me tibi duplum esse soluturum. Intendam enim mihi Iudæam pro arcu, utar Ephraimitis, & tuos excibo natos, Sion, in tuos natos, Græcia: teque efficiam quasi heroicum gladium, & eis imminebit Ioua, prodeunte eius fulminea sagitta. & tuba clanget Dominus Ioua, incedens in australibus procellis: Ioua armipotens eos proteget, comedentq;, & subigent fundæ lapides, potantesq; tumultuabuntur tanquam uinolẽti, eruntque pleni tanquam phiala, sicut altaris pateræ: & eos tunc seruabit Ioua Deus ipsorum, uelut f ouile populi sui, quippe coronarias gemmas in eius terram euectas: nam (quæ est eius bonitas ac pulchritudo) frumentum iuuenes, & mustum fœcundabit uirgines.

a Hadraci, hoc est, Syriæ

b terræ Hadraci

B

c diligenter curante defendere

Matth. 21.

Esa. 62.

C

d Agni paschalis, qui Christus est.

e sperantes salutem.

D

f suas oues, hoc est populum.

CAPVT X.

PEtite à Ioua pluuiam serotino tẽpore, Ioua, qui nubila facit, dabit uobis pluuiũ imbrẽ, unicuiq; herbam in agro: nam lares quidem uana loquuntur, & diuini falsa præsignificant: futilia q; dicunt somnia, frustra consolantes, ideoq; a abeunt ut oues, miseri qui pastore careant. In pastores mea incandescit ira, & in hircos animaduertã: inuiset enim armipotẽs Ioua gregẽ suum, Iudæorũ genus: eosq; efficiet qua si suæ maiestatis equũ in bello. B Ab eo pinna, ab eo paxillus, ab eo bellicus arcus, ab eo simul proficiscetur omnis exactor: eruntq; tanquã heroes, uicorũ lutũ calcantes in bello, & belligerabũt, quòd eis aderit Ioua, ita ut pudeat equitantes: Iudaicumq; ad Iosepheũ genus confirmabo ac cõseruabo, reducamq;, miseratus eos, ita ut sint perinde ac si ego non deseruissem eos: quoniã ego Ioua Deus eorum, eos exaudiam. Itaq; erunt uelut heroes C Ephraimitæ, gaudentes animis perinde ac uino: quo uiso gaudebunt eorũ nati, animis exultantes in Ioua. Eos sibilãs cõgregabo, utpote quos redemerim, crescentq; ut creuerant: ac à me per populos disseminati, mei procul meminerint: uiuentq; cum suis liberis, ac reuertentur, & eos ex Aegyptia reducam terra, & ex Assyria colligam, D atq; in Galaaditidem & Libanum adducam, ita ut eis b parum sit. Traijciet autem fretũ, & feriet in mari fluctus, arescentq; omnes gurgites fluminis: et depressa Assyriæ superbia, Aegyptiq; remoto sceptro, confirmabo eos in Ioua: inq; eius nomine incedent, inquit Ioua.

a scilicet qui falsos sequuntur deos.

b scilicet loci, præ multitudine.

CAPVT XI.

APeri, Libane, portas tuas, & consumet ignis tuas cedros. Eiula pine, cecidit enim cedrus: nempe nobiles perierunt. eiulate Basanæ quercus, nam deiecta est sylua munita. Vox auditur ululantium pastorum, quoniam perit eorum nobilitas: uox rugientium leonum, quia perijt Iordanis a fastigiũ. Sic dicit Ioua Deus meus: Pasce lanionias oues, quarum & emptores eas occidunt impunè: & uenditores agunt Iouæ gratias, quòd ditati sint: & pastores nihil eis parcũt. Nec enim parcam amplius incolis, inquit Ioua, B quin homines tum alios alijs, tum ipsorum regi dedam, qui terram contundent, nec contra eorũ uim defendam. Verũ lanionias oues, uidelicet ouilis inopes, pascam, sumptisq; duobus pedis (quorũ alterum amœnitatem, alterũ exitiũ uocabo) pascam oues, & excindã pastores tres uno mẽse, b contracto meo erga eos animo, ipsorum animo à me uicissim abhorrente. Non pascam uos, inquam: moritura moriatur, & perdẽda perdatur: & reliquæ comedant alter alterius carnẽ. Deinde sumã pedum meum amœnitatem, idq; C frãgam, abrogando fœdus quod cum omnibus populis percussi: quò tum abrogato, ita demum intelligent ouilis inopes, obseruantes me, id esse Iouæ pronunciatum. Dixi autem eis: Si uobis uidetur, cedo mercedẽ meam: sin minus, omittite. Itaq; appenderunt mercedem meam, triginta numos argenteos. Et Ioua mihi dixit: Abijce istud ad figulum, egregiũ precium, quo ego ab eis licui. Itaq; sumpsi triginta argenteos, & eos in Iouæ templũ abieci ad figulũ: fregiq; alterũ meum pedũ exitium, antiquando germanitatẽ inter Iudæos & Israelitas. Præterea mihi dixit Ioua: Sume item stulti pastoris instrumentum: D nam ego suscitabo pastorẽ in terra, qui nec c abscissas curabit, nec paruulos conquiret, neq; fractis medebitur, neq; stantes alet, & opimarũ carnem comedet, earũq; diffindet ungulas. Heu pastorem stultum, ouiũ desertorem, cuius & brachio & oculo dextero gladius imminet, brachio arefaciendo, & oculo dextero caligaturo.

a saltus, syluæ.

b diminuta mea erga eos beneuolencia.

Iere. 15. a

Matt. 27. a

c oues

CAPVT XII.

MInax oraculum Iouæ aduersus Israelitas: Ait Ioua, qui cœlum extendit, & terram fundauit, & formauit hominis spiritũ in eius pectore. Ego efficiam ut Hierosolyma sit tetrũ poculum omnibus finitimis populis, quod etiam contra Iudæos erit in obsidione Hierosolymæ. Atq; eo tempore efficiam, ut Hierosolyma sit lapis adeò ponderosus omnibus populis, ut quicunq; moliti eum fuerint, lacerentur: & coibunt aduersus eam omnes orbis gentes. In illo tempore, inquit Ioua, afficiã omnes & equos stupore, & equites amẽtia: & in Iudæ domum oculos B aperiam meos, omnesq; populorum equos afficiam cæcitate: cogitabuntq; Iudæi duces cum suis animis, sibi firmamento esse Hierosolymitanos, in armipotente Ioua eorum Deo. In illo tempore faciam, ut Iudæi duces, tanquam igniti cacabi in lignis, & tanquam ignitæ faces in manipulis, dextera sinistraq; conficiant omnes circumquaq; populos: maneatq; Hierosolyma adhuc in eodem Hierosolymæ uestigio, & seruabit Ioua tabernacula Iudæa in primis, ne se iactet Dauidicę domus, & Hierosolymitanorum decus, contra Iudæã. Eo tempore propugnabit Ioua, pro Hierosolymitanis, ita ut sit eorum infimus Dauidi similis. Dauididæ autem Deo, & Iouæ genio eis proposito, similes. Atq; illo tempore dabo operam, ut perdam gentes omnes aduersum Hierosolymam uenientes: effundamq; in Dauidicum genus, & in Hierosolymitanos, gratiæ & exorabilitatis spiritum, ita ut me, quẽ confixerint, intueantur, & de eo plangant, quem admodum de unico filio plangitur: doleant que, ut de primogenito doleri solet. Tunc tantus erit D Hierosolymę plãgor quãtus fuit plãgor Adadrẽmonius in campo Magedonio: plangẽtq; homines generatim seorsum: cognatio Daudidarum seorsum, eorũq; uxores seorsum: cognatio Nathanidarum seorsum, eorũq; uxores seorsum: cognatio Leuitarũ seorsum, eorumq; uxores seorsum: cognatio Simeoniorũ seorsum, eorumq; uxores seorsum: deniq; omnes reliquæ cognationes generatim seorsum, eorumq; uxores seorsum.

Ioan. 19. g

2. Par. 35. a

CAPVT XIII.

EO tempore erit Dauidico generi ac Hierosolymitanis, fons apertus ad piacula & menstruales:

Ezec.30.d mēstruales: ac eodem tēpore, inquit armipotens Ioua, extirpabo ex terra, nomina simulachrorū, ita ut non memorentur amplius: quinetiā uates impurum'que spiritum ex terra exterminabo, a-
B deò ut si quis deinceps uaticinetur, dicāt ei eius parētes, pater atq; mater, id non fore, sed eum falsa Iouæ nomine dicere: eumq; configant eius parentes pater atq; mater, qui uaticinatus fuerit. Itaq; tum pudebit unumquenq; uatum suæ prædictionis qui fuerit uaticinatus, nec [a] uillosum gestamen induent, mentiendi gratia, sed se nega-
C bunt esse uates: agricola sum (inquiet) nam me comparauit homo à pueritia mea. Quid sibi uolunt ista uulnera (dicetur ei) inter manus tuas? Ea sunt (inquiet ille) quibus uulneratus sum in amicorum meorum domo. O' ensis, excitare in pastorem meum, & in uirum socium meum, inquit armipotens Ioua: uerbera pastorem, & dispergentur oues, conuertamq; manum meam ad paruulos. Atq; in omni terra (inquit Ioua) duæ
D partes eorum, qui in ea erunt, excisæ expirabūt: tertia supererit in ea, quam tertiam ego per ignem traijciam: eosq; explorabo probaboq;, ut argentum atq; aurum exploratur, ac probatur: ipsi meum nomen inuocabunt, & ego eos exaudiam: eos ego meum populum, ipsi me Iouam Deum suum dicent.

a Id solebant gestare uates, ut apparet in Elia.

Matt.26.c Mar.14.c

CAPVT XIIII.

ECce Iouæ dies aduētat, qua diuidentur in te tua spolia, cogamq; gētes omnes ad Hierosolymam ad bellum, & urbe capta diripientur, domus, & mulieres uiolabuntur: migrabit'que dimidia pars urbis in exiliū, reliquus populus non extirpabitur ex urbe: egressusq; Ioua pugnabit cum gentib. illis, sicuti tum cum in conflictu pugnauit. Stabunt autem eius pedes in illa die super Oliueti monte, qui est in Hierosolymę conspectu, ab oriente: fissoq; medio Oliueti mōte ad orientem & ad occidentem, fiet per magna uallis, altero montis dimidio ad septentriones, altero ad meridiem uergente: fugietisq; per montiū meorū uallem (nam montium uallis per-
B tinget ad Azal) & fugietis quomodo fugistis ob terræ motū, temporib. Oziæ Iudææ regis: uenietq; Ioua Deus meus, comitantib. eum sanctis omnib. Et tum quidem non erit chara dies aut [a] concretio, sed erit una dies (quæ Iouæ nota est) [b] neq; dies neq; nox: ac uespertino tempore erit lux. Atq; illa die manabit uitalis aqua Hierosolyma, parte sui dimidia ad orietale mare, altera dimidia ad mare postremum, idq; & æstate fiet & hyeme: & erit Ioua rex in uniuersam terram. In illa die erit & Ioua unus, & eius nomen unum. Circumibitur tota terra tanquam planicies, à Gaba ad Remonē, ab austro Hierosolymæ, sublimisq; suo manebit in uestigio à porta Beniamitica, ad locū primę portæ, ad portam angularē, turrimq; Hananeelis, & ad regia torcularia: eaq; habitabitur, nullo futuro deinceps ex-
C cidio, agetq; in tuto Hierosolyma. Hàc autē clade afficiet Ioua populos omnes, qui contra Hierosolymā militauerint: tabescent eorū corpora, & eis in pedes stātibus, eorū & oculi in suis cauis, & linguæ in oribus tabescent. Atq; illo tempore tantus erit in eis Iouæ tumultus, ut [c] alter alterius manū prehendat, suamq; manū imponat alterius manui, adeò ut etiam Iudæi Hierosolymā oppugnent: congerenturq; facultates omniū undiq; gentium, aurum, argentum, uestes maxima copia. Atq; ita equorū, mulorum, camelorū, asinorum, omnium denique quadrupedum, quę in castris illis erūt, clades erit [d] illi cladi similis.
D Ac quicunque ex cunctis gentibus Hierosolymam adortis superfuerint, uadent quotānis adoratū regem Iouam armipotentem, celebratum'que festum umbraculorum: quiq; ex terrę nationibus non fuerint Hierosolymam profecti, adorandi regis armipotentis Iouæ gratia, non habebunt pluuiam. Quòd si Aegyptiorū natio non profecta fuerit atque uenerit, illi uerò clade afficientur, non qua afficiet Ioua gentes quæ nō fuerint ad umbraculorū festum agendum profectę. Atque hoc erit ad Aegyptiorum & gentium omniū supplicium, quæ ad agendū umbraculorum festum profectæ non fuerint. Eo tempore erunt equorum phaleræ Iouæ sacræ, erunt'que ollæ in æde Iouæ tanquam phialæ ante aram, & erunt omnes Hierosolymis & in Iudæa ollæ Iouę armipotenti sacræ: uenient'que immolatores omnes sumptum ex eis, & in eis coquent, nec erunt amplius in æde armipotentis Iouæ Chananæi in illo tempore.

2. Par.26.d Amos 1.a

a nox quæ crassa & concreta est. b perpetua lux erit, nulla diei noctisq; uicissitudine.

c cospirēt inter sese.

d hominū quā paulò antè dixit.

MALACHIAS.

CAPVT I.

☞ *Minax oraculum Iouæ in Israelitas, per Malachiam.*



MAVI uos, ait Ioua. Quòd si quæritis in quo uos amauerim, Nonne Iacobi frater erat Esaus? inquit Ioua. Atqui Iacobum amaui: Esaū autem odi, eiusq; montes in uanitatem, & possessionem in draconum solitudinem redegi. Quod si decreuerint Idumæi, se, qui peruastati sint, diruta refecturos, sic dicit armipotens Ioua: Quod ipsi construxerint, ego euertam, uocabunturq; fines impietatis, & populus in quem Ioua sæuit in perpetuū: id quod uos uestris oculis spectātes, dicetis, magnificandum esse Iouam per fines Israelitarum. Filius patrem, & seruus domi- B num debet honorare. Quòd si ego pater, ubi est meus honor? si ego Dominus, ubi est mei metus? inquit armipotens Ioua uobis, sacerdotes, mei nominis contemptoribus. Quòd si quæritis in quo meum nomen contemnatis, Affertis ad aram meam panem pollutum. Quòd si quæritis, in quo me polluatis: in eo, quòd Iouæ

Rom.9.c

sam habetis pro despecta. Et quamuis cæcã afferatis uictimã, [a] nõ est malũ: quamuis claudam aut ægram, non est malũ. Offer eam quæso præsidio tuo, utrum ei placiturus sis, aut ab eo quod
C uelis impetraturus, inquit armipotẽs Ioua. Quã obrem orate præsentem Deum, ut misereatur nostri: qui causa estis, ut uestri rationẽ non habeat, inquit armipotens Ioua. Quis uestrũm est, qui gratis uel fores claudat, aram'ue meã collustret? Non mihi accepti estis, inquit armipotẽs Ioua: nec mihi placet ex uestra manu fertũ. Nam ab ortu solis ad occasum magnum erit meum nomen apud gentes, et ubiq; locorũ afferetur meo nomini suffitus, fertũq; purum: tam magnũ erit meum
D nomen apud gentes, inquit armipotens Ioua. id quod uos profanatis, dum Iouæ mẽsam habetis pro polluta, eiusq; uictus prouentum pro despecto: dicitisq;, Vah, [b] quàm onerosum est? cum id uel difflare possitis, inquit armipotens Ioua: raptaq; & clauda & ægra afferatis, fertũq; obmoueatis. Scilicet id mihi placebit ex uestra manu? inquit Ioua. At execrabilis est deceptor, qui cũ masculũ sit in eius grege, tamen uitiosum Iouæ uouet ac immolat: nam rex magnus ego sum, inquit armipotens Ioua, meũq; nomen apud gentes terribile.

a negatis esse malum.

b quàm pinguem uicti mã affero? cum ita macilentas afferatis, ut eas difflare possis.

CAPVT II.

Qvamobrẽ ad uos pertinet hoc præceptũ, sacerdotes. Nisi obedieritis, ac animũ ad tribuendam meo nomini gloriam applicueritis, inquit armipotens Ioua, immittam in uos infelicitatem, [a] uestrasq; felicitates infelicitabo, & infelicitabo, quoniam uos non huc animum adijcitis. Ego uobis semen profligabo, conspergamq; stercore uestras facies, stercore uestrorum festorũ, quod uobis adhærebit: scietisq; me misisse uobis præceptũ hoc, ut mihi cum Leui fœdus intercederet, inquit armipotens Ioua, cum quo mihi fœdus intercessit [b] uitæ atque pacis: quæ quidẽ ei dedi, quia me reuerentia prosequeretur, & meum nomen formidaret. Habuit ueram in ore disciplinam, nec extitit in eius labijs iniquitas: Amicè se & rectè erga me gessit, & multos auertit à uitio. Nã sacerdotis labra doctrinã custodire debent: estq; ab eius ore petenda lex, quippe qui sit armipotentis Iouæ nuncius. At uos de uia deflectitis, multos impeditis in lege, corrumpentes Leuiticũ fœdus, inquit armipotens Ioua. Itaq; ego quoq; uos toti populo contemptos abiectosq; reddam, quãdoquidem uos meas uias nõ tenetis, & in lege habetis personarum rationem. Non'ne patrem unum habemus nos omnes? nõ'ne nos Deus unus creauit? cur prodit fratrem frater, profanando nostrũ fœ-
C dus patrium? Proditor est Iudæus, fitq; nefas in Israelitis ac Hierosolymis: siquidem profanat Iudæus fanum Iouæ quod amauit, peregriniq; dei puellam [c] maritat. Euertet Ioua uirum qui id fecerit, [d] uigilantem & respondentẽ ex Iacobeis tabernaculis, & fertum armipotenti Iouæ obmouentem. Adde quod efficitis, ut obtegatur lachrymis ara Iouæ, ploratu ac suspirijs, ita ut non

Leuit. 26.b
Deut. 28.b

a uos pro felicibus reddã infelices.

b quo fœdere ei uitam ac felicitatẽ dedi. B

c uxorem ducit.
d sacerdotis descriptio.

amplius ferta respiciat, neq; placamina ex uestra manu admittat. Quæretis, quamobrẽ? quoniam Ioua tibi & tuæ iuuentutis uxori conscius est, in quam tu perfidiosus es, cum sit tua socia, & tibi fœderata cõiux. Quòd si unus fecit, qui spiri D
tu abundabat, quid unus ille diuinam progeniẽ quærens? at uos animis cauete, ne in uestræ iuuentutis uxores agatur perfidè. Qui odit, repudiet, inquit Ioua Deus Israelitarũ: & tegat iniquitatẽ ueste sua, inquit armipotens Ioua: & cauete animis, ne perfidè agatis. Fatigatis Iouam uerbis uestris. quòd si quæritis in quo fatigetis? in eo quod dicitis omnes maleficos placere Iouæ: eisq; acceptos esse, alioquin, [e] ubi'nã esse Deũ æquum?

e cur non punit Deus nocentes? Vide cap. sequens.

CAPVT III.

Ego mittam meũ nunciũ, qui mihi uiam præparabit, & repente ueniet in suũ delubrum Dominus quem uos requiritis, fœderisq; nuncius quẽ uos auetis: is aduentat, inquit armipotens Ioua. Quis autem eius aduentus diem sustinebit? aut eo apparente cõsistet? erit enim quasi quidam ignis explorans, aut lanaria fullonia: sedensq; explorabit, ac expurgabit argentũ, & expurgabit Leuitas, ac tam puros reddet, quàm est aurum aut argentũ. Itaq; Iouæ fertũ iustè obmouebunt: eritq; acceptum Iouæ, Iudæorum ac Hierosolymitanorũ fertum, sicut antiquis ac priscis temporibus atq; annis. Congrediar autem nobiscum iudicio, eroq; celer testis in præstigiatores, in adulteros, in periuros, in eos qui mercede B
fraudant mercenarios, qui uiduas, qui pupillos, qui peregrinos labefactant, neq; me timent, inquit armipotens Ioua. Nam nec ego Ioua mutabilis sum, nec uos Iacobidæ finiendi. A maiorum uestrorũ tẽpore deflexistis de meis institutis, nec ea seruastis: redite ad me, & redibo ad uos, inquit armipotens Ioua. Quòd si quæritis, in quo redeatis: debent'ne homines defraudare Deum, ut me uos defraudetis? Quòd si quæritis quonam defraudetis me: decumis ac honorarijs. Infelicitate infelices estis, qui me defraudetis, C
uniuersa gens. Inferte totas decumas in cellam, & facite ut sit in æde mea alimentum, ac me in hoc tentate, inquit armipotens Ioua: ni ego uobis, patefactis cœli meatibus, ubertatem effundam immensam, & [a] consumentia ita profligabo, ut uobis terræ fruges non corrumpant, nec steriles habeatis ruri uineas, inquit armipotens Ioua: quos'que beatos prædicabunt cunctæ gentes, qui sitis accepta terra, inquit armipotens Ioua. Vos atrocibus utimini contra me uerbis, inquit Ioua. Quòd si quæritis quid contra me loquamini: dicitis, frustra seruitur Deo: & quid prodest, si eius disciplinam seruemus, aut armipotentis Iouæ causa pullati ambulemus? cum superbos beatos feramus, cumq; impiè agentes instruantur, & licet tentent Deum euadãt. Interim colloquẽtes Iouæ metuentes inter sese attendit auditq; Ioua, propositũ habens scriptum memoriæ librum metuẽtium Iouam, eiusq; nomen habentium in precio. Itaq; erunt mihi (inquit armipotẽs Ioua) tum cum rem geram,

Matth. 11.b
Mar. 1.a
Luc. 1.b & 7.d
Psal. 131.

Zach. 1.a

a quæ fruges consumunt.
Iob 21.b

ram, peculiū, eisq; indulgebo, quomodo quis
suo filio indulget sibi seruienti: reuersiq; iustos
ab impijs discernetis, & Deum colentes ab eis
qui eum non colunt.

CAPVT IIII.

ADuentat enim dies more fornacis ardēs,
qua erūt omnes superbi, omnesq; impiè
agentes, stipula: eosq; uentura dies inflamma⸗
bit, inquit armipotēs Ioua, ita ut eis neq; radicē
relinquat, neq; ramū. Vobis autē meū nomen
Luc.1.g reuerentib. orietur iustitiæ sol, cuius in alis erit
sanitas: egressiq; lasciuietis ut altiles uituli, &
B obteretis impios, qui puluis erūt sub pedū ue⸗
strorū uestigijs, tum cum ego rem gerā, inquit ar
Ex.20.a mipotens Ioua. Recordamini legē mei Mosis,
Matth.17.c quā ei in Horebo monte præcepi ad omnes Is⸗
Mar.9.c raelitas, decreta atq; iura. Ego uobis missurus
Luc.1.b sum Eliā uatem, antequā ueniat Iouæ dies ma⸗
gna ac terribilis, qui & parentum animos libe⸗
ris, & liberorum animos parentib. reconciliet,
ne ego ueniam, & afficiam orbem exitio.

ESDRAE LIBER IIII.

Admonitio ad lectorem.

HIc liber Latinè tantū extat, sed ea dictione, ut suspicer primùm ex Hebræo Græcum, deinde ex Græco Latinum esse factū, aut certè Græce primum, sed ab Hebraizante scriptum, ut uidemus in nouo Testamento fieri. Eum nos ex parum Latino latiniorem (ne quem hic sermonis dissimilitudo offenderet, & simul ut alicubi esset clarior) fecimus, & cum cæteris Vatibus, quippe uatem, coniunximus, ut omnes in uno corpore habeantur. Vocat autem autor ipse hunc librum, secundum. Sed ne quid sit in eo citando molestiæ, quoniam quartus dici solet, quartus sanè uocetur.

CAPVT I.



1.Esd.7.a LIBER Esdrę ua⸗
tis secundus, filij
Saræi, filij Aza⸗
ræi, filij Helciæ,
filij Sadaniæ, fi⸗
lij Sadochi, filij
Achitobi, filij
Achiæ, filij Phi⸗
neis, filij Helis,
filij Ameriæ, filij
Asiei, filij Mari
mothi, filij Arnæ, filij Oziæ, filij Borithi, filij
Abisei, filij Phineis, filij Eleazari, filij Aharo⸗
Esa.51.a nis, ex tribu Leuitica, qui fuit captiuus in Me⸗
Exprobrat dia, regnāte Artaxerxe rege Persarū. Dominus
Dominus me huiusmodi uerbis allocutus est: I declaratū
Iudæis sua meis sua facinora, eorūq; natis admissa ab eis in
in eos bene- me crimina, ut declarēt nepotibus, parentū ipso
ficia. rum peccata in ipsis creuisse: quippe qui obliti
mei, dijs sacrificauerint alienis. Cumq; ego eos
ex Aegyptia terra, domo seruitutis, eduxerim,
irritauerunt me, et cōsilia mea spreuerūt. Igitur
tu, excussa capitis tui coma, omnia in eos mala
B conijce, qui legi meæ nō obediuerint, homines
indociles. Quādiu eos sustinebo? quibus tan⸗
ta beneficia cōtuli, tot reges propter eos euerti,
Pharaonē Pharaoniosq; & omnē eius exercitū
occidi, gentes omnes eorū causa perdidi, & in
oriente regionū duarū populos, Tyri & Sido⸗
nis, profligaui, & omnes aduersarios eorū inter
feci. Quamobrē tu sic eos alloquere. Hæc dicit
Dominus: Nēpe ego uos per mare traieci, & ui
cos uobis initiò munitos præbui: uobis & Mo
sem ducē, & Aharonem sacerdotē dedi: uobis
lucē per colūnam ignis præstiti, et magna apud
uos edidi miracula, & uos mei obliti estis? in⸗
quit Dominus. Hæc dicit Dominus omnipo⸗ Exod.16.
tens: Vobis coturnix prodigio fuit, uobis ca⸗ Psal.105.
stra ad præsidiū dedi, & illic oblocuti estis: nec
meo nomine de inimicorū uestrorū interitu triū
phastis, sed adhuc usq; murmurastis. Vbi sunt Num.14.a
quæ præstiti uobis beneficia. Nō'ne cū in deser
tis esurientes me inuocassetis, mecū expostulā⸗
tes, quòd uos in solitudinem illā interfectū ad⸗
duxissē: melius fuisse uobis seruire Aegyptijs,
quàm in solitudine illa mori: ego uestros dolēs C
gemitus, uobis māna ad escā dedi, [a] angelorūq;
panē comedistis? Non'ne cū sitiretis, petrā ex⸗ a Addirim, hoc est nobilium, hoc est, nobilē.
cidi, fluxitq; aqua ad saturitatē? Vos cōtra æstū
folijs arborū texi, uobis pingues terras diuisi:
Chananæos, Pherezæos, Palęstinos uestra cau Sap.16.c
sa excegi. quid faciā uobis amplius? inquit Do⸗ Num.20.b
minus. Hęc dicit Dominus omnipotēs: In de⸗ Esa.5.b
sertis cū apud fluuiū [b] Marā sitiretis, nominiq; Exod.15.d
meo malediceretis, nō ignē uobis pro maledi⸗ b Amorrę legitur, sed corruptum uidetur à Mara.
ctis reddidi, sed immisso in aquā ligno, dulce flu
mē effeci. Quid tibi faciā, Iacob? Iuda, nō uis obe
dire Iudæe? trāsferā me ad alias gētes, eisq; meū Exod.32.b
nomē dabo, ut mea iura custodiant. Quoniam Esa.1.d
uos me reliquistis, & ego uos relinquā peten⸗
tibus uobis à me misericordiā, non miserebor,
nec inuocātes exaudiā, qui manus uestras san⸗
guine maculetis, & pedes impigros habeatis
ad homicidia cōmittēda, tametsi nō tā me reli⸗
quistis, quàm uosipsos, inquit Dominus. Hæc
dicit Dominus omnipotēs: Nō'ne ego uos mo
nui, ut pater filios, ut mater filias, ut nutrix alū⸗
nos suos, ut uos mihi populus, ego uobis Deus?
uos mihi filij, ego uobis pater essem? Ita uos D
collegi, ut gallina pullos suos sub alas. Iam Matth.23.h
quid uobis faciam? Repellam uos ex meo con Esa.66.a
spectu: munus cum mihi afferetis, auertam à uo⸗ Osee 2.a
bis uultū. Nā uestros dies festos & nouilunia
ac circūcisiones repudio, qui seruos meos ua⸗
tes uobis à me missos cæpistis ac interfecistis,
eorumq; corpora laniastis: quorum quidē san⸗
guinem ulciscar ego, inquit Dominus. Hæc di
cit Dominus omnipotens. Vestra domus erit
deserta, abijciam uos ut uentus stipulam: neque
nati sobolem propagabūt: quoniā contempto
meo præcepto, me offenderunt. Tradā uestras
domos uenienti populo, qui me non audito,
credent: qui, cum ego eis prodigia non exhi⸗
buerim, facient quę pręcepero: cum uates non
uiderint, sua crimina confitebuntur. Testor uen
turi populi gratiam, cuius paruuli exultabunt
lætitia, non me corporeis oculis uidentes, sed
mente credentes quę dixero. Nunc, frater, aspi⸗
ce, quæ gloria, & uide uenientem ab oriente
populum, cui ego dabo ducatum Abrahami,
Isaaci,

Isaaci,Iacobi, Oseæ, Amosi, Michææ,Ioelis, Abdiæ,Ionæ,Nahumi,Habacuci, Sophoniæ, Aggæi,Zachariæ,& Malachiæ, [c] qui & nuncius Domini uocatur.

c Malachias ad uerbū est Iouæ nuncius. Malac. 2.a

CAPVT II.

HAec dicit Dominus: Ego isti populo ex seruitute educto, præcepta dedi per seruos meos uates,quos audire noluerunt,sed mea consilia repudiarunt. Mater quæ eos genuit, dicit eis:Ite filij, nam ego uidua sum ac derelicta. Educaui uos cum lætitia,& cum luctu ac mœrore amitto,quoniam in Dominum Deum uestrum peccastis,eūq; offendistis. Iam uerò quid uobis faciam? Ego uidua sum & derelicta. Ite filij,petite à Domino misericordiā. Ego uerò te pater, testem uoco de matre filiorū, qui fœdus meum seruare noluerūt,ut & eos ignominię,et eorum matrē direptioni exponas, ne genus eorum propagetˀ. Disperganť per gentes nomina eorum: deleanť de terra,qui sacramentū meum spreuerint. Hei tibi Assyrie,qui improbos abscondis apud te. Gens mala,recordare,quid fecerim Sodomæ ac Gomorræ, quarū terra iacet in bituminosis glebis, & aggerib.cinerū. Sic eos afficiā qui mihi nō obtemperauerint,inquit Dominus omnipotens. Hæc dicit Dominus Esdræ: Nuncia populo meo,me eis daturū esse regnum Hierosolymitanū,quod eram daturus Israelitis:mihiq; illorū gloriam uindicaturū,et eis æterna daturū tabernacula, quæ illis paraueram.

Gen.19.c

Consolatur Deus suos.

B Arborem uitalem habebūt odore suaueolenti,neq; laborabūt aut fatigabunť. Ite, & adipiscemini:optate uobis ad paucos redigi dies, qui in mora sunt:iam paratū est uobis regnū, uigilate, testare cœlū & terrā; me oppressisse malum,& creasse bonū:nam uiuo ego,inquit Dominus. Mater amplectere filios tuos,educa eos cū lętitia, colūbæ ritu: confirma pedes eorū.nā ego te elegi, inquit Dominus,suscitaboq; mortuos de locis suis, ac de monumētis educā,quoniā [a] noui meū nomen in Israelitis. Noli timere, mater filiorū: nam ego te elegi, inquit Dominus. Mittā tibi auxilio seruos meos, Esaiam & Ieremiā, quorū consilio consecraui & paraui tibi arbores duodecim, uarijs grauatas fructib. & totidem fontes lacte fluētes & melle:& montes immensos septem, habentes rosas & lilia, in quibus gaudio implebo filios tuos. Viduam absolue, pupillo patrocinare:genti da, orphanū tuere: pupillo patrocinare, nudū uesti, fractum & debilē cura, claudū irridere noli, tutare mancum, & cæcū in conspectum meæ claritatis admitte: senes iuuenesq; intra muros tuos serua: mortuos ubi inueneris, signa, sepulchroq; manda, & dabo tibi primā in resurrectione mea sessionē. Mane, & quiesce, mi populus: aduentat enim requies tua. Nutrix bona, nutri filios tuos:confirma pedes eorū. Seruorū, quos ego tibi dedi, nemo interibit:eos enim ego requiram

C ex numero tuorū. Noli fathiscere. Cū enim difficultatis angorisq; dies aduenerit, plorātibus ac mœrentib. alijs, tu hilaris eris & copiosa. Inuidebunt gentes, et nihil aduersum te poterunt, inquit Dominus: manus meæ tegent te, ne tui nati gehennam uideant. Lætare mater cum tuis natis: nā ego te liberabo, inquit Dominus. Natos tuos dormientes recordare: nam ego eos ex terræ penetralib. educā, et utar erga eos misericordia: quippe qui sim misericors, inquit Dominus omnipotēs. Amplectere natos tuos, donec ego ueniā, et eis misericordiā tribuam: nam exuberaut fontes mei, neq; gratia mea deficiet.

a Amenomen habēt Israelitæ, mei sunt, mihi curæ sunt.

Exod.15.c

Tob.1.d

Ego Esdras mandatum accepi à Domino in mōte Orebo, ut irē ad Israelitas, ad quos cū uenissem, reiecerūt me, Dominiq; mādatū respuerunt. Itaq; uobis dico, gētes, quæ auditis & intelligitis, expectate pastorem uestrū, uobis æternā requiē daturū. Nam ppè adest ille, qui in fine seculi adueniet. Parati estote ad [b] regni pręmia: nā uobis perpetua lux in tenebris in æternitatē lucebit. Fugite umbrā seculi huius, percipite gloriæ uestræ iucūditatē. Ego seruatorē meū palàm testor. Cōmendatū donū accipite, & lætamini, gratias agētes ei, qui uos ad regna cœlestia uocauit. D Surgite, state, et numerum uidete signatorū in conuiuio Domini, qui se ab umbra seculi remouerūt, & splendidas à Domino uestes acceperūt. Recipe Siō numerū tuum, & cōclude cādidatos tuos, qui legem Domini obiuerūt. Filiorū tuorū quos optabas, plenus est numerus. Roga numen Domini, ut sanctus fiat populus tuus qui uocatus est ab initio. Ego Esdras uidi in Sione tantā turbā, ut eam numerare nō possem, qui omnes carminibus collaudabant Dominū. Erat autem in eorū medio iuuenis procera statura, illos omnes supereminens, qui singulorū capitibus coronas imponebat, ipse cæteris excelsior. Ego admiratione motus, geniū interrogaui: Qui sunt hi, Domine? inquam. Et ille respondens: Hi sunt, inquit mihi, qui mortali uestitu deposito, immortalem sumpserūt, confessi nomen Dei. Nunc coronantur, & palmas accipiunt. Tum ego: Ille iuuenis quis est, inquā genio, qui eis coronas imponit, & palmas in manus tradit? Et ille mihi respondēs: Is est Dei filius, inquit, quē in uita confessi sunt. Hic ego eos magnificare cœpi, qui fortiter ꝓ nomine Dñi stetissent. Tū genius: Vade, inquit, nūcia populo meo, qualia & quāta Domini Dei miracula uideris.

b accipiendum regnū præmio.

Apoc.7.c Esdras uidet in Sione beatos.

CAPVT III.

ANno ab excidio urbis tricesimo, cū essē in Babylonia, conturbatus sum in cubili meo recumbens: & subeuntibus animū meum cogitationibus, quòd & Sionis uastitatē, & Babyloniorū abundantiam uiderem, animo ualde uexatus, cœpi religiosis uerbis Supremum affari hunc in modum. O' Dominator Domine, tu principio iussisti (cum terram, idq; solus, cōdidisses) & imperasti populo (cum quidem Adamo corpus dedisses inanimum, quod & ipsum erat tuarum manuū figmentū: eiq; spiritum uitalem afflauisses, & adeptū coram te uitam in pomariū dextera tua, prius quàm tellus extaret, consitū, induxisses) huic inquā, ut præscriptam

Esdræ ad Deū querimonia de Israelitarum captiuitate.

scriptam à te uitæ uiã amaret, mandauisti: quam cum omisisset, irrogasti protinus mortẽ tum ei, tum eius posteritati. Inde natis gentibus, nationibus, populis & cognationib. innumeris, cum Gen.6.b B suam quæq; gens libidinem sequentes, horrẽda aduersum te, contemptis tuis præceptis, cõmit- Gen.7.b terent: tu rursus, inducto interea temporis in orbis incolas diluuio, eos perdidisti: quodq; Adamo morte, idem uniuersis illis accidit eluuio- 1.Pet.3.d ne. Quanquã unũ ex eis reliquum fecisti, Noam cũ sua familia, ex quo iusti omnes orti sunt. Sed cũ multiplicari cœpissent habitatores terrarum, natosq;, & porrò populos gentesq; multas procreassent, cœpẽre rursus impietate uincere priores. Eorũ tu uitijs offensus, tibi ex eis uirum de- Gen.12.d. 15. legisti, Abrahamum nomine, quem adeò dilexisti, ut ei soli tuam ostẽderes uoluntatem: statuesq; cum eo fœdus æternũ, promitteres te se- Gen.21.a men eius nunquã derelicturũ. Huic Isaacum, Isaaco Iacobum & Esaũ dedisti, Esaoq; repudiato Iacobũ tibi asciuisti: & eo in numerosam so- Exod.19 bolẽ aucto, eius progeniem ex Aegypto deportatã, ad montem Sinam perduxisti: summissisq; Deut.4.b cœlis, terrã defixisti, orbem cõmouisti, concussisti C profunda, mundum conturbasti, penetrauitque splendor tuus quatuor ignis portas, cum terræmotu, uento atq; gelu, ut Iacobi semini, ut Israelis posteritati legẽ traderes diligenter tenen- Gen.3.a dam. Neq; tamen eis malam exemisti mentẽ, ut tua lex in eis fructũ ederet. Nã ut mala mẽte præditus primus Adamus deliquit, et uictus est, sic & omnes eo ꝓgnati: perseditq; infirmitas atq; lex in hominum animis, prauitate radicis: atq; ita remoto bono, remansit malum. Deinde præ- 1.Reg.16.c terito certo temporis interuallo, suscitasti tibi 2.Reg.5.a cultorem nomine Dauidem, cui mandasti urbẽ tui nominis extruendam, in qua tibi thus & munera libarentur. Quòd ubi diu factum est, deliquerunt urbis incolæ, Adami totiusq; posteritatis eius facta prorsus imitati: quippe & ipsi praua mente præditi. Itaq; ciuitatẽ tuam hostiũ tuorum manibus addixisti. Scilicet meliora fa- D ciunt Babylonij, ut ideò imperent Sioni? Equidem cum huc profectus tam innumera uidissem scelera (nam equidem improbos multos hunc iam trigesimũ annũ animaduerto) animo sum attonitus, quòd uiderẽ ut eos peccãtes feras, & impiè agentibus ignoscens, populũ tuum perdideris, cõseruatis tuis hostib. neq; tu cur ista fiant significasti, neque mihi uenit in mẽtem, quomodo debeat hæc expediri ratio. Nunquid meliora Ier.10.d facit Babylon, quàm Sion? an te gens agnoscit alia præter Israelitas? aut quæ nationes tuis credunt oraculis, ut Iacobei? Illarum quidem operæ preciũ non apparet, neq; labor fructũ edidit. Peragrans enim gentes, animaduerti abundantes illas quidem, sed tuorũ mandatorum immemores. Quòd si uitia nostra in statera ponderes, & reliquorum orbis incolarum, nusquam nisi in Israelitis tuũ inuenietur nomen. Quando autem non peccauerunt aduersum te, qui terras inhabitant? aut quæ adeò gens tua mandata seruauit? Horum quidem certos tuis obsecutos mandatis inuenies: at externorum non inuenies.

CAPVT IIII.

TVm missus ad me genius nomine Vriel, mihi respõdit in hũc modũ: Excedit tibi mẽs in hac uita, dum Supremi rationẽ cõprehendere conaris. Ita est, inquam, mi Dñe. Et ille: Ad tres rationes, inquit, tibi ostẽdendas, & tres similitudines proponẽdas ego missus sum: ex quibus si tu mihi unã explanaueris, ego tibi rationẽ demõstrabo quam uidere cupis, & te docebo unde sit mala mẽs. Et ego: Loquere, mi Domine. Tũ ille: I, inquit, examina mihi põdus ignis, aut uenti metire flatũ, aut prẽteritã diem reuoca. At ego respondens illi: Quis mortaliũ facere possit hæc, quę tu à me postulas? Et ille: Si te, inquit, interrogarẽ, quot sint habitationes in medio mari, quot fontes in ortu ꝓfundi, quot uenæ super liquidũ, aut qui paradisi sint termini: diceres mihi fortassis, te in profundum nõ descendisse, nec in Orcũ adhuc, nec in cœlũ unquam ascendisse. Nunc autem te interrogaui tantũ de igne, & uento, & die quem prẽterijsti, à quib. abesse nõ potes, & tamen de eis mihi nõ respõdisti. Tu quæ tua sunt, inquit, & tecũ adolescũt, cognoscere non potes: De malæ mentis origine. & poterit scilicet uas istud capere Supremi rationẽ: aut iam exterius corrupta uita, intelligere corruptionẽ mihi perspicuã? At ego: Præstaret, inquã, nos non esse, quàm esse, & in scelerib. uiue- B re, ac pati, nec scire quamobrem. Tũ ille mihi respondens: Contuli me, inquit, ad terrestriũ arborum syluam, quæ ita statuebant: Agite, eamus illatum mari bellũ, ut nobis cedat, & faciamus nobis alias syluas. Similiter et ipsi maris fluctus in hunc modũ deliberabant: Agite, ascẽdamus, terrestresq; syluas debellemus, ut & ibi nobis regionem conficiamus aliã. Sed & syluæ conatus fuit irritus: uenit enim ignis, qui eã cõsumpsit. itidem & conatus fluctuũ maris: obstitit enim arena, quę eos prohibuit. Quòd si eorũ iudex esses, utrũ tandẽ absolueres, aut damnares? Cui ego respondens: Vtiq; uanũ consiliũ inierunt, inquã: nam & terra syluis data est, & mari locus, qui fluctus eius ferat. Tũ ille mihi: Bene, inquit, Esa.55.c iudicasti: sed cur nõ de temetipso iudicas? Quẽ Ioan.3.e admodũ enim terra syluis data est, & mare fluctibus suis, 1.Cor.2.b sic terræ incolę duntaxat terrestria possunt intelligere: & cœlites, quæ sunt in cœli sublimitate. At ego: Precor te, Domine, inquam, ut mihi detur sensus ad intelligendum. Non enim uolui interrogare de superioribus istis, sed de his quæ quotidie uersantur in nobis, cur Israelita sit gentium probris expositus? cur dilectus tibi populus, deditus sit impijs nationibus? & nostra lex patria ad interitum redacta, scriptæq; institutiones nusquam sint, & nos ex hoc seculo locustarum more emigremus, uitam degentes stupentem ac pauidam: nec digni habeamur, qui misericordiam consequamur? Quid uerò faciet ille de suo nomine, à quo nos nuncupamur? Hæc sunt de quibus interrogaui. Tum ille mihi respondit huiusmodi uerbis:

Quo plura scrutaberis, eo magis mirabere, nam festinat præterire seculū, nec capere sustinet, quę in futura tēpora iustis promissa sunt: quoniā plenum iniustitia est seculū hoc, & infirmitatibus. Quæ autē interrogas, dicam: Seminatū est malum, necdū uenit eius interitus. Quòd nisi euersum fuerit quod seminatū est, & abierit locus ubi seminatū est malū, non ueniet ubi seminatum est bonū. Nam mali seminis granū seminatum est in Adami corde, principiò: quod quantū impietatis ethactenus generauit, et donec ueniat tritura, generabit? Aestima autē apud te granū mali seminis quantū impietatis fructū generauerit? cūq; innumerabiles spicæ resecādæ sint, quàm magna tandem facienda sit tritura? Et ego: Quo modo, inquam, & quando hæc? cur & pauci & mali sunt anni nostri? Ne conare supra Supremū, (inquit ille mihi respōdēs) frustra enim eū superare niteris, & modū excedis. Nimirū hæc eadē sciscitati sunt animi iustorū, in penetralib. suis, dicētes: Quousq; ita sperabimus? aut quādo nobis cōtinget fructus metendæ mercedis nostrę? Ad quæ respōdit Ieremiel, geniorū primarius, his uerbis: Cū impletus fuerit numerus seminū in uobis: nam [a] ipse statera ponderauit æuum, & mensura tēpora mensus est, & numero tempora numerauit, non cōmouenda aut labefactāda, donec impleatur prædicta mensura. At ego: O' D dominator Domine, inquā, atqui nos omnes pleni sumus impietate, ut fortè propter nos nō sint perficiendæ iustorū messes, propter peccata incolarum terræ. Tum ille mihi respondens: I, inquit, interroga prægnantem, an peractis eius nouem mensibus, possit adhuc uterus in se retinere partum? Nō potest, inquā ego, Domine. Et ille: Apud inferos, inquit, animarum promptuaria sunt uuluæ similia. Quemadmodū enim festinat illa pariens effugere partus necessitatē, sic & illa festinant reddere quæ commendata sunt. Ab initio tibi demonstrabūtur quæ uidere cupis. Hic ego: Si quid apud te gratia ualeo, inquā, & si fieri potest, & ego sum idoneus, demonstra mihi utrum plus quàm præterierit sit futurum: an plura præterierint, quàm sint futura. Quid prę terierit, scio: quid autem futurum sit, ignoro. Atq; ille: Consiste, inquit mihi, ad dexteram, & ego tibi rem istam similitudine interpretans, demonstrabo. Tum ego consistens, aspexi fornacem ardentem, præter me transeuntem: cumq; præteriisset flamma, uidi superesse fumum. Postea transiit præter me nubes aquæ plena, quæ multo impetu pluuiam demisit: quo pluuiæ impetu prætereito, superauerunt in ea guttæ. Tum ille mihi: Sic tecum cogita, inquit: quanto & pluuia guttas, & ignis fumum superat, tanto maiorem esse modum qui præteriit. Superantibus autem guttis atq; fumo, sic oraui: Censes me ad illa tempora uicturum? aut quid illis temporibus futurum est? Et ille mihi respondens: Signa quidem eorum, inquit, de quibus tu me interrogas, ex parte possum tibi dicere: sed de uita tua tibi dicere missus non sum, neq; scio.

a scilicet Deus.

Vtrum plura sint præterita, an futura.

CAPVT V.

Quod autem ad signa attinet, tēpus erit cū terrę incolis multū imponetur tributum, & abdita ueritatis uia, sterilis erit à fide regio, eritq; maior iniustitia, quàm uel ista, quam tuipse uides, uel quàm olim audiuisti: [a] ac quā nunc tuis imprimēs uestigiis uides regnare regionem, ea cernetur deserta. Quòd si tibi dederit Supremus uiuere, uidebis post tertiā tubam, cū relucescet subitò sol noctu, & luna ter in die, & stillabit ex ligno sanguis, & lapis sonitū reddet, & populi cōmouebuntur: regnabitq;, quem nō sperant incolæ terræ, & uolucres cōmigrabunt, & Sodomiticus lacus pisces eiiciet, sonitūq; noctu edet multis incognitum, quem eius sonitum audiant omnes. Labes fient multis locis, ignis frequēter existet, feræ aliò migrabūt, mēstruales mulieres parient monstra, in dulcibus aquis inuenientur salsæ, & amici omnes inuicē oppugnabūt. Tūc & sensus abdentur, & intellectus secedet in penetrale suum, atq; à multis quęsitus nō inuenietur. eritq; tam multa in terris iniustitia, ac incontinentia, ut alia regio aliam interroget, num in ea uersetur iustitia iustum faciens, idq; illa neget.

Matt. 24. d
Vltimi temporis signa.
a Babyloniā innuit.
Tertia tuba

Atq; illo tempore quod sperabunt homines, nō impetrabunt: laborabunt, nec succedent eorum actiones. Hæc tibi signa dicere, permissum est mihi. Quòd si oraueris iterum, & ploraueris, sicut & nūc, ac septem dies ieiunaueris, audies rursum his maiora. B Hic cum ego expergefactus, & corpore uehementer horrerem, & animo ita laborarem, ut deficerem, uenit, meq; prehēsum genius, qui mecum loquebatur, confirmauit, & in pedes statuit. Secunda autem nocte uenit ad me Salathiel dux populi: &, Vbi eras, inquit: cur tristi uultu es? an nescis tibi creditos esse Israelitas in eorum exilii regione? Age igitur, sume cibū, néue nos derelinquas, ut suum gregem pastor in ferorum luporum potestate. At ego: Discede à me, inquam ei, néue ad me accede. Hoc ille audito, discessit à me: & ego dies septem eiulans, plransq;, ieiunaui, sicut mihi mandauerat Vriel genius. Deinde exactis septē diebus, cum iterum mihi per quàm molestæ essent mentis cogitationes, rediit animo meo intelligendi auiditas: iterumq; cœpi apud Supremum uerba facere hunc in modum: Dominator Domine, tu ex omnibus terrarum syluis, atque arboribus unam tibi uineam: ex omnibus terris, unam uallem: ex omnibus orbis floribus, unum lilium delegisti: ex omnibus maris undis, unū tibi riuum repleuisti: ex omnibus ædificatis urbibus, Sionem tibi consecrasti: ex omnibus creatis uolucribus, unam tibi nominasti columbam: ex omnibus cōditis pecudib. unam tibi ouem prospexisti: ex omni populorū multitudine, unū tibi populum quæsiuisti, et omnium probatissimam legē huic tibi tam charo populo tradidisti. Nunc Domine, C cur unum pluribus addixisti? & stirpē unam aliis obruisti? unicūq; tuum inter multos disperdidisti, ab eis cōculcatum, qui tuis aduersantes promissis, oraculis tuis non credunt? Quòd si odio

Esdræ ad Deum querela, de Israelitarum seruitute.

odio tuũ prosequeris populũ, debet tuis manib. castigari. Hęc cum ego uerba locutus essem, missus ad me genius, qui me prius superiore nocte conuenerat, sic mecũ locutus est: Audi me, & instruã te: intende mihi, & apud te plura dicã. Cui ego: Loquere, inquam, mi Domine. Et ille: Valde tu quidẽ mente anxius es Israelitarum causa: nũ tu eos plus amas, quàm qui eos fecit? Nequaquã Domine, inquã ego: sed præ dolore locutus sum. Torquet enim me continua [a] cupiditas, conantẽ Supremi rationẽ comprehendere, eiusque iudicij partẽ peruestigare. At ille: Non potes. Cur, inquã ego, Domine? Quorsum natus sum? aut cur mihi non fuit uterus męę matris sepulchrũ? ut Iacobi darũ & generis Israelitici labores ac ærumnas nõ uiderẽ. Et ille: Enarra mihi, inquit, quæ nondũ euenerũt, aut dispersas guttas collige, aut fac aridos flores reuirescere, aut clausas cellas aperi, & inclusos in eis flatus produc: demonstra mihi [b] uocis imaginem, & ostendam tibi quod rogas, et cognoscere laboras. At ego: O' Dominator Domine, inquã, quis uerò est qui possit ista scire, nisi qui cum hominib. nõ habitet? nedum ut insipiens ego possim de ijs, de quib. tu me interrogasti, dicere. Tum ille: Quomodo nullum eorum quæ dicta sunt, præstare potes: sic iudicium meum, aut ultimum, quod meis promisi, beneficium, peruestigare non potes. Cui ego: Sed si tu Domine, ijs adfuturus es, qui ad extremum erunt, quid fiet ijs qui ante me fuerunt? aut nobis, aut post nos futuris? At ille: Circulo simile dico iudicium meũ, inquit, nec posteriores tardius, nec priores citius. Tum ego: Non poteras simul & eos qui fuerunt, & qui sunt, & qui futuri sunt, facere, ut citius iudiciũ tuum exhiberes? Et ille mihi respondens: Neq; creata res, inquit, creatori potest pręcurrere, neq; mũdus eos qui in eo creandi sunt, simul capere. Et ego: Quemadmodũ, ut tute mihi dixisti, creatam rerum naturam simul in uitam produxisti, idq; sustinebat natura rerũ: ita & nunc posset pręsentes simul ferre. At ille: Interroga (inquit mihi) mulieris uterum, cum parit, cur id spacio temporis faciat: ab eo roga, ut decem simul edat. Nõ potest sanè, inquam ego, sed temporis interuallo. Et ille: Ego quoq;, inquit, uterum terræ, ijs qui in ea seminati sunt, tribui ad certum tempus. Vt enim infans non parit senilia, sic ego disposui à me creatum æuum. Tum ego interrogãs: Postquam mihi iam aperuisti uiam, inquam, pergam apud te loqui. [c] Mater nostra, quam mihi dixisti, est'ne iuuenis adhuc? an iam senectuti propinquat? Et ille mihi respondens: Interroga genitricem, inquit, ut tibi dicat, cur quos nunc parit, non sint eis pares, qui ante te nati sunt, sed statura minores? & dicet illa tibi, alios uigente iuuentute natos esse, alios sub tempus senectutis, utero deficiente. Considera ergo tu quoq;, & uos, ijs qui ante uos fuerunt, esse statura minores: & eos qui post uos futuri sunt, fore uobis minores: quoniam senescit iam rerum natura, iuuenilemq; uirtutẽ amittit. Et ego: Quæso Domine,

[a] renes mei.

[b] Echo.

D

Cur omnes beati, non sint uno tempore.

[c] terra.

si quid apud te autoritatis habeo demõstra mihi, per quem creatam à te rerum naturam cures:

CAPVT VI.

Quis rerũ naturam curet.

ET ille mihi: Ab orbis terrarum primordio, inquit, antequam staret mundi termini, antequam spirarent concursus uentorum, antequã streperent tonitruum sonitus, antequam fulgurum splendores coruscarent, antequam firmarentur fundamenta paradisi, antequam decori flores apparerent, antequam mobiles confirmarentur uirtutes, antequam innumera colligerentur agmina Geniorum, antequam extolleretur sublimitas aeris, antequam liquidi dimensiones nominarentur, antequam æstuarent in Sione camini, antequam peruestigarentur præsentes anni, antequam degenerarent eorum mores qui nunc peccant, & consignati essent qui fidem congererent, hæc ego tunc excogitaui: factaq; sunt per me solum, non per alium: per eundem me, non per alium, finienda. Tum ego subieci: Quæ erit temporum diuisio, aut quando prioris finis, & sequentis initium? Et ille: Ab Abrahamo, inquit, usq; ad Isaacum, ex quo cum nati sunt Iacobus & Esaus, tenebat Iacobi manus in initio calcem Esai: nam huius æui finis est Esaus, et sequentis principium Iacobus. Hominis manus inter calcem & manum: aliud noli quærere Esdra. At ego rursum: O' dominator Domine, inquam, si quid apud te gratia ualeo, oro ut mihi finem signorum tuorum demonstres, quorum partem mihi superiore nocte demõstrasti. Tum ille mihi respondens: Surge, inquit, in pedes tuos, & audi plenissimæ uocis sonitum. Erit autem quidam quasi terræ motus, nec tamen commouebitur locus in quo tu stabis. Ideo eo loquente, ne expauescito: nam de fine sermo, & de terræ fundamento intelligitur. Itaq; cum sit de eis sermo, tremiscit & commouetur. Scit enim hæc tandem esse mutanda. His auditis, cum in pedes assurrexissem, audiui loquentẽ uocem, sono qualis est multitudinis aquæ, & ita dicẽtem:

Prioris temporis finis, & sequentis initium Gen. 29. e

B

Aduenient tempora, quibus ego aduentabo, ut terræ habitatores inuisam. Cum autem animaduertere incipiam in eos, qui iniustè nocuerint iniustitia sua, peracta Sionis calamitate, æuo quod urget ad interitum consignato, hæc signa edam: Libri in cœli conspectu aperientur, spectantibus uniuersis, & infantes anniculi suis loquentur uocibus, & prægnantes immaturos parient infantes trimestres & quadrimestres, qui reuiuiscent ac suscitabuntur, subitoq; culta loca cernentur inculta, plenæq; cellæ repentè existent uacuæ, & tuba cum eiusmodi sonitu canet, ut ea audita omnes protinus expauescant. Atq; illo tempore amici amicos hostiliter oppugnabunt, expauescente simul terra, & cessabunt uenæ fontium, & per tres horas non fluent. ac quisquis hæc omnia, quæ tibi prædixi, euaserit, saluus erit: meamq; salutem, & uestri æui finem uidebit. Videbunt autem excepti homines, qui ex quo nati sunt, mortem non senserint, & incolarum mutata mens in aliũ sensum

Signa uenturi malorum supplicij.

conuertetur. Delebitur enim malũ, & extinguetur dolus: florebit autẽ fides, uincetur perfidia, & ostẽdetur ueritas, quæ tandiu fructu caruerit.

C Hæc illo mecũ loquente, ego paulatim intuebar in eum, ante quem stabam. Atq; ille mihi: Ego ueni tibi ostensum, inquit, tempus uenturæ noctis. Quòd si iterũ et oraueris, & septem diebus ieiunaueris, ego his maiora tibi rursus exponã, [a] quæ interim audiuero. Audita est enim uox tua Supremo: nam uidit ille potens tuam probitatem, & qua à pueris pudicitia sis præditus, perspicit: ideoq; me misit, ut tibi demonstrarem hęc omnia: teq; monerem, ut confidas intrepidè, neue temerè ita superiora tempora cogitare coneris, ut ultimorum temporũ rationem nõ habeas.

a In uetere legitur, Per diem quam audiui, qđ an rectè uerterim nescio.

Postea iterum fleui: itidemq; ieiunaui septem dies, ut tres septenarios, qui mihi dicti erãt, peragerem. Octaua autem nocte rursum mente perturbatus, cœpi apud Supremum loqui, quippe animo ualde inflammato, anxiaq; mente, atque ita locutus sum: O' Domine, tu principiò creandæ rerum naturæ primo die cœlum terramq; fieri iussisti: estq; ad dictũ tuũ opus perfectũ. Cumque spiritus esset, & tenebræ circũfusæ, silentiũque nondum uocis humanæ sono abs te profecto, iussisti de tuis cellis lucidum prodire lumẽ, quo tuum appareret opus. Secundo autẽ die aeris auram creasti, eiq; imperasti, ut aquas interiecta sic diuideret, ut earum pars sursum emicaret, pars infrà maneret. Die tertio aquas in septimã terræ partem confluere imperasti, siccatasq; partes sex reseruasti, ut ex his essent quæ tibi ministrarent, sata diuinitus & culta. Nam simulac uerbum tuũ fuerat prolatum, fiebat opus. Extitit enim subitò immẽsa frugũ copia, & oblectamenta gustatus multiformia, floresq; colore immutabili, & fragrantes incredibiliter odores.
D Atq; hæc die tertio facta sunt. Quarto die solis splendorẽ, lunæ lumen, stellarũ ordinem fieri iussisti: eisq; ut homini creãdo seruirẽt, imperasti. Quinto die iussisti parti septimæ, ubi erat aquę affluẽtia, ut animantes, uolucres, piscesq; procrearet: id quod factũ est. ediditq; aqua stupida & inanima, nutu diuino iussas animantes, ut inde miracula tua prædicent nationes. Ac tũ quidem duo reseruasti animantia, quorũ unum [b] Behemoth, alterũ Leuiathanem nomine dixisti, & alterum ab altero separasti, quod ea non poterat septima pars, quò se aqua collegerat, capere. Et Behemotho quidẽ partem unã, quæ tertio die aruit, habitandã dedisti, ubi mille montes sunt. Leuiathani autem septimã dedisti partem humidã, eumq; reseruasti, à quib. & quando uoles deuorãdum. Sexto die terræ imperasti, ut pecora, ut feras, ut serpentes corã te procrearet: & insuper Adamũ, quẽ tuis omnib. operibus dominũ præfecisti, à quo tum cæteri omnes, tum delectus à te populus genus ducimus. Hæc autem omnia dixi apud te Domine, qui propter nos creasti mundũ: reliquas autẽ gẽtes Adamo prognatas adeò pro nihilo ducis, ut earũ saliuæ similium, multitudinem cum gutta, quæ de uase destillat, compares.

Esdræ querela, de Israelitarũ seruitute. *Gen. 1. a*

Behemoth. Leuiathan. b elephantem, Iob 4.

Atqui Domine, gentes istæ, quæ pro nihilo habentur, cœpere nobis imperare, nosq; cõficere: cum nos tuus populus, quem primogenitum, quem unigenitum, quem delicias tuas uocasti, simus eorũ manibus addicti. Quòd si propter nos creatus est mũdus, cur nõ cũ mũdanis habemus possessionẽ? Quousq; duratura sunt hæc?

CAPVT VII.

His dictis cum finem fecissem, missus ad me Genius idem, qui priorib. noctibus fuerat missus, ita mihi dixit: Surge Esdra, & audi uerba quæ ego tibi locutum uenio. Et ego: Loquere mi Deus, inquam. Atq; ille: Mare positum est, inquit, in adeò spacioso loco, ut sit altum & immensum: sed aditu in loco ita angusto posito, ut sit fluminibus similis. Si quis igitur id mare ingredi, & id uidere, aut in potestatem tuã uelit redigere, quomodo, nisi transierit angustias, poterit in apertum æquor uenire? Item aliud: Vrbs est in cãpestri loco ædificata ac posita, eaque omnium bonorum plena, introitu angusto & in præcipiti posito, ut sit ad dexteram ignis, ad sinistram alta aqua, interiecta inter ignẽ & aquam semita, uix quæ hominis uestigium capiat. Si cui igitur hæreditate data sit hæc urbs, si is oppositum periculum nunquam pertransierit, quomodo adipiscetur hæreditatem suam? Ita est, inquam, Domine. Et ille: Talis est, inquit, & Israelitarum cõditio. Cum enim propter eos creauissem mundũ, & Adamus contra instituta mea fecisset, uindicatum est in id facinus: factiq; sunt huius uitæ aditus angusti, cruciabiles, & laboriosi: ijq; pauci ac mali, & periculorum pleni, & labori uehemẽter obnoxij: cum sint maioris ęui introitus spaciosi, tuti, & fructũ immortalitatis afferentes. Quòd nisi, qui uiuũt, per angusta hęc & uana fuerint ingressi, non poterũt assequi quæ sunt reposita. Nunc ergo cur conturbaris aut commoueris tu, cum sis interiturus ac mortalis? Cur non futura potius, quàm præsentia, mente agitas? Et ego respondens: O' dominator Domine inquam, si tu lege tua statuisti, ut hæc iusti
B possideant, impij autem pereant, cum iusti angusta ferant, sperantes ampla: qui fit, ut qui agũt impiè, ij & angusta patiantur, neq; ampla illa uisuri sint? Et ille: Nullus est, inquit, iudex supremo Deo prudentior. Pereunt enim in præsentia multi, quia negligitur proposita Dei lex. Etenim præceptum dat Deus uenientibus, quandocunque uenerint, quid faciendo, & quid obseruando uitam adepturi sint, & pœnas euitaturi. At hi non obtemperant, sed ei contraueniũt: & uanis utentes cogitationibus, proponunt sibi fraudes scelerum. Supremum esse negant, eius rationes ignorãt, legem spernunt, repudiant promissa, sententijs eius fidem non habent, nec præscripta ab eo opera præstant. Quapropter, ô Esdra, [a] inania inanibus & plena plenis. Scito futurum esse, ut ueniant signa, quæ ego tibi prædixi, appareatq; sponsa: & existens ostendatur, quæ nũc subducitur, terra: ac quisquis ex prædictis malis euaserit, uideat miracula mea. Patefiet enim

Felicitatis uia.

Deut. 2. a

Rom. 2.

a abeo qui non habet, auferetur, & habenti dabitur.

filius

[Iesus.] filius meus Iesus cū suis comitibus, & lætabuntur qui reliqui fuerint annis quadringētis. Post eos annos morietur filius meus Christus, & omnes spiritu præditi homines, & couertetur orbis in antiquū [a] silentiū, diebus septem, sicut in [b] priorib. pœnis, ita ut nemo supersit. Peractis autem septē dieb. excitabitur quod nondum uigilat seculū, & morietur corruptum: terraq; reddet quæ in ea dormient, & humus qui in eo silentio habitabunt, et cellæ depositas apud se reddent animas, & aderit Supremus pro tribunali: præteritisq; miserijs peribit [c] patiētia. Ius autem C solum remanebit, ueritas stabit, fides coualescet, præmiū subsequetur, merces exhibebitur, uigilabunt uirtutes, & uitia dominatum amittēt. Et ego: Primus Abrahamus, inquā, orauit pro Sodomitis, & Moses pro patribus qui in desertis peccauerant: & eius posteri pro Israelitis, Achazi & Samuelis tempore: & Dauid propter cladem, & Solomo pro uenturis in fanum: & Elias pro ijs qui pluuiā obtinuerunt, et pro mortuo ut reuiuisceret: & Ezechias pro populo, tempore Sennacheribi: deniq; multi pro multis. Quòd si nunc, cum peruersitas increuit, auctaq; est iniustitia, orent iusti pro impijs, cur nunc quoq; non fiat idem? At ille mihi respondens: Præsens, inquit, seculum non est finis: autoritas in eo frequēter locum habet, propterea oratur pro infirmis. Sed iudicij dies erit, huius temporis finis, & futuræ immortalitatis initium, cū præterierit peruersitas, perierit intemperantia, excisa fuerit diffidentia, creuerit autē iustitia, orta ueritate. Tūc enim nemo uel perditum seruare, uel deprimere uictorē poterit. Tunc ego subieci: Hoc idipsum est, inquam, quod primum & postremum dico, uidelicet præstitisse, non dare terram Adamo: aut cum iam dedisset, à peccando eum cohibere. Quid enim prodest hominib. & hanc uitam agere miserè, & mortuos expectare supplicium? O' Adame, quid fecisti? Quòd enim tu peccasti, non tuus unius casus fuit, sed & noster, qui ex te orti sumus. Quid enim prodest nobis promissum esse tempus immortale, si nos agimus opera mortalia? Aut propositā nobis esse spem perennitatis, si nos pessimi, uani sumus? Aut designatas nobis incolumes et tutas habitationes, si nos malè nos gerimus? Aut repositam esse Supremi gloriam ad eos protegendos, qui patienter se gesserint, si nos pessimis sumus moribus? D Aut exhibēdum esse Paradisum, cuius fructus incorruptus perseuerat, in quo est securitas ac remedium: si nos eò non ingrediemur, quippe in iniucūdis uersaturi locis? Aut stellis splendidiores fore facies eorum, qui abstinentia fuerint usi, si nostræ facies erunt tenebris nigriores: quippe qui non cogitemus uiuentes, cum crimina committimus, post mortem nos esse daturos pœnas? Tum ille mihi respōdens: Hæc est, inquit, certaminis ratio, quòd homini in terris nato certandum est, ut si uictus fuerit, patiatur quod tu dixisti: sin uicerit, assequatur quod dico ego. Nā hæc est uita, de qua Moses cum uiueret, loquebatur, populū his uerbis alloquens: Elige tibi uitā, ut uiuas. [Deut. 30. d] Sed illi nec ei, nec eius successorib. uatib. crediderūt: sed nec mihi, qui eos monui, non tam perniciosos eis esse tristes casus, quàm gaudio fruituros eos quib. persuasa salus est. Tū ego: Scio Domine, inquam, Supremū ex eo misericordem uocari, quod & eorum qui nondum in hanc uitam uenerunt, & eorum qui in eius lege uersantur, miseretur. Itē facilis est, qui facilitate utatur in eos qui peccant, tanquā in sua opera: & munificus, qui largiri uelit quātum res postulat: & multæ beneficentiæ, qui tam multiplicia conferat beneficia, tum in eos qui nunc sunt, tum in eos qui fuerūt, aut futuri sunt. Nisi enim multa fuerit usus beneficētia, nō reuiuiscet mundus cum his qui eum possessuri sunt. Condonat item: nisi enim pro sua bonitate condonaret, ut qui culpam cōmiserunt, suis criminib. leuentur, non posset uel decies millesima pars hominū reuiuiscere: & nisi iudex sermone suo curatis ignosceret, ac tot crimina deleret, fortassis ex innumerabili multitudine uix superessent perpauci.

[Margin notes, left: a interitū. b diluuio. c res aduersæ. — In hac uita locus est gratiæ, in futura non item. — Ad Adamū exclamatio. Rom. 5. b] [Margin notes, right: Dei clementia. Rom. 2. a]

CAPUT VIII.

[Pauci seruandi.] TUm ille rursum mihi: Hoc æuum, inquit, fecit Supremus propter multos, futurum autem propter paucos. Dicam autem apud te similitudinem, Esdra. Quemadmodū si terram interroges, dicet tibi se multum terræ præbere, unde fiāt fictilia: sed paululum pulueris, unde fiat aurum: sic se habet præsentis æui negociū, multis quidē creatis, sed paucis seruandis. At ego: Hauri ergo, ô anima mea, sensum, & uora prudentiā, postquam audiendi ac uaticinandi cupiditate uenisti: nec enim tibi datum est amplius, quàm uiuendi spacium. [Matt. 20. b 22. b] O' Domine, nisi mihi permittas ut te oremus, nostrisq; cordibus & sensibus semen ac cultum, unde fructus existat, adhibeas: undè nam possit quisquam corruptus uiuere, qui hominis locum sustineat? Nam & tu solus es, & nos unum sumus, manuum tuarum opificium, ut dixisti: cumq; iam in utero formatum corpus est, eiq; mēbra præstitisti, conseruatur [a] igni & aqua tuum opificium, & nouem mensibus patitur [b] res à te formata, id quod à te in ea creatum est. Et [c] quod seruat autem, & [d] quod seruatur, utrumq; [e] seruatur: seruatusq; porrò uterus, tandem reddit quæ in eo adoleuerunt. Curas enim tu ex ipsis membris, hoc est mammis, præbendum lac fructum fœtui, ut quod formatum est, nutriatur aliquādiu, ut eum postea tua benignitate componas. Eum tua iustitia enutris, lege erudis, iudicio corrigis, & tanquā rem à te creatam necas, eundemq; ut opus tuū reuocas in uitam. B Quòd si perdis eum, qui tantis laboribus est conformatus, facilè est tuo iussu perfici, ut & id quod factum est, seruetur. Quamobrem, Domine, dicam non de cunctis hominibus (nam de cæteris tu potius uideris) sed de populo tuo, cuius uicem ego doleo: de hæreditate tua, propter quam lugeo: de Israelitis, de Iacobeis, quorum uicem doleo, ac ægrè fero. Ingrediar, inquam, te tum pro me, tum pro ijs orare, quoniam

[Margin notes, right: a calore humore. b mulier. c uterus. d fœtus. e à Deo.]

niam uideo lapsus nostros, qui inhabitamus terram. Audiui autem, quàm celeriter uenturus sit
Rom.11.d iudex futurus: quapropter audi uocē meam, & attende sermonem meū, dum loquor apud te. ¶ Sequitur oratio Esdræ priusquam animo excederet:

Esdras Deū orat, ut suorū misereatur.

Domine, inquā, qui sempiternus permanes, cuius oculi in sublime per aerē elati sunt, cuius soliū inæstimabile, gloria incōprehensibilis est: cui Seniorum trepidus astat exercitus, quorum cura circa uentum ignemq́ uersatur: cuius oratio uera, & dicta constantia sunt: cuius iussum potens, & institutum terribile: cuius aspectus undas exiccat, & indignatio liquefacit montes, & certa fides est: exaudi tui cultoris orationem, ausculta figmēti tui preces, qui donec uiuā loquar, donec sentiam fabor. Ne specta tui delicta populi, sed eos qui tibi uere seruiunt. Ne intēde in impia gentium studia: sed qui oracula tua inter dolores tuentur. Ne eorum rationē habe, qui se erga te gerunt perfidè: sed eos recordare, qui tenēt ad arbitrium tuum religionem. Noli eos perdere, qui brutis sunt morib. sed eos respice qui legem tuam præclarè docent. Ne eis succēse qui bestijs peiores habētur: sed eos dilige, qui semper tuæ iustitiæ confidunt, & gloriæ. Nam nos quidem maioresq́ nostri, eiusmodi laboramus morbis, ut tu propter nos nocentes sis appellādus misericors. Si enim uolueris misereri nostri, fiet ut uo-
C cère misericors, nobis quidem iustitiæ opera nō habentibus. Nam iusti quidē, quibus sunt opera multa reposita, ex suis ipsorum operibus mercedem accipient. Quid est enim homo, ut ei suc-
1.Reg.8.g censeas? quid est mortale genus, ut te ei tam acer-
2.Paral.6.f bum præbeas? Certè enim nemo nascitur, qui non impiè agat: nemo extat, qui non delinquat. Enimuerò hoc ipso prædicabitur iustitia bonitasq́ tua, Domine, si eorum misertus fueris, qui rectè factorum facultatem non habent. Tum ille mihi respondens: Rectè nonnulla locutus es, inquit: & ut habent uerba tua, sic fiet nec enim uerè animaduertam innocentum mores ante mortem, ante iudicium, ante exitium: sed me iustorū moribus oblectabo, memor & peregrinos esse, & conseruandos, ac remunerandos. Vt ergo dixi, sic se res habet. Vt enim agricola spargit ille quidem in terra multa semina, pangitq́ frequentes plantas, sed non suo tempore omnia sata euadunt, nec omnia plātata radicantur: sic & in orbe sati non omnes seruabuntur. Tum ego sic subie-
Matt.20.b ci: Si placet, ego loquar. Quemadmodum semen agricolæ, nisi enatum fuerit, aut tēpestiuè tuam acceperit pluuiam, aut si pluuiæ multitudine fuerit corruptum, perit: sic etiam homini accidit, qui manibus tuis formatus est, & cuius tu exemplum nominatus: siquidem & tu ei assimilaris, propter quem omnia formasti, & ipsum cum agricolæ semine comparas. Ne sæui in nos sed parce tuis, & hæreditatis tuæ miserere, tu qui
D es erga opificium tuum misericors. At ille mihi respondens: f Alia, inquit, in præsentia agenda sunt, alia in futurum. Multum sanè ab eo abes, ut possis plus opificium meum diligere, quàm

f miserebor equidē, sed nondū tempus est.

ego. Et ad te quidem frequenter accedo, sed ad iniustos nunquam. Ideo autem in precio es apud Supremum, quoniam tu te, sicuti decet, summittis, nec eum te iudicas, ut inter iustos magnopere glorieris. Itaque multis & miseris afficientur calamitatibus, qui postremi in orbe degēt, quòd se superbissimè gesserint. Tu autem disce tibi, Quinam
tuiq́ similium gloriæ studeto. Vobis enim a- beati futuri.
pertus est paradisus, plantata uitalis arbor, præparatum futurum tempus, præparata abundantia, ædificata urbs, explorata requies, perfecta bonitas, perfecta sapientia. Vobis nihil rei est cum radice mali: uobis detracta est infirmitas atque tabes, & in Orci obliuionem fugit interitus: ac præteritis doloribus, exhibetur ad extremum thesaurus immortalitatis. Ne pergas igitur sciscitari de eorum multitudine, qui perituri sunt. Nam & ipsi libertatem adepti, Supremum spernunt, eius legem contemnentes,
& uias relinquentes. Accedit eò, quòd eius iu- Psal.13.a
stos opprimunt, animo negantes esse Deum, idque cum se morituros sciant. Vt enim uos excipient quæ suprà dicta sunt: sic eos sitis et cruciatus, quæ præparata sunt. Non enim uoluit hominem perire: sed ipsi creati creatoris sui nomen coinquinant, ingrati in autorem uitæ suæ. Quapropter iudicium meū iam propinquat: id quod nō cuiuis, sed tibi, paucisq́ tui similibus, demōstraui. Tū ego: Tu quidē nūc, Domine, inquam, mihi signa multa demonstrasti, quæ ad extremū editurus es: sed quo tempore, nō demonstrasti.

CAPVT IX.

TVm ille mihi respondens: Metire tempus per semetipsum, inquit: & cum uideris aliquam prædictorū signorum partem præterijsse, tum intelliges id esse tempus, quo inuisurus est
Supremus orbem à se factum. Cumq́ extiterint Matt.24.a
in orbe terræ motus, & populorum turbatio, tūc intelliges de ijs locutum fuisse Supremū à temporibus quæ iam olim ante te fuerunt. Sicut enim quicquid in orbe fit, id & initium habet & exitum, eumq́ manifestū: sic et Supremi tempora initia habent prodigijs præclarisq́ factis ma-
nifesta, & exitus actione ac signis. Quisquis au- 2.Tim.2.b
tem euaserit, suisq́ factis ac fide, qua crediderit is, potuerit effugere, is ex supradictis periculis supererit, & salutem meam uidebit in terra finibusq́ meis, qui me ceu sacrū à mundo secreuerim. Ac tum miseri erūt, qui nunc abutūtur meis institutis: & in tormentis agent, qui ea contemptim reijciūt. Nam qui me non agnouerint, uiuentes beneficia consecuti, & qui legem meam fastidierint, cum adhuc libertatem haberēt, cumque esset adhuc eis apertus pœnitētiæ locus, non attenderint, sed spreuerint, ijs erit post mortē in
cruciatu cognoscēdum. Porrò tu noli curiosius B
quærere, quomodo cruciandi sint impij: sed quære, quomodo iusti seruandi sint, & quorum sit seculum, & propter quos seculum, aut quando.
At ego: Iamdudum dixi, inquam, & nunc di- Esd.8.a
co, posthac dicturus idem, plures esse peritu- Matt.20.d
ros, quàm seruandos: quemadmodum plus

est flu-

a. non in uel ligo.

est fluctus, & gutta. Et ille: a Qualis ager, inquit mihi talia & semina: & quales flores, tales & colores: & qualis opifex, tale & opificium: & qualis agricola, talis cultura, quoniā tempus erat seculi. Ergo quum his qui nunc sunt, ante conditū mundum pararem in quo habitarent, nemo mihi contradicebat: tunc enim quisque. at nunc creatorum in hoc condito mundo, seminario perpetuo, & lege inexplicabili, corrupti sunt mores. Igitur mundum considerans, animaduerti periculum esse ab exortis in eo moribus: quo uiso, multum ei peperci, mihiq; acinū ex uua, & plantarium ex tam copioso genere seruaui. Pereat ergo multitudo, quae frustra nata est: & seruetur meus acinus, atq; plantarium, quod multo cum labore feci. Tu uerò si porrò septem alios dies transegeris (non ieiunabis aūt in eis, sed in floridum profectus campū, ubi nulla domus aedificata sit, uescēris duntaxat cāpi floribus, neq; carnem gustabis, neq; bibes uinum, sed tantum floribus uteris, Supremū sine intermissione precās)
C uenìam eò, colloquarq; tecum. Igitur profectus ego, ut ille mihi dixerat, in campum qui uocatur Ardath, mansi ibi in floribus, uescens herbis terrestribus, quarum cibus mihi saturitatem attulit. Exactis aūt diebus septem, cum mihi in gramine recubanti, mens iterum, ut antea, turbaret, coepi aperto ore apud Supremū sic uerba facere.

Ex. 19.a. 24.d Deut. 4.b Esdrae ad Deum querela, de Israelitarum corruptione.

O' Domine, tu te nobis ostendēs, apparuisti maioribus nostris in inaccessa infructuosaq; solitudine, cum ex Aegypto emigrassent: eosq; Israelitas, Iacobi progeniem, monuisti ut te audirent, tuaq; dicta attenderent: te enim legem tuam in eis seminaturum esse, quae fructum in eis ederet, ex quo gloriam essent adepturi sempiternam. Verum maiores nostri acceptam legem non exe cuti sunt, nec tua iura conseruarunt, itaq; non cōparuit fructus legis: nec enim poterat, quippe tu us. Nam qui acceperunt, perierūt, qui non custodierint quod fuerat in eis seminatum. Solet au-

Exod. 32.f

tem fieri, ut cum acceperit terra semē, uel nauem mare, uel uas aliquod cibum aut potionem, eo pereunte in quo seminatum est, aut in quod aliquid immissum est, pereat simul id quod seminatum aut immissum ac positum est, nec apud nos remaneant quae illis capiebantur. Sed in nobis non ita fit. Siquidem nos qui legem accepimus,
D peccando perijmus, nostrumq; cor, quod eam accepit: at lex non perijt, sed uim suam retinuit.

Mulier Sionis imago, apparet Esdrae.

Haec cum animo sermocinans, oculos retro uertissem, uidi in dextera parte mulierem, quae magna uoce lugens, plorabat cum graui animi dolore, discissis uestimentis, puluere consperso capite. Itaq; omissis, quibus intentus eram, cogitationibus, conuersus ad eam dixi: Quid fles? aut quid animo doles? Et illa: Sine me, mi Domine, inquit, deflere meipsam, & dolori indulgere: nā uehementi animi moerore grauiter angor. Cui ego: Quid tibi accidit inquam, dic mihi. Et illa: Sterilis fueram, inquit, Domine, neq; pepereram, habens maritum per annos triginta: quibus triginta annis cum Supremum per singulas horas atq; dies, interdiu noctuq; comprecata forem, accidit post annos triginta, ut me Deus exaudiuerit, meamq; miseriam & calamitatem respiciens, mihi filium dederit: quo quidem ualde delectati sumus ego uir' que meus, & omnes ciues mei, numenq; multum celebrauimus. Eum ego multo cum labore nutriui: cumq; adoleuisset, & eò uenisset ut ducturus esset uxorem, egi conuiuij diem.

CAPVT X.

a. cubitum discessissemus.

Sed accidit, ut ingressus in thalamū suum filius meus, caderet, ac moreretē, cum quidem omnes a euertissemus lumina. Deinde cum omnes mei ciues ad me consolandam surrexissent, quieui usq; ad sequentis diei noctem. Et posiquam omnes consolandi mei, ut quiescerem, finem fecerunt, surrexi noctu, & aufugi, ueniq; ut uides, in hunc campum, & cogito iam non reuerti in urbem, sed hic permanere, & neq; cibū neq; potionem capere, sed sine intermissione lugere ac ieiunare, donec moriar. Tum ego omissis in quibus eram sermonibus, ei cum iracundia respondi his uerbis: O' omnium mulierum stultissima, nō uides luctum nostrum, & quae nobis contingunt? Nam Sion mater nostra, omni moerore & miseria afflicta, luget grauissimè. Et nunc cum moesti lugeamus omnes, quippe omnes tristia patientes, tu unum filium moeres? Interroga enim terram, & dicet tibi, se eam esse, quę debeat lugere casum tam multorum in ea nascentium. Cum enim ex ipsa ab initio nati sint omnes, & alij porrò orituri, abeunt penè omnes in interitum, exitiumq; fit eorum tantae multitudinis. Vtram igitur par est lugere magis? hanc'ne quae tantam multitudinem amittit? an te, quae unius causa doles? Quòd si mihi dices: At non est plan ctus meus terrę similis: nam ego uentris mei foetum perdidi, quem cum aerumnis ac doloribus genitum pepereram, cum terrae (ut est terrae natura) multitudo praesens, ut fit, abeat: respondebo, sicut tu cum labore peperisti, sic & terram dare fructum suum homini, ei qui eam ab initio excoluit. Quamobrem comprime apud temetipsam dolorem tuum, & fortiter fer qui tibi contigerūt B casus. Si enim Dei decretum approbaueris, eiusq; consilium tempestiuè admiseris, ex eo laudem inuenies. Quapropter in urbem aduirum tuum te confer. At illa: Non faciam, inquit, nec in urbem me recipiam, sed hic moriar. Tum ego pluribus cum ea agere pergens: Noli istud facere, inquam, sed obsequere suadenti. Quot enim casus Sionis? consoletur te dolor Hierosolymae. Vides enim nostrum fanum in uastitatem redactum, euersam aram, templum dirutum, oppressos cantus, tacere carmina, perijsse laetitiam, candelabri lumen extinctum, direptam arcam oracularem, sacrarium pollutum, penè profanatum nomen à quo nuncupamur, nostros liberos contumelia affectos, sacerdotes crematos, Leuitas abactos in captiuitatem, stupratas uirgines, uiolatas uxores, uiros bonos raptos, paruulos perditos, iuuenes

 seruire,

seruire, milites debilitatos, & quod est omnium maximum, insigne Sionis, quæ sua gloria priuata est, quippe quæ sit in hostium nostrorũ manus tradita. Quamobrem tu excute tantũ istum mœrorem, & tot dolores depone, ut tibi reconcilietur numen, ac requiem & laxamentum laborum afferat Supremus. Hæc me ei dicente, accidit ut subitò fulgeret eius facies atque species, aspectusq́; coruscus fieret, adeò ut ad eam ualde expauescerẽ. Ac dum quid nam id esset cogito, ecce tantum illa repentè tantiq́; terroris sonitum uoce emisit, ut eo mulieris sono terra commoueretur. Deinde aspicienti mihi, mulier nusquam comparebat, sed urbs cõstruebatur, apparebatq́; magnorum fundamentorum locus. Itaq́; territus magna uoce exclamaui: Vbi est, inquã, Vriel

C *Sup.4.b* genius, qui primùm ad me uenit? nam is me in hunc tantum mentis excessum adduxit, ubi ad extremum mihi perijt res, & preces turpiter ceciderunt. Hæc loquente me, superuenit ille mihi, quem cum ceu mortuum, iacentem, & exanimatum uidisset, prehensum dextera mea confirmauit, & in pedes erectum, sic allocutus est: Quid tibi est? cur mẽte animiq́; sensu turbatus es? quid conturbaris? Cui ego: Quoniam tu me dereliquisti, qui quidem tua dicta executus sum, profectus in campum ubi uidi quod me non posse enarrare uideo. Et ille: Sta uiriliter, inquit mihi, & ego te commonebo. Cui ego: Loquere tu mecum, mi Domine: noli me derelinquere, ne frustra moriar: nam & uidi quæ nesciebã, & audio quæ nescio, nisi forte fallit meus sensus, animusque somniat. Quapropter oro te, ut mihi tuo declares hunc mentis excessum. Tum ille mihi respondens: Audi me, inquit, dum te doceo, & de eis quę times, dissero: nam tibi Supremus multa patefecit arcana. Vidit rectum institutum tuum, qui propter populares tuos sine intermissione mœreres, & Sionis uicem tantopere doleres.

visionis interpretatio. Hęc est ergo uisionis interpretatio, quæ tibi paulo antè apparuit. Quam uidisti lugentem, conatus es consolari: at nunc iam mulieris speciem nõ uides, sed uisa tibi est urbs ædificari. Quòd aũt tibi casum filij sui narrabat, hæc est explicatio.

D Hęc mulier, quam tu uidisti, Sion est. Quòd autem tibi dixit ea, quam modò ut urbem construi cernebas, quòd inquam tibi dixit, se annos triginta fuisse sterilem: id eò pertinet, quòd fuerunt scilicet anni triginta, cum in ea nondum fieret res diuina. Quibus annis triginta exactis, construxit urbem Solomo, remq́; diuinam fecit: tũc fuit, cum peperit sterilis filium. Quòd autem tibi dixit, eum se laboriose nutriuisse, ea est habitatio Hierosolymis. Rursumq́; quod tibi dixit filiũ suum ingressum thalamum suum, fortuito casu lapsum interijsse, ea est quæ contigit ruina Hierosolymæ. Quòd autem illius formam uidisti, & quoniam filium lugeret, eam consolari conatus es, deniq́; de ijs quæ contigerunt, hæc tibi sunt aperienda. Videns scilicet Supremus, te propter eam animo mœrere, totoq́; pectore angi, ostẽdit tibi eius gloriæ claritatem, decorisq́; pulchritudinem. Nam ideo te in cãpo manere iussi, ubi nullum esset domus ædificium. Sciebam enim Supremum hæc tibi ostensurum esse: propterea iussi ut uenires in agrum, ubi nullum esset ædificij fundamentum. Nec enim poterat opus humani ædificij eo sustineri loco, ubi Supremi urbs demonstranda foret. Quocirca noli timere, aut animo expauescere: sed ingressus uide ędificij splendorem ac magnitudinem, quantum tibi licet oculorum acie uidere: postea audies quantum orium tuorum auditu tibi audire fas est. Nam tu in primis beatus es, & homo paucorum apud Supremum uocaris. Manebis aũt hic crastina nocte, & tibi obijciet Supremus summarũ rerum uisa, quas faciet Supremus terræ incolis, postremis temporibus. Itaq́; ego noctem illam & sequentem dormiui, sicut ille mihi mandauerat.

CAPVT XI.

Esdræ uisio de orbis imperijs.

VIsus sum aũt mihi uidere in somnis ascendentem ex mari aquilam, duodecim habentem pennatas alas, & tria capita: quam uidebam in totum orbem alas suas expandere, & omnes cœli uentos confertim in eam flare. Deinde uidi de pennis eius nascentes contrarias pennas, quæ in minutas exiguasq́; pennulas euadebant. Et eius quidem capita quiescebant, medio capite cæteris maiore, quod tamen cum eis quiescebat. Eam aquilam uidi suis uolare pennis, & in orbe regnare in eius habitatores: eiq́; omnia sub cœlo ita esse subiecta, ut nemo eorum, quicunq́; sunt in terris creati, ei contrà ueniret. Deinde uidente me, constitit in ungues suos aquila, emisitq́; pennis suis uocem, dicens: Nolite omnes simul uigilare: dormite suo quisq́; loco, & suo quisque tempore uigilate, capita autem seruentur ad extremum. Animaduerti autem uocem, non ex eius capitibus exire, sed ex medio corpore. numeransq́; contrarias eius pennas, deprehendi octo: deinde uidi surgere à dextera parte unam B

pennam, quæ toto orbe regnauit. Cumq́; regnaret, uenit ei finis, ita ut eius uestigium nusquam appareret. Deinde extitit altera, quæ regnauit, & ea quidem multo tempore tenuit. Cumq́; regnasset, eius finis uenit, ita ut nusquã esset, quemadmodum prior. Est autem ad eam emissa uox dicens: Audi tu, quæ tandiu tenuisti orbem: hæc ego tibi nuncio, antequam incipias nusquam esse. Nemo post te non modò tempus tuum, sed ne dimidium quidem tenebit. Deinde extitit tertia, quæ postquam principatum, sicut & priores, tenuit, ipsa quoq́; euanuit. Atq́; idem contingebat omnibus alijs singulatim, ut principatum gererent, rursumq́; abolescerẽt. Deinde spectante me per interualla temporis, pennæ sequentes erigebantur à dextera parte, ut tenerent & ipsæ principatum, & ex his erant quæ tenerent, sed quæ statim euanescerent: nonnullæ etiam earum erigebantur, sed principatum non obtinebant. Postea animaduerti nusquam extare duodecim pennas, & duas pennulas, & nihil in aquilæ corpore superesse, nisi duo quiescentia capita, & sex pennulas. Deinde ex sex

pennulis

C pennulis uidi recedere duas, & sub capite, quod erat ad dexterã partem, manere, quatuor in loco suo manentibus. Deinde uidi cum subalares erigere se, & principatum occupare conarentur, quarũ una erecta quidem est, sed statim euanuit: itemq́ sequentes uelocius, quàm priores, euanuerunt. Deinde uidi duas quę supererant, ipsas quoq́ inter sese regnare conantes, quòd conantibus eis, interea unum quiescentium capitum, quod erat medium, expergefiebat: erat autem hoc duorum capitum maius. Tum animaduerti duo capita secum coalescere: conuersumq́ caput cum comitibus suis, comedit subalares duas, quæ regnum affectabant. Hoc autem caput totũ orbem perterruit, & in eo orbis incolis multa cum uexatione imperauit, & potentatum tenuit orbis terrarum supra omnes alas quæ fuerant. Postea uidi medium quoq́ caput, ut & alas, subitò euanescere, supe̾rãtibus duobus capitibus, quæ & ipsa similiter in orbem, & orbis incolas, regnum tenuerunt. Deinde animaduerti à dexteræ partis capite læuum deuorari, & uocem audiui dicentem mihi: Prospice in aduersum, & D quod uides, considera. Vidi autem quandam quasi concitatum ex sylua leonem rugientem, qui humana uoce sic affabatur aquilam. Audi tu, dum ego te ex Supremi mandato alloquor. Tu nimirum id es quod de quatuor animalibus (quibus regnum in meum orbem tribui, ut per ea ueniret finis eorum temporum) superasti, & quartum exortum, omnia superiora animalia deuicisti, & orbis seculum potentatu, magno cum terrore tenuisti, totumq́ orbem cum grauissima uexatione tenuisti, ac tanto tempore orbem terrarum fraudulenter inhabitasti, hominesq́ non ex æquo rexisti. Nam mansuetos uexasti, quiescentes lęsisti, dilexisti mendaces, destruxisti habitationes hominum frugi, & eorum muros deiecisti, qui tibi non nocebant. Itaq́ contumelia superbiaq́ tua ad supremum numen peruenit, aspexitq́ Supremus superba tempora, quæ ecce finita sunt, completaq́ tua scelera. Propterea peri tu, aquila, cum tuis horribilibus alis, pessimis pennulis, malis capitibus, deterrimis unguibus, deniq́ cum toto isto corpore nequam, ut recreet totus orbis, & à tua ui liber, eò euadat, ut æquitatem misericordiamq́ speret sui conditoris.

CAPVT XII.

INterea leone aquilam his uerbis alloquente, animaduerti reliquum caput euanescere: nec non quatuor alas illas, quę ad illud transierant, & ad regnandũ surrexerant, quarum fuerat exile regnum, tumultusq́ plenum. Eas, inquam, perire uidi, & totum corpus aquilæ conflagrare, orbe uehementer expauescente. Hic ego præ turbatione, & mentis excessu, grauiq́ timore expergefactus, sic cum animo meo locutus sum: En tu mihi huius rei causa es, qui Supremi scrutere rationes. Cum igitur adeò fatigatus animo, et mente inualidus sim, ut præ tanto metu, quo sum hac nocte perculsus, ne paululum quidem uirtutis in me sit, orabo Supremum, ut me confirmet ad extremum. Dominator Domine, inquam, si apud te gratia ualeo, si apud te cum primis iustus habeor, aut certè si in cõspectũ tuũ meæ perueniunt preces, confirma me, mihiq́ tuo uisum hoc horribile interpretando enuclea, ut plenissimè consoleris animum meum: quandoquidem me dignum habuisti, cui postrema temporum ostenderes. Tum ille: Hæc est, inquit, huius uisi interpretatio. Quam uidisti ex mari ascendentem aquilam, id uisum est quod Danieli fratri tuo per uisum ostensum est, sed non etiam declaratum: ideo ego tibi nunc interpretabor. Futurum est ut existat in orbe[a] regnum, cuius terror erit omnibus id antegressis regnis acrior. In eo regnabunt[b] duodecim reges singulatim, quorum[c] secundus regnum adeptus, diutius tenebit, quàm quisquam ex duodecim. Hæc est interpretatio, duodecim alarum, quas uidisti. Quam autem uocem loquentem audisti, non ex eius capitibus, sed ex medio corporis exeuntem, hæc fore significat, ut post illius regni tempus, nascantur non mediocres contentiones, adeò ut propemodum cadat, neq́ tamẽ tum cadat, sed in pristinum restituatur statum. Quòd autem uidisti subalares octo cohærentes eius alis, significat fore, ut existant in eo reges octo, quorum erunt tempora breuia, & anni citati. Et eorum duo quidem peribunt, ac propinquante medio tempore, quatuor seruabũtur ad tempus, instante iam eius finis tempore: duo autem ad extremum seruabuntur. Quòd autem uidisti tria capita quiescentia, hæc est significatio. Sub eius extremum suscitabit Supremus tria regna, & reuocabit in ea multa quæ quidem orbi & orbis incolis maiore cum uexatione imperabunt, quàm quisquam superiorum, ideoq́ aquilæ capita uocantur, quoniam eius scelera instaurabunt, eiq́ extremam manum imponent. Quòd autem uidisti caput maius euanescere, significat eorum unum in lecto suo illum quidem, sed cum cruciatu moriturum: nam duo superstites gladio conficientur. Alter enim gladio socium conficiet, casurus & ipse tandem gladio. Quòd autem uidisti duas subalares ad dexteræ partis caput transeuntes, hæc est interpretatio. Hi sunt quos in finem eius reseruat Supremus, hoc est regnum exile, & turbarum plenum. Quem uidisti autem leonem ex sylua experrectum ac rugientem, & cum aquila loquentem, eamq́ & eius flagitia omni oratione sua, sicut audiuisti, arguentem: hic est uentus, quem Supremus aduersus eos, & ęorum scelera, reseruat ad extremum, qui eos coarguet, eorum'que nequitiam coràm conuincet. Sistet enim eos iudicio uiuos, & cum coarguerit, puniet. Nam meorum quidem reliquos per ærumnas liberabit, qui meis in finibus euaserint, & eos oblectabit, donec ultima iudicij dies ueniat, de qua tibi locutus sum principiò. Hoc est somnium quo tu usus es, & hæ eius notiones. Ac tu quidem solus dignus habitus es qui hoc Supremi arcanũ scires. Igit̃ hæc, quæ uidisti, omnia in libro scribe,

Esdras à Deo petit uisionis interpretationem.

Dan. 7. a. b Visionis interpretatio.

a. imperiũ Romanum

b. duodecim Cæsares.

B

c. Octauius Augustus.

C

scribe, & in abdito loco repone, eaq; doceto popularium tuorum sapientes, quorum mentes scis hæc arcana capere ac custodire posse. Tu autem dura hic adhuc dies alios septem, ut tibi ostendatur, quicquid Supremo uisum fuerit. His ille dictis discessit à me. D Interea cum audiuisset omnis populus, exactis septem diebus, me tamen in urbem non reuertisse, coierunt ab infimis ad summos uniuersi, & me aggressi, huiusmodi uerbis allocuti sunt. *Cõuenit ad Esdram populus.* Quid in te peccauimus? aut qua te affecimus iniuria? ut nobis derelictis, maneres in hoc loco? Nam tu solus nobis ex omni populo superes, quasi quædam uua ex uinea, aut lucerna in obscuro loco, aut portus ac nauis elapsa ex tempestate. Parum'ne sunt nobis quæ cõtigêre mala? Quòd si tu nos derelinquis, quanto nobis melius esset in Sionis incendio conflagrasse? nec enim meliores sumus ijs, qui ibi mortui sunt. Hæc cum illi magna uoce plorantes dicerent, ego respondi in hanc sententiam: Bono este animo, Israelitæ, & nolite mœrere, Iacobi posteri. Habet enim in memoria uos Supremus neq; uestri oblitum est numen in rebus aduersis. Nec ego uerò dereliqui uos, aut à uobis discessi: sed in hunc locum ueni, ut pro uastata Sione precarer, & misericordiam orarem afflicto uestro fano. Quocirca redite domum: ego ueniam ad uos post hosce dies. Ita populus, sicuti iussi, profectus est in urbem: ego in campo, sicut ille mihi mandauerat, mansi septem dies, per quos dies floribus tantum terrestribus, & herbarum uictu usus sum.

CAPUT XIII.

Christi pugna cum mundo.

TRansactis autem septem diebus, uisus sum mihi per nocturnum somnium uidere exurgentem ex mari uentum, qui eius fluctus omnes conturbaret: deinde conualescentem illum hominem aduersum cœlestes copias, ita ut quocunq; uultum suum aspiciendi gratia converteret, tremerent quæcunq; sub eo cernerentur: & quocunq; ferretur ex eius ore uox, arderent quicunq; eius audirent sonitus, quemadmodũ peruastatur incendio grassante terra. Deinde animaduerti innumerabilem hominum multitudinem, à quatuor cœli plagis coire ad oppugnandum hominem, qui ex mari extiterat, quem quidem uidi in magnum montem, quem ipse sibi exciderat, euolare, qui mons ex qua regione aut loco excisus esset cum uidere studerem, non potui. Postea uidi omnes, qui ad eum oppugnandum conuenerant, pertimescentes illos quidem, sed tamen audentes pugnare. At ille ut uidit uenientis impetum multitudinis, non extulit manũ suam, nec ense usus est, aut ullo belli telo, sed (ut uidi) duntaxat misit ex ore suo quendam quasi flatum ignis, ex labijs suis flammantem spiritũ, & ex lingua scintillas ac procellas eiaculans, quę omnia commixta simul, scilicet flatus ignis, flammeus spiritus, & procellarum uis, irruerunt cum impetu in multitudinẽ quæ erat parata pugnare, & omnes ita cremati sunt, ut subitò ex innumerabili multitudine nihil extaret, præter puluerem tantum, nidoremq; fumi: quo uiso equidem extimui. Deinde uidi ipsum hominem de monte descendentẽ, & uocantem ad se multitudinem aliam pacatam: ad quem accedebãt homines multi, partim uultu hilari, partim mœsto, nõnulli uincti, alij nõnullos obuios adducentes. Tum ego prę tanto pauore æger, expergefactus, sic locutus sum: Tu qui principio mihi tuo hæc miracula demonstrasti, B meq; dignũ habuisti cuius preces admitteres, nunc quoq; mihi somniũ hoc interpretatione explana. Quantũ enĩ animo conijcio, miseri futuri sunt qui erunt illo tempore superstites: sed multo miseriores, qui non erunt: namqui superstites nõ erunt, dolebunt. Intelligo nunc quæ in postrema tempora immineant, & quæ sint uel illis, uel superstitibus euentura. Sũt enim in magna pericula multasq; res aduersas uenturi, sicut ostendunt hæc somnia. Attamen tolerabilius est periclitantem eò uenire, ut nunc uideam quæ futura sint in posterum, quàm uelutì quandam in mundo nubem transire. Tum ille mihi sic respondit: Et uisionis interpretationem tibi dicã, & quæ postulas aperiam. Quod de superstitibus dixisti, sic est interpretandum. *Visionis interpretatio.* Qui periculũ illo tempore pertulerit, is se seruauerit: qui in periculũ inciderint, hi sunt qui opera fidemq; præstãt Omnipotenti. Itaq; scito beatiores fore superstites, quàm mortuos. Hæ sunt uisionis sententiæ: Quòd uidisti uirum ex meditullio maris ascendentem, hic est quem multis temporibus reseruat Supremus, qui per seipsum liberabit opificium suũ, idemq; componet superstites. Quòd autem uidisti ex eius ore prodire quendã quasi spiritum, ignemq; & procellam, quodq; nec ensem, nec ullum bellicũ tenebat telũ, sed impetu suo multitudinem perdidit, quæ eum uenerat oppugnatũ, sic est interpretandum. C Erit tempus illud, cum degentes in terris curabit liberandos Supremus, incolisq; terræ mentes attonitas suo reddet aduentu. *Matt. 24.* Conabunt autem alij alios expugnare, ciuitas ciuitatem, regio regionem, gens aduersa genti, regnumq; regno. Cum autem hæc fient, & cõtigerint signa, quæ ego tibi superius ostendi, tũc patefiet filius meus, quem uidisti ut uirũ ascendentem. Cuius audita uoce, gentes omnes, omisso suo quiq; in patria bello, quod inter sese gerent, cõuenient eòdem, multitudine innumerabili, sicut ad eum oppugnandum uenturi. At ipse in Sionis montis cacumine stabit. Sion autem ueniet, & omnib: ostendetur parata ac cõstructa, sicut excisum sine manibus montem uidisti. Ipse uerò filius meus mores et scelera coarguet eorũ hominũ, qui propter ingenij sui prauitatẽ uenient in tempestatẽ, & cruciamenta flammarum similia, quibus cruciandi sunt: eosq; nullo negocio per legem perdet, igni consimilem. Quod aũt eum uidisti colligentem ad se aliã pacatã multitudinẽ, hæ sunt decem tribus, ex patria sua relegatæ, Oseæ regis tempore, quem captiuum abduxit Salmanasar Assyriæ rex, qui illos flumen traductos in alienam terram transtulit. Illi uerò consilium cæperunt,

Decem tribus à Salmanasare in Assyriam translatæ. 4.Reg. 17.

cæperunt, relicto gentium uulgo, in ulteriorem & nunquam humano generi habitatā regionem proficisci, & uel ibi exequi iura sua, quæ in patria non fuerant executi.

D

Ingressi sunt autem per angustos aditus fluminis Euphratis. Nam tum Supremus edens eis miracula, fluminis uenas cohibuit, donec transijssent. Fuit autem per eam regionem (quæ uocatur [a] Arsareth) faciendum longum iter unius anni & dimidij. Tunc ibi cōsederunt usq; ad tempus ultimum: unde cum erunt item redituri, sistet iterum Supremus uenas fluminis, ut transire possint. hinc est quòd pacatā multitudinem uidisti. Cæterùm qui tuorum popularium supersunt, hi sunt, qui inueniuntur intra fines meos. Fiet igitur, ut cum ille perdendā curabit earum quæ coiuerint gentium multitudinem, protegat eos qui ex populo supererunt, ac tum eis quamplurima portēta ostendat. Tum ego: Dominator Domine, inquam, hoc mihi ostende, cur uirum uiderim ex medio maris ascendentem. Et ille: Quemadmodum quid sit in fundo maris, rimari aut scire non possis: ita non poterit quisquam in terra uidere filium meum, aut eius comites, nisi suo tempore. Hæc est interpretatio somnij quod uidisti, de quo solus hic perspicuè doctus es. Etenim quoniam omissa lege tua, meæ uacasti ac studuisti, & uita sapienter instituta, sciētiam matrem tuam uocasti, propterea ostendi tibi reposita apud Supremum præmia. Cæterùm post alios tres dies tibi alia proloquar, grauiaq; ac mirabilia exponā. Tum ego digressus, recepi me in campum, celebrans laudansq; magnopere Supremū, de miraculis quæ suo tempore faceret, quiq; & tempus & temporū casus gubernaret: ibiq; mansi triduum.

a. Sunt qui arbitrantur legendum Sarmatia.

CAPUT XIIII.

Tertio autem die cum sederem sub quercu, ecce ad me perlata uox est ex rubo, his uerbis: Esdra, Esdra. Et ego: Quid uis, Domine? simulq; in pedes surrexi. Atq; ille: Apparui in rubo, inquit, & Mosem allocutus sum, cum mei seruirent in Aegypto: eoq; misso, meos ex Aegypto eduxi: & eum adductum in montem Sinam, multos dies apud me detinui, eique multa narraui mirabilia, & temporum arcana ac finem ostendi, præcepiq; quas res palàm faceret, quas contrà celaret. Nunc te moneo, ut quæ signa ego demonstraui, quæ tu somnia uidisti, quasq; audijsti interpretationes, in mente reponas tua. Nam tu ex omnibus exceptus uersabere reliquus cum consilio meo, unà cum tui similibus, donec tempora finiantur. Excessit enim seculum ex iuuentute, uergentibus ad senectutem temporibus. Nam in duodecim partes diuisum est seculum, quarum decem & dimidia transierunt: superest autem, quantum eius est post dimidium decimæ partis.

Exod. 3 a

Seculi senium.

B

Quamobrem compone domum tuam, castiga populares tuos, eorum inopes consolare, & iam uitijs renuncia: omitte mortales cogitationes, abijce humana negocia, infirmam naturam tandem exue, & molestissimis tibi cogitationibus seorsum positis, propera ex istis migrare temporibus. Nam quæ iam contigisse mala uides, his rursum deteriora fient. quo magis enim senio elanguescet seculum, eo plura incolis accident mala: quippe longius recedente uero, & accedente falso. Iamiam enim futurum est, quod tu per uisum uidisti. At ego respondens: Tuo quidem arbitratu, Domine, inquam. Veruntamen ut ego uadam sicut tu mihi præcepisti, & pręsentem populum castigem, qui posthac nascentur quis cōmonebit? Ergo mūdus, & qui in eo degunt, uersantur in tenebris sine lumine: nam tua lex incensa est, ideoq; nemo scit quæ à te uel facta uel futura sint opera. Quòd si quid autoritate apud te ualeo, afflà me sancto spiritu, ut scribam quicquid in mundo factum est à principio, quæ erant in lege tua scripta, ut possint homines inuenire uiam: & qui in posterum uiuere uolent, uiuant.

Matth. 24 a

1. Ioan. 2. c

Postulat Esdras spiritū ad scribendū perditos libros

C

Tum ille mihi respondens: I, inquit, conuocatum populum, & eis interdicito, ne te quærant per dies quadraginta. Deinde comparatis multis buxeis tabulis, adhibitis Sarea, Dabria, Selemia, Echano, & Asiele, qui quinq; celeriter scribendi periti sunt, huc redito: ego in tua mente ingenij lumen accendam, quod non extinguetur, quin absoluta fuerint quæ scribere cœperis: quibus perfectis, alia palàm facies, alia sapientibus occultè trades. Incipies autem cras hac hora scribere. Igitur digressus ego, sicut ille mihi præceperat, conuocato omni populo, hanc orationem habui. Audite Israelitæ hæc uerba: Peregrinati olim maiores nostri in Aegypto, & inde liberati, cum uitalem accepissent legem, eam non sunt executi, eandemq; uos quoq; post eos uiolastis. Cumq; uobis regio & Sionia terra sorte data foret, & maiores uestri & uos crimen commisistis, nec præceptas uobis à Supremo rationes obijstis. Itaque ille iustus iudex cum sit, abstulit à uobis aliquando quod donauerat. Nunc (quandoquidem uos unà cum uestris consanguineis hic adestis) si affectionibus uestris imperaueritis, & animo bene morati fueritis, & uiui salui eritis, & post mortem misericordiam consequemini. Futurum est enim post mortem iudicium, cum reuiuiscemus, cum quidem & iustorum apparebunt nomina, & impiorū facta ostendent.

Esdræ oratio ad populum.

Gen. 47. a

Deut. 4.

Act. 7. g

D

Nunc igitur ad me nemo accedat, aut me quærat per dies quadraginta. Igitur assumptis quinq; uiris, sicut ille mihi mandauerat, profectus sum in campum, ibiq; mansimus. Vbi postera dies aduenit, ecce uox uocauit me dicens: Esdra, aperi os tuū, & bibe quod ego tibi propino. Cūq; ego os aperuissem, ecce mihi poculum plenū porrigebatur, plenum quasi aqua, colore ignis simili. quod ubi accepi atque bibi, cor mihi uexabatur ingenio, inq; pectore mihi crescebat sapientia, animi mei durante memoria, ita ut apertum os meum, non sit clausum deinceps, Supremo quinq; uiris ingenium dante, & illis dictatas lymphationes nocturnas, quas nesciebant, scribentibus. Sumebant aūt cibū noctu me & interdiu loquente, & noctu sine intermissione. Scripti sunt autem

Ezec. 3. a

Apo. 10 b

Esdras afflatus scribenda dictat.

per

per quadraginta dies libri quatuor & ducenti, quibus quadraginta diebus peractis, locutus est Supremus his uerbis: Quæ prima scripsisti, in propatulo propone, & dignis & indignis legenda: sed ultimos septuaginta seruabis, quos doctis populariu tuorum tradas. In his enim ingenij uena, sapientiæ fons, & scientiæ flumen inest. Atq; ego ita feci.

CAPUT XV.

Eloquere autem, audiente populo meo, fatidica uerba, quæ tibi in os suggeram, inquit Dominus, & facito ut in charta scribantur: sunt enim certa atq; uera. Ne timueris contrarios tibi conatus, neue te turbet contradicentium incredulitas: nam omnis incredulus in incredulitate sua morietur. Ego inducam (inquit Dominus) in orbem terrarum, mala, gladios, famem, mortem, interitum: quoniam totum orbem planè polluerunt uitia, perductis ad summum nefarijs hominũ factis. Quapropter iam non conniuebo ad eorum scelera, inquit Dominus, quæ irreligiose perpetrant, nec ea sustinebo quæ agunt improbè, cum innoxius insonsq; sanguis ad me conqueratur, animęq; iustorũ uociferentur assiduè. Vlciscar eos, inquit Dominus, & omnis innoxij sanguinis pœnas ab illis repetã. En meus populus ouiũ ritu ducit ad cędẽ: enim uero non patiar eum habitare in Aegypto, sed potenti manu, sublimiq; brachio educam, omnemq; illam regionem, ut olim, clade affectam depopulabor. Lugebit Aegyptus, & eius fundamẽta, clade & supplicio affecta, quod ei Deus irrogabit. Lugebũt cultores eius agricolæ, quippe consumptis eorum frugibus uredine, grandine, ac horribili sideratione. Vę orbi et eius incolis, quibus imminent arma & calamitas, consurgentq; bello gentes aliæ in alias, habentes in manibus tela, & instabilitate laborantes homi-

B nes, alij alios inuadent, nõ curantes regem suum, principesq; actionum suarum rationem sua potentia metientur, eousq;, ut si quis in urbem ire cupiat, non possit. Nam illorum superbia ciuitates turbabuntur, domus euertentur, formidabũt homines, non miserebit alter alterius, armis domos abolendo, et direptis facultatibus magnam penuriam panis, & calamitatem afferendo. Ego terrendos à me (inquit Deus) reges orbis, quotquot sunt, ab oriente, ab austro, ab Euro, & à Libano, conuocabo, ut in eos regerantur, eisq; reddantur quæ illis intulerint: ac qualia hactenus electis meis faciunt, talia eis faciam, ac penitus rependam. Hæc dicit Dominus Deus: Nõ parcet mea dextera sontibus, nec abstinebit meus gladius ab eis qui terram innoxio sanguine respergunt. Profectus ab eius ira ignis, terram funditus consumet, & fontes straminis modo concremabit. Væ peccantibus, & mea præcepta non exequentibus, inquit Dominus: non parcam illis. Abstinete filij à uiolentiã, nolite meum contaminare fanum: nouit enim Dominus omnes qui in se delinquunt, ideoq; eos neci ac cædi addicit. Iam enim inuadent orbem terrarum mala, in quibus hærebitis: nec enim liberabit uos Deus, qui in eum peccaueritis. Ecce species horribilis, cuius facies est ab oriente. prodeunt Arabicorum draconum nationes multis cum curribus, quorũ numerus fertur more uenti per terram, ut iam metu trepident omnes qui illos audiunt. Carmonij ira furentes, egressiq; ut apri ex sylua, inuadent magna ui, & cum illis prælio cõgressi, uastabunt Assyriæ terræ partem. Deinde memores naturę suæ dracones, uincent, & se, magna uirtute conspirantes, ad persequendos illos conuertent: ita ut illi horum uirtute perturbati ac perdomiti, pedes in fugam conuertant, & eos ab Assyriorum finibus subsessor obsideat, unumq; C eorum conficiat, ita ut eorum exercitus timore ac tremore corripiatur, sitq; aduersus eorum reges contentio. Ecce nubes ab oriente & à septentrione, ad meridiem, facie perhorrida, plena iræ ac procellæ, quæ nubes inter sese collisæ, frequẽtia sidera ad terram deturbabunt, eorumq; stellã, adeò ut in pugna pertingat sanguis ad uentrem, & hominũ tabũ ad cingulam cameli, multusq; sit in orbe timor atq; tremor, horrentib. qui supplicium illud uidebũt, & terrore perculsis. Postea mouebuntur frequentes à meridie ac septentrione nimbi, & partim ab occidente: uictoresq; ab oriente uenti, nubem illam ira concitatam discutient, & sidus orientali occidentaliq; uento terrori futurum superabitur, & euectæ ingentes ualidæq; nubes, plenæ iræ, & sidus, ut totum orbem & eius habitatores perterreant, omnem altum eminentemq; locum perfundent terribili sideratione: igni, grandine, uolantibus gladijs, & tanta aqua, ut præ eius abundantia campi alueiq; compleantur omnes. Deijcient eorum urbes, muros, montes, colles, syluarum arbores, pratorum fœnum ac frumenta. Ac constanter ad Babylonem usque progressæ, eam obterent, & aggressæ, obsidebunt: ac tanta sideratione atque ira perfundent, ut feratur puluis & fumus in cœlum, & eam omnes finitimi lugeant. qui que remanserint in ea, seruiant euersorib. Et tu Asia, Babylonis spei socia, et eius personæ gloria, uæ tibi misera, quæ similis istius, D filias tuas meretriciè ornas ut amatoribus tuis gloriosa placeas, qui tecũ semper scortari cupiũt, imitata odiosæ illius omnia opera atq; mores. Propterea, inquit Deus, immittam tibi mala, uiduitatem, paupertatem, famem, arma, pestem, ita ut tuæ domus uiolentia ac cæde deuastentur, tuæq; uirtutis gloria more floris arescat, exorto qui in te emissus fuerit ardore. Aegrotabis ut inops, à mulieribus uulnerata ac mulctata, ita ut te recreare nequeant potentes & amatores. Non equidem sic in te animatus essem, inquit Dominus, nisi electos meos omni tempore alto manuum ictu occideres: & eorum cæde ebria diceres tibi exornandam esse uultus tui speciem. Meretricatus tui mercedem habes in sinu, ideoq; pœnas dabis. Vt tu meos electos (inquit Dominus) sic te Deus tractabit, ac in tantum mali adducet, ut tui nati fame intereant,

& tu

Minatur orbi Deus horrenda mala.

Apo.6.d

& tu armis cadas, & tuæ excindantur urbes, tuiq; omnes sub dio cadant armis: & qui erunt in montibus, fame pereant, & suas ipsorũ carnes comedant, sanguinemq; bibant, præ fame panis, & aquæ siti. Infelix tu, maria permeabis, rursumq; patiere mala, atq; illi in transitu ciuitatem occisam allident, & nonnullam terræ tuæ portionem obterent, & tuæ gloriæ partem abolebũt, rursum ad euersam Babylonem reuersi. Et tu diruta, eris illis pro stipula, & ipsi tibi ignis erunt, teq; conficient, & urbes tuas, terram, montes, omnes syluas & fructiferas arbores igni comburent: tuos natos captiuos abducent, censum tuum prædæ habebunt, tuiq; uultus gloriam delebunt.

CAPVT XVI.

HEi tibi Babylon & Asia: hei tibi Aegypte & Syria: amicite uos centonibus & cilicijs, & uestros lamentamini natos, & dolete: nam uobis imminet calamitas. Immittũtur in uos arma, quæ quis auertat? immittitur in uos ignis, quem quis extinguat? immittuntur in uos mala, quæ quis repellat? Quis leonem repellat esurientem in sylua? aut ignem extinguat in stipulis, ubi semel exarserit? Quis sagittam repellat à forti sagittario missam? Domino forti immittente mala, quis repellat? exortum ex eius iracundia incendium quis restinguat? quis eo coruscante non timeat? tonante quis non paueat? Domino comminante, quis non funditus ad ipsius aspectum dispereat? Terra tremit à fundamentis, mare fluctus ciet ab imo: eius & fluctus disturbantur & pisces, ad Domini aspectum, uirtutisq; gloriã. Nam eius dextera fortis est, quæ tendit arcum: sagittæ acutæ, quæ ab eo iaciuntur, non defecturæ, cum in terræ fines mitti cœperint. En emittuntur non reuocanda mala, quin terrã inuadant. Ignis accenditur non extinguendus, quin terræ fundamenta consumat. Quemadmodum non redit sagitta à ualido missa sagittario, sic non reuocabuntur missa in terram mala. Hei mihi, hei mihi, quis me temporibus illis defendet? Ingruũt multi dolores & gemitus: ingruit
B multa fames & interitus: ingruunt bella potestatibus formidanda: ingruunt mala quibus omnes trepident, in quibus malis quid faciam cum aduenerint? Immittetur fames, clades, calamitas, angustia, quæ flagella sint ad uitæ correctionem: neq; tamen se à suis criminibus auocabunt, nec erunt unquam flagellorum memores. Tum cum erit tanta annonæ uilitas in terris, ut sibi putent homines partam salutem, pullulabunt in orbe mala, arma, fames, & ingens perturbatio, adeò ut multi ex orbis incolis fame intereant, & cęteros qui ex fame superauerint, perdant arma, stratis stercorum modò mortuis, nullo eos cõsolante. Derelinquetur enim terra deserta, & eius urbes euertentur, nullo relicto qui terram colat aut conserat. Arbores fructus edẽt, quos nemo legat: uua matura fiet, quam nemo calcet: tanta erit locorum solitudo, eousq; ut [a] hominẽ homo uidere cupiat, aut eius audire uocem. Supererunt enim tantum ex singulis urbibus deni, & ex pagis bini, qui se in densis nemoribus, & rupium antris abdiderint. Ac quemadmodum reliquæ fiunt in oliueto & singulis arboribus, ternæ aut quaternæ oliuæ, aut sicut in uindemianda uinea racemi relinquuntur ab his qui diligenter uineam scrutantur: sic reliqui fient illa tempestate tres aut quatuor, ab ijs qui ferro eorũ domos rimabuntur. Itaq; supererit deserta tellus: eius & agri squalebunt, & uiæ semitæq; omnes germinabunt spinas, quòd in ea nõ obuersabuntur homines. Lugebunt sponsis carentes uirgines, lugebunt uiris carentes fœminæ, lugebunt earum filiæ auxilio destitutæ: illarum & sponsis bello absumptis, & uiris fame confectis. Audite uerò & cognoscite hæc, cultores Domini. ecce dicta Domini: hæc accipite, ne Domini dictis non credatis, qui dicit instare mala sine dubio. Quemadmodum cum prægnans filium nono mense paritura est, instante hora partus, ante duas aut tres horas, eius uentrem circumueniunt dolores: prodeunte C
autem infante de uentre, nullum punctũ temporis intermittunt: ita non cunctabuntur in terras prodire mala, quibus gemat mũdus, dolore circunsessus. Audite orationẽ, mea plebs, parate uos ad pugnam, & in malis estote perinde ac aduenæ terræ. Qui uendit, perinde esto ac fugiturus: qui emit, perinde ac perditurus. Qui mercatur, perinde ac fructum non capturus: qui ædificat, perinde ac non habitaturus. Qui serit, perinde ac non messurus: qui uineam putat, quasi nõ uindemiaturus. Qui matrimonia contrahunt, perinde ac non genituri liberos: & cœlibes, perinde ac uidui. Nã qui laborant, frustra laborant: eorum enim fruges metent alienigenæ, facultates rapient, domos euertent, filios captiuos abigent, ut ad captiuitatem atq; famem liberos gignãt. Tum qui rapina negociãtur, quò prolixius urbes, domos, possessiones, personas suas exornant, eò magis in eos sæuiam, ob ipsorum peccata, inquit Dominus. Quomodo animata est in meretricem mulier honesta, & probitate præstans: sic animata erit uirtus in uitium, quod seipsum exornat, idq; coràm accusabit, cum uenerit [b] qui omnium in terris peccatorum inuentorem coerceat. Quocirca nolite eam, aut eius opera imitari: nam breui futurum est, ut sublatis ex orbe uitijs, regnet in uobis iustitia. Ne neget nocens se peccasse: nam carbonibus ignitis flagrabit eius caput, qui se in Dominum Deum, eiusq; gloriam, peccasse negauerit. Siquidem nouit Dominus omnia hominum opera, studia, cogitationes atq; mentes: quippe quo iubente facta terra est, eodem iubente factũ cœlum est, eiusq; mandato fixæ sunt stellæ, quarum ipse numerum nouit. Qui profunda, eorumq; cellas habet exploratas: qui mare, & eius capacitatem mẽsus est: qui mare in medijs conclusit aquis, & terram super aquas mandato suo suspendit: qui cœlũ quasi cameram extendit, idq; supra aquas fixit: qui statuit in saltibus fontes aquarum, & in montium uertici- D

[a] incredibilis fit hominum paucitas.

[b] Christus

Eccl.23.e Luc.16.c Gen.1.a Psal.146.

bus lacus, emittẽdis ex edita rupe fluminibus ad irrigandam terram: qui finxit hominem, eiusq; cor in medio corpore posuit, eiq; spiritũ, uitam, ingenium, & omnipotentis Dei afflatum iniecit: qui omnia fecit, omnia rimatur in terræ latebris abstrusa: hic uestros mores nouit, & quæ cum animis uestris cogitatis, peccãtes, & uolentes occultare peccata uestra. Quãobrem Dominus omnia opera uestra rimatus, traducet uos omnes, uosq; pudebit, proditis uestris peccatis coram hominibus, cum quidẽ Rom.2. ipsa crimina accusatores aderunt in illa die. Quid agetis, aut quomodo peccata uestra coram Deo, eiusq; geniis, abdetis? Cũ iudex sit Deus, eum timete, desistite à peccatis uestris, uestraq; crimina obliuione sempiterna dediscite, & Deus uos ex omnibus rebus aduersis eripiet ac liberabit. Nã excandescet in uos per multorum ardor, qui raptos quosdã uestrũm, deastris ad cibum mactabunt: quibus qui consenserint, eis erunt derisui ac ostentui, ab eisq; conculcabuntur. Nam per loca & finitimas urbes multum infestabuntur reuerentes Domini, illis tanquam insanis nemini parcentibus, diripiendo ac depopulando qui adhuc Dominum reuerebuntur: quorum & facultates uastabunt ac diripient, & ipsos ex ipsorum domibus eijcient. Tunc patebit electorum meorum probatio, ut aurum quod probatur igni. Audite, mihi dilecti, inquit Dominus: cum aderunt calamitosa tempora, defendam uos ab eis. Ne timueritis, neue hæsitaueritis. nam Deus dux uester est, & eorum qui mandata præceptaq; mea exequuntur: inquit Dominus Deus. Ne uos prægrauent peccata uestra, neue exuperent uestra crimina. Væ qui peccatis suis obruti, & criminibus cooperti sunt, quemadmodũ obruitur ager sylua, & spinis obducta eius semita, inuia fit hominibus: atq; ita interclusa, igni consumenda destinatur.

HISTORIAE CONTINVATIO
EX IOSEPHO.

EX FLAVII IOSEPI LIBRO
IVDAICARVM ANTIQVITATUM UNDECIMO.

CAPVT VII.

Bagoses iunioris Artaxerxis copiarum dux multis iniurijs Iudæos afficit.



ORTVO pontifice Eliasibo, successit in sacerdotio Iudas, eius filius: item Iudæ Iohannes ipsius filius, propter quem Bagoses dux copiarum Artaxerxis templum polluit, & tributum Iudæis imposuit, ut priusquam quotidianas hostias libarent, in singulos agnos ex publico quinquaginta drachmas penderent: cuius rei causa fuit hæc. Erat Iohanni frater nomine Iosua: huic Bagoses, ipsius amicus, promisit sese pontificatum præbiturum. Qua fiducia elatus Iosua, cum Iohanne fratre suo in templo contendit, eumq; adeò irritauit, ut ab eo per iracundiam occideretur. Erat atrox id Iohannis in fratrẽ scelus, præsertim cum ipse sacerdotio fungeretur: & eo atrocius, quòd nec apud Græcos, nec apud Barbaros, ullum tam crudele, tamq; impium facinus extat. Itaq; Deus id non neglexit, quin eam ob causam & populus in seruitutem redactus, & fanum à Persis profanatum est. Nam simulac id Bagoses intellexit, Iudæos adit, & eos cum iracundia sic alloqui insistit: Vos in uestro templo ausi estis cædem facere. Conantem deinde in templum intrare cum illi prohiberent, sic eos alloquitur: Quasi uerò ego non sim purior, quàm qui in templo occisus est. His dictis, in templum ingreditur. Ac propter hanc Iosuæ necem, Bagoses Iudæos annos septem infestauit.

Post Iohannis obitum Iaddus eius filius sacerdotium excepit. Erat & huic frater Manasses, cui Sanaballetes, ab ultimo rege Dario missus in Samariã satrapa, natione Chuthæus (ex qua natione orti sunt etiam Samaritani) uidens præclaram urbem esse Hierosolymam, eiusq; reges Assyrijs & Cœlesyriæ incolis multa negocia facessere, libenter locauit filiam suam nomine Nicaso, ratus hoc connubium sibi fore pignus ad totius Iudæorum gentis conciliandam beneuolentiam.

CAPVT VIII.

Quæ beneficia Alexander Macedonum rex contulerit in Iudæos.

PEr id tempus Philippus Macedonum rex Aegæis à Pausania per dolum occiditur: & Alexander eius filius regnum adeptus, traiecto Hellesponto, Darij duces apud Granicum prælio congressus superat. Deinde Lydiam aggressus, Ioniaq; subacta, & percursa Caria, inuasit in loca Pamphyliæ. Iam uerò senatores Hierosolymitani, ægrè ferentes Iaddi pontificis fratrem, qui uxorem haberet externi generis, consortem esse sacerdotij, ab eo dissidebant. Iudicabant enim, eius matrimonium gradum esse ijs qui in re uxoria peccare uellent, idq; initium fore ineundæ societatis cum extraneis. Iam uero superioris captiuitatis & malorum causam eis fuisse, quòd quidam in connubijs peccauissent, & peregrinas uxores duxissent. Itaq; iubebant Manassi, ut aut diuortium cum uxore faceret, aut ad aram ne accederet. Igitur cum pontifex populo succenseret, & fratrem ab ara arceret, adit Manasses socerum Sanabelletem: demonstrat sibi quidem charam esse eius filiam Nicaso, sic tamen, ut pontificio honore (qui ingente sit maximus, & in eadem familia maneat) priuari propter eam haud uelit. Sed Sanaballetes non solum sacerdotium ei se seruaturum promisit, uerùm etiam pontificiam potestatem & honorẽ præstiturum, & omnium, quibus ipse præerat, locorum præsidem effecturum, modò filiam suam retinere uelit uxorem: adhæc templum se ædificaturum Hierosolymitano simile, in monte Garizin, qui in Samaria est cæterorum montium altissimus,

Manasses uxorem repudiare uult.

altißimus, idq; de Darij regis sententia facturum. His promissis elatus Manaßes, hæsit Sanaballetæ, pontificatum se Darij munere obtenturum sperans. nam & Sanaballetes iam senior erat. Et quia multi sacerdotes & Israelitæ erant talibus matrimonijs implicati, agitabant non mediocres turbæ Hierosolymitanos. Deficiebant enim omnes ad Manassem, Sanaballeta eis pecuniam suppeditante, & terram ad agricolationem & habitationem diuidente, omnibusq; modis genero gratificante. Eo tempore Darius, cum intellexisset Alexandrum traiecto Hellesponto, superatisq; ipsius præfectis apud Granicũ, pergere ulterius, equitũ pedituq; exercitum comparabat, eo consilio, ut Macedonibus obuiã iret, priusquã totam peruasissent Asiam. Itaq; traducto Euphrate flumine, traiectoq; Tauro monte, hostes intra Ciliciæ fines opperiebatur, ut ibi cum eis prælio dimicaret. Et Sanaballetes Darij descensu lætatus, Manaßi dicebat, sese promissa præstiturum, simulac Darius uictis hostibus redijsset. Erat enim persuasum non ei solum, sed etiam omnibus qui erant in Asia, ne cõgressuros quidẽ cum Persis Macedonas, propter multitudinẽ. Verùm longè aliter accidit. Nam congressus cum Macedonibus rex uictus est, amissoq; magno exercitu, & capta eius matre & uxore & liberis, fugit in Persas. Alexander uerò profectus in Syriam, capit Damascũ: & Sidone potitus, Tyrũ obsidet, missisq; ad Iudæorum pontificẽ literis, postulat ut sibi auxiliũ mittat, & exercitui cõmeatum suppeditet, ac quæcunq; antea Dario stipendia pendebant, ei soluat, & Macedonum sequatur amicitiam: fore enim, ut eius rei non pœniteat. Pontifex tabellarijs respondit, sese Dario cum iureiurando promisisse, arma aduersus eum non laturum: iusiurandum nunquã superstite Dario uiolaturũ. Quibus auditis iratus Alexander, Tyrum quidẽ relinquere, quæ iamiam capienda foret, nõ statuit: sed minatus est, sese ea subacta, in Iudæorum pontificem exercitum moturũ, & omnibus ostensurum quibus nam iusiurãdum seruare debeant. Inde obsidionẽ urgens, Tyrum expugnat. & constitutis in ea rebus, Gazæorum urbem aggreditur, & Gazam, & præsidij in ea præfectum nomine Babemesem obsidet. Et Sanaballetes ratus idoneum se tempus nactum esse ad id quod instituerat, Darium repudiat. sumptisq; octo subditorum suorũ millibus, ad Alexandrũ se confert: & nactus eum Tyri oppugnationẽ aggredientem, dicit ei sese quæ loca teneret traditurum, & dominũ pro Dario rege libenter habiturum. Cumq; eum Alexander lætus admisisset, ipse sumpta iam fiducia, de instituto suo sermonẽ inijcit, demonstrans generum habere se Manassem Iaddi Iudæorum pontificis fratrem, multosq; alios eiusdẽ gentis homines ei adesse, qui iam uelint fanum in Sanaballetæ ditione construere. & quidem id regi utile esse, in duo diuidi Iudæorum uires, ne si quando consentiens & coniuncta gens rebellionem faceret, regibus negocium exhiberet, sicut & antea fecißet Aßyriorum principibus. Igitur permittente Alexandro, Sanaballetes adhibita omni diligentia, templũ ædificat, & Manassem sacerdotem constituit, arbitratus id decus fore maximum filiæ suæ natis. Deinde consumptis in obsidione Tyri septem mensibus, & in Gazæ duobus, Sanaballetes moritur. Alexander uerò expugnata Gaza, ad urbem Hierosolymã ascendere contendit. Hoc audito pontifex Iaddus in angustia erat atque metu, solicitus quo'nam pacto Macedonibus obuiã iret, irato rege propter superiorem contumaciã. Itaq; indictis populo supplicationibus, & cum eo rem diuinam Deo faciens, orat ut gentẽ tueri, & ab impendentibus periculis liberare uelit. Deinde dormientẽ post sacrificium monuit in somnis Deus, ut bono esset animo, utq; coronata urbe portas aperirent, & alij in albis uestibus, ipse cum sacerdotibus ornatus ad præscriptum legis, obuiã irent, nihil mali sibi metuentes, prouidẽte Deo. Igitur excitatus ex somno, magnopere gauisus est, & indicato cũctis eo oraculo, factisq; omnibus quæ ei in somnis mandata fuerant, regis aduentum præstolabatur. Atq; ubi eum non procul abesse ab urbe intellexit, prodit unà cum sacerdotibus & ciuili turba, uenerabili & diuerso ab alijs gentibus occursu, in quendam locum nomine Sapha, hoc est specula, quòd inde Hierosolyma & templum conspiciebatur. Cumq; Phœnices & Chaldæi, qui regem sequebantur, fore putarent ut rex præ iracundia urbem eis diripiẽdam, & pontificem excarnificandum addiceret, contrà accidit. Alexander enim procul adhuc conspicatus multitudinem in albis uestibus, & sacerdotes præcedentes in byßinis tunicis, & pontificem in hyacinthina ueste aurea, & in capite gerentem tiaram, & auream in ea laminam, in qua Dei nomẽ inscriptum erat: solus accesit, & nomen ueneratus est, priorq; pontificem salutauit: & Iudæi omnes una uoce Alexandum salutarunt, atq; circunsteterunt. Quo facto, reges Syriæ reliquiq; obstupuerunt, & regem mentis impotem esse suspicati sunt. Et Parmenio solus eum aggressus, quærit ex eo, qui factum sit ut omnibus eum adorantibus, ipse Iudæorũ pontificem adorarit? Cui ille: Non hũc, inquit, adoraui, sed Deum, cuius ipse summo sacerdotio decoratus est. Hunc enim secundum quietem uidi in hoc habitu, cum essem in Dio in Macedonia, ac cogitantem me apud meipsum, quo'nam pacto potiri poßem Asia, hortatus est ne cunctarer, sed confidenter traijcerem: sese enim exercitui meo præiturum, mihiq; Persarum imperium traditurũ. Itaq; cum alium nullum in tali ueste uiderim, & nunc cõspicatus hũc, & illius in quiete uisi & cohortationis recordatus sim, puto me diuino mißu facta expeditione, Dario superiorem fore, & Persarum potestatem aboliturũ, atq; omnia quæ mihi sunt in animo successura. Hæc locutus, dataq; pontifici dextera, sacerdotibus eum cursu comitantibus, in urbem uenit, & in templum ascendit, ac Deo ad sacerdotis præscriptum sacrificauit, ipsumq; pontificem magnificè honorauit. Ac ostenso ei Danielis libro, in quo fore significabatur, ut Græcorũ quidam Persarum imperium aboleret, ipse se eum esse qui significaretur existimans, lætatus, tunc multitudinem dimisit. Postridie eos aduocat, & quæ uelint dona postulare iubet. Et pontifice petente, ut liceret patrijs uti legibus, utq; septimus annus immunis eßet, concesit omnia. Cumq; illi ab eo petijssent, ut & eos qui Babylone & in Media erant Iudæos legibus suis uti fineret, libenter promisit facturum quæ postularent. Deinde multitudini dixit, si qui sub se militare uellent, patrios mores tenendo, & secundum eos uiuendo, paratũ esse ducere: itaque multi in eam expeditionem dederunt nomina. Igitur Alexander compositis in hunc modum Hierosolymæ rebus, in proximas urbes duxit exercitum. Atq; omnibus quos adiret, amicè eum accipientibus, Samaritæ (qui tum Sicima regionis caput habebant, urbem apud Garizin montem positam, & à desertoribus Iudaicæ gentis habitatam) uidentes, Iudæis ab Alexandro tam præclarum honorem habitum, statuerunt Iudæos se profiteri. Sunt enim Samaritæ eo ingenio, ut in Iudæorum rebus aduersis negent suos esse cognatos, in quo quidem uerum dicunt. Sed si fortè eos paulo lautius agere uiderunt, continuò in eorum communionem insiliunt, suos esse consangnineos dicentes, genusq; suum à Iosephi natis, Ephraimo & Manasse deducentes. Igitur apparatè & cum magna in eum studij significatione regi occurrunt prope Hierosolymam: & laudante Alexandro, accedunt, aßumptis quos Sanaballetes ad eum miserat militibus: rogantq;,

De Dario per Alexãdrũ uicto.

Alexander à Iudæis deditionẽ postulat.

Templi Garizin constructio.

Alexandri aduentus Hierosolymam.

Samaritæ.

ut ipsorum urbem adeat, fanumq; decoret. Ipse uerò ad eos iturum promittit, simulatq; redierit. Ac postulantibus sibi anni septimi tributa condonari, quippe cum nec ipsi eo anno sementem facerent, quæsiuit, Qui nam essent qui hæc peterent. Cumq; dixissent, Hebræos se esse, uocari autem Sicimorum Sidonios: iterum interrogauit, an Iudæi essent? Negantibus, dixit: Atqui ego Iudæis hæc dedi. tamen cum rediero, & hæc à uobis accuratius cognouero, faciam quæ uisum fuerit. Quod ad Sanaballetæ milites attinet, iussit ut se in Aegyptum sequerentur: illic enim agros eis diuisurum. id quod paulo pòst fecit in Thebaide, ubi eis regionē tuendam mandauit. Alexandro uita defuncto, imperium inter successores diuisum est, & montis Garizin fanum mansit. Quòd si quis Hierosolymæ reus agebatur comesi profani cibi, aut uiolati Sabbati, aut alicuius talis peccati, is ad Sicimitas confugiebat, seq; iniustè accusatum dicebat. Per id tempus mortuus erat pontifex Iaddus, eiq; in pontificatu successerat Onias eius filius.

IOSEPHI ANTIQVITATVM IVdaicarum liber duodecimus.

CAPVT I.

Ptolemęus Lagi filius, Hierosolymis & Iudęa dolo occupatis, multos inde deportat in Aegyptum.

Alexandri successores.

IGitur Alexander Macedonum rex, subacto Persarum imperio, & cōstitutis (ut iam dictum est) Iudææ rebus, uitam finijt: ac distracto in multos imperio, Antigonus Asia potitur: Seleucus Babylone, & illius tractus nationibus. Lysimachus Hellespontum obtinuit. Macedoniam occupauit Cassander. Aegyptum tenuit Ptolemæus Lagi filius. Hi dum inter sese dissident, & de imperio contendunt, fiebat ut continua longaq; bella gererentur, urbesq; affligerētur, & multos ciuium in certaminibus amitterent, adeò ut omnis Syria à Ptolemæo Lagi filio (qui tum Soter, hoc est Seruator appellabatur) longè aliter afficeretur, quàm eius nomine dignum esset. Is etiam Hierosolymam per fraudem & proditionem occupauit. Ingressus enim Sabbatho in urbem per speciem sacrificandi, ne prohibentibus quidem Iudæis (neque enim hostem esse putabant: & tum quia nihil mali suspicabantur, tum propter diem, ocium agebant) urbe nullo labore potitus est, eamq; tractauit inclementer. Cæpit & multos captiuos tum ex Iudææ montanis & finitimis Hierosolymæ locis, tum ex Samaria & Garizin, quos omnes in Aegyptum transtulit. Cumq; Hierosolymitanos iurisiurandi fideiq; seruantissimos ex ijs intelligeret, quæ Alexandri legatis post uictum ab eo Darium responderant, multos eorum in præsidijs disposuit, & Alexādriæ ciues Macedonibus pares fecit, ac sacramento astrinxit, seruaturos fidem posteris eius, qui ipsis mandasset eam prouinciam. Non pauci præterea reliquorum Iudæorum in Aegyptum sua sponte profecti sunt, allecti partim bonitate soli, partim Ptolemæi liberalitate. Sed inter eorum posteros & Samaritas instituta patria retinere studentes, existebāt contentiones, ijq; inter sese decertabant, dum Hierosolymitani suum templum sanctum esse contendunt, & uictimas eò mitti uolunt: Samaritæ contra, in montem Garizin.

Ptolemęus Soter

CAPVT II.

Ptolemęus Philadelphus Iudaicas leges Græcè transferendas curat, multosq; captiuos manumittit, & multa donaria Deo mittit.

Ptolemæus Philadelphus

POstea Aegypti regnum adeptus Philadelphus (quod quidem tenuit annos undequadraginta) legem curauit transferendam, & seruientes in Aegypto Hierosolymitanos seruitute liberauit, qui fuerunt centum uiginti millia, ob huiusmodi causam. Demetrius Phalereus, regiarum librariarū præfectus, conabatur, si fieri posset, omnes totius orbis libros colligere. Ac quærente aliquando Ptolemæo, quot iam librorum millia collecta haberet? respondit, esse iam circiter ducenta millia, & breui congesturum ad quingenta. Præterea sibi indicatum multos esse apud Iudæos de ipsorum institutis libros, studio dignos, & bibliotheca regia. Sed esse illorum literis & sermone scriptos: ideoq; multum laboris exhibituros, si transferantur in Græcam linguam. Videtur enim, inquit, eorum scriptura planè similis esse Syrorum scripturæ, uocemq; reddere consimilem, & eam sui generis. Itaq; nihil obstat, quo minus eos transferendos cures (polles enim opibus) & in bibliotheca habeas. Igitur rex Demetrium sibi optimè consulere existimans, Iudæorum pontifici scribit, ut hæc fiant. Erat quidam Aristæus, regi in primis amicus atq; gratus ob modestiam. Is sæpe antea regem orare statuerat, ut Iudæos, quicunq; in eius regno essent, manumitteret. atque id sibi idoneum ad ea postulata tempus arbitratus, primùm ea de re agit cum satellitum præfectis Sosibio Tarentino, & Andrea, postulans ut se in eis quæ sit à rege postulaturus, adiuuent. ac accepta eorum sententia, regem adit, & cum eo agit in hunc modū.

Aristæi oratio ad regē Ptolemæi.

Non decet committere nos, ô rex, ut decipiamur, sed uerum patefacere. Cum igitur hoc agamus, ut Iudæorum leges in tuam gratiam non solum transscribantur, uerùm etiam uertantur, quā nam ratione hoc facere possimus, cum multi Iudæi seruiant in regno tuo? Quod si rem tua magnificentia & bonitate dignam facere uis, libera eos calamitate: quandoquidem qui Deus eis leges tulit, is est, qui tuū regnum regit, quantum ego quidem quærendo comperi. Conditorem enim uniuersitatis Deum & ipsi & nos colimus, [a] Zena Græco sermone uocantes, indito à uiuendo nomine, quòd is uitam conferat omnibus. Quapropter ad honorem Dei, ijs qui Deum præcipua religione uenerantur, redde patriam, ut eis in natali solo uitam agere liceat. Illud quidem scito, rex, me nec genere eis, nec natione propinquum, hæc pro eis postulare. Sed cum omnes homines Dei sint opificium, & sciam eum benefacientibus delectari, ad benefaciendum te cohortor. Hæc locutum Aristæum, rex hilari lætoq; uultu intuitus: Quot nam, inquit, millia putas esse eorum qui manumittendi sint? Cumq; Andreas, qui aderat, subiecisset, paulo plura esse quàm centum decem millia: An uerò paruū à nobis, inquit rex, Aristæe donum postulas? Cumq; Sosibius, & qui aderant, dixissent debere eum dignam sua magnificentia gratiam Deo rependere, qui ei regnum conciliasset, titillatus ab eis rex, iussit ut cum militibus stipendia soluerent, etiam pro captiuis, qui apud eos essent, penderent in singula capita drachmas centum uiginti. Ac de Aristæi postulatis promisit libellos se magnificè scriptos propositurum, quibus Aristæi propositum, & ante id Dei uoluntas confirmaretur: ex qua non solum ductos à patre suo & eius exercitu liberaturum se dixit, sed etiam eos qui antè erant in regno, & si qui postea fuerant adducti. Et cum eam liberationem dicerent plusquam quadringenta talenta poscere, concessit. Erat autem mandatum huiusmodi. Quicunq; sub patre nostro militantes, Syriā & Phœnicen incursarunt, peruastataq; Iudæa mancipia inde in urbes regionemq; nostram deportarunt ac uendiderunt: itemq; qui ante eos erant in meo regno, & si qui nunc adducti sunt, hos manumittunto qui penes sese habent, accipientes pro singulis capitibus drachmas centum uiginti, uidelicet milites unà cum stipendijs: reliqui

[a] hoc est Iouem.

Ptolemæi mandatum de manumittendis Iudæis.

liqui autem à mensa regis. Arbitror enim eos contra patris uoluntatem, contraq; æquitatem, captiuos esse factos, eorumq; terram licentia militari afflictam, & ex eorũ in Aegyptum translatione magnam utilitatem partam esse militibus. Quapropter iustitiæ rationem habens, & eorum misericordiam capiens, qui iniquè opprimuntur, impero ijs qui Iudæos habent in suo seruitio, ut eos manumittant pro præscripta summa: ne ue quisquam in hac re dolo malo agat, sed imperatis obediat. Volo autem hoc edictũ, ex quo allatum erit, in triduum proponi, ut legi possit ab eorum generis hominibus, eisq; simul etiam corpora ostendi. hoc enim etiam è re mea esse duco. Quod si qui dicto audientes nõ fuerint, eorum nomina qui uolet deferto, eorumq; bona in fiscum referuntor. Hoc facto, regis iussa septem non amplius diebus peracta sunt, impensis in eam liberationem talentis plus quadringentis sexaginta. Nam etiam pro paruulis exigebant domini centenas uicenas drachmas, tanquam rege etiã eorum nomine solui iubẽte, dum scripsisset accipiendum pro singulis capitibus quod dictum est. Deinde iussit rex ut de his scriberetur Eleazaro Iudæorum pontifici, eiq; simul manumissio declararetur seruientium in Aegypto Iudæorum. Itemq; ad faciendos crateres & phialas & calices, misit auri talenta quinquaginta, & gemmarum inæstimabilem multitudinem: iussitq; custodes capsarum, in quibus erant gemmæ, artificibus permittere electionem cuiuscunq; uellent generis. Mandauit etiam pecuniæ ad sacrificia & reliquos usus in templum usque ad centum talenta erogari. Exponam autem opera, si prius exemplar adduxero scriptarum ad Eleazarum pontificem literarum, qui id munus adeptus erat, ob causam quam iam dicam. Defuncto Oniæ pontifici, filius eius Simon successit, is qui Iustus cognominatus est, tum propter pietatem in Deum, tum propter beneuolum in ciues animum. Eo mortuo, superstite ei filio Onia nomine, eius frater Eleazarus, de quo loquimur, eum honorem adeptus est, cui scripsit Ptolemæus in hunc modum.

REX PTOLEMAEVS ELEAZARO pontifici salutem.

Regis Ptolemæi literæ ad pontificem Eleazarum.

Cum multi in regno meo habitarent Iudæi, quos à Persis, dum imperium tenebant, captos, meus pater honorauit, & partim ad militiam maioribus stipendijs destinauit, partim uidelicet ijs qui cum eo uenerant in Aegyptum, castellorum custodiã assignauit, ut essent Aegyptijs terrori: ego principatum adeptus, cum omnes humanè tractaui, tum maximè ciues tuos, quorum suprà centum millia captiuorum in libertatem uindicaui, soluto de meis facultatibus precio dominis eorum: & qui per ætatem arma ferre possent, in militiam allegi. Nonnullos etiam, quorum fides id mereri uidebatur, in aulicos meos cooptaui, cogitans gratum Deo pro eius de me cura donarium hoc, & maximum à me oblatum iri. Atque ut tum his, tum omnibus toto orbe Iudæis gratum faciam, statui legem uestram de Hebræo in Græcum traducere, & in mea libraria reponere. Quare rectè facies, si delectos uiros bonos, ex unaquaque tribu sex, iam ætate prouectos, ad me miseris, qui & per ætatem legum sint periti, & eas accuratè possint interpretari. Sic enim existimo, his perfectis maxima nos gloria affectum iri. Misi autem collocuturos hisce de rebus tecum, Andream satellitum præfectum, & Aristæum, homines magnæ apud me existimationis, per quos etiam donariorum primitias ad templum, & sacrificiorum, reliquorumq; misi, argenti talenta centum. Et tu si nobis quæ uoles scripseris, rem gratam feceris.

His regis literis ad Eleazarum perlatis, rescripsit quàm fieri potuit amicissimè, eiq; septuaginta seniores unà cũ lege misit, & ut postquam eam transcripsisset, tutò remitteret, postulauit.

Ptolemæi donaria.

Quod ad mensam attinet, cuius superius facta mentio est, ea & materia & opere ita excellens fuit, ut nihil suprà. Dederat enim operam rex, ut si magnitudine eam excedere non deberet quæ antè Deo erat apposita, arte quidem & operis nouitate elegãtiaq; longè superaret. Crateres quoq; & phialæ ea amplitudine atque arte factæ sunt, ut nihil desiderari posse uideretur. Nam non solum artifices (qui erant artis suæ peritissimi) ad eam rem industriam suam adhibuerunt, sed etiam rex ipse labore studioq; suo negocium non parum adiuuit. Etenim non solum sumptus ad artifices largè suppeditabat, uerùm etiam omissa publicorum negociorum administratione, ipse operi faciundo præsens aderat, totũq; opus inspiciebat. quæ quidem regis præsentia & diligentia, opificum diligentiam acuebat. Talia donaria misit Ptolemæus Hierosolymam ad templum, eaq; pontifex Eleazarus in templo collocauit, & nuncios honorauit, eisq; dona regi ferenda tradidit, & eos ad regem remisit. Postquam ij Alexandriam peruenerunt, Ptolemæus intellecto eorum & septuaginta senatorum aduentu, protinus legatos Andream & Aristæum curat accersendos. Qui ubi ad eum peruenerũt, literas ei quas à pontifice afferebant, tradiderunt: & omnia de quibus eos uerbis interrogauit, declararunt. Ipse cupiens senatores alloqui, Hierosolymis ob legum interpretationem uenientes, reliquos qui ob negocia aderant, dimitti iussit: id quod contra eius consuetudinem factum est. Qui enim ob huiusmodi causas adducebantur, quinto demum die eum conueniebant: legati uerò post unum mensem.

Congressus septuaginta seniorũ, & regis Ptolemæi.

Tunc igitur dimissis alijs, missos ab Eleazaro expectauit. Atque ubi seniores illi aduenerunt, dona secum sibi à pontifice ad regem tradita, & tabulas, in quibus scriptas aureis literis leges habebant, ferentes, interrogauit eos de ijs libris. Cumq; eos illi detractis tegumentis ei ostendissent, admiratus est diutius membranarum tenuitatem, & indiscretam conglutinationem atque compactionem. Deinde gratias egit eis, qui uenissent: & maiores ei qui misisset: sed longè maximas Deo, cuius essent leges. Hic cum seniores, & qui unà aderant, regi uno clamore fausta comprecati essent, tanta perfusus est lætitia, ut lachrymas emiserit. Deinde iussit libros ijs tradi, quorum id munus erat: ac tum homines complexus est, dixitq; æquum esse ut prius de ijs rebus uerba faceret, propter quas eos accersiuisset, quàm alios alloqueretur. Diem quidem eorum aduentus promisit sese insignem facturum, & per omnem uitam celebraturum. Nam fors ita tulit, ut idem dies esset eorum aduentus, & uictoriæ quam ipse de Antigono prælio nauali reportarat. Igitur eos sibi conuiuas esse iussit, eisq; pulcherrima hospitia sub ipsa arce dari. Et Nicanor (qui excipiendis hospitibus præerat) uocato Dorotheo, qui earum rerum procuratione habebat, iussit ut cuiq; pararet quæ ad uictum pertinerent. Erat autem ea res à rege in hunc modum constituta. In unaquaque urbium, quæ non eadem uictus ratione utebantur, erat qui hæc administraret, & hospitibus omnia ad ipsorum morem paranda curaret, ut consueta uictus ratione epulantes, magis delectarentur, nec ulla re tanquam aliena offenderentur. Quod quidem tum illis quoque senioribus factum est, Dorotheo propter rerum peritiam his rebus præfecto. Is per seipsum omnia ad illos accipiendos parauit, geminamq; accubationem fecit iussu regis. Imperauit enim rex dimidiam eorum partem in sua mensa una ex parte collocari, alteram partem

in altera mensa post suam, nihil omittens quod ad eorum honorem pertineret. Postquam ita discubuerunt, mandat Dorotheo, ut quo ritu uterentur omnes, qui ad eum ex Iudæa uenissent, eodem ijs ministraret. Itaque sacros præcones, & sacrificos, & alios quibus preces peragere mos erat, repudiauit rex: & hospitum unum nomine Elisæum, sacerdotem, rogauit ut preces ageret. Atq; is stans in medio, regi eiusq; subditis fausta precatus est. Deinde omnes cum lætitia applauserunt atq; acclamarunt: & eo facto, ad epulas se conuerterunt. Et rex interposita mora quantā satis esse iudicabat, philosophari cœpit, & singulis quæstionem aliquā proponere naturalem, & ad propositum pertinentē. Cumque accuratè de quauis re, quæ eis proponeretur, dissererent, delectatus eo rex, id conuiuium duodecim dies perpetuauit, dixitq; sese iam ex eorum aduentu maxima bona percepisse, quippe qui ab eis didicisset regis officiū. iussitq; singulis tria talenta dari, & eos in hospitium deduci. Deinde tribus peractis diebus, Demetrius ducit eos in semotā quandam domum, positam in litore, & ad eam rem idoneam: & eis ibi congregatis, rogat, ut postquam omnia, quibus ad legum interpretationem opus esset, ad arbitrium suum haberent, negocium expedirent. Illi translationem summo studio aggressi, in ea ad horam diei nonam elaborabant: deinde corpori curando se dabant, ijs quæ ad uictum pertinerent largè suppetentibus. Nam præter quotidianum demensum, quod eis abundè ministrabatur, Dorotheus eis multa ex regis culina, ipsius regis iussu, afferebat. Manè regem salutatum ibant: deinde eundem locum repetebant. & lotis in mari manibus lustrati, ita demum ad legum interpretationem sese conferebant. Deinde transcripta lege, & interpretationis opere duobus & septuaginta diebus absoluto, Demetrius congregatis eum in locum, in quo uersæ leges fuerant, Iudæis omnibus, præsentibus etiam interpretibus, eas recitauit. Et multitudo interpretes legis approbauit: & Demetrij etiam inuentionem collaudarunt, qui eis magnorum bonorum inuentor extitisset: ab eoq; petierunt, ut etiam rectoribus suis legem daret legendam. postularuntq; omnes, tum sacerdos, tum interpretum seniores, & reipublicæ administratores, ut quandoquidem rectè haberet interpretatio, maneret ut erat, ne ue immutaretur. Cumq; omnes eorum sententiam laudassent, iusserunt, ut si quis in lege uel superfluum aliquid scriptum uideret, uel curtum, id iterum inspiceret, planumq; faceret & corrigeret, ut quod semel rectum iudicatum esset, id perpetuò maneret. Qua quidem re gauisus est rex, uidens institutum suum utiliter perfectum: & maximè lætatus est recitatis ei legibus & legislatorib. mentem atq; sapientiam stupuit. Itaq; cum Demetrio uerba facere cœpit, qui fieret, ut cum tam admirabilis esset ea lex, nullus nec historicorū nec poetarum eius meminisset? Ad quod Demetrius respondit, propterea neminem ausum eam attingere, quòd diuina esset & augusta: iamq; nonnullos, quoniam tale aliquid attentassent, læsos fuisse diuinitus. Eiq; demonstrauit, ut Theopompus, cum horum aliquid scribere instituisset, mentem plus quàm triginta dies perturbatam habuisset: itaq; intermittente malo, Deum precibus placasset, inde sibi insaniam ortam esse suspicatus. Quinetiam in somnio uidisset id sibi propterea euenisse, quòd diuina tractasset, & in profanum uulgus proferre uoluisset. Itaq; cum destitisset, mentem ei constitisse. Narrauit etiam ei de Theodecta tragico poeta, qui (ut perhiberetur) cum uoluisset in quadam fabula mentionem facere eorum quæ in sacro libro scripta forent, in oculorum morbum, quod glaucoma uocant, incidisset: & intellecta causa, conualuisset propitiato Deo. Igitur rex ijs acceptis à Demetrio, libros ueneratus, iussit diligentem curam haberi, ut in integro manerent: hortatusq; est interpretes, ut ad se frequenter ex Iudæa uenirent. id enim eis utile futurum, tum propter honorem quo eos affecturus, tum propter dona quibus ornaturus esset. Nunc quidem æquum esse ut eos dimitteret: uerùm si deinceps ad se sua sponte uenirent, assequuturos omnia quæ & ipsorum sapientiæ deberentur, & à liberalitate sua præstari possent. Igitur eos tum dimisit, cum quidem unicuique tres egregias uestes, & auri talenta duo dedisset, & calicem unius talenti, & tori uestem stragulam. Hæc ipsis dono dedit. Pontifici autem Eleazaro per eos misit decem lectos argenteis pedibus, unà cum eorum instrumento, & calicem talentorum triginta. Præterea uestes decem purpureas, & elegantem coronam, & byssinæ telæ ulnas centum, & insuper phialas, & catinos, & pocula, & crateres duos, in templo reponendos. Hortatus est etiam eum per literas, ut si qui illorum hominum ad se uenire uellent, permitteret. Hoc honore Iudæos affecit Ptolemæus Philadelphus.

Mosaica lex in Græcum translata.

Theopompus poeta.

Theodectes poeta.

CAPVT III.

Vt Iudæorum gentem honore affecerint reges Asiæ, & conditarum à se urbium ciuitate donauerint.

CONsequuti sunt & ab Asiæ regibus honorē, quoniā sub eis militassēt. Etenim Seleucus Nicanor, in ijs urbibus quas condidit in Asia & interiore Syria, & in ipso regni capite Antiochia, eos ciuitate donauit, & eodē quo Macedones & Græcos numero habuit: quo iure etiamnū utuntur. Argumento est, quòd Iudæis nolētibus alieno oleo uti, certa pecunia soluitur à gymnasiorum præfectis, ad oleum comparandum. Quē morem cum Antiochēsis populus proximo bello abrogare conaretur, Mucianus (qui tum Syriæ prætor erat) tamen retinuit. Et postea imperante Vespasiano, & Tito eius filio, orantes Alexandrini & Antiochenses, ut Iudæi priuarentur iure ciuitatis, non impetrarunt. Idem fecit & Marcus Agrippa. Nam commoti Iones aduersus Iudæos, Agrippam orarunt, ut ciuitate, quam eis dederat Antiochus Seleuci nepos, is qui apud Græcos Deus appellatur, soli fruerentur. postularuntq;, ut si Iudæi eorum essent cognati, eosdem cum ipsis deos colerent. Ac constituto ea de re iudicio, obtinuerunt Iudæi, ut sibi solitis moribus uti liceret: usi patrocinio Nicolai Damasceni. Agrippa enim pronunciauit, nihil sibi innouare fas esse. Sed ut ad propositum reuertar, regnante in Asia Antiocho Magno, accidit ut tum Iudæi, tum qui Cœlesyriam incolebant, multa aduersa paterentur. Eo enim belligerante cum Ptolemæo Eupatore, & cum eius filio Ptolemæo Epiphane, siue is superior erat, siue inferior, ipsi, qui in medio iacebant, semper affligebantur, non secus ac nauis duabus uexata tempestatibus. Tamen uicto Ptolemæo, Antiochus Iudæam occupauit. Deinde mortuo Philopatore, eius filius magnam manum, & ducem Scopam, misit in Cœlesyriæ incolas: qui multas eorum urbes, necnon gentem nostram cæpit. oppugnata enim, in eius partes concessit. Non multo pòst, Scopam prælio uicit Antiochus, ad fontes Iordanis, magnamq; eius copiarum partem deleuit. Postea cū Antiochus eas Cœlesyriæ urbes, quas Scopas obtinuerat, Samariamq; subegisset, Iudæi ultro deditionē fecerūt, eūq; urbe admise-

Conuiuiū Ptolemæi

Antiochus Magnus

admiserunt, & eius omni exercitui & elephantis omnia abundè suppeditarunt, & relictos à Scopa in arce Hierosolymitana præsidiarios oppugnantē strenuè adiuuerūt. Itaq; Antiochus æquum esse iudicans, ut Iudæorum erga se studium remuneraretur, literas scripsit ad suos duces & amicos, quarum exemplar infrà positum est.

REX ANTIOCHVS Ptolemęo salutem.

Antiochi magni literæ in Iudæorum gratiam.

Cum Iudæi, simulac in eorum fines ingressi sumus, studium erga nos suum declarauerint, & in urbem suam uenientes splendidè acceperint, cumq; Senatu obuiam prodierint, & militibus elephantisq; omnia abundè præbuerint, nosq; in expugnando Iudæorum in arce præsidio adiuuerint: uisum est nobis eos pro his remunerari, & eorum urbem casibus labefactatam, recreare atque frequentare, reuocatis in eam ijs qui sunt dispersi. Ac primum eis decreuimus, religionis causa præbenda conficere ad sacrificia, uidelicet ad comparandas hostias, & uinum, & oleum, & thus, argenti uiginti millia, & siliginis sacras artabas ex gentis consuetudine. frumenti medimnos mille quadringentos sexaginta, & salis medimnos trecentos sexaginta quinque. Atque hæc eis solui uolo, quemadmodum imperaui: templiq; opus expediri, & porticus, & si quid aliud ædificandum est. Materia autē apportetur ex ipsa Iudæa, alijsq; regionibus, & Libano, nec ullum eius nomine uectigal exigatur. Idem dico de alijs, quibus ad speciosiorē templi apparatum opus erit. Viuant autem omnes eius nationis homines ex legibus patrijs: immunisq; sit senatus, & sacerdotes, & scribæ templi, & sacri cantores, ab eo quod pro capite pendunt, & ab auro coronario, alijsq; tributis. Ac quo citius frequentetur urbs, concedo ijs qui nunc eam habitant, quiq; intra ultimum anni mensem eò migrauerint, immunitatem in triennium: & in posterum tertiam tributorum partem eis remittimus, ad eorum damnum resarciendum. Et quotquot ex urbe abrepti seruiunt, & ipsos & eorum natos manumittimus, & facultates eis reddi imperamus. Hoc erat literarum exemplar. Item in honorem templi libellos toto regno publicauit, qui hæc continerent: Nemini liceat alienigenæ, intra templi conseptum ingredi, quemadmodum Iudæis interdictum est, nisi quibus lustratis mos est ex lege patria. Ne'ue in urbem importetur equina caro, ne'ue mulina, ne'ue asini, siue feri, siue cicuris: ne'ue pardalina, aut uulpina, aut leporina, aut cuiusuis omnino eorum animalium quæ Iudæis uetita sunt. Ne'ue pelles inferre liceat, sed nec ullum tale animal in urbe alere: sed solis maiorum sacrificijs uti liceat, quibus placari Deus debeat. Qui contra aliquid horum fecerit, soluito sacerdotibus argenti drachmarum tria milia. Scripsit & ad Zeuxim ducem, amicum'que suum intimum, de Iudæis, in hunc modum.

Antiochi libelli in honorem templi.

REX ANTIOCHVS Zeuxidi patri salutem.

Antiochi literæ ad Zeuxim, in Iudæorum gratiam.

Cum intelligerem in Lydia & Phrygia tumultuari, magnopere mihi prospiciendum curaui: ac consultanti mihi cum amicis, quid facto sit opus, uisum est in castella & loca maximè necessaria transferre ex Mesopotamia & Babylonia, Iudæorum bis mille familias, cum eorum supellectili. Credo enim nostrarum rerum custodes fore beneuolos, tum propter eorum erga Deum pietatem: tum quia noui, eis à maioribus nostris testimonium datum fidei, & prompti obsequij, in eis ad quæ rogantur. Itaque quamuis eos traducere laboriosum sit, tamen quia promisi, uolo eos uti suis legibus. Cum autem eos in ea quæ dixi loca transtuleris, dabis singulis ad ædificandas domos locum, & agrū ad agriculturam, uinearumq; sationem, & immunitatem frugum terræ concedes in annos decem: ac donec terræ fruges perceperint, demensum frumentum accipiant in famulorum alimoniam: deturq; ijs qui eis inseruient, quantum opus erit, ut benignè à nobis habiti, studiosiores se rerum nostrarum præbeant. Da operam, quoad eius fieri potest, ut ei genti à nemine incommodetur. Hactenus de amicitia, quæ Antiocho magno cum Iudæis intercessit. Postea amicitiam & fœdus cum Ptolemæo fecit Antiochus: eiq; filiam suam Cleopatram nuptum locauit, & Cœlesyriam & Samariam & Iudæam & Phœnicen dotis nomine tribuit. ac diuisis in duos reges tributis, optimates suæ quisque patriæ tributa redimebant: & redactam, quæ imperata erat, summam regibus pendebant. Eo tempore Samaritæ, rebus suis secundis, multa Iudæos læserunt, agros eorum uastando, & corpora prædando: quæ quidem Onia pontifice acciderunt. Eleazaro enim uita defuncto, successit in pontificatum Manasses eius auunculus: post cuius decessum, munus excepit Onias Simonis filius, eius cui Iusto cognomen fuit, qui Simon frater erat Eleazari, sicuti iam dixi. Hic Onias sordidi animi homo, & pecuniæ cupidus erat: eamq; ob rem tributum pro populo non soluit, quòd eius maiores regibus de suo pendere soliti erant, uidelicet argenti talenta uiginti. quæ res exacerbauit regem Ptolemæum Euergetem, qui pater erat Philopatoris. Itaque misso Hierosolymam legato, incusauit Oniam, qui tributa non solueret: minatusq; est, sese eorum agrum diuisurum, nisi soluerentur, & eò militum coloniam deducturum. Qua re audita, Iudæi territi sunt: sed Onias, qua erat auaritia, hæc pro nihilo habuit.

Oniæ auaricia.

CAPVT IIII.

Iosephus Tobiæ filius ei malo medetur, inita cum Ptolemæo Epiphane amicitia.

Erat Iosephus quidam, ætate iuuenis ille quidem, sed grauitate & prudentia & iustitia apud Hierosolymitas celebris, patre Tobia natus, ex sorore Oniæ pontificis. Hic Iosephus, cum à matre didicisset aduentum legati (aberat enim tum in quodā pago nomine Phicola, ex quo erat ipse) profectus in urbem, Oniam obiurgat, qui ciuium salutis rationem non haberet, sed genti periculum creare uellet, pecuniam auertendo, propter quam & populi administrationem, & summi sacerdotij honorem adeptus esset. Quòd si pecuniæ usque adeò cupidus erat, adiret regem, & sibi uel totam, uel certè partem condonari postularet. Ad hæc Onias respondit, se neque principatum uelle: & si fieri posset, paratum esse sacerdotium deponere. ad regem quidem non iturum: hæc enim sese omnino non curare. Tum Iosephus rogauit, utrum sibi permitteret legationem publicam ad Ptolemæum susciperet: atque illo permittente, populum consolatur, seq; legatum ad regem iturum ostendit. Deinde Ptolemæi legatum hospitio accipit, & magnis muneribus donatum, multorumq; dierum conuiuijs honoratum, præmittit ad regem: seq; subsecuturum dicit. Nam regem conuenire eò magis auebat, quòd legatus eum ad eundum in Aegyptum inuitauerat, seq; ei quæcunque à Ptolemæo postulasset, impetraturum promiserat: quippe Iosephi liberalitate & grauitate magnopere delectatus. Igitur ubi uenit legatus in Aegyptum, Oniæ sordes regi commemorat,

morat, & Iosephi bonitatem ostendit, uenturumq; dicit ad eum ad populi culpam deprecandam, quippe populi gubernatorem. Breuiter iuuenem tantis laudibus extulit, ut & regis, & eius uxoris Cleopatræ beneuolentiam nondum præsenti conciliauerit. Et Iosephus missis in Samariam qui pecuniam ab amicis mutuarentur, paratisq; ijs quæ ad iter pertinerent: & uestibus populisq; & iumentis comparatis, quæ summa efficiebatur uiginti millium drachmarum, in Alexandriam proficiscitur. Accidit eo tempore, ut ex urbibus Syriæ & Phœnices primarij homines ad uectigalium auctionem proficiscerentur, quæ rex quotannis cuiusque urbis potentissimis uendebat. Hi uidentes in uia Iosephum, deridebant ob paupertatem atque inopiam. Qui postquam Alexandriã peruenit, & regem Memphi esse audiuit, ascendit ei obuiam. Sedebat autem rex in curru cum uxore, & Athenione amico suo, eo qui Hierosolymam legatus ierat. Is Athenio simulac Iosephum uidit, regi indicauit: & Ptolemæus Iosephum prior salutauit, & ut in currum ascenderet hortatus est. Deinde sedente Iosepho, cœpit de Oniæ facto expostulare. Sed Iosephus: Da ueniam, inquit, eius senectuti. Neque enim te præterit, senum & infantium eandem esse mentem. Sed à nobis iuuenibus omnia consequeris, ita ut nihil conquerаris. Hac iuuenis uenustate & urbanitate delectatus rex, eum magis amare cœpit, adeò ut eum in regia degere iusserit, & quotidianum conuiuam habuerit. Deinde postquam Alexandriam rex uenit, uidentes primi Syriæ sedentem cum eo Iosephũ, grauiter ferebãt. Pòst ubi dies uenit auctionis uectigalium, qui in suis patrijs dignitate præstabãt, licebantur: cũq; uectigalia Cœlesyriæ & Phœnices & Iudææ cum Samaria ad octo millia talentorum excrescerent, accessit Iosephus, & licitatores criminatus est, tanquam ex composito paruo licitarentur: ipse duplum daturum se pollicetur, eiq; bona missurum eorum qui in eius domum peccauissent: nam & hoc unà cum uectigalibus uendebatur. Id rex libenter audiuit: seq; ei uectigalia addicturum dixit. simulq; rogauit, utrum sponsores dare posset. Ego uerò (respondit ille festiuè) & quidem bonos & honestos homines, quibus non diffidetis. Quos tãdem? Teipsum, inquit, ô rex, coniugemq; tuam pro utraq; parte sponsuros tibi do. Hic subridens Ptolemæus, ei uectigalia sine fideiussoribus addixit: quam rem grauissimè tulerũt alij, domumq; non sine pudore redierunt. Ipse sumptis à rege duobus peditum millibus, ut si qui contemnerent, cogere posset: & mutuatus Alexandriæ à regis amicis quingenta talenta, in Syriam contendit. Vbi Ascalonem uenit, tributa exigit, atq; eis non modò nihil soluere uolentibus, sed etiam ei conuiciantibus, comprehendit eorum primarios circiter uiginti, eosq; interficit: & redacta ex eorum facultatibus pecunia, ad mille talenta regi mittit, eiq; negocium demonstrat. Itaq; Ptolemæus admiratus eius animum, approbatoq; facto, ei quæ uelit faciendi potestatem permittit. Hoc audito perterriti Syri, Iosepho libenter portas aperiebant, & uectigalia soluebant. Idem fecit & Scythopolitis, quod Ascalonitis. Atq; ubi ex uectigalibus grandem pecuniam collegit, ut eam potentiam retinere posset, abusus est suis facultatibus. Multa enim regi & Cleopatræ, eorumq; amicis, & omnibus in aula potentibus clanculum dona misit, hac ratione eorum beneuolentiam emens. atque ea felicitate annos duos & uiginti usus est. Natos habuit ex una uxore septem, & ex sui fratris Solemij filia unum nomine Hyrcanum. Hic Hyrcanus præstantis animi fuit, & ingeniosus atque animosus: qua de causa patri longè charior fuit quàm eius fratres. quæ res eis qui tardi segnesq; forent, magnam commouit inuidiam. Accidit aliquando ut patri nunciaretur, Ptolemæo natum esse filium, omnes'que primos Syriæ & ditionis Ptolemæi ad celebrandos pueri natales magno cum apparatu in Alexandriam proficisci. Igitur ipse qui senectute retineretur, filios tentauit, ecquis ad regem proficisci uellet? Cumq; grandiores recusassent, & sese ad tales congressus rusticiores esse dixissent, utq; fratrem Hyrcanum mitteret suasissent, delectatus ea re pater, Hyrcanum uocat, & an regem adire possit, paratusq; sit, interrogat. Ille iturum dicit: nec multa ad iter egere pecunia: uicturum enim frugaliter, ut satis futura sint ei drachmarum decem millia. qua pueri moderatione delectatus est pater. Deinde interiecto paruo spacio, patri consuluit puer, ne inde dona regi mitteret, sed sibi literas ad Alexandrinum procuratorem daret, ut ipsi pecuniam præberet ad coemenda quæ inueniret pulcherrima atque preciosissima. Pater arbitratus eum sumptum fore ad decem talenta, filij admonitionem laudauit: & Arioni dispensatori scripsit, qui totius eius Alexandrinæ pecuniæ procurationem habebat, quæ erat non minus quàm trium millium talentorum. Iosephus enim Syriæ pecunias mittebat Alexandriam: & instante die, qua regi soluenda erant uectigalia, scribebat Arioni ut id faceret. Igitur acceptis ad hunc Arionem literis à patre, Hyrcanus Alexandriam ire contendit. Eo profecto, scribunt eius fratres omnibus regis amicis, ut eum interficiant. Postquam Alexandriam peruenit, & literas Arioni tradidit, quæsiuit Arion, quot talenta postularet. Sperabat enim postulaturum decem, aut paulo amplius. Sed ille sibi mille opus esse dixit: qua re iratus Arion, eum obiurgat, ut luxuriosè uiuere uolentem. eiq; demonstrat, quo pacto pater eius eas facultates, ut laborans, & cupiditatibus resistens, congesserit: monetq;, ut parentis imitatorem se præbeat. se quidem non amplius quàm decem talenta daturum, & ea ad regem munerandum. At puer iratus, Arionem dedit in uincula. Cuius rei certior factus rex, Hyrcano significatum misit, sese magnopere mirari, quod in suum conspectum non uenisset, & insuper procuratorem in uincula coniecisset: itaque iussit, ut ad dicendam causam ueniret. Ille uerò regis nuncio respondit, ipsum regem habere legem, quæ uetaret, ne natus filius sacrificium gustaret, nisi prius in templum intrasset, Deoq; sacrificasset. Hac de causa neque se ad eum uenisse, quòd expectaret dum dona ferre posset, homini de suo patre bene merito. Quod ad seruum attineret, sese in eum propterea animaduertisse, quòd sibi dicto audiens non fuisset. Nihil enim interesse, utrum paruus sis herus, an magnus. Quòd nisi tales puniemus, expecta tu quoque futurum, ut à tuis subditis contemnaris. His auditis, Ptolemæus risit, & tantum pueri animum admiratus est. Quo cognito, Arion puero mille talenta dedit, atque ita uinculis solutus est. Hyrcanus triduo interiecto, [a] reges salutauit: qui eum libenter uiderunt, & comiter conuiuio exceperunt, propter eius patris reuerentiam. Deinde mercatores secretò aggressus, coemit ab eis centum pueros, literarum peritos, eosdemq; ualentissimos, talento unumquemq;: & totidem puellas eodẽ precio. Pòst ubi dies uenit, alijs regi offerentibus ad summum uicena talenta, ipse pueris uirginibusq; singula talenta ferenda tradidit, & illos regi, has Cleopatræ adduxit. Ac mirantibus cunctis, ipsis'que adeò regibus insperatam munificentiam: insuper regis amicis famulis'que dona multorum talentorum dedit, ut eorum insidias caueret. Eis enim scripserant eius fratres, ut Hyrcanum perimerent. Et Ptolemæus gratam habens magnanimitatem adolescentis, iussit

Iosephi & Ptolemæi congressus.

Hyrcanus Iosephi filius.

a regem & reginam.

tis, iussit ut quod uellet donum, postularet. Ille uerò nihil amplius ab eo petijt, quàm ut ad patrem & ad fratres de ipso scriberet. Et rex eum maximo honore prosecutus, amplisq; donis muneratus, scriptis ad patrem & ad fratres, & ad omnes suos præsides procuratoresq; literis, eum dimisit. Quo accepto nuncio, eius fratres ei obuiam prodierunt, ut eum necarent, etiam patre sciente, quippe qui ei propter insumptas in dona pecunias irasceretur: tametsi iram dissimulabat, metu regis. Igitur fratribus cum Hyrcano prælio congressis, cùm alios ex eorum hominibus multos, tum duos suorum fratrum interfecit: cæteri Hierosolymam ad patrem euaserunt. ipse in urbem profectus, cum eum admitteret nemo, timuit: seq; trans Iordanem recepit, & ibi barbaros sibi tributa soluere cogens, commoratus est. Per id tempus regnabat in Asia Seleucus, cognomine Seruator, Antiochi magni filius. Moritur & Hyrcani pater Iosephus, uir magni animi, qui Iudæum populum ex paupertate & tenuitate eripuit, & in splendidiorem statum perduxit, & Syriæ Phœnicesq; & Samariæ uectigalia uiginti annos tenuit. Moritur & eius auunculus, Onias: Simoniq; filio suo pontificatum relinquit. Huic porrò Onias eius filius successit, ad quẽ Lacedæmoniorum rex Arius legatos misit, & literas, quarum exemplum infrà scriptum est.

Hyrcani cum fratribus pugna.

CAPVT V.

Amicitia & societas Lacedæmoniorum cum Onia Iudæorum pontifice.

Rex Lacedæmoniorum Arius Oniæ salutem.

INcidimus in quoddam scriptum, in quo inuenimus, eiusdem generis esse Iudæos & Lacedæmonios, ex Abrahami gentilitate. Quamobrem æquum est, ut uos, qui sitis fratres nostri, nobis significetis, si quid est quod uelitis. Nos idem faciemus, & uestra pro nostris, & nostra uobiscum communia habebimus. Demoteles tabellarius is est, qui uobis has reddit. Scriptura est quadrata, sigillum est aquila draconem tenens. Hactenus Arij literæ. Mortuo Iosepho, ortum est in populo dissidiũ, propter eius natos. Cum enim grandiores, Hyrcano, qui natu minimus erat, bellum intulissent, scissa est multitudo: maiorq; pars à grãdioribus stabat, necnon pontifex Simon propter cognationem. Hyrcanus uerò Hierosolymam deinceps non redire statuit, ac trans Iordanem capta sede, cum Arabibus continenter bellum gerebat, ita ut eorum multos partim interfecerit, partim captiuos cæperit. Aedificauit etiam ualidum castellum, quod Tyrum nominauit. locus est inter Arabiam & Iudæam, trans Iordanem, non procul ab Essebonitide: illosq; tractus rexit per annos septem, toto tempore quo Seleucus regnauit in Asia. Seleuco uita defuncto, successit eius frater Antiochus Epiphanes. Moritur & Ptolemæus Aegypti rex, qui & ipse cognomen habebat Epiphanes, superstitibus duobus filijs adhuc iuuenibus: quorum grandiori Philometor, minori Physcon cognomen erat. Et Hyrcanus uidens Antiochi magnam potentiam, ueritus ne ab eo propter illatas Arabibus iniurias caperetur, & supplicio afficeretur, mortem sibi consciuit: & Antiochus in eius bona omnia inuasit.

Hyrcani mors.

CAPVT VI.

Iudæi potentiores inter sese dissidentes, Antiochum Epiphanem inuocant.

PEr id tempus mortuo Onia pontifice, rex eius fratri Iosuæ summum sacerdotium dedit. Nam quem filium reliquerat Onias, is infans adhuc erat. Deinde Iosuam summo sacerdotio priuauit rex, iratus ei, id'que dedit Oniæ eius fratri minori. Habuit enim Simon hos tres filios, qui omnes fuere pontifices, ut declarauimus. Et Iosua quidem Iasoni sibi nomen imposuit: Onias uerò, Menelaus appellatus est. Igitur orta seditione inter priorem pontificem Iosuam & Menelaum, qui pontifex postea factus est, scissa est in partes multitudo, steteruntq; à Menelao Tobiæ filij: maxima uerò populi pars Iasonem secuta est. cuius uim non sustinentes Menelaus & Tobiæ filij, ad Antiochum sese receperunt: eiq; demonstrarunt, uelle se, relictis patrijs legibus & institutis, sequi regia, & Græcanicos mores tenere. Itaq; eum orarunt, ut sibi permitteret ædificare gymnasium Hierosolymis. Atq; ubi id impetrarunt, insuper sese præputiarunt, ut nudi quoque essent Græci: omnibusq; alijs, quæ eis patria erant, omissis, cæterarum gentium facta imitati sunt. Antiochus uerò, regni negocijs ei ad ipsius arbitrium succedentibus, statuit in Aegyptum expeditionem facere, eius occupandæ cupidus: simulq; Ptolemæi filios contemnens, qui debiles adhuc essent, necdum res tantas administrare possent. Igitur ad Pelusium cum magnis copijs profectus, & circumuento fraudibus Ptolemæo Philometore, Aegyptum occupat. & profectus ad Memphim, eaq; potitus, Alexandriam contendit, ut eam obsidione caperet, & regnantem ibi Ptolemæum in suam potestatem redigeret. Verùm repulsus est non solum ab Alexandria, sed etiam ab uniuersa Aegypto, iubentibus Romanis, ut ab ea regione abstineret.

MACHABAEORVM

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.



LEXANDER Philippi filius Macedo, ex terra Chethim oriũdus, primus Græciæ rex, deuicto Dario Persarum rege, & eius occupato regno, multa bella gessit, munita loca expugnauit, orbis reges iugulauit: & ad ultimas progressus terras, multas gentes compilauit. Cumq; iam pacatus ei pareret orbis, ipse elatus, & animo insolescens, coacta manu ualidissima, regionibus, gẽtibus & tyrannis imperauit, tributumq; imposuit. Postea morbo correptus, intelligens sibi instare mortem, affectatores suos, uiros claros, secumq; à pueritia educatos, euocauit: eisq; regnum suũ, dum adhuc uiueret, diuisit. & cum annos duodecim regnauisset, mortuus est. Eo B mortuo stipatores eius, occupato suo quisq; loco, omnes sibi diademata imposuerũt, necnon eorũ posteri per multos annos, ex quib. (abũdãtibus in orbe malis) orta est scelerata stirps, Antiochus Epiphanes, Antiochi regis filius, is qui Romæ fuerat obses: qui regnũ adeptus est anno

Alexander Magnus.

Antiochus Epiphanes.

anno centesimo trigesimoseptimo regni Græcorũ. ¶ Per ea tempora extiterunt ex Israelitis homines nefarij, qui multis suaserunt, ut cum finitimis gentibus fœdus inirent: nam ex quo ab eis defecissẽt, multa mala passos esse. Quæ res cum illis placeret, quidã de populo rerum nouarum cupidi, regem adierũt, & impetrata ab eo potestate utendi externis moribus, gymnasium Hierosolymis, externarũ gentiũ ritu, construxerunt, præputia sibi induxerunt, & à sacro fœdere desciscentes, sese gentibus adiunxerunt, & sceleribus emanciparũt. Antiochus autem, stabilito suo regno, Aegypti quoq; regnũ affectabat, ut duo regna obtineret. Itaq; Aegyptum cum magna turba, quadrigis, elephantis, equitibus, ingentiq; classe aggressus, bellũ Ptolemęo Aegypti regi intulit: eoq; in

Antiochus Epiphanes Aegyptum depopulatur.

C fugam uerso, multis occisis, munitas urbes Aegypti cæpit, Aegyptumq; uictã deprædatus, rediĳt [a] anno cẽtesimo quadragesimo tertio. & Israelitas Hierosolymamq; cum ingenti multitudine aggressus, in fanum arroganter intrauit, aureum altare cæpit: & lucernarium candelabrum cum omni eius instrumento, mensam apposititiorũ, uasa libatoria, phialas, aurea mortariola, siparium, coronas, ornatum aureũ, qui erat in fronte templi, omnibus tectoria detraxit: argentumq; & aurum, & elegãtiora uasa, & quos nactus est abditos thesauros, abstulit, & cum his omnibus domũ discessit, facta cæde, &

a uidelicet regni Græcorum.

Antiochus Epiphanes Hierosolymitanũ fanum depeculatur.

D superbissimè locutus. Itaq; tantus ubiq; luctus apud Israelitas extitit, ut principes & senatores ingemiscerẽt, uirgines & iuuenes dolerent, mulierum pulchritudo mutaretur, omnes & sponsi in lamenta concederent, & nouę nuptæ in luctu essent: commotaq; ea regione cum suis incolis, uniuersa Iacobi progenies ignomina cooperiretur. Post duorũ annorũ spacium misit rex tributi quæstorẽ ad Iudææ ciuitates, qui Hierosolymam cum ingenti manu profectus, & cum eis amicè per dolũ locutus, cum eis fidem fecisset, urbẽ deimprouiso adortus, magna clade affecit: multisq; Israelitarum necatis, urbem deprædatus incendit, domos & muros circũquaq; diruerũt, mulieres & paruulos in captiuitatem abegerũt, pecora diripuerunt, urbem Dauidis ingenti ualidoq; muro & firmis turribus muniuerunt: & eam pro arce habentes, ibi sceleratum nefariumq; genus hominum collocarunt: qui ea occupata, arma ibi, & commeatũ, collectasq; Hierosolymæ prædas posuerunt: & insidĳs cõtra fanum

Antiochi homines urbẽ & templum uastant.

E collocatis, magnũ Israelitis detrimẽtum, grauissimaq; damna perpetuò intulerunt, & sanguinem per iniuriam circum sacrariũ fuderunt, idq; polluerũt. Itaq; propter eos fuga dilapsis Hierosolymitanis, occupata ab alienis urbs, & à sua prole alienata, suis ciuibus destituta est, eius sacrarium in uastitatẽ redactum, festa in luctum conuersa, Sabbatha in probrum, honos in contemptum: & quãta in gloria fuerat, ad tantã turpitudinem deducta est, sublimitate in luctum cõuersa. Scripsit autem rex ad omnes regni sui homines, ut omissis suis quisq; moribus, in unum populum coalescerent. Quod regis imperiũ cum cæterę gentes omnes admisissent, multi Israelitarum, eius religionem approbantes, deastris sacrificarũt,

F Sabbatumq; profanarũt. Imperauit etiã rex, missis per nuncios Hierosolymam, & ad cæteras Iudææ ciuitates, libellis, ut cæterarum gentium mores sequerentur, solida sacrificia, & rem diuinam, solitamq; in fano fieri libationem prohiberẽt, Sabbatha & festos dies profanarent, sanctuarium sanctosq; contaminarent, aras, lucos, delubra construerent, sues cęteraq; immunda pecora immolarẽt, filios suos sinerent incircumcisos: deniq; seipsos tot nefarĳs sceleribus impiarent, ut legis obliti, omnia iura mutarent. Quod si quis regi dicto audiẽs non fuisset, capite plecteretur. In hanc omnino sententiam scripsit ad omnes imperĳ sui subditos, omnibusq; populis curatores pręposuit, & Iudææ ciuitatibus imperauit, ut oppidatim sacra facerent. Itaque multi ad eos de populo congregati, ĳq; omnes legis desertores, tantum malorum in ea regione conflauerunt, ut abditi Israelitæ passim profugi latitarent.

Antiochus Iudæos grecizare cogit.

G Anno autem cẽtesimo quadragesimoquinto, die mensis Casleu quintodecimo, extructum est in ara nefarium uastitatis simulachrum: & extructis undiq; per oppida Iudęę altaribus, pro foribus domorum uicatim suffimenta fiebant, legisq; libri, si qui inueniebantur, ĳ discerpti igne cremabãtur. Quòd si quẽ penes fœderis liber reperiebatur, aut si quis legi fauebat, hũc regis sentẽtia morte plectebat. Atque hæc illi Israelitis, qui aderant, singulis mensibus oppidatim faciebant, & uigesimoquinto quoque die mensis, in ara, quæ in altari erat, sacrificabãt: mulieres, quę natos suos circumciderãt, necabant, ut imperatum erat, suspensis de ceruicibus earum infantibus, earumq; domos compilabant, & ipsos circumcisores interficiebant. Complures tamen Israelitarum sese confirmarunt, & omnino pollutis non uesci obstinarũt: maluerũtq; mori, quàm cibis contaminari, & sacrum uiolare fœdus: atque ita interierunt.

CAPVT II.

PEr ea tempora, cum in Israelitas tãtopere sæuiretur, extitit Mattathias Iohannis filius, Simeonis nepos, sacerdos Hierosolymis, ortus à Ioaribo, Modinũ incolens. Huic erant filĳ quinq;, Iohannes cognomine Gaddis, Simon Thassis appellatus, Iudas uocatus Machabæus, Eleazarus qui Abaran dicebatur, & Ionathã cognomẽto Apphus. Is Mattathias uidẽs tam impia in Iudæa & Hierosolymis patrari, ita locutus est: Hei mihi, quorsum natus sum, ut hanc meorum populariũ, urbisq; sanctæ cladem uiderem: & hic interea sederem, dum urbs & fanum hostibus dederetur, & extraneis? Eius templũ infami homini simile factum, splẽdida uasa exportata, paruuli uicatim occisi, adolescentes ferro trucidati: quæ gens eius regnum non occupauit? aut spolĳs eius potita

Mattathias Machabæorum pater.

potita non est? Omnibus priuata ornamentis, ex libera facta serua est: & ecce nostrũ fanum, decus & gloria nostra, uastata sunt, & à gentibus profanata: quorsum iam uiuimus? Hęc locutus, dilacerauit ipse, eiusq; filij, uestimenta sua: & centonibus amicti, uehemẽter luxerunt. Interea regij, qui ad defectionem cogerẽt, uenerunt in oppidum Modinum, ut sacrificarẽt: & cum multi Israelitarum ad eos cõuenissent, Mattathiam, qui unà cum suis filijs aderat, sic alloquuntur: Tu qui ciuitatis huius princeps, & clarissimus potentissimusq; es, filijsq; & cognatis munitissimus, accede primus, & regis mandatum exequere, ut tum cęterę gẽtes omnes, tum Iudæi homines, & qui supersunt Hierosolymis fecerunt: & eris tu, tuaq; familia, in numero regis amicorum: cumq; tuis filijs argento, auro, & multis ornabere muneribus.

B

At Mattathias clara uoce respõdens: Si omnes gentes, inquit, quæ ad regis domum regni pertinent, ei in eo parent, ut à sua quisq; patria religione discedant, eiusq; mandata probant: ego tamen, meiq; filij & cognati, maiorum nostrorum fœdus tenebimus. Absit ut legem iuraq; deseramus, & regi dicto audientes, à nostra religione, ullam in partem deflectamus. Hæc eo locuto, accessit homo Iudæus, in oculis omnium, ut ad aram Modinensem, ex regis mandato, sacrificaret. Id quod uidens Mattathias, indignatus, & præcordijs fremens, animo ad uindictam impulso, accurrit, illumq; ad aram obtruncat: & regis hominem, qui sacrificare cogebat, eodem temporis uestigio interficit: aramq; diruit, legis studio instinctus, quẽadmodum fecerat Phinees Zambri Salomi filio: & per oppidum ingenti uoce proclamat, ut quicunq; legis studiosus est, fœdusq; tuetur, exeat post se. Deinde profugit unà cum suis filijs in mõtes, relictis in oppido suis omnibus facultatibus. Tum multi, uirtutis & recti studio, solitudinem petierunt, ut ibi unà cum suis liberis, uxoribus & pecoribus habitarẽt, quandoquidem tot premabantur malis. Quod ubi regijs & militibus, qui Hierosolymis erant, in urbe Dauidis, nunciatum est, homines, qui regis mandatum uiolauissent, in solitudinis latebras sese recepisse, multi cursu insecuti sunt: eosq; assecuti, obsederunt: & prælio die Sabbathi lacessentes, hortabantur, ut perseuerandi finem facerent: egressiq; regis iussa exequerentur, ut uiuerent. At illi se exituros negare, neq; regi obediendo, Sabbathi diem profanaturos. Cumq; prælio urgerentur, neque aduersarijs respondebant, neq; lapides in eos iaciebant, neq; latebras obstruebant, sese omnes ad innocenter moriendum cohortantes: & cœlum terramq; cõtestantes, sese ab illis immeritò interfici. Ita armis Sabbatho petiti, interierunt unà cum suis uxoribus, liberis, atq; pecoribus, ad homines mille. Quod postquã intellexit Mattathias & eius amici, eos luxere maiorem in modum, & inter se dictitare cœperunt: si omnes imitarentur fratres suos, neq; contra externas gentes uitam suam iuraq; armis defenderent, fore ut ab illis breui ex orbe tollerentur. Itaq; eo die statuerunt, quisquis eis præliũ uel die Sabbathi intulisset, repugnare: ne morerentur omnes, quemadmodum ipsorum fratres in lustris essent mortui. Tunc conuenit ad eos societas Asidæorum, qui erant Israelitarum fortissimi, quotquot erant in legem propẽsi, omnesq; propter tot mala profugi, eis accesserũt: à quibus illi confirmati, facta manu, improbos & nefarios homines, ira inflammati, occiderunt. Cumq; reliqui ad extraneos, ut suæ saluti consulerent, perfugissent: Mattathias & eius amici aras circumquaq; diruerunt, pueros incircumcisos, quotquot in Israelitarum finibus nacti sunt, per uim circumciderunt: superbos homines insectati sunt, & succedẽte negocio, legem à gentibus, regibusq; uindicauerunt, neq; illi scelesto concessere palmam. Deinde Mattathias, cum ei dies interitus instaret, filios suos allocutus est hoc pacto: Nũc uiget superbia, supplicium, tẽpus exitij, & sæua ira. Quapropter, nati, defendite legem: proq; maiorum nostrorum fœdere animas uestras impendite. Recordamini quę maiores nostri suis seculis fecerint: & magnam gloriã, æternumq; nomen cõsequemini. An non, cum Abrahamus in tentatione fidens esset inuentus, id ei iustitiæ ductum fuit? Iosephus cùm suo difficili tempore præceptum seruasset, factus est dominus Aegypti. Phinees, parens noster, sui studij opera, perpetui sacerdotij pactum adeptus est. Iosua suo munere obeundo, rector factus est Israelitarum. Calebus ob ea quę in concione testatus est, terræ possessionem accepit. Dauid pietate sua, regni solium in omnem obtinuit æternitatem. Elias suo erga legẽ studio receptus in cœlum est. Ananias, Azarias, & Misael, fidem habendo, euaserunt ex flamma. Daniel integritate sua ex leonum faucibus defensus est. Deniq; sic cogitate, neminem ullo unquam æuo, qui Deo confiderit, fuisse uictum. Nam hominis quidem scelerati dicta ne reformidate, quippe cuius gloria in stercus abeat, & uermes: quiq; hodie elatus, cras nusquam extet, in puluerem suum reuersus, irrito eius conatu. At uos, nati, fortes uos in lege, uirosq; præstate: nam ex ea gloriam cõsequemini. Ecce Simeon frater uester, quem scio uirum esse cordatũ: huic semper obtẽperate, hic uobis loco patris erit. Iudas autem Machabeus, uir iam à teneris excellens uiribus, uobis militiæ dux erit in populi bello gerendo. Vos conciliate uobis eos omnes qui legi parent: uestrorumq; populariũ iniurias persequimini, & extraneis parem gratiã referte, legisq; præceptis intendite. His dictis, fausta precatus eis, ad maiorum suorum manes concessit. Mortuus est anno centesimo quadragesimosexto, & à filijs suis Modini in patrio conditus sepulchro, atq; ab omnibus Israelitis magno planctu deploratus.

Margin (C): Mattathias Iudæũ de aastris sacrificantẽ obtruncat.

Margin (D): Iudæi Sabbatho pugnare nolentes, occiduntur.

Margin: Mattathiani statuunt etiam Sabbatho pugnare.

Margin (E): Asidæorũ societas.

Margin: Mattathias filios suos ad legis defensionẽ animat.

Margin (F): Gen. 22. e & 41. e Nume. 25. e Eccl. 45. d Iosue 1. a Num. 14. b Iosu. 14. d 2. Reg. 2. a 4. Reg. 2. d Daniel. 3. d & 6. f

CAPUT III.

EI successit Iudas cognomine Machabæus, eius filius, cui auxiliũ tulerũt omnes ipsius fratres, & quicunq; eius patri adhæserant: atq;

ita

ita Israelitarum bellum alacriter gerebant. Is Iudas populi sui gloriam amplificauit, loricam ut gigas induit: armisq; bellicis accinctus, prælia gessit, castra gladio protegēs, factis leoni similis, aut leonis catulo ad prædam frementi. Insectatus est autem improbos indagans, & popularium suorum perturbatores cōbussit, repressisq; eius metu improbis, & perturbatis omnibus maleficis, cum ei uictoria succederet, & reges multos irritauit, & Iacobeos factis suis delectauit honestamq; sui memoriam in perpetuum reliquit. Item Iudææ urbes obeūdo, & impios inde euertendo, perditosq; cōgregando, Israelitarum pœnas sedauit, & ad ultimas

Iudæ Machabæi facinora.

B usq; terras nomen adeptus est. Cumq; Apollonius cùm ex cæteris gentibus, tum ex Samaria, magnum exercitum coegisset, ut Israelitis bellū inferret, hoc ubi intellexit Iudas, ei profectus est obuiam, uictumq; interfecit: & multis occisis, reliquis in fugam uersis, spolia cæpit: in quibus & Apollonij ensem, quo postea semper in bellis usus est. Tū Seron dux exercitus Syriæ, audiens Iudam collegisse manum, & fidelium agmē, cum quibus bella gereret, statuit sibi famam, & in regno gloriam parare, in Iuda eiusq; comitibus, & mandati regis cōtemptoribus debellandis. Itaq; proficisci instituit cū ualidi impiorum exercitus comitatu, qui eum in ulciscendis Israelitis iuuarēt. Cum is iam cliuo Bethoronis appropinquaret, exijt ei obuiā Iudas cum paucis. Sed qui cum Iuda erant, ince-

Iudas Apollonium uincit.

Seron Iudam adoritur.

C dens contra se agmen conspicati, Iudæ dicere cœperunt, nō posse se, qui & pauci, & eius diei inedia confecti essent, cum tam ualida multitudine dimicare. Quibus Iudas respondit in hāc sentētiam: Facile est, multos à paucis superari: nulloq; discrimine cœlestis Deus & multis uincit, & paucis. neq; enim in militū multitudine sita est belli uictoria, sed tātum ex cœlo uirtus est. Illi nos cum flagitiosa & nefaria hominum multitudine adoriūtur, ut nos, uxores, liberos nostros euertāt, & prædæ habeant: nos uitam iuraq; nostra armis defendimus. Deus eos nobis obteret: uos modò eos ne metuite. Hac finita oratione, in hostes repentè irruit: cæsoq; Serone, & eius exercitu, eos per cliuum Bethoronis, in campū usq; persecuti sunt: cecideruntq; illorum homines ad octingentos, reliqui in Palæstinam fugerunt. Tum tantus Iudæ & eius fratrum metus atq; terror cœpit finitimas gentes inuadere, ut eius nomen ad regem usq; perueniret, Iudæ que uictorias memorarēt omnes

Iudas suos animat.

Seron à Iuda cæditur.

D gentes. Quibus rebus auditis, iratus rex Antiochus, misit qui sui regni copias omnes contraherent, qui fuit perquàm ingēs exercitus: apertoq; fisco suo, stipēdia militibus suis in annum soluit: eisq; ut in annum ad omnem usum parati essent, imperauit. Sed cum uideret conditam deficere pecuniam, & regionis tributa esse exigua, propter seditionem & cladem, quā in terris antiqua iura tollendo cōflauerat, ueritus ne nō satis haberet (ut semel atq; iterum) ad sumptus & dona, quæ antea larga manu dando, reges superiores largitione superauerat, animo magnopere æstuabat. Itaq; statuit in Persidem proficisci, & prouinciarū tributa exigere, grandemq; pecuniam cogere. & Lysiam hominem nobilem, & regio genere ortum, reliquit: qui regia negocia procuraret à flumine Euphrate usq; ad fines Aegypti, quiq; Antiochū filium suum usq; ad reditum suum educaret: eiq; Lysiæ dimidiam partem copiarum, & elephantos tradidit: & cùm de cęteris omnibus rebus, quę uolebat, præcepit, tum de Iudæam & Hierosolymam incolentibus, ut misso in eos exercitu, Israelitarum uires, & Hierosolymæ reliquias euerteret, tolleretq;: & sublata eorū ex eo loco memoria, deduceret in eorum fines uniuersos, exterorum hominum colonias, quibus eā terram sorte distribueret. Ipse rex, assumpta altera copiarum parte dimidia, profectus est Antiochia, quæ urbs eius regni caput est, anno centesimo squadragesimoseptimo: & Euphrate traiecto, superiores regiones obibat. At Lysias Ptolemæū Dorymenis filium, & Nicanorem & Gorgiam, homines amicorum regis potentissimos delegit, & eos cū quadraginta hominum millibus, & septem equitum millibus, dimisit in Iudæam, ut eam depopularentur, sicut erat à rege præceptū. Hi cum omnibus copijs profecti, castra fecerunt prope Emmauntem, in loco campestri. Horum audita fama, mercatores incolæ, sumpto maximo argēti auriq; numero atq; famulis, in castra uenerunt, ut Israelitas in seruitutem compararēt: tum autem Syri & extranei milites, illis accesserūt. At Iudas & fratres, uidentes malum crescere, & hostiū exercitus in ipsorū finibus castra habere: regisq; mandatum cognoscētes, qui eum populū funditùs deleri iussisset, inter sese cohortati sunt, ut suorum ruinā popularent: proq; eis, & pro sacris pugnarent. Itaq; cōuenit aliquāta multitudo, ut essent ad bellū parati, ueniamq; & misericordiam à Deo poscerent. Erat autem Hierosolyma inculta, & penè deserta, adeò ut indigenarum nemo ibi uersaretur: fanum conculcabatur, arx exteris & gentibus præbebat domiciliū, & uoluptate ex Iacobeis sublata, tibiæ citharæq; defecerant. Igitur ad Masphath conuenerunt, qui locus contra Hierosolymā positus, fuerat olim supplicationibus destinatus Israelitis. Ibi eo die ieiunarunt, & cētonibus amicti, & puluere capita conspersi, lacerato uestitu, librum legis aperuerūt (eos libros uestigabant extranei, ut in eis deastrorum suorū imagines depingerent) prolatisq; sacerdotalibus indumentis, & primogenitis atq; decumis, excitatis quibusdam Nazaræis, qui diem suam peregerāt, in cœlum huiusmodi uerbis cōquerebantur: Quid [a] his faciemus? aut quò eos deducemus? cū sacra nostra conculcata profanataq; sint, & tui sacerdotes in luctu uersentur & miseria, & insuper extraneæ gētes ad nos euertēdos coierint. Tute scis quid in nos cogitent: quos quo pacto sustinere poterimus, nisi tu nobis subueneris? Deinde tubis clanxerunt, magnumq; clamorem ediderunt. Postea statuit Iudas, exercitus duces, tribunos, centuriones, semi-

Antiochus Epiphanes in Persidem proficiscitur, relicto Lysia, qui Iudæos ulciscatur.

E

F

Hierosolymæ uastitas.

G

a scilicet Nazaræis.

Deut. 20.a
Iud. 7.a

Iudas rem militarem ordinat.

nes, semicenturiones, & decuriones: tum ædificatoribus, sponsis, uinearum satoribus, & timidis edixit, ut domum repedarent, ut lex ferebat. Deinde motis castris, & ad Emmauntẽ ab austro positis, sic suos adhortatur: Accingite uos, & fortes præstate, atque in matutinum este parati cum his decertare gentibus, quæ ad nos sacraꝙ nostra euertẽda coiuerunt. Præstat enim nos in pugna mori, quàm nostrę gẽtis sacrorũꝙ uidere calamitatẽ. Cæterũ is qui in cœlo est, faciet ut ei uisum fuerit. CAPVT IIII.

AT Gorgias, assumptis quinꝙ peditũ millibus, ex mille delectis equitibus, noctu discessit et castris, ut Iudæorũ castra ex improuiso adortus, eos cæderet, eorũ ductu utens qui fuerant in arce. Quod ubi intellexit Iudas, profectus est cũ militibus, ut regis copias apud Emmauntẽ positas opprimeret, dum militũ pars à castris aberat. Gorgias postquã ad Iudæ castra noctu peruenit, & neminẽ offendit, eos in montibus quærere cœpit, suspicatus eos fugere. At Iudas prima luce in cãpo cum tribus hominũ millibus apparuit: qui cum armis & gladijs nõ essent satis, ut uellet, muniti, & animaduerteret externorũ agmen ualidè loricatum, & equitib. cinctum, belliꝙ peritũ, Iudas suos sic est allocutus: Nolite eorum aut multitudinẽ metuere, aut impetũ formidare. Memoria repetite quo pacto euaserint maiores nostri ex mari rubro, cũ eos Pharao cũ copijs persequeretur. Quapropter inuocemus cœlestẽ Deum, si fortè nostri miserebitur, & memores este patrij fœderis, & ille nobis hodie agmen illud profligabit: efficietꝙ ut sciant gentes omnes, esse qui Israelitas
B liberet, atꝙ defendat. Tum extranei eos contra se uenientes conspicati, ex castris ad pugnã prodierunt: & Iudæi, signo tuba dato, conflixerũt: fusisꝙ extraneis, & per agros in fugam uersis, ferro cæsis extremis quibusque, eos persecuti sunt usꝙ ad Assaremotha, & Idumeę Azotiꝙ & Iamniæ campos. Deinde ab eis persequẽdis reuersus Iudas cum suis copijs, occisis aduersariorũ ad tria millia, suos sic alloquitur: Nolite prædã cõcupiscere. nam bellum nobis ex aduerso instat, & Gorgias cum exercitu in monte prope nos est: sed state nunc contra hostes nostros, eosꝙ debellate, ut postea spolia securi legatis. Hęc adhuc loquente Iuda, uisa est Lysianorũ pars è monte eminens, qui ubi suos in fu-
C gam uersos, & castra à Iudæis incensa animaduerterũt (nam fumus, qui cõspiciebatur, rem indicabat) magnopere territi sunt: tum Iudæ agmen in campo ad conflictum paratũ conspicati, fugerũt omnes in exteras regiones. Iudas autẽ ad castrorũ direptionẽ reuersus est, in qua multum auri, argẽti, hyacinthi, & purpuræ marinæ, magnasꝙ opes pepererunt, & redeuntes cœlestẽ Deum prædicarũt: eiꝙ gratias egerũt, qui bonus esset, & clemẽtia præditus æterna. fuitꝙ eius diei uictoria præclara Israelitis. Qui uerò extraneorũ euaserant, ij Lysiam adierunt, eiꝙ quid accidisset nunciarũt. Qua ille audita re, cõ-

Iudas cum hostibus cõgressurus, suos confirmat.

fusus irasci, quòd nõ qualia uolebat, euenerant Israelitis: neꝙ ut ei pręceperat rex, acciderat. Igitur sequenti anno cõtractis Lysias delectorũ hominũ millibus sexaginta, & equitũ quinque millib. ut bello Hierosolymã inuaderet, uenit in Idumæam, & apud Bethsura castra fecit. Illis profectus obuiam Iudas cum decẽ hominũ millibus, animaduersa copiarũ firmitate, precatus est his uerbis: Tibi gratię Israelitarũ conseruator, qui robusti illius impetũ manu tui Dauidis fregisti, & de extraneorum statione Ionathanis Sauli filio, & eius armigero, uictoriã tradidisti. D
Addice & hunc exercitũ tuis Israelitis, ut eum suarũ uirium equitatusꝙ pudeat. Inijce eis metum, & eorũ uirium audaciam labefacta, ut sua clade cõcutiantur. Deijce eos gladijs amãtium tui, ut te carminibus collaudẽt, quicunꝙ tuum nouere nomen. Ita commisso prælio, cecidere de Lysianis homines ad quinꝙ millia. Tũ Lysias suam aciem uersam esse uidens, & quãta Iudæorum fuisset audacia: utꝙ parati essent uel uiuere, uel generosè mori: discessit Antiochiam, & ibi peregrinorum delectum habuit. auctoꝙ exercitu, cogitabat cum eo supplemento iterũ in Iudæam contendere. At Iudas, eiusꝙ fratres statuerunt, postquam fusi erant hostes, proficisci ad fanum purificandum atꝙ dedicandum: coactoꝙ omni exercitu, uenerunt in montem Sionem. ubi conspicati desertum fanum, profanatã aram, portas exustas, enata in subdialibus quasi in saltu aut monte aliquo uirgulta, dirutas exhedras: laceratis uestimentis suis, magnũ plangorem ediderunt: conspersisꝙ puluere capitibus suis, humi iacentes, proni edito clangore tubarum, quibus signa dabantur, ad cœlum questi sunt. Deinde Iudas certis homini- B
bus negotium dedit, ut eos qui erant in arce, oppugnarent, donec ipse fanum lustrasset: delegitque sacerdotes integros, legis cupidos, qui fanum expiarunt, & lapides pollutos in impurum locum exportarunt. De ara autem solidi sacrificij profanata, quid ea facerent deliberantibus, commodè uenit in mentem, eam demoliri: ne fortè id eis uitio uerteretur, quòd eam extranei contaminassent. Itaque aram demoliti, lapides in monte templi loco opportuno posuerunt, donec adueniret uates aliquis, qui de ijs oraculum referret: adhibitis'que lapidibus integris, ut lex erat, aram nouam priori similem extruxerunt: sacrarium, & templi interiora, & F
subdialia, cætera'que omnia instaurarunt: sacra uasa noua fecerunt, candelabrum, aram uictimariam, & suffitoriam, mensam'que in ædem intulerunt: ad aram suffitum fecerunt, lucernas in candelabro accenderunt, ędẽꝙ illuminarũt: panes mensæ imposuerunt, uela obtenderunt: & his omnibus absolutis, manè simulatꝙ surrexerunt, die mensis Casleu, qui nonus est, uigesimaquinta, anno centesimo quadragesimooctauo, sacrificium ex lege fecerunt ad aram uictimariam, quam nouam fecerant, eodem tempore & die quo fuerat ab externis profa-

Iudas cum Lysia exercitu inferior pugnaturus, Deum implorat.

Iudas ad lustrãdũ fanũ se confert.

G nata: eodem die cum carminibus, citharis, cinyris, & cymbalis est dedicata, omnesq; cœlesti Deo proni reuerenter gratias egerunt, qui sibi secundus fuisset: & aræ dedicationem per dies octo egerunt, solidaq; sacrificia læti, & pro salute, & laudationis fecerunt. Tum templi uestibulum coronis aureis, paruisq; scutis exornarũt: ualuas & exhedras, earumq; hostia instaurarũt. fuitq; ingẽs populo lætitia, depulso extraneorum opprobrio. Itaq; decreuit Iudas & eius fratres, omnisq; Israelitarum respublica, ut instaurationis aræ dies suo tempore quotannis per octo dies agerentur, à uigesimoquinto die mensis Casleu, cum lætitia & uoluptate. Atq; eodẽ tempore Sionẽ montẽ alto muro, firmisq; turribus, undiq; muniuerunt: ne si uenissent extranei, ea deuastarent, sicuti iam fecissent: & ibi militum præsidium collocarunt: eumq; montem muniuerunt, ut Bethsuram defenderent, & contra Idumæam præsidium haberent.

CAPVT V.

Iudas Idumæos ulciscitur, & Bæanenses & Ammonitas.

POstquam audiuere finitimæ gentes aram instauratam, & fanum in pristinum statum esse restitutum: id adeò ægre tulerunt, ut Iacobeorum genus inter ipsos degentium excinderestatuerẽt. Iamq; eos occidere & euertere cœperant, cum Iudas Esao prognatis Acrabattinensibus in Idumæa bellum intulit, quoniam Israelitas obsidebant: eosq; magna clade affectos cohibuit, & deprædatus est. Deinde memor iniuriæ Bæanensium, qui per uias insidiãtes, Israelitis damna & detrimenta afferebant, eos in turres compulit, & ad moto exercitu, sacrauit, turresq; cum omnibus qui in eis erãt, incendit. Inde progressus in Ammonitas, ualidã manũ, numerosumq; nactus exercitũ, cui præerat Timotheus, multa cum eis prælia commisit: ijsq; profligatis atq; deuictis, Iazer & eius colonias occupauit. Deinde eo in Iudæã reuer-
B so, conuenere Galaaditicæ gentes ad Israelitas, qui in ipsorũ finibus degebant, excindendos. Israelitæ in Dathemam castellũ cõfugerunt, & literas ad Iudam eiusq; fratres miserunt in hãc sententiam: Coiuere contra nos finitimi, ut nos euertant: & uenire, castellumq;, in quod nos cõfugimus, expugnare parant, Timotheo exercitus duce. Quamobrẽ ueni ad nos ab eorũ iniuria defendẽdos. Multi enim nostrûm ceciderũt, & omnes consanguinei nostri, qui Tubini erãt, necati sunt, & eorum coniuges, liberi, facultates in captiuitatem abierunt, mortuis ibi circiter mille hominibus. Adhuc recitabantur epistolæ, cum ecce adsunt alteri ex Galilæa nuncij, uestibus laceratis, similia nunciantes: cõuenisse Ptolemaienses, Tyrios, Sidonios, & totius Galilææ extraneos, ad ipsos delendos. Hæc ubi Iudas & reliqui audiuerũt, coacta est frequẽs concio ad consultandum, quid suis facerent cõsanguineis, qui in angustijs essent, & ab illis oppugnarentur. Tum Iudas Simoni fratri suo mãdauit, ut cum delectis hominibus defensum iret fratres suos, qui essent in Galilæa: sese & Ionathanem fratrem, in Galaaditidẽ profecturos, Iosephum autẽ Zachariæ filium, & Azariam populi rectores, cum reliquo exercitu, in Iudæa reliquit præsidij causa, cum præcepto, ut eis hominibus præessent, neque cum externis ante ipsorũ reditũ prælio dimicarent. Attributa sunt C

Iudæi à Iuda per literas auxiliũ petunt.

autem Simoni hominum tria millia, ad proficiscendum in Galilæam. Iudæ octo millia in Galaaditidem. Simon in Galilæã profectus, multa cum externis prælia commisit, & à se profligatos persecutus est usque ad municipia Ptolemaidis: occisisq; eorũ ad tria millia, spolia abstulit, receptos ex Galilæa & Arbatis Iudæos, cum eorum coniugibus, liberis, omnibusq; facultatibus, in Iudæam magna cum lætitia abduxit. Iudas autem Machabæus, & Ionathan eius frater, traiecto Iordane, per solitudinẽ tridui iter progressi, inciderunt in Nabathæos: à quibus amicè accepti, didicerunt omnia, quæ suis fratribus in Galaaditide acciderant: eorum' que multos cõpulsos esse in Bosorram, Bosor, Alemos, Gascor, Maced, & Carnaim, quæ omnia erãt oppida firma atq; magna, neq; non alijs Galaaditidis oppidis esse circumuentos: atq; in posterum diem hostibus inanimo esse exercitum munitionib. admouere, ijsq; captis, omnes uno die è medio tollere. Tum Iudas cum suo exercitu iter per solitudinẽ ad Bosorram conuertit: captaq; de improuiso urbe, omnes mares ferro trucidat, & direptis omnib. urbẽ igni cremat.

Simon in Galilæa uincit hostes.

Iudas Bosorrã urbem opprimit.

D Inde noctu profectus, contendit ad munitionẽ: cumq; iam dilucesceret, animaduertunt innumerabilem hominũ multitudinẽ, scalas & tormenta portantium, ad expugnandam munitionem, illosq; oppugnantium. Hic Iudas uidens cœptum esse prælium, oppidanorumq; clamorem cum ingenti tubarum sonitu in cœlum tolli, suos cohortatus milites, ut eo die pro suis fratribus decertarent, hostes à tergo cum tubarum sonitu, & orantium clamore, tripartitò inuadit. At Timotheani Machabæum esse cognoscentes, sese fugæ mandãt, quibus ille magnam cladem infert: & occisis eorũ eo die ad octo millia hominum, deflectit ad Masphã: eaq; expugnata, omnes in ea mares occidit, & eam deprædatus incendit. Illinc profectus, Chasphonem, Maced, Bosor, reliquaq; Galaaditidis capit oppida. His ita gestis, Timotheus contracto alio exercitu, castra fecit contra Raphonem, trans fluuium. Ad quæ castra speculanda, cum misisset Iudas, sic ei renunciatum est, conuenisse contra Iudæos, omnes finitimas gentes, quæ copiæ essent maximæ, Arabibus in auxilium mercede conductis. Eos autem trans fluuium castra habere, paratos eum bello aggredi. Tum Iudas eis obuiã profectus est: quo ad fluuium cum suo exercitu appropinquante, Timotheus suarum copiarum duces sic admonuit: Si ille prius ad nos transierit, eum sustinere non poterimus, sed ab eo uincemur: sin territus, trans fluuium castra posuerit, traijciemus ad eum, & uincemus. At Iudas ubi ad fluuium propinquauit,

Iudas, Timotheanis cladem infert.

pinquauit, populi scribas apud fluuiũ collocauit: ijsq; mandauit, ne quẽ castra ponere sineret, sed omnes ad pugnam irent: ipse primus ad hostes, subsequentibus suis omnibus, traiecit, omnesq; extraneos ita profligauit, ut abiectis armis, fugerent in fanum, quod erat Carnai. quod fanum Iudas, capto oppido, incendit, unà cum omnibus qui in eo erant. Ita auersa Carnai, Iudas, cum hostes cum iam sustinere non possent, coegit omnes Galaaditidis Israelitas, paruos iuxtà ac magnos, unà cũ ipsorum uxoribus, liberis, atque facultatib. quæ erant sanè quàm ingentes copiæ, ut Iudæã peterent. Vbi ad Ephronem uentum est, urbẽ magnã & munitissimam, in uia positam, nõ licebat ab ea ad dextrã aut sinistrã declinare, sed erat per eã trãseũdum: oppidani autẽ eis portas clauserãt, & saxis obstruxerant.

Iudas Timotheanos profligat.

F Ad eos misit Iudas qui amicè peterent, ut eis liceret per illorum fines in suos discedere: neminem eis esse nociturũ, se pedibus esse transituros. Sed cum ei noluissent aperire, iussit in exercitu edici, ut omnes ex eo, in quo erant, loco urbem oppugnarent. Itaq; militibus urbẽ totum diẽ noctemq; oppugnauit: eaq; potitus, omnes mares ferro trucidauit, urbemq; extirpauit: & eam deprædatus, per eam super occisorum corpora transiuit. Ita traiecto Iordane, peruenerunt in spaciosum campum, in conspectu Bethsanis positum: Iuda interim extremos cogente, populumq; toto itinere cohortãte, donec in Iudæam uentum est. Tum in Sionem montem cum lætitia & gaudio ascenderunt, & solida sacrificia fecerunt, quòd nullo suorum amisso incolumes rediissent.

Iudas Ephronem urbe excidit.

Interea dum Iudas & Ionathan in Galaaditide sunt, & Simon frater in Galilæa contra Ptolemaidem, Iosephus Zachariæ filius, & Azarias, copiarum duces, auditis illorum egregijs belli facinoribus, statuerunt & ipsi famam comparare, & finitimos armis inuadere. Itaq; indicta militibus suis expeditione, profecti sunt ad Iamniam. Sed eis obuiam

Iosephus & Azarias cũ Gorgianis malè pugnant.

C egresso ex urbe Gorgia cum suis in prælium, uersi sunt Iosephus & Azarias, & ad Iudææ fines fugati: cecideruntq; eo die ex Israelitis ad hominum duo millia. quæ tanta clades Israelitis propterea accidit, quòd Iudæ & eius fratribus non obtemperarunt, sese bene rem gesturos arbitrati, cum non essent ex hominum illorum stirpe, quibus Israelitas sua opera defendere datum erat. Iudas autem & eius fratres tantam apud omnes & Israelitas & cæteras gẽtes, ad quas eorũ fama peruenerat, uirtutis gloriam consecuti sunt, ut ad eos conuenirent gratulantes. Fecit autem Iudas cum suis fratribus expeditionem in Esaui posteros, ad tractũ meridianũ, in qua Hebronẽ cum suis colonijs deuicit, eius & munitionem diruit, & turres circumquaque cremauit. Inde in extraneorum fines ire contendens, Samariã peragrauit. quo quidẽ die ceciderunt oppidorum sacerdotes, dum ille rem bene gerere cupit, qui ad pugnam temerè prodijsset. Deinde deflexit Iudas ad Azotum, quę extraneorum regio est: eorũq; aras sustulit, deorũ statuas igni cremauit, oppida prædæ habuit, atq; ita Iudæã repetijt.

Iudæ expeditio in Idumæam.

CAPVT VI.

Antiochus Epiphanes ab Elymaide repulsus.

INterea rex Antiochus superiores tractus peragrans, audiuit esse in Perside Elymaidem, urbem auri argentiq; opibus prestãtem, in qua fanum esset perquam opulentum, ubi tegumenta essent aurea, loricæ, & arma illic ab Alexandro relicta, Philippi filio, Macedonum rege, qui primus imperauit in Græcia. Itaq; eò profectus est, urbis occupandæ & diripiendæ cupidus: sed non potuit, propterea quòd ciuitas, cognita re, armis ei restitit. in fugamq; uersus, illinc magno cum dolore in Babylonem reuerti contendit. Interea aduenit in Persidẽ quidam, qui ei nunciat, uictas esse copias in Iudæam profectas: Lysiamq; in primis cum magna manu profectum, ab illis esse profligatum. Itaq; Iudæos armis uiribusq;, & multa præda auctos, quam ex concisis à se exercitibus peperissent, demolitos esse nefas illud, quod ipse in ara Hierosolymitana erexisset: fanumq;, ubi prius fuerat, alto muro circundedisse, necnon eius oppidum Bethsuram. His nuncijs acceptis, uehemẽter attonitus & perculsus rex, decubuit, & in morbum ex dolore lapsus est, quod ei non euenisset ex animi sui sententia. Ibi cum dies complures esset, tanto incrudescente dolore, cogitans sibi esse moriendum, amicos suos omnes conuocat, & eos sic alloquitur: Et oculis somno B careo, & animo præ mœrore deficio: ac mihi nunc cogitanti in quantam miseriam & tẽpestatem, in qua nunc sum, deuenerim, qui tamen in imperio meo mitis & charus erã, uenit in mentem, quę scelera Hierosolymis patrauerim, qui omnia aurea argenteaq; uasa inde abstulerim, & qui Iudææ incolas è medio tollerent, sine causa miserim. propter quæ, hæc me tam dira pati intelligo, & iamiam magno cum dolore, & quidem in aliena terra, pereo. Hæc locutus, Philippum unum de suis amicis uocat, eumq; toti regno suo præficit: & ei diadema, uestitum suũ, anulumq; tradit, ut Antiochũ filiũ suum educaret, & ad regnũ enutriret. Atq; ita ibi moritur Antiochus rex, anno cẽtesimo quadragesimonono.

Antiochus Epiphanes moriens suos alloquitur.

Lysias postquã mortuũ esse regẽ intellexit, Antiochũ eius filiũ, quem ipse paruulum educauerat, in regnum pro patre suffecit, eumq; nuncupauit Eupatorem. Cęterùm cum ij qui erant in arce, Israelitas intra fanum undiq; cõpellerent, eisq; damnum semper inferre, & extraneis firmamento esse contenderent, Iudas eos in animo habẽs de medio tollere, omnes copias cõuocauit, ut eos obsideret: ijsq; coactis, eos anno centesimo quinquagesimo circumsedit, balistasq; & machinas in eos comparauit. Sed illorum nonnulli ex obsidione exierunt, cum quibus sese coniunxerunt impij quidam Israelitæ, qui ad regem profecti, cum eo sic locuti sunt: Quandiu tandem supplicium sumere, & fratres nostros ulcisci cũctaberis? Nobis quia patri tuo seruire, eiusq; instituta tenere, & manda-

Antiochus Eupator patri in regno succedit. C

Iudas arcem Hierosolymitanã oppugnat.

Israelitæ quidam Iudã apud Eupatorem criminãtur.

mãdata exequi uisum est, propterea adeò infensi sunt isti, ut quicunq; nostrûm inuẽti sunt, necati sint, & facultates nostræ direptæ. Neq; uerò duntaxat in nos, sed etiã in omnes suos fines grassati sunt, hodieq; arcẽ Hierosolymæ admoto exercitu oppugnant, fanũq; & Bethsurã munierunt. Quòd nisi eos breui anticipaueris, maiora facient, ita ut eos cohibere non possis. His auditis iratus rex, omnes amicos suos, copiarũ suarum duces, & equitũ magistros accersiuit, neq; non à cęteris regib. & insulis marinis conuenerunt ad eum mercenarij milites, ita ut eius
D copiarũ numerus esset, peditum centum millia, equitũ uiginti millia, elephãti duo & triginta, ad pugnandũ instituti. Hæ copiæ per Idumæã profectæ, castra posuerũt ad Bethsuram, eamq; per multos dies oppugnarunt: & machinas fecerunt, quas Bethsurani, facta eruptione, incenderũt, fortiterq; pugnarunt. Tum Iudas ab arce digressus, apud Bethzachariã castra fecit cõtra castra regis. At rex primo mane exercitũ Bethzachariam uersus tota mole mouit: & explicatis in aciẽ copijs, signũ tubis datum est, & elephantis uuarum mororumq; sanguis ostensus, quo ad pugnã excitarentur. Erant autẽ per ualles dispositæ belluæ, & singulis mille homines attributi, hamatis loricis, & ęreis armati galeis: delectiq; equites quingẽti, qui ubicũq; esset bellua, opportunè adessent: & quocũq; pergeret, comitarentur, nec ab ea discederẽt. Vnãquamq; belluam protegebat imposita dorso lignea turris ualida, elephanto arte alligata: & in quaq; turri homines erant duo & triginta, qui inde præliarentur, & belluæ magister Indus. Reliqui equites hinc atq; hinc collocati, utrãq; agminis partem claudebant, & in uallib. cohi-
E bebant. Atq; ubi sol aurea scuta irradiauit, tantus inde fulgor in montes emicuit, ut tanquã faces igneæ resplenderent. Igitur agminis regij parte in edita montiũ porrecta, alij per degressa loca ita confidenter & ordine incedebãt, ut quiuis audiendo tantæ multitudinis sonitu, incessuq;, & armorũ strepitu cõmoueretur. Cum hoc tãto, tã firmo exercitu, cõgressus est Iudas cum suis copijs; iamq; regiorũ ceciderant homines sexcenti, cũ Eleazarus Abaran, cõspicatus unã de belluis regio thorace loricatã, & alias omnes supereminentẽ, suspicatus in ea esse regẽ, ut & suis salutẽ, et sibi nominis immortalitatẽ compararet, periculum suscepit, & in eam animosè per medium agmen, dextra læuaq; stragẽ edens impetũ fecit: ac dimotis hinc atque hinc hostib. sub elephantũ subijt, & eum subter uulneratum interfecit: eoq; ad terram super ipsum collapso, ibi mortuus est. Tũ Iudæi, regij exercitus uim atq; impetum uidentes, cesserunt: & regij ut eis occurrerent, Hierosolymam ire contenderunt:
F castraq; posuit rex in Iudæa ad montẽ Sionem: & Bethsuranos in deditionem accepit, ijsq; ex oppido egressis (nam ibi cõmeatum ad obsidionẽ tolerandã non habebant, quoniã eo anno terra feriabatur) Bethsuram occupauit, & pręsidio firmauit.

Antiochus Eupator cũ Iuda congreditur.

Eleazarus Abaran occiso elephãto, ab ipso opprimitur.

Iudæi cedunt.

Oppugnauit autem multos dies fanum, collocatis ibi balistis & machinationibus, tormentisq; ad ignem & lapides iaculandos, & scorpionibus ad tela iacienda, atq; fundis: contra quæ illi machinas alias fecerũt, multosq; dies repugnarũt. Sed cum illis commeatus nõ esset, propterea quòd septimus erat annus, & Iudæi, qui ex cæteris gẽtibus in Iudæã sese receperant, conditorũ reliquias consumpserant, restabãt in fano homines pauci, quòd uicti fame, alij aliò dilapsi erunt. Tũ Lysias audiens, Philippum (quem rex Antiochus Epiphanes, uiuus adhuc, Antiocho Eupatori filio suo in re-
gnum educãdo præfecerat) ex Perside & Media reuersum esse cum copijs, quas secum rex G
duxerat: eumq; regnum & rerum administrationem appetere, confestim relicta arce, regem adit, cũq; & exercitus duces reliquosq; sic alloquitur: Deficimus quotidie, & commeatũ exigue habemus: estq; locus, quem oppugnamus, firmus, & regni cura nobis incumbit. Quamobrem demus his hominibus dexteram, cumque eis & omni eorum natione pacem componamus, ea lege, ut liceat eis suis uti legibus, ut antehac. Nam propter iura sua à nobis abrogata, irati, hæc omnia fecerunt. Placuit oratio regi et ducibus: misitq; rex ad illos, nũcios de pace, quam illi acceperunt: eisq; iurauit rex & duces, atq; ita illi ex munitione exierunt. Sed rex in montẽ Sionẽ ingressus, animaduersa loci munitione, datũ à se iusiurandũ uiolauit, murumq; undiq; dirui iussit: & inde festinãter digressus, Antiochiam repetijt, ubi Philippũ in urbe imperantẽ nactus oppugnauit, urbemq; ui cæpit.

Antiochus Eupator fanum oppugnat.

Lysias Antiocho persuadet, ut cũ Iudæis componat.

Antiochus datam fidem uiolat.

CAPVT VII.

ANno centesimo quinquagesimoprimo, Demetrius Seleuci filius Roma profectus, uenit cum paucis hominib. in [a] urbẽ maritimã, ibiq; regnum occupauit: accidit q; ut eo in maiorum suorum regiam se conferente, comprehenderent milites Antiochum & Lysiam, & ad eum adducerẽt: qua re cognita, uetuit eos in suum conspectum adduci: atque ita illi sunt à militibus interfecti. Postquam autem Demetrius regni solium occupauit, adierunt eum Israelitarũ improbissimi quique, & maximè impij, ductu Alcimi, qui põtificatum appetebat, suosq; apud regem accusarunt in hunc modum: Perdidit Iudas & eius fratres, tuos omnes amicos, nosq; ex patria expulerunt. Quamobrem mitte aliquem, cui fidem habeas, qui eò profectus, uideat quantam illi nobis regiæq; regioni calamitatem intulerint, & de eis, deque omnibus eorum adiutoribus, supplicium sumat.
Tum rex hanc prouinciam mandauit Bacchidi B
amico regis [b] trans fluuium prætori, homini magnæ in regno autoritatis, & erga regem fideli: eumque misit cũ Alcimo impio illo, quẽ pontificem creauit: ei que mãdauit, ut de Israelitis sumeret supplicium. Hi cum magnis copijs in Iudæam profecti, legatos ad Iudam & eius fratres per dolum de pace miserunt; quorum illi

a. uidelicet Tripolim, ut est apud Iosephum.

Antiochus Eupator et Lysias à Demetrio Seleuci filio necatur.

Alcimus Iudam apud Demetriũ criminatur.

b. Mesopotamiæ, ut scribit Iosephus.

rum illi dicta neglexerũt, quòd eos cum magna uenisse manu uidebant. Conuenit autem ad Alcimum & Bacchidem scribarũ cœtus, petendi iuris gratia: primiq́ Israelitarũ fuère Asidęi, qui pacem ab illis peterent, putantes sibi ab homine sacerdote, stirpis Aharonicæ, qui cũ militib. uenisset, nihil nociturũ iri. At ille eos amicè allocutus, et interposito iureiurãdo pollicitus se neque ipsis, neq́ ipsorũ cõsanguineis malũ esse illaturos, cũ illi ei credidissent, cõprehẽdit ex eis homines sexaginta, quos uno die peremit, in quo quidẽ accidit id quod scripsit ille: Sãctorũ tuorum corpora & sanguinem circũ Hierosolymã effuderũt, nec est qui ea sepeliat. Hoc facto, peruasit eorũ metus & terror uniuersos, cogitantes nulla eos esse fide aut æquitate præditos, qui pactum & datum à se iusiurandũ fregissent. Deinde à Hierosolyma profectus Bacchides, castra fecit apud Bezeth: misitq́ cõprehẽsum multos suorũ perfugas, & Iudæorũ nõnullos, quos mactauit, & in uastam specũ proiecit: & delegata Alcimo prouincia, relictisq́ cum eo militib. qui eum iuuarent, ipse ad regem discessit. Alcimus autẽ de pontificatu certauit, coactisq́ ad eũ omnibus sui ipsorũ populi perturbatoribus, Iudæa potitus est, & Israelitas magna clade affecit. At Iudas uidẽs tantũ ab Alcimo eiusq́ gregalibus detrimentũ Israelitis inferri, quantum non intulerant extranei, obijt omnes Iudææ fines quoquouersus, & in perfugas animaduertit: eosq́ ab incursionibus prohibuit. Alcimus uidens Iudam cum suis superiores esse, seq́ eis imparem esse intelligens, ad regẽ reuertit, & illos acerbè criminatus est. Tum rex Nicanorem ducũ suorum clarissimũ, & Israelitis capitaliter infensum, misit, eiq́ imperauit, ut eum populũ excideret. Nicanor Hierosolymã cum magno exercitu profectus, misit ad Iudam & eius fratres, qui amicè per simulationem peterẽt, ne inter ipsos armis decertaretur: sese ad eos cum paucis esse uenturũ, ut eos amicè conueniret. Itaq́ uenit ad Iudam, & cum amicè inter se consalutassent, parati erant hostes Iudam corripere. Quam rem ubi cognouit Iudas, illum ad se malitiosè uenisse, pertimuit, nec amplius congredi uoluit. At Nicanor, postquam patefactũ esse consilium suũ intellexit, copias in aciem cõtra Iudam apud Capharsalama eduxit: ubi Nicanoriani, cæsis suorum circiter quingẽtis, in urbem Dauidis refugerunt. His ita gestis, cum ascendisset Nicanor in Sionem montem, prodierunt ex fano nonnulli sacerdotũ, & senatorum populi, qui eum amicè salutarẽt, eiq́ sacrificiũ, quod pro rege fieret, ostenderent. Sed ille eos omni irrisione & ludibrio fœdè prosecutus, superba oratione usus ferociter iurauit, nisi sibi Iudas eiusq́ milites iam nunc traderentur, sese, si incolumis rediisset, id templũ esse crematurũ; atq́ ita magno cum furore exijt. Tum sacerdotes ante aram & cellam introgressi, flentes ita loquuntur: Tu qui hanc ædem delegisti, quæ à tuo nomine appellata, tuis sit supplicationis & precum domus, sume eas de hoc homine & eius exercitu pœnas, ut ferro occũbãt: recordare eorum maledicta, & eis diuturnitatem ne concesseris. Igitur Hierosolymis egressus Nicanor, castra locauit apud Bethoronẽ, ibiq́ ei accessit exercitus Syriæ. Iudas autem apud Adasam castra posuit, habens hominũ tria millia: & precatus Deum est in hanc sententiam. Cũ missi à rege Sennacheribo tibi maledixissent, uenit tuus Genius, qui eorũ centum octogintaquinque millia necauit. Sic hodie hunc exercitũ nobis profliga, & effice, ut sciant reliqui sese malè cõtra fanum tuũ locutos esse: & in eum, ut eius peruersitate dignũ est, animaduerte. Ergo commisso ab exercitibus prælio, die mẽsis Adaris decimotertio, pulsi sunt Nicanoriani, ipseq́ primus Nicanor in pugna occubuit. Eum ubi mortuũ esse uiderunt eius milites, abiectis armis sese fugæ mandarunt: quos Iudæi iter unius diei ab Adasa usq́ ad Gasera persecuti sunt: & signo post eos tubis dato, exciuere ex omnibus undique finitimis Iudææ uicis homines, qui eos adorti, ad ipsos persequentes conuerterunt: atq́ ita omnes ad unum ferro trucidati sunt, prædaq́ potiti Iudæi, Nicanoris caput & dextram, quam superbè intenderat, amputarunt, & Hierosolymam reportata suspenderunt: magnaq́ uulgo lætitia affecti, statuerunt, ut is dies mensis Adaris decimustertius quotãnis ageretur: atque ita quieuit aliquandiu Iudæa.

Alcimus Asidæos perfidiosè necati.

C

Psal. 78. a

D

1. Mac. 14.

Nicanor à Demetrio missus, Iudæ struit insidias.

E

Nicanor tẽplo minatur excidium.

F

Nicanor à Iuda occisus.

G

CAPUT VIII.

Romanorũ potentia.

AVdiuit autem Iudas Romanorũ nomẽ, quantum potentia ualerẽt, utq́ omnibus socijs chari essent, & cum omnibus qui ad eos accederent, amicitiam facerent. Tũ quod ad eorum potentiæ uires attinet, narratum ei est, quæ bella & quàm egregias gessissent res aduersum Gallos, quibus domitis stipendium imposuissent. Itemq́ quid in Hispania gessissent, cuius regionis argenti aurí que metallis essent potiti: eumq́ totũ locũ, quamuis longissimè ab ipsis distantẽ, suo consilio & tolerãtia obtinuissẽt, reges' que se ab ultimis aggressos terris fudissent, magnaq́ clade affecissent: à reliquis autẽ stipendiũ quotannis, & obsides caperent. Præterea Philippũ & Persem[a] Citiorũ reges, cęterosq́ resistere ausos, armis fudissent atq́ subegissent. Ad hæc Antiochum Magnum Asiæ regem, qui in eos centum uiginti elephantos, maximam'que equitatus et quadrigarum militumq́ uim habens, expeditionem fecisset, profligassent, uiuumq́ cæpissent; eiq́ & eius regni successoribus ingens tributum imperauissent, & [b] Lycaoniam, Myliada, Lydiam, aliasq́ pulcherrimas regiones ei ademissent, & Eumeni regi tribuissent. Item ut Græci eos aggredi & delere conati essent. qua re cognita Romani, misso Imperatore, cum eis bellum gessissent: multisq́ eorum cæsis, multos cum ipsorũ uxoribus & liberis captiuos duxissent, eorum'que terra potiti, munitiones diruissent, & eos prædæ habuissent, sub seruitutem'que redegissent,

a. Macedonum.

b. Et in Græco, & in Latino legitur Indiã & Mediã. sed est locus alioqui corruptus, & hoc cũ omnes, tũ Liuij refellit historia.

quæ duraret adhuc. Reliqua etiam regna & insulas, quicunque eis restitissent, uastauissent, & in potestatem redegissent. Atque ijdem cum amicis & pacatis amicitiā cōseruarent, regnisque & propinquis & remotis potiti, omnib. ad quos ipsorum nomē peruenisset, terrori essent: ac quibuscunque uellent, regna uel conciliarent, uel abrogarent. Cumque adeò elati essent, tamen eorū nullus diadema sumpsisset, neque luxurioso purpuræ uestitu uterentur: sed creato senatu, in consiliū irent quotidie homines trecenti uiginti, semper de rectè administranda republica consultantes, unique homini administrationē suæ reipubl. annuam, & totius imperij sui gubernationem committerent, unique parerent, neque ulla inuidia aut obtrectatione laborarent. His intellectis, Iudas Eupolemum Ioannis Accus filium, & Iasonem Eleazari filiū, delectos Romam misit, qui cum illis amicitiam & societatē coirent, ut eo iugo leuarentur, quandoquidem uidebat ab imperio Græcorum in seruitutem redigi Israelitas. Illi Romā longissimo itinere profecti, & in curiam ingressi, sic uerba fecerunt: sese à Iuda Machabæo, eiusque fratribus, & à communi Iudæorū, mitti ad Romanos, ut societatem pacemque cum eis facerent, eorumque socij & amici scriberētur. Placuit hæc res illis, scripserūtque senatusconsultum: cuius exemplū in æs incisum, Hierosolymā miserunt, quod apud Iudæos pacis esset & societatis monimentum.

C

Iudas mittit qui societatē cum Romanis coeant.

In belli societatem Iudaei Romanos uocant.

Romanorū senatusconsultum de inita cū Iudæis societate.

QVOD ROMANIS gentique Iudæorū terra marique faustum sit in perpetuum: Bellū quidem & hostis ab eis procul absit. Veruntamen si bellum ingruerit Romanis prius, aut eorū socijs, in omni eorum imperio, auxiliū ferto Iudæorū gens, ut commodè poterunt, bona fide, néue hostibus commeatum, arma, pecuniam, naues danto, aut suppeditanto, ut Romanis uisum est: atque has conditiones sine mercede seruāto. Similiter si Iudæorum genti bellum prius acciderit, auxilium ferunto Romani bona fide, ut commodè poterunt, néue hostes commeatu, armis, argento, nauibus iuuanto, ut Romanis uisum est: atque has cōditiones sine dolo seruāto. In hæc uerba pacti sunt Romani cum Iudæorum populo. Quòd si posthac uoluerint hi aut illi aliquid addere aut detrahere, faciunto amborum uoluntate: & quod addiderint detraxerint'ue, ratum esto. De iniurijs quoque, quibus eos afficit rex Demetrius, scripsimus, ne amicos sociosque nostros Iudæos infestet: quòd si deinceps de eo expostulauerint, esse nos eorum iniurias persecuturos, & ei terra marique bellum illaturos.

CAPVT IX.

Demetrius Bacchidem & Alcimū in Iudæam mittit.

CAeterùm Demetrius audito prælij Nicanoris & eius copiarum euētu, misit denuò Bacchidem & Alcimum in Iudæam, cum dextro copiarum cornu: qui Galgala uersus profecti, ad Masalotha (id oppidū est in Arbelis) castra posuerunt: eoque capto, multos mortales perdiderunt. Deinde mēse primo, anno centesimo quinquagesimosecundo, castris ad Hierosolymam motis, profecti sunt ad Beream cum uiginti peditum, & duobus equitū millibus. Iudas autē apud Eleasa castra habebat, cum tribus delectis hominum millibus: qui uisa tanta exercitus hostiū multitudine, adeò territi sunt, ut frequentes ex castris dilaberentur, adeò ut eorū octingenti tantum superessent. Iudas & milites diffluxisse, & se bello urgeri uidens, animo fractus & emollitus, quòd tēpus ad eos colligendos non haberet, reliquos hortatus est, ut aduersarios aggrederentur, si fortè possent eos uincere. Illi uerò eum dehortabantur. Non possumus inquiunt: sed in præsentia cedamus, & uitæ nostræ consulamus. Nam nos quidem, dilapsis nostris, pauciores sumus, quàm ut cum hostib: decertemus. At Iudas: Absit hoc, inquit, à me facinus, ut illos fugiam: quòd si nobis fatalis hora uenit, moriamur pro fratribus nostris fortiter, né ue gloriæ nostræ crimen relinquamus. Interea ex castris egressus aduersariorū exercitus, ex aduerso constitit, ita ordinatus, ut equitatus esset in partes duas diuisus: funditores & sagittarij agmen præcederent: fortissimi quique essent in prima acie, Bacchides in dextro cornu. Ita procedebant phalanx ab utraque parte signo tubis dato: neque nō Iudæi signo tubis dato concurrerunt, tanto cum exercituū sonitu, ut terra concuteretur. Ibi cum commissum præliū à mane, ad uesperam durasset, Iudas animaduertens Bacchidem cum exercitus robore esse in parte dextra, assūptis animosissimis quibusque, eò impetum fecit: fusoque dextro cornu, hostes usque ad [a] Azotum montē persecutus est. Sed qui erant in sinistro cornu, pulsum dextrum cornu conspicati, ad Iudam & eos qui cum eo erant, in tergum sese conuerterunt: atque ibi cum acriter pugnaretur, multis utrinque cæsis, occubuit Iudas, & reliqui sese fugæ mandarunt. Ionathā autem & Simon, Iudam fratrē abstulerunt, & Modini in patrio sepulchro condiderunt, eumque omnes Israelitæ magno cum ploratu & plangore diu luxerūt, conquerentes tam fortem Israelitarum cecidisse conseruatorem. Plurima sunt præterea Iudæ facta & prælia, & fortiter magnoque animo gesta, quæ literis non sunt prodita. Post obitum Iudæ, prodierunt in omnibus Israelitarum finibus homines nefarij: omnesque exorti sunt malefici, ad quos, orta ijsdem tēporibus fame grauissima, perfugerunt incolæ. Tum Bacchides delectos homines impios, regionis administrationi præposuit, qui conquisitos & peruestigatos Iudæ amicos ad ipsum perducerent, quos ille cum omni ludibrio afficiebat supplicio: tantaque fuit ea Israelitarum calamitas, quanta nulla fuerat ex quo tempore nullus apud eos uates extiterat. Tum omnes Iudæ amici ad Ionathanem conueniunt: demonstrant ex quo Iudas eius frater oppetierit, neminem esse Ionathani parem, qui se hostibus & Bacchidi, reliquisque gentem suam infestantibus opponat. Itaque se eū iam deligere, qui eis pro illo dux, &

B

a. Aram uocat Iosephus.

C

Iudas occūbit.

Ionathan Iudæ fratri succedit.

dux, & ad bellū gerendū imperator esset. Tum Ionathā principatum accepit, & Iudæ fratri suo successit. Quod ubi resciuit Bacchides, eum conatus est interficere. Hac re cognita Ionathan & Simon eius frater omnesq; comites, in Thecuæ solitudinē profugerunt, & ad aquas lacus Asphar castra fecerunt.

D

Quod postquam intellexit Bacchides, die Sabbathi uenit cū exercitu suo trans Iordanem. Tum Ionathan fratrem suū Iohannem imbellium turbæ præfectum, misit ad Nabathæos amicos suos, oratū ut liceret apud eos impedimenta sua, quæ multa erāt, deponere.

Iohannes Ionathanis frater intercipitur.

Sed Iambris nati Medaba egressi, Iohannem, & quæ habebat omnia, ceperunt atq; abduxerunt. Postea nunciatur Ionathani, & Simoni eius fratri, Iambrinos insignes nuptias celebrantes, sponsam ducere ex [b] Nadabatha, magno cum apparatu, filiā cuiusdam de præcipuis Chananææ primatibus.

b Latinus habet Medaba, Iosephus Gadaba.

Ionathā & Simō opprimunt nuptias celebrantes.

Itaq; memores Ioannis fratris sui, eò profecti sunt: & mōtis obiectu occultati, cum magnā turbam & apparatū animaduertissent, sponsumq; cum suis amicis & consanguineis obuiam illis progressum, cum tympanis, musicisq;, & armis multis, prodierunt in illos ex insidijs, eorumq; stragem ediderunt: & multis interfectis, reliquis in montē fuga dilapsis, omnia diripuerunt, atq; ita nuptias in luctum, & cantū musicū in lamentationem conuerterunt, suiq; fratris ulti sanguinē in Iordanis paludem redierunt.

E

Hac audita re, uenit die Sabbathi Bacchides ad ripā Iordanis, cum multis copijs.

Ionathan cū Bacchide cōflicturus, suos cōfirmat.

Tum Ionathā suos sic adhortatus est. Agite iam, pugnemus pro uita nostra. Non enim sic se res habet hodie, ut superioribus diebus: ecce enim nobis & à fronte hostes, & à tergo Iordanis aqua, & hinc atque hinc palus atq; sylua, nec est ad declinandum locus. Quocirca clamate ad cœlum, ut hostiles manus euadatis. Deinde cōmisso prelio, manū extulit Ionathā, ut Bacchidem feriret. atq; illo in tergum cedente, insilijt Ionathan & eius milites, in Iordanē, atq; ita tranarunt, nec aduersarij secuti sunt.

Bacchides per Iudæam præsidia statuit.

Bacchides autem, amissis eo die hominibus ad mille, Hierosolymam reuertit, oppidaq; munita in Iudæa refecit, Hierichuntis munitionem, Emmauntem, Bethoronem, Bethel, Thamnatham, Pharathonem, & Tephonem altis mœnibus portisq; & repagulis muniuit, atq; in eis præsidia collocauit, quæ Israelitas infestarent. Præterea oppidum Bethsuram, & Gazara, arcemq; muniuit, & in eis milites & cōmeatum posuit: acceptosq; principum eius regionis filios obsides, Hierosolymis in arce custodiēdos collocauit.

Alcimi mors.

Anno autem centesimo quinquagesimotertio, mense secundo, iussit Alcimus murum interioris fani atrij dirui, uatumq; opera deijci.

F

Sed cum primùm demolitionem orsus est, in morbum incidit, qui eius conatum impediuit. Nam obstructo ore sideratus, neque loqui amplius, neque testamentū facere potuit, atque ita magno cum cruciatu mortuus est. Bacchides autem, ubi Alcimum interijsse uidit, ad regem redijt. Ita quieuit Iudæa duos annos.

Proditores Bacchidem accersunt ad occidendum Ionathanem.

Deinde sceleratissimi quiq; statuerunt, quoniam Ionathan suiq; quieti securiq; agerent, Bacchidē accersere, qui eos omnes una nocte comprehenderet. Itaq; ad eum profecti, persuaserunt ut cum magnis copijs ueniret. Atq; ille clanculum literas misit ad omnes fautores suos, qui erant in Iudæa, ut Ionathanem & suos comprehenderent: quod cum non potuissent, propterea quòd illis cognitū est eorum consilium, cōprehēsi sunt ex incolis eius sceleris autorib. ad homines quinquaginta, atque interfecti. Discessit autem Ionathan & Simon cum suis, in oppidum [c] Bethbasim, quod est in saltibus, idq; instaurarunt atque muniuerunt.

c Bethalagā uocat Iosephus.

G

Bacchides Bethbasim oppugnat.

Quod postquā intellexit Bacchides, coactis suis omnibus copijs, & euocatis ex Iudæa militibus, Bethbasim aggressus est: eamq; multos dies, admoto exercitu, paratisq; machinis, oppugnauit. At Ionathan, relicto in oppido Simone, in agrum exijt, & facta manu, Odomeram, eiusq; fratres, & Pharisonis filios, in ipsorū tabernaculo oppressit. Cumq; ita cædem facere cœpisset, & hostium milites aduentarent, Simon cum suis, eruptione ex oppido facta, machinas incendit: simulq; Bacchidem prælio aggressi, adeò uicerunt atque presserunt, ut quoniam eius consilium & expeditio ad irritum cecidisset, iratus in sceleratos illos, qui ei, ut expeditionem susciperet, cōsuluerāt, multos eorum interfecerit, patriamq; repetere statuerit.

Ionathā cū Bacchide componit.

Quod ut Ionathan intellexit, misit ad eum legatos de pace cum eo componēda, ea conditione, ut Bacchides captiuos eis redderet. Eam conditionē ille accepit, atque ita fecit, eiq; iurauit nunquam se ei per omnem uitam nocere conaturum. redditisq; captiuis, quos antè ex Iudæa cæperat, patriam repetijt, nec in illorum fines amplius redijt. Ita pacato apud Israelitas bello, Ionathan Machmas incolens, rempublicam administrare, & Israelitarum impios abolere cœpit.

CAPUT X.

Demetrius Ionathanē sibi cōciliare conatur.

Anno autem centesimo sexagesimo, Alexander Antiochi Epiphanis filius, Ptolemaidem profectus, eam occupauit: & ab eis admissus, regnum ibi tenuit. Hoc audito Demetrius rex, maximo coacto exercitu, ad illum bello persequendum profectus, misit ad Ionathanem literas amicè scriptas, quibus eum euehebat: id'que eo consilio faciebat, ut illorum amicitiam anticiparet priusquam Ionathan contra se cum Alexandro societatem coiret: memor tot iniuriarum, quas & ipse Ionathā, & eius fratres, tota'que eorum gens, à Demetrio accepissent. Itaque ei potestatem faciebat delectum habendi, & arma comparandi, ut'que ipsius esset socius: necnon obsides, qui erant in arce, ei tradi iussit. Has literas postquā Ionathā Hierosolymam profectus, audientibus omnibus tum cæteris, tum ijs qui arcem tenebant, recitauit, territi sunt maiorem in modum, ubi audiuerunt ei factam esse à rege delectus

habendi potestatem, eiꝙ obsides tradiderunt ij qui in arce erant, quos ille ipsorum parentibus reddidit: & Hierosolymis habitans, urbē construere & instaurare cœpit, operumꝙ curatoribus mandauit, ut muros extruerent, & mōtem Sionē per circuitum saxis quadratis munirent, id quod illi fecerunt. Itaꝙ diffugerūt extranei, qui in munitionibus à Bacchide constructis erant: relictisꝙ, quæ tenebāt, locis, in suam quisque patriā discesserunt. Quanquam Bethsuris relicti sunt nonnulli eorū, qui legem præcepta que deseruerant, quòd illic haberent perfugiū.

B At Alexander rex, ut audiuit, quid Demetrius Ionathani per literas detulisset, eiꝙ tum Ionathanis, tum eius fratrū prælia, & egregiè gesta, perlatiꝙ labores, expositi sunt, cogitans nullū se uirum nactur ū esse talem, statuit eum amicum sociumꝙ facere, eiꝙ his uerbis scriptam misit epistolā. REX ALEXANDER IONATHANI fratri salutem: Audiuimus te uirum esse uirtute præstantem, & dignū qui sis nobis amicus. Hanc ob rem facimus hodie te tuæ gētis pontificem, & ut regis amicus dicare statuimus, ut nobiscū sentias, & amicitiā erga nos retineas: simulꝙ misit ei purpuram & auream coronam. Igitur Ionathan sacrum uestitū mense septimo, anno centesimo sexagesimo, in festo umbraculorū, induit: delectumꝙ habuit, & multa arma comparauit. Quibus rebus auditis, Demetrius indoluit, & se nihil egisse conquerens, quòd ab Alexandro in Iudæorū amicitia ad suum subsidium concilianda præuentus esset, decreuit & ipse eos per literas honorib. & donis in suum auxilium pellicere, atque ad eos scripsit in hæc uerba. REX DEMETRIVS IVDAEORVM GENTI SALVTEM: Vos & pacta nobiscum seruauisse, et in amicitia nostra permāsisse, neꝙ ad hostes nostros defecisse, audiuimus, & gaui si sumus. Quare pergite fidem erga nos conseruare, & nos uobis istud erga nos officium beneficijs rependemus, uobisꝙ multa partim condonabimus, partim donabimus: & iam nunc

C ego libero uos, omnibusꝙ Iudæis tributa & salis coronarumꝙ pensionem remitto, necnon frugum tertias, & baccarum dimidias, quæ mihi debentur, ex hodierno die in posterū, Iudææ remitto, necnon tribus præfecturis ad Iudæam pertinentibus, uidelicet Samariæ, Galilææ, & a transiordaninæ, & quidem in perpetuum remitto. Tum Hierosolyma cum suo territorio sancta esto, & à decumis uectigalibusꝙ immunis. Cedo & Hierosolymitanæ arcis potestate, & pontifici liberum facio quoslibet in ea collocare, qui eam custodiant. Præterea omnia Iudæorum capita, quæ ex Iudæa in totū regnum meum captiua sunt abducta, gratis manumitto, omnesꝙ cum suis pecoribus ab omnibus uectigalibus liberi sunto. Ad hæc omnia festa, & Sabbatha, & noui lunia, & solēnes dies, & tres dies festum antecedentes, & omnes dies festū subsequētes, immunes liberi que sunto Iudæis omnibus in regno meo degentibus: neque cui quam liceat ullum eorum interpellare, aut ulla de re ei negocium facessere. Describantur autem Iudæorum in regis exercitū ad hominum millia triginta, quibus ut fit omnibus regis militibus, dentur stipendia: quorum partim in maximis quibusꝙ regis munitionibus collocentur, partim ad alios usus regni, in quibus fide opus est, destinentur: eorumꝙ præfecti atque duces ex ipsis sunto, & suis legib. utātur, ut idem rex imperat in Iudæa fieri. Itemꝙ tres præfe- D cturæ, quæ Iudææ ex Samaria cōtributæ sunt, Iudææ addantur, ut uni subiectę habeantur: neque alij, quàm pontificis, potestati pareant. Ptolemaidem eiusꝙ territorium fano Hierolymitano dono do, ad sumptus quibus ad sacra opus est. Ad hæc singulis annis quindecim millia siclorum argēti largiar de meo fisco, ex locis quę ad me pertinent: ac quicquid uectigalium superest, quod solutum non est ut superioribus annis, id deinceps in opera templi consumetur. Insuper quinꝙ siclorum argenti millia, quæ superioribus annis ex uectigalibus nomine fani accipiebam quotannis, hæc quoꝙ remittuntur, ut procurantibus rem diuinā sacerdotibus pensitentur. Ac quicunꝙ in fanum Hierosolymitanum, aut in tota eius pomœria, uel rege offenso, uel ob quod cunꝙ crimen aliud cōfugerint, absoluantur, unà cum omnibus quæ habebunt in meo regno. Tum autem ad fani opera construenda, & restituenda, & ad Hierosolymam mœnibus undiꝙ muniendam, & ad muros in Iudæa extruendos, sumptus ex fisco suppeditabitur. His uerbis auditis, Ionathan & cæteri non crediderunt, neꝙ ea admiserunt, memores quantum ille mali Israelitis intulisset, quamꝙ uehementer eos pressisset. Itaque cum Alexandro consenserunt, qui prius cum eis egisset de amicitia, cumꝙ eo perpetuam societatem coiuerunt. Igitur rex Alexander ingenti exercitu coacto, contra Demetrium castra posuit, congressisꝙ pugna duobus regibus, fugerunt Demetriani: quos persecutus Alexander, superauit, præliumꝙ acerrimè ad solis occasum continuauit, atque eo die Demetrius occubuit. Deinde

E misit Alexander ad Ptolemæum Aegypti regem legatos cum mandatis huiusmodi: Postquam ego reuersus in regni mei terram, imperio potitus, maiorum meorum solium occupaui, fuso que Demetrio, nostram regionem obtinui, & collocatis cum eo signis, eo cum suo exercitu profligato, in eius regni solio consedimus: age ineamus inter nos amicitiam, & tu mihi filiam tuam in matrimoniū trade: ego tibi gener ero, dona que & tibi & ipsi te digna dabo. Ad hæc respondit Ptolemæus rex in hunc modum. Fausta dies, in qua tu in maiorum tuorum terram reuenisti, & eorum regni soliū adeptus es. Itaque faciam tibi quæ scribis. Sed adesto Ptolemaide, ut congrediamur: & ego te, ut postulas, generum meum faciam. Ita profectus ex Aegypto Ptolemæus cum Cleopatra filia sua, Ptolemaidem uenit, anno centesimo sexage-

Alexander Ionathanē sibi per literas cōciliat.

Demetrius Iudæos per literas frustra sibi cōciliare studet.

a. Hoc uerbum ex Iosepho adiecimus.

Demetrius ab Alexandro occisus.

Alexander Ptolemæi filiam petit in matrimonium.

Ionathan Ptolemaidẽ uenit ad Alexandri nuptias.

sexagesimosecundo: filiamꝗ suam Cleopatrã Alexandro regi, qui ad eum uenerat, nuptũ locauit, & eius nuptias Ptolemaide magnificè, ut reges decebat, fecit. Scripsit etiã rex Alexãder Ionathani, ut ad se ueniret. Itaꝗ ille Ptolemaidẽ splendidè profectus, duos reges cõuenit, eosꝗ argento & auro, & eorũ amicos donis muneratus, eorum beneuolentiam sibi conciliauit. Cũ que eò conuenissent Israelitæ quidam pestilentes atꝗ nefarij, ut eum criminarentur: nõ solum illorũ criminationes repudiauit rex Alexãder, sed etiam iussit Ionathanẽ suis indumẽtis exui, purpuraꝗ indui: eo' que facto, cum eo sedit rex. suisꝗ proceribus imperauit ut eum in mediã urbem deducerẽt, & edicerent, ne quis eum ullius criminis insimularet, neu quis ei ulla de re negocium facesseret. Hunc eius honorem, & e- F dictum, & purpuræ amictum ubi uiderunt accusatores eius, omnes diffugerunt. At illi rex tantũ honoris habuit, ut cum primũ amicorum scripserit, imperatoremꝗ & principatus socium fecerit: atꝗ ita Hierosolymam sospes lætusꝗ redijt Ionathan. Anno autem centesimo sexagesimoquinto, uenit Demetrius Demetrij filius ex Creta in terram patriã: qua re audita, rex Alexander magno dolore affectus, Antiocham redijt.

Apollonius Demetrij prætor Ionathanem prouocat ad pugnam.

At Demetrius Apollonium Cœlesyriæ prætorem, ducem constituit, qui magno exercitu coacto, apud Iamniã castra fecit, & ad Ionathanem pontificem hęc mandata misit: Tu adeò solus te contra nos effers, & ego te propter te risui sum & ostentui. sed ne nos in montibus superes, age, si quid tuis uiribus confidis, descende ad nos in planum ubi concertemus. Mecum quidem adest ciuitatũ robur. Sciscitare & disce, quis ego & auxiliares mei simus: & audies, non posse uos nobis resistere, cum tui maiores bis in sua terra fusi sint, nedum ut tu tantũ equitatum tantasꝗ uires sustinere possis, præsertim in plano, ubi neꝗ saxa sunt aut silices, neꝗ locus ad perfugium. His Apollonij uerbis auditis, commotus animo Ionathan, delectis hominum millibus decem, Hierosolymis profectus est, excito in auxilium Simone fratre suo: Ioppenꝗ admoto exercitu (quoniam oppidi portæ ei clausæ fuerunt, quòd erat ibi præsidium Apollonij) oppugnauit: & portis per oppidanos præmetu patefactis, Ioppa potitus est. Hoc G audito, Apollonius cum tribus equitum millibus, & magna peditum multitudine profectus est, quasi Azotum peteret, & simul in planiciẽ processit, fretus equitatu, cuius magnam uim habebat. Quẽ persecutus ad Azotũ Ionathã, prælio nouissimos lacessere cœpit. Reliquerat autẽ Apollonius à tergo occultos equites mille, quas insidias non ignorauit Ionathan. Itaque cum illi eius agmen circumuenissent, & hastas in milites à mane ad uesperam uibrarent, stabant eodem loco milites, ut imperauerat Ionathan. Deinde defatigatis illorum equis, Simon subducta sua acie, prælium cum phalange commisit, atꝗ ita lassitudine exanimatis equis, & per agros dissipatis, hostes ab eo fusi, Azotũ fuga petiuerunt, & in ædem Dagonis Dei sui salutis causa ingressi sunt.

Ionathan Azotum & alia incendit.

At Ionathan & Azotum & finitima oppida incendit, prædæꝗ habuit: & Dagonis fanum, quiꝗ eò perfugerant, igni cremauit, fuitꝗ eorum qui uel ferro uel flãmis interiere, numerus ad hominum millia octo. Inde profectus Ionathan, exercitum ad Ascalonem mouit, eiꝗ oppidani obuiam honorificentissimè pro dierunt. Ita Hierosolymam Ionathan cum suis magna cum præda redijt. Quibus rebus auditis, Alexander rex Ionathani honores auxit, eiꝗ monile misit aureum, quale solet regum dari consanguineis, & Accaronem cum suis finibus possidendam dedit.

CAPUT XI.

Aegypti rex Syriæ regnum per fraudem occupare conatur.

INterea Aegypti rex, incredibili militum coacta multitudine, multisꝗ nauibus, cupiẽs Alexandri regnum per dolũ occupare, & suo regno adiungere, profectus est in Syriã per speciem pacis. Cumꝗ ei uulgò oppidorum portas aperirent homines, & obuiã procederẽt (quod ita erat ab Alexãdro rege imperatum, ut ei obuiam iretur, propterea quòd ille socer eius erat) inter obeundum Ptolemaidis municipia, milites in singulis municipijs præsidij causa collocabat. Vbi ad Azotũ uentum est, ostẽsum est ei Dagonis incensum fanum, Azotusꝗ & finitima eius oppida diruta, corporaꝗ proiecta, & eorũ cadauera qui in bello cremati fuerãt (nam ea in aceruos, quà ille iter habebat, cõgesserãt) denique quæcunque fecerat Ionathan, ea regi sunt accusatoriè ad illius inuidiã narrata, cum rex interea taceret. Sed Ionathan regi honorificè uenit obuiam ad Ioppen, ibiꝗ inter se consalutarunt, & ea nocte fuerunt. Deinde regẽ comitatus Ionathan usꝗ ad fluuiũ quendã, qui uocat Eleutherus, Hierosolymã reuertit. At rex Ptolemæus, oppidis maritimis usꝗ ad maritimam Seleuciam potitus, & malum Alexandro moliens, legatos misit ad Demetriũ regẽ, eum ad fœdus inter ipsos faciendũ inuitans, ea lege, ut Ptolemæus Demetrio filiã suam, quam habebat Alexander, elocaret, & Demetrius in pa- B triũ regnũ restitueret: sese enim pœnitere Alexandro filiã suam dedisse, qui se interficere conatus esset. Atꝗ ita Alexandrũ, eius regni cupiditate, criminatus, ei filiã suã abstulit, Demetrioꝗ dedit, & ab Alexandro alienatus est. Ita patefactę sunt eorũ inimicitię.

Ptolemæus Demetrio Demetrij filio filiam suam in matrimonium dat, ereptã Alexãdro.

Ptolemęus aũt Antiochiã ingressus, duo capiti suo diademata imposuit, Asiæ & Aegypti. Erat ea tẽpestate rex Alexander in Cilicia, propterea quòd eorum locorũ homines rebellionem faciebant. Is audita re, Ptolemæũ armis aggressus est. Ptolemæus uerò cum eo ualida manu congressus, eum fudit: eoꝗ in Arabiã, ut ibi tutus esset, fuga ꝑfecto, elatus, cũ ei postea Zabdiel Arabs abscissũ caput Alexandri misisset, mortuus est triduo pòst: & qui ab eo fuerant in præsidijs collocati, ij à presidiarijs interfecti sunt: regnumꝗ adeptus est Demetrius anno centesimo sexage

Ptolemæi & Alexandri mors.

simole

simo septimo. Per id tempus Ionathã, coactis Iudæis arcem Hierosolymitanã oppugnabat, multis ad id machinis comparatis. Quam rem cum quidam suæ gentis inimici, homines nefarij, ad regẽ detulissent, iratus ea re audita rex protinus Ptolemaidẽ se contulit, & ad Ionathanem scripsit ut omissa obsidione, Ptolemaidẽ

C ad se ad colloquiũ quàprimũ ueniret. Hoc audito Ionathan iussit in obsidione perseuerari, & delectis nonnullis Israelitis senatoribus atque sacerdotibus, sese periculo cõmisit: sumptoq; argento, auro, ueste, & alijs multis muneribus, Ptolemaidẽ ad regẽ profectus est: cui charus adeò fuit, ut cũ à sceleratis quibusdã suæ gentis hominibus accusaretur, tamẽ eum rex eodem modo acceperit, quo fuerat ab eius antecessoribus acceptus: eiq; apud omnes amicos suos eũ honorẽ habuerit, ut ei pontificatũ, & quoscunq; prius habebat honores cõfirmauerit, & eum inter primos suorum amicorum haberi uoluerit.

Ionathan ad Demetrium proficiscitur.

Cumq; Ionathã à rege postulauisset, ut Iudæã, Samariãq;, & tres præfecturas immunitate donaret, eiq; trecenta talenta promisisset, concessit rex, & Ionathani literas de his omnib. scripsit in hunc modũ: REX DEMETRIVS Ionathani fratri, & genti Iudęorum salutem. Exemplũ epistolæ, quam ad Lastenem consanguineum nostrum de uobis scripsimus, scribimus etiam ad uos, ut id uideatis. REX DEMETRIVS Lasteni patri salutem. Genti Iudæorum amicorũ nostrorum, & necessitudinis, quam nobiscũ habẽt, iura seruantiũ, benefacere decreuimus, propter ipsorum erga nos beneuolentiã. Itaq; Iu-

Ionathan à Demetrio Iudeæ immunitatem impetrat.

D dææ fines, et tres præfecturas, Aphærema, Lyddam, & Ramathã, quæ Iudææ ex Samaria additæ sunt, omniaq; ad eas pertinentia, assignamus omnibus Hierosolymæ sacra facientib. id est, ea quæ regi ex illis regionibus antea singulis annis, ex terræ frugibus, & arborũ fructibus dependebantur, aliaq; quę nobis debebãtur, decumas, stipendia, uectigalia, salinarũ coronas, hæc omnia inquam, eis ex hac hora sic attribuimus, ut nihil horũ hinc in perpetuum rescindẽdum sit. Quare date operam, ut harum literarum exemplum exscribatur, quod Ionathani detur, & in sacro mõte in celebri loco proponatur. Deinde cum uideret Demetrius rex pacatos se fines habere, neq; quicquam sibi repugnare, dimisit omnes suos milites in suam quenque patriam: exceptis peregrinis, quos ex extraneorum insulis coegerat, quæ res omniũ ueteranorũ odium ei conciliauit. Erat Tryphõ, qui antea fuerat Alexandri partium. Is animaduertens omnes milites contra Demetrium fremere, cõtulit se ad Emalchũ Arabẽ, qui Antiochum paruulum Alexandri filiũ educabat, eiq; suasit ut puerũ sibi traderet, quem in regnum paternum restitueret: Demetrijq; facta & militum erga eum odiũ exposuit, atq; ibi dies complures fuit. Ionathan autem ad regem Demetrium

Tryphon à Demetrio ad Emalchũ Arabem deficit.

E scripsit, ut eos qui erant in arce Hierosolymitana, in alijsq; munitionib. ejceret: nam Israelitas infestabant. Cui rescripsit Demetrius, se non hæc solum ei eiusq; genti pręstiturum, sed etiam honorem habiturum, si nactus occasionẽ fuisset. Quare rectè facturũ Ionathanem, si sibi homines subsidio mitteret: nam suos omnes de fecisse milites. ¶ Itaq; misit ei Ionathan præcipuæ uirtutis hominum tria millia in Antiochiã, quorum aduẽtus gratus regi fuit. Interim urbani in mediam urbem congregati ad hominum centũ uiginti millia, conabantur regẽ interficere: cũq; is in regiã fugisset, illi occupatis urbis uijs, eum oppugnare cœperũt. Sed à rege uocati in auxiliũ Iudæi, omnes simul ad eũ cõuenerunt, & effusi in urbẽ, interfecere per urbẽ eo die homines ad centũ millia, urbemq; incenderunt, et magnã cępere prædã, regemq; seruarunt. Tum urbani uidentes Iudæos urbe ad arbitriũ suũ potiri, animis perculsi, ad regem cum precibus clamarũt ut sibi dexterã daret, & Iudæi ipsos & urbem oppugnare desineret, abiectisq; armis pacẽ fecerũt. Atq; ita magno apud

Ionathan cum suis Demetrium Antiochiæ in seditione tutantur.

F regẽ et omnes regios honore affecti Iudæi, Hierosolymã grãdi cũ præda redierũt. ¶ At rex Demetrius, regni solio & pacata terra potitus, omnia promissa fefellit: & à Ionathane abalienatus, tantũ abfuit ut ei parẽ beneuolentiæ gratiã referret, ut etiã uehemẽter eum premeret. Postea reuersus Tryphõ cũ Antiocho puero admodũ, regnũ obtinuit, eiq; diadema imposuit: & coactis ad eũ omnibus militibus, quos dimiserat Demetrius, bellũ Demetrio intulit: eoq; fuso fugatoq; belluas cæpit, et Antiochia potitus est.

Demetrius Ionathani fidem fallit.

¶ Tũ scripsit iuuenis Antiochus ad Ionathanẽ, sese ei confirmare pontificatũ, eumq; præficere quatuor præfecturis, & in regis amicos referre, eiq; aurea pocula & aliam misit supellectilem: & in auro bibendi, purpuraq; & aureo monili utendi potestatem dedit, eiusq; fratrem Simonem imperatorem constituit, à tractu Tyri ad fines Aegypti. Ita profectus trans fluuium Ionathan, obibat urbes: & omnibus Syriæ militibus in belli societatem excitis, uenit Ascalonem. & ab oppidanis honorificè exceptus, inde Gazam contendit: & à Gazensibus exclusus, eam obsedit, eiusq; finitima oppida incendit & deprædatus est. Deinde petentibus dextrã, dedit: & acceptos principũ filios obsides, Hierosolymã misit. Inde peragrata regione ad Damascũ, cum audiuisset Demetrij duces cum

Antiochus Alexandri filius, uicto Demetrio, Ionathanem sibi conciliat.

Simon Bethsura potitur.

G magnis copijs adesse apud Cadem Galilæę, ut eum ex ijs finibus extraherent, obuiam illis profectus est, fratre suo Simone in patria relicto. Simon admotis ad Bethsuram castris, eam compluribus diebus oppugnauit, obsessis'que & postulantibus dextram, dedit: & eis illinc eiectis, oppidum cępit, præsidioq; firmauit. Ionathan autem cum suis militibus apud lacum Gennesaram castra fecit. Postridie primo mane conspiciebatur hostium' agmen per campum Asorem aduersus ipsum incedens. Collocauerant autem hostes in eum insidias in montibus: ipsi ex aduerso occurrebant. Itaque commisso

Ionathanis prælium & uictoria.

cōmisso prælio, cum ij qui erāt in insidijs, omissis suis locis, in Ionathanenses impetū fecissent, fugerunt omnes ad unum Ionathanenses, exceptis Mattathia Absalomi filio, & Iuda Chalphis filio, exercitus ducibus. Hic uerò Ionathā uestē lacerare, puluere caput cōspergere, Deoq́ supplicare: deinde integrato in hostes prælio, eos in fugam uertit. Quod uidentes eius milites, qui fugerant, in hostes se cōuerterunt, & eos usq; ad ipsorum castra, ad Cadē posita, persecuti, ibi castra fecerunt: & occisis eo die ad hostiū tria millia, Ionathan Hierosolymam redijt.

CAPUT XII.

Ionathā mittit qui amicitiā & cū Romanis renouēt, & cū Spartiatis faciant.

CVmq; uideret se tēpore iuuari, delectos homines Romā misit ad amicitiam cum Romanis confirmandā atq; renouandam: item'que ad Spartiatas, & in alia loca, eadem de re misit epistolas. Legati postquam Romā peruenerūt, in senatū ingressi, dixerunt sese à Ionathane pōtifice, & gente Iudæorū, ad ipsos mitti, prioris amicitiæ & societatis renouandæ gratia. Tūm Romani literas eis dederūt ad singularū regionū homines, qui eos in Iudæā incolumes perducerēt. Eius autem epistolæ, quā scripsit Ionathan Spartiatis, exemplū est hoc. IONATHAN pontifex, & gentis senatus, & sacerdotes reliquusq; populus Iudæorum Spartiatis fratrib.

B salutem. Quoniam antea missæ sunt ad Oniam pontificem literæ ab Ario, qui apud uos regnabat, quibus in literis declarabatur uos esse fratres nostros, ut est in earum exēplo infrà posito: & Onias eum, qui tum missus est, honorificè excepit, literasq; accepit, in quibus de societate & amicitia agebatur: eos, quamuis his non indigeamus, quippe cum in sacris libris, qui sunt nobis in manibus, fiduciam habeamus: uoluimus tamen ad uos mittere qui eam quæ nobis uobiscum intercedit, fraternitatem & amicitiā renouēt, ne à uobis abalienemur: nam iā diu est cum ad nos scripsistis. Nos igitur omni tēpore assiduè, & festis, & alijs idoneis diebus, uestri meminimus in sacrificijs, quæ facimus, inq; supplicationibus, sicuti fratrum meminisse & par est, & decet: uestraq; gloria lætamur. Nos quidem multis rebus aduersis & bellis circumuēti, & à finitimis regibus armis lacessiti, noluimus tameo uobis, aut reliquis socijs, amicisq; nostris, in his bellis esse graues. Habemus e-

C nim positū in cœlo præsidiū, cuius ope & nos ab hostibus defensi, & hostes subacti sunt. Sed cum Numeniū Antiochi, & Antipatrum Iasonis filium, mitteremus ad Romanos, ad priorē amicitiā & societatem cum eis renouandam, in mandatis eis dedimus, ut & uos salutatū irent, nostrasq; uobis literas de fraternitatis renouatione traderent. Quare rectè facietis, si nobis ad hæc responderitis. Literarum exemplum quas Arius misit Oniæ. REX SPARTIATARVM Oniæ pontifici maximo salutem. Repertum est in monimētis literarū, Spartiatas & Iudæos esse fratres ex Abrahami genere. Quamobrem postquam hæc cognouimus, rectè facie-

Arij Spartanorū regis literæ ad Oniam pontificem.

tis, si nobis scripseritis quo modo ualeatis. Nos quidem uobis ita uicissim scribimus. Nostra pecora & facultates uestræ sunt, & uestra nostra sunt. Hæc uobis nunciari iubemus. Cæterū Ionathan audiēs, Demetrij duces cum pluribus, quàm antea, copijs reuersos esse, ut se bello inuaderent, profectus Hierosolymis, illis obuiam processit in regionem Amathitim, ne eis spacium daret ad fines suos inuadendos: missis' que ad eorūm castra exploratoribus, cum ex ijs quę renunciabantur, intellexisset, hostibus esse in animo se noctu aggredi, post solis occasum suis imperauit ut uigilarēt in armis, & tota nocte ad pugnam essent parati: custodesq; circum castra dimisit. ¶ Hoc ubi audiuerunt aduersarij, Ionathanem cum suis esse ad dimicandū paratum, territi, & animis consternati, incensis per castra ignibus, fugerunt, ignaro rei Ionathane cum suis, propter ignes quos accēsos uidebāt: donec manè eos insecutus, non comprehendit: traiecerant enim Eleutherū fluuium. Tum Ionathan conuerso ad Arabas itinere, qui Zabadei uocantur, eos fudit: direptisq; eorū bonis, illinc ad Damascum profectus, omnem illum tractum peragrauit. Simon quoq; profectus Ascalonem usq;, eos fines & propinquas munitiones obiuit: & cōuerso ad Ioppē itinere, eam occupauit (audiuerat enim, eos uelle Demetrianis tradere munitionem) ibiq; præsidium, eius seruandæ gratia collocauit. ¶ Ionathā reuersus, uocatis ad cōcionem populi senatoribus, cum eis statuit munitiones in Iudęa instaurare, Hierosolymę muros erigere, & præaltum murum inter arcem & urbem ducere, ut arx ab urbe dirempta, sola esset, ne qui erant in arce, possent emere aut uendere. Itaq; urbem simul reficere aggressi sunt, lapsamq; partem muri torrētis à subsolano, quodq; Chaphenetha uocatur, instaurarunt. Simon aūt Adidam apud Sephelam restituit, portisq; & repagulis muniuit. Interim Tryphon Asiæ regnum & diadema appetens, & Antiocho regi manum afferre conans, ueritus ne à Ionathane impediretur, & armis inuaderetur, rationem quærebat Ionathanis comprehendendi atque occidendi, & ad Bethsan profectus est. Sed cum eōdem ad illum uenisset Ionathan, quadraginta millibus delectorum ad pugnam hominum instructus: Tryphon ei quem cum tanto exercitu adesse uideret, uim afferre non ausus, eum honorificè excepit, omnibus suis amicis commendauit, & multis muneribus donauit, amicisq; suis & militibus ut ei perinde ac sibi metipsi obedirent, imperauit, & Ionathanem in hunc modum est allocutus: Nihil opus fuit ut istis tot hominibus negocium exhiberes, cum bellum nobis non sit. Quare dimitte eos domum, paucisq; delectis qui te comitentur, uenito mecum Ptolemaidem: & ego eam tibi, cæteraq; munita loca, & reliquos milites, omnesq; rerum administratores tradam, atq; ita discedam. Nam huius causa adsum. Tum Ionathan illi credens, ita fecit, militesq;

His tēporibus erāt Pharisæorum, Essenorum, & Saducæorū sectæ, autore Iosepho. D

Demetriani cū Ionathane dimicare nō ausi, fugiunt.

E

Ionathan Iudæam cōmunit.

F

Tryphon Ionathani insidiatur.

militesꝗ in Iudæã dimisit, retentis hominũ tribus millibus: quorũ duo millia in Galilæã dimisit, mille secũ duxit. Sed simulac Ptolemaidẽ G ingressus est Ionathã, clausere portas Ptolemaenses, eumꝗ cõprehenderunt, & omnes cum eo ingressos ferro trucidarunt. Deinde Tryphon peditatum & equitatũ misit in Galilæam, in magnum campũ, qui omnes Ionathenses perimerent. Sed illi cum [a] cognouissent, Ionathanem cum suis captũ esse atꝗ interijsse, cohortati inter sese, iter in hostes conuerterunt, ad prælium parati. Quod ubi uiderunt persequẽtes, sibi de uita certamen esse, reuerterunt: atꝗ ita illi omnes in Iudęam incolumes peruenerũt, Ionathanẽꝗ & suos deplorarunt: & magnum in timorẽ adducti omnes Israelitæ, uehementer luxerũt. Atque omnes finitimæ gentes eos euertere conatæ sunt, quòd dicerẽt ductore & defensore carẽtes nunc esse debellandos, eorumꝗ memoriam ex hominum genere tollendam.

Capitur Ionathan.

[a] hoc est audiuissent, nec enim erat adhuc mortuus Ionathan.

CAPVT XIII.

TVm Simon, audiẽs Tryphonem magnum coegisse exercitũ, ut in Iudęam impressionem faceret, eamꝗ depopularetur, uidensꝗ populum in terrore esse atꝗ metu, Hierosolymam uenit: & uocata concione, populum huiusmodi uerbis consolatur. Scitis ipsi, quæ ego meíque fratres, & paterna familia, pro legib. & sacris fecerimus: quæ bella & angustias senserimus, usꝗ eò ut Israelitarũ causa perierint omnes mei fratres, me solo relicto. Quamobrem absit ut ullo aduerso tẽpore, uitæ meæ parcam: neque enim meis sum fratribus pręstantior: quin meæ gentis, sacrorum, uxorum, liberũmque nostrorum iniurias persequar, ad quos hostiliter obterendos omnes conspirauêre nationes. Hac audita oratione uulgò animis confestim recreati, clara uoce dictitare cœperunt, eum sibi B pro Iuda & Ionathane fratribus suis ducem futurum. proinde bellum gereret: sese omnia, quæ imperasset, esse facturos. Tum ille omnes ad militiã idoneos cogit, murosꝗ Hierosolymæ celeriter absoluit, eamꝗ munit. Itemꝗ Ionathanem Absalomi filium cum mediocri exercitu Ioppen mittit, qui eiectis ijs qui in ea erãt, ibidem mansit. Tryphon autem Ptolemaide multis cum copijs profectus est, ut Iudęã inuaderet, uinctum Ionathanem secũ habens. At Simon apud Adidam secundum planiciem castra fecit. Quod ubi Tryphon intellexit, Simonem Ionathani fratri successisse, & secum armis decertaturum esse, misit ad eum legatos, qui dicerẽt se Ionathanem retinere propter pecuniam, quam Ionathan regi mutuo acceptam deberet. Quamobrem mitteret Simon argenti talenta centum, & duos de Ionathanis filijs obsides, ne C dimissus Ionathan rebellionem faceret, ita se eum esse dimissurum. Simon, quanquam ea dici fraudulenter intelligebat, misit tamen & pecuniam & pueros, ne magnam populi subiret inuidiã, qui dicerẽt illũ ꝓpterea perijsse, quòd pueri & centũ talẽta missa nõ essent. Sed missis & pueris & talẽtis, Tryphon fidẽ fefellit, neꝗ Ionathanẽ dimisit. & postea ut in Iudæã impetum faceret, eamꝗ peruastaret, iter ad Adora circũflexit: cui Simõ cum suis copijs, quòcunꝗ pergeret, contrà uenire. Interea qui erãt in arce, legatos ad Tryphonẽ miserunt, hortatũ ut citò ad se per deserta loca ueniret, sibiꝗ cõmeatum mitteret. ¶ Tum Tryphon omnẽ equitatũ suum ad profectionẽ parauit. Sed ea nocte uis tanta niuis fuit, ut propter niuẽ eò non iuerit. Ita digressus inde, uenit in Galaaditidem. & ubi prope Bascamam uentũ est, Ionathanem interfecit: eoꝗ ibi sepulto, in patriã reuertit. Simõ autem misit qui ossa Ionathanis fratris sui peterẽt: isꝗ D Modini in patria sua sepultus est, & ab omnib. Israelitis magno luctu multis dieb. deploratus. ¶ Deinde Simon sui patris & fratrũ monimentũ in signi altitudine construxit, lapide & à tergo & à frõte polito: ibiꝗ septem metas erexit sibi mutuò respõdentes, uidelicet patri, matri, & quatuor fratribus. Has porticibus circũdedit, ingentibus columnis, quibus colũnis arma addidit ad æternam memoriã, & insculptas apud arma naues, quæ ab omnibus mare nauigantibus perspicerentur. Atꝗ hoc ab eo factũ Modini monimentũ extat ad hanc diem. Tryphon autem Antiochũ iuuenem regem fraude circũuentum interemit: occupatoꝗ regno, & Asiæ sumpto diademate, magnam Iudææ cladem intulit. E At Simon Iudæę loca munita instaurauit, altis turribus & magnis muris cinxit, portis & repagulis firmauit, & commeatũ imposuit. Præterea delectos homines ad regem Demetrium misit, oratũ ut Iudææ daretur immunitas: quãdoquidem Tryphon nihil aliud quàm rapinas exercebat. Ad quę eius postulata Demetrius ei rescripsit epistolam huiusmodi: REX DEMETRIVS Simoni pontifici, senatuiꝗ, & gẽti Iudaicæ, salutem. Coronam auream & torquem quę misistis, accepimus, paratiꝗ sumus multam uobis præstare pacem, atꝗ ad procuratores scribere, uobis ut immunitatem concedant: ac quæ nos uobiscum pepigimus, rata sint: quasꝗ munitiones uos extruxistis, habeatis. Errata quoque, & quę ad hunc diem peccata sunt, remittimus: & quam debebatis coronam, & si quid aliud Hierosolymis soluebatur, id deinceps ne soluatur. Quòd si qui uestrũm idonei sunt qui ascribantur nostris, ascribantur, fiatque pax inter nos. F Ita anno centesimo septuagesimo liberati extraneorum seruitute Israelitæ, cœperunt in literis & contractibus ita scribere: Anno primo, Simone pontifice maximo, imperatore & duce Iudæorum. ¶ Per ea tempora Simon Gazam agressus, exercitu circumdedit, factámque uineam urbi admouit: ex qua uinea cum superata captáque una turri, milites in urbem insilirent, tanta in urbe trepidatio fuit, ut urbani cum suis coniugibus & liberis, laceratis uestibus, muros conscenderent, & ingenti clamore à Simone peterent, ut sibi dexteram daret, néue ipsis uteretur ut ipsorum

Simon populum consolatur.

Tryphon à Simone pecuniã per dolũ aufert.

Tryphõ Ionathanem interficit.

Simon suis sepulchra construit.

Demetrij literæ quibus Iudæis immunitatem concedit.

Simon Gazam capit.

rum improbitas, sed ut ipsius postularet mansuetudo. Ita flexus ab eis Simon, in eos non sæuijt: sed eis urbe eiectis, ædes, in quibus erant simulachra, purgauit, & ita carmina laudes'que dicendo ingressus in urbem, expulit ex ea omnia impura, eóque colonos duxit, qui legem exequerentur, & eam muniuit, sibiq; in ea domicilium construxit.

A

Qui Hierosolymis in arce sunt, cum Simone componunt.

¶ Deinde qui Hierosolymis arcem tenebant, cum foras egredi & ingredi, emere & uendere prohiberentur, magna ciborũ penuria laborantes, aliquot eorum fame mortuis, à Simone contenderunt ut sibi dextram daret: id quod ille fecit. eisq; illinc eiectis, arcem ab inquinamentis expiauit, & in eam die secundi mensis uigesimotertio, anno centesimo septuagesimo primo, intrauit cum laudibus, & palmarũ ramis, citharis, cymbalis, nablis, hymnis, & carminibus, quòd tantus hostis esset ex Israelitis exterminatus: eumq; diem quotannis cum lætitia agendum sanxit, templiq; montem apud arcem positum muniuit, & ibi ipse cum suis habitauit. Tum [b] Iohannem filiũ suum in uirum euasisse uidens, totius exercitus ducem constituit, isq; Iohannes Gazæ habitauit.

b. hic etiam Hyrcanus dictus est, autore Iosepho.

CAPVT XIIII.

ANno autem centesimo septuagesimosecundo, Demetrius rex, coactis suis omnibus copijs, in Mediam profectus est, ut ascito inde auxilio, Tryphonem bello adoriretur. Quem ubi Arsaces Persidis & Mediæ rex in suos fines uenisse accepit, misit unũ de suis ducibus, qui eum uiuum caperet. Is Demetrium aggressus, eum, cæso eius exercitu, conprehendit, & ad Arsacem duxit, à quo in custodiã datus est.

Demetrius ab Arsace capitur.

Simonis egregiè facta.

Iudææ pax sub Simone.

¶ Quieuit autem Iudæa toto tempore Simonis, qui quidem suorum utilitati studuit, eisq; semper in suo imperio & gloria placuit, Ioppen summa cum laude cæpit, & eum adeptus portum, ad maris insulas aditum patefecit: suorum ditionem auxit, regionem domuit, captiuos multos abegit: Gaza, Bethsuris, & arce potitus est, & ex ea piacula sustulit, nulloq; ei resistente,

B

agri in pace colebantur, suasq; terra fruges, & arbores suos fructus edebant: seniores in uicis sedebant, omnes inter se suauibus de rebus disserebãt, iuuenes splendido et bellico uestitu utebantur. Ipse oppidis commeatum suppeditabat, eaq; armis & telis ad defensionẽ muniebat, eò usq; ut eius gloriæ fama ad ultimas usq; terras peruenerit. Iudææ tantã pacem pepererit, ut Israelitæ magna uoluptate fruerentur, uulgoq; sub suis uitibus & ficubus sederent, nullo exterrente, regione bellis defuncta, regibusq; ea tempestate profligatis. Omnes suorum afflictos recreauit, legis studiosus fuit, omnes sceleratos & improbos sustulit, fanum decorauit, sacramq; supellectilem auxit. Cæterũ Romani et Spartani, audito Ionathanis interitu, magno dolore affecti sunt. Deinde cum accepissent Simonem eius fratrem ei in pontificatum successisse, regionẽq; & bella administrare, scripserũt ad eum tabulas æreas, in quibus cum eo renouabatur amicitia, & societas, quam illi cum Iuda & Ionathane eius fratribus inierant, quæ tabulæ in concione lectæ sunt Hierosolymis.

Sup. 8. c. d

Sup. 12. a

C

Spartiatarum literæ de renouata cum Iudæis amicitia.

Atq; hoc est exemplũ literarũ, quas miserunt Spartiatę. SPARTIATARVM magistratus, & ciuitas, Simoni pontifici maximo, senatoribus, sacerdotibus, & reliquo populo Iudaico, fratribus, salutem. Legati ad nostrum populũ missi, nos de uestra gloria & honore certiores fecere: quorum nos aduentu delectati, eorum mandata in plebiscita retulimus, hoc modo: CVM NVMENIVS Antiochi, & Antipater Iasonis filius, Iudęorum legati, ad nos uenissent renouatum nobiscum amicitiam, placuit populo homines honorificè excipere, & eorum exemplum mandatorum in literas publicas referre, ut eius rei monimentum Spartanus habeat populus. Atq; horum exemplum scripsere Simoni pontifici.

D

Postea misit Simon Romam Numenium cum aureo clypeo ingenti, mille minarum pondo, ad confirmandã cum Romanis societatem. Quibus rebus à Iudæorum populo auditis, cœpere uulgo dicere, aliquam esse Simoni & eius filijs gratiam referendã, cum ipse, eiusq; fratres, & domus patria, Israelitas confirmassent, & bello superatis hostibus in libertatem restituissent.

Iudæorum plebiscitũ, quo laudatis Machabæis, Simõ, dux fit & pontifex.

Itaq; plebiscitum in tabulis æneis incisum, in Sione monte, in columnis proposuerunt: cuius scripti exemplum est hoc. DIE MENSIS ELVL duodeuigesimo, anno cẽtesimo septuagesimo secundo, id est, anno Simonis pontificis tertio, Hierosolymis frequenti sacerdotũ, & priuatorum, et magistratuũ gentis, senatorũq; regionis, cõcilio, hęc acta sunt: Hęc uobis significamus. Cum sæpe bella nostris in finibus orirentur, Simon Mattathiæ filius, ortus ex genere Iaribi,

E

eiusq; fratres, sese in periculũ cõiecerunt, suęq; gentis aduersarijs restiterũt, sacrorũ & legis suę tuendæ ergò, magnũq; suis decus pepererunt. Ionathan quidem populares suos congregauit, & eis fuit pontifex. Quo uita defuncto, cum conarent hostes eorum fines inuadere & depopulari, sacraq; uastare, successit Simon, qui pro sua gente bellum gessit: multa de suo erogauit: suæ gentis militibus arma suppeditauit, & stipendia dedit: oppida Iudææ muniuit, cùm cætera, tum Bethsuram in finibus Iudææ positam, ubi prius hostiũ arma fuerãt, et ibi homines Iudęos in præsidio collocauit: Ioppen ad mare positã muniuit: Gazã in Azoti finibus sitã, quã prius hostes incolebãt, duxit ex Iudæis coloniã, eãq; omnibus ad rectam administrationem necessarijs instruxit. Hac perspecta Simonis fide & studio, quo ut gentem suam gloria afficeret, elaborauit, populus eum sibi gubernatorem pontificemq; statuit, propter ea tot eius facta, iustitiamq; & fidem, quam genti suæ præstitit, qui suos omni ratione ornare studuerit, quiq; suis

F

temporibus tanta felicitate sit usus, ut sublatis cùm ex cæteris locis, tũ Hierosolymis ex Dauidis urbe extraneis (qui sibi arcẽ fecerant, ex qua prodeuntes fanum undiq; labefactabant,

magnamq; sacro cultui calamitatem afferebāt) in ea Iudæos homines collocauerit, eamq; ad regionis & urbis præsidium muniuerit, & Hierosolymæ muros extruxerit, adeò ut rex Demetrius eius pontificatū item ratū habuerit: eumq; in amicis habuerit, & magna gloria affecerit, propterea quòd audiuerat Iudæos à Romanis amicos & socios appellari, Simonisque legatos ab eis exceptos esse honorificè, præterea Iudæos & sacerdotes sciuisse ut Simon gubernator esset, & pontifex perpetuus (donec uerus aliquis uates extitisset) utq; eis belli dux esset, sua cuiq; munera, prouincias, militiā, munitiones
G describeret, sacra curæ haberet, omnibusq; imperaret. Itemq; ut sub eius nomine omnia ubiq; acta perscriberentur, ut purpuram & aurū gestaret, neu cui uel priuato uel sacerdoti fas esset horum quicquā rescindere, aut eius iussis contradicere, aut uspiam factionem sine eo facere, purpuramúe aut aureum torquem gestare. Contra hæc qui fecisset, aut horū quid rescidisset, pœnā esse. Hæc sunt quæ ut Simoni facienda proponerent, sciuit omnis populus: quæ quidem Simon recepit, et se pontificem, militiæq; ducem, & gubernatorem Iudæorum ac sacerdotū fieri, omnibusq; præfici passus est. Atq; hoc perscriptum iussum est in tabulas æneas perscribi, quę in templi consepto, in loco celebri, affigerentur: eius autem exemplum in tabulario reponeretur, ut id Simon & eius filij haberent.

CAPUT XV.

Antiochus Soter cum Simone amicitiā iungit.

MIsit autem Antiochus Demetrij regis filius ex insulis marinis, literas Simoni pōtifici, et gubernatori Iudęorū, totiq; nationi, in hanc sententiā. REX ANTIOCHUS Simoni pontifici maximo, & gubernatori, & Iudæorū nationi, salutem. Quandoquidē pestilentes homines maiorū meorum regnū occupauerunt, ego id mihi uendicare uolens, ut id in pristinū statum restituā, conduxi uim magnam militū, classemq; ad bellum comparaui, habens in animo in nostram regionem descensum facere, ut eos adoriar, qui eam uastauerunt, oppidáque multa in regno depopulati sunt. Quare quascūque tibi immunitates maiores mei reges concesserunt, quasq; pensiones condonarunt, ratas habeo, tibiq; permitto propria tuæ patriæ nota
B monetam percutere, utq; Hierosolyma et fanū liberū sit: quæq; arma comparasti, & quæ loca muniuisti, quæ tenes, ea habeto: item quicquid regi debetur, & quod ei penderetur, id deinceps in perpetuum tibi remissum esto. Atque ubi regnum nostrum restituerimus, tanta te, tuamque nationem, & fanum, gloria afficiemus, ut ea toto orbe nota fiat. Igitur anno centesimo septuagesimoquarto, rex Antiochus in suam patriā ingressus est: & cum ad eum cōuenissent omnes milites, Tryphonē, cum quo pauci remanserāt, persecutus est. Tryphon uidens exitium sibi cōflari, seq; à militib. esse destitutū recepit se fuga in oppidū Corā, ad mare positū. Ad id oppidū Antiochus exercitum admouit,

Antiochus Tryphonē obsidet.

centum uiginti millia, & equitū octo millia habens quib. copijs circundatū oppidū, terra mariq; admota classe, adeò acriter obsedit, ut neminem egredi aut intrare sineret. Interea Numenius cū suis Roma redijt, cū epistolis ad reges & populos, in quibus hæc erant scripta. C LUCIUS ROMANORUM cōsul Ptolemæo regi salutē. Legati Iudęorū, amicorū sociorūq; nostrorū, uenerunt ad nos, pristinā amicitiā et societatem renouatum, à Simone pontifice & populo Iudęo missi, afferentes clypeū aureū mille minas pendentem. Itaq; placuit nobis, scribere regibus et nationibus, ne eis eorum'ue oppidis, aut regioni noceant, bellúmue inferant, aut inferentibus auxilium ferāt. Visum est etiam nobis, missum ab eis clypeū accipere. D Ergo si qui malefici ex eorum finibus ad uos aufugerūt, tradite eos Simoni pontifici, ut in eos ex ipsorū lege animaduertat. Hæc eadem scripta sunt Demetrio regi, Attalo, Arathi, Arsaci, & ad omnes nationes Sampsaci, Spartanis, in Delum, Myndum, Sicyonem, Cariam, Samū, Pamphyliā, Lyciam, Alicarnassum, Rhodū, Chasilidem, Cō, Sidan, Gortynam, Cnidū, Cyprū, & Cyrenem. Atq; eorum exemplū ad Simonem pontificem scriptum est. E Cæterū rex Antiochus Dorā denuò adortus, assiduo oppugnationū & machinationum usu in eas angustias Tryphonem redegit, ut eū omni aditu exituq; intercluserit. Cumq; Simon ei duo delectorū hominū millia auxilio misisset, argentūq;, & aurū, & uasa nō pauca: ille ea accipere noluit, sed irritis omnibus, quæ iam cū eo pepigerat, ab eo est alienatus: ad eūq; misit Athenobiū quendā de suis amicis ad colloquiū, cum mādatis huiusmodi. Vos Ioppen, & Gazā, & arcē Hierosolymæ, quæ urbs mei regni est, tenetis: illarū fines uastauistis, magnā regioni cladem intulistis, & multa mei regni loca redegistis in uestram potestatem. Quamobrem oppida reddite quæ cæpistis, & stipendia locorum, quæ extra Iudææ fines occupauistis: aut certè pro eis quingenta argenti talenta date, & pro damno quod intulistis, proq; locorū tributis, altera quingenta. Alioqui bellum uobis inferemus. F ¶ Igitur Athenobius regis amicus, Hierosolymam profectus, uiso Simonis splendore, aureoq; poculo, & aurea argenteaq; supellectile, & tanto apparatu obstupuit, eiq; mādata regis exposuit. Cui Simon in hunc modum respondit: Nos neq; alienam terram cæpimus, neque aliena subegimus, sed patrimoniū nostrum, quod ab hostibus nostris aliquandiu iniuria retentum, nos tempus nacti, nobis uendicamus. Quod ad Ioppen & Gazam, quas tu petis, attinet, hæ magno erant nostris detrimento, in finibus nostris: tamen pro his talenta centum soluemus. Ad hæc Athenobius ne uerbo quidem responso, cum iracundia ad regem reuersus, ei Simonis uerba, splendorem, quæq; uiderat omnia renunciat: id quod rex ægerrimè tulit. G ¶ Cumq; Tryphon conscensa naui, in Orthosiadem fugisset, rex Cendebęum orę maritimæ

Romanorū literæ ad reges & populos, in Iudæorū gratiam.

Antiochus à Simone occupata, reposcit per Athenobium.

ritimæ legatum constituit, eiq́ peditatum & equitatum attribuit, iussitq́ ut contra Iudæam castra collocaret, Cedronemq́ instauraret, & portis firmaret, ut inde Iudæis bellum inferret. Ipse Tryphonem persecutus est. Cendebæus ad Iamniam profectus, homines uexare cœpit, incursiones in Iudæã facere, & partim captiuos abigere, partim necare. Tum extructa Cedrone, equites et pedites ibi collocauit, qui excursionib. Iudææ agros, ut rex imperauerat, infestarent.

CAPVT XVI.

Simō filios suos aduersus Cendebæum mittit.

HAec Cendebæi facta cum Iohannes, Gaza profectus, Simoni patri nunciauisset, Simō uocatos duos filios suos natu maximos sic est allocutus: Ego, meiq́ fratres, & paterna domus, cum Israelitarũ hostibus ab ineunte ætate ad hunc usq́ diem bella gessimus: idq́ adeò feliciter, ut sæpenumero Israelitas tutati fuerimus. Nunc postquã ego consenui, uos, qui & per pietatem, & per ætatẽ, mihi meoq́ fratri succedere potestis, ite pro gente uestra propugnatum: ego uobis ex cœlo auxiliũ precor. Ita illi delectis ex gente uiginti militũ millibus, cum equitatu, ad Cendebæum ire contenderunt. & acta Modini nocte, primo manè in agrũ pergentes, animaduertunt magnas contra se peditũ equitumq́ copias. Interiacebat autem fluuius, secundũ quem positis castris, Iohannes animaduertens milites B dubitantes transire fluuium, ipse princeps traiecit: quem conspicati milites, post eum transierunt. Deinde aciem instruxit, & equitatũ, quo plurimum abundabant aduersarij, inter pedites collocauit. datoq́ tubis signo, Cendebeus cum suis fusus est: multisq́ eorum occisis, reliqui in munitionem fugerunt. Eos tum Iohannes, Iuda suo fratre saucio, persecutus est usq́ ad Cedronem, quam urbem Cendebæus refecerat, eamq́ illis in castella Azotij agri fuga dilapsis, igni cremauit: & occisis aduersariorum ad duo millia, in Iudæam redijt incolumis. Erat autem Ptolemæus Abubi filius agro Hierichuntio præfectus. Is cum argenti auriq́ multum haberet (erat enim gener pontificis) tantos sibi spiritus sumpsit, ut regionem occupare, & Simonem eiusq́ filios per dolum de medio tollere decreuerit.

Ptolemæus Abubi filius Simonẽ & eius filios interficit.

Itaq́ cum Simon regionis oppida peragrans, & eorum administrationis curã gerens, C ad Hierichuntem, unà cum Mattathia & Iuda filijs suis, descendisset anno centesimo septuagesimoseptimo, mense Sabat, qui undecimus est, excepit eos malitiose ille Abubi filius, in paruum quoddã castellum, qui Docus appellatur, quod ipse extruxerat: magnumq́ eis conuiuiũ edidit, & certis hominibus illic collocatis, postquam Simon & eius filij potando satiati sunt, surrexit cum suis Ptolemæus, sumptisq́ armis, ad Simonem in cœnationem ingressus, ipsum cum suis duobus filijs, et quibusdam pueris, interfecit. Postquam hoc tantum scelus commisit, & bona malis pensauit Ptolemæus, misit ad regem ut sibi exercitũ mitteret auxilio, sese ei Iudæorum regionem & oppida conciliaturũ. Præterea alios Gazam misit, qui Iohãnem de medio tollerent. et tribunis per literas significauit, ut ad se uenirent, ut eos argento auroq́ & muneribus donaret: itemq́ alios misit, qui Hierosolymam faniq́ montem occuparent. Sed antecurrit quidam, qui Iohannem de D eius patris et fratrũ nece, deq́ missis qui ipsum interficerent, certiorem fecit. Quo ille nuncio uehementer attonitus, homines comprehendit, qui ad se perimendum uenerant: eosq́, postquã cognouit sibi necẽ molitos esse, interfecit. Ac de reliquis quidem Iohannis rebus, & bellis, & egregiè gestis, & murorũ ædificatione quos cõstruxit, deq́ eius actionibus, memoriæ proditum extat in commentarijs eius pontificatus, ex quo pontifex post suum patrem factus est.

MACHABAEORVM
LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Præfatio.



FRATRIBVS Iudæis, qui sunt in Aegypto, fratres Iudæi qui sunt Hierosolymis, & in Iudææ finibus, salutem & bonam pacem. Benefaciat uobis Deus, memorq́ fœderis quod ei cum Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, suis fidis cultoribus intercedit, mentẽ uobis inijciat omnibus colendi sui, uoluntatemq́ suã magno & uolenti animo exequendi: & mentẽ uobis in lege ac præceptis suis aperiat, pacẽ præstet, uestras preces exaudiat, uobisq́ recõciliatus, uos aduerso tẽpore nõ deserat. Hæc nos uobis hic nunc precamur. B Regnante Demetrio, anno cẽtesimo sexagesimo, nos Iudæi uobis scripsimus in ipso rerum aduersarũ articulo, quę nobis acciderũt per hosce annos, ex quo Iason eiusq́ gregales, à sacra terra & regno desciuerunt, uestibulũ combusserunt, & innocentẽ sanguinem effuderunt. At nos Deũ precantes exauditi sumus, hostiásque & similaginẽ libauimus, lucernas accẽdimus, & panes apposuimus. Quare ut dies umbraculorũ mense Chasleu agatis, hęc uobis scribimus. *Leui 23.f* C Anno centesimo duodeuigesimo, qui sunt Hierosolymis & in Iudæa & senatus, & Iudas, Aristobulo Ptolemæi regis magistro, ex Vnctorum sacerdotũ genere orto, & in Aegypto degentibus Iudęis, salutem & sanitatẽ. Ex magnis periculis à Deo cõseruati, tantas ei gratias agimus, quantas si cũ rege dimicassemus: quippe qui sanctæ urbis expugnatores in Persidẽ extruserit, quò simulac dux ipse cũ suo inuicto (ut uidebatur) exercitu peruenit, obtruncati sunt in Nanææ fano, fraude usis Nanææ sacerdotibus. *Antiochi mors.* Cum enim Antiochus cum suis amicis in locum illum, tanquã cum ea congressurus, uenisset, ut appositas à Nanææ sacerdotibus D pecunias dotis nomine caperet, eo cum paucis intra delubri septum progresso, illi clausere fanũ: & ingresso Antiocho, lapidibus per

apertum lacunaris occultũ ostium, ducem cum suis obruerunt, ijsq́ frustulatim conscissis, amputata capita ad eos qui foris erant proiecerunt. Omnibus modis agendæ sunt Deo gratiæ, qui sumpserit de impijs suppliciũ. Itaq́ acturi mensis Casleu die uigesimoquinto fani expiationem, hoc uobis significãdum putauimus, ut & ipsi agatis diem tanquam umbraculorum, & ignis, quo Nehemias (extructo fano & ara) fecit rem diuinam. ¶ Cum enim in Persiam maiores nostri ducerentur, sacerdotes religiosi, qui tum erant, ignem ex ara sumptũ, in quodam putei cauo ab aqua arido clàm abdiderunt, & ita tutò collocarũt, ut omnibus esset locus ignotus. Deinde præteritis aliquot annis, quando Deo uisum est, missus à rege Persidis Nehemias, posteros illorum sacerdotũ, qui ignem abdiderant, misit ad eum petendũ: qui cum (ut nobis est narratum) non ignem, sed aquam crassam inuenissent, iussit ut haustã afferrent, allatisq́ ijs quæ ad rem diuinã pertinerent, iussit sacerdotibus Nehemias ut aqua ligna, & ea quæ erant lignis imposita perfunderent. Deinde interposita mora, ubi sol, qui antea nubibus erat obductus, effulsit, tantus exarsit ignis, ut mirarentur omnes. Interea dum uictima consumitur, supplicationem faciebant & sacerdotes & reliqui, uerbis preeunte Ionathane, & cùm ceteris, tum Nehemia succinẽtibus. Erat autem huiusmodi supplicatio: DOMINE Domine Deus, omniũ creator, terribilis, potẽs, iuste, misericors, solus rex & bonus, solus munificus, solus iustus, omnipotens, sempiternus, qui Israelitas ab omni malo tueris, qui delectos maiores nostros creasti, sanctosq́ reddidisti, macte hoc sacrificio esto, pro uniuerso tuorũ Israelitarum populo: cõserua & expia tuam sortem: collige nos dispersos: libera eos qui apud ceteras nationes seruiũt contemptos, & alijs inuisos: respice, & effice ut discãt gentes, esse te Deum nostrũ: uexa eos qui in nos superbè & contumeliosè potestatẽ exercent, tuosq́ in tuo sacro loco planta quemadmodum fore Moses prædixit. Et hæc quidem erat supplicatio. Sacerdotes aũt, Dei laudes accinebant. Deinde consumpta uictima, iussit Nehemias reliqua aqua maiores lapides conspergi: quo facto, flamma exarsit, & lumine ex altari cõtrà refulgente, cõsumpta est. Hęc ubi res diuulgata est, & Persarum regi nunciatũ, quo loco sacerdotes, qui translati fuerant, ignem occuluissent, ibi aquã extitisse, qua Nehemias rem sacrificam expiasset, rex explorata re, locum obsepsit, sacrumq́ fecit, & ad id multa, & ea magni precij, largitus est atq́ contulit. Nominauit aũt Nehemias locũ Ephthar, id est purificatio, quanquam à multis Nephthar uocatur.

Ignis in puteo abditus. E *Leuit. 6. a. 10. a. 16. a.*

F *Ionathan Deum suis propitium precatur.*

Deut. 30. a. G

CAPVT II.

EST autem memoriæ proditum, Ieremiam uatem iussisse ijs qui transferebantur, ut ignem sumerent, quemadmodum ostensum est: eisq́ tradita lege præcepisse, ne Domini iussa obliuiscerentur, néue aurea & argentea simulachra, eorũq́ ornatum uidentes, mentib. errarent: atq́ alia huiusmodi dicentem monuisse, ne legẽ ex animo deponerent. Est item literis mandatũ, ut idem Ieremias uates, oraculo admonitus, tabernaculũ & arcam se subsequi iusserit, ac postquam in mõtem peruenisset (quo cõscenso Moses Domini possessionem aspexerat) tabernaculum, & arcam, & aram suffitoriam, in quandam domum cauernosam, quam illic inuenisset, intulerit, ostiumq́ obstruxerit: cumq́ comitum quidam notandæ uiæ gratia accessissent, neq́ eam inuenissent, Ieremias cognita re, illis reprehensis dixerit, eum locum ignotum fore, donec pacatus Dominus, suorum cœtum coegisset: tunc ea ostensurum esse, eiusq́ splendorẽ & nubem appariturã esse, uti sub Mose perspicua fuisset, ut etiã Solomo postulasset, ut is locus magnificè consecraretur. Declaratur etiam, ut idem Solomo sapientia præditus sacrificiũ fecerit dedicationis, & perfectionis templi: ac quemadmodum Mose Iouam precato, delatus ignis de cœlo uictimam consumpsisset, etiam ad Solomonis preces delapsus ignis hostias absumpsisset: utq́ cum Moses dixisset hostiam piacularem ideo conflagrauisse, quòd comesa non esset, itidem Solomo octo diebus egisset. Atq́ eadem cùm in alijs scriptis, tum in Nehemiæ commentarijs exponuntur. Atq́ ut ille librariam instituens, regum uatumq́ res, & Dauidica & regum de donarijs epistolas congessit, similiter & Iudas bello dilapsa (quod nobis accidit) omnia collegit, ea que sunt apud nos. Itaq́ quibus egebitis, ea qui auferant, ad nos mittite. Igitur purificationẽ acturi, scripsimus uobis. Itaq́ rectè facietis, si dies obibitis. Speramus autem breui futurum, ut Deus, qui suos omnes conseruauit, eisq́ omnibus possessionem, & regnum, & sacerdotium, et sacra (quemadmodum in nostra disciplina promiserat) restituit, nos, nostri misertus, ex toto orbe terrarum in sacrum locũ congreget, qui nos ex tantis malis eripuerit, locumq́ lustrauerit. Cæterùm Iudæ Machabæi, eiusq́ fratrum res, magni templi expiationem, aræ integrationem, præterea gesta cum Antiocho Epiphane, & eius filio Eupatore, bella, & ostensa de cœlo signa, ijs qui se Iudaismi studio fortiter gesserunt, ita ut pauci totam regionem peruaserint, barbara fugauerint agmina, celebratum toto orbe fanum instaurauerint, urbem liberauerint, perituras Domini leges restituerint, ipso usi propitio atque secundo, hæc inquam, quæ ab Iasone Cyrenæo quinque libris declarata sunt, conabimur uno uolumine perstringere. Considerantes enim, quanta sit in prolixitate iactatio, quantumq́ difficultatis, propter argumenti copiam, subeat is, qui uelit in rerum gestarũ narrationibus uersari: curauimus ut & legere uolentiũ uoluptati, & res memoria complecti studentium facilitati, & omnium lectorum utilitati consuleremus. Ac nobis quidem, qui compendij laborem suscepimus, non pronum negociũ est, sed multi laboris & uigi-

Iere. 3. b. Deut. 34. a. De occulto à Ieremia tabernaculo et arca. B

Exo. 40. d. 2. Par. 4. 3. Reg. 8. 2. Par. 5. Leu. 9. d.

C

D

Propositio.

F

liarum

liarum: quemadmodũ cõuiuium parare, & aliorum cõmoditati inseruire nõ est facile. Tamen in multorũ gratiã libẽter laborem subibimus, & scriptori singula exequi concedentes, in sequenda propositi compendij ratione elaborabi-
G mus. Etenim quemadmodũ nouæ domus ædificatori, totius est cõstructionis habenda ratio: ei uerò qui sculpere aut pingere conať, quid ad ornatum faciat quærendũ est: sic arbitror & de nobis, omnia quidem consectantẽ dicere, & in singulis immorari, autoris esse: dictionis autem breuitatem sequi, & operis uitare accurationẽ, ei qui rem in pauca cõfert, esse cõcedendũ. Igiť deinceps narrationẽ exordiamur, hactenus præfationẽ inhibẽtes. Absurdũ est enim ante historiam redundare, & ipsam historiam contrahere.

CAPUT III.

CVm urbs sancta cum summa pace habitaretur, & leges quàm optimè seruarentur, propter Oniæ pontificis pietatem, & in improbos odium, fiebat ut ipsi etiam reges eum locũ in honore haberent, & fanum præclarissimis ornarent muneribus, adeò ut Seleucus Asiæ rex omnes ad sacrificiorũ procurationem necessarios sumptus de suo reditu suppeditaret. Simõ autem quidam de tribu Beniaminis, ędituus, cum de eis quæ in fori rationibus peccabantur, cum Onia pontifice contendisset, neq; uincere eum posset, adijt Appollonium Thrasææ filiũ, ea tempestate Cœlesyriæ & Phœniciæ præsidem, eiq; nunciauit, Hierosolymæ cellam esse ineffabili pecunia refertam: quippe cum ad eam innumerabilia dependerentur, quæ ad sacrificiorum rationem nõ pertinentia, possent sub re-
B gis potestatem redigi. ¶ Apollonius cum rege congressus, ei de hac indicata sibi pecunia ostendit, & rex Heliodorum quęstorem, huic negocio præfecit, eumq; misit cum mandatis, ut suprà dictam pecuniã curaret auferendã. Heliodorus protinus iter ingressus est, per speciem ille quidem urbes Cœlesyrię obeundi, sed re ipsa regis executurus uoluntatem. Postquã Hierosolymam peruenit, & ab urbis pontifice comiter acceptus est, indicium exposuit, & cuius causa adesset declarauit, quæsiuitq; an uerè hæc ita se haberent. Cui pontifex ostendit, depositũ esse uiduarũ & pupillorum, partim etiam Hyrcani Tobię filij, hominis maximis opibus præditi, non ut impius Simon calumniaretur: summam uerò esse argenti talenta quadringenta, auri ducenta. Fraudari aũt eos, qui loci sanctitate, & reuerendi toto orbe fani maiestate & asylo
C confisi fuissent, id uerò prorsus esse nefas. ¶ Sed Heliodorus propter ea quę habebat à rege mandata, omnino eas pecunias regi adiudicabat: itaq; constituto die, ingressus est ut curaret inspiciendas. Tum uerò tota urbe non mediocris erat trepidatio: sacerdotes ante aram in uestitu sacerdotali proiecti, ad cœlum eum implorabãt, qui de deposito legem tulisset, ut ijs qui deposuissent, saluas conseruaret. Iam uerò qui pontificis faciem uideret, is animo sauciaretur. Aspectus enim, & immutatus color, animi æstum indicabat: nam circunfusus erat homo timore quodam & horrore corporis, ex quibus perspicuum cernentibus fieret quis in animo inesset dolor. Tum ex domib. gregatim ad publicam supplicationẽ cõfluere, quod locus in cõtemptũ uenturus esset, succinctæq; centones sub mammis mulieres, semitas implere, & clausæ uirgi- D
nes, partim ad portas concurrere, partim ad muros, alię per fenestras prospicere, omnes quidem passis in cœlum manibus, precationes facere, ut miserabilis esset uulgi ex omni genere permixta turba, & uehementer ęstuãtis põtificis expectatio. Igitur hi ab omnipotente Domino precibus contendebant, ut sibi concredita, ijs diligentissimè salua cõseruaret, qui ea credidissent. Interea Heliodorus quod staturum erat exequebatur. Verùm eo iam apud pecuniæ cellam cum satellitibus instante, maiorũ nostrorũ Dominus & omnium rerum præpotens, tantum spectrũ edidit, ut omnes ausi eò conuenire, Dei potentia stupefacti, præ metu ferè exanimarentur. Visus
E est enim eis quidam equus terribilem ferens equitem, pulcherrimo adornatus tegmine, qui impetu incitatus, priores ungulas inflixit Heliodoro. Is autem qui equo insidebat, cernebatur auream habens armaturam: item alij duo ante eum iuuenes apparebant, robore excellentes, specie formosissimi, honesto uestitu, qui Heliodorum, utraq; parte astantes, assiduè uerberabant, multas ei incutientes plagas. Ac subitò humi collapsum, & multa caligine circumfusũ, corripuere sui, & impositũ lecticę, eum qui modò cum tanto concursu, omni stipatus satellitio, ad eam, quam diximus, pecuniæ cellam intrauerat, ferebant, nihil adiuuãtibus eum suis armis, apertè Dei potentiam agnoscentes. Et ille quidem diuina mutus opera, & omni spe salutis destitutus, iacebat. At illi Domino gratias age- F
bant, qui locum suum tanto honore afficeret, & & quod paulo antè metu & perturbatione plenum fuerat templum, id ad omnipotentis Domini præsentiam gaudio & uoluptate affluebat. Tum protinus quidam de familiaribus Heliodori, Oniam rogauerunt, ut supremum Deum oraret, uitam ut illi, prorsus extremum spiritum agenti, largiretur. Hic pontifex ueritus ne fortè rex suspicaretur aliquid à Iudæis esse in Heliodorum facinoris commissum, rem diuinam pro hominis salute fecit. Atq; eo piaculum procurante, ijdem iuuenes iterum Heliodoro apparuerunt, ijsdem amicti uestibus, & astantes ita dixerunt: Magnã habeto Oniæ põtifici gratiã: nam propter eum uitã tibi largiť Dominus. Tu uerò de cœlo uerberatus, omnibus singularẽ Dei potentiã prædicato. Hæc locuti, euanuerunt. Heliodorus autem, facta Domino G
re diuina, & uotis maximis ei nuncupatis, qui sibi uitam tutatus esset, Oniaq; salutato, ad regem se cum suis militibus refert: & omnibus, quæ Dei maximi uidisset opera, testatur. Atq; à rege interrogatus, ecquis esset idoneus qui de-

Simon quidam Apollonio indicat Hierosolymitanã pecuniam.

Heliodorus à depeculatione pecuniæ diuinitas repellitur.

nuò Hierosolymam mitteretur. Si quem habes inimicum, inquit, aut rerum nouarum cupidũ, eum illuc mittito: & uerberatum accipies, si tamen euaserit. Nam in loco illo uerè quoddam numen inest, quiꝗ cœleste domicilium tenet, is eius loci custos est & defensor: & eos qui eò nocendi causa ueniunt, supplicio afficit extremo. Ac quod ad Heliodorum & cellę pecuniariæ defensionem attinet, ita res accidit.

CAPVT IIII.

Simon Oniã criminatur.

AT Simon ille superius nominatus, pecuniarum & patriæ proditor, Oniam criminabatur, quasi ipse Heliodorum impulisset, & malorum autor extitisset: & bene de ciuitatẽ meritum, suorum cupidum, & legum studiosum, audebat rerum nouarum cupidum dicere. His inimicitijs eò usꝗ procedentibus, ut etiam per quosdam Simonis necessarios cædes fierent, Onias contentionis atrocitatẽ uidens, & Apollonij insaniam, qui Cœlesyrię & Phœnicię prę turam gerentes, Simonis augebat peruersitatẽ, ad regem se contulit, non ille quidem ciuium accusator, sed & publicæ & singulorum utilitati consulens. Videbat enim sine regis prouidentia fieri non posse ut res amplius pacatæ forent, neꝗ Simonem finem insaniæ facturum. Deinde Seleuco uita defuncto, & Antiocho, qui Epiphanes cognominatus est, regnũ adepto, Iason Oniæ frater pontificatum usurpauit, regem aggressus, eiꝗ pollicitus argenti talenta sexaginta supra trecenta, & alterius cuiusdam reditus talenta octoginta. Præterea pollicitus sese alia centum quinquaginta scripturum, si sibi per eum potestas fieret, gymnasium ei, & ephebia instituendi, & ex Hierosolymitanis Antiochenos transcribendi. Itaꝗ principatu, rege annuente, potitus, cõtinuò suos populares ad græcos mores traducebat: & concessa Iudæis regum beneficia, per Iohannem Eupolemi patrem, eius qui legationem apud Romanos de amicitia & societate obierat, abrogabat, abolensꝗ legitima reip. instituta, illicitos mores inuehebat. Nam ultrò sub ipsa arce gymnasium erexit, & adolescentum præstantissimos quosꝗ sub uelarium pertrahebat. Atꝗ ita hoc impij & minimè pontificis Iasonis nefario scelere factum est, ut græcus mos, & ascita peregrina consuetudo, adeò uigeret, ut sacerdotes non iam arę munijs essent addicti, sed contempto templo, sacrificijsꝗ neglectis, ad fruenda illicita palæstræ spectacula discíꝗ certamen properarent: & patrios honores pro nihilo habentes, græcas gloriolas pulcherrimas ducerent. Quarum rerũ causa grauẽ calamitatem passi sunt: & quorũ æmulabantur instituta, quorumꝗ similes omnino se fieri studebant, hos ipsos hostes & ultores habuere.

Iason pontificatum usurpat.

Iason Iudæos ad Græcorum mores transfert.

B

C

Nam in diuinas leges peccare non leue est: sed hæc sequens tempus declarabit. Cum autem ludi quinquẽnales Tyri ederentur præsente rege, misit scelestus Iason spectatores tanquam Hierosolymitanos Antiochenos, ferentes argenti drachmas trecentas ad Herculis sacrificiũ: quas tamen qui ferebant, petierunt ne eæ in sacrificium erogarentur (non enim conuenire) sed in alium sumptum impenderent. Ita missæ sunt, per mittentem quidem, ad sacrificandum Herculi: per latores autem, ad triremes cõficiendas. Deinde misso in Aegyptum Apollonio Mnestei filio, ad eum diem, quo Ptolemæus Philometor rex salutandus erat, Antiochus, cum accepisset eum esse à suis rebus alienatum, de suarũ rerum salute cogitabat. Itaꝗ Ioppen profectus, Hierosolymam uenit, & magnificè ab Iasone & ciuitate exceptus, & cum funalibus & acclamationibus admissus, ita in Phœniciam se recepit. Post triennij spacium misit Iason Menelaũ Simonis (cuius facta mentio est) fratrem, qui pecuniam regi ferret, & de rebus necessarijs cõmentarios faceret. Menelaus uerò regi commendatus, eum que ueneratus, per speciem potestatis in seipsum transtulit pontificatum, Iasonem trecentis argenti talentis supergressus: acceptisꝗ regijs mandatis, redijt, põtificatu quidem dignum nihil afferẽs, sed crudelis tyranni spiritus, & immanis feræ iras habens. Et Iason quidem, qui fratrem suum fraudauerat, fraudatus ab altero, profugus in Ammonitarũ regionem pulsus est. At Menelaus principatum adeptus, nihil eorum quæ promiserat, regi præstabat, quamuis ea exigeret Sostratus arcis præfectus: nam eius curationis erat uectigalium exactio. Quam ob causam ambo sunt à rege euocati: & suo munere abdicati, reliquere successores, Menelaus, sui pontificatus Lysimachum fratrem suum: Sostratus autem Cratetem, Cypriorum præfectum. His ita constitutis, accidit ut Tharsenses & Mallotæ inter se contenderent, quod erant Antiochidi, regis concubinæ, dono dati. Itaꝗ rex confestim ad res sedandas profectus est, relicto procuratore Andronico, homine dignitate prædito. Tum Menelaus cõmodam se occasionẽ nactũ arbitratus, aurea quędã templi uasa depeculatus, Andronico dono dedit, & iam alia cum alijs finitimarũ ciuitatum hominibus, tum Tyrijs uendiderat. Quã rem exploratã habens Onias arguebat, cũ quidem se in Asylũ quendam locũ recepisset apud Daphnen, quæ est ante Antiochiã posita. Itaꝗ Menelaus Andronicũ seorsum hortatus est, ut Oniã interficeret. & Andronicus ad Oniam uenit, eiꝗ fraude inducto, & dextra cum iureiurã do data, quãuis ei suspectus, persuasit ut ex Asylo prodiret: eumꝗ statim, nihil iustitiã ueritus, interemit. Quam ob causam multi etiam aliarũ gentiũ, nedũ Iudæi, tam nefariã hominis cædẽ grauiter & iniquo animo tulerũt. Ac rege ex Ciliciæ locis reuerso, cõquesti sunt apud eum qui erant in urbe Iudæi (Græcis etiã rei indignitatem accusantibus) de tam nefanda cæde Oniæ. Itaꝗ Antiochus humano more dolore affectus, & ad misericordiam cõmotus, lachrymatusꝗ, propter occisi temperantiam & modestiam excellentem, & ira inflammatus, continuò Andronicum purpura exutum, uestibus laceratis per totam

D

Menelaus pontificatũ ad se transfert.

E

Oniæ cædes.

F

Andronici supplicium.

totā urbem circūduxit ad illū ipsum locū, ubi facinus in Oniam patrauerat, & illic hominem sanguinariū interfecit, Domino dignum de eo sumente supplicium. *Seditio in Lysimachum.* Cum autem multa essent in urbe per Lysimachū, conscio Menelao, commissa sacrilegia: idque fama diuulgasset, coiuit plebs aduersus Lysimachum, aureis uasis iam plerisq; dissipatis. Cumq; turba concitaret, & ira gliisceret, Lysimachus armatis hominibus ad tria millia, cœpit iniustè uim facere, duce quodam tyranno, ætate iuxtà ac mente prouecto. At illi uidentes Lysimachi conatū, alij correptos lapides, pars crassas sudes, nonnulli obuium puluerem manibus cōprehensum, in Lysimachios & in se inuadentes spargere: atque ita multos eorum uulnerauere, nonnullos deiecerunt, omnes in fugam egerunt, ipsum sacrilegū apud pecuniæ repositorium interfecerunt. Deinde iudicio de his rebus contra Menelaū constituto, cum rex Tyrum uenisset, causam egerūt apud eum uiri tres à senatu missi. Sed Menelaus iam conuictus, Ptolemæo Dorymenis filio multis promissis persuasit, ut regem de sententia dimoueret. Itaque Ptolemæus regem in quoddam peristylium, quasi refrigerandi causa, seductum ita immutauit, ut totius mali autorem Menelaum criminibus absolueret: miseros autem illos (qui si apud Scythas dicerent, culpa essent liberati) capite damnaret. Itaq; confestim immeritas dederunt pœnas, qui ciuitatis & plebis, sacrorumq; uasorum causam egerant: quā ob causam Tyrij quoq;, sceleris odio, quæ ad illorum funus pertinebāt magnificè præbuerunt. Menelaus uerò per auaritiam potentum, mansit in principatu, uitijs addictus, & ciuium insidiator maximus.

CAPVT V.

Prodigia.

SVb id tempus cum Antiochus secundam expeditionē in Aegyptum suscepisset, accidit tota urbe, ferè per dies quadraginta, cerni in aere currentes aureo uestitu equites, & hastatorum cohortes armatas, equitumq; turmas ordinatas, & cōflictus cōcursusq; utrinq; fieri, clypeorū motus, crebras sudes, gladios districtos, telorum iactus, aureorū fulgores armorū, & omnis generis loricas: quod ostentū ut faustū esset, precabant omnes. Cum autem rumor falsus extitisset, uita excessisse Antiochū, Iason, contractis non minus mille uiris, in urbem de improuiso impetum fecit, ac pulsis ijs qui erant in muris, cum ad extremū iam caperet urbs, Menelaus in arcem fugit. *Iason in suos seuit.* At Iason suorum ipsius ciuium cędes faciebat, nemini parcens: nō cogitans, felicitatem in suos, infelicitatem esse maximam: B seq; de hostibus arbitrans, nō de popularibus suis, trophæa statuere. *Iason profugus.* Principatū tamen nō obtinuit, sed turpi insidiarū exitu, profugus iterum in fines Ammonitarū cōcessit, & ad dignum sceleratæ uitæ exitum peruenit. Nam accusatus apud Aretam, Arabum tyrannum, in alias atq; alias urbes fugiens, omnibus eum insectantibus, & odio, ut legis desertorem, prosequentibus, & ut patriæ ciuiumq; carnificē detestantibus, in Aegyptum cōpulsus est: quiq; multos patria priuauerat, is extorris perijt, profectus ad Lacedęmonios, tanquā sibi præsidio propter cognationē futuros: & qui multos insepultos abiecerat, is nulli defletus est, & omni funeris honore, patrioq; sepulchro caruit. *Antiochus Epiphanes Hierosolymam & fanum uastat.* His rebus intellectis, suspicatus est rex deficere Iudæam. Itaq; ex Aegypto profectus, efferato animo urbem ui cæpit, & militibus, ut obuios quosq; sine ulla misericordia trucidarent, et eos qui se in domos reciperent, iugularent, imperauit. Itaq; tantæ iuuenum senumq; neces, tāta uirorum mulierumq; & liberorum occisio, tanta uirginum & puerorū facta cædes est, ut tribus nō amplius diebus, octoginta hominum millia C perierint. Capta sunt autem quadraginta millia, nec pauciores interfectis uænierūt. Nec his contentus Antiochus, ausus est in augustissimū toto orbe fanum, duce Menelao, legum & patriæ proditore, ingredi: sceleratisq; manibus sacra uasa capiens, & aliorū regū donaria, ad loci ornamentū, gloriam, honoremq; collata profanis depeculans manibus, distribuere, & interim animo insolescere: nō uidens, propter urbis incolarum peccata, paulisper iratum esse Dominū, & inde ortā esse loci contemptionē. Quòd nisi illos multis teneri peccatis cōtigisset, quemadmodum Heliodorus à Seleuco rege missus ad auferendā pecuniam, fuerat repentè fustigio ab audacia repulsus, idem & huic accidisset. Verùm nō propter locū, gentē, sed propter gentem, locū Deus elegit. Itaq; locus ipse, qui calamitatum gentis, quæ acciderunt, fuit particeps, postea fuit & beneficiorū à Domino collatorū socius: & qui Omnipotentis ira derelictus fuit, idem rursum supremi Domini reconciliatione, D cum omni est gloria restitutus. Igitur Antiochus, sublatis ex fano mille octingentis talentis, protinus Antiochiā se cōtulit, putans se prę superbia posse & terram nauigabilem, & pelagus pedibus facere peruium: tantus erat animi fastus. Reliquit autem præfectos, qui Iudæorū genus uexarent, Hierosolymis: Philippum natione Phrygem, moribus eo ipso, qui constituerat, truciorem. In Garizim autem, Andronicū, & præter eos Menelaum, qui erat in suos teterrimus omnium, & hostili in Iudæos ciues animo. Misit item flagitiosum illum ducem Apollonium, cum militum uigintiduobus millibus: eiq; imperauit, ut omnes adultos necaret, mulieres autem & iuuenes uenderet. Is Hierosolymam profectus, pacem simulando, negocium ad sacrū diem Sabbathi distulit: quo die feriantes nactus Iudæos, suis ut arma caperent edixit, & omnes ad spectaculū egressos obtruncauit: tum in urbem cum armis cursu ingressus, non paruam multitudinem postrauit. At Iudas Machabæus cum alijs nouem, discessit in solitudinem, & in montibus ferarū ritu cum suis uitam agebat: herbarumq; pastu uescens, durabat, ne pollutionis esset particeps.

a. Latinus habet Antiochenũ. Antiochus senẽ Atheniẽsem mittit, qui Iudæos à patrijs legibus cogat desciscere.

CAPVT VI.

NOn multo pòst tempore misit rex senem ᵃAtheniensem, qui Iudæos cogeret à patrijs legib. desciscere, diuinarũq; legũ usum omittere, & templũ Hierosolymitanũ polluere, ac Iouis Olympij cognominare: Garizimũ autem, ut erant eius loci incolæ, Iouis hospitalis. Erat plebi grauis & tristis tanti mali status. Nã templũ luxu & comessationib. replebat̃ ab externis, nequitiæ inter scorta indulgentib. & intra sacros parietes cũ fœminis rem habentibus, & insuper illicita intrò ferẽtibus. Ara rebus erat nefarijs, & lege uetitis, plena: neq; sabbatha agere, neq; patria festa seruare, neq; omnino Iu-
B dæum se fateri licebat. Ducebant̃ Iudæi acerba ui, mẽstruali regis natali die, ad uiscerationẽ: & in Bacchanalib. cogebant̃ hederas ferentes, Orgia celebrare Libero. Præterea promulgatũ est edictũ, autore Ptolemæo, in finitimas ciuitates Grecas, ut ad idẽ institutũ, et ad uiscerandũ adigerent̃ Iudæi: ac qui in Græcorũ mores transire recusarent iugularent̃. Ergo licebat presentẽ uidere calamitatẽ. Nam duæ mulieres ꝑductæ sunt, quæ suos natos circumciderãt, & suspẽsis de mãmis infantib. publicè per urbem circũductæ, de muro præcipitatę sunt. alij cum in proximas speluncas cõfugissent, ut septimũ diẽ clàm agerent, indicati Philippo, flãmis cremati sunt:
C quòd seipsos defendere, propter tam religiosi diei opinionem, uererent̃. Igitur huius libri lectores hortor, ne propter aduersos casus animũ despondeant: sed cogitent, pœnas nõ ad perniciem, sed ad correctionẽ esse nostri generis: ac ꝙ nõ diu impuniti sinant̃ impij, sed cõtinuò dent pœnas, id esse magni beneficij argumentũ. Nõ enim, quemadmodũ in alijs gentibus patienter expectat Dominus, donec ad summũ scelerum progressos puniat, sic in nobis faciendũ esse statuit: ne, si ad extremũ peccatorũ ueniremus, postea in nos animaduerteret. Itaq; nunquã suã no-
D bis misericordiã subtrahit, sed suos aduersis casibus castigãdo nõ derelinquit. Verùm hæc nobis paucis dicta sint, admonitionis gratia. Iam ad narrationẽ ueniendũ est. Eleazarus quidã ex primarijs scribis, uir iam ætate prouecta, & facie aspectu pulcherrima, cogebat̃ ui diducto ore suilla uesci. Sed is mortẽ cum gloria, ꝙ uitã cum infamia malens, ultro ad tympanũ accedebat: idq; spuens, quomodo accedere oportebat eos, qui mallent suppliciũ subire, quàm illicita præ uiuẽdi cupiditate gustare. Cæterùm qui nefariæ uiscerationi præerant, ij propter superiorũ temporũ uiri notitiã, seductũ seorsum hortabantur, ut carnes à se paratas afferret, quibus ei uti
E fas esset: & interim simularet se uesci iussis à rege carnibus hostiarũ, ut hac ratione mortẽ euitaret, & propter ueterem, quæ ei cum ipsis intercedebat amicitiã, humanè tractaret̃. At ille honestam rationem secutus, & ætate senectutisq; excellentia, cõtractaq; & insigni canicie, & optima iam à pueris educatione dignã, uel potius sanctæ & latæ diuinitùs legi conuenienter, sta-

Eleazarus in Iudaismo perseuerans, supplicio afficitur.

tim respondit, malle se ad inferos mitti. Neq; enim ętate nostra dignum est, inquit, simulare, ut
multi iuuenũ, putãtes Eleazarũ, hominem nonagenariũ, in externos cõcessisse ritus, ipsi quoque mea simulatione & culpa, propter breuem caducãq; uitam, errent, atq; ita ego meę senectuti infamiam cõflem, atq; maculã. Nam etiã si in præsentia hominũ suppliciũ euitauero, at Omnipotẽtis quidem manus neq; uiuus neq; mortuus effugiã. Quare si nunc generosè uitam finiero, & senectute dignus uidebor, & iuuenib. egregium relinquã exemplũ, ad mortem alacriter & generosè, pro tam augustis sanctisq; legibus, oppetendã. Hæc locutus, ad tympanũ sta- F
tim uenit. Cumq; hi qui eum ducebant, illam G
quam paulo antè ostenderãt beneuolentiã mutauissent in maleuolentiã, propter illam eius orationẽ, quã ipsi dementiã interpretabant̃, ipse iamiam plagis uitã finiturus, ingemiscens ita loquitur: Domino sanctã habenti cognitionem perspicuũ est, me, cum possem mortem euadere, duros corpore dolores ferre uapulantem: sed animo libenter, ipsius reuerentia, hæc perpeti. Hoc ille pacto ex uita discessit, nõ solum iuuenibus, uerumetiã plerisq; alijs suæ gentis mortem suam magnanimitatis exemplum, uirtutisque monimentum relinquens.

CAPVT VII.

De septem fratribus, & matre, supplicio ob Iudaismum affectis. Primus.

ACcidit autem ut etiã septẽ fratres cum matre cõprehensi, quo cogerent̃ à rege suillam cõtra fas gustare, uerberibus lorisq; cruciarentur. quorum unus ita princeps loquutus est: Quid interrogare & ex nobis discere cũctaris? sumus enim parati mori potius, ꝙ patrias uiolare leges. Hic rex furore percitus, sartagines iussit, & lebetes candefieri, quibus ignitis, confestim iussit ei qui princeps locutus erat, linguã abscindi, cutem detrahi, manus & pedes amputari, spectantibus reliquis fratribus atq; matre, atq; ita prorsus mutilatũ, iussit igni spirantẽ ad moueri atq; frigi. Cumq; se uapor sartaginis latè diffunderet, illi inter sese cum matre ad generosè oppetendũ cohortabant̃, ita dicentes: Vi- E
det hæc Dñs Deus, & reuera in nobis propitiatur, quemadmodũ in illo carmine, quod palàm cõtra Israelitas testimonio est declarauit Moses his uerbis: Et suis propitiabit̃. Hoc pacto cum primus occubuisset, illi secundũ ad idẽ suppliciũ duxerunt, & cute capitis eius cum capillis detracta, interrogabant esset ne gustaturus, prius quàm eius corpus mẽbratim dilaniaret̃? Sed ille patria uoce, facturũ negauit. Itaq; & is ad subsequentem tractus cruciatũ, quemadmodum primus, ubi ad extremũ uentum est spiritum, sic loquit̃: Tu quidem, ô furiose, ex hac uita nos laxas: sed mundi rex nos pro suis mortuos legibus, in æternã uitæ restitutionem susci-
tabit. Post hunc tertius illuditur: & linguam C
proferre iussus, illico exeruit, manusque audacter protendit, ita generosè locutus: Ex cœlo hæc habeo, & propter illius leges hæc contemno, & ab eodem hæc me recuperaturum spero

Deu. 32. e Secundus.

Tertius.

adeo

adeò ut ipse rex, & qui cum eo erant, mirarent animum adolescētis, qui dolores nihili faceret. *Quartus.* Hoc quoq; extincto, quartū itidem torquendo excruciabant, qui iam morti proximus, sic est locutus: Optabile est omittere spes humanas, diuina spe fretos, à Deo in uitam reuocandos. Tibi quidem in uitā resurrectio nō erit. Deinceps *Quintus.* quintū adductū torquebant, qui ad regem intuens: Tu quidem, inquit, potestatē inter homines habens, mortalis ipse, facis quod libet: sed noli arbitrari, genus nostrū à Deo esse destitutum. Verū perge, & specta singularē eius potentiā, qui te tuamq; progeniē supplicio afficiet: D *Sextus.* Post hunc adductus est sextus, qui iamiā moriturus dixit: Ne temerè erres, nos quidē propter nos ipsos, qui in Deum nostrū peccauerimus, hęc patimur, admiratione quidē digna: sed noli tu arbitrari, tibi hoc impunè futurū, qui cū Deo *Mater.* bellare conatus sis. Verùm mater supra modū admirāda, & memoria felici digna est, quę pereuntes unius diei spacio septē filios aspiciens, ęquo animo ferebat, propter spes in Domino collocatas, et singulos patrio sermone cohortabat, generosi plena spiritus, & fœmineū ingenium masculo animo excitans, & sic eos alloquens: Nescio equidem, quo pacto uos in meo extiteritis utero: nec ego uobis spiritū & uitam contuli, neq; cuiusq; uestrûm primordia concinnaui. Nimirū mundi creator ille, qui genus humanum finxit, & originis omnium autor est, idem uobis spiritū & uitam clemēter reddet, qui uos E ipsos nunc propter ipsius leges contemnatis. Antiochus uerò putans se despici, & [a] exprobrantē uocem suspectā habens, cum superesset adhuc natu minimus, nō solū uerborū hortatione utebatur, sed etiā iureiurando cōfirmabat, se eum diuitem & beatum esse facturū, si à patrijs moribus descisceret: & in amicis habiturū, honoresq; ei mandaturū. Cumq; nihil iuuenis flecteretur, rex uocatā matrē hortabat, ut adolescēti salutare consiliū daret. At illa multum ab eo monita, recepit se filio persuasurā: & illum propius aggressa, crudelē deridens tyrannū, sic uernaculo sermone dixit: Fili, miserere mei, quæ te in uentre gessi menses nouē, quæ tres annos lactaui, quæ educaui, & enutritū ad istā ætatem F perduxi. Peto à te, nate, ut cœlū intuens, terrámque, & omnia quæ in eis insunt uidens, cognoscas hæc Deū fecisse de nihilo, atq; ita hominū genus esse cōditum. Noli hūc metuere carnificem, sed fratrib. dignus admitte mortē, ut ego te per Dei misericordiā cum tuis fratribus reci*Septimus.*piam. Hæc adhuc ea dicēte, iuuenis ita loquit: Quē manetis? non obedio regis præcepto: sed præceptionem legis audio, maiorib. nostris per Mosem latæ. Tu uerò omnis in Hebręos sceleris repertor, Dei manus nō effugies. Nos quidē ob nostra ipsorū peccata hæc patimur. quòd si correctionis et castigationis gratia, immortalis noster Dominus paulisper iratus est: at idē iterū suis recōciliabit. Tu uerò, ô impie et omniū hominum sceleratissime, noli incerta spe tumidus

[a] suspicans ex pronunciatiōe matris (nā ipse Hebraicè nesciebat) eā sibi maledicere.

efferri, cœlestibus natis manus afferēs: nōdum enim omnia potētis & uidentis Dei iudicium effugisti. Nam nostri quidē fratres nūc breuem perpessi laborem, in æternę uitæ diuinū fœdus uenerunt. At tu uindice Deo iustas superbiæ pœnas dabis. Ego uerò fratrū exemplo, & corpus & animā pro patrijs dedo legibus, Deum orans, ut genti nostræ breui fiat propitius, & tu inter cruciatus & fustigiū, eum solum Deū esse fatearis: utq; in me fratribusq; meis sedetur omnipotentis ira, qua meritò in uniuersum genus nostrum sæuitur. Hic rex ira percitus, hunc omniū pessimè tractauit, irrisionē ęgrè ferens. Et hic igitur purè uitam finiuit, prorsum Domino cōfisus, & ultima filiorum mater interiit. Ac de uisceratiōnibus quidem, & immanibus cruciatibus, hactenus dictum esto.

CAPUT VIII.

Iudas copias cogit. IUdas autē Machabęus et eius socij, in pagos occultè obrepentes, cognatos asciscebāt: & assumptis his qui in Iudaismo permanserant, coegerunt ad sex hominū millia. Dominumq; orabant, ut infestatū ab omnibus populū respiceret, templi ab impijs hominibus profanati misericordiā caperet: urbis, quæ ab omnibus uastaretur, & iam solo ęquanda foret, misereretur, clamantem ad se sanguinē exaudiret, recordaretur nefarias innocentū cædes infantiū, & dictarum in nomen suum contumeliarū iniuriā persequeretur. Igitur Machabæus facta manu, iam gentibus erat insuperabilis, ira Domini in misericordiā uersa: & oppida urosq; de improuiso B aggrediens, incēdebat: opportunaq; loca occupans, nō paucos hostium uictos fugabat, ad tales insidias maximè utens, adiumento noctium. Ergo fama uirtutis eius ubiq; percrebescente, animaduertens Philippus hominē paulatim proficere, & crebrò secundis rebus procedere, ad Ptolemæum Cœlesyriæ & Phœnicię prætorē scripsit, ut regis subueniret rebus. Is cōtinuò delectum Nicanorē Patrocli filium, unū de primarijs amicis, misit, attributis ei diuersarū nationū hominib. nō minus uiginti millibus, ad uniuersum Iudęorū genus euertendū. Huic etiam Gorgiam adiunxit, hominem imperādi C & rei militaris peritum. Statuit autem Nicanor *Nicanoris in Iudeam expeditio.* tributum Romanis à rege pendendum, quod erat talentorū duo milliū, ex Iudæorum captiuitate cōficere: statimq; ad maritimas ciuitates misit, qui ad emenda Iudæa mācipia homines inuitarent: promittēs se nonaginta corpora talento addicturum, non expectans imminentes sibi ab Omnipotente pœnas. Hac Nicanoris expeditione Iudę nunciata, cum suos de exercitus aduentu certiores fecisset, timidi & Dei uindictę diffidentes, diffugiebāt, seq; subducebāt: alij etiam reliqua omnia uenundabāt: simulq; Dominū orabant, ut ab impio Nicanore uenditos antè, quàm captos, tueretur, si non propter ipsos, at propter ea quæ ipsi cum eorum maioribus fœdera intercederent: quoniam que ipsius uenerando et augusto nomine censerent. D

Igitur

Iudas suos animat.

Igitur Machabæus coactis suis, qui erãt numero sex millia, hortatur ne hostes pertimescant, néue externorũ ipsos iniuria aggredientiũ multitudinem timeant, sed animose pugnent, & sibi ob oculos tam nefariam illorũ in sacrum locum contumeliã, & indignissimè uastatæ urbis uexationem, & insuper antiquę institutionis euersionem proponant. Illi quidem et armis, inquit, & audacia freti sunt: at nos omnipotenti Deo (qui potest & eos qui nos adoriunt, & totum orbem uno nutu deijcere) confidimus. Cõmemorauit item eis lata maioribus diuinitùs auxilia, & illud contra Sennacheribum, quo centum octogintaquinqꝫ hominũ millia perijssent: & illud in Babylonia factum cum ipsis Gallis prælium, ubi quum octo omnino millia ad rem gerendã uenissent cum Macedonũ millibus quatuor, & Macedones hæsitarent, illa octo millia, cœlestis interuentu subsidij, centum uiginti hostium millia superassent, et incredibilia commoda peperissent.

4.Reg.18.g Tob.1.d Eccl.48.d Esa.37.g

E

His exemplis cum suis animũ auxisset, & paratos pro legibus & patria mori reddidisset, exercitũ quadripartitò diuisit, & fratres suos Simonem, Iosephũ, & Ionathanẽ, suæ quemqꝫ aciei præposuit, attributis unicuiqꝫ militibus mille quingentis. Prẹterea Eleazarũ legendo sacro libro præfecit: et data tessera auxilij diuini, ipse primam ducens aciem, cum Nicanore præliũ cõmisit. atqꝫ ita Dei omnipotentis ope interfecere Nicanorianorũ supra nouem millia: uulnerarunt, & membris mutilauerunt multo maximam partem: omnes quidem in fugam coniecerunt, eorumqꝫ facultates, qui ad ipsos uenerant emendos, abstulerunt: & illos aliquandiu persecuti, sese receperunt, tempore interclusi,

Nicanoriani à Iudæis uicti.

F

quod erat pridie Sabbathi, quam ob causam nõ diu illis institerũt, sed lectis hostium armis, spolijsqꝫ detractis, Sabbatho se dederunt, ingentes Domino gratias cum laudibus agentes, qui ipsos ad eam diem seruauisset, & suæ misericordiæ specimen eis præbuisset. Post Sabbathum, prædam cum uexatis, cum uiduis & pupillis, partiti, reliqua ipsi cum famulis diuiserunt. His peractis, publicam supplicationem fecerunt, misericordem orantes Dominũ, ut suis tãdem placaretur: Timotheũqꝫ & Bacchidẽ adorti, supra uiginti millia eorum interfecerũt: arduisqꝫ munitionibus præclarè potiti, maximas prædas diuiserunt: quas quidem æqualiter inter se & damna passos, pupillosqꝫ, & uiduas, & insuper seniores partiti sunt. & captis hostiũ armis omnia diligenter locis idoneis posuerũt: reliquam prędam Hierosolymã contulerunt:

G

occiso Timotheanorum tribuno, homine sceleratissimo, & qui multa damna Iudæis intulerat. Deinde uictoriam in patria celebrantes, eum qui sacras ualuas incenderat Callisthenem cremauerunt, cum in quoddam tuguriũ perfugisset. Ita ille dignam tulit impietatis mercedem. At consceleratus ille Nicanor, qui mille negociatores ad Iudæorum uenditionẽ adduxerat, is auxilio Domini subactus ab eis, qui eius iudicio erãt uilissimi, deposito splendido uestitu, per mare mediũ, fugitiui modo, ipse sibi solitudinis autor, uenit Antiochiam, re infelicissimè gesta, deleto exercitu. & qui se susceperat Romanis esse de captiuis Hierosolymitanis tributum confecturũ, is nunciauit, Iudæos habere propugnatorem: & hac ratione lædi non posse, quòd latas ab eo sequerentur leges.

Nicanoris fuga.

CAPVT IX.

Antiochus Epiphanes ab urbe Persepoli repulsus.

Circa id tẽpus Antiochus fœdè ex Persidis locis discesserat. Nam in urbem ingressus, quæ dicitur Persepolis, conatus erat fanum depeculari, et urbem occupare. Quamobrẽ uulgo ad armorum præsidiũ concitato, accidit ut pulsus ab incolis Antiochus, turpem discessum faceret. Cumqꝫ esset ad Ecbatana, nũcium accepit de casu Nicanoris & Timothei: & iracundia elatus, cogitabat etiã acceptũ ab eis, à quib. fugatus erat, detrimentũ, in Iudæos impingere. Itaqꝫ iussit aurigæ, ut cõtinenter pergens, iter expediret, cœlestibus pœnis uidelicet eum urgẽtibus: sic enim superbè dixit: Sepulchretũ Iudæorum Hierosolyma faciam, ubi eò peruenero. Sed omnipotens Dominus, Israelitarũ Deus, eum insanabili cæcoqꝫ morbo affecit. Nam simulac eã uocem protulit, correptus est uiscerũ dolore irremediabili, & acerbis intestinorũ cruciatibus: & meritissimò, qui tot & tam inauditis pœnis aliorum uiscera torsisset. At ille tantũ abfuit, ut ferociendi finem faceret, ut etiam superbia plenus, ignem animo spiraret in Iudæos: iterqꝫ celerari iuberet.

2. Par.16.c

Antiochus Epiphanes torminibus diuinitus afficitur.

Accidit autem, ut ex curru, dum rapidè fertur, caderet: grauiqꝫ lapsu læsus, omnibus corporis membris discruciaret. Ac qui modò humanũ excedente modum iactãtia, putabat se maris imperaturũ fluctibus, & montium moles in statera libraturũ: is humi deiectus, in gestatorio ferebatur, manifestã Dei potentiã omnibus ostendens, adeò ut ex impij corpore uermes scaterẽt: uiuentisqꝫ carnes cum doloribus & cruciatibus dilaberentur, tanto fœtore, ut is toti exercitui molestus esset: qui que paulo antè cœlestia tangere sidera uidebatur, eundem propter intolerabile uirus odoris, gestare nemo posset. Hic igitur perculsus, nimiã desinere superbiã, & ad sui cognitionẽ uenire cœpit, diuinæ scuticę doloribus assiduè magis ac magis augescentibus. & ne ipse quidem suũ odorem ferre ualens, sic loquitur: Aequum est Deo subijci, & nõ, mortalis cum sis, sese Deo arroganter ęquare. Orabat autem scelestus iam non miserturum Dominum, ita dicens, sese urbem sanctam (ad quã tanta cum festinatione cõtendebat, eam cõplanaturus, & in sepulchretũ redacturus) liberam esse redditurum: & Iudęos (quos ne sepultura quidem dignari statuerat, sed alitibus & feris, unà cum ipsorum paruulis, proijcere deuorandos) omnes Atheniensibus exæquaturum:

B

C

quodqꝫ prius depeculatus erat sacrum templũ, pulcherrimis donarijs ornaturum, & sacra uasa omnia multiplicata redditurum, & necessarios ad sacrificia sumptus de suis esse reddit-

bus

tibus suppeditaturũ, atq; insuper Iudęũ se fore, omniaq; habitata loca peragraturũ, Dei potentiam nunciantẽ. Sed cum haudquaquã desinerent dolores (inuaserat enim eum iustũ Dei supplicium) de suis rebus desperans, scripsit ad Iudæos infrà scriptam epistolam, suppliciter compositam, hæc continentem: BONIS IVDAEIS CIVIBVS, rex & imperator Antiochus salutẽ plurimã, & bene ualere, & bene rem gerere. Si uos ualetis, uestriq; liberi, & uestra se uobis ex sententia habent, maximas ago sanè Deo gratias, in cœlo spem habens. Equidem sum infirma ualetudine. Cum ex Persidis tractu rediẽs, in difficilem morbum incidissem, amicè recordatus honoris & beneuolentiæ uestræ, operæprecium existimaui, cõmuni omnium securitati consulere, non de me quidem desperans: nam magnam spem habeo, fore, ut ex hoc morbo euadam. Sed cum uiderem etiam patrem meũ, quo tempore in superiores regiones expeditionẽ fecit, cõstituisse successorem, ut si quid inexpectatum accidisset, aut sinistrum aliquid nunciatum fuisset, incolæ, scientes cui rerum administratio relicta fuisset, nõ perturbarentur: præterea cum cõsiderarem finitimos dynastas, & regno uicinos, tempora aucupari, euentum expectantes, Antiochũ filium regem creaui, quem sæpe in superiores satrapias recurrens, plerisque uestrûm cõmittebam, atq; cõmendabam. Scripsi autem ad eum quę subiecta sunt. Hortor igitur uos, & peto, ut & publicorũ & priuatorum beneficiorum memores, eam, quam quisque habet erga me, & erga filiũ, beneuolentiã, retineatis. Confido enim, eum institutũ meũ sequẽtem, modestè uobis esse et humanè usurũ. Igitur homicida ille, & in Deum cõtumeliosus, dira passus, ut alios affecerat, peregrè in mõtibus miserabilissimo fato uitam finiuit: cuius cum corpus Philippus, qui cum eo fuerat educatus, auferret, ueritus Antiochi filiũ, ad Ptolemæũ Philometorẽ in Aegyptum se contulit.

Antiochi Epiphanis ad Iudæos blandæ literæ.

CAPVT X.

Machabeus templũ lustrat, urbemq; reficit.

MAchabęus autem, & eius socij, duce Domino, templum urbemq; receperunt, extructas in foro ab externis aras, itemq; delubra diruerunt, & expiato templo, aliam aram fecerunt: excussoq; de silicibus igne sacrificium fecerunt post bienniũ & sex menses, suffitumq; & lucernas, & appositios panes curarunt. atq; ijs factis, proni contenderunt à Domino, ne deinceps in eiusmodi mala inciderent: sed si quando peccauissent, ab ipso clementer castigarẽtur, nõ autem maledicis in Deum & barbaris gentibus dederentur. B Ac quo die templum fuerat ab externis profanatũ, accidit ut eodem die fieret templi lustratio, eiusdem mensis, scilicet Casleu, die uigesimoquinto: egerũtq; cum lætitia dies octo, ritu festi umbraculorũ, recordantes, ut paulo antè in montibus & speluncis more ferarum tabernaculorum festum egissent. Itaq; thyrsos, uirentesq; ramos, item'que palmas habentes, eius laudes carminibus celebrabãt, qui eis suum fauorem ad lustrandũ suum templum accõmodasset. Sanxerunt autem publico decreto, et plebiscito, ut uniuersa Iudæorũ natio eos dies quotannis ageret. Et Antiochi quidẽ, qui appellatus est Epiphanes, obitus sic se habuit.

Antiochus Eupator. C

Iam de Eupatore Antiocho, illius impij filio, narrabimus, continua bellorũ coniuncta bellis mala paucis explicãtes. Is regnũ adeptus, Lysiæ cuidam rerũ administrationẽ mãdauit, Cœlesyriæ & Phœniciæ imperatori summo. Ptolemæus enim, qui Macron uocabatur, studens erga Iudæos (quibus tãta facta fuisset iniuria) æquitatem retinere, conabatur pacem cum eis agere. Vnde cum apud Eupatorem ab amicis accusaretur, & subinde proditor audiret, quòd Cyprum sibi à Philometore cõmissam reliquisset, & se ad Antiochũ Epiphanem contulisset, cùmque nullam splendidam potestatem haberet, uita se, præ animi angore, ueneno priuauerat.

Ptolemæus Macron uita se priuat.

Gorgias.

Gorgias autem, eorum locorum dux factus, milites cõducebat, & ferè bella cõtra Iudæos fouebat. Accedebat eò, quod Idumęi opportunas munitiones obtinentes, Iudæos exercebãt: & ascitis his qui erant pulsi Hierosolymis, bellum alere tentabant.

D *Machabæani Idumæorum munitiones expugnant.*

Machabęani uerò, facta supplicatione, oratoq; Deo, ut sibi ferret auxilium, in Idumæorum munitiones impetum fecerũt, ijsq; locis fortiter oppugnatis potiti sunt: & superatis omnibus, qui de muro propugnabant, obuios passim trucidarunt, & nõ minus uiginti millibus occiderũt. Cumq; nõ pauciores quàm nouem millia, in duo castella munitissima, & omnia ad tolerandã obsidionẽ habentia, confugissent, Machabeus, relicto ad eorũ obsidionẽ Simone & Iosepho, & prętereà Zacchæo cum suis, ipse ad urgẽtia magis loca se cõtulit. At Simoniani auaritia inducti, à quibusdã castellanorum pecunia corrupti sunt: acceptisq; septuaginta drachmarũ millibus, nõnullos dilabi permiserũt. Qua re Machabæo nunciata, coactis exercitus ducibus illos accusauit, qui pecunia fratres uendidissent, hostes periculo eorum dimittẽdo: E atq; illos quidẽ, qui fuissent proditores, interfecit: statimq; duo castella expugnauit, & armis feliciter usus in omnib. deleuit in illis duabus munitionib. supra hominũ uiginti millia. Timotheus uerò, qui prius uictus à Iudæis fuerat, contracto ingenti peregrinorũ exercitu, coactoq; Asiano equitatu nõ pauco, aderat, ut Iudæam subacturus armis. At Machabæani eo propinquante, ad Deum precandum uersi sunt: & capitibus terra conspersis, centonibus latera succincti, ad aræ gradum iacentes orabant, ut ipsis propitius, hostes ipsorum tractaret hostiliter, & aduersarijs aduersaretur, sicuti lex declarat. Deinde supplicatione defuncti, captis armis, ab urbe processere longius: & ubi prope hostes uentum est, restitere. Deinde simulac orta dies est, concurrerunt utrique, hi propignore felicitatis, & uictoriæ cum uirtute coniunctæ, habentes in Domino perfugium: illi certaminũ duce utentes furore. Igitur cõmisso acri prælio, uisi sunt aduersarijs de cœlo in equis auro

frenatis

Machabæus diuinitus defensus.

natis uiri quinq; insignes, Iudæis præeuntes: quorum duo receptũ in mediũ Machabæũ suis armis protegentes, inuulneratum tuerenť, & in aduersarios tela iacerent, & fulmina. Itaq; caligine circumfusi, trucidabanť, perturbatione pleni. Occisa sunt autem uiginti millia quingenti, equites uerò sexcẽti: ipse Timotheus aufugit in munitissimũ quoddam præsidium, Gazara dictum, cui præerat Chæreas: quod præsidiũ Ma-

Timotheus fugit.

G chabæani alacres per quatuor dies obsederunt. Cumq; ij qui intus erant, loci præcipitio confisi, immodica cõuicia & uerba nefanda iactarẽt, illucescente uigesimo quinto die Machabæani iuuenes, animis, ꝑpter cõtumelias ardẽtes, murum fortissimè & fero animo aggressi, obuios quosq; cędere. Item alij distractis eò aduersariorum copijs, ad interiores ascendere, turresq; incendere: & incensis ignibus, maledicos illos uiuentes cremare. Alij refractis portis, admissaq; reliqua acie, oppidum capiunt: & Timotheum in quadam specu latentem, eiusq; fratrem Chęream & Apollophanem iugulant. His gestis, Domino cum carminibus & laudibus gratias egerunt, qui tanto beneficio Israelitas affecisset, eisq; uictoriam dedisset.

Timotheus occiditur.

CAPVT XI.

Lysias Iudæam inuadit.

PErparuo pòst tempore Lysias regis procurator & cognatus, rerumq; administrator, eas res ęgerrimè ferens, coactis peditibus ad octoginta millia, cum uniuerso equitatu Iudæos aggrediť, in animo habens ex urbe facere Græcorum domiciliũ: templumq; quęstui (sicuti cætera gentium delubra) & pontificatum uenalem quotãnis habere nihil minus quàm de Dei potentia cogitans. Igitur equitũ magnis, peditum maioribus ferox copijs, & elephantis octogin-

B ta, Iudæam ingressus, & Bethsuram aggressus, locum natura munitũ, à Hierosolymis circiter quinq; stadia distantẽ, oppugnare cœpit. Eum postquã munitiones obsidere intellexere Machabæani, Dominũ cum querimonijs & lachrymis, unà cum reliquo hominum uulgo, obsecrabant, ut bonum Genium Israelitis mitteret ad ipsorũ salutem. Ipse primus Machabæus sumptis armis, alios hortatus est, ut secum periculũ subirent auxiliandi suis consanguineis. Ita cum simul alacres proficiscerentur, nec adhuc procul Hierosolymis abessent, apparuit præcedẽs eos eques alba ueste aurea arma quatiens. Tum illi uniuersi Deo misericordi gratias agere, & ita animis confirmari, ut nõ solũ homines, uerùm etiam ferocissimas bestias, & ferreos muros, es-

Prodigiũ.

C sent confodere parati. Ita instructo agmine progressi, cœlestem adiutorem Domini misericordia habentes, impetu in hostes leonum ritu facto, prostrauere peditũ millia undecim, & equites mille sexcentos, omnesq; in fugam egerunt: quorum pleriq; saucij, nudi euaserunt. Ipse Lysias fuga turpiter elapsus, homo nõ insipiens, & quod acceperat detrimentũ apud se cõsiderans, & inuictos esse Hebręos cogitans, propugnãte pro eis omnium rerum præpotẽte Deo, legatos

Lysias fugatus, legatos ad Iudæos de pace mittit.

ad eos misit de cõpositione in quascunq; leges, promittens se regi persuasurũ, ut eis fieret amicus. Quæ omnia Lysię postulata Machabæus concessit, utilitati consulens. Nam quæcunq; D

Machabæus postulata de Iudæis scripto edidit Lysiæ, ijs assensus est rex. ¶ Sunt autem scriptæ Iudęis literæ à Lysia in hunc modum: LYSIAS POPVLO IVDAEO SALVTEM. Iohannes & Absalomus à uobis missi, postquã nobis subscripta uestra postulata tradiderunt, petebant super eis, quæ ibi significabanť, responsum. Quę igitur ad regem referenda erant, ei exposui, ac quæ licebat, concessit. Quòd si in rebus beneuolentiam retinueritis, dabo operam, ut & in posterũ uobis bonorũ causa sim. Sed de his singillatim præcepi & his uestris, & meis, quæ uobiscum colloquantur. Valete. Anno centesimo duodequinquagesimo, Dioscori uigesimaquarta. ¶ Regis autẽ epistola ita cõtinebat, REX ANTIOCHVS fratri Lysiæ salutem: Patre nostro in deos relato, uolẽtes eos, qui regno subiecti sunt, sine perturbatione gerere curam suarum rerum, audimus Iudæos non consentire in factam à patre in Græcos mores mutationem: sed suis addictos institutis postulare, ut sua sibi iura concedantur. Cupientes igitur eam quoq; gentem sine turbis esse, decernimus, ut & fanum eis restituatur, & maiorum suorum reipubl. institutione utãtur. Rectè igitur feceris, si eis, missis nuncijs fidem dederis, ut intelligentes uoluntatem nostram, bono sint animo, & libenter suarum rerum administrationẽ recipiant. Ad gentẽ autem epistola regis talis erat: REX ANTIOCHVS senatui Iudæorũ, & alijs Iudęis, salutem. Si ualetis, est ut uolumus: nos quoq; ualemus. Demõstrauit nobis Menelaus, uelle uos ad uestra remigrare, et ibi esse. Igitur redeuntibus usque ad diem trigesimã Xantici mensis Iudæis licebit, data fide, sine metu, suo uictu & legibus uti, ut prius, neque quisquam eis ullo pacto ob commissos errores molestus erit. Misi etiam Menelaum, qui uos cõmonefaciat. Valete. Anno centesimo duodequinquagesimo: Xantici uigesimaquinta. Miserunt & Romani ad eos epistolam in hanc sententiam: QVINTVS MEMMVIS & Titus Mãlius, Romanorum legati, populo Iudæo salutem: Quæ Lysias regis cognatus uobis concessit, nos quoq; approbamus. De quibus autem ad regem referendum iudicauit, cõsultate super ijs: & quamprimũ aliquem mittite, ut rem componamus, quemadmodum uobis expedit. Nos enim Antiochiam tendimus. Quare properate & mittite aliquos, ut & nos cognoscamus quæ sit uestra sententia. Valete.

E Antiochi Eupatoris literæ ad Lysiã, quibus cõcedit Iudæis libertatem.

F Antiochi literæ ad Iudæos.

Romanorũ ad Iudæos literæ. G

CAPVT XII.

IGitur anno cẽtesimo quadragesimooctauo, Xantici uigesimaquinta, factis his pactionibus, Lysias ad regem discessit. Iudæi ad agri culturam se contulerunt. Sed regionum præsides Timotheus & Apollonius Gennæi filius, itemq; Hieronymus & Demophon, & præter

Ioppitæ Iudæos summergunt.

eos Nicanor Cypri prætor, eos tranquillo statu quietem agere non sinebāt, Ioppitę quoq; huiusmodi facinus admiserunt. Hortati inquilinos suos Iudæos, ut in scaphas, quas ipsi præbebant, conscenderent cum suis uxoribus & liberis, tanquam nulla inter eos intercedente simultate, sed ciuitate ita publicè sciscēte, cum Iudæi consensissent, quippe pacem uolētes, & nihil suspectum habentes, illi eos in altũ subductos, summerserunt, non minus ducentos.

Iudas Ioppitarũ & Iamnitarũ classes incendit.

Hac in suos populares crudelitate cognita Iudas, suis arma capere iussis, & inuocato iusto iudice Deo, aduersum fratrũ suorum interfectores contendit, & portum noctu incendit, scaphasq; combussit: & qui eò cõfugerāt, trucidauit: tum oppido exclusus discessit, reuersurus, & Ioppitarum ciuitatem uniuersam extirpaturus.

B

Deinde cũ intellexisset, Iamnitas quoq; idem facinus in inquilinos Iudæos conari, eos noctu adortus, portum cum classe incendit, ita ut incendij splēdor usq; à Hierosolymis cerneretur, stadijs ducētis quadraginta.

Iudas uincit Arabes.

Inde cum stadia nouem progressus, ad Timotheum contenderet, inuaserunt eum Arabes, quorum erant pedites non minus quinq; millia, & equites quingenti: commissoq; acri prælio, cum Iudæi diuino auxilio rem feliciter gessissent, uicti Nomades, Iudā de deditione orauerunt, promittentes se & pecora traditúros, & in alijs adiuturos. Iudas considerās eos sibi ad multa planè utiles, pacem eis cõcessit: & illi accepta fide, ad sua tabernacula se receperũt.

C

Iudas Caspim oppidum capit.

Aggressus est & oppidũ quoddā pontib. munitum, muris circumsepum, nomine Caspim, quod diuersarum nationum incolę tenebant: qui murorum firmitate, cõgestoq; commeatu freti, contumeliosius in Iudęos agebāt, conuiciantes & maledicētes, nefandaq; dicentes. Tum Iudæi, inuocato summo mũdi rectore, qui sine arietibus & machinarũ apparatu

Iosu.6.

Hierichuntem Iosuæ tēporibus deturbasset, in mœnia ferocissimè impetum fecerũt: & oppido Dei uoluntate potiti, incredibilē cædem fecerũt, adeò ut adiacēs lacus, latitudine duo stadia patens, sanguine, quo conspersus erat, plenus esse uideretur. Illinc profecti, septingētorum quinquaginta stadiorum itinere expedito, peruenerunt in Characē, ad eos Iudæos qui Tubieni dicuntur. & Timotheũ quidem in eis locis non offenderunt: nam is infecta re illinc discesserat, relicto ualidissimo præsidio in quodam loco munito. quem locũ aggressi Dositheus & Sosipater, qui erant ex Machabæanorum ducibus, relictos illic à Timotheo deleuerunt, homines supra decem millia.

Machabæus Timotheum persequitur.

Machabæus autem instructo exercitu suo, & in cohortes ordinato, ad Timotheum ire cõtendit, habentem apud se peditum millia centum uiginti, equitum duo millia quingentos. ¶ Timotheus cognito Iudæ aduentu, mulieres &

D

paruulos aliaq; impedimenta miserat in locũ qui Carnion appellabatur: & erat oppugnatu aditúq; difficilis, propter omnium locorũ angustias. Sed cõspecta prima Iudę cohorte, tantus hostes terror metusq; ad Dei omnia uidētis aduentum peruasit, ut in fugam uersi, alij aliò ferrentur, crebroq; læderētur à suis, & ensium mucronibus confoderentur: quos cupidius insecutus Iudas, & sceleratos obtrũcans, hominum triginta millia deleuit.

Timotheus captus euadit callidè.

Ipse Timotheus à Sositheo & Sosipatro exceptus, magna cum calliditate petijt, ut saluus dimitteretur, propterea quòd cõplurium parentes, non nullorum fratres haberet, qui in periculo futuri essent, si ipse mortuus fuisset. Ita cum ille fidē multis uerbis fecisset, & se illos indemnes redditurum esse pepigisset, illi eũ propter fratrum suorum salutem dimiserunt. At Machabæus ad Carnion & Atargatiũ profectus, hominũ uigintiquinque millia interemit: ijsq; fusis atq; deletis,

E

Iudas Ephronem oppidũ capit.

exercitum duxit ad Ephronem oppidum munitũ, quod Lysias & magna conuenerunt multitudo incolebat. Et quamuis iuuenes robusti pro muris stātes fortiter propugnarent, & machinarũ telorumq; apparatus adesset, tamen Iudæi, inuocato illo rerum præpotente, qui sua ui hostiũ uires frangit, oppidum expugnarunt, & oppidanorum ad uigintiquinq; millia trucidarũt. Illinc profecti, contenderunt ad Scythopolim, distantem Hierosolymis stadia sexaginta. Sed cũ incolę Iudæi testati essent, quanta erga ipsos Scythopolitæ beneuolentia præditi essent, quātaq; in ipsos humanitate aduersis temporibus usi fuissent: illi actis gratijs Schytopolitis, eosq; hortati, ut in eadem erga Iudæorum genus benignitate perseuerarent, Hierosolymam, instantibus septimanalibus, peruenerũt.

F

Iudas cum Gorgia cõgreditur.

¶ Deinde post festum diem, qui Pentecoste uocatur, profectus est Iudas aduersus Gorgiam Idumæę prætorem, cum peditum tribus millibus, & equitibus quadringentis: commissoq; prælio, cum paucos Iudæorum cadere contigisset, Dositheus quidam Bascenoris filius, eques, uir robustus, Gorgię instabat, & chlamyde prehensum magna ui trahebat, uolens hominem sceleratum uiuum capere. Verùm cum inuectus in eum quidam Thrax eques, ei humerũ abscidisset, effugit Gorgias Maresam. Sed diutius pugnantibus Gorgianis, & iam defatigatis, Iudas Dominum precatus, ut se pugnæ adiutorem ducemq; præberet, clamorē cum carminibus patrio sermone exorsus, & Gorgianos de improuiso cum clamore aggressus, in fugam uertit. deinde receptum exercitum, ad Odollam oppidum duxit: & instāte die septimo, lustrati, ut mos erat, ibi Sabbathum egerunt.

Occisi propter deastrorum studium. Deut.7.d

Postridie cum Iudæi conuenissent ad Iudam, quemadmodum res postulabat, ut cæsorũ corpora auferrent, & patrijs sepulchris cũ fratribus mandarent, inuenerũt sub omnium mortuorũ tunicis donaria Iamnianis deastris cõsecrata, quibus lex Iudęis interdicit: ex quo omnibus perspicuũ fuit, hanc ob causam eos occubuisse.

G

Itaq; omnes iustũ iudicem Deum collaudantes, qui occulta redderet aperta, & ad preces conuersi, rogauerũt, ne ipsi propter id commissum peccatum prorsus delerentur.

Tum nobilis ille Iudas multitudinē hortatus est,ut se insontes conseruarent, ante oculos uidentes ea quę propter occisorū peccatum euenissent. Deinde stipe coacta,& redactis argenti drachmis ad duo millia,eas misit Hierosolymam ad sacrificiū pro peccato procurandū: rectè sanè & honestè faciēs, qui de resurrectiōe cogitaret. Nisi enim eos qui occubuerāt,reuicturos speraret,superuacaneū esset,& nugatorium,pro mortuis orare. Pręterea quod cōsiderabat,ijs qui piè obdormiuissent,optimā esse repositam gratiam,sancta erat & pia cogitatio. Hanc ob causam pro mortuis expiationē procurauit,ut absoluerentur à peccato.

CAPVT XIII.

ANno autem cētesimo quadragesimo nono, Iudę nūciatur, Antiochū Eupatorē aduentare cum copijs in Iudæā,& cum eo Lysiam procuratorem, & rerū administratorem, utrumq; Græcas copias habētem, peditū centena dena millia, equitū qna millia trecenos, elephantos uicenos binos, falcatos currus trecenos. Menelaus quoq; se cū eis cōiunxerat, & multa cum simulatione hortabatur Antiochum,non ob salutem patrię, sed spe principatus adipiscendi. Sed regū rex animū Antiochi in sceleratū illum cōcitauit: itaq; cum Lysias demōstrasset eum esse omniū malorū causam, iussit eum Antiochus Berrœā duci,& in eo loco,uti mos erat,interfici. Erat in eo loco turris

Antiochus Eupator Menelaum supplicio afficit.

B quinquaginta cubitorū,plena cineris,quę machinam habebat rotūdam, undiq; in cinerem præcipitem. Ibi sacrilegij conuictos, aut quopiā alio singulari facinore obstrictos, uniuersi ad necem detrudebant. Tali fato mori cōtigit nefarium illū Menelaū, ne humationē quidē adeptum. Et meritò sanè, qui multa in arā facinora patrauisset,ubi sacer ignis & cinis erat, is in cinere mortem oppetijt. Cęterùm efferatus animo rex pergebat, teterrima patraturus in Iudæos, qualia sub eius patre facta fuerant.

C ¶Quod ubi Iudas accepit,multitudini denūciauit,Dominū ut dies noctesq; obsecrarent,ut si quādo aliàs, nūc maximè succurreret ijs qui in periculū de lege,de patria,de sacro tēplo uenirēt: ne'ue populū modò paululū recreatum, sineret in infandarū gentiū uenire potestatē. Hoc ubi omnes simul fecerūt,Dominūq; misericordem cū ploratu & ieiunijs iacētes humi per dies tres obsecrarunt, Iudas eos cōsolatus, iussit ut præstò adessent: ipse seorsum cū senatoribus

D consilium habuit,ut prius quàm regis exercitus Iudæā inuaderet, & urbe potiretur, egressi,ope Domini de summa rerū decernerent. Deinde cōmendato Dominatori mundi negocio,suos cohortatus,ut egregiè pro legibus,pro sacris,urbe,patria,ciuitate,uel ad mortem usq; decertarent, castra apud Modinū fecit: dataq; suis tessera,Dei uictoria,noctu cum delectis iuuenū præstantissimis tabernaculū regis adortus,peremit in castris ad hominum

Iudas Antiochi castra noctu inuadit.

E [a] quatuor millia: & principē elephantū cum familiæ turba confecit, & ita castris terrore & turbarū plenis,re feliciter gesta discessit. Atq; hoc illucescēte iam die factū est,opitulante ei Domini pręsidio. Tū rex hoc audacię Iudæorum gustu capto, loca arte attentabat: & ad Bethsura,quod erat firmū Iudæorū præsidiū, exercitū admouit. Sed pellebatur, offēdebat, & inferior erat: cū interim Iudas ijs qui intus F

erant, necessaria summisit. quod arcanū enunciauit hostibus Rhodocus ex Iudaico exercitu,q cōquisitus captusq;, in uincula cōiectus est. Rex autem iterū cū Bethsurensibus collocutus,data acceptaq; fide, discessit: & cū Iuda congressus,inferior fuit. ¶ Deinde postquā accepit desciuisse Philippum, qui Antiochiæ ad res administrādas relictus fuerat,perturbatus Iudęos orauit,summissusq; quasuis in leges iurauit: & bello cōposito,rem diuinā fecit, templo honorem habuit, humanitate in locū usus est,cū Machabæo redijt in gratiā, & Hegemonide à Ptolemaide usq; ad Gerrenos præside G

relicto, Ptolemaidē uenit. Cumq; Ptolemaenses cōpositionem ægrè ferrent, & ita indignarentur,ut conditiones uiolare uellent: Lysias conscenso suggestu, causam ita probabiliter defendit, ut illis persuaserit, eosq; pacauerit: atq; ita conciliata eorum beneuolentia, ille se Antiochiam recepit. Hoc se modo regis expeditio & receptio habuit.

Antiochus cum Iudæis pacē facit.

CAPVT XIIII.

EXacto triennio nunciatū est Iudę, Demetrium Seleuci filiū Tripolitano portu cū ualidis copijs & classe inuectum, regione potitū esse, Antiocho & eius procuratore Lysia de medio sublatis. Alcimus autem quidā antea pontifex, sed qui per ea tempora, quibus omnia erant permixta,fuerat sponte sua pollutus,cogitās nulla sibi iam ratione neq; ad salutem,neq; ad sacrā aram, patere aditū, adijt regem Demetriū,anno centesimo quinquagesimo primo,afferens ei coronam auream,& palmam, & item de ijs ramis qui in tēplo solebāt adhiberi. Atq; eo quidē die quietū se tenuit. Deinde accōmodum insaniæ suæ tempus nactus,à Demetrio in cōcilium uocatus, & quo in statu essent,quid'ue conarētur Iudæi, interrogatus,respondit in hūc modum: Qui ex Iudæis dicūtur Asidæi, quorū dux est Iudas Machabæus,bellum & seditiones fouent, regnū

Alcimus Antiochū adit ad accusandum Iudam.

tranquillitate frui nō sinentes. Itaq; ego auita B

dignitate(pōtificatū dico)priuatus,huc nunc ueni,primùm regis cōmodis sincerè studens, deinde etiam ciuium meorū rationem habēs. Nā eorū quos dixi,importunitate uniuersum genus nostrū lęditur nō mediocriter. His omnibus perspectis,tu rex,& regioni,& circumuento generi nostro prospicito,pro istius erga omnes humanitatis facilitate. Nam quādiu Iudas supererit,fieri nō potest,ut res pace potiātur. Talib.ab eo dictis,continuò reliqui amici malè in Iudam animati, Demetriū inflammarunt. Itaq; statim uocatum Nicanorē, elephantorum magistrum,Iudæę præsidē facit: eumq; mittit cum mandatis,ut Iudam interficiat,eius socios profliget,& Alcimū pontificem statuat summi templi. Tum extranei à Iuda ex Iudæa fugati,

[a] Latinus quatuordecim.

fugati, Nicanori se gregatim adiungebant, Iudæorum infelicitates & calamitates suam fore felicitatē putātes. Hac Nicanoris expeditione & externorum conatu audito, illi terra con (C) spersi supplicabāt ei, qui populū suum in æternum stabiliuisset, suisq; semper sua præsentia subuenisset. (*Sup. 10. c*) Deinde iubente duce, illinc cōtinuò profecti, cū hostibus congressi sunt ad pagum Dessau, ubi Simon Iudę frater cum Nicanore congressus erat, & penè propter hostiū repentinū tacitumq; aduentum lapsus: tamen audiens Nicanor, quāta Iudęorū fortitudo & alacritas esset in certaminib. pro patria, sanguine decernere formidabat. Itaq; Posidoniū, & Theodotū, & Mattathiā misit, qui fidem darent & acciperent. (*Nicanor cū Iudæis pacem cōponit.*) Quibus de rebus adhibita maiore deliberatione, cum dux rem ad uulgū retulisset, & sententia consentiens extitisset, assensi sunt compositioni: & diem colloquio statuerunt, quo die seorsum eòdem cōuenirent. Is dies postquam aduenit, & ab utroq; diuersę positæ sunt sellæ, cum Iudas armatos disposuisset, in locis opportunis paratos, ne quid fraudis ab hostibus repentè nasceretur, colloquiū ritè habuerunt: quo habito, Nicanor Hierosolymis deinceps manebat, (D) neq; quicquā reprehendendum cōmittebat: dimissaq; gregariorum militū turba, Iudam semper in oculis habebat: eumq; humanè colens hortatus est, ut uxorem duceret, & liberis operam daret. (*Iudas liberis dat operam.*) Itaq; ille duxit, & tranquillam uitā ingressus, coniugio se dedit. At Alcimus animaduersa eorū inter se beneuolentia, & intellectis pactionibus inter eos factis, ad Demetriū uenit: eiq; retulit, Nicanorē contra ipsum sentire, quippe qui eius regni insidiatorem Iudā successorem statuisset. Tum rex iratus, & illius cōsceleratí calumnijs irritatus, scripsit Nicanori: sese cōpositionem grauiter ferre dicens, & Machabæū uinctum mitti statim Antiochiā iubēs. (*Antiochum Machabæum sibi iubet adduci.*) Quo accepto nuncio cōfusus Nicanor, ęgrè ferebat uiolanda esse pacta, nulla orta ab illo iniuria. Sed postquam regi contrauenire nō erat commodū, studebat id astu facere. At Machabęus uidens austerius secum agere Nicanorem, & (E) occurrere solito truculentiorem, cogitās austeritatē illā nō ab optima re proficisci, collectis suorū non paucis, Nicanori se subtraxit. Tum ille intelligens, egregiè se ab homine esse deceptum, ingressus in summū sanctumq; fanum, sacerdotibus rem diuinā ritè facientibus, iussit hominem tradi. Atq; illis cum iureiurādo negātibus, scire se ubi nam esset qui quęrebatur, ille porrecta ad templū dextera, hæc iurauit: Nisi uos mihi uinctum Iudā tradideritis, ego hoc Dei domicilium in campū redigam, aram extirpabo, & hic Baccho insigne fanū extruā. (*1. Mach. 7. c*) Hæc locutus, discessit. Tū sacerdotes passis in cœlum manibus, perpetuū gētis nostrę defensorem implorant, hæc dicentes: Tu omniū dominator, nullius indigus, uoluisti templū tuæ habitationis apud nos fieri. Quapropter, ô sancte, omnis sanctitatis Domine, tuere in perpetuum intaminatū hon recēs purificatū domi- (F) cilīū, atq; ita omnia improba ora obstrue. Razis autē quidā Hierosolymitanus senator, indicatus est Nicanori uir reipublicę amās, & in primis bene audiens, qui ob beneuolentiam pater Iudæorū appellabatur. Nā superioribus temporibus, cum Iudæi à cæterarum gentium cōmercio abstinerēt, causā dixerat Iudaismi, & corpus & animā pro Iudaismo cum summa constantia exposuerat. ¶ Igitur Nicanor uolēs perspicuum facere odiū quod in Iudęos gerebat, misit supra quingētos milites ad illū comprehendendū. (*Nicanor Razim capi iubet.*) Iudicabat enim, illo capto, rem fore Iudæis calamitosam. Cum militū multitudo turrim iamiā captura foret, uestibuliq; portę uim faceret, & ignē admoueri, foresq; succendi iuberet, deprehēsus Razis incubuit gladio: generosè mori malens, quàm in sceleratorū uenire manus, & indignā generositate sua contumeliam pati. (G) Sed cum ob trepidationis æstum uulnus parū rectè inflixisset, turba iam intra ostia irrumpente, in murū magno animo cucurrit, & seipsum fortiter in turbā præcipitauit: & illis celeriter dissipatis, dato loco in media ilia delatus est, atq; adhuc spirās, & animis inflammatus, emicuit: & manāte fonte sanguinis, grauibus affectus uulnerib. per turbā cursu penetrauit, & in prærupto quodam saxo stās, iam prorsus exanguis prolata intestina, & ambabus cōprehēsa manibus, in turbā proiecit: uitæq; & spiritus Dominatorē precatus, ut ea sibi iterum redderet, hoc modo uitam finiuit.

CAPVT XV.

Nicanor autem audiēs Iudā cum suis esse in tractu Samariæ, statuit eos die quietis, adhibita omni diligentia inuadere. (*Nicanor Iudæ imminet.*) Cumq; Iudæi, qui eum coacti sequebantur, monerēt, ne illos tā inhumanè & barbarè perderet, sed honorem tribueret diei, quam omniū spectator Deus sanctitate præ cæteris decorauisset: quæsiuit ille cōsceleratus, nūquid esset aliquis in cœlo rerum præpotens, qui Sabbathi diem agi iussisset? Cumq; illi respondissent, esse immortalem Dominū, in cœlo imperantem, qui diem septimū celebrari imperauisset. Et ego (inquit ille) potens sum in terris, qui arma capere, regisq; negocia peragere iubeo. Neq; tamen improbitatis suę conata perficere potuit. Et Nicanor quidem cū omni fastu insolescēs, commune de Iuda trophęū erigere statuerat. At Machabæus perpetuò summa cum spe cōfidebat, auxiliū se à Domino cōsecuturum: suosq; hortabatur, ne externorū aduentū reformidarent: sed memoria tenentes auxilia, quibus antea de cœlo fuissent defensi, nūc quoq; (B) sperarent uictoriā se & auxiliū ab omnipotente Deo adepturos. Deinde eos lege & uatib. citandis consolans, cōmemoratis etiam certaminibus, quibus fuissent perfuncti, alacriores reddidit, erectosq; eorum animos incitauit: simul ostendens externorū perfidiam, ac periurium. Ita singulos eorum nō tam clypeorū & hastarum munimento, quàm bonæ orationis consolatione armando, narrato etiam somnio fide digno, mirificè delectauit. Erat autē som-

Iudæ somnium de Onia & Ieremia.

nij uisum huiusmodi: Oniam eum, qui fuerat pontifex, probum honestumq; uirum, in congresionibus grauem, moribus comem, oratione facundum, & à puero in omnibus uirtutis rationibus exercitatum: hunc inquam, passis manibus orare pro uniuerso Iudæorum sta-
C tu. Deinde ita apparauisse hominē quendam canicie & gloria præstantem, mirabili quadā & magnificentissima prēditū excellētia. Tum Oniam ita respondentem dixisse: Hic est ille fratrū amator, qui multa pro populo sanctaq; urbe precatur, Ieremias Dei uates. Deinde Ieremiam porrecta dextera, tradidisse Iudæ ensem aureum, & eo tradendo, sic fatū esse: Accipe sanctum ensem, munus à Deo, quo ense frāgas aduersarios. Hac illi Iudę oratione tam pulchra cōfirmati, quæ posset ad uirtutem excitare, & iuuenum animos erigere, decreuerūt castra non facere, sed egregiè inuehi: & cū omni fortitudine congressi atq; confligentes, de
D summa rerum decernere, quandoquidem & urbs & sacra & fanū periclitarētur. Erat enim eis de uxoribus & liberis, itemq; de fratribus & cognatis, periculum minoris momenti: maximus uerò, & primus, de consecrato templo metus. Erat & ijs qui urbe continebātur, non mediocris æstus, de subdiali cōflictu sollicitis. Iamq; omnibus futurū certamen expectantibus, & iam cōgressis hostibus, distensoq; exercitu, & belluis opportuno loco positis, atq; equitatu ad cornua ordinato, animaduertens Machabæus multitudinis incessum, armorūq; uarium apparatū, & belluarum feritatē, passis ad cœlū manibus inuocauit monstrificū illum Dominū spectatorem: intelligens nō in armis positam esse uictoriam, sed illum eam ijs, quos dignos statuisset, conciliare. Inuocabat autem uerbis huiusmodi: Tu, Domine, Geniū tuū misisti, Ezechia regnāte in Iudęa, qui Genius
E in castris Sēnacheribi centū octogintaquinq; hominū millia interfecit. Nunc, ô cœli prępotens, præmitte nobis tuum bonum Geniū, ad hostium timorem terroreq;: perterrefiant tui brachij magnitudine, qui cum impijs cōuicijs tuū sanctum populū adoriūtur. Hactenus ille precādi finem fecit. Nicanoriani uerò cum tubis & pæanibus accedebāt. At Iudęi cum Dei inuocatione & precibus cū hostibus cōgressi sunt: & manib. pugnātes, animis autem Deū orantes, prostrauerunt trigintaquinq; non minus hominum millia: adeò Dei præsentia fuerunt hilares. Deinde cū opere defuncti, se cū læticia reciperent, Nicanorem cū armatura occubuisse cognouerunt. F ortoq; clamore & tumultu, præpotēti Deo patria uoce gratias egerūt: iussitq; ille prorsum & corpore & animo princeps ciuium propugnator, qui beneuolentiam toto æuo erga suos populares conseruauit, caput, manumq; Nicanoris unà cū humero abscissam, ferri Hierosolymā. Ac postquam eò peruenit, conuocatis suis popularibus, & sacerdotibus ante arā constitutis, iussit accersi eos qui erant in arce: & ostenso scelerati capite Nicanoris, manuq; maledici, qua ille in sanctam Omnipotentis ædem porrecta, uerbis superbiuerat: exectaq; impij Nicanoris lingua, dixit eam se frustulatim daturum alitibus, dementisq; manus pro templo suspēsurum. Hic uerò omnes ad cœlum tam nobili Domino gratias agere, & eius laudes prædicare, qui locum suum conseruasset impollutum. Præfixit autem Nicanoris caput in arce, G euidens omnibus, & manifestum auxilij Domini indiciū: decreueruntq; omnes communi suffragio, eum diem nequaquam ignobilem sinere, sed insignem habere, decimumtertium mēsis duodecimi. Adar Syriaca uoce dicitur, uno die ante Mardochaicū diem. Igitur cum res Nicanoris sic se habuerint, & ex illis tēporibus Hebræi urbē tenuerint, ego quoq; hic librum finiā: & si quidem bene & argumento conuenienter, hoc est quod uolui: sin exiliter & ieiunè, hoc est quod potui. Vt enim uinum seorsim bibere, aut rursus aquā, insuaue est: ac quo modo uinū aqua temperatum, suaue est, & gratam efficit delectationem: ita contextus orationis, aures legentium delectat constructione. Atq; hic finis erit.

Iudas cum Nicanore dimicaturus, diuinū auxiliū implorat.

4.Re.19.b Tobiæ.1.d Eccl.48.d Esa.37.g.

Nicanoris obitus.

QVAE POST MACHABAEOS GESTA SVNT, EX FLAVII IOSEPHI ANTIQVITA. TVM LIBRO DECIMOTERTIO.

CAPVT XV.

Ptolemæus principatum affectat, Hyrcanus occupat.

IGITVR Ptolemæus sese in arcem quandā recepit, supra Hiericūtem positam, nomine Dagō. At Hyrcanus, qui & Iohannes dicitur, patrium pontificatum adeptus, cum primis sacrificijs litasset, fecit aduersus Ptolemæum expeditionem, locumq; oppugnauit. & alijs quidem rebus superior erat: tantum misericordia erga matrem & fratres uincebatur. Eos enim Ptolemæus in murum subductos, in conspicuo loco cruciabat: & præcipitaturum minabatur, nisi ille ab obsidione desisteret, quæ res illum remissiorem ad oppugnandum faciebat. Quanquam mater passis manibus eum orabat, ne sua causa remollesceret: quin eo acrius oppugnationem urgeret, hostemq; in potestatem suam redigeret, & sibi amicissimos ulcisceretur. Sibi enim suaue esse cruciatibus necari, dummodò pœnas daret hostis. Hæc dicente matre, Hyrcanus ad capiendam munitionem animabatur: sed dum eam uerberari lacerariq; uidebat, remollescebat, uincente misericordia. Ita durante diutius obsidione, uenit annus septimus, in quo Iudæis ociari mos est: & Ptolemæus hac de causa leuatus bello,

Hyrcani

Hyrcani fratres, & matrem interfecit: eoq; facto ad Zenonem se recepit, cognomine Cotylam, Philadelphensium urbis tyrannum.

CAPVT XVI.

Antiochus Pius aduersus Hyrcanum expeditionem facit: & acceptis ab eo trecentis talentis, init cum eo societatem.

ANtiochus uerò Simonis aduersum se facta ægrè ferens, Iudæam inuasit anno regni sui quarto, qui primus fuit annus potentatus Hyrcani: uastatisq; agris, Hyrcanum in urbem compulit, & eam septenis castris cinxit. ac principiò nihil proficiebat, tum propter murorum firmitatem, tum propter obsessorum uirtutem. Adde quòd aquæ penuria liberauit eos, delatus sub occasum uergiliarum multus imber. A' parte autem muri septentrionali, qua ex parte locus erat planus, excitatis centum turribus trium contabulationum, cohortes in eis collocauit: & quotidianis oppugnationibus, ductaq; alta & lata fossa, eaq; duplici, Iudæos conclusit. Illi contrà crebris excursionibus, sicubi imparatos hostes offenderent, magnas eis clades inferebāt: sin sensissent, facilè se in tutum recipiebant. Hircanus uerò animaduertens suorū multitudinē sibi esse detrimentosam, propterea quòd & commeatus celerius à tanta multitudine absumeretur, & nullum ab ea operæprecium fieret, inutilem turbam secreuit, & eiecit: quodq; roboris erat, & ad pugnandum idoneum, id solum retinuit. Sed Antiochus exclusos prohibebat exitu: itaq; illi inter muros oberrantes, fame miserabiliter conficiebantur. Verùm ubi umbraculorum festum uenit, qui erant in urbe, eos, miseratione commoti, rursum intrò receperunt. Et Hyrcanus misit ad Antiochum petitum inducias in septē dies, propter festū: quas Antiochus, qua præditus erat religione, concessit: & præterea magnificum sacrificiū intromisit, tauros auratis cornibus, & cum omni genere aromatum pocula aurea & argentea: necnon urbanorum milites conuiuio excepit. Itaq; propter eius singularem religionem, omnes eum Pium nuncuparunt. Hanc ob rem Hyrcanus, hac æquitate approbata, cognitoq; eius erga Deum studio, legatos misit ad eum, petitum, ut ipsis patria restitueret instituta. Ille uerò repudiato eorum consilio, qui gentem delendam, propter morum insociabilitatem, censebant: legatis respondit, ut obsessi arma traderent, & sibi Ioppes, reliquarumq; urbium, excepta Iudæa, uectigalia penderent, præsidiumq; acciperent, atq; hac conditione bello liberarentur. Illi in cætera consenserunt: sed præsidium non admiserunt, propter morum dissimilitudinē: uerùm pro præsidio obsides dederunt, & argēti talenta quingēta, quorum in præsentia trecenta dederunt, simulq; obsides, quos inter erat & Hyrcani frater. Deiecit & murorum urbis pinnas. Hac conditione Antiochus soluta obsidione discessit. Hyrcanus uerò aperto Dauidis sepulchro, tria millia talentorū inde extulit, & his opibus primus Iudæorū cœpit externum militem alere. Iniit & cum Antiocho amicitiam atq; societatem: eoq; in urbem accepto, omnia exercitui abundè & cupidè subministrauit: & in expeditione contra Parthos eum comitatus est. In ea expeditione Antiochus cōmisso prælio cum Arsace Partho, magnā exercitus sui partem amisit, & ipse mortuus est. Ei in regno Syriæ successit eius frater Demetrius, per Arsacem liberatus à captiuitate.

CAPVT XVII.

Hyrcani expeditio in Syriam.

HYrcanus audita Antiochi morte, confestim in urbes Syriæ fecit expeditionem, ratus (id quod erat) inuenturum uacuas à propugnatoribus. Igitur Medabam magno cum exercitus sui labore cæpit sex mensibus: deinde Samegā & finitima loca: itemq; Sicima & Garizim, Chuthæorumq; gentem, quæ templum accolebat Hierosolymitani simile, de quo suprà diximus: quod quidem Garizimum templum, postquam ducentos durauit annos, deletum est. Cæpit & Adora, & Marissam, urbes Idumææ: subactisq; omnibus Idumæis, permisit in finibus suis manere, si uirilia sua circumcidere, Iudæisq; legibus uti uellent. Quam conditionem illi admiserunt, ac deinceps Iudæi esse cœperunt. Hyrcanus uerò uolens amicitiam cum Romanis renouare, legatos misit ad eos: & senatus acceptis eius literis, amicitiam cum eo fecit in hunc modum. FANIVS M. F. Pr. Senatum conuocauit octauo Idus Februarij, in campo, præsente L. Manlio L. F. Mentina, & C. Sempronio C. F. Falerna, propter eas res quas legati retulerūt, Simon Dosithei, & Apollonius Alexandri, & Diodorus Iasonis, uiri honesti & boni, missi à populo Iudæorum, qui etiam egerunt de amicitia & societate quæ eis cū Romanis intercedit, & de publicis negocijs, ut Ioppe, & portus, & Gazara, & fontes, & quascūq; alias eorū urbes, & loca bello cæpit Antiochus citra Senatus decretum, hæc eis reddantur, ne'ue regijs militibus liceat per ipsorum aut subditorum fines iter facere. Item, ut quæ per id bellū ab Antiocho præter Senatus sententiam decreta sunt, irrita fiant: utq; missis legatis curent eis reddēda quæ per Antiochum ablata sunt: & regionem æstiment, quæ ab eo bello uastata est: utq; eis ad reges & liberos populos dentur literæ ad redeundum tutò domum. Igitur de his rebus decreta sunt hæc, renouari amicitiam & societatem cum uiris bonis: & à bono amicoq; populo missis. De literis autem responderūt deliberaturos, cū Senatui per sua negocia uacabit: operamq; daturos, ut in posterum nulla tali afficiantur iniuria. Mādatumq; est prætori Fanio, ut eis pecuniam det ex ærario ad domum reditionem. Ita Fanius Iudæorum legatos dimisit, data eis pecunia ex ærario, nec non senatusconsulto, ad eos qui deducere, & tutum iter domum usq; eis præstare deberent. Et Hyrcani quidem pontificis rerum status hic erat. Demetrius autē rex Hyrcano bellum inferre cupiens, tempus & opportunitatem non habuit, quòd tum Syris esset, tum militibus propter improbitatem suam inuisus. Itaq; missis ad Ptolemæum Physconem legatis petierunt, ut sibi daret aliquem de Seleuci genere, qui in regnum inuaderet. Et Ptolemæus misit Alexandrum Zebinam cum exercitu: cōmissoq; prælio uictus Demetrius, ad Cleopatram uxorem cōfugit Ptolemaidem: & ab ea non admissus, inde Tyrum profectus capitur: multaq; passus ab osoribus suis, moritur. Alexāder uerò regnū adeptus, amicitiam iniit cum Hyrcano pontifice: deinde bello petitus à Demetrij filio Antiocho Grypo, in pugna occubuit. Antiochus regno Syriæ potitus, in Iudæam exercitum ducere reformidabat, audiens fratrem suum ex matre (cui & ipsi Antiocho nomen erat) contra se apud Cyzicum habere delectum. Itaq; statuit intra fines suos se continere, & ad fratris aduentum præparare, qui Cyzicenus à Cyzico urbe, in qua nutritus esset, cognominatus est, patre Antiocho Seruatore, qui in Parthis occubuit: eratq; is Antiochus Seruator frater Demetrij, patris Grypi, tamen utriq; fratri nupsit eadem Cleopatra. Cyzicenus uerò Antiochus in Syriam profectus, multos annos contra fratrem bellum gessit, ac toto eo tempore Hyrcanus in pace degebat. Etenim post obitum Antiochi, à Macedonibus defecerat, neq; quicquam eis iam nec ut subditus, nec ut amicus præstabat: quin rebus secundissimis utebatur Alexandri Zebinæ temporibus, & maximè sub his fratribus. Bellum enim quod inter eos gerebatur, facultatem Hyrcano præbebat fruēdi Iudæa securè, ita ut pecuniæ uim innumerabilem congesserit. Tamen Cy

Idumæi circūciduntur.

Romanorū senatusconsultum pro Iudæis.

Demetrij mors.

Alexandri mors.

Zyziceno agros uastante, ipse quoq; uoluntatem suam apertè ostendebat: & desertum ab Aegypti auxilio uidens Antiochum, ac tum ipsum tum eius fratrem mutuis certaminibus affligi, utrunq; contemnebat.

CAPVT XVIII.

Antiochus Cyzicenus Samaritis auxilium ferens, uictus aufugit.

ITaq; expeditionem fecit aduersus Samariam, urbem munitißimam: eamq; adortus magna ui obsedit, Samaritanis infensus propter iniurias, quas Marißenis Iudæorũ colonis & socijs intulerant iussu regũ Syriæ. Igitur urbem fossa undiq; & duplici muro per octoginta stadia cinxit: ijsq; filios suos præfecit Antigonum & Aristobulum. quibus prementibus, in eam famis neceßitatem adducti sunt Samaritæ, ut insuetis uescerentur: & Antiochi Cyziceni opem implorarent. qui eò libenter profectus, ab Aristobulo uincitur: & Scythopolim usq; fugatus à fratribus, effugit. Illi in Samaritas conuersi, eos iterum intra muros compellunt, ita ut denuò eundem Antiochum accersiuerint in auxilium. Ille accitis à Ptolemæo Lathuro hominum ad sex millia (quos ille inuita matre, & ab ea principatu penè deturbatus, misit) primùm Hyrcani fines cum illis Aegyptijs latrocinando depopulabatur, cum eo congredi nõ audens (neq; enim uiribus par erat) sed fore sperans, ut agrorum uastatione Hyrcanum cogeret soluere obsidionẽ Samariæ. Verùm postquam delatus in hostium insidias, multos suorum militum amisit, Tripolim se recepit, cum quidem Callimandrum & Epicratem bello contra Iudæos præfecisset. Callimãder dum audacius in hostes inuehitur, in fugã uersus occubuit. Epicrates pecunia corruptus, Scythopolim, & alia finitima loca prodidit manifestè Iudæis, neq; Samariam obsidione leuare potuit. Hyrcanus igitur urbẽ uno anno obseßam cæpit, nec eo cõtentus, eam funditùs deleuit, inductis eò torrentibus, quibus eam ita subruit, ut in foueas delapsa, ne uestigium quidem urbis ullũ retineret. Narratur Hyrcanũ, quo die eius filij cum Cyziceno dimicarunt, cum solus in templo suffiret, uocem audiuiße, quæ significaret superatum modò ab eius pueris Antiochum: idq; ipse egressus ex tẽplo, toti populo indicauit, atq; ita factum contigit. Et hoc quidem in statu erant res Hyrcani.

Samariæ excidium.

Accidit eodem tempore, ut non solum qui Hierosolymis & in ea regione erant Iudæi, bene agerent: sed etiam qui Alexandriæ, & in Aegypto atq; Cypro degebant. Cleopatra enim regina, à filio suo Ptolemæo Lathuro dißidens, duces constituit Helciam, & Ananiam Oniæ filios, eius qui templum in Heliopolitana præfectura Hierosolymitani simile construxerat. His tradito exercitu, Cleopatra nihil absq; eorum sententia faciebat. Hyrcano uerò inuidiam Iudæorum commouerunt res secundæ, & maximè Pharisæi erant in eum malè animati. Secta est Iudæorum, qui tantæ sunt authoritatis apud plebem, ut si quid uel contra regem, uel contra pontificẽ dicant, continuò credatur. Erat autem Hyrcanus eorum discipulus, eisq; in primis charus. Cumq; aliquando eos ad conuiuiũ uocasset, & opiparè accepisset, animaduertens uehementer delectari, cœpit eis dicere, sese (ut scirent ipsi) uelle eße iustum, & omnia facere quibus Deo placere poßet, id quod ipsi quoq; Pharisæi profiterentur: petere tamen, si quid peccare se, & de uia deflectere uiderent, ut se in eam reuocarent. Illi ei omnium uirtutum testimonium dederunt, quibus quidem laudibus delectatus est. Sed conuiuarum quidam nomine Eleazarus, homo ingenij praui, & seditionis amans: Postquam, inquit, uerum scire expetis, si uis eße iustus, pontificatu tete abdica, & solo populi principatu cõtentus esto. Ac causam quærenti Hyrcano: Quoniam, inquit, audimus à maioribus natu, captiuam fuiße tuam matrẽ regnante Antiocho Epiphane. Erat autem id falsum: eoq; Hyrcanus exacerbatus, neq; non Pharisæi omnes grauiter offensi sunt. Et quidam Ionathan de secta Sadducæorum, qui contrarium tenent Pharisæis institutum, Hyrcani cum primis amicus, dixit Eleazarũ de communi Pharisæorum omnium sentẽtia illa maledicta dixiße: idq; ipsi Hyrcano fore manifestũ, si ab illis quærat quã nam pœna dignus sit Eleazarus ob illud dictum. Ad quod illi responderunt, fustigio & uinculis dignum esse: neq; enim uidebatur eis conuicij gratia capite plectendus: & sunt alioquin Pharisæi in pœna irroganda clementes. Ea re grauiter offensus Hyrcanus, Eleazarum ex illorum sententia contumeliam dixiße arbitratus est. Et maximè eum Ionathan insuper incendit, & ita affecit, ut ab illis defecerit ad Sadducæorũ partes, & præscripta à Pharisæis populo iura antiquarit: atq; in eos qui ea seruarẽt animaduerterit. Hinc natũ est multitudinis tum in eum, tum in eius filios odium, quibus de rebus postea dicemus. In præsentia demonstrare uolo, Pharisæos multa instituta populo tradidiße à patribus accepta, nec in Mosis legibus scripta: ideoq; ea Sadducæorum genus repudiat, dicitq; ea pro institutis habenda, quæ scripta sunt: quæ autem à patribus tradita sunt, non esse seruanda. De his quæstiones eis, grauesq; contentiones oriebãtur, Sadducæis locupletes solum in suas partes pertrahentibus, neq; plebem sibi obsequentem habentibus: Pharisæis autem multitudinis fauore nitentibus. Hyrcanus uerò sedata contentione, cum post eam feliciter uixisset, & rebus optimè annos unũ & triginta præfuisset, obijt, superstitibus quinq; filijs: tria maxima cõsecutus à Deo, potentatum gentis, pontificalem honorẽ, & uaticinationẽ. Aderat enim ei numen, futurorumq; præsensionem & prædictionem præbebat: ita ut de duobus suis filijs prædixerit, nõ mansuros in imperio.

Pharisæorum in Hyrcanum odij causa.

De Pharisæorum institutis.

Hyrcanus uates.

CAPVT XIX.

Aristobulus principatum adeptus, diadema primus sibi imponit.

MOrtuo Hyrcano, Aristobulus eius filiorũ natu maximus uolens principatum in regnũ cõmutare, diadema sibi primus imponit, annis quadringentis octoginta uno, & uno mense, postquam liberatus Babylonica seruitute populus domum reuenerat. Et quia Antigonum fratrum suorum post se natu maximum amabat, eum dignitatis socium, cæteros in uinculis habebat. Matrem etiam coniecit in carcerem, quòd ea cum ipso de principatu contenderat: quippe cum eam Hyrcanus omnium dominã reliquisset: eoq; crudelitatis proceßit, ut uinctã fame necarit. Addidit & matri fratrem Antigonum, quem amare uidebatur, regniq; socium habebat, calũnijs alienatus ab eo, quibus primum non credebat, tum quia eum amabat, tum quòd ea maledicta ab inuidia proficisci credebat. Accidit aliquando, ut Antigonus ab exercitu magnificè reuersus, festis umbraculorum, Aristobulo propter morbum decumbente, ascenderet splendidißimè ornatus in templum, ad celebrãdũ festum, unà cum suis miltibus armatis, & potißimum pro fratris salute uota faceret. Ex hoc Antigoni apparatu, rebusq; ab eo feliciter gestis, occasionem nacti homines mali, & eorũ concordiæ dirimendæ cupidi, regem adeunt: eiq; festi apparatum, rem maliciosè in maius augentes, exponunt: demonstrant, singula quæ ab illo fierent, non esse hominis priuati, sed animi regij argumenta: uenturum illum ad ipsum interficiendum cum armatorum ualida manu: quòd stultum existimet, cum regnare liceat, communicato honore contentum esse. Aristobulus his ægrè inductus, quò & fratris suspicionem uitaret, & simul saluti suæ prospiceret, satellites suos in obscuro

Antigonus calumnijs oppressus.

scuro quodam loco subterraneo collocauit (decumbebat autem in turri quadam, quæ nominabatur Antonia) eisq; imperauit, ut si inermis ad se intraret Antigonus, eum nemo tãgeret: sin armatus, interficerent: ipse quidem Antigono significatum misit, ut inermis ueniret. Sed regina, & qui cum ea Antigono insidiabantur, nuncio persuadent, ut contraria dicat: fratrem; quoniam eum arma ornatumq; bellicum parasse audierit, rogare, ut ad se ueniat armatus, quò eum apparatũ uideat. Antigonus uerò nihil fraudis suspicatus, sed fratris beneuolentia fretus, sicut erat toto corpore armatus, adit Aristobulum, arma ei ostensurus. Sed postquam uenit ad turrim quæ Stratonis appellabatur, quà obscurissimus erat aditus, occiditur à satellitibus. Erat quidam Iudas genere Essæus, qui futuris prædicendis nunquam aberrauerat. Is Antigonum conspicatus præter templum euntem, exclamauit apud socios familiaresq; suos, qui eum discendæ futurorum prædictionis gratia frequentabant, sibi mortem esse optandam, postquam falsum dixisset, uiuente Antigono: quem cum prædixisset moriturum eo die in turri Stratonis, nunc ambulantem uideret: cum is locus in quo eum occisum iri prædixisset, illinc stadijs sexcentis abesset, diei iam maiore parte præterita: periculum esse, ne falsum sit suum oraculum. Hæc dum mœstus loquitur, nunciatur mortuus Antigonus in subterraneo loco, qui & ipse Stratonis turris appellabatur, sicut & maritima Cæsarea: quæ res uatem turbabat. Aristobulum autem continuò cœpit necis fraternæ pœnitentia, tantaq; uis morbi, ut corruptis immodico dolore partibus interioribus, sanguinem emiserit. Eum sanguinem dum quidam puerorum, qui ei ministrabant, exportat, prætereundo per eum locum, qui Antigoni cæde adhuc cruentus erat, prolapsus effudit. Hinc orto clamore ab ijs qui uiderunt, quasi puer data opera sanguinem illic effudisset, eo audito Aristobulus causam sciscitatus est. Atq; illis non dicentibus, eo magis scire auebat. tandemq; minis & terrore ueritatem ab illis extorsit: tantaq; inde labe conscientiæ perculsus est, ut multum lachrymarum emiserit, & altè ingemiscens ita dixerit, Ergo fieri non poterat, ut mea tã impia & conscelerata facinora Deum laterent: quin me celer pœna cognatæ cædis inuasit. Et quousq;, ô corpus impudentissimum, retinebis debitam fratrum matrisq; manibus animam? Cur uerò nõ uniuersam reddis, sed paulatim meum sanguinem ijs libo, quos nefariè interfeci? Hæc fatus, moritur inter loquendum. Regnauit unum annũ, & Græcorum amator dictus est, multaq; in patriam beneficia contulit, debellata Ituræa, & multa eius regionis parte Iudææ addita: coactisq; incolis, si in suis finibus manere uellent, circumcidi, & ad Iudæorum leges uiuere.

Iudas Essæus.

Aristobuli mors.

CAPVT XX.

Alexandri Iudæorum regis expeditiones.

ARistobulo uita defuncto, Salome eius uxor, quæ à Græcis Alexandra dicitur, solutis eius fratribus (eos enim in uinculis, ut iam diximus, habebat Aristobulus) Ianneum (qui idem est Alexander) regem creauit, qui & ætate & moderatione præstabat. Hic Alexander simulatq; natus est, patri fuit inuisus, nec nunquam per omnem uitam uenit in eius conspectum. Odij causam tradunt hanc. Cum maximè amaret Hyrcanus filiorum suorum grandiores, Antigonum & Aristobulũ, interrogauit Deũ (qui ei apparuit in somnis) quisnam filiorum sibi futurus esset successor? Cumq; Deus ei huius Alexandri formam ostendisset, grauiter ferens Hyrcanus, eum sibi omnium bonorum hæredem fore: ubi ille natus est, curauit in Galilæa educandum: neque tamen Deus Hyrcanum fefellit. Igitur hic Alexander regnum adeptus, alterum fratrum regnum affectantem peremit: alterum ociosam uitam agere instituentem, in honore habuit. Composito deinde principatu, quomodo sibi conducere putabat, expeditionem facit in Ptolemaidem: uictosq; prælio compellit intra urbem, & admoto exercitu obsidet. Nam maritimarum urbium Ptolemais ei & Gaza solæ subigendæ restabant, necnon Zoilus tyrannus, qui Stratonis turrim Doraq; tenebat. Ac dũ Philometor Antiochus, eiusq; frater Antiochus Cyzicenus, inter se bellum gerunt, suasq; uires atterunt, erat nullum Ptolemaidensibus ab eis auxilium. Verùm cum premerentur obsidione, adfuit Zoilus, unà cum legione militum quam alebat: & quòd propter regum mutuum certamen tyrannidem affectabat, paululum Ptolemaidensibus auxilij ferebat. Nam neq; reges eis ita fauebant, ut ab eis sperari aliquid subsidij posset. Erãt enim ambo lassitudine exanimati: sed quia cedere pudebat, perseuerabant: & quiescentes, atq; respirantes, pugnam differebant. Supererat Ptolemaidensibus una spes ab Aegypti regibus, & Ptolemæo Lathuro, qui à matre Cleopatra imperio deiectus, in Cyprũ uenerat, & eam tenebat. Igitur hunc oratum miserunt Ptolemaidenses, ut sibi suppetias ferret: seq; ab Alexandro liberaret. Præterea legati spem ei fecerunt, si in Syriam traiecisset, habiturum stantes à Ptolemaidensibus Gazæos & Zoilum: itemq; Sidonios, & multos unà cũ eis accessuros: quibus rebus elatus ille, nauigationem adornat. Interea Demenetus, homo popularis, qui tum authoritate apud Ptolemaidenses ualebat, eorum animos mutauit, dicens præstare incerto euentu periclitari cum Iudæis, quàm manifestam accipere seruitutem, domino sese tradentes: & insuper non modò præsens habere bellum, sed etiam multo maius ab Aegypto. Neq; enim commissuram Cleopatrã, ut Ptolemæus uires sibi compararet à uicinis, sed eos magna manu aggressuram: quippe quæ Ptolemæum etiam ex Cypro deijcere conetur. Esse autẽ Ptolemæo, si ea spe deiectus sit, receptum rursus in Cyprum: ipsis uerò extremum periculum. Ita Ptolemaidenses consilium mutarunt: quo cognito Ptolemæus, qui iam profectus erat, nihilominus nauigauit, & in eam quæ Sycaminus dicitur appulsus, ibi uires suas exposuit. Erat in uniuersum eius exercitus, quà peditũ, quà equitum, ad triginta millia, quibus prope Ptolemaidẽ ductis, factisq; castris, cum illi neque ipsius legatos admitterent, neq; uerba audirent, magnopere æstuabat. Interea adeunt eum Zoilus & Gazæi, orantq;, ut sibi auxilietur aduersum Iudæos & Alexandrum, à quibus eorum ager uastetur. Itaq; soluit obsidionem Alexander, Ptolemæum ueritus: & abducto domum exercitu, deinceps astu rem gerebat, clanculum Cleopatram aduersus Ptolemæum accersens, apertè uerò amicitiam & societatem cum eo simulans. Quinetiam quadringenta argenti talenta daturum se promisit, ea lege, ut Zoilus de medio tolleretur, & ager Iudæis attribueretur. Ac tum quidem Ptolemæus libenter inita cum Alexandro amicitia, Zoilum in potestatem suam redigit: uerùm postea ubi audiuit Alexandrum clàm ad matrem suam Cleopatrã nuncios mittere, soluit quod ei præstiterat iusiurandum: & Ptolemaidem, quæ eum non admisisset, adortus obsidet. ac relictis in obsidione ducibus, & parte copiarum, ipse cum reliquis ad populandam Iudæam proficiscitur. Alexander intellecta mente Ptolemæi, coegit & ipse ad quinquaginta incolarum millia, aut, ut nonnulli scripserunt, octoginta: & assumptis ijs copijs, Ptolemæo obuiam proficiscitur. Ptolemæus uerò Asochim Galilææ oppidum Sabbatho de improuiso adortus, expugnat: & circiter decem corporũ millia, multamq; aliam prædam capit.

CAPVT XXI.

Ptolemæi Lathuri cum Alexandro pugna & uictoria.

TEntauit & Sepphorim, quæ ab ea quã populatus erat, propè aberat: multisq; ibi amißis, abijt conflicturus cum Alexandro. Ei occurrit Alexander apud Iordanem fluuium, ad quendam locũ nomine Asophum, & prope hostes castra fecit. Habebat in prima acie octo pugnatorũ millia, qui ære tectis scutis utebãtur: itemq; Ptolemæi prima acies tectos ære clypeos habebat. Et cæteris quidem rebus inferiores erãt Ptolemæani, eoq; timidius periculum subierunt: sed non parum eis audaciæ addidit Philostephanus, aciei ordinandæ præfectus: iubens transire fluuium qui inter castra positus erat. Alexãder uerò eos exitu prohibẽdos non existimauit, ratus si fluuiũ à tergo haberent, facilius superatum iri, quòd ex prælio fugere nequirent. Igitur principiò erat anceps & manibus & animis præliũ: magnaq; utriusq; exercitus cædes fiebat. Cumq; superiores fierent Alexandri milites, Philostephanus partitus copias, cædentibus cõmodè subsidia mittebat: ac nemine inclinanti Iudæorum parti succurrente, fiebat ut ea pars fugeret, proximi uerò non subuenirent, sed fugæ socij fierent. At Ptolemæani cõtrà, Iudæos persequentes occidebant, & ad extremum omnibus in fugam actis, tantam eorum cædem fecerunt, ut eis & ferrum obtunderetur, & manus delaßarentur. Triginta hominum millia in eo prælio occisa tradunt. Timagenes millia quinquaginta dixit: alios partim captos, partim domum fuga dilapsos. Ptolemæus post uictoriam populatus agros, uesperè mansit in quibusdam Iudææ pagis: quos fœminarum puerorumq; plenos nactus, militibus imperauit, ut eos iugularẽt, & frustatim dißectos in feruentia ahena conijcerent, ac sacrificarent, ut qui ex prælio elapsi ad eos uenerant, hostes humana carne uesci arbitrarentur, & ea re illos magis perterrefacerent. Expugnarunt etiam Ptolemaidem. Cleopatra uerò uidens filium crescere, Iudæam arbitratu suo uastare, Gazamq; in sua potestate habere: statuit eum non pati, qui ad portas esset, maiorq; factus Aegypti imperium cuperet. Itaq; confestim cum naualibus pedestribusq; copijs aduersus eum proficiscitur, mãdata totius exercitus cura Helciæ & Ananiæ Iudæis. Magnam autem facultatum suarum partem, nepotesq; & testamentum ad Coos depositum misit: iußoq; filio suo Alexandro in Phœnicen ingenti cum classe nauigare, cum ea regio deditionem fecißet, ad Ptolemaidem uenit: & à Ptolemaidensibus non admißa, urbem obsidet. Ptolemæus uerò à Syria profectus, in Aegyptum properat, sperans ab exercitu uacuã poße de improuiso opprimi: sed eum spes fefellit. Eodem tempore accidit, ut Helcias alter Cleopatræ dux moreretur in Cœlesyria, dũ Ptolemæum persequitur. Et Cleopatra audito filij conatu, & ut in Aegypto non qualem sperabat successum habuisset, mißa exercitus parte eum finibus expulit. Atq; ille ab Aegypto iterum reuersus, Gazæ hybernauit. Cleopatra interea Ptolemaidis præsidium urbemq; ui capit. Et Alexãder eam cum donis & quali decebat cultura adit: quippe qui à Ptolemæo uexatus, aliud perfugium nullum haberet. Itaq; quidam amicorum Cleopatræ ei suadebãt, ut & dona acciperet, & regionem occuparet: neq; permitteret, ut tanta bonorum Iudæorum multitudo uni uiro pareret. At Ananias lõgè aliter consulebat, dicens iniustè facturam, si socium hominem sua potestate priuaret: idq; cognatũ nostrum, inquit. Neq; enim ignorare te uolo, si huic facta fuerit iniuria, nos omnes Iudæos tibi futuros hostes. His Ananiæ monitis adducta est Cleopatra, ut Alexandrum non uiolaret: quin societatem cum eo fecit Scythopoli in Cœlesyria. Alexander uerò Ptolemæi metu liberatus, continuò expeditionem facit in Cœlesyriã, & Gadara decem mensium obsidione capit. Cæpit & Amathuntem, munitionem omnium quæ ad Iordanem sitæ erãt maximã, ubi rerum suarum pulcherrimas & charißimas Theodorus Zenonis filius habebat. Is Iudæos nec opinantes aggreßus, decem eorũ millia interfecit, & Alexandri impedimenta deprædatus est. Tamen his Alexãder non est attonitus, quin in maritimas oras Raphiam & Anthedonem (cui postea rex Herodes Agrippiadi nomen imposuit) expeditionem fecit, eamq; ui cæpit. Cumq; uideret Ptolemæum à Gaza in Cyprum, eiusq; matrem Cleopatram in Aegyptum se contulisse, iratus Gazæis, quoniam Ptolemæi opem implorassent, eorũ urbem obsedit, agrumq; uastauit. Apollodotus uerò Gazæorum dux cum duobus peregrinorum millibus, & uno domesticorum, noctu Iudæorum castra inuasit: ac quantisper nox erat, uincebant Gazæi, arbitrantibus aduersarijs Ptolemæũ esse qui ipsos adortus esset. Verùm orta die animaduerso errore, Iudæi se se confirmãt, & cum Gazæis cõgreßi, eorum circiter mille interficiunt. Tamen Gazæi resistebãt, neq; ob timiditatem, neq; ob cæsorum multitudinem cedebant. Adde quòd eis animos faciebat Aretas Arabum rex, quem sibi auxilio uenturum sperabãt, quòd ita promiserat. Sed accidit, ut Apollodotus antè perimeretur. Lysimachus enim eius frater ei obtrectans, quoniam apud ciues gratia ualeret, eum interfecit, collectoq; milite urbem Alexandro tradidit. Alexander protinus placidè ingreßus est: uerùm postea milites in Gazæos immisit, & eos ulcisci permisit. Illi uerò diuersi Gazæos interficere. quanquam ne Gazæi quidem segnes animos præbuerunt, quin occurrentibus ita restiterunt, ut interfecerint Iudæorum nõ pauciores, quàm quot erãt ipsi. Nonnulli deserti domos incenderunt, ne ulla præda potirentur hostes. Alij liberos uxoresq; suas suis manibus occiderunt, coacti eos hostium seruitute ita liberare. Erant consiliariorum omnino quingenti, qui in Apollinis fanum confugerunt. nam accidit, ut dum capta urbs est, senatus haberetur. Eos interfecit Alexander, simulq; urbem solo æquauit, postquam eam unum annum obsedit, atq; ita Hierosolymam redijt. Ibi festis umbraculorum fit in eum gentis seditio, ac aræ astantem & parantem sacrificare, citrijs petunt (est enim Iudæis mos per ea festa, ut singuli ramos ferant palmarum atq; citriorum) eiq; exprobrant fuisse captiuum, ideoq; arcendum à sacris. Quibus ille iratus, occidit eorum ad sex millia: & extructo circa aram & templum septo ligneo usq; ad cellam, in quam solis sacerdotibus introire fas erat, hac ratione multitudinis ad se aditum obstruxit. Alebat & peregrinos milites Pisidas & Silicas: nam Syris quidem, quòd eis erat infensus, non utebatur. Item euersis Moabitarum & Galaaditarum, qui Arabes sunt, finibus, ut inde tributũ exigeret, demolitus est etiam Amathunta, Theodoro non audente cum eo congredi: & commisso cum Obeda Arabum rege prælio, delatus in insidias in locis asperis atque difficilibus, à multitudine camelorum in altam uallem detrusus est apud Gadara pagum Galaaditidis: ægreq; euasit ipse, & illinc fuga Hierosolymam uenit. Et præter acceptam cladem laceßitus à gente, cum ea bellum geßit sex annos, occiditq; Iudæorum non minus quinquaginta millia. Ac dum eos, ut simultatem deponant hortatur, eo magis eum oderunt, propter ea quæ acciderant mala. rogantiq; quid facto opus esset, omnes clamarunt, ut moreretur: & ad Demetrium Eucærum miserunt, qui auxilium asciscerent.

Ptolemæi Lathuri crudelitas.

Gaza capta.

CAPVT XXII.

Demetrius Eucærus Alexandrum bello petit, & superat.

Ille cum

Ille cum exercitu profectus, assumptis ijs qui se acciuerant, apud oppidū Sicima castra facit. Alexander uerò cum mercenariorum sex millibus & ducentis, assumptis Iudæorum circiter uiginti millibus qui eius partes tuebantur, Demetrio aduersus incedebat, habenti equitum tria millia, & peditum quadraginta millia. & multa quidē utrinq; tentata sunt, dum hic mercenarios, utpote Græcos, ad defectionem solicitat: ille uerò stantes à Demetrio Iudæos. Sed cum neuter obtinere posset, fit prœliū, in quo uincit Demetrius. mortuiq; sunt fideliter & fortiter omnes Alexandri mercenarij, necnō multi ex Demetrij militibus. Alexādro in montes fuga elapso, miserati eius fortunam, congregātur ad eum sexies mille Iudæi: ac tum metuens Demetrius discessit. Postea Iudæi bellum intulerunt Alexandro, uictiq; frequentes occubuerunt in prælijs. Ipse cōpulsis eorum potentissimis in oppidum Bethomam, oppugnat: captoq; oppido potitus ijs, adducit eos Hierosolymam, & ibi inter epulandum in conspicuo loco cum suis concubinis, imperat eorum circiter octingentos in crucem tolli: eisq; adhuc uiuentibus eorum liberos & uxores in ipsorum conspectu iugulat. Itaq; eius aduersarij milites, qui erant circiter octo millia, noctu fugerunt: & quandiu uixit Alexander, fugitiui fuerunt. Alexander his turbis liberatus, regnauit deinceps quietissimè. Et Demetrius à Iudæa Berrœam profectus est. deinde iuit oppugnatum fratrem suum Philippum: sed Philippus eiusmodi auxilia habuit, ut captus sit Demetrius, & ad Mithridatem Parthorum regem perductus, ubi honorificè habitus est, donec morbo interijt. Philippus uerò statim post pugnam profectus est Antiochiam, eaq; potitus, Syriæ rex factus est.

Alexandri crudelitas.

CAPVT XXIII.

Antiochi Dyonisi in Iudæam expeditio.

POstea Antiochus, cognomine Dionysus, Philippi frater, ad principatum aspirans, Damascum uenit, & ibi fit rex. Deinde expeditionem fecit in Arabas. Quibus auditis, Philippus Damascum se cōtulit: eaq; potitus, rursus eam perdidit opera Milesij, cuius eiusdem opera eam obtinuerat: qui eam seruare uoluit Antiocho. His auditis, Antiochus reuertitur ab Arabia, cōfestimq; ducit in Iudæā peditū octo millia, & equites octingentos. Eius aduentū ueritus Alexāder, altā fossam ducit à Chabarzaba (quæ nūc, Antipatris appellatur) ad Ioppicū mare, qua sola parte aditus patebat: excitatoq; muro, & ligneis turribus, & pluteis, per stadia centum quinquaginta Antiochum opperitur. Ille uerò illo omni opere incenso, copias illac traiecit in Arabiam. Arabs primùm cessit, deinde cum decem equitum millibus repentè sese ostendit: cum quibus congressus Antiochus, acriter dimicauit, & quidem uincens occubuit, dum laboranti parti subuenit. Occiso Antiocho, exercitus fugit in uicum Canam, ubi plurima eorum pars fame confecta est. Post Antiochum regnauit Aretas in Cœlesyria, uocatus ad principatum ab ijs qui Damascum tenebant, odio Ptolemæi Mennæi. Inde duxit in Iudæam exercitum, & Alexandro apud Addidam locū prælio uicto, facta pace discessit ex Iudæa. Alexander uerò aggressus iterum Diam urbem, capit, deinde exercitum ducit ad Essam, ubi erant Zenonis optima quæq;, locumq; triplici muro cingit: & expugnato oppido, ad Gaulanam & Seleuciam contendit. & his quoq; potitus, cæpit etiam Antiochi uallem, & præsidium Gamala. & grauiter de Demetrio eorum locorum præfecto conquestus, ei prouinciam ademit: atq; ita consumpto in ea expeditione triennio, domum repetijt, Iudæis eum magno studio ob res feliciter gestas excipientibus. Eo tempore iam Syrorum & Idumæorum & Phœnicum urbes tenebāt Iudæi, ad mare Stratonis turrim, Apolloniam, Ioppen, Iamniam, Azotum, Gazam, Anthedonem, Raphiā, & Rinocuram. Mediterraneas autem apud Idumæam, Adora, Marissam, Samariam, montem Carmelum, montem Taborem, Scythopolim, Gadara, Gaulanitidem, Seleuciā, & Gabala. Moabitidas autem, Esebonem. Medabam, Lembā, Oronas, Telithonem, Zaram, Ciliciam uallem, & Pellam: quam quidem euerterunt, recusantibus incolis in patrios Iudæorum mores concedere. Tenebāt & alias Syriæ urbes præcipuas, quæ erant euersæ. Postea Alexander ex ebrietate lapsus in morbū, & tribus annis quartana febre uexatus, tamen militia nō destitit: donec laboribus exhaustus obijt in Gerasenorū montibus, obsidens præsidiū Ragaba trans Iordanem. Regina autem uidens eū iam in extremis esse, flebat & lamentabatur, se suosq; natos deplorans, qui deserti relinquerentur, propterea quòd Alexander nationi esset inuisus. Ille uerò ei consuluit, quo regnum tutò pueris conseruaret, ut mortem suam milites celaret, donec locum expugnasset. Deinde uictoriam adepta, splendidè Hierosolymam se conferret, & Pharisæis potestatem aliquam præberet. Hos enim eam ob honorem laudantes, conciliaturos ei nationis beneuolentiam. Posse autem apud Iudæos multum, & lædere quos oderint, & iuuare quibus bene uelint. maximè enim eis uulgò credi, si de quopiam, quamuis per inuidiam, maledicāt: seq; adeò in odium gentis propter eos incurrisse, quòd eos affecisset contumelia. Quare tu, ubi Hierosolymā perueneris, accersito eorum primarios, & ostenso meo corpore, potestatem eis facito, probè cōposita ad fidem oratione, utendi me arbitratu suo: teq; nihil in regno sine eorum sententia facturam promittito. Hæc te ad eos locuta, & ego splendidiore funere ab eis efferar, quàm à te efferrer, propterea quòd, quia eis meo corpori illudere licebit, non libebit: & tu tutò regnabis. Hæc ille postquā uxorem monuit, uitam finijt, cum quidē regnasset annos uigintiseptē, uixisset undequinquaginta.

Alexandri mors.

Pharisæorum authoritas.

Antiochi mors.

Alexandri facta.

CAPVT XIIII.

Post obitum Alexandri, eius uxor Alexandra regnum tenet.

ALexandra uerò expugnato præsidio, ut mariti monita postulabant, Pharisæos conuenit, & omnibus in eorum potestate positis, tū de mortuo, tum de regno, eorum in Alexandrum iram sedauit, eosq; beneuolos & amicos reddidit. Itaq; in uulgus progressi conciones habebant, res gestas Alexandri celebrantes, & iustum sibi regem perijsse dicentes: tantumq; laudationibus effecerunt, ut populus eum luxerit atq; deplorauerit: ita ut magnificentius fit elatus, quàm quisquam eorum regum qui eum antecesserāt. Reliquit Alexander filios duos. Hyrcanum & Aristobulum: sed regnum Alexandræ testamento commisit. Ex pueris erat Hyrcanus ad res administrandas parum habilis, & ociosæ uitæ magis amās: iunior uerò Aristobulus nauus erat & audax. tamē mulier erat in multitudinis gratia, propterea quòd mariti peccata grauiter ferre uidebatur. Ea pontificem fecit Hyrcanū, cùm propter ætatem, tum multo magis propter eius segnitiem, & omnia Pharisæis gerenda permisit: eisq; multitudinem obedire iussit. Quòd si quod institutum Hyrcanus eius socer aboleuerat, eorum quæ Pharisæi à patribus accepta tradiderant, id illa restituit: deniq; regni nomen habebat ipsa, sed potestatem habebant Pharisæi. Nam & exules reuocabant, & uinctos soluebant, & ut in pauca conferam, nihil à dominis differebant. Quanquā & fœmina regni curam gerebat, multosq; milites conduxit, & suas uires maiores effecit, adeò ut finitimos tyrannos terruerit, et obsides ab eis acceperit: eratq; uniuersa regio quieta, exceptis

exceptis Pharisæis. Hi enim reginam turbabant, suadentes ut eos interficeret, qui Alexandrum monuerant, ut quos supra diximus, octingentos necaret. Tandemq; ipsi eorum unum occiderunt, nomine Diogenem: & post eum alios super alios, donec tandem potentiores in regiam ingressi, unà cum Aristobulo (uidebatur enim ægrè ferre quæ fiebant: & præ se ferebat, si semel uires nactus esset, non se ea permissurum matri) reginæ demõstrant, quãtis rebus quanta per pericula feliciter gestis, suam fidẽ Domino probauerint, pro quibus ab eo magna præmia cõsecuti sint: orantq; ne suas spes uelit prorsus in cõtrarium uertere. Elapsos enim ex hostiũ periculo, nunc domi ab inimicis mactari more pecudum, inultos. Quod si aduersarij iam interfectis contenti sint, eo se esse in dominos animo, ut præteritos casus modicè laturi sint. Sin in eo perseuerare uelint, petere se missionem. Neq; enim eos esse, qui sine regina salutem ullã sibi quærere sustineant: quin libenter in regia morituri sint, si ipsis uenia non detur. Turpe quidem & ipsis esse, & reginæ, si ab ea neglecti, à mariti aduersarijs admittãtur. Quiduis enim merituros Aretam Arabem, cæterosq; principes, si liceat conducere tot uiros, quorum uel nomen fortassis terribile sit eis prius quàm auditũ. Quòd si hoc nõ placeat, at certè si Pharisæis tantum tribuere statuit, se diuersos in præsidijs disponat. Si enim usque adeò Alexandri domum agitent nescio quæ intemperiæ, se quidem nõ recusare quo minus in humili conditione uiuant. Hæc illis & alia multa dicentibus, & ad mortuorũ periclitantiumq; misericordiam Alexãdri manes inuocantibus, omnes circumstantes in lachrymas proruperũt: & maximè Aristobulus quomodo esset animatus ostendebat, multùm matrem obiurgans. Itaq; ipsa non habẽs quid honestè faceret, custodiam locorum eis commisit, excepta Hyrcania, & Alexandrio, & Machærunte, ubi preciosissima quæq; habebat. Et haud multo pòst filium suũ Aristobulum cum exercitu misit Damascum, aduersus Ptolemæum Mennæum, qui grauis erat urbi uicinus: sed Aristobulus nulla re memorabili gesta, reuersus est. Eo tempore nunciatur Tigranes Armeniorũ rex, cum quingentis hominum millibus inuasisse Syriam, & adorturus Iudæam: quare territa regina atq; gens, multa ei magniq; precij dona mittunt, obsidenti Ptolemaidem. Regina enim Selene, quæ & Cleopatra dicebatur, Syriæ imperabat: ea incolas induxit, ut Tigrani portas clauderent. Igitur eum conuenerunt legati, & ut de regina deq; gente Iudæorum nihil nisi bonum statueret, orarunt. Ille collaudatis eis, quòd ex longinquo se coluissent, bonam spem eis fecit. Iam uerò Ptolemaide modò capta, nũciatur Tigrani, Lucullũ, dum Mithridatem persequitur, illum quidem non esse assecutum, quia in Iberos effugisset: sed Armeniam depopulatum esse, atq; oppugnare. Itaq; Tigranes his cognitis, domum se recipere cõtendit. Post hæc regina difficili morbo correpta, Aristobulus aggrediendas sibi res arbitratus, noctu clàm egressus cum uno famulo, adit præsidia, ubi paternos amicos dispositos habebat. Iampridem enim iniquo animo ferens facta matris, longè etiam magis timebat, nẽ ea mortua, eius uniuersum genus esset in Pharisæorum potestate: uidebat enim infirmitatem fratris, qui in principatum successurus erat. Eius facti conscia erat sola coniux, quam ibi cum prole sua reliquit. Ac primùm ad Agaba profectus, ubi Galæstes homo potens erat, admissus est ab eo. Orta autem die, sensit regina fugã Aristobuli, & aliquandiu arbitrata est non rerum nouarum studio discessisse. Verùm postquam alij super alios uenerunt, qui nunciarent illum primum occupasse, deinde secundum, & omnia (statim enim facto ab uno initio, omnia ad illius arbitrium sequebantur) tum uerò in maximis turbis esse, tam regina, quàm gens. Videbant enim, non multum abesse Aristobulum, quin sibi principatum confirmare posset: maximeq; metuebant, ne pœnam irrogaret eis, quoniam in eius domũ debacchati fuissent. Itaq; uisum est eis, eius uxorem & liberos in præsidio collocare, quod supra fanum erat. Aristobulus autem tam magnam manum fecit, ut iam ornatu regio stiparetur. Nam diebus ferè quindecim occupauit loca uigintiduo, quibus opibus exercitum colligebat à Libano & Trachone, & principibus. Homines enim maiorẽ partẽ sequentes, facilè obtemperabant: accedebat eò, quòd sperabant, si eum in rebus non speratis adiuuissent, non minus se quoque futuros in regno, ut qui ei eius obtinendi causa extitissent. Iudæorum uero seniores, & Hyrcanus, reginam adierunt, & ut super instantibus periculis consilium daret, orarunt. At illa iussit, ut quod utile iudicarent, id facerent: restare eis multas facultates, gentem ualidã, exercitum, & fisci pecuniam: sibi quidem parum iam curæ esse negotia, postquam iam corpore deficeretur. Hæc fata, non multo pòst obijt, cũ quidem regnasset annos nouẽ, uixisset tres & septuaginta.

FLAVII IOSEPHI ANTIQVITATUM Iudaicarum Liber quartusdecimus.

CAPVT I.

Aristobuli & Hyrcani de regno bellum, utq; inter eos ita conuenerit, ut Aristobulus regnaret, Hyrcanus priuatam uitam degeret.

IGitur cum Hyrcanus põtificatum inijsset, Quinto Hortensio, Quinto Metello consulibus, bellum ei confestim intulit Aristobulus: & commisso apud Hierichuntem prælio, multi de Hyrcani militibus ad fratrem defecerunt. Quo facto, fugit in arcem Hyrcanus, in qua Aristobuli uxor & liberi à matre in custodiam dati fuerant, ut iam diximus: & aduersarios qui intra templi septum confugerant, expugnauit. Deinde cum fratre de compositione uerba fecit, paceq; composuit ijs conditionibus, ut regnaret Aristobulus, ipse ociosam uitam ageret, suisq; facultatibus frueretur placidè. Hoc fœdere facto, in eorum præsentia, qui erant in templo, cum quidem pacta iusiurando & dexteris confirmassent, & inuicem spectante uniuersa multitudine complexi fuissent, discesserunt: Aristobulus, in regiam: Hyrcanus, ut homo priuatus, in ædes Aristobuli.

CAPVT II.

De Antipatro, & eius genere: & quomodo ad claritatem & potentiam, ipse eiusq; filij peruenerint. item Hyrcani fuga, ad Aretam regem Arabum.

ERat Hyrcano amicus quidam Idumæus, nomine Antipater, homo pecuniosus, natura nauus & seditiosus, qui ab Aristobulo dissidebat Hyrcani beneuolentia. Hic Antipater, Antipas primùm dicebatur, patre eiusdem nominis: quem cum rex Alexãder, & eius uxor totius Idumææ præfectum constituissent, aiunt fecisse amicitiam cum Arabibus, & Gazæis, & Ascalonitis, qui secum sentirẽt, eosq; sibi multis & magnis muneribus cõciliauisse. Igitur hic iuuenis Antipater suspectam habens Aristobuli potentiam, & sibi propter suum in illum odium metuens, excitat aduersus eum clandestinis colloquijs Iudæorum primates: iniquum esse dicens, pati, ut Aristobulus iniustè principatu potiatur: & de eo fratrem deiecerit, cui propter ætatem deberetur imperium. Hos ille sermones assiduè cum Hyrcano habebat: eiq; de uita periculum esse dicebat, nisi caueret, & illum de medio tolleret. Amicos enim Aristobuli nullũ omittere tem-

tere tempus, quin ei cõsulerent, ut Hyrcanum tolleret, quasi ita demum firmum habiturus principatum. His sermonibus Hyrcanus nõ credebat, quòd erat natura bonus, & pro sua æquitate calumniã haud facilè admittebat. Igitur Antipater ubi Hyrcanum suis dictis aurem non præbere uidet, non desinebat quotidie Aristobulum apud eum fictis criminibus in inuidiam uocare, quasi qui eum uellet interficere: uixq; tandem perpulit, ut ad Aretam Arabũ regem perfugeret, pollicitus, si sibi obtemperasset, se ei opem esse laturũ. Itaq; misit Hyrcanus primùm Antipatrum ad regem Arabum, ut ab eo fidem acciperet, non esse inimicis traditurum, si ad eum supplex uenisset Hyrcanus. Hac fide accepta, Antipater ad Hyrcanum rediit Hierosolymã: & haud multo post assumpto eo, noctu egressus urbe, & longo itinere expedito, eũ in urbem Petrã perducit, ubi erat Aretæ regia. & ut regi in primis amicus, orat, ut Hyrcanũ reducat in Iudæam: & idẽ singulis diebus sine intermissione faciendo, quinetiam dona dando, persuadet. Neq; non Hyrcanus Aretæ promisit, si reductus & in regnum restitutus esset, redditurum regionem, & duodecim urbes, quas Alexander ipsius pater ab Arabum rege abstulisset. Eæ erant, Medaba, Naballo, Libias, Tharabasa, Agalla, Athone, Zoara, Oronæ, Marissa, Rydda, Lussa, & Oryba.

CAPVT III.

Aristobulus prælio uictus, Hierosolymam compellitur.

His promissis permotus Aretas, expeditionem fecit in Aristobulũ, cum quinquaginta equitũ simul & peditum millibus, eumq; prælio uicit: post quã uictoriã cum multi ad Hyrcanũ defecissent, desertus Aristobulus, Hierosolymam fugit. At rex Arabũ unà cum toto exercitu fanum aggressus, oppugnat Aristobulũ, populo ab Hyrcano stãte, & oppugnationẽ adiuuante, solis sacerdotibus Aristobulũ defendentibus. Igitur Aretas, iũctis Arabũ Iudæorũq; castris, obsidionem acriter urget, id quod tempore festorũ Paschæ factum est: quamobrem Iudæorum præcipui, relictis suis finibus, fugerunt in Aegyptũ. Erat quidam Onias uir iustus, & Dei amicus, qui aliquando cum siccitas esset, pluuiam à Deo precibus impetrauerat, & ardores depulerat: is sese abdidit, quoniam durare seditionem uidebat. Sed illi eo in Iudæorum castra perducto, postulant, ut quemadmodũ siccitatem precibus finierat, ita nũc Aristobulum & eius factionis homines diris ageret. Cumq; contradicens & deprecãs, coactus esset à multitudine, stans in medio eorum sic fatur: O' Deus rex uniuersitatis, quãdoquidem qui mecum nunc stant, tuus populus est: itemq; qui obsidentur, sacerdotes tui sunt: precor, ut neq; cõtra hos illos audias, neq; quæ hi contra illos orant, ad exitũ perducas. Hæc illum precatum circumstantes Iudæorum pessimi quiq;, lapidibus necarunt: cuius rei pœnã Deus eis mox irrogauit, ut iã dicemus. Aristobulus & sacerdotes obsessi, petierũt ab obsessoribus, ut quoniam eiusdem gentis essent, uictimas sibi in Pascha præberent, & pro iis quantã uellent pecuniam acciperẽt. Cumq; illi in singula capita mille drachmas exigerent, Aristobulus & sacerdotes conditionem libenter acceperunt, & demissam per muros pecuniã illis dederunt. At illi accepta pecunia, uictimas nõ præbuerũt. Itaq; decepti contra fidẽ datam sacerdotes, Deum orarunt, ut se in cõsanguineos suos ulcisceretur: id quod ille nulla interposita mora fecit. Nã immisso magno uiolẽtoq; uento, totius regionis fruges corrupit, adeò ut tritici modius undecim drachmis emeretur.

Oniæ diuini mors.

CAPVT IIII.

Hyrcani & Aristobuli legationes de auxilio, ad Scaurum.

Interea mittit Scaurum in Syriam Pompeius, qui erat in Armenia, & adhuc aduersus Tigranẽ belligerabat. Scaurus ad Damascũ profectus, Lolliumq; & Metellũ, qui modò urbẽ ceperãt, nactus, ipse in Iudæã contendit. Eò postquam uenit, cõueniunt eum ab Aristobulo & ab Hyrcano legati, auxilium postulantes utriq;, pollicente Aristobulo quadringenta talẽta, Hyrcano uerò nõ pauciora. At ille Aristobuli promissionem accepit, quippe hominis pecuniosi, & magnifici, & æquiora postulãtis: cũ Hyrcanus pauper & parcus esset, et incredibilia polliceretur, cũ maiora postularet. Nec enim eiusdem facilitatis erat, urbem expugnare longè munitissimam atq; potentissimã, aut fugitiuos depellere cũ Nabatæorum turba ad bellum non admodum idonea. Has ob causas cum Aristobulo paciscitur: acceptaq; pecunia soluit obsidionem, iubens Aretam discedere, nisi uelit Romanorũ hostis declarari. Et Scaurus quidem Damascũ iterũ petiit. Aristobulus uerò cum magnis copiis in Aretam & Hyrcanum expeditionem fecit: & cũ eis ad locũ, qui Papyron appellatur, congressus, prælio superat: & hostiũ circiter septẽ millia interficit, cũ quibus cecidit Cephalio frater Antipatri.

CAPVT V.

Aristobulus & Hyrcanus Pompeium conueniunt, de regno disceptaturi.

Non multo pòst, cũ Pompeius Damascũ uenisset, & Cœlesyriã obiret, uenerũt ad eũ legati ex tota Syria & Aegypto & Iudæa. Misit enim ei ingens donũ Aristobulus, uitẽ aureã ex quingentis talẽtis. Itemq; non multo pòst uenerunt rursus ad eũ legati, Antipater pro Hyrcano, & Nicodemus pro Aristobulo. qui Nicodemus eos accusauit qui pecunias acceperãt, primũ Gabiniũ, deinde Scaurũ: quorũ hic quinquaginta, ille trecenta talẽta acceperat: quæ accusatio hos quoq;, præter alios, Hyrcano fecit inimicos. Põpeius iussis iis qui cõtrouersias habebãt, ineũte uere uenire, educto ex hybernis exercitu, in Damascenũ agrũ contendit: & in transitu arcẽ Apamiæ, quam tenebat Cyzicenus Antiochus, solo æquauit: & Ptolemæi Mennæi filii regionem cõsiderauit, hominis mali, qui mille talẽtis peccatorum suorũ pœnã redemit, quibus Pompeius militibus stipendium soluit. Expugnauit & Lysiadem, cuius loci tyrannus erat Silas Iudæus. Hoc facto uenit Damascũ, ubi Iudæos eorumq; duces audiuit, uidelicet Hyrcanũ & Aristobulũ, qui & ipsi inter sese dissidebãt, & gens ab utroq;. Imperiũ enim detrectabat: quippe patrium esse sacerdotibus eius Dei, qui apud ipsos coleretur, ut obedirent: nũc hos sacerdotibus prognatos, conari in aliã principatus rationẽ transferre gentẽ, ut in seruitutẽ redigatur. Hyrcanus Aristobulũ accusabat, quòd ab eo grandior ipse, priuatus esset iure ætatis: paruãq; terræ partem sub se haberet, reliquã ui abstulisset Aristobulus: eumq; esse criminabatur, qui & incursionũ in finitimos agros, & in mari piratarũ author extitisset: gentẽ quidem nunquam fuisse rebellaturam, nisi ille uiolentus & turbidus fuisset. Atque hæc ei attestabantur supra mille de Iudæorum illustrissimis, ab Antipatro subornati. Aristobulus uerò eũ principatu excidisse suæ ipsius naturæ culpa contendebat, quæ ignaua esset, ideoq; facilè cõtemneretur: se uerò, ne imperiũ ad alios transferretur, id necessariò subiisse. quòd si rex appellaretur, & patrem suũ Alexandrũ idem ante se appellatũ fuisse. Atq; harum testes citabat iuuenes quosdam insolẽtiores, purpura & coma, & reliquo nobilitatis inuidioso ornatu comptos, quẽ nõ quasi causam dicturi, sed quasi pompam obituri sumpserant. Pompeius his auditis, Aristobulum de ui cõdemnauit, ac tum eos comiter allocutus dimisit: seq; in eorum terram profectum, omnia cõpositurum dixit, postquam prius Nabatæorum res inspexisset. Interea quietos se tenere iussit: Aristobulum simul colens, ne nationem auerteret, quæ res ipsi Pompeio aditus præcluderet. Neque tamen

tamen non est id ab Aristobulo factum. Nam nulla re expectata earum, de quibus cum eo Pōpeius collocutus erat, in urbem Delium, & inde in Iudæam profectus est.

CAPVT VI.

Pompeius callidè præsidia occupat.

HIs iratus Ponpeius, assumpto quem in Nabatæos ducebat exercitu, & à Damasco reliquaq; Syria auxilio, cum his quas habebat legionibus Romanis in expeditionem profectus est aduersus Aristobulū. Atq; ubi præterita Pella & Scythopoli, ad Coreas uenit, quod per mediterranea obeunti initium est Iudææ, misit significatum Aristobulo (qui se in pulcherrimum castellum Alexandrium, illic in montis uertice sitū, receperat) ut ad se ueniret. Ille monentibus multis, ne cum Romanis bellum gereret, descendit: & postquam cum fratre de potentatu disceptauit, iterum in arcem ascendit permissu Pompeij: idq; iterum & tertiò fecit, simul spe regni Pompeio obsecūdans, & ad omnia eius imperata se obedientem esse simulans: simul in castellum se, ne uires amitteret, recipiens, & ad bellandum opes sibi parans, ueritus ne principatum Pompeius trāsferret ad Hyrcanum. Ac iubente Pompeio, ut castella traderet, & præsidiorum præfectis sua manu scriberet (alioquin interdictum erat, ne Pompeium admitterent) paruit ille quidem: sed ægrè id ferens, Hierosolymā concessit, seq; ad bellū præparauit. Atq; haud multo pòst Pompeio aduersus eum copias ducēti, quidam in uia, qui à Ponto uenerant, Mithridatis obitum nunciant, à Pharnace filio suo perempti.

CAPVT VII.

Hierosolymitani portas Romanis claudunt.

CVmq; apud Hierichuntē castra habuisset, manè Hierosolymam contendit. Et Aristobulus mutata sententia, eum adit, & pecuniam offert: seq; eum intra Hierosolymā admissurū dicit: orat ut bello supersedeat, & quæ uelit cum pace faciat. Itaq; ueniam dans oranti Pompeius, Gabinium mittit & milites, ad pecuniam & urbem accipiēdam: neq; tamen quicquam horum factum est. quin reuersus est Gabinius urbe exclusus, nec accepta pecunia, quòd Aristobuli milites conuenta seruari non permiserunt. Has ob causas ira incensus Pompeius, Aristobulū in custodiā dat: ipse ad urbem uadit, cætera firmam, tantum septentrionali parte leuius munitam. Circundabat enim eam lata profundaq; uallis, intra se fanum comprehendens, lapideo muro firmissimè cinctum.

CAPVT VIII.

Pompeius fanum & inferiorem urbem expugnat.

ERat autem hominum intus dissidium, dum alij dedendam urbē Pompeio censent: alij, qui Aristobulo fauebant, claudendas portas, & armis repugnandum monent: quoniam Aristobulus in uinculis haberetur. Atq; hi fanum occuparunt, & pontem qui ab eo in urbem ferebat, interruperunt, sese ad sustinendam obsidionem parantes. Alij admisso exercitu, urbem Pompeio & regiā tradiderunt. Pompeius misso Pisone legato cum exercitu, urbem & regiam præsidijs firmat: domosq; fano adiacentes, & omnia quæ foris circa templum erāt munit: ac primùm ijs qui intus erant, de pace uerba facit. Deinde cum illi in quas offerebat conditiones non descenderent, circūiecta loca muro sepsit, Hyrcano ad omnia studiosè ei subseruiente: ipse castra collocauit extrà, à fani parte septētrionali, qua erat expugnabile. Stabant & ibi magnæ turres, & depressa fossa, circūdante profunda ualle. Erat enim prærupta pars ea quæ in urbem spectabat, interrupto ponte, qua parte degebat Pompeius, & agger quotidie magno labore surgebat, secātibus proximas arbores Romanis. Perfecto opere, & fossa ægrè, propter infinitam altitudinē, completa, Pompeius admotis machinis, & tormentis à Tyro allatis, fanum saxis missilibus quatere instituit. Quod nisi nobis patrium fuisset septimis diebus feriari, non fuisset perfectus agger, illis prohibentibus. Prælio enim lacessentes & ferientes hostes repellere permittit lex: sed aliud quidpiam agentes, non patitur. Id intelligentes Romani, Sabbatis neq; Iudæos telis petebant, neq; cum eis manus conserebant: sed aggerem & turres excitabant, & machinas admouebant, quibus postridie uterentur. Interea sacerdotes nihilo secius rem diuinam ad aram bis quotidie facere, manè & hora nona: neq; si quid in oppugnatione detrimenti acceptum erat, sacrificia omittere. Etenim capta urbe (id quod accidit mēse tertio, die ieiunij, Caio Antonio & Marco Tullio Cicerone consulibus) cum ui ingressi hostes, eos qui erant in fano iugularent: tamen qui sacra procurabant, nihilo secius rem diuinā facere perseuerabāt. Igitur postquam admota machina, concussa maxima turrium cecidit, secumq; ruinam traxit, irruperunt hostes, & omnia cæde compleruut: ac Iudæorum alij à Romanis, alij à suis occidebantur: nonnulli per prærupta sese deijciebant, aut succensis domibus seipsos comburebant: cecideruntq; Iudæorū ad duodecim millia, Romanorum autem perpauci. Captus est Absalomus Aristobuli auunculus, & idem socer. Pompeius uerò, & eius comitum non pauci, in penetrale ingressi sunt, quod antea acciderat nunquā, & ea uiderunt quæ solis pontificibus uidere fas erat. Quanquam tēpli supellectilem, & aromata, & sacram pecuniam (ea erat ad duo millia talentorum) nō attigit: ac postridie æditimis, ut fanū purgarent, iussit, utq; Deo libarentur quæ lex iuberet: & pōtificatum restituit Hyrcano, tum propter alia eius erga se officia, tum quia Iudæos incolas Aristobulo auxiliari prohibuerat. Item belli authores securi percussit, & Hierosolymā Romanis uectigalem fecit: quæq; Cœlesyriæ oppida incolæ subegerāt, ab eis abstulit, & Romano prætori subiecit: uniuersamq; gentē, quæ prius tantopere efferebatur, intra suos fines conclusit. Itē Gadara paulo antè euersa instaurauit, in gratiam Demetrij Gadarensis, liberti sui. reliqua oppida, Hippum, Scythopolim, Pellam, Dium, Samariam, itemq; Marissam, Azotum, Iamniam, & Arethusam, suis habitatoribus restituit. Hæc omnia oppida mediterranea, præter euersa: itēq; maritima, Gazam, Ioppē, Dora, & turrim Stratonis, Pōpeius libera esse siuit, prouinciæq; attribuit. Deinde Cœlesyria usq; ad Euphratem Scauro tradita, necnō duabus Romanorum legionibus, in Ciliciam contendit, Romam ire festinans. Duxit etiam secum Aristobulum uinctum, cum eius prole, uidelicet duabus filiabus, & totidē filijs: quorum Alexander aufugit, iunior uerò Antigonus Romam unà cum suis sororibus deportatus est.

Hierosolymæ expugnatio.

Hierosolyma Romanis subdita.

CAPVT IX.

Scaurus in Petram facit expeditionem: & Antipater Arabi persuadet, ut cum eo fœdus faciat.

CVm autem Scaurus in Petram (ea est Arabiæ regia) expeditionem fecisset, & propter difficilimū ad eam aditum, finitimū agrū depopularetur, & exercitus fame laboraret, Antipater Hyrcani iussu frumentum ex Iudæa, & alia quibus opus erat, præbebat: missusq; ad Aretam legatus à Scauro, quoniā eius hospes esset, persuasit, ut pecunia uastationem agri redimeret: & ipse trecentorum talentorum sponsor fuit. His conditionibus Scaurus bellum finiuit: neque minus eo lætatus est, quàm ipse Aretas.

CAPVT X.

Alexander à Gabinio pugna uictus, & in castellum quoddam compulsus obsidetur.

ALiquanto tempore pòst Alexandro Aristobuli filio Iudæā incursante, imperator Gabinius Roma uenit in Syriam,

in Syriam: & praeter alia memoratu digna, in Alexandrū arma mouit, cum quidem Hyrcanus Alexandri uires sustinere amplius nequiret, sed iam Hierosolymae murū à Pompeio dirutū erigere institueret, quod fieri prohibuerunt qui illic erant Romani. Itaq; regionem obiens multos Iudaeorū armabat, collegitq; celeriter decem millia peditū, & mille quingentos equites, & Alexandrium munire aggressus est (id apud Coreas castellum est) & Machaerūtem apud mōtes Arabiae. Igitur eum aggreditur Gabinius, praemisso Marco Antonio cum alijs ducibus, qui armatis quos ducebant Romanis, & praeterea Iudaeis, qui eis parebant, quibus Pitholaus & Malichus praefecti erant, assumpto insuper Antipatri auxilio, obuiam ierunt Alexandro, sequente cum graui armatura Gabinio. Alexāder uerò prope Hierosolymam se recepit, & commisso ibi praelio, interfecerūt Romani hostium circiter tria milia, caeperuntq; nō paucio res. Interea Gabinius ad Alexandrium profectus, eos qui intus erant inuitabat ad compositionem, ueniā eis antè peccatorum sese daturum promittens. Deinde relicta ibi parte exercitus, ad expugnandum locum, ipse in reliquam Iudaeā proficiscitur: ac in quaecunq; incidebat euersa oppida, instaurari iubebat. Itaq; refecta sunt Samaria, Azotus, Scythopolis, Anthedon, Raphia, Dora, Marissa, Gaza, & alia non pauca: dumq; homines Gabinij mandatis parent, accidit tū ut ea oppida tutò incolerentur, postquā diu deserta fuerant. His ille per regionem factis, reuertitur ad Alexādrium: & dum obsidionem intendit, mittit ad eum legationem Alexāder, ueniam petens, & de castellis tradens Hyrcaniam & Machaeruntem, tandemq; etiam Alexādrium, quae quidem Gabinius diruit. Cumq; mater Alexādri quae Romanorū partes propterea fouebat, quòd eius uir caeteriq; liberi Romae habebantur, ad eum uenisset, concessit ei quae postulabat: & compositis eius negotijs, Hyrcanum duxit Hierosolymam, habiturum fani curam. Deinde constitutis quinq; iuridicis conuentibus, in totidem partes gentem diuisit, ita ut alij ius peterent ad Hierosolyma, alij ad Gadara, alij ad Amathuntem, quarti ad Hierichuntem, & quinti ad Samphora Galilaeae. Ita principatu liberati Iudaei, deinceps ab optimatibus regebantur.

Iudaeorum rectionis mutatio.

CAPVT XI.

Aristobulum à Roma in Iudaeam profugum comprehendit Gabinius, Romamq; reuertitur.

CVm autem Aristobulus Roma in Iudaeam profugisset, & Alexandrium, quod nuper fuerat euersum, reficere institueret, misit Gabinius aduersus eum milites, & duces Sisennam & Antonium, & Seruilium, qui locum ab eo occupari prohiberent, ipsumq; comprehenderent. Multi autem Iudaeorum ad Aristobulum confluebāt, tum propter ueterem eius gloriam, tum quia nouis rebus studebant: itaq; Pitholaus quidam, qui Hierosolymis legatus erat, cum mille hominibus ad eum perfugit. Sed eorū qui ei se adiungebant, pleriq; erant inermes: itaq; cum ad Machaeruntem se cōferre statuisset Aristobulus, eos dimisit, quòd non essent instructi. assumptisq; armatis, qui erant circiter octo millia, profectus est. Sed Romanis eos acriter aggressis, uicti sunt egregiè Iudaei: & animosè praeliati, hostium ui in fugam uersi sunt, amissis suorum ad quinq; millia. Reliqui palantes, ut poterant, sibi consulere conabantur. Aristobulus tamen, plus mille secum habēs, effugit ad Machaeruntem, locumq; munire instituit: & quāuis rebus afflictis, nihilominus bonas spes habebat. Sed postquam duos dies obsidionem sustinuit, multis uulneribus acceptis, capitur cum Antigono filio suo, qui unà cum eo Roma aufugerat, & ad Gabinium ducitur, atq; ita Romam iterum mittitur, cum quidem rex & pontifex fuisset annos tres & sex menses, uir praeclarus & magni animi. Verùm eius liberos dimisit Senatus, propterea quòd scripsit Gabinius, id se eorum matri castella tradenti promisisse. atq; ita rediere tum in Iudaeam. Gabinius uerò dum in Parthos ducit exercitum, traiecto iam Euphrate, mutauit sententiam: reuersusq; est in Aegyptum, ut ibi Ptolemaeum in integrum restitueret. Atq; in ea quidem expeditione quam fecit aduersus Hyrcanum, Antipater ei frumentum & arma & pecuniam suppeditauit: eiq; Iudaeos, qui supra Pelusium collocati, custodes erant aditum Aegypti, conciliauit, sociosq; fecit. Deinde reuersus ex Aegypto Gabinius, Syriam offendit seditione & tumultu laborantem. Nam Aristobuli filius Alexander, recuperato iterum per uim principatu, multos Iudaeorum ad defectionem impulit: ingentiq; manu regionē incursans, interficiebat quotquot nactus erat Romanos, qui in montem Garizim confugerant, eosq; acriter obsidebat. Igitur Gabinius hunc Syriae statum nactus, Antipatrum hominem prudentem praemittit ad rebelles, si fortè eos ad saniorem mentem reuocare posset. Antipater eò profectus, multos ad sanitatem reduxit: uerùm Alexandrum retinere non potuit. Cum enim triginta Iudaeorum millia haberet, obuiam iuit Gabinio: & cum eo congressus, uictus est, amissis suorum decem millibus, apud montem Taborem. Deind Gabinius constitutis ad Antipatri uoluntatem urbis Hierosolymae rebus, in Nabataeos uadit, eosq; praelio superat. Hoc facto Romam repetijt, tradita Crasso prouincia.

CAPVT XII.

Crassus in expeditione contra Parthos in Iudaeam ascendit, sacrasq; pecunias depeculatur.

CRassus autem in Parthos expeditionem parans, uenit in Iudaeam: & sublata quae in templo erat pecunia, quam Pompeius reliquerat (ea erat duo millia talentorum) paratus erat omni auro (ea erant octo milia talentorum) spoliare templum. Caepit & trabem solido auro factam ex minis trecentis (una mina apud nos ualet duas libras & dimidiam) quam quidem trabē ei tradidit quaestor sacerdos Eleazarus, non malicia ille quidem, quippe uir bonus & iustus. Sed cum concreditam haberet uelorum templi custodiā, quae & pulchritudine miranda, & opere sumptuosa erant, & ab ea trabe dependebant, uideretq; Crassum colligendo auro incumbentē, metuens de uniuerso templi ornatu, trabem ei auream, omnium redēptionem dedit: cum quidē eum iureiurando astrinxisset, nihil aliud ex templo moturum, sed eo contentum fore quod ab ipso daretur, quod quidem esset multorum millium. Erat autem ea trabs in lignea trabe caua, quam rem solus sciebat Eleazarus. At Crassus & hanc, tanquam nihil aliud tacturus eorum quae essent in templo, sumpsit: & contra iusiurandum, omne templi aurum sustulit, quod quidem erat urbis aerarium. Nam Iudaei nullum habent publicum thesaurum, sed tantum diuinum. Deinde omnibus arbitratu suo compositis, in Parthyaeam profectus est, & ibi cum uniuerso exercitu concisus. Cassius uerò in Syriam fugit, eaq; potitus, Parthos arcebat, qui eam, ob partam de Crasso uictoriam, incursionibus uexabant. Deinde rursus ad Tyrum profectus, ascendit etiam in Iudaeam, & Tarichaeas primo impetu expugnauit, & triginta circiter millia captiuorum caepit, & Pitholaū Aristobuli seditionis successorem interfecit hortatu Antipatri. Habebat is Antipater apud eum magnam authoritatem, & magnae tum erat existimationis etiam apud Idumaeos, à quibus uxorem duxit ex nobili Arabiae familia nomine Cyprum, ex qua liberos quatuor sustulit, Phasaelum, & Herodem, eum qui postea rex fuit, & Iosephum, & Phero

Antipatri liberi.

ram, & filiam Salomen. Coniunxerat & alios sibi principes amicitia & hospitio, & potissimū Arabem, apud quem etiam liberos deposuit, dum bellum gerit cum Aristobulo. Igitur Cassius motis castris, ad Euphratem contendit, ut inuadentibus illac hostibus occurreret.

CAPVT XIII.

Pompeij fuga in Epirum, & Scipionis aduentus in Syriam.

ALiquanto pòst Cæsar potitus Roma, postquā Pompeius & senatus trans Ionium mare fugerant, solutum uinculis Aristobulum decreuerat in Syriam mittere, traditis ei duabus legionibus, ut illic negotia posset componere. Sed antequam fieri id posset, Pompeiani Aristobulum ueneno sustulerunt, eumq; Cæsariani sepeliuerunt: iacuitq; corpus eius diu melle cōditū, donec id Antonius postea misit in Iudæam, & in regum feretris condendum curauit. Scipioni uerò scripsit Pompeius, ut Alexandrum Aristobuli filium, propter eius superiora in Romanos commissa, interficeret: id quod ille fecit, eumq; Antiochiæ securi percussit. Eius fratres ad se recepit Ptolemæus Mennæi filius, rector Chalcidis, urbis sub monte Libano positæ: missoq; filio suo Philippione Ascalonem, ad Aristobuli coniugem, iussit eam unà mittere filium suum Antigonum, & filias: quarum alterius Alexandræ amore captus Philippio, eam duxit uxorem. Postea pater eius Ptolemæus eo interfecto, duxit Alexandram, eiusq; fratrum deinceps curam gerebat.

Aristobuli mors, & Alexandri eius filij.

CAPVT XIIII.

Cæsaris in Aegyptum expeditio, & ut ei Iudæi succurrerint.

POst Pompeij mortem, Cæsarisq; uictoriam, ei in Aegypto bellum gerenti, ad multa utilem se præbuit Antipater Iudæorum administrator, Hyrcani iussu. Ad Mithridatem enim Pergamenum auxilium ducentem, neq; per Pelusium iter facere ualentem, sed apud Ascalonem hærentem, uenit Antipater, secum habens Iudæorum peditum tria milia: perfecitq;, ut ex Arabia primates uenirent auxilio: eiusq; opera Syri omnes auxilium Cæsari tulerunt, uidelicet Iamblichus dynasta, & Ptolemæus eius filius, & Tholomæus Soemi, Libani montis incola, & ciuitates penè omnes. Mithridates uerò à Syria profectus, Pelusium uenit: cumq; ab illis non admitteretur, urbem oppugnauit, ibiq; fortem operam nauauit Antipater, & primus detracta muri parte, cæteris aditum in urbem patefecit: atq; ita Mithridates Pelusium obtinuit. Deinde Antipatrum & Mithridatem ad Cæsarem euntes, prohibebāt Aegyptij Iudæi, regionē quæ Oniæ dicebatur incolentes. Verùm Antipater eis persuasit, ut idem cum cognatis suis sentirent, maximè ostensis Hyrcani pontificis literis, in quibus eos ut essent Cæsaris amici monebat, & exercitum muneribus omnibusq; necessarijs iuuarent. Itaq; cum uiderent Antipatrū & pontificem consentire, paruerunt: quos ubi accessisse audiuerunt Memphitici, uocarunt & ipsi Mithridatem: & ille eò profectus, eos quoq; assumpsit.

CAPVT XV.

Antipatri egregium factum, & cum Cæsare amicitia.

DEinde ubi ad locum uentum est qui Delta uocatur, congressus est cum hostibus ad castra Iudæorum (ut dicuntur) quo quidem in congressu habebat Mithridates dextrum cornu, Antipater sinistrum. Ibi commisso prælio inclinat Mithridatis cornu, & in extremo periculo uersatur. Sed Antipater secundum fluminis ripam cum suis militibus currens, uictis iam à se hostibus, illum liberat, & uictores Aegyptios in fugam uertit: & in ijs persequendis ita perseuerat, ut eorum castris potitus sit, Mithridatēq; reuocauerit, qui pulsus longissimè aberat. Ceciderūt ex Mithridatis hominibus ad octingentos, Antipatri quinquaginta. Mithridates uerò de his scripsit ad Cæsarem, uictoriam simul salutemq; suam Antipatro acceptam ferens: ita ut Cæsar & tunc Antipatrum collaudauerit, & eius opera toto bello in maximis periculis usus sit, usq; adeò ut Antipatrum in prælijs uulnerari contigerit. Aliquanto tempore pòst Cæsar, cum finito bello in Syriam nauigasset, magnum ei honorem habuit, Hyrcano pontificatum confirmando, & Antipatrum Romana ciuitate, omniumq; immunitate donando. Tunc & Antigonus Aristobuli filius Cæsarem aggressus, fortunas suas deplorat, Hyrcanumq; & Antipatrum accusat, qui gentem per uim regerent, & ipsi Antigono iniuriam fecissent. Verùm Antipater, qui præsens aderat, ita causam suam defendit, ut Cæsar Hyrcanum pontificem pronunciarit: & Antipatro potestatem dederit, quantam Antipater ipse, optione data, eligere uoluit, eumq; Iudææ procuratorem fecerit.

CAPVT XVI.

Quem honorem Romani & Athenienses Hyrcano habuerint.

PErmisit & roganti Hircano Hierosolymæ muros reficere, qui adhuc iacebāt, à Pompeio diruti: scripsitq; Romam ad cōsules, ut id scriptum proponeretur in Capitolio: qua de re factum est senatuconsultum. Eidem Hyrcano honos habitus est à populo Atheniensi, quoniam in eos multa beneficia contulisset: scripseruntq; ea de re plebiscitum, quod ei decreta ad eam rem nominatim legatione miserunt. Cæsar uerò ordinatis Syriæ rebus, per mare discessit. Et Antipater, postquā deducto à Syria Cæsare in Iudæam rediȷt, confestim deiecta à Pompeio mœnia reficit: & regionem obiens, tumultum, qui in ea erat, opprimit, partim minando, partim ut quiescerent consulendo. Si enim ab Hyrcano starent, acturos feliciter, & suis bonis absque turba fruituros: sin rerum nouarū spe ducerētur, & ab eis quæstum sectarētur, ipsum Antipatrum habituros pro præfecto dominum, Hyrcanum pro rege tyrannum, Romanos uerò & Cæsarem pro ducibus hostes acerbos: neque enim passuros eum summoueri, quem constituissent ipsi.

CAPVT XVII.

Antipater filijs administrationem mandat, Herodi Galilæę, Phasaelo Hierosolymorum. Sextus Cæsar magnum & gloriosum facit Herodem.

VIdens autem Hyrcanum tardum esse, atq; segnem, Phasaelum filiorum suorum natu maximū Hierosolymorum finitimiq; agri præfectum constituit. Herodi uerò qui illum ætate sequebatur, Galilæam commisit, iuueni planè: neq; enim decimumquintum ætatis annum excesserat. sed licet iuuenis, inuenit tamen exercendæ suæ uirtutis rationem. Nactus enim Ezechiam latronum ducem, magna manu finitima Syriæ incursantem, comprehendit atq; interficit, & multos eius gregales latrones: quod quidē eius facinus Syris accidit gratissimum. itaq; eum hāc ob causam passim per urbes uicosq; prædicabāt. Hæc res fecit ut innotesceret Sexto Cæsari, cognato magni Cæsaris, & Syriæ res procuranti. Ex hoc Herodis facto æmulatio nata est Phasaelo eius fratri: adeoq; eius celebritate motus est, ut studuerit non deteriorem sibi parare famam, & Hierosolymitas sibi reddiderit amicissimos, urbem quidem per se regēdo, sed ita ut nec inhonestè rebus uteretur, neq; potestate-

Ezechias latro.

testate ad cuiusquam iniuriam abuteretur. His rebus efficiebatur, ut Antipater à gente regio more coleretur, & honoribus omnium domino dignis afficeretur. Neque tamen in tanto splendore quicquam de sua erga Hyrcanum beneuolentia atq; fide diminuit. Itaq; Iudæorum primarij uidentes Hyrcanum & eius filios multum crescere tum nationis beneuolentia, tum Iudææ & Hyrcani pecuniarum redditu, erant in eum malè animati. Etenim amicitiam instituerat Antipater cum Romanis imperatoribus, & impulso ad pecuniam eis mittendam Hyrcano, ipse eius muneris gratiam ad se transtulerat: nam ut propriam, non ut Hyrcano dante, miserat. Hæc Hyrcanus audiens, non curabat: quinimo magnopere lætabatur. Erant uerò in metu primi Iudæorum, uidentes Herodem uiolentum & audacem, & dominandi cupiditate ardentem. Itaque Hyrcanum adorti, apertè iam Antipatrum accusant: &, Quousq; hæc, inquiunt, quietus feres? An non uides Antipatrũ & eius filios principatu succinctos, teipsum uerò regni solum nomẽ audientem? Atqui hæc ignorare non debes, neque te extra periculum putare, dum & tui & regni securus es: non enim iam rerum tuarum procuratores sunt Antipater & eius filij, ne tu fallaris, sed domini manifestè habẽtur. Nam Herodes eius filius Ezechiam & eius socios interfecit contra legem nostram, quæ hominem quamuis malum, indicta causa interfici uetat: & tamen ille non accepta à te potentia, id ausus est. His auditis Hyrcano persuasum est, atque insuper eius iram accenderunt matres occisorũ ab Herode, quæ singulis diebus in fano regem & populum orare non intermittebãt, ut facti causam diceret Herodes in concilio. His cõmotus Hyrcanus, Herodem euocat ad dicendum causam super ijs quorum insimulabatur. Herodes uerò eò uenit, monente patre, non ut priuatus homo, sed cum præsidio, corporisq; custodia, compositis Galilææ rebus quo modo conducibile esse iudicauit, tanto comitatu, quantus ei ad iter satis esset, ut nec Hyrcano metuendus uideretur, si cum maioribus copijs uenisset, neq; nudus & incustoditus committeret se iudicio. Adde quòd Sextus Syriæ prætor Hyrcanum literis monuit, ut Herodem crimine absolueret: & minas addidit, nisi parẽret. Ex his Sexti literis occasionem sumpsit Hyrcanus, Herodem idemnem ex concilio dimittendi, quippe quem amaret ut filium. Postquam Herodes in concilio cum copijs suis constitit, omnes ita terruit, ut eum iam accusare auderet nemo, essetq; silentium, & quid agi deberet dubitatio. His sic affectis, Sameas quidam, iustus homo, ideoq; timere nescius, surrexit, & hunc in modum uerba fecit: Equidem iudices, & tu rex, neq; ipse quenquam unquam noui, neq; uos nominare posse arbitror, qui in iudicium uocatus, ita se stiterit: quin quisquis unquam in hoc conciliũ causam dicturus uenit, humilis compareat, & habitu metuentis, & à nobis misericordiam aucupantis, promisso capillo pullatus. At iste bonus Herodes, cædis reus, & ob tam graue crimen appellatus, astat hic purpuratus, eleganter composita cæsarie, stipatus armatis hominibus, ut si eum ex lege cõdemnauerimus, trucidet nos: ipse uiolato iure euadat. Quãquam Herodem haud equidem reprehenderim, si utilitatem suam pluris quàm ius facit: sed uos & regem, qui tantam ei licentiam præbuistis. Veruntamen scitote futurum, authore supremo Deo, ut iste ipse, quem nunc propter Hyrcanũ uultis absoluere, & de uobis & de ipso rege pœnas sumat. Hæc Sameas. nec eum fefellit opinio. nam regnum adeptus Herodes, omnes qui tum fuerant in concilio, atque adeò Hyrcanum ipsum interfecit: excepto Samea, quòd eum propter ipsius iustitiam magno habebat in precio: quodq; postea obsessa urbe ab Herode & Sosio, populũ monuisset,

Herodes ad dicendã causã proficiscitur.

Sameæ oratio cõtra Herodem.

ut Herodem admitterent, negans eum ab ipsis propter peccata posse uitari. Hyrcanus uerò uidens iudices in Herodis necem inclinare, iudicium in alium diem distulit, & clàm Herodi consultum misit ut ab urbe profugeret: ita enim euasurum ex periculo. Atque ille Damascum se, ut regem fugiens, contulit: & profectus ad Sextum Cæsarem, rebusq; suis in tuto collocatis, sic erat animatus, ut si denuò ei dies diceretur, non sisteret. Hæc ægrè ferebant iudices, & Hyrcanum docere conabantur, ea omnia eius periculo fieri: idq; eum non latebat. sed quid ageret, non habebat: ea erat ignauia atq; socordia. Cum autem Sextus Herodem Cœlesyriæ ducem fecisset, eiq; pecuniam suppeditasset, erat Hyrcanus in metu, ne Herodes sibi bellum inferret: id quod non multo pòst accidit. Venit enim ducens Herodes exercitum, aduersus eum iratus, quòd in ius uocatus fuisset. Verùm eius pater Antipater, & frater, ei obuiam profecti, suis admonitionibus perfecerunt ut Hierosolymam non inuaderet, sed potestatem suam genti ostendisse satis haberet. Et hoc quidem in statu erat Iudæa. Cæsar uerò Romam profectus, nauigationem adornabat in Africam, cum Scipione & Catone bellum gesturus. Et Hyrcanus ad eum misit. rogatum ut secum amicitiã renouaret, & societatem: id quod ille fecit. & ea de re decretum fieri, inq; tabulis æneis græcè & latinè incidi curauit, & in Capitolio, & Sidone, & Tyri, & Ascalone, & in templis proponi: in quo decreto (quemadmodũ etiam in multis alijs tum ipsius Cæsaris, tum aliorum Romanorum) Iudæorum libertas & iura defendebantur. Per eadem tempora tumultuatum est in Syria, ob causam quam iam dicam. Bassus Cecilius, Põpeianarum partium, Sextum Cæsarem per insidias interfecit: ipse accepto eius exercitu, rerum potitus est. hinc graue bellum apud Apamiam conflatum est, Cæsaris ducibus eum cum equitatu & peditatu adortis: quibus & Antipater subsidium misit cum filijs, recordatione beneficiorum in ipsos à Cæsare collatorum. Hoc bello diu durante, Marcus Sexto successit, & Cæsar à Cassio & Bruto in curia occisus est, postquam principatum tenuit annos tres, & sex menses.

Fœdus inter Iudæos & Romanos renouatum.

Nouus in Syria tumultus.

CAPVT XVIII.

Cassius Iudæam affligit, & octingenta talenta ab ea exigit.

Bello deinde ex morte Cæsaris conflato, omnibusq; primarijs ultro citroq; ad contrahendas copias dispersis, uenit in Syriam Cassius, accepturus exercitum qui erat ad Apamiam: solutaq; obsidione, ambos sibi conciliat, Bassum & Marcum. urbesq; peragrans, arma comparat & milites, & urbibus grauia tributa imperat: sed potissimum Iudæam afflixit, exactis ab ea septingentis argenti talentis. Antipater uerò res magno in metu esse uidens, pecuniarum exactionem diuidit, & utriq; filio redigendas committit, partim etiam Malicho, sibi parum amico, partim alijs. Ac primus Herodes redacto ex Galilæa quantum ei imperatum erat, maximam apud Cassium gratiam inijt. Cæterarum urbium gubernatores omnes cum suis hominibus uenundabãtur. & quatuor urbes hastæ subiecit Cassius, quarum erant potẽtissimæ Gophna & Emmaus, reliquæ Lydda & Thamna. Quinetiam Malichum Cassius præ iracundia occisurus fuit, nisi eius impetum cohibuisset Hyrcanus, missis ei per Antipatrum centum talentis de suo. Deinde Cassio à Iudæa profecto, Malichus Antipatro maximè insidiabatur, eius mortem Hyrcani principatus firmitatem fore putans. neq; tamen eius animus latuit Antipatrum. Id enim sentiens, recepit sese trans Iordanem, & ex Arabibus simul & indigenis exercitum contrahere instituit.

Quanquam Malichus homo callidus insidias inficiabatur, seq; cum iureiurando purgabat tum Antipatro tum eius filijs, negans Phasaelo Hierosolymorum præsidium tenente, Herode uerò armorum custodiam habente, se tale quicquã mente concipere potuiße. Ac uidens sibi negocium non succedere, reconciliatus est Antipatro, conuentumq; est inter eos Marco Syriæ prætore, qui sentiẽs Malichum in Iudæa res nouas molientem, parum abfuit quin eum interfecerit: sed Antipatri precibus eius uitam condonauit.

CAPVT XIX.

Malichus per insidias Antipatrum ueneno tollit.

SEd nesciebat Antipater, se sui interfectorem cõseruasse. Caßius enim & Marcus cõtracto exercitu, curam omnem Herodi tradiderunt, & eum Cœlesyriæ præfectum fecerunt, attributa ei claße, & equestribus pedestribusq; copijs: polliciti etiam Iudææ regem eum creaturos post bellum, quod tum cum Antonio & iuuene Cæsare gerebant. Malichus uerò tunc maximè ueritus Antipatrum, curauit ueneno tollendum in ædibus Hyrcani, apud quem ambo cõuiuabantur, uidelicet Antipater & Malichus, per Hyrcani pocillatorem, quem pecunia corruperat: cumq; armatos haberet, res urbanas cõponebat. Hoc cum resciuissent Herodes & Phasaelus, & grauiter ferrent, negabat omnia Malichus. Herodes uerò protinus patri parentare, & Malichum armis aggredi decreuit: uerùm natu grãdior Phasaelus, hominem dolo potius opprimendum cẽsebat, ne ciuile bellum incœpisse putarentur. Itaq; ille Malichi purgationem accipit, seq; credere simulat nihil illum in Antipatri nece designaße: ac patri sepulchrum adornat. Herodes uerò Samariam profectus, afflictamq; nactus, recreat, & hominum dißidia componit. Non multo deinde pòst, instantibus Hierosolymorum festis, uenit cum militibus in urbem: & Malichus eum ueritus, persuasit Hyrcano ut eum intrare non sineret: id quòd fecit Hyrcanus, per speciem prohibendi alienigenarum turbam in lustratam multitudinem admitti. Sed Herodes nuncios parui pendens, noctu ingreditur in urbem, & Malicho quidem terrori fuit. nec tamen ille simulationem deposuit, quin Antipatrum ploraret, & palàm ut amicus inclamaret: sed clam corporis sui custodiam agebat. Herodi uerò uisum est eius simulationem non coarguere, sed ad tollendam suspicionem, eum uicißim comiter accipere.

CAPVT XX.

Herodes iussu Caßij Malichum dolo interficit.

TAmen ad Caßium de obitu patris scripsit Herodes. & ille sciens quo ingenio eßet Malichus, Herodi rescripsit, ut patrem ulcisceretur. & tribunis qui Tyri erant, clàm imperandum curauit, ut Herodem adiuuarent, quatenus æqua facturus eßet. Deinde cum cæpißet Caius Laodiceam, & ad eum communiter iretur, eiq; coronæ & pecuniæ ferrentur, sperabat Herodes fore, ut postquam eò uenißet Malichus, pœnas daret: at ille apud Tyrum Phœniciæ rem suspectam habens, maiora moliebatur. & quòd eius filius Tyri obses erat, decreuit eum, ingressus in urbem, surripere, & in Iudæam proficisci: & properante aduersus Antonium Caßio, gentem ad defectionem perducere, ipse potentatum occupare. Sed Herodes, astutus homo, animaduerso illius instituto, famulum præmisit quasi ad parandam cœnam: inuitauerat enim omnes: sed reuera ad tribunos, ut ad Malichum cum pugionibus egrederẽtur. Id quod illi fecerunt, & Malichum in littore prope urbem nacti transfoderunt. quo facto, sic attonitus est Hyrcanus, ut uox eum defecerit: deinde ubi ægrè resipuit, quærit ab Herodianis, quid'nam accidißet, & quis Malichum occidißet. Cumq; illi Caßium id iußiße dixißent, laudauit factum: peßimum enim fuiße hominem, & patriæ insidiatorem. Deinde Caßio ex Syria profecto, oritur in Iudæa tumultus. Elix enim relictus Hierosolymis cum exercitu, Phasaelum inuasit, & populus arma sumpsit. Herodes uerò Fabiũ adit Damasci præfectum: uolensq; ad fratrem currere, morbo impeditur, donec Phasaelus per se superatum Elicem, compellit in turrim: deinde per compositionem dimittit, & Hyrcanum incusat, qui multis per eos beneficijs affectus, hostes adiuuet. Nam Malichi frater non pauca tum loca ad defectionem perducta, præsidio tenebat, in quibus & Masadam omnium munitißimum. Sed postquam conualuit Herodes, illuc uenit, & illum de omnibus quæ tenebat locis deturbatum, per compositionem dimisit.

CAPVT XXI.

Antigonum Aristobuli filium, à Tyriorum tyranno adiutum, Herodes in fugam uertit, & ex Iudæa pellit.

ANtigonum autem Aristobuli filium, qui Fabio sibi pecunijs conciliato, exercitum comparauerat, asciscit sibi Ptolemæus Mennæi filius, propter affinitatem, auxiliante ei etiam Marione, quem Tyriorũ reliquerat Caßius tyrannum. Is enim occupatam per uim Syriam præsidijs firmauerat. Marion uerò etiam Galilæam, quæ uicina erat, inuasit: & tribus castellis potitus, ea præsidijs muniuit. Sed eum aggreßus Herodes, omnibus priuauit, & Tyriorum præsidia benignè dimisit, nonnullis etiam dona dedit: ea erat erga ciuitatem beneuolentia. His confectis, occurrit Antigono, & prælio superatum, ex ipso penè, quò processerat, Iudææ fastigio depulit. Itaq; postquam Hierosolymam uenit, Hyrcanus eum & populus coronis redimiuit. Erat autem iam per sponsalia gener factus Hyrcani familiæ, eoq; magis eum tuebatur, quòd erat ducturus in matrimonium filiam Alexandri Aristobuli filij, Hyrcani ex filia neptem: ex qua postea pater factus est trium filiorũ, & duarum filiarum. Duxerat etiam prius uxorem plebeiam, nomine Doridem, popularem, ex qua filium sustulit natu maximum Antipatrum.

CAPVT XXII.

Herodes Antonium multis pecunijs sibi concilians, ideoq; Herodem accusare uolentes Antonius non admittit.

POstquam Caßium Antonius & Cæsar in Philippis uicerunt, Cæsar in Galliam profectus est, Antonius in Asiam. Atq; ubi uenit in Bithyniam, occurrebant ei undiq; legationes, in quibus adfuerunt & Iudæorum primarij, qui Phasaelum & Herodem accusarent, dicentes Hyrcanum regni speciem habere, hos quidem omnẽ potestatem tenere. Herodem autem Antonius habebat in magna existimatione, qui ad eum ut crimina dilueret, uenerat. eamq; ob causam accidit, ut ne dicendi quidem locum aduersarij obtinuerint: id quod Herodes ab Antonio pecunia obtinuerat. Vt autem Ephesum uenit Antonius, misit Hyrcanus pontifex, & natio nostra, legationẽ ad eum, quæ ei coronã ferret aureã: oraretq; ut scriberet ad prouinciales, ut liberos dimitterent Iudæos, quos nõ iure belli Caßius captiuos reddidißet: utq; eis restitueretur ager, quo Caßij temporibus mulctati fuißent. Hæc Iudæorum postulata æqua esse iudicans Antonius, confestim scripsit Hyrcano & Iudæis, postulata eis concedens: simulq; Tyrijs & Sidonijs & Antiochenis & Aradijs ea de re decretum misit, idq; ut in literas publicas latinè & græcè referrent imperauit.

CAPVT XXIII.

Antonius in Syriam profectus, Herodem & Phasaelum tetrarchas constituit.

POstea cum uenisset Antonius in Syriam, decem Iudæorum primarij eum iterum conueniunt, ut Herodem & suos accusarët, delectis ad eam rem suorũ eloquentissimis. Quibus cõtradicebat Masalas pro adolescentibus, præsente etiam Hyrcano, qui iam Herodis socer erat. Antonius uerò auditis apud Daphnen utrisq;, quæsiuit ab Hyrcano, utri gentem melius regerẽt: cui ille respondit: Herodẽ & suos. Itaq; Antonius, qui iampridem eis faueret propter eorum patrem, cuius hospitio, cum unà cum Gabinio uenisset, usus fuerat, ambos tetrarchas cõstituit, eisq; Iudæorum administrationem mandauit, & ea de re literas scripsit, & quindecim aduersariorum in uincula dedit: quos cum interfecturus esset, Herodis precibus condonauit. Neq; tamen illi à legatione reuersi quieuerunt, quin Antonium rursus eorum mille adiuerunt ad Tyrum, quò uenturum fama erat: & Antonius multis iam pecunijs ab Herode & eius fratre corruptus, eius loci administratori mandauit, ut de Iudæorum legatis supplicium sumeret, qui nouis rebus studerent, Herodiq; principatum stabiliret. Herodes uerò, qui antè urbem in arena constiterat, protinus antegressus, eos ut discederent hortatur (aderat unà cum eis etiã Hyrcanus) quippe magno eorum malo futurum, si ad contentionem uenirent. Sed illi non obtemperarunt. & protinus impetum fecerunt in eos Iudæi cum incolis, qui eorum partem interfecerunt, plures etiam uulnerarũt: reliqui domum fuga dilapsi, quietos se trepidi tenuerunt. Ac populo aduersus Herodem uociferante, exacerbatus Antonius, uinctos interfecit. Anno secundo Syriam occuparunt Pacorus regis filius, & Barzapharnes Parthorum satrapa. Obijt & Ptolemæus Mennæi filius: eiusq; filius Lysanias, occupato principatu, amicitiam instituit cum Antigono Aristobuli filio, usus ad id opera satrapæ, qui apud Antigonum multum poterat.

CAPVT XXIIII.

Parthorum in Syriam expeditio, in qua Aristobuli filium Antigonum in regnum restituerunt.

ANtigonus uerò Parthis mille talenta & quingentas feminas promisit, si sibi principatum Hyrcano ereptum traderent, & Herodem cum suis interficerent: neque tamen dedit. & tamen Parthi eam ob causam in Iudæã expeditionem fecerunt, Antigonum reducentes: Pacorus per oram maritimã, satrapa uerò per mediteranea. Et Pacorum quidem excluserũt Tyrij: Sidonij uerò & Ptolemaidenses admiserunt. Et Pacorus equitum turmam misit in Iudæam, quæ regionem specularetur, & Antigonum adiuuaret unà cum regis pocillatore, nomine item Pacoro. Contulerunt autem se ad Antigonũ Iudæi, qui sub monte Carmelo quendam locum nomine Drymos incolebant: parati cum eo unà irrumpere: quo factum est, ut se nonnullos insuper regionẽ obeundo adepturũ speraret. Cumq; nõnullis occurrissent, Hierosolymam inuadunt: & quorundam accessione adiuti, facta manu regiam adoriuntur & oppugnant. Sed subsidio uenerũt Phasaelus & Herodes: commissaq; in foro pugna, uicerunt aduersarios: & eis in fanum compulsis, miserunt armatos quosdã in uicinas domos, qui eas custodirent: quos aggressus populus auxilio destitutos, cum ipsis domibus cõcremauit. Hanc ob causam Herodes paulo post cum aduersarijs prælio congressus, multos eorum interfecit. Cumq; quotidianæ uelitationes inter eos fierent, expectabant hostes turbam incolarum, uenturam ad festa Quinquagesimæ. Atq; instante eo die, multa circum fanum coeunt hominum millia, partim armatorum, partim inermium. Tenebant autem fanum & urbem illi homines: præter regiam, quam Herodes cum paucis militibus tutabatur, Phasaelo mœnia custodiente. Et Herodes cum suorum manu in hostes per suburbium eruptionem fecit, & ita acriter pugnauit, ut multa hominum millia uerterit, alijs in urbem fugientibus, alijs in fanum, nonnullis etiam in uallum qui foris erat: neq; non Phasaelus auxilium tulit. Pacorus uerò Parthorum dux cũ paucis equitibus, orante Antigono, in urbem uenit per speciem componendæ dissensionis: sed reipsa, ut illum in adipiscendo principatu adiuuaret. Cumq; Pacoro obuiam prodijsset Phasaelus, & eum hospitio excepisset, persuadet ei Pacorus, ut ad Barzapharnẽ legatos mittat, idq; fraudulẽter faciebat. Et Phasaelus nihil fraudis suspicatus, obtemperat, non laudante eam rem Herode, propter barbarorum perfidiam, sed Pacorum cæterosq; uenientes inuadi iubente. Igitur in eam legationẽ profecti sunt Hyrcanus & Phasaelus. Et Pacorus relictis Herodi ducentis equitibus, & decem eorum qui liberi nuncupantur, illos deduxit. Vbi in Galilæam uentum est, uenerunt eis obuiam in armis qui illic præerant urbibus. & Barzapharnes eos primùm studio se excepit, & muneribus donauit: deinde insidiabatur. Diuersabatur autem Phasaelus cum equitibus in propinquo, ad mare: ubi cum audiuissent Antigonum mille talenta & quingentas feminas promisisse Parthis aduersus ipsos, cœperũt suspectos habere barbaros. Accessit eò, quod insidias eis noctu fieri nunciauit quidam, & occultè adhiberi custodiam. Et sanè comprehensi fuissent, nisi expectatũ esset, donec Parthi, qui ad Hierosolymã erant, Herodẽ cæpissent: ne si hi prius essent interfecti, Herodes id sentiens effugeret. Atq; hæc sic se habebant, & eorum custodes cernebantur. Itaq; Phasaelum monebant nonnulli, ut statim equo discederet, nec expectaret: & maximè Ophellius, qui id à Samarallo, eorum qui tum erant in Syria locupletissimo, audiuerat: eiq; ad fugam nauigia pollicebatur, quippe propinquo mari. Verùm Phasaelus Hyrcanum deserendũ non censebat, neq; fratri periculum creandum: sed Barzapharnem aggressus, dicit eum non rectè facere, qui hæc in ipsos moliatur. Nam si pecunia egeat, maiorẽ à se habiturũ, quàm quantam det Antigonus: & alioquin atrox facinus esse, legatos, qui ad eum accepta fide uenerint, interficere insontes. At barbarus hæc dicente, iurabat nihil uerum esse eorũ quæ suspicarentur, sed eum falsis suspicionibus perturbari. deinde ad Pacorum profectus est.

CAPVT XXV.

Parthi Hyrcanum & Phasaelum comprehendunt: & Herodes aufugit.

EO digresso, Parthorum quidam Hyrcanum constringunt, & Phasaelum, multum detestantem Parthorũ periurium. Spado autẽ ad Herodem missus, in mandatis habebat, eum extra muros eductum comprehendere. Erant autem missi à Phasaelo nuncij, ad declarandam Parthorum perfidiam: quos cum hostes comprehendissent, Herodes Pacorum adit, & Parthorum potentissimos quosq;, tanquam aliorum dominos. At illi totius rei conscij, malitiosè dissimulare, & ei dicere, secum extra muros egrediendum, & literas afferentibus obuiam eundum esse: nondum enim eos ab aduersarijs comprehensos esse, & ad significandum Phasaeli successum uenire. Verùm his Herodes non credebat, quippe qui ab alijs fratris comprehensionem audiuisset. Accedebat eò, quòd admonente Hyrcani filia (cuius filiæ filiam ipse sibi desponderat) magis etiam suspectos Parthos habebat: & quamuis alij non auscultarent, ipse cordatæ in

primis fœminæ credebat. Igitur deliberantibus Parthis, & negocium in posterum diem differentibus, Herodes, ubi uespera uenit, statuit ea ad fugam uti. Itaq; adhibitis quos habebat militibus, & impositis in iumenta mulieribus, matre sua, & sorore, & Alexandri filia, quam uxorem ducturus erat, eiusq; matre Hyrcani filia, & fratre suo natu minimo, unà cũ famulitio, cæteraq; turba, in Idumæam ire contendit, inscijs hostibus. Accidit autem, ut euerso uehiculo, & matre penè exanimata, ipse sibi penè manus attulerit, tum propter dolorem quem de matre capiebat, tum quòd metuebat ne hac iniecta mora, comprehenderetur ab hostibus. Itaq; stricto ense seipsum ferire parabat, nisi eum qui aderant prohibuissent. Igitur partim ui, partim pudore coactus, abstinuit: & matre recreata, ac pro temporis angustia curata, iter suum persequitur, & ad Masadã castellum magnis itineribus uadit. Interea multis prælijs lacessitus à Parthis, qui eum persequebãtur, uicit omnia. Neq; non Iudæos, qui eum sexto ab urbe stadio adorti sunt, præclarè uicit atq; uertit. & postea rex factus, construxit eo ipso in loco excellentissimum palatium. & id urbe circundedit, quam Herodiam appellauit. Vbi in Iudææ locum nomine Thressam uenit, occurrit ei frater eius Iosephus, & de toto negotio quid agendum esset, deliberationem proposuit, cum magna eos multitudo etiam præter mercenarios sequeretur: & locus Masadas, in quem confugere decreuissent, angustior esset, quàm ut posset tantam multitudinem capere. Itaq; maiorem partem dimisit, quæ fuit supra nouem millia, iussit'q; ut diuersi per Idumæam saluti suæ consulerent, & eis uiaticum dedit. Deinde assumptis expeditissimis quibusque, & maximè necessarijs, in castellum peruenit: & collocatis ibi fœminis & comitibus, qui erãt circiter octingenti, cum esset in eo loco magna omnium rerũ necessariarum copia, ad Petram Arabiæ ire contendit. Cæterum simulac orta dies est, Parthi totam Hierosolymam & regiam diripuerunt: tantum ab Hyrcani pecunia abstinuerunt, quæ erat ad talenta trecenta. Herodis quidem multa euaserunt, præsertim quæ prius in Idumæam eius prouidentia fuerant deportata. Parthi uerò urbis direptione non contenti, etiam agros uexarunt, & Marissam urbem potẽtem euerterunt. Sic Antigonus in Iudæam à rege Parthorum reductus, Hyrcanum & Phasaelum uinctos accepit. Erat autem in magna solicitudine, quoniam effugerãt eum fœminæ, quas hostibus dare habebat in animo. Metuens uerò ne Hyrcanum, qui à Parthis custodiebatur, populus in regnum restitueret, aures ei abscidit, ne deinceps pontifex esse posset: quippe mutilo corpore, cum lex id munus integrorum esse uelit. Phasael uerò necem sibi parari intelligens, ne ad hostis libidinem moreretur, cum manus uinctas haberet, saxo caput allisit, ut se uita priuaret. Ferunt, cum ingenti uulnere saucius esset, Antigonum sumsisse medicos, qui per speciem eius curandi, lethalibus ad uulnus medicamentis usi, eum occiderint. Tamen antequam prorsus animam egisset, audiuit à quadam muliercula, fratrem suum Herodem ex hostibus euasisse: quæ res effecit ut mortem magno animo tulerit, quòd mortis suæ uindicem relinqueret. Herodes uerò Malchum Arabiæ regem, multis à se beneficijs antea affectum, adibat, ut ab eo uicissim, cum maximè opus esset, pecuniam uel mutuã, uel dono impetraret. Nesciens enim quo in statu res fratris esset, properabat eum ab hostibus liberare trecentis talentis. Hanc ob causam ducebat & Phasaeli filium septennem, ut eum Arabibus pignori daret. Sed Malchus missis ei obuiam nuncijs, iussit eum discedere: interdictum enim sibi à Parthis, ne Herodem acciperet. Id autem

Herodis fuga.

Phasaeli mors.

Herodes ad Arabiæ regem se recipit, & repudiatur.

prætexebat, ne mutuum redderet, impellentibus etiam eum ad id primatibus Arabum, ut Antipatri depositum, quod acceperant, interuerterent. Ille respondit, non se uenisse ut eis ulla in re molestus esset, sed ut duntaxat cum rege de rebus maximè necessarijs colloqueretur. Deinde ubi discedere iussum est, abijt Aegyptum uersus: ac tum in fanum quoddam diuertitur, ubi comitum suorum multos reliquerat. Postero die peruenit ad Rinocura, & ibi fratris negotium cognouit. Malchus quidem pœnitentia ductus, post Herodem cucurrit, sed nihil profecit: quippe cum ille iam abesset longissimè, properans ad Pelusium. Inde nauigauit in Alexandriã, ubi eum Cleopatra retinere cum uellet, non potuit: tantopere Romam properabat, quamuis hyems esset, & Italiæ res magno in motu esse nunciarentur. Igitur soluit inde Pamphyliam uersus: & graui tempestate conflictatus, ægrè in Rodum euasit, facta iactura: & ibi duobus amicis occurrit, Sappinæ & Ptolemæo. Atq; urbem nactus afflictam Cassiano bello, quamuis inops, tamẽ non grauatus est ei benefacere, & eam supra uires recreare. Deinde parata triremi, & ea cum amicis conscensa, inde in Italiam Brundusium appulit: & illinc Romam profectus, Antonio primùm omnem suam fortunam exponit, & sibi omnem in ipso spem sitam esse demonstrat.

CAPVT XXVI.

Herodes Romam profectus, creatur à senatu rex Iudææ.

ITaq; Antonius eius miseratione commotus, tum Antipatri recordatione, cuius ipse fuerat usus hospitio, tum propter pecuniam, quam ei daturum se promittebat Herodes, si rex factus esset, quemadmodum antea cum quartæ partis rex factus fuerat, & multo etiam magis odio Antigoni, quem seditiosum & Romanis infensum existimabat, paratus erat Herodem in suis postulatis adiuuare. Cæsar quoq; partim propter Antipatri militiam, qua in Aegypto cum ipsius Cæsaris patre functus fuerat, propterq; eiusdem hospitium, & omnium rerum beneuolentiam, partim ut Antonio Herodis studiosissimo gratificaretur, erat ad adiuuandum Herodem paratior. Igitur conuocato senatu, Messala, & post eum Atratrinus, producto Herode, eius patris beneficia narrarunt, & ipsius erga Romanos beneuolentiam commemorarunt, accusantes simul, hostemq; pronunciantes Antigonum, non modò propter eius primum in eos delictum, sed etiam quòd contemptis Romanis, à Parthis accepisset imperium. His commoto senatu, procedit Antonius, & eos docet etiam ad Parthicum bellum expedire, ut rex fiat Herodes. Ita omnium suffragijs rex creatur Herodes, præter spem suam. Neq; enim regnum sibi concessuros Romanos arbitrabatur, qui id regij generis hominibus dare consuessent: sed id ambiebat uxoris suæ fratri Alexandro, Aristobuli & Hyrcani consanguineo. Ita totum Herodis negotium septem diebus expeditũ est. & senatu finito, medium stipantes Herodem Antonius & Cæsar exierunt, deducentibus consulibus, unà cum alijs magistratibus, ad sacrificandum, & decretum in Capitolio proponendum. Ac primò regni Herodis die Antonius ei conuiuium dedit. Toto autem hoc tempore Antigonus eos qui erãt Masadæ, oppugnabat, cæteris omnibus abundantes, sed aquæ penuria laborantes, ut eam ob causam Herodis frater Iosephus cum ducentis suorum decreuerit ad Arabes fugere: audierat enim, Malchum commissorum in Herodem pœnitere. Sed accidit ut noctu tantum plueret, ut cisternæ replerentur aqua: qua ex re tantum animi sumpserunt, ut omisso illo instituto, in Antigonianos partim apertè, partim clàm eruperint,

perint, & eorum complures interfecerint. Interea Ventidius Romanorum dux, missus ad Parthos Syria arcendos, post illos in Iudæam uenit, uerbis ille quidē ut Iosepho ferret auxilium: sed reipsa callidè id agebat, ut pecuniam auferret ab Antigono. Itaq; castris proximè Hierosolymam positis, satis grandem pecuniam obtinuit ab Antigono, atq; ipse discessit cum copiarum parte maiori. Ne tamen facinus deprehenderetur, Silonem cum parte nonnulla militum reliquit: quem etiam coluit Antigonus, ne quid sibi noceret; sperans iterum Parthos sibi subsidio futuros.

CAPVT XXVII.

Herodes Roma reuersus, pugnat cum Antigono.

HErodes uerò, qui iam ab Italia Ptolemaidem uenerat, & copias non mediocres partim conductitiorū, partim popularium contraxerat, incedebat per Galilæam aduersus Antigonū, adiutoribus Silone & Ventidio: quibus Delius ab Antonio missus persuaserat, ut Herodi reducendo operā darent. Ventidius excitatas propter Parthos in urbibus turbas componebat. Silo uerò in Iudæa pecunijs ab Antigono corruptus erat. Herodi quidem progredienti quotidie uires augebantur, omnisq; Galilæa, paucis exceptis, stabat ab eius partibus. Atq; ad Masadam contendenti, impedimento fuit Ioppe: quæ cum hostis esset, capienda prius erat, ne qua à tergo relinqueretur hostibus munitio, dum Hierosolymam adoritur. Hanc occasionem nactus Silo, profectus est. & Iudæis eum persequentibus, subuenit cum exigua manu Herodes: uersisq; Iudæis, Silonem malè repugnantem seruauit. Deinde capta Ioppe, ad liberandos suos, qui Masadæ erant, properat, incolis ei se partim propter paternam amicitiam adiungentibus, partim propter ipsius gloriam, nonnullis ut utriq; gratiam referrent: plerisq; uerò propter spes quas in eo, rege deinceps certò futuro, habebāt. Ita magna manu coacta cum procederet, occupabat Antigonus insidijs aditus & opportuna loca: sed nihil hac ratione hostibus, aut certè perparum nocebat. Herodes uerò suis ex Masada receptis, nec non munitione Thressa, ducit ad Hierosolyma, comitantibus Silonis copijs, cum multis Hierosolymitanis, tanta potentia perterritis. Ubi ad urbis occidentalem partem castra fecit, qui illa parte dispositi erant custodes, eum missilibus propellebāt: nonnulli etiam cateruatim excurrebant, & cum principijs manus cōserebant. Herodes uerò primùm proclamari iussit circa mœnia, sese propter populi utilitatem, urbisq; salutem adesse: ne apertos quidem aduersarios ulturum, sed suis etiam inimicissimis ueniam daturum. Ad hæc Herodis præconia dicebat Antigonus Siloni & Romanorum exercitui, præter ipsorum iustitiam facturos, si Herodi regnum darent, homini priuato, & Idumæo, hoc est semiiudæo: cum id Iudaici generis hominibus præberi deberet, ut erat eorum consuetudo. Quod si nunc sibi succenseant, & à se regnum auferre, quoniam id à Parthis acceperit, statuerunt, esse quidē multos sui generis, qui possent in regnum ex lege succedere, qui neq; quicquam contra Romanos peccassent, & sacerdotes essent, & iniquè eo munere spoliarentur. Hæc dum utrinq; dicuntur, & ad conuicia proceditur, Antigonus suis de muro propugnare permittit: qui missilibus illos cupidè protelantes, facilè à turribus auerterunt. Tum Silo facile ostendit, se corruptum pecunia: summisit enim militum suorū non paucos, qui clamitarent commeatus esse penuriam, & pecuniam ad alimoniam peterent, seq; in idonea loca ad hybernandum deduci postularent, uastatis circum urbem agris, quoniam ab Antigonianis sublata fuissent omnia. Ita exercitum mouebat, & discedere conabatur. Verùm Herodes instabat, subiectos Siloni duces & milites cohortando ne se derelinquerēt, missumà Cæsare & Antonio & senatu. Eorum enim commeatui prouisurum, eisq; abundantiam eorum quæ postularēt, facile præbiturum. Ac statim post eas preces in agros profectus, nullam iam Siloni discedendi occasionem reliquit. Tantam enim cōmeatus copiam apportauit, quantam nemo sperasset: suisq; apud Samariam amicis significauit, ut frumentum, uinum, oleum, pecudes, & alia omnia Hierichuntem deportarent, ut ne deinceps quidē milites cibarijs deficerētur. Hæc Antigonum haud latuerunt, quin protinus dimisit in eam partē qui frumentatores prohiberent ac circumuenirent. Atq; illi ingenti armatorum multitudine ad Hierichuntē coacta, consederunt in montibus, ut illos obseruarent. Hæc dum fiunt, Herodes assumptis decem cohortibus, quarum quinq; Romanorum, alteræ Iudæorū erāt, adiunctis promiscuis mercenarijs, & præterea paucis equitibus, ad Hierichuntē proficiscitur: urbemq; uacuam nactus, quingentos homines (qui unà cum suis uxoribus & liberis arcem occupauerāt) captos dimisit. Romani uerò impetu in urbem facto, eam diripuerunt, domos nacti omni genere bonorū refertas. Igitur relicto Hierichunte præsidio, rex rediit, & Romanum exercitū in eas regiones quæ deditionem fecerāt, uidelicet Idumæā, Galilæā, & Samariā, in hyberna dimisit. Ita factum est, ut Romani rebus omnib. abundarent, & ab armis quiescerent. Herodes uerò fratrem suum Iosephum cum peditibus mille, & equitibus quadringentis, misit in Idumæam. Ipse in Samariā profectus, & deposita ibi matre, alijsq; suis consanguineis, in Galilæam cōtendit, expugnaturus quædam loca ab Antigono præsidijs occupata. Ac imbre coorto, profectus ad Sepphorim, & Antigoni præsidio clàm inde profecto, nactus est summā commeatus copiā. Inde equitū turmā, & peditum cohortes tres misit aduersum latrones quosdam in antris habitantes, ut eos latrocinijs prohiberet. Erat is locus proximè uicum nomine Arbela. Ipse quadragesimo die eò uenit cum omni exercitu: in quē adeo audacter exierūt latrones, ut eius aciei sinistra pars inclinauerit. Sed ipse cum sua parte copiarum sese ostendens, iamdudum uincentes uertit, & fugientes reuocat, & hostes usq; ad Iordanem diuersijs uijs fugientes persequitur: atq; ita totam Galilæam recepit, exceptis ijs qui habitabant in antris. Deinde suos pecunia donatos in hyberna dimisit, & Pheroræ fratrum suorum natu minimò ut illis de commeatu prospiceret, Alexandriumq; reficeret, mandauit: id quod ille celeriter fecit. Sub idem tempus Antonius Athenis commorabatur: in Syria uerò Ventidius Silonē aduersus Parthos accersens, ei significauit, ut primùm Herodem in eo bello adiuuaret, deinde ad Romanum bellum socios uocaret. Herodes, qui aduersus latrones illos properaret, Silonem libenter ad Ventidium dimisit: ipse ad latrones illos contendit. Erant ea antra in præruptis montibus, nec nisi perangustis tramitibus adiri poterant, qui tramites erant in media rupe, quæ & supernè altissima imminebat, & infrà in immensam altitudinem descendebat in uallem. In his antris habitabant latrones cum suis omnibus familijs, ibiq; commeatum habebant. Igitur rex arcas in hunc usum compactas, & catenis ferreis alligatas, de montis uertice machinis demittit, plenas hominibus armatis, longos harpagones habentibus, quibus repugnantes attraherēt ac præcipitarent. Demissis arcis, qui intus erāt, latrones eorūq; liberos interficiūt, et in speluncas ignē inijciūt: atq; illorū nonnulli deditionē fecerūt. Erat in antris senex cum septē liberis, & uxore, qui orantib. liberis ut sibi deditionē fare permitteret, stetit in ostio, et ut natorū quisq; exibat, eū iugulabat.

Herodes Hierosolymam oppugnat.

Herodis pugna cum latronibus.

Herodes latrones rupium extirpat.

iugulabat: donec tandem omnibus, necnon uxore trucidata, corpora deiecit, & seipsum insuper præcipitē dedit, cū quidem prius multa in Herodem conuicia iecisset, licet dexteram (prospiciebat enim omnia) & impunitatem promittentem. Hac ratione subactæ sunt omnes specus. Deinde rex præposito ijs qui illic erant, duce Ptolemæo, in Samariam proficiscitur cum equitibus sexcentis, & peditum tribus millibus, ut prælio dimicaret cum Antigono. Verùm qui prius Galilæam turbauerant, ij Ptolemæum aggressi occiderunt: deinde in paludes & inaccessa loca confugerunt, regionem uniuersam uastantes ac diripientes. Igitur Herodes eò reuersus, rebelles partim necat, partim qui in munita loca refugerant expugnat, & ipsos interficit, & munitiones complanat: atque ita rebellione coercita, urbes centum talentis mulctat. Interea cum Pacorus in prælio occubuisset, & Parthi male pugnassent, mittit subsidio Ventidius Herodi Machæram, cum duabus legionibus & mille equitibus, iubente Antonio. Hunc Machæram literis solicitauit Antigonus, ut sibi ferret auxilium: sese ei pecuniam daturum pollicitus. Sed Machæra eum ueritus à quo missus erat, Herode insuper etiam largius dante, in proditionem non consensit: sed Antigoni se amicum simulans, eò ad eius speculādas res profectus est, tametsi dissuadente Herode. Verùm Antigonus animaduertens eius consilium, portas ei clausit, eumq; de muris sicut hostem repulit: quo pudore affectus Machæra, Emauntem ad Herodem se contulit, & offensionem incommodumq; suum sic ægrè tulit, ut in quoscunque in uia incurreret, interficeret, siue hostes, siue amicos. Quare iratus rex, in Samariam ire contendit, in animo habens hæc ad Antonium deferre: nihil enim talibus socijs egere, qui ipsum magis quàm hostes læderent: se etiam ad debellandum Antigonum satis esse. At Machæra peccatum suum perpendens, ei properè obuiam it, oratq; ut maneat: aut si adeò ire cupit, ut fratrem suum Iosephum apud se relinquat, dum Antigonum oppugnant. Ita Herodes Machæræ reconciliatus, Iosephum ibi cum exercitu reliquit, monuitq; ne periclitaretur, néue cum Machæra contenderet. Ipse cum Antonium audiret magnis copijs oppugnare ualidam quandam urbem apud Euphratem sitam, nomine Samosata, eò celeriter profectus est, id tempus idoneum animaduertens ad uirtutem suam ostendendam, & gratificandum Antonio. Igitur eius aduentu soluta est obsidio, cum quidem in itinere complures barbaros interfecisset, magnaq; præda potitus esset. qua de re eum Antonius longè pluris fecit, eiq; magnum honorem habuit, & rex Antiochus Samosata dedere coactus est. Ita finito bello, Antonius Sosio Syriam tribuit, mandauitq; ut Herodem adiuuaret: ipse in Aegyptum profectus est. Sosius duas legiones Herodi auxiliares præmisit in Iudæam: ipse cum maiore exercitu subsequitur. Erat autem iam mortuus in Iudæa Iosephus in hunc modum. Obliuione captus eorum quæ ei mandauerat frater, castra fecit apud montes. Acceptis enim à Machæra quinq; cohortibus, properabat ad Hierichuntem, uolens segetes demetere: & quia Romanorum exercitus tyronum erat, quippe ex Syria magna ex parte collectus, lacessentibus hostibus, in eas angustias uenit, ut & ipse generosè pugnans occubuerit, & exercitum omnem amiserit, concisis septem cohortibus. Et Antigonus occisorum potitus, Iosephi caput abscidit, Pherora eius fratre id quinquaginta talentis redimere uolente. Postea rebellantes Galilæi à suis optimatibus, eos qui ab Herode stabant, in lacum demersos necarunt. neq; non in Iudæa multi tumultus extiterunt: & Machæra Gitthan castellum munire aggressus est. Interea ueniunt ad Herodem nuncij ad Daphnen Antiochiæ, qui ei fratris fortunam retulerunt, expectanti quidem, propter quædam uisa somniorum, quæ ei fratris mortem clarè demonstrabant. Igitur iter facere maturans, postquam ad montem Libanum uenit, assumit illinc octingentos homines in auxilium: & unà cum Romana legione quam habebat, Ptolemaidem uenit. & inde noctu profectus cum exercitu, per Galilæam progreditur, & hostibus occurrit, prælioq; uictos compellit in eundem locum, unde pridiè fuerant profecti. Postridie locum oppugnare aggreditur: sed multo imbre coorto, agere cum nihil posset, exercitum in proximos pagos abducit. Cumq; ad eum uenisset ab Antonio altera legio, qui locum tenebant territi, noctu eum deserunt. Et rex ad Hierichuntem festinat, eos de fratre ulcisci habens in animo. Postridie sex hostium millia de montium iugis descendentia, Romanos armis territabant: leuisq; armaturæ milites progressi, in regis stipatores pila & lapides iaciebant, eiq; latus quidam pilo uulnerauit. Antigonus uerò ducem mittit in Samariam, nomine Pappum, cum nonnulla manu, uolens hostibus opinionem creare, sese ex superuacaneo bellum gerere. Atq; ille dux Machæræ se opposuit. Herodes uerò captis quinq; oppidulis, duo circiter hominum millia, quos ibi comprehenderat, interfecit: oppidisq; incensis, aduersus Pappum rediit, qui castra fecerat ad uicum quendam Isanas appellatum. Ac frequentibus ad eum tum ab Hierichunte, tum à Iudæa confluentibus, ubi prope hostes uentum est, cum illi audacter eum inuasissent, eos prælio superat, & ut fratri parentaret, fugientes in uicum persequitur interficiēs. Cumq; domus armatis essent refertæ, & multi in tecta refugerent, ijs potitur: & effractis domorum tabulatis, eas confertis militibus plenas conspicit. Hos iactis supernè saxis aceruatim interficiunt. quæ res maximè fregit animos hostium, sollicitorum de futuro. Cernebatur enim procul multitudo maxima coeuntium circa uicum, qui plenos cæsorum uicos conspicati, refugiebant. Quod nisi fœda tempestas impediuisset, inuasisset Hierosolymam regis exercitus, uictoria fretus, negociumq; peregisset. Iam enim fugam planè adornabat Antigonus, & ab urbe discessionem. Postero die Herodes Pappi caput, qui occisus erat, amputat, & Pheroræ mittit, fratrem ita ultus, quem Pappus ipse sua manu occiderat. Deinde finita tempestate, proficiscitur, & prope Hierosolymam castra facit, anno tertio ex quo Romæ rex creatus erat. Inde castra mouet, & prope muros collocat, qua parte urbs erat maximè expugnabilis, ante templum, eam oppugnare habens in animo, ut antè fecerat Pompeius: atque obsepto tribus aggeribus loco, turres exprimit, magna manu ad id opus utens, & proximas arbores secans. Ac præfectis operi idoneis hominibus, sedente adhuc exercitu, ipse Samariā ad nuptias proficiscitur, filiam ducturus Alexandri Aristobuli filij, quæ ei desponsa erat.

Machæra Herodi subsidio uenit.

Herodes Antonium adit ad Samosata.

Iosephi Herodis fratris mors.

Herodes ad Hierosolymam castra facit.

CAPVT XXVIII.

Antigonus à Sosio & Herode opprimitur.

POst nuptias uenit per Phœnicen Sosius, præmissis per mediterranea copijs: uenit & dux, agens equitum peditumq; multitudinem. Ipse quoque rex aduenit à Samaritide, non paruum exercitum, præter ueterem, agens: quippe qui esset circiter triginta millium. Hi omnes ad mœnia Hierosolymæ conuenērunt, & à muri parte septentrionali consederunt, cum quidem essent peditum legiones undecim, & equitum millia sex, præter alia auxilia à Syria. Duces erant duo, Sosius ab Antonio missus in auxilium, & Herodes pro se ipso, ut Antigono de principatu deiecto (quippe qui Romæ hostis declaratus esset) ipse pro

pro illo regnaret ex senatuscõsulto. Iam verò Iudæi magno animo & contentione (utpote uniuersa gente congregata) Herodi repugnabant, intra mœnia conclusi: multaq; circa templum iactabant, & populo fausta ominabantur, tanquã Deo eos periculis liberaturo. Neque non extra urbem alimenta omnia tum hominum tum pecorum diripuerunt, & clandestinis latrocinijs hosti difficultatem afferrebant. At Herodes aduersum latrocinia, locis opportunis insidias disponebat: annonam autem mittendis armatorum legionibus procul comportabat, ita ut breui tempore rebus necessarijs abundauerint. Iam verò cum multa manus continẽter in opere uersaretur, facilè perfecti sunt tres aggeres, utpote cũ æstas esset, nec opus ulla aeris intemperie uel alia re impediretur. Itaq; admotis machinis, muros quatiunt, & omnia experiuntur. Nec tamen perterrebantur qui erant intus, quin excogitabant & ipsi cõtra oppugnatores non pauca, & eorum opera excursionibus partim inchoata, partim perfecta incendebant. & ad manus uenientes, nihilo Romanis inferiores erãt audacia: sed ingenio superabãtur. Itemq; aduersus machinas, dirutis primis ædificijs alia extruebant, & sub terra cuniculos agentibus occurrentes pugnabant: ac desperatione magis quàm uirtute utentes, bellum ad extremum persequebantur, quamuis magno exercitu circumsessi, & fame rerumq; necessariarũ penuria laborantes. erat enim quietis annus, qui septimus est. Tandem muros conscenderunt, electi homines uiginti: deinde Sosij centurio. estq; murus primus quadraginta diebus expugnatus, secundus quindecim: & quædam circa templum porticus combustæ sunt, quas postea Herodes ab Antigono incensas calumniabatur, ut eum Iudæorum inuidia grauaret. Expugnato exteriore templo, & urbe inferiore, Iudæi in templum interius & urbem superiorem confugerunt: ueritiq; ne à Romanis quotidiana Deo sacra peragere prohiberentur, legatos miserunt, qui postularent ut eis uictimas tantum introducere permitteretur. Herodes verò deditionem facturos arbitratus, concessit: deinde ubi nihil ab eis eorum quæ suspicabatur, fieri uidet, sed eos fortiter pro Antigoni regno propugnare, urbem aggressus ui cæpit, atq; omnia protinus plena cædibus erant, Romanis ob obsidionis sex mensium moram iratis, Herodianis autem Iudæis nullum aduersarium relinquere studentibus. Ita densi in angiportibus, & per domos constipati, & in templo, in quod refugerant, iugulabantur: nec paruulis, nec senibus, nec mulierib parcebatur. ac quãuis superuenisset rex, & ut parceretur oraret, nemo dexteram continebat, quin tanquã rabiosi in omnem ætatem sæuirent. Ipse Antigonus ab arce degressus, Sosio ad pedes accidit: atq; ille ei intemperanter insultauit, & Antigonam appellauit, atq; in uincula coniecit asseruandũ. Accedebat autem peregrinorum militum uulgus ad fanum, sacrasq; templi res aspiciendas: uerùm rex partim precibus, partim minis, nonnullos etiam armis repressit, urbemq; diripi prohibebat, Sosium etiam atq; etiam interrogans, utrum Romani, urbe pecunijs uirisq; exinanita, regem se solitudinis essent relicturi: se uel totius orbis imperium, tam multorũ ciuium cæde emendum esse non putare. Cumq; ille pro obsidionis labore prædam se militibus meritò concedere dixisset, respondit Herodes: se sua pecunia singulis stipendia soluturum: atq; ita reliqua urbe redempta, promissum præstitit. Nam & singulos milites magnificè, & duces pro rata parte, & Sosium planè regiè muneratus est. Hoc urbi malum accidit, Marco Agrippa, Canidio Gallo consulibus, mense tertio, festis ieiunij, eodem die quo à Pompeio uiginti septem annis antè capta fuerat. Sosius verò Deum aurea corona muneratus, Hierosolymis profectus est, Antigonum uinctũ ducens Antonio. Sed ueritus Herodes ne Antigonus generis hæreditatisq; iure regnum uel recuperaret ipse, uel suis filijs conciliaret, pecunijs persuasit Antonio, ut Antigonũ necaret. Hic finis fuit potentatus domus Asamonæi, postquã centũ uiginti sex annos durauit: quæ domus clara fuit & illustris, tum generis nobilitate & honore pontificis, tũ rebus per eius maiores pro natione gestis. Verùm hi propter mutuas dissensiones principatum amiserunt, isq; ad Herodem translatus est, Antipatri filium, hominem plebeiæ familiæ, generis priuati, regibusq; subiecti.

FLAVII IOSEPHI ANTIQVItatum Iudaicarum liber decimusquintus.

CAPVT I.

Antonius Antigonum securi ferit, & Herodes primos amicorum Antigoni interficit.

POstquam Herodes totius Iudææ principatum adeptus est, quicunq; ex urbana multitudine priuati homines adhuc ab ipsius partibus stabãt, eos promouebat: qui verò ab aduersarijs faciebant, eos quotidie ulcisci, & supplicijs afficere non intermittebat. Erant autem apud eum in præcipuo honore, Pollio Pharisæus, & Sameas eius discipulus: quoniam hi duo, obsessa Hierosolyma, ciuibus consuluerant, ut Herodem acciperent. Tunc igitur Hierosolymis potitus Herodes, omnia regiæ ornamenta cõgessit, & insuper locupletibus compilandis magnã argenti auriq; uim contraxit, & his omnibus Antonium eiusq; familiares amicos donauit. Interfecit etiã quadraginta quinq; primos Antigonianarum partium, constitutis ad murorum portas custodijs, ne quis cum mortuis efferretur. Neq; non mortui excutiebantur, & quicquid erat inuentum argenti, aut auri, aut rerũ preciosarum, ad regem referebatur: denique malorum modus erat nullus, partim propter dominantis auaritiam, qui indigeret: partim quòd terram incultã manere cogebat annus septimus. Antonius verò cum captiuum cæpisset Antigonum, decreuerat usq; ad triumphum seruare uinctum: sed cum audiret rebus nouis studere gentem, & præ Herodis odio beneuolentiam erga Antigonum retinere, statuit eum Antiochiæ securi feriendum: alioquin quiescere Iudæi minimè poterant. Postquam regnum Herodes occupauit, Hyrcanus pontifex, qui apud Parthos captiuus erat, ad Herodem uenit, captiuitate liberatus in hunc modum.

CAPVT II.

Quo pacto Hyrcanus à Parthis dimissus, ad Herodem redierit.

VBi à Barzapharne & Pacoro ad Phraatem Parthorum regem perductus est, Phraates (qui eius generis nobilitatem audijsset) eum clementer tractauit: uinculisq; solutũ, Babylone degere uoluit. Erat illic Iudæorum multitudo, qui Hyrcanum ut pontificem & regem honorabant. Idemq; faciebat uniuersa Iudæorum gens, quæ usque ad Euphratem incolebat: id quod ei gratum erat. Sed Herodem regnum adeptum intelligens, spem nouam concepit, tum quòd iam ab initio erat amico in Herodem animo, tum quòd eum beneficiorum quæ ab Hyrcano accepisset, memorem fore putabat. Itaq; hac de re Iudæis sermonem iniecit, qui ipsum frequentabant. At illi eum retinere, & ut maneret suadere, demonstrantes officia ei & honores

honores ab se præstari, pontifice & rege non indignos: quodq; maius esset, hæc eũ Hierosolymæ propterea consequi non posse, quòd haberet mutilatum ab Antigono corpus. Iam uero beneficia non pariter à regibus referri, quæ priuati acceperint, mutante eos non parum fortuna. Hæc quamuis ei demonstrarent, tamen discedere cupiebat. Praeterea scripsit Herodes ei, ut Phraatem oraret, & qui illic essent Iudæos, ne ei communem regni potestatem inuiderent. Nunc enim tempus esse & sibi referendæ illi gratiæ, qui ab eo nutritus & conseruatus fuisset: & illi accipiẽdæ. Hæc Hyrcano scribens, mittit etiam ad Phraatem legatum Saramalam, & complura dona, eum comiter orans ne se homini bene de se merito gratiam referre prohiberet. Verùm longè alius erat eius animus: uolebat enim Hyrcanum in potestate habere, aut etiam occidere, metuens ne is aliquando regnum recuperaret. Igitur uenit Hyrcanus: & Herodes eum excepit honorificentissimè, eiq; deinceps in conuentibus & in conuiuijs primum locum tribuebat, ut eum deciperet, patrem appellans, & omnẽ insidiarum suspicionem amoliens. Fecit & alia ad tuendum principatum, quæ ei domesticam seditionem excitarunt. Vt enim caueret ne quem ex illustribus pontificem crearet, euocat à Babylone Ananeelem quendam sacerdotẽ ignobilẽ, eiq; pontificatum dat. Hanc contumeliam protinus non tulit Alexandra Hyrcani filia, Alexandri Aristobuli regis filij coniux, quæ ex Alexãdro liberos habebat, uidelicet formosissimum filium nomine Aristobulum, & nuptam Herodi Mariam, forma insignem. Hæc Alexandra turbabatur, & pueri ignominiam ægrè ferebat, si eo superstite, ascitus quidã pontificatu donaretur. Itaque scribit Cleopatræ, ut puero ab Antonio peteret principatum. Atq; Antonio segnius obtemperante, eius amicus Gellius, cum in Iudæam propter quædam negocia uenisset, ut uidit Aristobulum, delectatus est uenustate: & pueri proceritatem & pulchritudinẽ admiratus, neq; minus Mariam regis coniugem, ac se pulchrorum matrem natorum Mariam existimare præ se ferebat. Cumq; illa cum eo in colloquium uenisset, persuadet ut depictas amborum imagines mittat Antonio: ijs enim uisis, nihil non ab illo impetraturam. Atque id illa fecit. & Gellius rem in immensum exaggerauit, dicens non ab hominibus, sed à quopiam Deo natos uideri sibi pueros. Ille uerò puellam quidem accersere uerecundatus est, quòd ea Herodi nupta foret, & ipse apud Cleopatram hac de re criminationes uitaret: sed ut puerum mitteret scripsit, idq; honestè fecit, addẽs, nisi graue uideretur. His acceptis, Herodes haud iudicauit forma & ætate florentem Aristobulum (erat enim annorum sexdecim) & genere præstantem, mittere ad Antonium, hominem eo tempore Romanorum uel potentissimum, eundemq; libidini deditum, & uoluptates inuerecundè (quoniam posset) conquirentem. Hanc ob causam rescripsit, si tantum ex ijs finibus exijsset adolescentulus, fore omnia belli turbarumq; plena, Iudæis mutationẽ resq; nouas sub alio rege sperantibus. Hæc causatus apud Antonium, statuit puerum & Alexandram non omnino expertes honoris relinquere: accedentibus etiam Mariæ precibus, quæ assiduè contẽdebat, ut fratri suo pontificatum restitueret. quam quidem rem ipse è re sua esse iudicauit, ut puero in honore constituto, patria abesse non liceret. Igitur conuocato amicorum concilio, grauiter de Alexandræ facto conqueritur, seq; quòd Ananeelẽ pontificem creauerit, non alia de causa fecisse dicit, quàm ut id munus Aristobulo adhuc puero seruaret, idq; nũc ei tradere. Atq; hæc dicebat callidissimè, ut mulieres & amicos, qui aderant, falleret. Hac re ita lætata est Alexandra, ut ei gratias egerit maximas, & se ad omnia obedientem fore promiserit, ueniamq; petierit. Ita composita est dissensio, omni (ut uidebatur) suspicione sublata.

Ananeel pontifex, propter quẽ oritur domi Herodis dissidium.

CAPVT III.

Herodes Aristobulum Mariæ uxoris suæ fratrem interficiendum curat.

IGitur rex Herodes Ananeelem pontificatu abdicauit, hominem generis pontificij, & iamdiu sibi amicum: idq; eo consilio fecit, ut domesticas turbas sedaret. Neque tamen metuere desinebat, ne Alexandra res nouas moliretur: itaq; iussit eam in regia degere, neque quicquam per potestatem facere, statutis etiam custodibus, qui eam sic obseruarent, ut nihil facere posset quod non resciseretur. Hæc omnia eam exacerbabant, in causaq; erant ut Herodem exosa, ea Cleopatræ significaret, de rebus suis continenter conquerendo, & illam ut sibi pro uiribus subueniret orando. Illa uerò iussit, ut clanculum cum puero ad se perfugeret in Aegyptum: id quod ei sic facere uisum est, & artem huiusmodi comminiscitur. Comparatis tanquam ad efferendos mortuos duabus arcis, in unam se, in alteram filium imponit, conscijsq; famulis imperat ut se noctu efferant. Erat inde iter eis ad mare, parata naui in Aegyptum nauigatura. Sed eius famulus Aesopus, cum fortè in Sabbionem eiusdem amicum incidisset, arbitratus conscium esse, rem enunciat. Quo cognito Sabbion (qui prius Herodi inuisus esset, quòd unus eorum esse putaretur, qui Antipatro uenenum porrexissent) sperauit se habiturum hoc indicio ad regis gratiam receptum: itaque ei Alexandræ consilium narrat. Herodes uerò eam eò usque progredi siuit, ut deprehenderit in ipso facinore: tamen ueniam dedit, quamuis libenter in eam animaduersurus. sed nõ ausus est, metu Cleopatræ: quin ea animi magnitudine uideri uoluit, ut eis clementia ignouisse putaretur. sed omnino adolescentem è medio tollere propositum erat. Verùm ut probabilius latère posset, non statim id, neque mox post illa quæ dicta sunt, faciendum uidebatur. Et instantibus Vmbraculorum festis, eos dies præterijt, & uoluptati unà cum populo sese dedit: quæ tamen res in causa fuit, ut eum inuidia manifestè ad maturandum incitarit. Nam adolescens Aristobulus, annos septemdecim natus, ad aram ex lege, sacra facturus ascendit, pontificio uestitu, pulchritudine pulcherrimus, & magnitudine ætatem antecellens, neque non in forma plurimam generis sui nobilitatem ostẽdens. Et multitudo tum gestu, tum uerbis lætitiam præ se ferens, facile ostendit quo eum fauore prosequeretur, & qua recordatione eius aui Aristobuli facta recoleret. His omnibus de causis decreuit Herodes, quod instituerat perficere. Igitur transactis festis, cum Hierichunte apud Alexandram conuiuatus esset, rationem inuenit colludendi post prandium cum adolescente, eumq; ad perluendum in stagno contra ardores pellexit: atque ibi inter lauandum, Herodis amici illum ex composito, per speciem lusionis & ioci, tanta aqua consperserunt, ut planè extinxerint. Hoc ubi cognitum est, grauiter doluerunt omnes: sed in primis Alexandra, quæ parum abfuit quin ipsa sibi manus attulerit, sciens quo pacto res gesta foret. Tamen sese quàm potuit optimè continuit, & ut aliquando factum ulcisci posset, dissimulauit id se scire factum de industria. Herodes uerò omnĩ ratione dissimulauit insidias, non solum mortuo magnificè iusta persoluendo, uerùm etiam lachrymas emittendo, & se ex animo dolere ostendendo.

Alexandra fugam adornat in Aegyptũ.

Aristobuli mors.

CAPVT

CAPVT IIII.

Cleopatra Iudææ & Arabiæ partem impetrat ab Antonio.

Antonius Herodem ad causam dicendam euocat.

NEq; tamen non perscripsit insidias ad Cleopatrã Alexandra. Itaq; Cleopatra (quæ iampridem Alexãdræ precibus satisfacere cuperet, eiusq; uicem doleret) eã rem, suam facit, & Antonium ad pueri necem ulciscendam impellere non desinit: neq; enim æquũ esse, ut Herodes Antonij opera regnum ad se nihil pertinens adeptus, eiusmodi scelera committeret in ueros reges. His adductus Antonius, ubi Laodiceã uenit, ad Herodẽ mittit ut ad causam super Aristobulo dicendam ueniat. Herodes uerò crimẽ & Cleopatræ simultatem ueritus, quæ Antonium in se incitare non intermitteret, statuit obtemperare (nec enim aliud facere licebat) mandatáq; Iosepho auunculo suo principatus & rerum procuratione, ei arcanè præcepit, ut si quid ipse ab Antonio passus esset, protinus Mariam necaret: tanto enim mulieris amore deuinctum esse, ut contumeliam timeret, si se mortuo illam aliquis propter pulchritudinem adamaret: in quo quidem Antoniũ innuebat. His præceptis, Herodes ad Antonium proficiscitur. Iosephus uerò, qui regni negocia administraret, ideoq; continenter cum Maria colloqueretur, perpetuò memorabat Herodis erga ipsam amorem.

Iosephus arcanum detegit.

Cumq; illæ, præsertim Alexandra, id femineo more deriderent, ipse monstrandi regis animi cupidus, quid sibi datum in mandatis esset detegit, ut Herodem sine ea uiuere non posse ostenderet: quam quidem Herodis crudelitatem mulieres grauissimè tulerunt. Interea Herodis inimici famam per urbem sparserunt, Herodem ab Antonio cruciatum interijsse. qua de re tota regia perturbata est, præsertim feminæ. Itaq; persuasit Alexandra Iosepho, ut ex regia egressus, sese una cum ipsis feminis sub legionis Romanæ signa reciperet, quæ tum ad urbem, regni tuendi gratia, Iulio duce castra habebat. Primum enim, si quis in aula tumultus oriretur, tutius acturos in Romanorum beneuolentia. Præterea sperabat omnia se cõsecuturam, si Mariam uidisset Antonius, per eumq; principatum recuperaturos: & nulla re carituros, quæ in nobilitate regia educatis digna foret. Hæc instituentibus, ueniunt ab Herode de toto negotio literæ, rumori planè contrariæ. Vt enim uenit ad Antonium, eum statim donis (quæ Hierosolymis apportauerat) sibi cõciliauit: & inter colloquia, eius odium discussit adeò, ut Cleopatræ uerba parum ualerent. Negabat enim Antonius, decere à rege rationem reposci eorum, quæ gessisset in imperio: alioquin non fore regem. ac postquam eius potestatis honos ad eum delatus esset, permittendum esse ut eo uteretur: neq; non ipsi Cleopatræ expedire, principatus non usque adeò curare. Hisce de rebus scripsit Herodes, necnon de alijs honoribus, qui ei ab Antonio fuissent habiti, inuitis Cleopatræ calumnijs, quæ se reginam fieri Iudææ ardebat: uerùm Antonius ei pro Iudæa Cœlesyriam dederat. His literis allatis, supersederunt eo consilio, quo se ad Romanos recipere decreuerant: neq; tamen id rescitum non est. Nam postquam rex deducto Antonio in Parthos proficiscente, in Iudæam redijt, eius soror Salome, & mater, ei protinus Alexandræ institutum declarãt: & insuper maritum suum Iosephum criminatur Salome, habere cum Maria consuetudinem. Id autem hac de causa dicebat, quod ei iampridem infensa erat, propterea quòd inter earum contentiones, Maria, mulier fastidiosa, illis ignobilitatem exprobrabat. Herodes uerò, qui in Mariam semper ardore flagraret amatorio, statim turbatus est, impatiens obtrectationis. Verùm ne quid temerè committeret, animum cohibuit, & Mariam seorsum interrogauit de crimine Iosephino. Sed ea iurante, & omnia quæ insontibus inesse solent, ad sui purgationem allegante, Herodi paulatim persuadebatur, & ira sedabatur, amore uincente: eousq; ut sese purgaret, quòd criminationi credidisse uideretur, eiusq; modestiæ magnas gratias ageret, & singularem suum erga eam amorem fateretur. Postremò in lachrymas & mutuos complexus magno affectu euaserunt. Atq; hic dum rex ei persuadere nunquam potest, eamq; ad affectum suum trahit: Enimuero (inquit Maria) non est amantis, in mandatis dare, ut si quid ipsi sinistrum acciderit ab Antonio, ego unà peream, nihil cõmerita. Hoc elapso uerbo perculsus rex, eam statim de manibus dimittere, & uociferans capillos sibi uellere: manifestum se dicens argumentum habere, Iosephi cum ea consuetudinis. nunquam enim enunciaturum fuisse, quæ seorsum audijsset, nisi magno inter eos intercedente commercio. Sic affectus, parũ abfuit quin uxorem occideret: sed amore uictus, animum suum ægrè & cum dolore uicit. & tamen Iosephum ne in conspectum quidem suum admissum, curauit occidendum: & Alexandram, tanquã omnium causam, in custodiã dedit. ¶ Per id tempus etiam in Syria turbatum est, quòd Cleopatra, mulier sumptuosa & luxuriosa, ab Antonio (quem amore fascinatum & irretitum tenebat) modò hanc, modò illam regionem postulare non intermittebat: atq; inter alias, inter obeundum Syriam, eam in potestatem suam redigere cogitabat. Itaque Antonium orauit, ut Iudæam & Arabiam à regibus, qui eas tenerẽt, auferret, & sibi daret. Antonius huius mulieris amore sic insaniebat, ut ei denegare sciret nihil: tamen illis tantam tam manifestã iniuriam inferre uerebatur, ne in maximis offenderet. Igitur ut modum teneret, abstulit ab illis eorum regionis partem quam Cleopatræ tribuit, eiq; etiam urbes dedit quæ sunt intra Eleutherum flumen, usq; in Aegyptum, exceptis Tyro & Sidone, quòd eas antiquitus liberas esse sciret, licet illa ut sibi darentur multum flagitante.

CAPVT V.

Cleopatræ in Iudæam aduentus.

CLeopatra his impetratis, & Antonio (qui in Armeniam expeditionem faciebat) usque ad Euphratem deducto, reuersa est, & Apamiam Damascumq; uenit, atque in Iudæam processit. Et Herodes eam conuenit, & ab ea Arabiæ partem ei datam redemit, nec non prouentum agri Hiericuntij, qui balsamum fert, rem eius loci preciosissimam, & nusquam alibi prouenientem: itemq; palmas multas, easq; pulchras. Ibi dum illa moratur, & cum Herode magnam consuetudinem habet, tentauit cum eo rem habere. Herodes uerò (qui iampridem non beneuolo esset in eam animo, intelligens in omnes molestam esse) tunc etiam magis odit, & ea de re cum amicis collocutus est, utrum eam cum posset occidere deberet. Sed illis dissuadentibus, & periculum ab Antonio proponentibus, ea re supersedit: & Cleopatram muneratus, ad Aegyptum deduxit. Quod ad uectigalia attinebat, Cleopatræ ob datam ei ab Antonio regionem pendenda, ea ritè soluebat Herodes: parum tutum existimãs, Cleopatræ causam odij dare. At Arabs, cum Herodes eam pecuniam ab ipso exigendam recepisset, quippe qui pro eo spopondisset, aliquandiu ducenta illa talenta ei soluit: sed postea prauus tardusq; ad pensiones factus est. quòd si quam partem ægrè soluebat, ne id quidem sine fraudatione faciebat.

Caput

CAPVT VI.

Herodes Aretę bellum infert, & uincitur.

HAnc ob causam Herodes sic erat affectus, ut ei bellũ inferre uellet, atq; ad eam rem usus est tempore Romani belli. Cũ enim expectaretur Actia pugna, in qua Cæsar cum Antonio de summa rerum dimicaturus erat, Herodes (qui regionẽ probè cultam iamdiu haberet, & magnos redditus atq; opes quæsiuisset) delectũ habuit, apparatu accuratissimo, ut Antonio ferret auxilium. Verùm Antonius eius se subsidio egere negauit, eiq; mandauit ut Arabem (cuius perfidiam tum ab ipso Herode, tum à Cleopatra, audiuisset) adoriretur. Iudicabat enim Cleopatra, è re sua esse ut alter alterum læderent. Ergo reuersus Herodes, exercitum retinet, & Arabiam protinus inuadit: ac cum equestribus pedestribusq; copijs ad Diospolim peruenit, Arabes illic obuiam habiturus. atq; ibi commissum est magnum prælium, in quo Iudæi uicerunt. Postea conuenit ingens Arabũ exercitus apud Canam (loca sunt Cœlesyriæ) qua re iam cognita, Herodes duxit in eos maximam suarum uirium partem. atq; ubi ad Canã appropinquauit, statuerat castra facere, & ea fossa munire, ut secundis temporibus prælia faceret. Sed hæc eo instituente, conclamat Iudæorum multitudo, ut se in Arabas nulla interposita mora ducat. Eos autem animabat, quòd se pulchrè ordinatos credebant: & omnes qui superiorem pugnam, ne ad manus quidẽ hostes uenire passi, uicerant, ferociores erant. Ita regem in suam sententiã pertraxerunt, ut primus in armis magno animo incederet, & omnes eum ordine sequerẽtur: qua re Arabes cõtinuò perterriti sunt. Postquã enim paulisper restiterũt, ubi Iudæos inuictos, animiq; plenos uiderunt, pleriq; in fugã uersi sunt. ac concisi essent, nisi Athenio Herodi & Iudæis iniuriam fecisset. Is cum Cleopatræ nomine dux esset illius tractus, & ab Herode dissideret, quid futurum esset non imparatus attendebat. Quod si quid egregium Arabes gessissent, statuerat quietum se tenere: sin inferiores essent, id quod accidit, Iudæos inuadere, unà cum ijs qui ex illis finibus conuenerant: id quod fecit. Lassos enim, & se uincere putãtes, aggressus de improuiso, magnam eorum cædem edidit in locis petrosis, & ad equitandum parum idoneis, in quibus qui lacessebant, essent assuetiores. Cum ita malè cum Iudæis ageretur, conuersi Arabes in eos iam uersos, impetum faciunt: atq; ita Iudæi undiq; cæduntur, paucíq; elapsi in castra refugiunt. Herodes uerò de pugna desperans, citato equo subsidium accersit: neq; tamen maturè, quamuis adhibita diligentia, subuenire potuit, quin capta sunt castra Iudæorũ. Deinceps Herodes latrocinijs utebatur, & Arabiam incursionibus urebat, in mõtibus castra faciens. atq; in uniuersum ne apertè ad manus ueniret, cauebat: neq; tamen non hostibus assiduitate & labore incommodabat, & suorum casum omni ratione corrigere studebat.

CAPVT VII.

De terrę motu, qui in Iudæa accidit.

INterea per tempus Actiæ pugnæ, quæ Cæsari cum Antonio fuit, anno regni Herodis septimo, concussa Iudææ tellus, quantum nunquã antea uidebatur, multa pecora corrupit, oppressáq; sunt hominum circiter decem millia ruina domorum: sed exercitus, quòd erat sub dio, mansit illæsus. Hoc accepto nuncio Arabes (cum quidem odio Iudæorum, res in maius augeretur) maiores spiritus sumpserunt, adeò ut existimarent euersa terra hostium, deletisq; hominibus, nihil iam superesse quod ipsis obstaret. Quinetiam Iudæorum legatos (qui propter illud detrimentum, eò de pace uenerant) comprehensos interfecerunt, & in eorũ exercitũ omni studio ire contenderunt. Et Iudæi inferiores se sentientes, nec ullum auxilium expectantes, animos despondérunt, & ne expectatis quidem hostibus, omnia deserere uolebant. At rex cum ducibus colloquendo, & eorum animos reficere tentando, eos retinuit: ac commotis & audacioribus factis quibusdam de præstantioribus, ad uniuersam multitudinem iam uerba facere ausus est, & ad eos eiusmodi orationem habuit, ut animum sumpserint, & ad pugnam parati fuerint.

CAPVT VIII.

Iudęi Arabes uincunt.

ET Herodes sacrificijs ritè factis, eos celeriter assumit, & aduersus Arabes trans Iordanem ducit, & prope hostes castra metatur. Erat inter eos castellum, quod occupare cupiebat: id sibi usui fore putãs, tum ad hostem celeriter prælio lacessendum, tum ad castrorum munitionem, si pugna abstinendum foret. Idem cum cogitarent Arabes, oritur de eo loco certamen. ac primò uelitatio erat, deinde plures utrinq; subsidio mittuntur & cadunt, donec uicti Arabes cesserunt. Ea res protinus Iudæis non paruum ad spem momentum præbuit, & hostes ita perterruit, ut nihil tam timerent quàm prælium. Itaq; Herodes ut eos ad pugnam eliceret, eorum uallum fortiter diuellere, & castra oppugnare cœpit. Ita coacti sũt illi nullo ordine, nulloq; animo aut spe uictoriæ prodire. Tamen manus conseruerunt, tum quia numero superabant, tum quia eos animum sumere cogebat necessitas. Itaq; commissum est acre prælium, in quo multis utrinq; cadentibus, tandem in fugam uersi sunt Arabes: tantaq; eorum cædes facta est, postquam cedere cœperunt, ut non solum ab hostibus interirent, uerumetiam ipsi seipsos læderent, dum inter sese coarctati, suis ipsi telis uulnerantur, tum propter multitudinem, tum quia cõfusi ruebant. Igitur cæsa sunt quinq; millia: reliqua turba intra uallum cõfugit. sed omni spe salutis destituebantur, quippe cum cõmeatus, & maximè aquæ penuria laboraret. & Iudæi eos persecuti, cum unà cum eis irrumpere nequiuissent, uallũ circumsident: & aditus exitusq; custodientes illos fuga prohibent. Quamobrem eò redacti Arabes, legatos ad Herodem primùm de compositione mittunt: deinde cogente siti, deditionem in quascunq; leges facere uolunt, modò in præsens eis misericordia tribuatur. Sed Herodes nec legatos, nec precium, nec aliud quicquam æqui admittebat: tanta erat ulciscẽdi cupiditas. Itaq; cogebantur, maximè siti, seipsos abducendos constringendosq; dedere: captaq; sunt quinq; diebus, quatuor eorũ millia. Sexto die reliquis omnibus uisum est eruptionem facere, & in quemuis euentum periclitari potius, quàm turpiter perire paulatim. Itaq; extra uallũ prodierunt: sed prælium sustinere non potuerunt, cecideruntq; primo conflictu circiter septem milia. Quare amissa omni fiducia, Herodi se in posterum tradunt, eumq; gentis dominum accipiunt.

CAPVT IX.

Herodes ad Cæsarem ire necesse habens, Hyrcanum interficit.

SEd haud multo pòst, cum Cæsar Antonium in Actia pugna uicisset, Herodes in periculo fuit ne omnia perderet, quoniam Antoniũ iuuisset. Atq; ut res suas in tuto collocaret, Cæsarem aditurus, Hyrcanum de medio tollere decreuit. quod dum habet in animo, illi ei nonnullã eius rei occasionem præbuerunt. Nam Alexandra, mulier ambitiosa, Hyrcanum patrem suum solicitauit, ut ad Malchũ Arabiæ rectorem scriberet, ut eos acciperet, & in Arabiam tutò perduceret. Si enim Herodi accideret, ut Cæsaris inimico accidere consentaneum esset, ipsos unos principatum recepturos, quà propter genus, quà propter plebis beneuolentiam.

lentiam. His sermonibus cũ non auscultaret Hyrcanus, quippe qui quietus in ocio uitam agere uellet, ea noctes & dies urgẽdo, & ei Herodis insidias proponendo, perpulit tandem, ut literas daret cuidã amico nomine Dosutheo, in quibus statuebatur, ut Malchus ei mitteret equites, à quib. usq; ad lacum Asphaltitem deduceretur, qui distat à Hierosolymitano tractu trecentis stadijs. Dosutheo autem propterea fidebat, quòd Dositheus tum ipsum, tum Alexandram colebat, neq; non causam odio Herodem prosequẽdi habebat, qui consanguineus esset Iosephi ab Herode occisi, & eorum frater quos Antonius Antea Tyri interfecerat. Et tamen Dositheus, ut à rege gratiam iniret, literas ei tradidit. Rex laudata eius beneuolentia, ei hoc insuper officium iniunxit, ut clausas signatasq; literas ad Malchum perferret: Malchiq; uicissim literas referret, ut eius quoque animum cognosceret. Id quod libenter fecit Dositheus. & Malchus rescripsit, se Hyrcanum, eiusq; comites omnes, atq; adeò quicunque ab eo starent Iudæos, non grauatè accepturum, & homines missurum qui eos tutò perducerent, neq; ulla in parte illius postulatis defuturum. His literis acceptis Herodes Hyrcanum accersit, & de factis inter eum & Malchum pactionibus interrogat. Cum ille negasset, ostendit literas in concilio, & Hyrcanum interficit. Hæc nos ita scribimus, ut in Herodis commentarijs habebantur. Alij scripserunt, interfectum ab Herode per iniuriam in hunc modum. Quæsiuit in conuiuio (nullam suspicionem dans) ab Hyrcano, ecquid literarum à Malcho accepisset? Cum Hyrcanus literas, in quibus ab illo salutaretur, accepisse se confiteretur, quæsiuit rursus Herodes, ecquod donum accepisset: respondit Hyrcanus, nullum, nisi quatuor iumenta. Hæc Herodes corruptelam & proditionem interpretatus, eum ad supplicium duci imperauit. Hyrcano sublato, Alexandram suspectam habebat, ne per occasionem populum ad rebellionem pelliceret, & in regni rebus seditionem suscitaret. Itaq; totũ negocium Pheroræ fratri suo mandat, & Cyprum matrem, & sororem, & liberos omnes Mosadæ collocat: mandatq; Pheroræ, ut si quem sinistrum nuncium de se aceperit, negocia tueatur. Quod ad uxorem Mariam attinebat, quoniam fieri non poterat, ut ea cum ipsius regis sorore & matre, à quibus dissidebat, maneret, eam in Alexandrio cum Alexandra eius matre collocauit, earumq; curam quæstori Iosepho & Soemo Ituræo mandauit, cum præcepto, ut si quid sinistri de ipso intellexissent, ambas necarent: regnumq; suis filijs unà cum fratre Pherora pro uiribus reseruarent.

CAPUT X.

Herodes etiam à Cæsare regnum obtinet.

His imperatis, Rhodum magnis itineribus contẽdit ad Cæsarem. ubi in urbem peruenit, diadema deponit, cæteri apparatus nihil mutat. atque ubi ad Cæsaris colloquium uentum est, magnum animum, nihil suppliciter orando, præstitit, & ita uerba fecit (sese & Antonio fidelem amicum fuisse, & Cæsari esse posse confitens.) ut Cæsaris, humani & magnifici uiri, animum sibi conciliauerit, ita ut Cæsar ei diadema rursus imposuerit, eumq; monuerit, ut sibi non minus amicus esset, quàm antè fuisset Antonio: & ei maximos honores habuerit, dicens scripsisse Capidium, ab Herode se cupidissimè adiutum fuisse contra principes. Itaq; Herodes se in tanta gratia esse uidens, sibiq; ex insperato regnũ esse magis confirmatum, tam donatione Cæsaris, quàm Romanorum senatusconsulto, quod ad maiorem certitudinem curauit obtinendum, Cæsarem in Aegyptum proficiscentem deduxit, eumq; & eius amicos supra uires muneratus est, sese quàm potuit magnificentissimè gerens. Postulauit etiam Alexandro ueniam, qui Antonio fuerat amicus: sed nõ impetrauit, impediente Cæsarem iureiurando. Inde in Iudæam maiore cum honore & confidentia redijt, quàm unquam antea. Itaq; continuò Cæsarem ut acciperet, operam dedit, qui à Syria inuasurus erat in Aegyptum: atq; ubi ille aduenit, eum & eius aulam ita eleganter & regiè accepit, ut nihil suprà. Deinde illos per eam regionem transeuntes quæ caret aqua, ita muniuit, ut nec aqua nec uino caruerint: Cæsariq; octingenta talenta donauit, & his rationibus magnam sibi beneuolentiam peperit. Deinde rursum primis ab Aegypto redeuntibus, omnia summa officia præstitit.

CAPUT XI.

Herodes uxorẽ suã Mariã calũnijs inductus, interficit.

Sed in regnum suum reuersus, offendit domũ suam turbatam: uxoremq; Mariã, & Mariæ matrem Alexãdram, malè compositas. suspicatæ enim quod erat, perfecerunt apud Soemum (qui earum custodiam habebat) ut ad extremum omne regis mandatum exposuerit: quam rem Maria tulit grauissimè, quemadmodum postea ostendit. Nam ubi reuersus Herodes, Mariæ primæ itineris sui felicitatem nunciauit: solamq; inter omnes præ amore, suo more, salutauit: ipsa eum ita mœstè accepit, gemendo dum salutatur, & tristitiam magis quàm lætitiam præ se ferendo, dum ille itineris sui successum narrat, ut Herodes eius in se odium perspicuè cognouerit, id quod iniquissimè tulit: & amoris impatiens, nutabat inter amorem & odium, ut modò eam punire cuperet, modò uictus amore sese cohiberet, metuens ne si eam capite plecteret, eum serò pœniteret. Et Herodis soror atq; mater, cognito eius in Mariam animo, nactæ hanc occasionem, dabant quantum poterant operam, ut eum calumnijs ad odium obtrectationemq; perducerent. quas calumnias audiebat ille quidem libenter, sed in uxorem statuere audebat nihil: tamen in dies erat alieniore in eam animo. gliscebatq; utrinq; malum, dum & illa affectum suum non dissimulat, & hic amorem assiduè conuertit in odium: adeò ut iam tum fuerit in eam grauius aliquid statuturus. Sed interea nunciatur Cæsar uictoria potitus, mortuis Antonio & Cleopatra, Aegyptum obtinuisse: itaq; Herodes, ut Cæsari celeriter obuiam proficisceretur, domum suam in eo statu reliquit. Ac discedenti commendauit Maria Soemum, qui sui sedulò curam gessisset, eiq; præfecturam à rege exorauit. Herodes uerò, ubi in Aegyptum peruenit, cum Cæsare confidentius iam, ut amicus, collocutus est, & ab eo maxima beneficia accepit. Nam Cæsar ei quadringentos Gallos, Cleopatræ stipatores, dono dedit, terramq; restituit, qua propter Cleopatram mulctatus fuerat: necnon eius regno Gadara, Hippum & Samariam addidit, & in ora Gazam, Ioppen, & turrim Stratonis. Quas ille res insuper consecutus, magnificentior euasit, & Cæsarem ad Antiochiam comitatus est. Deinde reuersus domum, quantum crescere externarum rerum successu uidebatur, tanto plus malorum in domesticis habebat, præsertim in re uxoria, in qua antea tam fortunatus esse uidebatur. Erat enim Mariæ in coniugio sic amans, ut nemo alius: sed ipsa alioquin pudica, & erga eum fidelis, habebat ingenium muliebre paulo odiosius, quippe quæ eum amore deuinctum tractaret asperius: & nullã habens regiæ dignitatis rationem, sæpe in eum petulantius se gereret, id quod ille patienter & dissimulanter ferebat. Deridebat etiam ipsa palàm regis matrem & sororem, & de eis ob ipsarum generis obscuritatem maledicebat: quæ res inter fœminas simultatem & odium inexpiabile, ac tunc etiam plures calumnias gignebat: adeoq; fota est ea suspicio, ut unum annum durauerit post Herodis à Cæsare reditum. Postremò alitũ diu malum, erupit per occasionem, quam iam dicam. Quodam die rex meridie cubuit quietis gratia: & Mariã pro suo per-

petuo in eam amore euocauit. Illa uerò ingressa quidem est, sed cum eo non cubuit, quamuis cupiente: quin eum contempsit, & contumelia affecit, ei patris fratrisq; sui necē exprobrans. Hac dum ille contumelia offensus, ad temerarium aliquid cōmittendum procliuis est, Salome regis soror maiorē turbam sentiens, eò summisit regis pocillatorem à se iampridem subornatum: iussitq; ut diceret, à Maria oratum se, ut ipsam in conficiendo regi amatorio adiuuaret. Quòd si rex turbatus quæsiuisset quid esset, diceret, amatorium esse penes Mariam, sed se ab ea oratum, ut id regi porrigeret. Sin hac amatorij mentione rex non moueretur, sineret: id quidem nullum pocillatori afferre periculum. Hunc illa sic instructum misit intrò. Ille compositus ad fidem, & cum studio ingressus, dicit, Mariam sibi dona dedisse, ut regi præberet amatorium. Ad hoc cōmoto rege, dicit, id amatorium esse pharmacum, quod ab ea daretur, cuius quæ nam uis esset, nescire se: hac de causa se id regi indicasse, ratū id & sibi & regi tutius futurum. His uerbis auditis Herodes, qui iam antè malè affectus esset, etiam magis exacerbatus est: & de spadone, qui erat Mariæ fidissimus, quæstionem habuit super pharmaco, sciens absque illo nihil tantum tantulum'ue potuisse fieri. Homo in angustias redactus, nihil eorum, propter quæ cruciabatur, dicere poterat: tantum mulieris in se odium dixit à uerbis profectū, quæ ei Soemus dixisset. Hæc eo adhuc dicente, rex magno clamore sublato, dicit Soemū, antea tam fidelem, nunquam fuisse mandata enunciaturum, nisi maius ei cum Maria cōmercium intercessisset. Itaq; Soemū e uestigiò comprehendendum, necandumq; curat.

Mariæ Herodis uxoris mors.

De Maria iudicium habuit, cōuocatis suis familiarissimis: eamq; magno studio de amatorijs accusauit. Erat autem in uerbis intemperans, & iracundior quàm esse in iudicio deceret: itaq; ad extremum iudices sic animatū uidentes, eam capite damnarunt. Tamen lata sententia, ipse & iudicum nonnulli non ita temerè necandam censuerunt, sed in aliquo regni munito loco collocandam. Sed Salome unà cum altera modum inuenit eius de medio tollendæ: idq; magis regi persuasit, consulendo, ut populi motus caueret, qui possent existere, si ea uiua conseruaretur. Ita ducitur ad supplicium Maria. Alexandra uerò quo loco res esset animaduertens, ac ne se quidem ab Herode tutam esse uidens, planè alia facta est, deposita superiore audacia. Vt enim se eorum, de quibus Maria accusaretur, insciam esse ostenderet, exilit foras, & filiæ in omniū præsentia cōuiciando uociferatur, improbā, & aduersus maritum ingratam fuisse, & meritò ei accidere, quæ non se talem erga illū, de omnibus ipsis bene meritum, præbuisset, qualem debuisset. Hæc dum inhonestè simulat, & illi etiam crines uellere audet, non solum ab alijs, uerumetiam ab ea ipsa quæ ad suppliciū uadebat, manifestè culpabatur. Primùm enim nihil dixit, neq; turbata est, neq; ad matris indignationem respexit, sed excelso animo sese matris turpitudinem ægrè ferre monstrauit. Ita sine terrore & coloris mutatione ad mortē profecta est. Sed ea mortua, regi desideriū eo magis exarsit, adeò ut eā subinde reclamaret, subinde turpiter ploraret, omnesq; quas poterat uoluptates consectaretur, ut eius desiderium leniret, cuiusmodi sunt conuiuia & conuentus: sed ijs omnibus nihil proficiebat. Quare regni administrationem deposuit, & adeò affectu uictus est, ut etiam famulis suis imperaret, ut Mariam appellarent, quasi ea adhuc uiueret. Eo sic affecto, oritur pestis, quæ tum plebeiorum, tum regis amicorū maximam partem sustulit, & quidē maximè uenerabiles: id quod omnibus suspicionem fecit, diuina ira id accidere, propter illatam Mariæ iniuriam. Hæc res etiam deterius regem affecit, ita ut postremò syluas peragraret, & ibi per speciem uenationis sese afflictans, in morbum difficilimum incideret,

Herodis morbus.

Ardor erat, & dolor occipitis tantus, ut deliraret, nec ulla medicina ei prodesset, quin potius officerent: adeò ut postremò de eius uita desperaretur. Et omnes medici, partim quia morbus remedijs minimè cedebat, partim quia rex nullam aliam uictus rationem tenere poterat, quàm ad quam morbus cogebat, omnia ei præbebant quæ postularet, eius ualetudinem fortunæ committentes. Illo ad hunc modum Samariæ ægrotante, Alexandra, quæ Hierosolymis degebat, his intellectis, conata est duas urbis munitiones occupare, uidelicet ipsius urbis, & templi: quæ sunt eiusmodi, ut qui ijs potiuntur, uniuersam gentem in potestate habeant. Nam sine ijs fieri sacrificia non possunt: & Iudæi eo sunt ingenio, ut mori malint, quàm ea omittere. Igitur Alexandra cum earū munitionum præsidijs colloquitur, demonstrat eas sibi & Herodis filijs debere tradi, ne si ille mortuus esset, alius quispiam rerum administrationem occupare anteuerteret. Sin conualuisset, neminem tutius eas seruaturum, quàm eius domesticos. Hæc uerba illi tulerunt non mediocriter: quin regi fidem suam, ut antè præstiterunt, partim ob Alexandræ odium, partim quòd indignum putabant de rege desperare, quandiu superstes esset. Erant enim de eius ueteribus amicis: quinetiam eorum unus, nomine Achiabus, regis erat consobrinus. Itaq; eum continuò de Alexādræ instituto certiorem fecerunt: & ipse citra cunctationem eam iussit interfici.

Alexādræ mors.

& postquā ex morbo ægrè, nec sine magno cruciatu, reualuit, adeò ferus euasit, ut qui primus in eius manus uenerat, de eo quauis de causa supplicium sumeret. Quinetiam amicos suos summos interfecit, Costobarum, & Lysimachum, & Gadiam cognomine Antipatrum, & Dositheum, ob causam quam iam dicam.

Herodis crudelitas.

Costobarus.

Erat Costobarus natu Idumæus, eius regionis facilè primus, de genere sacerdotum Coze, quem Deum existimant Idumæi. Hunc Costobarum, postquam Hyrcanus eos in Iudæorum leges coegit, Herodes regnum adeptus, constituit Idumææ Gazæq; præfectum, eiq; sororem suam Salomen nuptum dedit: interfecto Iosepho, qui eam antè duxerat, ut docuimus. Costobarus insperata dignitate lætus, superbijt, paulatimq; modum excessit, neque sibi honestum existimans imperantis Herodis iussa facere, nec Idumæis in Iudæorum potestate esse, & uti moribus eorum. Itaq; Cleopatræ significauit, Idumæam semper maioribus ipsius Cleopatræ paruisse, ideoq; æquum esse, ut ea ab Antonio regionem illam postularet: se quidem paratum esse, suam beneuolentiam transferre ad Cleopatram. Id ille nequaquam eò faciebat, ut principatum transferret ad Cleopatram: sed quod arbitrabatur, accisis Herodis uiribus facilè se posse gentis Idumææ dominatum adipisci, & ad maiora peruenire. Veniebat enim in magnam spem, tum quòd magno loco natus erat, tum quòd pecunijs abundabat, quas assidua quæsiuerat auaricia: neq; quicquam mediocre moliebatur. Et Cleopatra regionem illam ab Antonio impensè flagitauit, nec tamen impetrauit. qua de re certior factus Herodes, Costobarum interfecturus fuit: sed sororis & matris precibus exoratus, ei ueniam dedit, sic tamen, ut eum deinceps suspectum haberet propter illum conatum. Aliquanto deinde pòst, nato inter Salomen & Costobarum dissidio, ea illi continuò misit libellum diuortij, contrà quàm ferunt Iudæorum leges. Nam uiro quidem id facere licet: sed fœminæ, quamuis repudiatæ, ne nubere quidem licet, nisi permissu prioris mariti.

De repudio.

Tamen Salome fecit, Herodiq; fratri demonstrauit, se propter suam in eum beneuolentiam marito nuncium remisisse: quoniam cōperisset eum, & Antipatrum, & Lysimachum, & Dositheum, nouis rebus studere. Atq; ad eius rei persuasionem proposuit Babæ filios, quos Costobarus duodecimum iam annum seruaret: id quod uerum erat. qua re uehementer

hementer obstupuit rex, eiusmodi rem audiens, quam nunquam suspicatus esset: & eo magis cōmotus est, quòd res erat incredibilis. Etenim his Babæ filijs fuerat aliquando infensus, quoniam sibi repugnassent: uerùm tum tantum iam temporis præterierat, ut eorum iam non recordaretur. Eius in eos odij causa fuit hæc. Quo tēpore regno fruebatur Antigonus, Herodes Hierosolymam obsidebat: & propter eorum qui obsidebātur calamitates, erant multi qui Herodem aduocarent, & spe iam in eum propenderent. Sed Babæ filij (qui dignitate & gratia multum apud uulgus ualerent) Antigono fidem suam præstare perseuerabant, Herodemq; semper culpabant, & cæteros eò cohortabātur, ut regibus operam suā præstarent in tenendo principatu, quem à patribus accepissent. Vrbe deinde capta, & Herode rerum potito, Costabarus præcludendis exitibus, urbisq; custodiendæ præpositus, ne sontes & regis aduersarij euaderent, cum sciret Babæ filios apud uniuersum populū esse in precio, cogitaretq; si eis uitam custodiret, id sibi multum profuturum, si qua interuenisset rerum mutatio, eos subtraxit, & certis in locis abscondit. Ac tum Herode id quod erat suspicante, iurauit se nescire, eiq; suspicionem ademit. Postea illis à rege proscriptis, nihil confessus est, sed occultos habuit. Cum igitur eos soror regis ipsi indicasset, misit rex eò ubi esse dicebantur: & ipsos, & alios cum ipsis accusatos, interfecit: ita nemo iam de Hyrcani genere superfuit. habuitq; Herodes regnum planè in sua potestate, postquam nemo iam alicuius authoritatis erat, qui quæ contra legem fieret, impedire posset. Hac de causa deflexit etiam magis à patrijs moribus, nouasq; consuetudines inuexit. Primum enim pugilum ludos quinquennales instituit Cæsari, & theatrū Hierosolymis ædificauit: deinde in campo maximum amphitheatrum, & eum quinquennalem conuentum magnificentissimè & sumptuosissimè celebrauit, adeò ut ex cūctis finibus magnis impensis summos & celeberrimos omnis generis ludiones, & cæteros eiusmodi uoluptatis artifices accersiuerit. Ipsum erat theatrū sumptuosissimè factum, depictis per circuitum Cæsaris gestis & uictorijs, opere ex probo auro & argēto: quæ omnia tam displicebāt Iudæis, quàm placebāt externis. Videbant enim perspicuè, crudele esse, homines capite dānatos ad leones & tygres, cæterasq; feras (ut fiebat) proijci hominum delectationis gratia: itemq; leges cum peregrinis morib. permutari. Sed nihil eos magis offendebat, quàm trophæa, propter imagines quæ circū arma depictæ cernebantur. Neq; uerò nesciebat Herodes, eos turbari, & ui cogere intempestiuū existimabat: eam ob rem dabat operam, ut nōnullos uerbis mitigaret, & ea religione solueret. Verùm nihil proficiebat. quin adeò indignabantur, ut oēs uno cōsensu uociferarētur, si omnia patienda forēt, at hominum quidem imagines in urbe non passuros (de trophæis loquebantur) neq; id mores antiquos ferre. Hoc perspecto, Herodes eorum præcipuos uocat, & in theatrū ductis, trophæa monstrat, quæritq; quid nam hæc eis uideātur? Exclamant, esse hominum imagines. Tunc ille detractis ornamentis, nudum lignū eis ostendit: & illi in risum uersi sunt, quippe qui iam antea imaginum apparatus pro ridiculo ducerent. Post quā populi indignationē hoc pacto sedauit, pleriq; sic erāt, ut mutati pacatiq; esse uiderentur: tamen nōnulli in mutatorum morum offensione perseuerabant: maluerūtq; periculum subire, quàm eiusmodi uim pati. Itaq; coniurarunt ciues decem in quoduis periculum, & pugiones sub uestibus sumpserunt: fuitq; quidam cæcus, qui eorum quæ audiuerat, indignitate cōmotus, cum eis cōiurauit, non ille quidem quasi eos multum adiuturus, sed cum eis aduersa pati paratus, si eis malè res cederet, id quod eis multū animi addidit. Ita decreta re, uadunt uno animo in theatrū, sperantes ne Herodem quidem ipsum euasurum, cum inopinantē inuaderent: aut certè si ab eo aberrarent, multos ex eius comitibus interfecturos, regiq; occasionem præbituros cogitandi de iniuria, quam genti inferret: etiam si ipsis moriendū foret. Sed extitit quidam de regis emissarijs, qui deprehensum totum negocium regi nunciatum iuit, in theatrū intraturo. Hanc ob causam recepit se rex in regiam, eosq; suis nominibus euocauit. Ita comprehensi à satellitibus cum suis pugionibus, rem omnem audacter & liberè confessi sunt: seq; rectè fecisse dixerunt, atq; ita excruciati mortē oppetierūt. Non multo pòst indicem illum corripuerunt quidam, nec solum interfecerūt, uerumetiā membratim discerptum, canibus obiecerunt: atq; id multi ciuium uiderunt, neq; tamen quisquā indicauit, donec Herode acerbissimè quæstionē habente, coactæ cruciatibus mulieres quædā confessæ sunt quæ uiderāt. Itaq; in authores facti, & in earū totas domos animaduersū est. Neq; propterea desinebat populus in legū tuitione cōstanter & intrepidè perseuerare: quare Herodes se non extra periculū esse uidens, nisi se tutius muniret, statuit eos undiq; circūsepire, ne huiusmodi motus in apertā rebellionē erumperent. Cum igitur urbē haberet firmatam palatio, in quo degebat ipse, & templū Antonia, quam munitionē construxerat, cogitauit, Samariā tertiū cōtra populū murū esse posse, eamq; nominauit Augustā, distantē à Hierosolyma itinere unius diei, ut tum ad regionē, tum ad urbem, usui cōmuniter esse posset. Ad totam autem nationem inædificauit munitionē, quæ quondam Stratonis turris appellabatur: eiq; Cæsareæ nomen fecit. Item in magno cāpo Galilææ, locū ædificauit nomine Gabala, & in Peræa Esmonitim: idq; faciebat, ut gētem in dies magis magisq; coerceret. & homines semper in promptu habebat, qui motus & seditiones resciscere & impedire possent. Atq; ubi ad murandā Samariā uentū est, deduxit eò frequentē coloniam, tum eorū quorum opera in bellis usus fuerat, tum uicinorum, partim studio erigēdi in ea tēplum, partim quòd ea antea parum celebris fuerat: sed maximè, ut se ea muniret. Itaq; finitimum territorium, quod erat illius regionis optimum, diuisit incolis, ut in ipso statim aduentu bene agerent, & urbem ualido muro cinxit, usus decliuitate loci ad firmitatem: cōprehenso spacio nō quantū fuerat prius, sed tāto, ut nihil uel celeberrimis urbibus cederet. Fecit enim uiginti stadiorum ambitū, & in media sacrū trium stadiorū locū reliquit, omnibus rebus ornatissimum, & ibi templum extruxit magnitudine & pulchritudine in primis memorabile, omnesq; urbis partes optimè composuit, tum ut tutius degeret, tum ut laudem sibi compararet.

De Babæ filijs.

Herodes seipsum munit

Coniuratio in Herodem.

CAPVT XII.

De fame quæ fuit in Iudæa.

EOdem anno, qui regni Herodis tertiusdecimus fuit, extitit in ea regione cōtinua siccitas, deinde fames, deinde pestis, adeò ut tota gēs magna fuerit in angustia. Quin ipse rex non minus egestate laborabat quàm alij: quippe cū non esset unde ei tributum solueretur, & ipse pecuniā suam in ea quæ diximus ædificia consumpsisset, quæ res ei eius subditorum conflauit odium. Quare ut necessitati subueniret, cudit ex uniuersa supellectile sua numos, quos in Aegyptum ad coemendum frumentū misit, & Petronij amici sui (qui tum Aegypto Cæsaris nomine præfectus erat) fideli opera usus, tantum frumēti in eos fines inuexit, ut eorum etiam quibus antea inuisus erat, amorem sibi cōciliauerit: & rem ita temperauit, ut uniuerso populo non solum de cōmeatu, sed etiā de uestitu prospexerit. Hoc facto, finitimis quoq; urbibus subuenit, Syriæ ciuitatibus semina suppeditando, adeò ut omnib. de uictu prouisum fuerit. Deinde appetēte

messe, diuisit per regionem, ad quinquaginta hominũ millia, quos aluerat. & hac ratione regno suo optimè opitulatus, succurrit porrò multum uicinis omnibus, prout cuique opus erat, ita ut in uniuersæ nationis beneuolentiam sese insinuauerit, in magnoq; fuerit honore & gloria. Sub eadem tempora misit & Cæsari subsidio quingentos lectos homines, de suis satellitibus, quos Gallus Aelius ad mare rubrũ duxit, eiq; magno usui fuerunt. Cumq; iterũ res secundas haberet, regiã in superiore urbe cõstruxit, & in ea domos ingentes sumptuosasq; fecit: quarũ unam Cæsaris, alterã Agrippæ nominauit. Duxit etiã ex amore uxorẽ, ut iã dicã.

Herodes Simonis filiã ducit uxorem.

Erat Simon quidam Hierosolymitanus, Alexãdrini cuiusdã nomine Boethi filius sacerdos, uir illustris, qui filiam habebat eius (ut existimabatur) tẽporis formosissimam. De ea ubi Herodes audiuit, cõmotus est, uisamq; deperijt: & quia ui rapere non audebat, satius duxit in matrimoniũ ducere. Et quoniam Symon, quãuis non contẽnendus, tamen inferiore loco erat, quàm ut regis socer fieret, eum euexit: & Iosuæ Fabis filio pontificatum abrogauit, eoq; Simonem donauit, atq; ita eius filiam duxit. Peractis nuptijs, castellũ pulcherrimum atq; munitissimũ cõstruxit in eo loco, ubi ab Antigono exactus, Iudæos uicerat, quod castellum abest Hierosolymis sexaginta stadia. Hisce rationibus rem suam stabiliebat, in aduersarios suos uindex acerbus, in ciuitates comis & humanus, & qui principes magnis muneribus alijsq; rationibus coleret. Vt enim Cæsaris & potentum Romanorũ amicitiam retineret, multa in Iudæorum leges cõmittebat, urbes & fana construendo, non hæc quidẽ in Iudæa (nam simulachra Iudæi nunquam tulissent) sed in alijs regionibus. & ut sese Iudæis purgaret, dicebat se iussum facere: & à Cæsare atq; Romanis gratiam inibat, ostendens se eorũ honoris gratia etiam in patrias leges peccare.

CAPVT XIII.

Cæsareæ constructio.

CVmq; animaduertisset in littore Phœnicij maris, inter Ioppem & Dora, locũ urbi aptissimũ, olim Stratonis turrim appellatum, ædificauit ibi urbem pulcherrimam, quam in Cæsaris honorẽ Cæsareã appellauit, & in ea Cæsaris templum extruxit. Est ibi inter cæteras turres una speciosissima, Drusus appellata, ad honorẽ Drusi priuigni Cæsaris, q iuuenis obijt: estq; ea urbs perfecta duodecim annis, cum pulcherrimo portu, quẽ ibi fecit. His perfectis, & Augusta ædificata, statuit Romam filios suos mittere, Alexandrum & Aristobulum, ut se Cæsari offerrẽt.

Herodes filios Romã mittit.

Eò postquam peruenerunt, ad Pollionem Cæsari amicissimũ diuerterũt: eisq; permissum est etiam, apud Cæsarẽ diuersari. Nam & ipse eos accepit humanissimè, & Herodi potestatem fecit regnum utri filiorum uellet cõfirmandi: eiq; insuper amplius regionũ dedit, uidelicet Trachonem, Batanæam & Auranitidem: & dedit ob eã causam, quã iam dicturus sum. Erat Zenodorus quidam, qui Lysaniæ domũ cõduxerat: & quia non satis magnos redditus habebat, eos latrocinijs per Trachonem exercendis supplebat. Nam ea loca incolebãt desperatæ uitæ homines, qui Damascenum agrum populabãtur: neq; Zenodorus eos impediebat, quin & ipse prædæ particeps erat. Hac re uexati uicini, aduersus Varronem (qui tũ præfectus erat) uociferabantur, & ut Cæsari de Zenodori iniurijs scriberet flagitabant. Cæsar his de rebus certior factus, rescripsit, ut ex eo tractu latrones exigerẽtur, isq; Herodi traderetur, ut daret operam, ne Trachonitæ deinceps finitimis nocerent.

De Trachonitide.

Nec enim eos prohibere facile erat, cum unũ latrocinãdi opus haberent, nec aliunde uiuerent: quippe quibus nec oppida nec possessiones essent, sed tantum receptacula & specus subterraneæ, ubi cũ suis pecoribus uiuerent. Habent aquæ & cibariorum copiam, possuntq; ex occulto diu resistere. Aditus sunt augusti, qua non plures quàm singuli trãsire possint: sed interiora incredibili sunt amplitudine atq; magnitudine, & domorum superius solum nõ superеminet, sed terræ æquale est. Id totũ rupes est dura, & aditu difficilis, nisi ductor adsit, quippe flexuosis semitis. Hi homines si quãdo finitimis incõmodare nõ poterant, alij alios spoliabãt, nec ab ullo scelerũ genere sibi temperabant. Is tractus postquam est Herodi datus, eò certorum hominũ ductu profectus est, & latrocinia sustulit, finitimisq; pacem & ocium præstitit.

Zenodorus Herodẽ accusatũ proficiscitur.

Et Zenodorus iratus primũ, quoniam priuatus esset præfectura: deinde, & quidem potissimum, quoniam Herodi datam inuideret, profectus est Romam, ut eũ accusaret: sed reuersus est infecta re. Et Agrippa trans Ionium mare missus est, ut eas prouincias Cæsaris nomine procuraret: eumq; Mitylenæ hybernantẽ Herodes (qui ei amicissimus esset) adijt, deinde Iudæam repetijt. Et Herodem quidem Gadareni quidam apud Agrippam accusatum iuerunt: sed ille eos nullo dignatus responso, regi uinctos remisit.

Arabes Herodi infensi.

Item Arabes (qui iãdiu Herodis principatu dolerent) ei erant infensi, ac tunc eius rebus dissidium creare conabantur ob huiusmodi causam. Zenodorus de suis rebus iam desperans, eis suæ præfecturæ partem, uidelicet Auranitidem, uendiderat quinquaginta talentis. Et quoniam ea pars in eo quod donauerat Herodi Cæsar, continebatur, intercedebant Arabes, & crebras incursiones faciebant, & uim tentabant: nonnunquã etiam iure experiebantur. Conciliabãt etiam sibi pauperes milites, & Herodi infesti erãt, semper sperantes, & nouis rebus studentes: quibus maximè gaudent, qui malè agunt. Hæc iampridem intelligens Herodes, tamen nõ hostiliter agebat: sed eos prudẽter leniebat, neq; turbis occasionẽ dare uolebat.

Gadereni Herodem accusant.

Deinde anno eius regni decimoseptimo, uenit Cæsar in Syriã, ac tum maxima Gadarenorum pars de Herode expostulare cœperũt, imperiosum esse acerbumq; & tyrannum dicentes. Eos autẽ ita audaces faciebat Zenodorus, instigando, & de Herode cõquerendo. iurãdoq; se nunquã deserturum eos, quin Herodis regno ademisset, & Cæsaris ditioni adiecisset. Hæc causa erat, cur quiritarẽtur Gadareni: eo freti, quòd quos ei uictos tradiderat Agrippa, pœnas nõ dedissẽt, sed ab Herode incolumes dimissi fuissent. Igitur cũ ab illis de ui & rapinis, & tẽplorum euersionibus accusaretur Herodes, parabat inturbatus causam suam defendere: sed Cæsar ei dexterã præbuit, neq; quicquã de sua erga eum uoluntate ob multitudinis turbationem immutauit. Igitur primo die hisce de rebus sermocinatum est: sed postremo die non est perrectum in cognitione. Nam Gadareni propensionem tum ipsius Cæsaris, tum assessorum uidẽtes, & se regi traditũ iri (ut erat uerisimile) arbitrantes, cruciatuũ metu partim sese noctu præfocarũt, partim præcipitarunt: alij se fluuio extinxerunt. Visa est ea res indicare leuitatis culpæq; pœnitentiam: itaq; Cæsar sine ulla dubitatione Herodem absoluit.

Zenodori mors.

Accidit præterea, ut Zenodorus rupto intestino, tãtum sanguinis amiserit, ut uitam finierit Antiochiæ in Syria: quamobrem Cæsar eius regionem Herodi dedit, quæ erat non parua, inter Trachonem & Galilæam posita, uidelicet Vlathã & Paniadem, agrumq; finitimum, eumq; cum Syriæ administratoribus coniũxit, & eis ne quid sine Herodis sentẽtia facerẽt imperauit. atq; ut rem in pauca conferam, eò peruenit Herodes, ut neminẽ nec Cæsar secundũ Agrippã, nec Agrippa secundum Cæsarem pluris faceret. Itaq; cum tanta in gratia esset, petijt à Cæsare fratri suo Pherora unam de quatuor regionis partibus, eidemq; Pheroræ centũ talentorum reddditũ de suo regno dedit, ut si fortè moreretur Herodes, esset in tuto Pheroræ

rorae res, nec ea potirentur Herodis filij. Postquã autẽ Caesarem ad mare comitatus rediit, ornatissimum ei templum extruxit, ex candido saxo, in Zenodori terra, prope eũ locum quod Panũ appellatur.

Iordanis ortus.

Specus est amoenissima in monte, cuius in radice in tam altam uoraginem terra desedit, ut fundum cerni nequeat, quae uorago stagnantis aquae plena est: suprà mons ingens imminet, & infra specũ oriũtur fontes Iordanis fluminis. In eo loco (qui quidẽ celebratissimus est) Herodes templũ extruxit, quod Caesari sacrauit. Tũc etiã sui regni hominib. tertiã uectigaliũ partẽ remisit, per simulationẽ eos subleuãdi, propter annonae charitatem praeteritam: sed id magis faciebat, ut eorũ in se odium extingueret. Dolebant enim, eos ritus inuehi, propterea quòd eorum religio & mores exolescebant, qua de re fremebant uniuersi.

Herodes Iudaeos maiore in dies seruitute premit.

Cui rei occurrebat ille diligenter, eis occasiones adimendo, & perpetuos labores iniungendo, ut iam ciuibus coire, simul'ue ambulare, aut uiuere non liceret, obseruãtibus omnia custodibus. Quòd si quis deprehensus erat, in eum acerbè animaduertebatur: multiq; tum palàm, tũ secretò, in Hyrcaniam castellum interficiendi ducebantur: erantq; certi tũ in urbe, tum in uijs homines, qui obseruarent si qui conuenirent. Quin ipsum quoq; aiunt, ne hanc quidem neglexisse partem: ac saepe uestitu priuati hominis sese noctu turbis immiscuisse, ut quid de principatu sentirent, rescisceret. Quòd si qui obstinatè in mores consentire recusarent, eos omnibus modis de medio tollebat: reliquos ad fidem iureiurando perducendos censebat. Itaq; sacramento astrinxit, fore ipsi fideles subditos. quam in rem pleriq;, tum ut eum colerent, tum etiam quòd metuerent, consenserunt. Qui uerò sese cogi non sustinebant, in eos omni modo saeuiebat. Volebat etiam Pharisaeum Pollionem, & Sameam, & complures eorum qui illos frequentabant, ad iurandum cogere: sed illi in eam rem non consenserunt: neq; tamen ut caeteri poenas luerunt, illo eorum rationem habente propter Pollionẽ. Ab hac eadem necessitate excepti fuerunt etiam quos Essaeos appellamus, quibus tantum tribuebat Herodes, ut eos pro diuinis haberet: cuius rei causa haec fuit.

Manahemus Essaeus nates.

Erat Essaeorum quidam nomine Manahemus, uir bonus, & qui futura diuino instinctu praeuideret. Hic conspicatus aliquando Herodem, puerum adhuc, in ludum literarium commeantem, dixit regem fore Iudaeorum. Et Herodes illum aut sui notitiam non habere, aut iocari arbitratus, demonstrat se priuatum esse. At ille leniter subridens, & ei nates manu feriens: Atqui & regnabis, inquit, & imperium feliciter, praestante Deo, auspicaberis: & memento ictuum Manahemi, ut hoc tibi sit indicium mutationum fortunae. Erit enim optima tua mens, si iustitiam & pietatem amaueris, & erga ciues clemẽtiam: uerùm ego totius rei gnarus, scio te non talem futurum. Eris enim fortunatus tu quidem, si quisquam alius, & laudem tibi paries aeternam: sed pietatis & iustitiae obliuionẽ capies, cuius rei haud immemor sanè Deus erit, dum sub aeui tui finem de te poenas sumet. His uerbis mentem protinus minimè adhibuit Herodes, quòd eius rei spem nullam haberet: sed postquam paulatim ad regnum, & quidem fortunatum, euectus est, in ipso imperij uigore Manahemum accersit, & ex eo quandiu regnaturus esset quaerit. Manahemus uerò totum non dixit, sed eo tacente quaerit Herodes duntaxat, an decem annorum futurum esset regnum. Ad quod ille respondit, etiam uiginti, atq; etiam triginta, neque spacio modum fixit. Et Herodes eo contentus, ei dexteram dedit, eumq; dimisit, ac deinceps Essaeos omnes habuit in honore.

CAPVT XIIII.

Herodes Hierosolymitanum templũ diruit, & aliud extruit.

IGitur anno regni sui duodeuigesimo, post ea facta quae superius dicta sunt, statuit Dei templum aedificare, idq; maius & altius facere, cogitans fore id omnium quae unquam fecisset, operum praeclarissimum ac laudatissimum. Et cum populum ad rem tam arduã paratum non esse intelligeret, conuocauit eos, & de eo negocio orationem habuit, in qua & alia dixit, & haec in primis. Fuit quidem templum hoc summo Deo à maioribus nostris aedificatum, postquam Babylone redierunt: sed ei desunt ad altitudinem cubita sexaginta: tanto enim altius erat primũ illud à Salomone constructum. Neq; uerò per maiores nostros stetit, quo minus hoc magnitudine prius adaequaret: uerùm Cyrus & Darius Hystaspis filius hũc aedificij modũ praescripserũt. quae causa fuit, ut maiores nostri (qui illis, eorũq; filijs, & post eos Macedonibus subiecti fuerunt) facultatem non habuerint id ad parem cum priore magnitudinem perducendi. At nunc, postquam Dei beneficio regnum adeptus, & longa pace & pecunijs ac redditibus abundo: quodq; maius est, cum Romanis, omnium (ut ita loquar) dominis in gratia sum, dabo operam, ut id quod necessitate, & superiorum temporum seruitute omissum est, resarciã, & Deo (per quem regnum consecutus sum) perfectum cultum reddam. Haec uerba habuit Herodes: quae quia illis noua accidebant, multi ijs attoniti sunt, metuentes, ne si tantum opus dissoluisset, non satis magnas opes haberet ad perficiendũ. Verùm rex eos confirmauit, dicens, non se prius templũ diruturum, quàm omnia quae ad id absoluendum pertinerent, praeparasset: id quod fecit. Nam mille carros ad uehendos lapides comparauit, & decem peritissimorum opificum millia delegit, & mercatus mille sacerdotib. uestes sacerdotales, eos partim lapides, partim ligna fabricare docuit: atq; ita opus aggressus est, omnibus diligenter praeparatis. Igitur sublatis ueterib. fundamentis, & iactis alijs, templum super eis erexit in longitudinem cubitorum centum, in altitudinem centum uiginti, quae uiginti attributa sunt fundamento: estq; templum albis firmisq; saxis extructũ, longis circiter uicenosquinos cubitos, altis octonos, latis duodenos. Erat autem totum templum (quemadmodum & regia porticus) utraque parte depressius, & medium editius, ita ut longissimè prospici posset. In ostijs portas cum superliminaribus templo fecit aequales, pulcherrimis tapetibus ornatas. & circum uniuersum templum porticus fecit ingentes, habita ratione proportionis tẽpli, sumptibus maiores suos superans, pendentibus circũ templum spolijs peregrinarum gentium, quae omnia Herodes ibi posuit, & quae ipse de Arabibus reportarat insuper adiecit. A septentrione arx erat quadrata, egregiè munita atq; firma, quam Asamonaeo prognati reges & sacerdotes extruxerant, & turrim appellarant, ut ibi pontificis ornatus reponeretur: quem ipse pontifex, duntaxat cum erat facienda res diuina, induebat.

De pontificis ornatu.

Hunc ornatum rex Herodes eo in loco custodiuit: post eius obitũ fuit in potestate Romanorũ, usq; ad tempora Tiberij Caesaris. Huius temporibus cum Vitellius Syriae praetor Hierosolymam uenisset, & à populo honorificentissimè exceptus fuisset, ut eis gratiam referret, scripsit eorum rogatu ad Tiberium Caesarem, ut Iudaeis sacra uestimenta in potestatem permitterentur: id quod ille concessit, eaq; habuerunt usq; ad decessum regis Agrippae. Post eum Cassius Longinus, qui tum Syriam procurabat, & Cuspius Fadus Iudaeae praeses, Iudaeis imperarunt, ut ea uestimenta ponerent in Antonia: debere enim Romanos ea penes se habere, sicut antea. Quamobrem Iudaei ea de re legatos ad Claudium Caesarẽ miserunt, pro quibus legatis iuuenis rex Agrippa, qui tum Romae erat, perfecit apud impe-

ratorem, ut Vitellio imperaret, ut Iudæis ea uestimenta in potestatem traderet. Antea erant sub sigillo pontificis & quæstorum: & pridie festorum ibant quæstores ad præfectos Romani præsidij, & agnito suo sigillo, uestimenta auferebant. Deinde rursum festis transactis, ea in eundem locum referebant, & ostensa præfecto præsidij consignabant, ac concludebant. Sed hæc postea facta sunt. Iam ut ad propositum reuertamur, hanc turrim Herodes rex tunc magis muniuit, ad templi defensionem, & Antonij causa nominauit Antoniam. A' septi parte septentrionali erant portæ quatuor, quarum una ferebat in regiam, interiacente ualle: duæ in suburbium: quarta in alteram urbis partem: eratq; multis gradibus in uallem descensus, deinde rursus ab altera parte ascensus. Nam urbs posita e regione templi, speciem præbebat theatri, cincta ualle profunda secundum latus meridianum. Quarta pars frontis tēpli à meridie, habebat & ipsa portas in medio, simulq; regiam porticum, quæ triplex erat, & longitudine ab orientali ualle ad occidentalem usq; pertinebat, opus toto orbe pulcherrimum, eratq; id primum templi septum. In medio erat iuxta illud alterū, in quod paucis gradibus ascendebatur, circundante lapidea maceria, in qua scriptū extabat, ne quis alienigena intraret, sub pœna capitis. Habebat autem interius conseptum à parte meridionali & septentrionali, portas tres cōtinuas, æqualiter inter se distantes: & ab oriente magnam portam, per quam mundis & fœminis intrare fas esset. Interius erat sāctuariū, quò fœminæ non intrabant: & porrò interius erat tertium, quò non nisi sacerdotibus licebat introire. Hæc erat ædes: & ante ædem ara uictimaria. Horum trium in nullū ingressus est rex Herodes, quoniam sacerdos nō esset: sed porticus & interius conseptum per sacerdotes curauit extruendum, & id opus octo annis ædificauit. Postquam ædes à sacerdotibus uno anno & sex mensibus exædificata est, uniuersus populus lætitiæ plenus gratias agebat: primùm Deo, quòd tam citò factum fuisset: deinde regis diligentiæ, festum diem agentes, & templi instaurationem faustis ominibus prosequētes. Rex Deo trecentos boues immolauit: reliqui item pro sua quisq; facultate, qui numerus fuit infinitus. Incidit enim is dies, in quo templum fuit absolutum, in eundem diem in quo rex fuerat creatus Herodes: quem quidem celebrare solitus erat, ut his duabus de causis festum fuerit illustrius. Fertur, quo tempore templum construebatur, nō nisi noctu pluisse, ne opus impediretur. Sic nos à maioribus accepimus.

FLAVII IOSEPHI ANTIquitatum Iudaicarum Liber sextusdecimus.

CAPVT I.

Alexander & Aristobulus Roma redeunt ad patrem: & Salome & Pheroras eos calumniantur.

Furti lex. INTER cætera legem tulit rex, ut fures in exteras nationes uenderentur: quæ res, quoniam contra legem esset, ei cōciliauit odiū populi. Furē enim lex quadruplo mulctat: aut si soluendo nō est, uendi iubet: sed non alienigenis, neq; ut perpetuò seruiat, sed ut post annos sex manumittatur. Per id tempus profectus est in Italiam, tum ut Cæsarem, tum ut filios suos, qui Romæ uersabantur, uideret. Eum Cæsar comiter excepit, eiq; filios, ut iam in disciplinis perfectos, reddidit in patriam reducendos. Vbi ab Italia reuenerunt, magni apud omnes fiebāt, partim quia proceri, partim quia eleganter eruditi, & regia forma forent. Itaq; Salome regis soror, & qui Mariæ mortis authores fuerant, protinus inuidiā in eos conceperūt: ac ueriti, ne quādo ob illatā eorū matri iniuriam pœnas luerent, cœperunt de eis maledicere, uidelicet eos patris consuetudine non delectari, propter necem matris, cum cuius interfectore degere religioni sibi ducerent. Hæc illi non Herodi dicebant, sed in uulgus spargebāt, eaq; referebantur Herodi: quæ res ei odium gignebat in filios.

CAPVT II.

Herodes filijs suis uxores locat, deinde ad Aggrippam nauigat.

NEq; tamen non eis honorem habuit, quē debuit: uxoresq; dedit Aristobulo Bernicē Salomæ filiam, Alexandro uerò Glaphyram Archelai Cappadociæ regis filiam. His factis, cum Marcum Agrippam iterum ab Italia in Asiam nauigasse intellexisset, eum adijt, persuasitq; ut in Iudæam ueniret, ubi ipse cum suis eum excepit magnificentissimè, eiq; oppida recens à se ædificata, munitaq; sua loca ostēdit: & eum Hierosolymam duxit, ubi ei populus obuiam festo uestitu prodijt, & eum perhonorificē excepit. Et Agrippa Deo rem diuinam fecit, & populo conuiuiū lautissimum præbuit. deinde rursus in Ioniam profectus est: Herode ei, eiusq; comitum clarissimis, multa largito.

CAPVT III.

Herodes Agrippam denuò adit.

ET Herodes ineunte uere, eum iterum conuenire instituit, sciens eum in Bosphorum expeditionem parasse. Itaq; tantum nauigauit, ut eum apud Sinopen in Ponto inueniret: ubi comiter exceptus, magna apud Agrippam in gratia fuit. Deinde expeditis ijs, quorum causa in Pontum profectus Agrippa fuerat, redierunt itinere pedestri.

CAPVT IIII.

Iones Iudæi de Græcis apud Agrippam expostulant.

VT in Ioniam uentum est, magna Iudæorū multitudo (qui urbes illas incolebant) ad Agrippam, occasione fiduciaq; sumpta, se conferunt, & apud eum de iniurijs, quæ sibi fierent, expostulant: demonstrant se suis uti legibus prohiberi, sacris dieb. in ius uocari, spoliari pecunijs, quas Hierosolymam ad templum mittere uellent: cogiq; ad obeundā militiam & publica munera, & in ea sacras pecunias insumere, contra sua iura, cum eis Romani semper secundum patrias leges uiuere permisissent. Hæc dum uociferantur, obtinuit Herodes ab Agrippa, ut illorū rationes audire uellet: allegauitq; quendam suum amicū, nomine Nicolaū, qui Iudæorum causam ageret. Cūq; assessores sibi aduocasset Agrippa Romanorum primos, & qui aderant reges & principes, habuit Nicolaus eiusmodi pro Iudæis orationem, ut Græci non intercederent. Neq; enim ut in iudicio litigabatur, sed erat Iudæorum supplicatio contra uim, quæ eis inferebatur. Itaq; non negabant Græci: sed eo se tegebāt, quòd dicerent Iudæos ipsorum finibus uti, & in eo iniurios esse. Ad hoc Iudæi, se bono genere esse demonstrarunt: quodq; ubi uersarentur, ibi leges suas haberent in precio, in eo illis iniuriam non facere. Hic Agrippa pronunciauit, se Herodis causa Iudæis postulata concedere: & insuper plura concedere paratum esse, dummodo sine incommodo fieret imperij Romani. His peractis, à Lesbo discessit.

CAPVT V.

Herodes patriam repetit.

HErodes uerò Hierosolymam redijt, & cōuocato omni populo (quæ sanè ingens multitudo fuit, etiam ex agris) eis totius itineris sui rationē exposuit: & sese perfecisse demonstrauit, ut omnes Asiani Iudæi deinceps sua iura retenturi forent. Atq; ut se eorum utilitatis studiosum ostenderet,

deret, atq; commendaret, quartam superioris anni uectigalium partem eis condonauit: qua de re uehementer lætati discesserunt, optantes regi multa bona.

CAPVT VI.

Oritur domi Herodis dissidium, quoniam Antipatrum filium suum natu maximum pluris faceret, quæ res dolebat Alexandro.

VErgebat autem in dies in deterius domesticum dissidium, conãte Saloma neminem reliquere, qui matris puerorum mortem ulcisci posset. adde quod pueri naturali quadam audacia, & in patrem maleuolentia præditi erant, tum recordatione iniuriæ quæ matri facta foret, tum regnandi cupidine. Iterumq; malum erat quale prius, quod & adolescentes de Saloma & Pherora liberè & apertè maledicebant, & illi eis enixè insidias struebant, adeò ut urbs tãdem huiusmodi sermonibus plena fuerit. Atq; id propterea crescebat, quòd absente rege, maior erat dissẽsionis occasio. Deinde reuersum, & cum populo (ut suprà demonstrauimus) collocutum, confestim Pheroras & Salome commonefaciunt, ut sibi caueat ab adolescentibus, qui ei apertè minarentur, non se matris necem inultam relicturos. Addebãt & illud, eos sperare, Archelai Cappadocum regis ope ituros ad Cæsarem, & patrem accusaturos. His sermonibus auditis, statim perculsus est Herodes: & eo magis, quòd eadem ab alijs audiebat. Itaq; ut pueros suos deprimeret, euexit filium suum, nomine Antipatrum, quem nondum rex factus genuerat, eumq; apud se in precio esse ostendit: nõ ille quidem sicut postea, cum ab eo ita uictus est, ut ad eum omnia referret: sed id fecit, ut audaciam filiorum Mariæ coerceret, arbitratus fore demissiores, si regni successionẽ neque solis sibi, neq; necessariò deberi putarent. Hac de causa Antipatrum eis æmulum obiecit, ratus futuros inde meliores: uerùm longè aliter euenit. Nam & pueri graui se iniuria affici interpretabantur: & Antipater, homo uersutus, postquam semel eò uenit, ut sperare auderet, quod antea nõ sperabat, id unum dabat operã, ut fratribus nihilo inferior esset, & patrem iam nimis exacerbatum, magis insuper irritaret. Verùm illud cauebat, ne ipse calumniarum suarum esset interpres: sed ad eam rem utebatur opera hominum, in quos nulla caderet suspicio, quiq; id regis studio facere crederentur. Iam uerò multi Antipatrum propter eius spem colebant, & huiusmodi sermones Herodi persuadebant, quoniam eius amore dicere uiderentur. Cumq; hæc per multos inter sese fideles agebantur, tum etiam ipsi adolescentes magnam eius rei præbebant occasionẽ. Nam frequẽter lachrymas ob contumeliam, qua afficerentur, emittebant, & matrem appellabant: quinetiam apertè apud amicos ostendere conabantur, iniquum esse patrem: quæ omnia opportunè aucupatus Antipater, Herodi renunciabat, & rem exaggerabat, unde domestica lis deterior fiebat. Rex enim huiusmodi sermones ægrè ferens, & Mariæ filios deprimere uolens, Antipatro plus in dies tribuebat, eò usq;, ut postremò eius matrem domum asciuerit. Ac sæpe scribens ad Cæsarem, illum ei officiosissimè commendabat. & Agrippa Romam, post administratas decem annos Asiæ res, petente, profectus à Iudæa, ad illum nauigauit, eiq; Antipatrum (quem unum secum duxerat) tradidit, Romam ducendũ cum multis donis, ut fieret Antipater Cæsaris amicus. Itaq; uidebatur Antipater omniũ dominus esse, adolescentes uerò regno prorsus excidisse, quippe cum ea de re scripsisset Herodes Romam ad omnes suos amicos.

Antipater Herodis filius.

CAPVT VII.

Herodes Alexandrum & Aristobulum ad Cæsarem ductos accusat.

NEq; tamen desinebat Antipater assiduè Romæ scribere ad patrem, & eum (simulando magnam de patre solicitudinem) incendere aduersus fratres: donec Herodem eò perduxit, ut adolescentibus fuerit infensus. Sed ne quid temerè committeret, uisum est ei satius, eos coram Cæsare accusatum ire. Ac postquam Romam peruenit, progressus est ad urbem Aquileiam, & ibi Cæsarem nactus, orauit, ut se de maximis, quæ interuenissent, incommodis audire uellet: accusauitq; duos filios in ipsorum præsentia acerbissimè, quòd patrem odissent, & ut regnum adipiscerentur, uita priuare uellent. Itaq; eo dicente, confusi pueri lachrymabãt, & magis etiam postquã dicendi finẽ fecit, adeò ut quid dicerent non haberent: tanta erat perturbatio, neque quisquam, ne patre quidem excepto, fuit in eo conuentu, quem non eorum miseresceret.

CAPVT VIII.

Herodis filij patri reconciliantur.

QVam rem animaduertens Alexander, qui erat natu grandior, dicere aggressus est, & ita eleganter causam egit, ut Cæsar (qui iam antè tantum esse puerorum scelus non credebat) magis insuper mutatus sit, & Herodem continenter aspiceret, uidens eum quoq; nonnihil confusum: ita ut omnes Herodem culparent, & pueros miserarentur, qui pudore suffusi, demisso ad terram uultu plorabant. Et Cæsar paululum cunctatus, dixit, adolescentes, licet à crimine abesse uiderentur, tamen in eo peccasse, quòd non se tales erga patrem præstitissent, ut hominũ sermones reprimerent: Herodemq; hortatus est, ut deposita omni suspicione, cum pueris in gratiam rediret. Neq; enim æquum esse talia de ijs, quos genuisset, credere: & id utrisq; prodesse posse, dum deinceps omnis suspicionis tollendæ gratia, maiorem inuicem amorem præ se ferrent. Has inter admonitiones pueris innuit: cumq; illi patri ad pedes accidere, & ab eo ueniam orare pararent, anteuertit pater eos plorantes complecti, & in collum utriusq; inuadere. Tunc Cæsari gratias egerunt, & unà discesserunt, comitante Antipatro cum simulatione lætitiæ. Sequentibus diebus largitus est Herodes Cæsari trecenta talenta, ludos agenti, & Romano populo congiaria diuidenti: & Cæsar ei dimidium redditum æris Cyprij donauit, & alterius dimidij curam commisit: & insuper potestatem dedit, quem uellet filiorum regem faciendi, aut regnum in omnes diuidendi. Cumq; Herodes id euestigiò facere uellet, negauit Cæsar permissurum se, ut non per omnem uitam dominus esset & regni, & filiorum. Sic ille rursus in Iudæam redijt. Atq; eo absente, rebellarunt Trachonitæ: sed relicti illic duces eos subegerunt, iterumq; sub imperium redegerunt. Herodes in Iudæam reuersus, exposuit in templo suum iter: & in extremo suæ orationis, filios suos monitis instruxit, aulicosq; & reliquum populum admonuit, ut concordiam tuerentur: demonstrauitq; filios suos post se regnaturos, primùm Antipatrum, deinde Mariæ natos Alexãdrum & Aristobulum. In præsentia edixit, ut omnes in ipsum intuerentur, eumq;, quamuis senem, pro domino & rege ducerent: ita meliore conditione rem eorum futuram. His dictis, conuentum dimisit, fuitq; eius oratio grata multis: sed alijs non item, qui res nouas moliebantur, & spem sibi in puerorum dissensione ponebant.

CAPVT IX.

Herodes exædificata Cæsarea ludos agit.

CIrca id tempus Cæsarea Augusta, quæ ab eo cõdebatur, ad finem perducta est, anno eius regni duodetrigesimo.

gesimo. Ad eam dicandam, magnã celebritatem, magnumq; apparatum ludorum adhibuit: quos quinquennales in honorem Cæsaris instituit. Postea aliud item oppidum in campo condidit, nomine Capharsaba, loco irriguo, & arboribus consito: & id ad honorem sui patris Antipatri nominauit Antipatridem. Aedificauit & alium locum supra Hierichũtem, quem in honorem suæ matris Cyprũ appellauit: & in eodem oppido turrim extruxit, quæ magnitudine Pharum Aegypti adæquaret, eamq; Phasaelum de nomine sui fratris nuncupauit. Itemq; oppidũ cõstruxit in ualle Hierichũtia, cui in honorẽ eiusdẽ sui fratris, Phasaelidi nomen fecit. Taceo mille magnifica beneficia, quæ contulit in ciuitates, tum in Syria, tum in Græcia, & ubicũq; eũ uersari cõtigit. Erat enim rex magnificus, si quis unquã fuit: cæterũ in omnes cõsanguineos amicosq; suos crudelis et inhumanus, ut qui solus honorari uellet. Quemadmodũ enim maiores (ut imperatores Romanos) colebat ipse, ita sibi à minoribus fieri uolebat.

Herodes quædã oppida condit.

CAPVT X.

Asianorum Iudæorum legatio ad Cæsarem.

CAeterùm Iudæi qui in Asia & Libya Cyrenensi degebant, à ciuitatibus uexabantur, cum à superioribus regibus in suo iure defensi fuissẽt, & per Græcos iniurijs afficiebantur, ac publica pecunia spoliabãtur, & priuatim lædebantur. Quapropter cũ in ea calamitate essent, neq; Græcæ crudelitatis finem ullum inuenirent, miserũt ijs de rebus legatos ad Cæsarem. Et Cæsar eis eadem iura concessit, & ad prouinciales ea de re scripsit: edixitq; graui proposita pœna, ut Iudæi suis moribus uti ex patria ipsorum lege sinerentur, quemadmodum usi fuissent tempore Hyrcani pontificis summi Dei: ne'ue eorum donaria attingerentur, sed Hierosolymam mitti permitterentur, & ijs tradi, quibus esset id muneris delegatum: ne'ue Sabbato, aut pridie Sabbati, ab hora diei nona in ius cogerentur. Quòd si quis furatus sacros libros, aut sacrã pecuniã ex cella Sabbataria, aut ex cella uirorum, cõpertus esset, pro sacrilego haberetur, eiusq; bona in publicũ Romano populo addicerentur. Talia scripsit etiã Marcus Agrippa, & reliqui procuratores prouinciarum.

CAPVT XI.

Herodes pecunia egens, descendit in sepulchum Dauidis.

SEd ut redeamus ad rem: Herodes (qui tũ in regno suo, tum extrà, ingentes sumptus faceret) audiuerat Hyrcanum, suum in regno antecessorem, aperuisse sepulchrum Dauidis, & inde tria milia talentorum argenti abstulisse, atq; ibi multo etiam amplius restare. Quapropter iampridem habebat in animo, quod tum fecit: hoc est, aperuit noctu sepulchrum, & eò cum amicorum suorum fidelissimis intrauit, cauens ne id in urbe rescisceretur. Et argentum quidem nullum inuenit, sed multa aurea & alia ornamenta, quæ omnia abstulit. Ac dum accuratè rimatur, uoluit ulterius progredi usq; ad cõditoria, in quibus sita erãt corpora Dauidis & Solomonis: sed intrantes inciderunt (ut postea ferebatur) in flammam inde prodeũtem, quæ duos de eius satellitibus exanimauit. Hac re perterritus rex, exijt, & placandi numinis gratia, extruxit in ostio sepulchri magnis sumptibus monimentũ albo lapide. Cæterùm eius domesticæ res in dies deterius habebant: quippe aula iurgijs odijsq;, & calumnijs referta, quas alij in alios certatim comminiscebantur. Antipater semper aliquid aduersum fratres moliebatur, adeoq; maliciosus erat, ut ab alijs insimulandos curaret, & ipse sæpe eos simulatè excusaret, ut per speciẽ amicitiæ conata perficere posset. Hoc pacto ita callidè patrem circumueniebat, ut crederet unum esse Antipatrum, cui patris salus

Herodis domesticæ turbæ.

summæ curæ foret. Quinetiam Ptolemæũ, negociorum regni sui procuratorem, Antipatro cõmendauit rex, ac de negocijs cum Antipatri matre cõsultabat: breuiter ij omnia erant, ut & quæ uellent facerent, & in quos uideretur, regis odium commouerent. Erat ea res Mariæ filijs in dies grauior, neq; se repelli, suamq; dignitatem minui, ferre poterãt. De fœminis, Glaphyra Archelai filia, Alexãdri coniux, simultatem cũ Saloma exercebat, partim propter eius in Alexandrum odium: partim quia dolebat, Salomæ filiam, Aristobuli coniugem, pari secum dignitate esse. Super hanc alteram litem, orta est tertia. Nam Pheroras regis frater amore captus est cuiusdam seruæ mulierculæ, quam habebat, eamq; ita perditè adamauit, ut spreta regis, quam sibi desp õderat, filia, seruæ totus adhæresceret. Quam rẽ grauiter ferens Herodes, filiam suam Phasaeli filio nuptum locauit: deinde aliquanto tempore pòst, arbitratus fratris amores iam refrixisse, de prima apud eum expostulauit, & ut secundã, nomine Cyprũ duceret, postulauit: & Ptolemæus Pheroræ suasit, ut omissis amoribus suis, regi obtemperaret. Itaq; Pheroras id è re sua esse uidens, quòd ei antè accusato uenia data fuisset, cum serua diuortium fecit, quamuis ex ea iam filium haberet: regiq; pollicitus est, secundã eius filiam intra dies triginta ducturum, & sibi cum repudiata nihil amplius rei fore iurauit. Verùm præteritis triginta diebus, amore uictus, nihil eorum præstitit, quæ pepigerat: sed iterũ seruæ adhæsit. Quam rem tulit rex iniquissimo animo, ut facilè ostendebat, dum sibi semper aliquod ea de re uerbum elabi sinebat: unde multi ab ira regis occasionem sumebãt de Pherora detrahendi. Atq; ut rem breuiter explicem, eò processum est, ut non dies, non hora ulla quieta foret, quin semper nouæ aliquæ simultates interuenirent, quas eius consanguinei & summi amici inter sese exercebant. Nam Salome tanto flagrabat odio in Mariæ filios, ut ne filiam quidem suam, Aristobuli coniugem, pateretur eo esse in maritum animo, quem postulabat coniugiũ: sed ab ea secreta eius, & mariti colloquia disceret. quòd si quid offensionis (ut fit) acciderat, multas suspiciones inijciebat: atq; his rationibus omnia illorum arcana resciscebat, & filiæ animum alienabat à marito. Et filia matri ut placeret, sæpe narrabat illos, dum seorsum essent, mentionem facere Mariæ, & patrẽ odisse, atq; identidem minari, si unquam rerum potiti fuissent, facturos de filijs, quos Herodes ex cæteris uxoribus sustulisset, scribas paganos, ad quod munus idoneum esset studiũ quod tum in literas impenderent. fœminas uerò si unquã suæ matris mundo cõptas uidissent, facturos ut pro eius temporis apparatu centonibus induerentur, ac ne solem quidem uiderent. Hæc continuò à Saloma regi referebantur, qui ea dolenter audiebat ille quidem, & cõponere studebat: sed suspicionibus deprauatus, deterior in dies fiebat, & omnibus contra omnes credebat. Quanquã tunc filios obiurgauit, & audita eorum purgatione, paulò melius in præsentia habuit. Verùm postea longè deterius accidit. Nam Pheroras Alexandro dixit, sese ex Saloma audiuisse, amari efflictim ab Herode Glaphyram. Qua re inflammatus Alexander, suspicatus est, quam comitatẽ Herodes erga puellã sæpe honoris causa exhibebat, inde proficisci. Itaq; doloris impatiens, patrem adit, eiq; Pheroræ uerba plorans refert. Herodes ira percitus, Pheroram euocat, eumq; conuicijs proscindit, ingratum sceleftumq; appellans, qui eiusmodi cõmentus calũnias, filio patrem interficiendũ obijceret. Hic deprehensus Pheroras, culpã cõfert in Salomã, à qua prodierint illa uerba. At illa cum præsens adesset, simulac hæc audiuit, exclamato ratione probabili, non ita esse, sed omnes studere eam regi

regi inuisam facere atq; occidere, propter suam erga Herodem beneuolentiam, dum semper pericula praeuidet: ac tūc sibi multo infensiores esse, quoniam sola fratri suaderet, ut quam habebat uxorem repudiaret, regisq; filiam duceret: itaq; non mirū esse, si fratri inuisa foret. Haec dicens, & sibi capillos subinde uellens, pectusq; pulsans, nonnullam de se speciem praebebat innocentiae: sed eius ingenij peruersitas simulationem coarguebat. Interea Pheroras medius tenebatur, confitens ille quidem dixisse, sed aliunde audiuisse non credebatur. Itaq; durauit diutius ea turba, & uerborū mutua contentio: tandem rex & fratrē & sororē exosus, dimisit, filiumq; collaudauit, qui ita continens fuisset, ut eos sermones ad patrē deferret. Post id dissidiū male audiebat Salome, quippe quae calumniae author esse uideretur: & eā regis uxores oderant, scientes improbam esse foeminam, quae subinde mutaretur, & modò inimica, modò amica, pro temporis opportunitate, fieret. Itaq; Herodi semper aliquid aduersus eam dicebant, & ad id maiorem audaciam eis addidit casus quidā.

Syllaei & Salomae amores.

Erat Arabiae rex Obodas, homo natura segnis & tardus: huius negociorū pleraque administrabat Syllaeus, uir acer, & iuuenis adhuc, idemq; formosus. Hic Syllaeus cū aliquādo ad Herodē ob aliquod negociū uenisset, & inter coenandū Salomā uidisset, adamauit: & uiduā esse cū sciret, cum ea uerba fecit. Et Salome, quae fratri minus quàm antè chara esset, neq; non iuuenem amaret, in coniugiū consentiebat: ac sequentibus diebus cum ad coenā ibatur, multa magnaq; signa cernebantur eorum conuentionis. Haec regi referebant uxores, eiusmodi turpitudinē deridētes. & Herodes eadem de re quaesiuit etiā ex Pherora, eiq; negocium dedit, ut id in coena obseruaret. Id quod ille fecit: retulitq;, facilè ex eorum aspectibus & nutibus intelligi posse, utrūq; ad eā rem procliuem esse. Postea discessit suspectus Arabs: deinde post duos aut tres mēses rediit ob eam rem nominatim, & de ea cum Herode locutus est, ab eo Salomam petēs in matrimonium. Haec detulit Herodes ad sororē, & eā an in id cōsentiret interrogauit: illa uerò, statim uelle respōdit. Sed Syllaeo demonstratum est, nisi ipse in Iudaeorum mores concederet, id matrimoniū fieri non posse: ille uerò non consensit, dixitq;, si faceret, se ab Arabibus lapidatū iri: atq; ita discessit. Inde Salome à Pherora, ut mulier intemperans, uituperabatur: magisq; etiam à foeminis, quae eam cum Arabe rem habuisse dicerēt. Regis autē filiam Pherorae desponsam, neq; nuptam, rex ipso postulante Pherora, eius filio nuptum locauit, & centū talentis dotauit. Sed extiterūt domi nouae turbae, quemadmodum iam dicā.

Nouae turbae domi Herodis.

Erant spadones regi charissimi propter formam, quorū unus ei erat à poculis, alter à mensa, tertius sopiendi regis procurationē habebat, & regni maxima negocia administrabat. Hos ab Alexādro pecunia corruptos quidā regi indicauit. itaq; rex de eis quaestionem habuit: atq; illi, Alexandrum quidem secum rem habuisse confessi sunt: aliud quidem in patrem flagitiū nullū scire. Sed cum acrius cruciarētur, & à ministris in gratiā Antipatri semper crudelius torquerentur, dixerunt Alexandrū patri esse infensum: ipsisq; demonstrasse, non amplius esse ab Herode pendendum, qui iam inutilis esset, seniumq; suū denigratione capillorū occultaret. Quòd si Alexandri partes sequi uellent, fore ut eo regnum adepto (quod uel inuito patre ad aliū neminem uenturum esset) breui primas in regno tenerent. Sibi enim facile esse imperio potiri, non solū propter genus, sed etiā propter apparatū quem haberet: quandoquidem multi & ducū & amicorū ab ipso starent, homines ad quiduis & faciendū & patiendum accōmodati. His auditis, Herodes irae timorisq; plenus, deinceps eam rem apertè non excutiebat, sed homines misit ad obseruādos eos quos suspectos habebat, adeoq; in omnes suspicione et odio laborabat: ac tutius id ratus, etiā de innocentiū fide magnopere dubitabat. In summa, nullus modus erat: quo quisq; magis eum frequētabat, eo magis timebatur, tanquā qui laedere magis posset. Qui uerò ad eum non itabant, eos uel tātum nominatos protinus interficiebat. Ad extremū eò uersi sunt aulici, quoniam certa spe salutis carerent, ut alij in alios inueherentur, dum pro se quisq; cogitat, si alterū accusare anticipet, se posse esse saluū. Deinde ubi quis alterū oppresserat, inuisus erat, ac meritò ulciscendus uidebatur. Quin hac ratione sese non nunquam de priuatis inimicitijs uindicabant. & ipsi uicissim deprehensi, poenas dabāt, & occasione tanquā machina & decipula in aduersarios utebantur: deinde eodem, quem alijs obtenderant, laqueo capiebantur. Nam regem mox poenitebat, quoniam quos necasset, conuicti nō essent: quodq; peius erat, nō utebatur ea poenitētia ad talia deinceps cauenda, sed ad eos similiter puniendos, qui alios accusassent. Huiusmodi turbis agitabatur aula. Quinetiā multis amicorū denunciauit, nō fore deinceps cur ad se officij causa uentitarēt, aut in regiam intrarent: idq; eò fecit, quòd propter eorum reuerentiam, minus peccare licenter audebat. Nam tunc expulit ex aula Andromachū & Gemellum, qui erant de eius ueterib. amicis, & multū eius domui, tū curandis regijs negocijs, tū legationibus & cōsilijs profuerant, eiusq; filios docuerant, & sanè primum tenuerant apud eū authoritatis locū: & expulit, quoniā Alexandrū Demetrius Andromachi filius frequentaret, & Gemellus beneuolentia prosequeretur. Eum enim, puerū adhuc, & in ludo literario frequentarat, & Romae cōmorantem comitatus fuerat. Horū omniū causa erat Antipater, qui patris licētiā animaduertēs, quo facilius quae uellet perficeret, dabat operā ut omnes qui sibi obstare possent, tolleret. Igitur eiectis tū Andromacho & Gemello, ut regem alloqui & admonere nō possent, coepit rex in omnes quaestionem habere, quos Alexādro fideles esse credebat: ut extorqueret, si quid ille cōtra se molitus esset. Illi uerò cū nihil dicere haberent, moriebantur: id quod regē reddebat furiosiorem, quia nihil eorū quae arbitraretur, deprehenderetur. Et Antipater ita maliciosus erat, ut cū quis reipsa innocens reperiebatur, negaret innocentiā esse, sed erga Alexādrum constantiā atq; fidē: regemq; instigaret ad quaerēdum ex alijs, de arcanis insidijs. Itaq; inter cōplures qui cruciabātur, fuit unus qui dixit, Alexandrū dicere solitū, cū à corporis proceritate, & iaculādi peritia, caeterarumq; uirtutū singulari excellētia collaudaretur, eas sibi naturae dotes magis pulchras esse, quàm bonas, quippe patri inuisas atq; inuidiosas. Itaq; se cū patre ambulantē, seipsum supprimere solere, atq; demittere, ne illo maior uideretur: & in uenatione cum patre iaculantem, data opera aberrare, metu paternae inuidiae. Deinde super ea re interrogatus, remisso cruciatu illud addidit, Alexandrū cū fratre suo Aristobulo statuisse patrē in uenatione perimere, deinde Romā ad petendū regnū confugere. Repertae sunt praeterea Alexandri ad fratrē literae, in quib. de patre cōquerebatur, qui iniquè Antipatro regionē daret, ex qua ducētena talēta reficerētur. Hic cōtinuò sibi uisus Herodes certū aliquod argumentū habere suspicionis, quā de pueris conceperat, Alexandrum comprehēdi, & in uincula tradi iubet. Deinde ne sic quidem molestus esse desinebat, partim quia auditis non multū fidei adiungebat: partim quia rem perpendendo uidebat nihil esse nisi iuueniles querimonias: neq; credibile esse, puerū decreuisse patrē interficere, deinde palàm Romā proficisci. Quapropter maius argumentū culpae filij habere uolebat, et ne eū incōsideratius in uincula dedisse uideretur timebat. Itaq; summos amicorū Alexādri eousq; excruciauit, ut multos necarit, nec tamen

tamen quicquam extorserit eorũ quæ expectabat. Huic ille rei dum uehementer incumbit, & regia timorũ turbarumq; plena est, fuit iuuenis quidam, qui in cruciatu dixit, Alexandrum significaſſe Romam ſuis amicis, ut ſe curarent à Cæſare citò accerſendum: habere ſe nouas aduerſus eum res, quas ei indicare uellet, uidelicet patrem ſuũ cum Mithridate Parthorum rege amicitiam contra Romanos coiſſe: atq; illud adiecit, Alexandrũ habere paratũ uenenum Aſcalone. His rebus credidit Herodes, & in iis malis nõnullã temeritatis ſuæ conſolationem cæpit, ſibijpſi aſſentãdo, & maiora eſſe quàm erant mala perſuadendo. Verùm nõ eſt inuentum uenenum, licet diligentiſſimè quærendũ curauerit: neq; tamen id negauit Alexander, ut de induſtria malorum magnitudinem augeret. Dimiſit enim quaternas literas, in quibus ſignificabat nihil opus eſſe tormentis, neq; procedendũ ulterius: ſeſe inſidias feciſſe, & quidẽ ſocio Pherora & regiorũ amicorũ fidiſſimis. Salomen quoq; ad ſe uenisse noctu, & ſecum per uim cõcubuiſſe: atq; omnium conatus eò tendere, ut regem de medio tollerent, atq; ita perpetuo metu liberarẽtur. Inter cæteros accuſabatur etiã Ptolemæus & Sappinnius, quibus neminẽ fideliorẽ rex habebat. Quid multis? ea erat aliorum in alios rabies, ut qui aliquando fuerant amiciſſimi, planè efferarentur, quoniã nullũ neq; ſui defendendi, neque aduerſarios refellendi, & uerum demonſtrandi, locum habebant, ſed omnes nullo iudicio neci dabantur, atq; omnes uel uincula, uel necem, uel eorũdem expectationem conquerebãtur: palatiumq; tumultus & mœſtitia, pro præteriti temporis felicitate, cõpleuerat. Itaq; tota Herodis uita ei erat acerba: adeò turbabatur & uexabatur, dũ nemini fidem habebat. Quinimò frequenter animo ſuo perſuadebat, inuadi ſe à filio, & eum ſtricto gladio aſtare: adeò ut dies & noctes non ſecus ac furioſus, & mente captus, baccharetur.

CAPVT XII.

Archelaus Cappadocũ rex Alexandrum patri reconciliat.

HIs intellectis, Archelaus Cappadocũ rex eò profectus eſt, ut lites componeret. Atq; ut prudẽtius ageret, adoleſcẽti ſuccẽſuit, & Herodẽ hominẽ æquũ eſſe dixit, qui nihil temerè feciſſet: atque illud inſuper adiecit, ſe filiæ ſuæ & Alexãdri matrimoniũ diſſoluturũ, ac ne filiæ quidẽ parſurum, ſi quid ea ſciret, quod Herodi non indicaſſet. Herodes ubi Archelaum (quem ſibi aduerſaturum putarat) à ſe ſtare uidit, mollitus eſt, & paulatim paternum animũ induit: ruſumq; quibuſdã coniectas in Alexandrũ calumnias refellentibus iraſcebatur, ac turbabatur: iterũq; defendente Herodem Archelao, ad fletum conuertebatur: eò uſq; ut Archelaum orauerit, ne connubiũ diſſolueret, ſed adoleſcenti pacaretur. Itaq; ubi paulò factum æquiorem uidit Archelaus, uertit in amicos calumnias, ab iis dicens corruptũ Alexandrum, qui iuuenis eſſet, neq; maliciam ſentiret: & ſuſpicionem etiam magis in Pheroram detorſit. Pheroras enim (qui neminem haberet per quem cum rege in gratiã redire poſſet) uidens magnã eſſe Archelai authoritatẽ, eũ atratus & ſordidatus conuenit, & ut ſe regi reconciliaret orauit. Archelaus reſpõdit, ſe nõ grauatè facturum: ſed tantã regis iram tam citò reſtinguere non poſſe: proinde præſtare, ut ipſe Pheroras ab illo ueniam petitum iret, ſeq; totius mali authorem eſſe confiteretur. Ita enim immodicam regis iram diminuturum: ſe uerò adſuturum, & Pheroræ opitulaturum. Atq; ita fecit: perfecitq;, ut pax utriq; componeretur. Nam & iuuenis crimine ſubleuatus eſt, & Pherorã Herodi reconciliauit Archelaus. deinde in Cappadociã ſe recepit, Herodiq; fuit gratiſſimus, adeò ut ei multa largitus ſit Herodes, eũq; magnificè, ſicut ſummum amicum, honorauerit. Pepigit etiam iturum ſe Romam, quoniam de ſuis negocijs ad Cæſarem ſcripſiſſet: ieruntq; unà Antiochiam uſq;, & ibi litem compoſuit Herodes inter Archelaũ & Titum Syriæ prætorem, cui cum Archelao quoddam diſſidium erat: deinde in Iudæam reuerſus eſt. Deinde poſtquam Romam iuit, & inde reuenit, bellum geſſit cum Arabibus ob huiuſmodi cauſam.

CAPVT XIII.

Trachonitarum rebellio.

INcolæ Trachonis, poſtquam Cæſar eam regionem Zenodoro ademptam Herodi attribuerat, amplius latrocinari nequibant, ſed terram colere, & quietè uiuere cogebantur: id quod eis parum placebat, nec admodum idoneũ agriculturæ ſolum habebant. Itaq; Herode Romam profecto ad Alexandrũ filium ſuum accuſandum, Antipatrumq; Cæſari commendandũ, Trachonitæ mortuum eſſe Herodem ſermonibus diuulgarunt, rebellaruntq;, & iterum finitimũ agrũ, ut antè, diripere cœperunt. Ac tũ regij duces, abſente ipſo, eos domuerunt. Sed fuerunt circiter quadraginta latronum præfecti, qui ex iis finibus ceſſerunt, ſeq; in Arabiã receperunt, & à Syllæo, poſtquam is à Salomæ coniugio aberrauerat, accepti ſunt, qui eis locum munitum dedit: quo habitatione uſi, cœperũt nõ ſolum Iudæam incurſare, uerumetiam uniuerſam Cœleſyriam, receptum & præſidium habentes apud Syllæum. Igitur Roma reuerſus Herodes, cõperit eos grauia damna ſuis intuliſſe: & quoniam latronibus ipſis potiri nequibat, quippe Arabũ præſidio tutis, eas contumelias ægrè ferens, Trachonem obijt, & latronum conſanguineos necauit. Ea res tanto reddidit irritatiores, præſertim quòd legem habebãt, quæ ſuorum interfectores omnibus modis ulciſci iuberet. Itaq; cœperunt, quicunq; tandem ſecuturus eſſet euentus, uniuerſam Herodis ditionem flãma ferroq; fœdare. Hac de re locutus Herodes cum Saturnino & Volumnio, Cæſarianis ducibus, latrones ad ſupplicium depopoſcit: quamobrem latrones ſeipſos magis etiam confirmare, & numero aucti, omnia perdere, locis, pagisq; Herodiani regni uaſtãdis, & hominib. quos ceperant, interficiẽdis, adeò ut belli ſimilis res eſſet. Erant enim iam circiter mille: quã rem dolens Herodes, latrones depoſcebat, & ſexaginta talenta exigebat, quæ Obodæ per manus Syllæi mutua dederat, quorumq; dies trãſacta iam erat. At Syllæus, qui Oboda reiecto, omnia regebat, negare in Arabia eſſe latrones, & pecuniæ ſolutionem differre: qua de re corã Saturnino & Volumnio Syriæ prætoribus diſceptatũ eſt. Poſtremò promiſit in eorũ præſentia Herodi intra dies triginta pecuniã ſolutũ iri, & utrũq; alterius homines redditurũ, quos in ſuo regno haberet. Atq; Herodes quidem neminẽ omnino Arabem habere cõpertus eſt, neq; ob maleficiũ, neq; ob aliam cauſam: at Arabes conuicti ſunt, habere in ſuis finibus latrones.

CAPVT XIIII.

Herodis expeditio in Arabiam.

FInita die, Syllæus, cum nihil eorum quæ debebat feciſſet, Romam profectus eſt. Et Herodes, ut de pecunia & latronibus ius obtineret, Saturnini & Volumnij permiſſu, quem habebat exercitum duxit in Arabiam: & triduò ſeptem ſtationes emenſus, poſtquã ad præſidium, quod latrones habebat, peruenit, omnes aduẽtu primo cæpit, & locũ, qui Raepta uocabatur, complanauit: aliorũ nihil uiolauit. Cumq; latronibus Arabes ſubſidio ueniſſent, fit prælium, in quo pauci de Herodianis deſiderati ſunt, necnon Arabum dux Nacebus, unà cum ſuorũ circiter uigintiquinque. reliqui fuga ſibi conſuluerũt. Herodes ſumpto de illis ſupplicio, tria Idumæorum millia in Trachonitidem deportauit, qui regionis illius latrones coercerent: & tota de re certiores fecit duces qui erant in Phœnicia.

Caput

CAPUT XV.

Syllæus Arabs Herodem apud Cæsarem accusat.

IAm rem nuncij quidā Romā celeriter ad Syllæum pertulerunt, & ut ferè fit, exaggerarunt. Et ille (qui iam illud consecutus erat, ut Cæsari innotesceret, ac tum in aula frequens erat) hoc accepto nuncio, cōfestim pullatus Cæsari indicatum it, Arabiā bello esse uastatā: & uniuersum regis exercitum ab Herode cōcisum: dixitq; plorās, duo millia quingentos Arabiæ primarios cecidisse: eorumq; ducem Nacebum occubuisse, amicum cognatumq; suum: direptasq; diuitias quæ Raeptæ essent, contempto Oboda, ut ad bellum sustinendum infirmiore: quoniam nec ipse Syllæus, nec Arabum exercitus adesset. Hæc dixit Syllæus. & ut inuidiosiorem redderet Herodem, illud addidit, se eam profectionem suscepturum non fuisse, nisi Cæsarem putasset daturum operā, ut cum omnibus omnes pacem haberent: quòd si ipsum Syllæum ibi adesse contigisset, infaustum Herodi bellū futurum fuisse. His uerbis iratus Cæsar, quæsiuit ab Herodis amicis, qui aderant, & à suis, qui ex Syria uenerant, hoc solum, an Herodes exercitū duxisset. Erat eis fateri necesse: et Cæsar non auscultabat quam ob causam, aut quo pacto: itaq; etiam iratior scripsit acerbius Herodi: & inter alia, literarum summa hæc fuit, se eum aliquando in amicis habuisse, nunc pro seruo habiturū. Syllæus quoq; ea de re scripsit ad Arabes. quæ res adeò feroces effecit, ut elapsos prædones non dederent, neq; pecuniam soluerēt, & pascuis, quæ ab Herode conduxerāt, gratis uterentur: quoniā esset Cæsaris ira deiectus. Item Trachonitæ occasionem hāc nacti, in Idumæorū præsidium cōsurgunt, atq; unà cū Arabibus latrocinantes, Idumæorum agrum populantur, nec solum lucri, sed etiā ultionis causa sæuiunt. Hæc omnia ferre cogebatur Herodes, quippe Cæsare in eum sic irato, ut noluerit legationem audire missam ab Herode ob causæ suæ defensionem, eamq; semel atq; iterū re infecta remiserit. Itaq; erat in magna solicitudine atq; metu: & ei permolestus erat Syllæus, qui Romæ gratiosus erat, & eo tempore ad maiora spirabat. Nam Oboda mortuo, Aeneas cognomēto Aretas, Arabiæ regnū occupauerat: & Syllæus eum deturbare, idq; inuadere nitebatur, magnas largitiones & aulicis faciens, & Cæsari promittens. Aretæ quoq; Cæsar succensebat: quoniā regnū usurpasset, neq; prius ad se scripsisset. Tametsi misit Aretas ad Cæsarem literas, & donum, & auream coronā multa talenta pendentem: quibus in literis Syllæū accusabat, ut qui malus seruus esset, & Obodam ueneno sustulisset, quo etiam uiuo rerum dominus fuisset: & cum Arabū uxoribus adulteraret, & pecuniā mutuaretur, ut imperiū occuparet. Verùm Cæsar ea contempsit, & nullo accepto dono remisit. Iudææ uerò & Arabiæ regna in dies deterius habebant, tam propter turbas, quibus agitabantur, quàm quia nemo erat qui ei malo mederetur. Nam duorum regum alter nondum certo rex erat: ideóq; ad coercendos maleficos idoneus non erat: alter, uidelicet Herodes, quia Cæsarem iratum haberet, omnes contumelias perpeti cogebatur. Tandem Romam iterum mittere decreuit, si quid æquitatis à Cæsare posset obtinere.

CAPUT XVI.

Euryclis calumniæ aduersus Herodis filios.

ERant autem eo tempore eius domestica negocia peiore in statu, quàm unquā fuerant, propter causam quam iam dicturus sum. Erat Lacedæmonius quidā Eurycles, honesto loco natus, sed nequā, uoluptatibus & assentationi deditus: uerùm id ita callidè faciebat, ut non animaduerteretur. Is Herodem adijt, eiq; dona largitus, accepit ab eo maiora: atq; urbanitate sua, sese in intimam regis amicitiā insinuauit. Vtebatur autem Antipatri hospitio, & ad Alexandrum itit
Eurycles.

tabat, quippe qui se Archelao Cappadociæ regi familiarissimum esse dictitaret: ideóq; Glaphyræ honorem se præbere simularet: atq; in eo totus erat, ut omnes coleret: & quæ dicerentur ac fierent, semper obseruabat, ut ita calumnijs retineret hominum beneuolentiam. Postremò id consecutus est, ut cum se in familiaritatem alicuius dedidisset, eius amicus esse uideretur: quòd si alium frequentaret, id eius gratia facere putaretur. Itaque Alexandrum sic induxit, ut ille ei totum animum suum aperuerit, id quod alij audebat nemini: narraueritq;, ut pater ab ipsis alienatus esset, & ipsorum matrem interfecisset, eisq; repudiatis Antipatrum euexisset. Hæc uerba narrauit Eurycles Antipatro: Non equidem amore tui facio, inquit, sed tanti est momenti res, ut tacere nequeam, quò tibi ab Alexandro cauendum esse putes. Neque enim hæc sine affectu dicit, quin non obscuram præ se fert nocendi cupiditatem. Igitur Antipater eum sibi amicum opinans, ei sæpe liberaliter largiebatur: & ad extremum persuasit, ut ea referret Herodi. Id quod ille fecit, & orationis calliditatè Herodem in Alexandri odium inexpiabile perduxit, quemadmodum Herodes ea ipsa hora facilè ostendit: nam Eurycli extemplò quinquaginta talenta dedit. His acceptis, homo Archelaum Cappadociæ regem adit: eiq; laudat Alexandrum, seq; ei in componenda cum patre pace magno usui fuisse prædicat. Hac arte etiam Archelaum pecunia emunxit: & antequam detegeretur malicia, discessit. Postremò ubi Lacedæmonem peruenit, quoniam his artibus uti non intermittebat, relegatus est. Herodes uerò, non ut antè satis habebat criminationes aduersus Alexandrum & Aristobulum audire: uerumetiam tam intestino in eos odio flagrabat, ut si nemo criminaretur, ipse ad criminandum induceret, omnia speculando & explorando: & omnibus, si quid contra eos haberent, dicendi potestatem faciendo: ac perfecit, ut ei referretur, Euaratum Coum cum Alexandro conspirasse: quam rem audiuit libentissimè. Erāt Herodi satellites duo, qui propter corporis fortitudinem & proceritatem, habebantur in precio, uidelicet Iucundus & Tyrannus. Ii offenso rege depulsi, cum Alexandro equitabant: & quoniā homines exercitati essent, erant in honore, & auri aliquantum, aliaq; dona accipiebant. Quapropter rex eos statim suspectos habuit, & in quæstionem uocauit. Illi postquam diu perstiterunt, tandem dixerunt, ab Alexandro sibi persuasum, ut Herodē in uenatione occiderent: deinde dicerēt equo delapsum, suo se uenabulo trāsfodisse, sicut aliàs accidisset. Ostenderūt etiā aurū in equili obrutū, & uenatorum præfectum conuicerunt sibi regia uenabula, & Alexandri aulicis arma, ipsius iussu, dedisse. Post eos comprehenditur & torquetur præfectus præsidij Alexādrij: quippe accusatus, promisisse adolescētibus sese eos castello recepturū: eisq; regiā pecuniā, quæ in ea munitione esset, traditurū. Atq; ipse quidē præfectus nihil confessus est: sed prodijt eius filius, & ita esse dixit, literasq; tradidit scriptas, ut uidebatur, Alexandri manu, quarū exemplū erat hoc: Perfectis, si Deus uoluerit, omnibus quæ instituimus, ueniemus ad uos: sed date operā, sicut promisistis, ut nos castello recipiatis. Post hāc schedā non iam dubitabat Herodes de insidijs: sed Alexander dicebat, manū suam à Diophanto notario assimulatā, eamq; schedā ab Antipatro maliciosè effictā. Erat enim Diophantus assimulandarū literarū peritissimus: tandemq; alias simulasse conuictus, morte pœnas dedit. Eos autē in quos fuerat habita quæstio, produxit Herodes Hierichūte ad populum, ad accusandos pueros, atq; illos multi lapidibus obrutos necarūt. idemq; Alexādro & Aristobulo facturi erāt: sed rex eos per Ptolemæum & Pherorā cohibuit, & pueros ita concludēdos custodiēdosq; curauit, ut eos adiret nemo: omniaq; eorum facta & dicta obseruarent
In duos Herodis satellites quæstio.

obseruarentur, adeò ut pro damnatis haberentur. Qua re tantum animi dolorem concepit Aristobulus, ut Salomæ amitæ socruiq; suæ, persuadere tentauerit, ut id doleret: & Herodem odisset, qui se eò perduci sineret. Etenim non'ne tu quoq;, inquit, in mortis periculo uersaris? cum omnia quæ hic fiunt, Syllæo spe coniugij detegere dicaris? Hæc uerba illa protinus Herodi narratū it: itaque ille eum sine ulla cunctatione constringi, & utrunque ab altero separatum, scribere iubet, quicquid mali in patrem commisissent. Illi scripserunt, se in patrem insidias neque cogitasse, neq; struxisse: fugam quidam adornasse, idq; ui coactos, quia suspectam molestamq; uitam degerent. Eo tempore uenit ex Cappadocia legatus quidam, nomine Melas, cui Herodes, ut Archelai in se maleuolentiam ostenderet, Alexandrum, qui erat in carcere, euocauit: & ex eo iterum quæsiuit, quo'nam, & quo pacto fugere decreuisset? Ad quod respondit Alexander, ad Archelaum, qui se inde Romam eos missurum promisisset: in patrem quidem nihil sceleris, aut maleficij conatos fuisse: & eorum quæ ipsis ab aduersarijs imponerentur, nihil uerum esse. Se quidem optasse, ut de Tyranno & illo altero circūspectius haberetur quæstio: sed illos celerius perijsse, authore Antipatro, qui amicos suos inter multitudinem summisisset. Hæc eo dicente, iussit Herodes, ut Melas & Alexander ad Glaphyram ducerentur: & ex ea quæreretur, ecquid insidias Herodi structas sciret? Glaphyra simulac uinctum conspexit Alexandrum, caput sibi percutit, & seipsam feriens, magnum tristemq; ploratū edit, plorante uicissim iuuene, adeoq; mœstis qui aderant, ut diu id cuius causa uenerant, dicere aut facere nequirent. Tandem Ptolemæus, cui mandatum id erat, iubet dicere, ecquid uiro conscia foret? Quid uerò conscia non sit? inquit Alexander: cum mihi sit uel ipsa anima charior, & communes mecum natos habeat? Hic illa exclamat, nullius se malæ rei consciā: sed tamen si eius utilitas postulet, ut aliquid uel contra seipsam mentiatur, omnia confessurā. Et Alexander: Scelus quidem, inquit, nullum eorum quæ suspicantur quos minimè omnium decebat, neq; ego cogitaui, neq; tu scis: sed quod ad Archelaum nos recipere decreueramus, & inde Romam. atque id illa confessa est. Et Archelaus postea de susceptione quidem confessus est: sed nō de Romam missione, neque de ulla alia re quæ Herodi incōmodaret. Igitur Herodes Olympium & Volumnium Romam misit: eisq; imperauit, ut si quid illic à Nicolao expeditum inuenirent, adeò ut Cæsar Herodi iam non succenseret, literas ei, & testimonia traderent, quæ mittebat contra adolescentes. Igitur Romam ubi peruenerunt, opportunitatem habuerunt literas tradendi Cæsari, quòd eum Herodi reconciliatū offenderunt.

Nicolaus Damascenus Herodem Cæsari reconciliat.

Nam Nicolai legatio sic se habuit: Postquam in imperatoris Romani aulam peruenit, uisum est ei non solum id agere cuius causa uenerat, uerùm etiam Syllæū accusare. Nam Arabes apertè inter se dissentiebant: itaque pars eorum relicto Syllæo, eius scelera omnia Nicolao narratum iuuerunt, eiq; manifestis indicijs ostenderūt, eum multos ex Obodæ hominibus interfecisse. Quam rem sibi opportunam uidēs Nicolaus, ea sibi ad componendum Herodis & Cæsaris dissidium censuit utendum. Sciebat enim, si uellet Herodis factum defendere, non habiturum audientiam: sin Syllæum accusare, habiturum occasionem Herodis causam agendi. Itaq; dicta die, in qua Syllæus & Nicolaus, habens unà secum legatos Aretæ, Cæsari se stiterūt, accusauit Nicolaus Syllæū: & inter accusandum eò deuenit, ut Herodem falso accusatū ostenderet. atq; ita causam egit, ut ad extremum Cæsar Syllæum capite damnarit, & cum Herode redierit in gratiam: eumq; pœnituerit, qui calūnijs inductus, illi tam acerbè scripsisset: & Syllæo exprobrauit, sese eius falsis uerbis inductū deliquisse in amicum. Deniq; remittitur Syllæus iure functurus, & æs alienum soluturus, deinde afficiendus supplicio. Aretæ autem parum amicus erat Cæsar, quoniā principatum sine Cæsare occupasset. itaq; Arabiā Herodi dare statuerat Cæsar: sed literis deterritus est, quas de pueris accepit. Nam alterū imperiū & seni, & circa pueros laboranti, addere, nō putauit consultum. Itaq; Aretæ homines admisit: & eo ob id dūtaxat reprehēso, quod non expectasset dum regnū à se acciperet, munera accepit, & illi principatū confirmauit. Herodi uerò scripsit, sese ei reconciliatū esse, & puerorum uicem dolere: eosq; oportere, si quid sceleris susceperant, ut parricidas puniri, & eius rei sese ei potestatē facere: sin nihil nisi fugam instituerant, corrigendos aliter, neq; ad extrema ueniēdum: se suadere, ut ea de re iudicium haberet in oppido Beryto, in quo Romani degerent, & aduocatis præsidibus, & Cappadociæ rege Archelao, omnibusq; reliquis quos sibi amicos & graues uiros putaret, eorum sequeretur sententiam.

CAPVT XVII.

Herodes filios accusat atq; interficit.

HIs literis acceptis, gauisus Herodes, quos uisum est aduocauit ad consilium: sed Archelaum non aduocauit. Postquam præsides, & alij quos ab urbibus accersiuit, Berytū aduenerūt, pueros in uico Sidonio, nomine Platana, collocauit, prope urbem, ut sisti possent, si uocarētur: solusq; in curiam ingressus, in qua homines centū quinquaginta aderant, filios inusitato modo accusauit. Nam uiolentum se præbuit, & in crimine demōstrando turbidū, rabiosūq; & insani similem, non permittens assessoribus, ut argumenta ponderarent, atq; perpenderent: sed ipse ea tuens atq; defendens, & puerorum scripta legens, quæ nihil aliud nisi cogitatā fugam continebant, & maledicta quædam in patrem contumeliosa, propter eius in eos maleuolentiā. Itaq; ubi ad hunc locum uentum est, exclamat etiā uehementius, crimēq; exaggerat, perinde ac si de insidijs confessi fuissent: iuratq; se uitā amittere maluisse, quàm talia audire. Postremò cum dixisset se tū iure naturæ, utpote patrem, tum permissu Cæsaris, potestatem habere: addidit & legē patriā, quæ iubet, ut si parentes reo manus imponāt, cogantur assessores ferire, & eū morte mulctare: id quod ipse in sua patria, & regno facere paratus, tamē eorū sententiā expectaret: qui tamē eò nō ut iudices (utpote in tā manifesto crimine) sed ut iræ suæ adiutores uenissent, cū nemini, quāuis remoto, cōtemnendæ essent tales insidiæ. Postquā rex dicendi finē fecit, ne introductis quidem ad causæ suæ dictionem iuuenibus, assessores eū iratiorē esse cogitātes, quàm ut ad æquitatem aut concordiā perduci posset, potestatē ei cōfirmarūt: primusq; Saturninus, uir magnæ authoritatis, dixit pro sententia, se damnare quidem pueros, nec tamē interficiendos censere, qui ipse filios haberet: cum maius esset mortis suppliciū, quàm omnia quæ ab ipsis accidere mala potuissent. Huius sententiam secuti sunt eius filij, quos tres unà secū legatos habebat. Sed Volumnius longè aliter censuit, uidelicet morte plectendos, qui se in patrem tam impiè gessissent. In eadem iuit maxima pars reliquorum: itaq; pueri capitis damnātur. Illinc Tyrum statim proficiscitur Herodes, pueros ducens: & reuersum ad se Roma Nicolaū interrogat, postquam ei acta Beryti narrauit, quæ'nam foret amicorū suorū, qui Romæ essent, de pueris sententia. Cui ille sic refert: Videtur eis, impius quidē esse filiorū in te conatus: debere tamē eos à te in uinculis custodiri: postea, si ita uideatur, interfici, ne iracūdia magis, q̄ ratione usus esse uideare. sin minus, solui, ne in immedicabile infortuniū incidas. Hæc sunt quæ pleriq; oēs amici tui Romani censent. Hic Herodes diu cogitabundus soluit, deinde Nicolaū secū nauigare iussit: ubi Cæsareā uentū est, cœperūt statim uulgò de pueris loqui

de regio

de regno soliciti, & quid illis fieret suspensi. Sed quoniam uocem ullam temere uel emittere, uel etiam audire non licebat sine periculo, misericordiam quam de pueris habebant, clausam tenebant: & tam atrox facinus dolenter quidem, sed taciti ferebant. Extitit quidam nomine Tero, regis olim miles, qui filium habebat Alexandri æqualem atq; amicum. Hic Tero homo audax, quicquid mussabāt alij, dicebat, & sæpe palàm in uulgus exclamare cogebatur, interisse ueritatem, sublatum ius ex hominibus, uigere mēdacium & maliciam, & tantam nubem rebus obducere, ut à peccantibus ne maxima quidem mala cernerentur. Hæc tam liberè dicens, uidebatur quidem non sine periculo facere: sed mouebat omnes æquitas rei, ideoq; libenter eum audiebant omnes: & silentes ipsi suæ salutis gratia, tamen eius confidentiam collaudabant. Igitur regem ipsum adit audacissimè, & solum cum solo colloqui uelle dicit. ac facta potestate, sic dolens fatur: O rex, tolera, postquam tam atrox res est. Equidem audacem hanc confidentiam, sed tibi necessariā & conducibilem, si quid ab ea utilitatis perceperis, meæ uitæ ante posui. Sanus'ne es, aut ubi est excellens illud ingenium, quo tot tantasq; res assecutus es? quæ est ista amicorum, cognatorumq; solitudo? quos equidem, quāuis præsentes, nec cognatos nec amicos iudico, qui tantum scelus in quondam felici regno perpetrari sustineant. Et tu non aspicies quid agatur? duos iuuenes regina coniuge tibi natos, omni uirtute ornatissimos, interficies, tuamq; senectutem uni puero committes, qui conceptam de se spem malè sustinuit: & consanguineis, quos ipse toties iam capitis damnasti? Non'ne cogitabis uulgi silentium, tamen peccatum uidere, & facinus odisse: exercitumq; uniuersum, & maximè præcipuos, misericordia commoueri erga infelices, odio erga infelicitatis authores? Audiebat hæc principiò rex non omnino imtemperanter: sed ubi Tero facinus & domesticorum perfidiam apertè taxauit, commouit se rex. Et Tero paulatim modum excessit, & audacia militari intemperātius abusus est: quæ res Herodem ita turbauit, ut ea uerba pro conuicijs magis, quàm pro utili admonitione ducens, ubi militibus ducibusq; negotium displicere audiuit, comprehendi iusserit, & in custodiam dari tam eos qui nominati fuerant, quàm ipsum Teronem. Eo facto, Tryphon regis tonsor, nactus occasionē, regi nunciat, Teronem sæpe sibi persuadere uoluisse, ut regi barbam tondens, eum nouacula iugularet: ita magnam ab Alexandro initurus gratiam, magnumq; præmium consecuturus. Hæc locutum, iussit rex comprehendi: deinde de Terone & eius filio & tonsore quæstionem haberi. Cumq; Tero persisteret, iuuenis patrem malè iam mulctatum, nec ullam spem salutis habere uidens, dicit se regi ueritatem patefacturum, modò se & patrem torquere desinat. Vbi rex ei fidem dedit, dixit, constitutum fuisse ut Tero regi manū afferret: ac factu facile esse, ut solus solum aggrederetur: quo perpetrato, si quid ei sinistrum accidisset, id honori fore, dum Alexandro gratificaretur. His uerbis patrem à cruciatu redemit: neq; scitur, uerum'ne dixerit, an id fecerit ut à se & patre dolorem depelleret. Herodes uerò minus etiam quàm antea dubitans, institutum exequi properauit. Itaq; produxit in cœtu triginta duces accusatos, & Teronem cum suo filio, & tonsorem, eosq; omnes accusauit: & populus coniectis quæcunq; uenerunt in manum, eos necauit. Alexander uerò & Aristobulus iussu patris Augustam ducuntur, & ibi strangulantur. Corpora noctu portantur Alexandrium, ubi sui erant auunculus, & multi ex maioribus eorum.

Tero. *Tryphon Herodis tonsor.*

FLAVII IOSEPHI ANTIQVITATUM IUDAICARUM LIBER SEPTIMUSDECIMUS.

CAPUT I.

Antipatri Herodis filij malicia.



POST hæc Antipater, quoniam fratres sustulerat, capitaliter inuisus fuit non solum genti, sed (quod erat ei grauius) etiam militibus. Neque tamen non cum patre regnabat: & eo maiorem habebat apud eum authoritatem, quasi qui illos ob patris utilitatem interfecisset. Et tamen patri non minus quàm filijs insidiabatur, quippe qui regnum affectaret: & ne sua malicia detegeretur, timeret. Hac de causa patris amicos magnis officijs demerebatur, ut eorum in se odium aboleret, & amicos qui Romæ erant, grandibus donis sibi cōciliabat, & in primis Syriæ prætorem Saturninum. Idem faciebat & Saturnini fratri, & regis sorori, quæ uni de præcipuis Herodis amicis nupserat: eratq; mirus artifex & amorem simulandi, & odium dissimulandi. Nec tamen efficere potuit, ut Salome (quæ eum iampridem explorabat) non eum cognosceret: quamuis frater matris Antipatri, Salomæ filiam haberet in matrimonio, eam quæ ante nupserat Aristobulo, authore Antipatro. Nam alteram quidem habebat Calleæ filius uxorem. Salomæ uerò persuasit Herodes, ut nuberet Alexæ: alioquin nunquam se eam amaturum iurauit. Præterea remisit Glaphyram Alexandri coniugem, ad Archelaum patrem, eiq; dotem de suo restituit, ut omnem litem euitaret. Suos uerò nepotes alebat accuratissimè (sustulerat enim Alexander ex Glaphyra duos mares, & Aristobulus ex Bernica Salomæ filia, tres filios & duas filias) spospondītq; in matrimonium, ubi adoleuissent, Alexandri filio grandiori, Pheroræ filiam: Aristobuli autem filio item grandiori, Antipatri filiam: Aristobuli autem filiam unam Antipatri filio, alteram Herodi filio suo, quem ex pontificis filia sustulerat. Hæc sponsalia faciebat rex pupillorum misericordia, ut eis conciliaret amorem Antipatri. Sed ueritus Antipater, ne hac ratione regnū sibi de manibus elaberetur, extorsit à patre, ut ea sponsalia dissolueret, duxitq; Antipater Aristobuli filiam, Antipatri uerò filius Pheroræ filiam. Habebat eo tempore rex uxores nouem, uidelicet Antipatri matrem, & pontificis filiam, & fratris sui filiam, & alteram sororis suæ filiam, quæ duæ liberos non habuerunt. Habuit & Samaritanam unam, ex qua filios duos procreauit, Antipam & Archelaum: & filiam nomine Olympiadem, quæ postea Iosepho nupsit, fratris regis filio. Habuit & ex uxore Cleopatra Hierosolymitana Herodem & Philippum, qui Philippus etiam Romæ commoratus est: itemq; concubinam habuit, quæ ei filium nomine Phasaelum peperit. Præter illas habuit Phædram & Elpim, ex quibus duas filias sustulit, Roxanen & Salomen: filias autem suas grandiores, Alexandri sorores ex matre, quas ducere Pheroras recusarat, elocauit, alteram Antipatro sororis suæ filio, alteram Phasaelo fratris sui filio.

Herodis progenies.

CAPUT II.

De Zamari Iudęo Babylonio.

EO tempore ut se aduersus Trachonitas muniret, statuit Iudæorum uicum urbis magnitudine in media Trachone condere, qui & finibus suis esset præsidio, & unde in hostes repentinas excursiones faceret. Intellexit autem Iudæum quendam Babylonium, nomine Zamarim,

cum quingentis equitibus (qui omnes essent ex equo sagittarij) & cognatorum multitudine circiter centum, Euphrate forte traiecto, degere in Antiochia, quæ est ad Daphnen Syriæ: eiq; Saturninum (qui tum prætor erat) locum dedisse ad habitandum, nomine Valatha. Hunc igitur, eiusq; comites accersiuit, pollicitus sese ei terram daturum in præfectura Batanæa, quæ Trachonitidi confinis est, ut id hostibus propugnaculum obijceret: promisitq; tam agris quàm hominibus, omnium tributorum & uectigalium immunitatem. Hanc conditionem accepit Iudæus, terramq; occupauit, & in ea castella ædificauit, & uicum, quem Bathyram nũcupauit: eratq; is uir præsidio tum incolis aduersum Trachonitas, tum Iudæis qui ex Babylonia Hierosolymam ueniebant ob sacrificia, eos à Trachonitarum latrocinijs prohibendo. Ac multi undiq; Iudæi ad eum se receperunt: & facta est ea regio ualde populosa, propter immunitatẽ quæ eis Herode uiuente mansit.

CAPVT III.

Antipatri in Herodem insidiæ.

IN eo rerum Herodis statu, quem dixi, Antipater tantum apud eum ualuit, ut omnia in eum spectarent, ab omnibusq; timeretur, non tam propter suas uires (quæ erant sanè magnæ) quàm propter uersutam maliciam. Præcipuè uerò eum colebat Pheroras, & ipse uicissim Pheroram, quem instructis in eum feminis callidissimè irretiuerat. Erat enim Pheroras uxori suæ & socrui obnoxius, & uxoris sorori, quamuis eas perosus, propter iniuriam quæ uirginibus filiabus suis fiebat: sed tamen ferebat, neq; quicquam sine his feminis facere poterat, quæ eum illaqueauerant. & aliæ alijs omnibus in rebus fideles erant, adeò ut eis esset Antipater addictissimus, tum per seipsum, tum per matrẽ. Eadem enim dicebãt hæ quatuor feminæ. Sed exorta est inter Pherorã & Antipatrũ dissensio ob nullius momenti causas, regis sorore eos dissociante. Ea enim iampridem rem totam explorabat, & cum eorum concordiã Herodi detrimentosam esse sciret, ei indicabat. Itaq; illi cum suam concordiam regi non placere cognoscerent, cogitarunt palàm non conuenire, sed mutua interdum odia & conuicia simulare, præsertim præsente Herode, aut quopiã qui id ei dicturus esset: uerùm secretò erant coniunctiores, quàm unquã antea. Sed Salome, quæ eorum institutum facile animaduertebat, omnia peruestigabat, & fratri etiam in deterius aucta renunciabat: qui & ipse per se magnam iam partem sciebat, sed nihil audebat, quoniam suspectos habebat sermones sororis. Erat enim Iudæorum quoddam genus, qui legis accuratam cognitionem profitebantur, & de ea ferociebant: quibus diuinitatem simulantibus, addictæ erant feminæ. Ii Pharisæi uocantur, hominesqui maximè regibus possunt resistere, cauti, & ad apertè bellandum lædendumq; prompti. Et quidem cum uniuersa Iudæorum natio in Cæsaris regisq; uerba iurasset, ij non iurarũt, cum essent suprà sex millia. Quã ob causam rex eis mulctam imposuit: sed Pheroræ coniunx soluit pro eis. Pro quo beneficio ut ei gratiam referrẽt (credebantur autem futura scire diuinitus) fore prædixerũt, ut Herodes, eiusq; progenies, diuino decreto imperium amitterent, idq; ad eam & ad Pheroram eorumq; liberos deferretur. Hæc nunciauit Salome regi, & aulicorum nõnullos ab eis corruptos dixit. Hanc ob rem Pharisæorum nocentissimos rex interfecit, & Bagoam spadonem, & Carum regis pusionem, eo tempore pulchritudinis primas tenentem. Necauit etiam ex sua familia omnes qui cum Pharisæorum dictis consenserant. Fuerat autem per eos elatus Bagoas, quod dicerent eum patrem beneficumq; appellatum iri eius, qui ex eorum prædictione creandus rex esset: habiturum enim eum regem omnium rerum potestatem, & Bagoæ uires conciliaturum cum muliere cõgrediendi, propriosq; liberos gignendi. Igitur Herodes, sumpto de conuictis Pharisæis supplicio, conuocatis amicis, uxorem Pheroræ accusauit: & Pheroræ iussit ut eam repudiaret, si regis frater & amicus esse uellet. Pheroras enimuero respondit, se neq; eius fratrem esse desiturum, & tamen uxorem amaturũ: moriq; malle, quàm amissa uxore dilecta uiuere. Eam rem tulit Herodes, ut potuit: Antipatroq; & eius matri interdixit, ne cum Pherora colloqueretur: utq; daret operam Antipater, ne feminæ conuenirent. Id quod illi promiserũt: sed nihilominus conueniebant interdum, simulq; conuiuia agitabant, uidelicet Pheroras & Antipater. Quinetiam rumor erat, habere Antipatrum cum Pheroræ uxore consuetudinem, Antipatri matre lenocinante.

Pharisæi.

CAPVT IIII.

Herodes Antipatrum mittit ad Cæsarem.

ANtipater uerò patrem suspectum habens, & ne eius in se odium longius progrederetur metuens, scripsit ad amicos suos Romæ degentes, Herodi significarent, ut Antipatrum primo quoque tempore mitteret ad Cæsarem. Id quod ille fecit, eumq; magnis cum muneribus misit, necnon testamentum suum, in quo statuebat ut post mortem suam regnaret Antipater, aut (si prius moreretur Antipater) regnaret filius suus Herodes, quẽ habebat ex filia pontificis. Iuit autem unà cum Antipatro Syllæus Arabs, cum quidem nihil fecisset eorum quæ ei Cæsar imperauerat: eumq; postulauit apud Cæsarem Antipater eorundem criminum, quorum antè fuerat postulatus à Nicolao. Aretas quoque eum insimulabat interfectorum Petræ, iniussu suo, multorum, & quidem primariorum uirorum: & potissimũ Soemi, hominis iustissimi, & Fabati Cæsaris serui. Igitur accusatus est Syllæus criminis quod iam dicam. Habebat Herodes satellitem nomine Corinthum, cui summopere fidebat: huic Corintho dedit Syllæus grandem pecuniam, ut Herodem occideret: id quod ille suscepit. Hoc ubi ipsius Syllæi indicio resciuit Fabatus, regi significauit: & rex Corinthũ comprehendi iussit, & ab eo quæstione totius criminis confessionem expressit. Curauit etiam comprehendendos Arabas duos, à Corintho indicatos, quorum alter præfectus, alter Syllæi amicus erat: qui & ipsi quæstionem de eis habente rege, confessi sunt, sese Corinthum cohortatos fuisse, promittentes, si res postularet, ei operam suam ad eam cædem perpetrandam. Hæc omnia cum exposuisset Herodes Saturnino, misit eos Romam Saturninus.

CAPVT V.

Pheroræ obitus.

PHeroram uerò in coniugis amore obstinatè perseuerantem, iussit Herodes in suam regionem discedere, id quod ille fecit libenter: & sanctè iurauit, non se prius reditutum, quàm Herodem obijsse intellexisset. Itaq; postea cum ægrotans Herodes, eum orandum curasset ut ad se ueniret, quod ei ante mortem suam uellet aliquid coràm mandare, noluit, ut iusiurandum seruaret. Neq; tamen ea res Herodẽ auertit, quo minus ægrotantem postea Pheroram adiret, etiam non uocatus: mortuumq; curaret in feretro reponendum, & Hierosolymam ad sepulturam portãdum, magnoq; luctu prosequendum.

CAPVT VI.

Pheroræ uxor accusatur occisi ueneno mariti, & Herodes Antipatri cognoscit insidias.

Post

POst obitū Pherorae, Taphnitae duo eius liberti, quos habuerat in precio, Herodē adeunt, eiq; demonstrāt: non debere pati, ut eius frater ita miserè & infeliciter mortuus esset, quin de eo quaestio haberetur. His auscultante rege (uidebantur enim uera dicere) dicūt illum pridiè quàm aegrotasset, coenauisse domi uxoris suae: comesoq; pharmaco, quod ei in ferculo insolito appositum fuisset, inde interiisse. idq; pharmacum allatū fuisse à quadam muliere Arabica, amatorij nomine: sed re ipsa, ad Pheroram ueneno tollendum. Sunt autem Arabicae mulieres ueneficae maximae: & quae tum insimulabatur, eam constabat amicae Syllaei esse amicissimam, eamq; ad uenenum comparandum adiuerāt mater & soror uxoris Pherorae, & in reditu adduxerant, uno die ante illam coenam. His uerbis incensus rex, feminarum seruas torsit, & nonnullas liberas: cumq; nulla confiteretur, tandem una dixit nihil aliud, nisi se Deum precari ut talibus implicaret cruciatibus matrē Antipatri, quae illorum omnium malorum causa esset. Haec in causa fuerunt ut Herodes feminarum cruciatus adeò intenderit, ut omnia extorqueret, conuiuia, clandestinos conuentus, atq; etiam uerba quaedam, quae Herodes soli dixerat Antipatro, & Antipater ea Pherorae mulieribus enunciauerat: uidelicet Herodem Antipatro dedisse talenta centum, ut à Pherorae colloquijs abstineret. Detectum est & Antipatri odium in patrem, & apud matrem querimoniae de tam longa patris uita, ut ipse iam consenesceret Antipater, ut etiam si regnū adipisceretur, nunquam eo tantum delectaretur. Esse etiam multos tum fratres, tum fratrum filios, qui unà secū in spem regni nutrirentur, quae res spes sibi dubias redderet: quandoquidem iam nunc si quid fatale sibi accidisset, fratrē suū, non filium, ab Herode regem constituit. Conquerebatur etiam de atroci regis crudelitate, & filiorum caede: quorum malorum motu ipse sibi Romam proficiscendum prudenter excogitasset, Pheroras autem in suam tetrarchiam. Conueniebant haec cum Salomae dictis. & rex ut se magis confirmaret, conferebat cum his Antipatri maliciam. Itaq; Antipatri matrem Doridem omni ornatu, qui erat multorum talentorum, spoliatam dimisit, & feminarum Pherorae amicitiae renunciauit. Sed inter alia extitit res quaedam, quae regem in filium maximè exacerbauit: uidelicet Samaritanus quidā nomine Antipater, ipsius Antipatri regis filij procurator, qui inter cruciatus dixit & alia, & haec in primis: paratum ab Antipatro mortiferū uenenū, quod Pherorae dedisset, eiq; mandasset ut absente se (quò longè ab omni suspicione abesset) id patri porrigeret, allatumq; fuisse id uenenum ex Aegypto per Antiphilum, unum de amicis Antipatri, & Pherorae missum per Theudionem, fratrem matris eiusdem Antipatri: atq; ita peruenisse ad uxorem Pherorae, cui seruandum Pheroras tradidisset. Hac de re interrogauit rex uxorem Pherorae, idq; illa confessa est. & dum uenenum cursu petit, seipsam de tecto praecipitat: sed in pedes delapsa, nō interijt. Rex uerò eam curauit, eiq; & omnibus domesticis ueniam promisit, dummodò nihil de ueritate celaret. Itaq; illa iurauit, sese rem omnem uti gesta esset, dicturam: id quod fecit, ut multi dixerunt. Apportatum est uenenum, inquit, ex Aegypto per Antiphilum, qui id sui cuiusdā fratris medici opera habuerat: idq; pertulit ad nos Theudion, & mihi Pheroras tradidit, paratum ab Antipatro aduersum te. Sed cum aegrotaret Pheroras, & tu ad eum curandum uenisses, ipse animaduerso tuo in se studio, fractus animo me euocat, &, O' uxor, inquit, circumuenit Antipater me, dum in suum ipsius patrem, eundemq; meum fratrem, mortiferam mentem comparat, & uenenum quod mente subseruiat. Quare postquam meus frater facilè ostendit, nihil se de pristina sua erga me uirtute diminuere, & ego nō diu superstitem fore me spero, age, ne parricidiali animo maiores meos impiem, affer uenenum, & spectāte me combure. Id quod ego citra cunctationē feci: nisi quod paululum ex eo reseruaui, ut si post obitum Pherorae tu me inclementius tractares, eo sumpto miseria me leuarem. His dictis, alabastrum uenenumq; in medium protulit. Accusata est & pontificis filia, regis uxor, quae haec omnia sciuisset, & celare uoluisset. Hanc ob causam repudiauit eam Herodes, eiusq; filium de testamento suo (in quo ille secundum se rex instituebatur) expunxit, & socerum suum Simonem Boethi filium pontificatu abdicauit, & eum honorem ad Matthiam Theophili filium, natu Hierosolymitanum, detulit. Dum haec fiunt, uenit Roma Bathyllus Antipatri libertus: & quaestione habita, deprehensus est uenenum afferre, quod Antipatri matri & Pherorae traderet, ut si prius in regem uires non habuisset, cum illo tollerent. Venerunt & Roma literae ab Herodis amicis, rogatu Antipatri, in quibus insimulabantur Archelaus & Philippus, quòd patrem ob interemptos Alexandrum & Aristobulum uituperassent, eorumq; miserescerent: seq; iam à patre non aliam ob causam accersi dicerent, quàm ut ab eo similiter necarentur: obtinueratq; ab amicis Antipater magnis largitionibus, ut sibi ad haec operam suam commodarent. Quin ipse de illis ad patrem scripsit, atrocib. eos onerans criminibus: & sub finem, iuuenes esse, eorumq; uerba aetati tribuenda dicens. Se quidem in Syllaeano negotio laborare, & colendis primoribus incumbere, splendidumq; ornatum ducentis talentis comparasse. Quamuis autem septimum iam mensem tam multa aduersus eum mouerentur in Iudaea, erat tamen omnium ignarus, quoniam diligenter itinera custodiebantur: quoniamq; tantum erat omnium in eum odium, ut admonere dignaretur nemo.

Pherorae uxoris confessio.

CAPVT VII.

Antipater capitis damnatur, & in custodiam datur.

HErodes uerò, cum ei scripsisset Antipater, sese breui omnibus ritè confectis uenturum, rescripsit, re dissimulata, ne diu moraretur in itinere, ne quid sibi eo absente incommodi accideret: simulq; leuiter cōquerebatur de eius matre, promittens sese, postquam ille uenisset, querelas illas missum facturum: atq; omnibus modis amorem in illum prae se ferebat, ne quid ille suspicaretur. Has literas accepit Antipater in Cilicia, cum quidem prius Tarenti eas accepisset quae Pherorae obitum declarabant: quem quidem obitū doluit, non Pherorae amore, sed quia mortuus esset non interfecto patre, quod se facturum susceperat. Vbi ad Celenderim in Ciliciam uenit, dubitare coepit utrum in patriam ire deberet, matris eiectionem ferens iniquissimè. Amicorū uerò suadebant alij ut exitum expectaret, alij ut sine mora discederet: aduentu enim suo crimen matris omne soluturum: ac nunc una eius absentia confirmatos esse delatores. Id quod ille fecit, & ad portum Augustum appulit, ubi ei obuiam prodijt nemo, salutauit nemo, ut in eius discessu factū fuerat, cum quidem ei fausta omnia cōprecati fuissent: quin contrà, eum execrabantur, putantes uenire ad dandas de nece fratrum poenas. Erat eo tempore Hierosolymis Varus Quintilius, missus Saturnino successor ad gubernadam Syriam: ueneratq; Herodis rogatu, ut ei super praesentibus negotijs consilium daret. His concilium habentibus, superuenit Antipater, ignarus totius negocij, & in palatium purpuratus adhuc intrat: eum ianitores ingredi sinunt, & amicos ex-

cos excludunt. Tum uerò ille manifestè turbari: cum enim uellet ad patrem accedere, repulit eum pater, ei fratrum necem perpetratam, & patris tentatam exprobans: ac postridie Varum auditurum, & de toto negotio iudicaturum dicens. His dictis, occurrit Antipater matri & uxori, Antigoni filiæ, eius qui ante Herodem regnauerat in Iudæa, quæ ei rem omnem retulerunt: itaque ille se ad causæ suæ defensionem præparauit. Postero die consederunt in concilio Varus, & rex, aduocatis eò utriusq; amicis, regisq; consanguineis, & eiusdem sorore Saloma, & ijs qui crimen aliquod indicaturi erant, & ijs de quibus fuerat habita quæstio, & matris Antipatri seruis, qui paulo ante eius aduentum comprehensi fuerant, literas ferentes, quarum summa hæc erat: ne reueniret, patrem enim de tota re certiorem esse factum: iamq; Antipatro hoc unum superesse perfugium, ut ad Cæsarem se reciperet, ne'ue patris in manus ueniret. Antipater uerò sese patris ad pedes abijcit, oratq; ut dum causam suam defendit, audiatur: & Herodes eo in medio collocari iusso, de filijs suis conqueri aggreditur, per quos tot infortunia perpessus, in senectute incidisset in improbitatem Antipatri. Deinde cœpit accusare: atque ubi in duorum filiorum mentionem incidit, quos impulsore Antipatro peremerat, adeò flere cœpit, ut amplius loqui non posset. Nicolaumq; oraret (qui regis amicus, & in administrandis omnibus negotijs socius erat, totamq; rem ut gesta foret sciebat) ut reliqua persequeretur, quæ ad accusandum coarguendumq; pertinerent. Hic Antipater causam suam defendere exorsus, ita rem colorauit, itaq; probabiliter egit, sese etiã in quæstionem offerens, ut consilium commouerit. Miserebat enim eos ualde Antipatri, qui obsoleto uultu magnam uim lachrymarum profundebat, adeò ut eius etiam aduersarij misericordia commouerentur, ipsumq; Herodem iam flecti appareret, licet id animaduerti nollet. Sed excepit orationem Nicolaus, & Antipatrum uehementer acriterq; accusauit, ac manifestè conuicit tum argumentis, tum multis testimonijs, quorum alia erant præparata, alia ex tempore fuerunt oblata. Postquam enim animaduersum est, Antipatrum accusare sine periculo licere, cœperũt pro se quisque ea proferre quæ scirent, suntq; eius mille artes, mille insidiæ detectæ, adeò ut Antipater, quamuis impudens, tamen contradicere non auderet. Postquam Nicolaus finem fecit, iussit Antipatro Varus ut causam suam, si posset, defenderet: cupere se, eiusq; patrem, ut innocens reperiretur. Antipater uerò pronus humi iacens, nihil aliud nisi Deum obsecrabat, ut testari aut manifestis signis uellet ostendere, se nihil aduersus patrem molitum fuisse: Deumq; testabatur, sese diuinitus fuisse conseruatum, dum alia atque alia pro patre facit. Varus uerò rem infinitam esse uidens, uenenum coram omnibus proferri iussit, & cuidam capitis damnato propinari: qui eo cõfestim exinctus est. Tunc ille surgit, & è concilio discedit: postridie Antiochiam proficiscitur, ubi plurimum commorari solebat, quoniam id Syrorum palatium est. Herodes uerò filium protinus constringendum curauit: neque sciebatur quid cum eo locutus Varus fuisset, nisi quod opinabãtur multi, eum Vari consilio obtemperaturum. Eo uincto, misit de eo literas Romam ad Cæsarem, & unà homines qui eum uerbis de Antipatri malicia docerent. Per eos dies interceptæ sunt binæ literæ, ex Aegypto per Antiphilũ scriptæ ad Antipatrum, quarum in alteris sic continebatur: Mitto tibi Acmæ literas, mei capitis periculo: scis enim mihi rursus à duabus familijs imminere periculum, si deprehendor. Opto tibi in isto negocio successum. In alteris ita scriptum erat: Acme Antipatro. Scripsi ad tuum patrem quales uolebas literas, eiq; exemplum mitto fictarum Salomæ literarum ad Dominam, quibus lectis scio sumpturũ de Saloma, tanquam insidiatrice, supplicium. Fuerant autem literæ hæ, quæ Salomæ ad Acmæ dominam esse uidebantur, compositæ ab Antipatro, Salomæ nomen & stilum ementito. Ad Herodem autem literæ sic habebant: Acme regi Herodi. Ego dans operam ut nihil te lateat eorum quæ contra te fiant, nacta Salomæ epistolam ad dominam meam contra te scriptam, eam mihi periculosè, sed tibi utiliter exscripsi, & tibi misi. Hanc illa scripsit, uolẽs nubere Syllæo. Igitur literas conscinde, ne ego de uita pericliter. Erat autem Acme Iudæa, Iuliæ Cæsaris uxoris serua: idq; faciebat in Antipatri gratiam, qui eam grandi pecunia corruperat. Itaq; Herodes singulari Antipatri malicia stupefactus, parum abfuit quin eum euestigiò necaret, instigante insuper Saloma. Sed tamen eum euocauit, & interrogauit, iussitq; ut sine ulla dissimulatione diceret, si quid contrà haberet. Atq; illo obmutescente, petijt, ut postquam undiquaque malus reperiretur, saltẽ suos in his sceleribus adiutores nominaret. Ille uerò Antiphilum omnium authorem esse dixit, neq; quenquam alium nominauit. Et Herodes eum in custodia, ut antè, habuit, iterumq; legatum misit ad Cæsarem, & literas cõtra filium & contra Acmen, unà cum earum quæ suprà positæ sunt literarum exemplo.

CAPVT VIII.

Herodis morbus, & Iudæorum seditio.

DEinde in morbum lapsus, testamentum fecit, in quo filiorum suorum natu minimo regnum dabat, ob odium quo tum Archelaum & Philippum ob Antipatri calumnias prosequebatur. Donauit & Cæsari mille talenta, & Iuliæ Cæsaris uxori, & Cæsaris filijs, & amicis, & libertis, quingenta. Legauit & suis filijs pecuniã, & pensiones, & agros, itemq; nepotibus, Salomamq; sororem suam multum ditauit. Et quoniam ex eo morbo conualiturum se non sperabat, quippe iam septuaginta circiter annos natus, euasit crudelis & ferus in omnes: quoniam contemni se, gentemq; suo malo delectari putabat. adde quod extiterunt quidam plebeij, qui in eum consurrexerunt ob huiusmodi causam. Erant Iudas Sariphæi, & Matthias Margulothi F. Iudæorum eloquentissimi, & legis interpretes præstantissimi, populoq; charissimi, quoniam iuuentutem doceret. Qui enim uirtuti comparandæ studebant, eos quotidie frequentabant. Hi duo audientes regis morbum esse insanabilem, spargere cœperunt, id ei malum (ut & cætera infortunia) non aliunde proficisci, quàm quòd Dei præcepta uiolasset: ac magnopere ad Dei laudem & religionem pertinere, ut quicquid ille contra legem fecisset aboleretur, quicunq; tandem casus secuturus esset. Fecerat autem rex super maiorem portam templi, ingentem & magni precij aquilam: hanc legis studio deturbandam esse dictitabant illi magistri. quòd si ob eam rem amittenda uita foret, paruam esse iacturam, qua sempiterna laus compararetur. Dum illi his & alijs sermonibus iuuentutem incitãt, nunciatur obijsse regem. itaq; illi meridie aquilam demolitum uadunt, & eam securibus discindunt, spectantibus multis qui erant in templo. Hoc ubi regis prætori nunciatum est, suspicatus maiorem aliquam rem tentari, eò cum magna manu proficiscitur: & inopinantes aggressus, alijs aliò fuga dilapsis, cæpit ad quadraginta iuuenes, qui eum animosè expectarant, unà cũ duobus præceptoribus, eosq; ad regem perduxit. Atq; illi interroganti regi, an quod ipse erexisset, id deijcere ausi fuissent? liberè responderunt, & fecisse, & rectè fecisse, ut contra decreta regis legem tuerentur, quam Moses Dei iussu scripsisset, seq;

Iudas & Matthias in Herodē coniurant.

seq; ob eam rem mori non recusare. Tum rex colligatos Hierichuntem mittit. Deinde Iudaeorum primos euocat, & in eorum medium lectica delatus (quoniam stare non posset) narrat quantos eorum causa labores pertulisset, utq; templum magnis suis sumptibus extruxisset, cum Asamonaei nati centum uigintiquinque annis (quibus regnassent) nullum unquam tale opus ad Dei honorem facere potuissent: idq; praecellentibus donarijs ornasset, pro quibus se etiam post mortem celebratum & collaudatum iri sperasset. Hic uerò clamare cœpit, eos ne uiuente quidem à contumelijs abstinere, quin luce palàm audere suis donarijs manus admoliri, eaq; deturbare, per simulationem eum offendendi, sed reipsa (si res diligenter perpenderetur) id esse sacrilegium. Illi eius crudelitatis metu, negarunt id factum esse de ipsorum sententia, ac sibi uideri facinus uindicandũ. Herodes uerò in alios satis leniter se gessit: sed Matthiam pontificem honore, ut earum rerum nonnulla ex parte authorem, abdicauit, & Iozarum uxoris eiusdem Matthiae fratrem pontificem creauit.

Pontifex in unum diem creatus.

Huius Matthiae potificatu accidit, ut alius crearetur pontifex in diem ieiunij, ob huiusmodi causam. Is Matthias ea nocte, quae ieiunij diem antecessit, uisus est sibi secundum quietem rem habere cum muliere: quam ob causam cum rem diuinam facere non posset, ei uicariam operam praestitit Iosephus Ellemi filius, eius consanguineus. Igitur hunc Matthiam Herodes munus deponere coegit: alterum uerò Matthiam, qui seditionis author extiterat, & eius sociorum nõnullos, uiuos igni cremauit. Eadem nocte fuit lunae defectio, & Herodis morbus incruduit. Ignis erat, qui eum lentè urebat, nec extrinsecus tactu tantum ardorem praebebat, quantum intus dolorẽ. Excernendi erat incredibilis appetentia, cui obtemperare necesse esset: inde intestinorũ exulceratio, & saeua tormina. Pedes occupauerat liquida pellucensq; pituita, inguinibus simili malo laborantibus, putredine quae uermes gigneret, uirilia rodente: neq; spirare nisi erectus poterat, spiritu foetido, crebro atq; breui, distensis totius corporis membris. Itaque uulgò dictitabatur, poenas esse diuinas. Et tamen in his cruciatibus sanitatem sperabat, medicos accersebat, & eorum consilijs per omnia obtemperabat. ac traiecto Iordane, in thermis Calliroae lauit: quae aqua praeter caeteras tot dotes, etiam in potione usum habet. Ibi medicis uisum est, eum refouendi causa in solium olei plenum demittere, quo facto uisus est mortuus: sed famulis ploratum edentibus, resipuit: ac de salute sua desperans, militibus quinquagenas drachmas donauit, & ducibus amicisq; multa largitus est. atque iterum Hierichuntem uenit, ubi atra bile sic exacerbatus est, ut ad extremum hoc excogitauerit.

Herodis crudelitas ultima.

Euocauit ad se totius Iudaicae gentis primarios omnes, ubicunque degerent (quae fuit ingens sanè multitudo, quippe quos sub poena capitis uenire iussisset, homo in omnes siue insontes siue sontes furiosus) eosq; in circo conclusit: deinde accersitam sororem suam Salomam, eiusq; uirum Alexã, sic alloquitur: Video equidem (eos sentio dolores) me iamiam esse moriturum, quae res tolerabilis & omnibus optandá est. Sed sine ullo mei desiderio aut ploratu, qui rege dignus sit, mori, hoc uerò meum animum urit. Video enim Iudaeos nihil tam cupere, quàm mortem meam, qui uiuente me rebellare ausi sint, & meo donario contumeliam facere. Nunc uestri officij est, ut ad me hoc dolore subleuandum consentiatis. Si enim mecum sentire uoletis, iusta mihi splendida, & longè alia quàm regibus solent, persoluentur, serioq; per uniuersam nationem luctu condecorabor: alioquin non nisi per ludum iocumq; deplorandus. Quare ubi me animam egisse uidebitis, collocatote per circi circuitum milites, meae mortis adhuc ignaros (neque enim eam, nisi hoc perfecto, indicabitis) eisq; ut omnes ibi conclusos missilibus configant, imperatote. It me bifariam delectabitis, dum & ipsi uoluntatem meam exequimini, & ego digno luctu cohonestabor. Haec ille eis mandauit, plorans miserabiliter: & eos per amorem consanguinitatis, perq; fidem, quam Deo deberent, obtestans, ne sibi honorem hunc denegarent: id quod illi ei promiserunt.

CAPVT IX.

Antipatri mors.

INterim adueniunt Roma literae à legatis, quos ad Caesarem miserat: in quibus significabatur, Caesarem de Acma supplicium sumpsisse, & Herodi in Antipatrum summam potestatem permittere: qua re laetatus Herodes, aliquanto melius habuit. Deinde saeuo dolore correptus, malum poposcit & cultellum, solitus alioquin mala decorticare, & frustatim comesse. Vbi id habuit, circumspexit, & seipsum ferire uoluit. Verùm eius sobrinus Achiabus manũ ei prehendit, magnumq; clamorem edidit. unde tãtus repentè in regia ululatus & tumultus coortus est, quantus si mortuus rex fuisset. Et Antipater patrem uerè mortuũ credens, cœpit confidenter, quasi iam soluendus, & rex nullo negotio futurus, loqui, cumq; custode carceris de missione agere, multa ei tum in praesens tum in futurum promittens. Sed id custos regi nunciatum iuit. & rex cum exclamatione caput sibi, quamuis in extremis esset, percussit, & cubito innixus imperat, misso quodam satellite, ut euestigiò, sine ulla cũctatione, Antipater interficiatur, & in Hyrcania ignobili funere sepeliatur.

CAPVT X.

Herodis decessus, & testamentum.

TErumq; testamentum suum mutauit, & Antipam (cui regnum reliquerat) Galilaeae Peraeaeq; tetrarcham constituit, regnum Archelao dedit: Gaulonitidem autem, & Trachontidem, & Batanaeam, & Panniadem, Philippo filio suo, Archelai fratri, tetrarchiam attribuit: & Salomae sorori suae Iamniam, Azotum, & Phasaelidem legauit. Taceo argentum & alia, quae tum ipsi Salomae, tum suis consanguineis, & Caesari, & Caesaris uxori Iuliae, & alijs reliquit. His factis, quinto post occisum Antipatrum die uitam finiuit. Regnauit post interfectum Antigonum, annos triginta quinque: postquam autẽ à Romanis rex creatus fuit, trigintaseptem. Ante diuulgatam eius mortem, Salome & Alexas conclusos in circo domum dimiserunt, dicentes regem iubere ut discederent, & domi se tenerent. Deinde cognita iam regis morte, milites in Hierichuntis theatro coegerunt, & primum scriptas ad milites literas legerunt, in quibus rex eis, ob fidem & gratum erga se animum, gratias agebat, & ut idem Archelao filio suo, quem regem instituisset, praestarent orabat. Deinde Ptolemaeus, cui creditum erat regis sigillum, testamentum recitauit, quod ratum esse non poterat, nisi prius inspectum à Caesare. Ac subitò clamor extitit in honorem Archelai, eiq; milites gregatim, nec non duces, eandem quàm patri praestitissent, amicitiam beneuolentiamq; promiserunt, Deumq; ei secundum exoptarunt. Deinde Archelaus regem splendidissimè curauit efferendum. Eo facto, in templũ ascẽdit, omnibus eum quaqua transibat, faustis ominibus certatim prosequentibus. Ipse cõscenso suggestu sublimis in aurea sella residens, populũ mutua comitate prosequitur, eisq; gratias agit, quòd paternarum in ipsos iniuriarum memoriam deposuissent, seq; memorem fore pollicetur. In praesentia quidem regio nomine se

abstinere, quoniam testamentum Cæsar nondum confirmasset: quam ob causam ipse sibi Hierichunte diadema à militibus imponi non permisisset. Verùm si fuerit adeptus imperium, daturum operam ut eis satisfaciat, & in omnibus elaboraturum ut sit erga eos patre melior. Illi eum (ut est plebs credula) ex animo loqui existimantes, quo suauius & humanius ipse eos alloquebatur, eo magis collaudabant, & sua postulata scribebant. Alij ut sibi uectigalia diminuerentur clamabant: alij ut uincti soluerentur, quos & multos & longo tempore Herodes habebat: erant qui de mancipum & publicanorum acerbitate expostularent. ad quæ Archelaus minimè contradicebat, quippe qui multitudinis beneuolentiam captaret ad confirmationem regni sui. Et hinc facta re diuina, ad conuiuium cum amicis se contulit.

CAPVT XI.

Populus seditionem mouet in Archelaum.

INterea extitere Iudæi quidam, qui Matthiæ, & eius sociorum, ab Herode ob deiectam aquilam auream occisorum, mortem deplorarent: grauiterq; de Herode conquererentur, id quod eo uiuente facere non ausi fuerant. Ii congregati ab Archelao contendebant, ut id facinus in eos uindicaret, quos habuerat Herodes in precio: utq; in primis pontificem abdicaret ab Herode constitutum, aliumq; deligeret magis legitimum, & ad munus obeundum puriorem. Archelaus uerò ad eos placandos ducem misit. Sed illi neq; ducem, neq; alium quenquam qui eos ad æquitatem perducere conaretur, neq; alios item multos ab Archelao missos, audire uolebant, sed omnia arbitratu suo fieri iubebant: suaq; iracundia facile ostendebant, futurum aliquē magnū tumultum, quippe cōfluente populo, & maximè ad festa Paschæ, quæ in id tempus inciderūt, in quo seditiosi illi Iudā & Matthiam lamentantes coierunt in fano. Itaque metuens Archelaus seditionem, misit eò centurionē cum cohorte militū, ad coercendos illos, & sibi seditiosissimos quosq; adducendos. Sed illi impetu in eos facto, maximā eorū partē lapidarunt: ipse centurio & alij pauci saucij effugerūt. Eo facto, illi manum iterum sacrificio admouent. At Archelaus eò milites omnes misit, & equites, qui eos qui foris essent, ijs qui in tēplo forent, succurrere prohiberent, & eos qui à peditibus euasissent, exciperent. Ita occisa sunt ab equitibus circiter tria hominum millia: reliqui se in montes proximos receperunt. Et Archelaus proclamari iussit, ut omnes domū discederent: id quod illi fecerunt, & festū, quamuis audaces, deteriora ueriti, reliquerunt. Deinde Archelaus ad mare descendit unà cum matre, secū ducēs Nicolaū & Ptolemæū, multosq; amicorum, relicta totius domus & principatus cura Philippo fratri suo. Eū comitata est Herodis soror Salome, unà cū suis natis, multisq; cōsanguineis, per speciem adiuuādi eū ad regnū obtinendū: sed reipsa, ad ei aduersandū, & maximè ad conquerendū de eo quod in tēplo factū fuerat. Occurrit aūt Archelaus Cæsareæ Sabino, Cæsaris in Syria rerū procuratori, ad custodiendā Herodis pecuniā uenienti. Sed superuenit accersitus ab Archelao Varus, qui eius iter auertit: inq; Vari gratiam Sabinus Iudææ castella non occupauit, neq; pecuniā cōsignauit, sed Archelao, donec de ea Cæsar statuisset, reliquit: eoq; promisso, Cæsareæ remansit. Sed postquā Archelaus Romā iturus soluit, & Varus Antiochiam discessit, Sabinus Hierosolymā profectus, palatium occupat. Deinde accersitis præsidiorū præfectis, omnibusq; rerum administratoribus, demonstrat se rationes exigere, & de castellis statuit arbitratu suo. Tamen custodes eodem in statu omnia ex Archelai mandato tuebantur, per speciem reseruandi omnia Cæsari. Eo tempore Antipas quoq; Herodis filius Romā ad obtinendū principatum profectus est, Salomæ promissis impulsus, ceu longè quàm Archelaus dignior imperio: utpote in priore testamēto rex institutus, quod magis ratū esse deberet quàm posterius. Ducebat unà secū matrē, & Nicolai fratrē Ptolemæū, quondā Herodi charissimū, & tum Antipæ studiosum. Potissimum uerò eum ad appetendum regnum impellebat Irenæus, qui orator erat, & ob eloquētiæ existimationē, regni procurationē habuerat. Itaq; noluit Antipas auscultare consulentibus ut cederet Archelao, qui & natu grandior, & ultimo patris testamento rex constitutus esset. Vbi Romam uenit, cognati omnes eius partibus accedebāt, nō illi quidē eius amore, sed Archelai odio, cupiētes ante omnia liberi esse, & sub Romani præsidis administratione: aut certè si quis se interponeret, Antipā præferētes Archelao. Hac de causa Antipā regē creare conabātur, Sabino quoq; Archelaū literis apud Cæsarē accusāte. Archelaus uerò literas ad Cæsarē, quibus ius suū tueretur, misit, necnon patris testamentū, & Ptolemæū Herodianæ pecuniæ rationes sigillumq; ferentē: atq; ita euentū expectabat. Cæsar uerò postquā has Variq; & Sabini literas legit, & quantū pecuniarū annuúq; redditus esset, utq; Antipas regnū appetēs literas misisset, cognouit, amicos cōuocat, ut eorū sententias audiat: imperatq; ut qui uelit, de præsentibus negocijs dicat. Primus uerba fecit Antipater Salomæ filius, homo in primis disertus, & Archelai aduersarius. Is Archelaū accusauit, quod diadema à Cæsare peteret, cū iā regis officio functus esset in ijs quæ superius dicta sunt, faciēdis: & maximè cæde illā quā in foro per petrandā curasset accusauit, dixitq; prius Herodis testamētū quod sana mente scripsisset, debere esse ratū. Surrexit deinde Nicolaus, qui Archelai causā egit. eiusq; finita oratione, Archelaus sese Cæsaris ad pedes abiecit: sed eū Cæsar comiter alleuauit, regno dignissimū esse dicens: seq; satis ostendit sic esse affectum, ut non aliter facturus esset, quàm testamentum postularet. Verùm ubi Archelaū, quia comiter acceptus esset, securum esse animaduertit, nihil sanxit. Postea dimisso concilio, dispexit ipse secum, utrum regnum Archelao confirmare deberet, an uerò id omnibus Herodis filijs communiter diuidere, quoniam omnes egerent auxilio.

Archelaus apud Cæsarē accusatus.

CAPVT XII.

Iudæorum in Sabinum seditio, & ut Varus de eius authoribus supplicium sumpserit.

ANtequā horū quicq sancitū esset, obijt morbo Marthace mater Archelai: uenerūtq; à Varo Syriæ præside literæ, quæ Iudæorū rebellionē declararent. Nam post Archelai discessū, seditionē fecit uniuersa natio: & Varus, qui illic aderat, in eius authores animaduertit. ac seditione (quæ grauis sanè fuit) maxima ex parte cōposita, Antiochiam profectus est, relicta Hierosolymis una legione ad Iudæos reprimēdos, si quid mouerēt: sed id frustra. Nā digresso Varo, Sabinus ibi, ceu Cæsaris procurator, manēs, multū Iudæis negotij facessebat, sperās eos ijs copijs, quæ magnæ restabāt, cohiberi posse. Circūducebat enim frequētes armatos satellites, per quos Iudæos premēs atq; turbās, rebellare cogebat. Etenim castellis occupādis incūbebat, & præ auaricia regias pecunias ui summa uestigabat. Instantibus aūt Quinquagesimæ festis, conuentū est Hierosolymā nō solū religionis gratia, sed etiā indignatiōe cōtumeliarum Sabini: coiueruntq; plurima Galilæorum & Idumæorū & Hierichuntiorum millia, & omnes transiordanini, in primisq; Iudæi, qui erant omnium Sabino infensissimi. Igitur in trina castra diuisi, Romanos, qui erant in arce, obsederunt. Itaque Sabinus Varo confestim per literas significauit, ut sibi celeriter auxilium ferret: ipse arcis excelsissimam

mam turrim (ea Phasaelus appellatur) occupat, & inde Romanis signum dat, ut Iudaeos adoriātur: ipse adeò timidus, ut ne ad suos quidem descendere auderet. Cumq; Romani eruptionem fecissent, commissum est acre praelium, in quo licet superiores essent Romani, tamen non despondebant Iudaei, quamuis suorum multos cadere uiderent: quin per circuitum conscensis porticibus, quae circū exterius templi septū erat, ibi lapidibus quà manu quà fundis pugnare cœperūt. Item sagittarij uniuersi Romanis de superiore loco multū nocebāt: cum essent hi ita demisso loco, ut ad illos tela adigere nequirent. Postquam diu hunc in modum pugnatū est, incensi iracundia Romani, ignem porticibus (inscijs ipsis qui eò ascenderant Iudaeis) subiecerunt, quo confestim ad tectū euecto, extincti sunt qui illic erant. Nam alios secū ruina tecti trahebat, alij ab hostibus undique caedebantur, multi se in ignem conijciebant, alij seipsos gladijs suis occidebāt. Quicūq; quà ascenderant euadere conabantur, à Romanis caesi sunt: itaq; ne unus quidem elapsus est. Romani uerò per flammam, qua dabatur, irruentes, pecuniae sacrae thesauro potiuntur. eiusq; magna parte à militibus direpta, ipse Sabinus talēta quadringēta palàm recepit. Sed Iudaei nihilo secius, adhibitis suorū fortissimis quibusq; regiam obsidere, flammasq; & extrema omnia minitari, nisi Romani celeriter exirent: sin exirēt, & ipsis & Sabino nihil nocitum iri. Regiorum uerò maxima pars cum Iudaeis sese ad auxiliandum coniunxit. Sed Ruffus & Gratus, qui tria millia praestantissimorum Herodis militum habebant, ad Romanos transierūt: idemq; fecerūt equites quidam, quibus praeerat Ruffus. Verùm Iudaei nihilominus obsidionem urgere, & cuniculos agere, atq; obsessis clamare ut exirent, ne ue se libertatem suam recuperare prohiberent. Et Sabinus quidem cū militibus exire paratus erat: sed Iudaeis fidere non poterat. adde quòd à Varo expectabat auxilium, eamq; ob rem obsidionem sustinebat. Interea existebant in Iudaea mille aliae turbae: inter quas fuerūt duo hominum millia, qui aliquando sub Herode meruerant: ij inter se conspirarunt, & regios oppugnare cœperunt. Achiabus uerò Herodis sobrinus, eis resistebat: & ex agris in edita loca compulsus (quippe ab hominibus bellicosis) difficiles aditus insidendo, seruabat quae poterat.

Turbae in Iudaea.

Extitit & Iudas Ezechiae latronū praefecti filius, eius quem Herodes magno labore oppresserat. Hic Iudas apud Sefforim Galilaeae oppidum, coacta profligatorum hominū caterua, palatium adortus, arma omnia ibi reposita occupauit, ijsq; suorum singulos armauit, & omnium ibi repertam pecuniam abstulit, suiq; terrorem omnibus iniecit, dum regnandi cupiditate in obuios quosq; saeuit.

Iudas latro.

Fuit & Simon quidam regis Herodis seruus, homo alioquin formosus, & corporis magnitudine ac pulchritudine excellens. Hic Simon diadema sibi imponere ausus, ab hominum multitudine, qui conuenerant, rex salutatus est, & Hierichūtiam regiam à se direptam cremauit, aliasq; multas regis domos in multis regionis locis incendit, concessa suis gregalibus praeda. Sed ei Gratus cum sua manu obuiam occurrit: & post longum praelium, profligatis Simonianis, quippe transiordanis, & nullo ordine, audacia magis quàm arte pugnantibus, ipse fugientem in ualle Simonem nactus obtruncauit. Extitit etiam hominum caterua Simonis similium, qui Amathae (ea urbs est ad Iordanem posita) regiam cremarunt.

Simon diadema sibi imponit.

Extitit & Athronges quidam opilio, homo procerus & robustus, qui regnum affectare ausus est. Is quatuor fratres sui similes habebat, qui regnum singuli singulis cohortibus tuerentur. Conuenit enim ad eos ingens hominum multitudo, quibus ipsi praefecti, praelia pro Athronge faciebant. Ipse diadema sibi imposuit, & de rebus gerendis concilium habit, omniaq; gerebat arbitratu suo: & diu in potestate permansit, regio nomine, faciens quae uellet: magnasq; tū ipse tum fratres, caedes edebant tam Romanorū, quàm regiorum, utpote utrisq; ex aequo infensi, & sanguine omnia complebant, partim ob quaestum, partim ob interficiendi consuetudinem. Hi aliquando Romanorū cohortem (qui frumentum & arma militibus ferebant) prope Emmauntem aggressi, ita circundederunt, ut Ariū ducem, & quadraginta eius peditum fortissimos, missilibus cōfixerint. Reliqui auxilio Grati, qui eis cum regijs succurrit, euaserunt. Haec & alia multa tū Iudaeis tum Romanis detrimenta longo tempore intulerūt. ac tandem tres eorū capti sunt, uidelicet natu maximus ab Archelao, reliqui duo à Grato & Ptolemaeo: quartus Archelao se dedidit. sed haec postea facta sunt: tum quidē Iudaeam totam latrocinijs repleuerūt.

Athronges opilio sibi diadema imponit.

Varus simulac Sabini literas accepit, assumptis reliquis duabus legionibus, quatuorq; turmis equitum, omnibusq; regum & tetrarcharū & aliorum auxilijs, celeriter obsessis in Iudaea subsidio proficiscitur: & coactis ad Ptolemaidem suis copijs, earum partē filio, & cuidam amico tradit, eosq; ad bellum Galilaeis supra Ptolemaidem incolentibus inferendum mittit. Atq; ille hostes praelio aggressus, in fugam uertit, captoq; & incenso oppido Seffori, oppidanos uendidit. Ipse Varus cum uniuerso exercitu ad Samariam profectus, urbi (quòd seditionis culpa careret) nihil nocuit: sed castra in uico, cui nomē est Arus, posuit, quem Ptolemaeus aedificauerat: eumq; uicū Arabes, Varo ab Areta subsidio missi, Herodis odio incenderūt, ut Ptolemaeo Herodis amico dolorē facerēt. Illinc digressi, uicum alium nomine Sampho, munitissimum & instructissimum diripuerunt, atq; concremarunt, & in itinere omnia ferro flammaq; foedarunt. Emaus quoq;, sed ab incolis deserta, iussu Vari cremata est, ut ijs qui ibi fuerant occisi, parentaret. Inde ad ipsam Hierosolymam ducit, ubi obsessores Iudaei simulac hostes uiderunt, fugae se mandarunt, obsidione semiperfecta. Hierosolymitani uerò Iudaei Varo sese purgarūt, demonstrātes ob festa coiuisse populū, neq; suo consilio bellū, sed externorum audacia susceptū: se quidem cum Romanis magis obsessos fuisse, quàm eos obsidere in animo habuisse. Et Iosephus Herodis sobrinus, & Gratus, & Ruffus cum suis militibus, & obsessi Romani, Varo sese obtulerūt. At Sabinus in eius conspectū uenire non ausus, clàm ab urbe ad mare profectus est. Varus per regionem suarū copiarum partem ad conquirendos seditionis authores dimisit, & in quosdam, ut caeteris nocentiores, animaduertit, caeteros dimisit, duobus millibus eam ob causam in crucem sublatis. Deinde milites, quòd multa peccassent, & suis praeceptis lucri studio non obediuissent, exauthorauit. Cumq; decem Iudaeorum millia coiuisse intellexisset, eò celeriter ad eos opprimendos profectus est: sed illi ad Achiabi arbitrium sine praelio se dediderunt. Et Varus data plebeijs uenia, eorum duces omnes misit ad Caesarem. Caesar reliquis ignouit: de quibusdam Herodis consanguineis, quoniam in regem arma sumpsissent, supplicium sumpsit. His perfectis, Varus relicta Hierosolymae ad praesidium priore legione, Antiochiam profectus est.

Varus Sabino succurrit.

Archelaus uerò Romae nouum negocium habuit, propter huiusmodi causas. Iuerant Romam consensu Vari Iudaeorum quinquaginta legati, ad postulandam libertatem: quibus sese Romae adiunxerunt supra octo Iudaeorum millia. Alterius partis erant Archelaus & eius amici. Regis uerò consanguinei, Archelai partes propterea non tuebantur, quòd eum oderant: rursum que legatis aduersus eum fauere non audebant, ne id sibi uitio uerteretur.

Archelaus cum Iudaeis litigat.

Philippus quoq; eò uenit ex Syria, impulsu Vari, maximè ut fratris partes adiuuaret: nam eum amabat Varus. aut si regnum diuideretur, ut partem suam obtineret. Igitur ubi legatis apud Cæsarem, & eius amicos, Romanosq; proceres dicendi locus datus est, cœperunt Herodem accusare, multisq; exemplis & rationibus ostendere, merum fuisse, & eum crudelem tyrannum, à quo pluribus malis affecti fuissent, quàm unquam post Babylone reditionē pertulissent: idq; in causa fuisse, ut Archelaum libēter regem admiserint, rati fieri non posse, ut quenquam haberent, qui non esset Herode tolerabilior. Sed nunc animaduertentes quale crudelitatis in ipso statim primordio specimen ediderit, qui tria suorum popularium millia in ipso templo die festo necauerit, postulare ut regno & huiusmodi principatu liberati, Syriæ cōtribuantur, prætorumq; Romanorum administrationi subijciantur: ita perspicuum fore, utrum seditiosi sint, an nō sint. Postquam illi hæc postulata proposuerunt, surrexit Nicolaus, regumq; causam egit, & gentem ut peruicacem, & in reges contumacem accusauit, eosq; etiam de Archelai consanguineis culpauit, qui fauerent accusatoribus.

CAPVT XIII.

Cęsar Herodis testamentum sancit, custodita eius filijs successione.

CAesar aliquot pòst dieb. quàm hæc audiuit, Archelaum instituit, non regem, sed dimidiæ regionis Herodianæ rectorem: policitus regij nominis honorē, si dignā rege uirtutem præstitisset. Alterā partem in duas partitus, reliquis duobus Herodis filijs diuisit, Philippo & Antipæ. Huic paruit transiordanensis ager, & Galilæa, quæ ei ducentena talenta pensitabant. Batanæa uerò cum Trachonitide, & Auranitide, & nonnulla parte domus Zenodori, Philippo centena. Archelao tributa est Idumæa, & Iudæa, & Samaria, cōdonata Samariæ à Cæsare quarta parte uectigalium, quòd ea cum cæteris non rebellasset: fuerūtq; Archelao subiectæ urbes, Stratonis turris, Augusta, Ioppe, & Hierosolyma. Nam Gazā quidem, & Gadara, & Hippū, quoniam Græcæ sunt urbes, seiunxit Cæsar, & Syriæ adiunxit. Archelai reditus erat sexcenta talenta. Salomæ uerò præter ea quæ frater ei legauerat, uidelicet Iamniā, Azotū, & Phasaelidem, & argenti signati quingenta millia, Cæsar regiam dedit Ascaloniam, ut eius annui redditus summa esset talenta sexaginta, domo ei in Archelai ditione posita.

CAPVT XIIII.

De falso Alexandro.

POst eas res extitit iuuenis quidam Iudæus, facie simillimus Alexandri Herodis filij, eius qui fuerat occisus. Huic persuasit improbus quidam, & rerum turbator, idemq; rerum aulicarum peritus, ut se Alexandrum Herodis filium diceret, qui abditus fuisset ab eorum quodam, quibus fuerat eius interficiendi commissum negotium: qui quidem ut hominibus imponeret, alios interfecisset, se uerò & fratrem Aristobulum conseruasset. Hoc pacto iuuenis ille eos fallebat, in quos inciderat: ita ut quoscunq; in Creta nactus est, ei fidem habuerint, & pecuniam subministrarint tum ipsi, tum Melenses insulares, & alij. maximè uerò Herodis hospites & amici, ei sese tanquam regi adiunxerunt: quippe qui Alexandri adeò similis esset, ut eum ipsum esse iurare possent uel illi ipsi, quibus magna cum Alexandro familiaritas intercesserat. Itaq; Romam aduentanti obuiam prodiere Iudæi, & id pro miraculo habentes, eum per uias in curru sublimem, regio planè apparatu incedentem (quæ res fiebat sumptibus eius hospitum) frequentes stipabant, & omnibus officijs tanquam Alexandrum prosequebātur.

His Cæsar auditis, suspectam fraudē habens, eum ad se accersit. & quamuis persimilis esset, tamen animaduertit falsum hunc Alexandrum, manuariæ artis hominem, corpus habere scabrius atq; asperius: cum liberaliter educati molle & delicatum habere soleant. Igitur quærit ex eo quid factū sit Aristobulo, cur'ue non uenisset ad obtinendum ius suum? Ille respondet, in Cypro remansisse, metu marinorum periculorum, ne si quid Alexandro humanitus accidisset, Mariæ genus funditus aboleretur. Hæc affirmantē, cum eo cōsentiente magistro, Cæsar seducit, & ita dicit: Si mihi uerum dicere uoles, uitam tibi custodiam. Dic mihi quis tu sis, & quis tibi tantum audere persuaserit: est enim malicia ista maior quàm pro ætate. Tum ille rem omnem confessus est: & Cæsar eum ad remiges relegauit, & eius fraudis authorem interfecit.

CAPVT XV.

Archelaus iterum accusatus, Viennam relegatur.

POstquam Archelaus gentis rector factus, in Iudæam peruenit, Ioazarum Boethi filium pontificatu priuauit, eum cum seditiosis coniurasse criminatus, idq; munus Eleazaro eiusdem filio tradidit. Refecit etiā Hierichuntiū palatium magnificè, & dimidiam aquam uici Neare deriuauit ad irrigandum palmetum, quod conseuerat. Vicumq; cōstruxit, quem Archelaidem nuncupauit: & Glaphyrā Alexandri sui fratris quondam uxorem, ex quo ipsa liberos habebat, in matrimonium duxit. Ne Eleazarus quidē in pontificatu permansit, suffecto in ipsius uiuentis locum Iosua Siæ filio. Anno autem decimo principatus Archelai, Iudæorum & Samaritanorū primi eius crudelitatē & tyrannidē non ferentes, eum apud Cæsarē accusarunt, maximè cum intellexissent contra Cæsaris fecisse mandatum, quo iubebatur eos tractare leniter. Hanc ob rem Cæsar eū, nulla illata mora, curauit euocandum: ac postquam causam suam contra certos accusatores agentem audiuit, relegauit in urbē Galliæ Viennam, pecuniaq; spoliauit. Antequam autem Romā euocaretur Archelaus, somnium huiusmodi suis amicis narrauit. Visus est sibi uidere decem spicas, tritici plenas, iam perfectas, quas boues depascerent. *Archelai somnium.* Experrectus, coniectores accersit. Ibi dum alij alia dicunt, Simon quidam Essæus, postulata dicendi uenia, dixit ei, uisione illa significari mutationem in deterius. Boues enim ærumnam declarare, quippe laboriosum animal: itemq; rerum mutationem, quoniam humus, quæ ab eis coleretur, eodem in statu permanere nō posset. Decem autem spicas, totidem annorum indices esse, quoniam uno anno proueniat spica: itaq; Archelao finē adesse imperij. Sic ille somnium enucleauit: ac quinto pòst die uenit nuncius, qui Archelaum accersebat, eumq; cum amicis conuiuātem offendit. Simile quiddam accidit & Glaphyræ, quæ post decessum Alexandri nupserat Iubæ Libyæ regi: quo mortuo, uiduam domi patris in Cappadocia degentem duxit Archelaus, repudiata uxore sua Maria: tantus erat amor in Glaphyrā. Igitur cū Archelai coniux esset, uidit huiusmodi somniū. *Glaphyræ somnium.* Visa est cernere astantē sibi Alexandrū: qua re gauisa, eū cupidissimè complexa est. At ille de ea questus est. Glaphyra, inquit, ergo tu uulgare uerbū cōprobas, quo feminis fidendū non esse dicitur: quæ mihi despōsa & nupta uirgo, genitis ex me liberis, amores oblita meos alij nupseris: neq; hac cōtumelia cōtenta, cum tertio marito cubare ausa sis, ad meæ domus dedecus atq; probrum: Archelaoq; uiro tuo, fratri nostro, nupseris. Ego uerò meæ in te beneuolentiæ iccirco non obliuiscar, quin te omni infamia liberabo, meam faciens, ut prius fuisti. Hæc cum apud socias suas narrasset, aliquot post diebus moritur.

Flauij

FLAVII IOSEPHI ANTIquitatum Iudaicarum liber duodeuigesimus.

CAPVT I.

Quirinius ad censendam Syriam & Iudæam mittitur à Cæsare, & Coponius ad procurandam Iudæam: item de Iuda Galilæo.



VIRINIUS uerò à Cæsare missus est in Syriam, ut genti iura daret, & facultates censeret: & Coponius unà cum eo, ut equitatui præesset, & Iudæorum res summa potestate administraret. Igitur uenit Quirinius in Iudæam Syriæ additam, ut eorum bona censeret, & Archelai pecuniã addiceret: quam ad rem Iudæi, quamuis principiò ægrè, tamen consenserunt, suasu pontificis Ioazari Boethi filij. Iudas autem Gaulanita, ex oppido Gamalis, unà cum Phariseo Sadduco, populum solicitabat ad rebellionem, dicens eum censum nihil aliud esse quàm seruitutem: ac debere libertatem defendi, alioquin non adsuturum eis Deum. Et quia populus eis aurem præbebat, ea res tandem in causa fuit infinitorum malorum. Et quoniam ad hunc locum ueni, placet de Iudæorum sectis nonnulla disserere.

Iudas Galilæus.

CAPVT II.

De Iudæorum sectis.

HAbebãt Iudæi tres philosophiæ sectas antiquas, uidelicet Essæorum, Sadducæorum, & Pharisæorum. Pharisæi tenuiter uiuunt, & à uoluptatibus prorsus abhorrent: quodq; bonum ratio iudicat, id sequuntur. Senioribus honorem præbent, neq; ijs à quibus hæc prodita sunt, contradicere audent. Omnia fato fieri censent, sic tamen ut hominis uoluntatem inde non excludant, dicentes uisum esse Deo ita rem temperare, ut & fato sit locus, & tamen homo possit, si uelit, uirtutem sequi, aut uitium. Credunt animas immortales, ac sub terra uel pœnis uel præmijs eos affici, qui in hac uita uirtuti se aut uitijs addixerint: animasq; improborum sempiterno carcere clausas teneri: bonorum autem reuiuiscere, & in alia corpora migrare. His de causis tantæ sunt authoritatis, ut quicquid ad religionem pertineat, cuiusmodi sunt supplicationes & sacrificia, id eis interpretibus fiat: tanti fit eorum tum uita, tum oratio. Sadducæi animas cum corporibus interire putant, neque quicquam aliud quàm legem seruant. nam contra magistros quidem eius quam sequuntur sapientiæ disputare, uirtuti tribuunt. Eorum opinioni suffragãtur pauci, sed dignitate primi, & ijdem penè ociosi. Nam si quando magistratus gerunt, opinioni Pharisæorum, licet inuiti, tamen assentiũtur, quòd eos alioquin non ferret populus. Essæi omnia Deo in manu esse censent: animas immortales ducunt, suntq; iustitiæ studiosissimi. In fanum donaria dum mittunt, ibi sacra non faciunt, propterea quòd lustrationes habent sanctiores: hac de causa communi delubro arcentur, & sacra sua seorsum faciunt. Cæterùm homines sunt optimè morati, & agriculturæ prorsus addicti. Habent bona inter se communia, ita ut diues suis bonis non magis fruatur, quàm qui nihil habet: suntq; supra quatuor hominum millia qui hæc faciunt. nec uxores, nec seruos habent: quòd hoc iniquum, illud iurgiosum arbitrantur: sed separati uiuunt, & alij alijs ministrãt, quæstoresq; suorum prouentuum & terræ frugum creant uiros bonos, sacerdotes, ut uictum habeant. Nullam habẽt seorsum urbem, sed frequentes in singulis urbibus agunt: ac quandocunq; ad eos uenit aliquis eiusdem sectæ, omnia ei tanquam propria patent: intrantq; in eorũ domos quos nunquam uiderunt, perinde ac si cum eis per omnem uitam uersati fuissent. Itaq; in itinere nullum uiaticum ferunt: tantum tela contra latrones gestant. Præter has tres sectas introduxit Iudas ille, de quo locutus sum, Galilæus, unam, hominum qui cætero quin cum Pharisæis sentiũt, sed libertatem sic amãt, ut eam mordicus tueantur, Deum unum pro rectore & domino habentes. Itaq; cruciatus omnes & mala & mortes (ut perspectum est) potius perferunt, quàm ut hominem dominum appellent.

Pharisæi.

Sadducæi.

Essæi.

Iudas Galilæus.

CAPVT III.

Herodes & Philippus tetrarchæ, urbes in honorem Cæsaris ædificant.

QVirinius postquam Archelai pecuniam addixit, & recensioni finem imposuit, Ioazarum (cui cum plebe contentio fuisset) pontificatu abdicauit, eiq; muneri Ananem Sethi filiũ præfecit. Herodes uerò & Philippus in suæ uterq; tetrarchiæ possessionem inuaserunt, & Herodes Sefforim muniuit, & eam totius Galilææ caput fecit. Item urbem quandam nomine Betharamphtha mœnibus cinxit, & Iuliadem in honorem Iuliæ uxoris imperatoris nominauit. Philippus quoq; Paneadem cõstruxit, apud Iordanis fontes positã, eiq; Cæsareæ nomẽ fecit: uicũq; Bethsaidã ad lacum Gennesareth positũ, adeò tum incolis tũ alijs opibus auxit, ut facilè oppidũ æquipararet, eumq; Iuliam à Iuliæ Cæsaris nomine nuncupauit. Coponio Romã reuerso, Marcus Ambibuchus Iudææ prætor fuit: huic successit Annius Ruffus, quo prætore mortuus est Octauius Cæsar, cui successit Tiberius Nero. Post Anniũ Ruffum, quintus fuit Iudææ prætor Valerius Gratus, qui Ananem pontificatu priuauit, & eum Ismaeli Fabis filio tribuit: eundemq; non multo pòst abdicauit, & id munus Eleazaro eiusdem Anconis filio cõmisit: & uno pòst anno, Simoni Cannuthi filio, qui id non plus uno anno tenuerat, cũ ei successit Iosephus Caiaphas. Hoc facto, Gratus Romam se cõtulit, eiq; successit in administratione Iudææ Pontius Pilatus. Herodes uerò tetrarcha, Tiberij summus amicus, urbẽ ædificauit, cui à Tiberio Tiberiadis nomẽ indidit, in media Galilæa, ad lacũ Gennesareth, eamq; cõuenis & Galilæis frequentauit, & nõnullos illic inuitos collocauit, quosdam etiam optimates. Admisit & ibi pauperes undiq; collectos, & nonnullos qui an liberi essent non constabat: ijs magnas facultates & immunitates dedit, ut in oppido degere uellent: eorũ domos suis impensis extruxit, eisq; agros tribuit, quòd sciret habitationem esse Iudaicis legibus moribusq; repugnantem: propterea quòd ad id oppidũ collocandum, sublata fuerant multa, quæ illic erant, sepulchra, cum lex nostra huiusmodi incolas pollutos pronunciet in septem dies.

CAPVT IIII.

Iudæorum aduersus Pilatum seditio. item de Iesu Christo.

PIlatus autẽ Iudææ prætor, exercitum Samaria transtulit Hierosolymã in hyberna: atq; ut Iudaicas leges aboleret, Cæsaris effigiem in militaribus signis depictam, curauit intra urbẽ inferendã, cum lex imagines habere nos uetet: quã ob causam eius decessores prætores soliti erant in urbẽ intrare cũ signis quæ huiusmodi carerẽt imaginib. Sed Pilatus primus, ignorante populo, quippe noctu, intrauit cũ imaginib. Quam rem ubi Iudæorũ populus resciuit, Cæsaream profecti sunt, Pilatumq; per multos dies orarũt ut eas imagines aliò transferre uellet. Ille uerò nõ concedebat, quoniã in ea re Cæsaris honos ageretur: & quoniã illi eum urgere nõ desinebãt, armauit die septimo milites occultè. deinde factũ in circo suggestũ conscendit, quæ res collocatum in insidijs exercitũ tegebat. Cũq; Iudæi eadẽ rursus ab eo flagitarent, signũ militibus dedit, ut eos circũsisterẽt. Iudæisq; præsentem mortẽ minatus est, nisi quieti domũ discederẽt.

Illi uerò humi procumbere, detectisq; ceruicibus dicere se longè mori malle, quàm contrà legum sapientiam committere. Quam rem miratus ille, imagines e uestigiò Hierosolymis Cæsareã referri iussit. Tentauit & aquam deriuare Hierosolymã, idq; sacrarum pecuniarum impensis, petito fontis capite ducentesimo ab urbe stadio. Sed id Iudæis non placebat. coiueruntq; hominum multa millia, qui uociferarentur, ut ab instituto desisteret: nonnullis etiam conuicia & contumelias ei dicentibus. Itaq; ille magnum militum numerum habitu Iudaico, qui occultas sub ueste sicas ferrent, misit in locum unde possent circundare Iudæos: deinde Iudæis ut se inde reciperent, imperauit. Cumq; Iudæi conuicijs eum petere inciperent, signum quod conuenerat, militibus dat: illi uerò longè atrocius, quàm iusserat Pilatus, quietos æquè ac seditiosos cædere: ita compluribus interfectis, alij saucij discessere. Fuit etiam eo tempore Iesus, uir sapiens, si uirum dicere licet. Fuit enim incredibilium operum effector, magister hominum qui uerum cum uoluptate accipiunt: multosq; Iudæos, multos item Græcos ad se pellexit. Christus is fuit. quem cum Pilatus ab hominũ nostrorum primis accusatum, in crucem sustulisset: tamen amare non desierunt, qui prius amauerant. Apparuit enim eis tertio die rediuiuus, diuinis uatibus & hæc, & mille alia de eo miranda effatis. atq; ab eo denominata Christianorum natio, durat ad hunc diem.

Iesus.

Christus.

CONTINVATIONIS HISTORIAE EX IOSEPHO FINIS.

NOVVM TE-
STAMEN-
TVM.

SEBASTIANO CASTA-
lione interprete.

EVANGELIVM
AVTHORE MATTHÆO.

Christi genus.

NVMERATIO
generis IESV
CHRISTI, pro-
gnati Dauide,
prognati Abra-
hamo. Abraha-
mus genuit Isaa
cum. Isaacus Ia-
cobum. Iacobus
Iudam, & eius
fratres. Iudas Pha
rem & Zaram, ex Thamare. Phares Esromū.
Esromus Aramum. Aramus Aminadabum.
B Aminadabus Naassonē. Naasson Salmonem.
Salmon Boozum ex Rachaba. Boozus Obe-
dem ex Rutha. Obed Iessæum. Iessæus Daui-
dem regem. Dauid rex Solomonem, ex ea quæ
fuerat Vriæ. Solomo Roboamum. Roboamus
Abiam. Abias Asam. Asa Iosaphatū. Iosapha-
tus Ioramum. Ioramus Oziam. Ozias Ioatha-
mum. Ioathamus Achazum. Acazus Ezeciā.
Ezecias Manassem. Manasses Amonē. Amon
1 Par. 3. b Iosiam. Iosias Ioacimū. Ioacimus Iechoniam,
& eius fratres, in exilio Babylonico. Post exiliū
Babylonicum, Iechonias genuit Salathielem.
Salathiel Zorobabelē. Zorobabel Abiudem.
Abiud Eliacimum. Eliacimus Azorem. Azor
Sadocum. Sodacus Achimum. Achimus Eliu-
dem. Eliud Eleazarū. Eleazarus Matthanem.
C Matthan Iacobum, Iacobus Iosephum Mariæ
uirū, ex qua natus est IESVS nomine Christus.
Igitur in uniuersum ab Abrahamo ad Dauidē
a Generis gradus. a genera sunt quatuordecim. A Dauide item
ad exilium Babylonicum, quatuordecim. Ab
exilio Babylonico ad Christū, quatuordecim.
Christi natiuitas. Iesu Christi autem natiuitas sic se habet. Cum
esset desponsa mater eius Maria Iosepho, prius
Luc. 1. c quam conuenissent, comperta est uterum ferre
Act. 14. b ex spiritu sancto. Iosephus uerò uir eius, qui
iustus esset, nec in eam uellet exemplum edere,
statuit eam clàm repudiare. Hæc cum haberet
in animo, ecce Domini angelus in somnis ap-
paruit ei, & ita locutus est: Iosephe Dauide pro-
gnate, ne metue asciscere Mariam uxorem tuā.
nam quod in ea genitum est, ex sancto spiritu
est. Pariet autem filium, quem Iesum nomine
uocabis: is enim suos ab ipsorum peccatis uin-
dicabit. Hoc autem totum factum est, ut confie
ret quod à Domino dictum fuerat per uatem
Esai. 7. c ita dicentem: Virgo uentrem latura est, & edi-
tura filium, qui nominabitur Emmanuel: quod
perinde est ac si dicas, Nobiscum Deus. Igitur
experrectus à somno Iosephus, fecit ut ei præ-
ceperat Domini angelus, asciuitque suam coniu-
gem: nec eam cognouit, donec ea peperit fi-
lium suum primogenitum, quem IESVM no-
mine uocauit.

CAPVT II.

IEsu autem Bethlehemæ in Iudæa nato, tem- Magi.
pore regis Herodis, uenerunt ab oriente Ma
gi Hierosolymam, & ubinam esset Iudæorum
natus rex quæsiuerunt. Sese enim eius uidisse
stellam in oriente, itaque eum adoratum uenisse.
quibus auditis turbatus unà cum tota Hieroso-
lyma rex, conuocatis omnibus pontificibus, &
scribis populi, sciscitatus est ab eis, ubinam Chri
stus nasciturus esset. Cui illi respōderunt. Beth-
lehemę Iudææ, sic enim à uate scriptum esse: Et Mich. 5. a
tu Bethlehema Iudææ terra, nequaquam mini- Ioan. 7. f
ma es præfecturarum Iudææ. ex te enim mihi
prodibit dux, qui meum reget Israeliticum po-
pulū. Tunc Herodes clàm uocatis Magis, per-
quisiuit ab eis tempus quo stella apparuisset, e-
osque Bethlehemam dimisit, ita dicens: Ite, & de B
puero diligenter inquirite: ac cum inueneritis,
certiorem me facitote, ut ego quoque ad eum a-
dorandum proficiscar. Igitur illi, audito rege,
profecti sunt: ac tum stella, quam in oriente ui-
derant, eos antecessit, donec uenit stetitque supra
locū ubi puer erat. Illi uisa stella, maximo gau-
dio lætati sunt: & domum ingressi, puerumque
cum eius matre Maria nacti, prociderunt, eūque
adorarunt: & apertis suis capsis, obtulerunt ei Psal. 71. b
munera, aurum, thus, & myrrham. Deinde o-
raculo moniti in somnis, ne ad Herodem reuer
terentur, per aliam uiam se receperūt in patriā.
Digressis illis, Domini angelus Iosepho in so-
mnis apparet: Surge, inquit, & assumpto pue-
ro, eiusque matre, fuge in Aegyptū, & illic esto,
donec ego te moneam. Quæsiturus est enim
puerum Herodes, ad necem. Igitur ille surgit, Fugit Iosephus in Aegyptum.
& unà cum puero, eiusque matre, noctu conces-
sit in Aegyptum, ibique fuit usque ad Herodis obi
tum. ut confieret quod fuerat à Domino dictū
per uatem ita dicentem: Ex Aegypto euocaui Osee 11. a
filium meum. Tūc Herodes, uidens se à Magis Herodes pueros necat.
illusum esse, adeò iratus est, ut miserit interfectū
pueros, quotquot Bethlehemæ, & in toto eius
territorio erant, infra bimatum, pro tempore
quod à magis perquisierat. Tunc accidit id,
quod à Ieremia uate ita dictum fuerat: Audi- Iere. 31. c
tur apud Ramam uox, lamentatio, complora- Iere. 3. g
tioque, & multus questus. Rachel est, suos natos D
deplorans insolabiliter, quia perierunt. Defun-
cto autem Herode, Domini angelus Iosepho
in somnis apparet in Aegypto, & eum sic allo-
quitur: Surge, & unà cum puero, eiusque matre,
proficiscere in Israeliticam terram. mortui sunt Iosephus in terrā Israeliticā redit.
enim, qui pueri uitam petebant. Ita ille surgit,
& assumpto puero, eiusque matre, contendit in

terram Israeliticam. Sed audiens Archelaum in Iudæa Herodi patri suo in regnum successisse, timuit illò ire: & oraculo secundum quietem admonitus, contulit se in agrum Galilæum. iuitq; commoratum in oppidum quoddam Nazaretha dictum: ut id fieret quod à uatibus prædictum erat, Nazaræum uocatum iri.

CAPVT III.

Iohãnes Baptista docet. QVodam autem tempore uenit Iohãnes Baptista, qui in Iudææ solitudine prædicaret, ac diceret: Corrigite uos: instat enim cœleste regnum. Is est enim qui dictus est ab *Luc.3.b* Esaia uate, dicente: Vox clamantis in solitu- *Esa.40.a* dine: Parate uiam Domini, rectas facite semitas eius. Habebat autem Iohannes ex camelinis pilis indumentum, lateribus pelliceo cingulo circundatis. Cibus eius erant locustæ, & mel syluestre. Tunc ad eum proficiscebatur Hierosolyma, *Iohã.3.c* omnisq; Iudæa, & Iordanis ora, ab eoq; baptizabantur in Iordane, confitentes peccata B sua. Cum uidisset autem multos Pharisæorum & Sadducęorum ad suum baptisma uenientes, dixit eis: Progenies uiperina, quis uos summonuit futuram iram fugere? Editæ ergo fructus emendata uita dignos: nè uè animum inducite sic apud uos dicere, Patrem habemus Abrahamum. Dico enim uobis, posse Deum ex his saxis suscitare natos Abrahamo. Iam uerò securis arborũ radici admota est. Itaq; arbor omnis *Mar.1.a* fructum bonum non edens, excindenda est, & *Iohan.1.d* in ignem inijcienda. Ego quidem baptizo uos aqua, ad uitę emẽdationem, sed post me uenit, *Act.1.b* qui quidem adeò me pręstantior est, ut ego non C sim dignus qui eius calciamenta portem. Is uos sancto spiritu et igne baptizabit. Is in manu suũ habens uentilabrum, aream suam expurgabit, frumentumq; suum comportabit in horreum: *Luc.3.d* paleam autem igni cremabit inextincto. Tunc adijt ex Galilæa Iohannem Iesus ad Iordanem, ut ab eo baptizaretur. Sed eum prohibebat Io- *Marc.1.b* hannes, dicẽs: Mihi ut à te baptizer opus est, & *Iohã.1.c* tu uenis ad me? Cui respondens Iesus: Sine modò inquit: sic enim decet nos omni iustitia perfungi. Tunc ille eum sinit. & Iesus simulac baptizatus est, ascendit ab aqua: & ecce apertis ei cœlis, uidit Iohannes Dei spiritum descendentem, quasi columbam, & in eum uenientem. Et ecce uox ex cœlis, dicens: Hic est meus charissimus filius, qui mihi acceptus est.

CAPVT IIII.

TVm Iesus à spiritu subductus est in solitudinem, ut tentaretur à Diabolo. Cumq; *Iesus à diabolo tentatus.* quadraginta dies, & totidem noctes ieiunasset, tandem esurijt. Igitur aggreditur eum tentator: Si Dei filius es, inquit, iube ut hi lapides panes *Luc.4.a* fiant. Cui ita respondit ille: Scriptum est, non so- *Deut.8.a* lo pane uiuere hominem, sed omni uerbo per os Dei prodeunte. Tunc adducit eum Diabolus in sacram urbem, & in templi pinnis constitutũ sic alloquitur: Si Dei filius es, iace te deorsum. *Psal.90.a* Scriptũ est enim: Angelis suis de te mãdabit, ut te manibus tollant, ne pedem ad lapides offendas. At Iesus: Rursum scriptum est (inquit *Deut.6.c* illi) Ne tentato Dominum Deum tuũ. Rursus B adducit eum Diabolus in præaltum montem, eiq; omnia regna mundi, & eorum gloriam ostendit. &: Hæc omnia tibi dabo, inquit, si procubueris, & me adoraueris. Hic Iesus: Abi è conspectu meo, Satana, inquit ei. Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorato, eumq; *Ibidem.* solum colito. Tunc omittit eum Diabolus: & ecce aduenerũt angeli, qui ei ministrarent. Audiens autem Iesus captum esse Iohannem, pe- *Iohã.1.c* tijt Galilęam: & relicta Nazaretha, Capharnaũ profectus, ibi commoratus est (ea est maritima, in finibus Zabulonijs & Nephthalensibus) ut fieret quod erat ab Esaia uate dictum in hunc modum: Zabulonia Nephthalensisq; terra, ma- *Esa.9.a* re uersus, trans Iordanem, Galilæa extraneorum, populus in tenebris degens, uidit lucem C magnam, & manentibus in terræ noctis regione lux orta est. Ex eo cœpit Iesus prædicare, & *Mar.1.c* dicere: Corrigite uos: instat enim cœleste re- *Luc.4.c* gnum. Ambulãs autẽ Iesus apud lacũ Galilææ, *Iesus Simonem & Andream uocat.* cum uidisset fratres duos, Simonẽ cognomine Petrum, & Andream eius germanum, rete iacientes in lacum (erant enim piscatores) dixit eis: Sequimini me, & faciam uos hominũ piscatores. Atq; illi cõtinuò, relictis retibus, eum secuti sunt. Inde progressus uidit alios duos fra- *Itẽ Iacobũ et Iohannẽ.* tres, Iacobum Zebedęi filium, & Iohannem eius fratrem, in naui cum suo patre Zebedæo sarcientes sua retia, eosq; uocauit. atq; illi pro- D tinus relicta naui, patreq; suo, secuti sunt eum. Obibat autem totam Galilæam Iesus, docens in eorum collegijs, & regium publicans Euangelium, omnesq; morbos & langores uulgò sanans. Itaq; tanta eius fama totam Syriam perua- *Iesus ægrotos sanat.* sit, ut afferentur ei quicunque malè affecti diuersis morbis & cruciatibus tenebantur, furiosi, lunatici, membris capti, quos ille sanabat: eumq; secuta est ingens hominum turba à Galilæa, & Decapoli, & Hierosolymis, & Iudæa, & ora transiordanina.

CAPAT V.

VIdens autem tantam hominum multitudinem, conscendit in montem. Cumq; sedisset, adierunt eum eius discipuli, & ille eos huiusmodi oratione docere aggressus est. Beati *Iesus docet.* pauperes animo: nam eorum est cœleste regnũ. *Luc.6.cd* Beati qui lugent: nam ij consolandi sunt. Beati mites: nam ij terram possidebunt. Beati qui esu- *Esa.61.b* riunt sitiuntq; iustitiam: nam ij saturabuntur. Beati misericordes: nam eis tribuetur misericordia. Beati mente puri: nam ij Deum uidebunt. Beati pacifici: nam ij Dei filij uocabuntur. *1.Pet.4.d* Beati qui iustitiæ causa infestantur: nam eorum est cęleste regnum. Beati estis, quandocunq; uobis conuiciabuntur homines, & uos insectabuntur, & in uos omnia maledicta conijcient, E mentientes propter me. Gaudete & lætamini: *Marc.9.g* nã multa uobis in cœlo merces est. sic enim in- *Luc.14.g* sectati sunt uates maiores uestros. Vos estis sal terræ. Quod si sal[a] infatuatum fuerit, quo salietur? *a. sapore & uires amiserit.*

tur: ad nullam rem iam idoneum est, nisi ut foras proijciatur, & ab hominibus conculcetur.

Mar. 4. c *Luc. 8. c, & 11. e*

Vos estis lux mundi. Non potest urbs latere in monte sita: nec accenditur lucerna ut sub modio, sed ut in cãdelabro ponatur: atq; ita omnibus qui domi sunt, illuceat. Sic luceat uestra lux apud homines, ut uestra recte facta uidentes, collaudẽt uestrum patrem, qui est in cœlis. Ne putate uenisse me, ut legẽ aut uates abrogem.

Luc. 16. d.

Non ut abrogem ueni, sed ut perficiam. Hoc enim uobis confirmo, citius periturum cœlum atq; terram, quàm ut unũ i, aut unus apex pereat ex lege, quin fiant omnia. Igitur qui contra uel minimum horum præceptorum fecerit, licet [b] ita doceat homines, tamen [c] minimus numerabitur in regno cœlesti. Qui uerò & præstiterit & docuerit, is magnus numerabitur in regno cœlesti. Hoc enim uobis dico, nisi iustitia Scribis & Pharisæis excellueritis, non estis in cœleste regnũ ingressuri.

C

b. hæc præcepta.

c. Nullo loco habebitur, locum nullum habebit.

Ne occidito. *Exod. 20. c* *Deut. 5. b*

Audiuistis antiquis esse dictum: Ne occidito: quod qui occiderit, eũ teneri iudicio. Ego uerò dico uobis: Quisquis immeritò fratri suo irascitur, tenebitur iudicio: & qui fratẽ suũ balatronem uocauerit, tenebitur consessu: & qui fatuum uocauerit, tenebitur ignis gehennæ.

D

d. Offensũ esse à te, ut Mar. 11.

Itaq; si oblaturus tuum munus ad aram, ibi recordatus fueris tuum fratrem [d] habere quod de te queratur, relinque illic tuum munus ad aram, & prius i, reconciliare tuo fratri, atq; ita demum i oblatum munus tuum. Compone cum aduersario tuo maturè, dum es in uia cum eo, ne te tradat aduersarius iudici, & iudex ministro, atq; ita in custodiam deris, profectò (inquam ego tibi) non exibis inde, quin [e] ultimum solueris quadrantem.

Luc. 12. g

e. Latini dicũt, soluere ad denariũ, hoc est, planè omnia.

Ne adulterato.

Audiuistis antiquis esse dictũ: Ne adulterato. Ego uerò uobis dico, quisquis fœminam sic aspicit, ut eã cõcupiscat, iam eam animo adulterauit. [f] Quòd si tibi uel oculus tuus dexter officit, erue eum, & abijce. Præstat enim tibi, unum membrorum tuorum perdi, quàm totum corpus tuum in gehennam deijci. Etsi tibi uel dextera tua manus officit, amputa eam, & abijce. Præstat enim tibi unum membrorum tuorum perdi, quàm totum corpus tuum in gehennam deijci.

f. Quicquid ad peccandum pellicit, aut impellit, uitãdum & abijciendũ est etiam si sit oculo charius.

E

Deut 24. a

Dictum est item: Qui uxorem suam repudiabit, det ei instrumentum diuortij. Ego uerò uobis dico: qui uxorem suam repudiat (excepta stupri causa) in causa est ut ea adulteret: & qui repudiatam ducit, adulterat.

Leuit. 19. d *Ne peierato.* *Exod. 20. b* *Deu. b*

Rursus audiuistis dictum ueteribus: Ne peierato, sed Domino quæ iuraueris reddito. At ego uobis dico, omnino non esse iurandum: neque per cœlum, quoniam Dei solium est: neq; per terram, quia eius pedum subsellium est: neque per Hierosolyma, quoniam urbs magni regis est: neque per tuum caput iuraueris, quoniam non possis uel unum crinem album nigrũ ue facere: sed esto sermo uester, etiam, etiam: non, non. Quod præter hæc est, id à Malo est.

F

Iacob. 5. c

Lex talionis

Audistis ut dictum sit: Oculum pro oculo, & dentem pro dente: ego uerò uobis dico, non esse resistendum iniuriæ: quin si quis tibi colaphum in dexteram malam impegerit, obuerte ei etiam alteram: & si quis tecum litigare, & tunicam tuam uelit auferre, concede ei etiam togam: & si quis te cogere uelit ad unũ milliare, comitare eum uel duo. A te petẽti dato: & si quis uelit à te mutuari, ne recusato.

Exod. 21. d *Deu. 16. d* *Luc. 6. e* *1. Cor. 6. b*

G

Leuit. 19. d *Proximum tuũ amato.*

Audiuistis dictum: Proximum tuum amato, & inimicũ tuum oderis. At ego uobis dico: Amate inimicos uestros, bene precamini ijs qui uobis imprecantur: benefacite uestris maleuolis, & orate pro lædentibus & insectantibus uos, ut filij sitis uestri patris qui in cœlis est, qui solem suum oriri faciat in malos iuxtà ac bonos, & iustos iniustosq; compluat. Nam si eos amatis qui uos amant, quam mercedem habituri estis? an non uel publicani idem faciunt? Et si uestros duntaxat fratres salutatis, quid egregium facitis? nonne uel publicani similiter faciunt? Eritis igitur perfecti uos, quemadmodum pater uester, qui in cœlis est, perfectus est.

Luc. 6. e

CAPVT VI.

Eleemosyna.

Cauete ne benignitatẽ in hominum conspectu exerceatis, per ostentationẽ: alioqui præmium non estis habituri apud patrem uestrũ, qui in cœlis est. Igitur quandocunq; benignè facis, noli præ te tuba clangere, ut simulatores faciunt in collegijs atq; uicis, ut collaudẽtur ab hominibus. Hoc uobis confirmo, [a] eos habere suam mercedẽ. At te benignè faciente, nesciat tua sinistra quid faciat dextera, ut sit tua liberalitas in occulto: & tuus pater, qui occulta uidet, tibi palàm reddet.

a. Laudari cupiũt: laudantur ab hominibus quæ una eorum merces est.

Supplicatio.

Item cum supplicas, ne esto simulatorum similis, qui cum supplicant amant in collegijs esse, & platearum angiportis, ut sint hominibus conspicui. Hoc uobis cõfirmo, eos habere suam mercedẽ. At tu supplicaturus, ingredere conclaue tuum: & clausa ianua tua, supplica tuo patri in occulto: & pater tuus, occulta uidet, tibi palàm reddet. Supplicantes autem ne garrite, ut extranei, qui se putant loquacitate sua exaudiendos. Ne este igitur eorum similes: scit enim pater uester, quibus egeatis, antequã eũ rogetis. Sic igitur supplicate uos. PATER NOSTER QVI ES IN COELIS, SANCTE COLATVR NOMEN TVVM. VENIAT REGNVM TVVM. FIAT VOLVNTAS TVA, VT IN COELO, SIC ET IN TERRA. VICTVM NOSTRVM ALIMENTARIVM DA NOBIS HODIE. ET REMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, VT ET NOS REMITTIMVS DEBITORIBVS NOSTRIS. NEVE NOS IN TENTATIONEM INDVCITO, SED A MALO TVERE: QVONIAM TVVM EST REGNVM, ET POTENTIA, ET GLORIA, IN SEMPITERNVM, AMEN.

Luc. 11. a

Infra. 13. c.

Matt. 11. e

Si enim remiseritis alijs hominibus sua delicta, remittet & uobis pater uester cœlestis. Sin minus remiseritis alijs sua delicta, ne pater quidẽ uester remittet uestra delicta. Cum autem ieiunatis, ne este tetrici, quales simulatores, qui

Ieiunium.

uultus suos deformant, ut alijs appareat eos ieiunare. Hoc uobis confirmo, eos suum abstulisse præmiū. At tu ieiunans, ungito tibi caput, & uultum lauato, ne perspicuum sit alijs hominibus ieiunare te: sed patri tuo, qui occultus est: & pater tuus, qui occulta cernit, tibi palàm reddet. Ne congerite uobis opes in terris, ubi & ærugo tineæq; corrumpunt, & fures perfodiūt ac furantur. Sed uobis opes in cœlo congerite, ubi nec ærugo aut tineæ corrumpunt, nec fures perfodiunt, aut furantur. Nam ubi uestræ erunt opes, ibidem erit & uester animus. Lucerna corporis est oculus. Quòd si fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuum erit lucidum: sin fuerit oculus tuus nequam, totum corpus tuum erit tenebrosum. Si igitur quod in te lumen est, tenebræ sunt, quantę erunt ipsę tenebræ? Nemo potest duobus seruire dominis, aut enim hunc oderit, illū amabit: aut hunc tuebitur, illum contemnet. Non potestis & Deo seruire & pecuniæ. Hāc ob rem (inquam ego uobis) ne este de uita uestra soliciti, quid esuri bibiturìue: neque de corpore, quid uestituri sitis. b Quasi uerò non & uita quàm alimonia, & corpus pluris sit quàm uestitus. Aspicite uolucres aëreas, ut neque serant, neq; metant, nec in cellas congerant, tamen uester cœlestis pater eas alit. Quasi uerò non uos multo sitis eis præstantiores? Quis autem uestrûm sua solicitudine potest unum cubitum addere suæ staturæ? Item de uestitu quid solicitamini? Discite ut terrestria crescant lilia, neq; laborando, neq; nendo. Atqui hoc uobis dico, ne Solomonem quidem cum omni splendore suo ita uestitum fuisse, ut horum quodlibet. Quòd si terrestrem herbam (quæ hodie est, & cras in clibanum conijcitur) Deus sic uestit, nōn ne multo magis uos, ô parum fidentes. Ne este igitur soliciti, dicentes: Quid edemus? aut quid bibemus, aut quid induemus? Ista enim omnia requirūt extranei. Scit enim uester cœlestis pater, uos istis omnibus egere. Sed quærite primùm regnū iustitiamq; Dei, & ista omnia uobis addētur. Ne este igitur in crastinū soliciti: nam crastinus dies sua curabit: satis est suum cuiq; diei malum.

Opes. — C — *Luc. 12. d* — *Luc. 16. c* — *Solicitudo fugienda.* — b. Qui uitā corpusque (quæ pluris sunt) dedit, ab eo uictū & uestitū (quæ minoris sunt, & illorū causa dantur) nō sperare, est absurdum. — D

CAPVT VII.

NE iudicate, & non iudicabimini, nā quo iudicio iudicabitis, eodē iudicabimini: & qua mensura mensi fueritis, eadē uobis remetietur. Quid aūt festucam cernis in oculo tui fratris, & trabem in oculo tuo non animaduertis? At audebis dicere tuo fratri: Sine, eximam ex oculo tuo festucam, cum sit in oculo tuo trabs, Simulator, exime prius ex oculo tuo trabem, & ita demum cernes ad eximendam ex tui fratris oculo festucam. Ne date rem sacram canibus neue margaritas uestros porcis apponite: ne hi eos pedibus conculcent, illi uersi lacerent uos. Petite, & dabitur uobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & uobis aperietur. Quisquis enim petit, obtinet: & quisquis quærit inuenit: & pulsanti aperitur. Iam quis est uestrûm homo, qui petenti filio suo panem, det lapidem? aut piscem petenti, det anguem? Quòd si uos, qui mali estis, tamen scitis bona dona dare uestris liberis: quanto magis pater uester, qui in cœlis est, dabit bona poscentibus se? Quicquid igitur uultis ut uobis faciāt alij, idem uos etiam eis facite. nam a ea lex est atque uates. Intrate per angustam portam. nam lata est porta, & ampla uia, quæ ducit ad interitum, multiq; sunt qui per eam ingrediuntur: sed angusta porta, & arcta uia est, quæ ducit ad uitam, paucique sunt qui eam inueniant. Cauete autem falsos uates, qui quidem ueniunt ad uos in uestimentis ouium, cum intus sint lupi rapaces. Eos ex suis fructibus cognoscetis. Scilicet colligitur ex spinis uua? aut ex tribulis ficus? Ita omnis arbor bona, fructus bonos edit: tetra autem arbor fructus malos edit. Non potest arbor bona fructus ferre malos: nec arbor tetra fructus ferre bonos. Omnis arbor bonum fructum non ferens, excinditur, & in ignem conijcitur. Igitur ex suis illos fructibus cognoscetis. Non quisquis mihi dicet, Domine, Domine, intrabit in cœleste regnū: sed qui fecerit quod uult meus pater, qui est in cœlis. Multi mihi dicent in illa die: Domine, Domine, nónne tuo nomine uaticinati sumus? &, tuo nomine dęmonia expulimus? &, tuo nomine multa prodigiosè fecimus? quibus ego tum apertè dicam: Nunquam cognoui uos: Facessite à me malefici. Igitur quisquis hæc mea dicta & audit & exequitur, eum ego cum uiro prudenti comparo, qui domum suam in rupe construit: quæ domus delapso imbre, uenientibus fluuijs, spirantibus uentis, & in eam irruentibus, non tamen cadit, quippe fundata in rupe. Quisquis uerò hæc mea dicta audit, nec exequitur, similiter facit, ac si quis stultus homo domum suam in arena construat: quæ domus, delapsa pluuia, uenientibus fluuijs, spirantibúsque uentis, & in eam impingentibus, corruat, & ingentem ruinam det. Postquam hanc orationem finiuit Iesus, stupebat illa hominum turba ad eius doctrinam, quippe cum doceret eos ut potestate præditus, non ut scribæ.

Non iudicandum. — *Rom. 2. a* — *Luc. 6. f* — *Ne sacra canibus.* — B — *Orandus Deus.* — *Iohan. 16. c* — *Iaco. 1. a* — *Tob. 4. c* — *Luc. 13. e* — a. Hoc lex uatesq; docent. Hæc legis uatumq; summa est. — *Intrandum per angustā portam.* — *Cauendi falsi uates.* — C — *Nō qui audiunt legē, sed qui legi parent, beati.* — *Psal. 6. c* — *Luc. 13. f* — D

CAPVT VIII.

DEgressum autem eū de mōte, secuta est ingens hominum turba. Tum uenit leprosus, qui eum ueneratus dixit: Domine, si uis, potes me mundare. Et Iesus illum porrecta manu tetigit, dicens: Volo, mundus esto. Ac statim mundata est illius lepra. Et Iesus: Vide, inquit, ne cui dicas, sed i ostensum te sacerdoti, & munus offer, quod præcepit Moses, a ut esset eis testimonio. Ingressum aūt Iesum Capharnaum, conuenit centurio quidā, & huiusmodi uerbis orauit: Domine, puer meus iacet domi sideratus, grauiterq; cruciatur. Cui Iesus: Ego eum sanatum ibo, inquit. At centurio respondens: Domine, non sum dignus, inquit, cuius tu tectum subeas: sed tantum iube uerbo, & sanabitur puer meus. Nā ego quoq;, qui sub alterius

Iesus leprosum sanat. — *Mar. 1. d* — *Luc. 5. c* — *Leuit. 14. a* — *Iohā. 4. c* — a. Vt commonere testatum esset, sanatos esse à lepra qui obtulisset. — *Centurio Iesū interpellat ob suum puerum sideratum.*

sum

sum potestate, si quem eorum quibus præsum, militum ire iubeo, it: si alium uenire, uenit: si seruum meum aliquid facere, facit. Hoc audito miratus Iesus, ita dixit sequentibus: Hoc uo-
B bis confirmo, me ne in Israelitis quidem tantam inuenisse fidem. Et sanè sic habetote, multos ab oriente & occidente uenturos, qui cum Abrahamo, Isaaco, & Iacobo accumbant in regno cœlesti: cum interea regni in imas eijcientur tenebras, ubi fletus stridorque dentium futurus est. Tum centurionem alloquens Iesus: Abi, inquit, & ut confidisti, sic tibi accidat. Itaque sanatus est illius puer eadem illa hora: reuersusque domum suam centurio eadē illa hora, puerum offendit ualentem. Ingressus autem Iesus domum Petri, uidens eius socrum iacentem, ac febricitantem, eius manum tetigit, atque illam reliquit febris, ea uerò surgere, & eis ministrare. Vbi autem aduesperauit, adducti sunt ei furiosi multi: isque uerbo spiritus eiecit, & omnes malè affectos sanauit, ut fieret, quod fuerat ab Esaia uate dictū his uerbis: Is nostras infirmitates morbosque suscepit atque tulit. Videns autem Iesus ingentē circum sese turbam hominū, iussit L. discipulos G. traijcere. Et aggressus eum quidam Scriba, inquit ei: Magister, sequar te quocunque ibis. Cui Iesus: Vulpes latebras habēt, & aëreæ uolucres nidos: at filius hominis non habet ubi caput reclinet. Alius item eius discipulorum dixit ei: Domine, permitte mihi prius ire sepultū patrem meum. At Iesus: Sequere me (inquit ei) & mortuos sine suos sepelire mortuos. Ingressum autē eum in nauem, secuti sunt eius discipuli: & ecce tanta tēpestas extitit in lacu, ut fluctibus obrueretur nauis. Ipse autem dormiebat. Igitur eum aggressi eius discipuli excitant: Domine, inquiunt, serua nos, perimus. At ille: Cur timidi estis? (inquit eis) ô parum fidentes. Deinde surrexit, & uentos ac lacum increpuit, unde tanta tranquillitas extitit, ut admirati homines ita dicerent: Qualis est hic, ut ei & uenti & lacus obediant? Deinde
D ubi in Gergesenorū agrum traiecit, occurrerūt ei duo furiosi ex monimentis prodeūtes, adeò feri, ut illac transire nemo posset. Atque ij sic tum clamarunt: Quid tibi nobiscum rei est, Iesu Dei fili? Huccine uenisti ante tempus uexatum nos? Cum esset autem procul ab eis numerosus porcorū grex pascentiū, dæmones eum ita rogare: Si nos eijcis, permitte nobis in porcorum gregē immigrare. Quibus ille: Ite, inquit. Atque illi egressi, in porcorum gregem immigrarunt. & ecce ruit uniuersus porcorum grex per præceps in lacum, suntque in aqua mortui. Pastores autem fugerunt: & in oppidum profecti, cùm alia omnia, tum de furiosis nunciarunt. Tum tota ciuitas exijt obuiam Iesu, eoque uiso rogarunt ut à suis finibus discederet.

Iesus Petri socrum sanat, & furiosos. *Luc. 4. f* *Mar. 1. d* — *Esa. 53. d* — *Christus pauperrimus.* *Luc. 9. g* — *Christus sine cunctatione sequendus.* — *Marc. 4. d* *Luc. 8. g* *Iesus tempestatibus imperat.* — *Duos furiosos sanat.* — *Marc. 5. a* *Luc. 8. d*

CAPVT IX.

IGitur nauem ingressus traiecit, & in [a] oppidum suum uenit. Tum ei allatus est iacens in lecto sideratus. Et Iesus, uidens illorum fidem, dixit siderato: Confide nate, remittuntur tibi peccata tua. Hic Scribarum quidam secum cogitare, eum impiè loqui. Quorum cogitationes uidens Iesus, ita dixit: Cur uos prauè cogitatis cum uestris animis? Vtrum enim facilius est dicere: Remittuntur tibi peccata? an dicere: Surge & ambula? Atque ut sciatis potestatē habere filium hominis in terris peccata condonandi: Surge (inquit tum siderato) tolle tuum lectum, & abi domum tuam. Atque ille surrexit, domumque suam discessit. Id quod uidens hominum turba mirata, Deum collaudauit, qui tantam [b] hominibus potestatem dedisset. Illinc digrediens Iesus, conspicatus hominē ad publicanorum mensam sedentem nomine Matthæū, dicit ei: Sequere me. Atque ille surrexit, & cū secutus est. Eo autem [c] domi accumbente, cū frequentes publicani & [d] improbi uenissent, & cū Iesu eiusque discipulis discumberent, Pharisæi id
B uidentes, quæsierunt ex eius discipulis, cur cum publicanis & improbis cibum caperet eorum magister. Quo audito Iesus dixit eis: Non egēt ualentes medico, sed malè affecti. Ite nunc, & discite quid sit: Pietatē malo quàm sacrificium. Non enim ueni uocatū insontes, sed sontes, ad bonam frugē. Tunc Iohannis discipuli eum huiusmodi uerbis aggressi sunt: Cur cum nos & Pharisæi multum ieiunemus, discipuli tui non ieiunāt? Quibus Iesus: Possuntne mœrere qui celebrāt nuptias, quamdiu cum eis sponsus adest? Sed ueniet tempus cum eis sponsus auferetur: tum demum ieiunabunt. Neque uerò quisque adhibet rudis panni pittacium ueteri uestimento: auferret enim id supplementū partem uestis, atque ita deterior ruptura fieret. Neque recondi solet uinū nouum in ueteres utres: alioquin rumperentur utres, & uinum effunderetur, & utres perirent. Sed uinū nouū in recentibus condi-
C tur utribus, atque ita ambo conseruātur. Hæc eo illis loquēte, uenit quidam de magistratu, qui ei honore prēstito ita dixit: Filia mea modò obijt: sed ueni ei impositū manum tuā, & reuiuiscet. Tum Iesus surrexit, & eum secutus est unà cum suis discipulis. Hic quædā mulier, quæ sanguinis profluuio duodecimum annum laborabat, eum aggressa à tergo, eius togæ orā tetigit. Sic enim secum ipsa cogitabat: Si uel eius togā tetigero, salua sum. Iesus autem conuersus, ea uisa dixit: Confide filia, tua te fiducia seruauit. Itaque sanata est mulier eādem illa hora. Vt uenit autem Iesus in ædes illius qui magistratum gerebat, uiditque [e] tibicines & turbam tumultuantē, dixit eis: Discedite, non enim mortua est puella, sed dormit. Illi uerò eum deridere. Deinde eiecta turba, prædendit puellę manum, atque illa surrexit, emanauitque eius rei fama in totam illam regionem. Inde degredientē Iesum secuti sunt duo cæci, clamantes in hunc modū: Miserere nostri Dauidide. Deinde ingressū in ædes
D adieri cæci. Et Iesus: Creditis, inquit eis, posse me istud facere? Etiam Domine, inquiūt. Tunc ille eorū tetigit oculos, dicēs: Vt uestra est fidu-

[a] Capharnaum, ut est in Marco. *Mar. 2. a*

Luc. 5. d *Iohan. 5. a* *Sideratus sanatur.*

[b] Christo homini. *Matthæus uocatur.* [c] scilicet Matthæi. [d] Famosi, infames.

Osee 6. a

Inepta fieri non debent

Luc. 8. b *Mar. 5. b*

Mulier quæ sanguinis profluuio laborabat.

[e] adhibebantur in luctus.

Duo cæci sanati.

cia, ita uobis accidat. Itaque aperti sunt eorum oculi. Comminatus est autem eis Iesus in hunc modum: Videte ne quis hoc resciscat. At illi digressi, eum per totam illam regionem diuulgarunt. Illis autē digredientibus, allatus est ei homo mutus, furiosus, unde eiecto dæmonio locutus est mutus: id quod homines uulgò mirati sunt, negantes unquā talia apud Israelitas fuisse uisa. At Pharisæi dicebant, eum per dæmoniorum principē eijcere dæmonia. Obibat autem Iesus urbes omnes, atq; uicos, docens in eorum conuentibus, & regium euangelium publicās, omnemq; morbum & languorē uulgò sanans. Visa autem hominū multitudine, misertus est eorū, quod palantes errarent tanquam pastore carentes oues. Tum suos discipulos sic alloquitur: Messis quidem multa est, sed operarij pauci. Orate igitur messis Dominum, ut operarios emittat in messem suam.

Marc.13.c. Luc.11.b

Mutus furiosus sanatur.

CAPVT X.

ITaq; aduocatis duodecim discipulis suis, dedit eis contra spiritus impuros potestatem, ut eos expelleret, & omnes morbos omnesq; languores sanarent. Duodecim autē apostolorum nomina sunt hæc. Primus Simon cognomine Petrus, & Andreas eius frater. Iacobus Zebedæi filius, & Iohannes eius frater. Philippus & Bartholomæus. Thomas & Matthæus publicanus. Iacobus Alphæi, & Lebbęus cognominatus Thaddæus. Simon Cananita, & Iudas Iscariota, is qui eū prodidit. Hos duodecim dimisit Iesus, eis ita præcipiens: Ad exteras gentes iter ne habueritis, néue in ullam Samaritanorū urbē intraueritis: sed ite potius ad perditas Israeliticæ domus oues. Euntes autē prædicate, dicentes instare cœleste regnū. Aegros curate, leprosos purgate: suscitate mortuos: dæmonia eijcite, gratis accepistis, gratis date. Ne habete aurum, nec argentum, nec æs in crumenis uestris: néue perā ad iter, néue binas tunicas, néue calceos, néue baculū. Dignus est enim operarius alimento suo. In quamcunq; autem urbem aut uicū intraueritis, exquirite ecquis sit in eo [a] dignitate præditus: atq; [b] illic manete, donec [c] discedatis. Intrantes autē domum, salutate eā, dicentes: Salueat hæc domus, & si quidē erit digna domus, eueniat ei uestra salus. Sin non erit digna, reuertatur ad uos uestra salus. Quòd si quis uos non admiserit, neq; uestra dicta audierit, uos exeūtes ex ea domo, aut urbe, [d] excutite pedum uestrorū puluerem. Hoc à me certò habete, tolerabilius actū iri cum Sodomitanorum Gomorranorumq; [e] gente, in die iudicij, quàm cū illa urbe. En ego uos dimitto tāquam oues inter lupos. Estote ergo & astuti ut serpentes, & synceri ut columbæ. Cauete autē homines: sistent enim uos in concilia, inq; suis collegijs uerberabunt. Quin ad principes quoq; regesq; ducemini propter me, ut eis exterisq; gētibus sitis testimonio. Cum autē sistent uos, nolite curare quomodo aut quid loquamini: suggeretur enim uobis eadē hora, quid loquamini. Non enim uos eritis qui loquemini, sed patris uestri spiritus in uobis loquēs. Tradet autē fratrem frater in mortē, & pater filium, consurgentq; nati in parentes, & eos occident: eritisq; omnibus inuisi, propter nomen meū. Qui autē pertulerit ad extremū, is seruabitur. Cum autē uos insectabūtur in aliqua urbe, fugite in aliā. Hoc uobis confirmo, nō uos antè perlustraueritis urbes Israeliticas, quàm ueniat filius hominis. Non est discipulus supra magistrū, neq; seruus supra dominū suum. Bene agitur cū discipulo, si eâdem cōditione est qua eius magister: & cum seruo, si eâdem qua dominus. Si patrē familiâs Beelzebulem uocarūt, quanto magis eius domesticos? Ne igit eos timueritis. Nihil enim tam tectum est, quod nō sit detegendum: aut tam occultū, quod non sit cognoscendum. Quod uobis in tenebris dico, dicite in luce: & quod in aurē auditis, prædicate in tectis: & ne formidate eos qui corpus interficiunt, sed animam interficere nequeūt. Quin magis eū formidate, qui potest & animā & corpus in gehennam perdere. Cum duo passerculi asse uæneāt, tamē nullus eorū cadit humi sine patre uestro. At uestrûm etiā capilli capitis omnes numerati sunt. Ne formidaueritis igitur: lōgè passeribus antecellitis uos. Quisquis ergo me agnoscet apud homines, eum ego quoq; agnoscam apud patrem meū, qui in cœlis est. Qui uerò me negauerit apud homines, eum ego quoq; negabo apud patrem meū, qui in cœlis est. Nolite arbitrari me uenisse conciliatū pacem in terris: non ueni conciliatū pacem, sed bellū. Veni enim ad dissociandū filium à patre suo, & filiā à matre, & nurū à socru, ita ut homines inimicos habituri sint suos domesticos. Qui patrē aut matrem amat supra me, nō est me dignus: & qui filium aut filiam amat supra me, nō est me dignus: & qui non sumit suam crucē, & me sequitur, non est me dignus. Animā suam qui inuenerit, perdet: & qui animam suam mea causa perdiderit, inueniet. Qui uos accipit, me accipit: & qui me accipit, eum accipit qui me misit. Qui uatē nomine uatis accipit, uatis mercedem accipiet: & qui iustū iusti nomine accipit, iusti mercedem accipiet: & qui horū minimo uel poculum frigidæ bibendum dederit nomine discipuli, scitote eum non frustratum iri mercede sua.

Luc.9.a — *Apostoli mittuntur.* — Mar.3.b — Marc.6.b — Luc.10.b — B — Mich.7.b — C — Iohan.13.b 15.c — Luc.6.f — Mar.4.c — L.8.c.12.b — Mar.8.d — Lu.9.c.12.b — D — Luc.12.f — Lu.14.f.g — Mar.9.f — Luc.10.c — Iohan.13.c

a. grauis & bene audiens
b. apud illū hospitem.
c. scilicet ex urbe, aut uico.
d. Hoc est testantium se nullā uelle sibi esse cū illis cōmunionē.
e. In græco est, terra.

CAPVT XI.

POstquam desiit Iesus suis præcipere duodecim discipulis, digressus est illinc, ut in illorū urbibus doceret ac concionaretur. Iohannes autē, cum audiuisset in uinculis opera Christi, misit suorū discipulorū duos, qui ei ita dicerent: Tune is es qui uēturus est? an alius nobis est expectandus? Quibus Iesus respōdit in hūc modum: Ite renunciatū Iohanni quę auditis & uidetis. Cæci uident, & claudi ambulāt: leprosi purgātur, & surdi audiunt: mortui resurgūt, & pauperes euangeliū docentur: et felix est qui in me nō offenderit. Eis aūt abeuntibus, cœpit Iesus hominū turbę sic de Iohāne dicere: Ad quid spectan-

Luc.7.c — *Iohannes mittit discipulos ad Iesum.*

Iesu testimonium de Iohanne.

spectandum egressi estis in solitudinem? arundinem uento agitatam? Veruntamen ad quid uidendum exijstis? hominē mollibus indutum uestibus? At qui molles gestant, sunt in regum B domibus. Sed ad quē tandem uidendum exijstis? uatem? etiam (inquam uobis) & plusquam uatem. Hic est enim de quo scriptū est: Ego tibi meum nūcium præmissurus sum, qui tibi uiam preparet. Scitote enim nullum in fœminarū natis maiorem extitisse Iohanne Baptista, & tamen [a] qui est in regno cœlesti minimus, maior est eo. A tempore autē Iohannis Baptistæ, hactenus, cœleste regnū expugnatur, idq; rapiūt uiolenti. Omnes enim uates atq; lex ad Iohannem usq; uaticinati sunt: & si eū uultis accipere, is est Elias ille uenturus. Qui aures habet ad audiendum, audiat. Cui uerò comparabo hanc nationē? Perinde est, ac cum uersantes in foro pueri clamāt ad æquales suos in hunc modum: Fistulauimus uobis, neq; saltastis: eiulauimus uobis, neq; planxistis. Venit enim Iohannes, qui neq; comedit neq; bibit, & eum dicunt esse furiosum. Venit filius hominis qui & comedit C & bibit, & eum dicūt hominem esse uoracem, uinosum, publicanorum & improborum amicum: estq; suis aliena sapiētia.

Malac.3.a Mar.1.a

a. Vide Zachar.12.

Luc.16.d

Luc.10.b

Iesus in ciuitates inuehitur.

Deinde cœpit in ciuitates inuehi, quæ cū in eis tot fuissent eius edita miracula, tamen nō redijssent ad frugem. Væ tibi Chorazim, uæ tibi Bethsaidan: nam si Tyri & Sidone edita forent, quæ in uobis edita sunt miracula, iampridem in cētonibus & puluere uitam correxissent. Itaq; sic habetote, cum Tyro & Sidone mitius actum iri in die iudicij, quàm uobiscum. Et tu Capharnaū, quæ ad cœlum usq; elata es, ad inferos depriméris. Nam si D Sodomis eadem, quæ in te, edita fuissent miracula, mansissent ad hodiernum diem. Itaq; scitote tolerabiliorem fore Sodomitanæ nationis conditionē in die iudicij, quàm tuam.

Diuina infantibus nota.

Iohan.8.c

Aliquando Iesus locutus in hūc modū est: Ago tibi gratias pater, cœli terræq; Domine, qui hęc sapientes peritosq; celaueris, & infantibus patefeceris: idq; ô pater, quoniam sic tibi placitum est. Omnia mihi tradita sunt à patre meo, neque quisquam filiū agnoscit, nisi pater: neq; patrem quisquā agnoscit, nisi filius, et cui uoluerit filius patefacere. Venite ad me omnes laborantes & onusti, & ego recreabo uos: subite iugum meū, & à me discite, qui mitis sum, et animo summissus: & inuenietis animis uestris requiē. Meum enim & iugum commodum, & onus leue est.

CAPVT XII.

Discipuli Sabbatho spicas uellunt

Mar.2.d Luc.6.a 1.Re.21.b

QVodam tēpore ibat Iesus Sabbathis per sata: eius autem discipuli cum esurirent, cœperunt spicas uellere atque uesci. Quo uiso, Pharisæi dixerunt ei: En faciunt tui discipuli, quod in Sabbatho facere nō licet. Quibus ille: Non legistis, inquit, quid fecerit Dauid cū aliquando esuriret ipse & eius comites? ut ingressus sit Dei domum, & apposititios panes comederit, quibus nec ei licebat, nec eius comitibus uesci, sed solis sacerdotibus? An non legistis in lege, Sabbathis in fano sacerdotes Sabbathum profanare? & tamen insontes sunt. Atqui scitote, hic maiorem esse fano. Quod si sciretis quid sit, Pietatē malo, quàm sacrificium: nō damnaretis insontes. Est enim Sabbathi quoq; dominus filius hominis.

Osee 6.c

Iesus manū aridam sanat.

Mar.3.a

Inde profectus uenit in eorum collegium, ubi cum homo esset manū habens tabidam, illi ex eo, an Sabbathis sanare liceret, quæsiuerūt, ut eum criminarentur. Quibus ille: Quis homo uestrûm est, inquit, qui si uel unam ouē habeat, quæ Sabbathis in foueā decidat, nō eam prehendat, & attollat? Quantum autē oui præstat homo? Ergo licet Sabba- B this benefacere. Deinde dicit homini: Porrige manum tuā, atq; ille porrexit: eaq; tam sana reddita est, quàm erat altera. Pharisæi uerò egressi, consilium de eo perimendo ceperūt.

Iohā.10.g

Esa.42.a

Quo cognito Iesus illinc discessit, sequēte eum ingenti hominum multitudine: quos oēs sanauit, eisq; interminatus est, ne se palàm facerēt, ut fieret illud ab Esaia uate dictum his uerbis: Ecce meus seruus, quem elegi: dilectus meus, animo meo charissimus. Eum spiritu meo donabo, isq; ius dicet gentibus. Non rixabiť, nec clamabit, nec eius uocem quisquā per plateas audiet: quassatam arundinem nō perfringet, neq; fumigans linū extinguet, eousq; ut ius perducat ad uictoriam, atq; in eius nomine spē gentes habebunt.

Luc.11.b

Furiosus cæcus & mutus sanatur.

Tunc allatus est ei furiosus cęcus & mutus, quē ille sanauit, ita ut cæcus & mutus loqueretur ac uideret. Qua re attonitū omne hominū uulgus sic dictitare: Num hic est Dauidides? Et Pharisęi eis auditis, dicere, eū non nisi per Beelzebulem dæmoniorū principem eijcere dæmonia. Quorū cogitationes intelligens Iesus, dixit eis: Omne regnum ab sese dissidens, desolatur, & omnis ciuitas aut familia secum ipsa dissidens, nō stat. Quòd si Satanas Satanam expellit, ipse sibi aduersatur. Quî fieri potest igitur ut stet eius regnū? Quòd si ego per Beelzebulem eijcio dæmonia, uestri generis homines per quē eijciunt? Itaq; ij erūt uestri iudices. Sin ego per Dei spiritū eijcio dæmonia, sequitur uobis ad- C uenisse diuinum regnū. Quî possit enim quis in alicuius potentis domum ingredi, eiusq; supellectilem diripere, nisi prius potentem illum uinciat, ut tum demum eius diripiat domum? Qui à me non est, contra me est: & qui mecum non congerit, dissipat.

Luc.12.b

Peccatum in spiritum sanctum.

Itaq; sic habetote: omne peccatum ac maledictū ignoscetur hominibus, at maledictum aduersus spiritum non ignoscetur. Et si quis quid dixerit contra filiū hominis, ignoscetur ei: at si quis cōtra sanctum spiritū dixerit, nō ignoscetur ei nec in hoc seculo, nec in futuro. Aut facite arborē bonam, & eius fructū bonū: aut facite arborem tetrā, & eius fructum tetrum. ex fructu enim arbor cognoscitur. Viperina proles, quomodo possetis bene loqui, cum sitis mali?

Luc.6.g

Nam ex animi redundantia loquitur os. Bonus homo ex bono animi promptuario bona depromit: itē malus homo ex malo promptuario mala depromit. Scitote autem,

quod-

quodcunq; malum uerbum locuti fuerint homines, reddituros esse eius rationem in die iudicij. Ex tuis enim dictis absoluêris, & ex tuis dictis damnaberis. Tum Scribarum & Pharisæorum quidam sic locuti sunt: Magister uellemus à te signũ uidere. Quibus ille respondens:

Mar.8.b
Deut.32.c
Ion.2.a
Signum Ionæ.

Praua adulterinaq; natio signum quærit, & signum ei non dabitur, nisi signũ Ionæ uatis. Vt enim fuit Ionas in uentre ceti tres dies, & totidem noctes: sic erit filius hominis in terræ meditullio tres dies & totidem noctes.

Niniuitæ.

Homines Niniuitæ surgent in iudicio cum hac natione, eamq; condemnabunt, quòd ad Ionæ præconium redierint ad frugẽ, cum hic sit plus quiddam quàm Ionas.

D

Austriæ regina.
3.Reg.10.a
2.Par 9.a

Regina Austri surget in iudicio cum hac natione, eamq; cõdemnabit, quòd ab ultimis usq; terris uenerit ad audiendum Solomonis sapientiam, cum hic sit quiddam Solomone præstantius.

Impuri spiritus natura.

Cum autem spiritus impurus ex homine migrauit, peragrat siticulosa loca, requietem quærens: quam ubi non inuenit, statuit domum suam, unde migrauerat, repetere. Postquam eò uenit, ubi eam uacantem, uersam, ornatamq; nanciscitur, uadit ascitũ sibi septem alios spiritus peiores se, eoq; ingressi ibi degunt, fitq; posterior illius hominis conditio priore deterior. Sic erit & huic malæ nationi.

Mar.3.d
Luc.8.c

Adhuc eo uulgus alloquente, aderãt foris eius mater & fratres, eum uolentes alloqui. Et quidam ei ita dixit: Adsunt foris tua mater & fratres, te uolentes alloqui. At illi ei, qui id ei dixerat, ita respõdit: Quæ est mea mater? et qui sunt mei fratres?

Deut.33.a
Christi fratres quinã sint.

Tũ porrecta ad discipulos suos manu, Ecce mea mater, inquit, fratresq; mei. Quisquis enim uoluntatẽ exequitur mei patris, qui est in cœlis, is meus frater, & soror, & mater est.

CAPVT. XIII.

Mar.4.a
Luc.8.a

QVodam autẽ die egressus domo Iesus, sedit apud lacum: tantaq; ad eum conuenit hominũ multitudo, ut ipse conscensa naui sederet, & astante ad littus omni multitudine, eos multis per similitudines alloqueretur in hunc modum:

Satoris exemplum.

Aliquãdo profectus est quidam sator ad serendum: atq; eo serente alia ceciderunt ad uiam, sed uenerũt uolucres, quæ ea comederunt. Alia ceciderũt in saxetum: ubi cum non multum terræ haberent, celeriter exorta sunt, quòd profunda terra carerẽt. Deinde orto sole, æstuantia, defectu radicis aruerũt. Alia ceciderunt in spinas, eaq; crescentibus spinis, suffocata sunt. Alia in bonam terrã delapsa, fru-

B

ctum extulerũt partim cum centesimo, partim cum sexagesimo, partim cũ trigesimo. Qui aures habet ad audiendum, audiat. Tum eum his uerbis conuenerunt eius discipuli: Cur eos per similitudines alloqueris? Quibus ille respondit ita: Quoniam uobis, regni cœlestis arcana nosse datum est: at illis nõ datum est. Qui enim habet, huic dabitur, isq; abundabit: qui uerò non habet, huic etiam quod habet auferetur. Propterea per similitudines eos alloquor, quoniam uidentes non uident, & audientes nõ audiunt, nec intelligunt.

Audientes nõ audiunt.

In eisq; cõprobatur illud Esaiæ oraculum, quod sic habet: Audietis quidẽ, sed non intelligetis: & ita uidebitis, ut non perspiciatis. Obtorpuit enim animus huius populi, & auribus obtuse audiunt, & claudunt oculos, ne & oculis uideant, & auribus audiant, & animo intelligant, redeantq; ad frugem, atque ita ego eis medear. Vestri uerò beati sunt oculi, qui uideãt: & aures quæ audiant. Scitote enim, multos uates & iustos cupijsse uidere quæ cernitis

C

uos, neq; tamen uidisse: & audire quæ auditis uos, nec tamen audiuisse. Vos igitur audite de satore similitudinẽ. Cum quis [a] regium sermonem audit, nec intelligit, superuenit [b] Malus, qui satum in eius animo rapit. Hic est qui secũdum uiam [c] satus est.

a Euangelium.
b Diabolus.
c semen accepit

Qui autem in saxetum satus est, is est qui sermonẽ audiens, protinus accipit cum lætitia: sed radicem in sese non habet, estq; temporarius: ac exorta propter sermonẽ calamitate ac uexatione, statim desciscit. Qui autem in spinas satus est, is est qui sermonẽ audit, quem sermonem huius uitæ solicitudo, & diuitiarũ fraus ita suffocat, ut sit infructuosus. Qui uerò in terram bonã satus est, is est qui sermonem, & audit & intelligit, qui sanè fructum fert: redditq; alius centuplum, alius sexagecuplum, alius trigecuplũ. Aliam similitudinẽ eis proposuit his uerbis: Similiter accidit in [d] cœlesti regno, ut in homine qui bonum semen seuit in fundo suo, sed dormientibus hominibus, iuit eius inimicus satum malas herbas inter frumentum, ac discessit.

d Euangelij doctrina.

D

Deinde ubi germinauit herba, ediditq; fructũ, tunc apparuerunt etiam malæ herbæ. Igitur serui patremfamiliâs sic cõuenerunt: Here, nónne bonum semen in fundo tuo seminasti? unde igitur habet malas herbas?

Zizania.

Quibus ille: Inimicus homo id fecit, inquit. Et serui: Vis igitur ut eas lectum eamus? Non (inquit ille) ne fortè legentes malas herbas, frumentum unà cum eis eradicetis. Sinite ambo crescere usq; ad messem. Messis tempore mãdabo messoribus, ut primùm malas herbas legant, & in manipulos colligant comburẽdas: frumentum autem in meum comportent horreum. Aliam similitudinem illis proposuit his uerbis: Simile est cœleste regnũ grano sinapis, quod capit homo, & in fundo suo serit:

Sinapi.
Luc.13.d

quod cum uel minimum sit omnium seminum, ubi adoleuit, est olerum maximũ, arborescitq;, ita ut in eius ramis nidificatum ueniant aëreæ uolucres. Aliam similitudinem locutus est eis: Simile est cœleste regnum fermento, quod capit mulier & in farinæ sata tria abdit, donec tota fermẽtentur.

Psal.77.a
Fermentũ.

E

Hæc omnia plebi elocutus est Iesus per similitudines, nec eos sine similitudine alloquebatur, ut fieret quod ab Esaia uate prædictum fuerat his uerbis: Aperiam in similitudines os meũ, effabor quæ ab orbe condito abdita sunt. Deinde relicta hominum multitudine, uenit domum Iesus, quem sui discipuli conuenerunt huiusmodi uerbis: Edissere nobis similitudinẽ de fundi malis herbis. Quibus ille respondit

Zizania explicatur.

respondit in hūc modum: Qui bonū semen serit, e filius hominis est. Fundus est mundus. Bonum semen, regij sunt. Malæ herbæ sunt f Mali filij, Inimicus, earum sator, est Diabolus. Messis est finis ęui: messores angeli sunt. Vt igitur colliguntur herbæ malæ, & igni cremantur, sic erit in huius æui fine. Mittet filius hominis suos an- F gelos, qui ex eius regno g omnia detrimēta maleficosq; colligent, & in ignis fornacē conijciēt, ubi ploratus erit, dentiumq; stridor. Tunc iusti solis ritu relucebunt in regno sui patris. Qui habet aures ad audiendum, audiat. Item simile est cœleste regnū abdito thesauro in agro, quē nactus aliquis homo occulit, & præ lætitia it uenditum suas omnes facultates, eumq; fundum emit. Item perinde est cœleste regnum, ac si quis mercator homo bonos quærat uniones, & unū nactus preciosum unionem, eat uenditum suas omnes facultates, eumq; comparet. Item simile est cœleste regnum, iacto in mare euerriculo, et cuiusq; modi res colligēti, quod repletum subducunt in littus, & sedentes quæ bona sunt congerunt in uasa, mala autem forās iaciūt. Sic erit in æui fine. Prodibunt angeli, qui malos separa- G bunt à iustis, & in ignis fornacē conijcient, ubi ploratus erit stridorq; dentium. Intelligitis hæc omnia? inquit eis Iesus. Etiam Domine, inquiunt illi. Et ille: itaq; (inquit eis) omnis eruditus, regni cœlestis res edoctus, similis est homini patrisfamiliâs, qui ex promptuario suo & recentia depromit & uetera. Postquam finem fecit Iesus his similitudinibus, discessit illinc, & in suam patriam profectus, docebat conterraneos suos in eorū collegio, ita ut attoniti sic diceret: Vnde huic ea sapientia atq; uires? Nōnne hic est fabri filius? nōnue eius mater ea est quæ Maria uocatur? eiusq; fratres Iacobus, & Ioses, & Simō, & Iudas, & eius sorores nōnne sunt omnes apud nos? Vnde igitur huic hæc omnia? Itaq; in eo offendebantur. At Iesus: Non est (inquit illis) uates inglorius, nisi in sua patria atq; domo. Itaq; non multa illic edidit miracula, propter eorum incredulitatem.

e. Ego. — *f. Diaboli filij.* — *Apoc.14.b* — *g. Improbos, alijs detrimentosos.* — *Abditus thesaurus.* — *Vnio.* — *Euerriculum.* — *Mar.6.a* — *Luc.4.d. et 10.d* — *Nota uilescunt.* — *Iohan.4.f*

CAPVT XIIII.

Mar.6.b — *De Iohannis Baptistæ morte.*

PEr id tempus audiēs Herodes, quartæ partis rex, quæ de Iesu dicebantur, dixit suis, eum esse Iohannem Baptistam, qui reuixisset, ideoq; eam miraculorū efficaciā haberet. Ceperat enim Iohannem Herodes, & uinctum dederat in custodiam, propter Herodiadē Philippi sui fratris uxorē, quod Herodi dixisset Iohannes, ei nō licere eam habere. Cumq; uellet eum occidere, metuebat uulgus, quòd illum pro uate habebant. Celebrandis autē Herodis natalibus, saltauit Herodiadis filia in medio: adeoq; placuit Herodi, ut ei cum iureiurando promitteret daturum esse, quicquid ea postulasset. Illa uerò subornata à matre sua, dixit: Da mihi hic in patina caput Iohannis Baptistę. Doluit rex: sed propter iusiurandum, & conuiuas, iussit ei dari: misitq; decollatum Iohannem in carcere, B allatumq; est eius caput in patina, & puellæ traditum, quæ id matri suæ tulit. Eius autem discipuli eius corpus sublatum ierunt, ac sepeliuerunt, & rem Iesu nunciatum ierūt. Eo audito Iesus discessit illinc, in naui, in desertum locū, seorsum: quo audito, secutum est eum pedibus uulgus hominum ex urbibus. Et Iesus egressus, animaduertēs tantam hominū multitudinem, misertus est eorū, sanauitq; eorū ægrotos. Sub uesperā autem aggressi sunt eum eius discipuli huiusmodi uerbis: Desertus est locus, & hora iam præterijt: dimitte hanc hominū turbam, ut in uicos eant emptū sibi cibaria. Quibus Iesus: Non est opus ut abeant, inquit: prębete uos eis quod comedant. At illi: Non habemus hic nisi quinque panes, & duos pisces. Et ille: Afferte huc, inquit, eos mihi. Deinde iussa hominum multitudine per gramina discumbere, sumptis quinq; panibus, duobusq; piscibus, in cœlū intuens, laudes egit: fractosq; panes tradidit discipulis, discipuli porrò multitudini: atq; illi come- C derunt omnes ad satietatem, sublataq; sunt reliquiarum fragmentorum duodecim canistra plena. Qui comederunt autē, erant uirorū circiter quinq; millia: pręter fœminas & paruulos. Deinde statim coegit Iesus suos discipulos nauim conscendere, & ante se traijcere, dum ipse hominum multitudinē dimittit. Multitudine dimissa, mōtem conscendit seorsum, precādi gratia. Vespere autem cū solus illic esset, iam nauis erat in medio lacu, & fluctibus uexabatur: quippe contrario uento. Quarta autē noctis uigilia, uenit ad eos Iesus, per lacum ambulans. Quem in lacu ambulantē conspicati eius discipuli, turbati sunt, spectrum esse dicentes, & præ timore exclamarunt. Hic protinus eos alloquens Iesus: Bono este animo, inquit, ego sum, ne metuite. Et Petrus respondens: Domine, inquit, si tu es, iube me ad te uenire per aquam. Et ille: Veni. Tum degressus de naui Petrus, ingreditur per D aquam, ut Iesum addiret. Sed uentum cernens uehemētem, timuit, & summergi incipiens, sic exclamauit: Domine serua me. Tum Iesus continuò porrecta manu eum prehendit, & O parum fidens, inquit ei, cur dubitasti? Deinde eis nauem ingressis, placatus est uentus. Qui uerò erant in naui, ei honorem præbitum uenerunt, dicentes: Verè Dei filius es. Ita traiecto lacu uenerunt in Gennezarethanū agrum. Eo cognito, incolæ significarunt per omnem finitimā regionem, ut ei adducerentur quibuscunq; malè erat, eumq; orabant ut uel eius togæ laciniam tangerent: ac quotquot tetigerunt, sanati sunt.

Iesus Panes multiplicat. — *Discipuli tempestate afflictatur.* — *Luc.5.d*

CAPVT XV.

Mar.7.b

TVm Hierosolymitani Scribæ & Pharisæi Iesum his uerbis couēniunt: Cur faciūt tui discipuli cōtra ueterum institutum? quippe qui non lauēt manus, cum cibum capiunt. Quibus ille respondit in hunc modum: Cur & uos instituto uestro cōtra Dei præceptum facitis? Deus enim sic præcepit: Honora patrē atq; matrē: & qui patri matriue maledixerit: morte plectatur: At uos dicitis, si quis suo patri matriue dixerit, sua do-

Exod.20.b — *Deut.5.b*

sua donaria illi profutura, nihil opus esse ut patrem matrémue honoret. Atq; ita uestro instituto Dei præceptũ rescidistis. Simulatores: re- *Esa.29.d* ctè uaticinatus est de uobis Esaias, dicens: Hic populus me et ore accedit, et labijs honorat, sed eorũ animus procul abest à me. Frustra autem me uenerantur, humanorum præceptorum doctrinam docẽtes. Deinde aduocata hominum multitudine: Audite (inquit eis) & intelligite.

B Non quod in os intrat, coinquinat hominem, *Quod in os intrat, non coinquinat.* sed quod ex ore prodit, id coinquinat hominẽ. Tunc eum aggressi eius discipuli, dixerunt ei: Ecquid scis Pharisęos, audito isto dicto, esse offensos? At ille respondens: Omnis planta, inquit, quam meus cœlestis pater non plantauit, extirpabitur. Sinite eos: duces sunt cæci cæco- *Luc.6.f* rum. Cæcus autem cæcum si ducat, ambo in foueam cadent. Hic Petrus eum allocutus est in hunc modum: Explica nobis istam similitudinem. Et Iesus: Adeóne etiam uos tardi estis? in- *Marc.7.c* quit, an nondum intelligitis, quicquid in os intrat, id in uentrem ferri, & in latrinam eijci? At quæ ex ore egrediuntur, ex animo prodeunt, atq; ea polluunt hominẽ. Ex animo enim prodeunt malæ cogitationes, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, maledicta: hæc sunt quę polluunt hominẽ. Sed illotis manibus cibũ capere, non polluit hominem. Inde profectus Iesus, contulit se in Tyrios Sidoniosq; tractus.

Mulier Chananæa. Et ecce mulier Chananæa, ab illis profecta finibus, clamabat ad eum his uerbis: Miserere mei

C Domine Dauidide: filia mea malè furiata est. Sed cum ille nihil ei respondisset, aggressi eum *Luc.19.b* eius discipuli sic rogare: Absolue eam, clamat enim ponè nos. At ille respondens: Non sum missus, inquit, nisi ad oues perditas Israeliticæ domus. Cumq; illa uenisset, & ei præbens honorem diceret: Domine, succurre mihi: ille sic respondit: Non conuenit sumere liberorum panem, & obijcere catellis. Et illa: Ita est, Domine, & tamen catelli quoq; comedunt de micis, quæ decidunt de mensa dominorum suorum. Tum Iesus respondens: O mulier, inquit ei, magna est tua fiducia: obtineto quod uis. Ita sana- *Marc.8.a* ta est eius filia eadem illa hora. Illinc digressus Iesus uenit ad lacũ Galilææ, & conscenso monte consedit ibi, ad eumq; uenit ingens hominũ multitudo, qui secum habebãt claudos, cæcos, mutos, mutilos, & alios multos, quos ad Iesu pedes abiecerũt: atq; ille eos sanauit, ita ut uulgò, uidentes mutos loquentes, mutilos sanos, claudos ambulantes, cæcos uidentes, mirarentur, Israelitarumq; Deum collaudarent. Iesus autẽ,

D aduocatis discipulis suis, dixit: Miseret me huius hominum multitudinis, qui iam triduum apud me hęrentes, non habent quod comedant: & eos dimittere ieiunos nolo, ne desethiscãtur *Panes & pisces iterum multiplicantur.* in uia. Cui discipuli: Vnde nobis in solitudine tot panes, inquiunt, ut satietur tãta multitudo? Et Iesus: Quot panes habetis? inquit eis. Septẽ, inquiunt: & paucos pisciculos. Tum ille iussit multitudinem humi discumbere: sumptosq; septẽ panes, & pisces, actis laudibus, fregit, suisq; discipulis tradidit, & discipuli multitudini, omnesq; comederunt ad satietatem, suntq; sublatæ fruſtorũ reliquiæ plenis septem sportis. Qui comederunt autem, erant uirorũ quatuor millia, præter fœminas & pueros. Deinde dimissa hominum multitudine, conscensa naui, uenit in fines Magdalanos.

CAPVT XVI.

TVm eum aggressi Pharisæi & Sadducæi, *Pharisæi signum quærunt.* tentandi gratia rogant, ut sibi signum de cœlo ostendat. Quibus ille respõdens: Sub uesperum, inquit, dicitis: Serenũ erit, rubet enim *Marc.8.b Ioan.6.d Ioan.2.d* cœlum. Et manè: Hodie tẽpestas erit, nam triste rubet cœlum. Simulatores, cœli faciem scitis dignoscere: temporum signa non potestis? Praua adulterinaq; natio signũ quærit, nec ullum ei signum dabitur, nisi signum Ionæ uatis. Deinde relictis illis discessit. Cum traiecissent autẽ eius discipuli, obliti fuerant panes sumere. Et Iesus dixit eis: Videte ut Pharisæorum Sad- *Cauendum Pharisæorũ fermentum.* ducęorumq; fermentum caueatis. Illi uerò secum ipsi cogitabant, illud eò pertinere, quòd *Luc.12.a* non sumpsissent panes. Id quod intelligens Ie- B sus, dixit eis: Quid apud uos cogitatis, parum fidentes? non sumpsisse panes? An nondum intelligitis, neq; meministis quinq; panes illorum quinque millium? & quod canistra receperitis? Neq; septem panes quatuor milliũ, & quot receperitis sportas? Qui fit ut nõ intelligatis, non me uobis de pane dixisse, cauendum esse fermentum Pharisaicum ac Sadducaicum? Tunc illi intellexerunt, non eum hoc dixisse, cauendum esse panis fermentum, sed Pharisæorum Sadducęorumq; doctrinam. Cum uenisset autem Iesus in tractum Cæsareæ Philippi, inter- *Luc.9.c* rogauit suos discipulos his uerbis: Quem me *Quem me dicunt homines esse.* dicunt homines esse, me filium hominis? Cui illi: Hi Ioannem Baptistam, illi Eliam, alij Iere- C miam, aut uatum aliquẽ. Et ille: Vos uerò (inquit eis) quem me esse dicitis? *Ioan.6.g* Cui Simon Petrus ita respondit: Tu es Christus Dei uiuentis filius. Et Iesus ei respondens: Beatus es, inquit, Simon [a] Ionaide, quoniam non patefecit istud tibi [b] caro & sanguis, sed pater meus qui in cœlis est. Ego quoque tibi dico: Tu es Petrus, & in hac petra construam meam ecclesiam, quã Orci portæ non superabunt: tibiq; cœlestis regni claues dabo, ac quicquid in terra ligaueris, erit ligatum in cœlis: & quicquid in terra solueris, erit solutum in cœlis. Tunc præcepit suis discipulis, ut nemini dicerent se esse Iesum Christũ. Deinceps cœpit Iesus demonstrare suis discipulis, sibi eundum esse Hierosolymam, & multa à senatoribus & pontificibus scribisq; patienda, seq; occidendum, & tertio die reuicturum. Hic Petrus eum prehensum cœpit obiurgare, dicẽs: Parce tibi, Domine, non accidet istud tibi. At D ille uersus: Abi [c] ponè me, Satana, inquit Petro: *Abi ponè me Satana.* impedimento mihi es. quippe qui non diuina, sed humana sapias. Deinde dixit Iesus discipu- *Luc.17.g. & 19.c* lis suis: Si quis me uult sequi, renũciet ipse sibi, tollatq;

a. Alibi dicitur Iohànides.
b. homo.
c. ex cõspectu meo.

tollatq́ crucem suam, & me sequatur. Nam qui animā suam seruare uoluerit, eam perdet: qui uerò animam suam mea causa perdiderit, eam inueniet. Quid enim proderit homini, si uel totum mundum lucretur, & animæ suæ iacturam faciat? aut quid dabit homo, quo animam suam æquiparet? Est enim uenturus filius hominis in sui patris gloria, cum suis angelis: ac tū pro suis quemq́ factis remunerabitur. Hoc uobis certò dico, esse quosdam eorum qui hic adsunt, qui non prius mortem gustabunt, quàm uideant filium hominis uenientem in regno suo,

Omnia Christo postponenda.

Rom. 2. a

CAPVT XVII.

POst sex autem dies adhibet Iesus Petrum, & Iacobum, eiusq́ fratrem Iohannem, & in arduum montem seducit, ac coram eis transfiguratus est, eiusq́ & facies solis modo resplenduit, & uestimenta tam cādida facta sunt, quàm est lux. Et ecce cōspecti sunt eis Moses & Elias cum eo colloquentes. Tum Petrus Iesum alloquens: Domine, inquit, bonum est hîc esse nos, Si uis, faciamus hîc tria tabernacula: tibi unum, Mosi unum, & Eliæ unum. Adhuc eo loquēte, ecce lucida nubes illos obumbrauit, & ex nube uox extitit, ita dicēs: Hic est meus charissimus filius, qui mihi acceptus est: hūc audite. Hoc audito, magnopere territi discipuli, cecidere proni. At Iesus eos aggressus, tetigit. Surgite, inquit, néue metuite. Tum illi sublatis oculis neminem uiderunt, nisi solum Iesum. Descendentibus autem eis de monte, pręcepit Iesus, ne cui uisum illud diceret, donec filius hominis à mortuis resurrexisset. Tunc discipuli sic eum interrogant: quid ergo dicunt Scribæ, Eliam oportere uenire prius? Quibus respondens Iesus: Venturus est quidem prius Elias, & instauraturus omnia. Sed scitote Eliam iam uenisse, quem illi non agnouerunt, sed ei quę uoluere fecerūt Sic & filius hominis ab eis passurus est. Tūc intellexerunt discipuli, eum id sibi de Iohāne Baptista dixisse. Vt autem peruenerunt ad hominum multitudinem: aggressus eum quidam homo, congenulans sic dixit: Domine miserere mei filij, qui lunaticus est, & male habet. Nam sæpe in ignem, sępe cadit in aquam. Et quidem eum tuis discipulis adduxi: sed eum non potuerunt sanare. Et Iesus respondens: O incredula, inquit, prauaq́ natio: quousq́ uobiscum ero? quousq́ uos ferā? Adducite huc eū mihi. Dein de illum increpuit Iesus, exijtq́ ex eo dæmonium, & sanatus est puer eadem illa hora. Tum aggressi Iesum discipuli seorsum, quæsiuerunt cur ipsi non potuissent illud expellere. Propter incredulitatem uestrā, inquit eis. Hoc enim uobis confirmo, si tantū fidei habueritis, quantum est granū sinapis, si dixeritis huic monti, Migra istinc illuc, migrabit: nihilq́ non poteritis. Cæterùm hoc genus nō exit nisi per preces & ieiunium. Versantibus autē eis in Galilæa, dixit eis Iesus: Tradendus est filius hominis in hominū manus, qui eū interficient, isq́ tertio die resurget. Id illis ualde doluit. Cum uenissent autem

Iesus transfiguratur. Mar. 9. a Luc. 9. d

B (margin)

Elias.

C (margin)

Lunaticus.

Luc. 17. b

D (margin)

Capharnaum, huiusmodi uerbis adorti sunt Petrū, qui didrachma exigebant. Non pendit magister uester didrachma? Etiam, inquit ille. Deinde ubi domum ingressus est, præuenit eum Iesus his uerbis. Quid tibi uidetur, Simon? reges orbis à quibus tributa aut censum exigunt? à suisne, an ab alienis? Ab alienis, inquit ei Petrus. Et Iesus: Ergo sui sunt liberi, inquit ei. Sed ne eos offendamus, i ad lacum, & hamum iacito: & qui primus extrahatur piscis, eum tollito, & aperto eius ore [b] staterem inuenies: eum capito, & illis pro me teq́ dato.

D *idrachma.*

b. Valebat drachmas quatuor

CAPVT XVIII.

ILla hora discipuli Iesum conuenerunt, quærentes quis futurus esset in regno cœlesti maximus. Et Iesus aduocatum puerum collocauit inter eos, &: Hoc uobis, inquit, confirmo, nisi mutati fueritis, & pueris similes redditi, non intrabitis in cœleste regnum. Quisquis ergo seipsum summiserit, ut est hic puer, is erit in regno cœlesti maximus. Et quisquis huiusmodi puerum meo nomine accipit, me accipit. Quisquis uerò uel minimum horum mihi fidem habentiū offenderit, præstaret, ei suspensa de eius collo asinaria mola, in maris equor demergi. Sunt quidem calamitosæ mundo offensiones, tametsi offensiones accidere necesse est: sed uæ homini per quem accidit offensio. Quòd si te tua manus aut pes offendit, abscinde eum, & abijce. Satius est tibi claudum aut mancum in uitam ingredi, quàm duas manus aut pedes habentem in sempiternum ignem conijci. Et si te tuus oculus offendit, erue eum, & abijce: satius est tibi unoculum in uitam ingredi, quàm duos oculos habentem, in ignis gehennam conijci. Videte ne uel minimum horum contemnatis. Scitote enim eorum angelos in cœlis semper aspicere faciem patris mei, qui in cœlis est. Venit enim filius hominis seruatum perdita. Quid uobis uidetur? Si cui homini centum sint oues, & earum una deerrauerit, nónne relictis nonaginta nouem in montibus, it quæsitum errantem? & si eam inuenire contigerit, hoc uobis pro certo dico, eū illa magis gaudere, quàm nonogintanouem non palatis. Sic uoluntatis non est uestri patris, qui est in cœlis, ut pereat uel minimus horum. Quòd si in te peccauerit frater tuus, i reprehēsum eum, ita ut tecum ipse solus adsit. Si te audiuerit, lucratus es fratrem tuum. Sin minus audiuerit, adhibe unà tecū insuper unū aut alterum, ut ex ore duorū triúmue testium de re omni statuatur. Quòd si eos non audierit, dicito ecclesiæ. Quòd si ne ecclesiam quidem audierit, esto tibi perinde ac extraneus & publicanus. Sic certò habetote, quæcunque in terra ligaueritis, ligata fore in cœlo: & quæcunq́ in terra solueritis, in cœlo soluta fore. Itē certò scitote, si duo uestrûm in terra consenserint, quamcunque rem petierint, impetraturos à patre meo, qui in cœlis est. Vbi sunt enim duo trésue meo nomine congregati, illic ego sum inter eos. Tunc aggressus eum Petrus: Domine,

Quis in regno cœleste maximus. Mar. 9. e Luc. 9. e

Quicquid ad cœleste regnum impedit, abijciendum.

B (margin)

Peccati danda uenia. Eccl. 19. b 2. Cor. 13. a

C (margin)

Ioan. 20. f

mine, inquit, quoties peccanti in me fratri meo ignoscere debeo? ad septiés ne? Cui Iesus: Non dicam tibi ad septies, sed ad septuagies septies. Itaq; similiter accidit in regno cœlesti, ac in homine rege, qui uoluit rationes cōferre cum suis seruis. Cum cœpisset autem conferre, adductus est ei quidam decies mille talentorum debitor, qui cum soluendo nō esset, iussit eum dominus eius, uxoremq; & liberos, & omnes eius facultates uendi, atq; ita solui. Sed seruus procubuit, & ei præbens honorē, dixit: Domine, expecta me diutius, & omnia tibi soluam. Ita illius serui

D

misertus dominus, eum dimisit, eiq; debitum condonauit. At seruus ille digressus, quendam nactus cōseruorum suorum, qui debebat ei centum denarios, comprehendit, & ei collum obtorquet: Solue mihi, inquit, quod debes. Cùmq; eius conseruus procubuisset, & eum oraret, ut se diutius expectaret, sese ei omnia soluturum: noluit, sed eum in custodiam datum iuit, donec soluisset debitum. Quam rem uidentes eius cōserui, ægerrimè tulerunt, dominoq; suo rem omnem declaratū iuerunt. Tunc eum dominus eius accersitum sic alloquitur: Serue nequam, ego tibi totum nomen illud, rogatus à te, condonaui: nónne debebas tu uicissim tui conserui misereri, ut & ego tui misertus eram? Ita iratus eius dominus, tradidit eum tortoribus, donec soluisset quicquid sibi debebatur. Sic meus quoq; celestis pater uobis faciet, nisi alij alijs ex animo delicta condonaueritis.

Mat. 11.d

CAPVT XIX.

Ibidē 10.a

POstquam hanc orationem finiuit Iesus, ex Galilęa profectus uenit in Iudææ fines trās Iordanem, eumq; secuta est ingens hominum multitudo, quos illic sanauit. Pharisæi uerò eū, tentandi gratia, conuenerunt, quærentes an liceret uiro uxorem suam qualibet de causa repudiare. Quibus ille respondit in hunc modum: Non legistis, qui principio fecit L. hominem, G. eos marem & fœminam fecisse, atq; ita pronūciatum esse: Propterea relinquet uir patrem atq; matrem, & adhærebit uxori suæ, fietq; ex duobus una caro. Itaq; non iam sunt duo, sed una caro. Proinde quod Deus coniunxit, homo ne disiungat. Et illi: Cur ergo præcepit Moses diuortij tabulam dari, uxoremq; repudiari? Quibus ille: Moses utique propter uestram peruicaciam uobis uxores uestras repudiare permisit. Verùm principiò non erat ita factitatum.

De repudio.
Genes. 1.d
Ephes. 5.g
1. Cor. 6.a

B

Atque hoc scitote, quisquis uxorem suam repudiauerit (nisi ob stuprum) & aliam duxerit, eum adulterare: & qui repudiatam duxerit, eum adulterare. Hic discipuli: Si ea est (inquiūt ei) uiri cum uxore conditio, non expedit connubia coniungere. Quibus ille: Non omnes a hanc rem præstare possunt: sed quibus datum est. Sunt enim quidam castrati, qui sic ab utero matris nati sunt. Sunt & castrati, qui ab hominibus castrati sunt: item sunt castrati, qui b seipsos propter regnum cœleste castrarūt. Qui præstare potest, præstato. Tunc adducti sunt ei

Repudij una causa adulterium.
Luc. 16.e
a. Cœlibes manere.
Castrati.
Luc. 18.d
b. Nō plus rei habent cum fœminis, quàm si castrati essent.

pueri, ut manus eis imponeret, & oraret. Ac discipulis illos obiurgantibus, Iesus ita dixit: Sinite pueros, nec eos ad me uenire prohibete. Nā talium est cœleste regnū. Deinde cum illis manus imposuisset, digressus est illinc. Tunc quidam eum conuenit his uerbis: Magister bone, quid boni faciam, ut uitam adipiscar æternam? Cui ille: Quid me dicis bonum? Nullus est bonus, nisi unus Deus. Quòd si uis in uitā ingredi, exequere præcepta. Quæ nam? inquit ille.

Solus deus bonus.

C

Et Iesus: Illa inquit: Ne occidito: Ne adulterato: Ne furator: Falsum testimonium ne dicito: Honora patrē atq; matrem: &, Alterum ut teipsum diligito. Et adolescēs: Omnia ista (inquit ei) executus sum à pueritia. Quid mihi restat? Et Iesus: Si uis esse perfectus (inquit ei) i uenditum facultates tuas, inq; pauperes erogato, habiturus in cœlo thesaurū: deinde adesto, & me sequere. His uerbis auditis adolescens abijt, dolens: quippe qui multas facultates haberet. At Iesus suos discipulos alloquens: Hoc uobis, inquit, confirmo, diuitē difficulter in cœleste regnum ingredi. Iterumq; hoc uobis dico, facilius esse rudentem per foramē acus traijci, quàm diuitem in Dei regnum intrare. Hoc audito, admodum stupefacti eius discipuli, dicere: Quis

Luc. 12.d et 18.d
Diues ægrè seruatur.

D

ergo seruari potest? Quos intuitus Iesus, dixit eis: c Ab hominibus hoc fieri non potest: at à Deo fieri possunt omnia. Tum Petrus ita loquitur: En nos reliquimus omnia, teq; secuti sumus: quid ergo hinc assequemur? Et Iesus: Hoc uobis confirmo (inquit eis) uos, qui me secuti estis in renouata uita, cum sedebit filius hominis in suo glorioso tribunali, sessurus esse uos quoque in duodecim tribunalibus, iudicantes duodecim tribus Israelitarum. Et quisquis domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros mei nominis causa reliquerit, is centuplum adipiscetur, & uitam obtinebit sempiternam. Sed multi primi erunt ultimi, & ultimi primi.

Luc. 22.c
c. Homines per se diuitijs renūciare nō possūt, sed Dei beneficio possūt.
Apostoli iudices.

CAPAT XX.

PErinde enim accidit in cœlesti regno, ac in homine patrefamiliâs, qui exijt primo mane ad conducendos operarios in uineam suam, pactusq; operarijs singulos denarios in diē, dimisit eos in uineā suam. Deinde circa tertiam horam egressus, uidit alios in foro stantes ociosos, &, Ite (inquit eis) uos quoque in uineam meam: & quod æquū erit, dabo uobis. Atq; illi iuerunt. Item circa septimā & nonam horam egressus, fecit similiter. Circa undecimam autem horā egressus, offendit alios stantes ociosos, &, Quid hic statis (inquit eis) totum diem ociosi? Cui illi: Quia nemo nos conduxit, inquiunt. Et ille: Ite & uos (inquit) in uineam meā, & quod erit æquum, accipietis. Sub uesperā autē iubet uineæ dominus procuratori suo, ut uocet operarios, eisq; ab ultimis exorsus ad primos, mercedem soluat. Ita cum uenissent qui circa unde- B cimam horā uenerant, acceperunt singulos denarios. Item primi cū uenissent, arbitrati se plus acceptu-

De patrefamiliâs qui operarios conducit in uineam.

acceptūros, acceperunt & ipsi singulos denarios: quibus acceptis, fremebant cōtra patremfamiliās, dicentes: Hi postremi unam horā operati sunt, & tu eos nobis pares fecisti, qui diei onus ardoremq́ pertulimus. At ille respondens dixit eorum uni: Amice non facio tibi iniuriā. Nonne mecū denario cōuenisti? Aufer tuum, & abi. Volo autē huic ultimo tantū dare, quantum tibi. An mihi nō licet meis uti meo arbitratu? An tuus [a] oculus malus est, quoniam ego bonus sum? Ita erunt & ultimi primi, & primi ultimi. Multi enim sunt uocati, sed pauci electi.

[*a. Inuidus es.*] [*Mar. 10. d*] [*Luc. 18. e*]

Ascendens autē Iesus Hierosolyma, assumpsit duodecim discipulos seorsum in uia, eisq́ dixit: En ascendimus Hierosolyma, & filius hominis Pontificibus Scribisq́ tradetur, qui eum capite damnatū tradent externis illudēdum, & uerberandum & crucifigēdum, isq́ die tertio resurget.

[C] [*Mater filiorum Zebedæi.*]

Tunc eum aggressa mater filiorū Zebedæi cum suis filijs, honore præbito, petebat aliquid ab eo. Cui ille: Quid uis? inquit. Et illa: Iube (inquit ei) ut hi duo mei filij tibi alter dexter, alter sinister assideant in regno tuo. At Iesus respondens: Nescitis quid petatis. Potestis [b] idem bibere poculū, quod ego bibiturus sum? & eodē baptismate, quo ego baptizādus sum, baptizari? Possumus inquiunt illi. Et ille: Meū quidem poculum bibetis, inquit, meoq́ baptismate baptizabimini. Sed ut mihi dextra læuaq́ assideatur, non est meum dare, nisi quibus id paratum est à patre meo. Hoc audito, reliqui decē indignati sunt ob duos fratres. At Iesus aduocatis eis dixit: Scitis, gentiū principes in ea dominari, & magnos uiros in eas potestatem obtinere. Inter uos nō sic agetur: quin qui uolet in uobis maximus fieri, sit uester famulus: & qui uolet in uobis esse primus, esto seruus uester. sicut filius hominis non uenit ut sibi ministretur, sed ut ministret ipse, animamq́ suam in multorum liberationem impendat.

[*b. Eadē aduersa pati.*] [*c. Potētissimos quosque maximè regnare.*] [D] [*Iohan. 10. d*]

Eis autē Hierichunte discedentibus, cū eum sequeretur frequens hominum multitudo, cæci duo secundum uiam sedentes, ubi audiuerūt præterire Iesum, sic exclamarunt: Miserere nostri Domine Dauidide. Cumq́ uulgò obiurgarentur, & tacerent, eo clamabant altius, dicentes: Miserere nostri Domine Dauidide. Tum Iesus restitit, et eos uocauit: Quid uultis, inquit, ut uobis faciā? Cui illi: Domine, inquiunt, ut nostri aperiantur oculi. Iesus uerò misericordia motus, eorum tetigit oculos, statimq́ illi oculis uiderunt, & eum secuti sunt.

[*Cæci duo à Iesu sanati.*]

CAPUT XXI.

[*Iesus mittit qui asinam adducant.*] [*Mar. 11.*] [*Lu. 19. e*]

POstquam autē Hierosolymis propinquarunt, & Bethphage ad oliuarum montem uenerunt, misit Iesus duos discipulos, dicēs eis: Ite in uicum qui cōtra uos est, & protinus inuenietis asinam ligatam, & pullū cum ea: soluitote, & mihi adducitote. Quod si quis uobis aliquid dixerit, dicetis, Dominum eis egere, & statim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, ut id accideret quod à uate dictū fuerat his uerbis: Dicite puellæ Sioni: Ecce rex tuus tibi uenit mansuetus, insidens asinæ, & asello iumenti pullo.

[*Matth. 12. d*] [*Zacha. 9. b*] [*Iohā. 12. b*]

Igitur profecti discipuli, fecerūt sicut mandauerat eis Iesus, asinamq́ & pullum adduxerunt, & eis uestimenta sua imposuerūt, & eum super ea collocarunt. Maxima autem hominū multitudo suis uestimentis uiā consternere: alij abscissos ex arboribus ramos per uiā sternere. Vulgus autem partim præcedens, partim subsequens, sic acclamare: Hosanna Dauidide, bene sit ei qui uenit in nomine Domini. Hosanna in supremis. Eo autem ingresso Hierosolyma, cōmota est tota ciuitas, dicens: Quis est hic? Vulgus autē dicebat: Hic est Iesus uates, à Nazaretha Galileæ.

[*Hosanna.*] [*Iohā. 12. b*] [B]

Et Iesus in Dei templum ingressus, eiecit omnes in templo uendentes & ementes, & numulariorū mensas sellasq́ uendentium columbas euertit. Scriptum est, inquit eis: Domus mea domus supplicationis uocabitur: at uos ex ea fecistis speluncam latronū. Cumq́ eum cæci & claudi in templo adijssent, sanauit eos. Pontifices & Scribę uidentes quàm mira fecisset, & pueros in fano Hosanna Dauidide acclamātes, indignati dixerūt ei: Audis quid hi dicāt? Etiā, inquit eis Iesus. Nūquámne legistis? Per os infantium ac lactantium laudē cōdis.

[*Ibidem 1. e*] [*Esa. 56. c*] [*Ierem. 7. b*] [*Psal. 8 b*]

Deinde relictis illis, profectus ab urbe est Bethaniā, ibiq́ diuersatus. Manè autē urbem repetens esurijt: & animaduersa quadam apud uiam ficu, uenit ad eam, cumq́ nihil in ea, nisi folia duntaxat, inuenisset, dixit ei: Ne posthac ex te fructus oriatur unquam: statimq́ ficus aruit. Quo uiso, admirati discipuli dicere: Vt subitò aruit ficus? Quibus respondit Iesus: Hoc uobis confirmo, si fiduciam habebitis, neq́ dubitabitis, non solùm hoc de ficu facietis, uerū etiam si huic mōti iusseritis ut amoueatur, & in mare proijciatur, fiet: ac quicquid precibus fidenter petieritis, obtinebitis.

[*Luc. 13. b*] [*Ficus subitè aruit.*] [*Mar. 11.*] [C] [*Iohā. 4. b*]

Cum uenisset autem in fanum, pōtifices et populi senatores eum docentē conuenerūt his uerbis: Qua potestate ista facis: & quis tibi potestatem istam dedit? Quibus respondens Iesus: Rogabo uos ego uicissim quiddā, quod si mihi dixeritis, ego quoq́ uobis dicam qua potestate hęc faciā. Baptisma Iohannis unde erat? à cœlóne, an ab hominibus? At illi sic apud sese ratiocinari: Si dixerimus à cœlo, dicet nobis: Cur ergo ei nō credidistis? Sin dixerimus ab hominibus, uulgus metuimus: omnes enim Iohannem pro uate habent. Itaq́ Iesu sic responderunt: Nescimus. Et ille: Nec ego uobis dico, inquit, qua hæc potestate faciam.

[*Qua potestate ista facis.*] [*Luc. 20. a*]

Quid uobis autem uidetur? Habebat homo quidam duos natos, quorum priorem aggressus est his uerbis: Nate abi ad faciendum opus hodie in uinea mea. Cui ille respōdens: Nolo, inquit: pòst tamen mutata sententia iuit. Alterum item ijsdē uerbis aggressus est. Atq́ ille: Faciam domine, inquit respondēs: neq́ tamen iuit. Vter paruit uoluntati patris? Prior, inquiunt ei. Et Iesus: Credite mihi, publicani & meretrices antecedunt uos in regnum Dei. Venit enim ad uos Iohannes iustitiæ uia, cui uos tamen nō credidistis, cum publicani & mere-

meretrices crediderint: quod uos cum uideretis non mutastis tandem sententiam, ut ei crederetis.

D

Aliud exemplum audite. Fuit quidam paterfamiliâs, qui uineam conseuit, & septo circundedit, in eaq; torcular defixit, & turrim extruxit, eamq; agricolis elocauit, deinde peregrè profectus est. Postea instante tempore fructuũ, misit seruos suos ad agricolas, ad eius fructus percipiendos. At agricolæ cõprehensos eius seruos partim pulsarunt, partim interfecerũt, partim lapidauerunt. Ille rursus alios plures prioribus misit, sed illi eis idem fecerunt. Postremò misit ad eos filium suũ, ita cogitans: Reuerebuntur filium meũ. Agricolæ uerò, uiso filio, sic inter sese dicere: Hic est hæres: agite, interficiamus eum, & eius hæreditatẽ occupemus. Itaq; eum ceperunt, & eiectum extra uineã peremerunt. Cum ergo uenerit uineæ dominus, quid faciet illis agricolis? Cui illi: Malos malè perdet, inquiunt, & uineam alijs elocabit agricolis, qui ei fructus pendent suis temporibus. Et Iesus: Nunquámne legistis (inquit eis) in literis? Quẽ lapidem improbauerãt structores, is adhibitus est ad caput anguli: id quod à Domino profectum est, & nobis mirum uidetur. Quamobrẽ scitote, auferẽdum à uobis Dei regnum, & genti dandum fructus edituræ. Ac qui in eum lapidem ceciderit, confringetur: & in quem lapis inciderit, eum conteret. Igitur Põtifices & Pharisæi, auditis eius exẽplis, intellexerunt eum de ipsis dicere: sed eum uolentes comprehendere, timuere uulgus, quod eum pro uate habebat.

De patrefamiliâs qui uineam elocauit. Mar.12.a

Quem lapidem improbauerant structores, &c.

Mar.11.c

CAPVT XXII.

AT Iesus eos iterum his uerbis per similitudines allocutus est: In regno cœlesti similiter accidit, atq; in rege quodam qui filij sui nuptias facturus, dimisit seruos suos, qui inuitatos ad nuptias uocarent. Sed illi noluerunt uenire. Itaq; alios item seruos misit, dicẽs: Dicite inuitatis, me meum parasse prandium: meos iuuencos & altilia esse mactata, & omnia parata, ueniãt ad nuptias. At illi neglexerunt, & discesserunt: alius in suum prædium, alius ad mercaturam suam. Cæteri cõprehensos eius seruos, cum ignominia peremerũt. Quo audito iratus rex, missis eò suis copijs, homicidas illos perdidit, eorumq; urbẽ cremauit. Deinde suis seruis ita dixit: Nuptiæ quidem paratæ sunt: sed inuitati non erant digni. Quamobrem abite in triuia, et quoscunque inueneritis uocate ad nuptias. Ita profecti in uias illi serui, cõgregarũt quotquot inuenerunt, tum malos, tum bonos, ita ut complerentur nuptiç conuiuis.

B

Ingressus autem rex ad cõuiuas spectandos, animaduertit ibi quendam non nuptiali uestitu indutum, &, Amice, inquit ei, quî fit ut huc intraueris sine uestimento nuptiali? Cumq; ille obmutuisset, iussit rex famulis, ut eum pedibus manibusq; constrictũ, in penitissimas tenebras cõpingerent, ubi futurus esset ploratus stridorq; dentiũ. Multi enim sunt uocati, sed pauci electi. Tunc Pharisæi cõsilium captũ iuerunt, de eo in uerbis illaqueando, eiq; discipulos suos cum Herodianis miserunt, qui dicerent: Magister, scimus te ueracẽ esse, diuinamq; uitæ uiam uerè docere, neque quenquam curare, quippe qui non spectes hominum personam. Dic ergo nobis quid cẽseas, liceátne pendere tributũ Cæsari, nécne. At Iesus cognita eorum malitia, dixit: Quid me tentatis simulatores? ostendite mihi numũ tributarium. Ille ei denarium attulerunt. Et ille: Cuius est imago hæc, inquit eis, & inscriptio? Cui illi:

De inuitatis ad nuptias. Luc.14.d Apoc.19.b Mar.12.c Luc 20.d

Liceátne tributum pendere Cæsari.

C

Cæsaris, inquiunt. Tunc ille: Soluite igitur (inquit eis) quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo. Hoc audito admirati illi, eo relicto discesserunt. Illo die conuenerunt eum Sadducçi, qui negant esse resurrectionem, eumq; in hũc modum interrogarũt: Magister, iussit Moses, ut si quis mortuus fuerit sine liberis, ducat eius frater eius uxorẽ, fratriq; suo prolem suscitet. Fuerunt autem apud nos fratres septem, quorũ primus uxore ducta obijt, & prole carens reliquit uxorem suã fratri suo. Itidem & alter, & tertius, usq; ad septem. Postremò omnium mortua est etiam mulier. Igitur in resurrectione cuius ex septem erit uxor, cũ omnes eam habuerint? At Iesus respondens illis: Erratis, inquit, non intelligentes literas, neq; Dei potestatem. Siquidem in resurrectione nec uiri ducũt uxores, nec fœminç nubunt: sed diuinorum angelorũ similes sunt in cœlo. De resurrectione autem mortuorum non legistis quod uobis à Deo his uerbis dictum est? Ego sum Deus Abrahami, Deus Isaaci, & Deus Iacobi.

De resurrectione. Exod.3.b

D

Non est Deus, mortuorum Deus, sed uiuentiũ. Hoc audito, stupebant uulgò eius doctrinam. Pharisçi uerò, audientes ab eo confutatos Sadducæos, coiuerũt eódem: eumq; quidam eorũ, legisperitus, tentandi gratia sic interrogauit: Magister, quódnam præceptum est in lege maximũ? Cui Iesus: Dominũ Deum tuum toto corde, toto animo, tota mente amato: hoc est primũ & maximũ prçceptum. Alterum autem est huic simile: Alterum ut teipsum amato. Ab his duobus præceptis tota lex uatesq; pendent. Cõgregatis autem Pharisæis, interrogauit eos Iesus in hũc modũ: Quid censetis de Christo? cuius prognatũ fore? Dauidis, inquiunt ei. Et ille: Quî fit ergo (inquit eis) ut eũ Dauid afflatu diuino Dominũ uocet, ita dicens? Ait Dominus Domino meo, sede ad meã dextram, donec tuos hostes effecero scabellũ pedum tuorum. Quòd si eum Dauid Dominum uocat, quî fit ut sit eius prognatus? Itaq; nemo ei quicquam respõdere potuit, nec eum ab illo die quisquam deinceps interrogare ausus est.

Deut.9.a Leuit.19.d Rom.13.c *Ait Dominus Domino meo.* Psal.109.a

CAPVT XXIII.

TVnc Iesus plebem discipulosq; suos sic allocutus est: In Mosis sede sedent Scribæ & Pharisæi. Quicquid igitur uobis dixerint exequendum, exequimini, & facite, sed eorũ facta nolite imitari. Dicũt enim, nec faciunt: quippe qui colligent onera grauia & portatu difficilia, aliorumq; humeris imponãt, cum ea ipsi ne digito quidem mouere uelint. Omnia autẽ opera sua fa-

Parendum Pharisæis, sed nõ sunt imitandi. Luc.11.f Mar.12.d

sua faciunt, ut spectentur ab hominibus: utuntur autem latis magnisque uestimentorū [a] limbis atque lacinijs, amantque primas in coenis accubationes, & primas in collegijs sessiones, & in foris salutationes, & ab hominibus uocitari [b] Rabbi. At uos nolite uocari Rabbi: unus est enim rector uester Christus, uos uerò omnes estis fratres. Neue patrē uobis in terris uocate: unus est enim uester pater qui est in coelis. Neque rectores uocemini: unus est enim uester rector Christus, quin uestrûm maximus uester sit famulus.

a. His Dei præcepta inscribebātur, ut iussū erat Deut. 16. & Num. 16.
Luco. 3. a
b. Magister noster.
Omnis honos Deo debetur.

B Quisquis uerò seipsum extulerit, deprimetur: & quisquis seipsum depresserit, extolletur. Væ uobis autē Scribæ & Pharisæi simulatores, qui coeleste regnū alijs præcluditis, utpote qui nec intretis ipsi, nec intrare conātes sinatis intrare. Væ uobis Scribæ & Pharisæi simulatores, qui uiduarū domos comeditis, idque longarum precum prætextu: itaque eo grauiores dabitis poenas. Væ uobis Scribæ & Pharisæi simulatores, qui & mare & terram peragratis, ut unum asciscatis aduētitium: quod ubi factum est, efficitis eum duplo gehēna digniorem, quàm estis uos. Væ uobis duces cæci, qui dicitis, si quis per templum iuret, nihil esse: sin quis per aurum templi iuret, eum teneri. O stulti & cæci: utrū enim maius est, aurum, an ædes quæ aurū consecrat? Itē si quis per aram iurauerit, id nihil esse: at si quis per donarium, quod in ea est, iurauerit, eum teneri. O stulti & cæci, utrū enim maius est? donarium? an ara quæ donarium cōsecrat? Itaque qui per aram iurat, is & per eam iurat, & per quicquid est super ea. Et qui per templum iurat, is et

Luc. 14. e
Væ uobis Scribæ, &c.

C per id iurat, & per eius incolam. Et qui per coelum iurat, is & per Dei solium iurat, & per eum qui sedet in eo. Væ uobis Scribæ & Pharisæi simulatores, qui mētam, & anethū, & cuminum decumatis, omissis quæ sunt in lege grauiora, scilicet iure, & pietate, atque fide. Oportebat & hęc facere, & illa nō omittere. O duces cęci, qui culicē percolatis, & camelū deglutitis. Væ uobis Scribæ & Pharisæi simulatores, qui poculi scutellæque partē exteriorē purgatis, cum ea intus rapina intēperentiaque referta sint. O Pharisæe cæce, purga prius interiora poculi, & scutellæ, ut eorū exteriora quoque pura sint. Væ uobis Scribæ & Pharisæi simulatores, qui similes estis incrustatis sepulchris, quæ foris quidē pulchra uidentur, sed intus ossibus mortuorū, & omni foeditate plena sunt. Sic & uos foris quidē alijs iusti esse uidemini, sed intus simulationis estis, scelerisque pleni. Væ uobis Scribæ & Pharisæi simulatores, qui uatū sepulchra extruitis, & iustorū

D monimēta ornatis, dicitisque: Si maiorū nostrorum tēporibus fuissemus, nō fuissemus eorum in uatū [d] sanguine socij. Itaque [e] ipsi de uobis testamini, uos eorū esse posteros, qui uates interfecerunt. Et uos maiorum uestrorū mensuram cōplete. Serpentes, uiperina progenies, poteritisne gehennæ supplicium effugere? Itaque ego ad uos missurus sum uates, & sapientes, & literatos, quos partim interficietis, ac in crucē tolletis, partim uerberabitis in uestris collegijs, ac ex alia in aliam urbem persequemini, ut in uos expetat omnis innocens sanguis in terris effusus, ab Abelis iusti sanguine, usque ad Zachariæ sanguinem, Barachiæ filij, quem uos inter ædem & aram necastis. Itaque certò scitote horū omnium poenas daturam esse nationem hanc. Hierosolyma, Hierosolyma, quę uates occidis, & ad te missos lapidas, quoties uolui congregare tuos natos, quomodo gallina suos pullos sub alas congregat, & noluistis? Scitote uestram domum uobis desertam relictum iri. Sic enim habetote, uos nō esse me uisuros deinceps, donec dicatis, Bene sit uenienti in nomine Domini.

d. cæde
e. Hoc ipso quod maiores uestros nominatis eos qui uates occiderūt, testamini uos eorū esse posteros.
1. Thes. 2. f
f. Luatis omnem. &c.
Hebr. 11. d
Luc. 13. g
Esai. 13. b
4. Esd. 1. e

CAPVT XXIIII.

Cvm autem egressus Iesus discederet ex fano, uenerunt eius discipuli ostensum ei tēpli structurā. At Iesus: Videtisne hæc omnia? inquit eis: hoc uobis confirmo, fore ut hic nullus lapis super lapidem relinquatur, quin diruatur. Sedentem autem eum in monte oliuarum, aggressi sunt discipuli seorsum his uerbis: Dic nobis quando hæc futura sint, & quod signum sit aduentus tui, interitusque mundi. Quibus Iesus ita respōdit: Videte, ne quis uos fallat. Multi enim uenient in meo nomine, qui se Christos esse dicent, multosque decipient. Futurum est autem ut bella bellorumque rumores audiatis: uidete ne perturbemini: oportet enim omnia fieri, sed nondū finis erit. Consurget enim gens contra gentem, & regnum contra regnum, eruntque fames & pestes, & terræ motus certis locis: quæ omnia principium erunt dolorum. Tunc in calamitatem trademini, & occidemini, & cunctis eritis gentibus inuisi propter nomen meū. Ac tum quidem deficient multi, et alius alium prodent, atque oderint: existentque multi falsi uates, B qui multos decipient. Et quia tot erunt scelera, refrigescet multorum charitas. Qui autē ad finem perseuerauerit, is seruabitur. Prædicabitur autem hoc regium euāgeliū per totum orbem, quod sit cūctis gentibus testimonio, ac tum ueniet finis. Cum autē calamitosum nefas (quod à Daniele uate prædictum est) stare uideritis in loco sacro, qui legit intelligat: tunc qui erunt in Iudæa, fugiant in montes: qui erit in tecto, ne descendat ad auferēdum aliquid ex domo sua: & qui erit ruri, ne retrò reuertatur ad tollenda sua uestimenta. Hei uentrem ferentibus, & lactantibus in illo tempore. Optate uerò, ut non accidat uestra fuga in hyeme, nec in Sabbatho. Erit enim tunc tanta calamitas, quanta nec hactenus ab orbe cōdito fuit, nec futura est: quod nisi decurtaretur illud tēpus, nemo prorsus euaderet: sed propter electos decurtabitur illud tēpus. Tunc si quis uobis dixerit: Ecce hic Christus, aut hic, ne creditote. existēt enim falsi Christi, falsique uates, qui tanta portenta ac prodigia edent, ut decipiantur (si fieri posset) etiam electi. En prędixi uobis. Si igitur uobis dicetur in syluis adesse, ne exitote: si in penetralibus, ne creditote. Vt enim fulgur ab oriente profectū appa-

Mar. 13. a
Luc. 9. b
Iesus Hierosolymæ excidium, & ultimū diē mūdi prædicit.
Ephe. 5. b
1. Cor. 3. b
Col. 2. d
Iohan. 15. e
Act. 2. b
Rom. 10. c
Dan. 9. a
Luc. 17. d
Ibidē g
Mar. 13. g

C apparet ad occidentem, sic erit aduentus filij hominis. Nam ubicũque erit cadauer, eò cõgregabuntur aquilæ. Protinus autem post illius tẽporis calamitatem, sol obscurabitur, neq; luna
Ioel.2.c suum splendorem emittet, & stellæ de cœlo cadent, cœliq; potestates concutientur, ac tum apparebit in cœlo signũ filij hominis. Tum uerò plangent omnes terrarum nationes, uidebũtq; filium hominis uenientem in cœlestibus nubibus, cum multa potentia atque gloria, qui suos nuncios mittet cum uocalissima tuba, qui eius electos à quatuor uẽtis, ab extremo cœli ad alterum extremum, congregabunt. A ficu autem discite similitudinem. Cum iam eius rami tenerescunt, & enascuntur folia, cognoscitis instare æstatẽ. Sic uos quoq;, cum hæc omnia uidebitis, scitote instare pro foribus. Hoc uobis confirmo, non prius hanc ætatem præterituram esse, quàm fiant hæc omnia. Etiam si cœlum & terra intereant, mea dicta non interibunt. Cæterùm
D illam diem atque horam nullus scit, ne cœlestes quidem angeli, sed meus pater solus. Vt autem accidit tempore Noe, sic etiam erit aduentus filij hominis. Vt enim tempore, quod fuit ante
Genes.6.a & 7.b diluuiũ, comedebatur, potabatur, contrahebantur inuicẽ matrimonia, usq; ad diem quo Noe in arcã ingressus est, nec antè cognitũ est quàm uenit diluuium, quòd omnes sustulit: sic etiam erit aduentus filij hominis. Tunc ex duobus, qui ruri erũt, alter assumetur, alter relinquetur: ex duabus in pistrino molentibus, altera assumetur, altera relinquetur. Vigilate igitur, quandoquidem nescitis qua hora uester herus uenturus sit. Illud autem scitis, si sciret paterfamilias qua uigilia fur uenturus esset, uigilaturum esse, neq; domum suam perfodi passurũ. Quapropter uos quoq; estote parati: nam qua hora non arbitramini, uenturus est filius hominis.
Fidelis seruus. Quòd si quis est fidelis seruus, atque prudens, quem hærus præfecerit suæ familiæ, ut ei alimoniam suo tẽpore præbeat: beatus est ille seruus quem cũ uenerit eius herus, offenderit suũ offi-
Apoc.16.c cium facientem. profectò (inquã uobis) eũ suis omnibus præponet facultatibus. Quòd si malus ille seruus cũ suo animo cogitãs, herũ suum diu aduentũ differre, cœperit pulsare cõseruos, epulariq; & potare cum uinolẽtis: ueniet illius serui dominus inexpectato ei die, ignorataq; hora, & eũ dissecabit, ac c ad simulatorũ conditionem rediget, ubi ploratus erit stridorq; dentiũ.
c. Vt simulatorẽ perfidumq; puniet.

CAPVT XXV.

Decem uirginũ exemplo uigilandum docet.

TVnc similiter accidet in regno cœlesti atq; in decem uirginibus, quæ sumptis suis lucernis profectæ sunt obuiam sponso. Erant autem earum quinq; stultæ, & totidem prudẽtes: quæ quidem stultæ, sumptis suis lucernis, non sumpsere secum oleũ: at prudentes oleum cum lucernis sumpserunt in suis uasis. Tardante autem sponso, dormitarunt omnes, dormierũtq;. Deinde media nocte clamor extitit: Aduentat sponsus, prodite ei obuiã. Tunc surrexerunt omnes illę uirgines, suasq; lucernas adornarunt. At fatuæ prudentibus dixerũt: Impertite nobis de oleo uestro, nam lucernæ nostræ extinguuntur. Sed prudentes eis ita responderunt: Quid si non satis sit nobis & uobis? quin ite potius ad uẽditores & uobis emite. Euntibus autem illis ad emendum, uenit sponsus, cum quo quæ paratæ erãt, ingressę sunt ad nuptias, clausæq; sunt fores. Postea ueniũt & reliquæ uirgines, &: Domine, Dñe, inquiunt, aperi nobis. At ille: Profectò non noui uos, inquit respondens. Quamobrem uigilate, quandoquidem diem aut horã nescitis, qua sit uẽturus filius hominis. *Luc.13.e 19.b* *Mat.13.d*
B Quemadmodũ homo quidam peregrè profecturus, uocauit seruos suos, eisq; facultates suas tradidit: & uni quinq; talenta dedit, alteri duo, alteri unum, pro sua cuiq; facultate: deinde continuò peregrè profectus est. *Sua cuiq; talenta negocianda sunt.* Igitur qui quinq; talenta acceperat, iuit ea negotiatum, & alia quinq; talenta peperit. Similiter & qui duo, lucratus est ipse quoque altera duo. Qui uerò unum acceperat, iuit cauatum terram, dominiq; sui pecuniã abdidit. Multo pòst tẽpore uenit seruorum illorum dominus, & cũ eis rationes confert. *Luc.16.a* Igitur qui quinq; talenta acceperat, accessit, & altera quinq; obtulit, dicens: Domine tu mihi quinq; talenta tradidisti: en ego altera quinq; per ea lucratus sum. Et Dñs: Rectè (inquit ei) serue bone & fidelis: ego te, qui in paucis fidelis fueris, multis præficiã: a ingredere in Domini tui uoluptatẽ. *a. fruere meis bonis.* Item qui duo talenta acceperat, accessit, &, Domine, inquit, tu mihi duo talenta tradidisti: per quæ ego altera duo lucratus sum. Et Dominus: Rectè (inquit ei) serue bone & fidelis, quoniã tu in paucis fidus fuisti, ego te multis præficiam: ingredere in Domini tui uoluptatẽ.
C Qui uerò unum talentum acceperat, accessit & ipse: &, Domine, inquit, sciebam te hominem esse seuerum, qui & metas ubi nõ seminasti, & inde colligas ubi non impendisti. Id ueritus, iui obrutum humi tuum talentũ: en habes tuum. At Dominus ei respondens: Nequã, inquit, & ignaue serue, cum scires me & metere ubi non seminaui, & inde colligere ubi non impẽdi, debuisti meam pecuniam cõmittere mensarijs: ita ego cum uenissem, meũ cũ fœnore recepissem. Quamobrem auferte ei talẽtum, & ei date qui habet talenta decem. Nam omni habenti dabitur, ita ut abundet: ab eo uerò qui non habet, etiam quod habet auferetur. *Marc.4.d* *Luc.8.c* Inutilem uerò seruum conijcite in imas tenebras, ubi sit ploratus stridorq; dẽtium. *Extremum iudicium.* Cum autem uenerit filius hominis cum sua gloria, nécnon omnes sancti angeli cum eo, tum sedebit in suo glorioso tribunali, coramq; eo congregabuntur gentes omnes, isq; eos alios ab alijs separabit, quemadmodum separat pastor oues ab hœdis, statuetq; oues ad dexteram suam, hœdos autẽ ad lęuam. *Esa.58.b* Deinde dicet rex eis qui erunt ad eius dexterã: *Ezech.18.b* Adeste beati patris mei, possidete paratũ uobis *Eccl.7.d* regnum ab orbe condito. Nam cum esurirem, dedistis mihi comedere: cum sitirem, bibere: me, cum hospes essem, accepistis: cum nudus, uestiui-

uestiuistis: cum æger, uisitatis: cum in custodia, D uisistis. Tum iusti hic ei respōdebunt: Domine, quādo te uidimus esurientē, ut pauerimus? aut sitientem, ut potū dederimus? quando autem te uidimus hospitem, ut acceperimus? aut nudū, ut uestierimus? quando autem te uidimus ægrū aut uinctū, ut inuiserimus? Quibus respondens rex: Certò scitote, inquiet, quatenus uel minimo horū meorum fratrū fecistis, uos mihi fecisse. Deinde dicet sinistris: Facessite à me, execrabiles, in ignem sempiternū, Diabolo eiusq; angelis paratum: qui mihi nec esurienti cibum, nec sitienti potionē dederitis, nec hospitem acceperitis, nec nudum uestieritis, nec ægrū & uinctū uisitaueritis. Tum illi quoq; sic ei respondebūt: Domine quando te uidimus esurientem, aut sitientē, aut hospitē, aut nudum, aut ægrum, aut uinctum, neq; subuenimus? Quibus ille sic respondebit: Profectò (inquam uobis) quatenus uel minimo horum non fecistis, mihi non fecistis. Ita abibunt hi in pœnam sempiternam: iusti uerò in uitam sempiternam.

CAPUT XXVI.

Mar. 14.a Luc. 22.a Iohan. 11.a

Iudæi de Iesu necando conspirant.

POsteaquam hāc omnem orationē absoluit Iesus, sic allocutus est suos discipulos: Scitis post biduum actum iri Pascha, cum quidē filius hominis tradetur ad crucifigendum. Tunc coiuerunt Pontifices, & Scribæ, & senatores populi, in atriū Pōtificis, qui dicebatur Caiaphas, & consultarūt de Iesu fraudulenter capiēdo, ac interficiendo. Sed id festo die faciendū esse negabāt, ne tumultus fieret in populo. Cum esset autē Iesus Bethaniæ in ædibus Simonis Leprosi, accessit ad eum mulier, alabastrum habēs unguenti preciosi, quo eius accūbentis caput perfudit.

Iesum unguēto perfundit mulier.

Quo uiso, eius discipuli indignati dicere: Quorsum hæc profusio? cum posset unguentū hoc uænire multo, & in pauperes erogari. id quod animaduertēs Iesus, dixit eis: Quid negotium facessitis mulieri? cum rem bonam fecerit erga me. Semper enim pauperes habebitis uobiscū, at me nō semper habebitis. Nā q hæc unguentū hoc in corpus meū contulit, a id ad me sepeliendū fecit. Pro certo habetote, fore ut ubicunq; publicabit euangeliū hoc per totū orbē, dicat id quoq;, quod ea fecit, ad eius memoriā. Deinde unus ex duodecim, nomine Iudas Iscariota, Pōtifices aggressus, quæsijt ex eis, ecquid sibi dare uellēt, ut eū illis pderet. Cui illi triginta pacti sunt numos argenteos. Itaq; deinceps quærebat oportunitatē eū prodendi. Primo aūt Azymaliū die, discipuli Iesum cōuenerūt, quærētes ubinā uellet ut ei b Pascha epulandū pararent. Quib. ille præcepit, ut in urbē irēt ad quendam, eiq; sic dicerent Magister dicit suū instare tēpus, quo sit apud te acturus Pascha cum suis discipulis. Igit fecerunt discipuli ut eis mandauerat Iesus, & Pascha præpararūt. Vespere aūt cū accūberet cum duodecim, epulātibus eis dixit: Certò scitote, fore ut unus uestrūm me prodat. Hic illi uehementer dolētes, cœperūt ei singuli dicere: Egóne is sum, Domine? Et ille respondens: Qui mecum manū, inquit, in catino intinxerit, is me prodet. Vadit quidem filius hominis, quomodo de eo scriptū est. Sed uæ homini illi, per quē filius hominis prodendus est. Satius fuisset homini illi, non nasci. Et Iudas, eius proditor, sic est locutus: Is'ne ego sum, Rabbi? Cui C ille: Tu dixisti. Epulantibus autem eis, Iesus panem cæpit, actisq; laudibus, fregit, deditq; discipulis, &: Accipite, inquit, comedite: hoc est corpus meū. Deinde capto poculo, actisq; laudibus, dedit eis, dicēs: Bibite ex eo omnes: hic est enim sanguis meus, noui fœderis, pro multis effundendus ad ueniā peccatorū. Sic autem habetote, nō me dehinc bibiturū esse de hoc fructu uiteo, usq; ad illam diē, qua eum bibam uobiscum nouum in regno patris mei. Deinde dictis laudibus, profecti sunt ad montē oliuarū. Tum Iesus: Vos omnes, inquit eis, me deseretis hac nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorē & dispergentur oues gregis. Sed postquam resurrexero, præcedam uos in Galilæam. At Petrus ei respōdens: Etiāsi te deseruerint omnes, ego tamen nunquam deseram. Et Iesus: Hoc tibi confirmo, inquit ei, fore ut hac ipsa nocte, priusquam gallus cantet, tu me ter neges. At D Petrus: Etiam si mihi tecum moriendū sit, non te negabo. Similiterq; etiam omnes discipuli dixerunt. Tunc uenit cum eis Iesus in locum nomine Gethsemane, & discipulos sic alloquitur: Sedete hîc, dum ego illuc ad precandum eo. Tum assumpto Petro, & duobus Zebedæi filijs, dolere cœpit atq; angi. Deinde dicit eis Iesus: In tanto sum animi dolore, ut emoriar. Manete hîc, & uigilate mecum. Deinde paululum progressus, pronus procidit, & hunc in modū supplicat: Mi pater, si fieri potest, fac ut effugiam hoc poculum: quanquam non ut ego uolo, sed ut tu. Deinde uenit ad discipulos, quos nactus dormientes, dicit Petro: Adeóne non potuistis unam horam uigilare mecum? uigilate & orate, ne intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, sed caro infirma. Rursus iteratò supplicatum iuit his uerbis: Mi pater, si non potest hoc à me declinari poculum, quo minus id bibā, fiat quod tu uis. Deinde ubi uenit, offendit eos rursum dormientes. erant enim eorum oculi grauati. Igit relictis eis, rursus iuit oratum tertiò ijsdem uerbis. Deinde uenit ad suos discipulos, &, Dormite dehinc, inquit eis, ac requiescite. En adest hora, qua filius hominis tradatur E in manus improborū. Surgite, eamus: en adest meus proditor. Adhuc eo loquente, ecce aderat Iudas, unus es duodecim, & unà cum eo ingēs multitudo, cum gladijs, & fustibus, à Pontificibus senatoribúsque populi. Qui cum autem prodidit, dederat eis signum, dicens: Quem osculatus fuero, is est, eum comprehēdite. Igitur Iesum protinus aggressus, dixit: Aue Rabbi, eumq; deosculatus est. Et Iesus: Amice (inquit ei) quorsum ades? Tum illi Iesum aggressi, manus in eum iniecerunt, eumq; comprehenderunt. Ecce autē unus comitum Iesu gladium

Margin notes: Iohan. 12.b — a. Perinde accipiendū est, ac si mortuum meum corpus, ut mos est, perfudisset, aut cōdiuisset. nam breui moriar. — *Iudas Christū prodere paciscitur.* — b. Paschalē agnum. — Ioan. 13.b — Psal. 40.c — Ioan. 6.c — *Hoc est corpus meum.* — 1. Cor. 11.e — Iohan. 18.a — Zach. 13.c — Iohan. 16.f — Mar. 14.d — Luc. 22.d — Iohan. 6.d — Ioan. 18.e — *Aue Rabbi*

suum admota manu strinxit, & Pōtificis seruū
percussit, eiq́ auriculā amputauit. Tum Iesus:
Refer, inquit ei, gladium tuū in locū suum. O-
mnes enim qui gladio utuntur, gladio peribūt.
Gene.9.d An existimas non posse me iam exorare patrē
Apoc.13.c meū, ut mihi plusq́ duodecim angelorū legio-
nes præbeat? Sed quo pacto contierēt, quæ fi-
eri oportere proditum est literis? Ea hora dixit
Iesus illi multitudini: Vos quasi ad latronē pro-
fecti estis cum gladijs & fustibus, ad me capien
dum. Quotidie apud uos degebam, docens in
fano, neq́ me comprehendistis. Hoc uerò totū
factum est, ut uatum scripta comprobarentur.
F Tunc discipuli omnes, eo relicto, fugerunt. Illi
Iesus ad Caiapham ducitur. autem cōprehensum Iesum abduxerunt ad Ca
iaphā Pontificem, quò Scribæ Senatoresq́ cō-
uenerant. Petrus uerò eum procul secutus est
usq́ ad Pontificis atriū, & introgressus resedit
cum ministris, ut exitum uideret. Pōtifices aūt
& senatores totusq́ consessus quærebāt falsum
testimonium cōtra Iesum, ut eum occiderent,
nec inueniebant: cumq́ multi accessissent falsi
testes, tamen nō inueniebant. Tandē accesserūt
duo falsi testes, qui dixerunt eum dixisse, posse
se Dei templum diruere, & triduo instaurare.
Tum Pontifex surrexit, & ei dixit: Nihilne re-
spondes? quid testantur hi contra te? Cumq́ sile
ret Iesus, Pontifex eū his uerbis affatus est: Ob-
testor te per Deum uiuentem, ut nobis dicas an
tu sis Christus Dei filius. Cui Iesus: Est ut dixi-
Iohā.6.c. Præpotētis Dei. sti, inquit. Cæterum scitote futurum esse, ut fi-
lium hominis uideatis sedētem ad dexteram,
potestatis, & in nubibus uenietem cœlestibus.
Tum Pontifex uestimēta sua lacerare, eum im-
piè locutum esse dicens: Quid iam nobis opus
est testibus? en nunc audiuistis eius impiam uo
G cem. Quid censetis? Illi uerò morte dignum es-
se, respondere. Tum ei faciem conspuere, & co
laphos impingere. Alij alapis ferire, dicentes:
Diuina nobis, Christe, quis sit qui te percussit.
Esa.50.c Petrus Christum negat. Interea Petrū foris in atrio sedentem, aggressa
est his uerbis ancilla quędā: Tu quoq́ eras cum
Iesu Galilæo. At ille coram omnibus negauit
scire se quid illa diceret. Deinde egressum eum
in uestibulum conspicata alia, dixit eis qui illic
erant: Hic quoq́ erat cum Iesu Nazareno. Ille
uerò rursum iureiurādo negauit, se nouisse ho-
minem. Paulo pòst qui aderant aggrediuntur
Petrum: Profectò, inquiunt, tu quoq́ ex eis es,
nam tua te locutio manifestum reddit. Tum il-
le se diris agere, & iurare cœpit, se non nouisse
hominē: statimq́ gallus cātauit. & Petrus Iesu
dictū recordatus, qui sibi dixisset, fore ut prius-
quam gallus cantaret, ter eum negaret: foràs e-
gressus est, & acerbè fleuit.

CAPUT XXVII.

Mar.15.d Luc.23.c Iohan.18.e Iudam pœnitet. MAnè autem consilium inierunt omnes
Pontifices & senatores populi contra Ie
sum, de eo interficiēdo, eumq́ uinctū abduxe-
runt, & Pontio Pilato prætori tradiderūt. Tum
Iudas eius proditor, uidens eum esse damnatū,
pœnitens reddidit triginta numos argenteos
Pontificibus & senatoribus, sese peccauisse di-
cēs, qui sanguinē prodidisset innocentē. At illi:
Quid ad nos? inquiūt: tu uideris. Ille uerò, abie
ctis in tēplo numis, discessit, & se laqueo præfo-
catū iuit. Pontifices autē, sumptis numis, dixe-
runt eos nō licere in templi fiscū referre, quippe
cum preciū esset sanguinis. Itaq́ capto cōsilio,
emerunt eis agrū figuli, ad peregrinorū sepultu
ram. Ideoq́ uocatus est ager ille, ager sangui- Act.1.d
nis, ad hūc diem. Tunc accidit quod à Ieremia Zacha.11.d
uate dictum fuerat his uerbis: Itaq́ sumpserunt
triginta argenteos, preciū æstimati, quem licita
ti emerunt ab Israelitis, eosq́ impenderunt in
agrū figuli, quemadmodum mihi pręcepit Do B
minus. Iesus autem stetit ante prætorē, eumq́ Pilatus Iesum interrogat.
sic prætor interrogauit: Es'ne tu rex Iudæorū?
Cui Iesus: Est ut dicis, inquit. Cumq́ à Pontifi- Iohā.16.b
cibus & senatoribus accusaretur, nihil respon-
dit. Tum Pilatus dixit ei: Non audis quæ cōtra
te testentur? At ille ei ad nullum prorsus uerbū
respondit, adeò ut ualde miraretur prætor. Per Luc.13.c
festum autē solebat prætor unum uinctū plebi
remittere, quem uellent. Habebant tum quen-
dam uinctum illustrem, nomine Barrabam. I-
gitur cum conuenissent, dixit eis Pilatus: Vtrū Act.3.c
uultis uobis remittam? Barrabam, an Iesum co
gnomento Cristum? Sciebat enim eum per
inuidiam ab eis esse traditum. Sedēte autem eo
pro tribunali, sic ei significandum curauit eius
uxor: Nihil tibi rei sit cum innocente isto: mul
ta enim hodie secundum quietē passa sum pro-
pter eum. Pōtifices uerò & senatores plebi per-
suaserunt, ut Barrabam peterent, Iesumq́ per- C
derent. Itaq́ cum pretor ex eis quæsiuisset, utrū
duorū uellent ut eis remitteret, dixerunt Barra
bam. Et Pilatus: Quid ergo, inquit eis, faciā de
Iesu nomine Christo? Cui omnes, crucifigatur,
inquiunt. Et prætor: Quid enim malè fecit? At
illi uehementius clamare: Crucifigatur. Igitur
uidens Pilatus se non solum nihil proficere, sed
etiam maiorem tumultū fieri, sumpta aqua ma
nus coram plebe lauit, dicēs: Ego insons huius
innocētis sanguinis sum, uos uideritis. Et uni-
uersus populus sic respondit: eius sanguinem
luamus nos, nostriq́ nati. Tunc ille Barrabā re
misit eis. Iesum aūt uerberauit, & crucifigendū Iesus ad crucem damnatur.
tradidit. Tum prætoriani milites Iesum in præ-
torium ducunt, & ad eum totā cohortē congre-
gant, eumq́ spoliatum induūt chlamyde cocci-
na, & contextam ex spinis coronam imponūt
eius capiti, & arundinem in eius dexteram, at-
que ita ante eum congenulantes, illudunt ei di-
centes: Salue rex Iudeorum. eumq́ conspuunt, D
& sumpta arundine ei caput contundunt. De- Mar.15.b
inde postquam ei illuserunt, spoliant eum chla
myde, ipsiusq́ uestibus induunt, & in crucem
tollendum abducunt. Exeuntes autem nacti
sunt hominem Cirenęum, nomine Simonem, Simon Cyreneus.
quem coegerunt Iesu ferre crucem. Deinde
ubi uenerunt in locum nomine Golgotha, qui
caluariæ locus appellatur, dederunt ei bibere
acetum cum felle mixtum: quod ille cum gu-
stasset,

gustasset, noluit bibere. Eo autẽ crucifixo, eius
E uestimenta sorte iacta dispertiuerunt, ut cõpro
Psal. 21. c baretur dictum illud uatis: Mea inter sese uesti-
menta partiti, super ueste mea sortẽ iecerunt. I-
gitur sedentes eum illic obseruabant. Posuerãt
autẽ supra caput eius, scriptã eius causam: HIC
EST IESVS REX IVDAEORVM. Tum cru-
cifiguntur cũ eo latrones duo, alter ad dexterã,
alter ad sinistrã. Qui præteribant autẽ, ei male-
Sap. 2. d dicebant, motantes suo capita, & dicentes: Qui
templum destruis, & triduo instauras, serua teí-
psum. Si Dei filius es, descende de cruce. Simi
liter & Pontifices cum Scribis & Senatoribus il
ludentes dicebant: Alios seruauit, seipsum ser-
uare non potest. Si Israelitarũ rex est, descendat
nunc de cruce & ei credemus. Deo cõfidit, libe
ret nunc eum, si ei fauet: quandoquidem dixit
esse se Dei filium. Atq; idẽ ei etiã latrones cũ eo
Luc. 23. f crucifixi exprobrabant. A sexta autem hora ex
titerunt per uniuersam terram tenebræ, usq; ad
horã nonã. Circa nonã horã exclamauit IESVS
Eli Eli, etc. magna uoce, dicens: Eli eli lama sabachthani.
F hoc est: Mi Deus, mi Deus, cur me dereliquisti?
Quo audito quidam eorum, qui illic aderant,
dicebant eum uocare Eliam. Ac statim cucurrit
eorum unus, sumptaq; spongia, & aceto repleta,
affixaq; arundini, dabat ei bibere. At reliqui di-
cere: Sine uideamus an ueniat Elias seruatum
eum. Iesus autem, cum rursum ingẽti uoce cla-
masset, emisit spiritũ. Et ecce templi uelũ in duas
partes à summo ad imũ fissum est, & terra com
mota est, & saxa fissa, & monimẽta aperta, mul-
taq; corpora sanctorũ, qui obdormiuerant sur-
rexerunt, qui ex monimentis egressi, post eius
resurrectionem ingressi sunt in sanctam urbẽ,
& multis apparuerunt. Cẽturio uerò, & eius co
mites, Iesum seruantes, uiso terræ motu, & ijs
quæ acciderant, uehementer territi, cõfessi sunt
eũ uerè Dei filiũ fuisse. Erãt autẽ illic multæ mu
lieres, procul spectantes, quæ Iesum ex Galilæa
secutæ fuerant, ei ministrantes, in quibus erat
Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Iosis ma
ter, & mater filiorum Zebedæi. Sub uesperum
G autem uenit diues homo ab Arimathea, nomi-
Iosephus ab ne Iosephus, qui & ipse fuerat à Iesu disciplina.
Arimathæa. Is Pilatũ aggressus, petijt Iesu corpus. Tum Pila
Iesum sepe- tus iussit tradi corpus. Et Iosephus sumptũ cor-
lit. pus inuoluit mundo linteo, & in suo nouo mo-
nimento posuit, quod in saxo exciderat, aduo-
lutoq; ingenti lapide ad ostium monimenti, dis-
cessit, cum quidẽ illic esset Maria Magdalena,
& altera Maria, è regione sepulchri sedentes.
Postero die, qui est post præparationẽ, coiuerũt
Pontifices & Pharisæi ad Pilatũ, & eum sic allo-
cuti sunt: Domine, meminimus deceptorem il-
lũ dicere, cũ adhuc uiueret, sese post tres dies es-
se resurrecturũ. Quare iube muniri sepulchrum
usq; ad diem tertiũ, ne fortè eius discipuli eum
surreptũ eant, dicantq; populo cum ex mortuis
surrexisse, atque ita nouus oriatur error priore
deterior. Quibus Pilatus: Habetis custodiam,
inquit: ite id munitum uestro modo. Ita illi se-
pulchrum munitum iuerunt: & lapidem, præ-
ter adhibitam custodiam, sigillarunt.

CAPVT XXVIII.

EA autẽ nocte septidui, quæ in primã à Sab- *De Christi resurrectione.*
batho diẽ illucescit, uenit Maria Magdale-
na, & altera Maria, spectatũ sepulchrum. Ecce
aũt magnus terræ motus. Angelus enim Domi *Marc. 16. a*
ni de cœlo degressus, uenerat auolutũ lapidem *Luc. 24. a*
ab ostio, & super eo sedebat. Erat autẽ eius spe- *Iohã. 20. a*
cies fulguris similis, & indumẽtum tam album
quàm est nix. Atq; eius metu perculsi custodes,
penè exanimati sunt. Is angelus sic est mulieres
allocutus: Ne metuite, uos: Scio uos Iesum *Marc. 16. b*
quærere crucifixũ. Non est hîc: surrexit enim, *Luc. 20. a*
quemadmodum prædixerat. Adeste, uidete lo B
cum ubi iacebat Dominus: ac protinus ite nun
ciatũ discipulis, eum à mortuis surrexisse, & uos
in Galilæam antecedere: illic eum uisuros esse.
Hoc ego uobis dico. Igitur illæ confestim ex mo
nimento cum metu & ingenti lætitia egressæ,
id eius discipulis renunciatum cucurrerunt. Vt
autem id discipulis renunciatum ibant, ecce Ie-
sus occurrit eis. Saluete, inquit. Atq; illæ accesse
runt, eiusq; pedes prehenderunt, & eum uene-
ratæ sunt. Tum Iesus: Ne metuite, inquit eis: ite
nunciatum meis fratribus, ut abeãt in Galilæã,
& ibi me uidebunt. Euntibus autem illis, quidã
custodum uenerunt in urbem, & Pontificibus C
rem omnem nunciarunt. Atq; illi cum senatori
bus coiuerunt: & capto consilio, satis grandem
pecuniam militibus dederũt, atq; ita dixerunt:
Dicite, eius discipulos uenisse noctu, & eũ uo-
bis dormientibus surripuisse. Quod si hoc apud
prætorẽ fuerit auditũ, nos id ei persuadebimus,
securosq; reddemus uos. Igitur illi, accepta pe-
cunia, fecerunt ut erãt edocti: estq; res illa diuul-
gata apud Iudæos ad hunc diem. Vndecim au D
tem discipuli in Galilæam profecti sunt, in mõ-
tẽ, quò eis Iesus præceperat, eumq; uisum ado-
rarunt: nonnulli dubitarunt. Et Iesus aggressus *Marc. 16. f*
eos, sic est locutus: Mihi data est omnis potestas
in cœlo & in terra. Vadite igitur doctũ omnes
gentes, eosq; baptizate in nomẽ patris, & filij,
& spiritus sancti, docentes eos exequi quæcũq;
uobis præcepi. Ego uobis adsuturus sum per-
petuò, usq; ad finem seculi.

EVANGELIVM AVTHORE MARCO

CAPVT I.



NITIVM Euan- *Malach. 3. a*
gelij Iesu Christi *Matth. 3. a*
Dei filij, ut scri- *Luc. 7. d*
ptum in uatibus *Esa. 40. a*
est: Ego tibi meũ
præmittam nun-
cium, qui tibi uiã
præparet. Vox
clamantis in so-
litudine: para-
te uiam Domi-
ni: di-

Iohannes Baptista.

ni: dirigite semitas eius. Baptizabat Iohãnes in solitudine, & emendatione uitæ baptisma publicabat ad peccatorum ueniam: ad eumq; proficiscebatur tota Iudæa regio, ac Hierosolymitani, & ab eo baptizabãtur omnes in Iordane fluuio, confitentes peccata sua.

Matth. 3. a

Erat autem Iohannes indutus camelinis pilis, lateribus pelliceo cingulo cinctis, uescebaturq; locustis & melle syluestri, atq; huiusmodi uerbis publicè docebat: Venit quidã post me, adeò me præstantior, ut ego non sim dignus qui eius calceorum corrigiam pronus soluam. Ego quidem uos aqua baptizaui: at is uos sancto spiritu baptizabit.

Luc. 3. c
Iesus lauatur.
2. Pet. 1. d

Accidit autẽ ut per eos dies ueniret Iesus à Nazaretha Galilææ, isq; à Iohanne baptizatus est

B

in Iordane: qui Iohannes simulac ex aqua egressus est, uidit cœlum findi, & spiritum quasi colũbam descendere in eum. extititq; uox ex cœlo: Tu es meus charissimus filius, qui mihi acceptus es. Statimq; spiritus eum egit in solitudinẽ, ibiq; fuit in solitudine dies quadraginta, tentatusq; est à Satana, eratq; cum feris & ei ministrabant angeli. Postquam autem captus est Iohannes, uenit Iesus in Galilæam, diuiniq; regni euangelium publicauit, dicens, completum esse tempus, & instare Dei regnum, corrigerent se, & euangelio crederent.

Iesus Simonem & Andreã & Iacobũ & Iohannem uocat.

Ambulãs autem apud Galilææ lacum, uidit Simonem & Andreã eius fratrem, iaciẽtes in lacũ retia: erant enim piscatores. Et Iesus dixit eis: Venite post me, & efficiam ut sitis hominum piscatores. Atq; illi cõfestim, relictis suis retibus, eum secuti sunt.

Act. 3. d
Luc. 5. b
Ibidẽ 1. g et 4. e

Inde paululũ progressus uidit Iacobũ Zebedęi filiũ, & Iohannem eius fratrem, qui & ipsi in naui reficiebãt retia, eosq; protinus uocauit, atq; illi patre suo Zebedæo in naui cum mercenarijs relicto, eũ subsecuti sunt. Profecti sunt aũt Capharnaum, atq; ille cõtinuò ingressus Sabbathis in collegiũ docet, illis ad eius doctrinam attonitis: quippe qui eos doceret ut potestate præditus,

C

non ut Scribæ.

Impurus spiritus Christum agnoscit.

Erat autem in eorũ collegio homo impurum habens spiritum, qui sic exclamauit: Heu, quid tibi nobiscũ rei est, Iesu Nazarene? uenisti perditũ nos? Scio te quis sis, Sanctus Dei. At Iesus eũ increpuit, dicens: Obmutesce, & ex isto migra. Tum illum spiritus impurus lacerauit, & ingenti cum clamore exijt ex eo. Id quod admirati sunt omnes, ita ut inter sese disceptarent, quidnam id esset? quæ nã ea foret noua doctrina? quòd per potestatem etiam impuris spiritibus imperaret, ijq; ei parerent.

Matth. 8. b
Luc. 4. f

Itaq; dimanauit celeriter eius fama in omnia Galilææ finitima. Simulac autẽ ex collegio egressi sunt, uenerunt in ædes Simonis & Andreæ, cum Iacobo & Iohanne.

Petri socrũ sanat Iesus.

Socrus autem Simonis iacebat febricitans, id quod illi ei statim dixerunt. atq; ipse eam aggressus, eius manu prehensam alleuauit: eaq; protinus liberata febre, cœpit eis ministrare. Sub uesperum autem, occidente sole, adferebantur ad eum omnes malè affecti, ac furiosi, totaq; ciuitas conuenerat ad fores, atq; ille multos, qui uarijs morbis uexabantur, sanauit, & multa dæmonia eiecit, neq; sinebat dicere dæmonia se scire, eum esse Christum. Manè autẽ, multa adhuc nocte, surrexit, exijtq; Iesus, D

& abijt in desertum locũ, atq; illic orabat. Quẽ consecuti Simon & eius comites, eumq; nacti, dicunt ei, eum ab omnibus conquiri. Quibus ille: Eamus, inquit, in finitima oppidula, ut illic quoq; prædicem. Hac enim de causa profectus sum. Itaq; publicè docebat in eorũ collegijs per totam Galilæam, & dæmonia eijciebat.

Leprosus sanatur.
Luc. 5. e

Aggressus autem eum leprosus, cõgenulans, huiusmodi uerbis rogauit: Si uis, potes me purgare. Et Iesus misertus, illum porrecta manu tetigit: Volo, inquit ei, purgator. Et simul eo locuto, discessit ab illo lepra, isq; purgatus est. Ei autem interminatus, eum protinus eiecit, &, Vide, inquit, ne cui quid dicas: sed i ostensum te sacerdoti, & offer ob tui purgationem quæ præcepit Moses, ut esset eis testimonio.

Leuit. 14. a

At ille egressus, cœpit multa prædicare, & rem ita diuulgare, ut Iesus non iam posset palàm in urbes ingredi, sed foris desertis in locis esset, cum quidem ad eum ueniretur undiq;.

CAPVT II.

CVm aũt rursus post a aliquot dies ingressus esset Capharnaum, ubi auditum est eum esse domi, protinus tam multi conuenerunt, ut eos ne uestibulum quidem caperet.

a. Latinus habet octo.

Ad quos cum uerba faceret, ueniũt ad eũ quidam membris captum ferẽtes, qui à quatuor portabatur.

Sideratus ad Iesum per tectum demissus.
Matth. 6. a
Luc. 5. d
Ioan. 5. a

Qui cum ad eum accedere propter hominum turbã nõ possent, detexerunt tectũ ubi erat ille, factoq; foramine, demisere grabatum in quo iacebat sideratus. Eorum uisa fiducia Iesus, dicit siderato: Nate, ignoscuntur tibi peccata tua. Erant autem Scribarum quidam illic sedẽtes, qui cum suis animis sic cogitabant: Qui fit, ut hic ita loquatur impiè? Quis potest ignoscere peccata, nisi unus Deus?

1. Cor 2. d

Tum Iesus, cum protinus animo suo eos sic secũ cogitare cognouisset, dixit B

eis: Quid ista cogitatis cum uestris animis? Vtrum facilius est dicere siderato: Ignoscũtur tibi peccata? an dicere: Surge, & tolle grabatũ tuũ, & ambula? Atq; ut sciatis potestatem habere filium hominis ignoscendi in terris peccata, tibi dico (inquit siderato) surge, & sublato grabato tuo, abi domũ tuã. Atque ille protinus surrexit, sublatoq; grabato exijt coram omnibus, adeò ut omnes attoniti Deum collaudarent, sese nihil unquã tale uidisse confitentes. Profectus est autem rursus ad lacum, & ad eum omnes uulgò ueniebant, isq; eos docebat.

Matthæus uocatur.

Præteriens autem Iesus, conspicatus Leuim Alphęi filium, ad publicanorum mensam sedentem, dicit ei: Sequere me. Atq; ille surrexit, eumq; secutus est. Accidit autẽ ut Iesu in illius ædibus cõuiuante, cum multi publicani & improbi cum eo, eiusq; discipulis accuberent (erant enim multi qui eũ secuti fuerant) Scribæ & Pharisæi, eo uiso cum publicanis & improbis cibum capiente, quęrerent ex eius discipulis, qui fieret ut cum publicanis & improbis cibum potionemq; sumeret?

Quo

Quo audito, Iesus dixit eis: Non egent ualētes medico, sed male affecti. *[1.Tim.1.c]* Non ueni uocatū insontes, sed sontes ad frugem. Cum solerent autē Iohannis & Pharisæorum discipuli ieiunare, eū huiusmodi uerbis conuenerunt: *[Cur Christi discipuli nō ieiunent.]* Qui fit ut Iohānis & Pharisæorum discipuli ieiunent, tui discipuli non ieiunent? Quibus Iesus: Possuntne qui nuptias celebrant, inquit, dum eis sponsus adest, ieiunare? Quandiu habēt secū sponsum, nō possunt ieiunare. Sed ueniet tempus, cū eis sponsus auferetur: quo quidē tēpore ieiunabunt. Neq; uerò quisquā panni rudis pittaciū assuit ueteri uestimento. Alioquin nouum illud eius supplementum auferret ueteris partē, atq; ita deterior fieret fissura. Neq; quisquam uinum nouum in ueteres utres recondit: alioquin rumperet utres uinum nouum, & uinum effunderetur, & utres perderentur: sed est uinum nouum in nouos D utres condendum. Accidit autem ut eo per sata transeūte, cum Sabbathi dies esset, eius discipuli iter facientes spicas uellerent. *[Discipuli Sabbatho spicas uellunt.]* Itaque Pharisæi dixerunt ei: En, cur faciunt Sabbathis, quod non licet? Quibus ille: Nunquam ne legistis, inquit, quid fecerit Dauid, cum aliquando egeret, & esuriret, ipse eiusq; comites? *[Matth.12.a; Luc.6.a; 1.Reg.21.b]* ut Dei domum ingressus, Abiathare Pontifice, appositios panes (quibus non nisi sacerdotibus uesci fas est) comederit, & suis etiam comitibus impertiuerit? *[Leuit 24.b]* Sabbathum (inquit eis) propter hominem factum est, non homo propter Sabbathum. Itaq; Dominus est filius hominis, etiam Sabbathi. *[Luc.19.a]*

CAPVT III.

Ingressus est autem rursus in collegium, ubi cum homo esset aridam habens manum, *[Matth.12.a; Homo arida manus sanatur.]* illi eum obseruabant, an Sabbatho eum sanaret, ut eum incusarent. Igitur ille homini siccā habenti manum, dixit: Surge in medium. *[Luc.6.b]* Tum illos alloquens: Licetne Sabbathis benefacere, an malè facere? uitam seruare, an interficere? Cumq; illi tacerent, ille eos iratē circum intuitus, eorum animi torporem dolens, dicit homini: Extende manum tuam. *[Iohā.10.c]* Atq; ille extendit, eaq; tam sana reddita est, quàm erat altera. Pharisæi uerò egressi, protinus cum Herodianis consiliū de eo perimendo cœperunt. At Iesus sese cum suis discipulis recepit ad lacum, eumq; ingens hominū multitudo à Galilæa secuta est, *[Iesum sequuntur multi.]* & à Iudæa, & à Hierosolymis, & ab Idumæa, & ab agro Transiordanino, Tyroq; & Sidoni finitimi, cum audiuissent quæ faceret, ad eum ingēti multitudine *[Matth.4.d; Luc.4.c; Iohan.6.d]* B uenerunt. Itaq; ille suis discipulis mandauit, ut sibi præstò esset nauicula, propter turbā, ne ab illis premeretur, multos enim sanauerat: itaq; ruebant in eum, ut eū tangerent, quotquot erant in aliquo cruciatu. Itē spiritus impuri, cum eum aspexerant, accidebāt ei, & ita clamabant: Tu es Dei filius. Quos ille multū obiurgabat, ne se manifestū facerent. Ascēdit aūt in montē, & aduocauit quos uoluit, *[Matt.10.a; Apostolorū nomina.]* atq; ubi illi ad eum uenerunt, cōstituit duodecim, qui se comitarent, & quos ad publicè docendum dimitteret, quiq; potestatem haberent curandi morbos, & dæmonia eijciendi. *[Luc.6.c; Act.1.b]* Imposuit autem Simoni nomen Petrum: itemq; a Iacobum Zebedæi filiū, & Iohannem Iacobi fratrem, *[a. scilicet constituit.]* quibus nomina imposuit C Boanerges, hoc est tonitrui filij: & Andream, & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæū, & Thomā, & Iacobum Alphæi filium, & Thaddæum & Simonem Cananitam, & Iudam Iscariotam, eum à quo proditus est. Deinde ubi domum uenerunt, conuenit rursum multitudo, adeò ut ne cibum quidem capere possent. Quo audito, sui ad eum capiendum profecti sunt, dicebant enim, eum esse insanum. Scribæ autem, qui à Hierosolymis descenderant, dicebant eū habere Beelzebulem, & per dæmoniorū principem eijcere dæmonia. *[Mar.12.b; Luc.11.b]* At ille eos aduocatos sic est per similitudines allocutus: Potéstne Satanas Satanam eijcere? *[Potéstne Satanas Satanā eijcere?]* Quòd si quod regnū ab sese dissidet, id regnum stare non potest. Aut si quæ domus secum ipsa dissidet, ea domus stare nō potest. Quòd si Satanas secū ipse pugnat, ac dissidet, stare nequit, sed finem habet. Nō potest D quisquam alicuius potentis supellectilē, in eius ædes ingressus, diripere, nisi prius potentem illum uinciat, atq; ita demum eius ædes diripiat. Certò scitote, omnia hominum generi peccata, & quæcunque maledicta dixerint, ea esse ignoscenda. *[Maledictū in spiritū sanctum.]* Sed qui sancto spiritui maledixerit, nunquam assecuturus est ueniā, sed obnoxius est supplicio sempiterno: b Quoniam dicebant eum immundum habere spiritum. *[b. Plena sententia erit: Id autē dicebat quoniam, &c.]* Venerunt autem eius mater & fratres, forisq; manentes curarunt eum accersendum, cum quidem eum circuncideret hominum multitudo. Cum igitur illi ei dixissent, adesse foris eius matrem, & fratres qui eum quærerent, ille sic eis respondit: *[Luc.8.c]* Quæ est mea mater, meiq; fratres? Tum circumspectis discipulis, qui se circūsidebant: Ecce mea mater, inquit, meiq; fratres. *[Christi fratres.]* Quisquis enim Dei uoluntati paret, is meus frater, & soror, & mater est.

CAPVT IIII.

Rursus autē cœpit ad lacum docere, tātaq; ad eum cōuenit hominū multitudo, ut nauem ingressus sederet in lacu, *[Luc.8.a; Matt.13.a]* & omnē multitudinem, quę apud lacū in terra erat, multa per similitudines doceret, & inter docendū sic eis diceret: Audite. Profectus est aliquando quidam sator ad serendū: *[Sator.]* atq; inter serendū accidit, ut aliud caderet apud uiā, id quod comederunt aëreæ uolucres, quæ superuenerūt. Aliud cecidit in saxetum, ubi nō multam habebat humū, idq; statim exortum est, quod profundam terrā nō haberet, dinde orto sole, æstuauit, & quoniam radicem non habebat, aruit. Aliud cecidit in spinas, quæ spinæ creuerunt, idq; suffocarunt, ita ut fructum non ediderit. Aliud cecidit in bonam terram, ediditq; fructum, qui tanto incremento auctus est, ut extulerit partim cum trigesimo, partim cum sexagesimo, partim cum centesimo. Qui aures habet ad audiēdum (inquit eis) audiat. Cū aūt seorsum esset, interrogarunt

garunt

Mat.8.b Ioan.12.f garunt eum sui, cum duodecim, de ea similitudine. Quibus ille: Vobis datum est, inquit, re-
B gni Dei arcanum nosse: at cum illis exteris omnia per similitudines aguntur, ut aspiciant, Esai.6.c Act.28.f neque uideāt: & audiant, nec intelligant, ne ad frugem redeant, atq; ita eis ignoscantur peccata. An nescitis hanc similitudinem? inquit eis: quo pacto uerò similitudines omnes cognoscetis? Sator sermonem serit. Secundum uiam autem ubi seritur sermo, ij sunt qui simulac audiuerunt, uenit Satanas, tollitq; satum in eorum animis sermonem. Similiter qui in saxetum serūtur, ij sunt, qui cum sermonem audiunt, eum protinus accipiunt cum lætitia: uerùm non habent in sese radicem, sed temporarij sunt: deinde orta propter sermonem calamitate, aut insectatione, citò dimouentur. Qui autē in spinas seruntur, ij sunt qui sermonem audiunt, sed superueniunt huius uitæ curæ, & diuitiarum fallacia, reliquarumq; rerum cupiditates, quæ sermonem ita suffocant, ut sit infructuosus. At in bonam terram sati, ij sunt qui sermonem & audiunt, & admittunt, & fructum ferunt partim trigecuplū, partim sexagecuplum, partim cen-
C tuplum. Item hoc dixit eis: Nunquid accenditur lucerna, ut sub modio ponaē, aut sub lecto? *Lucerna in loco perspicuo.* Nónne ut in candelabro ponatur? Nihil enim est tam occultum, quod non sit patefaciendum: Mat.5.b Luc.8.c Mat.10.c neq; quicquam tam arcanè fit, quod non palàm futurum sit. Si quis aures ad audiendum habet, audiat. Videte quid audiatis, inquit eis: qua mensura metiemini, metiendum uobis est, & uobis addetur audientibus. Nam qui habet, ei dabitur, qui uerò nō habet, etiam quod habet eripietur ei. Deinde dicebat: perinde est cœleste *Semē satū.* regnum, ac si quis iaciat humi semen, deindè dormiat, atq; surgat noctes & dies, semenq; germinet, & grandescat, eo nesciente. Nam terra sponte sua parit, primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum in spica frumentum. Simulac autem fructus adoleuit, ille falcem immittit, quoniam messis adest. Item dicebat: Cui assimilabimus regnum Dei? aut qua id comparatione comparabimus? Perinde est ac granum sinapi, quod cum est in terra satum, est quidem omnium terrestrium seminum uel minimum: sed cum est satum, crescit, fitq; omnium maximum olerum: tantosq; ramos procreat, ut possint sub eius umbra aëreæ uolucres nidulari. *Sinapi.* Luc.13.d Huiusmodi similitudinibus multis ad illos uer-
D ba faciebat, prout audire poterāt: nec eos absq; similitudine alloquebatur, sed seorsum discipulis suis explicabat omnia. Dixit autem eis illo die sub uesperam: Traijciamus. Itaq; illi, omissa Matth.8.c *Tempestas discipulos uexat.* hominum multitudine, eum admiserunt, ut erat in naui, cum quidem aliæ quoque nauiculæ essent unà cū eo. Extitit autē tanta uenti procella, ut fluctus adeò nauem inuaderent, ut ea iam repleretur, cum esset ipse in puppi, super ceruicali dormiens. Igitur illi eum excitant, & Magister, inquiunt, nihil ne hoc curas, quòd perimus? At ille expergefactus, uentum obiurgauit, & lacui dixit: Tace, obmutesce. Itaq; sedato uento, magna tranquillitas extitit. Et ille: Adeóne timidi estis, inquit eis: quî fit ut fiduciam non habeatis? Illi uerò ingenti metu perculsi, dicere inter sese: Et quis est hic, ut ei uentus & lacus obediant?

CAPVT V.

VEnerunt autem trans lacum in agrum Gadarenorum, eiq;, simulac ex naui egressus est, occurrit ex monimentis homo impurum habens spiritum, in monimentis degere solitus, quem ne catenis quidem poterat uincire quisquam: quippe à quo sæpe compedibus catenisq; uincto, discerptę fuerant catenæ, & compedes comminutæ: nec eum quisquam domare potuerat. Semper autem noctes diesq; in montibus & sepulchretis agēs, clamabat, & seipsum lapidibus contundebat. Is uiso procul Iesu accurrit, eiq; honorem præbuit, & ingenti uoce clamans inquit: Quid tibi mecum rei est, Iesu supremi Dei fili? Obtestor te per Deum, ne me torqueas. Ille enim ei dicebat: Exi impure spiritus ex homine, eumq; interrogabat quod esset ei nomen. Cui ille respondit: Legio mihi nomen est, quoniam multi sumus: eumq; multum òrabat ne eos extra eam regionem mitteret. Erat autem illic apud montes porcorum grex ingens, qui pascebat. Igitur eum rogarunt dæmones omnes, ut se in porcos mitteret, ut in eos ingrederentur. Id quod simulac eis permisit Ie- B
sus, egressi spiritus impuri ingressi sunt in porcos. atque grex per præceps in lacum decurrit (erant autem circiter duo millia) inq; lacu suffocati sunt. Subulci autem fugerunt, idq; & in urbe & per rura nunciarunt. Itaque profecti homines ad uidendum quid accidisset, ueniunt ad Iesum, spectantq; furiosum illum sedentem, uestitumq;, & sanæ mentis, qui legionem habuerat: timueruntq;. Cumq; eis narrassent, qui uiderant, quid accidisset furioso, itemq; de porcis, cœperunt eum orare ut ex suis finibus discederet. Eum autem in nauem ingressum, rogabat qui fuerat furiosus, ut esset ei comes. Verùm Iesus non permisit ei, sed dixit: Abi domū tuam, ad tuos: eisq; nunciato quæ tibi Dominus, tui misertus, fecerit. Ita ille discessit, cœpitque per Decapolim prædicare quæ sibi fecisset Iesus: id quod mirabantur omnes. Iesu autem rursus in naui traiecto, conuenit ad eum frequens hominum multitudo: cumq; esset apud lacum, uenit quidam magistrorum collegijs, nomine Iairus, qui eo uiso, ei ad pedes accidit: eumq; multum orauit, dicens filiolam suam in C
extremo esse periculo: ueniret, eiq; manus imponeret, ut seruaretur ac reualesceret. Ita ille cū eo abijt, tanta eum sequente hominum multitudine, ut eum præmerent. Quædam autem mulier, quæ sanguinis profluuio iam duodecim laborabat annos, & multa à multis passa medicis, omni sua re consumpta, non solum nihil profecerat, sed in deterius uenerat, cum de Iesu audiuisset, uenit à tergo inter turbam, eiusq; uesti-

mentum

mentum tetigit: cogitabat enim, si uel eius uestes attingeret, se saluam fore. & protinus aruit eius fons sanguinis, sensitq; corpore se esse ab ea miseria sanatã. Et Iesus statim apud sese uim à se profectam cognoscens, conuersus in turba dixit: Quis mea uestimenta tetigit? Cui eius discipuli:

D

Vides te à turba premi, & quæris quis te tetigerit? Sed cum ille circũspiceret, ut eam uideret quæ id fecerat, territa mulier, & tremebunda, sciens quid sibi accidisset, uenit, & ei accidit, remq; omnem, ut sese habebat, dixit. Et ille: Filia, inquit ei, tua te fiducia seruauit: abi salua, & esto à tuo malo sana.

Luc.7.g

Adhuc eo loquente, ueniunt à magistro collegij, qui ei dicunt: Tua filia mortua est, qd iam molestus es magistro? At Iesus, simulac quid diceretur audiuit, dixit magistro collegij: Ne metue, tantũ crede. Non siuit autem quenquam se subsequi, præter Petrum, & Iacobum, & Iohãnem Iacobi fratrem. Deinde ubi uenit in ædes magistri collegij, uidet tumultum, & plorantes, multumq; eiulantes, ingressusq; dicit eis: Quid tumultuamini, & ploratis? Puella non est mortua, sed dormit. At illi eum deridere. Ipse, eiectis omnibus, assumpto puellæ patre atq; matre, & suis comitibus, ingreditur eò ubi iacebat puella. eiusq; manu prehensa, dicit ei: Talitha cumi. quæ uerba sic sonant: Puella (inquam tibi) surge. statimq; surrexit puella, & ambulare cœpit (erat autem annorũ duodecim) unde illi uehementer sunt attoniti. Præcepit autem eis Iesus magnopere, ne quis id resciscereret, eiq; cibum dari iussit.

Talitha cumi.

CAPVT VI.

Matt.13.g Luc.4.d Iohã.4.f

ILlinc deinde ꝓfectus, uenit in suam patriam, sequentibus eum eius discipulis. Atq; ubi aduenit Sabbathũ, cœpit in collegio docere, ita ut multi audiẽtes, attoniti dicerent: Vnde ei hæc? & quæ est quæ ei data est sapientia, & quę fiunt eius manibus miracula? An nõ is est faber, Mariæ filius, Iacobi, & Iosis, & Iudæ, & Simonis frater? & nõne sunt hic apud nos eius sorores? Itaq; in eo offendebantur. Et Iesus dicebat eis, non esse uatem inhonoratum, nisi in sua patria, & apud consanguineos, domiq; suæ. Itaq; non potuit illic ullum facere miraculum, nisi quòd paucos ęgrotos, impositis manibus, sanauit, admiratus eorum incredulitatem. Obibat autem uicos undiq; finitimos, docens: uocatosq; duodecim, cœpit binos dimittere, eisq; in spiritus impuros potestatẽ dedit: pręcepitq; ne quid ad

Iesus discipulos mittit.

B

iter circũferrent, nisi baculum tantum, non peram, non panem, non æs in crumena, sed sandalijs calcearentur, neq; binas induerent tunicas. Item eis dixit: Vbicunq; domum ingressi fueritis, illic manetote, donec inde migretis.

Matth.10.b Luc.9.a

Ibidem 10.a

Et quicũq; uos nõ admiserint, nec audiuerint, uos illinc proficiscẽtes, excutite puluerem, qui suberit uestris pedibus, quod sit eis testimonio. Hoc uobis confirmo, mitius actum iri cum Sodomis & Gomorris in die iudicij, quàm cum illa ciuitate. Igitur illi profecti, mores corrigere publicè docebant, multaq; dæmonia eijciebãt, & multos ęgrotos oleo ungebant, ac sanabant.

Matth.14.a

Id cum audiuisset rex Herodes, (nam celebre factũ erat eius nomen) dicebat Iohannem, qui baptizare solitus fuerat, ex mortuis surrexisse, ideoq; eũ tam esse factis potentẽ. Alij dicebant

C

Eliam esse, alij uatẽ esse, aut ut aliquẽ uatũ. Quo audito, Herodes dicebat, quem ipse decollasset Iohãnem, eum esse: ex mortuis surrexisse.

De Iohãnis Baptistæ obitu.

Nã ipse Herodes Iohannem capiendũ curauerat, & in custodia uinciendum, propter Herodiadem Philippi sui fratris uxorem, quam ipse duxerat in matrimoniũ. Dicebat enim Iohannes Herodi, nõ licere ei uxorem habere sui fratris. Herodias aũt imminebat Iohanni, eumq; interficere uolebat: sed nõ poterat, propterea ꝙ Herodes Iohannẽ uerebatur, sciens uirum esse iustũ, atq; sanctum, eumq; obseruabat, eiq; multis in rebus auscultabat, & eum libenter audiebat. Accidit autem opportuna dies, qua Herodes optimatibus tribunisq; & primatibus Galilęæ natalitia dabat, & ingressa ipsius Herodiadis filia saltauit, Herodiq; & conuiuis ita placuit, ut dixerit rex puellę: Posce me quicquid uoles, & tibi dabo. eiq; sic iurauit: Quicquid à me petieris, id tibi dabo, etiã si sit regni mei dimidium. At illa egressa, consuluit suã matrem, ecquid peteret? Et mater iussit, ut Iohannis Baptistę caput.

D

Itaq; illa statim festinãter ad regem ingressa, petijt his uerbis: Volo ut mihi des protinus in catino, caput Iohannis Baptistæ. Id ꝗd dolens rex, tamen propter iusiurandũ & conuiuas noluit ei denegare: misitq; confestim rex spiculatorem, & ei ut illius caput afferret imperauit. Ille eum in carcere decollatũ iuit, & eius caput in catino attulit, ac puellæ tradidit: quod puella porrò suæ matri dedit. Hoc audito, Iohannis discipuli uenerunt sublatũ eius corpus, idq; in monimento posuerunt. Conuenerunt autem ad Iesum apostoli, eiq; omnia quæq; fecerant, quæq; docuerãt, renunciauerunt. Et Iesus iussit eis ut adessent ipsi seorsum in desertũ locum, paululumq; requiescerent. Erant enim qui ueniebant & qui abibant, tam multi, ut eis ne cibi quidẽ capiendi ocium suppeteret. Itaq; discessit in desertum locum, in naui, seorsum: quos cũ uulgus abire uideret, agnouerunt eum

E

multi, & illuc pedestres ex omnib. urbibus concurrerunt, eosq; aggressi, ad eum cõuenerunt.

Matth.9.d

Itaq; egressus Iesus, tantam conspicatus multitudinem, misertus est eorum, quòd erant perinde ac pastorem non habentes oues, eosq; multa docere aggressus est. Postquam autẽ iam sera uenit hora, eius discipuli eũ huiusmodi uerbis aggressi sunt: Desertus est hic locus, & iam sera hora: dimitte eos, ut in finitimos pagos uicosq; profecti, panes sibi comparẽt. nam quod comedant nõ habent. Et Iesus eis respondens: Præbete uos eis cibum, inquit. Cui illi: Eamus emptũ ducentis denarijs panes, quibus eos pascamus. Et ille: Quot panes habetis? inquit eis: Ite uisum. Quo cognito, cum quinq;, & duos pisces dixissent, iussit illos omnes discumbere ca-

De panibus & piscibus multiplicatis.

Iohan.6.d

teruatim in uiridi gramine. Ac postq̃ in classes distributi centeni & quinquageni discubuerunt, ille sumptis quinq; panibus, & duobus pi- F scibus, cœlũ suspiciens laudes egit, fregitq; panes, & suis discipulis tradidit, ut illis apponeret, duosq; pisces distribuit omnibus, comederũtq; cuncti ad sacietatem, & sublata sunt fragmẽtorum duodecim canistra plena, nec non ex piscibus: & erant qui comederant, uirorum circiter quinq; millia. Deinde confestim coëgit discipulos suos nauim cõscendere, & ante traijcere ad Bethsaidã, dum ipse turbam illã dimitteret. Postquã illis uale dixit, discessit in montẽ orandi gratia.

Discipuli tempestate uexantur.

Sub uesperam cum esset nauis in medio lacu, & ipse solus in terra, uidit eos in remigando uexari: quippe cum uentus esset eis contrarius. Deinde circa quartam noctis uigiliam uenit ad eos, per lacum ingrediens, eosq; uolebat præterire. At illi eũ in lacu ambulantẽ conspicati, & spectrum esse rati, exclamare: omnes enim eũ uiderunt, turbatiq; sunt. Tum ille continuò eos allocutus: Bono este animo, inquit: G ego sum, ne timete. ad eosq; ascendit in nauẽ, & uentus posuit: id quod illi supra modũ attoniti, apud sese mirari. Non enim cõsiderabant a illos panes, utpote qui torpentibus essent animis. Postq; traiecerunt, uenerunt in agrum Genezarethanum: ac simulac appulsi, ex naui egressi sunt, incolæ eo cognito, totam illam finitimã regionẽ percurrerũt, cœperuntq; in grabatis malè affectos eò afferre, ubi eum esse audiebãt. Ac quocũq; intrabat in uicos, in urbes, aut pagos, proponebãt per fora ægrotãtes, eũq; rogabant, ut uel eius togæ limbum tangerent: ac quicunq; eum tangebant, sanabantur.

a Non esse mirũ ab eo sedari uentos, qui panes ita multiplicare potuisset.

CAPVT VII.

De lauãdis manibus.

Conuenerunt autem ad eum Pharisæi, & quidam Scribarũ, qui Hierosolymis uenerant: qui cum uidissent quosdã eius discipulorum profanis, hoc est illotis manibus cibũ capientes, reprehenderũt. Nam Pharisæi Iudæiq; omnes nõ nisi sæpe lotis manibus epulãtur, tenentes ueterum institutũ. Item à foro non nisi loti epulant̃, aliaq; multa sunt quæ tenenda acceperunt, poculorũ lotiones, & urceorum, & æramentorũ, & lectorũ. Deinde sic eum interrogant Pharisæi & Scribæ: Cur non agũt tui discipuli, ut ueterũ postulat institutio, sed illotis manibus cibũ capiunt? Quibus ille sic respondit: Rectè de uobis simulatoribus uaticinatus est Esaias, ut scriptũ est: Hic populus me labijs B honorat, cum eorũ animus absit à me procul. Verùm frustra me uenerant̃, docentes doctrinas, quæ sunt hominũ præcepta. Nam relicto Dei præcepto, tenetis hominum institutũ, urceorum poculorũmque lotiones: & alia his consimilia multa facitis. b Probè, inquit eis: Dei præceptum antiquatis, ut uestram conseruetis institutionem. Moses enim dixit: Honora tuum patrem atq; matrem: &, Qui patri matriue male dixerit, morte plectatur. At uos dicitis: Si quis patri matriue dixerit: c Corban, hoc est donarium, quod à me proficiscetur, id tibi proderit. Ita non sinitis eum iam quicq; suo patri matriue præstare: Dei dictum ita, quam tradidistis, institutione rescindentes. Atq; huiuscemodi multa facitis.

Matth. 15 a
Esa. 29. d
b. Ironia Scilicet ita faciendum est.
Exo. 20. c
Deut. 5. b
Leui. 20. b
Ephe. 6. a
c. Cum ita sententia, quippe in re illis nota, ut cum latinè dicimus, Et cætera.

Tũ aduocata omni multitudine, dixit eis: Audite me omnes, & intelligite. Nihil est extra hominẽ, quod in eum intret, quod eum possit inquinare: sed quę ex eo prodeunt, ea sunt quæ hominẽ polluunt. Si quis aures habet ad audiendũ, audiat. Vbi autẽ à turba do- C mum ingressus est, interrogarũt eũ eius discipuli de illa similitudine. Quibus ille: Adeóne uos quoq; tardi estis? An nondum intelligitis, nihil quod extrinsecus in hominẽ intrat, posse eum coinquinare? utpote cum nõ in eius cor, sed in uẽtrem & in latrinã feratur, expugans omnes cibos. Sed quod ex homine exit, inquit, polluit hominem. Internè enim ex hominũ corde prodeunt prauę cogitationes, adulteria, stupra, cædes furta, auaritiæ, malitiæ, fraus, libido, d malus oculus, maledicta, superbia, dementia. Hæc omnia mala intrinsecus prodeũt, & hominem polluũt.

d. Inuidia

Mulier Syrophœnissa

Illinc profectus, discessit in Tyri Sidonisq; confinia, ingressusq; domum, nolebat id scire quenq;: sed non potuit latere. Nam cũ de eo audiuisset quædam mulier, cuius filia spiritum habebat impurũ, uenit, & ei ad pedes accidit. Erat autẽ mulier Græca, genere Syrophœnissa. Ea rogabat eum, ut dæmoniũ expelleret ex sua filia. At Iesus dixit ei: Sine prius satiari natos. Non enim cõuenit sumere natorum panem, & catellis obijcere. Et illa: Etsi ita est Domine (inquit ei respondẽs) tamen catelli sub D mẽsa comedunt de puerorũ micis. Tũ ille: Propter istud dictũ, inquit ei, abi: migrauit dæmonium ex tua filia. Itaq; illa domũ suam profecta inuenit egressum dæmoniũ, & iacentẽ in lecto filiam.

Surdus tardiloquus.

Rursum profectus ex Tyrijs Sidonijsq; finibus uenit ad Galilęę lacũ, per medios fines Decapolis, eique adductus est surdus tardiloquus, cui ut manũ imponeret rogatus est. Atq; ille eo seorsum extra turbam seducto, immisit suos digitos in eius aures, spuitq;, et eius linguã tetigit, & in cœlũ intuens ingemuit, eiq; dixit, EPHATA: hoc est, aperitor: ac protinus illius & aures apertæ, et solutũ linguę uinculũ est, ita ut rectè loqueret̃. Præcepit aũt eis ut id nemini diceret. Sed quo magis eis præcipiebat, eo magis prędicabãt, et maiorẽ in modũ obstupescẽbant, dicẽtes eum omnia rectè fecisse, & ut surdi audirent, & ut muti loquerentur, efficere.

Gene. 1. d
Eccle. 39. e

CAPVT VIII.

Multiplicati panes & pisces.
Matth. 15. d

Per eos dies erat per magna hominũ multitudo, nec habebant quod comessent, & Iesus aduocatis suis discipulis, inquit: Miseret me huius multitudinis: siquidem iam tres dies me comitant̃, nec habent quod comedant. Quod si eos domũ ieiunos dimisero, defethiscẽtur in uia: nam eorũ nõnulli procul uenerũt. Et discipuli eius sic ei responderũt: Vnde possit eos quisq; panibus hic in solitudine satiare? At ille eos interrogauit: Quot habetis panes? Septem, inquiunt,

inquiunt. Tum ille iussit multitudinem humi discumbere: sumptosq́ septem panes, actis gratijs, fregit, suisq́ tradidit discipulis, ut apponerent: quos illi apposuerunt multitudini. Cumq́ paucos haberent pisciculos, ille actis laudibus, iusit eos quoque apponi. Illi uerò epulati sunt ad satietatē, suntq́ sublatæ reliquorū fragmentorum sportæ septem. Erant autem qui comederunt, circiter quatuor millia: quibus ille dimissis, confestim conscensa naui cum suis discipulis, uenit in tractus Dalmanuthanos.

B

Matth.16.a
Ioan.2.d
6.d

Eò profecti Pharisæi, cœperunt cum eo contendere, postulantes ab eo signum de cœlo, eius tentandi gratia. At ille animo ingemuit, & dixit: Quid signum quærit hæc natio? Pro certo habetote, nullum huic nationi signum datum iri. Deinde relictis eis, rursum conscensa naui traiecit.

Matth.12.c
Luc.11.d
13.d
Pharisæorū fermentum cauendum.

Obliti erant autem panes sumere, nec nisi unum panem secum habebant in naui. Itaq́ cum ille eis præciperet, uiderent ut Pharisæorum Herodisq́ fermentū cauerent, illi inter sese cogitabant ac dicebāt, id eò pertinere, quòd non haberent panes. Quo cognito Iesus eis inquit: Quid cogitatis? uos nō habere panes? An nondum animaduertitis, nec intelligitis? adhuc torpentia habetis corda? oculos habentes non uidetis? & aures habentes nō auditis? neq́ meministis, cum illos quinq́ panes ad hominum quinq́ millia fregi, quot canistra plena fragmētorū sustuleritis? Duodecim inquiunt ei. Quid cum septē ad quatuor millia? quot plenas fragmentorum sportas sustulistis? Septē inquiunt.

Ioan.6.b

C

Et ille: Quî fit, inquit eis, ut non animaduertatis? Deinde ubi Bethsaidā uenit, allatus est ei cæcus, quem ut tangeret rogatus est. Et ille prehensa cæci manu, eum eduxit ex uico, & eius oculos cōspuit, eiq́ manus imposuit, & eum interrogauit, ecquid uideret. Et ille intuitus, dixit: Video homines, nam arborum ritu uideo ambulantes. Deinde rursus ille eius oculis manus imposuit, effecitq́ ut uideret, ita ut restitutus, omnes perspicuè discerneret. Atq́ ille eum domum dimisit, uetans ne uel in uicū ingrederet, uel id cuiq́ in uico diceret.

Cæco sanato homines uidentur arbores.

Luc.9.c

Quē me dicunt homines esse.

Profectus est autem Iesus, eiusq́ discipuli, in uicos Cæsareæ Philippi, atq́ in uia suos discipulos huiusmodi uerbis interrogauit: Quem me dicunt homines esse? Cui illi responderūt, Iohannē Baptistam, alij Eliam, alij uatem aliquē. Et ille: Vos uerò, inquit eis, quē dicitis esse me? Cui Petrus ita respōdit: Tu es Christus. At ille eis interdixit, ne cui se indicarēt.

D

eosq́ docere cœpit, oportere filiū hominis multa pati, & à Senatorib. & Pontificibus, & Scribis improbari, ac interfici, & post triduū resurgere. Dum ita apertè uerba facit, prehendit eum Petrus, & obiurgare cœpit. At ille cōuersus, discipulosq́ suos intuitus, Petrum his uerbis obiurgauit: a Abi post me Satana: quandoquidem non diuina, sed humana sapis. Tum aduocato uulgo cum suis discipulis, dixit eis: Qui me ponè uult sequi, renunciet sibimetipsi suamq́ crucem tollat, et me sequatur. Nam qui uolet animā suam seruare, perdet eam: qui uerò animam suam mea & Euangelij causa perdiderit, eam seruabit. Quid uerò proderit homini, si uel totum mundum lucratus fuerit, & animæ suæ iacturam faciat? aut quam dabit homo animę suæ compensationem? Nam quem mei meorumq́ dictorum in hac adulterina improbaq́ natione puduerit, eius uicissim pudebit filium hominis, cū in patris sui gloria uenerit unà cū sanctis angelis. Tum eis dicit: Hoc certò scitote, esse quosdam eorum qui hîc adsunt, qui non antè mortem sensuri sint, quàm Dei regnū uideant uenisse cum potentia.

a. Facesse ex meo cōspectu.

Luc.14.f

Matth.10.d

Iohan.12.d.
Luc.9.c
Luc.17.g

CAPVT IX.

Iesus transformatur.
Matth.16.d
Luc.9.c

DEinde post sex dies assumit Iesus Petrū, & Iacobū, & Iohannem, eisq́ in arduum montem solis seorsum ductis, transfiguratus est coram eis, eiusq́ uestimenta facta sunt fulgentia, tam alba quàm est nix, quomodo nullus in orbe fullo dealbare posset: eisq́ conspectus est Elias cum Mose, qui cum Iesu colloquebantur. Tum Petrus sic Iesum allocutus est: Rabbi, bonum est nos hîc esse: itaq́ faciamus tria tabernacula, tibi unum, Mosi unū, & Eliæ unum. Nesciebat autem quid diceret, quippe cum essent territi. Extitit autem nubes, quæ eos inumbrauit, uenitq́ uox ex nube dicens: Hic est meus charissimus filius, hunc audite. Et subitò circūspicientes, nullum iam uiderunt, nisi Iesum solum cum ipsis.

B

Descendentibus autem eis de monte, præcepit eis, ne cui quæ uiderant narrarent, nisi postquam filius hominis ex mortuis resurrexisset. Illi uerò apud sese id dictum retinuerunt, quærentes quid esset, ex mortuis resurgere. Itaq́ eum interrogarunt de eo quod dicerent Scribæ, Eliam oportere uenire prius. Et ille respondens eis: Elias quidem prius uenturus, & omnia instauraturus est: idq́ quemadmodum de filio hominis scriptū est, multa passurum, & contemnendum esse. Sed scitote Eliā uenisse, & illos ei quæ uoluerint fecisse, quēadmodum de eo scriptum est.

Elias.

Deinde ubi uenit ad discipulos, uidit circa eos ingentē hominum multitudinem, & cum eis contendentes Scribas: ac uulgo simulac eum uiderunt, admirati, eum salutatum accurrunt. Ipse Scribas interrogauit, quid cum illis contenderent.

C

Cui unus ex turba respondit in hunc modum: Magister, aduxi tibi meum filium, qui mutum habet spiritum: qui ubi eum corripuit, ita lacerat, ut spumet, & dentibus strideat ac tabescat. Eum ut eijcerent petij à tuis discipulis, sed nequiuerunt. Tum ille ei respondens: O diffidens natio, inquit, quousq́ tandem apud uos ero? quousque tandem uos feram? Adducite eum ad me. Atq́ ille ad eum adducitur, & simulac ille eum uidit, conuulsit eum spiritus, ita ut collapsus humi, uolutaretur spumans. Ille ex eius patre sciscitatus est, quādiu esset cum id ei accidisset? Et pater respondit: Iam à pueris. ac sæpe eum & in ignem iecit, & in aquam, ut eum perderet. Sed si quid potes, succurre nobis, nostri misertus.

Mutus spiritus.

D

Et Iesus: Siquidem potes (inquit ei) fidere, omnia fieri possunt fideti. Hic protinus exclamans pueri pater, cũ lachrymis: Fido, inquit, Domine, succurre meæ diffidentiæ. Videns autem Iesus uulgus accurrere, increpuit impurum spiritum, dicens ei: Spiritus mute & surde, ego tibi impero ut ex eo emigres, nec amplius in eũ intres. Tum ille exclamando, eumq; uehementer laniando exijt. Atq; is perinde fuit ac mortuus, ita ut multi mortuũ esse dicerent. At Iesus eum manu prehensum alleuauit, atque ille surrexit. Eum autem domum ingressum discipuli seorsum interrogarunt, cur ipsi eum expellere nequiuissent? Quibus ille: Hoc genus, inquit, nulla re eijci potest, nisi precibus & ieiunijs. Illinc profecti iter faciebant per Galilæam, nec ille uolebat ut id sciret quisquam. Docebat enim discipulos suos, eisq; dicebat, filium hominis tradendum esse in hominum manus, qui eum interficerent, isq; interfectus tertio die resurgeret. At illi eam rem ignorabant, & eum interrogare uerebantur. Venit autem Capharnaum: atq; ubi domum uenit, quæsiuit ex eis quid in uia inter sese disceptassent? Cumq; illi silerent (nam inter sese disputauerant in uia, quis esset maximus) ille consedit, & uocatis duodecim dixit: Si quis primus esse uult, erit omnium ultimus, omniumq; famulus. Tum puerum sumpsit, & in eorum medio statuit, eumq; complexus ulnis, inquit eis: Qui aliquem talium puerorum accipit meo nomine, me accipit: & qui me accipit, non me accipit, sed eum qui me misit. Tum Iohannes sic eum est allocutus: Magister, uidimus quendam in tuo nomine eijcientẽ dæmonia, qui non sequitur nos: itaq; eum prohibuimus, quoniam non sequitur nos. At Iesus: Ne prohibete eũ, inquit. Nemo enim est qui meo nomine miraculum faciat, qui citò possit mihi maledicere. Nam qui contra nos non est, à nobis est. Etenim qui uobis uel aquæ poculũ meo nomine bibendum dederit, quòd Christi sitis, certò scitote, fore ut sua mercede non frustretur. Et qui uel minimũ eorũ qui mihi fidem habẽt, læserit, satius esset ei, eius collo molarẽ lapidem circumponi, eumq; in mare deijci. Quòd si tibi tua manus officit, abscinde eam. Satius est enim tibi mancũ in uitam ingredi, quàm duas habentem manus abire in gehennam, ignem inextinctũ, ubi nec eorum uermis interit, nec ignis extinguitur. Et si tibi pes tuus officit, abscinde eum: satius est te in uitam claudum ingredi, quàm duos habentem pedes in gehennã conijci, in ignem inextinctum, ubi nec eorũ uermis interit, nec ignis extinguitur. Et si tibi tuus oculus officit, erue eum: satius est tibi unoculũ in Dei regnũ ingredi, quàm duos habentem oculos in ignis gehennam conijci, ubi nec eorum uermis interit, nec ignis extinguitur. Nam & omnes igne saliendi, & omne sacrificium sale saliendum est. Bonum est sal: sed si sal insulsum fiat, quo condietur ipsum? Habete in uobis salem, & pacem inter uos gerite.

Matth. 17.c — E — *Matth. 20.d* — F — G

CAPVT X.

Illinc profectus uenit in fines Iudææ, per trãsiordaninum agrum: eumq; rursum cõuenit uulgus hominum, quos ille rursum, ut solitus erat, docet. Agressi autem eum Pharisæi interrogarunt, liceret ne uiro uxorẽ repudiare? tentantes eum. Quibus ille sic respondit: Quid uobis præcepit Moses? Et illi: Moses permisit scripto diuortij instrumento repudiare. At Iesus respondens: Propter uestram (inquit eis) peruicaciam scripsit ille uobis illud præceptum. Sed à creationis primordio marem & fœminam fecit eos Deus. Huius causa homo, relicto suo patre atq; matre, hærebit uxori suæ, fietq; ex duobus una caro: itaq; non iam sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo ne disiungat. Itemq; domi rursus eum eadem de re interrogarunt eius discipuli. Quibus ille: Quisquis uxorem suam repudiat, aliamq; ducit, adulterat in eam. Et si uxor, repudiato uiro suo, nupserit alteri, adulterat. Adducebantur autem ei pueri, ut eos tangeret: discipuli uerò eos à quibus adducebantur, obiurgabant. quo uiso, indignatus Iesus, dixit eis: Sinite pueros ad me uenire, néue eos prohibete: talium enim est Dei regnum. Hoc pro certo habetote, qui Dei regnũ non acceperit ut puer, non esse in id ingressurũ. Deinde eos cõplexus ulnis, & manibus eis impositis, eis bene precatus est. Eo autẽ iter faciente, accurit quidam, qui eum, flexis ad eum genibus, sic interrogauit: Magister bone, quid faciã, ut uitam adipiscar æternam? Cui Iesus: Quid me dicis bonum? inquit. Nullus est bonus, nisi unus Deus. Præcepta nosti: Ne adulterato. ne occidito. ne furator. ne falsum testimoniũ dicito. ne fraudato. honorato tuum patrem atq; matrem. Et ille respondens: Magister, inquit, hæc omnia à pueris seruaui. Hic Iesus eum intuitus, [a] amauit, eiq; dixit: Vnum tibi deest. I uenditũ quicquid habes, & in pauperes erogato, habiturus in cœlo thesaurum: deinde me, crucem ferens, secutum uenito. At ille eo dicto mœstus abijt, dolens: quippe qui multis præditus esset opibus. Et Iesus circùm intuitus, dicit discipulis suis: O quàm difficulter, qui pecunias habent, in Dei regnũ ingredientur? Hic cum discipuli, eius dicta demirarent, Iesus rursum sic eos alloquitur: nati, quàm difficile est, fretos pecunijs in Dei regnũ ingredi? facilius est rudentẽ per foramen acus traijci, quàm diuitem in Dei regnum intrare. Cumq; illi uehementius stuperent, sic secum ipsi cogitantes: Quis ergo seruari potest? intuitus eos Iesus, dixit: Ab hominibus fieri non potest, at à Deo potest. omnia enim à Deo fieri possunt. Tum Petrus sic dicit ei: Nos quidem, relictis omnibus, te secuti sumus. Et Iesus: Hoc uobis confirmo, inquit respondens, nullũ esse qui domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorẽ, aut liberos, aut agros, mea & Euangelij causa reliquerit, quin sit & nunc, hoc tempore centuplũ, domos, & fratres, & sorores, & matres, & liberos, & agros inter aduersa, &

Matth. 19.a — *De repudio.* — *Deut. 24.a* — *Genes. 1.d* — *Ephes. 5.d* — *1. Cor. 6.d* — B — *Luc. 16.d* — *Matth. 16.b* — *Sinite pueros ad me uenire.* — *Luc. 10.18.* — C — *Solus Deus bonus.* — *Exod. 20.b* — *Rom. 8.a*

[a] Probauit, ut cum dicimus, Amo te hoc est, rectè fecisti.

Diuites ægrè seruantur. — D

sa, & in futuro æuo sempiternā uitā consecuturus. E Sed multi & primi erunt ultimi, & ultimi primi. Cum autem Hierosolyma ascenderent, & eos antecederet Iesus, pauebant, & inter sequendum formidabant. *Matth.19.c* Et Iesus assumptis rursum duodecim, cœpit eis euentura sibi predicere: Nos quidē ascēdimus Hierosolyma, inquit, & filius hominis tradetur Pontificib. atq; Scribis, qui eum morte damnabunt, exterisq; tradēt illudendum, uerberādum, conspuendū, & interficiendum, & tertia die resurrecturum. *Zebedæi filij.* Conuenerunt autē eum Iacobus & Iohannes, Zebedæi filij, in hæc uerba: Magister, uelimus, ut q̄ à te postulabimus, id nobis præstes. Quibus ille: Quid uultis ut uobis præstē? Et illi: Da nobis (inquiūt ei) ut tibi alter ad dexteram, alter ad sinistram assideamus [b] in tua gloria. *b. cum glorioſus regnabis.* F At Iesus dixit eis: Nescitis quid postuletis. Potestis poculum potare, quod ego potaturus sum? et, eodē mecū baptismate baptizari? Possumus, inquiūt. Et Iesus: Poculū quidē, quod ego potaturus sum, potabitis, eodemq; mecū baptismate baptizabimini. Sed ut mihi dextra læuaq; assideatur, nō est meum dare, nisi quibus id paratū est. Hoc audito, decem cœperunt de Iacobo & Iohanne indignari. *Luc.22.c* At Iesus aduocatis eis dixit: Scitis eos, quos uidemus imperare extraneis, in eos dominari: & eorum maximos quosq;, in eos maximè potestatem obtinere. At in uobis nō sic fiet: sed qui uestrûm uolet fieri inter uos maximus, erit uester famulus: & qui uolet fieri uestrûm primus, erit omnium seruus. Nam filius hominis non uenit ut ipsi ministretur, sed ut ministret ipse, animamq; suam in multorum redemptionē impendat. Venerunt autem Hierichuntē: eoq; & eius discipulis ab Hierichunte cum frequenti multitudine discedentibus, Timæi filius Bartimæus, cæcus, qui apud uiam sedens mendicabat, ut audiuit Iesum esse Nazarenū, cœpit ita clamare: Dauidide Iesu miserere mei. Ac multis eum ut taceret obiurgantibus, multo magis clamabat: Dauidide miserere mei. Tum Iesus restitit, eumq; iussit accersi. Cumq; illi eum accerserent, &, Bono es animo, dicerent, surge, accersit te: ille abiecta ueste sua surrexit, & ad Iesum uenit. Et Iesus sic eum alloquitur: Quid tibi uis faciam? Cui cæcus: Magister, inquit ei, ut dispiciam. Et Iesus dixit ei: Abi, tua te fiducia seruauit. Atq; ille protinus uidit, & Iesum in uia secutus est.

CAPVT XI.

CVm autem Hierosolymæ propinquarent ad Bethphage & Bethaniam, ad montē oliuarum, *Matth. 21.a* *Luc.19.c* mittit suorum discipulorū duos: Ite, inquit, in uicum qui est è regione uestri, & protinus in eum intrantes, inuenietis uinctum asellum, quem nullus hominum insedit: eum soluitote, & mihi adducitote. Quòd si quis ex uobis quæsierit, cur id faciatis? dicitote, dominum eo egere: & statim eū huc [a] dimittet. *a. adduci sinet.* Ita illi profecti, & asellū foris ad portam uinctum in biuio nacti soluunt. Et eorū quidam qui illic aderant, ex eis quæsiuerunt, quid facerent, qui asellum soluerent? Quibus illi dixerunt, quemadmodum mandauerat Iesus: atq; ita permittentibus illis adduxerunt asellū ad Iesum, eiq; sua uestimēta superiniecerunt, atq; ille superinsedit. Frequentes autē suis uestimentis uiā insternebant: *Iohan. 12.b* alij abscissas ex arborib. frondes per uiam sternere: *Luc.19.f* quiq; antecedebant, quiq; subsequebant, *Matth.21.a* sic clamare: *Hosanna:* Hosanna, bene sit ei qui uenit in nomine Domini: B felix ueniens regnum in nomine Domini patris nostri Dauidis: Hosanna in supremis. Ingressus est autē Hierosolyma Dñs, & in templū: omnibusq; circūspectis, cū iam sera esset hora, ꝓfectus est Bethaniā, cum duodecim. Postridie eis Bethania egressis esurijt, ficumq; procul foliosam conspicatus accessit, si quid in ea fortè inueniret. Sed ut ad eam uenit, nihil inuenit, nisi folia: nec enim tempus erat ficuū. Itaq; sic eam allocutus est Iesus: *Iesus ficum execratur.* Nunquam deinceps quisquam ex te fructū comedat. Audiebant autē eius discipuli. Deinde ueniūt Hierosolymam, & ingressus in fanum Iesus, cœpit ejcere uendentes & ementes in fano, *Iesus mercatores exigit ex fano.* & numulariorum mensas & sellas uendentium columbas euertit, neq; sinebat quenq; per fanum ferre uasa. atq; his uerbis eos alloquēs docebat: *Iohan.2.c* *Esa.56.c* *Ierem.7.b* Nónne scriptū est, Domus mea domus supplicationis uocabit̃ cunctis gentibus? et uos ex ea latronum speluncam fecistis. C Hoc audito, Scribæ & Pontifices eum perdere studebant. *Iohan.7.d* Metuebant enim eum: quippe cuius doctrinā stuperet omne uulgus. Sub uesperā autem egressus est ex urbe. Manè prætereuntes, uident siccatam à radicibus ficum. id quod recordatus Petrus, dicit ei: Rabbi, ecce ficus, quam tu execratus es, aruit. Et Iesus respondens, inquit eis: *Fidei uis.* Habete fidem Deo. *Matt.24.c* hoc uobis confirmo, si quis iusserit huic monti ut amoueat̃, *Luc.17.b* & in mare iaciatur, nec animo dubitauerit, sed quæ dicet crediderit euentura, continget ei quicquid dixerit. Itaq; sic uobis dico: quicqd orantes postulatis, credite uos assecuturos, & uobis continget. *Iohan.17.* Oraturi autem ignoscite, D si quid habetis quod de quopiam expostuletis: *Matth. 6.b* ut uester quoq; pater, qui in cœlis est, uestra delicta uobis ignoscat. Quod nisi ignoscetis, ne pater quidem uester, qui in cœlis est, uobis delicta uestra ignoscet. Deinde rursum ueniunt Hierosolymam, eumq; in fano ambulantē Pontifices Scribæq; & senatores conueniunt his uerbis: *Qua potestate ista fecisti* Qua potestate ista facis? & quis istam tibi ista faciēdi potestatē dedit? Quibus respondēs Iesus: Interrogabo ego quoq; uos quiddam, inquit: quod si mihi responderitis, dicam uobis qua potestate hæc faciam. Iohannis baptisma à cœlo ne erat, an ab hominibus? respōdete mihi. At illi sic secum cogitare: Si à cœlo dixerimus, dicet: Cur ergo ei non credidistis? sin ab hominib. dixissent, metuebāt populum: omnes enim Iohānem uerè uatem esse dicebant. Itaque Iesu responderunt, nescire se. Et Iesus sic eis respondit: Nec ego uobis dico, qua hæc potestate faciam.

CAPVT XII.

De patrefamilias qui uineam elocauit. *Matth.21.d* *Luc.20.b*

TVm per similitudines eos alloqui orsus est: Vineam conseuit quidam, & sepe circundedit, & torcular defixit, turrimque cõstruxit, & eã locauit agricolis, deinde peregrè profectus est. Post suo tempore misit ad agricolas seruũ, ut ab eis de uineæ fructu perciperet. At illi eum cæperunt, uerberaruntque, & inanem dimiserũt. Cumque rursus ad eos misisset alium seruum, illi ei quoque caput lapidibus contuderunt, eumque contumeliosè dimiserunt. Rursus alium misit, quem etiã interfecerunt, aliosque multos partim uerberarunt, partim necarunt. Igitur cum adhuc unum haberet filium sibi charissimũ, misit eum quoque ad illos ultimum, cogitans fore ut suum filium reuererẽtur. At illi agricolæ sic inter sese dicere: Hic est hæres, agite, interficiamus eum, & nostra erit hæreditas. Itaque cæperunt eum, necaruntque, & ex uinea eiecerunt. Quid ergo faciet uineæ dominus? Veniet, agricolasque perdet, & alijs uineã dabit. An'ne illud quidẽ scriptũ legistis? Quem lapidẽ improbauerant structores, is adhibitus est ad caput anguli: id quod à Domino profectum est, & nobis mirum uidetur. At illi eum capere conari, quippe qui eum similitudinem illam contra ipsos dixisse intelligerent: sed metuerũt plebem. Igitur eo relicto digressi, mittunt ad eum Pharisæorũ & Herodianorum quosdam, qui eum uerbis irretirent. Hi eum huiusmodi oratione aggressi

Matth.21.d *Psal.117.d* *Luc.19.g*

B sunt: Magister, scimus ueracẽ esse te, neque quenquam curare, quippe qui ad hominum personam non spectes, sed uerè diuinã uitæ uiam doceas. Licet ne censum Cæsari pendere, an non? pendamus, an non pendamus? At ille eorum simulationẽ intelligens: Quid me tentatis? inquit eis: afferte mihi denariũ, ut uideam. Cumque illi attulissent: Cuius est, inquit eis, imago hæc & inscriptio? Cæsaris inquiũt. Et Iesus respondens eis: Soluite igit. inquit, Cæsariana Cæsari, & diuina Deo. Illi uerò eũ admirari. Tum eum conuenerunt Sadducæi, qui quidem resurrectionẽ esse negant, & sic interrogarunt: Magister, scripsit nobis Moses, si cuius frater moriatur uxore superstite, nec liberos relinquat, ut ducat eius frater, eius uxorẽ, fratrique suo prolem suscitet. Septem fratres fuerunt, quorum primus ducta uxore mortuus est, nulla prole superstite. Itemque secundus eadẽ ducta mortuus est, nec ipse prolem reliquit. Similiterque tertius: denique septem illi eam duxerũt, neque progeniem reliquerunt. Postrema omnium mortua est etiam fœmina. Igitur in resurrectione, cum resurrectũ fuerit, cuius eorum erit uxor? cum septem eam habuerint in matrimonio. Et Iesus respondens: Nimirum ideo erratis, inquit eis, quòd scripta non intelligitis, neque Dei potentiam. Cum enim à morte resurrectum fuerit, nulla coniungentur cõnubia, sed erunt angelorum similes, qui sunt

Licet ne cẽsum Cæsari pendere? *Matth.22.c* *Rom.13.b* *De resurrectione.* *Deut.25.b*

C in cœlis. De mortuis autem, quòd resurgant, non legistis in Mosis libro, in rubo, ut eum sic alloquutus sit Deus? Ego Deus Abrahami, & Isaaci, & Iacobi. Non est mortuorum Deus, sed uiuentium Deus. Itaque uos multũ erratis. Tum Scribarum quidam, auditis eis disceptantibus, uidens eum illis rectè respondisse, accessit, & ex eo quæsiuit, quódnam esset omnium præceptorum primum? Cui Iesus sic respondit: Primum omnium præceptorum est: Audi Israëlita: Dominus Deus uester, Dominus unus est. itaque Dominum Deum tuum toto corde, toto animo, tota mente, totisque uiribus amato. Hoc primũ est præceptum. Huic simile est alterum: Alterum ut teipsum amato. His maius aliud præceptum nullum est. Et Scriba: Rectè magister, profectò, dixisti. Nam unus est Deus, præterea nullus: quem toto corde, omni studio, toto animo, summaque ope amare, necnon alios ut seipsum amare, plus est quàm omnes uictimæ & sacrificia. Hic Iesus eum cordatè respondisse uidens, dixit ei: Non procul abes à regno Dei. Ac deinceps eum interrogare audebat nemo. Et Iesus in fano docens, sic uerba fecit: Quî fit ut dicant Scri-

Exod.3.b *Quódnam omniũ præceptorũ maximum.* *Deut.6.a* *Leuit.19.c* *Luc.10.e*

D bæ, fore ut Christus genus ducat à Dauide? cum ipse Dauid sancti spiritus instinctu dixerit: Ait Dominus Domino meo, sede ad meam dexteram, donec efficiam ex hostibus tuis tuorum pedum subsellium? Cum igitur eum dicat ipse Dauid Dominum, unde fit ut sit eius prognatus? Cumque frequens hominum multitudo eum libenter audiret, sic eis inter docendum dicebat: Cauete à Scribis, qui stolati incedere amant, & in foris salutatiões, & in collegijs primas sessiones, & in cœnis prima accubãdi loca: qui uiduarum domos deuorant, & per ostentationem prolixè orant. Hi grauiores pœnas dabunt. Sedens autem Iesus è regione fisci, spectabat ut multitudo conferret æs in fiscum. Ac multis diuitibus multa conferentibus, uenit quædam uidua pauper, quæ duos teruncios contulit. Et autem teruncius idem quod quadrans. Tum ille aduocatis suis discipulis: Certò scitote, inquit eis, hanc pauperem uiduam plurimum omnium contulisse, qui contulerunt in fiscum. Omnes enim ex eo quod ipsis supererat, contulerunt: at hæc sua penuria, quicquid habebat, totum uictum suum contulit.

Psal.109. *Cauendi Scribæ.* *Luc.11.f* *Luc.21.a* *Vidua pauper plurimum Deo obtulit.*

CAPVT XIII.

Matth.24.a *Luc.19.g*

EXeunti autem ex fano, quidam eius discipulorum sic dixit: Magister, uide quanti lapides, & structuræ. Cui respondens Iesus: Vides, inquit, has ingentes structuras? ita dissoluetur, ut nullus lapidi lapis impositus relinquatur. Deinde sedentem eum in monte oliuarum, è regione fani, interrogarunt seorsum Petrus & Iacobus, & Iohannes, & Andreas, his uerbis: Dic nobis quando hæc futura sint, & quod signum significabit hæc perficienda omnia. Et Iesus eis respondens, sic infit: Videte ne quis uos fallat. Venient enim multi in meo nomine, dicentes se eum esse, multosque fallent. Cum autem bella bellique rumores audietis, nolite turbari: oportet enim ea fieri, sed nondum erit finis. Consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum,

Iesus urbis excidium et mundi interitum prædicit.

eruntque

Luc.21.c eruntq; terræ motus certis locis, & fames & turbæ. Ea erunt dolorũ principia. Sed prospicito *B* te uos uobisipsis: sistemini enim in consessus, & *Matt.24.b* collegia: uapulabitis, & ad magistratus regesq; ducemini mea causa, quod sit eis testimonio: ac per omnes gentes oportet prius Euangelium *Iohan.16.a* publicari. Cum autem ducemini, ac sistemini, *2.Cor.11.c* nolite prius cogitare aut præmeditari dicenda, sed quod uobis eadem hora suggeretur, id dicitote. Non enim uos eritis qui loquemini, sed spiritus sanctus. Tradet autem fratrẽ frater ad mortem, & pater filium, consurgentq; in parentes nati, & eos necabũt, eritisq; omnib. inuisi propter nomẽ meum: sed qui ad finem pertulerit, is seruabitur. Cum autem calamitosum nefas à *Dan.9.g* Daniele uate prædictũ, stare uidebitis ubi non debet, qui legit animaduertat: tum qui erunt in Iudæa, fugiant in montes: & qui erit in tecto, ne descendat in ædes, nec ingrediatur ad auferendum aliquid ex suis ædibus: & qui ruri erit, ne *C* gradũ referat, suæ uestis auferendæ gratia. Hei uterum ferentibus & lactantibus illo tempore. *Matt.24.b* Optate uerò, ne accidat hyeme uestra fuga. Erit enim temporis illius calamitas, quanta nec à rerum, quas Deus creauit, creatione fuit adhuc, nec futura est. Quod nisi Dominus tempus illud decurtaret, nullus mortalium euaderet: sed ꝑpter electos, quos delegit, decurtabit id tem- *Luc.17.e* pus. Tum si quis uobis dixerit, hîc aut illic adesse Christum, ne creditote. Existent enim falsi Christi, falsiq; uates, qui prodigiosa & portentosa designabunt, ad decipiendos, si fieri posset, *Ioel.2.c* etiam electos. Vos uerò prospicite: en prædixi uobis omnia. Sed illo tempore, post calamitatẽ illam, sol obscurabitur, nec luna suum splendorem emittet, & cœli stellæ decident, cœlestesq; potestates commouebuntur. Deinde cernetur *Luc.21.e* filius hominis ueniens in nubibus cum magna potentia atq; gloria, ac tum suis dimissis nuncijs congregabit electos suos à quatuor uentis, ab ultimis terris ad extremum cœli. A ficu autem discite exemplum: Cum iam eius rami teneri sunt, eaq; folia procreat, intelligitis instare æstatem. Sic & uos cum hæc fieri uidebitis, scitote propè adesse pro foribus. Hoc uobis con- *D* firmo, non antè prçteriturum esse hoc seculum, *Luc.16.f. 19.a* quàm fiant hæc omnia. Cœlum licet & terra intereant, mea dicta non interibunt. Cæterùm *Matth.25.* diem illam, & horam, nullus scit, ne angeli quidem cœlestes, neq; filius, sed tantum pater. Videte ut uigiletis, & oretis: nescitis enim quando tempus futurum sit: quemadmodũ peregrinans homo, qui domum suam reliquit, suisq; seruis potestatem, & suum cuiq; munus assignauit, & ianitori ut uigilaret mandauit. Vigilate igitur: nescitis enim quando domus dominus uenturus sit, serò, an media nocte, an gallicinio, an manè: ne si de improuiso uenerit, offendat uos dormientes. Quæ autem uobis dico, omnibus dico, uigilate.

CAPVT XIIII.

Matt.26.a *Luc.22.a* Cvm autem futurum esset Pascha & Azymalia post biduum, studebant Pontifices & Scribæ eum fraudulenter captum interfice- *Iohan.12.a* re: sed id die festo faciendum negabant, ne quis fieret populi tumultus. Et dum erat Bethaniç in domo Simonis leprosi, eo accubante uenit mulier, habens alabastrum unguenti spicatç nardi, *Mulier Iesum unguẽto perfundit.* preciosi, quæ confracto alabastro perfudit eius caput. Erant autem quidam qui apud sese indignabantur, atq; ita dicebant: Quorsum hæc unguenti iactura facta est? poterat hoc plusquam trecentis denarijs uendi, & in pauperes erogari. Dum illi sic aduersus eam fremunt, Iesus dixit: Sinite eam: quid negocium ei facessitis? rem præclaram fecit erga me. Semper enim pauperes habebitis uobiscum, quibus quandocunq; uoletis, benefacere possitis: at me nõ semper habebitis. Quod potuit hæc, fecit: anticipauit meũ corpus ad sepulturam ungere. Hoc uobis confirmo, ubicunq; toto orbe publicabitur hoc euangelium, etiam quid ea fecerit dicetur, ad eius memoriam. Iudas autem Iscariota, unus ex duodecim, Pontifices adijt, ut eũ illis traderet. *Iudas cum Pontificibus agit de prodendo Iesu.* Quo illi audito læti, promiserũt ei pecuniam se daturos. Itaq; quærebat, quo pacto eum posset opportunè prodere. Primo autem azymaliũ die, *B* cum Pascha immolandũ foret, sic ei dicunt eius discipuli: Vbi uis ut tibi epulandũ Pascha præparatum eamus? Tum ille discipulorũ suorum duos dimittit, eisq; dicit: Ite in urbem: occurret uobis quidam aquæ fictile portans: eum sequimini, & quò intrauerit, sic dicitote patrifamiliâs: Quærit magister ubi sit mansio, ubi Pascha cum discipulis suis polluceat? Ipse uerò uobis ingens cœnaculum ostendet, instratum ac paratum: illic nobis præparatote. Ita profecti eius discipuli, uenerunt in urbem: & nacti quæ ille eis dixerat, Pascha præpararunt. Deinde sub uesperũ uenit Iesus cum duodecim, ac discumbentibus & epulantibus eis, dixit: Certò scitote fore, ut unus ex uobis me prodat, qui mecum *Iesus se proditũ iri prædicit.* epulatur. Illi uerò dolere cœperunt, eiq; singuli dicere: Is'ne ego sum? Et alius: Is'ne ego sum? Quibus ille respondens: Vnus est ex duodecim, inquit, qui mecũ intingit in catinum. *Iohan.13.e* a Filius quidem hominis uadit quemadmodum de eo scriptum est. Sed uæ homini illi per quem filius hominis prodendus est. Præstaret homini illi, nunquam esse natum. Epulãtibus autem eis, Iesus sumptum panem, actis laudibus, fregit, *1.Cor.11.e* *C* eisq; dedit, & dixit: Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Deinde sumptum poculum, gratijs actis, dedit eis: biberuntq; ex eo omnes. atque ille eis dixit: Hic est sanguis meus noui fœderis, pro multis effundendus. Hoc uobis certò dico, non me amplius bibiturum ex fœtu uiteo, usque ad illam diem, cum eum bibam nouum in regno Dei. Deinde laudibus dictis, profecti sunt in montem oliuarum, eisq; sic dicit Iesus: Vos me omnes hac nocte deseretis, siquidem scriptum est: Percutiam pastorem, *Petrus negat se Iesum negaturum.* & dispergentur oues. Sed postquam resurrexero, præcedam uos in Galilæam. At Petrus dixit ei: Etiamsi omnes deserant, at ego non item.

a. Est quidẽ mihi fatale prodi, sed nõ iccirco feret impunè proditor.

Matth.26.e *Luc.22.d* Cui Iesus: Hoc tibi cōfirmo, inquit, fore, ut hodie in hac nocte, priusquam bis gallus cantet, tu me ter abnegēs. At ille multo magis dicere:
D Imò etiamsi me unà tecum mori oporteat, non abnegabo te. itidemque etiā omnes alij dicebant. Deinde ubi uenerunt in locum, cui nomen est Gethsemani, dixit suis discipulis: Sedete hîc, dum ego oratum eo. assumptisque unà secum Petro, & Iacobo, & Iohāne, cœpit turbari atque angi, eisque dixit: Præ animi dolore emorior. Manete hîc, & uigilate. Tum paululū progressus, procidit humi, orauitque, ut si fieri posset, horam illam declinaret, &: Abba pater, inquit, omnia tu potes: auerte hoc à me poculū. Verùm non quod ego uolo, sed quod tu. Deinde uenit, & eos dormientes nactus, dicit Petro: *Simon dormis.* Simon dormis? non potuisti unam horam uigilare? uigilate & orate, ne ueniatis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, sed caro infirma. Deinde rursus oratum iuit, eademque uerba dixit. ac reuersus, eos rursum dormientes offendit: eorū
E oculis ita grauatis, ut nescirent quid ei responderent. *Matt.26.d* *Iohan.6.e. & 18.a* *Luc.22.g* Deinde tertiò uenit, &: Dormite iam, inquit, & requiescite. Satis est, uenit hora, ecce tradit filius hominis in manus improborū. Surgite, eamus. En, qui me prodit, aduētat. Et protinus adhuc eo loquente, aduenit Iudas, qui unus erat ex duodecim, comitante frequenti multitudine cum gladijs & fustibus, à Pontificibus & Scribis, ac senatoribus. Dederat autem illis eius proditor signum, dicens: Quem osculatus fuero, is est: eum capite, & tutò abducite. Igitur simulac uenit, eū adit, & ei dicit: Magister, magister. eumque deosculatus est. Illi uerò in eū manus iniecerunt, eumque cæperunt. Quidam autem eorum qui aderant, stricto ense percussit Pontificis seruum, eique abstulit auriculam. Et Iesus illos sic est allocutus: Tanquam ad latronem exijstis cum gladijs & fustibus, ad me comprehendendum: quotidie eram apud uos in fano docēs, neque me cæpistis. sed ea fieri oportet, quę scripta sunt. Tum omnes eo relicto fugerunt. Cumque adolescens quidam eum sequeretur, linteo nudum corpus indutus, adolescentes eum cæperunt. ille uerò relicto linteo, nudus eos ef-
F fugit. Abduxerūt autem Iesum ad Pontificem, ad eumque cōuenerunt omnes Pontifices & senatores atque Scribæ. Eum procul secutus Petrus usque in Pontificis atrium, unà cum famulis residet, seque ad ignem calefacit. Pontifices uerò, *Matth.26.f* totusque consessus, quærebant contra Iesum testimonium, ut eum necarent, nec inueniebant. Nam multi quidē aduersus eū falsa testificabantur, sed consentanea non erant testimonia. Et quidam extiterunt, qui contra eum falsa testabantur, ita dicentes: Nos eum audiuimus dicentem, se templum hoc manufactū esse dissoluturum, & triduo aliud non manu factum extructurum. Sed ne sic quidem consentanea erant eorum testimonia. Tum Pontifex in medium *Luc.22.g* *Iohan.6.g* surrexit, & Iesum sic interrogauit: Nihil ne respondes? quid est quòd hi contra te testantur?

At Iesus silebat, nihilque respondebat. Rursum Pontifex eum huiusmodi uerbis interrogauit: Tú ne es Christus celebrandi Dei filius? Et Ie-
G sus: Sum, inquit: & uidebitis hominis filium sedentem ad dexterā [a] potentiæ, & cum cœlestibus uenientem nubibus. *a. hoc est Dei.* Tum Pontifex lacerare suas uestes: Quid adhuc nobis opus est testibus? inquit. audiuistis impiam uocem: quid uobis uidetur? Illi uerò eum omnes ut morte dignum damnarunt: cœperuntque eum quidā conspuere, eique faciē obuelare, & colaphos impingere, ac dicere, Diuina: eique alapas impingebāt ministri. *Iohan.18.a* *Petrus Christum negat.* Cum esset autem Petrus infrà in atrio, uenit quædam ancillarum Pontificis, et uiso Petro sese calefaciente, intuita eum, dicit: Tu quoque cum Nazareno Iesu eras. At ille negauit, ita dicens: nescio, nec intelligo quid dicas. Deinde foras in uestibulū egressus est, & gallus cecinit. Et ancilla eo uiso rursum cœpit dicere eis qui aderant, eum ex illis esse. At ille rursum negauit. Paulo pòst rursum qui aderant dicunt Petro: Profectò tu ex illis es. nam Galilæus es, & locutio tua congruit. At ille cœpit detestari, & iurare, sese non nouisse hominem illum, quem illi dicerent: & iterum gallus cecinit. Tum Petrus recordatus eius, quod ei dixerat Iesus, fore ut priusquam bis caneret Gallus, ter eum negaret, cœpit flere.

CAPVT XV.

Mat.27.a *Luc.23.a* *Iohan.18.e* MAne protinus inito consilio, Pontifices unà cum Senatoribus & Scribis, totusque consessus, Iesum colligant, abductumque Pilato tradunt. Eum Pilatus interrogauit, esset ne Iudæorum rex? Cui ille respondens: Vt tu dicis, *Iesus Pilato traditur.* inquit. Cumque eum uehementer accusarent Pontifices, Pilatus eum rursus his uerbis interrogauit: Nihil ne respondes? uide quanta contra te testificentur. At Iesus nihil amplius respondit, adeò ut miraretur Pilatus. Solebat autem in festo eis laxare unum uinctum, quemcunque postulassent. Erat quidam nomine Barrabas cum seditiosis uinctus, qui in seditione cædem fecerant. Itaque cœperunt uulgò clamantes id exigere, quod ille semper eis erat facere solitus. Et Pilatus sic eis respondit: Vultis ut uobis Iudæorū regem soluam? sciebat enim, eum per inuidiam à Pontificibus esse traditū. Pontifices uerò plebem instigarunt, ut sibi Barrabam potius ab illo laxari postularet. Et Pilatus rursus eos alloquens: Quid ergo uultis, inquit, ut de eo faciā, quem Iudæorum regem dicitis? At illi denuò clamabāt: Crucifige eū. Et Pilatus: Quid enim mali fecit? inquit eis. At illi eo acrius clamare: B
Crucifige eum. Igitur Pilatus uolens plebi satisfacere, laxauit eis Barrabam, Iesumque uerberauit, & eis crucifigendum tradidit. *Iohan.19.c* *Iesus damnatur* Et milites eo extra atrium, hoc est prætorium, educto, totam cohortem cōuocant, eumque purpura induunt, & ei implexam spineam coronam imponunt, *Matth.27.c* *Iohan.19.a* eum'que sic salutare incipiunt: Salue rex Iudæorum. eiusque caput arundine tundunt, & eum conspuunt, ac positis genibus uenerantur.

Deinde

Deinde postq̃ ei illuserunt, spoliant eum purpura, ipsiusq; uestibus induũt: tum crucifigendum educunt. & prætereuntem quendam Si-
Matth.27.d monem Cyrenæũ, rure uenientem, Alexandri
& 23.b Rufiq; patrem, cogunt eius ferre crucẽ: eumq;
Luc.23.d ad locum Golgotha ducunt, quod Caluariæ lo-
Iohã.18.d. cum significat & ei myrrhinum uinum bibere
19.c dant, id quod ille non accepit. Eo autem crucifixo, partiti sunt eius uestimenta, iacta super eis sorte, quid quisq; auferret. Erat hora tertia cum eum crucifixerunt, inscripto hoc eius criminis
C titulo: REX IVDAEORVM. Et cum eo latrones duos, alterũ ad dexteram, alterum ad sinistram, crucifixerunt. Ita comprobatũ est scri-
Esa.53.d ptum illud, quod sic habet: Et inter sceleratos
Luc.22.d habitus est. Prætereuntes autẽ ei maledicebant,
Matth.27.f capita quassantes, & dicentes: Vah qui templũ dissoluis, & triduò instauras, serua teipsum, &
Luc.23.g de cruce descende. Similiter & Pontifices inter sese illudentes, cum scribis dicebant: Alios seruauit, seipsum seruare non potest. Christus ille Israëlitarũ rex, descendat nunc de cruce, ut eo uiso credamus. Item qui cum eo erant crucifi-
Math.27.f xi, conuiciũ ei faciebant. Hora sexta autem extiterunt per totam terrã tenebræ, usq; ad horam nonam. Ac hora nona exclamauit Iesus magna
Eloi eloi. uoce, dicens: Eloi eloi lama sabachthani. quo-
Psal.21.a rum uerborũ hæc notio est: Mi Deus, mi Deus, cur me dereliquisti? Quo audito, quidam eo-
D rum qui aderant, dicebant eum Eliam uocare.
Luc.23.g Quidam autem accurrit, & impleta aceto spon-
Iohã.19.g gia, arũdiniq; affixa, ei bibere dat, dicẽs: Sinite, uideamus an eum ereptũ ueniat Elias. Et Iesus emissa magna uoce expirauit, & templi uelum à summo ad imũ in duas partes fissum est. Ac uidens Centurio, qui ei ex aduerso astabat, eum ita clamantem expirasse, dixit: Profectò hic homo filius erat Dei. Erant etiam mulieres procul spectantes, in quibus erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi minoris Iosisq; mater, & Salome, quæ etiam dum ille erat in Galilæa, eum sequi, eiq; ministrare consueuerant: itemq; aliæ multæ, quæ cum eo Hierosolymã ascenderant.
Matth.27.g Postquam iam aduesperauit, cùm esset Præpa-
Luc.23.g ratio, hoc est Antesabbathũ, uenit Iosephus ab
Iohã.19.g Arimathea, honestus senator, qui & ipse Dei regnum expectabat: & ad Pilatum ausus ingredi, petijt Iesu corpus. Pilatus miratus si iam mortuus esset, accersito Cẽturione, sciscitatus est ex eo, quàm dudum esset mortuus? quo à Centurione cognito, donauit Iosepho corpus. Et ille
Iesu corpus empto linteo eum demisit, & inuolutum linteo
sepelitur. posuit in monimento, quod ex petra excisum erat: & ad monimenti ostium ingens saxum aduoluit, spectantibus Maria Magdalena, & Maria Iosis matre, ubi nam poneretur.

CAPVT XVI.

Matth.28.a EXacto Sabbatho, Maria Magdalena, &
De Iesu re- Maria Iacobi mater, & Salome, emptis aro
surrectiõe. matis ut eum unctum irent, ualde manè prima
Luc.24.a post Sabbathũ die ueniunt ad monimentũ, or-
Iohan.20.a to iam sole. Ac dum inter sese quærunt, quis sibi saxum auolueret ab ostio monimenti, intuitæ uident auolutum esse saxum, quod erat permagnum: ac monimentum ingressæ, uiderunt adolescentem ad dexteram sedentem, alba stola uestitum, & expauerunt. Et ille: Ne expaue- B
scite, inquit eis. Iesum quæritis Nazarenũ crucifixum: surrexit, non est hic: en locus ubi positus fuit. Sed ite nunciatum eius discipulis, & Petro, eum præire eis in Galilæam: illic eum esse uisuros, ut eis prædixit. Igitur illæ egressæ celeriter ex monimento, fugerũt, idq; tremore correptæ, atq; attonitæ: neq; cuiquam quicquam dixerunt, utpote quæ metuerent. Resurrexit autem manè, primo post Sabbathum die, & apparuit primùm Mariæ Magdalenę, ex qua septem C
eiecerat dæmonia, id quod illa nunciatum iuit eis, qui cum eo fuerant, lugentibus atq; plorantibus. At illi audientes eum uiuere, & ab ea uisum esse, non crediderunt. Postea duobus eo- Luc.24.b
rum ambulantibus apparuit alia forma, rus euntibus, id quod illi cæteris nũciatum iuerunt: sed ne illis quidem crediderunt. Tandem discumbentibus illis undecim apparuit, & eis incredulitatem ac peruicaciam exprobrauit, quòd eis, qui se resurrexisse uiderant, non credidissent. eisq; dixit: Ite in totum orbem, prædicate Euan Matth.28.b
gelium omnibus creatis: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, seruabitur: qui uerò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia eijcient: linguis loquentur nouis: serpentes tollent: & si quid mortiferum biberint, non eis nocebit: cum ægrotis manus imponẽt, illi bene habebunt. Igitur Dominus, postquam eos allo- Act.1.b
cutus est, sublatus est in cœlum, & ad Dei dexteram sedit. Illi uerò digressi, ubique prædicarunt Domino adiuuante, & orationem sequentibus signis confirmante.

EVANGELIVM, AVTORE LVCA.

PRAEFATIO.



QVANDOQVIdẽ aggressi sunt multi narrationem contexere cõpertarũ apud nos rerũ, quemadmodũ nobis tradiderũt, q̃ ab initio & spectatores et administratores rei fuerunt: uisum est etiam mihi, qui omnia à capite diligenter [a] consectatus sim, tibi ordine scribere optime Theophile, ut quas auditione accepisti res, eas certò cognoscas.

a. didicerim, scilicet ex aliorum narratione.

CAPVT PRIMVM.

FVit tẽporibus Herodis Iudææ regis sacerdos quidam nomine Zacharias, Abianæ Zacharias.
classis;

classis: cuius uxor erat Aharone prognata, nomine Elisabeta.

Elisabeta.

Erant autẽ ambo apud Deũ iusti, sese in omnibus Domini præceptis ac institutis gerentes inculpatos. Sed non erant eis liberi: quandoquidẽ & Elisabeta sterilis erat, & ambo ætate prouecta. Accidit, dum is in suæ classis ordine sacerdotio coram Deo fungit̃ ex more sacerdotij, ut ei suffiẽdi sors obtingeret. Itaq; in Domini ædẽ ingressus est, omni populi multitudine foris hora suffitionis orante. Apparuit autem ei Domini angelus ad arę suffitoriæ dexteram astans. Quo uiso, turbatus Zacharias, & timore perculsus est. Sed eum sic allocutus est angelus: Ne metue, Zacharia: nã exauditę sunt tuæ preces. & tua coniux Elisabeta tibi filiũ pariet, quẽ Iohannẽ nomine uocabis, qui tibi gaudio erit & lætitię, multiq; ex eius natiuitate gaudebunt.

B erit enim in Domini conspectu magnus: nec uinum, nec temetum bibet, ac sacro spiritu plenus erit iam ab utero matris, & Israelitarum multos Domino ipsorum Deo reconciliabit, eumq; antecedet ipse, Eliano spiritu potentiaq; præditus, ut patrum animos natis reconciliet, & contumaces ad iustorum frugalitatem perducat, Dominoq; cõpositum populum præparet. At Zacharias: Vnde istud cognoscã? inquit angelo: quum & ego sim senex, & uxor mea iam grãdis natu? Cui angelus respondens inquit: Ego sum Gabriel, qui Deo a appareo, & missus sum ut te alloquerer, tibiq; hæc læta nunciarem.

Gen.16.b
Iud.13.b
a. apparitor sum, & administer.

Atq; hoc sic habeto, te fore mutuum, & loquendi impotem, donec hæc euenerint: quoniam meis dictis non credidisti, quæ suo tempore comprobabuntur. Expectabat autem populus Zachariam, eumq; tandiu in æde morari mirabatur. Is uerò egressus, eos alloqui non poterat. itaq; intellexerunt, eum uisum aliquod in æde uidisse. Ipse uerò eis innuebat: remansitq; mutus. ac peracto eius muneris spacio, domum

C petijt. Post id tempus concepit eius uxor Elisabeta, & se quinque menses abdidit, propterea q; hæc ei præstitisset Dominus, dum eius inter homines dedecus abolere curat. Mense autem sexto missus est à Deo angelus Gabriel, in oppidum Galilææ, nomine Nazaretham, ad uirginem desponsam uiro, qui nomen habebat Iosephus, ex domo Dauidis: Virginis autem Maria nomen erat.

Matth.1.c
Gabriel ad Mariã missus.

Ad eam ingressus angelus, dixit: Salue accepta, cui Dominus adest, quæq; es mulierũ fortunatissima. At illa, eo uiso, eius sermone turbata, cogitabat qualis esset ea salutatio. Et angelus: Ne metue, Maria: nam propitium habes Deum. ac scito, te utero concepturam, parituramq; filium, quem Iesum nomine uocabis. Is erit magnus, & Supremi filius uocabitur: eiq; dabit Dominus deus solium Dauidis, eius parentis, isq; in Iacobeorum domum regnabit in perpetuum, nec ullus eius regni finis erit. At

Esa.7.c
Matth.1.c
Mich.4.c
Daniel.7.c

D Maria: Quo pacto fiet istud? inquit angelo: cũ ego uirum nesciam? Et ille respondens: Te spiritus sanctus, inquit, inuadet, & Supremi uis inumbrabit: itaque sanctus iste partus dicetur Dei filius. Et quidẽ Elisabeta, cognata tua, concepit & ipsa filiũ in senectute sua: eiq; iam sextus hic mensis agitur, cum tamen sterilis diceret, adeò nulla res est, quam Deus facere nõ possit. Tum Maria: Ecce me Domini seruam, eueniat mihi ita ut tu dixisti. Ita angelus ab ea discessit. Per eos dies profecta est Maria festinanter in montana, in urbem Iudææ: & ingressa domum Zachariæ, salutauit Elisabetã.

Maria uisit Elisabetam.

Atq; ubi audiuit Elisabeta Mariæ salutationem, exultauit infans in eius utero. repletaq; sancto spiritu Elisabeta, exclamauit magna uoce, & inquit: Tu es mulierum felicissima: felix & istius uentris fœtus. E

Vnde autẽ hoc mihi, ut me mei Domini mater inuisat? Nam simulac tuæ salutationis uox peruenit ad meas aures, exultauit lætitia infans in uentre meo. Beatam te, quæ credideris perfectum iri quæ tibi à Domino significata sunt. Tum Maria sic fatur: Magnificat animus meus Dominũ, exultatq; mea mens de Deo seruatore meo: qui spectauerit humilitatẽ ancilllæ suæ, unde me in posterum beatam prædicatura sunt omnia secula.

Mariæ carmen.

Quoniam mihi magna fecit præpotens ille, cuius & nomẽ sanctũ est, & clementia perennis erga reuerentes eum. Qui fortia patrat suo brachio, profligat eos q animi fastu insolescunt. Deturbat potentes de solijs, & humiles extollit. Esurientes bonis explet, & diuites inanes dimittit. Subuenit Israëlitis suis, clementiæ memor: F quemadmodũ maioribus promiserat nostris, Abrahamo, & eius futuræ posteritati.

Genes.22.

Mansit autem Maria cum ea circiter menses tres: deinde domũ reuertit. Elisabeta autem, exacto ad pariendũ tempore, filium genuit.

Nascitur Iohannes Baptista.

Et eius uicini atq; cognati, audientes quanta Dominus erga eam usus esset clementia, congratulabantur ei. Octauo aũt die puerum circumcisum iuerunt: & eum patris eius nomine Zachariam appellabant. sed cõtradixit eius mater: Non ita, inquit, sed uocabit̃ Iohannes. Cui illi: Nullus est, inquiũt, in cognatione tua, qui isto nomine nuncupetur. Deinde innuunt eius patri, quid eum uellet appellari. Et ille, petita tabella, scripsit, eius nomen esse Iohannẽ: id quod mirati sunt omnes. Atque ille aperto protinus eius ore, solutaq; lingua, loqui cœpit, Deo gratias agens. metuque correpti sunt omnes eorum finitimi, ac per omnia Iudææ montana dictitabantur hæc omnia: quæ quicunq; audierant, in animo reponebãt, cogitãtes, quidnam futurus esset ille puer? Atq; ei Domini manus aderat. Zacharias autem pater eius, sancto spiritu plenus, uaticinatus est his uerbis: G

Grates Domino Israëlitarum Deo, qui populi sui liberationem procuret, erigatq; nobis a cornu salutis in domo sui Dauidis: quemadmodũ promiserat priscorũ ore sanctorũ suorũ uatum, quo uindicemur ab hostibus nostris, & ex omnium manu qui nos odere: ut utat̃ clementia erga maiores nostros, & sui sancti fœderis recordetur: qui iureiurãdo promiserit Abrahamo patri nostro, daturum se nobis, ut intrepidè, ex hostium nostrorum

Zachariæ carmen.
a. præsidiũ & robur.
Psal.33.c
Gen.22.c

nostrorum manu liberati, ipsum coràm piè iusteq; colamus, toto uitæ nostræ tempore. Et tu puer Supremi uates uocabere: præibis enim Domino, paratū uias eius, ad dandā salutis cognitionem eius populo, quòd eius uenia datur peccatorū, per intimam Dei nostri misericordiam, qua nos ex alto uisit [b] ortus, qui appareat ijs qui in tenebris & atra nocte degunt, ad dirigēdos pedes nostros in uiā pacis. Puer aūt crescebat, & spiritu cōfirmabat̄, ac in desertis agebat usq; ad diem, qua Israëlitis ostenderetur.

b. sol & lux oriens, scilicet Christus.

1. Reg. 2. e

CAPVT II.

PEr id tempus decreto promulgatum est ab Augusto Cæsare, ut censeretur totus orbis, qui primus census habitus est Quirino prætore Syrię. Igitur cum omnes ad profitendum in suam quisq; ciuitatem proficiscerētur, ascendit etiam Iosephus ex Galilęa, ex oppido Nazaretha, in Iudęā, in Dauidis oppidū, quę Bethlehema uocatur, quòd esset ipse Dauidicæ domus atq; familiæ: ut profiteret̄ unà cum Maria desponsa sibi uxore prægnāte. Accidit autem, ut dum illic sunt, illa exacto ad pariendū tempore, filium suum pareret primogenitū: quem fascijs inuoluit, & in præsepi reclinauit, quòd eis in diuersorio locus non esset.

Math. 1. g — Nascitur Iesus.

B Erant pastores in eadem regione excubantes, & nocturnis uigilijs ouile suum custodientes: quibus ecce Domini angelus astitit, eosq; Domini splendor circumfulsit, & magno timore perterritos sic est angelus alloquutus: Ne timete: en ego uobis enim ingentem nuncio lætitiā, toti populo futuram: uidelicet uobis hodie natum esse seruatorē, qui est Christus Dominus in oppido Dauidis. Atq; hoc uobis signum erit: inuenietis infantem fascijs inuolutum, iacentem in præsepi. Et repentè extitit cum angelo cœlestium copiarum multitudo, Deum laudantiū, & ita dicentium: Gloria in supremis Deo, & in terra pax, erga homines beneuolentia. Deinde ubi ab eis discesserūt in cœlum angeli, pastores illi cohortati sunt inuicem ut Bethlehemam peterent, &

Genius pastoribus apparet.

C uiserent quid rei accidisset, quod Dominus sibi declarasset. Itaq; celeriter profecti, inuenerunt Mariam & Iosephum, & iacentem in præsepi infantem: quo uiso, prædicarunt, quid sibi de puero illo dictū fuisset. Ac quotquot audierunt, ea mirati sunt, quæ eis à pastoribus dicta sunt, Maria uerò eas res omnes obseruabat, cū animo suo perpendens. Redierunt autem pastores Deū celebrantes atq; collaudantes, propter ea omnia quæ & audiuerant, & quemadmodum eis prædictū fuerat, uiderant. Postquam dies octo ad circūcidendum puerū

D completi sunt, nuncupatū eius est nomen IESVS: quod nūcupatū fuerat ab angelo, priusquā in utero conciperetur. Cōpletis aūt eorū purificationis diebus, ex lege Mosis tulerunt eum Hierosolymam, ut Domino sisterent (quemadmodum in Domini lege scriptū est, scilicet omnē marem, qui uuluā aperuisset, Domino sacrum esse dicendum) utq; munus conferrent, quemadmodum in Domini lege dictū est, par turturum, aut duos pipiones.

Leuit. 12. d
Exod. 13. a
Num. 8. c

Erat tū Hierosolymæ homo nomine Simeon, qui homo iustus erat, & religiosus, expectans Israëlitarū consolationem, et sancto spiritu prȩditus. Huic fuerat sancti spiritus oraculo dictū, non prius esse mortē sensurum, q̄ Domini Christū uidisset. Is instinctu spiritus uenit in fanū, atq; ubi intulerūt parentes puerū Iesum, ut de eo ex legis ritu facerent, ipse eum suis ulnis excepit, Deoq; gratias egit his uerbis: Nūc dimittis tuū me, Domine, secundū promissionem tuā placidè: quandoquidem uidi meis oculis salutem [a] tuam, quam omnibus expositā populis parasti: lumen gentibus patefaciendū, et tuorū Israëlitarū gloriā. Mirabant̄ autem eius pater atq; mater, ea quæ de eo dicebātur, eisq; fausta precatus Simeon, eius matrē Mariam sic affatus est: Scito hunc multorū uel casui uel resurrectioni in Israëlitis destinatū esse, & signum fore cui cōtradicatur. Quin tuū quoq; animū penetrabit gladius, ut patefiant multarum mentiū cogitationes. Erat autē Anna uates, Phanuelis filia, ex Aseriana tribu: quæ multū ætate, puecta, uixerat annos cum uiro septē à uirginitate sua. Et erat uidua annorū circiter quatuor & octoginta, quę ex fano nō discedebat, ieiunijs precibusq; noctes & dies Deū colens. Hæc eadem hora superuenit, & Domino gratias agere, deq; eo loqui cœpit omnibus, qui Hierosolymis liberationē expectabant. Et illi omnibus ex lege Domini peractis redierunt in Galilæā, in oppidū suū Nazaretham. Puer uerò crescebat, & spiritu confirmabat̄, sapientiaq; replebat̄, eiq; aderat Dei gratia. Proficiscebātur autē eius parentes quotannis Hierosolymā festo Paschæ. Igitur dum iam erat annorū duodecim, cum illi Hierosolymam ex more festi ascēdissent, diesq; peregissent, eis reuertentibus remansit puer Iesus Hierosolymæ. Id quod ignorantes eius parentes, eum in comitatu esse rati, postq̄ iter unius diei fecerūt, cœperūt eum inter cognatos & familiares cōquirere: eoq; non inuento, reuerterūt Hierosolymā, eum quæsitum. Accidit autē ut post triduū eum in fano inuenerint, inter magistros sedentē, eosq; audientē, ac interrogantem. Stupebant autem omnes eum audientes, eius acumen, ac responsiones. Atq; eo uiso attoniti sunt illi, eumq; sic est allocuta mater: Nate, cur nobis ita fecisti? en pater tuus & ego te dolentes quærebamus. At ille: Quorsum me quærebatis? inqt eis. An nesciebatis, mihi agenda esse mei patris negocia? At illi, quid ille sibi dixisset, nō intellexrunt. Et ille cū eis descendit, uenitq; Nazarethā, & eis erat morigerus. Eius antē mater eas res omnes animo obseruabat, & Iesus sapientia, & ætate, & gratia, tum apud Deum proficiebat, tum apud homines.

Simeon. — B — a. cuius tu autor es. — F — Anna uates. — G — Iesus cum magistris disputat.

CAPVT III.

ANno aūt imperij Tiberij Cęsaris decimo quinto, Pōtio Pilato Iudææ p̄tore, Herode Galilęę tetrar cha, et Philippo eius fratre Ituraæ &

rææ & Trachonitidis regionis tetrarcha, & Lysania Abylenæ tetrarcha, Pontificibus Anna & Caiapha, habitus est à Deo sermo ad Iohannem Zachariæ filium in solitudine: isq; uenit per omnem Iordanis oram, emendationis uitæ baptisma publicatũ, ad peccatorũ ueniam. quemadmodum in uatis Esaię effatorum libro scriptum est, dum dicit: Vox clamantis in solitudine:

Iohãnes Baptista docere incipit. Matth.3.a Iohan.1.c Esai.40.a Marc.1.b

B Præparate Domini uiam, rectas facite semitas eius. Omnis & uallis complebitur, & mons collisq; deprimet, & praua in recta, & asperæ uiæ redigent in planas, aspicientq; mortales omnes diuinam salutem. Dicebat igitur hominum uulgo, qui proficiscebant ut ab eo lauarent: Viperina progenies, quis uos sommonuit futurã iram fugere? edite ergo dignos correcta uita fructus: neu uelitis apud uos sic cogitare, Patrem habemus Abrahamũ. Dico enim uobis, posse Deũ ex his lapidibus Abrahamo suscitare natos. Iam uerò securis arborũ radici admota est. Itaq; omnis arbor bonum fructum nõ edens, excindenda, & in ignẽ est conijcienda. Et à uulgo sic interrogatus: Quid ergo agemus? respõdit eis in hunc modũ: Qui duas ha-

Mat.3.c & 17.b

C bet tunicas, impertiat nõ habenti: & qui habet cibaria, itidẽ faciat. Venerũt item publicani ut lauarentur, eiq; dixerunt: Magister, quid agemus? Quibus ille: Nihil amplius, inquit, exigite, q̃ quantum uobis præscriptũ est. Interrogarũt eum etiã milites his uerbis: Et nos quid agemus? Quibus ille: Neminẽ, inquit, concutite, néue calũniamini, & uestris este stipẽdijs contenti. Dubitãte autẽ populo, omnibusq; de Iohanne animo cogitantibus, num is esset Christus, Iohãnes sic est omnes allocutus: Ego quidẽ aqua uos baptizo: sed aduẽtat quidã ita me præstantior, ut ego dignus nõ sim qui eius calceorũ soluam corrigiã. Is uos sancto spiritu &

D igne baptizabit. Habet aũt in manu uannũ suã, areamq; suam perpurgabit, & frumentũ in horreum suũ comportabit, paleam aũt igni cremabit inextincto. Ita multa etiã alia monens, populũ instituebat. [a] At Herodes tetrarcha, cum ab eo de Herodiade, sui fratris uxore, deq; tot quæ committebat, sceleribus argueretur, hoc insuper ad illa omnia adiecit, q̃ Iohannem in carcerem cõclusit. Accidit autẽ, ut baptizato omni populo, nec nõ Iesu baptizato, ac orãte, aperiretur cœlum, descenderetq; spiritus sanctus cor-

Mat.14.a Mar.6.c

a. Hoc factũ est post Christi baptisma, quod mox narratur.

Iesus baptizatur.

E porea specie, quasi columba, in eum, & existeret de cœlo uox dicens: Tu es meus charissimus filius, tu mihi acceptus es. Incipiebat autem Iesus annorũ esse ferè triginta, Iosephi (ut putabatur) filius, Elis filij, Mathati filij, Leuis filij, Melchis filij, Iannæ filij, Iosephi filij, Mattathiæ filij, Amosi filij, Naumi filij, Eslis filij, Naggæ filij, Maathi filij, Mathathiæ filij, Semeis filij, Iosechi filij, Iudæ filij, Iohãnæ filij, Resiæ filij, Zoro-

Marc.1.a Matth.3.d Luc.9.e Iesu genus.

F babelis filij, Salathielis filij, Niris filij, Melchis filij, Addis filij, Cosami filij, Elmadami filij, Heris filij, Hiesonis filij, Eliezeris filij Ioremi filij, Matthę filij, Leuis filij, Simeonis filij, Iudæ filij, Iosophi filij, Ionami filij, Eliacimi filij, Meleæ filij, Menami filij, Mathathami filij, Nathami filij, Dauidis filij, Isæi filij, Obedis filij, Boozi filij, Salmonis filij, Naassonis filij, Amina-

G dabi filij, Arami filij, Esromi filij, Pharis filij, Iudæ filij, Iacobi filij, Isaaci filij, Abrahami filij, Tharæ filij, Nachoris filij, Saruchi filij, Ragaui filij, Phaleci filij, Hebris filij, Salæ filij, Cainanis filij, Arphaxati filij, Semi filij, Noæ filij, Lamechi filij, Mathusalæ filij, Enochi filij, Iarethi filij, Maleleelis filij, Cainanis filij, Enosi filij, Sethi filij, Adam filij, Dei filij.

CAPVT IIII.

IEsus uerò sancto spiritu plenus, reuersus est à Iordane, & spiritus instinctu actus in solitudinem, ac quadraginta dies tẽtatus est à Diabolo, per quos dies cũ nihil comedisset, & eis finitis tandem esuriret, dixit ei Diabolus: Si Dei filius es, iube huic lapidi ut fiat panis. Cui Iesus respondẽs: Scriptũ est, inquit, nõ solo pane uiuere hominẽ, sed etiam eo omni quod ex ore Dei proficiscit. Tum Diabolus eum in excelsum montẽ subduxit, & ei omnia mũdi regna momento temporis ostendit, eumq; sic allocutus est Diabolus: Hanc ego omnẽ potestatem, eorumq; gloriã omnem tibi dabo. Nam ea mihi tradita est, ita ut cuicunq; uelim, eam donem. Quòd si tu me coràm adoraueris, erunt omnia tua. At Iesus ei respondens: Abi post me, Sata-

B na, inquit. Scriptum est enim: Dominũ Deum tuum adorato, eumq; solũ colito. Duxit item eum Hierosolymã, & in templi pinnis collocauit, atq; ita allocutus est: Si dei filius es, iace teipsum hinc deorsum. nam ita scriptũ est: Angelis suis de te mandabit, ut te custodiant, manibusq; sustineant, ne pedibus in lapides impingas. At Iesus sic ei respondit: Dictũ est, Dominum Deũ tuũ ne tentato. Et Diabolus, peracta omni tentatione, ab eo discessit ad tẽpus. Iesus uerò ui spiritus redijt in Galilæã, dimanauitq; eius fama per totã regionẽ finitimã: & ipse docebat in eorũ collegijs, ab omnibusq; celebra-

C batur. Venit autem Nazarethã, ubi fuerat educatus: & ingressus (ut erat ei mos) die Sabbathi in collegiũ, surrexit ad legendum. Traditus est autem ei uatis Esaiæ liber. quo libro explicato, reperit locũ, ubi sic scriptum erat: Spiritu Domini præditus sum, quandoquidem me unxit, me ad læta pauperibus nunciãda misit, ad medicandum mente fractis, ad edicendã captiuis libertatem, & cæcis uisum, ad calamitosos in libertatem emittẽdos, ad edicendũ fauorabilem Domini annum. Deinde plicato libro, & mini-

D stro tradito, resedit: & omniũ in collegio oculis in eum intẽtis, cœpit eis dicere: Id scriptum hodie esse audientibus eis comprobatum. Atque omnes de eo testabantur, & orationis gratiam mirabantur, quæ ex eius ore manabat, ac ita dicebãt: Nónne hic est Iosephi filius? Et ille: Omnino (inquit eis) mihi dicetis hoc prouerbium, Medice cura teipsum. Quæ Capharnai facta audiuimus, fac etiã hic in tua patria.

Hoc

Hoc uobis confirmo, inquit, nullum uatem acceptũ esse in sua patria. Atq; hoc à me certò sic
3.Re.17.b habetote: Multæ uiduæ erant Eliæ temporibus apud Israelitas: cum cœlo per tres annos & sex menses clauso, extitit grauis fames per totam terram: & tamẽ ad earum nullam missus est E-
E lias, sed tantum ad Sarephtham Sidoniũ oppi-
4.Reg.4.d dum, ad mulierem uiduã, & multi erant sub Elisæo uate leprosi apud Israelitas, & tamen nullus eorum purgatus est, sed tantum Naaman Syrus. Hæc audientes omnes in collegio, ira pleni surrexerunt, eumq; ex oppido eiecerunt, & usq; ad montis cacumen (in quo constructũ erat eorum oppidum) duxerunt, ut eum præcipitarent. At ille per medios digressus abijt, & Capharnaum Galilææ oppidum degressus, docebat eos Sabbathis: atq; illi eius doctrinam stupebant, quippe cuius in oratione inesset autoritas. Erat autem in collegio homo habens impuri dæmonij spiritum, qui magna uoce sic exclamauit: Heu, quid tibi nobiscum rei est, Iesu
Iesus dæmonium eijcit.
F Nazarene? uenisti perditum nos? Noui te quis sis, Sanctus Dei. At Iesus eum obiurgauit: Obmutesce, inquit, & ex isto exi. Tum dæmoniũ, illo in medium prostrato, exiuit ex eo, nihilq; læsit eum. Qua re attoniti omnes, inter sese hũc in modum colloqui: Quæ est hæc oratio, quòd cum autoritate potentiaq; spiritibus immundis ita imperat, ut exeant? Atq; eius fama in omnia finitimæ regionis loca dimanabat. Di-
Mat.8.b gressus autem ex collegio, intrauit in Simonis
Mar.1.c domum. Laborabat autem Simonis socrus graui febre. Itaque illi eum pro ea rogarunt. Et ille supra eam astans, febrem obiurgauit, & febris eam reliquit: atque illa continuò surrexit, eisq;
Iesus Simonis socrũ sanat.
G ministrare cœpit. Occidente autem sole, omnes quicunque uarijs morbis ægrotos habebant, eos ad eum adducebant: & eos ille, impositis unicuique manibus, sanauit. Exibant etiam ex multis dæmonia, ita clamantia: Tu es Christus Dei filius. Sed obiurgans ille, non sinebat ea dicere, se scire eum esse Christũ. Deinde orta die, digressus, concessit in desertum locum: eúmque uulgò quærentes homines, ad eum uenerunt, eúmque ne ab ipsis discederet retinebant. At ille eis dixit, oportere se alijs quoque ciuitatibus nunciare Dei regnum: ad id enim se esse missum. Ita per Galilææ collegia prædicabat.
Dæmonia Christo testimoniũ dãt.

CAPVT V.

Mar.1.b
Mat.4.c
CVm autem hominum turba diuini sermonis audiendi gratia ei incumberet, ad Genesarethicum lacum astanti, cõspicatus duo nauigia ad lacum stantia (de quibus degressi piscatores retia lauabant) conscendit nauigiorũ alterum, quod Simonis erat: eumq; monuit ut paulum à terra summoueret, reseditq;, & hominũ turbam ex nauigio docere cœpit. Deinde facto loquendi fine, Simoni iussit ut in altum subduceret, utq; sua retia laxarent ad prædam. Cui Simon respondit: Præceptor, tametsi totam noctem laborantes nihil cæpimus, tamen ad tuum dictum laxabo rete. Atq; eo facto, tan- B
tam piscium multitudinem cõcluserunt, ut disrumperetur eorum rete. Itaq; socijs innuerunt, qui in altero erant nauigio, ut se adiutum uenirent. Qui ubi uénerunt, utramq; nauem adeò repleuerunt, ut eæ summergerentur. Eo uiso, Simon Petrus ad eius genua se abiecit, &, Discede à me, inquit, nam ego nocens homo sum, Domine. Erat enim stupore correptus tum ipse tum omnes eius comites, ob piscium quam cæperant prædam. Similiter & Iacobus ac Iohannes, Zebedæi filij, qui erant Simoni socij. At Iesus Simoni dixit: Ne metue, deinceps homines capies. Deinde illi deductis ad terram
Iubẽte Iesu felix est piscatio.
Mar.1.d
nauibus, eũ, relictis omnibus, secuti sunt. Cum C
esset autem in quodam oppido, ecce uir quidã
Matth.8.a
lepra scatens, qui uiso Iesu pronus accidit, eũq; sic orauit: Domine, si uis, potes me purgare. & ille porrecta manu eum tetigit, &, Volo, inquit, purgator: & protinus ab eo lepra discessit. Ille autem ei præcepit ne cui diceret: sed i ostensum te sacerdoti, & ob tui purgationem libato quod præcepit Moses, ut sit eis testimonio. Increbescente autem sermone de eo, ingẽs ad eum conueniebat hominum multitudo, ut audirent, & ab eo à suis morbis sanarentur. Ipse uerò in deserta loca secedebat, ac supplicabat. Quodam autem die cum doceret, assi- D
Leprosus sanatur.
Leuit.12.a
Mat.4.14.
Mar.3.et 6.
Iohan.6.
dentibus Pharisæis, ac legisperitis, qui passim ex Galilææ & Iudææ uicis, & à Hierosolyma conuenerant: cumq; Domini uis in illis sanandis adesset, uiri quidam ferebant in lecto hominem, qui erat sideratus, eumq; conabantur inferre, & ei proponere. Cumq; non inuenirent quà eum introferrent, propter turbam, conscenso tecto, per tegulas eum, unà cum lectulo, in medium demiserunt ante Iesum. Et ille uidens eorum fiduciam, dixit ei: Homo, ignoscũtur tibi tua peccata. At Scribæ & Pharisæi cœperunt hunc in modum cogitare: Quis est hic, E
Matth.9.a
Mar.2.a
Sideratus per tectum demissus ad Iesum.
qui tam impia loquatur? Quis ignoscere peccata potest, nisi solus Deus? Et Iesus, cognitis eorum cogitationibus, sic eos affatus est: Quid cogitatis cum uestris animis? Vtrum facilius est dicere, Ignoscunt tibi peccata tua? an dicere, Surge, & ambula? Atq; ut intelligatis potestatẽ habere filium hominis in terra ignoscendi peccata: Tibi dico (inquit siderato) surge, & sublato lectulo tuo, i domũ tuam. Atq; ille continuò in eorũ conspectu surrexit: & eo, in quo iacebat, lectulo sublato, abijt domũ suam, Deũ laudans. Ea re attoniti omnes Deũ collaudare, metuq; repleri, dicentes sese hodie incredibilia uidisse. Postea egressus, & publicanum Leuim nomine conspicatus ad publicanorum mensam sedẽtem, dixit ei: Sequere me. Et ille, relictis omnibus, surrexit, eumq; secutus est. Fecit autem ei F
Iesus cum publicanis epulatur.
celebre conuiuium Leuis domi suæ. ubi cum ingens publicanorum aliorumq; cum eis epulantium turba foret, fremebant Scribæ & Pharisæi contra eius discipulos, huiusmodi uerbis: Cur cum publicanis & improbis cibum & po-

tionem sumitis? Quibus respondit Iesus in hũc modum: Non egent ualentes medico, sed quibus malè est. Non ueni uocatum insontes, sed sontes, ad frugem. Illi uerò sic ei dixerunt: Quî fit ut Iohannis discipuli crebrò ieiunent, ac precibus utantur, itidem & Pharisæorum? tui uerò epulentur atq; potent? Quibus ille: Potestisne efficere, inquit, ut qui nuptias celebrant, donec eis sponsus adest, ieiunent? Sed ueniet tem-
G pus, cum sponso priuabuntur, atq; eo quidem tempore ieiunabunt. Dicebat item eis hanc col-
Mar. 2.c lationem: Nemo nouæ uestis pittacium adhibet ueterr uesti, alioquin & nouam scinderet, nec ueteri quadraret ex noua pittacium. Neq; quisquam condit uinum nouum in utres ueteres: alioquin rumperet uinum nouum utres, & ipsum efflueret, & utres perirent. Sed uinum nouum in nouos utres condendum est: ita fit ut ambo conseruentur. Neque uerò quisquam potato uetere, protinus uult nouũ. dicit enim, uetus esse melius.

CAPVT VI.

Matth. 12.a A Ccidit autẽ, ut cum Sabbatho secundopri-
Mar. 2.3.d mo iter per sata faceret, uellerent eius di-
Discipuli spicas Sabbatho uellunt. scipuli spicas, manibusq; confricatas comederent. Quibus Pharisæorum quidam sic dixerũt: Cur facitis quod Sabbathis facere non licet? At Iesus eis respondens: Illúdne nõ legistis, inquit,
1. Reg. 21.d quid fecerit Dauid, cum esuriret ipse & eius co-
Leuit. 24.b mites? ut in Dei ædem igressus, appositítios panes sumpserit, comederitq;, & suis dederit comitibus: quibus tamen uesci non licet, nisi solis sacerdotibus. Dominus est filius hominis (inquit eis) etiam Sabbathi. Accidit autem etiam alio Sabbatho, ut in collegium ingressus do-
Tabida manus sanatur. ceret: ubi cum homo esset dextera manu tabida, obseruabant eum Scribæ & Pharisæi, an in Sabbatho curaret, ut crimen aduersus eum in-
B uenirent. At ille, eorum cogitationes intelligens, dixit homini siccam habenti manum: Surge, & sta in medio. Cumq; ille surrexisset & staret, dixit Iesus illis: Interrogabo uos, u-
Matth. 12. trum Sabbathis benefacere liceat, an malefacere: uitam seruare, an perdere? Deinde omnes illos circùm intuitus, dixit homini: Porrige manum tuam. Quod postquam ille fecit, reddita est eius manus tam sana, quàm erat altera. At
Mat. 10.a illi furoris pleni, colloqui inter sese, quid Iesu
Mar. 3.b facerent. Per eos autem dies profectus est in
Act. 1.c montem ad orandum, & pernox orauit. Deinde orto die discipulos suos conuocauit, ex eis-
Apostoli. que duodecim elegit, quos etiam Apostolos nominauit: Simonem, quem etiam Petrum nominauit, & Andream eius fratrem: Iacobum & Iohannem: Philippum & Bartholomæum: Matthæum & Thomam: Iacobum Alphæi filium, & Simonem nomine Zelotam: Iudam
C Iacobi fratrem, & Iudam Iscariotam, eum qui fuit proditor. Cum his degressus, stetit in campestri loco, nec non eius discipulorum grex, & ingens hominum multitudo, ex omni Iudæa, & Hierosolyma, & Tyria Sidoniaq; ora, qui uenerant ut eum audirent, & à suis morbis curarentur: item qui ab impuris spiritibus uexabantur. Atque illi sanabantur, eumq; uulgus omne tangere conabatur: siquidem uis ab eo Matth. 5.a
proficiscebatur, quæ sanabat omnes. Atque ille Qui sint
coniectis in discipulos suos oculis, sic dicere: beati, & cõtrà.
Beati pauperes, nam uestrum est Dei regnum. Beati qui nũc esuritis: nam saturabimini. Beati Esaiæ. 65.c
qui nunc ploratis: nam ridebitis. Beati eritis, a. ex suo cõ
cum uos oderint homines, & [a] separabunt, & fortio tanquam abominandos eijcient.
cõuiciabuntur, uestrumq; nomẽ tanquam malum propter filium hominis abijcient. Gaudete tum, & exultate: scitote enim, grandem uo- Amos. 6.a
bis esse mercedem in cœlis. Eodem enim modo faciebant uatibus maiores eorũ. Verùm uæ Eccles. 31.a
uobis diuitibus: siquidem iam habetis uestrum D
solatium. Væ uobis qui pleni estis: nam esurietis. Væ uobis qui nunc ridetis: nam lugebitis, atq; plorabitis. Væ uobis cum uobis bene dicũt omnes homines: idem enim faciebant falsis uatibus maiores eorũ. Sed uobis hoc dico, auditores: amate inimicos uestros, bene facite eis qui uos odere, bene præcamini ijs qui uobis imprecantur, & pro eis orate qui uos afficiũt iniuria.
Ferienti tibi malam, præbe etiam alterã: & au- Matth. 7.b
ferentem tuum pallium, ne à tunica quidẽ prohibe. Quin omnibus à te petentibus dato, & ab auferente tua ne repete: ac queadmodum uultis ut uobis alij faciant, ita & uos eis facitote.
Quòd si uestros amatores amatis, quę uobis de- Tob. 4.e
betur gratia? cum etiam improbi suos amato- E
res amẽt. Item, si ijs benefacitis qui uobis benefaciunt, quæ uobis gratia debetur? cum uel improbi idem faciant. Et si ijs commodatis, à quibus uos recepturos speratis, quæ uobis debetur gratia? cum etiam improbi commodent improbis, ut paria recipiant. Enimuero amate uestros inimicos, & benefacite & commodate, nihil inde sperantes: & uobis merces erit grandis, eritisq; Supremi filij, qui sit erga ingratos ac malos benignus. Este igitur misericordes, ut uester etiam pater est misericors. Ne iudicate, & non iudicabimini: ne damnate, & non damnabimini. Remittite & uobis remittetur: donate, & uobis donabitur: uobis mensura bona, conferta, concussa, ac superfluens in sinum donabitur. eâdem enim mensura qua metiemini, remetietur uobis. Dicebat autem eis simili- Mar. 4.c
tudinem: Potéstne cæcus cæcum ducere? nón- Mat. 10.c
ne ambo in foueam cadent? Non est discipulus 15.b.
supra magistrũ suum: quin præclarè cum quoq; F
agitur, si eadem conditione est qua eius magister. Quid autem cernis festucam in tui fratris oculo, & trabem in tuo ipsius oculo non animaduertis? Aut quî potes dicere fratri tuo: Frater, sine ut extraham festucam quæ est in oculo tuo: ipse trabem, quæ in oculo tuo est, non cernens? Histrio, extrahe prius trabẽ ex oculo tuo, tum demum cernes ut festucam extrahas, quæ est in tui fratris oculo. Nulla enim nec bona arbor est, quæ tetrum ferat fructum: nec arbor mala, quæ bonũ ferat fructum. Nam ex suo quæq; fructu

fructu arbor cognoscitur. Non enim ex spinis colligũtur ficus, nec ex rubo uindemiatur uua. Vir bonus ex bona sui cordis cella bonum profert: itemq; uir malus ex mala sui cordis cella malum profert: utpote cum ex eius cordis redundantia loquatur eius os. G Quid uerò me uocatis, Domine, Domine, cum quæ ego dico, nõ faciatis? Quisquis ad me uenit, meaq; dicta & audit & exequitur, demonstrabo uobis cui sit similis. Est similis homini domum construenti, qui altè fodit, & fundamẽtum in petra iacit. Deinde si accidit inundatio, quamuis torrens in domum illam impingat, eam tamen conuellere nequit, quippe in petra fundatam. Qui uerò audit, nec exequitur, similis est homini qui domum in terra sine fundamento construxit, in quam domum si torrens irruit, ea protinus corruit, & ingentem dat ruinam.

Matth. 7. d

CAPVT VII.

Matth. 8. a

Centurio Iesum orat pro seruo suo sanãdo.

Postquam omnẽ orationem suam audiente populo absoluit, ingressus est Capharnaũ. Cuiusdam autẽ centurionis seruus adeò grauiter laborabat, ut iamiam obiturus esset, quẽ seruum ille in precio habebat. Itaq; audiens de Iesu, misit ad eum Iudæorum senatores oratum, ut suum seruum sanatum ueniret. Et illi Iesum aggressi sedulò rogant, ita dicentes: Dignus est cui tu id præstes: amat enim gentem nostram, idemq; nobis collegium construxit. Iesus uerò cum eis profectus est. Cumq; iam domo non procul abesset, centurio, missis ad eum amicis, sic monuit: Domine, ne labora. non enim sum dignus cuius tu tectum subeas, ideoq; mihi ipsi ad te ueniendum non putaui. Sed iube uerbo, B & sanabitur puer meus. Nam ego quoq;, qui homo sum alterius potestati subiectus, & militibus præsum, si cui dico, uade, uadit: si alij, ueni, uenit: si seruo meo, fac hoc, facit. His auditis Iesus miratus est eum, & conuersus, sequenti hominum multitudini dixit: Scitote me ne in Israelitis quidem tantam inuenisse fiduciam. Igitur domum reuersi qui fuerant missi, ægrotum seruum inuenere sanum. Accidit postridie ut proficisceretur in oppidum nomine Naim, comitantibus eum frequentibus eius discipulis, & ingenti hominum turba. Atq; ut oppidi portæ appropinquauit, ecce efferebatur mortuus, unicus matri filius, eiq; uiduæ, comitante eam frequente oppidanorũ turba. Ea uisa, miseratus eam Dominus, dixit ei: Ne plora. Deinde ad feretrum accessit, & id tetigit, cumq; restitissent C qui portabant, dixit: Adolescens, inquam tibi, surge. Tum mortuus sedit, loquiq; cœpit, atq; ille eum matri suæ tradidit. Inde omnes metu correpti, Deum collaudare, dicentes, magnum apud se ortum esse uatem, Deumq; suorum curam habere. Atq; is sermo de eo totam Iudæam finitimamq; regionem peruasit. Hæc omnia Iohanni sui discipuli nunciarunt. & Iohannes aduocatos duos quosdam suorum discipulorum, misit ad Iesum, qui ita dicerent: Túne is es qui uenturus est? an alium expectemus? Igitur homines Iesum aggressi, dixerunt: Iohannes Baptista nos ad te misit, ut ita diceremus, Túne is es qui uenturus est? an alium expectemus? At Iesus eadem hora multos à morbis miserijsq;, & malis spiritibus curauit, multosq; cæcos uisu donauit. Deinde illis in hæc uerba respondit: Ite renunciatum Iohanni, que uideritis ac audi D ueritis: cæci cernunt, claudi gradiuntur, leprosi purgantur, surdi audiunt, mortui resurgũt, pauperes euangelium docentur, & beatus est qui in me non offenderit. Deinde digressis Iohannis nuncijs, cœpit ad uulgus hominum ita dicere de Iohanne: Ad quid spectandum profecti estis in solitudinem? arundinem uento agitatam? Sed quid spectatum profecti estis? hominem mollibus indutum uestibus? At qui splendido uestitu & delicijs utuntur, degunt in regijs. Sed ad quid uidendum profecti estis? Vatem? Imò uerò, inquam uobis, etiam plus quàm uatem. Is est de quo scriptum est: Ego tibi meum præmissurus sum angelum, qui tibi uiam præparet. Hoc enim uobis dico: Maior in mulierum progenie, uates Iohanne Baptista nullus est: & tamen qui in Dei regno minimus est, maior est eo. Hoc audito, populus omnis & publicani Deum collaudarunt, Iohannis baptismate baptizati. E At Pharisæi & legisperiti, Dei consilium (quantũ in se fuit) resciderunt, ab illo nõ baptizati. Et Dominus: Cui igitur rei, inquit, huius nationis homines comparabo, & cui sunt similes? Similes sunt, ut cum pueri in foro manentes, alij ad alios clamant in hunc modum: Nos uobis fistula cecinimus, neq; saltastis: uobis luximus, neq; plorastis. Venit enim Iohãnes Baptista, qui nec panem comedit, nec uinum bibit: & dicitis eum habere dæmonium. Venit filius hominis, qui & comedit & bibit: & dicitis hominem esse edacem, uinosumq;, & publicanorum ac improborum amicum. ita suis omnibus aliena est sapientia. F Rogauit autem eum Pharisæorum quidam, ut secum epularetur: itaque ille in Pharisæi domũ ingressus accubuit. Tum mulier quædam in urbe, eaq; impudica, quod eum in Pharisæi ædibus epulari intellexerat, unguenti alabastrum ferens, à tergo flens, astitit ad pedes, cœpitq; eius pedes lachrymis rigare, & capitis sui capillis abstergere, ac deosculari, & unguento ungere. Quo uiso Pharisæus, qui eum inuitauerat, sic apud sese cogitauit: Hic si uates esset, cognosceret quæ qualisq; fœmina sit, quæ eum attrectat: est enim impudica. At Iesus sic eum contrà allocutus est: Simon, habeo quod tibi dicam. Cui ill: Dic magister, inquit. Duo debitores erant cuidam creditori, quorum alter quingentos debebat denarios, alter quinquaginta. Ii quoniam soluendo non erant, ille utriq; condonauit. Dic igitur, uter eorum plus eum amabit? G Cui Simon respondens: Is opinor, inquit, cui plus condonauit. Et ille: Rectè iudicas. Deinde ad fœminam conuersus: Vides hanc fœminam? inquit Simoni. Tu mihi domum tuã ingresso,

Iesus mortuum ad Naim oppidum in uitã reuocat.

Matth. 11. a

Túne is es qui uenturus est.

Iesu testimonium de Iohanne.

Malach. 3. a
Zach. 12.

Mulier Iesu pedes lachrymis rigat.

gresso, ne aquam quidem ad lauandos pedes meos dedisti: at ea pedes meos & lachrymis rigauit, & sui capitis capillis extersit. Tu mihi osculum non dedisti: ea uerò, ex quo sum ingressus, mihi pedes deosculari non destitit. Tu nec oleo mihi caput unxisti: at ea unguento mihi pedes etiam unxit. Quamobrem sic habeto, ei eius peccata, quæ multa sunt, ignosci quoniam multum amauit. Cui uerò paulùm ignoscitur, paulùm amat. Ignoscuntur tibi peccata, inquit, ei. At conuiuæ apud sese cogitare cœperunt, quisnam is esset, qui etiam peccata ignosceret? & ille ad mulierem: Tua te fiducia seruauit, inquit: abi salua.

CAPVT VIII.

Deinceps uadebat oppidatim & pagatim prædicans, Deique regnum nuncians, comitantibus eum duodecim, & quibusdam fœminis, quæ fuerant à malis spiritibus morbisque curatæ, Maria nomine Magdalena, ex qua septem exierant dæmonia, & Iohanna Chuzæ uxore, procuratoris Herodis, & Susanna, alijsque multis, quæ ei de suis facultatibus ministrabãt. Confluente autẽ ingenti multitudine, & hominibus passim ex oppidis eum adeũtibus, sic per similitudinẽ locutus est: Iuit sator quidam satũ suum semen. quo serẽte, aliud cecidit apud uiã, idque conculcatum est, & ab aëreis uolucribus comesum. Aliud in petram cecidit, idque exortum aruit, quòd humorẽ non haberet. Itẽ aliud cecidit inter spinas, idque enatæ simul spinæ suffocarũt. Aliud cecidit in bonam terram, & enatũ edidit fructum cum centesimo. Hæc dicẽs clamabat: Qui aures habet, quibus audire possit, audiat.

Luc.24.b · *Sator.* · *Matth.13.a* · *Mar.4.a*

B Interrogarunt autem eum sui discipuli, quænam esset ea similitudo? Quibus ille: Vobis datum est, inquit, diuini regni arcana cognoscere: cum cæteris uerò per similitudines agitur, ut uidentes non uideant, & audientes non intelligant. Est autem hæc similitudo. Semen est diuinus sermo. Qui apud uiã, ij sunt qui audiunt, deinde uenit Diabolus, qui sermonem ex eorũ animis aufert, ne credant, atque ita salui fiant. Qui uerò in petra, ij sunt, qui dum audiunt, cũ lætitia accipiunt illi quidem sermonem, sed radicem non habent: itaque credunt ad tempus, & periculorum tempore desciscunt. Quod uerò in spinas cecidit, ij sunt, qui ubi audiuerunt, eò ueniunt ut curis & diuitijs uitæque uoluptatibus suffocentur, neque fructum perferant. Quod uerò in bona terra, ij sunt, qui probo & bono animo auditum uerbum retinent, & fructum cum patientia ferunt. Nemò uerò accensam à se candelam operit aliquo uase, sub lectòue ponit, sed candelabro imponit, ut ingre-

Iohan.12.f · *Esa.6.c.* · *Act.28.f* · *Mat.5.b.* · *Mar.4.c*

C dientes lumen aspiciant. Nihil enim tam tectũ est, quod non sit perspicuum futurum: neque tam occultum, quòd non sit cognoscendum, & in apertum uenturum. Videte igitur ᵃ quomodo audiatis. nam qui habet, ei dabitur: qui uerò non habet, ei id etiam quod uidetur habere, eripietur. Venerant autem ad eum eius mater & fratres, qui cum præ turba cum eo congredi non possent, & ei à quibusdam nunciatum esset, eius matrem & fratres foris adesse, eum uidere uolentes: ille sic ei respondit: Mea mater meique fratres ij sunt, qui Dei sermonem audiunt & obeunt. Quodam autem die conscendit ipse cum suis discipulis nauem, eisque iussit ut lacum traijcerent. Postquam autem soluerunt, nauigantibus eis ipse obdormiuit: & tanta uenti procella in lacum delapsa est, ut ᵇ illi complerentur, ac periclitarentur. Itaque eum adorti excitarunt, dicentes: Præceptor, præceptor, perimus. At ille surrexit, uentumque & aquæ fluctus obiurgauit: atque illa pacata sunt, & facta tranquillitas. Deinde eos sic alloquitur: Vbi est uestra fiducia? At illi territi, mirati sunt, sic inter sese dicentes: Quisnam hic est, qui & uentis & aquæ sic imperet, ut ei obediant?

Mat.18.c · *a. Vt his quæ dico uobis, ad utilitatem uestram utamini.* · *Mar.4.c* · *Iesu fratres.* · *b. cõplere-tur eorum nauis.* · *Iesus tempestatẽ Pacat.*

D Nauigarunt autem in agrum Gadarenorum, qui contra Galilæam est: atque ei in terram egresso occurrit uir quidam ex urbe, qui dæmonia longo iam tempore habebat, nec uestem induebat, nec domi manebat, sed in monimentis. Is uiso Iesu, exclamauit, eumque accidit, & magna uoce dixit: Quid tibi mecum est, Iesu supremi Dei fili? oro te, ne me torqueas. Iusserat enim impuro spiritui, ut ex homine exiret. Nam longo tempore eum ita correptum habebat, ut licet catenis compedibusque uinctus custodiretur, ruptis uinculis ageretur à dæmone in deserta. Interrogauit autem eum Iesus, quódnam ei nomen esset? Cui ille respondit, Legio, siquidem multa dæmonia in eum intrauerant, eaque illum rogabant, ne sibi imperaret ut in Tartara abirent. Erat illic numerosus porcorum grex, in monte pascentium: itaque

Mat.8.d · *Marc.5.a* · *Furiosus qui in monimentis degebat.*

E dæmonia eum orabant ut sibi in illos intrare permitteret. Ac illo permittente, egressa ex homine dæmonia, ingressa sunt in porcos: atque grex per præceps delatus in lacum, suffocatus est. Hac re uisa, subulci fugerunt, idque in oppido & per rura nunciarunt. Et homines uidendæ rei causa egressi, uenerunt ad Iesum: & sedentem ad Iesu pedes hominem, ex quo exierant dæmonia, uestitum & sanæ mentis nacti, timuerunt. Cumque eis exposuissent qui uiderant quo pacto sanatus fuisset furiosus, rogauit eum omnis finitimæ Gadarenorum regionis multitudo, ut ab ipsis discederet, quoniam magno metu tenebantur. Itaque ille, conscensa naui, reuersus est. Et eum quidem orabat ille uir, ex quo exierant dæmonia, ut esset cum eo: sed dimisit eum Iesus, ita dicens: Reuertere domum tuam, & quæ tibi fecerit Deus narrato. Itaque ille discessit, & toto oppido quid sibi Iesus fecisset diuulgauit. Iesum autem reuersum uulgo homines exceperunt: nam eum omnes

F expectabant. Interea uenit uir quidam nomine Iairus, qui collegij magister erat. Is Iesu ad pedes accidit, eumque rogauit ut domum suam ingrederetur. Erat enim ei unica filia, annorum circiter duodecim, quæ moriebatur. Ac Iesu

Matth.9.c · *Mar.5.b* · *Iairus.*

Mulier sanguinis profluuio uexata. Iesu uadente, & turba eum suffocante, mulier quædam sanguinis profluuio iam à duodecim annis laborans (quæ quidem consumptis in medicos suis omnibus facultatibus, à nullo curari potuerat) accessit à tergo, eiusque togæ limbum tetigit, & statim cohibitum est eius sanguinis profluuium. Tum Iesus: Quis me tetigit? inquit. Cum omnes negarent, dixit Petrus, & qui cum eo erant: Præceptor, te turba angit atque premit, & quæris quis te tetigerit? At Iesus: Tetigit aliquis me, inquit: sensi enim exire ex me uim. Tum mulier, sese non latuisse uidens, tremebunda uenit, eumque accidit, & quam ob causam eum tetigisset, ei in totius populi præsentia exposuit, utque confestim fuisset sanata. G Et ille sic ei dixit: Bono es animo, filia, tua te fiducia seruauit, abi salua. Adhuc eo loquente, uenit à collegij magistro quidam, qui ei filiam mortuam esse dixit, nec esse quod magistro negocium facesseret. Quo audito, Iesus sic eum allocutus est: Ne metue: tantum crede, & sanabitur. Deinde ubi domum uenit, non siuit quenquam ingredi, nisi Petrum, & Iacobum, & Iohannem, & puellæ patrem atque matrem. Cumque omnes eam plangentes deplorarent, ille eos plorare uetuit: non enim mortuam esse, sed dormire. At illi eum deridebant, scientes esse mortuam. Ipse uerò, eiectis foras omnibus, eiusque prehensa manu, sic clamauit: Puella, surge. Atque illa, reuerso eius spiritu, protinus surrexit, & ille ei cibum dari iussit. Attoniti sunt eius parentes, & ille eis ne cui rem dicerent, præcepit.

CAPVT IX.

Mat.10.a Mar.3.c. a.b Iesus duodecim apostolos mittit. Conuocatis autē duodecim, dedit eis uim atque potestatem in omnia dæmonia, sanandique morbos: eosque ad Dei regnum publicandum, & ægrotos sanandos dimisit, eisque dixit: Nihil in uiam tollite, neque baculum, neque peram, neque panem, neque argentum, neque binas tunicas habetote. Ac in quamcunque domum intraueritis, ibi manetote, & a indidē exitote. *a. Vno hospitio utimini.* Quòd si qui uos non admiserint, exite ex illa urbe, & puluerem etiam ex uestris pedibus excutite, quod sit aduersus eos testimonio. *Acto.13.g.* Igitur illi digressi uicos obibant, ubique Euangelium docentes, & morbos curantes. Cum audiuisset autē Herodes tetrarcha, quàm multa ab eo fierent, dubitabat quòd dicebatur à quibusdam, Iohannem ex mortuis surrexisse, à nonnullis item Eliam extitisse: ab alijs autem, aliquem ueterum uatum reuixisse. *Matth.14.b Marc 6.d Herodes Iesu famam audit.* Dicebat autem Herodes: Ioanni ego caput præscidi: sed quis est hic, de quo ego talia audio? eumque uidere cupiebat. Reuersi aūt Apostoli, narrarunt ei quæ fecerāt. Et ille assumptis eis, secessit seorsum in desertū locum, urbis uocatæ Bethsaida. Quo cognito, uulgus hominum eum secutum est: quos ille excepit, eisque de Dei regno loquebatur, & curationis egentes sanabat. B Vt autem inclinare dies cœpit, duodecim eum huiusmodi uerbis aggressi sunt: *Ioan.6.a.* Dimitte hanc hominū multitudinem, ut in finitimos uicos & rura profecti diuertantur, & cibaria inueniant: nam hîc in deserto loco sumus. At ille: Præbete uos eis cibum, inquit illis. Cui illi: Non sunt nobis, inquiunt, plures quàm quinque panes, & duo pisces: nisi fortè eamus emptum ad omnem hunc populum cibaria. *Panes & pisces multiplicati.* Erant enim uiri circiter quinquies mille. Tum ille suis discipulis iussit ut curarent, ut illi per quinquagenarios ordines discumberent. Quod postquam illi fecerunt, & ut omnes discumberent curarunt, ille sumptis quinque panibus, & duobus piscibus, in cœlum intuitus, eos (super eis fausta precatione usus) fregit, & discipulis multitudini apponendos dedit. comederuntque omnes ad satietatem, & sublatum est quod eis fragmentorum superfuit, canistra duodecim. Cum autem seorsum orandi gratia esset, & unà cum eo adessent discipuli, interrogauit eos his uerbis: Quem me uulgo esse dicunt? *Quem me uulgo esse dicunt.* Cui illi respondent, Iohannem Baptistam, alij Eliam, alij uatē aliquem ueterum reuixisse. Et ille: Vos uerò, inquit eis, quem me esse dicitis? Et Petrus sic ei respondit: Christum Dei. Ille uerò eis interminatus est, præcepitque ne cui id dicerent, dixitque oportere filium hominis multa pati, & à senatoribus pontificibusque & scribis improbari, ac interfici, & tertia die resurgere. *Mat.17.d Mar.8.e* C Dicebat autem ad omnes: Si quis post me uenire uult, abneget ipse se, tollatque suam crucem quotidie, & me sequatur. *Luc.17.g & 14.f Mat.10.d 16.d Mar.8.d Ioan.12.d* Nam qui uolet animam suam seruare, perdet eam: qui uerò animam suam mea causa perdet, is eam seruabit. Quid enim prodest homini, uel totum lucrari mundum, si seipsum perdat, aut sui iacturā faciat? *Christianorū officiū.* Quem enim mei meorumque dictorum puduerit, huius pudebit filium hominis, cum in sua & patris sanctorumque angelorum gloria uenerit. *Mar.8.d Mat.10.d 2.Tim.2.b Mat.16.b Mar.9.a* Hoc autē uobis certò dico, esse quosdam eorum qui hîc adsunt, qui non antè sentient mortem, quàm Dei regnum uideant. D Deinde octo ferè diebus post hæc dicta, assumpto Petro, & Iohanne, & Iacobo, montem conscendit, precandi gratia. Atque eo precante, facta est eius uultus species alia, eiusque uestitus candore fulgurans. *Iesus trāsfiguratur. Mat.17.a Mar.9.a* Et ecce uiri duo cum eo colloquebantur, qui quidem erant Moses & Elias; qui cum splendore conspecti, dicebant eius b exitum, quo perfuncturus erat Hierosolymæ. *b. mortem.* Petrus uerò & eius comites somno grauati, postquam experrecti sunt, uiderunt eius splendorem, duosque qui apud eum aderant uiros. Atque illis ab eo digredientibus, dixit Petrus Iesu: Præceptor, bonum est hîc esse nos: faciamus tria tabernacula, tibi unū, Mosi unum, & Eliæ unum. Hæc eo loquente, & quid diceret nesciente, extitit nubes quæ c illos obumbrauit. *c. Mosen & Eliam.* Quibus in nubem ingressis, cum hi territi essent, extitit ex nube uox, dicens: E Hic est filius meus charissimus: hunc audite. Interea dum extitit uox, repertus est Iesus solus. Atque illi tacuerunt, neque cuiquam per eos dies quicquam eorum quæ uiderant, indicarunt. Postridie eis de

monte degressis, occurrit ei ingens hominum multitudo, & ecce uir quidam ex turba sic exclamauit: Magister, quæso te respice meum filium, qui mihi unicus est: quem simulac corripuit spiritus, clamat, eumque ille spumas agentē lacerat, & uix ab eo discedit, eum dilanians. Discipulos quidem tuos oraui ut eum eijceret: sed non potuerunt. At Iesus respondens: O diffidens, inquit, peruersaque natio: quandiu apud uos ero? uosque feram? adduc tuum huc filium. Iam illo accedente, conuulsit & lacerauit eum dæmonium. Sed Iesus impurum spiritum obiurgauit, puerumque sanauit, & eius patri reddidit, omnibus tanta Dei maiestate attonitis.

Matt. 17. d — *Dæmoniū eijcere discipuli non possunt.* — *Marc. 9. c*

Cunctis autem tam multa, quæ fecerat, mirantibus sic est discipulos suos allocutus: Conijcite uos in aures uestras hæc uerba: Tradendus est filius hominis in hominum manus. At illi dictum illud ignorabant, idque eis ita tectum erat, ut id non sentirent: sed eum de eo dicto interrogare formidabant. Venerunt autem in cogitationem, quis esset eorum maximus: & Iesus intelligens eorum animi cogitationem, prehenso puero, & apud se statuto, sic ad eos uerba fecit: Qui puerum hunc meo nomine accipit, me accipit: & qui me accipit, eum accipit qui me misit. Nam uestrûm minimus quisque, maximus erit. Tum Iohannes sic eum allocutus est: Præceptor, uidimus quendam nomine tuo eijcientem dæmonia, & eum prohibuimus, quoniam non comitatur nos. Cui Iesus: Ne prohibete, inquit: qui enim contra nos non est, à nobis est.

Quis sit maximus. — *Matt. 18. a* — *Marc. 9. e*

Cum autem cōpleretur eius assumptionis dies, ipse ita composito uultu, ut Hierosolymam ire uideretur, præmisit ante se nuncios, qui profecti intrarunt in Samaritanorum uicum, ut ei diuersorium pararent. G Sed illi eum non admiserunt, quoniam ire se Hierosolymam præ se ferebat. Quo uiso, eius discipuli Iacobus & Iohannes dixerunt: Domine, uis iubeamus ignē de cœlo descendere, qui eos conficiat, ut etiam fecit Elias? At Iesus conuersus, eos obiurgauit: Nescitis, inquit, cuiusmodi spiritus filij sitis uos. Nam filius hominis hominum uitas non perditum uenit, sed seruatum. Ita in alium uicum profecti sunt. Vadentibus autem eis in uia, dixit ei quidam: Sequar te quocunque ieris, Domine. Cui Iesus: Vulpes habent antra, inquit, et aëreæ uolucres nidos: at filius hominis non habet ubi caput reclinet. Item alteri dixit: Sequere me. Et ille: Domine, inquit, permitte mihi ut eam prius sepultum meū patrem. At Iesus: Sine (inquit ei) mortuos sepelire mortuos suos: tu uerò i annunciatum Dei regnum. Item cum alius dixisset: Sequar te, Domine. Sed prius permitte mihi uale dicere meis domesticis, dixit ei Iesus: Nemo qui aratro admota manu respicit in tergum, aptus est ad Dei regnum.

Iohan. 4. a — *4 Re. 1. b. c* — *Christus pauperrimus.*

CAPVT X.

Iesus septuaginta mittit.

POstea constituit Dominus etiam alios septuaginta L. duos, G. eosque binos ante se præmisit in omnes urbes & loca quò ipse uenturus erat. Atque eos sic affatus est: Messis quidem multa est, sed operarij pauci: quocirca rogate messis dominum, ut operarios emittat in messem suam. Vadite, en ego mitto uos tanquā agnos inter lupos. Ne ferte crumenā, ne peram, neque calceos, neue quenquam in uia salutaueritis. In quamcunque autem domum intrabitis, primum dicite: Salueat hęc domus. Et si quidem erit ibi aliquis salute dignus, requiescet in eo uestra salus: sin minus, ad uos reuertetur. B Atque in eadem domo manetote, comedentes & bibentes quæ eis suppetent. nam dignus est operarius mercede sua: Ne migratote ex domo in domū: & in quamcunque urbem intraueritis, admissique fueritis, uescimini ijs quæ uobis apponentur: & qui erunt in ea ægroti, eos curatote, eisque ad eos Dei regnum uenisse dicitote. In quam uerò urbem ingressi, nec admissi fueritis, exitote in eius fora, & ita dicitote: Etiam puluerem, qui nobis ex urbe uestra adhæsit, uobis abstergimus. Cæterùm scitote, ad uos diuinum uenisse regnum. Sic habetote, cum Sodomis in illa die lenius actū iri, quàm cum illa urbe. C Hei tibi Chorazin, hei tibi Bethsaida: nam si Tyri & Sidone facta forent miracula, quæ facta sunt in uobis, iampridem in centone & puluere degentes redijssent ad frugem. Itaque cum Tyro & Sidone mitius agetur in iudicio, quàm uobiscum. Et tu Capharnaum, quæ ad cœlum usque euecta es, ad inferos usque deprimēris. Qui uos audit, me audit: & qui uos repudiat, me repudiat: qui uerò me repudiat, eum repudiat qui me misit.

Matth. 9. d — *Matth. 10. b* — *Mar. 6. a* — *4. Reg. 4. e* — *Matt. 10. b* — *Deut. 24. c* — *1. Tim. 5. c* — *Acto. 13. g* — *Matth. 11. e* — *Matth. 10. d* — *Iohan. 13. c*

Reuersi autem septuaginta L. duo G. cum lætitia, dixerunt: Domine, etiam dæmonia nobis per tuum nomen subijciuntur. Quibus ille: Spectabam, inquit, Satanam fulguris ritu lapsum de cœlo. Equidem uobis potestatē do serpentes scorpiosque calcandi, & contra omnes hostis uires, ita ut nihil uos læsurum sit. D Verùm eo ne gaudete, quòd uobis subijciūtur spiritus: sed eo potius gaudete, quòd nomina uestra scripta sunt in cœlis. Ea ipsa hora exultauit mente Iesus, dixitque: Ago tibi gratias, pater, cœli terræque Domine, quòd hæc sapientes prudentesque celaueris, & infantibus patefeceris: idque, ô pater, quoniam sic tibi placitum est. Omnia mihi tradita sunt à patre mea: neque quisquā nouit quis sit filius, nisi pater: aut quis sit pater, nisi filius, & cui uoluerit filius patefacere. Tum seorsum ad discipulos conuersus: Felices, inquit, oculi, qui aspiciunt quæ uos aspicitis. Scitote enim multos uates atque reges uoluisse uidere quæ uos aspicitis, neque uidisse: & audire quę auditis, nec E audiuisse.

Matt. 10. d — *Diuina nouerunt paruuli.* — *Matt. 13. b*

Hic surrexit quidam legisperitus, qui eum huiusmodi uerbis tentauit: Magister, quid faciendo sempiternam uitam consequar? Cui ille: In lege quid scriptum est? inquit: quomodo legis? Et ille respondens: Dominum Deum tuum, inquit, toto corde, toto animo, totis uiribus, totaque mente amato: itemque proximum tuum perinde ac teipsum. Rectè respondisti, inquit ei: id facito, et uiues. At ille seipsum commendare

Matth. 22. d — *Mar. 12. c* — *Vitæ uia.* — *Deut. 6. a*

mendare uolēs, dixit Iesu: Ecquis est meus pro-
Quis sit cuiusq; proximus.
ximus? Tum Iesus ita subiecit: Homo quidam
Hierosolyma ad Hierichuntem descendens, in
latrones incidit, qui eum dispoliarūt, inflictisq;
uulneribus discesserunt, eo seminece relicto.
F Fortefortunā sacerdos quidam, qui descende-
bat per eam uiam, illum ut uidit, præterijt. Simi
liter & Leuita ad eum locū delatus, ubi uenit,
uiditq; præterijt. Samaritanus uerò quidā iter
faciens, uenit ad eum: eoq; uiso, misertus, acces-
sit, & eius uulnera oleo uinoq; perfusa obliga-
uit, & eum iumento suo impositum duxit in di
uersoriū, eiusq; curam egit: & postridie digres-
surus, deprompsit duos denarios, et cauponi de
dit, eiq; mandauit ut eius curam haberet: sese
quicquid ille insuper insumpsisset, ei in suo redi
tu esse soluturum. Quis igitur horum trium ti-
bi uidetur proximus illius fuisse, qui in latrones
G inciderat? Et ille: Qui ei misericordiam tribuit,
inquit. Tum Iesus: I, inquit, & tu facito simili-
ter. Accidit autem, ut eis iter facientibus, ingre-
deretur in quendam uicum: & mulier quædam
nomine Martha, eum domi suæ accepit. Huic
soror erat nomine Maria, quæ ad Iesu pedes as-
sidens, audiebat eius orationem. Martha uerò,
quæ tanto ministerio distraheretur, sic dicere in
stitit: Domine, hoccine nō curas, quòd mea so-
ror solam me ministrare sinit? Dic igitur ei ut
Martha.
me adiuuet. Cui Iesus respondēs: Martha Mar-
tha, inquit, tu de multis sollicita turbaris, & uno
est opus. Maria bonam cōditionem elegit, quæ
quidem ab ea non auferetur.

CAPVT XI.

Matth. 6.b
De orādo.
CVm autem quodam in loco oraret, post-
quam desiit, dixit ei quidam eius discipu-
lorum: Domine doce nos orare, ut et Iohannes
docuit suos discipulos. Et ille: Cum orabitis, in-
quit eis, dicitote: Pater noster qui es in cœlis:
Sanctè colatur nomen tuū. Veniat regnū tuum.
Fiat uoluntas tua ut in cœlo, sic & in terra. Vi-
ctum nostrum alimentariū da nobis quotidie:
& remitte nobis peccata nostra, quandoquidē
ipsi remittimus omnib. qui nobis debent: néue
nos in tentationem adducito, sed à Malo tuere.
Tum illud eis dixit: Si quis uestrûm habeat ami
cum, quem media nocte adeat, eiq; dicat: Ami-
ce, mutua mihi tres panes: etenim ad me uenit
amicus meus ex uia, cui quid apponam non ha
beo. atq; ille intus ita respōdeat: Noli mihi mo-
B lestiam exhibere: iam clausa ianua est, & pueri
mei mecū in lecto sunt: nō possum surgere, & ti
bi dare L. si ille pulsare perseuerauerit G. mihi
credite, etsi non surget ad ei dandū, quia sit eius
amicus: at certè propter eius improbitatem sur-
Iohan. 16. c
get, eiq; tot dabit, quot ille egebit. Ego quoq; uo
Matth. 7. a
bis dico: Petite, & dabitur uobis: quærite, & in-
Marc. 11. c
uenietis: pulsate, & uobis aperietur: quisquis e-
Ioan. 14. b
nim petit, adipiscitur: & qui quærit, inuenit: &
Iac. 1. a
pulsanti aperitur. Quis autem uestrûm est, qui
Mat. 7. b
pater poscenti filio panem, det lapidem? aut po-
scenti piscē, det pro pisce anguē? aut si ouum pe
tat, det ei scorpiū? Quòd si uos, qui mali estis, sci-
tis bona dona dare uestris liberis, quanto magis
pater cœlestis dabit sanctum spiritū petentibus
à se? Eijciebat autē aliquando dæmonium, quod
erat mutum: quo dæmonio egresso, locutus est
mutus, id quod uulgò mirati sunt. At eorū qui-
dam dicebant, eum per Beelzebulem dæmonio
Matt. 9. 12. d. & b
rum principem eijcere dæmonia. Alij tentandi
gratia signum ab eo petebāt de cœlo. Quorum
ipse cogitationes intelligens, dixit eis: Omne re
Matth. 3.
Discordiæ mala.
gnum à seipso dissidens uastatur, & domus su-
per domum cadit. Quòd si Satanas à seipso dis-
sideret, quo pacto staret eius regnum? ut uos C
me dicatis per Beelzebulem eijcere dæmonia?
Quòd si ego per Beelzebulem eijcio dæmo-
nia, uestri generis homines per quem eijciunt?
Itaque erunt ipsi uestri iudices. Sin ego diuino
digito eijcio dæmonia, ergo uenit ad uos diui-
num regnum. Cum quis fortis armatus suum
atrium custodit, saluæ sunt eius facultates. Sed
si quis eo fortior eum adortus uicerit, eius &
arma quibus confidebat, aufert, & spolia distri-
buit. Qui mecum non est, contra me est: & qui
mecum non congerit, dissipat. Dum impurus
spiritus exijt ex aliquo homine, siticulosa loca
peragrat, requietem quærens. Eam postquam
non inuenit, statuit domum suam redire, unde
exierat. Deinde ubi uenit, & eam uersam or-
natamq; offendit, accersit septem alios spiritus
deteriores se: qui illuc ingressi, ibi manent: atq;
ita fit hominis illius conditio posterior, priore D
deterior. Eo hæc dicente, mulier quædam ex
turba, sublata uoce dixit ei: Beatus uenter qui
Beatus quis.
te portauit, & ubera quæ suxisti. At ille: Imò,
inquit, beati qui diuinum sermonem & audiūt
& conseruant. Vulgo autem coeunte, sic infit:
Hęc natio mala est: signum quærit: & nullum
Mat. 12. c
ei signum dabitur, nisi signum Ionæ uatis. Vt
Ionæ 2. a
Ionæ signū.
enim fuit Ionas signum Niniuitis, sic erit etiam
filius hominis huic nationi. Austri regina sur-
3. Reg. 10. a
2. Paral. 9. a
Austri regina.
get in iudicio cum huius nationis hominibus,
eosq; damnabit, quòd ex ultimis terris uenerit
auditum Solomonis sapientiam, cum hic sit So
lomone præstantior. Homines Niniuitæ sur-
Niniuitæ.
Ionæ 3. b
gent in iudicio cum hac natione, eamq; da-
mnabunt, quòd ad Ionæ præconiū mores suos
Matth. 5. b
Mar. 4. c
correxerint, cum hic sit Iona præstantior. Ne-
mo accensam lucernam in occulto ponit, aut
sub modio, sed in candelabro, ut intrantes lu- E
men aspiciant. Lucerna corporis est oculus.
Quòd si tuus oculus syncerus est, etiam totum
Mat. 6. c
corpus tuum lucidum est: sin improbus est,
tuum quoq; corpus tenebricosum est. Vide er-
go, ne quod in te lumen est, tenebræ sint. Quòd
si tuum corpus totum erit lucidum, & ita luci-
dum, ut nullam tenebricosi partem habeat, per-
inde erit ac si se fulgore lucerna collustret. Hæc
locutum rogauit Pharisæus quidam, ut apud
se pranderet. Et ille ingressus accubuit. Et Pha-
risæus miratus est, uidens eum non prius ante
prandium lauisse. Et Dominus dixit ei: Nunc
uos Pharisæi exteriorem poculi catiniq; par-
Matth. 23. c
tem purgatis, cū interiora uestra rapinæ sint &

malitiæ plena. Dementes, quasi uerò non idem F qui exteriora fecit, etiam interiora fecerit. Facite modò benignè ex ijs quæ suppetunt, ita fiet ut uobis omnia munda sint. Sed uæ uobis Pharisæis, qui mentam, rutam, denique omne olus decimatis: & æquitatem, Deiq; amorem prætermittitis. Debebant & hæc fieri, & illa non omitti. Væ uobis Pharisæis, qui primũ sedendi locum in collegijs, & salutationes in foris amatis. Vę uobis Scribę & Pharisæi personati, qui perinde estis atque abdita sepulchra, super quæ inscientes gradiuntur homines. Tum sic eum allocutus est quidam legisperitus. Magister, ista dicens, nobis quoq; facis iniuriam. At ille: Et uobis legisperitis, inquit, uæ, qui alios grauissimis oneratis oneribus, quæ onera uos ne uno quidem digito attingitis. Væ uobis, quòd uatũ monimenta extruitis, cum uestri maiores eos interfecerint. Ergo uobis maiorum uestrorum facta placere testamini, dum, quos illi peremerunt, eorum uos monimenta extruitis.

Væ Pharisæis.
Matth. 23. a
Mar. 12. d
Infra. 20. g

G Itaq; diuina Sapientia sic fata est: Mittam ad eos uates & legatos, quos partim interficient, partim persequentur, ut de hac natione supplicium sumatur sanguinis omnium uatum, ab orbe condito effusi, ab Abelis sanguine, usq; ad Zachariæ sanguinem, qui a inter aram & ædem peremptus est. Ita est, inq; uobis, sumentur de hac natione pœnæ. Væ uobis legisperitis, qui sciẽtiæ clauẽ abstulistis, nec ipsi intrastis & intrantes impediuistis. Hæc eo ad illos dicẽte, cœperũt legisperiti & Pharisæi acriter instare, & eius orationẽ mutis rationib. insidiosè captare, conantes aliquid ex eius ore aucupari, quo eum crimanarentur.

Genes. 4. b
a. Ara erat ante ædem.

CAPVT XII.

INterea cum tot uulgi millia conuenissent, ut inter se opprimerent, cœpit ille sic ad suos discipulos uerba facere: In primis cauete uobis à Pharisæorum fermento, hoc est simulatione. Nihil enim tam tectum est, quod non sit detegendum: neq; tam occultum, quod non sit cognoscendum. Itaq; quicquid in tenebris dixeritis, id in luce audietur: & quod in aurem in penetralibus locuti fueritis, id in tectis prædicabitur. Hoc autem uobis amicis meis dico: Ne eos timete qui corpus quidem interficiunt, sed deinde quid amplius faciant non habent. Sed uobis demonstrabo quem timeatis. Timete eum, qui postquam interfecit, potestatẽ habet in gehennã conijciendi: hunc, inquam, timete. Cum uæneant quinq; passerculi dipondio, tamen eorum nullus in obliuione est apud Deum. At uestrûm etiam capitis capilli sunt omnes numerati.

Matth. 16. d
Mar. 8. b
Omnia patefient.
Matth. 10. c
Mar. 4. c
Quis sit timendus.
Abijcienda solicitudo.

B Quare ne timete, longè passeres antecellitis. Illud quidẽ sic habetote: quisquis me apud homines agnouerit, hunc uicissim agnoscet filius hominis apud diuinos angelos. Qui uerò me apud homines abnegauerit, abnegabitur apud diuinos angelos. Et quisquis aliquid aduersus filium hominis dixerit, ignoscetur ei: sed ei qui sancto spiritui maledixerit, non ignoscet. Cum autẽ in collegia & ad magistratus potestatesq; sistemini, ne soliciti estote quomodo aut quid respondeatis, aut dicatis. Sanctus enim spiritus docebit uos eadem hora quæ dicenda sint. Dixit autem ei quidam ex turba: Magister, iubẽ meo fratri ut mecum hæreditatẽ partiatur. Cui ille: Homo, inquit, quis me uobis iudicem aut diuisorem constituit? Deinde illos alloquens: Videte ut auaritiam caueatis. Non enim in eo cuiusq; uita sita est, si facultatibus abũdet. Tum eis huiusmodi similitudinem dixit: Quidam diues homo, cum eius fundus abundè extulisset,

Matth. 10. d
Mar. 8. d
Mat. 12. c
Marc. 3. d
Mat. 10. d
Mar. 13.
Eccl. 11. c

C sic secum ipse cogitabat: Quid agam cum non habeam quò meas fruges congeram? Hoc agã, inquit: horrea mea diruã, et maiora construam, eoq; omnes meos prouentus et bona cogeram, atq; ita animæ meæ dicam: Anima, habes multa bona in multos annos condita, requiesce, comede, bibe, indulge uoluptati. At Deus sic eum interpellauit: O demens, hac nocte reposcetur à te anima tua: quæ uerò parasti, cuius erunt? Sic accidit ei qui sibijpsi congerit, b neque deo diues est. Hanc ob rem uobis ita dico (inquit suis discipulis) ne soliciti este de uita uestra, quid comesuri: neque de corpore, quid induturi sitis. Vita plus est quàm alimẽtum, & corpus quàm indumentum. Contemplamini coruos, qui neq; serunt, neque metunt, neq; cellam aut horreum habent, tamen eos nutrit Deus: quanto uos uolucribus præstatis?

b. Non habet in suis diuitijs dei rationem.
Matth. 6. b
1. Pet. 5. b
Psal. 54. d

D Quis autẽ uestrûm sua cura possit staturam suam augere uno cubito? Quòd si ne minima quidem potestis, quid de cæteris solicitamini? Contemplamini lilia, ut crescant, cum neq; laborent, neq; neant. Atqui scitote ne Solomonem quidem in suo tanto splendore, uestiri solitum ut eorum quodlibet. Quòd si herbam, quæ hodie est in agro, & cras in clibanum conijcitur, tamen Deus ita uestit, quanto magis uos? ô parum fidentes. Vos igitur ne requirite quid esuri bibituriue sitis: neue pendete. Hæc enim omnia mundi gentes requirunt, quæ uobis opus esse scit pater uester. Sed quærite Dei regnum, & hæc omnia uobis addentur. Ne formidate, ô paruum ouile: nam uisum est patri uestro uobis dare regnum. Vendite facultates uestras, & egentibus largimini. Facite uobis crumenas quæ non ueterascant, thesaurum inexhaustum in cœlis, quò neq; fur accedit,

Mat. 6. c

E neq; tinea corrumpit. Nam ubi est thesaurus uester, ibi etiam erit uester animus. Sint uobis latera succincta, & ardentes lucernæ: similesque hominibus este dominum suum expectantibus, quando discedet à nuptijs, ut simulac uenerit ac pulsauerit, ei aperiant. Felices illi serui, quos cum uenerit dominus, inuenerit uigilantes. Mihi credite, accinget se, eosq; accumbere iubebit, & eis ministratum ueniet. Quòd si, seu secunda, seu tertia uenerit uigilia, idem inuenerit, felices sunt illi serui. Illud autem scitote, si sciret paterfamiliâs qua hora fur uenturus esset, uigilaturum esse, neque domum suam perfodi passurum. Vos igitur este parati: nam qua hora non putatis, filius hominis uenturus est. Tum

Vigilandũ.
Mat. 24. d

Petrus:

Bonus dispensator. Apoc. 16.c

F Petrus: Domine, inquit ei, ad nósne similitudinem istam dicis, an etiam ad omnes? Et Dominus: Si quis est fidelis dispensator & prudens, inquit, quem præfecerit herus suæ familiæ, ut ei suo tempore demensum præbeat: beatus est ille seruus quē cū uenerit eius herus, inuenerit officium suum facientem. Mihi certo credite, eum suis omnibus facultatibus præficiet. Sin cogitauerit seruus ille cum animo suo, herū suum diu non uenire, cœperítque famulos & famulas pulsare, epularíque, & potare, & inebriari: ueniet herus illius serui inexpectato ei die, ignotáque hora, eúmque dissecabit, & infidelium numero habebit. Is uerò seruus qui cum heri sui uoluntatem sciret, non mandata fecerit, nec eius uoluntati paruerit, grauius uapulabit. Qui uerò nesciuerit, & plagis digna fecerit, leuius uapulabit. Ac cuicunque multum traditū fuerit, ab eo multum exigetur: & quanto cuique plus commissum

Seruus nequam.

G fuerit, tanto plus ab eo reposcetur. Ignem ueni iniectum in terrā, qui si iam incensus est, b quid uolo? Baptismate baptizandus sum, quod dum absoluatur, uehementer angor. An me ad pacē in terris conciliandam uenisse arbitramini? Nequaquā (inquam uobis) sed potius discordiam. Erunt enim deinceps quinque in una domo dissidentes, tres à duobus, & duo à tribus. Dissidebit pater à filio, & à patre filius: mater à filia, & à matre filia: socrus à nuru sua, & à socru nurus. Deinde ad uulgus: Dum uidetis, inquit, exorientem ab occasu nubem, continuò dicitis aduentare pluuiam, atque ita fit: & dum spirātem austrum, dicitis æstum futurum, id quod fit. Ficti homines, terræ cœlique faciem discernere scitis: tempus hoc qui fit ut non discernatis? aut cur ex uobisipsis non iudicatis exæquo? Cum enim unà cum aduersario tuo magistratū adis, da operam in uia ut ab eo libereris, ne te & ille ad iudicem pertrahat, & iudex lictori tradat, & lictor det in custodiam. Mihi crede, non exibis inde, quin ultimum etiam teruntium solueris.

b. Nihil tā cupio, quā ut ardeat.
Mat. 10. d
Ex præsentibus præsagienda sunt futura.
Matth. 16.a Mar. 8.b Matt. 5.d

CAPVT XIII.

Sontes peribunt.

Adfuerunt autem quidam eodem tempore, qui ei de Galilæis nunciarunt, quorum sanguinem Pilatus cum eorum sacrificijs miscuerat. Quibus Iesus in hæc uerba respondit: An putatis Galilæos illos omnium fuisse Galilæorum improbissimos, quòd talia passi sint? Nequaquam, inquam uobis. Sed uos nisi ad frugem redieritis, omnes similiter peribitis. Item illos duodeuigenti, quos delapsa turris in Siloa, interfecit, an fuisse putatis omnium Hierosolymitanorum nocentissimos? Nequaquam, inquam uobis: sed uos nisi ad frugem redieritis, omnes similiter peribitis. Dixit item hoc exemplum: Ficum habebat quidam in uinea sua satam, ex qua ficu fructum petitum uenit, nec inuenit. Itaque dixit uinitori: Ego iam per tres annos

Infructuosa arbor excindenda.

B fructum ex hac ficu petitum uenio, nec tamen inuenio, abscinde eam, quorsum terrā inutiliter occupat? Cui ille: Domine, inquit respondens, sine eam etiam hunc annū, dum ego eam ablaqueem, atque stercorē, si fortè fructum edat. Sin minus, tu eam postea abscindes. Docebat autē aliquando in quodam collegio Sabbathis, & aderat quædam mulier spiritum habens debilitatis iam annos duodeuiginti, eaque sic incurua, ut se erigere prorsus non posset. Eam uisam

Mulier debilis sanatur.

C uocauit Iesus, eique dixit: Mulier, soluta es ab infirmitate tua: eique manus imposuit: atque illa protinus correcta, Deo gratias agebat. Hic collegij magister, Iesum Sabbatho curasse indignās, his uerbis plebem alloquitur: Sex dies sunt, in quibus agi debet. in ijs igitur uenite ut curemini, non die Sabbathi. At Dominus sic ad eum cōtrà locutus est: O personate, nónne uestrûm quisque Sabbatho bouem asinúmue suum soluit à præsepi, & potum ducit? Hanc uerò, quæ sit Abrahamo prognata, quam uinctam habuit Satanas annos iam duodeuiginti, non oportebat ab hoc uinculo solui die Sabbathi?

D Hæc eo dicente, pudebat omnes eius aduersarios: at uulgus omne tot præclaris, quæ ab eo fiebant, rebus lætabatur. Dicebat item: Cui simile est diuinum regnum? aut cui id assimilem? Simile est grano sinapis, quod sumit homo, & in hortum suum iacit, idque sic crescit, ut fiat arbor tanta, ut aëreæ uolucres in eius ramis nidificent. Itémque dixit: Cui diuinum regnum assimilem? Simile est fermēto, quod mulier sumit, & in farinæ sata tria recondit, dum tota fermentetur. Igitur cum oppidatim uicatímque uadens doceret, &

Granum sinapis. Matth. 13.d Mar. 4.c
Fermentū. Mat. 13.e

E ad Hierosolymam iter faceret, quidam sic ex eo quæsiuit: Domine, an pauci sunt seruandi? Et ille: Contēdite, inquit eis, intrare per angustam portam. Nam multi (ut hoc sciatis) qui intrare conabuntur, non poterunt. Postquam intrauerit paterfamiliâs, ostiúmque clauserit, & uos foris stare, & ostium pulsare cœperitis, dicentes: Domine, domine, aperi nobis: ille uobis ita respondebit, Nescio uos unde sitis. Tum uos ita dicere insistetis: Epulati sumus corā te, & bibimus,

Matth. 7.b
Pauci beati. Mat. 7.d

F & tu in nostris plateis docuisti. At ille: Profectò nescio uos, inquiet, unde sitis. Facessite à me omnes malefici. Illic erit ploratus stridórque dentium, dum Abrahamum, Isaacum, & Iacobum, omnésque uates in Dei regno conspicietis, uos uerò forâs eijci, uenientésque ab Oriente, & Occidente, & Borea, & Austro, qui in diuino regno accumbant. Et quidem ultimi sunt, qui primi erunt: & primi sunt, qui erunt ultimi. Eodem die Pharisæi quidam eum his uerbis conuenerunt: Abi, & hinc discede, nam Herodes uult interficere te. Quibus ille: Ite, inquit, dicite isti uulpi, me dæmonia eiecturum, sanationésque peracturum esse hodie & cras: tertio autem die perfectum iri.

Psal. 6.e Mat. 7. b et 25.d
Matth. 19.d 20.b Marc. 10.d
Herodes uulpes.

G Veruntamen mihi hodie & cras & tertio die ambulandum esse: quoniam non licet ullum uatem extra Hierosolymam perire. Hierosolyma, Hierosolyma, quæ uates interficis, & ad te missos lapidas, quoties uolui tuos natos congregare, quomodo gallina suum a nidum sub alas: nec uoluistis. Scitote futurum esse ut uobis uestra domus deserta

Hierosolymæ excidiū prædicitur. Matth 23.d
a. pullos.

relinqua

relinquatur. Atque illud sic habetote, uos non
prius esse uisuros me, quàm tẽpus ueniat, quo
Inf.21.e f dicetis, Bene sit uenienti in nomine Domini.

CAPVT XXIIII.

Hydropicus Sabbatho curatur. CVm autem in domum uenisset cuiusdam
Pharisæorum primarij Sabbatho ad capiẽ
dum cibum, & illi eum obseruarẽt, adessetq; tũ
homo quidã hydropicus ante eũ, Iesus legispe
ritos & Pharisæos alloquẽs quæsiuit an Sabba
tho curare fas esset. Atq; illis tacentibus, Iesus
illum prehendit, sanauitq;, & dimisit, illosq; sic
affatus est: Quis uestrûm est, qui si eius asinus
aut bos in puteũ cadat, nõ eum protinus extra
hat die Sabbathi? Ad hæc illi ei contrà respon
B dere non potuerunt. Dixit item inuitatis exem
plũ (animaduertens ut prima accubãdi loca de
Non appetentius honos. ligerẽt) eos sic alloquens: Si fueris ab aliquo uo
catus ad nuptias, noli accubare primo loco, ne
si quis honoratior te, sit ab eo inuitatus, ueniat
is qui & te & illum uocauit, tibiq; ut illi locũ des
iubeat, atq; ita sit tibi ultimus locus cũ pudore
occupandus. Sed cũ fueris inuitatus, i accubitũ
ultimo loco, ut cũ uenerit qui te inuitauerit, di
cat tibi: Amice, ascẽde superius, id quod tibi e
C rit apud eos qui tecũ accũbent, gloriosum. Nam
Matth.23.b quisquis seipsum euexerit, deprimetur: & qui
Luc.18.c se depresserit, euehetur. Dixit item ei qui se inui
Prouer.25.a tauerat: Cum prandiũ cœnámue facis, ne uoca
to tuos amicos, nec fratres, nec cognatos, nec ui
cinos, L. nec G. diuites, ne illi te uicissim inui
Quinam ad conuiuia inuitandi. tẽt, tibiq; referatur gratia. Sed cũ conuiuiũ cele
bras, inuoca pauperes, mutilos, claudos, cæcos:
& felix eris, quoniam te remunerari nequeunt.
Tob.4.b Reddetur enim tibi in resurrectione iustorum.
Prouer.3.b His auditis, quidã cõuiuarũ dixit ei: Felix qui ci
D bũ capit in diuino regno. Et ille: Homo quidã
Matt.22.a (inquit ei) fecit magnã cœnã, multosq; inuita
Homo quidam fecit magnam cœnam. uit: & hora cœnæ seruũ suũ misit, qui inuitatos
uenire iuberet: iam enim parata esse omnia. At
illi omnes ad unum se excusare. Primus sic ei
dixit: Fundum emi, & eũ uisere necesse habeo,
rogo te habe me excusatũ. Alter item dixit: Iu
ga boũ emi quinq;, & ea expertũ eo: rogo te ha
be me excusatũ. Item alius: Vxorẽ duxi, inquit,
ideoq; ire non possum. Hæc seruus domino suo
E renunciatũ iuit. Tum iratus paterfamiliás, dixit
seruo suo, Egredere euestigiò in urbis areas atq;
uicos: & pauperes, mutilosq;, & claudos & cæ
cos huc introducito. Deinde seruus: Domine
inquit, factum est ut imperasti: sed superest lo
a.triuia & pagos atq; uillas. cus. Tũ dominus: Proficiscere in [a] uias, inquit,
& in septa, & intrare coge, ut domus mea com
pleatur. Nam illud scitote, neminẽ hominũ illo
rũ inuitatorum esse meam cœnã gustaturum.
F Cum autẽ eum ingens hominum turba comita
Matth.10. retur, conuersus dixit eis: Si quis ad me uenit,
& 16.d nec suum patrẽ, & matrem, & uxorem, & libe
b. semetipsum. ros, & fratres, & sorores, atq; adeò [b] suam ipsius
Mar.8.d animã odit, non potest meus esse discipulus. Et
c. Omnia impẽdenda sunt ei, ~~qui non portat suam crucẽ, & me sequitur, non~~
~~potest meus esse discipulus.~~ [c] Quis enim uestrũ
uolens turrim cõstruere, non prius sedens sum
ptum cõputat, an habeat quæ ad perfectionem qui uelit esse Christi.
requirantur? ne si iactis fundamentis absoluere
nõ ualeat, omnes qui id spectabunt, eũ illudere G
incipiant, dicentes, eum hominẽ, quæ ædificare
cœperit, exædificare nequiuisse. Aut quis rex
ad prœliũ cũ alio rege committẽdum profectu
rus, nõ ante sedens deliberat, an possit cum de
cem millibus obuiam ire illi qui se cum uiginti
millibus adoriatur? Alioquin adhuc illo procul
absente, legatos de pace mittit. Sic igitur qui
cunq; uestrûm non suis omnibus uale dicit, nõ
potest meus esse discipulus. Bonũ est sal: uerùm
si sal infatuatũ fuerit, quo condietur? Nec terræ
est, nec stercori accommodatũ: foràs proijcitur.
Qui aures habet ad audiendum, audiat.

CAPVT XV.

FRequentabant autẽ eum omnes publicani Matth.18.b
& improbi, eius audiendi gratia, & freme Gaudent cœlites, si quis redit ad frugem.
bãt Pharisæi atq; Scribæ, dicentes eum impro
bos admittere, cumq; eis cibum capere. atq; ille
eis huiusmodi similitudinem in hęc uerba dixit:
Quis homo uestrûm est, qui si centum habeat
oues, & earũ unam perdiderit, non relinquat in
saltu nonagintanouẽ, & ad perditam uadat, do
nec eam inueniat? quam inuentã suis imponit B
humeris, gaudẽns: domumq; profectus, conuo
catos suos amicos & uicinos admonet, ut sibi
congratulentur, qui suam ouem perditam inue
nerit. Scitote eodem modo maiorẽ fore in cœ
lo lætitiam ob unum sontẽ, qui redeat ad frugẽ
quàm ob nonaginta nouem insontes, qui uitæ
correctione non egeant. Aut quæ mulier est,
quæ drachmas habeat decem, & unam dra
chmam amittat, non lucernam accendat, do
mumq; uerrat, & diligenter cõquirat donec in
ueniat? Ac ea inuenta, cõuocat amicas, & uici
nas, easq; ut sibi cõgratulẽtur monet: sese enim
quam perdiderat inuenisse drachmã. Eodẽ mo C
do scitote apud diuinos angelos lætitiã fieri ob
unum sontem, qui ad frugem redeat. Item illud
dixit: Habebat homo quidam duos filios, quo De filio prodigo.
rum iunior patri dixit: Pater da mihi cõpeten
tem bonorum partem. Itaq; ille diuisit ei faculta
tes, ac non multis pòst diebus, iunior filius, con
gestis omnibus, in longinquam regionem pere
grè profectus est, atq; illic facultates suas luxu
riosè uiuẽdo prodegit. Postquam omnia absum
psit, orta in illa regione graui fame, cœpit indi
gere. Itaq; adijt eius rigionis ciuium quendam, D
& apud eum hæsit, atq; ille eũ in prædium suum
misit ad pascendos porcos: isq; eò uenit, ut cu
peret uentrem suum replere siliquis, quas porci
comedebant, nec ei quisquam dabat. Igitur ad
sese reuersus ita cogitare: Quàm multi mei pa
tris mercenarij panibus circumfluunt? & ego fa
me pereo. Recipiam me ad meum patrem, eiq;
dicam: Pater, & in cœlum, & aduersum te pec
caui, ita ut iam non sim dignus qui dicar tuus fi
lius: utere me perinde ac uno tuorum mercena
riorum. Ita profectus uenit ad patrem suum. E
Quẽ adhuc procul absentem cõspicatus pater,
misertus accurrit, eiq; in collum insilijt, & eum
deoscu-

deosculatus est. Et filius sic illum allocutus est: Pater, & in cœlum & aduersum te peccaui, ita ut iam non sim dignus qui dicar tuus filius. At pater: Proferte (inquit suis seruis) priorem stolam, eumq; induite, & eius manui anulum adhibete, & calceos pedibus, eductumq; uitulum
F altilem mactate, lætiq; epulemur. nam hic filius meus, qui mortuus erat reuixit: & qui perditus erat, inuentus est. Itaq; lætari cœperunt, Erat autem eius filius natu grandior ruri. Is cū ueniens domui propinquasset, audito cōcentu atq; choris, uocato uno famulorum suorum, sciscitatus ex eo est quid ea sibi uellent. Cui ille: Venit tuus frater, inquit: itaq; mactauit tuus pater altilem uitulum, quòd eum receperit incolumem. Ille uerò iratus noluit ingredi. Cumq; pater eius e-
G gressus eum hortaretur, ille patri respondit in hūc modum: Ego tot annos tibi seruio, nec unquam contra tuum præceptum feci, & tu mihi nunquam uel hœdum dedisti, ut cum meis amicis lætarer. At iste tuus filius, qui facultates tuas cum scortis abligurrijt, ubi uenit, tu ei altilem uitulum mactasti. At ille: Nate, inquit ei, tu mecum semper es, & omnia mea tua sunt. Enimuero de tuo hoc fratre lætari & gaudere oportuit, quòd cum mortuus esset, reuixit: cum perditus esset, inuentus est.

CAPVT XVI.

De prudente dispensatore.

Dixit item suis discipulis: Homo quidā diues dispensatorem habebat, qui apud eū, tanquam qui eius bona dilapidaret, delatus est: & ille uocatum eum sic allocutus est: Quid est quod audio de te? redde tuæ dispensationis rationem: nec enim tibi licebit amplius dispensatorem esse. Tum dispēsator sic secum cogitare: Quid agam? cum meus herus à me dispensationem auferat. Fodere non ualeo, mēdicare erubesco: scio quid agam, ut cùm abdicatus dispensatione fuero, sint qui me in suas domos accipiant. Itaq; aduocatis singulis heri sui debitori-
B bus dixit primo: Quātum debes hero meo? Centum batos olei, inquit. Et ille: Accipe tuum[a] scriptum, inquit ei, & sede cōtinuò, ac scribe quinquaginta. Deinde alteri dixit: Tu uerò quātum debes? Centum frumenti coros. Accipe tuum scriptum, inquit, & scribe octoginta. Itaque laudauit herus dispensatorem iniquum, quòd prudenter fecisset. Nam huius seculi homines sunt in suo genere prudentiores, quàm homines lucis. Et ego uobis hoc dico: facite uobis amicos ex falsa pecunia, ut cū defuncti fueritis, admittant uos in æterna domicilia. Qui in minima re
C fidus est, idem in magna fidus est: & qui est in re minima iniustus, idē in magna iniustus est. Quòd si in falsa pecunia fidi nō fueritis, ueram quis uobis credat? & si in[b] alieno fidi nō fueritis,[c] uestrum quis uobis committat? Nullus famulus potest seruire duobus dominis: aut enim alterum oderit, alterū amabit: aut alterū tuebitur, alterū contemnet. Non potestis & Deo seruire, & pecuniæ. Audiebant autem hæc omnia etiam Pharisæi, qui erant auari, eumq; derident.

a. [illegible] -phā, quam ego [illegible] -beo.

Matth. 6. c
b. Huius uitæ facultatibus quæ uobis ad tēpus dātur.
c. Cœlestes opes, quæ uobis semper mā suræ sint.

bant. Itaq; ille sic eis dixit: Vos ij estis, qui uos D
hominibus probetis: sed Deus uestros animos nouit. nam quod est apud homines sublime, id apud Deū est abominandum. Lex & uates usq; ad Iohannē: postea diuinum regnū nunciatur, atq; in id omnes irrumpunt. Est autem facilius cœlum terramq; interire,[d] quàm legis uel unū apicem intercidere. Quisquis uxorem suam dimittit, & aliam ducit, adulterat: & quisquis à uiro dimissam ducit, adulterat. Erat autem homo quidā diues, qui purpura & bysso uestiebatur, quotidie lautè uoluptatibus indulgens. Erat &
E quidam pauper nomine Lazarus, qui ad eius uestibulum iacebat ulcerosus, cupiēsq; saturari micis, quæ de diuitis mensa decidebant. Quin & canes ueniebant, & eius ulcera lingebāt. Accidit autē ut moreretur pauper, & ab Angelis in Abrahami gremiū auferretur. Mortuus est & F
diues, & sepultus. Atq; is in orco, sublatis oculis, cum esset in cruciatibus, aspicit Abrahamū procul, & in eius gremio Lazarum, & Pater Abrahame (inquit clamans) miserere mei, & mitte Lazarum, qui summo digito suo in aqua intincto, mihi linguā refrigeret: crucior enim in hac flamma. At Abrahamus: Nate, inquit, memineris & te tuis bonis in uita tua, & Lazarum malis esse defunctum. Nunc & hic in solatio, & tu in dolore es. Præterea constat omnino inter nos & uos uasta uorago, ut qui uelint hinc G
ad uos transire, non possint, neq; qui istic sunt, ad nos trajciāt. Tum ille, rogo igitur te, pater, ut eum in mei patris domū mittas, ut meos fratres (habeo enim quinq;) cōmonefaciat, ne ipsi quoq; in hūc cruciatus locū ueniant. At Abrahamus: Habēt Mosem & uates, inquit ei: eos audiant. Et ille: At uerò, pater Abrahame, si quis à mortuis ad eos fuerit profectus, corrigent se. Si Mosem (inquit ille) & uates nō audiūt, ne si quidem quispiā ex mortuis resurgat, obtēperabūt.

Matt. 11 b
Matth. 5. c
d. Quia non omnia fieri, quæ prædicta sunt in diuina disciplina.
Marc. 10. b
Diues immisericors.

CAPVT XVII.

Dixit autē discipulis: Non possunt nō euenire offensiones: sed uæ ei per quem eueniunt: satius esset ei, circūiacta eius collo asinaria mola, in mare deijci, quàm uel minimum horū offendere. Cauete uobis. Quòd si in te peccauerit tuus frater: reprehende eum: & si eū pœniteat, ignosce ei. Quòd si uel septies uno die in te peccauerit, & septies eodē die ad te redierit, & se pœnitere dixerit, ignosce ei. Dixeruntautem Apostoli Domino: Adauge nobis fidē. Et B
Dominus: Si tantū fidei haberetis, inquit, quantum est granū sinapis, & huic caprifico iuberetis ut extirparetur, & in mari plātaretur, obediret uobis. Quis autē uestrūm est, qui si arantem aut pascētem seruū habeat, eum rure reuersum protinus accubitum ire iubeat? ac nō potius sic ei dicat: Para quod ego cœnē, accinctusq; mihi ministra, donec comedero, ac bibero: postea comedes ac bibes tu. Num gratiam habet ei seruo, quòd sibi mandata fecerit? Non puto. Sic C
& uos, cum omnia uobis mādata feceritis, dicite uos inutiles esse seruos, qui quod debueritis facere,

Matt. 18. a
Mar. 9. f
Cauēda offensiones.
Luc. 19. d
Eccl. 19. b
Danda uenia peccanti.
Fidei uis.
Matt. 17. c

facere, feceritis. Cum autem Hierosolymā contenderet, & per Samariam Galilæamq; uaderet, ei in quendam uicum ingredienti occurrerunt decem homines leprosi, qui procul steterunt, & sublata uoce dixerunt: Iesu præceptor miserere nostri. Quibus ille uisis: Ite, inquit, ostensum uos sacerdotibus.

Decem leprosi sanati.

D

Leuit. 14.a

Atq; illi inter abeundum purgati sunt. Vnus autem eorum, se sanatum esse uidens, rediit, Deum magna uoce collaudans: & ad illius pedes pronus accidit, ei gratias agens. Erat autem is Samaritanus. At Iesus sic locutus est: Nonne decem purgati sunt? ubi uerò sunt nouem? Nullúmne repertum esse qui sit ad gloriam Deo tribuendam reuersus, nisi hunc alienigenam? Surge (inquit) abi: tua te fiducia seruauit. Interrogatus autem à Pharisæis, quando uenturū esset diuinum regnum, sic eis respondit:

E

Matth. 24.
Mar. 3.
De aduentu diuini regni.

Non ita uenturum est diuinum regnum, ut obseruetur, aut hîc illicue esse dæmōstretur. Scitote enim, diuinū regnum intra uos esse. Tum discipulos alloquēs: Veniet tempus, inquit, cum uel unum filij hominis dierum cernere cupietis, nec uidebitis: uobisq; hic aut illic adesse dicet: nolite adire, nec insequi.

Mat. 24.b
Mar. 13.c

Vt enim fulgur ab altero cœli extremo ad alterum extremum refulgens lucet, sic erit etiam filius hominis in sua die. Sed prius oportet eum multa pati, & improbari ab hac natione. Ac quēadmodum Noæ temporibus accidit, sic accidet temporibus filij hominis. Comedebant, bibebant, ducebant uxores, nubebant, usq; ad eum diem,

F

Gen. 7.
Mat. 24.d

quo ingresso in arcam Noa, uenit diluuium, quod omnes perdidit. Similiter ut & Loti temporibus accidit: comedebant, bibebant, emebant, uendebant, plantabant, ædificabant: quo uerò die exijt Sodomis Lotus, pluit ignis & sulphur de cœlo, quod omnes perdidit. Itidem accidet, qua die filius hominis patefiet. In illa die

G

qui in tecto erit, si erit eius supellex domi, ne descendat ad eam auferendam. Itidem qui ruri, ne retro reuertatur. Memineritis autem uxoris Loti.

Sup. 9.c

Qui ~~animam suam seruare conabitur, eā perdet: & qui eam perdiderit, conseruabit.~~ Hoc uobis dico: in ea nocte erunt in uno cubili duo, quorū alter assumetur, alter relinquetur. Duarum, quæ simul molent, altera assumetur, altera relinquetur.

Mar. 8
Luc. 9

Et illi eum alloquentes: Vbi Domine? inquiunt. Quibus ille: Vbi corpus, inquit, erit, eò etiam coibunt aquilæ.

CAPVT XVIII.

Eccles. 18.c
1. Thess. 5.d
Semper orandum.

Dixit etiam eis exemplum, quo semper orandum esse, nec defatigari oportere ostenderet. Iudex erat quidam in quadam urbe, inquit, qui nec Deum metuebat, nec homines reuerebatur. Erat in eadem urbe uidua quædam, quæ ad eum itabat, & ut se de aduersario suo uindicaret, petebat. Ille uerò aliquandiu noluit. Sed postea sic secum dixit: Etsi nec Deum metuo, nec homines reuereor, tamen quia mihi negotium facessit hæc uidua, eam uindicabo, ne me, assiduè uentitans, obtundat. Audite, inquit Dominus, quid iudex iniustus dicat. Ergo

B

Deus electos suos, ad se dies noctesq; quiritantes, non ulciscetur? & tam erit in eos difficilis? Scitote eum citò ulturum esse eos. Cæterùm filius hominis cum ueniet, scilicet fidem in terris inueniet? Dixit item ad quosdam (qui sibi se iustos esse persuaserant, aliósque contemnebant) hoc exemplum. Homines duo in templū ascenderunt, orandi gratia, alter Pharisæus, alter publicanus. Ibi Pharisæus hæc apud se precabatur:

Pharisæi preces.

Deus, ago tibi gratias, quòd non sum quales reliqui hominum, rapaces, iniusti, adulteri: aut etiam qualis hic publicanus.

C

Ieiuno bis intra singula Sabbatha: decumàs do omniū quæ possideo. At publicanus procul absistens, ne oculos quidē in cœlum attolere uolebat, sed sibi pectus tundebat, dicens: Deus propitius esto mihi sonti.

Publicani preces.

Scitote hunc approbatum descendisse domum suam: illum non item. Nam quisquis seipsum extollet, deprimetur: & qui se deprimet, extolletur.

Matth. 23.b
Luc. 14.e
Mat. 19.b
Marc. 10.b
Paruuli ad Iesum afferuntur.

Afferebant autem ei etiam paruulos, ut eos tangeret. Quo uiso, discipuli illos obiurgabant. At Iesus accersitis paruulis: Sinite, inquit, pueros ad me uenire, & eos ne prohibete: talium enim est diuinum regnum. Hoc uobis confirmo, qui diuinum regnū non

D

acceperit ut puer, is in id non intrabit. Item interrogauit eum quidam qui magistratum gerebat, his uerbis: Magister bone, quid faciendo uitam consequar æternam? Cui Iesus: Quid me dicis bonū? inquit. Nullus est bonus, nisi unus Deus.

Solus Deus bonus.
Exod. 20.c

Præcepta nosti: Ne adulterato, ne occidito, ne furator, ne falsum testimonium dicito, tuum patrem & matrem honorato. Et ille: Hæc omnia, inquit, executus sum ab ineunte ætate. His auditis, Iesus inquit ei: Adhuc unum tibi deest: quicquid habes uende, & dispertire pauperibus, habiturus in cœlo thesaurum: deinde ades, & me sequere. At ille, his auditis, tristis est factus: quippe qui prædiues esset.

Diuites difficulter seruantur.

Eum tristem factum uidens Iesus, dixit: O quàm difficulter, qui pecunias habent, in diuinum regnum intrabunt? Facilius est enim rudentem per acus foramen traijci, quàm diuitem in diuinum intrare regnum. Tum auditores: Quis igitur seruari possit? inquiunt. Et ille: Quæ ab hominibus fieri nequeūt, ea à Deo fieri possunt. Tum Petrus: Nos quidem, inquit, omnibus relictis te secuti sumus. Et ille: Hoc certò scitote, inquit eis, neminem esse qui domum, qui parentes, qui fratres, qui uxorem, qui liberos diuini regni causa reliquerit, quin sit & in hoc tempore sæpe conduplicata, & in futuro seculo uitam æternam cō secuturus.

Mat. 20.b
Mar. 10.e

Assumptis autē duodecim, dixit eis: En ascendimus Hierosolyma, & filio hominis accident planè omnia quæ sunt à uatibus scripta.

F

Tradetur enim extraneis, & illudetur, & contumelijs afficietur, & conspuetur, & uerberatus interficietur, & tertio die resurget. At illi nihil horum intellexerunt, adeoq; tecta eis erat ea oratio, ut quæ dicerentur, ignorarent.

Mat. 20 d
Mar. 10. g

Eo autem Hierichunti propinquante, sedebat apud uiam quidam cæcus mendicans. Is prætereuntem ho-

G tem hominum turbam audiens, sciscitatus est quid illud esset? Cumque ei indicatum esset, Iesum Nazarenum praeterire, clamauit his uerbis: Iesu Dauidide, miserere mei. Et quamuis praecedentes increparent eum, ut taceret, ille multo magis clamabat: Dauidide, miserere mei. Tum Iesus restitit, & eum ad se duci imperauit, ac ubi ille accessit, sic eum interrogauit: Quid tibi uis faciam? Et ille: Domine, inquit, ut uideam. Et Iesus: Cerne, inquit ei: tua te confisio seruauit. Atque ille continuò uidit, eumque secutus est, Deum collaudans. Quo uiso, populus omnis Deo laudem tribuit.

Cecus mendicus sanatur.

CAPVT XIX.

Zachaeus.

EO autem ingresso, & per Hierichuntem euntem, erat quidam uir, qui nomine Zachaeus uocabatur, publicanorum magister, isque diues. Is cum conaretur Iesum uidere quis esset, neque prae hominũ turba posset, utpote qui esset statura paruus, praecurrit, & in caprificũ ascendit, ut eum uideret: nam illac transiturus erat. Ad eum locum ubi uenit Iesus, suspexit, et eo uiso sic ei dixit: Zachaee, descende properè: hodie enim mihi domi tuae manendum est. Atque ille celeriter descendit, eumque laetus accepit. Quo uiso fremebant omnes, quòd ad hominem improbum diuersatum fuisset. Zachaeus uerò Dominum sic alloqui instituit: Scito me, Domine, di-
B midium facultatum mearum largiri pauperibus: quòd si quem ulla re fraudaui, reddo quadruplum. Tum Iesus ei dicit, salutem eo die partam esse ei domui, quatenus ipse quoque Abrahamides esset: uenisse enim filium hominis ad perdita quaerenda, atque seruanda. Illis autem haec audientibus, subiecit exemplum, quòd ipse prope Hierosolymam esset, & illi adfuturum mox diuinum regnum arbitrarentur. Ait ergo: Homo quidam nobilis profecturus in lõginquam regionem, ut in regni possessionem inuaderet, deinde rediturus, uocatis suis decem seruis, dedit decem minas, eisque mandauit ut negotiaren-
C tur, donec ipse reueniret. Eius autem ciues eum oderant: itaque missis post eum legatis, negarunt se uelle ut is in se regnaret. Postquam ille regnũ adeptus rediit, iussit ad se seruos illos accersi, quibus argentum dederat, ut sciret quid quisque negociando lucratus esset. Ergo primus aduenit, &, Domine, inquit, tua mina decem minas peperit. Cui ille: Rectè, bone serue: quoniam in tantilla re fidelis fuisti, habeto in decem oppida potestatẽ. Deinde uenit alter: Domine, inquit, tua mina quinque minas confecit. Et ille: Tu quoque (inquit etiam huic) praesto quinque oppidis. Item uenit alius: Domine, inquit, ecce mina tua, quam ego in linteo compositam habui: metuebam enim te, utpote hominem seuerum, qui & quod non deposuisti tollas, & quod non
D seminasti metis. At ille: Ex tuo ipsius ore te damnabo, inquit ei, serue nequã. Sciebas me hominem seuerum esse, qui & quod non deposui tollam, & quod nõ seminaui metam. Cur ergo non dedisti meum argentum ad [a] mensam, & ego reuersus id cũ foenore recepissem? Auferte ei minam, inquit eis qui aderant, & ei date qui decem minas habet. At illi: Domine habet decem minas. Ergo scitote omne habenti dãdum esse, inquit: non habenti autem, etiam quod habet, auferẽdum. Caeterùm inimicos illos meos, qui me in se regnare noluerunt, adducite huc, & coram me iugulate. Haec fatus progredi per-
E rexit, Hierosolymam ascẽdens. Vt autem prope Bethphagem & Bethaniam uenit ad montem qui uocatur Oliuarum, misit discipulorum suorum duos cum his mandatis: ite in uicũ qui est e regione, in quem ingredientes, inuenietis asellum uinctum, quem nemo unquam hominum insedit: eũ soluitote & adducitote. Quòd si quis uos cur soluatis interroget, sic ei dicetis: Domino eũ opus esse. Igitur profecti qui erant missi, inuenerunt quod eis ille dixerat. Cumque ex eis asellum soluentibus quaesiuissent eius domini, cur asellum soluerent. Dixerunt eum Domino opus esse, eumque ad Iesum adduxerũt: &
F iniectis in asellũ suis uestimentis, eò Iesum imposuerunt. Atque eo uadente, insternebant suis uestimentis uiam. Ac ubi iam prope montis Oliuarum descensum uenit, coepit uniuersa discipulorum multitudo Deum laeta laudare magna uoce, de tot quae uiderant miraculis, his uerbis: Bene sit uenienti regi in nomine Domini: pax in coelo, & gloria in supremis. At quidam Pharisaeorum ex turba dixerunt ei: Magister obiurga tuos discipulos. Quibus ille respondens: Scitote, inquit, si taceãt hi, clamaturos esse lapides. Deinde ut propius accessit, uisa urbe deplorauit eam, dicens: [b] O si scires tu, & quidem hac ipsa tua die, quae tibi saluti forent: sed nunc tuos latẽt oculos. Venient enim tibi dies, cum te tui hostes uallo circumdabunt, & circumsidebũt, & prement undique, teque & tuos in te natos complanabunt, nec in te lapidem lapidi impositum relinquent: quoniam tempus, [c] quo tui habita cura fuerit, non noueris. Deinde in fanum ingressus, coepit uendentes in eo & ementes eiicere, dicens eis: Scriptum est: Mea domus, supplicationis domus est: at uos ex ea latronum speluncam fecistis. Docebat autem quotidie in fano. Pontifices uerò & Scribae eum perimere conabantur, necnon populi primarii: sed quid agerent, non inueniebant, quòd cunctus populus ab eius ore pendebat.

Matth. 18. b. Matth. 25. b. Matt. 13. b. 5. c. Mar. 4. c. Luc 8. c. Matth. 21. a. Mar. 11. a. Ioan. 12. b. Esaie. 56. c. Ierem. 7. b. Mat. 10. b. Marc. 11. b.

a. usuram.

b. O te felicem, si me nunc, qui tibi salutem affero, agnosceres,

c. quo ego tua causa uenerim.

CAPVT XX.

Matth. 21. c. Mar. 11. d. Qua potestate ista fa

QVodam autem illorum dierũ eo populum in fano docente ac instituente adfuerunt pontifices & scribae cum senatoribus, eumque sic allocuti sunt: Dic nobis, qua potestate ista facias, aut quis tibi potestatem istam dederit? Quibus ille respondẽs: Interrogabo uos ego uicissim quiddam, inquit, quod mihi dicite. Iohãnis baptisma à coelóne erat, an ab hominibus? Illi uerò sic apud se ratiocinari: Si dixerimus à coelo, dicet: Cur ergo ei non credidistis? sin ab hominibus dixerimus, uniuersus populus nos lapidabit. persuasum est enim ei, Iohan

nem esse uatem. Itaq; responderunt, se nescire
B unde. Et Iesus: Nec ego uobis dico, inquit eis, qua potestate hæc faciam.

Exemplum eius qui uineam elocauit. Matth. 21. d Marc. 12. a Esa. 5. a Ierem. 2. d

Cœpit autem ad populum hoc exemplum dicere: Homo quidam uineam conseuit, & ea colonis elocata, domo abfuit satis diu. Deinde suo tempore misit ad colonos seruum, ut illi ei de uineæ fructu darent. At coloni eum uerberatum, dimiserunt inanem. Ille alterum item seruum misit, & illi eum quoque uerberatum, & contumelia affectum, dimiserunt inanem. Cumq; tertium item misisset, illi eum etiam uulneratum expulerunt. Tum uineæ dominus: Quid agam? inquit, mittam filium meum charissimum: fortassis hunc uisum reuerebuntur. At coloni eo uiso, sic in-
C ter sese dicere: Hic est hæres: agite perimamus eum, ut nostra fiat hæreditas. Itaq; eiectum ex uinea occiderũt. Quid ergo faciet eis uineæ dominus? Veniet, & colonos illos perdet, aliisq; uineam elocabit. Hoc audito illi dixerunt: [a] Absit. Et ille eos intuitus: Quid ergo est scriptum illud? Quem lapidem improbauerant ædificatores, is adhibitus est ad caput anguli. In eum lapidem quisquis inciderit, collidetur & in quem inciderit ipse, eum comminuet. Igitur pontifices & scribæ ei manus iniicere eadem hora conati sunt. intellexerunt enim, eum aduersum se illud exemplum dixisse: sed populum timuerunt. Itaq; illud obseruarunt, ut mitterent emis-
D sarios, qui se uiros bonos simularent, ut eũ uerbis caperent, atq; ita magistratui & prætoris potestati traderent. Atq; hi sic eum interrogarunt: Magister, scimus te rectè dicere, ac docere, neq; personæ rationem habere, sed uerè diuinam uitæ uiam docere.

a. Istud facinus est inauditum. Psal. 117. d Matth. 21. Act. 4. b 1. Pet. 2. a Rom. 9. g

Licètne Cæsari tributũ pendere? Matt. 22. b Marc. 12. b Rom. 13. c

Licètne nobis Cæsari tributum pendere, an non? At ille eorum uersutiam intelligens: Quid me tentatis? inquit: ostendite mihi denarium. Cuius habet imaginem, & titulum? Cæsaris, inquiunt illi respondentes. Et ille: soluite igitur, inquit eis, Cæsariana Cæsari, & diuina Deo. Ita illi, cum nullum eius uerbum apud populum carpere potuissent, eius re-
E sponsionem admirati, tacuerunt.

Quæstio super septem fratrib. qui eandẽ uxorem habuerunt. Deut. 25. b Mat. 22. c Mar. 12. b

Tum eum aggressi Sadducæorum quidam, qui resurrectionem esse negant, sic interrogarunt: Magister, scripsit nobis Moses, si cuius frater mortuus fuerit, uxorẽ habens, isq; sine liberis mortuus fuerit, ut ducat eius frater uxorem fratriq; suo prolem suscitet. Iam uerò septem fuere fratres, quorum primus uxore ducta mortuus est sine liberis, duxitq; secundus uxorem, & is item sine liberis mortuus est: atque illam duxit tertius, itidemq; [b] septem, neque liberos reliquerũt. Atq; illis mortuis, postrema omnium mortua est etiam fœmina. Igitur in resurrectione cuius eorum futura est uxor? cum septem eam in matri-
E monio habuerint. Et Iesus eis ita respondit: Huius uitæ homines & ducunt uxores & [c] nubũt: at quibus uitam illam assequi, & ex mortuis surrexisse contigit, ii nec ducunt uxores, nec nubunt, quippe cum iam mori nequeãt. sunt enim angelorum similes, & Dei filii sunt, qui sint resurrectionis homines. Mortuos autem resurgere, etiam Moses indicauit in rubo, ubi Dominum dicit Abrahami Deum, & Isaaci Deum, & Iacobi Deũ. Deus quidem non mortuorum est, sed uiuentium, utpote cum ei uiuant omnes.

b. Reliqui ex septem

c. scilicet fœminæ.

Mortuos resurgere. Exod. 3. b

Tum quidam scribarum sic eum alloquuntur: Magister, probè dixisti. Neq; deinceps audebant eum quicquam interrogare.

Mat. 22. d Mar. 12. d Ait Dominus Domino meo. Psal. 109

Et ille: Quî fit ut dicant, Christum Dauide prognatum fore? Cum ipse Dauid dicat in Psalmorum libro: Ait Dominus domino meo, Sede ad meam dexterã, donec efficiam ex tuis hostibus tuorum pedum subsellium. Quòd si eum Dauid dominum uocat, quî fit ut sit eo prognatus?
G

Mat. 23. a Luc. 11 f. Mar. 12. d. d. Dũ prolixè precãtes efficiũt ut imperitis religiosi esse uideãtur, atque ita eliciũt dona.

Tum audiente cuncto populo, dixit suis discipulis: Cauete Scribas, quî stolati libenter ambulant, & in foris salutationes, & in collegiis primas sessiones, & primas in cœnis accubationes amant: qui uiduarum domos [d] per speciem prolixarum precum deuorant, eoq; grauiores pœnas luent.

CAPVT XXI.

Mar. 12. d. Vidua pauper plurimum contulit in fiscum Dei.

CVm autem aspiciens uidisset conferentes sua munera in fiscũ diuites, cumq; uidisset etiam quandam pauperculam uiduam eò duos conferentem teruncios, dixit: Hoc certò uobis dico, hanc uiduam plurimum omnium contulisse. Nam omnes hi ex eo quod sibi supererat, contulerunt in diuina donaria: at hæc ex inopia sua, quicquid facultatum habebat, cõtulit. Item quibusdam de fano dicentibus, pulchris esse lapidibus & donariis ornatum dixit: Videtis hæc? ueniet dies, cũ nullus lapidi lapis impositus relinquetur, qui non dissoluatur. Et illi eum interrogantes: Magister, inquiunt, quando igitur ista fient? & quo signo ista futura significabuntur?
B

Matth. 24. a Mar. 13. a Luc. 19. g

Iesus urbis excidiũ, & mundi extremũ diem prædicit.

Et ille: Videte inquit ne decipiamini. multi enim uenient meo nomine, qui se eum esse dicant: & quidem tempus instat. nolite igitur eos assectari. Cum uerò bella & seditiones audietis, nolite expauescere: oportet enim hæc omnia prius fieri: sed non continuò finis erit. Con-
C surget & gens in gentem (inquiebat tum eis) & regnum in regnum, magniq; terræ motus nonnullis in locis, & fames & pestes erunt, terriculaq; & signa de cœlo magna. Sed ante hæc omnia iniicientur uobis manus, & uexabimini, inq; collegia & custodias trademini, atq; ad reges & prætores mei nominis causa perducemini: id quod uobis erit testimonio. Igitur animũ inducite, causæ dictionem non præmeditari. Ego enim uobis eiusmodi os & sapientiam dabo, ut ei contradicere aut resistere nequeant omnes aduersarii uestri. Prodemini autẽ etiam à
D parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, qui uestrũm nonnullos necabunt, eritisq; cunctis inuisi propter nomen meum. Verùm ne pilus quidem uestri capitis peribit. [a] Vestra patientia, uestræ saluti consulite. Cum autem circundatam exercitibus Hierosolymam uidebitis, tũ scitote, eius instare uastitatem. Tum qui erunt in Iudæa, fugiant in montes: & qui erunt in eius medio, discedant: & qui in agris erunt, ne intrent

a. Perseuerate ad extremum, & salui eritis.

Mat. 24. b Mar. 13. b Dan. 9. g

trent in eam. nam supplicij tempora erunt illa,
E ut eueniant omnia quæ scripta sunt. Hei uterū
ferentibus & lactantibus per ea tempora. Nam
hæc regio grauiter premetur, & in hunc popu-
lum atrociter sæuietur, ut gladiorum acie ca-
dant, & per omnes gentes exulent, calceturq; à
b. Exteræ gentes ad salutem uocentur. gentibus Hierosolyma, donec [b] exterarum gen
tium tempora compleantur. Et erunt signa in
sole & luna, & sideribus & in terris tantus gen-
Mat. 24.c tium angor trepidantium, mari undiq; reso-
Mar. 13.c nantibus, ut homines, eorum metu & expecta-
Esa. 13.b tione, quæ orbi immineant, exanimentur: nam
Ezec. 32.b Ioel. 3.c cœlestes potestates concutientur. Ac tum aspi-
F cietur filius hominis ueniens in nube, cum in-
genti potestate atq; gloria. His autem fieri inci-
pientibus suspicitote, & capita attollitote, quo-
niam uestra instabit liberatio. Tum eis similitu-
Rom. 8.d dinem dixit: Cernite ficum, & omnes arbores:
cum iam pullulant, id uos per uosipsos cernen-
tes, cognoscitis iam propè esse æstatem. Simili-
ter & uos, cum hæc fieri uidebitis, scitote pro-
pè esse diuinum regnum. Hoc uobis confirmo,
non prius esse præterituram ætatem hāc, quàm
fiant omnia. Etiamsi cœlum & terra pereant,
Rom. 13.d mea dicta nō peribunt. ~~Verùm cauete ne fortè~~
G ~~obruantur animi uestri crapula & ebrietate, &~~
~~huius uitę curis: atque ita uos necopinantes illa~~
~~dies opprimat.~~ Adueniet enim tanquam deci-
pula omnibus in totius terræ solo degentibus.
Vigilate egitur, omni tempore orantes, ut uo-
bis hæc omnia euentura effugere liceat, & co-
ram filio hominis consistere. Ita interdiu doce-
bat in fano, in noctes autem exibat, & in mon-
te, qui uocatur Oliuarū, uersabatur: atq; omnis
populus ad eum manè uentitabat in templum,
eius audiendi gratia.

CAPVT XXII.

Matt. 26.a Mar. 14.a Iohan. 13.a 18.a INstabat autem azymorum festum, quod Pa-
scha dicitur, & quærebant pontifices & scri-
bæ eius interficiendi modum: timebant enim
plebem. Intrauit autem Satanas in Iudam co-
gnomine Iscariotam, qui erat ex duodecim nu-
mero. Itaq; is pontifices & antistites aggressus,
uerba cum eis fecit, quo pacto eum traderet eis.
Quo lætati illi, pacti sunt, ei se daturos argētum.
Itaq; pollicitus, quærebat opportunitatem eum
Exod. 12. illis sine turba tradendi. Postquam autem uenit
[illegible] Iesus azymorum dies, in quo immolandum erat Pa-
[illegible] Pascha scha, misit Iesus Petrum & Iohannem: Ite (in-
[illegible] parent. quit) paratum nobis pascha, ut polluceamus. Et
illi: Vbi uis paremus? inquiunt ei. Quibus ille:
Simulac in urbem intraueritis, inquit, incide-
tis in hominem aquæ fictile ferentem: eum se-
quimini in domum quò ingredietur, & sic eius
B domus patrifamiliàs dicitote: Quærit ex te ma-
gister, ubi nam sit mansio, ubi Pascha cum suis
discipulis polluceat? Atque ille uobis cœnacu-
lum ingens instratum ostendet: illic paratote.
Igitur digressi, & quæ ille eis prædixerat nacti,
pararunt Pascha. Ac postquam uenit hora, ac-
cubuit, & duodecim apostoli cum eo, eosq; sic
allocutus est: Huius uobiscum pollucendi Pa-
schę cupiditate ductus sum, antequam supplicio
afficiar. Hoc enim sic habetote, me eo non pol-
lucturum esse, donec in Dei regno complea-
tur. Tum sumpto poculo, actisq; gratijs, dixit:
Accipite hoc, & inter uos diuidite. Scitote e-
nim, non antè me bibiturum esse de fructu ui-
tis, quàm Dei regnum ueniat. Item sumptum
panem actis gratijs fregit, eisque dedit, dicens:
Hoc est corpus meum, pro uobis dandum: hoc Hoc est corpus meum.
facite in mei recordationem. Similiter & pocu- 1. Cor. 11.e
lum, postquam cœnatum est, dicens: Hoc pocu- C
lum, est nouum fœdus, quod fit per meum san-
guinem, quod est pro uobis effundendum. Cæ-
terùm scitote, mei proditoris manum esse me-
cum in mensa. Et filius hominis quidem uadit,
ut est definitum: uerùm uæ homini illi, per quem
prodendus est. Illi uerò cœperūt inter sese quæ-
rere, quisnam eorum foret, qui id facturus esset.
Extitit etiam inter eos contentio, quis eorum
maximus esse uideretur. At ille: Gentium re-
ges (inquit eis) in eas dominantur: quiq; eis im-
perant, gubernatores appellantur. At uos non Mat. 20.d
ita: quin uestrûm maximus perinde sit ac mini- Mar. 10.f
mus: & qui præest, perinde ac qui ministrat.
Vter enim maior est? qui accumbit, an qui mini-
strat? nonne qui accumbit? Atqui ego sum
inter uos perinde ac qui ministret. uos uerò ij
estis qui mecum permanseritis in meis pericu-
lis: & ego regnum, quemadmodum mihi pater
meus legauit, sic uobis lego, ut comedatis & bi-
batis in mea mensa in regno meo, & in tribu- D
nalibus sedeatis, ius dicentes duodecim tribu-
bus Israelitarum. Dixit item Dominus: Simon,
Simō, conatus est quidem Satanas cribrare uos
ut frumentum: uerùm ego pro te oraui, ne te fi-
ducia deficeret. Tu uicissim aliquando recrea-
tus, confirmato fratres tuos. At ille: Domine, in-
quit ei, tecum paratus sum & carcerem & mor-
tem adire. Et ille: Sic habeto Petre, inquit: non
prius gallum hodie cantaturum, quàm tu me ti-
bi notum esse, ter negaueris. Cæterùm dum uos Matth. 26.a
sine crumena, inquit eis, & pera & calceis di- Mar. 14.c
misi, num qua re caruistis? Nulla, inquiunt. At Mat. 16.b
nunc, inquit eis, & crumenam qui habet, ferat,
itidemq; peram: & qui gladium non habet, uen-
dat suum pallium, & emat. Scitote enim, in me
comprobandum adhuc esse scriptum illud: Et
inter nefarios habitus est. habent enim meæ res Esa. 53.d
finem. Et illi: Domine, ecce hic duo gladij. Sa- Mat. 26.c
tis est, inquit eis. Tum egressus contendit de mo- Mar. 14.c
re in oliuarum montem, eumq; secuti sunt disci- Ioann. 18.a
puli. Atque ubi ad locum uenit, dixit eis: Ora-
te, ne in tentationem ueniatis. Tum ab eis fer- E
mè ad lapidis iactum digressus, positis genibus
precatus est huiusmodi uerbis: Pater, auerte, si
uis, hoc à me poculum. Quanquam non mea,
sed tua uoluntas fiat. Apparuit autem ei angelus
de cœlo, qui eum confirmaret. Atque ille cum
esset in æstu, contentius orabat, & sudore ma-
nabat simili sanguineis guttis, ad terram dela-
bentibus. Deinde precatus surrexit, & ad suos
discipulos uenit, quos præ ægritudine dormien

tes nactus, dixit eis: Quid dormitis? surgite, o-
Matt. 26.e rate, ne in tentationem ueniatis. Atq; adhuc eo
Marc. 14.e loquente, superuenit hominum turba, quibus is
Iohan. 18.a qui Iudas dicebatur, unus ex duodecim, præibat.
Is ad Iesum osculãdum accessit, & Iesus sic eum
allocutus est: Iuda, túne osculo filium hominis
prodis? Videntes autem sui quid futurum esset,
dixerunt ei: Domine, feriemús ne gladio? per-
cussitq; quidam eorum pontificis seruum, eiq;
dexteram abscidit auriculam. Et Iesus respon-
F dens: Sinite hactenus, inquit: & tacta illius au-
ricula, eum sanauit. Dixit autem Iesus eis qui se
inuaserant, pontificibus, & fani antistitibus, ac
senatoribus: Tanquam ad latronẽ exijstis cum
gladijs et fustibus: cum quotidie essem apud uos
in fano, non iniecistis mihi manus. sed hæc ue-
stra est hora, & tenebrarum potestas. At illi eum
Matt. 26.f comprehensum duxerunt, & in pontificis do-
Mar. 14.f mum introduxerunt. Petrus autem procul se-
Iohan. 18.e quebatur. cumq; illi ignem in medio atrio in-
Mar. 14.g cendissent, & consedissent, sedebat etiam Petrus
inter eos. Eum sedentem ad ignem conspicata
& intuita quędam ancilla, dixit: Hic quoq; cum
Petrus Christum negat. eo erat. At ille eum negauit, dicens: Mulier, non
noui eum. Item paulo pòst alius eo uiso dixit: Et
Mat. 26.g tu ex eis es. At Petrus: Homo, inquit, non sum.
Marc. 14.g Deinde interposita una ferè hora, alius quidam
Ioann. 18.e sic affirmabat: Profectò hic quoq; cum eo erat,
G etenim Galilæus est. At Petrus: Homo, inquit,
Matt. 26.c nescio quid dicas. Tum statim, eo adhuc loquẽ-
Ioann. 18.d te, cecinit gallus: & conuersus Dominus Petrũ
Christo illuditur. aspexit, & Petrus Domini dictum recordatus,
qui ei fore dixerat, ut priusquam gallus caneret,
eum ter negaret, forâs egressus, acerbè fleuit. Ie-
sum autem qui tenebant homines, illudebant,
uerberantes: eoq; uelato, tundebant ei faciem,
& ita interrogabant: Diuina quis sit qui te per-
cussit? atq; alia multa contumeliose dicebant in
eum. Deinde orto die coiuit populi senatus,
Matt. 27.a Pontifices & Scribæ, & in suum consessum ad-
Marc. 15.a ducto, sic dixerũt: Dic nobis, an tu Christus sis:
Iohan. 18.e Quibus ille: Si uobis dixero, non credetis: quod
si uos etiam interrogauero, non mihi responde
bitis, aut me absoluetis. Futurum est, ut sedeat
filius hominis ad dexteram potentis Dei. Tu
igitur Dei filius es? inquiũt omnes. Et ille: Sum
quem uos esse me dicitis, inquit eis. Tum illi:
Quid iam nobis testimonio opus est, inquiunt,
cum ipsi ex eius ore audiuerimus?

CAPVT XXIII.

Matt. 27.b IGitur surrexit omnis eorum multitudo, &
Mar. 15.b eum duxit ad Pilatum, eumq; accusare instite
Iohan. 18.f runt, dicentes, se ab eo gentem euerti deprehen-
Iesus ad Pilatum adducitur. disse, & eum Cæsari tributa solui uetare, dicen-
tem se Christum esse regem. Et Pilatus eum in-
terrogauit: Túne Iudæorũ rex es? Cui ille respõ-
dens: Vt tu dicis, inquit. Pilatus uerò Pontifici-
bus, & hominum multitudini negauit, ullum se
in eo homine crimen deprehẽdere. At illi urge-
re: Excitat populum, inquiunt, docens per totã
Iudæã, exorsus à Galilæa hucusq;. Hic Pilatus
audita Galilæa, quæsiuit, an homo Galilæus es-
set. Ac postquam eum ditionis Herodis esse co
gnouit, misit eum ad Herodem, qui & ipse Hie B
rosolymis per eos dies erat. Herodes uiso Iesu, Iesus ad Herodem mittitur.
magnopere lætatus est, quippe qui eum iamdiu
uidere cuperet (quòd multa de eo audiebat) &
se aliquid ab eo prodigiose fieri uisurum spera-
ret. Verùm licet eum multis de rebus interroga
uerit, ille nihil ei respondit: quamuis etiam Pon
tifices & Scribæ qui aderant, eum acriter accu-
sarent. Itaq; despicatus eum Herodes, cum suis
militibus, ac ludificatus, indutum ueste splendi-
da Pilato remisit. factiq; sunt inter sese amici Pi-
latus & Herodes eo ipso die: nã antea inter eos
intercedebat simultas. Pilatus autem conuoca Mat. 27.c
tos Pontifices & magistratus ac populum sic al Mar. 15.b
locutus est: Adduxistis hunc hominẽ mihi, tan- Iohan. 18.g
quam qui populum auertat. atqui ego in uestra & 19.c
præsentia examinans, nullum eorum crimen in
hoc homine deprehendi, quibus uos eum accu
satis. Sed nec Herodes. ad eum enim misi uos, C
& uidetis nihil morti dignum ab hoc factũ esse.
Itaq; eum castigabo, ac relaxabo. Habebat au-
tem necesse eis unum relaxare per festum. Igi-
tur illi uniuersa multitudine exclamarunt ut eũ
tolleret, sibiq; Barrabam remitteret, qui fuerat
propter seditionem quandã in urbe factam, &
cædem, coniectus in carcerem. Cumq; rursum
Pilatus Iesum absoluere uolẽs, clamasset, illi sic
reclamare: Crucifige crucifige eũ. Quid enim
is mali fecit? inquit, eos tertiùm alloquens. Nul-
lum in eo capitale crimen deprehendi. Itaq; eũ
castigabo & absoluam. At illi magnis clamori-
bus instare, flagitantes ut is crucifigeretur, gli- D
scentibus eorum Pontificumq; uocibus. Itaq;
Pilatus eorum postulata facere decreuit: eisq;
eum qui propter seditionem & cędem fuerat in
custodiam datus, & quem flagitabant, absoluit.
Iesum autem eorum arbitrio tradidit. Hoc illi Iesus in crucem agitur.
abducto, Simonem quendam Cyrenæum, ru-
re uenientem, comprehenderunt, eiq; crucem Matt. 27.d
post Iesu tergũ ferendam imposuerunt. Seque- Mar. 15.b
batur autem eum ingens hominum multitudo, Esa. 3
& mulierum, quæ plangebant, eumq; lamenta- Sap. 3
bantur. Ad quas Iesus conuersus, dixit: Hiero- Esd. 2.54 Galat. 4
solymitanæ fœminæ, ne me deplorate, sed uos Ose. 10
uestrosq; natos deplorate. Nam scitote fore tẽ- Apoc. 6
pus, quo beatæ dicẽtur steriles, & uteri qui non
genuerint, & ubera quæ non lactauerint: cum
quidem eò uenietur, ut dicant homines monti- E
bus, Corruite in nos: & collibus, Obruite nos. Esaiæ 2.
Nam [a] si uiridi arbori fiunt hæc, aridæ quid fiet? Ose. 10.b
Ducebantur autem etiam alij duo facinorosi, Apoca. 9.b
cum eo interficiendi. Atq; ubi ad locum uentũ a. Si ego iu
est, qui Caluaria uocatur: illi eum ibi, & facino- stus pœnas do, quid
rosos, alterum ad dexteram, alterum ad sinistrã, fontes? Vi
crucifixerũt. Et Iesus: Pater, inquit, ignosce eis: de Ezec. 21
nesciunt enim quid faciunt. Illi uerò eius uesti- Iohan. 19.d
menta sorte iacta partiti sunt: astabatq; spectãs Mat. 27.d
populus, & magistratus quoq; eum cum eis de- Mar. 15.b
ridebant. Alios seruauit inquiebant, seruet se-
ipsum, si is Christus est Dei electus. Accedebãt
etiam milites, qui ei illuderent, & acetum ei of-
ferebant,

ferebant, & : Si tu Iudæorum Rex es, inquie-
F bant, serua teipsum. Erat & titulus supra eum,
Græcis, Romanis, & Hebraicis literis scriptus,
HIC EST IVDAEORVM REX. Atq; unus
pendentium facinorosorum ei maledicebat, ita
dicens: Si tu Christus es, serua & teipsum &
nos. At alter contrà, sic eum obiurgare: An tu
Deum non metuis, qui sis in eodem supplicio?
Et nos quidem meritò. nam nostris digna factis
accipimus: at hic nullum facinus cōmisit. Tum
ad Iesum: Memento mei, Domine, inquit, cum
ueneris in regnum tuum. Cui Iesus: Hoc tibi
confirmo, inquit, te hodie fore mecum in Para-
diso. Erat autem hora ferè sexta, & tenebræ per
totam terram extiterunt usq; ad horam nonam:
& sol infuscatus est, & templi uelum medium
scissum est. & Iesus clamans ingenti uoce, dixit:
Pater, tibi in manus cōmendo spiritum meum.
Atq; hæc locutus, expirauit. Ea re uisa, centurio
Deo gloriam tribuit, dicens: Profectò hic ho-
G mo iustus erat. Et omnis hominum multitudo,
qui ad hoc spectaculum uenerāt, uidentes quæ
facta forent, tundentes sua pectora reuersi sunt.
Astabant autē omnes eius noti procul, nécnon
fœminæ, quæ eum fuerant à Galilæa secutæ, ea
aspiciētes. Tum uir quidam nomine Iosephus,
senator, isq; uir bonus & iustus, qui illorum cō-
silio & facto non assensus erat, ab Arimathæa Iu
dæorum oppido, qui & ipse Dei regnum expe-
ctabat: is inquam Pilatum aggressus, Iesu cor-
pus postulauit: idq; detractum, linteo inuoluit,
& in exciso monimēto posuit, ubi nemo adhuc
situs fuerat. Erat autem ea dies Præparatio, qua
Sabbathum illucescebat. Et mulieres subsecutę,
quæ ex Galilæa cum eo uenerant, monimentū
aspexerunt, & ut eius corpus positum sit: reuer-
sæq; præpararunt aromata & unguenta, & Sab
batho quidem ex præcepto quieuerunt.

Latro Iesu maledicit.
Psal. 30.a
Iesus expirat.
Iosephus ab Arimathea
Mat. 27.g
Marc. 15.d
Iohan. 19.g

CAPVT XXIIII.

PRimo autem post Sabbathum die, summo
mane, uenerunt ad monimentum, ferentes
quæ parauerant aromata, quibusdam eas comi-
tantibus: saxumq; inuenerunt à monimento a-
uolutum. & ingressæ, Domini Iesu corpus non
inuenerunt. Atq; hic cum ea de re ambigerent,
ecce duo uiri eis in uestibus astitere coruscanti-
bus, qui perterritas, & uultum ad terram incli-
nantes, sic allocuti sunt: Quid quæritis uiuen-
tem cum mortuis? non est hic, sed surrexit. Me-
mentote ut uobis locutus sit, cum esset adhuc in
Galilæa, dicens oportere filium hominis in ho-
minum improborum manus tradi & crucifigi,
& tertio die resurgere. Tum illæ eius uerborum
recordatæ sunt, & à monimento reuersæ, hæc
omnia undecim omnibusq; cæteris renuncia-
B runt. Erat autem Magdalena Maria, & Iohan-
na, & Maria Iacobi mater, & reliquæ unà cum
eis, quę hæc Apostolis dixerunt. Sed illis earum
uerba pro nugis habita sunt, nec eis crediderūt.
Petrus autem surgit, & ad monimentum currit:
& introspiciēs aspicit lintea sola posita, & abijt,
secum ipse eam rem admirans. Proficiscebantur autem eorum duo eo ipso die in uicum, di-
stantem à Hierosolyma stadia sexaginta, cuius
nomen erat Emaus, & inter sese de omnibus ijs
rebus quæ acciderant colloquebantur. Atq; eis
colloquentibus ac disputantibus, ipse Iesus acce
dit, & cum eis iter facit. Ita autē tenebantur eo-
rum oculi, ut eum non agnoscerent. Atque ille:
Qui sunt isti sermones, inquit eis, quos inter C
uos confertis, ambulātes, idq; tristes? Cui unus,
nomine Cleophas, ita respondit: Túne solus a-
deò [a] Hierosolymæ hospes es, ut ea nescias quæ
in ea per hosce dies acciderunt? Quæ nam? in-
quit eis. De Iesu Nazareno, inquiūt, qui uir ua-
tes fuit, re uerbisq; potens, & in Dei & in totius
populi conspectu: utq; eum tradiderint pontifi-
ces magistratusq; nostri ad capitale iudiciū, et in
crucem sustulerint: & tamen nos eum esse spera
bamus, qui Israelitas liberaturus esset. Accedit
ad hæc omnia, quòd tertius hic dies agitur, ex
quo hæc facta sunt. Quanquam mulieres quæ-
dam ex nostris stupefecerunt nos: quæ manè ad
monumentum profectæ, neq; corpus nactæ, re
dierunt, & se angelorum spectrum uidisse dixe
runt, qui eum uiuere diceret. Et sociorū nostro- D
rum quidam ad monimentum profecti, sic esse
compererunt, quemadmodum dixerant fœmi
næ: ipsum quidem non uiderunt. Et ille: O' so-
cordes, inquit eis, & animo tardi, ad credenda
quæ tam multa dixere uates. Quasi uerò non ea
pati Christum, & ita suam inire gloriam opor-
tuerit. Tum exorsus à Mose, omnes obiens ua-
tes, eis per omnia scripta, quę de seipso dicta fo-
rent, interpretabatur. Deinde ubi prope uicum,
quò proficiscebātur, uentum est, ipse se longius
ire simulabat. Sed illi eum coegerunt, dicentes:
Mane nobiscum: appetit enim uespera, & dies
inclinauit. Itaq; ingressus est ad manēdum cum
eis. Atq; inter accumbendum cum eis, panem E
sumpsit, eumq;, fausta super eo precatione usus,
fregit, & eis præbuit. Et illi apertis eorum ocu-
lis, eum agnouerunt: atq; ille ex eorum conspe-
ctu euanuit. Tum illi inter sese sic dicere: [b] Ni-
mirum nobis ardebat animus, cum nos in uia
alloqueretur, cumq; nobis scripta aperiret. Er-
go ea ipsa hora surgunt, & Hierosolymam re-
deunt, & congregatos inueniunt undecim, eo-
rumq; socios, qui dicebant reipsa surrexisse Do
minum, seq; Simoni ostendisse. Atque ipsi quæ
in uia contigissent, narrare cœperunt, utq; eis
frangendo pane cognitus fuisset. Hæc eis lo-
quentibus, ipse Iesus in eorum medio stetit, &:
Saluete, inquit. Cumq; pauefacti ac perteriti, se
spiritum cernere putarent, dixit eis: Quid tur-
bati estis? aut cur istæ subeunt animos uestros
cogitationes? Aspicite meas manus atq; pedes, F
quòd ipse ego sum. Attrectate me, & aspicite:
nam spiritus quidem carnem et ossa non habet,
ut habere me uidetis. Hæc locutus, ostendit eis
manus atque pedes. Cumq; adhuc præ gaudio
diffiderent, ac mirarentur, dixit eis: Habetis hic
aliquid edulij? Tum illi tosti piscis partem, & fa-
ui mellis, præbuerunt, & ille corā eis sumpsit, ac

Matt. 28.a
Mar. 16.a
Iohan. 20.a
De Iesu resurrectione.
Iesus apparet euntibus Emauntem.
a. Hierosolymitanarū rerum ignarus.
b. Quoniā Christus erat, ideo tātopere afficiebat nos eius oratio.
Iesus discipulis apparet.
Mar. 16.c
Iohan. 20.d

comedit,& ad eos sic uerba fecit: Hæc sunt quæ uobis, dum adhuc uobiscum eram, dixi, Scilicet oportere omnia in Mosis lege, uatibusq; &
G Psalmis, de me scripta perfici. Tum eis mentem ad intelligenda scripta aperuit,& ita dixit: Sic
Psal.18.b. scriptum fuit,& sic Christum supplicio affici oportuit,& tertia die ex mortuis resurgere, eiusque nomine uitæ correctionem,& peccatorum ueniam per omnes gentes, facto à Hierosoly-
Act.1.a mis initio, prædicari. Atque horum uos testes
Iohan.15.d estis, & ego sum uobis patris mei promissum missurus. Vos uerò manete in urbe Hierosolyma,donec potestatem desuper induatis. Eduxit autem eos foràs Bethaniã usque,sublatisq; ma
Acto.1.a nibus eis bene ominatus est: & inter ominan-
Mar.16.d dum eis, discessit ab eis, & in cœlum sublatus est. Atque illi eum uenerati, Hierosolymam cum ingenti lętitia redierunt, & erant continenter in templo, Deum collaudantes, eiq; gratias agentes. Amen.

EVANGELIVM AVTHORE IOHANNE.

CAPVT PRIMVM.



IN PRINCIPIO erat sermo, & sermo erat apud Deum, & Deus erat is sermo: is erat in principio apud Deũ. Omnia per eum facta sunt,& absque eo factum est nihil,quod factum sit. In eo uita erat, & uita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, nec eam comprehenderunt tenebræ. Fuit homo missus à Deo, nomine Iohannes. Is uenit ob testimonium, ut de luce testaretur, ut omnes per eum crederent. Non erat ille ipsa lux, sed qui de luce testaretur. Erat ipsa uera lux,quæ collustrat omnẽ
B hominem uenientem in mundum. In mundo
a.Sermonẽ. erat, & mundus per a eum factus fuit, & mun-
Heb.11.a dus eum non cognouit. In sua uenit,& sui eum
Coloss.4. non acceperunt. Quicunque autem eum acce-
Apoc.20 perunt,ijs eam potestatem dedit, ut Dei filij fierent, fidem habentibus eius nomini: qui non ex sanguine,nec ex uoluntate carnis,nec ex uoluntate uiri, sed ex Deo geniti sunt. Et sermo corporatus est, & apud nos gratiæ ueritatisq; plenus habitauit: eiusq; splendorem, ut unige-
Iohannis de næ à patræ splendorem aspeximus. De eo testi-
Iesu testimonium. ficatus est Iohannes, clamans his uerbis: Hic est quem dixi, qui post me ueniens, ante me fuit,
1.Timo.6.d quippe qui prior me sit,atque ex eius plenitudi-
C ne nos omnes sumpsimus & gratiam pro gratia: siquidem lex per Mosem tradita est, gratia & ueritas per Iesum Christum contigit. Deum nemo uidit unquam: unigena filius, qui est in sinu patris, is expotuit. Atque hoc est Iohannis *1.Iohan.4.e* testimonium, tum cum miserunt Iudæi Hiero- *1.Timo.6.* solyma sacerdotes, & Leuitas,qui ex eo quærerent quis esset. Atque ille confessus est,neq; negauit: confessus est se non esse Christum. Quid ergo? inquiunt illi interrogantes: Elias es tu? Non sum, inquit. Vates es tu? Non, inquit ille respondens. Et ille: Quis es? inquiunt ei, ut responsum demus eis qui nos miserunt. Quid de *Quis sit Iohannes.* teipso dicis? Ego sum, inquit, uox in solitudine clamantis: Corrigite Domini uiam, quemad- *Matth.3.a* modum dixit Esaias uates. Tum qui erãt missi *Esa.40.a* (erant autem ex Pharisæis) sic eum interroga- *Luc.3.a* runt: Quid ergo baptizas,si tu neq; Christus es, *Mar.1.a* nec Elias, nec uates? Ego aqua baptizo, inquit D eis respondens Iohannes: sed inter uos adest, quem uos non nostis: is est qui & post me uenit, & ante me fuit, cuius ego non sum dignus qui *Mat.3.c* calcei corrigiam soluam. Hæc Bethabaræ facta *Mar.1.b* sunt, trans Iordanem,ubi baptizabat Iohannes. *Luc.3.c* Postridie aspicit Iohannes uenientem ad se Ie- *Actor.1.a.2* sum,& dicit: Ecce agnus Dei, qui mundi pecca- *& 11.c. 19.a* tũ tollit. Hic est de quo dixi: Post me uenit uir, *Ecce agnus Dei.* qui ante me fuit, quippe prior me. Equidem eũ non nouerã: sed ut patefiat Israelitis, propterea ueni ego aqua baptizatum. Atq; his uerbis testi *Matth.3.d* ficatus est Iohannes: Vidi spiritum descenden- *Mar.1.b* tem,uelut columbam,de cœlo,& super eo ma *Luc.3.d* nentem. Ac equidem non noueram eum: sed E qui me ad aqua baptizandum misit, is mihi sic dixit: super quem descendere & manere spiritũ uideris, is est qui sancto spiritu baptizat. Ego uerò & uidi, & hunc esse Dei filium testatus sum. Postridie rursus aderat Iohannes, necnon eius *Duo Iohannis discipuli Iesum sequuntur.* discipulorum duo,& conspicatus ambulantem Iesum, dicit: Ecce agnus Dei. Eius uerbis auditis, duo illi eius discipuli Iesum secuti sunt. Et Iesus conuersus,& eos sequentes intuitus, dixit eis: Quid quæritis? Cui illi: Rabbi (quod perinde est ac si dicas, Magister) ubi manes? Venite uisum, inquit eis. Et illi iuerunt,& apud eum F manserunt eum diem. Erat autem hora circiter decima. Erat Andreas Simonis Petri frater unus ex duobus, qui eum audito Iohanne secuti fuerant. Is prior fratrem suum Simonem nactus, dicit ei: Inuenimus Messiam (quod uerbum Vnctum declarat) eumq; duxit ad Iesum. Eum intuitus Iesus, ait: Tu es Simon Ionæ filius: tu uocabere Cephas, id uerbum Petrum sonat. Postero die uoluit Iesus in Galilæam proficisci, & Philippum nactus, dixit ei: Sequere me. Erat autem Philippus à Betsaida, Andreæ & Petri urbe. Philippus Natha- G naelem nactus, sic alloquitur: Quem scripsit Moses in lege, & uates, inuenimus, Iesum Io- *Nathanael.* sephi filium à Nazaretha. Cui Nathanael, A Nazaretha, inquit, potest aliquid bonum esse? Et Philippus: Veni uisum, inquit ei. Vidit Iesus uenientem ad se Nathanaelem, & de eo dixit: Ecce uerè Israelita, in quo dolus non est. Et Nathanael: Vnde me nosti? inquit ei. Cui Iesus respon-

respõdens: Antequam te Philippus uocaret, inquit, cum esses sub ficu, ego te uidebã. Tum Nathanael: Rabbi (inquit eum alloquens) tu es Dei filius, tu rex es Israelitarum. Et Iesus: Quoniam tibi dixi (inquit ei) te à me sub ficu esse uisum, credis. Maiora his uidebis. Hoc uobis (inquit ei) etiam atque etiam confirmo, futurum esse ut apertum cœlum uideatis, & Dei angelos ascendentes & descendentes ad filium hominis.

Mat. 24.c 28.d

CAPVT II.

Infrà 4. Iesus in nuptijs aquã mutat in uinum.

TErtio autem die nuptiæ factæ sunt Canæ in Galilæa, ubi & Iesu mater erat. & Iesus, eiusque discipuli ad nuptias uocati sunt. Cumque defecisset uinum, Iesum mater sic alloquitur: Vinum non habent. Cui Iesus: Quid tum postea? mulier, nondum uenit hora mea. Mater ministros monuit, ut quod ille eis iussisset, facerent. Erant illic posita sex lapidea solia, ut ferebat Iudæorum purificatio, binarum ternarúmue metretarũ capacia. Ea solia ut aqua replerent, iussit eis Iesus. Cumque ad summum usque repleuissent, iussit ut nunc haurirent, & cõuiuij magistro ferrent. B Atque illi tulerũt. Vt uerò gustauit conuiuij magister factum ex aqua uinum, ignarus unde esset (nam ministri quidem sciebãt, qui aquam hauserant) sponsum accersit, & sic alloquitur: Cum omnes homines primùm bonum uinum apponant, deinde potis cõuiuis deterius, tu bonum uinum hucusque seruasti. Hoc præbuit miraculorũ initium Iesus Canę in Galilęa, suamque gloriam ostendit, & ei fidem habuerunt eius discipuli. Postea descendit Capharnaum unà cum sua matre, & fratribus, & discipulis, atque illic C mansere non multos dies. Cumque instaret Iudæorum Pascha, ascendit Hierosolymam Iesus, & nactus in templo uendentes boues, & oues, & columbas, & numularios sedentes, facta ex loris scutica omnes eiecit ex fano, ouesque & boues & mensariorum æs effudit, euertitque mensas, & columbarũ uẽditoribus dixit: Hęc auferte hinc, & ex mei patris domo ne facite mercatoriam domum. Recordati sunt autem eius discipuli, ita scriptum esse: Tuæ domus studio conficior. At Iudæi sic eũ cõtrà allocuti sunt: Quod nobis exemplũ præbes, qui ista facias? Quibus respondens Iesus: Dissoluite hoc templum, inquit, & ego tribus diebus id excitabo. D Et Iudæi: Quadraginta sex annis constructum est hoc, templum, inquit, & tu id tribus diebus excitabis? At ille de sui corporis templo dicebat. Itaque postquam ex mortuis surrexit, recordati sunt eius discipuli id eum illis dixisse: scriptoque, & Iesu dicto crediderunt. Cum autem Hierosolymis esset in festo Paschæ, frequentes eius nomini fidem habuerunt, uidentes quàm mira faceret. At ipse Iesus non se eis credebat, propterea quòd cognoscebat omnes: nec ei opus erat ut de homine à quoquam moneretur, quippe qui nosset quid inesset in homine.

Matt. 12 Mar. 11 Luc. 19 Iesus ex fano mercatores eijcit. Psal. 86.b Matth. 26.f Mar. 14.e.f

CAPVT III.

Nicodemi cum Iesu colloquium.

ERat autem homo quidam ex Pharisæis, nomine Nicodemus, Iudæorum primarius. Is Iesum noctu adijt, & eum sic est allocutus: Magister, scimus te uenisse doctorem à Deo. Nam ista tam miranda facere, quæ tu facis, nemo possit, nisi adsit ei Deus. Cui Iesus respondens: Hoc tibi etiam atque etiam confirmo, inquit, qui denuò natus non fuerit, eum nõ posse diuinũ regnũ [a] uidere. Et Nicodemus: Quo pacto possit homo nasci, qui sit senex? Nunquid potest iterũ in uentrem suæ matris ingredi, atque nasci? At Iesus ei respondens: Hoc tibi magnopere confirmo, qui ex aqua et spiritu natus non fuerit, non posse in diuinum regnum intrare. Quod ex carne natum est, caro est: & quod ex spiritu natum est, spiritus est. Noli mirari quòd tibi dixerim, uobis esse renascendum. Ventus quòuis flat, eiusque sonitum audis: sed unde ueniat, aut quò abeat, nescis. Sic est, quisquis ex spiritu natus est. At Nicodemus contrà: Quo pacto possunt ista fieri? inquit. Cui respondens B Iesus: Tu Israelitarum doctor es, & hæc nescis? Hoc iterum atque iterum tibi cõfirmo: nos quod dicimus, & testificamur, id scimus ac uidimus, & tamen testimonium nostrum non accipitis. Si cum terrestria uobis dixerim, tamen non creditis, quomodo si dixero cœlestia, credetis? Atqui nemo cœlum conscendit, nisi qui ex cœlo descendit, filius, hominis qui est in cœlo. Ac quemadmodum Moses serpentem extulit in solitudine, sic oportet filium hominis extolli, ut quisquis ei fidem habeat, non pereat, sed uitam obtineat sempiternam. Sic enim amauit Deus mundum, ut filium suum unicum dederit, ut quisquis ei fidem habeat, non pereat, sed uitam obtineat sempiternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut mundum damnet, sed ut seruetur per eum mundus. Qui ei fidem habet, non damnabitur: qui uerò non habet, iam damnatus est, quòd unigenæ C Dei filij nomini fidem non adiunxerit. Hæc est autem damnatio, quòd cum uenerit in mundum lux, tenebras magis quàm lucem amauerint homines, quippe quorum praua forent opera. Quisquis enim uitiosa facit, lucem odit, nec in lucem prodit, ne eius facta arguantur. Sed qui [a] uera facit, is in lucem prodit, ut pateant eius opera, utpote facta diuinitùs. Postea uenit Iesus unà cum suis discipulis in Iudæam terrã, & illic cum eis degens baptizabat. Iohannes uerò in Aenone prope Salim baptizabat, quòd ibi multa erat aqua, uentitabantque homines, & baptizabantur: nondũ eñ erat coniectus in carcerẽ Iohãnes. Orta igitur quæstione inter Iohãnis discipulos, & Iudæos, de purificatione, Iohannẽ adierũt, eumque sic allocuti sunt: Magister, qui tecum erat trans Iordanem, cui tu testimonium dedisti, eum scito baptizare, & omnes ad eum itare. Et Iohannes ita respondit: D Nihil usurpare potest homo, nisi sit ei de cœlo datum. Ipsi uos testes estis, me dixisse, non esse me Christum, sed ei præmissum. Qui sponsam habet, sponsus est. Sponsi aũt amicus, qui ei astat, & eũ audit, uoluptatẽ ex sponsi uoce capit.

a. adipisci. Num. 21.c 1. Iohã. 4.b Suprà 1.a a. recta & iusta. Iohan. 4.a Mat. 3 Mar. 1. 1 Luc. 3. 6 Iohan. 1. 5. 10 2. Cor. 3 Supr. 1. d.e Suprà 1.e

Hæc igitur mea uoluptas expleta est: illum crescere, me decrescere oportet. Qui supernè uenit, supra omnes est: qui à terra est, is & terrestris est, & terrestria loquitur. Qui à cœlo uenit, supra omnes est: quodq; & uidit & audiuit, id testatur, & tamē eius testimonium admittit nemo. Qui eius testimonium admittit, is ueracem esse Deum consignat: quippe cum is quē Deus misit, Dei uerba eloquatur, utpote quem Deus c sine modo spiritu donet. Amat pater filium, eiq; omnia tradidit in manum. qui filio fidem habet, uitam consecuturus est sempiternam. Qui uerò filio non paret, is uitam non uidebit, sed ei imminet d ira diuina.

c. immenso & toto spiritu.

d. supplicium.

CAPVT IIII.

1. Iohā. 5. b

VT igitur cognouit Dominus Pharisæos audiuisse, Iesum plures facere discipulos, & baptizare, quàm Iohannem (quanquā Iesus ipse non baptizabat, sed eius discipuli) reliquit Iudæā, & rursus abijt in Galilæam. Erat autē ei per Samariam iter faciendum. Itaq; uenit ad oppidum Samariæ, nomine Sychar, prope locum quem Iacobus Iosepho filio suo donauit, ubi Iacobi fons erat. Igitur Iesus ex itinere fessus, ibi apud fontem resedit, hora fermè sexta. Venit mulier à Samaria haustum aquā. Et Iesus ei ita dixit: Da mihi bibere. Eius enim discipuli iuerant in urbē, ut cibos emerent. At mulier Samaritana sic ei respondit: Quî fit, ut tu Iudæus à me muliere Samaritana potum petas? non enim habent Iudæi cum Samaritanis commercium. Et Iesus ei respondens: Si Dei munus intelligeres, inquit, & qui sit qui à te potum postulet, tu peteres ab eo, tibiq; ipse daret aquam uiuam. Tum mulier: Domine, inquit ei, neque tu haustrum habes, & puteus est profundus: unde igitur habes istam aquam uiuam? Num tu maior es parente nostro Iacobo, qui nobis puteum tradidit, & hac aquatione usus est tum ipse, tū eius nati atque pecora? Cui Iesus ita respondit: Quisquis ex hac aqua bibit, tamen rursum sitit: sed qui ex aqua, quam ego ei dedero biberit, is nunquam sitiet: quin aqua quam ei dedero, fiet in eo fons scaturiens ad uitam æternam. Et mulier: Domine imperti me ista aqua, ne sitiam, aut huc haustura ueniā. Cui Iesus: I euocatum uirum tuum, & huc uenito. Non habeo uirum, inquit ei respondens mulier. Et Iesus: Rectè dicis, non habere te uirum. Quinque enim uiros habuisti: nunc quem habes non est tuus uir. Istud uerè dixisti. Hic mulier: Domine inquit ei, uideo te uatem esse. Maiores nostri in hoc monte Deum coluerunt: atqui uos dicitis, Hierosolymis esse locum, ubi sit colendus. Cui Iesus: Mulier crede mihi, aduentat hora, cum nec in hoc monte, nec Hierosolymis patrem coletis. Vos quid colatis nescitis. nos quid colamus, scimus: quippe quia salus à Iudæis est. Sed aduētat hora, & nunc est, cum ueri cultores patrem in spiritu & ueritate colent. Etenim pater à talibus se coli postulat. Spiritus est Deus: & qui eum colunt, in spiritu & ueritate debent colere.

Gen. 33. d
Iosu. 24. g

Iesus cum Samaritana colloquitur.

B C D

Et mulier: Scio, inquit ei, uenturum esse Messiam (a qui unctus dicitur.) Is cum uenerit, rem omnem nobis explicabit. Et Iesus: Ego is sum, inquit ei, qui tecum loquor. Interea superuenerunt eius discipuli, & eum cū fœmina loqui mirati sanè sunt: nullus tamen quid quæreret, aut quid cum ea loqueretur, percontatus est. Igitur mulier, relicta sua situla, urbē petijt, hominesq; monuit, ut hominem uiserent, qui sibi omnia facta sua dixisset: fortasis eum esse Christum. Itaq; ex urbe egressi, uenerunt ad eum. Interea sic eum hortati sunt eius discipuli: Magister, cape cibum. At ille: Ego cibum habeo comedendum, inquit eis, quem uos nescitis. Ac quærentibus inter sese eius discipulis, num quis ei cibum E attulisset, Iesus sic eos alloquitur: Mihi pastus est, eius uoluntatem exequi, qui me misit, eiusque opus absoluere. Vos quidem dicitis, hinc ad quatuor menses futuram esse messem. At ego sic uobis dico: Erigite oculos, rura aspicite ut iam alba sint ad messem: & messor mercedem accipit, & sator fruges congerit ad uictū perpetuum, ut sator simul b gaudeat, & messor. Nam in hoc dictum illud comprobatur: Alius est qui serit, alius qui metit. Ego uos misi ad metendum quod uos non laborastis: alij laborarunt, uos in eorum laborem inuasistis. Ex ea autem urbe multi Samaritanorum ei fidem habuerunt, propter fœminæ sermonem, testificantis, eum sibi quicquid ipsa fecisset dixisse. Igitur F ut ad eum uenerunt Samaritani, rogarunt ut apud se maneret: itaq; mansit illic duos dies, multoq; plures ob eius sermonem fidem habuerunt, mulieriq; dicebant, non se iam propter ipsius mulieris orationem credere: ipsos enim audiuisse, scireq; eum uerè mundi seruatorem esse Christum. Deinde biduo pòst illinc profectus, discessit in Galilæam. Ipse enim Iesus testatus est, nullum uatem in sua patria in honore esse. Vt ergo uenit in Galilæam acceperunt eum Galilæi, ut qui omnia uidissent quæ Hierosolymis in festo fecerat: nam & ipsi ad festum iuerant. Venit igitur Iesus rursus Canam Galilææ, ubi fecerat ex aqua uinum. Erat autē quidam regius, cuius filius ęgrotabat Capharnai. Is audiens Iesum ex Iudæa uenire in Galilęā, eum G adijt, rogauitq; ut descenderet, suumq; filium sanaret: nam iamiam moriturus erat. Et Iesus: Nisi ostenta & miracula uideritis, inquit ei, non sitis credituri. At regius: Domine, inquit, descende, priusquam moriatur puer meus. Et Iesus: Abi, inquit, uiuit tuus filius. Hic Iesu uerbis auditis credidit homo, & discessit. Iam uerò eo descendente, ei obuiam facti eius serui, nunciarunt eius puerum uiuere, eiq; sciscitanti qua hora melius habuisset, dixerunt: pridie hora septima liberatum fuisse febre. Cognouit itaq; pater eam ipsam horam esse, qua ei dixerat Iesus, eius filium uiuere, credidítq; tum ipse, tum eius uniuersa domus. Hoc item alterum ostentum edidit Iesus, cum ex Iudæa uenisset in Galilæam.

a. hoc ex sua persona dicit autor.

Matth. ... Luc. ...

b. bonis fruatur.

Matt. 13. g
Mar. 6. a
Luc. 4. a

Matth. 4. b
Marc. 1. b
Luc. 4. b
Suprà 1. 4. b

CAPVT

CAPVT V.

Ouiarica piscina. Postea cum esset Iudæorum festum, ascendit Iesus Hierosolymam. Est autem Hierosolymis apud ouiaricam piscinam, ea quæ Hebraicè Betheida nuncupatur, quinque porticus habens. In his iacebat ingens ægrotantium multitudo, cæcorum, claudorum, tabidorum, aquæ motionē expectantiū. Angelus enim certo tempore descēdebat in piscinam, aquamq; turbabat: post quam aquæ turbationem qui primus L. in piscinam G. descendebat, sanus euadebat, quocunq; tandem morbo teneretur. Erat illic homo quidam annum agens in morbo duodequadragesimum. Hunc ut uidit Iesus decumbentem, &

B iamdiu decubuisse cognouit, dicit ei: Vis sanus fieri? Cui ægrotus: Domine, inquit respondens, hominem non habeo, qui me, dum turbata est aqua, conijciat in piscinam. Interim dum eo ego, alius ante me descendit. Tum Iesus: Surge inquit ei, tolle grabatum tuum, & ambula. Atque homo confestim sanus euasit, & sublato suo grabato, ambulabat. Erat autem ea die Sabbathum. Itaque dicebant Iudæi curato: Sabbathum est, non licet tibi tollere grabatum. Quibus ille sic respondit: Qui me sanum effecit, is mihi iussit ut grabatum meum tollerem, & ambularem. Igitur eum interrogarunt quis esset homo, qui ei iussisset ut suum grabatū tolleret, & ambularet? At ille sanatus nesciebat quis esset. Iesus enim sese

C subduxerat, cum esset hominū turba in eo loco. postea nactus eum Iesus in fano, sic alloquitur: En sanus euasisti: noli amplius peccare, ne quid tibi deterius accidat. Homo Iudæis nunciatum iuit, Iesum esse qui se sanum effecisset. Hanc ob causam insectabantur Iesum Iudæi, & occidere conabantur, quòd ea Sabbatho faceret. At Iesus contrà, sic eis dixit: Pater meus hactenus *Iesus cum Iudæis disputat.* operatur, & ego operor. Hanc igitur ob rem magis eum interficere conabantur, quòd non solum sabbathū rumperet, sed etiā patrem suum diceret Deum, sese Deo parem faciens. Respondit igitur eis Iesus huiusmodi uerbis: illud uobis etiam atque etiam confirmo, nihil posse filium ex seipso facere, nisi quid facientem patrem ui-

D derit. quæ enim ille facit, hæc filius quoque similiter facit. Nam pater filium amat, eiq; ostendit omnia quæ facit ipse: quinetiam his maiora ei monstrabit opera, ut uos admiremini. Vt enim pater mortuos suscitat, ac uiuificat, sic etiam filius quos uult uiuificat. Nec enim pater quenquam iudicat, sed omne iudicium filio dedit: ut omnes filium honorent, quemadmodum patrem honorant. Qui filium non honorat, patrem non honorat, qui eum misit. Illud etiam atque etiam certò scitote: qui sermonem meum audit, & ei credit qui me misit, is uitam habet æternam: nec in iudicium uenturus est, sed ex morte migrauit in uitam. Illud iterum atque iterum sic certò habetote, uenire horam, & nunc esse, cum mortui audient filij Dei uocem, & qui audiuerint, reuiuiscent. Vt enim pater uita præditus

E tus est, sic etiam filio dedit uita præditum esse, eiq; potestatem dedit etiam iudicium exercendi, quoniam filius a hominis est. Nolite hoc mirari: nam uenit hora, in qua omnes, qui in monimentis erunt, audient eius uocem: & prodibunt, qui bona fecerint, ut ad uitam resurgant: qui uerò uitiosa egerint, ut ad supplicium resurgant. Nihil possum ego ex meipso facere. Vt audio, sic iudico, iustumq; est meum iudicium: quippe qui non meæ, sed eius, qui me misit, patris uoluntati studeam. Si ego de meipso testor, meum testimonium uerum nō est. Alius est qui de me testatur: ac uerum esse testimonium, quod de me dicit, scio. Vos ad Iohannem misistis, isq; uerum testatus est. ego uero non ab homine testimonium admitto: sed hæc dico, ut uos salui sitis. Ille ardens lucensq; lucerna erat, cuius in lumine uos ad tempus exultare uoluistis. At ego testimonium habeo maius quàm Iohannis. Quæ enim opera mihi perficienda pater tradidit, hæc, quæ ego facio, opera, de me testantur, me à patre esse missum: & qui misit me pater, is de me testatus est, & uos eius neque uocem audiuistis unquam, neque speciem uidistis, neque sermonem habetis manentem in uobis: quoniam quem misit ille, huic uos non creditis. Scrutamini literas, quandoquidem in eis uos æternam habere uitam putatis, & eæ sunt quæ de me testantur: & tamen ad me uenire non uultis, ut uitam adipiscamini. Gloriam ab hominibus non admitto: uerùm uos noui non esse Dei amore præditos. Ego in mei patris nomine ueni, nec accipitis me: si alius in suo ipsius nomine uenerit, eum accipietis. Qui possitis credere uos, qui & alij ab alijs gloriam accipiatis, neque gloriæ, quæ à solo Deo est, studeatis? Ne putate fore, ut ego uos apud patrem accusem: est qui uos accuset, Moses, in quo uos spem habetis: Si enim Mosi crederetis, mihi crederetis, utpote cum is de me scripserit. Quòd si illius scriptis non creditis, quomodo meis uerbis credatis?

a. Homo est, ut Christus homo, iudicium in homines exercet.

Suprà 1.c Matth. 3.d

F

Matth. 3.d 17.a

G

1. Cor. 4.a

CAPVT VI.

Matth. 14.b Marc 6.e Luc. 9.b Postea traiecit Iesus Galilææ lacum Tiberiadis, sequente eum frequenti hominum multitudine, quod uiderent quàm portentosa faceret in ægrotantibus. Conscendit autem Iesus montem, & ibi cum suis discipulis resedit, cum quidem instaret pascha, Iudæorum festum. *Iesus panes & pisces multiplicat.* Sublatis igitur oculis Iesus, uidens ingentem hominum multitudinem ad se uenire, dicit Philippo: Vnde panes ememus, quos hi comedant? Id autem dicebat, eius tentandi gratia: sciebat enim ipse quid facturus esset. Cui Philippus ita respondit: Ducentorum denariorum panes non satis sint eis, ut eorum quisque paululum quid accipiat. Tum unus ex eius discipulis, Andreas Simonis Petri frater, sic eum alloquitur: Est hic quidam puer, qui habet quinq; panes hordeaceos, & duos pisces: sed hæc quantula sunt ad tam multos? Et Iesus: Facite, inquit, ut ho- E mines discumbant. Erat autem in eo loco multum graminis. Igitur discubuere uiri, numero

circiter

circiter quinquies mille. Et Iesus sumptos panes, actis gratijs, distribuit discipulis: discipuli porrò discũbentibus: itidemq; ex piscibus quantum uoluerunt. Atq; illis expletis, iussit discipulis suis ut superantia frusta colligerent, ne quid periret. Itaq; collegerunt, & duodecim canistra ex quinq; hordeaceis panibus repleuere frustis, quæ conuiuis superfuerant. Igitur homines uidentes quod ostentum edidisset Iesus, dicebant eum uerè uatem illum esse, qui in orbem uenturus esset. At Iesus intelligens, uenturos esse, & se rapturos, ut regem facerent, secessit rursus in montem ipse solus. Deinde sub uesperam descenderunt eius discipuli ad lacum, & conscensa naui, contendebant trans lacum ad Capharnaum: & iam contenebrauerat, nec ad eos uenerat Iesus, et lacus uehementi flante uento con-

Suprà 4. Luc. 7. Matth. 14. Mar. 6.

C citabatur. Postquam igitur stadia ferè uigintiquinq; aut triginta remigarunt, aspiciunt ambulantem in lacu Iesum, ac prope nauem progressum: itaq; territi sunt. Et Iesus dixit eis: Ego sum, ne timete. Et illi eum in nauem accipere uolebant: sed protinus appulit nauis ad terram, ad quam tendebant. Postero die hominum turba, quæ trans lacum erat, uidens nullam illic aliam esse nauim, nisi unam illam quam conscenderant eius discipuli, neq; Iesum cum suis discipulis ingressum esse nauim, sed solos eius discipulos abijsse, alias autem naues à Tiberiade uenisse prope eum locum, ubi illi panem actis à Domino gratijs comederant: cum inquam uidisset hominum turba illic nec Iesum adesse, nec eius discipulos, conscenderunt & ipsi naues, & ad Capharnaũ uenerunt, Iesum quærentes. Quem trans lacum nacti, sic alloquunt: Magister, quando huc uenisti? Quibus ita respondit Iesus: Profectò, profectò, inquam, non ideo me quæritis, quia portenta uidistis, sed quia panes comedistis ad satietatem. Procurate non periturum cibum, sed in omnem perennitatem permansu-

Matth. 14. c Mar. 6. f

Iesu oratio de pane uiuifico.

D rum, quem uobis filius hominis dabit: hunc enim pater consignauit Deus. Et illi: Quid agemus, inquiunt, ut diuina opera faciamus? Quibus respondens Iesus: Hoc diuinum opus est, inquit, ut ei fidem habeatis, quem ille misit. Et illi: Quod ergo tu specimẽ das, ut eo uiso tibi credamus? Quid facis? Maiores nostri Manna in solitudine comederũt, quemadmodum scriptũ est: Panem de cœlo dedit eis comedendũ. Quibus Iesus: Hoc uobis, inquit, etiã atq; etiam confirmo, non Mosem uobis panem dedisse de cœlo: sed meus pater uerum uobis de cœlo panem dat. Nam diuinus panis est qui de cœlo descendit, uitamq; dat mundo. Tum illi: Domine, da nobis perpetuò panem istum. Et Iesus: Ego sum panis uitalis. [a] Qui uenit ad me, nunquam esuriet: & qui mihi fidem habet, nunquam sitiet. Sed hoc uobis dico: uos & uidetis me, neq; creditis. Quicquid mihi dat pater, ad me ueniet: & uenientem ad me, ego non eijcio foràs. Descendi enim de cœlo, non ut meam, sed ut eius qui me misit, uoluntatem exequar. Hæc est aũt

Sup. 1. e Matth. 3. d Iohan. 3. d Exod. 16. c Psal. 77. c Sap. 16. c Eccles. 24. c

a. Declarat quid sit panem uitalẽ comesse.

eius qui me misit, patris uoluntas, ut quicquid mihi dederit, nihil ex eo deperdam, sed id ultimo die exuscitẽ. Hæc est aũt eius qui me misit, uoluntas, ut quisquis filiũ uidet, eiq; credit, uitam adipiscatur æternã, & ego eum ultimo die exuscitem. At Iudæi de eo tremere, quòd se dixerat esse panem qui de cœlo descendisset. Nonne hic est Iesus, inquiebant, Iosephi filius, cuius nos patrem matremq; nouimus? Quî fit ergo ut is se de cœlo descendisse dicat? At Iesus sic eis contrà respondit: Ne mussate inter uos. Nemo potest ad me uenire, nisi pater, qui me misit, eum trahat, à me ultimo die suscitandum. Scriptum est in uatibus: Eruntq; omnes diuinitùs docti. Quisquis ergo ex patre audiuit, ac didicit, is ad me uenit. Non quia patrem uiderit quisquam, nisi qui est à Deo, is patrem uidit. Hoc etiam etiamq; uobis confirmo, qui mihi fidem habet, uitam habet æternam. Ego sum panis uitalis. Maiores uestri, qui manna uixerunt in desertis, tamen mortui sunt. Hic est panis qui de cœlo descendit, quo qui uescatur, non sit moriturus. Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendit: quo pane qui uescetur, uiuet in perpetuum. Panis autem quem ego dabo, caro mea est, quam ego pro mundi uita dabo. At Iudæi sic inter sese decertare: Quomodo potest hic nobis carnem L. suam G. dare comedendam? Et Iesus: Hoc certò certoq; scitote, inquit eis, nisi filij hominis & carnem comederitis, & sanguinem biberitis, non esse uos uita preditos. Qui mea carne uescitur, meumq; sanguinem bibit, is uitam habet æternam, eum que ego ultima die suscitabo. Caro enim mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potio. Qui mea carne uescitur, meumq; sanguinem bibit, is in me manet, & ego in eo. Quemadmodum uiuit pater, qui me misit, ita & ego per patrem uiuo: & qui me uescetur, is quoque per me uiuet. Hic est panis qui de cœlo descendit, non quale manna, quo cum uixerint maiores uestri, tamen mortui sunt. Hoc pane qui uescetur, uiuet in sempiternum. Hæc dixit in collegio docens Capharnai. Quibus auditis multi ex eius discipulis dixerunt: Durus est hic sermo, quis eum audire possit? At Iesus apud seipsum intelligens, suos discipulos de eo mussare, sic eos affatur: Hoc uos offendit? Quid si uideatis filium hominis eò ascendentem ubi erat antea? Spiritus est qui uiuificat: caro nihil prodest. Verba quæ ego uobis loquor, spiritus sunt, & uita sunt. Sed sunt ex uobis quidam qui non credunt. Sciebat enim à principio Iesus, quinam essent qui non crederent, & quis se proditurus esset. Hanc ob causam, inquit, dixi uobis, neminem ad me uenire posse, nisi id ei datum fuerit à patre meo. Ex illo multi eius discipulorum retrò abierunt, nec amplius cum eo uersabantur. Igitur Iesus duodecim sic allocutus est: Num uos quoq; uultis discedere? Cui Simon Petrus ita respondit: Domine, ad quem abeamus? tu æternæ uitæ uerba habes: & nos credimus & nouimus, te esse Christum uiuentis Dei filium.

Margin: B — Mat. 13. g — Esa. 54. c — E — Iohan. 1. c — F — Exod. 16. c — 1. Cor. 11. f — G — Matth. 16.

Iudas diabolus est.

filium. Et Iesus: Cum ego uos duodecim elegerim (inquit eos alloquens) unus uestrûm diabolus est. Dicebat autem Iudam Simonis filium Iscariotam: is enim eum proditurus erat, cum unus esset ex duodecim.

CAPUT VII.

Iesum hortantur fratres ut ad festum eat. *Leuit. 23.*

Postea uersabatur Iesus in Galilaea: nolebat enim in Iudaea uersari, quòd eum conarentur interficere Iudaei. Instabat autem Iudaeorũ festum umbraculorũ, & eum sic allocuti sunt eius fratres: Migra hinc, & in Iudaeam proficiscere, ut tui quoq; discipuli ista quae tu facis, opera uideant. Nemo enim quicquam facit in occulto, qui se celebrẽ esse studeat. Si ista facis, patefacito teipsum orbi. Nec enim eius fratres fidem ei habebãt. Et Iesus ait eis: Nondum adest meũ tempus: at uestrum tempus semper est paratũ. *Infrà. 8. 15.* Non potest orbis odisse uos: at me odit, quoniam ego testor eius opera esse mala. Vos ascendite ad hoc festum: ego nondum ad hoc festum ascendo, quòd meum tempus nondum est completum. Haec ad eos fatus, mansit in Galilaea. Deinde postquam ascẽderunt eius fratres, B ascendit & ipse ad festum, nõ palàm, sed subocculte. Igitur Iudaei eum in festo requirebant, & ubinam esset ille, quaerebant: multusq; de eo fremitus erat uulgo, partim eum bonum esse dicentibus, partim negantibus, sed uulgus hominum ab eo decipi. Nemo tamen apertè de eo loquebatur, prae Iudaeorum metu. Iam uerò medio festo ascẽdit Iesus in fanum, & docebat, mirantibus Iudaeis, & quo pacto literas nosset C quaerentibus, cum non didicisset. Quibus Iesus hac oratione respondit: Mea doctrina, mea nõ est, sed eius qui me misit. *Iohã. 3. 5. 8. 15. 16. 17.* *Iesus de se cum Iudaeis disputat.* Si quis uolet eius uoluntati parere, cognoscet de doctrina utrum ea sit à Deo, an ego mea sponte loquar. Qui sua sponte loquitur, suae ipsius gloriae studet: qui uerò eius à quo missus est, gloriae studet, is uerax est, & ab iniustitia alienus. Moses legem *Exo. 24. a* uobis tradidit, & tamen nullus uestrûm legi paret. Quid me interficere conamini? Et uulgus: *Sup. 5. e* Tu furis, inquiunt respondentes: Quis te conatur interficere? Quibus Iesus ita respondit: ego opus unum feci, & uos omnes miramini. *Leuit. 12. a* *Genes. 17. b* Ideo uobis circumcisionem tradidit Moses, nõ quòd ea sit à Mose, sed à maioribus: & circuncíditis Sabbatho hominem. D Si circumcisionem accipit homo Sabbattho, a ut non soluatur Mosis lex: mihi succensetis, quòd totum hominem sanum effeci Sabbatho? Ne ex aspectu iudicate, sed iustum iudicium facite. Dicebant ergo quidam Hierosolymitanorum: Nónne hic est quem conantur occidere? *Deut. 1. c* Atqui apertè loquitur, nec ei quicquam contrà dicitur. Num uerè norunt proceres, eum uerè esse Christum? Sed hunc scimus unde sit: at Christus cum uenerit, unde sit, nemo sciet. At Iesus in fano clamans, docebat huiusmodi uerbis: Et uos me nostis, & unde sim nostis: & ego mea sponte non ueni, sed ab eo missus qui uerax est, quem uos non nostis. At ego eum noui, quippe cum ab eo sim, cumq; is me miserit. Illi uerò eũ cõprehendere conabantur, nec tamen quisquã ei manus iniecit, quoniam nondum uenerat eius hora. E

a. Quae iubet circuncidi octauo à natiuitate die, qui potest incidere in Sabbathũ.

At ex plebe frequentes ei fidem habuerunt, & ita dictitabant: Christus cum uenerit, non plura portenta edet, quàm hic edidit? Haec uulgo de eo mussari audientes Pharisaei, miserunt tum ipsi, tum pontifices, ministros, qui eum comprehenderent. Quibus Iesus ita dixit: postquam adhuc paruo tempore apud uos fuero, discedã ad eum qui me misit. Quaeretis me, nec inuenietis: atq; ubi ero ego, eò uos uenire non potestis. *Infrà. 13. d* At Iudaei sic apud sese dictitare: Quónam abiturus est hic, ut nos eum non simus inuenturi? Num in dispersas Graecorum nationes discessurus est, docturusq; Graecos? Quod est id dictum, quo dixit? Quaeretis me, nec inuenietis: F & ubi ero ego, eò uos uenire non potestis? Postremo autẽ die, qui erat festi celeberrimus, constitit Iesus, & hisce uerbis clamauit: Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat. Qui mihi fidem habet, *Deut. 18. c. d.* ut perhibent literae, eius ex uentre fluent perennis aquae flumina. *Iohel. 2. g.* Id autem dicebat de spiritu, quem accepturi erant, qui ei fidem haberent. *Act. 2. c.* Nondũ enim erat spiritus sanctus, utpote cum Iesus nondum gloriosus esset factus. Pleriq; igitur ex plebe, audita ea oratione, dicebant eum esse uerè uatem. Alij dicebant esse Christum: G alij Christum à Galilaea profecturum negabant: quippe cum in literis haberetur, ex Dauidis semine, & à Bethlehema (quo in uico fuerat Dauid) profecturum esse Christum. Itaq; propter eum extitit in uulgo dissidium: atq; eorum nõnulli eum comprehendere uolebant: sed nullus ei manus iniecit. Venerunt igitur ministri ad Pontifices & Pharisaeos, & quaerentibus illis cur eum non adduxissent, responderunt nullum unquam hominem sic locutum fuisse, ut is homo. At Pharisaei contrà: Num uos quoq; decepti estis? inquiunt eis. Num quis ex proceribus ei fidem habuit, aut ex Pharisaeis? At ista plebs ignara legis, nefaria est. Hic Nicodemus, qui eum noctu conuenerat, & erat ex eorum numero, sic ad eos uerba facit: *Nicodemus Iesum defendit.* *Iohan. 4. a* An lex nostra hominem damnat, nisi prius eum audiuerit, eiusq; factum cognouerit? Cui illi sic responderunt: An tu quoq; à Galilaea es? Perscrutare, & uidebis nullum ex Galilaea extitisse uatem. *Deut. 17. b. 19. d* Ita in suam quisque domum discesserunt.

CAPUT VIII.

Iesus autem in Oliuarum montem discessit. Deinde manè rursus uenit in fanum, omniq; ad eum ueniente populo, cõsidet, & eos docet. Adducunt autem ad eum Scribae & Pharisaei mulierem in adulterio deprehensam, eaq; in medio constituta, sic eum alloquuntur: *Ad Iesum adducitur adultera.* Magister, haec mulier deprehensa est in ipso facinore, cum adulteraret. *Leu. 20.* In lege autem Moses nobis tales lapidandas esse praecepit. Tu igitur quid ais? Hoc autem dicebant, eius tentandi causa, ut eum accusare possent. At Iesus sese proclinare, & digito humum exarare. Ac illis eum interrogare

rogare

rogare pergentibus, erexit se, & : Qui uestrûm peccati expers est, primus in eam lapidē iaciat. Hæc locutus, sese rursum proclinat, & terram inscribit. Quo audito illi discedunt singuli, à senioribus exorsi: relictusq; est solus Iesus, & astans in medio fœmina. Tum Iesus ut sese erexit, & neminem, excepta muliere, uidit, dixit ei: Mulier, ubi sunt illi accusatores tui? Nullus te cōdemnauit? Nullus, Domine, inquit illa. Et Iesus: Nec ego te condemno. Abi, & deinceps peccare noli. Itē eos Iesus sic allocutus est: Ego

Ego sum lux umndi. sum lux mundi. Qui me sequetur, non in tenebris gradietur, sed uitæ lumen habebit. Et Pha-

1. Iohan 1.b risæi: Tu de teipso testaris, inquiunt ei: testimonium tuum uerum non est. Quibus Iesus contrà: Etsi ego de meipso testor, est tamen uerum meum testimonium, ut qui sciam unde uenerim, & quò abeam. Vos neque unde uenerim, neq; quò discedam, scitis. Vos more hominum iudicatis: ego neminem iudico. & si iudicarem ego, iudicium meum uerum esset: utpote qui non sim solus, sed unà mecum etiam adsit, qui

Deut. 17.b & 19.d misit me pater. In uestra quoque lege scriptum est, duorum hominum testimonium esse uerū.

Mat. 18.b de me & ego ipse testimonium dico, & dicit e-

2. Cor. 13.a tiam is qui me misit pater. Et illi: Vbi est tuus pa

Heb. 10.e ter? inquiunt ei. Vos neq; me nostis (respondit Iesus) neq; patrem meum. Si me nossetis, etiam patrem meum nossetis. Hanc orationē habuit Iesus apud fiscum, docens in fano: nec eum cō-

C prehendit quisquam, quòd nondum uenerat eius hora. Sic autem eos rursus allocutus est Iesus: Ego abiturus sum, & uos me requiretis, atque in uestro peccato moriemini. Quò ego abibo, uos non potestis uenire. Et Iudæi: Num ipse se interficiet, inquiunt, ut dicat, quò ipse abiturus est, non posse uenire nos? At ille: Vos infernè estis, inquit eis, ego supernè sum: uos ex hoc mundo estis, ego non sum ex hoc mundo. Itaq; dixi uobis, uos in peccatis uestris morituros. Nisi enim me eum esse credideritis, in peccatis uestris moriemini. Et illi: Tu quis es? inquiūt ei. Quibus Iesus: Id quod iam dudum uobis eloquor, inquit. Multa habeo de uobis dicere, & quidem cum iudicio: sed ut qui me misit uerax est, sic ego ea demum, quæ ex eo audiui, apud orbem eloquor. Cum illi eum sibi de patre loqui non intelligerent, Iesus sic eos alloquitur: Postquam filium hominis extuleritis, tum

D intelligetis, eum esse me, qui mea sponte faciam nihil: sed sicut me docuit pater meus, hæc loquor: eumq; qui me misit, adesse mihi. Non me deseruit solū pater, quandoquidem ego semper quæ ei accepta sint facio. Hæc eo loquente, frequentes ei fidem habuerunt. Igitur Iesus eos Iudæos, qui sibi fidem habebāt, sic allocutus est: Si uos in meis dictis manebitis, uerè mei discipuli eritis, ueritatemq; cognoscetis, quæ ueritas uos in libertatem uindicabit. Illi contrà: Abrahami progenies sumus, neq; cuiquam unq; seruiuimus: quî fit ut tu dicas, nos liberos factum iri? quibus Iesus respondit: Certè certè, inquā uobis, quisquis peccatum facit, peccati seruus est. *Rom. 6.c*

Seruus autem domi non manet perpetuò: filius manet perpetuò. *2. Pet. 2.d* Quòd si uos filius liberos fecerit, reipsa liberi eritis. Scio uos Abrahami progeniem esse: sed cupitis interficere me, quoniam oratio mea in uobis locum nō habet. Ego quod à patre meo cognoui, loquor: itidem uos quod didicistis à patre uestro, facitis. Cui illi cōtrà: Pater noster Abrahamus est. Et Iesus: Si Abrahami nati essetis, inquit eis, Abrahamo digna faceretis. At nunc cupitis me perimere, hominem, qui uerum uobis effatus sum, quod ex Deo audiui. Istud non fecit Abrahamus. Vos patre uestro digna facitis. Cui illi: Nos ex stupro nati non sumus: unum patrem habemus Deum. Si Deus esset pater uester (inquit eis Iesus) amaretis me: ego enim à Deo profectus ueni. Nec enim mea sponte ueni, sed ille me misit. Cur meam orationem nō agnoscitis? quia mea dicta audire non potestis. Vos ex patre Diabo- *1. Iohan. 3.b*

lo estis, patrisq; uestri libidinibus libenter obtemperatis. Ille iam ab initio fuit homicida, nec F

in ueritate perstitit, quippe qui non sit ueritate præditus. Quando falsum loquitur, de suo loquitur, ut qui sit mendax, mendaciq; pater. At mihi uos, qui uerum dico, non creditis. Quis me uestrûm coarguerit peccati? quòd si uerum dico, cur mihi uos non creditis? Qui à Deo est, *1 Iohan. 4.a*

Dei uerba audit. Vos ideo non auditis, quòd à Deo non estis. Tum contrà Iudæi: An non rectè dicimus nos, te esse & Samaritanum, & furiosum? Quibus Iesus respondit: Ego furiosus non sum, sed patrem meum honoro: uos uerò me probro afficitis, sed non ego meæ gloriæ studeo: est qui studeat, & cum ratione. Hoc uobis etiam atq; etiam confirmo, si quis meæ orationi paruerit, eum nunquam uisurum esse mortem. G

Tum Iudæi: Nūc intelligimus te furiosum esse. Abrahamus ipse mortuus est, ipsiq; uates: & tu dicis, si quis orationi tuæ paruerit, eū nunquam uisurum esse mortem? Num tu maior es patre nostro Abrahamo? qui tamen mortuus est, & uates ipsi mortui sunt. Quē tu te facis? Respondit Iesus: Si ego meipsum laudarem, laudatio mea nihil esset. Est pater meus qui me laudat, quem uos dicitis esse uestrum Deum, & tamen eum non nouistis. At ego eum noui: & si eum mihi notū esse negarē, uestri similis essem, mendax. Sed eum noui, eiusq; dictis pareo. Abrahamus ille parens uester meam diem uidere gestiuit, & uidit, idq; lætatus est. At Iudæi: Quinquaginta annos nondum habes, & Abrahamū uidisti? Quibus Iesus: Hoc mihi certò certòq; credite, priusquam Abrahamus esset, ego sum. Tum illi lapides sustulerunt, quos in eum conijcerent. At Iesus sese abdidit, & ex fano exijt.

CAPVT IX.

PRæteriens autem Iesus, uidit hominē à natiuitate cæcum, de quo sic eum interrogarunt eius discipuli: Magister, utrum quia peccauerit hic, an quia eius parentes, cæcus natus est? Quibus Iesus respondit: Neq; quia ipse, neque quia *Natus cæcus.*

quia eius parentes peccauerint, sed ut in eo diuina opera patefiant. *Infrà 5.c* *& 14.d* Mihi agendá sunt eius qui me misit, negotia, dum dies est. Veniet nox, cum agere nemo potest. Donec in mundo sum, lux mundi sum. Hæc locutus, spuit humi, & ex sputo lutum fecit, quod lutum cæci oculis illiuit, B eíq; iussit ut iret lotum in piscina Siloa, quod uerbum idem est atque missus. Atq; ille iuit, & lauit, rediítq; uidens. Tum uicini, & qui eum antè cæcum esse uiderant, quærebant num is esset, qui antea sedebat & mendicabat. Alij eum esse, alij eius similem esse dicebant. Ipse, eum se esse aiebat: & sciscitantibus, quo pacto ei aperti fuissent oculi: sic respondit: Homo nomine Iesus, lutum fecit, & mihi oculos illeuit, iussítq; ut irem ad piscinam Siloam, & lauarem. Ego iui, & laui, & dispexi. Et illi: Vbi est ille? C Nescio, inquit. Illi eum qui fuerat aliquando cæcus, ad Pharisæos ducunt. Erat autem Sabbathum, quando Iesus facto luto eius oculos aperuit. Igitur eum rursus interrogarunt Pharisæi, quo pacto dispexisset? Quibus ille: Lutū, inquit, imposuit meis oculis, & laui, & uideo. Tum quidam Pharisæorum dicere, eum hominem à Deo non esse, quòd Sabbathum non ageret. Alij sic dicere: Quî posset improbus homo tam prodigiosa facere? Ita cum esset inter eos dissensio, sic cæcum rursus interrogant: Tu quid de eo dicis, qui tibi oculos aperuerit? Va- D tem esse, inquit ille. At Iudæi eum & cæcum fuisse, & dispexisse, non crediderunt, donec accersitos eius parentes qui dispexerat, sic interrogarunt: Hiccine filius est uester, quem uos dicitis cæcum esse natum? Quî fit ergo ut nūc cernat? Quibus eius parentes ita responderunt: Hūc filium esse nostrum, & cæcum fuisse natū, scimus: quomodo uerò nunc cernat, nescimus: aut quis ei aperuerit oculos, nos nescimus: ipse iam grandis est, ipsum interrogate: ipse de se ipso loquetur. Hæc eò dixerunt eius parentes, quòd Iudæos formidabant. Iam enim conspirauerant Iudæi, ut si quis eum Christum esse confiteretur, is collegij communione priuaretur. E Hanc ob causam dixerunt eius parentes, iam grandem esse: ipsum interrogarent. Illi igitur denuò hominē euocarūt, qui cæcus fuerat, eíq; dixerunt: Tribue Deo gloriā: nos scimus hunc hominē improbum esse. Et ille respondens: An improbus sit, inquit, nescio: unum scio, me, qui cæcus fui, nunc uidere. Et illi rursum: Quid tibi fecit? inquiunt ei: quo pacto tuos oculos aperuit? Quibus ille respondit: Iam uobis dixi, nec audiuistis: quid rursum uultis audire? num uos quoq; uultis eius discipuli fieri? At illi ei conuicium fecerunt, &: Tu es eius discipulus, inquiūt: F nos uerò Mosis discipuli sumus. Nos scimus, cum Mose locutum esse Deum: hic autē unde sit nescimus. At homo contrà: Ergo in eo est admirabilitas, inquit, quòd uos nescitis unde sit, & tamen oculos meos aperuit. Iam scimus, improbos à Deo non audiri: sed si quis pius est, & eius uoluntati paret, hunc audit. Nunquam fando auditū est, quenquā aperuisse oculos cæci nati. Nisi esset is à Deo, nihil posset facere. Tū illi: Tu totus in peccatis natus es, inquiūt ei, & nos doces? Itaq; eum foras eiecerunt. Iesus G audiēs, eum ab illis foràs eiectū, nactus eum, sic est allocutus: Habesne fidem Dei filio? Et ille respondens: Quis est autem, Domine, ut ei fidem habeam? Cui Iesus: Vides eū, inquit: is est qui tecū loquitur. Et ille: Fidē habeo, Domine, inquit: eūq; ueneratus est. Et Iesus: [b] Ad eiusmodi discrimen ego in hunc, inquit, orbem ueni, ut qui non uident, uideant: & qui uident, cæci fiant. *b. Vt ita discernā, & eiusmodi delectū habeam.* His auditis, Pharisæi qui unà erant, dixerunt ei: An & nos cæci sumus? Quibus Iesus: Si cæci essetis, inquit, non essetis in uitio: nunc quia dicitis, uos cernere, manet uestrum peccatum.

CAPVT X.

Certò certóq; scitote, qui in ouium stabulū non per ianuam intrat, sed aliâ transcēdit, eum furem ac latronem esse. *Qui nō intrat per ianuā, fur est.* Qui uerò per ianuam intrat, pastor est ouium. Huic ianitor aperit, eiúsq; uocem audiunt oues, isq; suas oues appellat nominatim, educítque, & emissis ouibus suis præit uiam: eúmque sequuntur oues, ut cuius uocem agnoscant: alienum autem non sequantur, sed fugiant, quippe quæ alienorum uocem non agnoscant. Hanc sententiam cum B eis dixisset Iesus, nec illi intelligerent quid sibi uellent ea quæ eis dicebat, Iesus porrò dixit eis: Certò certóq; scitote, me ouium esse ianuam. Omnes quicunq; ante me uenerunt, fures sunt *Infrà 14.* & latrones, nec eos audiuerunt oues. Ego sum ianua: per me qui intrabit, seruabitur, & intrabit, & exibit, & pascuum inueniet. *Esa. 40.c.* *Ezech. 34.f.* *g. & 37.f.* Fur non uenit nisi ut furetur, ut mactet, ut perdat. Ego ueni, ut uitam habeant, & largius habeant. Ego sum pastor bonus. Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus. At mercenarius, qui pastor C non est, cuius suæ non sunt oues, si uenientem lupum uidet, fugit, relictis ouibus: lupus oues rapit, ac profligat. At mercenarius fugit, nempe mercenarius, nec ouium curam gerens. Ego sum pastor bonus, & meas agnosco, & à meis *Matt. 11.d* agnoscor. Vt me nouit pater, sic ego patrem noui, animamq; meam pono pro ouibus. & alias oues habeo, quæ non sunt huius ouilis: quæ etiā mihi adducendæ sunt, meamq; uocem audient, & fiet unum ouile, unus pastor. Ideo me pater amat, quia animam meam pono, ut eam resu- D mam. *Esa. 53.b* Eam mihi nullus eripit, sed eam ipse mea sponte pono. Potestatem habeo eam ponendi, itemq; potestatem habeo eam rursum sumendi. *Acto. 2.d* Hoc præceptū accepi à patre meo. Propter hæc dicta ortum est rursus inter Iudæos dissidiū, eorumq; plerique dicebant: Furijs agitur & insanit, quid eum auditis? alij dicebant: Hæ res furiosi non sunt: potéstne furia cæcorum oculos aperire? *1. Mach. 4. f.g.* Cum autē agerētur Hierosolymis [a] Instauralia, & hyems esset, ambularetq; Iesus in fano in Solomonis porticu, Iudæi eum circūfusi sic alloquuntur: *a. Festū instaurati tēpli post reditū ex Babylone.* Quandiu suspensos tenebis animos nostros? Si tu Christus es, dic nobis aperte

pertè. Quibus Iesus ita respōdit: Dixi uobis, neque creditis. Opera quæ ego mei patris nomine facio, ea de me testatur: sed uos non creditis, quoniam ex meis ouibus non estis, quēadmodum uobis dixi. Oues meæ uocem meam audiunt, easq; ego noui, & ipsæ me sequuntur, & eis uitam do sempiternam, nec possunt unquā perire, nec mihi quisquam eas de manu eripuerit.
F Meus pater, qui mihi dedit eas, maximus est omnium, nec quisquam possit ex manu mei patris extorquere. Ego & pater unum sumus. Hic Iudæi rursum lapides sustulerunt, ut eum lapidarent. Quos Iesus sic contrà allocutus est: Multa uobis præclara opera, meo patre autore, edidi: propter quod eorum operum me lapidatis? Cui Iudæi sic responderunt: Ob præclarum opus non lapidamus te, sed ob impia dicta: & q; homo cum sis, Deum te facis. Et Iesus contrà: Nonne scriptū est in uestra disciplina: Ego uos deos appellaui? Si illos appellauit deos, ad quos Dei sermo habitus est, [b] nec scriptum rescindi
G potest, uos me, quem pater consecrauit, & in orbem misit, impiè loqui dicitis, quòd me Dei filium esse dixerim? Si patre meo digna nō facio, mihi ne credite. Sin facio, si mihi minus creditis, at factis credite, ut & patrem in me, & me in eo esse cognoscatis, ac credatis. Hic illi eum rursum comprehendere conabantur. Sed exijt ex eorum manu, abijtq; rursus trans Iordanem in eum locum ubi primùm lauerat Iohānes, ibiq; mansit. Ac frequentes ad eum ueniebant: & Iohannem quidem nullum edidisse prodigium dicebant, sed quæcunq; de eo Iohannes dixisset, ea esse uera: multiq; ei illic habuere fidem.

Psal. 81.b Ego uos deos appellaui.

b. Non potest nō esse uerū, quod in illis literis scriptū est

CAPVT XI.

De Lazaro in uitam reuocato.

Matt. 26.a Infrà. 12.g

Erat autem quidam ægrotus Lazarus à Bethania, Mariæ & eius sororis Marthæ uico. Erat autem Maria ea, quæ Dominum unguento perfuderat, eiusq; pedes suis capillis exterserat: cuius frater Lazarus ægrotabat. Miserunt igitur eius sorores illi significatum ita: Domine, scito eum quem amas, ęgrotare. Hoc audito Iesus ita dixit: Hic morbus lethalis nō est, sed ob Dei gloriam est, ut per eum celebretur Dei filius. Amabat autem Iesus Marthā, eiusq; sororem & Lazarum. Vt igitur eum ægrotare audiuit, tum quidem mansit in quo erat loco, duos dies. Postea dicit suis discipulis: Petamus rursum Iudæam. Cui discipuli: Magister, inquiunt, modò te conabantur lapidare Iudæi, & eòdem rursus abis? At Iesus contrà: Cum
B duodecim horæ sint diei, si quis interdiu graditur, non offendit: huius enim mundi lucem aspicit. At si quis noctu graditur, offendit, quia lumine caret. Hæc fatus, sic eos deinde alloquitur: Lazarus amicus noster obdormiuit, sed ego ad eum expergefaciendum uado. Tum eius discipuli: Domine, inquiunt, si obdormiuit, saluus est. Dixerat autem Iesus de eius morte: illi uerò de somni sopore dicere opinabantur. Itaque tum dixit eis Iesus apertè: Lazarus mortuus est, atque equidem [a] me illic non adfuisse, gaudeo uestra causa, ut credatis. Sed proficiscamur ad eum. Et Thomas nomine Didymus: Eamus & nos, inquit discipulis, ut cum eo moriamur. Igitur Iesus ubi uenit eò, inuenit eum quartum iam diem agentem in monimento. Aberat autem propè Bethania Hierosolymis stadia circiter quindecim, multiq; Iudæorum ad Martham & Mariam uenerant, ut eas de suo fratre consolarentur. Igitur Martha ut Iesum uenire audiuit, ei obuiam, sedente domi Maria, iuit, & sic eum allocuta est: Domine, si tu hìc adfuisses, meus frater mortuus nō fuisset. Quāquam nunc quoque scio, quicquid à Deo petiueris, daturum esse tibi Deum. Cui Iesus: Resurget frater tuus. Scio, inquit ei Martha, resurrecturum esse in resurrectione in ultima die. Et Iesus: Ego sum, inquit ei, resurrectio & uita. Qui mihi fidem habebit, etiam si mortuus fuerit, reuiuiscet: & quisquis uiuit, & mihi fidem habet, nunquam moriturus est. Credis hoc? Etiam, Domine, inquit illa. Ego credo, te Christū esse Dei filiū, qui in orbem uenturus eras. Atq; hæc locuta, iuit accersitum Mariam sororem suam, eiq; danculum dixit, magistrum adesse, qui eam uocaret. Illa hoc audito, celeriter surgit, & illum adit. Nondum autem uenerat Iesus in uicū, sed in eo erat loco, ubi ei occurrerat Martha. Iudæi ergo, qui cum ea domi aderant, eamq; consolabantur, uidentes Mariam celeriter surrexisse, atq; exijsse, secuti sunt eam, rati eā ad monimentum ire, ut ibi ploraret. Igitur Maria ut eò uenit, ubi erat Iesus, eo uiso, ei ad pedes accidit: Domine (inquit ei) si tu hic adfuisses, non fuisset mortuus frater meus. Tum Iesus ubi eam plorantem, & comitatos eam Iudæos plorantes uidit, infremuit animo, cōturbatusq; dixit: Vbi eum posuistis? Domine, inquiunt ei, ueni uisum. Lachrymauit Iesus. Itaq; Iudæi dicebant: En quantopere eum amabat? Item eorum quidam dicebant: Non poterat is, qui cæci oculos aperuit, efficere, ut hic quoq; non moreretur? Iesus igitur rursus apud se fremens, uenit ad monimentum. Erat autem fossa, cui impositum erat saxum. Et Iesus dixit: Auferte saxum. Cui mortui soror Martha: Domine, inquit, iam fœtet, nam quatuor dierum est. At Iesus: Dixine ego tibi, inquit ei, te, si fidem habueris, uisuram [b] Dei gloriam? Igitur illi saxum sustulerunt, ubi situs erat mortuus. Et Iesus sublatis sursum oculis, dixit: Pater, ago tibi gratias, quòd me audiuisti. Equidem sciebam, ut tu me semper audias: sed propter circunstantem hominum multitudinē dixi, ut me abs te missum esse credant. Hæc ille fatus, ingenti uoce clamauit: Lazare, ueni foràs. Et mortuus exijt, pedes manusq; uinctus fascijs, uultu sudario obuelato. Soluite eum, inquit eis Iesus, & abire finite. Igitur multi Iudæorum, qui ad Mariam uenerant, & quæ fecisset Iesus uiderant, ei fidem habuerunt. At eorum quidā Pharisæos adierunt, & eis quæ fecisset Iesus dixerunt. Itaq; pontifices & Pharisæi coacto concilio, ita dicebant: Quid

a. Si adfuissem, eius morbū sanasse. Nūc eum in uitā reuocabo, quæ res fidem mihi apud uos magis conciliabit.

C

Sup. 6.d

D

Matt. 6 Luc. 8

E

Suprà 9.a

Mar. 9

b. Diuinū gloriosumque factū.

F

Quid agimus? nam hic homo multa portẽtosa facit. Si eũ sic sinimus, omnes ei fidẽ adiungent: atq; ita uenĩẽt Romani, qui nos & loco & gente priuabũt. Tum eorũ quidam Caiaphas, eius anni pontifex, sic ad eos uerba fecit: Vos nihil scitis, neque cogitatis, conducibilius esse nobis, unum hominẽ pro populo mori, quàm totam G perire gentem. Id autem non sua sponte dixit, sed quòd esset eius anni pontifex, uaticinatus est, Iesum pro gente moriturum esse: nec solum pro gente, sed etiã ut dispersos Dei natos simul congregaret. Igitur ex eo die de eo perimendo consultarunt. Itaq; Iesus non iam apertè uersabatur in Iudæis, sed inde discessit in locũ prope solitudinẽ, in oppidũ c Ephraim nomine, atq; ibi commoratus est cum suis discipulis. Instabat autem Iudæorum Pascha, & multi qui ex ea regione Hyerosolymam ante Pascha sui lustrandi gratia ascenderant, requirebant Iesum, & in fano stantes, sic inter sese dictitabant: Quid uobis uidetur, quòd non uenerit ad festum? Dederant autem Pontifices & Pharisæi mandatum, ut si quis sciret ubinam is esse, indicaret, ut eum caperent.

[c. Latin. Ephrem.]

CAPVT XII.

[Mat.26.a Mar.14.a] Igitur Iesus sex diebus ante Pascha Bethaniã uenit, ubi erat Lazarus, qui mortuus fuerat, quem ille ex mortuis excitauerat. Illic ei data cœna est, cum quidem Martha ministraret, & Lazarus ex eorum numero esset, qui cum eo accumbebãt. Maria uerò sumpta libra preciosi unguenti spicatæ nardi, Iesu pedes perfudit, eosdemq; suis capillis extersit. Eius unguenti odore cum domus repleta foret, unus ex eius discipulis, Iudas Simonis filius, Iscariota, qui eum proditurus erat, ita loquitur: Cur hoc unguentum non est trecentis denarijs uenditum, & in pauperes erogatum? Id autem dixit, non quòd ei curæ essent pauperes, sed quòd fur erat, & crumenam habebat, ac quæ conferebantur porta- B bat. Tum Iesus: Sine eam, inquit: id ad meæ sepulturæ diem reseruauit. [Matth.21. Mar.11. Luc.19.] Pauperes enim semper habebitis uobiscũ: at me non semper habebitis. Igitur cum ingẽs Iudæorũ multitudo eum illic esse cognouisset, uenerunt eò non solum propter Iesum, sed etiam ut Lazarum uiderẽt, quem suscitauerat ex mortuis. Consultarunt autem pontifices etiam de Lazaro necãdo, quòd propter eum multi Iudæorum desciscebant, & Iesu fidem habebant. Postero die frequens hominum turba, qui ad festum uenerant, audientes Iesum aduentare Hierosolymam, sumptis palmarũ ramis, ei obuiam exierunt, atq; ita clamabant: [Hosanna.] Hosanna, bene sit uenienti in nomine Domini, regi Israelitarum. [Matth.21.a Mar.14.a Zach.9.b Luc.19.f] Nactus autem Iesus asellum, in eo sederat, quemadmodũ scriptum est: Ne metue puella Sion: ecce tuus rex uenit in asinæ pullo sedens. Atq; hæc quidẽ primùm C non intellexerunt eius discipuli: sed postq; illustratus est Iesus, tum demũ recordati sunt ea & de eo fuisse scripta, & se ei præstitisse. a Testificabatur autẽ hominũ multitudo, qui cum eo adfuerant cum Lazarum euocauit è monimento, & à mortuis excitauit. Atq; hanc ob causam occurrit ei uulgus, quod id eum edidisse prodigiũ audiuissent. [Suprà 11.] Itaq; Pharisæi sic inter sese dicebãt: Videtis nihil proficere uos, cum eum sequatur orbis. Erant autẽ quidã Græci, ex ijs qui ascenderant ut in festo adorarent. [Græci Iesum uidere uolunt. Iohan. 1] Ii Philippum adierunt, eum qui erat à Bethsaida Galileæ, eumq; sic rogarunt: Domine, uellemus Iesum uidere. Id Philippus Adreæ indicatum it, & porrò Andreas & Philippus Iesu dicũt. Et Iesus sic eis respondit: Venit hora, qua illustretur filius hominis. D Profectò, profectò, inquam uobis, nisi frumenti granũ ad terrã lapsum moriatur, ipsum solum manet: sin moriatur, multũ fructũ fert. [Mat.10.d 16.d Mar.8.d Luc.9.c.& 17.g] Qui animã suam amabit, eam perdet: & qui animã suã in hoc mundo oderit, is eam in sempiternã uitam cõseruabit. Si quis mihi ministrat, me sequatur: atq; ubi ero ego, ibidẽ meus etiam minister erit. Quòd si quis mihi ministrabit, eum pater honorabit. [Matth.26 Mar.14. Luc.22] Nunc mihi turbatus est animus: ecquid dicã? Pater defende me ab hac hora: sed ideo ueni in hanc horam. Pater illustra tuũ nomen. Tum hæc uox de cœlo uenit: Et illustraui, & rursus illustrabo. Hoc audito, uulgus hominum qui aderant, dicebat extitisse tonitru. Alij angelum cum eo locutum aiebant. E At Iesus ita loquutus est: Non propter me uox hæc extitit, sed propter uos. Nunc fit de hoc mũdo iudiciũ: nũc huius mundi princeps exigetur foràs: & ego si à terra euectus fuero, omnes ad me trahã. Id autem dicebat significans, quo letho moriturus esset. Ei uulgus respondit: Nos audimus ex disciplina, Christũ semper esse permansurum: quî fit, ut tu dicas, euehendũ esse filiũ hominis? quis est iste filius hominis? Quibus Iesus: Adhuc paruo tempore uobis futura lux est. Ambulate dum lucem habetis, ne uos opprimant tenebræ: quoniã qui in tenebris ambulat, nescit quò eat. Dum lucẽ habetis, fidem habete luci, ut lucis homines fiatis. Hæc locutus Iesus discessit, & eis sese subduxit. Sed quamuis tot in eorum cõspectu ostenta fecisset, tamẽ ei fidem non habebant: ut illud ab Esaia uate dictũ fieret, cum F ait: Domine, quis credidit orationi nostræ? & Iouæ brachiũ cui patefactum est? [Esaiæ 53.a Rom.10.d] Ideo credere non poterãt, quòd item dixit Esaias: Eorum & oculos excæcauit, & animos stupefecit, ne oculis uideant, & animo intelligant, ad frugemq; redeant, atq; eos ego sanem. [Esaiæ 6.c Mat.13.b Mar.4.b Luc.8.b Act.28.f Rom.11.b] Hæc dixit Esaias, tum cum eius splendorẽ uidit, deq; eo locutus est. Tametsi multi ex principibus ei fidem habuerunt: sed id propter Pharisæos non fatebantur, ne collegij cõmunitate priuarentur. plus enim amabant hominum, quàm Dei gloriam. Iesus autem clamauit his uerbis: Qui mihi fidem habet, non mihi fidem habet, sed ei qui me misit: & qui me uidet, eum uidet qui me misit. G Ego lux in mundũ ueni, ut quisquis mihi fidem habuerit, nõ maneat in tenebris. Quòd si quis mea uerba audierit, neque crediderit, ego eum non damno. Non enim ut mundum damnem,

[a. scilicet, ei Lazaro reddidisse uitam.]

ueni, sed ut mundum conseruem. Qui me repudiat, nec mea uerba admittit, habet qui se damnet. Ipse sermo, quem ego loquor, eum damnabit in postremo die: quoniam ego nõ mea sponte loquor, sed qui me misit pater, is mihi in mãdato dedit, quid dicturus aut locuturus sim: & scio eius mandatum [a] sempiternam esse uitam. Quæ igitur eloquor ego, quemadmodum mihi dixit pater, sic eloquor.

Mar.16.d

a. Eiusmodi esse, ut in eo obeundo uita sit posita.

CAPVT XIII.

ANte festum autẽ Paschæ, sciens Iesus suã horam uenisse, qua ex hoc mundo migraret ad patrem, cum suos, qui erant in mundo, amauisset, eos ad extremũ amauit. Et cœna parata, cum iam diabolus Iudæ Simonis filio Iscariotæ mentem iniecisset, ut eum proderet: sciẽs Iesus patrem sibi omnia in manum dedisse, seq; à Deo profectum, ad Deum discedere, surgit ex cœna, depositisq; uestibus, sumpto linteo, se præcingit. Deinde immissa in peluim aqua, discipulorũ pedes lauare instituit, & linteo, quo præcinctus erat, abstergere. Sed ubi ad Simonem Petrũ uenit, ille sic ei dixit: Domine, tene mihi lauare pedes? Cui Iesus: Quid ego faciam, inquit respondens, tu nunc ignoras, sed postea cognosces. Et Petrus: Nunquam meos pedes lauabis, inquit ei. At Iesus contrà: Nisi te lauero, inquit, non eris meus particeps. Tum Simõ Petrus: Domine, inquit ei, non solum meos pedes, sed etiam manus atq; caput. Cui Iesus: Qui

Matth.26.a Luc.22.a Mar.14.a

B lotus est, inquit, huic non opus est nisi ut pedes lauet, quin totus purus est. Et uos puri estis, sed non omnes. Nouerat enim suum proditorem. ideo dicebat, non omnes esse puros. Postquam eorum pedes lauit, sumptis suis uestibus rursus accubuit, & eos sic allocutus est: Intelligitis quid uobis fecerim? Vos me magistrum & dominum appellatis, & rectè dicitis: sum enim. Si igitur ego uobis, & dominus & magister, pedes laui, uos quoque debetis alij aliorum lauare pedes. Exemplum enim præbui uobis, ut quẽadmodum ego uobis feci, uos quoq; faciatis. Certè, certè inquam uobis, non est seruus domino suo maior, neque legatus eo maior qui eum misit. Si hoc nostis, felices estis, si ea prẹstatis. Non de omnibus uobis dico: ego scio quos ele-

Suprà 6.

Iohan.15.e Mat.10.c Luc.6.f

C gerim. Sed oportet ut fiat quod scriptum habetur: qui mecum cibum capit, is me calce petit. Iam nunc dico uobis, antequam fiat: ut cum factum fuerit, credatis eum esse me. Hoc uobis certò certoq; dico, qui eum quem ego misero accipit, me accipit: & qui me accipit, eum accipit qui me misit. Hæc locutus Iesus, turbatus est animo, & ita apertè dixit: Certò certoq; scitote, futurum esse ut unus uestrûm me prodat. Tum discipuli inter sese intueri, dubitantes de quo diceret. Recumbebat autẽ unus discipulorum Iesu, in eius gremio, quem Iesus amabat. Huic innuit Simon Petrus, ut sciscitaretur quisnam is esset, de quo diceret. Atque ille in Iesu pectus incumbens: Domine, inquit ei, quis est? Cui Iesus respondet: Is est, cui ego intinctã bucceam porrigam. Tum bucceam intingit, & Iudæ Simonis filio Iscariotæ dat: ac tum post eam bucceam, intrauit in eum Satanas. Et Iesus ei dixit: Quod facis, fac ocyus. Id autem quorsum ei dixisset, nemo accumbentium intellexit. Nonnulli enim D

Psal.40.c Matth.10.d Luc.10.c Matth.26.b Mar.14.b Luc.22.b

arbitrabãtur, quandoquidem crumenam habebat Iudas, Iesum mandare, ut emeret quæ eis opus essent ad festum, aut pauperibus ut aliquid daret. Igitur ille simulac sumpsit bucceã, exiuit, cum quidem nox esset: quo egresso, sic fatur Iesus: Nunc filius hominis illustratur, & Deus illustratur in eo. Si in eo Deus illustratur, eum quoque Deus in seipso illustrabit, & mox illustrabit. Filioli, adhuc paulisper uobiscum sum. Quæretis me, ac quemadmodum Iudæis dixi, quò ego abeo, eos uenire non posse, etiam uobis nunc dico. Præceptum nouum do uobis, ut inter uos ametis, quomodo ego uos amaui, ut & uos ametis inter uos. In eo cognoscent omnes, uos meos esse discipulos, si mutuo uos amore prosequemini. Et Simon Petrus: Domine, quò abis? Cui Iesus respondit: Quò ego abeo, tu non potes me nunc sequi: sed tandem sequeris me. At Petrus: Domine, inquit ei, cur te nunc sequi non possum? animam meam pro te ponam. Cui respondit Iesus: Animam tuam pro me pones? Hoc tibi magnopere confirmo, non antè cantaturum esse gallum, quàm tu me ter abnegaueris.

Supr.7.e

Luc.19.d Mat.22.d Infrà 15.d

Petrus animam se pro Iesu positurum dicit: Mat.26.d Mar.14.c Luc.22.c

CAPVT XIIII.

NOlite animo turbari, inquit suis discipulis. Fidem habetis Deo, et mihi fidem habete. In domo patris mei mãsiones multæ sunt: quod si secus esset, dixissem uobis. Eo paratum uobis locum: quòd si iuero paratum uobis locum, reueniam, & uos mecum assumã, ut ubi ero ego, uos etiam sitis. Et quidem quò ego proficiscar, uos scitis, & uiã tenetis. Domine, inquit ei Thomas, nescimus quò proficiscaris, tantum abest ut uiam tenere possimus. Cui Iesus: Ego sum uia, & ueritas, & uita. Nemo ad patrem uenit, nisi per me. Si me cognosceretis, meum quoq; patrẽ cognosceretis, & iam nunc eum cognoscitis ac uidistis. Et Philippus: Domine, inquit ei, ostende nobis patrem, & satis erit nobis. Cui Iesus: Tantum iam tempus uobiscum sum, & tu me non nosti? Philippe, qui me uidit, patrem uidit: qui fit ut dicas, Ostende nobis patrem? Non B

Ostende nobis patrem.

credis, & me in patre, & patrem in me esse? Quę ego uerba uobis dico, mea sponte non dico: sed ipse pater, qui in me manet, facit opera. Credite mihi, & me in patre, & patrem in me esse: aut certè de ipsis factis mihi credite. Hoc certò certoq; sic habetote, qui mihi fidem habebit, eum esse eadem mecum, atque etiam his maiora facturum. Nam ad patrem meum proficiscor: ac quicquid per meum nomen petieritis, id faciam ut illustretur pater in filio. Si quid per meũ nomẽ petieritis, ego faciam. Si me amatis, mea præcepta seruate. ego uerò meum patrem exorabo, ut alium uobis confirmatorem det, qui uobiscum perpetuò maneat: scilicet ueritatis

Iohã.3.5.7.8.& 12

Matth.7.a Mar.11.c Iohã.16.c.f

De sancto spiritu [illegible]

spiritum, quem mundus consequi non potest, quod eum neq; uidet, neq; cognoscit. at uos eũ cognoscitis: quoniam apud uos manet, & in
C uobis futurus est. Non relinquam uos pupillos: inuisam uos. Post paulo iam me non uidebit mundus: at uos uidebitis, quoniam & ego uiuo, & uos uiuetis. In illa die uos intelligetis, & me in patre meo, & uos in me, & me in uobis esse. Qui mea praecepta tenet, conseruatq;, ille est qui me amat. Qui uerò me amat, amabitur à patre meo: eumq; ego amabo, & me ei patefaciam. Tum Iudas, non Iscariota: Domine, inquit ei, quid causae est, ut tu nobis teipsum sis patefacturus, mundo non item? Cui Iesus: Si quis me amat, inquit respondens, is sermoni meo parebit, eumq; meus pater amabit, & ad eũ ueniemus, et apud eum manebimus. Qui me non amat, mea dicta nõ exequitur. Sermo autẽ, quẽ auditis, meus non est, sed patris qui misit me.
D Haec uobis elocutus sum, apud uos manẽs. Sed confirmator, spiritus sanctus, quẽ mittet pater meo nomine, is uos omnia docebit, & uobis in memoriam reuocabit quaecunq; ego uobis dixi. Pacẽ relinquo uobis, pacẽ meam do uobis: non quemadmodum dat mundus, ego do uobis. Nolite animo perturbari, neq; formidare. Audiuistis ut dixerim uobis, abire me, reuisurũ uos. Si me amaretis, gauderetis, quia dixissem, me ad patrẽ proficisci, quòd pater maior me sit. Et nũc dixi uobis priusquam fiat, ut cum factũ fuerit, credatis. Iam non multa loquar uobiscũ: uenit enim huius orbis princeps, nec habet in me quicquam. Sed intelligendum orbi est, me
Luc. 2. d. amare patrem: & ut mihi mandauit pater, ita facere. Surgite, abeamus hinc.

CAPVT XV.

Ego sum uera uitis. EGo sum uera uitis, & pater meus est agricola, qui omnem palmitem in me non ferentem fructum, amputat, & omnem ferentem fructum, expurgat, ut plus fructus ferat. Iam uos puri estis, propter sermonem quem ad uos habui. Quapropter manete in me, & ego in uobis. Quemadmodum palmes fructum ferre per seipsum non potest, nisi maneat in uite: sic neq;
Sup. 13. b. uos, nisi maneatis in me. Ego sum uitis, uos palmites. Qui in me manet, & ego in eo, is multũ fert fructum: siquidem sine me uos nihil facere potestis. Si quis in me non manet, is extra pro-
B iectus aruit, ut sarmenta, quae colliguntur, & in ignem deflagratura conijciuntur. Si & uos in me manseritis, & mea uerba in uobis manserint, quicquid postulare uoletis, id uobis concedetur. In eo illustratur pater meus, si uos multũ fructum feratis, meiq; discipuli eritis. Quemadmodũ amauit me pater, sic ego uos amaui. Manete in amore meo. Si mea praecepta conseruaueritis, manebitis in amore meo: ut ego mei praecepta patris conseruaui, & in eius amore maneo. Haec uobis elocutus sum, ut & mea laetitia in uobis maneat, & uestra laetitia expleatur. Hoc meum est praeceptum, ut ametis inter uos, quomodo ego uos amaui. Maiore charitate nemo praeditus est, quàm si quis animam suam amicorum suorũ causa inpendat. Vos mei estis amici, si feceritis quaecunq; ego uobis praecipio. Non iam uos dico seruos, siquidem seruus nescit quid agat suus dominus. Vos autem amicos propterea dixi, quòd uobis omnia, quae audiui ex patre meo, declaraui. Non nos me elegistis, sed ego uos elegi, & eò destinaui, ut abeatis, & fructum feratis, uesterq; fructus duret, ut quicquid patrem per meum nomen poposceritis, id uobis concedat. Haec uobis praecipio, ut ametis mutuò. Si uos mundus odit, illud cognoscite quòd me prius quàm uos odit. Si mundani essetis, mundus amaret suum. Verùm quia mundani non estis, sed ego uos ex mundo elegi, ideo uos odit mundus. Memineritis eius dicti, quod ego uobis dixi: Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, & uos persequentur: Si orationi meae paruerunt, & uestrae parebunt. Verùm haec omnia uobis facient propter nomen meum: quoniam eum qui me misit, non norunt. Nisi ego uenissem, & eos allocutus fuissem, in peccato non essent. Nũc peccati sui excusationem nullam habent. Qui me odit, etiam patrem meum odit. Si non opera apud eos fecissem, qualia nemo fecit alius, non forent in peccato. Nunc & uiderunt, & oderũt & me & patrem meum. Sed confieri oportet illud, quod in eorum disciplina scriptum extat: Oderũt me immeritò. Cum autem uenerit confirmator, quem ego uobis à patre mittam, scilicet spiritus ueritatis, qui à patre proficiscitur, is de me testabitur: quin & uos testes estis, qui mecum fueritis ab initio.

Iohan. 13. d. Ephe. 5. a. 1. Thes. 4. b. C 1. Iohan. 3. c. b. 4. d. Matth. 11. Iohan. 3. Sup. 13. b. Mat. 10. c. Matth. 24. a. D Psal. 14. c. Luc. 24. g.

CAPVT XVI.

HAec uobis loquor, ne deficiatis. Priuabunt uos collegijs: atq; adeò tempus erit, cum omnes qui uos interficient, putabunt se cultum praestare Deo. quae quidẽ uobis ideo facient, quod neq; patrẽ, neq; me norũt. Atq; haec ideo uobis loquutus sum, ut cum tempus uenerit, memineritis eorũ, quòd ego uobis ea dixerim. Haec autem uobis ideo ab initio non dixi, quòd uobiscum erã. Nunc uerò proficiscor ad eũ qui me misit: nec quisquam me uestrûm interrogat, quò proficiscar: sed quoniam haec uobis locutus sum, animos habetis moeroris plenos. At ego uobis uerũ dico: E re uestra est, ut ego discedam. nisi enim discessero, confirmator ad uos non ueniet. Sin abiero, eum ad uos mittam: atq; ille ubi uenerit, mundum arguet de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato, quoniam mihi fidem nõ habent: de iustitia, quoniã ad patrẽ discedo, nec me uidebitis amplius: de iudicio, quoniã huius mundi princeps iudicatus est. Adhuc multa uobis habeo dicenda, sed quae nunc ferre nequeatis. Verùm cum uenerit ille, uidelicet ueritatis spiritus, praeibit uobis ad omnem ueritatẽ. Non enim sua sponte loquetur, sed quaecunq; audierit eloquetur, & futura uobis praenunciabit. Ille me illustrabit: siquidẽ de meo sumet, quae uobis exponat.

Omnia quæcunq; pater habet, mea sunt: propterea dixi illum de meo sumpturum esse, quę uobis exponat. Paulo pôst non uidebitis me, rursumq; paulo pôst cernetis me, quoniam ego ad patrem proficiscor. Tum eius discipulorum nonnulli sic inter sese dicere: Quid sibi uult, quòd nobis dicit, paulo pôst nō uisuros se, rursumq; paulo pôst aspecturos se? itemq;, se ad patrem proficisci? Hoc quid est, quod dicit, pau

C lo pôst? Nescimus quid loquatur. At Iesus intelligens, eos uelle interrogare se, sic eos affatus est: De eo inter uos contenditis, quòd dixi, uos paulo pôst non uisuros me, rursumq; paulo pôst aspecturos me. Hoc pro certo & indubitato habetote: uos flebitis ac lamentabimini, at mundus lætabitur: uos uerò dolebitis, sed do-

Ier. 31. lor iste uertetur in lætitiam. Mulier dum parit,

Luc. 4. Iohan. 16. in dolore est, quippe cuius hora uenerit: sed postquam puerum edidit, non iam meminit cruciatus, præ lætitia, quòd editus est in orbem homo. Vos quoq; nunc quidem in dolore estis: sed reuisam uos, uesterq; lætabitur animus,

Iohan. 14. b uestramq; lætitiam nullus uobis eripiet: ac tum

a. omnia perspicue scietis. temporis [a] nihil ex me sciscitabimini. Hoc uobis etiam etiamq; confirmo, quæcunq; à meo

Mat. 7. c. 21. d patre per meum nomen postulaueritis, datu-

Mar. 11. c rum esse uobis. Hactenus nihil per meum no-

Luc. 1. c. men petijstis: petite, & obtinebitis, ut plena sit

Luc. 11. b. uestra lætitia. Hæc uobis oratione figurata locutus sum: tempus erit, cum non iam per figu-

D ras uos alloquar, sed apertè uobis de patre meo disseram, quo quidem tempore per meum nomen postulabitis. Neque uerò uobis promitto, me uestra causa oraturum esse patrem: ipse enim pater diligit uos, quoniam uos me diligitis, & me creditis à Deo profectum. Profectus à patre ueni in mundū, rursum relinquo mundum, & ad patrem discedo. Tum eius discipu-

Iohā. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 15. li: Nunc tu quidem apertè loqueris, inquiunt ei, nec ulla orationis figura uteris. Nunc sci-

b. nulla de re posse te interrogari, quam nescias. mus, te omnia scire, [b] nec opus tibi esse ut te quis interroget. Hinc te à Deo profectum credimus. At Iesus contrà: Nunc creditis, inquit: atqui aduentat hora, & iam aduenit, cum alius aliò dissipabimini, & me solum relinquetis:

Matth. 19. b quamquam non sum solus, adest enim mihi pa-

Mar. 14. c. ter. Hæc uobis ideo locutus sum, ut in me acquiescatis. In mundo afficiemini cruciatu: sed bono este animo, ego uici mundum.

CAPVT XVII.

HAec effatus Iesus, sublatis ad cœlum oculis dixit: Pater, uenit hora, illustra tuum

Mat. 28. d filium, ut te tuus uicissim filius illustret: quemadmodum ei potestatem dedisti omnium mortalium, ut quoscunq; ei dedisti, ijs uitam det æ-

a. In hoc sita. tarnam. [a] Hæc est autem uita æterna, si te solum cognoscant uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Ego te in terris illustraui, opus absolui quod tu mihi faciendum mandaueras: tu nunc me pater, apud teipsum ea gloria illustra, qua apud te præditus eram, antequā mundus esset. Declaraui tuum nomen homi-

nibus, quos mihi tu ex mundo dedisti. Tui erant, & eos tu mihi dedisti, & ipsi tuæ orationi paruerunt. Nunc intelligūt, quæcunq; tu mihi dedisti, ea abs te esse. Nam quæ tu mihi uerba B tradidisti, ea & ego eis tradidi, & ipsi acceperunt, & me abs te profectum uerè cognorunt, & à te missum esse crediderunt. Ego de eis ro- Iohan. 14. go: non de mundo rogo, sed de ijs quos tu mihi dedisti. nam tui sunt, & mea omnia tua, & tua mea sunt: & in eis illustratus sum. nec iam sum Iohan. 1. 15 in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te uenio. Pater sancte, conserua per tuum nomen eos quos mihi dedisti, ut sint unum, sicut & nos. Dum cum eis in mundo eram, eos equidem tuo nomine conseruabam. Quos tu mihi dedisti, custodiui: nec eorum quisquam perijt, Psal. 108. b excepto homine perdito, ut quod scriptum est C fiat. Nunc uerò ad te uenio, & hæc in mundo loquor, ut meam lætitiam in sese plenam habeant. Ego eis tuum sermonem tradidi, & eos mundus odit, quòd mundani non sunt: quemadmodum ego mundanus non sum. Non oro ut eos ex mundo tollas, sed ut à Malo tueare. Mundani non sunt, quemadmodum ego mundanus non sum: santifica eos ueritate tua. Sermo tuus ueritas est. ut tu me in mundum misisti, sic eos ego in mundum misi: & eorum causa ego meipsum sanctifico, ut ipsi quoq; ueritate sanctificati sint. Neq; uerò de his solū rogo, sed etiā de eis qui per eorū sermonem mihi fidē habebunt, ut omnes unum sint, quemadmodū tu pater in me, & ego in te, ut ipsi quoq; sint in nobis unū: ut mundus me abs te missum fuisse credat. Ego quoq;, quam tu mihi gloriam dedi- D sti, eis dedi, ut sint unū, quomodo nos unum sumus: ego in eis, et tu in me, ut perfecti sint in unū, utq; cognoscat mūdus, me abs te missū, & eos à te amatos, quemadmodum me amasti. Pater, quos tu mihi dedisti, uolo ut ubi ero ego, ij quoq; sint mecum: ut meam uideant gloriam, quam tu mihi dedisti, quòd me ante mundum conditum amaueris. Pater iuste, te quidē mundus non nouit: at ego te noui, & hi me à te missum esse norunt, eis nomen tuum & declaraui & declarabo: ut amor, quo tu me amas, sit in eis, itemq; ego in eis.

CAPVT XVIII.

HIs dictis, Iesus profectus est unà cum suis Matth. 26. c discipulis trans torrētem Cedronem, ubi Mar. 14. c. hortus erat, in quem unà cum suis discipulis in- Luc. 22. d. trauit. Sciebat autem etiam Iudas, eius proditor, locum, quòd eò Iesus sæpenumero cum suis discipulis conuenerat. Igitur Iudas acce- Matt. 26. c. pta à pontificibus & Pharisæis cohorte ac mi- Mar. 14. c. nistris, uenit eò cum facibus ac funalibus, & ar- Luc. 22. c. mis. Tum Iesus omnia sibi euentura sciens, egressus dixit eis: Quem quæritis? Cui illi re- Quē quæritis? sponderunt, Iesum Nazarenum. Et Iesus: Ego is sum, inquit eis. Aderat autem cum eis etiam Iudas, eius proditor. Vt ergo dixit eis, ego is sum: illi retrorsum abierunt, & humi ceciderunt. Et ille rursus eos sic interrogauit. Quem quæ-

quæritis? Iesum Nazarenum, inquiunt. Et Ie-
sus respondit: Dixi uobis, eum esse me. Itaque si
me quæritis, sinite hos abire, scilicet ut illud e-
Sup. 17. c ius dictum comprobaretur: Quos tu mihi de-
disti, eorum ego nullum perdidi. Tum Simon
Petrus, stricto quem habebat gladio, seruum
pontificis percussit, eique dexteram abscidit au-
riculam. Ei seruo Malcus nomen erat. At Ie-
sus dixit Petro: Conde tuum gladium in uagi-
C nam: egóne ut quod mihi poculum dedit pa-
ter, non bibam? Igitur cohors, & tribunus, Iu-
dæorumque ministri, Iesum comprehenderunt,
Luc. 3. a. uinctumque ad Annam primùm adduxerunt.
Erat enim Caiaphę socer, qui erat eius anni pō
Iohan. 11. tifex. Erat Caiaphas is, qui Iudæis consuluerat,
expedire unum hominem perire pro populo.
Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, & al-
ter discipulus: qui quidem discipulus, quód e-
rat pontifici notus, ingressus est unà cum Iesu
Mat. 26. f. in pontificis atrium. Et cum Petrus foris pro fo
Mar. 14. f. ribus astaret, prodijt ille alter discipulus, qui pō-
Luc. 22. f. tifici notus erat, & à ianitrice ut Petrum intro-
mitteret obtinuit. Atque illa ianitrix ancilla sic
D Petrum alloquitur: Nónne tu quoque ex huius
hominis discipulis es? Non sum, inquit ille. A-
Petrus Ie- stabant autem serui & ministri pyræ, quam fe-
sum negat. cerant (erat enim frigus) & calefiebant: cumque
eis astabat etiā Petrus, ac calefiebat. Igitur in-
terrogatus à pontifice Iesus, de suis discipulis ac
doctrina, sic respondit: Ego palàm orbi locutus
sum: ego semper in collegio docui, atque fano,
quò Iudæi omnes conueniunt, neque quicquam
in occulto locutus sum. Quid me interrogas?
interroga eos qui audiuerunt, quid eis locutus
sim. ij enim sciunt, quæ dixerim ego. Hæc lo-
cuto Iesu, unus ministrorum, qui aderat, ei ala-
pam impegit, &: Siccine respondes pontifici?
Mat. 26. f. inquit. Cui Iesus: Si male locutus sum, inquit, te
Mar. 14. f. stificare de malo: sin bene, cur me cædis? Mise-
Luc. 25. f. rat autem eum Annas uinctum ad Caiapham
E pontificem. Simon Petrus autem astabat, ac ca
Mat. 26. g lefiebat, & quærētibus, num ipse quoque ex eius
Mar. 41. g discipulis esset, negauit, &: Non sum, inquit.
Luc. 21. fg Tum unus ex seruis pontificis, eius cognatus,
cuius Petrus absciderat auriculam, dixit: Nón-
Mat. 17 a ne ego te uidi in horto cum eo? At Petrus rur-
Mar. 15. a sum negauit, & continuò gallus cecinit. Igitur
Luc. 23. g Iesum à Caiapha ducunt ad prætorium, cū qui-
Iesus ad Pi- dem manè esset: nec ipsi in prætorium intrarūt,
latum du- ne polluerentur. Itaque Pilatus ad eos egressus
citur. est, & ita locutus: Quódnam crimē affertis con-
tra hunc hominem? Cui illi his uerbis respon-
F derunt: Nisi esset hic nocens, eum tibi non tra-
didissemus. Et Pilatus: Capite eum uos, inquit
eis, & ex lege uestra iudicate. At Iudæi: Nobis
non licet quenquam interficere, ut illud fieret,
Mat. 20. c. quod dixerat Iesus, significans qua morte mo-
riturus esset. Tum Pilatus rursus in prætorium
Mat. 27. b. ingressus, Iesum uocauit, eique dixit: Es ne tu rex
Mar. 15. a. Iudæorum? Cui Iesus respondit: Tuáne istud
Luc. 23. a sponte dicis, an alij tibi de me dixerunt? Et Pi-
latus: Quasi uerò ego sim Iudæus, inquit. Ipsi
tui populares & pontifices te mihi tradiderunt. G
Quid fecisti? Et Iesus: Regnum meū huius mū-
di non est: si huius mundi esset regnum meum,
pugnauissēt mei ministri, ne Iudæis addicerer,
Verùm meum regnū hinc non est. Ergo tu rex
es? inquit ei Pilatus. Cui Iesus: Est ut tu dicis
inquit, me esse regem. Ego eò natus sum, & eò
in orbem ueni, ut ueritatem tester. Quisquis à
ueritate est, uocem meā audit. Et Pilatus: Quid
est ueritas? Atque id locutus, rursus prodijt ad
Iudæos, eisque dixit: Ego nullum in eo crimen
comperio. Est autem uobis is mos, ut unum uo Mat. 27. c
bis in Pascha condonem. Vultis ergo, ut uobis Mar. 15 b.
Iudæorum regem condonem? At illi rursus u- Luc. 23. b
niuersi sic exclamarunt: Non istum, sed Barra-
bam. Erat autem Barrabas latro.

CAPVT XIX.

TVnc ergo cæpit Pilatus Iesum, ac uerbera Matth 27. e
uit: & milites implexā ex spinis coronam Mar. 15. e
imposuerunt eius capiti, eumque purpurea toga
induerūt, atque ita dicebant: Salue rex Iudæorū.
eique alapas impingebāt. Deinde rursus exit Pi-
latus, & illos sic alloquitur: En uobis eum forás
adduco, ut sciatis, me nullum in eo cōperire cri-
mē. Ac egresso forás Iesu, spineam coronā pur-
puream que togam ferente, dixit eis Pilatus: Ecce
homo. At pontifices & ministri eo uiso excla-
mare: Crucifige crucifige. Quibus Pilatus: Ca- B
pite eum uos, inquit & crucifigite. nam ego cri
men in eo non deprehendo. At Iudæi contra:
Nos legē habemus, inquiūt ei, ex qua lege no-
stra debet mori, quoniam se Dei filiū fecit. Hac
uoce audita, Pilatus magis timuit, & rursus in
prætorium ingressus, dixit Iesu: Vnde es tu? At
Iesus ei responsum nō dedit. Itaque Pilatus sic eū
affatur: Mihi non eloqueris? Nescis, me potestā
tem habere tui uel crucifigendi, uel absoluēdi?
Respondit Iesus. Non haberes ullam in me po
testatem, nisi id tibi supernè datū foret. Itaque qui
me tibi tradidit, in maiore culpa est. Ex eo stu-
debat Pilatus eū absoluere. At Iudęi reclamare,
Si istum absoluis, non es Cæsaris amicus: qui-
cunque se regē facit, contrauenit Cæsari. Hac au C
dita uoce, Pilatus Iesum forás eduxit, & pro tri-
bunali sedit, in loco qui Lapidipauium appella
tur, Hebraicè autem [a] Gabbatha: cum quidem a. editum, editus locus.
esset Paschæ pręparatio, hora ferè sexta. atque ita
Iudæos alloquitur: Ecce rex uester. At illi occla
mare: Tolle tolle, crucifige eum. Regē ego ue-
strum crucifigā? inquit eis Pilatus. Cui pontifi-
ces responderunt: Non habemus regē, nisi Cę-
sarem. Tum demū eum illis crucifigendū tra- Iesus in crucem agitur.
didit. Et illi Iesum acceptum abduxerunt: isque Mat. 37. d
suam ferens crucē, profectus est in locum Cal- Mar. 15. e
uariæ appellatū, qui dicitur Hebraicè Golgo Luc. 23. d
tha, ubi eum crucifixerunt, et unà cum eo hinc
atque hinc duos alios, Iesum autē medium. Scri- D
psit autē titulum Pilatus, quem cruci imposuit
in quo ita scriptū erat IESVS NAZARENVS
REX IVDAEORVM. Hūc titulū cum multi
Iudæorū legissent (nam prope urbem erat, is
locus, ubi in crucem sublatus est Iesus, & scri-

ptum erat Hebraicè, Grçcè, & Latinè) monuerunt Iudæorum pontifices Pilatum, ne scriberet Iudęorum regem, sed, qui se Iudæorum regem esse dixisset. At Pilatus respondit: Quod scripsi, scripsi. Igitur milites, postquam Iesum cruci affixerunt, eius uestimenta cæperunt, & ex eis quatuor partes fecerunt, singulis militi-

E bus unam: itemque tunicam. Erat autem tunica inconsuta, à summo tota contexta. Itaque commonuerunt inter sese, nõ esse diuidendam, sed de ea sortiendum, cuius esset: ut fieret quod in scripto illo habetur: Partiti sunt inter sese mea uestimenta, & super ueste mea sortem iecerũt.

Mat. 27.d *Mar. 15.b* *Luc. 23.c* *psal. 21.c*

Atque hæc quidem fecere milites. Astabant autem apud Iesu crucem, eius mater, & matris soror, Maria Cleophæ coniux, & Maria Magdalena. Iesus igitur conspicatus matrem, & astantem discipulum quem amabat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Atque ex illa hora recepit eam discipulus ad se. Postea sciens Iesus omnia iam

Iesu matrẽ Iohanni cõmendat.

F perfecta esse, ut perficeretur quod scriptum erat, dicit: Sitio. Iacebat autem ibi uas aceti plenum. Itaque illi oppletam aceto spongiam, & hysopo affixam, admouerunt eius ori. Et Iesus aceto sumpto, dixit: Peractum est: ac inclinato capite, emisit spiritum. Iudæi uerò, quandoquidem erat Præparatio, ne manerent in cruce corpora Sabbatho (erat enim celebris illa dies Sabbathi) Pilatum rogarunt, ut eorum crura frangerentur, ijque auferrentur. Itaque uenerunt milites, & primi quidem crura fregerũt, itemque alterius cũ eo crucifixi. Sed ubi ad Iesum uentum est, ut eum uiderunt iam mortuum, non fregerunt eius crura: sed unus militum lancea latus eius pupugit, ac continuò exijt sanguis & aqua. Atque hoc idem qui uidit testatur, estque

psal. 67. c.

Latronum crura franguntur.

Iohã. 20.11

G uerũ eius testimonium: isque se uera dicere scit, ut uos quoque credatis. Acciderunt enim hec, ut scriptum illud comprobaretur: Nullum eius os frangetis. Itemque aliud scriptum ait: Intuebuntur quem compunxerint. Postea rogauit Pilatum Iosephus ab Arimathæa (qui Iesu discipulus erat, sed ocultus, metu Iudæorum) ut Iesu corpus auferre sibi liceret: id quod permisit Pilatus. Accessit & Nicodemus (is qui prius Iesum noctu adierat) ferens myrrhæ & aloes misturam ad libras centum. Hi Iesu corpus cæperunt, & linteis cum aromatis obligarunt, ut Iudæis sepeliendi mos est. Erat autem in eo loco, ubi ille crucifixus fuit, hortus, & in horto monimentum nouum, in quo nemo adhuc positus fuerat. Illic igitur, propter Iudæorum Prę parationem, quoniam propè erat monimentum, posuere Iesum.

a Exo. 12. *b Num. 9.* *c. Zach. 12*

Num. 3.d *Iesus sepelitur*

CAPVT XX.

PRimo autem post Sabbathum die, Maria Magdalena manè uenit, cum adhuc tenebræ forent, ad monimentum, & saxum aspicit amotum à monimento. Itaque currit, & ad Simonem Petrum, atque ad alterum discipulum, quem Iesus amabat, uenit, eisque sic dicit: Sublatus est ex monimento Dominus, neque scimus ubi sit positus. Igitur egressus Petrus, & alter dicipulus, uenerunt ad monimentum. Ac currentibus simul ambobus, alter discipulus Petro celerius præcucurrit, priórque uenit ad moni-

Mat. 16.a *Luc. 24.a* *De Iesu resurrectione.*

B mentum, & introspiciens uidit quidem iacentia lintea, non tamẽ introgressus est. At Simon Petrus eum sequens uenit, & in monimentum ingressus, uidet iacentia lintea & sudariũ (quod super eius capite fuerat) nõ cum linteis iacens, sed seorsum in uno loco inuolutum. Tum demum intrauit etiam alter discipulus, qui prior uenerat, in monimentum: uiditque, & credidit, Nondum enim literas intelligebant, oportere eum ex mortuis resurgere. Itaque rursus a ad se

a. domum

C discesserunt discipuli. Maria uerò astabat apud monimentum, plorans extrà. Atque inter plorandum introspexit in monimentum, & aspicit duos ãgelos, albo uestitos, sedentes, alterum ad caput, alterum ad pedes, ubi positum fuerat Iesu corpus, qui sic eam allocuti sunt: Mulier cur ploras? Quibus illa: Quoniam, inquit, sublatus est meus Dominus, neque scio ubi sit positus. Atque hæc locuta, conuertit se in tergum, & aspicit astantem Iesum: nesciens esse Iesum.

D Et Iesus: Mulier, quid ploras? inquit ei, quem quæris? Illa holitorem esse putans, dicit ei: Domine, si tu eum abstulisti, dic mihi ubi eum posueris, ut ego eum auferam. Et Iesus dixit ei: Maria. Et illa conuersa, Rabboni, inquit: hoc est magister. Et Iesus: Ne me tange, nondum enim ascendi ad patrem meum, Sed adi fratres meos, eisque dicito, ascensurum me ad patrem meum & patrem uestrum, & Deum meum & Deum uestrum. Venit Maria Magdalena nũciatum discipulis, sese uidisse Dominũ, eumque illa dixisse sibi. Igitur cum esset uespera illo ipso die, qui proximus erat à Sabbatho, clausis præ Iudæorum metu, eius loci portis, ubi erant discipuli congregati, uenit Iesus, in medioque stetit. & eis dixit: b Saluete. Ac eo dicto, ostendit eis suas manus atque latus. Hic cum discipuli uiso Domino lætati essent, Iesus eos denuò sic allocutus est: Saluete. Quemadmodum misit me pater, sic ego mitto uos. Hoc dicto, afflauit, & eis dixit: Accipite spiritum sanctum. Si quorum peccata remiseritis, remissa erunt: si quo-

Luc. 24. *Iesus clausis portis, discipulis appret.*

b e. Hebraice, pax uobis.

Mat. 8.

F rum tenueritis, tenta erunt, Thomas autem unus ex duodecim, nomine Didymus, non erat cum eis quando uenit Iesus. Huic igitur alij discipuli dixerunt, uidisse se Dominum. Sed ille sic eis dixit: Nisi & in eius manibus clauorum impresionem uidero, & meum digitum clauorum uestigio, & manum lateri eius admouero, non credam. Deinde post dies octo, cum rursus essent intus eius discipuli, & Thomas

Thomas Iesum surrexisse non credit.

G cum eis, uenit Iesus, portis clausis, in medioque stetit, &: Saluete, inquit. Deinde Thomæ dicit: Affer hunc tuum digitum, & uide meas manus: tuámque manum affer, & meo lateri admoue: néue incredulus esto, sed credens. Et Thomas ei respondens dixit: Dominus meus, & Deus

& Deus meus. Cui Iesus: Quia uidisti me, Thoma inquit, credis: felices, qui non uiderint, & tamen crediderint. Et alia quidē multa mirāda fecit Iesus in conspectu suorum discipulorum, quæ non sunt in hoc libro scripta. Hæc autem scripta sunt, ut credatis Iesum esse Christum Dei filium: utq; credentes, uitam per eius nomen adipiscamini.

CAPVT XXI.

Mõstrat se Iesus apud Tiberiadis lacum.

Postea rursus mõstrauit seipsum Iesus apud Tiberiadis lacum. Monstrauit autem hoc pacto. Erant simul Simon Petrus & Thomas, qui Didymus appellatur: & Nathanael, is qui erat à Cana Galilææ: & Zebedæi filij, alijq; ex eius discipulis duo. His Simon Petrus dicit, se ire piscatum. Cui illi dixerunt, se quoque cum eo ituros. Profecti, protinus nauem conscenderunt, eaq; nocte nihil cæperunt. Vbi iam manè fuit, stetit Iesus in littore (neq; tamen Iesum esse sciebant discipuli) & eos sic alloquitur: Iuuenes, nunquid pulmentarij habetis? Nihil, respondent illi. Iacite rete, inquit eis, ad dexteram nauis partem, & inuenietis. Itaq; iecerunt, nec id iam extrahere poterant, præ piscium multitudine. Tum discipulus ille, quem Iesus amabat, dicit Petro: Dominus est.

B Et Simon Petrus, ut Dominum esse audiuit, indusium induit (erat enim nudus) seq; iecit in lacum. Alij uerò discipuli nauigio uenerunt (non enim longius aberāt à terra, quàm ad ducentos cubitos) trahentes rete piscium. Vt igitur ad terram descenderunt, uident humi prunas, & piscem ijs impositum, & panem. Et Iesus: Afferte (inquit eis) de piscibus, quos nunc cæpistis. Conscendit Simon Petrus, & rete traxit ad terram, magnis refertum piscibus, centum quinquaginta tribus: qui quamuis tot essent, non tamen ruptum est rete. Adeste (inquit eis Iesus) prandete. Nullus autem audebat discipulorum eum

C percontari quis esset, quòd sciebant Dominum esse. Igitur uenit Iesus, panemq; sumit, & eis dat, itidemq; piscem. Hic iam tertiùm apparuit Iesus suis discipulis, suscitatus ex mortuis. Deinde postquam pranderunt, dicit Iesus Simoni Petro: Simon Iohannide, amas me plus his? Cui ille: Etiam Domine, tu scis ut te diligam. Et ille: Pasce agnos meos. Itemq; iterum: Simon Iohannide, amas me? inquit ei. Cui ille: Etiam, Domine, tu scis ut te diligā. Et ille: Pasce meas oues, inquit. Itemq; tertiò: Simon Iohannide, diligis me? inquit ei. Hic Petrus ægrè ferens, illum ex se ter, an se diligeret, quæsiuisse, dixit ei: Domine tu nosti omnia, tu scis ut te diligam. Et Iesus: Pasce meas oues, inquit ei. Illud certò certoq; sic habeto: cum iuuenis esses, cingebas ipse te, & ibas quò uolebas. Sed ubi senueris, extendes tuas manus, & alius te cinget, ducetq; quò noles. Id autem dixit, significans quo letho ille Dei gloriam illustraturus esset. Atque hoc locutus, dicit ei: Sequere me. Et Petrus conuersus aspicit sequentem discipulum, quem amabat Iesus, eum qui in cœna eius pectori incumbens dixerat: Domine, quis est qui te proditurus est? Hunc intuitus Petrus, dicit Iesu: Domine, hic uerò quid? Cui Iesus: Si eum uolo manere donec ueniā, quid ad te? Tu sequere me. Itaque dissipatus est hic sermo inter fratres, discipulum illum nō esse moriturum. tametsi non dixerat illi Iesus, nō esse moriturum: sed, Si eum uolo manere donec ueniam, quid ad te? Hic est is discipulus, qui hæc testatur, & hæc scripsit, cuius nos testimonium uerum esse scimus. Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus: quæ si singula scribantur, ne ipsum quidem mundum scribendos hac de re libros capere posse arbitror.

Simon Iohannide, amas me? Iohā. 8.13 — *2. Pet. 1.c* — *Sup. 13.c* — *Supra 20.g*

ACTA APOSTOLORVM.

CAPVT I.



SVPERIOREM librum feci de omnibus, Theophile, quæ Iesus & facere & docere instituit, ad eum usque diem, quo, postquam Apostolis, quos elegerat, mandata per spiritum sanctum dedit, sursum latus est: quibus etiam seipsum uiuentem post suum supplicium, multis indicijs exhibuit, eis per quadraginta dies apparendo, & de Dei regno disserendo. Ac eos frequentando, mandauit eis, ne Hierosolymis discederent, sed patris promissum expectarent: quod ex me audiuistis, inquit, Iohannem quidem aqua baptizasse, sed uos sancto spiritu babtizandos esse, post dies hosce non multos. Atque illi quidem congregati, sic eum interrogarunt: Domine, an hac tempestate Israelitis regnū instauraturus es?

B Quibus ille: Non est uestrū, inquit, tempestates aut tempora nouisse, quæ pater in sua potestate posuit. Sed uim accipietis spiritus sancti, qui uos inuadet, mihiq; testes eritis & Hierosolymæ, & in tota Iudæa, ac Samaria, denique ad ultimas terras. Hæc fatus, spectātibus eis, sursum sublatus est, eumq; nubes subduxit eorum oculis. Ac dum eo abeunte, illi in cœlum contuentur, ecce duo uiri eis in uestibus albis astiterunt, qui ita dixerunt: Viri Galilæi, quid statis, in cœlum intuentes? Hic Iesus, qui istinc in cœlū receptus est, sic ueniet, quo pacto uidistis eum in cœlum discedentē. Tunc illi Hierosolymam redierunt, à mōte qui Olyueti appellatur, qui Hierosolyma a Sabbathi uiā abest.

C Ac postquam ingressi sunt, ascēderunt in cœnaculum, ubi solebant manere, Petrus & Iacobus, Iohannes & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholemæus & Matthæus, Iacobus Alphæi filius, & Simon Zelota, & Iudas Iacobi frater. Hi omnes uacabant una mēte precibus ac supplicationi,

Iohan. 14 — *Luc. 24* — *Iohā. 14.d* — *Mat. 3.c* — *Mar. 1.b* — *Luc. 3.c* — *Iohan. 1.d* — *Infra 2.a.11* — *c. 19.a* — *Mat. 18* — *Iesus in cœlum ascendit.* — *Luc. 24.g* — *à duo milia passuum*

tioni, cum fœminis, & Maria Iesu matre, cumque Iesu fratribus. Ac per eos dies surrexit Petrus in medio discipulorum (cum quidem esset ibidem b capitum numerus ad centū uiginti) & in hunc modum uerba fecit: Homines fratres, oportebat illud literis mandatum fieri, quod sanctus spiritus ore Dauidis prædixit, de Iuda, eo qui se ducem præbuit ijs qui Iesum comprehenderūt, qui Iudas in nostrum numerum ascitus, hanc functionem sortitus erat. Is quidem iniustitiæ mercede agrum comparauit, & suspensus crepuit medius, effusaque sunt eius omnia uiscera: id quod omnibus Hierosolymæ incolis notum factum est, ita ut appellatus sit ager ille uernacula eorum lingua, Haceldama, hoc est ager sanguinis. Scriptum est enim in Psalmorum libro: Fiat eius habitatio deserta, neque sit qui in ea habitet, eiusque munus excipiat alius. Quapropter oportet unum eorum uirorum (qui nobiscum toto eo tempore uersati sunt, quo nobiscum consuetudinem habuit Dominus Iesus, usque à Iohannis baptismate, ad eum diem quo nobis subductus est) eius resurrectionis testē unà nobiscum fieri. Tum duos statuerunt, Iosephum nomine Barsabam, qui cognominatus est Iustus, & Mathiam, atque his uerbis orarunt: Tu, Domine, qui omnium mentes perspicis, ostende, utrum horum destinaueris subeundæ huius muneris & legationis sorti, ex qua Iudas excidit, ut iret in suum locum. Deinde eorum sortes iecerūt: designauitque sors Mathiam, atque is ad undecim Apostolos cooptatus est.

b. In Græco, nominum.
Petri oratio de surrogando aliquo in Iudæ locum.
Iohan. 18.a
Mat. 27.a
Psal. 40.c
D
Psal. 68.c 108.b

CAPVT II.

VT autem peruentum est ad diem a quinquagesimæ, cum omnes simul essent eodem in loco, extitit repentè de cœlo sonus, quasi uehementis flatus ruentis, totamque domū repleuit, ubi sedebant: eisque conspectæ sunt diuiduæ quædam quasi ignis linguæ, qui eorū unicuique insedit: repletique sunt omnes sancto spiritu, & diuersis loqui linguis cœperunt, prout eis spiritus fari dabat. Erant autē Hierosolymæ habitantes Iudæi, homines religiosi, ex omnibus quæ usquam sub cœlo sunt gentibus. Igitur eius rei dissipata fama, uulgo conuenire, & confusi esse, quod eos sua quisque uernacula lingua loquentes audiret. Itaque attoniti omnes mirabantur, & sic inter sese dictitabant: Nonne omnes
B
hi, qui loquuntur, Galilæi sunt? Ecquid est, quod nostrûm quisque uernaculam sibi linguam natiuamque audiat? Parthi, Medi, Elamitæ, Mesopotamiæ incolæ, Iudææque, & Cappadociæ, Ponti & Asiæ, Phrygiæ & Pamphiliæ, & Aegypti, & eius Libyæ partis quæ est secundum Cyrenem, & peregrinantes Romani, tum Iudæi, tum asciti, Cretensesque & Arabes, audimus eos rerum diuinarum amplitudinem nostris linguis eloquentes. Ita attoniti dubitabant omnes, & sic inter sese dictitabant: Quid hoc sibi uult? Alij deridentes, dicebāt, eos b uini esse plenos. At Petrus astans, unà cum undecim, ad eos orationem habuit in hæc uerba: Homines Iudæi, & Hierosolymæ incolæ omnes, hoc cognoscite, & mea dicta attendite. Non sunt hi temulenti, ut uos opinamini (est enim hora diei tertia) sed hoc est quod à Ioele uate dictum est: Atque ultimis temporibus (inquit Deus) perfundam meo spiritu omne genus hominum, uaticinabunturque uestri filij & filiæ: uestri & iuuenes uisiones uidebunt, & senes somnia somniabunt: quin & meos seruos & ancillas illis temporibus meo spiritu perfundam, ita ut uaticinentur, daboque & suprà in cœlo prodigia, & infra in terra ostenta, sanguinem, ignemque, & fumi exhalationem. Sol in tenebras uertetur, & luna in sanguinem, antequam ueniat Domini dies ingens ac insignis. Ac quicunque Domini nomen inuocauerit, seruabitur. Viri Israëlitæ, audite hęc dicta: Iesum Nazarenum, uirum uobis à Deo repræsentatum portentis, miraculis, prodigijs, quæ per eum Deus in medio uestrûm fecit, ut ipsi quoque scitis: hunc uos definito Dei consilio & prouidentia traditum, scelestis manibus comprehendistis, & ad palum alligatum sustulistis: quem Deus, lethi doloribus solutis,
D
reuocauit in uitam, quatenus fieri non poterat ut à morte teneretur. Dauid enim dicit de eo: Propositum mihi Dominū semper habeo, qui mihi dexter adest, ita ut non labefiam. Itaque non tantum animo lætor, & lingua exulto, uerùm etiam ipsum corpus meum cōfidenter degit: quoniam tu animam meam non relinques in Orco, neque committes ut pius tuus corruptionem patiatur. Ostendes mihi uitæ uias: me in tuo conspectu uoluptate complebis. Homines fratres, si licet apud uos liberè de summo patre Dauide loqui, is & obijt, & sepultus est, eiusque monimentum apud nos ad hanc diem extat.
E
Sed cum uates esset, & sciret Deum sibi iureiurando promisisse, sese ex eius lumborū fœtu, quod ad carnem pertinet, suscitaturum esse Christum, & in eius solio collocaturū, præscius Christi resurrectionis, dixit, eius nec animam in Orco relinquendam, nec corpus corruptionem esse passurū. Hunc Iesum suscitauit Deus, cuius nos omnes sumus testes. Is Dei dextera euectus, sanctique spiritus promissum à patre consecutus, effudit hoc, quod uos nunc cernitis & auditis. Non enim Dauid ascendit in cœlos, sed ille ipse sic loquitur: Ait Dominus Domino meo, sede ad meam dexteram, donec tuos hostes effecero scabellum pedum tuorum. Quare hoc certò cognoscat omnis Israelis posteritas, Dominum & Christum factum à Deo esse hūc
F
ipsum Iesum, quem uos in crucem egistis. His auditis, illi animo compuncti, Petrum & cæteros Apostolos sic alloquuntur: Quid agemus, uiri fratres? Et Petrus: Redite ad frugem, inquit eis, & baptizemini cuncti in Iesu Christi nomine, ad peccatorum ueniam, & donum sancti spiritus assequemini. Ad uos enim pertinet promissio, & ad uestros natos, & ad omnes remotiores, quoscunque aduocauerit Dominus Deus noster. His ille alijsque pluribus uerbis eos commo-

a. Græcè Pentecostes.
Discipulos linguis docet spiritus.
Infrà 11.b
b. In Græco, musti: sed mustū nō inebriat, & pro uino dicitur.
Petri de linguis oratio.
C
Ioel 2.g
Rom. 10.c
Psal. 15.c
3. Reg. 2.b
Psal. 131.c
Psal. 15.c
Infrà 13.c
Psal. 109.a

commonuit, & ut ex eo peruerso hominum genere euaderent, cohortatus est. Atque illi eius oratione auidè admissa, abluti sunt, & accesserunt eo die hominum capita ad tria millia: uacabantque Apostolorum doctrinæ, communioni, panisque frangendo, & supplicationibus. Atque omnes homines metu perculsi sunt, multáque portentosè & prodigiosè per Apostolos fiebãt.
G Omnes autem credentes, degebant unà, habebantque omnia communia, & suas copias ac facultates uendebant, omnibusque prout cuique opus erat dispertiebant. ac quotidie simul assidui in fano, panemque mansionatim frangẽtes, cibũ capiebant, cum lætitia animique simplicitate, laudantes Deum, & apud cunctum populum ualentes gratia. Dominus uerò seruandos quotidie addebat ecclesiæ.

CAPVT III.

Ascendebant autẽ Petrus & Iohannes aliquando simul in fanum, ad horam supplicationis, uidelicet nonã: & quidam uir, qui ab aluo matris claudus erat, portabatur, qui quotidie ad fani portam, quæ Speciosa dicitur, ponebatur, ut ab ijs stipem peteret, qui in fanum intrarent. Is Petrum & Iohãnem in fanum intraturos conspicatus, rogabat ut sibi benignè facerent. At Petrus comitante Iohanne illum intuitus, dixit: Aspice nos. Cumque ille in eos intentus, sese aliquid ab eis accepturum speraret, Petrus sic est locutus: Nec argentum mihi, nec aurum est: sed quod habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. eumque dextera manu prehensum alleuauit. Atque ille, continuò confirmatis eius cruribus atque talis, exiliens consistit, & ambulat, cumque eis in fanũ intrat, incedens & saliens, Deumque
B laudans. Eum ut uidit cunctus populus ingredientem, Deumque laudantẽ & eum esse agnouit, qui ad Speciosam templi portam ob stipem sedere solitus esset, impleti sunt admiratione & stupore, de eo quod illi acciderat. Itaque retinente Petrum & Iohannem sanato claudo, cõcurrit ad eos cũctus populus in porticum, quæ Solomonia uocatur, attoniti. Quo uiso, Petrus sic ad populum uerba fecit: Homines Israelitę, quid hoc admiramini, aut quid in nos intuemini, quasi priuatis uiribus aut pietate effecerimus, ut hic incederet? Deus Abrahami, & Isaaci, & Iacobi, Deus maiorũ nostrorum, illustrauit filiũ suum Iesum, quem uos prodidistis, & coram Pilato inficiati estis, cum ille iudicasset absoluendum. At uos sancto & innocente repudiato, hominem homicidam uobis condonari petijstis, uitæ uerò authorem occidistis: quem Deus excitauit à mortuis, cuius nos te-
C stes sumus: cuiusque nominis fiducia, cuius inquam nomine hic quem uidetis & nostis, corroboratus est, & illius confidentia hanc in uestro omnium conspectu incolumitatem consecutus. Et nunc fratres, scio uos per imprudentiam fecisse, ut etiam uestros magistratus: sed Deus, quæ suorum tot uatum ore prænunciauerat passurũ esse Christum, ea hoc modo perfecit. Quamobrem ad sanitatẽ reuertimini, & uos corrigite, ut deleantur uestra peccata, dum recreationis tempora ueniant à Domino, cum prænunciatum uobis Iesum Christum mittet, quem oportet cœlo capi usque ad tempora instaurationis omnium, quæ tempora Deus tot suorum sanctorum ore uatum iam olim fatus D
est Moses enim maioribus ita dixit: Vatem uobis suscitabit Dominus Deus uester ex uestra consanguinitate, mei similem: ei obedietis ad omnia quæ uobis dixerit. Ac quisquis hominum uati illi non obediuerit, is ex populi numero tolletur. Itemque tot uates, qui à Samuele deinceps fuerunt, qui hæc tempora prædixerunt ac denunciarunt. Vos estis ex uatibus orti, & in eo fœdere comprehẽsi, quod fecit Deus cum maioribus nostris, dum dixit Abrahamo, per eius semen felicitandas esse omnes terrarũ nationes. Vobis primùm Deus suscitatum puerum suum misit, qui uos felicitet, si à suis quisque uitijs desciscatis.

CAPVT IIII.

Eis ad populũ uerba facientibus, præstò fuerunt pontifices, & fani antistes, ac Sadducæi: ægrè ferentes quòd illi populum docerent, & per Iesum ex mortuis resurrectionem nunciarent. Itaque eis manus iniecerunt, & eos in custodiam ad posterum diem dederunt, quòd erat iam uespera. Multi autem eorum qui illam orationem audiuerant, crediderunt: quorum fuit uirorum numerus ad quinque millia. Postridie cõuenerunt eorum magistratus, & Scribæ, Hierosolymam, & Annas pontifex, & Caia- B
phas, & Iohannes, & Alexander, ac quotquot erant ex genere pontificio: atque illis in medio collocatis, sciscitati sunt, quãnam potestate, aut quo nomine illud fecissent. Tum Petrus, sancto spiritu repletus, ad illos sic uerba fecit: Magistratus populi, & Israelitarũ senatores, si nos hodie de collato in hominem infirmum beneficio interrogamùr, quãnam re is sanatus sit: hoc uobis & cuncto Israelitarũ populo notum esto, hunc per nomen Iesu Christi Nazaræi, quem uos crucifixistis, quẽ Deus excitauit ex mortuis, per hoc inquam hunc astare in uestro conspectu sanum. Is est lapis ille à uobis ædificãtibus reiectus, qui adhibitus est ad caput anguli: nec est in ullo alio salus, nec ullum aliud nomen est sub cœlo apud homines datum, per quod seruandi simus. Hic illi Petri Iohannisque C
confidentiam spectantes, & homines illiteratos ac imperitos esse animaduertentes, mirabantur, & eos Iesu comites fuisse recognoscebant. Hominem autẽ cernentes cum eis astantem, eum qui curatus fuerat, nihil quod contradicerent, habebant. Igitur illis ex concilio digredi iussis, huiusmodi uerbis inter sese contulerunt: Quid faciemus his hominibus? Nam conspicuum ab eis prodigium esse factum, omnibus Hierosolymæ incolis manifestius est, quàm ut inficiari possimus. Verùm ne hoc latius di-

Margin notes: *Claudus à Petro sanatus.* — *Petri oratio de sanato claudo.* — *Matt. 27. Mar. 15.b Luc. 23.c Iohan. 18.g* — *Deut. 18.c* — *Genes. 12.a* — *Apostoli in carcerẽ coniiciuntur.* — *Mat. 21.d Mar. 12.a Luc. 20.c Esa. 28.d Psal. 117.d 1. Pet. 2.a Rom. 9.g*

tius di-

tius dimanet in uulgus, minemur eis ne amplius hoc nomine cuiquā mortalium uerbum faciant. D Itaque illis euocatis edixerunt, ne omnino uocem mitterent, néue docerent nomine Iesū. At Petrus & Iohannes sic eis responderunt: Vtrum apud Deum æquum sit, uobis optemperare potius, quàm Deo, dijudicate. Nos enim quæ & uidimus & audiuimus, ea non eloqui non possumus. Illi uerò interminati dimiserunt eos, nullam eorum puniendi rationem inuenientes, propter populum, quòd omnes eam ob rem Deo gratias agebant. Erat enim annos natus magis quadraginta is homo, cui illud sanationis prodigium contigerat.

E Illi dimissi, ad suos se contulerunt: & quæ sibi pōtifices & senatores dixissent, retulerūt. Quibus auditis, illi uocem uniuersi ad Deum sustulerunt, & ita dixerūt: Domine, tu Deus es, qui cœlum, & terram, & mare, quæq; in eis insunt omnia fecisti, qui tui Dauidis ore sic dixisti:

Psal. 2

Quid tumultuantur gentes? populi uana conantur? Conspirant orbis reges, coëuntq; optimates, contra Dominum, contraq; eius Vnctum?

Luc. 23. d

Coierunt enim profectò aduersus sanctū tuum puerum Iesum, quem unxisti, Herodes, & Pon-

F tius Pilatus, cum gentibus & populis Israeliticis, facturi quæcunq; tu tua manu consilioq; facienda destinasti. Quamobrem, Domine, aspice minas eorum, tuisq; da, cum omni libertate tuum sermonem eloqui, manum tuam extendendo ad sanationes, prodigia & ostēta facienda, per nomen tui sancti pueri Iesu. Illis comprecatis, cōtremuit locus, in quo erant congregati: repletiq; sunt omnes sancto spiritu, diuinumq; sermonem liberè eloquebātur.

Christianorum omnia communia.

Erat autem multitudinis eorum qui crediderunt, una mens, unusq; animus: neq; quisquam suarum facultatum quicquam suum esse dicebat, sed e-

G rant eis omnia communia: magnaq; ui dabant Apostoli testimonium resurrectionis Domini Iesu, & erāt omnes magna præditi gratia. Nec enim quisquam in eis erat egenus. nam quotquot prædia aut domos habebant, uendebant, & uenditorū precia afferebant, & ad pedes ponebant Apostolorum. Distribuebātur autem, prout cuique opus erat. Ac Ioses, is qui Barnabas ab Apostolis, hoc est filius consolationis, cognominatus est, Leuita, natu Cyprius, quem habebat fundum, uendidit, pecuniamq; attulit, & ad Apostolorum posuit pedes.

CAPVT V.

Ananias & Sapphira.

QVidam uir autē, Ananias nomine, cum Sapphira coniuge sua, possessionem uendidit: & detracta precij parte, uxore cōscia, partem aliquam attulit, & ad pedes Apostolorum deposuit. At Petrus: Anania, inquit, cur tuum animum impleuit satanas, ut sancto spiritui mētireris, & de prædij precio detraheres? a Nónne tibi manebat, & uenditum in tua potestate erat? Téne istam rem in animum induxisse tuum? non tu hominibus, sed Deo mentitus es. His uerbis auditis, Ananias corruit, & exanimatus est, quæ quicunq; audiuerunt, magno sunt timore perculsi. Tum iuuenes surrexerunt, & illum constrinxerunt, ac elatum sepeliuerunt. B

a. Nemo te uel uendere, uel precium afferre cogebat.

Deinde interiecto trium fermè horarum spacio, eius uxor ignara rei, ingressa est, & eā Petrus sic allocutus est: Dic mihi, an tanti prædium addixeritis. Etiam (inquit illa) tanti. Cui Petrus: Vósne, inquit, ad Domini spiritū tentandum conspirasse? scito, eorū qui uirum tuum sepelierunt, pedes esse pro foribus, qui te efferant. Atq; illa protinus ad illius pedes corruit exanimis. & adolescentes ingressi, mortuamq; nacti, extulerunt, & apud eius uirum sepelierunt. Itaque metus ingens totam Ecclesiam, & omnes hæc audientes peruasit. Apostolorum autē opera multa uulgo monstrose prodigioseq; fiebant (erant autē unà omnes in Solomonis porticu, nec eis sese cæterorum quisquam audebat adiungere, sed eos magni faciebat populus. Accedebat autem magis magisq; qui Domino crederent, ingens tum uirorum tum fœminarum multitudo) adeò ut per uicos exportarent ægrotos, inq; lectis & grabatis deponerēt, ut uenientis Petri uel umbra aliquem eorum inumbraret. Conueniebāt etiam uulgo ex finitimis urbibus Hierosolymam, adducentes ægrotos, & ab immundis spiritibus uexatos, qui curabantur omnes. Itaq; surrexit pontifex, & omnes eius gregales (quæ Sadducæorum secta est) & inuidiæ pleni, manus Apostolis iniecerunt, eosq; in custodiam publicam de- D

C *Apostolorū, & maximè Petri miracula.*

derūt. Sed Domini angelus noctu carceris portas aperuit, & eductis eis dixit: Ite, & in fano manentes, eloquimini populo hæc omnia uerba uitalia. Hoc audito, illi sub diluculū ingressi in fanum, docent. Pontifex autem, & eius gregales, adfuerunt: & concilio omniq; Israelitarū senatu cōuocato, miserunt in carcerem qui eos adducerent. At ministri, postquā eò uenerunt, nec eos in custodia inuenerunt, reuersi sunt, & se carcerem quidem diligentissimè clausum cōperisse renunciarunt, & custodes foris ante portas astātes: sed cum aperuissent, intus inuenisse neminē. E

Apostolos ex carcere educit Angelus.

His uerbis auditis, summus sacerdos & fani antistes, ac pontifices, de eis ambigebāt quidnam id esset. Interea aduenit quidam, qui eis nunciauit, uiros illos quos in custodiam dedissent, esse in fano, & ibi plebem docere. Tum eò profectus antistes cum ministris, eos adduxit, non ui: metuebant enim, ne ipsi à plebe lapidarentur. Ita adductos statuerunt in concilio, eosq; pontifex huiusmodi oratione interrogauit: Nónne uos uetuimus isto nomine docere? Atqui repleuistis Hierosolymam doctrina uestra, & uultis in nos illius hominis sanguinem deriuare. Tum Petrus & Apostoli sic respōderunt: F Parendum Deo magis est, quàm hominibus. Deus maiorū nostrorum Iesum suscitauit, quem uos in patibulo suspensum interfecistis. Hunc Deus ductorē seruatoremq; sua dextra extulit, ad conciliandum Israelitis uitæ correctionem, peccatorumq; ueniam. Et nos sumus ei testes

Parendum Deo magis quàm hominibus.

ei testes harum rerum, sanctusq; spiritus, quem Deus ei obedientibus impertiuit. His illis auditis uerebantur, & de eis interficiendis deliberabant. Sed surrexit quidam in concilio Pharisæus, nomine Gamaliel, legisperitus, qui apud omnem populũ erat in honore. Is iussit Apostolos paulisper foras exigi. deinde sic ad illos orationem habuit: Viri Israëlitæ, dispicite de uiris his, quid eis sitis facturi. Nã superiorib. diebus extitit Theudas, qui sese dicebat esse aliquem,

Gamalielis pro Apostolis oratio.

G cum quo homines ad numerum quadringentorum sese coniunxerunt. Et is occisus est, & quotquot ei parebant, deleti, & ad nihilum redacti. Post hunc extitit Iudas Galilæus tempore professionis, multumq; ad sese hominum traduxit. Sed & is perijt: & omnes qui ei obtemperabant, profligati sunt. Nunc quoque uobis suadeo, ut uobis ab his hominibus temperetis, eosq; missos faciatis. Si enim ab hominibus est hoc consilium atq; opus, abolebitur: sin à Deo est, id abolere non potestis, ne fortè cum Deo pugnare comperiamini. Huic illi obtemperarunt, & accersitos Apostolos uerberarunt, eisq; ne Iesu nomine loquerentur, interdixerunt, atque ita eos dimiserunt. Illi uerò ex concilio læti discedunt, quòd digni habiti essent, qui propter eius nomen afficerentur ignominia: ac quotidie & in fano & intra parietes, docere, & Iesum Christum nunciare, non intermittunt.

Apostoli uapulant.

CAPVT VI.

PEr eos dies crescente discipulorum numero, extitit Græcanicorũ aduersus Hebræos fremitus, quòd eorum uiduæ in quotidiano ministerio prętermitterentur. Itaq; duodecim, conuocata discipulorum multitudine, sic uerba fecerunt: Non placet, nos omisso Dei sermone, ministrare mensis. Quocirca, fratres, dispicite homines ex uobis bene audientes septem, sancto spiritu sapientiaq; plenos, quibus hoc negocium mandabimus: nos uerò in precibus & ministerio sermonis erimus assidui.

Græcanicorum & Hebræorum dissidiũ ob uiduas.

B Placuit hæc oratio uniuersæ multitudini: elegeruntq; Stephanum, uirum fidei spiritusq; sancti plenum, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenã, & Nicolaum aduentitium Anthiochenum, quos in Apostolorum conspectu statuerũt: qui comprecati, manus eis imposuerunt. Ita augebatur diuinus sermo, crescebatq; discipulorum numerus Hierosolymæ uehementer, ingensq; sacerdotum multitudo fidei obediebat. Stephanus uerò fidei po

Stephanus.

C tentiæq; plenus, miracula prodigiaq; magna uulgo faciebat. Cumq; extitissent quidam ex eo collegio, quod Libertinorum appellatur, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, Cilicumq; & Asianorum, qui cum Stephano contenderent, non poterant sapientiæ & spiritui, quo loquebatur, resistere. Itaq; allegarunt homines, qui se eum impiè de Mose, deq; Deo loquen-

D tem audiuisse dicerent: commoueruntq; populum & senatores, atq; Scribas, & eum inuaserunt: correptumq; in concilium duxerunt, ac falsos testes immiserunt, qui ita dicerent: Hic homo non desinit impia contra sacrum hunc locum, contraq; legem loqui. Audiuimus enim, eum dicere, Iesum illum Nazarenum deleturum esse hunc locum, & traditos nobis à Mose ritus mutaturum. Tum omnes qui in concilio sedebant, contuentes in eum, uiderunt eius faciem qualis est angeli facies.

CAPVT VII.

ET Pontifex ita dixit, Siccine se res habet? Tum ille huiusmodi orationem habuit: Viri fratres & patres, audite. Deus gloriosus apparuit patri nostro Abrahamo, cum esset in Mesopotamia, antequam Charræ habitasset, eique iussit ut ex sua patria ac cognatione migraret, in terramq; ueniret, quam ipse ei ostensurus esset. Tum ille ex Chaldæorum terra profectus, Charræ habitauit. & illinc eum, mortuo eius patre, Deus in hanc terram transtulit, quam uos nunc incolitis, in qua nullam ei possessionẽ tradidit, ne uestigiũ quidem pedis: & tamen promisit eam sese ei possidendam daturum, eiusq; post eum soboli, cum liberos non haberet. Locutus est autem Deus ad hunc mod[...]: fore eius posteros in aliena terra peregrinos, & seruitute pressum atq; afflictum iri annos quadringentos. Sed illam gentem, cui seruient, puniã ego, inquit Deus: exibuntq; postea, & me hoc ipso in loco adorabunt. Inijt autem cum eo fœdus circumcisionis. Is genuit Isaacum, eumq; octauo die circuncidit. Isaacus Iacobũ, Iacobus duodecim sommos patres. Summi patres inuidia adducti, Iosephum in Egyptum ducendũ uendiderunt. Atq; ei Deus adfuit, eumq; ex omnibus angustijs eripuit, & ei tãtam apud Pharaonem, Aegypti regem, gratiam ac sapientiã conciliauit, ut ille Aegypti totiusq; domus suæ administrationem mandaret. Deinde tanta per uniuersam Aegyptum ac Chananæam orta fame, ac angustia, ut alimenta non inuenirent maiores nostri, Iacobus audiens esse in Aegypto frumenta: maiores nostros eò primùm misit: estq; Iosephus altero itinere fratribus suis agnitus, eiusq; genus Pharaoni declaratum. Tum Iosephus patrem suum Iacobum, & totam cognationem ad capita septuaginta quinq;, curauit accersendam. Ita descẽdit Iacobus in Aegyptum, ubi cum obijsset ipse & maiores nostri, Sichemam translati sunt, & in sepulchreto siti, quod Abrahamus argenti precio à filijs Emoris Sichemi filij emerat. Interea instante promissi tempore, de quo Deus Abrahamo iurauerat, crescebat populus in Aegypto multiplici numero: donec extitit rex alius, qui Iosephum non nouerat. Is genus frustrando nostrum, maiores nostros eò usq; aflixit, ut eorum infantes exponendos curaret, ne propagarentur. Quo quidem tempore natus Moses Deo fuit acceptus: quem domi paternæ tres menses enutritum, deinde expositum, Pharaonis filia sustulit, & pro filio educauit. Institutus est autẽ Moses

Stephani oratio. *Gen. 12. a* *Gen. 13. b. c* *Gen. 15. c. d* *Gene. 17* *Genes. 21. a. 25. c. 29. f. g 30. a et 35. a* B *Gen. 37. f* *Sap. 10* *Gen. 41. e* *Gen. 42. a* *Gen. 45. a* *Gen. 46. a* *Gen. 49. d* *Gen. 50. b* *Exo. 1. a* C *Exod. 2. a*

GG in omni

in omni Aegyptiorum doctrina, fuitque factis dictisque potens. Vt autem quadragesimũ agebat ætatis annũ, uenit ei in mentem consanguineos [Exod.1.b] suos Israëlitas uisere: cumque uidisset quendã iniuria affici, eum defendit, & eius iniuriam cæso Aegyptio ultus est. Arbitrabatur autem, consanguineos suos intelligere, Deũ eis per ipsum salutẽ daturũ esse: id quod illi non intellexerunt. [Exod.2.c] Postero die certantibus superuenit, & pacẽ inter eos cõciliare conatus est huiusmodi uerbis: Viri, fratres estis uos, cur alter alterum læditis? [D] Sed qui alteri faciebat iniuriam, eum repulit, ita dicens: Quis te nobis principem & iudicẽ cõstituit? num me uis interficere, quomodo heri Aegyptium interfecisti? De eo dicto Moses aufugit, & in Madianitide peregrinatus est, ubi duos filios genuit. Ac peractis annis quadraginta, ap- [Exod.3.a] paruit ei in solitudine montis Sinæ angelus Domini, in ignea flãma rubi. Quod spectrum uidens admiratus est Moses. Ac eo ad uisendum accedẽte, extitit hæc ad eum Domini uox: Ego sum maiorum tuorũ Deus, Abrahami Deus, & Isaaci Deus, & Iacobi Deus. Hic tremefactus Moses, non audebat intueri. & Dominus dixit ei: Detrahe tibi calceos de pedibus. nam locus, in quo tu stas, sacra terra est. Vidi mei populi miseriam, qui est in Aegypto, eorũque gemitum audiui: itaque ad eos liberandos descendi. Proinde nunc ades, ut te mittam in Aegyptum. Hũc Mosem, quẽ illi repudiauerant, quærentes quis eum principẽ & iudicẽ cõstituisset, hunc ipsum [E] Deus principẽ & liberatorem misit, ductu angeli, qui ei in rubo apparuerat. Hic eos edu- [Exo.7.8.9.10.11.14] xit, miraque & portentosa fecit tum in Aegypto & mari rubro, tum in solitudine, annos quadra- [Exo.16.a] ginta. Hic est ille Moses, qui dixit Israëlitis: Va- [Deut.18.c] tem uobis suscitabit Dominus Deus uester ex consanguinitate uestra, mei similem, eum audie- [a. Scilicet Israelitarũ.] tis. Hic ille est, qui in [a] multitudine fuit in soli- [Exod.19.a] tudine cum angelo, qui cũ eo locutus est in mõte Sina, cumque maioribus nostris: qui uitalẽ sermonem nobis tradendum accepit: cui dicto audire noluere maiores nostri, sed eo repulso, ani- [Exod.32.a] mis sese in Aegyptum conuerterunt, & ab Aharone petiuerunt ut sibi faceret deos, qui se antecederent: nam Mosi illi, à quo essent ex Aegypto educti, sese nescire quid accidisset. Itaque uitulum eo tempore fecerunt, & sacrificium simulacro peregerunt, ac suarum manuum operibus delectati sunt. Ideoque auersus Deus, eos ad cultum copiarum cœlestium prolabi siuit, quemad- [Amos.5.g] modũ in uatum libro scriptum est: Nunquid mihi uictimas & sacrificia obtulistis per annos qua- [F] draginta in solitudine, domus Israëlis? An non adhibuistis Molochi tabernaculũ, Rephanisque Dei uestri sidus, quæ uos simulacra fecistis ad adorandum? Itaque uos ego transferã ultra Babylonem. Oraculi tabernaculũ habuere maiores [Exo.25.d] nostri in solitudine, sicuti statuerat is qui Mosi [Heb.8.b] iussit ut id faceret ad exemplum, quod uidisset: [Iosu.3.c.d] quod acceptum maiores nostri unà cum Iosua introduxerunt tum, cum fines occuparunt earum gentium, quas Deus eorum causa extermi- nauit: donec ad Dauidis tempora uentum est, [1.Reg.13.c] qui usus Deo secundo, uoluit domicilium inue- [Psal.132.c] nire Deo Iacobeorum. Solomo autem ei ædem [3.Reg.6.a] ædificauit. Sed non in templis manufactis habitat Supremus, quemadmodũ dicit uates: Cœ- [Esa.66.a] lum mihi sedes est, & terra pedum meorum sub- [Infrà.17.f] sellium: quam mihi uos domum ædificabitis? inquit Dominus: aut quis locus meæ requietis erit? quasi uerò non mea manus fecerit ista omnia. Duricoruici, & animo & auribus incircumcisi: uos semper spiritui sancto contrauenitis, itidem ut maiores uestri. Quem uatum non insectati sunt uestri maiores? an non eos necarunt, [G] qui [b] iusti aduentum prænunciarunt? cuius uos [b. Christi.] modò proditores fuistis, & interfectores: qui, quam angelorum administratione legem accepistis, non seruastis. Hæc audientes illi, animis urebantur, & dentibus stridebant in eum. Ipse autem sancto spiritu plenus, in cœlum intuitus, & Dei splendorem, Iesumque Deo ad dexteram [Stephanus lapidatur.] astãtem cõspicatus, dixit: En uideo cœlos aper- [Matt.16] tos, & filium hominis Deo astantem ad dexteram. At ille sublato ingenti clamore, aures suas compescere, & uniuersi facto in eum impetu, eiectum ex urbe lapidare. Et testes, depositis ad pedes adolescentis, nomine Sauli, uestimentis, Stephanum lapidare, inuocãtem & dicentem: Domine Iesu accipe spiritum meum. Deinde positis genibus, ingenti uoce exclamauit: Domine, noli in eos hoc uindicare peccatum. hoc locutus, obdormiuit.

CAPVT VIII.

SAulus autem in eius necem consentiebat. Ortaque est eo die tanta aduersus Hierosolymitanam ecclesiam persecutio, ut omnes in Iudææ Samariæque fines (exceptis apostolis) dilapsi sint. Stephano autẽ parentarunt homines religiosi, & eum magno plangore prosecuti sunt. Saulus uerò deuastabat ecclesiam, & in domos intrans, ac tum uiros tum fœminas trahens, dabat in custodiam. Et illi quidem dispersi, ultro citroque doctrinam publicabant. Philippus uerò in urbem quandam Samariæ degressus, Christum Samaritanis prædicabat: uulgoque uniuersi dicta Philippi attendebant, cum quæ prodigia faceret, audirẽt ac uiderent. Ex multis enim [B] spiritus impuri, quos habebant, exibant cũ ingenti uocis clamore: multique membris capti, & claudi, curati sunt, magna cum illius urbis lætitia. Erat prius in ea urbe homo quidam nomi- [Simon magus.] ne Simon, qui magicam exercebat, & Samariæ gentem reddebat attonitam, se quendam magnum esse dicens: à quo infimi summique pendebant, dicentes, eum esse Dei magnam potentiam: & ideo pendebant, quòd eos aliquandiu præstigijs obstupefecerat. Cum autem Philippo de diuino regno, & Iesu Christi nomine concenti credidissent, ac tum uiri tum fœminæ baptizarẽtur, ipse quoque Simõ credidit, ac baptizatus est: & deinceps assiduus erat cũ Philippo, & quæ prodigia ac ostẽta fierẽt spectans, obstupe- [C] bat.

bat. Audientes autem qui Hierosolymis erant apostoli admissam esse à Samaria diuinam doctrinam, miserunt ad eos Petrum ac Iohãnem, qui eò degresi, pro eis orarunt, ut sanctum spiritum obtinerent. Nullum enim adhuc eorum inuaserat: tantum in Christi Iesu nomen erant baptizati. Itaq; illi eis manus imposuerũt, atq; ij sanctum spiritum adepti sunt. Id animaduertens Simon, manuum apostolorum impositione spiritum sanctum dari, obtulit eis pecuniam, dicens: Date mihi quoq; potestatem istam, ut cuicunq; manus imposuero, spiritum sanctum
D obtineat. At Petrus: Pereas (inquit) unà cum tuo argento, qui diuinũ munus pecunijs comparandum existimes. Non es huius doctrinæ particeps, neque consors: nam tua mens in Dei conspectu recta non est. Quamobrem desce ab ista tua prauitate, Deumq; comprecare, si forte tibi ista mala mẽs ignoscatur. Nam tibi acerbam imminere bilem, & te scelere constrictum esse uideo. Et Simon: Orate uos, inquit, pro me Dominum, ut mihi nihil eueniat eorum quæ
E dixistis. Igitur illi Domini doctrinam testificati, ac elocuti, Hierosolymam redierũt, multosq; Samaritanorum uicos Euangelio instruxerũt. Philippum autem alloquens Dei angelus, mandauit ut surgeret, & meridie per uiam proficisceretur, qua Hierosolyma Gazam descenditur, quæ uia erat infrequens. Itaq; ille surrexit, ac profectus est. Tum homo quidam Aethiops eunuchus, Candacæ Aethiopum reginæ præfectus, omni eius gazæ præpositus, qui Hierosolymam uenerat adorandi Dei gratia, reuertebatur, & in suo curru sedens Esaiã uatem legebat. Præcepit autem Philippo spiritus, ut accederet, seq; ad eum currum adiungeret. Itaq; Philippus accurrit, & eum legere uatem Esaiã

Reginæ Cãdacæ eunuchus à Philippo doctus.

F audiuit, ac dixit: Intelligis'ne quæ legis? Et ille: Quî uerò posim, inquit, nisi quis mihi præeat? Philippumq; hortatus est ut ascenderet, ac secum sederet. Erat autem hæc scripti, quod legebat, complexio: Vt ouis ad cędem actus est, utq; agnus ante suum tonsorem obmutescens, sic ille ne mutiuit quidem. In eius humilitate iudicium eius sublatum est, atq; eius genus quis eloquatur? cũ sublata sit ex terra uita eius. Et eunuchus Philippum alloquens: Quæso te, inquit, de quónam dicit hoc uates? de seipso'ne, an de quopiã alio? Tum Philippus fari instituit, & ab eo scripto exorsus, eum de Iesu docuit. Cumq;

Esa. 53. c

G iter faciendo ad quandam uenisset aquam, eunuchus dixit: Ecce aqua: quid me baptizari prohibet? Et Philippus: Si toto animo credis, inquit, licet. Credo (inquit ille) Dei filium esse Iesum Christũ: iussitq; sisti currũ, & ambo in aquam, Philippus & eunuchus, descenderunt, eumq; baptizauit Philippus. Deinde ubi ex aqua egresi sunt, rapuit Philippũ spiritus Domini, nec eum uidit amplius eunuchus, sed suũ iter lætus perrexit. Philippus uerò Azoti repertus est, & urbes omnes obiens Euangelio instituebat, donec uenit ad Cæsaream.

CAPVT IX.

Galat. 1. c
1. Cor. 15. b
2. Cor. 12. a
Infrà 21. b. c

AT Saulus minas adhuc, cædemq; spirans in Domini discipulos, aggressus pontificem, petijt ab eo epistolas Damascum ferendas, ad collegia: ut si quos eius instituti inueniret, siue uiros, siue fœminas, uinctos perduceret Hierosolymam. Sed inter eundum, eum Damasco propinquantem circũfulsit de cœlo lux, ad terramq; collapsus uocem audiuit sibi dicentem: Saule Saule, quid me persequeris? Et ille: Quis es? Domine. Ego sum Iesus (inquit Dominus) quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulos calcitrare. Hic ille tremens ac stupefactus, Domine, quid me uis facere? inquit. Cui

Infrà 22.
Saule Saule quid me persequeris.

B Dominus: Surge & in urbem ingredere, & tibi dicetur, quid tibi faciendum sit. Homines autem eius comites itineris astabant attoniti, uocem audientes illi quidem, sed neminem uidentes. Saulus uerò à terra surrexit, & apertis oculis, neminem uidebat. Eum illi manibus ducentes, Damascum introduxerunt: ac per tres dies non uidit, neq; comedit aut bibit. Erat Damasci discipulus quidam nomine Ananias, quem Dominus per uisum sic allocutus est: Anania. Et ille: Quid est? inquit, Domine. Cui Dominus: Surge, inquit, & in uicum proficiscere, qui Rectus appellatur, & quęre in ędibus Iudę Saulum, nomine Tarsensem. is enim supplicat, & per uisum uidit uirum nomine Ananiam ingressum, & sibi manus imponentem, ut cernat.

Ananiã alloquitur Dominus.

C At Ananias: Domine, inquit, audiui ex multis de eo uiro, quantum malorum tuis sanctis Hierosolymæ fecerit: quinetiam hic potestatem habet à põtificibus, uinciendi omnes tuum nomẽ inuocantes. Cui Dominus: Vade, inquit: nam is mihi selectum est instrumentum, ad profitendum meum nomen tum apud cæteras gentes atque reges, tum apud Israëlitas. Nã ei ostendã ego, quanta sint ei patienda propter meum nomen. Tum Ananias abijt. & domũ ingressus, ac impositis illi manib. dixit: Saule frater: Dominus me misit, is qui tibi in uia uenienti apparuit, ut uideas, sanctoq; spiritu repleare. Ac protinus delapsis ex eius oculis quibusdam quasi squamis, dispexit, surrexitq;, & baptizatus est, ac cibo capto cõualuit. Fuit autem Saulus cum

Saulus Christum docere incipit.

D Damascenis discipulis dies aliquot, ac statim in collegijs Christũ prædicabat, eum esse Dei filiũ: stupentibus quotquot audiebãt, & ita dictitantibus: Nónne hic est, qui Hierosolymæ depopulabatur inuocantes hoc nomen? atq; huc eò uenit, ut constrictos perduceret ad pontifices? At Saulus magis inualescebat, & incolas Damasci Iudæos cõfutabat, eum Christũ esse cõfirmans. Deinde cõpluribus transactis diebus, decreuerunt eum occidere Iudæi. Quorũ insidijs Saulo cognitis, cum illi portas dies & noctes, eius necandi gratia obseruarent, discipuli eum noctu cæperunt, & laxata per murum sporta demiserunt. Saulus ut Hierosolymam peruenit,

2. Cor. 11. g

E conabatur sese ad discipulos aggregare. Sed eum reformidabant omnes, discipulũ esse non

credentes. Verùm Barnabas eum prehendit, & ad apostolos duxit, eisq; ut in uia Dominum uidisset, exposuit, utq; eum Dominus allocutus fuisset, & ut Saulus Damasci in Iesu nomine liberè locutus esset. Ita Saulus cum eis Hierosolymæ obuersari, & in Domini Iesu nomine liberè loqui, ac cum Græcanicis colloqui atq; contendere: at illi eum interimere conabantur: quo cognito, fratres eum ad Cæsaream deduxerũt, Tarsumq; dimiserunt. Igitur Ecclesię per totam
F Iudæam, & Galilæam, & Samariam quietè agebant, & instruebantur, & in [a] religione, ac sancti spiritus cõfirmatione proficientes augebantur. Accidit autem ut Petrus omnia peragrans, descenderet etiã ad [b] sanctos, qui Lyddam incolebant. Ibi quendam nactus hominem Aeneam nomine, octo iam annos iacentem in grabato, mẽbris captũ, sic ei dixit: Aenea, sanat te Iesus Christus: surge, & ipse tibi substerne. Atq; ille confestim surrexit, eumq; uiderunt omnes Lyddæ & Assaronis incolæ, ijq; se ad Dominum conuerterunt. Ioppæ autem quædam erat discipula, nomine Tabitha: quod si interprete-re, sonat Damam. Ea rectè & benignè factorũ plena erat, quibus tenuium egestatem subleuabat. Accidit autem per eos dies, ut ægrotaret ac moreretur. Eam ablutam in cœnaculo posuerunt.
G Et quòd Ioppæ uicina Lydda erat, discipuli Petrum Ioppæ esse audientes, miserunt ad eum oratum, ut ad se uenire nõ grauaretur. Itaque Petrus cum nuncijs profectus iuit. Eum illi, postquam aduenit, in cœnaculum subduxerunt, eiq; uiduæ omnes astiterunt, plorantes, & tunicas ac uestimenta ostentantes, quæ facere solebat cum apud eas esset Dama. Tum Petrus, omnibus foràs eiectis, positis genibus supplicauit, deinde conuersus ad corpus, ait: Tabitha surge. Atq; illa oculos aperuit, uisoq; Petro resedit. Et ille porrecta manu alleuauit: & uocatis sanctis ac uiduis, uiuentem exhibuit. Hoc per totam Ioppen innotuit, multiq; Domino fidem habuerunt. Mansit autem dies aliquam multos Ioppæ, apud quendam Simonem coriarium.

a. Domini metu.

b. Christianos.

Aeneas mẽbris captus à Petro sanatur.

Tabitha à Petro in uitam reuocata.

CAPVT X.

Erat autem quidam Cæsareę, nomine Cornelius, centurio, ex ea cohorte quæ dicitur Italica, uir religiosus, Deiq; tum ipse, tum tota eius familia, metuens, & multa uulgo benignè faciens, ac Deum continenter orans. Is per uisum manifestè uidit, hora diei fermè nona, diuinum angelum ad se ingressum, & ita dicentem: Corneli. Et ille eũ intuitus, & metu correptus, Quid est Domine? inquit. Cui ille: Tuæ preces ac benigna facta ad Deum ascenderunt, eiq; in memoria insederunt. Itaq; mitte Ioppen homines, & accerse Simonem nomine Petrum (is diuersatur apud quendam Simonem coriarium, cui domus est apud mare) qui tibi dicet, quid te facere oporteat. Deinde ubi collocutus cum Cornelio angelus discessit, ille euocatis suorum famulorum duobus, & milite quodam religioso, eorũm qui apud eum erant assidui, narrauit eis omnia, eosq; Ioppen dimisit. Postero die, illis iter facientibus, & urbi propinquantibus, ascendit Petrus in tectum, supplicandi causa, hora circiter sexta. Esuriebat autem, & cibum capere uolebat. Atque illis parantibus, extra se raptus, uidet apertum cœlum, & descendens ad se utensile quoddam, quasi magnum linteum, quatuor capitibus ligatum, ad terram demitti, in quo inerant omne genus quadrupedes terrestres, feræq;, & serpentes, ac terræ uolucres: extititq; uox ad eum: Age Petre, macta, & uescere. At Petrus: Minime, Domine: nihil enim unquam impurum aut immundum comedi. At uox iterum ad eum: Quæ Deus purgauit, tu ne [a] pollue. Atq; idem ter factũ est, rursumq; subductum est in cœlum illud utensile. Cumq; secum ipse dubitaret Petrus, quidnam sibi uellet illud spectrum quod uiderat: ecce homines illi à C
Cornelio missi, Simonis domum sciscitati, aderant pro uestibulo, & clamantes percunctabantur, num Simon nomine Petrus ibi diuersaretur. Ac Petro de spectro illo cogitanti, dixit spiritus: En homines te quærunt: tu uerò age, descende, ac cum eis citra omnem cunctationem proficiscere: nam ego eos misi. Ita Petrus ad homines à Cornelio ad se missos degressus, dixit: Is ego sum, quem uos quæritis: quæ causa est ob quam adestis? Et illi: Cornelius (inquiunt) centurio, uir bonus, & Dei metuens, & ab uniuersa Iudæorum natione bene audiẽs, oraculo monitus est à sancto angelo, ut te domum suam accerseret, & loquentem audiret. Igitur ille eos intrò uocatos accepit hospitio. Deinde postridie Petrus cum eis profectus est, comitantibus D
quibusdam Ioppensibus fratribus. Postero die Cæsareã ingressi sunt. Cornelius uerò eos præstolabatur, conuocatis suis cognatis, ac necessarijs amicis. Atque ut ingressus est Petrus, ei occurrit Cornelius, & ad pedes lapsus, eum ueneratus est. At Petrus eũ alleuauit: Surge (inquit) ego quoque homo sum. ac cum eo colloquens ingressus est, multosq; congregatos nactus, sic ad eos uerba fecit: Vos scitis, ut nefas sit homini Iudæo hærere aut congredi alienigenæ. Sed mihi Deus ostendit, neminem profanum impurum'ue dicendum hominem: itaque accersitus, nihil dubitaui uenire. Quæro igitur, quam ob causam uos me accersiueritis. Tum Corne- E
lius: Nudiusquartus, inquit, [b] ad hanc horam ieiunus eram, & hora nona domi meæ supplicabam: cum ecce uir quidam stetit in meo conspectu, ueste splendida, & ait: Corneli, exaudita est tua supplicatio, tuaq; benignè facta Deo in memoria habentur. Mitte ergo Ioppen, accersitum Simonem, cui cognomen est Petrus (is diuersatur in ædibus Simonis coriarij, apud mare) qui ubi aduenerit, tecum loquetur. Ego continuò ad te misi: & tu rectè fecisti, qui ueneris. Nunc nos omnes in Dei conspectu adsumus, ad audienda omnia tibi à Deo mandata. Tum Petrus in hunc modum orationem habuit: Reapse cõperio, non habere personarum F
ratio-

Cornelius centurio.

a. polluta dicito, aut putato.

b. ad horã nonã, quota nũc est.

Deut. 10. 2. Para. 19. Iob. 34.

(*Sap.6.b Eccles.35.b Rom.2.b 1.Petri.1.c Gal.2.b Ephe.6.b Col.3.d*) rationem Deum: quin apud omnes nationes, qui eum metuit, & iustitiam exercet, is ei acceptus est. Quem sermonem misit Israëlitis, pacem per Iesum Christum nuncians, is est omnium Dominus. Vos scitis, quae res acciderit per totam Iudaeam, ducto à Galilaea initio, post (*Luc.4.c*) praedicatum à Iohanne baptisma: Iesum dico à Nazaretha, ut eum Deus sacro spiritu ac potestate unxerit: qui ultro citroq; commeans, benefaciebat, & omnes à Diabolo oppressos sanabat, quippe cui Deus adesset. Et nos testes sumus omnium, quae cùm in reliquo Iudaeorum agro, tum Hierosolymae fecit: quem illi in patibulo suspensum interfecerunt. Hunc Deus tertio die suscitauit, & ut manifestus fieret effecit, non omni uulgo, sed nobis designatis diui- G nitùs testibus, qui quidem cum eo comedimus & bibimus postquam à mortuis surrexit. Isq; nobis mandauit ut uulgo praedicemus, ac testificemur, eum uiuorum esse, mortuorumq; iu- (*Ierem. 31.f Mich.7.d*) dicem à Deo destinatum. Huic uates omnes testimonium dant, eum esse, per cuius nomen peccatorum ueniam consequantur, quicunque ei fidem habeant. Adhuc haec uerba loquente Petro, inuasit sanctus spiritus omnes eam orationem audientes: suntq; attoniti ij qui erant (*c. ex circuncisis.*) c à circumcisione fidentes, quicunq; cum Petro uenerant, quod etiam extranei sancti spiritus munere perfusi essent. Audiebant enim eos linguis loquentes, Deumq; celebrantes. Tum Petrus: Nũquis aquam, inquit, prohibere potest, quo minus baptizẽtur hi, qui, ut & nos, sanctũ spiritum adepti sint? eosq; in Domini nomine iussit baptizari. Tunc illi eum exorarunt, ut ibi dies aliquot maneret.

CAPVT XI.

AVdiuerunt autem apostoli & fratres, qui erant in Iudaea, etiam exteros diuinam accepisse doctrinam. Ac postquam ascendit Petrus Hierosolymam contendebant cum eo, qui erant à circumcisione, quòd ad homines praeputio praeditos ingressus, ac cum eis epulatus esset. (*Petrus super Corneliano negocio causam dicit.*) At Petrus sic eis negocium ordine exponere orsus est: Ego in oppido Ioppa supplicans, uisus sum mihi uidere (extra me raptus) descendens utensile quoddam, quasi linteum magnũ, quod quatuor capitibus de coelo demissum ad me usque uenit. Id dum attentus contemplor, uidi quadrupedes terrestres, & feras, & serpentes, & aëreas uolucres, audiuiq; uocem dicentem mihi: Age Petre, macta, & uescere. Et ego: Nequaquam, Domine inquam: nihil enim unquã immundum aut impurum per os meum intrauit. At illa uox iterum mihi de coelo di- B xit: Quae Deus purgauit, ne tu pollue. Idq; ter factum est, atque ita rursus omnia in coelum retracta sunt. Et ecce extemplò praesto fuerunt apud eam, in qua eram, domum, tres homines, ad me Caesarea missi: cum quibus ut sine omni dubitatione abirem, iussit mihi spiritus. Iuerunt autem unà mecum sex fratres hi: ac nobis hominis domum ingressis, narrauit ille ut an-lum domi suae uidisset astantem, & sibi praecipientem ut mitteret Ioppen homines, qui Simonem accerserent cognomine Petrum, qui ei dicturus esset ea, per quae & ipse et eius omnis familia seruaretur. Postquam autem ego loqui caepi, inuasit eos sanctus spiritus, ut & nos principio. Tum ego recordatus sum illud Domini C dictum, quo dixerat, Iohannem quidem baptizauisse aqua, sed nos spiritu sancto baptizatum (*Suprà 1.a Iohan.1.d Infrà 19.a Luc.3.c Mat.3.c*) iri. Quòd si eodẽ illos munere donauerat Deus, quo etiam nos, dum Domino Iesu Christo fidem adiunximus: ego quis eram ut Deum prohibere possem? His illi auditis acquieuerunt, Deoq; gratias egerunt, qui etiam externis aditum ad uitam per morum correctionem dedisset. (*Gal.2*) Caeterùm qui propter afflictionem ob Stephanum ortam dispersi fuerant, peruenerunt usque in Phoenicẽ, & Cyprum & Antiochiam, nemini doctrinam exponẽtes, nisi solis Iudaeis. Erant autem quidam ex eis homines Cyprij, & Cyrenenses, qui Antiochiam ingressi, loquebantur cum Graecis, Dominũ Iesum nunciantes: quibus Dominus ita secundus erat, ut frequens hominũ numerus crederet, seq; ad Dominum conuerteret. Quod postquã de eis au- D ditione accepit ecclesia Hierosolymitana, Barnabam misit, qui Antiochiam se conferret. (*Barnabas Antiochiam uenit.*) Is postquam eò peruenit, uisa Dei gratia laetatus, omnes ut cum animi destinatione Domino haererent, cohortatus est: utpote uir bonus, sanctiq; spiritus & fidei plenus. Itaq; Domino accessit aliquanta multitudo. Profectus est autem Tarsum Barnabas, Sauli requirendi gratia, quem nactus duxit Antiochiam, ac totũ annum cum ecclesia uersati sunt, & aliquantam hominum multitudinem docuerunt, ac primum Antiochiae[a] discipuli nuncupati sunt Christiani. Ea tempestate descenderunt Hierosolymis uates Antiochiam, quorum unus extitit Agabus nomine, qui diuinitùs afflatus grauem fore toto orbe famem significauit, quae quidem accidit sub Claudio Caesare. Discipuli autem, prout eorum cuiq; suppetebat, decreuerunt opitulandi gratia mittere habitantibus in Iudaea fratribus: id quod fecerunt: & ad seniores Barnabae & Sauli opera miserunt.

(*a. Discipuli antea dicebantur omnes Christiani: ij Antiochiae Christiani uocari coepti sunt.*) (*Agabus famem praedicit.*)

CAPVT XII.

PEr id tempus admouit Herodes rex manus uexandis ab ecclesia nonnullis, & Iacobum Iohannis fratrem ferro sustulit. quod Iudaeis gratum esse uidens, comprehendit insuper etiam Petrum (quum quidem essent azymorum dies) captumq; dedit in custodiam, & quater quaternis militibus custodiendum tradidit, uolens eum post pascha producere populo. (*Herodes occiso Iacobo Petrum in uincula conijcit.*) Ita Petrus in carcere seruabatur, fiebatq; pro eo cõtinua ab Ecclesia supplicatio ad Deum. Cum autem eum producturus esset Herodes, & ea nocte dormiret Petrus inter duos milites, duabus colligatus catenis, & custodes ante portam custodiam agerẽt: ecce adest Domini angelus, splendente per domum luce. qui pulsato Petri (*Angelus Petrum ex carcere educit.*)

latere, eum expergefecit, dicens: Surge celeri-
B ter. Ac delapsis ex eius manu catenis: Præcinge te, inquit, & tuis sandalijs calcea. Quod postquam ille fecit: Indue, inquit, tuum pallium, & me sequere. Itaq; ille egressus, eum sequitur: neque rem ueram ab angelo agi intelligebat, sed sibi spectrum cernere uidebatur. Prætergressi primam ac secundam custodiam, ueniunt ad portam ferream, quà in urbem itur, qua eis sua sponte aperta, simulac egressi, uicū unum processerunt, discessit ab eo āgelus. Et Petrus ut ad se rediit, ita dixit: Nūc uerè scio, Dominum, misso angelo suo, me ex Herodis manu, & tanta Iudaici populi expectatione eripuisse. Ac sciens uenit ad ædes Mariæ, Iohannis matris, eius cuius Marcus cognomē erat, ubi complures coiuerant, ac supplicabāt. Vbi Petrus uesti-
C buli fores pulsauit, prodijt ad subauscultandum ancilla, nomine Rhode: quæ agnita Petri uoce, præ lætitia uestibulum non aperuit, sed intrò cucurrit, & Petrum ante uestibulū adesse nunciauit. At illi eam insanire dicere. Atque illa sic se rem habere contendente, dicebant, eius esse genium. Sed Petro pulsare pergente, aperuerunt, & eo uiso attoniti sunt. Ille, indicto manu silentio, narrauit eis, quo pacto se Dominus ex carcere eduxisset: iussitq; ut ea Iacobo & cæteris fratribus renūciarent. deinde egressus, concessit aliò. Orta die, erat nō mediocris inter mi-
D lites turba, quid de Petro factum esset. Herodes uerò, cum eum conquisitum non inuenisset, habita de custodibus quæstione, eos ad supplicium agi imperauit: & ex Iudæa degressus, Cæsareæ uersatus est. Erat autem Herodes Tyrijs & Sidonijs infensus: & illi simul uenerāt ad eum, & a Blasto regis cubiculario inducto, pacem petebant, quòd eorum ager ex regio alebatur. Certo autem die Herodes, regali ueste indutus, in solio sedens, ad illos orationem habebat: & populus diuinam esse, non humanam uocem, acclamabat. Ille uerò confestim à Domini angelo ictus (quòd Deo gloriam non tribuisset) & à uermibus erosus, expirauit. Diuina autem doctrina crescebat, ac amplificabatur. Et Barnabas atque Paulus, munere perfuncti, Hierosolymam redierunt: assumpto etiam Iohanne, eo qui Marcus est cognominatus.

a. utentes Blasti opera.

Infra 13.d

CAPVT XIII.

ERant Antiochiæ, in ea quæ erat ecclesia, uates, & doctores, Barnabas, & Simon, cognomine Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen, cum Herode Tetrarcha nutritus, & Saulus. Eis autem Domino operantibus, ac ieiunantibus, iussit sanctus spiritus ut sibi Barnabam ac Saulum segregarent ad id opus, cui destinasset eos. Tum illi, cum ieiunassent, ac supplicassent, manus eis imposuerunt, eosq; dimiserunt. Atq; ij à sancto spiritu emissi, ad Seleuciam descenderunt, & inde in Cyprum nauigarunt. ac ubi Salaminem peruenerunt, diuinam doctrinam in Iudæorum collegijs explicarunt. Habebant autem Iohannem ministrum. Progressi autem per insulam ad Paphum usq;, na-
B cti sunt magum quendam, falsum uatem, Iudæum, nomine Bariesum, qui erat cum proconsule Sergio Paulo, uiro prudēte. Is procōsul, ad uocato Barnaba atq; Saulo, diuinā doctrinam audire conabatur: sed obstabat eis a Elymas magus (sic enim licet eius nomē interpretari) procōsulē à fide studens auertere. At Saulus, qui idem Paulus est, sancto repletus spiritu, illū intuitus dixit: O omni fraude ac scelere referte, Diaboli fili, totius uirtutis hostis, non desines rectas Domini uias peruertere? Scito nunc te Domini manu peti, cæcumq; aliquādiu fore, ita ut solem non uideas. Atq; illum protinus tanta inuasit caligo tenebrarum, ut circumiens quæreret qui se manu duceret. Ea re uisa proconsul credidit, stupefactus doctrina Domini. Paulus autē, eiusq; comites, Papho soluerunt, & Pergam Pamphyliæ uenerunt: & Iohannes ab eis digressus, Hierosolymam reuertit. Ipsi à Perga progressi, uenerunt Antiochiam Pisidiæ: & collegium Sab-
C bathi die ingressi, consederunt. Deinde post legis & uatum lectionem, collegij magistri eis ita significatū miserūt. Viri fratres, si quid dicendū habetis, quo populū cohortemini, dicite. Tum Paulus surrexit, & manu significauit, atq; hac oratione usus est: Viri Israëlitæ, & qui Deum reueremini, audite. Huius populi Deus maiores nostros elegit, & peregrinantem in Aegypto populum euexit, ex eaq; eduxit sublimi brachio, & per annos circiter quadraginta eorum mores tulit in solitudine: ac sublatis in Chananæa terra septem gentibus, earum terram dedit eis possidēdam. Postea annis circiter quadrin-
D gentis quinquaginta, dedit præsides, usque ad Samuelem uatem. Inde petentibus regē, dedit Deus Saulē, Cis filium, hominē ex tribu Beniaminia, annos quadraginta. Quo sublato, Dauidem eis regem suscitauit, de quo loquens ita testatus est: Nactus sum Dauidem Isæi filium, uirum ex animi mei sententia, qui omnia quæ ego uolam, faciat. Huius ex semine Deus, ex promisso, duxit Israëlitis seruatorem Iesum, ante cuius ingressum Iohannes prædicauit baptisma pœnitentiæ, toti Isrēlitico populo. Atq; idem Iohannes cum cursum conficeret, dixit: Quem me esse suspicamini? Non ego sum ille: sed post me uenit, cuius ego pedum calceamentum soluere dignus non sum. Viri fratres, ex Abrahami genere oriundi, quiq; ex uobis Deum reuerētur, uobis hæc salutaris missa doctrina est. Nā Hierosolymæ incolæ, eorumq; magistratus eū ignorantes, uatum uoces (quæ E unoquoq; Sabbatho leguntur) eo damnato cōprobarunt: & nullo capitali crimine comperto, à Pilato ut ille necaretur petierunt. At postquā omnia de eo scripta perfecerunt, eum patibulo detractum posuerunt in monimento. Deus uerò eum à mortuis excitauit: qui compluribus diebus, eis se ostendit, qui unà cum eo ex Galilæa Hierosolymā ascenderant, qui quidem sunt eius testes ad populum. Et nos uobis nunciamus,

Barnabas & Saulus mittuntur ad docendum.

Bariesus falsus uates.

a. Hoc nomē ego nō intelligo.

Paulus Antiochiæ de Iesu uerba facit.

Exo. 1.a
Exod. 13.d
Exod. 16.a
Iosu. 14.a
Iud. 3.b
1. Reg. 8.a
9.c. 10.a
Psal. 88.b
Esa. 11.a
Mat. 3.a
Mar. 1.a.
Iohan. 1.a
Mat. 10.
Ibi. 27.d
Mar. 15.b
Luc. 23.e
Iohā. 19.

mus, quod maioribus promiserat Deus, id nobis eorum posteris præstitisse, suscitato Iesu, ut *Psal.2.b* etiam in Psalmo primo scriptum est: Tu meus *Heb.1.b* es filius, ego te hodie genui. Quòd autem eum ex mortuis excitarit, non iam rediturum ad in- *Esa.55.b* teritum, sic dixit: Dabo uobis fidelem Dauidis *Psal.15.b* benignitatem. Itaque alibi quoque dicit: Non es F passurus ut pius tuus corruptionem patiatur. *3.Reg.2.b* Nam Dauid quidem, postquam ætati suæ inseruiuit, Dei consilio obdormiuit, & ad suos maiores additus, corruptionémque passus est. Sed quem Deus excitauit, is corruptionem passus non est. Quamobrem hoc uobis notum esto, uiri fratres, uobis per hunc peccatorum ueniam nunciari: ac ab omnibus, à quibus per Mosis legem solui nequiuistis, per hunc, quicunque credat, solui. Quamobrem prospicite, ne uobis il- *Habac.1.b* lud usu ueniat, quod est in uatibus dictum: Videte ô contemptores, & præ admiratione obtorpescite. nã eiusmodi rem ego facturus sum uestris tẽporibus, quam nõ sitis credituri, si quis uobis exponat. Deinde eos ex Iudæorũ collegio exeuntes orabãt extranei, ut ꝓximo Sabbatho apud se ijs de rebus loquerentur. Ac dimisso collegio secuti sunt multi Iudæorum, aduentitiorumq; religiosorum Paulum atque Barnabam: qui eos alloquentes, persuadebãt, ut in Dei gratia permanerent. Ac sequenti Sabbatho ferè tota ciuitas ad audiendam diuinam doctrinã con- G uenit. Verùm Iudæi tantam hominum multitudinem uidentes, æmulationis pleni, contradicebant ijs quæ à Paulo dicebantur, reclamantes ac conuiciantes. Quibus contra Paulus & Barnabas sic liberè dixerunt: Vobis primùm necesse erat proponi diuinam doctrinam. Sed quia eam reijcitis, neque uos sempiterna uita dignos iudicatis, scitote nos ad gentem conuer- *Esa.49.b* ti. Sic enim præcepit nobis Dominus: Te gentibus externis lumen destinaui, ut sis ad ultimas usque terras saluti. Hæc audientes exteri lætabantur, Dominiq; celebrabant doctrinam, & crediderunt quotquot erant sempiternæ uitæ destinati. Sed dum Domini doctrina per totam illam regionem diuulgatur, Iudæi impulsis religiosis ac honestis fœminis, primisque ciuitatis tantam in Paulum & Barnabam insectationem excitarunt, ut eos ex suis finibus eijcerent. Illi *Mat.10.b* *Mar.6.b* *Luc.9.a* excusso in eos pedum suorum puluere uenerũt Iconium. Discipuli uerò lætitia, sanctóque spiritu complebantur.

CAPVT XIIII.

Paulus & Barnabas Iconij docẽt

ICONIJ autem unà in Iudæorum collegium ingressi sunt, & ita loquuti, ut crederet Iudæorum Græcorumq; magna multitudo. At Iudæi, quibus persuasum non erat, extraneorum animos in fratres concitarunt, atque uitiarũt. Itaq; postquam illic aliquandiu demorati sunt, liberè de Domino loquentes, qui ei doctrinæ, cuius ipse pro sua beneficentia autor erat, testimonium dabat, efficiendo ut per eos prodigia fierent & miracula, scissa est urbis multitudo, ita ut partim à Iudæis, partim ab Apostolis starent. Cumq; tum ab extraneis, tum à Iudæis, necnon eorum magistratibus, fieret ad eos uiolandos ac lapidandos impetus, illi, eo intellecto, confugerunt in urbes Lycaoniæ, Lystram atque Derbam, & in finitimam regionem. Illic dum Euan B gelium docent, homo quidam Lystris pedibus *Paulus Lystris claudũ sanat.* impotens sedebat, claudus ab utero matris, qui nunquam ingressus erat. Hic dum loquentem Paulum audit, Paulus eum intuitus, & animaduertens fidem habere se seruatum iri, dixit clara uoce: Surge in pedes rectus. atque ille exsilire, ac ingredi. Hoc Pauli facto uiso, uulgus, sublata uoce, Lycaonicè dicebant, deos humana specie descendisse: & Barnabam Iouem appellabant, Paulum autem Mercurium, quòd is orationi præesset. Iouis autem sacerdos, ante eorum urbem collocati, productis in uestibulo tauris ac coronis, uolebat unà cum hominum uulgo sacrificare. Quo audito, apostoli Barnabas & Pau C lus, laceratis suis uestibus, insilierunt in turbam, huiusmodi uerbis clamantes: Viri, cur ista facitis? nos quoque sumus homines, ijsdem, quibus uos, affectionibus obnoxij: qui uobis denunciamus, ut à uanis istis ad Deum uos immortalem conuertatis, qui & cœlum fecit, & terram, *Psal.145.a* & mare, & quæcunque sunt in eis: qui superio- *Apoc.14.b* ribus seculis gentes omnes suo more uiuere per *Psal.80.c* misit. Tametsi non se reliquit non testatum, benefaciendo, de cœlo nobis pluuias frugiferáque dando tempora, explendo cibis ac lætitia nostros animos. Hæc dicentes, ægrè uulgus compescuerunt, quo minus eis sacrificaret. Superuenerunt interea ab Antiochia & Iconio Iudæi, *2.Cor.11.f* qui uulgo persuaserunt, ut Paulum lapidarent, *Paulus lapidatur.* ac extra urbem traherent, mortuum esse rati. Ille circunfusus discipulis, surrexit, & in urbem ingressus est. Postridie Derbam cum Barnaba pro D fectus est. eáque ciuitate Euangelio instituta, & compluribus factis discipulis, Lystram, & Iconium, & Antiochiam repetierunt, confirmantes discipulorum animos, & ut in fide permanerent cohortantes: per multas enim miserias *Heb.13* oportere nos in diuinum regnum intrare. Ac postquam eis seniores in singulas ecclesias crearunt, factis supplicationibus, cum ieiunijs, eos Domino, cui crediderant, commendarunt. & peragrata Pisidia, in Pamphyliam uenerunt: ac Pergæ doctrinam locuti, Attaliam descenderunt. Inde Antiochiam nauigarunt, unde fuerant [a] diuinæ gratiæ commẽdati, ad opus quod *a. cũ precibus & faustis ominibus dimissi.* absoluerunt. Eò postquam uenerũt, coacta cõcione, renunciarunt quæ secum fecisset Deus, utq; gentibus externis aperuisset portam fidei. Commorati sunt autem illic non parum diu unà cum discipulis.

CAPVT XV.

De apostolorum conuẽtu ob circuncisionẽ.

QVidam autem ex Iudæa degressi, docebant fratres, nisi Mosaico ritu circuncide rentur, non posse saluos fieri. Itaque cum Paulo & Barnabæ ortum esset aduersus illos non mediocre certamen atque contentio, statuerunt *Gal.2.a* Paulo & Barnabæ, & alijs quibusdam ex suis,

ascendendum esse Hierosolymam, ad apostolos & seniores, ob eam quæstionē. Igitur illi ab ecclesia deducti, Phœnicen & Samariam obibant, extraneorum conuersionem exponentes, omnesque fratres ingenti afficiebant lætitia. Vbi Hierosolymam peruentum est, accepti sunt ab Ecclesia & apostolis, ac senioribus, & quæ Deus secum fecisset, retulerunt. Extiterunt autem

B tem quidam, ex eorum qui crediderant, Pharisæorum secta, qui eos circuncidendos dicerēt, indicendumque ut Mosis legem seruarent. Huius rei dispiciendæ gratia, apostoli & seniores conuenerunt, & magna contentione exorta, surrexit Petrus, & ad eos huiusmodi orationē habuit: Viri fratres, uos scitis, ut Deus iampridem me ex uobis elegerit, cuius ex ore extra-

Suprà 10.d

nei doctrinam Euangelicam audirent, ac crederent. Ac animorum cognitor Deus, eis testimonium dedit, impertitus eis spiritū sanctum, ut & nobis: nec ullū inter nos & eos discrimen fecit, cum eorum animos fide purgasset. Quocirca quid Deum tentatis, discipulorum ceruicibus iugum imponendo, quod neque maiores nostri, neque nos ferre potuimus? sed nos per Domini Iesu Christi gratiam seruari credimus,

C quemadmodum & illi. Siluit uniuersa multitudo, et Barnabam Paulumque audiebant, narrantes quæ Deus ostenta ac miracula apud exteras nationes per eos designasset. Deinde postquam illi conticuerunt, Iacobus in hunc modum uerba fecit: Viri fratres, audite me. Narrauit [a] Simeon, quo pacto primùm Deus curauerit asciscendum ex gentibus externis populum suo nomine, atque huic consonant dicta ua-

a. idem qui Simon.

D tum, quemadmodum scriptum est: Postea reuertar, & collapsum Dauidis tabernaculum reficiam, eiusque diruta instaurabo, & id erigam: ut hominum reliqui, & omnes [b] à me denominatæ gentes, Dominum exquirant, inquit horum omnium author. Nota sunt ab omni æternitate Deo, omnia eius opera. Quare ego iudico non esse molestia afficiēdos eos, qui ex gentibus externis ad Deum se conuertunt: sed eis scribendum, ut à simulacrorum fœditatibus abstineant, & à stupro, & suffocatis, & sanguine. Moses enim iam inde à priscis seculis per urbes, qui se prædicent habet, dum per collegia omnibus Sabbathis recitatur. Tunc uisum est apostolis & senioribus unà cum tota Ecclesia, delectos ex se uiros Antiochiam cum Paulo & Barnaba mittere, Iudam cognomine Barsabā,

Amos. 9.c

b. Quæ Domini gentes, hoc est meæ dicuntur.

Iohan. 15

E & Silam, uiros fratrum primarios, qui has literas ferrent. Apostoli & seniores, & fratres, degentibus Antiochiæ & in Syria ac Cilicia fratribus, ijs qui externarum sunt gentium, salutem. Quandoquidem audiuimus, ut quidam à nobis profecti, uos sermonibus turbauerint, labefactantes uestros animos, dicendo circuncidendos esse, legique parendum, cum id nos eis nō mandauerimus: uisum est nobis eòdem congressis, electos uiros ad uos mittere, unà cum charissimis nostris Barnaba & Paulo, qui homines suam uitam exposuerunt pro Domini nostri Iesu Christi nomine. Misimus ergo Iudam & Silam, qui & ipsi uerbis eadem referāt.

Apostolorū epistola ad christianos.

Visum est enim sancto spiritui & nobis, nihil F amplius uobis oneris imponere, quàm hæc necessariò abstinendum à deastrorum uictimis, & sanguine, & suffocato, & stupro: à quibus si uos continebitis, rectè facietis. Valete. Illi igitur dimissi, uenerunt Antiochiam: & coacta multitudine, tradiderunt epistolam. Qua lecta, illi cohortatione gauisi sunt: & Iudas & Silas, qui & ipsi uates erant, multis uerbis fratres cohortati sunt, atque confirmarunt. Deinde illic aliquandiu commorati, à fratribus amicè ad apostolos dimissi sunt. Silæ autem ibi remanere uisum est. Paulus & Barnabas Antiochiæ morati sunt, docentes, & Domini doctrinam cum alijs multis explicantes. Post aliquot dies monuit Paulus G Barnabam, ut fratres suos per omnes urbes, in quibus Domini doctrinam explanassent, reuiserent, quomodo se haberēt. Barnabas uerò uolebat Iohannē assumere, nomine Marcum. At Paulus censebat, eum, qui ab eis in Pamphylia defecisset, nec unà ad negotium profectus fuisset, non esse assumendum. Hinc natum iurgiū est ita ut à se inter se dirempti sint: & Barnabas assumpto Marco nauigarit in Cyprum. Paulus electo Sila profectus est, diuinę gratiæ commēdatus à fratribus: Syriamque & Ciliciam obiuit, confirmans ecclesias.

Paulus & Barnabas digrediuntur.

CAPVT XVI.

Peruenit autem Derbā & Lystram, & erat ibi discipulus quidā, nomine Timotheus, fœminæ cuiusdam Iudææ fidentis filius, patre Græco. Hunc Timotheum, testimonio commendatum Lystrensium Iconiensium'que fratrum, uoluit Paulus secum proficisci, eumque cæpit & circuncidit, propter eos qui erant in ijs locis Iudæos. Sciebant enim omnes eius patrem esse Græcum. Obeundis autem urbibus, tradebant eis seruanda placita, quæ ab apostolis & senioribus, qui erant Hierosolymæ, decreta fuerant. Ita fiebat, ut Ecclesiæ fide confirmarentur, & numero crescerent quotidie. Peragrata autem Phrygia & Galatica regione, prohibiti à sancto spiritu uerba facere in Asia, in Mysiam profecti, conabantur per Bithyniam iter facere: sed non siuit eos spiritus. Itaque Mysiam B prætergressi, deuenerunt in Troadem, & huiusmodi uisum noctu Paulo occurrit. Vir quidam aderat Macedo, qui eum his uerbis hortabatur: Proficiscere in Macedoniam ad succurrendum nobis. Id uisum simulac ille uidit, in Macedoniam contendere cupiuimus, affirmantes à Domino nos aduocari, ad illos in Euangelio instituendos. Ergo soluimus à Troade, & recto cursu uenimus in Samothraciam. Postridie Neapolim: inde Philippos, quæ urbs est primæ partis Macedoniæ colonia. In ea urbe nos dies aliquot agentes, die Sabbatho exiuimus extra urbem ad fluuium, ubi solebat fieri C supplicatio: & ibi sedētes, alloquebamur fœminas,

Paulus in Macedoniā iubetur ire.

nas, quæ cõuenerant. Ac fœmina quædam, Lydia nomine purpuræ uenditrix, ciuitatis Thyatyrarũ, Dei cultrix, audiuit, cuius animũ Deus aperuit, ut Pauli orationem attenderet. Ea postquam cum sua familia baptizata est, rogauit, ut, si se Domino fidelẽ esse iudicaueramus, in suas ædes diuerteremus: coegitq; nos. Accidit autem, ut nobis ad preces euntibus, ancilla quædam Pythonis prædita spiritu occurreret, quæ suis dominis magnum quæstum conciliabat diuinando. Ea Paulũ & nos subsecuta, sic clamabat: Hi homines summi Dei cultores sunt, qui nobis uiam salutis nunciant. Hoc illa per dies complures faciente, Paulus id ægre ferens, se conuertit, & spiritui dixit: Edico tibi per Iesu Christi nomen, ut ex ista migres. Atq; ille euestigio migrauit. Tum eius domini, uidentes sui spem quæstus perijsse, Paulũ & Silam comprehenderunt, & in forum traxerunt ad magistratus. ac eis ad prætores perductis, ita dixerunt: Homines hi urbem nostram obturbant, cum sint Iudæi, moresq; doceant, quos nobis admittere aut tenere nefas, qui simus Romani. Hic cum aduersus illos uulgus instaret, prætores, dilaceratis eorum uestimentis, iusserunt eos uerberari: multisq; cæsos ictibus coniecerunt in carcerem, & custodi carceris ut eos diligenter seruaret, mandarunt. Is accepto eo mandato, eos in penitissimum carcerem coniecit, & eorum pedes in numellam compegit. Media nocte, Paulus & Silas supplicantes collaudabant Deum, audientibus eos uinctis: tantusq; repente motus extitit, ut carceris fundamenta concuterentur, & apertis subitò portis omnibus, omnium uincula relaxarentur. Tum expergefactus custos carceris, & apertas conspicatus portas omnes custodiæ, stricto ense seipsum interficere uolebat, uinctos effugisse putans. Sed Paulus magna uoce clamauit: Noli in te grauius consulere: omnes enim hic sumus. Tum ille, petito lumine, intrò insilijt, & tremebundus Paulum & Silam accidit, eisq; foràs productis dixit: Domini, quid mihi faciendum est, ut saluus sim? Et illi dixerunt: Fidem habe Domino Iesu, & saluus eris tu tuaq; familia, eiq; Domini doctrinam elocuti sunt, & omnibus qui erant in eius ædibus. Atq; ille eos eodem noctis uestigio capit, & à plagis abluit: estq; ipse continuò cum suis omnibus baptizatus: & eis domum suam ductis, mensam apposuit, ac lætatus est, postquam cum omni familia crediderat Deo. Vbi diluxit, pretores miserunt lictores, qui iuberent ut homines illos dimitteret. Eam rem custos carceris Paulo renunciauit: Significarunt pretores, inquit, ut dimittamini. Quamobrem exite, & salui discedite. At Paulus: Cæsos nos (inquit eis) publicè indemnatos, homines Romanos, dederunt in custodiam, & nunc clàm emittunt? Non ita, quin ueniant ipsi, & educant. Hæc uerba lictores prætoribus retulerunt. & illi territi, dum Romanos esse audiunt, iuerunt eos oratum: & eductos, ut ex urbe exirent, rogarunt. Illi ex custodia egreßi, ad Lydiam diuerterunt: & uisis fratribus eos consolati sunt, ac discesserunt.

Lydia purpuræ uenditrix. — *Ancilla Pythonis acta spiritu.* — D — *Paulus & Silas capiuntur.* — *2.Cor.12.* — E — F — *Custos carceris fit christianus.* — G

CAPVT XVII.

PEragrata autem Amphipoli & Apollonia, Thessalonicam uenerunt: ubi cum esset Iudæorum collegium, Paulus more suo ad eos ingressus est, & per tria Sabbatha disserebat eis ex scriptis, aperiens ac exponens, ut Christum supplicio affici, ac ex mortuis resurgere oportuerit: utq; esset Christus Iesus, quem ipse eis nunciaret. Itaq; persuasum est eorum nonnullis, ijq; se ad Paulũ & Silam aggregarunt, necnon religiosorum Græcorum ingens multitudo, & fœminarum primariarum nõ paucæ. At Iudæi, quibus persuasum non erat, per æmulationem assumptis [a] circumforaneis quibusdam, hominibus nequam, urbem excitato tumultu perturbare: & Iasonis domum aggreßi, eos in publicum producere conari: eisq; non inuentis, Iasonem & quosdam fratres ad rectores ciuitatis trahere, clamantes, illos orbis perturbatores, etiam hic adesse, & ab Iasone acceptos esse: & quidem eos omnes contra Cęsaris decreta facere, regem dicentes alium esse Iesum. Ita plebem & ciuitatis rectores ijs dicendis turbarunt: atque illi accepta Iasonis & reliquorum satisfactione, eos absoluerunt. Fratres uerò noctu statim Paulum & Silam Berrœam dimiserunt. Quò postquam illi peruenerunt, in Iudæorum se collegium receperunt. Erant autem hi Thessalonicensibus generosiores, quippe qui summa cum auiditate doctrinam admisserint, quotidie literas examinantes, an ea sic se haberent. Itaq; eorum multi crediderunt, necnon Græcarum mulierum honestarum & uirorum non pauci. Vt autẽ cognouerunt Thessalonicenses Iudæi, etiam Berrœæ explicatam esse à Paulo diuinam doctrinam, uenerunt etiam illuc, plebem cõcitaturi. Tum fratres Paulum confestim emiserunt, ut ad mare se conferret: & ibi Silas & Timotheus remanserunt. Qui uerò Paulum deducebant, eum Athenas usque duxerunt: & accepto ad Silam & Timotheum mandato, ut quamprimùm ad illum uenirent, digreßi sunt. Eos dum Athenis Paulus opperitur, ipse secum animo extimulabatur, deastris deditam urbem uidens. Disputabat igitur in collegio cum Iudæis & religiosis, itemque in foro quotidie, ut quisque occurrerat. Contulerunt autem cum eo Epicureorum Stoicorumque philosophorum quidam. Nonnulli, quid uellet is rabula dicere, quærebant. Alij peregrinorum nunciatorem diuorum uideri dicebant, quòd Iesum & resurrectionem eis nunciabat: eumq; prehensum, & in [b] uicum Martium ductum, sic alloquuntur: Possumúsne scire, quæ sit noua ista, quam tu loqueris, doctrina? Nam peregrina quædam nostris auribus affers. Itaque uelimus cognoscere, quid ista sibi uelint. Erant autem Athenienses omnes, tum illic peregrinantes hospites, ad nihil aliud idonei, quàm ut noui aliquid

Paulus Thessalonicæ docet. — B — *a. sordidis, fœdis.* — *Sup 16.a* — C — *Berrœenses Iudæi Christũ discũt.* — D — *Paulus Athenis cum philosophis disputat.* — *1.Thes.4.* — E — *b. ibi erant Areopagitæ morum magistri.*

aliquid uel dicerentuel audirent. Paulus uerò stans in medio uico Martio, sic uerba fecit: Viri Athenienses, uideo uos omnino paulò superstitiosiores. Cum enim præteriens, uestra spectarem numina, inueni etiam aram, in qua inscriptum erat: IGNOTO DEO. Quem igitur uos ignorantes ueneramini, eum ego uobis nuncio. Deus qui mundum & quæ in eo sunt

Suprà 7.f

omnia fecit, cum sit cœli terræque Dominus, non in manufactis templis habitat, nec hominũ ma-

F nibus colitur, quasi ullius egenus: cum ipse omnibus uitam, flatum, omnia denique conferat: cumque creauerit ex unius sanguine uniuersum genus hominũ, ut in omni terræ solo habitarẽt, præfinitis eorum statis temporibus, & inhabitandi terminis, ut Dominum quærerent, si fortè eum contrectarẽt, ac inuenirent: quanquam non procul ab unoquoque nostrûm remotum, cum per eũ uiuamus, & moueamur, & simus, ut quidam etiam uestratium poëtarum dixerunt: Nam genus illius sumus. Quòd si genus sumus Dei, non debemus existimare auro, aut argento, aut lapidi arte & industria humana cælato, diuinitatẽ esse similem. Igitur prætermissis

G ignorantiæ temporibus, Deus nunc omnibus ubique hominibus denunciat, ut ad frugem redeant. Statuit enim diem, in quo orbẽ ex æquo iudicaturus est, per uirum per quem decreuit: quem dum ex mortuis in uitã reuocauit, fidem exhibuit omnibus. Hic illi, audita mortuorum resurrectione, partim deridere: partim dicere, se rursus ex eo ea de re audituros. Ita Paulus ex eorum medio discessit. Hæserunt autem ei homines nonnulli, ac crediderunt, in quibus fuit

Dionysius Areopagita

Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & præter eos alij.

CAPUT XVIII.

2.Tim.4
Aquila Iudæus.

Postea digressus Athenis Paulus, Corinthum uenit: & quendam nactus Iudæum, nomine Aquilam, genere Ponticũ, qui recens uenerat ab Italia unà cum uxore sua Priscilla, quòd imperauerat Claudius, ut Iudæi omnes Roma emigrarent, conuenit eos: & quia eiusdem artis erat, mansit apud eos, & operabatur: erãt enim arte tentoriorũ opifices. Disputabat autẽ in collegio omnibus Sabbathis, & Iudæis ac Græcis persuadebat. Vt autem descenderunt

B ex Macedonia Silas & Timotheus, Paulus diuino instinctu afflatus, Christum Iesum Iudæis testificabatur. Cumque illi resisterent ac maledicerent, ille excussis uestimentis, sic eis dixit: Vos uestram perniciẽ capite luetis: purus ego deinceps ad exteros me conferam. Ita illinc profectus, uenit in ædes cuiusdam nomine Iusti, hominis religiosi, cuius ædes erant contiguæ collegio. Crispus autem collegij magister, Domino credidit, unà cum tota sua familia: nec non Corinthiorũ multi, postquam audiuerant, credebant, ac baptizabantur. Dixit autẽ Dominus per nocturnũ uisum Paulo: Ne metue, sed lo-

C quere, neue taceto: nam ego tibi adsum, neque te quisquam inuadet lædendi gratia: est enim mi-

Vide annot: Theod. Bezæ in hunc locum

Crispus collegij magister Christianus fit.

hi multus in urbe ista populus. Postquã autem D illic annum unum & sex menses egit, diuinam disciplinã eos docens, Iudæi, Gallione Achaiæ proconsule, Paulum uniuersi adorti, ad tribunal perduxerunt, & eum hominibus persuadere ut Deum contra legem colant, dixerunt. Hic cum Paulus uerba facturus esset, dixit Gallio Iudæis: Si quidem iniuria aliqua aut facinus atrox esset, Iudæi, meritò uos ferrẽ. Sed si de sermone, & nominibus, & lege uestra quæstio est, ipsi uideritis: nam istorum iudex ego esse nolo. Ita eos abegit à tribunali. Græci uerò omnes comprehẽsum collegij magistrum Sosthenem, E

Paulus ad Gallionem proconsulem trahitur.
Infrà 23.

cædebant ante tribunal, ea nihil curante Gallione. Paulus autem, transactis illic adhuc diebus aliquàm multis, uale dicto fratribus, nauigauit in Syriam, & cum eo Priscilla & Aquila, cum caput totondisset in Cenchreis: id enim uouerat. Peruenit autem Ephesum, & eis ibi relictis, in collegium ingressus, disputauit cum Iudæis. Ac eis ut apud se diutius maneret rogantibus, non cõcessit, sed uale dixit cum huiusmodi uerbis: Mihi omnino Hierosolymæ agendũ est proximũ festum: sed ad uos reuertar, uolente Deo. Ita soluit ab Epheso, & facto ad Cæsaream excensu, ac salutata ecclesia, concendit, ac degressus est Antiochiam, & ibi commoratus aliquandiu, profectus est: omnem deinceps perlustrans Galaticũ agrum, & Phrygiam confirmans omnes discipulos. Iudæus autem quidam, Apollos nomine, natu Alexandrinus, uir eloquens, peruenit Ephesum, literis pollens. Is erat Domini institutione initiatus, & animo feruens loquebatur, ac diligenter de Domino docebat, solum Iohannis baptisma intelligens. Hic cũ in collegio liberè loqui cœpisset, eo audi- G

Infrà 21.d
Paulus Hierosolymam ire cõcedit.

to, Aquila & Priscilla eum asciuerunt, eique exactius Domini institutum exposuerunt. Ac uolente eo in Achaiam proficisci, fratres ad discipulos scripserunt, hortantes ut eum acciperent. Quò ubi peruenit, multum ijs qui crediderant contulit, qua præditus erat gratia. Vehementer enim Iudæos conuincebat, publicè demonstrãs per literas, Christum esse Iesum.

CAPUT XIX.

De discipulis rebaptizatis.
Matt.3.c
Mar.1.a
Luc.3.c
Iohan.1.d
Suprà 1.a 2 4 & 11.c

Interea dum Apollos Corinthi est, Paulus, peragratis superiorib. tractibus, uenit Ephesum: et quosdam nactus discipulos, sic allocutus est: An sanctum spiritum adepti estis, cum credidistis? Cui illi: Nos uerò ne quidẽ an spiritus sanctus sit, audiuimus. Qua igitur ratione baptizati estis? Iohannis baptismate inquiũt. Et Paulus: Iohannes quidem corrigendæ uitæ baptismate baptizauit, uulgò monens, ut uenienti post se fidem haberẽt, hoc est, Christo Iesu. Hoc audito, illi in Domini Iesu nomẽ baptizati sunt. Cumque B manus eis Paulus imposuisset, inuasit eos sanctus spiritus, linguisque loquebantur, ac uaticinabantur. Erant autẽ in summa, uiri circiter duodecim. Ille ingressus in collegium, liberè per tres menses loquebatur, disputans, & regni diuini res persuadens. Sed quoniam nonnulli occallebant,

bant, nec solum sibi non patiebantur persuaderi, uerumetiam ei institutioni apud multitudinem maledicebant: ille digressus ab eis, discipulos separauit, & quotidie in cuiusdam tyranni ludo disputabat. Id autem factum est per annos duos, ita ut omnes Asiæ incolæ Domini Iesu doctrinam audiuerint, tum Iudæi, tum Græci. Ac prodigia non uulgaria faciebat Deus, opera Pauli, adeò ut in ægrotantes afferrentur

Christiani separati. *Pauli miracula.*

C ex eius corpore sudaria aut semicinctia, atque illi morbis liberarentur, & ex eis immundi spiritus exirent. Tentarunt autem quidam ex ambulatoribus Iudæis obtestatoribus, nominare in præditos malis spiritus nomen Domini Iesu, dicentes: Obtestamur uos per Iesum, quem Paulus prædicat. Erant autem quidam Sceuæ Iudæi pontificis filij septem, qui id faciebant. Sed malus spiritus ita respondit: Iesum ego cognosco, & Paulum noui, sed uos quinam estis? Tum insilijt in eos homo, in quo malus erat spiritus, eosque ita subegit ac uicit, ut nudi & uulnerati ex ædibus illis effugerent. Quod ubi tum

Obtestatores per Iesu nomē spiritus obtestantur.

D Iudæis, tum Græcis omnibus Ephesi incolis innotuit, omnes metu perculsi sunt, Dominique Iesu nomen magni fiebat. Ac eorum qui crediderant, multi sua facta confessum ac declaratum ueniebant. Itemque eorum qui [a] illicita tractauerant, satis multi congestos libros in omnium præsentia cremabant: quorum precio computato, comperta sunt [b] nummorum quinquaginta millia: adeò penitùs crescens inualescebat doctrina Domini. His peractis, statuit cum animo suo Paulus, perlustrata Macedonia & Achaia, Hierosolymam proficisci, dicens: Postquam illuc peruenisset, Romam quoque sibi esse

a. artes magicas. *Magici libri cremati.* *b. ducati 5000.*

E uisendam. Missis autem in Macedoniam duobus eorum, qui ei ministrabant, Timotheo & Erasto, ipse aliquandiu remansit in Asia. Extitit eo tempore tumultus non exiguus, ob eam institutionem. Quidam enim, nomine Demetrius, faber argentarius, qui argentea Dianæ delubra faciebat, collectis artificibus (quibus non mediocrem quæstum præstabat) & alijs eiuscemodi rerum opificibus, huiusmodi oratione usus est: Viri, scitis ex hoc opificio nostras esse facultates, & uidetis ac auditis ut Paulus iste non solum Ephesi, sed totius ferè Asiæ bonam partem uerbis auerterit, negans esse deos qui manibus fiant. Neque uerò solum ne hæc nobis pars confutetur, periculum est, uerumetiam ne magnæ deæ Dianæ fanū pro nihilo habeatur: uel potius ne eius, quam tota Asia & orbis colit, magnitudo tollatur. Hoc illi audito, furoris pleni sic cla-

Infrà 20. 21 *2. Cor. 11* *Demetrij seditiō in Paulum.* *Suprà 16*

F mare: Magna est Diana Ephesiorū. Ita urbe repleta cōfusione, uniuersi in theatrum impetum fecerunt, correpto Caio & Aristarcho Macedonibus, Pauli peregrinationis comitibus. Paulū autem uolentem ad populum intrare, non siuerunt discipuli. Quidam etiam gubernatorum Asiæ, qui ei erant amici, miserunt qui eum monerent, ne se daret in theatrum. Igitur alijs aliud clamantibus (erat enim confusa concio, & plerique, qua de causa conuenissent, nesciebant) protractus est ex turba Alexander producentibus eum Iudæis. Sed cum Alexander manu significasset, & uellet ad populū causam dicere, ubi Iudæum esse cognitum est, extitit omniū uox una per duas ferè horas, clamantiū: Magna est Diana Ephesiorū. Tum scriba, sedata turba, sic uer- G
ba fecit: Viri Ephesii, quis uerò est homo, qui nesciat Ephesiorū urbem cultricem esse magnæ deæ Dianæ, & à Ioue delapsi simulacri? His cum contradici non possit, decet uos sedatos esse, & nihil temerè facere. Adduxistis enim homines istos neque sacrilegos, neque in uestram deam maledicos. Quòd si Demetrius, & eius socij artifices causam habent aduersus aliquem, forum agitur, & adsunt proconsules: accusent inter se. Si aliud quid quæritis, id legitima concione absoluetur. Nam periculum est, ne seditionis accusemur ob hodiernum diem, cum nulla sit causa, qua concursus huius rationem reddere possimus. His ille dicendis concionem dimisit.

CAPVT XX.

POst compositum tumultum, Paulus, aduocatis ac salutatis discipulis, in Macedoniam ire contendit. Deinde peragratis illis partibus, eos multis uerbis cohortatus, uenit in Græciam. Vbi postquam tres menses egit, & ei factæ sunt à Iudæis insidiæ in Syriam nauigaturo, sententia fuit per Macedoniam reuerti. Comitatus est eum usque in Asiam Sopater Berrœensis, Thessalonicensium Aristarchus, & Secundus, & Caius Derbæus, & Timotheus: Asiani uerò Tychicus, & Trophimus. Hi prægressi manserunt nos in Troade. Nos nauigauimus post A- B
zymorum dies à Philippis, & ad eos in Troadem quinque diebus peruenimus, ubi septē dies commorati sumus. Prima autē post Sabbathū die, congregatis ad frangendum panem discipulis, Paulus disserebat, profecturus postridie. Cumque sermonem ad mediam noctem produxisset, & essent crebra in cœnaculo, quo conuenerant, funalia, quidam iuuenis, Eutychus nomine, in fenestra sedens, oppressus alto somno, diutius disserente Paulo, somno deturbatus decidit de tertia contignatione, & sublatus est mortuus. At Paulus degressus incubuit ei, eūque complexus, inquit: Nolite tumultuari. nam uita præ- C
ditus est. Deinde ascendit, & fracto gustatoque pane, ac multū usque ad diluculum collocutus, ita demū profectus est. Atque illi puerum uiuētem, non mediocriter recreati, abduxerunt. Nos ad nauem progressi, Assum nauigauimus, illinc Paulū recepturi. Sic enim mandauerat ipse pedibus iter facturus. Postque nobis ad Assum congressus est, nos eo recepto Mitylenē uenimus. Inde nauigātes, postridie uenimus cōtra Chiū. Sequenti die in Samū appulimus. & Trogyllij morati, postero die uenimus in Miletū. Statuerat enim Paulus Ephesum præternauigare, ne sibi mora facienda esset in Asia: properabat D
enim, si fieri posset, ad quinquagesimæ diem Hierosolymam uenire. Ex Mileto autem curauit

Eutychus ꝑ fenestrā delapsus.

Paulus Ephesianos, ab eis digressurus, commonet.

rauit accersendos Epheso seniores Ecclesiæ, & eos, ubi ad se uenerunt, sic alloquutus est: Vos scitis, ex quo primùm die in Asiam ingressus sum, quomodo apud uos perpetuò uersatus sim, Domino seruiens cũ omni modestia, multisq́ cum lachrymis ac periculis, quæ mihi per Iudæorum insidias contigerunt: ut nihil, quod utile esset, detrectauerim, quo minus uos instituerem ac docerem, tum publicè, tum intra parietes: & Iudæos & Græcos commonefaciẽs, ut correctis moribus ad Deum se conuerterẽt, & Domino nostro Iesu fidem haberẽt. Et nunc E ego diuino constrictus afflatu, Hierosolymam proficiscor, quid illic mihi sit euenturum, ignorans: nisi quod spiritus sanctus oppidatim monet, uincula me & calamitates manere. Sed nihil pensi habeo, neque tanti uitam meam facio, dum cursum meum cum lætitia, & assignatum mihi à Domino Iesu munus absoluam: hoc est, diuinæ gratiæ Euangelium testificer. Et nunc hoc quidem scio: nemo me uestrûm, quos inter diuinum regnum prædicans uersatus sum, præsentem posthac uidebit. Itaque contestor uos hodierno die, [a] me ab omnium pernicie insontem esse. Nihil enim parsi, omnes uobis F Dei declarare consilium. Quamobrem cauete & uobis & toti ouili, cui uos sanctus spiritus præposuit custodes, ut Dei pascatis Ecclesiam, quam ipse suo sanguine comparauit. Nam ego hoc compertum habeo, fore ut uos post discessum meum truces inuadant lupi, qui gregi non parcant: utq́ ex uobisipsis existant homines, qui peruersè loquantur, quò discipulos ad se sequendos abducant. Quare uigilate recordãtes, me per triennium noctes & dies unumquemq́ cum lachrymis admonere non intermisisse. In præsentia cõmendo uos, fratres, Deo, & sermoni eius gratiæ: qui uos exædificare, & inter sanctificatos omnes hæreditate donare potest. Nullius argentum, aut aurum, aut uestem concupiG ui: quin ipsi uos scitis, & meis & meorum usibus has ministrasse manus. Omnia uobis ostendi, quòd ita laborantes oporteat infirmis subuenire: & Domini Iesu uerba meminisse, qui dare quàm accipere, dixit esse beatius. Hæc locutus, positis genibus, cum illis omnibus supplicauit. Magnus autem fletus exortus est omnium, inq́ Pauli collum illapsi, eum deosculabantur, eò maximè dolentes, quòd se post hac præsentem uisuros negauisset. Deduxerunt autem eum ad nauem.

Phil. 1 — *1.Reg.3* — *Dan. 13.* — *a. neminem mea culpa perire.* — *1. Cor. 4.c* — *1.Thess. 2.b* — *2.Thess. 3.b*

CAPVT XXI.

NOs posteaquam ab eis auulsi soluimus, recto cursu uenimus in Coum. Sequenti die in Rhodum, & inde Patara: nauemq́ nacti, quæ in Phœnicen traijceret, cõscendimus, ac soluimus. & detecta Cypro, eaq́ ad læuam relicta, nauigauimus in Syriam, & Tyrum appulsi sumus (ibi enim nauis expositura erat onus) ac discipulos nacti, illic septem mansimus dies: qui quidem diuinitùs afflati, Paulum monebant, ne Hierosolymã ascenderet. Postquam dies illos transegimus, profecti sumus, deducẽtibus nos omnibus unà cum fœminis ac liberis, donec urbem egressi, positis genibus in litore B supplicauimus. Ac postquam inter nos consalutauimus, nos nauem conscendimus: illi domum reuersi sunt. Nos expedita à Tyro nauigatione, Ptolemaidẽ ꝑuenimus, et salutatis fratribus, apud eos mansimus unum diem. Postridie Paulus cum suis profectus, uenit Cæsareã, & ingressi domum Philippi Euangelistæ, qui erat ex septem, mansimus apud eum. Huic erãt filiæ uirgines quatuor, quæ uaticinabantur. Cõmorantibus autem nobis complures dies, descendit quidam ex Iudæa uates, nomine Agabus: qui nos aggressus, captoq́ Pauli cingulo, & colligatis suis manibus, ac pedibus dixit: Hęc dicit spiritus sanctus: Virum, cuius est hoc cingulum, sic colligabunt Hierosolymis Iudæi, & in extraneorum manus tradent. His auditis, C nos & incolæ hortabamur ne Hierosolymam ascenderet. Sed Paulus ita respondit: Quorsum ploratis, & animum meum angitis? Ego uerò non solum colligari, sed etiam mori Hierosolymæ paratus sum ꝓ nomine Domini Iesu. Nos igitur, illo non obtẽperante, destitimus, & Fiat Domini uoluntas, diximus. Post eos dies, adornata profectione, Hierosolymã ascendere contendimus, comitibus discipulorum quibusdam à Cæsarea, qui ducebant, apud quem diuersaremur, Mnasonem quendam Cyprium, ueterem discipulum. Postquã Hierosolymam peruenimus, libenter nos excepere fratres. D Postridie ingressus est Paulus unà nobiscum ad Iacobum, adfueruntq́ seniores omnes: quibus ille salutatis, narrauit singulatim quæ fecisset Deus apud exteras nationes suo ministerio. Quibus auditis illi, actis Domino gratijs, Paulum sic alloquuntur: Vides frater, quàm multa Iudęorum millia sint, qui crediderunt, & omnes legis studiosi sunt. De te autem auditione acceperunt, te à Mose deficiendum esse, docere omnes apud externas nationes Iudæos, negantem eis esse circuncidendos liberos, nec [a] moribus uiuendum. Quid ergo est? Omnino oportet ut conueniat multitudo: audient enim, uenisse te. Hoc igitur facito, quod nos tibi dicemus. Sunt nobis homines quatuor, uoto obstricti. Hos assume & cum eis lustrare, & apud eos sumptũ facito, ut caput tondeant, intelligantq́ omnes, eorum quæ de te audiuerunt, nihil esse, sed te quoque sic te gerere, ut legi pareas. Quod ad extraneos, qui crediderunt, attinet, nos scripto ad eos decreuimus, nihil tale seruandum eis esse, nisi ut deastris immolata, & sanE guinem, & suffocata, & stuprum uitent. Tum Paulus assumptis illis hominibus, sequenti die cũ eis lustratus, intrauit in fanum: & completos lustrationis dies nunciauit, donec oblatũ est pro eorũ unoquoq́ fertũ. Sed iam propemodũ absolutis septẽ diebus, Asiatici Iudæi eum in fano cõspicati, uulgus omne confundere, & iniectis ei manibus clamare: Viri Israëlitæ succurrite.

Philippi filiæ uates. — *Agabus Paulo uincula predicit.* — *Paulus Iacobum adit.* — *Galat. 5* — *a. scilicet Mosaicis.* — *Sup. 18.e* — *Num. 6.c* — *Supr 15.d.e* — *Iudæorũ impetus in Paulum.*

Hic

Hic est homo ille, qui contra populum, & legem, & hunc locum, omnes ubique docet. Quinetiam Græcos in fanum introduxit, & hunc locum profanauit. Viderant enim Trophimum Ephesium in urbe cum eo, quem in fanũ à Paulo introductum esse arbitrabantur. Ita commota urbe tota, & facto populi concursu, capitur Paulus, & extra fanum trahitur, ac statim clauduntur fores. Conantibus autem eum interficere, ascendit ad cohortis tribunum fama, totam Hierosolymam esse confusam: qui confestim ascitis militibus ac cẽturionibus, in eos decurrit. Illi, uiso tribuno & militibus, Paulum pulsare desierunt. Tribunus accessit, eumque comprehendit, ac duabus constringi catenis imperauit: & quisnam esset, quidue commisisset, sciscitatus est. Sed cum alijs aliud in turba clamantibus, certum scire propter tumultum nequiret, iussit eum in castra duci. Vt uentum est ad gradus, accidit ut à militibus gestaretur Paulus: tãta erat turbæ uiolentia. Sequebatur enim populi multitudo, clamans: Tolle eum. Et Paulus iam in castra introducendus, sic tribunum alloquitur: Licetne mihi tecum loqui? Et ille: Scis ne græcè? inquit. Túne es Aegyptius ille, qui superioribus diebus concitata seditione, eduxit in solitudinẽ illa sicariorum quatuor millia? At Paulus: Ego homo sum Iudæus Tarsensis, ciuis non obscuræ Ciliciæ ciuitatis. Sed oro te, permitte mihi ad populum loqui. Cumque ille permisisset, Paulus stans in gradibus, populo manu significauit. factoque alto silentio, Hebraico sermone orationem habuit his uerbis:

CAPVT XXII.

Paulus ad Iudæos causam dicit.

HOmines fratres & patres, audite meam hanc ad uos defensionẽ. Hic illi eum Hebræa lingua uerba facientem audientes, maius silentium præstiterunt. Et ille: Ego, inquit, homo Iudæus sum, Tarsi in Cilicia natus, in hac urbe educatus ad pedes Gamalielis, patria lege accuratè institutus. Dei cupidus, quemadmodum uos omnes estis hodie: qui hanc institutionem sum capitaliter insectatus, uiros simul & mulieres constringendo, & in carcerem condendo. Testis est mihi pontifex, & senatus uniuersus, à quibus etiam epistolas ad fratres acceperam, & Damascum ibam, ut eos quoque, qui illic essent, uinctos Hierosolymam adducerem ad supplicium. Sed accidit, ut euntem me, & Damasco propinquantem, circa meridiem multa repentè lux de cœlo circumfulserit. & collapsus ad terram, uocem audiuerim dicentem mihi: Saule, Saule, quid me persequeris? Ego respondi: Quis es, Domine? Atque ille: Ego sum Iesus Nazarenus, inquit, quem tu persequeris. Qui autem mecum aderant, lucem aspexerunt illi quidem, & territi sunt: sed uocem non audiuerunt alloquentis me. Tum ego: Quid agam? Domine. Et Dominus: Surge, inquit, & proficiscere Damascum: illic tibi dicentur omnia, quæ tibi facienda esse statutum est. Ego cum præ lucis illius splendore non uiderem, manu ductus à meis comitibus, ueni Damascũ. Ananias autem quidam, uir secundum legem pius, omnibus incolis Iudæis probatus, uenit ad me, & astans mihi: Saule frater, inquit, aspice. Et ego eodem temporis uestigio eum aspexi. Atque ille, Deus maiorum nostrorum, inquit, te ad uoluntatem suam cognoscendam destinauit: & ad [a] iustum uidendum, uocemque ex eius ore audiendam: quoniam ei testis futurus es apud omnes homines, eorum quæ & uideris & audieris. Quocirca quid cunctaris? agedum, baptizare, & tua peccata elue, inuocato nomine Domini. Reuerso autem mihi Hierosolymam, & in fano supplicanti, accidit ut extra meipsum raptus, uiderem eum mihi dicentem: Propera, & Hierosolyma celeriter exi: non enim admittent tuum de me testimonium. Et ego, Domine, inquam, sciũt ipsi ut ego solitus sim in custodiam dare, & per collegia uerberare, eos qui tibi fidem haberent: utque cum tui testis Stephani sanguis effunderetur, ego adessem, & in eius necem consentirem, uestimenta custodiens eorum qui eum interficiebant. At ille: Vade inquit: nam ego te ad longinquas gentes legabo. Ad hæc usque uerba eum illi audiuerunt, & hic clamorem sustulerunt: Tolle istum ex terris, inquiunt: non enim conuenit eum uiuere. Ita uociferantibus illis, & uestimenta iactantibus, ac puluerem in aërem iacientibus, iussit eum tribunus in castra duci, & de eo loris quæstionem haberi imperauit, ut cognosceret quam ob causam illi sic ei occlamarẽt. Sed dum ille loris eum constringit, Paulus eum qui aderat centurionem sic alloquitur: An hominem Romanum, eumque indẽnatum, licet uobis uerberare? Hoc auditum centurio tribuno nunciatum iuit. Vide, inquit, quid sis acturus: nam hic homo Romanus est. Tum eum aggressus tribunus: Dic mihi, inquit, esne Romanus? Etiã, inquit ille. Et tribunus: Ego magno precio istius ciuitatis ius redemi. Cui Paulus: At ego natus sum. Hic statim eum omiserunt, qui erant de eo quæstionẽ habituri. Tribunus quoque territus est, cum Romanum esse intelligeret, & eum colligasset. Postero die uolens certò scire, qua de re à Iudæis accusaretur, soluit eum uinculis: & pontificibus unà cum toto eorum concilio uenire iussis, Paulum deduxit, & apud eos statuit.

Suprà 9.a *Sup. 9.a* *a. Iesum.* *Suprà 9.d* *Sup. 7.g*

Tribunus de Paulo quæstionem haberi imperat.

CAPVT XXIII.

ET Paulus in concilium intuens, Viri fratres, inquit, ego me ad hunc diem sic ergà Deum gessi, ut optimè mihi conscius sim. At pontifex Ananias eis qui ei astabant imperauit, ut eius os percuterent. Tum Paulus: Percussurus est te Deus, inquit ei, paries incrustate. Ergo tu sedes, ut de me ex lege iudices, & contra legem pulsari me iubes? Hic assistentes dixerunt: Pontifici diuino conuiciaris? Et Paulus: Nesciebam, fratres, inquit, esse Pontificem: Scriptum est enim: Principi populi tui ne maledicito. Intelligens autem Paulus unam partem esse Sadducæorum, alteram Pharisæorum,

Exod. 22.d

Paulus Pharisæos cum Sadducæis committit.

Philip.3.b uociferatus est in cõcilio: Viri fratres, ego Pharisæus sum, Pharisæi filius: sperata resurrectionis mortuorum sum reus. Hoc eo locuto, orta est Pharisæorum & Sadducæorum contentio, diuisaq; multitudo est. Sadducæi enim resurre-
Matth.23.c ctionem, aut angelum, aut spiritum esse negãt: at Pharisæi utrumque confitentur. Hic exorto ingenti clamore, surrexerunt Scribæ, qui erant Pharisaicarum partium, & pugnantes dixerunt: Nullum in hoc homine malum inuenimus. Quod si eum spiritus est aut angelus allocutus ne pugnemus cum Deo. Ita magna exorta con-
C tentione, ueritus tribunus, ne Paulus ab illis discerperetur, iussit exercitum descendere, eumq; è medio illorum abreptum in castra ducere. Proxima nocte astans ei Dominus dixit: Bono animo es Paule: ut enim de me Hierosolymæ testificatus es, sic tibi Romæ quoque testificandum est. Deinde orta die conspirarunt Iudæi quidam, & sese deuouerunt, si uel cibum uel potionem caperent, quin Paulum interfecissent.

Iudæorum in Paulum coniuratio.

D Erant autem plus quadraginta qui hanc coniurationem fecerunt, qui Pontifices & Senatores res huiusmodi oratione conuenerũt: Diris nosipsos egimus, si quid gustaremus, quin Paulum occiderimus. Quamobrem uos tribuno & concilio significate, ut cras eum ad uos deducant, ut de eo cognituros exactius. Nos uerò, antequam sistatur, parati sumus eum perimere. Has insidias sororis Pauli filius audiuit, & uenit in castra, ac eò ingressus, rem Paulo retulit. Et Paulus aduocato uno centurione, sic ei dixit: Hunc adolescentem ad tribunum deducito: habet enim quod ei referat. Ille igitur eo assumpto, & ad tribunum ducto, sic tribuno dixit: Paulus is qui est in uinculis, euocatum me rogauit, ut
E hunc adolescentem ad te adducerem, habentem aliquid, tibi quod dicat. Et tribunus eo manu prehenso, ac in secretum ducto, percontatus est quid esset, quod sibi nunciandum haberet. Cui ille sic retulit: Constituerunt Iudæi rogare te, ut cras in concilium deducas Paulum, quasi aliquid diligentius de eo interrogaturi. Tu uerò eis obsequi noli: nam insidiantur ei, ex eis homines supra quadraginta: qui sese deuouerunt, si uel comederent, uel biberent, quin eum interemissent. Et nunc parati, tuum mandatum expectant. Igitur tribunus adolescentem
F dimisit, cum mandato, ne cui ea se tribuno declarasse diceret. Deinde euocatos duos quosdam centuriones alloquitur: Parate milites ducentos, qui Cæsaream proficiscãtur: item equites septuaginta, & hastatos ducentos, ad noctis horam tertiam: adhibitis etiam iumentis, ut eò impositum Paulum ad Felicem prætorem perducant. Scripsit autem epistolam, cuius exemplum est hoc: CLAVDIVS LYSIAS præstantissimo prætori Felici, salutẽ. Hunc uirum cum Iudæi comprehendissent & interfecturi essent, ego cum exercitu superueni, & eum eripui, ac Romanum esse didici. Volens autem scire, quã ob causam illi eum accusarent, deduxi eum in eorum concilium, & de quæstionibus legis eo- G
rum accusari comperi, nec ullius criminis insimulari, quod morte sit aut uinculis dignum. Cum autem esset indicatum mihi, fore ut Iudæorum appeteretur insidijs, ad te continuo misi, & simul accusatoribus, ut contra eum apud te dicerent, præcepi. Vale. Igitur milites, ut eis mãdatum fuerat, assumptum Paulum noctu duxerunt Antipatridem. Postridie siuerunt equites cum eo proficisci, ipsi in castra reuersi sunt. Equites Cæsaream ingressi, epistola prætori tradita, Paulum quoque ei stiterunt. Prætor ea lecta, sciscitatus ex qua esset prouincia, ubi ex Cilicia audiuit, ita dixit: Audiam te, ubi tui quoque accusatores uenerint: eũq; in Herodis prætorio iussit asseruari.

Lysiæ ad Felicẽ de Paulo literæ.

CAPVT XXIIII.

POst quinque dies descendit pontifex Ananias cum senatoribus, & oratore Tertullo quodam, qui apud prætorem contra Paulum comparuerunt, quo uocato, Tertullus sic accusare orsus est: Quòd multa pace per te fruimur, quódque tua prouidentia hæc natio rectè administratur, id & semper & ubique approbamus, præstantissime Felix, & maximas agimus gra-
tias. Sed ne te diutius obtundam, quæso ut nos B
pro tua æquitate paucis audias. Nos hominem hunc nacti pestilentem, & seditiones omnibus toto orbe Iudæis mouentem, ac sectæ Nazaræorum principem, eò usque, ut etiam fanum profanare conatus sit, comprehendimus, & ex lege nostra iudicare uoluimus. Sed interuenit Lysias tribunus, qui eum magna ui ex manibus nostris abduxit, iussitq; ut eius accusatores apud te adessent. ex quo poteris, si quæres, certior fieri de omnibus his, quibus nos eum ac- C
cusamus. Ad hæc assenserunt etiam Iudæi, hæc sic se habere dicentes. Tum Paulus: cum ei prætor annuisset ut diceret, respondit in hanc sententiam: Quòd te multos iam annos huic genti ius dicere scio, equidem eo confidentius pro me dico, quòd tu intelligere possis, me non plures duodecim compleuisse dies, ex quo Hierosolymam ad Deum adorandum ascendi. Neque uerò me in fano deprehenderunt cum aliquo D
colloquentem, aut uulgi seditionem facientem: nec in collegijs, nec per oppida: nec me eorum possunt conuincere, de quibus accusant. Illud autem apud te confiteor, me, ut fert institutio, quam sectam dicunt, sic Deum colere patrium, & omnia credere, quæ in lege & uatibus scripta sunt, ac in Deo spem habere (id quod isti Matth.22
ipsi quoque expectant) resurrectionẽ fore mortuorum, tum iustorum tum iniustorum. Atque equidem in eo me exerceo, ut intemerata conscientia & apud Deum semper, & apud homines sim præditus. Veneram autem post annos E
complures, ut popularium meorum egestatem Sup.21.e
muneribus alleuarem, & munera libarem: cum me in fano lustratum offenderent, nulla cum turba aut tumultu. [a] Ii sunt quidam ex Asia Iudæi, quos apud te præstò esse, accusareq; decebat, si

Tertullus apud Felicem accusat Paulum.

Pauli defensio.

a. Scilicet, qui me in fano offenderunt.

bat, si quid haberent contra me. Aut etiam isti ipsi dicant, si quod deprehenderunt in me crimen, dum asto in concilio. nisi forte criminosa est hæc una uox, qua sic inter eos astans uociferatus sum: De mortuorum resurrectione ego à

Suprà 23.b

F uobis hodie reus agor. His auditis, Felix b amplius pronunciauit, eam institutionem satis perspectam habens: Cum descenderit Lysias tribunus, inquit, cognoscam de uestra causa, præcepitque centurioni, ut asseruaretur Paulus, & remissius haberetur, neque quisquam suorum ei ministrare aut adire prohiberetur. Post aliquot dies aduenit Felix cum Drusilla uxore sua, quæ

b. Iudiciū distulit.

G erat Iudæa, & accersitum Paulum audiuit de fide in Christum. Ac eo de iustitia, & continentia, & futuro iudicio disserente, territus Felix, dixit: In præsentia, abi: ego tempus nactus, euocabo te. Accedebat eò, quòd pecuniam sibi à Paulo datum iri sperabat: ut eum solueret. Ideoque eū sæpius accersens, cum eo confabulabatur. Peracto autem biennio, accepit successorem Felix Porcium Festum. Itaque uolens gratum facere Iudæis, Paulum uinctum reliquit.

Paulus apud Felicē disserit.

CAPVT XXV.

FEstus prouinciam ingressus, post triduum
B Cæsarea Hierosolymam ascendit: seque apud eum stiterunt Pontifex, & Iudæorum primi, contra Paulum. contra quem à Festo beneficij loco postulabant, ut eum Hierosolymā accerseret: in animo habentes, eum in uia per insidias occidere. Festus respondit, Paulum Cæsareæ asseruari, se uerò breui profecturum. Quapropter qui uestrûm possunt, inquit, simul descendant: & si quid in hoc homine criminis est, accusent. Deinde postquam apud eos supra decem dies egit, Cæsaream descendit: & postridie pro tribunali sedens, Paulum iussit adduci. Qui postquam aduenit, circunsteterunt, qui Hierosolymis descenderant Iudæi, multa & atrocia Paulo crimina impingentes, quæ demonstrare non poterant: illo se nec in Iudæorum legem, nec in fanum, nec in Cæsarem quicquam peccasse defendente. Festus autem uolens Iudæis gratificari, dixit Paulo: Vis Hierosolymā
C ascendere, & ibi de his causam apud me dicere? At Paulus: Ad Cæsaris tribunal, inquit, asto, ubi me causam dicere decet. Iudæis nullam feci iniuriam, ut tu pulchrè scis. Nam si sum nocens, & aliquid morte dignum commisi, quo minus moriar non recuso. Sin nihil eorum est, de quibus hi me accusant, nemo me eis condonare potest. Cæsarem appello. Tum Festus cum concilio collocutus, respondit: Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis. Deinde præteritis aliquot diebus, Agrippa rex, & Berenice, Cæsaream uenerunt, salutaturi Festum. Qui dum ibi complures morantur dies, Festus regi negotium Pauli exposuit. Est uir quidam, inquit, à Felice relictus in uinculis, de quo me, postquam Hie-
D rosolymam ueni, compellarunt Pontifices senatoresque Iudæorum, eum poscentes ad supplicium. Quibus ego respondi, non esse Romanis morem, hominem ullum ad necem condonare, priusquam reus præsentes habuerit accusatores, & locum sui contra criminationem defendendi obtinuerit. Cum igitur illi huc con- E
uenissent, ego nulla interposita mora, postridie pro tribunali sedi, & hominem adduci imperaui. Cui cum præstò essent accusatores, nullum crimen inferebant, cuiusmodi ego opinatus eram: sed quæstiones quasdam de superstitione sua contra eum habebant, & de quodam Iesu mortuo, quem Paulus uiuere dicebat. Ego de huiusmodi quæstione dubitans, quæsiui an Hierosolymā proficisci uellet, & illic de his causam dicere. Sed Paulus ut ad Augusti cognitio- F
nem seruaretur, appellauit. Et ego iussi ut asseruaretur, donec eum mittam ad Cæsarem. Tum Agrippa ita Festo dixit: Vellem ego quoque hominem audire. Et ille: Cras, inquit, audies eum. Igitur postridie Agrippa & Berenice multo cū apparatu ueniunt, & in auditorium intrāt, unà cum tribunis & excellentibus in ciuitate uiris. Et Festus, adducto iussu eius Paulo, sic locutus est: Agrippa rex, & omnes uiri qui apud nos adestis, uidetis hunc, de quo me omnis Iudæo- G
rum multitudo & Hierosolymis & hic interpellauit, uociferans, eum uiuere amplius non debere. Ego cum eum nihil capitale admisisse cōperissem, & ipse ad Augustum prouocasset, statui mittere: tametsi quid certum de eo scribam ad dominum, non habeo. Ea de causa produxi eum ad uos, & maximè ad te, rex Agrippa, ut re disquisita, habeam quod scribam. Absurdum enim mihi uidetur, mittere uinctum, nec quæ ei crimina imponantur, significare.

Paulus Cæsarem appellat.

Festus cum Argippa rege de Paulo colloquitur.

Sup. 23. 14

CAPVT XXVI.

HIc Paulum sic alloquitur Agrippa: Liberum est tibi pro te ipso dicere. Tum Paulus, porrecta manu seipsum defendit: Quòd omnia de quibus à Iudæis postulor, hodie sum apud te, rex Agrippa, defensurus, qui sis omnium Iudaicarum consuetudinum ac controuersiarum uel in primis peritus, equidem beatum me duco. Quamobrem oro te, ut me æquo animo audias. Ac meam quidem ab ineunte ætate uitam, quæ ab initio Hierosolymis inter meos populares acta est, norunt omnes Iudei, iam diu scientes (modò uelint fateri) me ex exa- B
ctissima religionis nostræ secta uixisse Pharisæum. Et nunc sto reus speratæ repræsentationis eorum, quæ maioribus nostris à Deo promissa sunt: quò quidem se peruenturas duodecim tribus nostræ, Deum noctes diesque assiduè colendo, sperant. De hac spe accusor, rex Agrippa, à Iudæis. Itáne uerò incredibile apud uos iudicatur, mortuos à Deo excitari? Equidem statueram multa mihi contra Iesu Nazareni nomen esse facienda. Itaque feci Hierosolymis, multosque sanctorum ego in custodias inclusi, accepta à Pontificibus potestate, & interficiendos mea sententia damnaui. Quin eos per omnia collegia tormentis sæpe cogebam im- C
piè loqui: iámque immodicè in eos furens, per-

Pauli apud Agrippā regem oratio.

Suprà 8.4

Suprà 9.a

sequebar etiam ad exteras urbes. Ac aliquando proficiscens Damascum, cum potestate mihi à Pontificibus permissa, die medio, rex, in itinere uidi de cœlo solis splendore maius lumen, quod me meósque comites circumfulsit. Ac nobis omnibus ad terram collapsis, uocem audiui affantem me, & Hebræo sermone dicen-

D tem, Saule, Saule, quid me persequeris? Durum tibi fuerit contra stimulos calcitrare. Tum ego: Quis es, inquam, Domine? Et ille: Ego sum Iesus, quem tu persequeris. Verùm surge, & consiste in pedes. Nam eò tibi apparui, ut te & ministrum & testem constituam eorum quæq; uideris, quæq; tibi demonstrabo, uindicando te à populo & gentibus, ad quas nunc te mitto, ad eorum oculos aperiendos: ut ex tenebris in lu-

E cem, & ex Satanæ potestate ad Deum se conuertant, & ita peccatorum ueniam, & eandem cum eis sortem consequantur, qui fide mihi habenda sancti facti fuerint. Nec ego, rex Agrippa, cœlesti uisioni non fui dicto audiens: quin primùm eis qui Damasci erant, & Hierosolymis, perq; omnem Iudææ agrum, nec non ipsis extraneis denunciarem, ut uitam corrigerent, & ad Deum se conuerterent, ac uitæ correctione digna facerent. His de causis Iudæi me in fano comprehensum conabâtur interficere. Sed

Suprà 13. & 14

Suprà 21. e

F diuino præsidio ad hunc usque diem steti, infimos iuxtà ac summos commonefaciens: neque quicquam extra ea dicens, quæ tum cæteri uates, tum Moses, futura antè denunciarunt: uidelicet supplicio afficiendum Christum, primùmque ex mortuis in uitam reuocatum, lucem populo & gentibus nunciaturum. Hęc eo defendente, Festus magna uoce dixit: Insanis, Paule: nimiæ te literę ad insaniam redigunt. At ille: Non insanio, inquit, præstantissime Feste, sed uera & sana uerba profero. Scit hæc rex, ad quem eo confidentius loquor, quòd eum nihil

G horum latêre persuasum habeo. Nec enim hoc in angulo gestum est. Credis, rex Agrippa, uatibus? Credis, scio. Et Agrippa Paulo: Propemodum mihi persuades, ut Christianus fiam. Et Paulus: Deum precor, inquit, ut & propemodum & planè, non solum tu, sed etiam omnes qui me audiunt, hodie tales fiãt, qualis ego sum, exceptis his uinculis. Hæc eo locuto, surrexit rex, & prætor, & Berenice, & eorum assessores: & digressi loquebantur inter sese, eum hominem nihil morte aut uinculis dignum facere. Agrippa uerò Festo dixit, eum hominẽ absolui posse, nisi Cæsarem appellasset.

CAPVT XXVII.

Pauli in Italiam nauigatio.

VT autem nos in Italiam nauigare decretum est, traditus est Paulus, & alij quidam uincti duo, centurioni nomine Iulio, cohortis Augustæ: & conscensa naue Adramyttina, secundum Asiæ loca nauigaturi soluimus, comitante nos Aristarcho Macedone Thessalonicensi. Postridie ad Sidonem appulsi sumus: & Iulius Paulo humanè usus, permisit ei amicos adire, qui eius curam gererent. Inde postquam soluimus, subter Cyprum nauigauimus, quòd erant uenti contrarij. ac nauigato Cilico Pamphylioq; pelago, Lyciæ Myram appulimus: & ibi nactus centurio nauem Alexãdrinam, quæ B in Italiam nauigaret, eò nos imposuit. Postquam autem compluribus diebus tardè nauigantes, ægrè in eum locum qui est secundum Cnidum, uenissemus, obstante nobis uento, subter Cretam secundum Salmonam nauigauimus: eam'que ægrè præterlati, uenimus in quẽdam locum, nomine Pulchros portus, prope quem urbs erat Lasæa. Iam uerò satis multo tempore transacto, cum esset iam periculosa nauigatio, quòd tranquillitas præterijsset, monebat Paulus eos huiusmodi uerbis: Viri, uideo cum detrimento, grauiq; non solum oneris & nauigij, uerumetiam nostræ uitæ iactura, fore nauigationem. At centurio magis gubernato- C ri & nauiculario, quàm Pauli dictis obtemperabat. Ac quòd erat portus ad hyberna parum accommodatus, plerique consilium cœperunt, illinc quoque soluere, si fortè possent in Phœnicem apulsi hybernare, qui portus est Cretæ, spectans ad Africum & ad Corum. Itaque aspirante Austro, arbitrati se propositum assecutos, Assum præteruecti, Cretam præterferebantur. Verùm haud multo pòst in eam uerti- *Tempestas.* cosus uentus impegit, qui Euroaquilo uocatur. Ita cum correptum nauigium contra uentum tendere non posset, cessimus, atque ita ferebamur. Cum'que subter paruam quandam insulam, nomine Claudam, cursum tenuissemus, uix scapham tenere potuimus: qua subducta, adiumentis utebantur, succingentes nauem: ac D ne in Syrtim inciderent metuentes, demissa scapha sic ferebantur. Sed quia uehementi tempestate iactabamur, altero die iactura facta est: tertio die nos nostris manibus armamenta nauis eiecimus. Verùm neque sole, neque stellis complures iam dies apparentibus, & tempestate non mediocri incumbente, cæterò spes omnis salutis nostræ sublata erat. Cum autem multa esset inedia, Paulus in eorum medio astans, *Pauli ad nauigantes oratio.* sic locutus est: Decebat quidem, ô uiri, obtemperantes mihi, à Creta non soluere, & hoc detrimentum damnúmque lucrari. Nunc tamen moneo uos, ut bono sitis animo: nam nullius nostrûm uitæ iactura fiet, sed tantum nauigij. Astitit enim mihi hac nocte Dei, cuius sum, quemq; colo, angelus, & ita dixit: Ne metue, Paule, ad Cæsarem te sisti oportet. ac scito, tibi Deum omnes tecum nauigantes condonasse. Quamobrem bono este animo, uiri: confido enim Deo, ita fore quomodo mihi promissum E est. Oportet autem nos in aliquam insulam eijci. Deinde ubi quartadecima nox uenit, cum in Adria agitaremur, sub noctem mediam nautæ, quòd sibi ad aliquam terram accedere uidebantur, demisso perpendiculo nautico, inuenerunt ulnas uiginti. Deinde paululum progressi, & iterum contati, inuenerũt ulnas quindecim: ac ne in aspera loca inciderent ueriti,

iactis

iactis de puppi quatuor anchoris, optabant oriri diem. Sed cum nautæ ex naui effugere conarentur, & scapham in mare demisissent, quasi qui ex prora anchoras extensuri essent, F Paulus centurioni & militibus dixit: Nisi hi manserint in naui, uos euadere non potestis. Tum milites scaphæ funes absciderunt, eamq; delabi siuerunt. Interea dum dies appetit, Paulus omnes, ut cibum caperent, cohortabatur: Hic decimusquartus dies agitur, inquit, cum expectantes ieiuni permanetis, nihilq; sumpsistis: itaque uos ut cibum capiatis exhortor. Hoc enim ad uestram salutem pertinet. Nam [b] nullius uestrûm uel pilus ex capite cadet. His dictis sumptum panem, actis in omnium conspectu Deo gratijs, fregit, ac comedere cœpit. Tum omnes alacres redditi, ipsi quoque cibum ceperunt. Eramus autem in naui capita in summa ducenta septuagintasex. Deinde cibo satiati, nauem exonerarunt, iacto in mare frumento. Orta die, terram non agnoscebant: sed sinum quendam animaduertebant, qui littus habebat, in quod cogitabat, si fieri posset, nauem G appellere. Itaque detractas anchoras permiserunt in mare: simúlque laxatis gubernaculorum scalmis, & sublato ad flatum uelo, tendebant ad littus. Sed in locum bimarem delati nauem illiserunt, ita ut affixa prora maneret immobilis, puppis undarum ui solueretur. Militum autem consilium fuit, ut uinctos occiderent, ne quis enatando effugeret. Sed centurio Paulum seruare uolens, eos illo consilio prohibuit: iussitq; ut qui nare possent, primi se iacerent, & ad terram euaderent: cæteri partim in tabulis, partim in quauis re ex naui. Atque ita factum est, ut omnes in terram euaderent incolumes.

b. Nullus uestrû uel tantillû lædetur.

CAPVT XXVIII.

ELapsi autem, tum demum intellexerunt, insulam Melitam uocari. Barbari uerò nô uulgari humanitate erga nos usi sunt. Nam accenso igne, nos omnes iuuerût, propter instantem pluuiam, & propter frigus. Cum Paulus autem multum sarmêtorum collegisset, ac igni imposuisset, uipera propter calorem egressa, eius manum inuasit. Et barbari, ut pendentem de eius manu bestiam uiderunt, dicebant inter se: Omnino homicida est hic homo, quem ex mari seruatum, fas uiuere non sinit. At ille ex- B cussa in ignem bestia, nihil mali passus est: illis futurû expectâtibus ut arderet, aut subitò mortuus concideret. Sed postquam diutius expectantes, nihil incommodi ei uident accidere, mutati dicebant, esse Deum. Erant autem ijs in locis prædia primo insulæ, nomine Publio, qui nos acceptos triduû benignè tractauit hospitio. Accidit autem, ut Publij pater febribus & torminibus laborans decumberet: ad quem ingressus Paulus, ac comprecatus, impositis illi C manibus, eum sanauit. Quo facto, cæteri quoque, qui morbis in insula tenebantur, accedebant, ac curabantur: qui nos etiam multis honoribus prosequuti sunt, & soluentibus necessaria subministrarunt. Post tres menses soluimus in naui Alexandrina, quæ in ea insula hyemauerat, insignita Castoribus: & Syracusas appulsi, illic mansimus triduû. Inde circuitu peruenimus Regium: & post unum diem, orto Austro, altero die uenimus Puteolos. Vbi fratres nacti, exorati sumus, ut apud eos maneremus septem dies, & ita Romam uenimus. Vnde fratres, cum de nobis audiuissent nobis obuiam prodierunt usque ad Appium forum, & Tres tabernas. Quibus uisis, Paulus actis Deo D gratijs, sumpsit fiduciam. Postquam Romam uenimus, centurio uinctos præfecto castrorum tradidit. Paulo autem permissum est, ut solus cum custode suo milite maneret. Post triduum conuocauit, Paulus Iudæorum primos, eósque postquam conuenerunt, sic allocutus est: Viri fratres, ego quamuis nihil contra populum patriósue mores fecissem, uinctus Hierosolymis traditus sum in Romanorum manus, qui me examinatum uolebât absoluere: quòd nullum in me foret capitale crimen. Sed contradicentibus Iudæis, coactus sum appellare Cæsarem, non ut qui aliquid haberem quòd populares E meos accusarem. Hanc igitur ob causam uos aduocaui, ut uiderem & alloquerer. Nam causa spei Israëlitarû, hac catena circundatus sum. Et illi: Nos quidem, inquiunt, neque literas de te accepimus ex Iudæa, neque fratrum quisquam aduenit, qui aliquid sinistrum de te nunciauerit, aut dixerit. Cæterùm, uelimus ex te audire, quæ sentias. Nam de ista quidem secta notum est nobis, ei ubique contradici. Ac dicto ei die, uenerunt ad eum in hospitium complures: quibus ille disserebat, diuinum regnum testificans, & eis de Iesu, ex Mosis lege, & uatibus, à mane ad uesperam persuadere conans. F Et alijs quidem oratione persuadebatur, alij nô credebant: cumq; inter sese discordes essent, discedebant, Paulo unum uerbum locuto, uidelicet: Rectè allocutus est spiritus sanctus, per Esaiam uatem, maiores nostros, dum ait: Adi populum istum, & dicito: Audietis quidem, sed non intelligetis: & aspicietis, sed non perspicietis. Torpet enim animus istius populi, & auribus obtusè audiunt, & occlusos habent oculos, ne oculis uideant, & auribus audiant, & G animo intelligant, ac mutentur, atque ita eos ego sanem. Quapropter hoc uobis notum esto, missam extraneis esse diuinam salutem, qui etiam audient. His ab eo dictis, abierunt Iudæi, multam habentes inter sese côtentionem. Mansit autem, Paulus totum biennium in conducto priuatim, atq; omnes admittebat, qui eum adibant, diuinum regnum, publicans, & de Domino Iesu Christo summa cû libertate, sine impedimêto docens.

Paulus à uipera morsus, nec læsus.

Paulus Romam uenit.

Esa. 6. c
Mat. 13. b
Mar. 4. b
Luc. 8. b
Iohan. 12. f
Rom. 11. b

HH 3 PAV.

PAVLI EPISTOLA AD ROMANOS.

CAPVT I.

a. Quasi tu dicas, uocatitius.



PAVLVS IESV Christi seruus,[a] uocatus Apostolus, ad Euangelium Dei segregatus, quòd antè promiserat per suos uates in sacris literis, de filio suo, orto ex Dauidis semine quod ad carnē attinet: [b] definito Dei filio cum potētia, per spiritum sanctificum, dum ex mortuis resurgit Iesus Christus Dominus noster: per quam gratiam sumus et Apostolatū adepti, ut obediatur fidei ob eius nomen apud omnes gentes, in quibus uos quoque estis uocati Iesu Christi: Omnibus, qui Romę estis, Deo charis, uocatis sanctis, gratiam & pacem à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo. Primùm ago

b. certo demonstrato ac declarato

B Deo meo gratias per Iesum Christum de uobis omnibus, quòd uestra fides toto orbe diuulgatur. Testis enim mihi Deus est (quē ex animo in eius filij Euāgelio colo) me sine intermissione mētionem uestri facere semper in meis supplicationibus, precantē ut (quod Dei uoluntate fiat) tandem aliquando cōmoditatem adipiscar itineris, ad uos uisendos. Cupio enim uidere uos, ut diuinū aliquod beneficium uobis cōmunicem, uestri confirmandi gratia: hoc est, ut unà apud uos [c] recreemur per utrorumque fidem, uestram & meā. Nolo enim uos ignorare, fratres, me sæpe statuisse adire uos (sed hactenus prohibitus sum) ut profectum aliquē apud uos quoque faciam, quemadmodum apud cæteras nationes. Gręcis iuxtà ac barbaris, doctis ac imperitis debeo. Ita quod in me est, paratus sum, uos quoque qui Romæ estis, Euangelio instituere. Nec enim me pudet Euāgelij Christi: quippe quòd sit diuina potentia, salutaris omni fidenti cùm Græco, tum Iudæo. Nam [d] per id diuina iustitia exeritur, perpetuanda fide, quēadmodum scriptum est: Iustus autē fide uiuet. Exeritur enim ira Dei de cœlo in omnem impietatem & iniustitiam hominū, ueritatem iniustè supprimētium. Nam quod Dei cognosci potest, id apud eos manifestum est, utpote cum Deus eis patefecerit. Etenim quæ eius sunt inaspectabilia, cuiusmodi est eius sempiterna potentia atque diuinitas, ea ex mundi creatione, dū considerantur per opera, perspiciuntur: ut sint inexcusabiles, quoniam cognito Deo, nō ei dignam Deo gloriam gratiamque tribuerunt: sed uanis cogitationibus usi sunt, caligauitque eorū insipiens animus: sapientes se professi, stultos præstiterūt: & immortalis Dei gloriam ad imagines similes hominis mortalis, et uolucrum, &

1.Tim. 1.a
c. Scilicet ego & uos.
d. Per Euāgeliū fit homo iustus, dum fidem habet & in ea perseuerat.
Abac. 2.
Galat. 3. b
Heb. 10. g
C
Ephes. 4. c
1. Esd. 7. d
1 Corin. 3. d

quadrupedum, & serpentium transtulerunt. Quare Deus eos permisit animi sui cupiditatibus, in tantam impuritatem, ut ipsi sua corpora in sese deturpent: quòd Dei ueritatem in falsitatem transtulerint, & res creatas supra cretorem uenerati coluerint, qui est laudandus in sempiternū: Etiam. Hanc ob rem permisit eos D Deus in turpes libidines, ut eorum fœminę mutauerint usum naturalem in non naturalem: similiterque mares, omisso fœminæ usu naturali, exardescant mutua libidine, mares cum maribus obscœna perpetrantes, atque ita dignam erori suo mercedem in se accipientes. Ac quēadmodum [c] Dei cognitione nō probè usi sunt, ita permisit eos Deus in improbā mentem, ita ut nefaria faciāt, plenis omnis iniustitię, stupri, peruersitatis, auaritiæ, maliciæ: referti inuidia, cæde, iurgio, fraudulentia, nequitia: susurrones, maledici, Dei osores, contumeliosi, superbi, arrogantes, malorum inuentores, contumaces erga parentes, insipientes, insociabiles, inhumani, perfidiosi, immisericordes: qui cum id esse diuinū ius cognoscant, ut qui talia faciunt, morte digni sint, non solum ea faciunt, sed etiam facientibus assentiuntur.

c. Cū Deū nossent, nō ut erat dignus, honorarunt.

CAPVT II.

ITaque inexcusabilis es, ô homo, quicunque damnas, nam eo ipso quòd alterum damnas, teipsum cōdemnas, cum facias eadem tu qui damnas. Scimus autem, seuerū Dei iudicium in eos futurum, qui talia faciunt. An uerò hoc putas, homo tu (qui eos damnas qui talia faciunt, & facis eadem) te Dei iudicium euasurum? An diuitem eius benignitatē & facilitatem, ac lenitudinem contemnis? ignorans, te Dei benignitate ad sanitatem inuitari? Tu uerò, quæ tua est duritas, & deploratus animus, congeris ipse tibi supplicium in supplicij diem, & repræsentationis iusti Dei iudicij, qui suis cuique factis digna soluet: hoc est, ijs qui in rectè factis perseuerantes, gloriam honoremque & immortalitatem quærunt, uitam sempiternam: contentiosis autem, & in ueritatem contumacibus, iniustitiæ B uerò obedientibus, imminet sæuitia & pœna, calamitas & angustia, omni hominis animæ prauè agentis, cùm Græci, tum Iudæi. Gloria uerò, & honos, & pax omni rectè facienti cùm Græco, tum Iudæo. Nullum est enim apud Deum personarum discrimen: nam quicunque sine lege peccauerint, sine lege etiam peribunt: item quicunque cum lege peccauerint, per legem damnabuntur. Non enim legis auditores C erunt apud Deum insontes, sed legis executores erūt insontes. Cum enim exterarum nationum homines, legem nō habentes, natura [a] legitima faciant, ij legem non habentes, ipsi sibi lex sunt: qui quidem ostendant legis opus in suis animis inscriptum: id quod testabitur eorum cōscientia: & utrorumque cogitationes eos uel accusabūt, uel defendent, quo die iudicabit Deus arcana hominum, [b] ex euangelio meo, per Iesum Christum. En tu Iudæus nominaris,

Mat. 7. a
Matt. 16. d
Eph. 6. b
Coloss. 3. d
Deut. 10. d
Act. 10. f
Iac. 2. b
1. Pet. 1. d
Mat. 7. c.
Iac. 1. d
c. Et uirtutes laudēt & uitia uituperent, ac puniāt quæ eadem docet Mosaica lex.
b. Ut fert mea doctrina.

& in lege

& in lege acquiescis, ac de Deo gloriaris, & eius uoluntatē cognoscis, & præstabilia approbas, instructus lege: ubiq; persuades, te cæcorū esse ducem, lumen eorū qui sunt in tenebris, imprudentum præceptorem, imperitorum magistrum, qui ueram legis cognitionem præ te feras. Ergo qui alterū doces, teipsum non doces? qui prædicas non esse furandum, furaris? qui adulterandū negas, adulteras? qui deastros de-
D testaris, sacrilegium committis? qui in lege gloriaris, contra legem committendo Deum dedecoras? Per uos enim malè audit Dei nomen apud exteras nationes, quemadmodum scriptū
Ezech.39.f est. Nam ita demum prodest cirumcisio, si legi pareas. Sin contra legem cōmittas, tua circūcisio in præputium abijt. Quòd si præputiatus legis instituta conseruat, nimirum eius præputium pro circumcisione habebitur: damnabitq; qui natura præputiatus legem exequitur, te, qui literas & circumcisionem habens, contra legem facis. Non enim is Iudæus est, qui manifestò est: nec ea circumcisio est, quæ manifestò in carne est: sed is Iudæus est, qui ocultè est: & ea circumcisio est, quæ cordis est, spiritu, non literis: cuius Iudæi laus non ab hominibus est, sed à Deo.

CAPVT III.

QVæ nam est ergo Iudæi præstantia? aut quæ circūcisionis utilitas? Multa omnino. Primùm, quòd eis credita sunt oracula diuina. Quid enim, si diffiderunt nonnulli? Num
Ioh.3.e 8.d eorū diffidentia Dei fidē abolebit? Absit. Quin
Ps.115.a 50. sit Deus uerax, & omnis homo mendax, quēadmodum literis proditum est: Vt sis æquus in tuis dictis, & causam obtineas. Sed si iniustitia nostra, Dei iustitiam commendat, quid dicemus? Num Deus iniustus est, qui supplicium irroget? Humano more loquor. Absit. Alio-
a. si esset in iustus. quin [a] quomodo ius redderet Deus mundo? Verùm si Dei ueritas mea falsitate amplificatur, ad eius gloriam, cur ego tandem ut nocens dānor? quin potius faciamus mala, ut eueniant bona. Sic enim malè de nobis dicitur, & sic aiūt
B quidam dicere nos, qui meritò damnandi sunt. Quid ergo? antecellimus? Nequaquam. Conuicimus enim, & Iudęos & Græcos omnes pec-
Psal.13.a cato subesse, quemadmodum est in literis: Non est iustus, ne unus quidem: non est qui sapiat, non qui Deo studeat. Omnes pariter deflectunt, nequamq; sunt: non est qui rectè faciat,
Ps.5.a 13.a non est, ne unus quidem. Sepulchrum patens
Psal.9.c eorum guttur est, linguis suis ad dolum utun-
Psal.139.a tur: aspidum uirus habent in labijs. Eorum os execratione amarulentiaq; plenū est, pedes ad fundēdum sanguinē ueloces: exitiū & calamitas est in eorum uijs, & uiam pacis nesciūt. Nō habent sibi propositum Dei metum. Scimus
C autem quæcunq; lex dicit, ijs loqui, qui sunt in lege, ut omne os obmutescat, obnoxiusq; fiat totus orbis Deo, quòd per legis opera mortaliū
Gal.2.d nemo iustus fiet apud eum. Nam ex lege ori-
b. quæ ho- tur agnitio peccati. Nunc absque lege [b] diuina iustitia patefacta est, à lege ac uatibus testata: diuina inquam iustitia, quam fide Iesu Christo habenda consequantur & obtineant omnes fidentes. Non est enim discrimen ullum. nam omnes paccauerunt, diuinaq; gloria carent, iustificandi gratis, eius beneficio, per liberationem quæ fit in Christo Iesu: quem proposuit Deus placamentum, per fidem in eius sanguine collocandam, ad demonstrationem iustitiæ Dei, qui pro sua facilitate preteritis peccatis ueniam det, ut hoc tēpore suam iustitiā demonstret: ut sit ipse & iustus, & qui Iesu fidem habentes iustificet. Vbi est ergo gloriatio? Exclusa est. Qua lege? operum? Non, sed fidei lege. Censemus Gal.2.d
ergo fide iustificari hominem, absq; legis operibus. An Iudæorum solum Deus est? an non etiam extraneorum? Est etiam extraneorum: quandoquidem unus Deus est, qui & circumcisionem fide, & præputium per fidem iustificet. Ergo legem abrogamus per fidem? Absit: imò legem stabilimus.

(b. mini cōstat à Deo.)

CAPVT IIII.

QVid ergo dicemus Abrahamū, nostrū (quod ad humanam naturam attinet) parētem, cōsecutum esse? Si enim Abrahamus operibus iustificatus est, habet quod glorietur, sed non apud Deum. Verùm quid dicunt literæ? Credidit autem Abrahamus Deo, id quod Gen.15.b
ei iustitiæ ductū est. In operante quidē merces, Galat.3.a
non gratiæ, sed debiti locum habet. At non o- Iac.2.d
peranti, sed ei fidem habenti, qui sontem iustificat, eius fides iustitiæ ducitur: quemadmodū Dauid quoq; hominis beatitatem in eo statuit, si ei Deus iustitiam tribuat sine operibus: Beati Psal.31.a
quorum remissa delicta, quorum obducta sunt peccata. Beatus homo, cui non imputat Deus peccatum. Hæc igitur beatitudo in circumcisio- B
nem ne cadit, an potius in præputiū? Dicimus enim, fidem in Abrahamo habitam esse pro iustitia. quomodo igitur habitā? cum in circumcisione esset, an cum in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio: ac circumsionis notam accepit, quæ sigillum esset iustitiæ fidei, quæ fides fuit in præputio, ut pater esset omniū fidentium, siue præputiatorum (ut eis quoq; iustitia duceretur) siue circumcisorū: pater esset inquam, non ijs solum qui essent à circumcisione, uerumetiam gradientibus per fidei uestigia, quam parens noster Abrahamus habuit in præputio. Non enim per legem promissum est Abrahamo, aut eius posteritati, orbis hæredem C
fore, sed per fidei iustitiam. Nam si, qui à lege sunt, hæredes sunt: uana fides est, & irrita promissio. Lex enim pœnam parit. Siquidem ubi lex non est, ne delictum quidem. Ergo per fidē id fit, ut sit gratuitum, quò rata sit promissio omni posteritati, non solum quæ à lege, uerū etiam quæ ab Abrahami fide sit: qui nostrûm omniū pater est (ut habetur scriptum: Te mul- Gen.15.d
tarum gentiū patrē effecturus sum) uidelicet a- & 17.a
pud eum cui credidit Deum: qui mortuis uitam dat, & quæ non sunt, perinde ac si essent

uocat. Qui Abrahamus contra spem spe credidit, fore se multarum patrem gentium, ut erat promissum: Sic erit tua posteritas. Itaque fide nõ infirmus, nõ considerauit suũ corpus iam emortuũ (qui propemodũ centenarius esset) aut enectã Saræ uuluam: uerùm de Dei promisso non dubitauit diffidentia, sed fide ualuit, Deoque gloriã tribuit: exploratũ habens, eum quæ promisisset, etiã præstare posse. Itaque id ei iustitiæ ductum est. Nõ est autẽ scriptum propter eum solum, ei ductũ esse, sed etiã propter nos, quibus futurum est ut ducatur, fidem habẽtibus ei qui Iesum Dominum nostrum suscitauit ex mortuis: qui Iesus propter nostra delicta traditus, propter nostram iustitiam reuixit.

D

1. Tim. 1 d.
1. Iohan. 1. c

CAPVT V.

IGitur fide iustificati, pacem habemus cum Deo, per Dominũ nostrum Iesum Christũ, per quem fide aditum habuimus ad hoc beneficium, in quo stamus, & [a] diuinæ gloriæ spe gloriamur. Neque id solum, sed etiã gloriamur in calamitatibus: illud scientes, quòd calamitas patientiã parit, patientia probationem, probatio spem: spes autẽ nõ pudefacit, quod [b] Dei amore persusi sunt animi nostri, per spiritũ sanctum nobis datum. Nam Christus, cum nos adhuc essemus per tempus infirmi, pro sontibus mortuus est, cum uix quisquam etiam pro insonte moriatur: nam pro uiro bono fortassis aliquis mori sustineat. At Deus suum erga nos amorẽ in eo commendat, quòd cum adhuc nocentes essemus, Christus pro nobis mortuus est. Ergo multo magis nunc eius sanguine iustificati, defendemur per eum à supplicio. Si enim, hostes cum essemus, reconciliati sumus Deo per eius filij mortem: multo magis reconciliati seruabimur per eius uitam. Quinetiam (quod plus est) in Deo gloriamur per Dominum nostrum Iesum Christum, per quẽ nunc reconciliationem sumus assecuti. [c] Propterea quẽadmodum per unum hominẽ peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors: atque ita ad omnes homines peruasit mors, quatenus [d] omnes peccarũt. Nam usque ad [e] legem peccatum erat in mundo: atqui peccatum nõ ducitur, nisi est lex: [f] & tamẽ ab Adamo ad Mosem usque, etiam [g] in eos qui non peccauerant, regnauit mors propter similitudinem delicti Adami, qui futuri exemplum est. Sed non eadem beneficij, quæ delicti, ratio est. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis Dei beneficium atque donum, unius hominis Iesu Christi beneficio in multos exuberauit. Neque est eadem condonationis ratio, quæ est eius quod accidit per unũ qui peccauit. Nam unus in causa fuit, ut iudicium, & porrò damnatio consequeretur: at beneficium peperit multorum delictorum absolutionem. Si enim unius delicto mors per unum regnauit, multo magis qui tam excellens iustitiæ beneficium atque donũ fuerint adepti, in uita regnabunt per unum Iesum Christum. Ergo quemadmodum unius delicto factum est, ut omnes homines damnarẽtur: sic etiam unius iustitia fit, ut omnes homines absoluãtur atque uiuant. Vt enim unius hominis inobedientia sontes effecti sunt multi: sic etiam unius obedientia iusti efficientur [i] multi. Lex autem superuenit, quo plus esset delicti: quo plus autẽ fuit peccati, eo magis excelluit gratia: ut quẽadmodum morte regnauit peccatum, sic gracia quoque per iustitiam regnet, ad sempiternam uitam per Iesum Christum.

a. sperãtes nos fore gloriosos diuina gloria.

Iac. 1. d
b. scimus nos à Deo amari, & ideo quam speramus gloriã, ab eo consecuturos.

B

Heb. 6. d
1. Pet 3. d

c. Imperfecta similitudo. Vt ab Adamo mors sic a Christo uita

d qui per ætatem potuerunt.

e. Mosaicã

f. sunt ergo lex, sed naturæ

C

g. in infantes. quòp eos Adamus sui similes. hoc est nocentes. genuerat.

Galat. 1.
i. quos antè dixit omnes.

CAPVT VI.

QVid ergo dicemus? manebimus in peccato, quò plus sit gratiæ? nequaquam. Qui [a] peccato mortui sumus, quomodo adhuc uiuemus in eodem? An ignoratis, quicunque sumus Christi Iesu nomine baptizati, [b] ad eius mortẽ esse baptizatos? Sumus ergo unà cũ eo per baptisma [c] ad mortẽ sepulti: ut quemadmodũ Christus ex mortuis in paterna gloria resurrexit, sic et nos in uitæ nouitate gradiamur. Si enim [d] eius mortis similitudine insititij facti sumus, etiã resurrectionis erimus: illud sciẽtes, ueterẽ nostrum hominem simul esse crucifixum, ut peccati corpus aboleatur, ne nos amplius peccato seruiamus. Nã qui mortuus est, is peccato absolutus est. Quòd si unà cum Christo mortui sumus, etiã cum eo uicturos credimus: scientes, Christum ex mortuis excitatum, non iam moriturum esse, non iam morti esse obnoxiũ. Quòd enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quòd autem uiuit, Deo uiuit. Sic uos quoque existimate, uosipsos mortuos quidẽ esse peccato, sed uiuos Deo, per Christũ Iesum Dominum nostrum. Ne regnet ergo peccatum in mortali uestro corpore, ita ut peccato in corporis cupiditatibus pareatis, neue membra uestra iniustitiæ arma peccato præbete: sed Deo uos, ut ex mortuis uiuos, & uestra membra iustitiæ arma præbete. Non enim dominabitur uobis peccatum: quippe cum non sub lege sitis, sed sub gratia. Quid tum? peccabimus, quoniã non sub lege sumus, sed sub gratia? Absit. An nescitis, cui uosipsos seruos præbetis obediendo, eius seruos esse, cui obediatis? uel peccati [e] ad mortem: uel obedientiæ ad iustitiam? Sed est Deo gratia, quòd cum serui essetis peccati, paruistis ex animo ei doctrinæ rationi, quæ uobis tradita est: ac peccato liberati, mancipati estis iustitiæ. [f] Humano more dico, propter uestræ humanæ naturæ imbecillitatem. Vt enim uestra membra impuritati ac sceleri serua præbuistis ad scelus, ita nunc quoque membra uestra serua præbete iustitiæ ad sanctimoniã. Nam cum serui essetis peccati, eratis à iustitia liberi. Quem uerò tum fructum percipiebatis eorum, quorũ nunc uos pudet? Illorum enim finis, mors est. At nunc peccato liberati, Deoque emancipati, fructum uestrum percipitis, ad sanctitatem, ad extremum uitam adepturi sempiternam. Etenim peccati stipendia, mors est: at Dei beneficium, sempiterna uita, per Iesum Christum Dominum nostrum.

a. nihil rei cũ pecato habemus, non magis quàm mortui cum uiuis.

Gal. 3 d
b. ad moriẽdum cũ eo.
c. ut moriamur.

Ephes. 4. e
Colss. 3. b
d. quod similiter mortui simus mũdo.

B

C

Iohan. 5.
Ezec. 56
Esa. 1. g

e. propter quodmoriendum.

D

f. dũ uos iustitiæ ser uos appello, cum et demum fit uera libertas.

CAPVT

CAPVT VII.

AN ignoratis, fratres (nam legis scientes al
loquor) legem homini tandiu imperare, 1.Cor.7.g
quandiu ea uiuit? Etenim marita mulier uiuen
ti uiro lege obstricta est. Sed si uir mortuus fue
rit, ea à uiri lege soluta est. Itaq; uiuente uiro ap
pellabitur adultera, si fiat alterius uiri. Verùm
si uir moriatur, libera est à lege, ita ut adultera
non sit, si fiat alterius uiri. Ad eundum modũ,
mei fratres, uos quoque perempti estis legi, per
Christi corpus, ita ut in ius alterius transieritis,
eius qui ex mortuis excitatus est, ut fructum fe
ramus Deo. Cum enim essemus in carne, pec
catorum perturbationes à lege orientes, in
membris agebant nostris, ita ut morti fœtifica
remus. At nũc lege soluti sumus, ei mortui qua
tenebamur, ita ut seruiamus in nouo spiritu,
non in ueteribus literis. Quid ergo dicemus?
B Lex peccatum est? minimè. sed peccatum non
nossem, nisi per legem. Nam cupiditatem ne
Exod.20.c scirem, nisi diceret lex, Ne concupiscito. Pecca
Deut.5.b tum autem, occasionem nactum per prçceptũ,
effecit in me omnem cupiditatem. Siquidem
absq; lege peccatum est mortuum. Ego uerò a
liquando sine lege uiuebam. Sed aduentu præ
cepti, peccatum reuixit, ego mortuus sum: atq;
ita præceptum uitæ causa comparatum, com
pertum est mihi mortiferum. Peccatum enim
C occasionem nactum per præceptum, decepit
me, & per prçceptum interfecit. Itaque lex qui
dem sancta est, & præceptum sanctum, & iu
stum, & bonum. Ergo quod bonum est, id mihi
mors fuit? Nequaquam. sed peccatum, quod ut
appareret peccatum, per bonum mihi mortem
peperit, ut esset quàm peccantissimum pecca
tum per præceptum. Scimus enim, legem esse
spiritualem: ego uerò carnalis sum, peccato e
a. auersor, ut alienũ, meæque uitiositati tribuó. mancipatus. Quod enim ago, [a] non agnosco.
Non enim quod uolo, id ago: sed quod odi, id
facio. Quòd si quod nolo, id facio, legem bo
nam esse consentio. Nunc nõ iam ego id ago,
sed habitans in me peccatum. Scio enim, nõ ha
bitare in me, hoc est, in mea carne, bonum. Nã
uelle inest mihi: sed quomodo bonum faciam,
non inuenio. Non enim quod uolo facio bo
D num, sed quod nolo malum, id ago. Quòd si
quod nolo, ego id facio, nõ iam ego id ago, sed
habitans in me peccatum. Itaque reperio per le
gem, mihi bonum facere uolẽti, inesse malum.
Delector enim Dei lege, quòd ad interiorem
hominem attinet: sed aliam uideo legem in mẽ
bris meis, repugnantem legi mentis meæ, quæ
me captiuum reddat legi peccati, quæ lex est in
b. quod mihi mortem hác à peccato proficiscentem conflat. membris meis. Miser ego homo, quis me ab [b]
huius mortis corpore liberet? Ago Deo gra
tias, per Iesum Christum Dominum nostrum.
Ergo ego idem & mente seruio legi Dei, & car
ne legi peccati.

CAPVT VIII.

IGitur nulli iam damnationi sunt obnoxij,
a. Christiani facti. qui [a] in Christo Iesu, non carnis, sed spiritus
arbitrio parent. Nam lex spiritus uitalis in Iesu
Christo, liberauit me à lege peccati atq; mortis.
Quod enim à lege fieri non poterat, quoniam
ipsa in eo propter carnẽ infirma erat, id Deus
præstitit suo ipsius filio misso, carne sontis simi 2.Cor.5.d
li, & [b] pro peccato peccatum damnauit [c] in car b. ad delendum peccatum.
ne, ut legis iustificatio in nobis perageretur, qui
non carni obtemperamus, sed spiritui. Nã qui c. in Christo homine
ad carnis arbitrium uiuunt, carnalia sentiunt:
qui ad spiritus spiritualia. Carnis autem studiũ B
est, mors: at spiritus studium uita est, atq; pax:
si quidem carnis studium inimicitiæ sunt ad
uersus Deum, quippe quæ Dei legi nõ pareat:
nec enim potest. Qui sunt autem in carne, Deo
placere nequeunt. At uos nõ estis in carne, sed
in spiritu, siquidem Dei spiritus habitat in uo
bis. Quòd si quis Christi spiritum non habet, is
Christi nõ est. Si uerò Christus in uobis est, cor
pus quidem mortuum est per peccatum, sed spi
ritus uiuus est per iustitiam. Quòd si spiritus e
ius qui Iesum ex mortuis excitauit, habitat in
uobis, is qui Christum ex mortuis excitauit, e
tiam uestra mortalia corpora reuocabit in ui
tam, per inhabitantem in uobis spiritum suum.
Quapropter, fratres, debemus non carni, ut
ad carnis libidinem uiuamus. Nam si carnis C
arbitrio uixeritis, morituri estis. Sin spiritu
corporis actiones peremeritis, uiuetis. Nam
quicunque Dei spiritu aguntur, ij Dei filij sunt. 2.Tim.1.b
Non enim seruitutis spiritum accepistis rursus Gal.4.a
ad metum: sed spiritum accepistis adoptionis,
per quem clamamus, Abba, Pater. Is spiritus a
nimis nostris testatur, nos esse Dei liberos:
quòd si liberos, etiam hæredes, hæredes in
quam Dei, Christi autem cohæredes: si modò 1.Cor.13.b
simul patiamur, ut simul etiam gloriosi fiamus. Heb.4.d
Censeo autem, ea quæ hoc tempore patienda D
sunt, nequaquam esse paria gloriæ, qua sumus
afficiendi. Ea est enim rerum naturæ expecta
tio, ut filiorum Dei patefactionem præstoletur.
Nam uanitati natura rerum subiecta est, non
sua sponte, sed per eum qui eam spei submisit,
fore ut ipsa quoque rerum natura ab interitus
seruitute asseratur, in gloriosam liberorum
Dei libertatem. Scimus enim, omnem rerum
naturam hactenus congemiscere atque condo
lere. Quinetiam nos quoque, qui spiritus pri
mitias habemus, intra nos ipsos gemimus, ad
optionem expectantes, liberationem nostri
corporis. Nam spe seruati sumus. Spes autem
eorum quæ cernuntur, spes non est. Quod E
enim cernit quis, cur speret? Quòd si quod non
cernimus, id speramus, per patientiam expe
ctamus. Adde, quòd spiritus quoque nostris
succurrit infirmitatibus. Nam quid oremus, ut
fieri debet, nescimus: sed ipse spiritus pro no
bis supplicat gemitibus ineffabilibus. Animo
rum autem indagator nouit quod sit spiritus
studium, qui quidem sic, ut Deus postulat,
pro sanctis oret. Scimus autem, Dei aman
tibus omnia ad bonum conferre, qui diuino
decreto sunt uocati. Quos enim prænouit, e
tiam destinauit imaginis filij sui consimiles, ut

sit in

sit is in multis fratribus primogenitus. Itē quos destinauit, hos etiam uocat: & quos uocat, hos etiam iustificat: & quos iustificat, hos etiam gloriosos efficit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus à nobis est, quis contra nos? qui suo ipsius filio non pepercerit, sed eum pro nobis omnibus tradiderit, potéstne non unà cum eo nobis omnia largiri? Quis Dei electos accuset? Deus est qui absoluit, quis est qui damnet? Christus est qui mortuus est, uel potius qui resurrexit, qui etiam est ad Dei dexteram, & pro nobis sup-

G plicat, quis nos diuellat ab amore Dei? Calamitas? an angustia? an uexatio? an fames? an

Psal.43.d nuditas? an periculum? an gladij? quemadmodum scriptum est: Tua causa necamur quotidie, pro lanionijs ouibus ducimur: & tamen in his omnibus exuperamus per eum qui nos adamauit. Nam (quomodo mihi persuasum est) neque mors, neque uita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque sublimia, neque demissa, nec ulla alia rerum natura possit nos ab amore Dei diuellere, qui amor est in Christo Iesu Domino nostro.

CAPVT IX.

Galat.1 Actor.9.a 1.Cor.11.b

Verum dico per Christum, non mentior, testis est mihi mea conscientia, per spiritum sanctum, magno me animi dolore & irremisso cruciatu affici. Optarem enim meipsum à Christo infeliciter alienatum esse pro meis fratribus: meis, quod ad carnem attinet, cognatis, qui sunt Israëlitæ, quorum est adoptio, & gloria, & fœdera, & legislatio, & cultus, & promissiones: quorum sunt patres, & ex quibus est Christus,

B quod ad carnem attinet, qui est super omnia Deus collaudandus in sempiternum, Etiam. [a] Neque ideo dico, quòd Dei dictum exciderit. Non enim omnes ab Israële orti, sunt Israëlitæ: neque quia sunt Abrahami progenies, ideo sunt omnes filij. Sed ab Isaaco tibi denominabitur progenies. hoc est non carnis filij, ij sunt Dei filij: sed promissionis filij, progenies habentur. Promissionis enim est hoc dictum:

C Cum reuisam te hoc tempore, habebit Sara filium. Neque uerò illi solum, sed etiam Rebeccæ ex uno Isaaco parente nostro uterum ferenti, fœtibus nondum natis, nec ullo bono maloue functis, ut Dei per electionem decretum, non ex operibus, sed ex uocante ratum esset, Rebeccæ inquam dictum est: Maior seruiet minori. Quemadmodum scriptum est: Iacobum amaui, Esaum uerò odio habui. Quid ergo dicemus? Est ne in Deo iniustitia? Nihil minus. Mosi enim dicit: Gratiam facio, & misericor-

D diam tribuo, cuicunque mihi collibitum est. Ergo non est uolentis, neque currentis, sed gratiam facientis Dei. Sic enim in literis Pharaoni dicitur: Te ad hoc ipsum excitaui, ut in te meam ostendam potentiam, utque meum nomen toto orbe prædicetur. Ergo quem uult miseratur, & quem uult indurat. Dices mihi: Quid iam queritur? nam eius uoluntati quis resistat? Eho homo, tu quis es, qui cum Deo disceptes? Scilicet dicet ficta res fictori: Cur me sic fecisti? Qua-

a. Non ideo tantū Israelitis tribuo, quod ignorem, Deum ueros Israelitas pronūciasse, non qui Abrahamo pro creati, sed &c.

Gal.4.d Gen.35.c.18 c.15.c Malac.1.a Exod.33.d Exod.9.d

E si uerò non liceat figulo ex eadem luti massa aliud facere uas ad honesta, aliud ad inhonesta. Quid Deus? si uolens suam iram exercere, potentiámque declarare, tulit multa cum patientia [d] iræ uasa, ad exitium condita, simul ut suam opulentam gloriam declararet in uasa misericordiæ, quæ præparauit ad gloriam: hoc est, in nos, quos etiam non solum ex Iudæis, sed & ex cæteris nationibus uocauit, quemadmodum & in Osea dicit: Vocabo non populum meum, populum meum: & non amatam, amatam: ac

F quo loco negati fuerint meus esse populus, illic Dei uiuentis filij uocabuntur. Esaias uerò sic de Israëlitis uociferatur: Etiamsi fuerint Israëlitæ marina numerosiores arena, euadent tantum [c] reliquiæ. Nam rem seuerè atque semel, idque cum iustitia, rem inquam seueram faciet Dominus in terra. Ac quemadmodum iam dixerat Esaias: Nisi nobis Dominus armipotens semen reliquisset, idem nobis quod Sodomæ ac Gomorræ accidisset. Quid ergo dicemus? Cæteras

G nationes, iustitiam non persequentes, iustitiam consecutas esse: iustitiam inquam, quæ à fide manat: Israëlitas autem iustitiæ legem persequentes, ad iustitiæ legem non peruenisse. Cur? Quoniam non per fidem, sed per legis opera. Impegerunt enim in lapidem impactorium, quemadmodum scriptum est. Positurus sum in Sione lapidem impactorium, & petram illisoriam, cui quicunque confidet, non frustra erit.

Esa.45.d Eccl.33.d Iere.18.a Osee 2.d 1.Pet.2.b Esa.10.e Esa.1.e Esa.28.d

b. destinata pœnis.

c. pauci.

CAPVT X.

Fratres, equidem animi mei propensio, & ad Deum supplicatio, ad salutem spectat Israëlitarum. Nam de eis hoc testor, eos Dei studium habere, sed id inscitè facere. Ignorantes enim diuinam iustitiam, suam autem iustitiam statuere conantes, diuinæ iustitiæ non subijciuntur. Finis enim legis Christus est, ad omnium fidentium iustitiam. Nam de ea quidem iustitia, quæ in lege sita est, scribit Moses, hominem,

B qui iussa præstiterit, uicturum esse per ea. At quæ à fide proficiscitur iustitia, sic dicit: [a] Ne dixeris cum animo tuo, Quis ascendet in cœlum? Hoc est Christum [b] deuocare. Aut quis in Tartara descendet? Hoc est Christum ex mortuis educere. Sed quid aiunt literæ? Oratio tibi propè adest, tibi in ore est, & animo. Hæc est quam de fide publicè habemus orationem. quòd si & ore Dominum Iesum confessus fueris, & à Deo ex mortuis excitatum, animo credideris, seruabere. Nam & animo creditur ad iustitiam, & ore fit confessio ad salutem. Sic enim

C dicunt literæ: Quisquis ei fidet, non frustra futurum. Nullum quidem Iudæi Græcique discrimen est, cum idē sit omnium Dominus, diues omnibus qui eum inuocant. Quisquis enim Domini nomen inuocauerit, saluabitur. Sed possunt ne inuocare eum, cui non fidunt? aut fidere ei, de quo non audierunt? aut audire, sine præcone? aut prædicare, nisi qui erunt legati?

quem.

Leuit.18.a Deut.30.c Esa.28.d 1.Cor.8.b Ioel.2.g Actor.2.d

a. Noli dubitare, quasi fieri non possit ut fias.

b. ascēdisse negare.

[Esa.52.b] [Nahum.1.b] quemadmodum extat in literis: O quàm elegantes sunt pedes nunciantiũ pacem, nuncian- [Esa.50.a] [Iohan.12.f] tium bona? Sed non omnes obtemperant Euangelio. Esaias enim dicit: Domine, quis credit orationi nostræ? Ergo fides est ex auditione: auditio autem ex diuina oratione. Sed an non au- [Psal.18.a] dierunt? inquam. Quid ni? cum in omnes terras [D] peruenerit eorum sonus, eorumq; uerba ad ultimũ orbem? Sed an non nouerunt Israëlitæ? [Deut.32.c] inquam. Primus Moses dicit: Ego uos per non gentem prouocabo: uos per imperitã gentem [Esa.65.a] irritabo. Esaias uerò dicere audet: Repertus sum nõ quærentibus me: perspicuus factus sum non curantibus me. Ad Israëlitas uerò sic dicit: Pando meas manus totum diem ad contumacem contradicentemq; populum.

CAPVT XI.

NVm ergo reiecit Deus populum suum? inquam. Absit. Etenim ego Israëlita sum, ex Abrahami semine, tribus Beniamiticæ. Nõ reiecit Deus suũ populum, quem prænouit. An nescitis de Elia quid dicant literæ, ut Deum con- [3.Reg.19.d] tra Israëlitas appellet? Domine, tuos, inquit, uates interfecerunt, & aras euerterunt, me solo relicto, quē postulant ad necē. Verùm quid ei dicit oraculũ? Mihi reliqua feci septē hominũ milia, qui Baali genua non summiserunt. Similiter hoc tempore supersunt per gratuitam electionem reliquiæ. Quòd si gratuitò, ergo nõ per opera: alioquin gratia nõ iam esset gratia. Sin per opera, nõ iam est gratia: alioquin opus non iam esset opus. Quid ergo? quod conquirunt Israëlitæ, id non sunt assecuti: at electi assecuti sunt, re- [B] liqui excæcati sunt. sicuti literis proditum est: [Esa.6.c] [Mar.13.b] Dedit eis Deus torpentem animum: oculos ita ut non uideant: & aures, ita ut non audiant. id quod ad hũc diem durat. Item Dauid dicit: Sit eis ipsorum mensa laqueus & decipula, & offen- [Iohã.12.f] diculum atq; supplicium. Caligent eorum ocu- [Act.28.f] li, ita ut non uideant: eorumq; dorsum iugiter [Psal.68.c] incurua. Quæro igitur, an impegerint ut caderent? Nequaquam. Sed eorum casu cæteris gentibus parta salus est, ut ipsi prouocentur. Quòd si eorum lapsus sunt orbis diuitiæ, si eorum inopia reliquarum gentium opes sunt, quanto magis eorum plena copia? Vobis enim dico extraneis. quatenus equidem sum extraneorum Apostolus, ministerium meum illustro, si quà meos possim pellicere consanguineos, & eorum seruare nonnullos. Nam si eorum reiectio, mundi est reconciliatio: quid e- [a. Abrahamus.] rit cooptatio, nisi uita ex mortuis? Quòd si a [C] primitiæ sacræ sunt, ergo & massa: & si sacra radix est, ergo & rami. Quod si ramorum quidam [b. in truncum desectorum ramorum.] auulsi sunt, & tu oleaster b in eos insitus es, & particeps factus radicis ac pinguedinis oleæ, noli contra ramos gloriari. Quòd si gloriaris, non tu radicem fers, sed radix te. Dices: Auulsi sunt rami, ut ego insererer. Rectè. Diffidentia euulsi sunt: tu fide stas. Ne insolesce, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, quid si ne tibi quidem parcat? Vide ergo Dei benignitatem & seueritatem: in lapsos seueritatem: in te benignitatem, si modò in benignitate permanseris. Alioquin & tu resecaberis: & illi, nisi in diffidentia permanserint, inserentur. Potest enim Deus eos rursus inserere. Nam si tu ex naturali amputatus oleastro, insitus es contra naturam in bonam oliuam: quãto magis illi secundum naturam in propriam inserentur oleam? Nolo uos ignorare, fratres, arcanum hoc, ne ipsi uobis placeatis: cæcitatem ex parte Israë- [D] litis contigisse, donec cæterarum gentium plenus intret numerus: atq; ita omnes Israëlitæ seruentur. quemadmodum memoriæ proditum est: Veniet ex Sione liberator, qui à sceleribus [Esa.59.d] Iacobeos uindicet. Atque hæc est pactio, quam ego cum eis facio: uidelicet me eorum peccata sublaturum. Quòd ad Euangelium attinet, sunt propter uos inimici: quòd uerò ad electionem, sunt chari propter maiores. Sunt enim irreuocabilia Dei munera & uocatus. Vt enim uos qui aliquando non paruistis Deo, horum contumacia misericordiam estis consecuti: sic hi nunc, tributa uobis misericordia, non parent, ut ipsis quoque tribuatur misericordia. Conclusit enim Deus c omnes in inobedientiam, ut [c. & Iudæos & extraneos.] omnium misereatur. O altam sapientiæ cognitionisque Dei opulentiam: quàm penitus [Sap.9.c] recondita eius iudicia, quàm abstrusæ sunt ratio- [Esa.40.d] nes? Quis enim Domini mentem nouit? aut [1.Cor.2.d] quis ei fuit à consilio? aut quis illi antè contulit, ut ei gratia referatur? Nam ab eo, & per eum, & propter eum omnia: ei gloria in sempiter- [Rom.16.d] num, Etiam.

CAPVT XII.

QVare cohortor uos, fratres, per Dei mi- [Philip.4.d] sericordiam, ut præstetis corpora uestra hostiam uiuentem, sacram, acceptam Deo, qui uester sit cultus a rationalis. [a. quo uos ipsos, rationale animal non bruta libetis.] Neue similes uos huic seculo præstate, sed uestræ mentis renouatione trãsfiguramini, ut quod uelit Deus, quod bonum, acceptum, perfectumq; sit, id approbe- [Ephes.5.d] tis. Edico enim, per beneficium quod mihi col- [1.Thes.4.a] latum est, uestrũm cuiuis, ne sibi plus arroget, quàm arrogare debeat: sed tantum arroget, ut sobriè arroget, pro fidei modo, quem cuique [1.Cor.12.b] Deus impertiuit. Vt enim uno in corpore mul- [Eph.4.b] ta membra habemus, quæ membra non omnia [B] idem opus habeant: sic multi sumus unum corpus in Christo, inuicem alij aliorũ membra, sed qui dotes pro collato in nos beneficio uarias habeamus: ut diuinationem pro fidei portione: ut ministeriũ, ad ministrandum: siue quis doceat, ad docendum: siue cohortetur, ad cohortandũ: siue sit distributor, ut sincerè: siue præsit, ut sedulò: siue largiatur, ut hilarè faciat. Charitas si- [Amos.5.d] mulationis expers: uitij osores, uirtutis tena- [Ephes.4.a] ces, ad fraternum mutuumq; amorem procli- [1.Petr.1.c.b] ues, honore præuenientes alius alium, studio impigri, feruentes animo, tempori seruientes, spe gaudentes, in aduersis patientes, in precibus [Heb.12.d] assidui, sanctorũ egestatibus opitulantes, hospi- [Matth.5.g] talitatem exercentes. Bene precamini uos inse- [Luc.6.d]

ctantibus,

ctantibus, bene precamini, & ne imprecamini. b Gaudete cum gaudentibus, & cum plorantibus plorate, eodē modo inuicē animati: non uos animo efferentes, sed humilibus accommodantes. Ne uobis placete, nemini malū pro malo reddite, date operā ut uos apud omnes homines honestè geratis. Si fieri potest (quantum in uobis est) pacem cum omnibus exercete, non uos ipsos ulciscētes, ô mihi charissimi, sed c supplicio locum dantes. Extat enim scriptum: Mea est ultio, ego remunerabor, inquit Dominus. Si itaq; esurit inimicus tuus, da ei comedere: si sitit, da bibere. Id enim faciens, candentes carbones in eius caput congeres. Noli maleficio uinci, sed beneficio uince maleficium.

b. aliorum bonis gaudēdum, & dolendum malis.
Prouer. 3.a
Esa. 5.e
1.Petri.3.b
Proue. 20.e
2. Cor. 8.d
c. Deo, qui supplicium irroget.
Deut. 32.e
Heb. 10.d. f.12
Prou.25.c

CAPUT XIII.

1.Petri.2.c
Sap.6.a

OMnes mortales superioribus potestatibus pareant. Nulla est enim potestas, nisi à Deo: ac quæ sunt potestates, eæ à Deo sunt institutæ. Itaq; qui potestati repugnat, Dei institutioni resistit: quiq; restiterint, pœnas dabunt. non enim rectè factis metuendi sunt magistratus, sed prauè factis. Vis potestatem non timere? B benefacito, & ab ea laudem cōsequeris. Nā Dei minister est, tibi quod sit bono. Verùm si malè feceris, formida. Nec enim sine causa gladium gestat: quippe cum sit Dei minister, ad irrogandas pœnas ijs, qui malè faciunt. Quapropter parēre necesse est, non solum supplicij metu, sed etiam quia officij est. Siquidem hanc ob causam tributa penditis: sunt enim publici Dei ministri, in hoc ipso assidui. Quo circa soluite quod cuiq; debetis: cui tributum, tributum: cui uectigal, uectigal: cui metum, metum: cui honorem, honorē. C a Nihil cuiquam debete, nisi ut ametis uos inter uos. Nam qui alios amat, is lege perfunctus est. Etenim, Ne adulterato, Ne occidito, Ne furator, Ne falsum testator, Ne cōcupiscito, & si quod aliud præceptum est, id in hoc dicto summatim comprehenditur: Alterum ut teipsum amato. Charitas alteri non malefacit. Itaque legis perfunctio charitas est: præsertim cum sciamus, uenisse tempus & horā qua iam sit nobis à somno expergiscēdum. Nunc enim propius nos est salus, quàm tum cum credidimus. D Discessit nox, dies adest. Quare deponamus opera tenebrarum, & induamus arma lucis. Honestè nos, ut in die, geramus: non comessationibus & ebrietatibus, non concubitibus & libidinibus, non iurgijs & æmulatione: sed induite Dominum Iesum Christum: neue carnis curā gerite, cupiditatibus indulgendo.

Matt. 22.e
a. omnia quæ debetis soluite.
Deu.5.b
Leuit.19.b
Mat.22.d
Gal.5.e
Iac.2.b
Luc.21.f

CAPUT XIIII.

SI quis autē imbecilla fide est, huic nulla cum animi dubitatione opitulamini. Alius omnibus uesci fas esse credit: alius infirmus, uescitur oleribus. Qui uescitur, non uescentem ne contemnito. Item qui non uescitur, uescentē ne damnato, cum ei Deus subuenerit. Tu quis es, qui alienum famulum damnes? Suo Domino stat, aut cadit. Cōsistet autem: potest enim Deus eum stabilire. Alius a diem diemq; discernit: alius dies omnes eodem loco habet. Suam quisque sententiam exploratam habeat. Qui dierū rationem habet, Domino habet: item qui dierum rationem non habet, Domino non habet. B Qui uescitur, Domino uescitur: agit enim Deo gratias. Item qui non uescitur, Domino non uescitur, & agit Deo gratias: Nullus enim uestrûm sibi ipsi uiuit, nullus itē sibi ipsi moritur. Siue enim uiuimus, Domino uiuimus: siue morimur, Domino morimur. Siue igitur uiuimus, siue morimur, Domini sumus. Nam ideo Christus & mortuus est, & resurrexit ac reuixit, ut & mortuis dominetur, & uiuis. Tu uerò cur tuū fratrem damnas? aut tu cur tuum fratrem despicis? cum simus omnes ad Christi tribunal adfuturi? Scriptum est enim: Sic uiuam (inquit Dominus) ut mihi se flectet omne genu, omnisq; lingua Deum celebrabit. Itaque nostrûm quisque causam pro se dicet apud Deū. C Quamobrem ne iam damnemus alius alium: sed hoc potius statuite, non esse fratri offensioni, aut incōmodo. Scio, & per Dominū Iesum persuasum habeo, nihil per se profanum esse, nisi quod putanti aliquid profanum esse, ei profanum est. Verùm si propter esum frater tuus offenditur, tu non iam ex charitate te geris. Noli eum tuo esu perdere, pro quo mortuus Christus est. Ne committite igitur, ut malè audiat b uestrum bonum. Nō est enim Dei regnum cibus & potio: sed iustitia, & pax, & gaudium in spiritu sancto. In his enim qui Christo seruit, is & Deo acceptus, & hominibus probatus est. Quamobrem persequamur ea quæ ad pacem, mutuamq; utilitatem pertinent. Noli esus causa Dei opus abolere. Omnia quidē pura sunt: sed in eo malum est, si quis cum alterius offensione uescitur. D Decet neque carnes comedere, neq; uinum bibere, neq; quicquā, quo tuus frater uel impingat, uel lædatur, uel infirmetur. Tu fidem habes: apud te habe, in Dei conspectu. Felix qui c seipsum non damnat, in eo quod probat. Qui uerò dubitat, si comedit, damnandus est, quoniam non facit id cum d fiducia: & quicquid cum fiducia non fit, peccatum est.

Iac.4.c
a. dierum discrimen facit.
Iac.4.c
Esa.45.d
Philip.2.b
2.Cor.2.b
b. Euangelium.
Tit.1.d
1.Cor.8.d
c. quàuis licere sciat, non uescitur, ne cui officiat. Quod si officeret, dānandus esset sua culpa.
d. certa persuasione ita licere.

CAPUT XV.

DEbemus autem nos, qui fortes sumus, imbecillorum infirmitates tolerare, neq; nobisipsis indulgere. Quisq; nostrûm alteri indulgeat, boni causa, ad eius utilitatē. Etenim Christus non ipse sibi indulsit: sed quemadmodum memoriæ proditum est, Tuorum conuiciatorum conuicijs impetor. Quæcumq; enim antè scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, & literarum consolationem, spem habeamus. B Faxit autem Deus, & patientiæ & consolationis author, ut idem inter uos sentiatis, sicuti Christo Iesu dignum est, ut uno animo, unoq; ore concelebretis Deum & patrem Domini nostri Iesu Christi. Quocirca opitulamini mutuò, ut & Christus nobis ad Dei gloriam opitulatus est. Dico autem, Iesum Christum a ministrum fuisse circumcisionis propter

Psal.68.b
a. inseruiuisse Iudæis, ut Dei fidē in eo seruaret, quod illis promiserat.

Dei

Dei ueritatem, ad ea confirmanda quæ maiori-
bus fuerant promissa: utq; cæteræ gentes Deū
C ob eius misericordiam celebrarent, quēadmo-
2.Reg.22.d dum scriptum extat: Quare te celebrabo apud
Psal. 117.a gentes, tuumq; nomen cantabo. Item: Lætami-
Psal. 17.d ni gentes, inquit, cum eius populo. Item: Lau-
date Dominum gentes omnes, eumq; collau-
Esa.11.c date omnes populi. Itemq; Esaias: Erit Isæa ra-
dix, existetq; qui gentibus imperet, in quo gen
tes spē habebunt. Cæterùm Deus spei author,
omni uos lætitia atq; pace compleat, fidētes, ut
spe abundetis, ui spiritus sancti. Equidem hoc
de uobis persuasum habeo, mei fratres, uos o-
mnis esse bonitatis plenos, omni refertos cogni
tione, qui alius alium commonefacere posistis.
Sed ideo uobis aliquanto audacius scripsi, fra-
D tres, ut uos in memoriam reuocarem, pro eo
quod in me diuinitùs collatum est beneficio,
ut sim Iesu Christi publicus minister ad extra-
neos, sacrum Dei administrās Euangelium, ut
c. quæ Deo libantur. c extraneorum libatio accepta sit, per sanctum
consecrata spiritum. Itaq; habeo quod in Chri-
sto Iesu glorier, apud Deum quidem. Nam ne
quidem eloqui ausim, quàm nihil non (ad effi-
ciendum ut gentes obedirent) effecerit per me
Christus, tum uerbis tum re, tanta prodigiorū
ac miraculorū, tanta diuini spiritus ui, ut à Hie-
E rosolyma per circuitū, usq; ad Illyricum, omnia
Christi Euangelio repleuerim: idq; ita, ut Euan
gelium docere contenderē, nō ubi nominatus
esset Christus, ne alieno fundamēto superstrue-
rem. Sed quemadmodum scriptū extat: Qui-
Esa.52.d bus de eo non erat nunciatum, aspicient: & qui
non audiuerant, intelligent. Itaq; sæpenumero
impeditus sum, quo minus ad uos uenirem. At
nunc cum iam in his tractibus locum non ha-
beam, & uestri uisendi cupiditatē iam à multis
annis teneat, si quando in Hispaniam profici-
F scar, adibo uos. Spero enim, in itinere uisurum
uos, & à uobis illò deductū iri, si prius meā ue-
stri auiditatē aliquantū expleuero. Nūc quidē
proficiscor Hierosolymam, ministraturus san-
ctis. Visum est enim Macedonib. & Achæis,
collectā quandā conficere ad sanctorum pau-
peres, qui sunt Hierosolymis. Visum est, inquā
& sanè eis debēt. Nā si extranei illorū spiritua-
1.Cor.9.b lia participarūt, debēt uicissim humanis rebus
subuenire illis. Hoc igitur ubi perfecero, eisq;
fructū hunc consignauero, isthac me conferam
in Hispaniā. Scio aūt, cum ueniam ad uos, uen
turū cum plena Christiani Euangelij ubertate.
Exhortor aūt uos fratres, per Dominū nostrū
Iesum Christū, perq; spiritus charitatē, ut me fa
ciendis ad Deum pro me supplicationibus ad-
iuuetis, ut eos euadam qui sunt in Iudæa contu
maces: utq; id, cuius administrandi gratia Hie-
rosolymam peto, gratū sit sanctis, quo uos cum
lætitia, Dei uoluntate, uisam, uobiscumq; re-
creer. Deus pacis uobis omnibus adsit: Amen.

CAPUT XVI.

Commēdo autem uobis Phœbam, sororē
nostram, Cenchreensis ecclesiæ ministrā,
ut eam per Dominum accipiatis, sicuti sanctis
dignum est, eiq; adsitis, quacunq; in re ei uobis
erit opus. Nam ea cùm multis alijs, tum mihi
adfuit. Salutate Priscam & Aquilam, meos in
Christi Iesu negocio adiutores (qui pro mea ui
ta suas obiecere ceruices: quibus non ego solus
gratias ago, uerumetiam omnes extraneorum
ecclesiæ) & eorum domesticam ecclesiam. Sa-
lutate Epænetum, mihi charissimum, qui est
Achaiæ primitiæ in Christo. Salutate Ma-
riam, quæ multum causa nostra laborauit. Sa- Act.11.a
lutate Andronicum & Iuniam, meos cogna-
tos, & aliquando mecum unà captos, qui sunt
in Apostolis insignes, qui etiam ante me Chri-
sto accesserunt. Salutate Ampliam, mihi in Do B
mino charissimum. Salutate Vrbanum, no-
strum in Christo adiutorem: & Stachym, mihi
charissimum. Salutate Apellem, in Christo pro
batum. Salutate eos qui sunt ex Aristoboli fa-
milia. Salutate Herodionem, cognatum meū.
Salutate eos qui sunt ex Narcissi familia, qui
sunt in Domino. Salutate Tryphænam & Try
phosam, quæ in Domino laborant. Salutate
Persidem charissimam, quæ multum in Domi-
no laborauit. Salutate Rufum, hominē in Do-
mino lectum, eiusq; & [a] meam matrem. Saluta a. honoris causa suam uocat.
te Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patro-
bam, Hermem, & eorum socios fratres. Saluta
te Philologum, & Iuliam, Nereum, & eius so-
rorem, & Olympam, & eorum socios omnes C
sanctos. Salutate uos inter uos osculo sancto.
Salutant uos Christi ecclesiæ. Cohortor autem
uos, fratres, ut ab eis, qui seditiones & offensio-
nes contra eam quam accepistis, doctrinā exci
tant, caueatis, eosq; declinetis. Nam eiusmodi
homines non Domino Iesu Christo, sed suo
uentri seruiunt, & blanda speciosaq; oratione
fallunt animos non malitiosorum. Nam [b] ue- b. quo simpliciores estis & obedientiores, eo facilius ab illis decipiemini si aberit prudentia:
stra obedientia apud omnes increbuit, id quod
uestra causa gaudeo. Sed uolo uos, ut ad ma-
lum simplices, sic ad bonū esse sapientes. Deus
autem pacis Satanam breui sub uestris pedibus
conteret. Adsit uobis Domini nostri Iesu Chri
sti fauor. Salutant uos Timotheus meus adiu-
tor, & Lucius, & Iason, & Sosipater, mei cogna Act.16.a
ti. Saluto uos ego Tertius, qui hanc epistolam D
in Domino scripsi. Salutat uos Caius, meus ho-
spes, & totius ecclesiæ. Salutat uos Erastus pro-
curator ciuitatis, & Quartus frater. Fauor Do-
mini nostri Iesu Christi adsit uobis omnibus,
Amen. Ei autem qui potest confirmare uos se-
cundum meum Euangelium, & Iesu Christi
prædicationem, secundum patefactionem my
sterij æternis temporibus taciti, nunc autem de
clarati, & per uaticinas literas ex Dei immorta
lis instituto, ad obediendum fidei, ad gentes o- Rom.11.d
mnes explicati, soli sapiēti Deo per Iesum Chri
stum gloria in perpetuum, Amen.

Scripta est Corinthi, missa per Phœbam Cenchreensis ecclesiæ ministram.

PAVLI APOSTOLI EPISTOLA PRIMA AD *Corinthios.*

CAPVT PRIMVM.



AVLVS uocatus apostolus Iesu Christi, Dei uolūtate, & Sosthenes frater, diuinę Ecclesiæ quæ Chorinthi est, sanctificatis per Christū Iesum uocatis sanctis: necnon omnibus qui Domini nostri Iesu Christi nomen inuocant, quocūq; in loco, siue suo, siue nostro, gratiam & pacem à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo. Ago Deo meo semper de uobis gratias, ob Dei beneficium in uos collatum, per Iesum Christum: quòd per eum adeò rebus omnibus ditati estis, omni & oratione & scientia (quēadmodum de Christo testimoniū in uobis confirmatum est) ut nulla dote careatis, patefactionē expectantes Domini nostri Iesu Christi, qui uos confirmabit ad extremum

B inculpatos, ad diem Domini nostri Iesu Christi. [a] Fidelis Deus est, per quem ad eius filij Iesu Christi Domini nostri cōmunionem uocati estis. Exhortor aūt uos, fratres, ꝑ Domini nostri Iesu Christi nomē, ut idem omnes loquamini: néue sint in uobis dissidia, sed sitis in eadē mēte, eadēq; sententia cōpositi. Declaratū est enim mihi de uobis, mei fratres, à Chloæ domesticis, inter uos esse lites. Quod dico, hoc est, quòd uestrûm alius dicit, Ego sum Pauli: alius, ego Apollo, ego Cephæ, ego Christi. Diuisúsne Christus est? Num Paulus pro uobis crucifixus est? aut in Pauli nomē estis baptizati? Ago Deo gratias, q̄ uestrûm neminem baptizaui, nisi Crispū et Caiū: ne quis dicat, me in meū baptizasse no-

C mē. Baptizaui prǽterea Stephanæ familiā. Cęterorū nescio an baptizauerim. Nō enim legauit me Christus ad baptizandū, sed ad docendū Euangeliū, nulla cū orationis eruditione, [b] ne crux inanis fiat. Est enim crucis oratio perituris stultitia, seruandis autē nobis diuina potestas. Scriptum est enim: Perdam sapientū sapientiā et prudentū prudentiam abolebo. Vbi sapiēs? ubi literatus? ubi huius seculi conquisitor? Nonne infatuauit Deus sapiētiam huius mundi? Postquam enim ex [c] diuina sapientia non ita sapuit mundus ut Deū cognosceret, uisum est Deo, per prædicationis [d] stultitiam seruare fidentes: quandoquidem & Iudęi portentū postulant &

D Græci sapientiā quærunt. Nos uerò Christum prædicamus crucifixū, Iudæis offensionē, Græcis stultitiam: sed ipsis uocatis, tum Iudæis tum Græcis, Christum Dei potentiam, Deiq; sapientiam. Nam quod Dei [e] stultum est, id sapiētius est quàm homines: & quod Dei imbecillū est,

a. Hoc addit propterea, quod dixerat, Cófirmabit.
1. Thess. 5. d
Infrà 10. c
Infrà 3. a
Actor. 18. f
b. ne laus nō Euangelio, quo crux docetur, sed eloquētiæ tribuatur.
Esa. 26. c
Abdiæ 1. c
Esa. 33. c
c. mūdi opificio sapientissimè conditi.
d. quæ stulta esse uideatur.
e. stultitiæ speciem habet.

id fortius est quàm homines. Videtis enim, quomodo sitis uocati, fratres: non multi quidē sapientes, quod ad humanitatem attinet: non multi potentes, non multi nobiles: sed mundi stultissima Deus elegit, ut sapientes confutaret: & mundi infirmissima elegit Deus, ut fortia cōfutaret: & mūdi ignobilissima contēptissimaq; elegit Deus, & quæ nihil sunt, ut quæ aliquid sunt, aboleret, ne quis mortaliū glorietur apud Deum. [f] Ab eo autē uos estis per Christum Iesum, qui nobis est sapiētia à Deo, iustitia, et sanctitas, & liberatio: ut, quemadmodum scriptū est, Qui gloriatur, in domino glorietur.

f. scilicet Deo. Vos estis Dei homines.
Hier. 9. g
2. Cor. 10. d

CAPVT II.

ITaque ego cum ueni ad uos, fratres, ita ueni, ut nulla cum orationis aut sapientiæ excellentia diuinum uobis oraculum exponerem. Statueram enim [a] nihil scire apud uos, nisi Iesum Christum, & eum crucifixum. Itaque multa cum infirmitate & metu ac tremore uersatus sum apud uos: & eiusmodi oratione ac prædicatione usus, quæ non persuasorijs humanæ sapiētiæ uerbis, sed diuina potentiáq; demonstratio- B

ne constaret: ne uestra fides in hominum sapientia, sed in Dei potentia sita foret. Sapientiam autem loquimur apud perfectos, sapientiam inquam non huius seculi, neque principum huius seculi, qui abolentur: sed Dei sapientiam arcanè loquimur, abditam, quam destinauit Deus ante secula, ad nostram gloriam, quam nemo principum huius seculi cognouit. Si enim cognouissent, nunquam gloriæ Dominum crucifixissent. Sed (quemadmodum scriptum est) quæ nec oculus hominis uidit, nec auris audi- C

uit, nec animus cogitauit, quæ pręparauit Deus suis amatoribus. Nobis autem Deus suo spiritu patefecit. Spiritus enim omnia rimatur, etiam Dei abditissima. Nam quis hominum scit hominis negotia, nisi hominis spiritus, qui in eo est? sic Dei negotia nullus scit, nisi Dei spiritus. Nos uerò non mundi spiritum accepimus, sed profectum à Deo spiritum, ut intelligamus quæ nobis largitus Deus est: quæ etiam eloquimur non eruditis humanæ sapientiæ, sed eruditis D

sancti spiritus sermonibus, [b] spiritualibus spiritualia componentes. [c] Animalis autem homo non capit quæ sunt diuini spiritus, quippe quæ sint ei stultitia: itaque non potest ea cognoscere, ut quæ sint spiritualiter examinãda. At spiritualis explorat omnia, nec ipse à quoquam exploratur. Quis enim Domini mentem nouit, ut eum instiget? At nos Christi mentem habemus.

a. ita me gererē, ut nihil aliud scire uiderer.
Esa. 64. b
1. Pet. 1. c
b. res diuinas oratione tractantes quæ rebus diuinis congruat, hoc est simplici.
c. humanus & à diuinis alienus.
Sap. 9. c
Esa. 40. d
Rom. 11. d

CAPVT III.

EGo uerò, fratres, non potui uos ut spirituales alloqui, sed ut carnales, ut in re Christiana infantes. Lac uobis bibendum dedi, non cibum. Nondum enim poteratis: sed ne nunc quidem adhuc potestis, quippe qui sitis adhuc carnales. Etenim cum sit inter uos æmulatio & lis, & dissidia, nónne carnales estis, humanoq; more uos geritis? Cum enim dicat aliquis, Ego sum Pauli: alius, Ego Apollo: nónne carnales Sup. 1. b

estis?

estis? Quis uerò est Paulus? aut quis Apollos? ni
B si ministri, per quos uos credidistis, prout cuique dedit Dominus. Ego seui, Apollos irrigauit: sed Deus auxit. Itaque neque sator quicquam est, neque irrigator, sed qui auget Deus. Sator aūt & irrigator idem sunt: sed uterque suam mercedem accipiet, pro suo labore. Nos enim Dei sumus adiutores: uos Dei agricultura, Dei aedificium estis. ego pro Dei beneficio in me collato, ut
C sapiens architectus fundamentū ieci: alius superstruit. sed uideat quisque quomodo superstruat. Nam fundamentum aliud iacere nemo potest, praeter id quod iactum est, qui est Iesus Christus. Quòd si quis huic fundamēto superstruit aurum, argentum, gemmas, ligna, foenū, stipulam, cuiusque opus perspicuum fiet. Dies enim declarabit. nam igne patefiet: ac quale cuiusque sit opus, ignis explorabit. Si cuius opus, quod superstruxerit, manebit, is praemiū accipiet. Si cuius opus cōburetur, is iacturā faciet, quamque euadet ipse quidem, sed sic ut per ignē.

Infrà. 6. b

D An nescitis, uos Dei esse templum, Deique spiritum in uobis habitare? Si quis Dei templum corrumpet, corumpet hunc Deus: templum enim Dei sacrum est, qui estis uos. Nemo seipsum fallat. Si quis sapiens sibi uidetur apud uos, in hoc seculo stultus fiat, ut fiat sapiens. Nam huius mundi sapientia, apud Deum stultitia est. Sic enim scriptum extat: Qui sapientes sua ipsorum calliditate capit. Itemque: Intelligit Dominus sapientum cogitationes esse uanas. Itaque nemo glorietur apud homines: omnia enim uestra sunt, & Paulus, & Apollos, & Cephas, & mundus, & uita, & mors, & praesentia, & futura, omnia uestra sunt: uos autem Christi, & Christus Dei.

Rom. 1. c
Iob. 5. b
Psal. 93.

CAPVT IIII.

1. Cor. 6. 4

SIc de nobis existiment homines, ut de Christi ministris, & diuinorum arcanorum dispensatoribus. Caeterùm quod in dispensatoribus requiritur, ut fidelis quis comperiatur: ego uerò minimi facio, de me uel à uobis, uel omnino humana [a] die iudicari, quin [c] neque ipse de me sentētiam fero. [c] Quamuis enim nihil mihi conscium, non tamen idcirco sum absoluēdus. Verùm qui de me iudicium facturus sit, Dominus est. Quamobrem ne quid ante tempus iudicate, donec ueniat Dominus, qui & tenebrarum occulta proferat in lucem, & animorum consilia patefaciat, ac tum demū laudem quisque cōsequatur à Deo Haec ego, fratres, in me & in Apollo deriuaui, proter uos, ut in uobis
B discatis, nemini suprà quàm scriptum est arrogare, ne [d] alius de alio contra alterum tumeatis. Quis enim de te iudicaturus est? Quid uerò habes, quod nō aliunde habeas? quòd si aliunde habes, quid iactas, perinde ac si nō aliunde haberes? Iam uos saturi, iam diuites estis, sine nobis regnatis: atque utinam regnaretis, ut nos quoque unà uobiscum regnaremus. Nos enim postremos apostolos, Deus, puto, pro necandis habet: qui mundo & angelis, & hominibus spectaculum sumus. Nos propter Christū stulti sumus, uos in Christo prudētes: nos imbe- C
cilli, uos fortes: uos gloriosi, nos infames. Ad hoc tempus & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & pugnis caedimur, & agitamur, & laboramus, nostris ipsi manibus operantes. Conuicijs appetiti, fausta precamur: insectati, patimur: cum maledicitur nobis, solamur: hactenus pro mundi recremētis ac publicis quisquilijs ducimur. Non equidem ut uos pudore afficiam, haec scribo: sed ut charissimos mihi natos commonefacio. Nam etiamsi mille paedagogos habeatis in Christo, at nō multos patres. Etenim in Christo Iesu per Euangelium ego uos genui. Itaque uos cohortor ut mei sitis imitatores. Hāc ob causam misi uobis Timotheum, D
qui meus est charus fidusque natus in Domino, qui uobis narret instituta mea, quod ad Christi rem attinet, quomodo ubique in omni ecclesia doceam. Enimuero perinde quasi ad uos ego uenturus non sim, inflati sunt quidam: sed ueniam ad uos breui, si uolet Dominus, & cognoscam non orationem istorum inflatorum, sed uires. Non enim in oratione situm est diuinum regnū, sed in uiribus. Vtrum uultis cum uirga ueniam ad uos, an cum charitate, animoque mansueto?

a iudicio. b. non est enim meū de me iudicium, sed Dei. c. non qui suo, sed qui Dei iudicio insons est absoluitur

d. Aliud aliū iactetis, aliū despiciatis.

Philip. 3. d
Infrà. 11. a
Ephe. 5. a

CAPVT V.

OMnino auditur apud uos esse stuprum, & quidem tale stuprum, quale ne apud extraneos quidem nominatur, ut uxorem quidam patris habeat: & uos inflati estis? & nō potius lugetis, ut de medio uestrûm tollatur, qui facinus istud commisit? Ego uerò, ut corpore absens animo praesens, iam decreui, tanquā praesens, eum qui sic istud fecit, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis uobis & animo meo cum Domini nostri Iesu Christi, potentia, istum inquam dedere Satanae, ad perniciē cor- B
poris, ut animus seruetur ad diē Domini Iesu. Non est honesta uestra gloriatio. An nescitis exiguo fermento massam totā fermentari? Expurgate ergo uetus fermentum, ut sitis noua massa, sicut estis infermentati. Etenim Pascha nostrū pro nobis immolatus est Christus: proinde festum agamus, nō uetere fermento, neque improbitatis malitiaeque fermento, sed sinceritatis ueritatisque panibus infermentatis. Quod scripsi uobis per epistolam, ne cum impudicis commercium haberetis, id non scripsi de omnibus huius mundi impudicis, aut auaris, aut rapacibus, aut deastricolis: alioqui [a] uobis esset ex orbe migrandum. Sed quòd cum eis non esse contrahendum scripsi, id eò petrinet, ut si quis, qui frater nominetur, impudicus est, aut auarus, aut deastricola, aut conuiciator, aut e- D
briosus, aut rapax, cum eiusmodi homine ne quidem cibum capiatis. Nam de [b] alienis quidem [c] quid me iudicare attinet? cum [c] uobis sit de uestris iudicandum: de alienis quidem iudicat Deus. Igitur auferte malos de medio uestrûm.

Col. 2. a
Gal. 5. b

a. quoniam talium plena sunt omnia.
b nō Christianus.
c. Christiani de Christianis iudicent.

CAPVT VI.

a. nõ Christianos.
b. Nã Apostolos secũ iudices sessuros, docuit Christus.

AVdet aliquis uestrûm, negotium habens cum altero, iudicio experiri apud [a] iniustos, ac non potius apud sanctos? An nescitis, [b] sanctos de mundo iudiciũ esse facturos? Quòd si à uobis de mundo iudicandum est, an tãtillis indigni iudicijs estis? An uos præterit, nos etiã de angelis sententiam esse laturos, nedum de huius uitæ negocijs? Ergóne si de huius uitæ negotijs controuersias habetis, eas ad [c] eorum iudicium refertis, qui in ecclesia despicatui sunt? Hoc dico, ut uos pudeat. Adeóne in uobis ne unus quidem ita peritus est, ut possit inter suos fratres dijudicare? sed frater cum fratre litigat, idq; sub infidentibus? Iam quidem omnino uitium in uobis est, quod inter uos controuersias habetis.

c. uõ Christianorum, qui apud Christianos nullo numero habentur.
B
Ephes. 5. a
1. Tit 1. b
d. Christianos.

Cur non potius iniuriã patimini? cur non potius fraudamini? imò uos iniuriam facitis ac fraudatis, & quidem [d] fratres. An uos latet, iniustos non esse diuinum regnũ adepturos? Ne errate: nec impudici, nec deastricolæ, nec adulteri, nec molles, nec pædicones, nec fures, nec auari, nec ebriosi, nec conuiciatores, nec

C

rapaces, diuinum regnum consequentur. Et tales quidem nonnulli eratis: sed abluti estis, sed sancti, sed iusti facti, per nomen Domini Iesu, perq; Dei nostri spiritum. Quiduis mihi licet, tametsi non quiduis conducit: quiduis mihi licet, tametsi ego nulli rei mancipabor. Et dapes uentri, & dapibus uenter: & hunc & illa abolebit Deus. At corpus non stupro, sed Domino, & Dominus corpori. Deus uerò & Dominũ suscitauit, & uos per eius potestatem suscitabit. An nescitis, corpora uestra Christi esse membra? Ergo Christi membra tollam, & scorti mẽbra faciam?

D
Gen. 2. d
Matth. 19. a
Mar. 10. a
Epes. 5. d

Absit. An nescitis, eum qui cum scorto copulatur, unũ esse corpus? Fiet enim, inquit ille, ex duobus una caro. Qui uerò cum Domino copulatur, unus spiritus est. Fugite stuprum. Omne aliud peccatum, quodcunque committit homo, extra corpus est: sed qui scortatur, is intra suũ corpus peccat. An ignoratis, uestrum corpus tẽplum esse sancti spiritus, qui in uobis est, quem à Deo habetis? neque uos esse uestros, quippe [e] precio emptos? Honorate sanè Deum uestris & corporibus & animis, quæ Dei sunt.

Suprà. 3. d
2. Cor. 6. c
e. scilicet à Christo. Itaque in Christi potestate esse debetis, ut seruus in emptoris sui.

CAPVT VII.

DE quibus aũt mihi scripsistis, bonum esset homini mulierem non tangere: sed propter stupra, suam quisq; uxorẽ, & suum quæq; uirum habeat. Vxori uir debitam beneuolentiam soluat: itidemq; uxor uiro. Vxor sui corporis domina non est, sed uir: itemq; uir sui corporis dominus non est, sed uxor. Nolite alter alterum defraudare, nisi fortè ex mutuo cõsensu, ad tempus, ut ieiunio & precibus uacetis: & deinde congrediamini, ne uos tentet Satanas, propter uestram intemperantiam [a] Hoc autẽ dico, quod ita permittam, non quod præcipiã. Vellem enim omnes homines [b] sic esse, ut ego sum. Sed sua quisque dote præditus est à Deo:

Infrà. 7. d
1. Pet. 1. d
a. scilicet de coniugio.
b. esse cœlibes.

alius aliter. Cœlibibus autem & uiduis dico, bonum eis esse, si sic maneant, ut ego. Tamen si se non continent, contrahant matrimonium, Satius est enim matrimoniũ contrahere, quàm [c] ardere. Coniugibus autem præcipio, nõ ego, sed Dominus, ne uxor à uiro dirimatur. Quòd si dirempta fuerit, maneat cœlebs, aut uiro reconcilietur. Item, ne uir uxorem repudiet. Cæteris ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidentem, quę tamen cum eo libenter habitet, eam ne repudiato. Item mulier quæ uirum habet infidentem, qui tamen libenter cum ea habitet, eum ne repudiato. Sanctus enim fit uir infidens per uxorem: itemq; sancta fit uxor infidens per uirum.

B
c. scilicet libidin.
Matth. 5. a
19. b
C

Alioquin uestri liberi impuri essent, cum nunc sint sancti. Sin infidens diuortium facit, faciat: non est in huiusmodi re [d] seruus frater aut soror: quin nos [e] ad pacem uocauit Deus. Quî scis autem mulier, an tu uirum seruatura sis: aut quî scis uir, an tu uxorem seruaturus sis? Cæterùm ut cuiq; largitus Deus est, ut quemq; Dominus uocauit, ita se gerat: atq; ita in omnibus ecclesijs faciẽdum præcipio. Circumcisus uocatus est aliquis, ne præputietur: præputiatus uocatus est, ne circũcidatur. Circunc sio nihil est, & præputium nihil est, sed Dei præceptorum conseruatio. In quo quisq; statu uocatus est, in eo maneto.

d. cogendus.
e. ut tranquille uiuamus, quod fieri non posset, si inuiti coniuges unà degerent.
D
f. factura Christianum.

Seruus uocatus es, ne curato, quanquam si libet fieri potes, eo potius utere. Nam qui, cum seruus esset, uocatus est in Domino, is Domini libertus est. Itidem, qui liber uocatus est, is Christi seruus est. Precio [f] empti estis, nolite hominum serui fieri. In qua quisq; condicione uocatus est, fratres, in ea maneto apud Deum. De uirginibus autem, Domini præceptum nõ habeo: sed consilium do, ut qui is sim, cui Domini clementia fidentem esse datum sit.

Ephes. 4. a
Suprà. 6. d
1. Pet. 1. d
F
E

Arbitror igitur [g] id bonum esse, propter instãtes [h] res aduersas, quòd homini bonum est sic esse. Deuinctus es uxore, ne quære solutionem: solutus es uxore, ne quære uxorem. Quòd si duxisti, non peccasti: & si nupsit uirgo, nõ peccauit, sed ijs humanæ calamitates ferendæ sunt, & ego [i] uobis parco. Cæterũ hoc aio, fratres: Tempus angustũ est: restat, ut & qui uxores habent, perinde sint ac si non habeant: & qui plorant, ac si non plorent: & qui gaudent, ac si nõ gaudeant: & qui emunt, ac si non teneant: & qui utuntur hoc mundo, ita ut non abutantur. Abit enim species huius mundi, & ego uos securos esse uellem. Celebs Domini res curat, ut Domino placeat. Maritus mundana curat, uxori ut placeat, atq; ita diuisus est. Item mulier cœlebs, aut uirgo, Domini res curat, ut & corpore sancta sit, & spiritu: at nupta curat mundana, uiro ut placeat. Hoc autẽ ad uestram ipsorum utilitatem dico, non uti laqueum uobis iniciã, sed ut honestè, ac indiuisa cum Domino coniunctione uiuatur. Quòd si quis in uirgine sua indecorum esse putat ut ea uicta sit, atq; ita faciendum est, quod uolet faciat, non peccat, nubat.

g. scilicet uirginem esse.
h. incõmoda, quæ paulo pòst dicit.
i. opto uos calamitatũ expertes esse.

Sed

Sed qui animo constans est, neq; cogitur, sed liber & sui iuris est, atque hoc animo suo statuit suam seruandam esse uirginē, rectè facit. Itaq; & qui nuptum elocat, rectè facit: & qui nō elocat, rectius facit. Mulier lege obstricta est, quādiu uiuit eius uir: sin obdormiuerit uir eius, liberum est ei cui uelit nubere, dummodo in Domino: quāquam felicior est si sic manserit, mea quidem sententia. Videor autē ego quoq; mihi habere diuinum spiritum.

Rom. 7. a

CAPVT VIII.

DE ijs autem quæ sunt sacrificata deastris, scimus omnes [a] nos [b] eius rei cognitionē habere. Cognitio inflat, charitas alijs prodest. quòd si quis scire aliquid sibi uidetur, nihildū nouit, ut quidem nosci debet. At si quis Deum amat, is Deo notus est. ergo de esu immolatorum deastris, scimus nullum esse in mundo deastrum: nullumq; alium esse Deum, excepto uno. Quamuis enim sint qui dicantur Dij, tum in cœlo tum in terra (ut sunt multi & qui dij & qui domini dicantur) at nobis quidem unus est Deus, pater ille, à quo omnia, & in quem [c] nos: item unus est Dominus Iesus Christus, per quē omnia, & per quem nos. Sed non est in omnibus huius rei cognitio. Quin nonnulli hodie C opinantes esse deastros, tamē quasi deastris immolata comedunt: itaq; eorū conscientia, quæ infirma est, labefactatur. Atqui cibus non commendat nos Deo: nā neq; si uescimur, præstantiores sumus: neq; si non uescimur, sumus deteriores. Sed uidete ne uestra [d] ista potestas detrimento sit imbecillibus. Si quis enim uiderit te cui nota res est, in deastrorum mensa accumbentem, nonne cum sua illa opinionis infirmitate impelletur ad uescēdum deastrorum uictimis? D atq; ita per tuam cognitionem [e] peribit frater imbecillis, propter quem oppetijt Christus? Sic autem peccantes in fratres, & eorum infirmam conscientiam percellentes, in Christum peccatis. Quamobrem si esus officit meo fratri, nunquam sum carnem comesurus, ne fratrem meum lædam.

a. scilicet qui alios docemus.
b. nihil esse deastros.
c. scilicet referimur, & ab eo pēdemus.
Rom. 14. c
d. uescēdi.
e. peccabit uescendo contra. quàm fieri à se debere putet

CAPVT IX

AN scilicet non sum Apostolus? scilicet nō sum liber? scilicet Iesum Christum Dominum nostrum non uidi? scilicet opus meum nō estis uos in Domino? Si alijs non sum Apostolus, at certè uobis sum, si quidem uos mei muneris sigillum estis in Domino: atq; hæc est mea apud eos, qui me explorant, defensio. Scilicet nō liceat nobis comedere ac bibere? scilicet non liceat nobis [a] sororem uxorem circumducere, ut & cæteris Apostolis, & Domini fratribus, & Cephæ? Soline mihi & Barnabæ, ne non operemur, interdictū est? quis unquā suis stipēdijs militat? quis uineam pangit, nec eius fructu uescitur? aut quis ouile pascit, quin ouilis lacte uescatur? B Num hæc ego humano more loquor? an non lex quoq; dicit eadem? Nam in Mosis lege scriptum est: Boui trituranti os ne obstruito. [b] Bouesne curæ Deo sunt? An propter nos omnino dicit? Propter nos enim literis proditum est, spe debere arantē arare, & triturantem spe participare quod sperat. Si nos uobis diuina seminauimus, magnū uerò est si nos humana uestra metemus? Si alij uestras facultates participant, cur non magis nos? Verùm nō sumus hac usi potestate, sed quiduis perferimus, neq; Christi remoremur Euangelium. An nescitis, eos qui sacra procurant, sacris uesci? qui aræ operā dant, aræ participes esse? Similiter item Euangeliū publicantibus mandauit Dominus, ut Euangelio uiuerēt. Et tamen ego nihil horū usurpaui. Neq; uerò hæc eò scripsi, ut [c] in me sic fiat. Nam mihi mori satius est, quàm ut meā gloriationem quisquam aboleat. Etenim si Euangelium doceo, non est quod glorier, quippe cum nescessitate cogar: ac malè mihi futurū sit, nisi doceam. Quòd si uolens hoc facio, mercedem assequar: sin inuitus, hæc mihi procuratio credita est. In quo igitur mihi posita merces est? si ita doceā, ut nullus in Christi Euāgelium sumptus fiat, nō [d] abutendo mea in Euangelio potestate. Cum enim ab omnibus liber essem, omnib. me mancipaui, quo plures lucrarer fuiq; Iudæis ut Iudæus, quò Iudæos lucrifacerem: legi subditis, ut legi subditus, quò legi subditos lucrifacerem: exlegibus, ut exlex (nō quod Deo exlex essem, eram enim in lege Christo) D quò exleges lucrificarem. Fui infirmis perinde ac infirmus, quò infirmos lucrifacerē: deniq; quibusuis quiduis fui, ut omnino aliquos seruarē. Atq; hoc euāgelij causa facio, ut [e] eius fiam particeps. An nescitis, ut qui currunt in curriculo, omnes quidem currant, sed unus certaminis precium obtineat? Sic currite, ut assequamini. Enimuero omnes qui certant, omnia perferūt, illi quidem ut interituram assequantur coronam: at nos, immortalem. Equidem sic curro, ut non incertò: sic luctor, ut qui non aërem uerberem: quin contundo subigóque meum corpus, ne forte cum alios docuerim, ipse sim reiectaneus.

a. Christianam.
Deut. 1. d a
1. Tim. 5. c
b. sunt quidē, sed eò in loco curat Deus pastores præcipuè.
Rom. 15. f
Deut. 18. a
c. mihi, detur stipendium.
C
d. abuti uocat, uti, cū possit non uti.
e. assequar quæ promittit Euāgelium.

CAPVT X.

NOlo autem uos ignorare, fratres, maiores nostros omnes sub nube fuisse, & omnes mare traiecisse, & omnes nomine Mosis nube mariq; baptizatos, & omnes eodem spirituali cibo usos fuisse, & omnes eandem potionem spiritualem bibisse. Bibebant enim ex spirituali sequente petra, quæ petra Christus erat. Et tamē eorum pleriq; Deo accepti non fuerunt: sunt enim in solitudine prostrati. Hæc autē nobis exempla præbēt, ne simus malorum cupidi, ut illi concupiuerunt. Neue deastrorum cultores sitis, ut illorum nonnulli, sicuti memoriæ proditum est: Sedit populus ad capiendum cibum ac potionem, deinde surrexerunt ad ludendum. Neue scortemur: quēadmodum eorū nonnulli scortati sunt, ideoq; ceciderūt uno die uiginti tria millia. Neue Christum tentemus, quemadmodum eorum nonnulli tentarunt, itaque à serpentibus perierunt. Neue murmurate, quē-

Exod. 13. d
1. c. 16 d
17. b
Nu. 20 b 21. g
Exo. 32. b
Num. 25.
Num. 21. b

admodum eorum nonnulli murmurarunt, itaque ab exterminatore perierūt. [Iud. 1.c] Hæc autem omnia illis ut [a] exempla contigerunt, scriptaque sunt nostri, qui in extrema seculorum incidimus, admonendi gratia. [a. aliud indicantia.] C Proinde qui sibi stare uidetur, uideat ne cadat. Nulla uos, nisi humana, inuasit tentatio. Sed ita fidelis Deus est, ut uos non sit tentari permissurus suprà quàm possitis: [Sup. 1. 1. Thess. 5.] sed cum tentatione eiusmodi euentum facturus, ut ferendo uincere possitis. Quamobrem, ò mihi charissimi, fugite deastrorum cultum. Vt prudentes alloquor: iudicate uos quod ego dico. Poculum laudatorium, in quo laudes dicimus, D nónne cōmunitas Christi sanguinis est? Quem panem frangimus, nónne communitas Christi corporis est? quandoquidem unus panis, unum corpus multi sumus: omnes enim sumus eiusdē panis participes. Considerate Israelitas, quod ad carnem attinet: nimirum qui sacrificijs uescuntur, sunt aræ participes. Quid ergo est quod dico? sacrificata deastris esse aliquid? aut dea- E stros esse aliquid? Imò quæ sacrificāt extranei, ea dæmonijs sacrificare dico, non Deo. Dæmonum autem participes esse uos nolo. [Deut. 32.c] Non potestis & Domini & dæmoniorum poculum bibere: non potestis & Domini & dæmoniorum mensam participare. Irritandúsne nobis Dominus est? num sumus eo potētiores? Quiduis mihi licet, sed non quiduis conducit. [Eccl. 37.d Suprà 6.c Infrà 13.b Psal. 23] Quiduis mihi licet, sed non quiduis prodest. Nemo suo, sed alterius quisque cōmodo studeat. Quicquid in macello uenale est, uescimini, nihil sciscitan- F tes [b] propter conscientiam. [b. quasi sit uesci nefas.] Nam Domini & terra est, & omnia terrestria. Quòd si quis infidentium uos inuitat, & uultis ire, quicquid uobis apponetur, uescimini, nihil sciscitantes propter conscientiam. Si quis uerò uobis dixerit, Hoc deastris immolatum est, ne uescimini propter eum qui indicauit, propterque conscientiā. Nam Domini & terra est, & omnia terrestria. Conscientiam autem dico, non suam cuiusque, sed alterius. [Coloss. 3.c] Cur enim mea libertas damnetur ab alia G conscientia? Quod si ego gratè participo, cur in eo uituperer, de quo gratias ago? Ergo siue comeditis, siue bibitis, seu quid aliud facitis, omnia ad Dei gloriam facite. Præbete uos & Iudæis, & Græcis, & Ecclesiæ diuinæ innoxios: quemadmodum ego quoque omnia omnibus indulgeo, non meæ, sed multorum studens utilitati ut seruentur. Imitatores mei estote, quemadmodum ego quoque sum Christi.

CAPUT XI.

Laudo equidem uos, fratres, quòd omnia mea meministis: & instituta, quemadmodum uobis tradidi, sic tenetis. [Ephes. 5.c] Volo autem scire uos, omnis uiri caput esse Christum: fœminæ caput esse uirum: Christi caput esse Deū. omnis uir operto capite supplicans, aut uaticinans, caput suum turpificat. Rursus omnis mulier detecto capite supplicans, aut uaticinans, caput suū turpificat: nam prorsus perinde est ac si tonsa foret. Quòd si non uelatur mulier, certè tondeatur. Quòd si tonderi radiue mulieri turpe est, obnubatur. Nam uir quidem caput obnubere B non debet, cum sit imago gloriaque Dei. At mulier, uiri gloria est. Non enim est uir ex muliere, sed ex uiro mulier: cum non propter mulierem creatus sit uir, sed propter uirum mulier. [Gen. 2.d] Propterea debet mulier habere in capite [a] potestatis indicium, propter angelos. [a. uelamentū quo se uiro subditā indicet.] Cæterùm neque uir sine fœmina, neque fœmina sine uiro in Domino. Vt enim ex uiro fœmina, sic uir per fœminam: omnia autem ex Deo. Ipsi apud uos iudicate, an decorum sit, fœminam Deo suppli- C care detectam. An'ne ipsa quidem natura uos docet, uiro comam alere, dedecori esse? fœminę autem comam alere, decorum esse? Quandoquidem coma pro amictu data est. Quòd si cui contentiosum esse libet, nos talem consuetudinem non habemus, neque Dei ecclesiæ. Hoc autem admonens, non laudo, quòd non utiliter, D sed damnosè conuenitis. Primùm enim conuenientibus uobis in concionem, audio dissidia in uobis esse, & nonnihil credo: oportet enim in uobis factiones esse, ut probi fiant inter uos manifesti. Igitur cum eódem coitis, istud non est Dominicam epulari cœnam, cum suam quisque cœnā antecapiat comedendo, & hic esuriat, ille E sit ebrius. Númnam domos non habetis ad edendum ac bibendum? an diuinam concionem contemnitis, & eos qui non habent, pudore afficitis? Quid uobis dicam? laudem uos? In hoc non laudo. Nam (quemadmodum ego & à Domino accepi, & uobis tradidi) Dominus Iesus, qua nocte prodebatur, sumptum panem, actis gratijs, fregit, ac dixit: Sumite, comedite: hoc meum corpus est, pro uobis frangendum, hoc facitote ad mei memoriam. [Mat. 26.c Mar. 14.c Luc. 22.b] Similiter & poculum, postquam cœnauit, dicens: F Hoc poculum est nouū fœdus, per meum sanguinem. Hoc facitote, quoties bibetis, ad mei memoriam. Quoties enim hoc pane uescemini, & hoc poculum bibetis, mortem Domini indicabitis, donec ueniat. Itaque quisquis indignè panem hunc comederit, aut Domini poculum biberit, pœnas dabit, ob Domini corpus atque sanguinē. Proinde exploret homo seipsum G atque ita de pane comedat, & de poculo bibat. [Iohan. 6.f] Nam qui indignè comedit & bibit, damnationem ipse sibi comedit & bibit, qui de Domini corpore non rectè iudicet. Propterea apud uos multi sunt ægri & infirmi, & frequentes [b] obdormiuerunt. [b. è uita migrarunt.] Si enim de nobis ipsi rectè iudicaremus, non puniremur: dum punimur autem, à Domino castigamur, [c] ne cum mundo damnemur. [c. Ideo nos in hac uita punit ne simus in alia puniendi.] Quocirca, fratres mei, dum ad comedendum conuenitis, alius alium expectate. Quòd si quis esurit, domi cibum capiat, ne [d] ad pœnam conueniatis. [d. ita ut peccetis, atque ita pœnas luatis.] Reliqua cum uenero, componam.

CAPUT XII.

Qvod ad spiritualia, fratres, attinet, nolo uos ignorare. Scitis, cum extranei essetis, ut ad mutos deastros duceremini ac abduceremini

remini. Itaque declaro uobis, neminem esse, qui diuino afflatu loquens, Iesum uerbis execretur: itemque neminem esse, qui Dominum possit Iesum dicere, nisi per sanctum spiritum. Sed discrimina sunt donorum, cum sit idem spiritus: & discrimina sunt ministeriorum, cum sit idem Dominus: & discrimina sunt effectionum, cum sit idem Deus, qui omnia efficit in omnibus. Datur autem cuique declaratio spiritus, prout commodum est. Huic enim per spiritum datur oratio sapientiæ: illi oratio scientiæ, ex eodem spiritu: alij fides, per eundem spiritum: alij dona sanationum, per eundem spiritum: alij prodigiorum effectiones: alij uaticinatio: alij spirituum dijudicationes: alij genera linguarum: alij interpretatio linguarum. Atque hæc omnia efficit unus idemque spiritus, dispertiens priuatim cuique ut uult. Quemadmodum enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia que membra corporis unius multa cum sint, unum corpus est: sic etiam Christus. Etenim uno spiritu nos omnes unum in corpus baptizati sumus, & Iudæi, & Græci, & serui, & liberi, omnesque unum spiritum hausimus. Etenim corpus non est unum membrum, sed multa. Si se pes, quia manus non sit, corporis esse neget, an idcirco non sit corporis? Item si auris, quia non sit oculus, se corporis esse neget, an ideo non sit corporis? Si totum corpus oculus est, ubi auditus? si totum auditus, ubi olfactus? Nunc Deus ununquodque membrorum in corpore sic collocauit, ut uoluit. Quòd si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc multa membra, sed unum corpus est. Neque uerò potest oculus dicere manui, Non egeo te: aut rursum caput pedibus, Non egeo uobis. Contraque, quantò quodque membrorum corporis debilius uidetur esse, tanto est magis necessarium: & quo quæque in corpore inhonestiora iudicamus, eo maiore honore ea stipamus: & nostri inhonestissima quæque maximam honestatem obtinent, cum ea honestissima quæque nostri nihil egeant, Enimuero Deus ita corpus temperauit, egentissimo cuique maximum tribuens honorem, ne esset in corpore dissidium, sed eadem membra alia aliorum curam gererent: ac siue doleret unum membrum, unà condolescerent cuncta membra: siue in honore esset unum membrum, omnia membra con gratularentur. Vos uerò aliquatenus Christi corpus estis atque membra: & alios statuit Deus in ecclesia, primùm Apostolos, deinde uates, tertiò magistros, deinde portenta, deinde sanationum dotes, adminicula, gubernationes, genera linguarum. Nunquid omnes sunt Apostoli? nunquid omnes uates? nunquid omnes magistri? nunquid omnes portentifici? nunquid omnes habent sanationum dotes? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur? Affectate sanè præstantissimas quasque dotes: sed tamen excellentiorem uiam iam uobis ostendam.

1.Iohan.4.a. Mar.9.f. B Rom.12.d Ephes.4.a C D Rom.8.b Heb.4.d Ephe.4.b Infra.14.b

CAPVT XIII.

Charitas.

SI & hominum loquar & angelorum linguis neque charitate sim præditus, sum æs resonans, aut cymbalum tinniens. Et si tantum diuinationis habeam, ut omnia arcana scientiamque omnem teneam, & si adeò omni sim fide præditus, ut uel montes transmoueam, & tamen charitate non sim præditus, nihil sum. Et si omnes meas facultates in liberalitatem erogem, & si uel meum corpus comburendum tradam, & tamen charitate non sim præditus, nihil proficio. Charitas patiens est, benigna est: charitas non æmulatur, non est temeraria, non tumet, non se gerit turpiter: non sibi ipsi studet, non est irritabilis, non malè cogitat, non gaudet iniustitia, sed ueritate lætatur: omnia tolerat, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam intercidit. Et uaticinationes abolebuntur, & linguæ cessabunt, & [a] scientia delebitur. Nam aliquatenus scimus, & aliquatenus uaticinamur. Sed cum uenerit perfectio, tum quod aliquatenus fit, delebitur. Dum puer eram, ut puer loquebar, ut puer sentiebam, ut puer cogitabam: sed uir factus, puerilia deleui. Nunc enim per speculum cernimus per ambages: at tunc præsentes coram. Nunc aliquatenus cognosco: at tunc recognoscam, quemadmodum recognitus sum. Nunc quidem manet fides, spes, charitas: sed harum trium maxima est charitas.

B Suprà.12.d Philip.2.a C a. Scilicet hæc quæ imperfecta est, augerique potest, cui perfecta succedet. D

CAPVT XIIII.

PErsequimini charitatem, & affectate sanè spiritualia, sed in primis ut uaticinemini. Nam qui peregrina lingua loquitur, non homines alloquitur, sed Deum: quippe cum nemo [a] audiat, sed animo loquatur arcana. Qui uerò uaticinatur, homines alloquitur utiliter, & cohortando & consolando. Qui peregrina lingua loquitur, ipse sibi prodest: qui uerò uaticinatur, is concioni prodest. Vellem equidem uos omnes peregrinis loqui linguis: sed magis ut uaticinemini. Maior est enim qui uaticinatur, quàm qui alienis loquitur linguis: nisi si interpretetur, ut concio capiat utilitatem. Alioquin, fratres, si ego uos alienis linguis allocutum ueniam, quid uobis prodero, nisi insit in oratione mea patefactio, aut cognitio, aut uaticinatio, aut doctrina? Etiam inanimata uocem emittentia, ut tibia, ut cithara, nisi discrimen sonis faciant, quomodo intelligetur quid tibia aut cithara significetur? Si enim incertam uocem tuba edat, quis ad prælium accingetur? Similiter uos lingua nisi significantia uerba faciatis, quomodo intelligetur quid dicatur? Eritis enim ij qui in auram loquamini. Tot sunt (uerbi gratia) genera uocum in mundo, nec ullum eorum mutum est. Si igitur uim uocis non intelligam, ero loquenti barbarus, & loquens erit apud me barbarus. Ita uos, postquam affectatores estis donorum spiritus, date operam ut in eis ita excellatis, ut id utilitati sit concioni. Quare qui aliena lingua loquitur, oret, ut possit interpretari. Si enim peregrina lingua orem, animo quidem oro, sed quod ad sententiam attinet, [b] sum infructuosus. Quid ergo est? Ita animo orabo, ut significanter orem: ita animo cantabo, ut signi-

Suprà.12.a a. Intelligat. B C b. Nihil aliis cōfero.

sinificanter cantem. Etenim si animo laudes dicas, is qui illiterati locum tenet, quo pacto dicet Amen, ad tuam gratiarum actionem, cum D quid dicas ignoret? Nam tu quidem rectè gratias agis: sed alter non iuuatur. Supra. 1. a Ago Deo meo gratias, quòd magis quàm uestrûm quisquam linguas teneo peregrinas. Sed in concione malo quinque uerba sic eloqui, ut intelligatur oratio mea, quò alios erudiam, quàm ignoto sermone mille uerba. Fratres, ne este mentibus infantes: sed uitijs este pueri, mentibus autem adulti. In Esaie. 18. c disciplina sic memoriæ proditum est: Alienis linguis atque labris istum populum alloquar, & tamen ne sic quidem mihi obtemperabunt, inquit Dominus. Itaque, linguæ portento sunt, E nō fidentibus, sed infidentibus: uaticinatio uerò non infidētibus, sed fidentibus. Igitur si cōuenerit eòdem uniuersa concio, & omnes peregrinis loquantur linguis, si eò illiterati aut infidentes intrēt, nónne uos insanire dicent? Sed si omnes uaticinentur, & intret aliquis infidens aut illiteratus, arguitur ab omnibus, exploratur ab omnibus, atque ita eius animi arcana fiunt perspicua: ita fit ut pronus accidat, adorétque Deum, confitens Deum reuera in uobis esse.

F Quid ergo est fratres? Quando coitis, carmen habet aliquis uestrûm, doctrinam habet, linguam habet, patefactionem habet, interpretationem habet, omnia ad utilitatem fiāt. Si quis peregrina loquitur lingua, fiat id per duos, aut ad summum tres, idque alternis, & unus interpretetur. Quòd si abest interpres, taceat in concione, ac sibi loquatur & Deo. Vates item duo trésue loquantur, & alij dijudicent. Quòd si quid alij sedenti patefactum fuerit, primus sileto. Potestis enim omnes singulatim uaticinari, ut omnes discant, & omnes confirmentur. Et uatum spiritus sese uatibus submittunt. Non e- 1. Tim. 2. c nim est turbamenti Deus, sed pacis: ut fit in omnibus sanctorū concionibus. Vxores uestrę in concionibus tacento. non enim conceditur eis loqui, sed parere, quemadmodum disciplina dicit. Gal. 3. c Quòd si quid discere uolūt, domi suos uiros interroganto. Turpe est enim fœminis, in concione loqui. A [e] uobisne diuinus sermo prodijt? aut ad uos solos peruenit? Si quis sibi uates aut spiritualis uidetur esse, recognoscat quę uobis scribo, esse Domini pręcepta. Quòd si quis ignorat, ignorato. Proinde, fratres, & uaticinari studete, neque peregrinis loqui linguis prohibete: omnia decenter fiāt, & ordine.

e. cum neque primi neque soli sitis Christiani, debetis priores imitari.

CAPVT XV.

Gal. 1. d Declaro autem uobis, fratres, Euangelium quod uos docui, & quod accepistis, & in quo statis, & per quod seruabimini, qua ratione uos docuerim, si tenetis, nisi si frustra credidistis. In primis enim uobis tradidi, id quod acceperam, Christum mortuum esse propter peccata nostra, ut est in literis: & sepultum esse, & [a] tertio die resurrexisse, ut in literis habetur: & apparuisse Cephæ, deinde duodecim: deinde apparuisse plusquā quingentis fratribus semel, quorum plerique sunt adhuc superstites, nonnulli obdormierunt. Deinde apparuit Iacobo, Ephes. 3. b deinde Apostolis omnibus. Postremò omniū Acto. 9. b quasi abortui apparuit etiam mihi. Ego enim Matth. ult. B sum Apostolorum minimus, indignus qui uocer apostolus, qui diuinā ecclesiam insectatus sim. Sed Dei beneficio sum quod sum: & eius in me beneficium adeò inane non fuit, ut plus quàm eorū quisquā laborauerim: uel potius nō ego, sed Dei gratia, quæ mihi aderat. Igitur & ego & illi ita prædicamus: & ita uos credidistis.

a. Oseæ 6. Esa. 53. b

Quòd si Christus ex mortuis surrexisse prædicatur, quî fit ut quidam apud uos mortuorum resurrectionem fore negent? Quòd si mortuorum resurrectio nō est, ne Christus quidem resurrexit. Si autem Christus nō resurrexit, ergo uana est nostra prædicatio, uana est & uestra fides, ac falsi de Deo testes deprehendimur, qui C contra Deum testificati simus, eum suscitasse Christum, quem non suscitauit, siquidem mortui non resurgent. Si enim mortui non resurgent, ne Christus quidem resurrexit: & si Christus non resurrexit, uana est uestra fides: [b] adhuc estis in peccatis uestris. Ergo qui in Christo obdormiuerunt, perierunt. Si huius duntaxat uitæ gratia in Christo spē habemus, sumus omnium hominum miserrimi. At nunc Christus ex mortuis surrexit: fuit eorum, qui obdormiuere, primitiæ. Colosſ. 1. d Cum sit enim per hominem 1. Thes. 4. d mors, etiam per hominem est mortuorū resur- Apocal. 1. b rectio. Vt enim per Adamum omnes moriuntur, sic per Christum omnes reuiuiscēt, sed suo quisque in ordine: primitiæ Christus, deinde Christiani in eius aduētu: deinde finis erit, cum regnum tradiderit Deo & patri, cum quidem omnem principatum, omnem potentatum ac D potestatem aboleuerit. Psal. 109. a Oportet enim eum regnare, donec ille omnes hostes sub eius pedes Heb. 2. d subiecerit: ultimus hostis delebitur mors. Omnia enim ille sub eius pedes subiecerit. Quod autem omnia subijcienda dicit, id sic accipendum est, ut excipiatur is, qui ei subiecerit omnia. Cū autem ei subiecta fuerint omnia, tunc ipse quoque filius subijcietur ei, qui ipsi subiecerit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Alioquin quid facient qui pro mortuis baptizantur, si omnino mortui non resurgent? quorsum pro mortuis baptizātur? quorsū et nos omnibus horis periclitamur? Quotidie morior, gloriationē nostram iuro, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. Si [c] humano more Ephesi cū bestijs pugnaui, quæ mihi inde utilitas, si mortui non resurgunt? Comedamus, & bibamus: cras enim morituri sumus. Nolite falli. Mores bonos colloquia corrumpunt mala. Este sobrij, ut E æquū est, & ne peccate. Sup. 2. b Ignorant enim nōnulli Esa. 23. a Deū: quod ideo dico, ut uos pudeat. Sed dicet quis: Quomodo resurgēt mortui, aut quali corpore uenient? O demens: tu quod seris, id non uiuiscit, quin mortuum sit, & quod seris, nō gignendum corpus seris, sed nudum granū, uerbi gratia, frumenti: aut cuiuspiam alterius rei.

b. Nōdum iusti facti: cū in eius resurrectio ne uobis sit iustitia.

c. Nihil aliud sperās, quàm hāc uitam: ut solēt homines

Deus

Deus uerò corpus ei dat, ut libuit, & suum cuique seminum corpus. Non omnis caro eadem caro est: sed alia est hominum caro, alia pecudum, alia piscium, alia uolucrum. Item corpora sunt cœlestia alia, alia terrestria: sed alius est cœlestium splendor, alius terrestrium: alius solis, alius lunæ splendor est, alius item stellarum: nã stella alia aliam splendore antecellit. Talis est e-
F tiam mortuorum resurrectio. Seritur cum mortalitate, resurgetur cum immortalitate: seritur cum probro, resurgetur cum gloria: seritur cum infirmitate, resurgetur cum potentia: seritur corpus animale, resurget corpus spirituale. Est corpus aliud animale, aliud spirituale. Cumq; ita
Gen. 2.b scriptum sit: Factum esse primum hominem Adamum animantem uiuum, ultimus Adamus spiritus est uiuificus. Sed non primum est spirituale, sed animale, deinde spirituale. Primus homo ex terra terrenus: secundus homo de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales etiam terreni: & qualis cœlestis, tales etiam cœlestes. Ac quemadmodum tulimus imaginem terreni, feremus etiam cœlestis imaginem. Hoc autem ideo dico, fratres, quòd caro & sanguis diuinum regnum consequi nequeunt, neque mortalitas immortalitatem consequetur. Equidem arca-
G num quiddam uobis dico: Omnes quidem non obdormiemus, sed omnes mutabimur, uno temporis puncto, oculique momento, ad ultimum clangorem. Clangetur enim, & mortui resurgent incorruptibiles, & [d] nos mutabimur. Oportet enim hoc corruptibile incorruptibili natura, & hoc mortale immortalitate indui. Cum autem hoc corruptibile incorruptam naturam, & hoc mortale immortalitatem induerit, tunc accidet id quod illo scripto dicitur: Absorpta mors est uictoriosè. Vbi est tuus, ô mors, stimulus? Vbi tua, ô Orce, uictoria? Est autem mortis stimulus peccatum, & peccati potentia lex. Sed Deo gratia, qui nobis uictoriam dat per Dominum nostrum Iesum Christum. Proinde, fratres mei charissimi, præstate uos constantes, immobiles, semper excellentes in Domini negotio, scientes uestrum in re Dominica laborem non esse uanum.

d. Hoc est, ij qui tum uiuent, ut nos nũc uiuimus.

Oseæ 13.d
Heb. 2.d
1.Iohan.5.a.

CAPUT XVI.

QVod ad collectã attinet in sanctos conferendam, quemadmodum Galatiæ ecclesiis præcepi, sic uos quoque facite. Primo quoque post Sabbathum die unusquisque uestrûm apud se reponat, congerens quod commodè poterit, ne tum demum cum uenero, fiat collectæ. Vt autem aduenero, quos uos per epistolas probaueritis, eos mittam, qui ferant beneficium uestrum Hierosolymam. Quòd si me etiam proficisci fuerit operæpretium, mecum proficiscentur. Veniam autem ad uos, postquã Macedoniam obiero: nam Macedoniam obiturus sum. Apud uos autem forsitan commorabor, aut etiam hyemabo, ut uos me deducatis,
B quocunque proficiscar. Nolo enim uos duntaxat obiter uidere, quin me spero aliquandiu mansurum apud uos, si Dominus permiserit. Morabor autem Ephesi usque ad quinquagesimam. Nam mihi ianua magna patet, & efficax, & multi sunt aduersarij. Quòd si uenerit Timotheus, uidete ut sine metu sit apud uos. Nam Domini opus agit, ut & ego. Quamobrem nemo eum contemnat, sed eum bona cum pace dimittite, ut ad me ueniat. Expecto enim eum cum fratribus. Quod ad Apollo fratrem attinet, multum eum hortatus sum ut ad uos C
cum fratribus ueniret, sed prorsus non erat uoluntas nunc eundi: uerùm ueniet, cum erit ei commodum. Vigilate, state in fide, este uiri & constantes, omnia uestra cum charitate fiant. Cohortor autem uos, fratres: scitis Stephanæ & Fortunati familiam esse Achaiæ primitias, & sese ad ministerium addixisse sanctis: ut uos quoque talibus, & omni adiuuanti, laborantiq; pareatis. Gaudeo equidem aduentu Stephanæ D
& Fortunati, & Achaici, quod hi defectum uestri suppleuerunt: quippe qui & meum & uestrum animum recreauerint. Tales ergo recognoscite. Salutant uos Asianæ ecclesiæ. Salutant uos multum per Dominũ Aquila & Priscilla, unà cum suæ domus ecclesia. Salutant uos fratres omnes. Salutate inter uos osculo sancto. Salutatio mea Pauli manu. Si quis Dominum Iesum Christum non amat, esto detestabilis. [a] Maranatha. Gratia Domini Iesu Christi uobis adsit. Meus amor in Christo Iesu uobis omnibus adsit, Amen.

a. dominus noster uenit. Quod si quis eum non amat, frustra aliũ expectat.

Ad Corinthios prima scripta est Philippis, missa per Stephanam, & Fortunatum, & Achaicum, & Timotheum.

PAVLI APOSTOLI EPISTOLA AD CORINTHIOS Secunda.

CAPUT PRIMUM.



AVLVS IESV Christi Apostolus, per Dei uolũtatẽ, & Timotheus frater, ecclesiæ Dei quæ Corinthi est, nec non sanctis omnibus in tota Achaia degẽtib. gratiã & pacẽ à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo. Collaudãdus deus et pater Domini nostri Iesu Christi, misericordiæ pater, & omnis consolationis Deus, qui nos cõsolatur in omni calamitate nostra quo possimus eos, qui sunt in quacunq; calamitate, consolari ea consolatione, quã cõfirmamur ipsi à Deo. Quãto enim maiorib. propter Christũ malis afficimur, tãto per Christũ maior est nostra consolatio. Nam siue affligimur, id fit pro uestra consolatione atque salute, quæ agitur in E toleran-

tolerādis iisdem malis, quæ nos quoq; patimur: siue confirmamur, id fit pro uestra consolatione & salute: ac firmam de uobis spem habemus, scientes quemadmodum aduersorum participes estis, sic fore etiam consolationis. Nolumus enim uos ignorare, fratres, quanta afflictione, & quàm omnino uiribus nostris maiore pressi fuerimus in Asia, usq; adeò ut etiam de uita dubitaremus. Verùm ideo [a] de nobis latam mortis sententiam sensimus, ne ipsi nobis confideremus, sed Deo mortuorū suscitatori, qui nos à tanta morte & defenderit & defendat, quē speramus etiam deinceps defensurum esse, uobis quoque nos supplicatione adiuuantibus, ut à multis personis agant ingentes Deo gratiæ, ob collatum in nos beneficium uestra causa. Nam

a. in extremo uitæ periculo fuimus.

C hæc nostra gloriatio est, nostræ conscientiæ testimonium: quòd cum diuina simplicitate ac sinceritate, non cum humana sapientia, sed cum diuina gratia, uersati sumus, cùm in reliquo orbe, tum potissimum apud uos. Non enim alia uobis scribimus, quàm quæ legitis, aut etiam recognoscitis: &, ut spero, ad extremum recognoscetis, quemadmodum nos aliquatenus recognouistis, quòd nos [b] uestra sumus gloriatio, sicut & uos nostra, ad diem Domini Iesu. Atq; hac fiducia uolebam prius ad uos uenire, ut alterum beneficium acciperetis, & istac in Macedoniam transire: rursumq; ex Macedonia ad uos uenire, & à uobis in Iudæam deduci. Hoc igitur deliberans, nunquid læuitate usus sum? aut quæ delibero, humano more delibero, ut sit apud me etiam, etiam: & non, non? Fidelis est

b. Ii sumus de quibus gloriemini uos.

D Deus, quòd nostra ad uos oratio nō fuit etiam, & non. Nam Dei filius Iesus Christus, qui apud uos per nos prædicatus est, per me, & Syluanum, & Timotheum, non fuit etiam, & non: sed in eo fuit etiam. Omnes enim Dei promissiones tales sunt, ut in eo sit etiam, & in eo sit ita, quæ res Deo sit gloriæ per nos. Ac qui nos uobiscum confirmat in Christum, & qui nos unxit, Deus est, is qui nos consignauit, & spiritus arrabonē nostris animis indidit. Ego uerò animi mei testem appello Deum, me parcendi uobis causa, nondum Corinthū uenisse: non quòd uobis fiduciam derogemus, sed consulimus uestro gaudio: nam fiducia statis.

CAPVT II.

SEd hoc ego apud me decreui, non uos rursum uisere cum dolore. Nam si ego uos contristo, ecquis est qui me oblectet, nisi is qui à me contristetur? Atque idipsum uobis ideo scripsi, ne si uenissem, dolore afficerer ab eis, per quos gaudere debeo: persuasum habens de uobis omnibus, [a] meum gaudium, omnium esse uestrûm. Nam multa cum animi angustia atque angore uobis scripsi, multis cum lachrymis, nō quo doleretis: sed amorē ut cognosceretis, quo uos singulariter prosequimur. Quòd si quis cōtristauit,

a. Vos omnes gaudē e me gaudere.

B non me contristauit nisi aliquatenus, ne uos omnes onerem. Satis est illi ea castigatio plurium, ut contrà potius cōdonetis, ac consolemini, ne forte immodico mœrore conficiatur. Quamobrem hortor uos, ut charitatem in C eum exeratis. Nam ideo scripsi, ut uestri periculum facerem, an sitis ad omnia morigeri. Cui autem uos condonatis, ego quoque condono. Etenim ego siquid ei condonaui, cui condonaui, id feci propter uos [b] in persona Christi, ne circumueniamur à Satana. Nec enim eius conatus ignoramus. Cum autem in Troadem ob Christi Euangelium uenissem, & esset mihi in Domini negocio aperta ianua, nullam animi requietem habui, quòd Titū fratrem meum non inuenissem. Itaque illis ualedicto, profectus sum in Macedoniā. Deo uerò gratia, qui semper facit ut in Christi negotio triumphemus, e- D iusq; cognitionis odorem per nos diuulgat omnibus in locis: siquidem Christi suauis odor sumus Deo, in iis qui seruantur, & in iis qui pereunt: quorum his sumus mortalis odor ad mortem, illis uitalis odor ad uitā. Ad quæ quis'nam sit idoneus? Nec enim sumus ut multi, qui diuinam doctrinam cauponantur: sed ut ex sinceritate, sed ut ex Deo, in Dei conspectu, in Christi negotio loquimur.

b. ut uicarius.

CAPVT III.

INgredimur rursum nosipsos commendare? an uerò nihil egemus (ut quidam) commendatitiis uel ad uos uel à uobis epistolis? Epistola nostra uos estis, inscripta nostris animis, cognoscenda legendaq; cunctis hominibus: estq; perspicuum, uos esse Christi epistolam, à nobis administratam, non atramento, sed uiuentis Dei spiritu descriptam: non in lapideis, sed in carneis animi tabulis. In ea autē apud Deum per- B suasione sumus per Christum, non quia per nos ipsos simus idonei, qui aliquid ut per nosipsos uel cogitemus: sed quòd idonei sumus, id à Deo est, qui nos idoneos reddidit noui fœderis ministros, non literæ, sed spiritus. nam litera perimit, at spiritus uiuificat. Quòd si mortuis ministerium in literis impressum in lapidibus, tamē tanti fuit splendoris, ut non possent Israelitæ in Mosis uultum intueri, propter eius uultus splendorem periturum: nónne magis spiritus ministerium erit cum splendore coniunctum? Si e- C nim damnationis ministerium splendidum est, multo magis excellit splendore ministerium iustitiæ. Etenim [a] ne splendidum quidem fuit id quod splendidum fuit, si cum superante splendore conferatur. Si enim quod perit, tamen cum splendore coniunctum est: multo magis quod manet, est cum splendore. Habentes igitur huiusmodi spem, magna perspicuitate utimur: non ut Moses uultui suo uelamen obtendebat, ne Israelitæ in rei perituræ finem intuerentur, sed mentes haberent torpentes. Nam ad hunc usque diem idem uelamen in ueteris lectione fœderis manet, neque detegitur id in Christo aboleri. Quin ad hodiernum usque D diem, dum legitur Moses, uelamine tecti sunt eorum animi. Quandocunque autem reuertitur ad Dominū, detrahitur uelamen. Dominus

Hebr. 4. d

Exod. 34. d

a. legis splēdor nullus est, si cum Euangelio cōparetur.

Ibidem.

Iohan. 4. d

autem

autem spiritus est: ubi uerò Domini spiritus est, ibi est libertas. Nos uerò omnes detecta facie splendorem Domini speculantes, in eandem transformamur imaginē, splendore perpetuando, tanquam à Domini spiritu.

CAPVT IIII.

PRopterea habentes hāc administrationem (quæ diuina est in nos clementia) non defethiscimur: quin turpi occultatione repudiata, non nos callidè gerimus, neq; diuinam doctrinam fallaciter tractamus: sed ueritatis declaratione nosipsos apud omnem hominū conscientiam in Dei conspectu commendamus. Quòd si tectum est nostrum euangelium, tectum est pereuntibus: quorum, uidelicet infidentium,
a. diabolus. mētes cæcauit [a] huius seculi Deus, ne collustret
Esa.6 eos claritas gloriosi Christi euāgelij, qui est ima
Iohan.12. go Dei inaspectabilis. Nō enim nosipsos præ-
B dicamus, sed Christum Iesum Dominum: nos autē uestros seruos, per Iesum. Nam Deus qui lucem ex tenebris lucere iussit, is est qui nostris illuxit animis, ad claritatem cognitionis gloriæ Dei, in Iesu Christi persona. Habemus autem thesaurum hunc in testaceis uasis: ut tam excellens potentia, sit Dei, non ex nobis, qui in omnibus premimur quidem, sed non opprimimur:
C æstuamus, sed non exæstuamus: uexamur, sed non deserimur: deijcimur, sed non perimus: semper Domini Iesu occisionem in corpore circumferentes, ut etiam Iesu uita in nostro corpore repræsentetur. Semper enim nos uiuentes morti dedimur propter Iesum, ut & uita Iesu repræsentetur in nostra mortali carne. Itaque in nobis mors, in uobis uita uiget. Ac eodem fi-
Psal.115.a duciæ spiritu præditi, ut fert scriptum illud: Credidi, ideoq; locutus sum: nos quoque credimus, ideoq; loquimur, scientes futurum esse, ut qui Dominum Iesum suscitauit, idem nos quoque per Iesum suscitet, ac uobiscum sistat. Omnia
D enim propter uos fiunt, ut tam largum beneficium per multorum gratiarū actionem redundet ad Dei gloriam. Hanc ob causam non defethiscimur, quin etiamsi exterior noster homo corrumpatur, at interior quidem renouatur in dies. Breuis enim leuisq; nostra calamitas, incredibile dictu quàm sempiternam, quamq; grauem nobis gloriam pariat, non spectantibus ea quæ cernuntur, sed quæ non cernuntur. Nam quæ cernuntur, temporaria sunt: quę uerò non cernuntur, sempiterna.

CAPVT V.

SCimus enim, si terrestris nostræ domus tabernaculum dissolutū fuerit, ædificium habituros esse nos à Deo, domum nullis manibus factam, sempiternam in cœlis. Etenim in hoc gemimus, domicilium nostrum cœlestē superinduere cupientes, si modò induti, non nudi, reperiemur. Nam qui sumus in tabernaculo, gemimus onerati, quandoquidem nollemus exui, sed superindui, ut mortalitas conficiatur à uita.
B Qui uerò nos ad hoc ipsum fecit, Deus est, is qui nobis spiritus arrabonem dedit. Itaque semper confidimus: & cum sciamus, nos in corpore peregrinantes, à Domino peregrinos abesse (nam in rei [a] fiducia, non in ipsa re uersamur) a. certa spe
confidimus: & mallemus à corpore abesse, & apud Dominum adesse. Proinde operam damus, ut siue adsumus, siue absumus, ei simus accepti. Nam nobis omnibus comparendum est ante Christi tribunal, ut ferat quisque præmium Rom.14.b
eius quod in corpore fecerit, uel boni uel mali. Sciētes igitur, Dominum esse metuendum, ut ut hominibus persuademus, Deo quidem perspicui sumus: quanquam spero, nos etiam in uestris animis esse perspicuos. Non enim rursum nosipsos uobis commēdamus, sed occasionem uobis damus de nobis gloriandi, ut muniti sitis aduersus eos qui specie, non animo gloriantur. C
Nam siue insanimus, Deo insanimus: siue sani sumus, uobis sumus. Amor enim Christi tenet nos, ita iudicantes: si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes esse mortuos: ideoq; pro omnibus esse mortuum, ut uiui nō iam sibi ipsis uiuant, sed ei qui pro eis & mortuus est & reuixit. Itaq; nos deinceps neminem nouimus secundum carnem. Quòd si Chistum secundum carnem cognouimus, at nunc iam non noui- Esa.43.c
mus. Proinde si quis in Christo est, is noua crea Apoc.21.b
tura est. Vetera præterierūt, ecce noua facta sunt D
omnia: omnia autem à Deo, qui nos sibi reconciliauit per Iesum Christum, nobisq; reconciliationis administrationem dedit, [b] quippe cum b. per Christū, in quo erat, dedit
Deus esset in Christo, mundū sibi reconcilians, [c] eis non imputans ipsorum peccata, nobisq; [d] d nobis recōciliationis administ.
reconciliationis orationem mandauerit. Itaque cum pro Christo legatione fungamur, ut Deo c. Mundanis, hoc est, hominib.
per nos adhortante, quæsumus pro Christo, reconciliamini Deo, qui peccati ignarum pro nobis peccatum effecerit, ut in eo nos fieremus iustitia Dei. d. Euangelium.
Rom.8.

CAPVT VI.

NOs uerò ad hāc rem adiutores, hortamur uos ut detis operam, ne Dei beneficium incassum acceperitis. Dicit enim: Te accepto Esa.49.c
tempore exaudiui, tibi die salutis subueni. Adest nunc tempus acceptum, adest nunc dies salutis. Nos nullam usquam offensionem afferi- 1.Cor.4.a
mus, ne taxetur ministerium: sed omnibus in Tim.13.c
rebus nosipsos ut Dei ministri commendamus, Infrà 11.a
in multa patientia, in calamitatibus, in rebus aduersis, in angustijs, in plagis, in custodijs, in agitationibus, in laboribus, in uigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in clementia, in benignitate, in spiritu sancto, in charitate genuina, in B
ueritatis oratione, in Dei potentia armis iustitiæ dextris & sinistris, per gloriam & dedecus, per maledicta & benedicta: quasi fallaces, & tamen ueraces: quasi ignoti, & tamen noti: quasi morientes, cum tamen uiuamus: quasi qui castigemur, neque tamen necemur: quasi dolentes, & tamen semper gaudentes: quasi pauperes, cum multos locupletemus: quasi nihil habentes, & tamen omnia tenentes. Os nostrum ad uos apertum est, Corinthij; animus C
noster

noster largus est. Si uos estis angusti, non erga nos estis angusti, sed erga hominē cui estis intimi. Ego uerò ut à filijs uicē reposco: largi estote uos quoque: ne este infidentium socij iugales. Eccl.11.c Quod est enim iustitiæ cū improbitate consortium? quæ luci cōmunitas cum tenebris? quæ Christo cū Beliale concordia? aut quod fidenti 1.Corint.3. 6.d cum infidente commercium? quæ Dei templo cum deastris conuenientia? Vos enim uiuētis Leuit.26.b Dei templum estis, quemadmodū dixit Deus: Esa.52.d Habitabo ac uersabor apud eos, eroq; eorum Deus, & ipsi mihi populus erunt. Quapropter exite ex medio eorū, ac separamini, inquit Dominus: neue impurum tangite: & ego uos accipiam, uobiscū pater ero, & uos mihi eritis filij ac filiæ, inquit Dominus omnipotens.

CAPVT VII.

HAec igitur habētes promissa, charissimi, purgemus nosipsos ab omni & corporis & animi labe, sanctimonia perfungentes cum Dei metu. Admittite nos: nemini iniuriā fecimus, neminem corrupimus, neminē circumscripsimus. Non equidem uestri dānandi causa dico, quippe qui antè dixerim, uos in nostris animis esse ad simul uel moriendum uel uiuendum. Multa mihi apud uos loquendi libertas est: multa mihi de uobis est gloriatio: plenus sum consolationis: circumfluo lætitia in omni calamitate nostra. Etenim cum uenissemus in B Macedoniam, nec ullam quietem haberet nostra caro, sed in omnibus premeremur, extrinsecus prælijs, intrinsecus timoribus, tamen humilium consolator Deus nos aduētu Titi consolatus est. Neque solum eius aduentu, sed etiā solatio, quo de uobis affectus est, exponens nobis uestrum nostri desiderium, comploratione, atque studium, ita ut magis lætatus sim: adeò ut etiamsi uos per epistolam dolore affecerim, non me pœniteat, etiamsi pœnituisset. Video enim, si epistola illa, breuē quidem, sed tamen dolorem uobis fecit, nō uos doluisse solum, sed (id quod gaudeo) ad uitæ correctionē C doluisse. Doluistis enim secundum Deum, ita ut nullo per nos incommodo sitis affecti. Diui- 1.Pet.2.c nus enim dolor, uitę correctionē, ad nūquam pœnitendam salutem efficit. At mundanus dolor mortē parit. Ecce enim uel hoc ipsum, quod secundum Deum doluistis, quantam uobis peperit diligentiam, imò defensionem? imò indignationem? imò metum? imò desiderium? imò studium? imò uindictam? quibus omnibus uestram in eo facinore innocētiam probastis. Itaque si uobis scripsi, id nō eius qui fecit, nec eius qui passus est iniuriam, causa factum est: sed ut uestrum nostri studium apud uos patefieret, in D Dei conspectu. Propterea orto à uobis solatio, cōfirmati sumus: sed longè maximā cæpimus ex Titi lætitia uoluptatem, quòd eius animus à uobis omnibus recreatus sit. Nā si quid apud eum de uobis gloriatus eram, non me puduit: quin ut omnia uerè uobis elocuti sumus, sic nostra de uobis apud Titum gloriatio uera fuit. Atque ipse uos singulari charitate prosequitur, recolens uestram omnium obedientiam, ut se cū metu ac tremore acceperitis. Gaudeo, posse me omnibus in rebus uobis confidere.

CAPVT VIII.

CErtiores autē uos facimus, fratres, de Dei beneficio in ecclesias Macedoniæ collato, quòd in tanta, qua explorati sunt calamitate, eorum singularis alacritas, penitissimáque paupertas, tantum effecit, ut appareret eorum opulenta simplicitas: qui pro uiribus (hoc testor) atq; etiam supra uires ultro nos multis cū precibus orauerint, ut beneficium & commune in sanctos officium reciperemus. Neq; id quemadmodum sperauerāmus: quin seipsos addixerunt, primùm Domino, deinde nobis, Dei uoluntate, ut nos Titum hortati sumus, quò ille, quemadmodum iam cœpit, sic absoluat hoc etiam erga uos beneficium: utq; quemadmodū B omnibus in rebus excellitis, fide, & oratione, & scientia, & omni studio, & isto erga nos amore, sic in hoc quoque beneficio excellatis. Non per præceptum dico: sed ut per aliorum studium uestræ quoque charitatis germanitatem explorē. Cognoscitis enim Domini nostri Iesu Christi beneficium, qui propter uos pauper fuerit, cum diues esset, ut uos eius paupertate ditaremini. Atq; in hoc consilium do: hoc enim ē re uestra est, qui iam ab anno superiore nō solum facere, sed etiam uelle cœperitis. Nunc igitur etiam rei confectionē absoluite: ut quomodo est uoluntatis alacritas, ita sit etiā ex facultate perfectio. Nam si iam adest alacritas, prout habet quis, ita acceptus est, non prout non habet. C Non enim alijs laxitatem, uobis angustiam esse oportet: sed ex æqualitate, ad præsens tempus, abundantia uestra illorum egestati subueniri: ut illorum abundantia uestram uicissim egestatē suppleat, quò fiat æqualitas. quemadmodum scriptū extat: Neq; qui plus collegerat, plus habebat: Exod.16.d neque qui minus collegerat, minus habebat. Est autem Deo gratia, qui idem uestri studium iniecerit in animum Titi: qui adhortationem ita admiserit, ut diligentior sua sponte profectus sit ad uos. Misimus autem unà cum eo fratrem, qui præterquam quòd in re Euangelica per omnes laudatur ecclesias, etiam ecclesiarum suffragio creatus est nostri socius itineris, in hoc beneficio à nobis administrando, ad Domini gloriam Rom.12.d alacritatemq; uestram: hoc cauētes, ne quis nos in hac à nobis administrāda liberalitate carpat: prospicientes, ut nō solum in Domini, uerumetiam in hominum conspectu honestè se res habeat. Misimus autem unà cum eis fratrem no- D strum, quem sæpe multis in rebus diligentē expertì sumus, tum nūc longè diligentiorem: tanta est de uobis cōfidentia. Quod siue Titus spectetur, socius meus est, & ad uos collega: siue fratres nostri, Apostoli sunt ecclesiarum, gloria Christi. Quapropter & amoris uestri, & nostræ de uobis gloriationis specimē datote erga eos, & in ecclesiarum conspectu.

CAPVT

CAPVT IX.

NAm de officio erga sanctos, ad uos scribe-
re, mihi superuacaneum est. Noui enim
alacritatem uestram, de qua uestro nomine glo
rior apud Macedones, Achaiam ab anno supe-
riore paratam esse: quae uestri aemulatio plerosq;
excitauit. Ideo autem fratres misi, ne nostra de
uobis gloriatio uana sit in hac parte: ut (quem-
admodum dicebam) sitis parati: ne, si mecũ ue-
nerint Macedones, & uos offenderint impara-
tos, pudeat nos (ne dicamus uos) in hoc gloria-
tionis argumento. Itaq; necessarium putaui, fra
B tres hortari, ut ad uos praeirent, & iam diuulga-
tam uestram liberalitatẽ ita praepararent, ut pa-
rata foret: sic tamen, ut liberalitas, non ut profu-
sio. Caeterùm & qui parcè seret, parcè etiã me-
tet: & qui largè seret, largè etiam metet: prout
quisq; animo destinauit, non aegrè, aut inuitus:
Eccles.35.b hilarem enim datorẽ amat Deus. Potest autem
Deus adeò uos omni beneficio cumulare, ut o-
mnibus in rebus omnino quod satis sit haben-
tes, abũdetis ad omnia rectè facta, quemadmo-
dum scriptum extat: Cum dispergat & paupe-
Psal.111.b ribus largiatur, eius liberalitas manet aeterna.
Qui uerò serenti & semen & panem ad uictum
suppeditat, is uobis semen suppeditet, multipli-
cetq;, ac uestrae liberalitatis prouentus sic au-
geat, ut omnibus summa cum simplicitate cir-
cumfluatis, quae efficiat per nos ut agantur gra-
D tiae Deo. Siquidem huius muneris officium e-
iusmodi est, ut non solum sanctorum egestates
suppleat: uerùm insuper hoc tam probando of
ficio in causa sit, ut multi Deo gratias agant,
Deum collaudantes, tum ob uestrã, qui in Chri
sti Euangelium concordes sitis, obedientiam,
& simplicem in eos inq; omnes largitatem: tum
ob eorum uota de uobis, qui propter singula-
rem Dei in uos fauorẽ, uestri sint cupidi. Gra-
tia Deo, de eius dono ineffabili.

CAPVT X.

ILle ego Paulus uos exhortor per Christi le-
nitatem ac mansuetudinẽ, qui praesens qui-
a: Esse uideor. dẽ apud uos humilis, absens uerò [a] sum in uos
b. Ita uos geratis, ut mihi necesse nõ sit asperius tractare quosdam. confidens. Rogo autem ut [b] detis operam, ne
mihi praesenti sit audendum confidentia, qua
audere cogito in quosdam, qui nos perinde ha-
bent, ac si secundum carnem gradiamur. Nam
in carne gradientes, non secũdum carnem mi-
litamus. Arma enim militiae nostrae non carna-
B lia sunt, sed diuini potẽtia, ad munitionum de-
molitionem: quibus armis cogitationes detur-
bamus, & omnem sublimitatem elatam contra
Dei cognitionem, omnemq; mentem ad obe-
diendum Christo cogimus, & omnem ulcisci
contumaciam sumus parati, cum completa fue-
rit uestra obedientia. Rerũ speciem spectatis?
Si quis sibi persuasit, se esse Christi: hoc rursum
per sese cogitet, ut ipse Christi est, sic nos quoq;
esse Christi. Etsi enim paulo amplius de pote-
state nostra glorier, quam nobis Dominus ad
C uos instruendos, non destruendos dedit, nõ me
pudebit, ne uidear uos per epistolas terrere co-
nari, quod epistolae quidem (inquit) graues for
tesq; sunt, at corporis praesentia imbecilla, ora-
tioq; abiecta est. Hoc cogitet ille, quales ora-
tione per epistolas sumus absentes, tales re etiã
praesentes esse. [c] Nec enim audemus compara- c. Indigni sunt illi, cũ quibus nos comparemus
re aut conferre nos cũ quibusdam, qui sese com
mendant illi quidem, sed ipsos se in se ipsis me-
tiri, seq; sibi comparare non intelligunt. Nos
uerò non immodicè gloriabimur, sed ex modo Ephes.5.d
regulae, quem Deus nobis cum tribuit, ut etiam D
ad uos usque pertingamus. Non enim quasi ad
uos non pertingamus, nos nimis extendimus:
nam ad uos etiam peruenimus Euãgelio Chri-
sti, non supra modum gloriantes in alienis labo
ribus: spem habentes, fore, ut crescente in uobis
uestra fide, usqueadeò amplificemur ex nostra
norma, ut ultra uestros fines doceamus Euange
lium: nõ aliena norma, de eis quae sunt in prom
ptu, gloriando. Qui uerò gloriatur, in Domino
glorietur. Non enim qui seipsum commendat, 1.Cor.1.d
probandus est, sed quem Dominus cõmendat. Iere.9.g

CAPVT XI.

VTinam paululũ aliquid meae stultitiae fer-
retis, & uerò ferte me: uobis enim obtre-
cto diuina obtrectatione, quippe quos uni ui-
ro desponderim, uirginem castam Christo tra-
dendam. Sed uereor ne fortè, ut serpens Euam
sua astutia decepit, sic uestrae mentes à simplici- Genes.3.a
tate, quae esse debet in Christianis, corruptae de-
flectant. Quòd si ueniret qui alium Iesum prae-
dicaret, quàm quem nos praedicauimus: aut si
alium spiritum acciperetis, quàm quem accepi
stis: aut aliud Euangelium, quàm quod admisi-
stis, rectè illum ferretis. Ego uerò me existimo
nih lo inferiorem fuisse uel summis Apostolis. B
Quòd si oratione imperitus sum, at non scien-
tia: quin in omnibus omnino apud uos rebus
patuimus. An peccatũ admisi, meipsum demit-
tens, ut uos extolleremini, quòd uos gratis di-
uinum Euangelium docui? Alias ecclesias diri
pui, accipiendo ad uobis inseruiendum stipen-
dio: & praesens apud uos, & egens, neminem
tamen exuxi. Nam egestati meae subuenere fra
tres, qui ex Macedonia uenerãt: itaq; omnibus C
in rebus, ne uobis oneri essem & caui, & caue-
bo. Hoc per Christum uerè confirmo, non me
commissurum esse, ut hac gloriatione excludar
in Achaiae tractibus. Quamobrẽ? an quia non
amo uos? Scit Deus. Ac quod facio, facturusq;
sum, id facio ut occasionem ijs adimam, qui oc-
casionem captant, quò sibi in quo glorientur,
suppetat, quemadmodum & nobis. Sunt enim
istiusmodi falsi apostoli, fallaces operarij, qui in
Christi Apostolos transformantur. Nec mirũ,
cum ipse Satanas trãsformetur in lucis ãgelum.
Itaq; non [a] magnũ est, si eius quoq; ministri sic a. mirum.
transfigurantur, ut iustitiae ministri esse uideãn-
tur: quos quidem dignus eorũ factis exitus ma-
net. Iterum dicam: Nemo me dementem esse
putet. Sin aliquis putat, uel ut dementẽ admit-
tite me, ut ego quoq; paululũ me iactem. Quod
dico, non ut Domino dignũ est dico, sed ut per

dementiam in hac gloriationis materia. Quandoquidem multi humano more se iactant, ego quoq; me iactabo: quoniã uos libenter dementes fertis, ipsi prudentes. Fertis enim, si quis uobis seruiliter abutitur, si quis uos exest, si quis dona accipit, si quis sese effert, si quis uos in os cædit. Indecorè dicam: quasi uerò nos nequeamus. Quin si quid est, in quo quisquam audeat (insipienter dicam) ausim & ego. Hebræi sunt, & ego: Israelitæ sunt, & ego: Abrahami progenies sunt, et ego: Christi ministri sunt (desipiens dicam) ego magis: in laboribus amplius, in plagis plus: in custodijs amplius, in [b] mortibus sæpenumero. A Iudæis quinquies undequadragenis plagis affectus sum: ter uerberatus, semel lapidatus. Ter naufragiũ feci: noctẽ & diem in profundo egi: sæpe uersatus in itineribus, in periculis fluminum, periculis latronũ, periculis à meis ciuibus, periculis ab extraneis, periculis in urbe, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & fatigatione, in uigilijs sæpenumero, in fame & siti, in ieiunijs frequẽter, in frigore & nuditate: præter cætera, quæ me quotidiana distinent, uidelicet omnium ecclesiarum cura. Quis æger est, quin ego sim æger? quis offenditur, quin ego [c] urar? Si glorandum est, de imbecillitate mea gloriabor, Scit Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui est collaudãdus in sempiternũ, me nõ mentiri. Damasci præfectus regis Aretæ, Damascenorũ urbem custodiebat, capere me uolens. Itaque per fenestram in calatho demissus sum per murum: atq; ita eius manus effugi.

E F G

1. Cor. 4. a — Suprà. 6. a — 2. Tes. 3. b — b. capitalibus malis. — Acto. 14. d — Acto. 17. a — c. multo magis offendar — Acto. 9. d

CAPVT XII.

GLoriari sanè mihi nõ expedit: ueniã enim ad uisiones, et Domini patefactiones. Noui hominem Christianũ, ante annos quatuordecim (an in corpore, an extra corpus, nescio: scit Deus) hunc, inquam, raptũ ad tertium usq; cœlum. Et scio, eum hominẽ (an in corpore, an extra corpus, nescio, scit Deus) raptũ esse in Paradisum, & audiuisse arcana uerba, quæ homini eloqui nefas. De huiusmodi homine gloriabor: de me uerò non gloriabor, nisi in meis infirmitatibus. Quòd si uellem gloriari, nõ essem equidem amens: utpote qui uerũ dicerem. Sed [a] parco, ne quis de me existimet supra quàm esse me uidet, aut ex me audit aliquid. Ac ne ob patefactionũ præstantiam me nimis efferã, appositus est mihi stimulus carni, angelus Satanæ, qui me tundat, ne nimis efferar. De eo ter Dominum oraui, ut is à me facesseret. Sed ille mihi sic dixit: Satis est tibi mea gratia, nam mea fortitudo in imbecillitate perficitur. Itaq; multo libẽtissimè gloriabor in meis debilitatibus, ut habitet in me fortitudo Christi. Proinde mihi placeo in debilitatibus, in cõtumelijs, in rebus aduersis, in uexationibus, in angustijs pro Christo. Dum enim debilis sum, tum fortis sum. Amens fui, qui gloriatus sim: uos me coegistis, cũ deberem ego à uobis commẽdari. Nihilo enim inferior fui uel summis Apostolis, tametsi nihil sum. Specimina quidem Apostoli edita sunt apud uos, in summa patientia, in prodigijs & miraculis ac portẽtis. Quid enim est in quo superati sitis à cæteris ecclesijs, nisi quòd ego uos non exuxi? Condonate mihi hanc iniuriam. Iam tertiùm paratus sum uisere uos, neq; tamẽ uos exugam. Non enim uestra, sed uos expeto. Nec enim debent liberi parentibus congerere, sed parentes liberis. Ego uerò libentissimè & insumã et insumar pro uestris animis, quamuis uos maiorem in modum amans, minus redamer. Sed esto, ego uos non grauaui: sed uafer, credo, dolo uos cæpi. Num quis est eorum, quos ad uos misi, per quẽ uos circumuenerim? Hortatus sum Titum, & unà legaui fratrem: nunquid uos circumuenit Titus? Nõnne eodem animo, nõnne ijsdem uestigijs ingressi sumus? An rursum putatis, uobis excusare nos? In Dei cõspectu per Christum loquimur, & omnia, ô charissimi, pro uestra utilitate facimus. Vereor enim, ne fortè cum uenerò, & ego uos nõ quales uellem inueniam, & ipse uobis qualem non uelletis inueniar: ne fortè sint lites, æmulationes, iræ, iurgia, maledicta, susurri, tumores, inconstantiæ: ne rursus ad uos ubi uenero, affligat me Deus meus, multosq; deplorẽ, qui antè peccauerint, nec ab ea, cui operam dederint, turpitudine, stupro & libidine destiterint.

B C D E F G

a. contineo me. — Gal. 5. d

CAPVT XIII.

IAm tertiò uenturus sum ad uos: ex duorum triúmue testium ore decernetur de omni re. Et prædixi, & prædico: ac sicuti dum iterũ aderam, nunc absens scribo, ijs qui antè peccauerint, cæterisq; omnibus, me si rursum uenero, non esse parsurum, quandoquidem experimentum petitis loquẽtis in me Christi: qui erga uos debilis non est, sed pollet in uobis. Nam si per debilitatem crucifixus est, at uiuit per Dei potentiã. Etenim nos quoq; debiles in eo sumus: sed uiuemus cum eo per Dei in uos potẽtiam. Vosipsos pertentate, an sitis fide præditi: uosipsos explorate. An non uosipsos eos agnoscitis, in quibus sit Iesus Christus? nisi fortè reiectanei estis. Spero equidem futurũ ut nos non esse reiectaneos intelligatis. Faxit Deus, ut nihil mali faciatis: non ut nos accepti esse uideamur, sed ut uobis rectè facientibus, nos reiectanei esse uideamur. Nec enim quicquam possumus contra ueritatem, sed pro ueritate. Gaudemus enim, cũ & nos debiles, & uos fortes estis. Hoc equidem optamus, uos esse bene comparatos. Propterea hæc absens scribo, ne præsenti mihi seuerè sit utendum potestate, quam mihi Dominus ad iuuandum, non ad officiendum, dedit. Cæterùm, fratres, gaudete, cõparate uos, cõfirmamini, idem sentite, pacẽ agite, & Deus amoris atque pacis uobis aderit. Salutate inter uos osculo sancto. Salutant uos sancti omnes. Dñi Iesu Christi gratia, & Dei amor, & sancti spiritus cõmunio uobis adsit omnibus. Amen.

Deut. 17. b — Mat. 18. d — Ioh. 8. c — Heb. 10. d

B C D

Ad Corinthios secũda scripta est Philippis Macedoniæ, missa per Titum & Lucam.

PAVLI

PAVLI APOSTOLI EPISTOLA AD GALATAS.

CAPVT PRIMVM.



PAVLVS APOSTOlus, non ab hominibus, neq; per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum patrẽ qui eum excitauit ex mortuis, & mei comites omnes fratres, ecclesiis Galatiæ gratiam & pacem à Deo patre, & Domino nostro Iesu Christo, qui seipsum pro nostris peccatis dedidit, ut nos eriperet, ex instante seculo malo, de uoluntate Dei, patrisq; nostri, cui gloria in omnem perennitatem, Amen. Miror, uos tam citò [a] ab eo, qui uos [b] in Christi beneficio uocauit, trãduci ad aliud Euangelium: quanquam nullum est aliud, nisi quòd sunt quidã, qui uos turbant, & Christi Euangelium peruertere uolunt. B Verùm etiamsi nos, aut celestis angelus, uos diuersum doceat ab eo, quod uos docuimus, esto detestabilis. Vt iam diximus, nunc iterum dicam, si quis uos diuersum docet, ab eo quod accepistis, esto detestabilis. Nam [c] utrum tandem homines persuadeo, an Deum? num hominibus placere conor? Nam si iam hominibus placerem, Christi seruus nõ essem. Hoc autem uobis declaro, fratres, traditum à me Euãgelium, non esse humanũ. Nec enim ego id ab homine ac- C cepi, aut didici, sed patefaciente Iesu Christo. Audiuistis enim, quomodo aliquãdo uersatus sim in Iudaismo: quàm immodicè diuinam infestarem ac depopularer Ecclesiam, & meæ nationis æquales meos in Iudaismi profectu longè superarem, mearum patriarũ institutionum facilè studiosissimus. Sed simulac Deo, (qui me D à matris utero destinauit, & pro suo fauore uocauit) suum filium in me patefacere uisum est, ut eum per gentes publicarem, non equidem, cum [d] carne & sanguine contuli, neque Hierosolymam ascendi ad Apostolos priores me: sed Arabiam petij, & rursus Damascum reuerti. Deinde post annos tres Hierosolymã ascendi, uisendi Petri gratia, apud quem etiam mansi dies quindecim. Apostolorum quidem alium nullum uidi, nisi Iacobũ, Domini fratrem. Ac quæ uobis scribo, testor Deum, me non mentiri. Postea ueni in Siriæ Ciliciæq; tractus. Eram autẽ ignotus facie Christianis Iudææ ecclesiis. Tantum audiuerant, eum, à quo aliquãdo infestabantur, nunc fidem quam aliquãdo populatus esset, docere, Deoq; in me gratias agebãt.

a. à me, doctrináque mea.

b. In religione Christiana.

c. Non homines prædico, sed Christum.

Acto. 9. c

Philip. 3. a

d. hominibus.

CAPVT II.

DEinde post annos quatuordecim rursus ascendi Hierosolymam, cum Barnaba, assumpto etiam Tito. Ascendi autem diuino instinctu, & ad illos Euangelium retuli, quod apud extraneas gentes publicarem: præsertim ad illustres, ne fortè incassum uel currerem, uel cucurrissem. Quin neque Titus, meus comes, cum Græcus esset, circuncidi coactus est: idq; propter emissarios falsos fratres, qui sese insinuauerant ad speculandum, quam haberemus in Christo Iesu libertatẽ, quò nos seruituti subijcerent: quibus ne ad horam quidem parendo cessimus, ut Euangelij ueritas apud uos permaneret. B Quod ad eos attinet, qui uidentur esse aliquid, quales tandem essent, mea nihil refert: personæ hominis rationem Deus non habet. Mihi quidem illustres nihil contulerunt. Contraq; uidentes mihi creditum esse præputij Euangelium, quemadmodum Petro circumcisionis (nam qui in Petro id egit, ut circumcisorum esset Apostolus, idem in me quoque id egit ut essem alienigenarum) cognoscentes inquam, collatum in me beneficium, Iacobus, & Cephas, & Iohannes, qui columnæ esse uidebantur, dextras mihi & Barnabæ dederunt societatis, ut nos alienigenas, ipsi circumcisos instituerent, dummodo pauperum memores essemus: id quod equidem facere studui. Cum uenisset autem Petrus Antiochiam, ego ei in os restiti, quoniam reprehendendus erat. Cum enim, antequam uenissent à Iacobo quidã, cum C alienigenis epularetur, postquam illi aduenerunt, inhibuit, seq; subduxit, circumcisos ueritus. Itaq; unà cum eo simularunt etiam reliqui Iudæi, adeò ut Barnabas quoque ad eorum simulationem abduceretur. Ego uerò, qui uiderem eos non rectò pede incedere ad Euangelij ueritatẽ, dixi Petro coram omnibus: Si tu Iudæus alienigenarum more uiuis, nõ Iudæorũ, cur alienigenas Iudaizare cogis? Nos natura Iudæi, non ex alienigenis sontes, scientes hominem non legis operibus iustũ fieri, sed tantum fide in Iesu Christo collocanda, nos quoque inquam, fidem adhibuimus Christo Iesu, ut iusti fieremus Christi fide, non legis operibus: quoniam legis operibus mortalium nemo iu- D stus fiet. Quòd si studentes per Christum iusti fieri, reperimur tamen ipsi quoque sontes, ergo Christus peccati minister est, id quod absit. Atqui si quæ aboleui, eadem redintegro, sontẽ me præbeo. Ego enim per legẽ legi mortuus sum, ut Deo uiuere: crucifixus sum cũ Christo. Viuo autem, non iam ego, sed uiuit in me Christus. Quòd uerò nunc in carne uiuo, fide uiuo filij Dei, qui me adeò amauit, ut seipsum pro me dederet. Non repudio Dei beneficiũ. Nam si in lege posita est iustitia, ergo Christus frustrà mortuus est.

Rom. 2. b
Ephes. 6. b
Colos. 3. d
Acto. 10. f
Iacob. 2. a
1. Pet. 1. c

Rom. 3. e

CAPVT III.

O Dementes Galatæ, quis uos fascinauit, ut ueritati non obtemperetis? quibus [a] ob oculos Iesus Christus antea depictus fuit, apud uos crucifixus. Hoc tantum uolo à uobis discere, per legis opera spiritum acceperitis, an per orationem fidei. Adeòne dementes estis, ut à

Infrà 5. b

a. Ita declaratus, ut apud uos crucifixus esse uideatur.

spiritu exorsi, nunc in carnem desinatis? Tanta
passi estis frustra? si tamen frustra. Vtrùm ne
qui uobis spiritum suggessit, & apud uos por-
tentosa fecit, id per legis opera fecit, an per ora-
Genes.12.b tionē fidei? Quemadmodū Abrahamus Deo
credidit, id quod ei iustitiæ ductum est. Ergo
cognoscite, qui sunt à fide, eos Abrahimi filios
B esse. Præuidentes autem [b] literæ, Deum per fi-
Rom.4.a dem iustificaturū esse gentes, antè denunciaue-
Iacob.2.d runt Abrahamo, in eo beandas esse gentes o-
b. Deus, ut in literis habetur. mnes. Itaque qui à fide sunt, ij unà cum fidente
Abrahamo beantur. Quicunque enim sunt à
Genes.22.a legis operibus, execrationi subiecti sunt. Scri-
Deut.27.p ptum est enim, execrabilem esse quicunq; non
Ecclesi.44.d steterit omnibus in legis libro scriptis, eaq; præ-
Abac.2.d stiterit. Neminem autem lege fieri iustum apud
Rom.10.a Deum, hinc perspicuum est, quòd iustus per fi-
Heb.10.b dem uiuet. Atqui lex nō est ex fide, sed qui ho-
Leuit.18.d mo illa fecerit, per ea uiuet. Christus nos à legis
Deut.21.d execratione asseruit, factus pro nobis execra-
tio. Scriptum est enim, execrabilem esse, quis-
quis ex patibulo pendeat, ut ad gentes felicitas
Abrahamica perueniat per Christum Iesum, ut
spiritus promissum adipiscamur per fidem. Fra
Rom.6.e tres, humana loquar. Quamuis hominis sanci-
tum pactum, nemo tamen repudiat, aut immu
C tat. Abrahamo autem promissa sunt illa, & eius
semini. Non dicit, Et seminibus, quasi de mul-
tis, sed ut de uno: Et semini tuo, qui Christus
est. Hoc autem dico: Fœdus à Deo sanctum,
spectans in Christum, lex quæ post annos qua-
dringentos triginta fuit, nō antiquat, ita ut pro-
missionem rescindat. Atqui si à lege pendet hæ
Rom.4.a reditas, non iam pendet à promisso, & tamē A-
brahamo per promissū donauit Deus. Quor-
sum ergo lex? delictorū causa adiecta est, do-
nec ueniret semen, cui promissum erat: institu-
ta per angelos, lata per sequestrē, sequester au-
tem unius non est. Atqui Deus unus est. Er-
gòne lex est contraria Dei promissis? Nequa-
D quam. Si enim data lex esset, quæ uitā conferre
c. Omnia sub peccato sunt, ut docent literæ. posset, planè in lege sita foret iustitia. Sed [c] con-
cluserunt literæ omnia sub peccatū, ut promis-
sum per Christi Iesu fidem daretur fidentibus.
Antequam autem uenisset fides sub lege custo
diebamur, conclusi ad fidem, quæ patefacien-
da erat. Itaq; lex pædagogus noster fuit [d] ad
d. Vt nobis peesset usq; ad aduentū Christi. Christum, ut fide iusti fieremus. Postquam
autem uenit fides non iam sub pædagogo su-
mus. Omnes enim Dei filij estis, fide Christo
Iesu habēda. Nam quicūq; baptizati estis, Chri-
stum induistis. Non est neq; iudæus, neq; Græ
cus: non est neq; seruus, neq; liber: non est uel
mas uel fœmina. Nam uos omnes idem estis in
Christo Iesu. Quòd si uos Christi estis, ergo A-
brahami semen estis, & ex promisso hæredes.

CAPVT IIII.

SIc autem dico: Quamdiu hæres puer est,
nihil differt à seruo, & tamen est omnium
a. sub lege, quæ doctrinæ rudimēta humana sunt. dominus: sed sub tutoribus & dispensatoribus
est, usque ad præfinitum à patre tempus. Simi-
liter & nos, cum pueri essemus, [a] sub munda-
nis rudimentis eramus emancipati. Sed post-
quam plenum tempus aduenit, misit Deus fi-
lium suum, ex muliere natum, qui sub lege fuit,
ut legi subditos redimeret, quo adoptionem a- Rom.8.a
dipisceremur. Et quoniam filij estis, misit Deus
filij sui spiritum in uestros animos, qui clamet,
Abba pater. Itaque non iam seruus es, sed fi-
lius: quòd si filius, etiam hæres Dei per Christū.
Sed tum quidem ignorantes Deum, seruiuistis B
eis, qui natura dij non sunt. At nunc Deum co-
gnoscentes, uel potius à Deo cogniti, qui fit ut
uos rursus ad infirma egenaq; rudimenta con-
uertatis, quibus rursum de integro seruire uul-
tis? Dies obseruatis, & menses, & tempora, &
annos. Metuo equidem uobis, ne frustra in uo-
bis laborauerim. Este mei similes, quoniam &
ego sum uestri. Fratres, oro uos. Nullam mihi
fecistis iniuriam. Scitis autem quanta cum car-
nis infirmitate uos, antea instituerim: & tamen
mei tentationem, quam in carne pertuli, tan-
tum absuit ut repudiaretis, aut respueretis, ut
me ceu Dei nuncium, ceu Christum ipsum le- b. Nihil est
sum, acceperitis. [b] Quæ ergo est beatitudo ue- in quo uos
stra? Testor enim, uos, si fieri potuisset, uestros beatos di-
oculos effossuros, et mihi daturos fuisse. Ergòne cere possi
uester inimicus factus sum, uera uobis dicēdo? tis, nisi meā
Ambiunt uos, non rectè: nam excludere uos doctrinam
uolunt, ut se æmulemini. Deceret autem æmu- retinetis. C
lari in re bona semper, non solum me apud uos
præsente. Filioli mei, quos iterum parturio, do-
nec formetur in uobis Christus. Vellem equi-
dem nunc apud uos adesse, uocemque meam
mutare, quoniam in uobis dubito. Dicite mi-
hi, qui sub lege esse uultis, legem non auditis?
Scriptum est enim, Abrahamum duos habuis-
se filios, unum ex ancilla, alterū ex libera: quo-
rum, ancillæ filius humano more natus est, libe-
ræ autem filius ex promisso: quæ res aliud signi
ficant. Nam ea sunt duo fœdera. Vnum à mon
te Sina, in seruitutem gignens, uidelicet Agar:
nam Agar, Sina mons est in Arabia, qui cum D
ea quæ nunc est Hierosolima congruit, quip-
pe quæ unà cum suis seruiat. At superior Hie-
rosolyma libera est, quæ mater est omnium no-
strûm. Scriptum est enim: Lætare sterilis, quæ Esa.54.a
non paris: erumpe in clamorē, quæ non enite-
ris. Nam plures futuri sunt desertæ nati, quàm
uirum habentis. Nos uerò fratres, quemadmo-
dum Isaacus, promissionis nati sumus. Sed ut
tunc qui humanitùs erat genitus, genitum diui-
nitùs infestabat: ita fit etiam nunc. Verùm quid
aiunt literæ? Eijce ancillam, eiusq; filium: non
enim hæres erit ancillæ filius cum liberæ filio.
Ergo fratres, nō ancillæ nati sumus, sed liberæ. Genes.21.d

CAPVT V.

QVamobrem in libertate, in quam Chri- Acto.15.a
stus nos asseruit, state, & nolite rursum
iugo seruitutis teneri. En ego Paulus uobis di-
co, si circumcidamini, Christus uobis nihil pro-
derit. Hoc item cōfirmo omni homini, qui cir-
cumciditur, eum debere toti parere legi. Nihil
rei uobis cum Christo est: qui in lege positam
habetis

habetis iustitiam, ex beneficio excidistis. Nos
[Infrà.6.] enim spiritu per fidem à spe iustitiæ pende-
mus. Nam in Christo Iesu neque circumcisio quic
quam ualet, neque præputium, sed fides per cha
ritatem agens. Currebatis bene. quis uos impe-
[1.Cor.5.b] diuit quo minus ueritati obtemperaretis? Ista
B persuasio non ab eo est, qui uos uocauit. Pau-
lum fermenti totam massam fermentat. Equi-
dem hoc mihi de uobis per Dominum persua-
si, uos omnino nõ aliter animatos fore. Verùm
qui uos turbat, dabit pœnas, quisquis est. Ego
quidem, fratres, [a] si adhuc circumcisionem præ
dico, quî fit ut tamen infester? Si ita esset, non
esset ea quæ est crucis offensio. O' utinam ex-
cindantur, qui uos inquietant. Vos enim ad li-
bertatem uocati estis, fratres: modò ne libertatẽ
ad libidinem abutamini, sed per charitatẽ alius
[a. si circũcisionẽ docerem, nõ infestarẽt me Iudæi, nec eos offenderet Euãgelium.]
C alij seruiatis. Nam tota lex in uno dicto com-
[Leuit. 19.d] prehenditur, uidelicet, Alterum ut teipsum dili
[Matt. 22.d] gito. Quòd si alij alios mordetis ac exeditis, uidẽ
[Mar. 12.d] te ne alij ab alijs cõsumamini. Dico autem, ob-
[Luc.10.e] temperate spiritui, neue carnis cupiditatem exe
[Rom. 13.c] quimini. Caro enim, contrà quàm spiritus, &
[1.Pet. 2.a b] spiritus contrà quàm caro concupiscit. Atque
[Rom.13.d] hæc ita sunt inter sese contraria, ut non quæ ue-
litis, ea faciatis. Quòd si spiritu agimini, non e-
D stis sub lege. Sunt autem manifesta carnis ope-
ra, uidelicet adulterium, stuprum, impuritas, sa-
lacitas, deastrorum cultus, ueneficium, inimici-
tiæ, lis, æmulationes, iracundiæ, contentiones,
seditiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates,
comessationes, & his similia: quæ qui faciunt
(hoc uobis prædico, quemadmodum iam præ-
[Apoc. 22.d] dixi) ij diuinum regnum non obtinebunt. At
spiritus fructus, est charitas, gaudium, pax, cle-
mentia, benignitas, bonitas, fides, lenitas, con-
[Rom. 13. d] tinentia. Contra talia non est lex. Qui sunt au-
[1.Pet.2.d] tem Christi, ij carnem unà cum libidinibus &
cupiditatibus crucifixerunt. Si spiritu uiuimus,
etiam spiritu gradiamur, ne simus gloriosi, in-
uicem prouocantes, inuicem inuidentes.

CAPVT VI.

FRatres, si quis aliquo delicto anticipatus
fuerit, uos eum, qui spirituales estis, reficite
cum animi comitate, aspicientes uosipsos, ne uos
quoq; tentemini. Alij aliorum onera ferte, atq;
[a. præcepto.] ita Christi [a] lege perfungimini. Nam si quis si-
bi uidetur esse aliquid, cum nihil sit, ipse se ani-
mo fallit. Exploret autem suum quisq; opus, ita
demum in seipso tantum quod glorietur habe-
B bit, non in altero. Nam suũ quisque feret onus.
Communicet autem qui doctrina eruditur, cũ
eo à quo erudit, omnia bona. Ne errate. Deus
non eluditur: nam quod quisque seuerit, idem
metet: siquidem qui in suam carnem seuerit, ex
carne metet interitum. Qui uerò in spiritu se-
uerit, ex spiritu uitam metet sempiternam. No-
limus autem rectè faciendo defethisci, nam no-
[2.Thes. 3.c] stro tempore metemus, non defatigandi. Ergo
C ut tempus habemus, benefaciamus, cùm omni-
bus, tum maximè fidei domesticis. Videte quã-
tis uobis literis scripserim mea manu. Quicun-
que se in carne pulchra specie uenditant, ij uos
circumcidi cogũt, tantum ut Christi cruce non
infestentur. Nam ne ipsi quidem, qui circumci
duntur, legi parent: sed ideo uos circumcidi uo-
lunt, ut in uestra carne glorientur. At mihi glo-
riari ne sit, nisi in cruce Domini nostri Iesu Chri-
sti, per quem [b] & mundus mihi crucifixus est, [b. nihil mihi cũ mundo est commercij.]
& ego mundo. Etenim in Christo Iesu neq; cir-
cumcisio quicquam ualet, neq; præputium, sed
noua creatura. Et quicunq; ad hanc normam se
gerẽt, ijs pax & misericordia tribuetur, unà cum D
diuinis Israelitis. Deinceps nemo mihi negotia [Suprà. 5.a]
facessat: ego enim Domini nostri Iesu Christi
notas in corpore meo gesto. Domini nostri Iesu
Christi gratia adsit animis uestris, fratres. Amẽ.

Ad Galatas scripta est Romæ.

PAVLI APOSTOLI
EPISTOLA AD EPHESIOS.

CAPVT PRIMVM.



AVLVS APOSTO-
lus Iesu Christi, de [Gal. 1.a]
Dei uoluntate, san- [1.Pet.1.a]
ctis omnib. qui sunt [1.Cor.1.a]
Ephesi, & fidentibus
per Christum Iesum,
gratiam & pacem à
Deo patre nostro, &
Domino Iesu Chri-
sto. Concelebrandus
Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi, qui
nos felicitauit omni ubertate diuina, in rebus
Christi cœlestibus: quemadmodum nos in eo
elegerat ante orbem conditũ, ut essemus in suo
conspectu sancti ac inculpati, charitate præditi.
Destinauerat enim nos adoptioni per Iesum
Christum, [a] in eundem, pro suæ uoluntatis ar-
bitrio, ad laudẽ suæ gloriosæ beneficentiæ, qua B
nos acceptos reddidit per suum charissimum, [a. ut in ipsũ Iesum adoptaremur, hoc est, per eũ Dei filium, fieremus Dei filij.]
in quo liberationem habemus per eius sangui
nem, uidelicet delictorum ueniam, pro eius tã
diuite beneficentia, qua erga nos tam largè usus
est, summa cum sapientia atque prudentia, de-
clarando nobis arcanum suę uoluntatis. Atque
id fecit, quoniam sic ei uisum est, ut ipse secum [Gal.4.a]
statuerat dispensanda esse tempora, cum pera-
cta forent, omniaq; in Christo summatim com-
prehendenda, tum cœlestia tum terrestria. In
Christo, inquam, in quo nos in sortem asciti su-
mus, destinati decreto efficientis omnia suæ uo
luntatis arbitratu, ut ei laudi simus ac gloriæ, [Rom. 1.a]
nos, qui spem in Christo collocauimus: in quo C
eodem uos quoque spem collocastis, audita ue-
ritatis oratione, hoc est, uestræ salutis Euange-
lio, cui fidem habendo, consignati estis sancto [b. Qui nobis fidẽ faciat, fore ut nobis promissa præstetur hæreditas.]
spiritu [b] promissionis, qui pignus est hæredita-
tis nostræ, ad asserendam partam possessionem
quæ res ei gloriosam laudem pariat. Propterea
ego uestram fiduciam in Domino Iesu colloca-

 tam,

tam, & amorem erga omnes sanctos audiens, non intermitto gratias de uobis agere, uestri mentionem faciens in meis precibus, ut Domini nostri Iesu Christi Deus, gloriæ pater, uos sapientiæ & patefactionis authore spiritu donet, quo eum cognoscatis, illustratis uestræ mentis oculis, ut sciatis quid sperandum sit uocatis ab eo: & quàm locuples, gloriosaq; sit eius hære-

D ditas destinata sanctis, & quàm excellens sit eius in nos fidentes potentiæ magnitudo, quam pro sui egregij roboris uirtute exeruit in Christo, eum ex mortuis suscitando. Atque is Christus illi dexter assedit, in cœlestibus, supra omnem principatum & potestatem, & potentiam, & dominatum, supráque omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo, uerumetiam in futuro. Et ille eius pedibus omnia subiecit, eumq; supra omnia Ecclesiæ (quæ eius corpus est) dedit caput [c] complemẽtum omnia com plentis in omnibus.

Psal. 8. c

c. Christus est, per quẽ Deus complet ac perficit omnia

Col. 2 d

CAPVT II.

VOs quidem mortui fuistis delictis & peccatis, in quibus aliquando uersati estis, ut est huius mundi uita, ad principis aëreæ potestatis arbitrium, uidelicet spiritus, qui nunc in cõtumacibus uiget hominibus. In ijsdem peccatis nos quoque omnes uersati sumus aliquando, in nostræ carnis cupiditatibus facientes quæ uellet caro atque cogitationes: fuimusq; natura digni supplicio, sicut & cæteri. Verùm Deus, misericordia diues, tanta nos charitate complexus est, ut cum delictis essemus mortui, reuocauerit

B nos in uitam, unà cum Christo (estis beneficio seruati) simúlque suscitauerit, & [a] in Christo Iesu in cœlestibus collocauerit, ut ostendat in futuris seculis suam tam diuitem beneficentiam, qua pro sua benignitate usus est in nos in Christo Iesu. Nam beneficio seruati estis per fiduciam, idq; non ex uobis. Dei donum est, non ex factis, ne quis se iactet. Eius enim sumus opus conditi in Christo Iesu, ad rectè facta, quæ præparauit Deus, ut in eis uersaremur. Quamobrem mementote uos aliquando carne alienigenas (qui præputium uocamini, ab ea quæ circumcisio dicitur, in corpore manu facta) uos inquam, in illo tempore fuisse sine Christo, ab

a. In eo q Christiani sumus.

C Israelitica republica alienos, fœderibus promissionis carentes, spem non habentes, & Dei expertes in mundo. At nunc in Christo Iesu uos, qui aliquando aberatis, factum est ut adsitis per Christi sanguinem. Is est enim pax nostra, qui ex [b] ambobus unum fecit, septiq; interstitium abrupit, & inimicitias, legem præceptorũ in placitis positam, in sua carne aboleuit, ut in sese ex duobus conderet unũ nouum hominem, facien

b. alienigenis & Iudæis.

D do pacem, & ambos uno in corpore reconciliaret Deo, per crucem, peremptis in ea inimicitijs. Venit autem pacẽ nunciatum & uobis qui aberatis, & ijs qui aderant. Siquidem per eum aditum habemus utrique, per unum spiritum, ad patrem. Ergo non iam peregrini estis & inquilini, sed sanctorum ciues, Deiq; domestici, super

Luc. 2. b

apostolorum uatumq; fundamentum extructi, anguli capite ipso Iesu Christo, per quod totum ædificium compactum crescit in sacrum templum, in Domino: in quo uos quoque unà ædificamini, ad Dei domicilium, diuino afflatu.

CAPVT III.

HVius gratia ego Paulus, Iesu Christi uinctus, propter uos alienigenas, legatione fungor: si modò audiuistis Dei beneficij dispensationem, quod mihi ad uos collatum est: quandoquidem ille mihi diuinitùs mysterium declarauit, quemadmodum antè breuiter scripsi, unde potestis legentes animaduertere meam in Christi mysterio intelligentiam, quod nullis alijs seculis declaratum est hominum generi, ut nũc patefactum est sanctis eius apostolis ac uatibus, diuina inspiratione: uidelicet alienigenas esse cohæredes, & eiusdem corporis, & participes diuini promissi in Christo, per Euangelium, cuius ego factus sum minister, dono diuini beneficij, quod beneficium mihi diuina potentiæ ui collatum est. Mihi omnium sanctorum minimo id beneficium collatum est, ut apud cæteras gentes infinitam Christi opulentiam publicem, & omnibus perspicuum faciam quæ sit mysterij communio, quod ab omni æternitate apud Deum (qui omnia per Iesum Christum condidit) fuit celatum, ut nunc declaretur principatibus & potestatibus, in cœlestibus, per Ec-

C clesiam, tam uaria Dei sapientia, quemadmodum & ab omni æuo decreuerat, & in Christo Iesu Domino nostro præstitit, in quo habemus audaciam, atque [a] aditum, confisione quæ est in fide ei habenda. Quamobrem peto, ne animos despondeatis, ob eas quas ego pro uobis fero, calamitates, quæ uestra gloria est. Huius gratia flecto mea genua ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis & in cœlis & in terra denominatur cognatio, ut pro sua gloriosa opulentia det uobis fortiter corroborari per

a. scilicet ad patrem

D suum spiritum, in interiorem hominem, quo habitet Christus per fidem in uestris animis, & sitis in charitate radicati atque fundati, ut comprehendere ac cognoscere ualeatis, unà cum sanctis omnibus, quàm latè longéque, quàm altè ac sublimè pateat, & quàm omnem cognitionem excedat amor Christi, ut omni diuina perfectione sitis perfecti. Ei uerò, qui ea ui, quæ uiget in nobis, potest omnia longè longéque copiosius facere, quàm nos poscere aut cogitare, ei inquam, gloria in Ecclesia per Christum Iesum, in omnem omnium seculorum perpetuitatem, Amen.

CAPVT IIII.

EXhortor ergo uos ego, propter Dominum uinctus, ut ita uos geratis, ut dignũ est ista conditione, ad quam uocati estis, cũ omni modestia ac mansuetudine, cum patientia, ferentes alius alium cum charitate, spiritus unitatem pacis uinculo tueri studentes. Vnũ corpus, unusq; spiritus, quemadmodum in unam conditionis uestræ spem estis uocati. Vnus Dominus,

1. Cor.

Ro.

una

1.Cor.12.b una fides, unum baptisma, unus Deus & pater
B omnium, qui est supra omnia, & per omnia, &
in omnibus. Cæterùm unicuiq; nostrûm colla-
tũ est beneficiũ, pro portione doni Christi. Itaq;
ascendens in sublime (inquit ille) captiuos ab-
Iohan.3.b duxit, & dona dedit hominibus. Quid est autẽ
Ascendit, nisi quòd prius in imas terræ partes
descenderat? Qui descenderat, idem est qui su-
1.Cor.12.d pra cœlos omnes ascendit, ut omnia compleret.
Atq; his partim Apostolos, partim Vates, par-
C tim Euangelistas, partim pastores & magistros,
ad condendos sanctos dedit, ad operis ministe-
a.Christianorum reipublicæ. rium, ad a Christi corporis extructionẽ, donec
perueniamus omnes ad unitatem fidei, cogni-
tionisq; filij Dei in uirum adultum, ad modum
plenæ ætatis Christianæ: ne simus amplius pue-
ri, qui omni doctrinæ uento fluctuemus ac cir-
cumferamur, hominum uersutia, qua nos ma-
litiose ad fallendum aggrediantur: sed uerum
D tenentes cum charitate, omnino b in eum ado-
b. in Christum, hoc est, in Christi corpus. lescamus, qui caput est, uidelicet Christus, ex
quo totum corpus omnibus (per quas efficitur
administratio) commissuris compactum atque
connexum, actione (quæ pro cuiusque partis
modo fit) facit corporis incrementum, ad semet
extruendum in charitate. Hoc igitur per Domi
Rom.1.c num dico, moneoq;, ne deinceps uos geratis,
quomodo cæteri alienigenæ se gerunt, in suæ
mentis uanitate, animo caligantes, à diuina uita
alieni, propter eam qua præditi sunt ignoran-
E tiam, propter eorum animi torporem, qui obdu
cto callo, seipsos addixerũt libidini, ad omnem
obscœnitatem auidè perpetrandam. At uos nõ
ita Christum didicistis, siquidem eum audiui-
stis, & ab eo (ut est in Iesu ueritas) docti estis
Rom.6.a ueterem hominem (qui superiores uestri fuere
Coloss.3.b mores) deponere, qui fallacibus perit cupiditati
Heb.12.a bus & c mentis uestræ spiritu renouari, ac no-
c.spiritu sancto, uestris mentibus infuso. uum hominem induere, conditum diuinitus,
cum iustitia, ueraq; pietate. Quamobrem depo
F sita falsitate, loquimini uera alius cum alio: quã-
doquidem alij aliorum mẽbra sumus. Ita irasci-
1.Pet.2.a mini, ut ne peccetis: neue sol occidat iratis uobis
Zach.8.c d neue locum date diabolo. Qui furabatur, ne fu
Psal.4 retur amplius, sed potius manuum labore bona
Iacob.4.b comparet, ut habeat quod egentibus impertiat.
d. ne per iram detis locũ diabolo circumueniendi uestri. Nulla uitiosa oratio ex ore uestro prodeat, sed
si quæ bona est ad instructionem, qua sit opus
ut auditoribus beneficium conferat: neue san-
ctum Dei spiritum contristate, quo consignati
G estis ad liberationis diem. Omnis acerbitas, &
odium, & ira, & clamositas, & maledicentia, de-
nique omne uitium tollatur ex uobis: ac este a-
Coloss.3.g lij in alios benigni, misericordes, condonantes
inter uos, quemadmodum Deus uobis in Chri-
sto condonauit.

CAPVT V.

Qvapropter este imitatores Dei, ut chari
filij: & cum charitate uitam agite quẽad-
Iohan.13.d modum Christus adamauit nos, & seipsum pro
1.Iohã.4.b nobis dedidit, fertũ hostiamq; Deo ad suauem
odorem. Stuprum uerò, aut ulla obscœnitas aut
auaritia, ne quidem nominetur apud uos, ut san
ctos decet: aut turpitudo, aut stulta oratio, aut
facetia, quæ dedecent: sed potius gratiarum a- B
ctio. Hoc enim scitote, nullum scortatorem, aut 1.Cor.6.b
impurum, aut auarum (qui est deastricola) ha-
biturum esse hæreditatem in Christi Deiq; re- Coloss.3.a
gno. Nemo uos decipiat uanis uerbis: nam pro
pter has res inuadit ira Dei contumaces homi-
nes. Quare nolite eorum esse socij. Cum enim
essetis aliquando tenebricosi, nunc lucidi estis in
Domino: ut lucis homines uos gerite (est autẽ
lucis fructus in omni bonitate ac iustitia & ue- C
ritate) approbantes quæ sunt accepta Deo: tan-
tumq; absit ut infructuosa tenebrarum opera
participetis, ut ea potius arguatis. Nam quæ ab
illis occultè fiant, uel dicere turpe est. Omnia au-
tem quæ arguũtur, luce patefiunt. Quicquid e-
nim patefit, lucidum est. Propterea, Expergisce-
re qui dormis (inquit) & surge ex mortuis, & ti Coloss.4.a
bi Christus affulgebit. Videte igitur, ut solerter
gradiamini, non ut insipientes, sed ut sapien- D
tes, a ementes tempus, quoniam tempora mala a. ne tẽporis occasionem amittatis, cauẽtes, ut solẽt diligenter seruari quæ empta sunt.
sunt. Quocirca ne este socordes, sed intelligite
quæ sit Domini uoluntas: neue inebriamini ui
no, in quo inest luxuria: sed spiritu pleni este,
colloquentes inter uos carminibus: Deiq; lau-
dationibus & diuinis cantionibus, Dominum
ex animo canentes, ac cantantes, Deo & patri
semper pro omnibus gratias agentes, in nomi Rom.12.a
ne Domini nostri Iesu Christi: alius alij obedi 1.Thes.4.a
entes cum Dei metu. Vos uxores uestris parete E
uiris, ut Domino. Nam uir caput uxoris est,
ut Christus Ecclesiæ caput, idemq; corporis ser-
uator est. Ac quemadmodum Ecclesia Cristo 1.Cor.11.a
paret, sic uxores suis uiris parẽre debent in o- 1.Pet.3.a
mnibus. Vos uiri amate uestras uxores, ut Coloss.3.c
Christus amauit Ecclesiam, seq; pro ea dedi-
dit, quo eam sanctam redderet, aquæ lotione
purgatam, diuinis uerbis: ut eam sibi præstaret
gloriosam Ecclesiam, nulla macula aut ruga, aut F
ulla tali re præditam, sed quæ sancta inculpataq;
foret. Sic debent amare uiri suas uxores, ut sua
ipsorum corpora. Qui suam uxorem amat, sei-
psum amat. Nam nemo unquam suum corpus
odit, sed id alit fouetque, ut Christus Ecclesiam:
cuius Christi corporis membra sumus nos ex G
eius carne atque ossibus. Propterea homo, re- Gen.2
licto patre atque matre, adhærebit uxori suæ, 1.Esd.4.b
fietque ex duobus una caro. Mysterium hoc Matth.19.a
magnum est. Ego de Christo & Ecclesia dico. Mar.10.a
Quanquam uestrûm quoque singulatim suam 1.Cor.6.d
quisque uxorem sic amato, ut seipsum. Vxor au
tem uirum reuereatur.

CAPVT VI.

Vos liberi obedite uestris parentibus in Do Coloss.3.d
mino: id enim æquum est. Honora tuum Exod.20.b
patrem atque matrem, quod primũ est cum pro- Eccl.3.b
missione præceptum, ut tibi bene sit, & uiuas in Matth.19.a
terra diu. Vos patres ne uestros irritate natos, Mar.10.c Coloss.3.d
sed eos in Domini disciplina ac monitis educa- Tit.2.c
te. Vos serui obedite uestris, quod ad carnem 1.Pet.2.c
attinet, dominis, timidè ac trepidè, cum animi

a. simulatè, b. non uere.

simplicitate, tanquam ipsi Domino: non a ad oculum seruiendo, ut hominibus placere conantes, sed ut Christi serui, Dei uoluntatem obeuntes ex animo, cum beneuolentia, seruientes Domino, nō hominibus: scientes fore, ut quod

B

quisq; boni fecerit, eius à Domino præmium reportet, siue seruus, siue liber. Item uos domini, uices eis reddite, remissis minis, scientes eorum & uestrum Dominum in cœlis esse, qui nihil personis tribuat. Cæterùm, mei fratres, conualescite in Domino, eiúsque uirtutis robore. Induite diuinam armaturā, ut possitis aggressiones sustinere diaboli: nec enim nobis lucta est aduersus sanguinem & carnem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi potētes tenebrarum huius seculi, aduersus spiritus malitiæ, qui sunt in rebus cœlestibus. Quamobrem sumite diuinam armaturam, ut aduerso tempore resistere, & confectis omni-

Rom. 2. b
Coloss. 3. d
Actor. 10. f
Iacob. 2. b
1. Pet. 1. c
Galat. 2. b

C

bus stare possitis. State igitur accincti latera ueritate, & iustitiæ loricam induti, pedibus calceatis alacritate Euangelij pacis, assumpto in primis clypeo fiduciæ, quo omnia mali ignea tela extinguere poteritis. Item salutis galeam sumite, & gladium spiritus, hoc est, diuina dicta, omnibus precibus ac supplicationibus, animo precantes omni tempore, atque in ipsum inuigilantes summa cum perseuerantia, & supplicatione, cùm pro omnibus sanctis, tum pro me ut mihi detur oratio, ad liberè uerba faciēdum, declarando Euangelij mysterio, pro quo lega-

1. Thes. 5. b
Esa. 59. c
Coloss. 4. a

D

tionem obeo in catena, ut id tam ingenuè eloquar, quàm debeo. Vt autem uos quoque de me sciatis quid agam, omnia uobis exponet Tychicus frater charissimus, fidúsque minister in Domini negocio: quem ideo ad uos misi, ut quo statu res nostræ sint cognoscatis, utq; uestros confirmet animos. Pacem fratribus & charitatem cum fiducia opto à Deo patre, & Domino Iesu Christo. Adsit Dei gratia immortalis omnibus Dominum nostrum Iesum Christum amantibus: Amen.

Ad Ephesios missa est Roma per Tichicum.

PAVLI APOSTOLI EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

CAPVT PRIMVM.



Paulus & Timotheus serui Iesu Christi, omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, nec non episcopis ac ministris, gratiam & pacem à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo. Ago Deo meo gratias, quoties uestri uenit in mentem, semper in omnibus meis supplicationibus pro uobis omnib. cum lætitia supplicationem faciens, quòd Euangelium hactenus à prima die participaueritis: hoc fore confidens, ut qui in uobis rem bonam inchoauit, idem absoluat usq; ad diem Iesu Christi, quemadmodum æquum est me hoc de uobis omnibus sentire, quòd uos in animo habeam & in uinculis meis, & in causæ dictione, & Euangelij confirmatione: uos omnes inquam, collati in me beneficij unà participes. Nam uos omnes (testis mihi Deus est) a dignā Iesu Christo affectione desidero: atq; hoc a. Christiana.

B

precor, ut charitate etiam magis magisq; excellatis, in omni cognitione & perspicietia, ut præstabilia approbetis, ut sinceri sitis, & innoxij ad Christi diem, pleni iustitiæ fructibus, qui per Iesum Christum ad gloriam laudemq; Dei pertinent. Scire autem uos uolo, fratres, meos casus magis in Euangelij profectum cessisse, ut mea uincula in Christianitate, facta sint perspicua per totum b prætorium, cæterisq; cunctis: adeò b. aulam.
ut plerique eorum qui in Domino fratres sunt, freti meis uinculis, magis audeant impauidi uerba facere. Et nonnulli quidem inuidè ac dissentientes, nonnulli etiam quòd ita sentiant, Christum prædicant. Et illi quidem qui id cum diffidentia faciunt, Christum non castè publicant,

C

c putantes se afflictionem meis addituros d uinculis: ij uerò faciunt amore, scientes eum esse me, per quem defendatur Euangelium. Sed quid? certè quoquomodo, siue in speciem, seu uerè, Christus publicatur: id quod & gaudeo, & gaudebo. Scio enim hoc mihi saluti futurum per uestras preces, & spiritus Iesu Christi suppeditationem, quemadmodum intentus expecto: futurumq; spero, ut nulla in re cōfuter: sed summa cum loquendi libertate, ut semper, sic nunc quoque Christus euehatur in meo corpore, seu per uitam, seu per mortem. Nam mihi & uiuere Christus est, & mori lucrum. Quòd si mihi in eo situs est profectus operis, si uiuam in corpore, utrum eligam nescio. Distrahor enim à duobus, & migrare quidem cupio, ac cum Christo

c. quod quanto plures erunt Christiani, tāto maius in me futurum sit aduersariorū odium.
d. mihi uincto.

D

esse: nam id multo melius esset. Verùm in corpore manere, magis necessarium est, propter uos. Qua quidem re fretus, scio me mansurum, & apud uos omnes remāsurum esse ad uestrum profectum, fideiq; lætitiam, quo per me fiat, ut uos magis in Christo Iesu, uos iactare possitis, propter meum ad uos iteratum aduētum. Tantum dignam Christi Euangelio uitam agite, ut siue uos adibo ac uidebo, siue abero, audiā eos esse uos, qui stetis in uno spiritu, uno animo, cū Euangelica fide dimicantes: nec ulla in re ab aduersarijs percellamini, quod & illis exitij, & uobis salutis sit argumentum, idq; à Deo, quod uobis datum sit, non solum Christo fidem habere, uerumetiam pro Christo aduersa pati, idem certamen habentibus, quale in me & uidistis, & nunc auditis.

CAPVT

CAPUT II.

QVamobrem per si quæ est in Christo cō
firmatio, si quod charitatis solatium, si
qua spiritus cōmunio, si qua commiseratio ac
misericordia, explete meum gaudium, hoc est
eiusdem esse sententiæ, eadem charitate prædi-
ti, unanimes, idem sentiētes, nihil per dissiden-
tiam aut ostentationē, sed cum modestia alius
aliū sibi pręcellere existimantes: non sua quisq;
curantes, uerùm etiam aliena. Nam sic ani-
mati esse debetis, ut Christus Iesus, qui cum in
Dei forma foret, non rapinæ habuit suam cum
Deo æqualitatē, sed seipsum eousq; ad nihilum
redegit, ut sumpta seruili forma, factus sit homi
num similis: & figura repertus ut homo, sese
adeò deiecit, ut obediēs fuerit usq; ad mortem,
& quidem mortem crucis. Quapropter Deus
B eum summopere extulit, & nomine donauit o-
Heb.2.b mnium nominum summo, ut ad Iesu nomen
omne se genu flectat, cœlestium, & terrestriū,
& subterraneorum: omnisq; lingua cōfiteatur
Dominum esse Iesum Christum, ad Dei patris
gloriam. Quamobrem, mihi charissimi, quem-
admodum semper obtemperastis, non solum
ut in præsentia mea, sed nunc multo magis in
absentia mea, cum metu ac tremore uestram sa
lutem agite. Deus enim is est, qui pro sua bene-
uolētia n uobis efficit ut & uelitis & efficiatis.
1.Pet.4.b Omnia facite sine fremitibus, prauisq; cogita-
tionibus, ut irreprehensi integriq; sitis, incul-
pati Dei filij, in medio praui peruersiq; gene-
C neris hominum: quod inter micate, tanquam in
mundo luminaria, [a] uitalem doctrinam susti-
nentes, quod mihi sit gloriationi in die Christi,
quòd nō nequicquam cucurrerim, neque ne-
quicquam laborauerim. Enimuero licet [b] fidei
uestræ sacrificio ac operatione immoler, gau-
deo, & uobis omnibus gratulor. Vos uicissim
gaudete, mihiq; gratulamini. Spero autem fore
per Dominū Iesum, ut Timotheum breui mit-
tam uobis, ut ego quoque recreer, cognito ue-
strarum rerum statu. Neminem enim habeo ei
parem animo, qui uestra germanè curet: om-
nes enim suæ rei student, non Iesu Christi. E-
1.Cor 13.b ius autem exploratam probitatem hinc cogno-
scite, quòd ceu patri filius, mecum unà inserui-
uit euangelio. Hunc igitur, ut spero, mittam,
simulac meis rebus prospexero. Confido autē
fore per Dominum, ut ego ipse breui ueniam.
D Necessarium autem putaui, Epaphroditum
fratrem & collegam, commilitonemq; meum,
uestrum autem apostolum, & mei muneris ui-
carium, ad uos mittere, quandoquidem desi-
derabat uos omnes, de eo anxius, quòd se ægro
tasse audiuissetis. Aegrotauit enim ita, ut morti
proximus esset. Verùm Deus eius misertus est:
nec eius solum, sed etiam mei, ne dolorem su-
per dolorem haberem. Itaque eo auidius eum
misi, ut & uos eo uiso rursum gaudeatis, & ego
minus doleam. Quare eum excipite per Domi
num, cum omni lætitia, & tales in honore ha-
bete: nam propter Christi negotium eò ue-
nit, ut à morte parum abesset, nulla habita suę
uitæ ratione, dum [c] uestri erga me officij defe-
ctum suppleret.

a. euangelicæ doctrinæ respondētes, & ut ea dignum est uos gerentes.

b. propter uos Christianos factos.

c. id mihi præstaret, quod præstare uestri erat officij.

CAPUT III.

CAeterùm, mei fratres, gaudete in Domi-
no. Eadem uobis scribere, neq; me piget,
& uobis tutum est. Videte canes, uidete malos
01 operarios, uidete cōcisos. Nos enim sumus cir-
cumcisi, qui spiritu Deum colimus: & in Chri-
sto Iesu gloriamur, non carne freti: quanquam
ego carne fretus esse possem. Si quis alius sibi ui Actor.23.b
detur in carne fiduciam habere posse, ego ma- Galat.1.c
gis, circumcisus octauo die, genere Israelita, tri Acto.9.a
bus Beniaminitæ, Hebræus ex Hebræis, institu et.22.b
to Pharisæus, studio insectator ecclesiæ, iustitia B
in lege sita inculpatus. Sed quæ mihi lucra erāt,
ea propter Christum pro damno habui. Quin-
imo omnia damnum esse puto, propter cogni-
tionis Christi Iesu Domini mei præstantiam,
02 propter quam omniū iacturā feci, eaq; pro ster-
coribus habeo, ut Christū lucrer, & mihi in eo
suppetat, nec habeam iustitiam meam, quæ à le
ge pendeat, sed in fide Christo habenda positā,
pendentem à Deo iustitiam in fide sitam, eum
eiusq; & resurrectionis uim, & suppliciorum
communitatem cognoscendo: dum ad eius
mortem conformor, si qua ad mortuorum re- C
surrectionem perueniam, non quia iam conse-
06 cutus sim, aut iam perfectus, sed persequor ut
comprehendā, quatenus à Christo Iesu sum cō-
prehensus. Fratres, ego me nondum assequutū
esse arbitror: ueruntamen quę sunt à tergo obli
uiscens, & ad anteriora me intendens, ad scopū
contendo, ad palmam, ad quam supernè uoca-
tus sum diuinitùs per Christum Iesum. Quot
quot ergo perfecti sumus, hoc sentiamus: quòd
si quid aliter sentitis, id uobis patefaciet De-
us. Interim quantum adepti sumus, idem sen-
04 tiamus, eandem ad regulam uiuamus. Este 1.Cor.4.
mei imitatores, & eos considerate qui ita se ge D
runt, ut nos exemplum habetis. Nam multi
ita se gerunt (quos & sæpe uobis dixi, & nunc
plorans dico) Christianæ crucis hostes: quo-
rum exitus est exitium: qui & uentrē pro Deo
habent, & gloriam sibi in sua turpitudine collo
cant: qui terrestria sapiunt. Nam nostra qui- Rom.16.a
dem obuersatio in cœlis est, unde etiam serua-
torem manemus Dominum Iesum Christum,
05 qui humile nostrum corpus sic transfigura-
bit, ut eandem cum eius glorioso corpore for-
mam habeat, pro ea ui, qua ipse sibi subijcere
potest omnia.

CAPUT IIII.

QVamobrem fratres mei chari ac deside-
rati, lætitia coronaq; mea, sic state in Do
mino, ô charissimi. Euodiā exhortor, & Synty
chen exhortor, idem ut sentiant in Domino.
Quin te quoq; uere socie, rogo, eis opitulare,
90 quæ mecū certauerint in Euangelio, unà cum
Clemēte, reliquisq; meis collegis, quorū nomi-
na sunt in libro uitæ. Gaudete in Domino sem
per: iterum dicam, gaudete. Aequitas uestra
cunctis

cunctis nota sit hominib. Dominus propè adest. Nihil este soliciti, sed omni in re efficite precibus & suplicationibus cum gratiarum actione, ut uestra postulata Deo declarentur: & diuina pax, omnem mentē exuperans, uestros animos ac cogitationes in Christo Iesu custodiet. Cæterùm, fratres, quæ uera sint, quæ grauia, quæ iusta, quæ casta, quæ amabila, quæ fausta, [a] si qua uirtus & si qua laus est, ea cogitate, quæ didicistis, & accepistis, & audiuistis, & uidistis in me. Hæc agite, & Deus pacis uobis aderit. Gauisus sum aūt per Dominū magnoperè, quòd tandem aliquando reuiruit uestra de me

B

a. si quidcū uirtute cōiunctum & laudabile est.

C cura: tametsi curam habebatis, sed oportunitate carebatis. Neq; propter inopiam dico: nam ego didici ijs cōtentus esse, quæ adsint. Scio deprimi, scio & excellere: in omnibus ubique rebus edoctus sum & saturari & esurire, & abundare & carere. Omnia possum per eum qui me corroborat Christum. Sed tamen rectè fecistis, quòd calamitati meæ opitulati estis. Scitis uos quidem, Philippenses, initio Euangelij, cum ex Macedonia profectus essem, nullam ecclesiam mihi quicquā cōtulisse [b] ad rationē expensorum, nisi uos solos, qui mihi Thessalonicam

b. quod uel illi mihi ex pensum.

D semel atq; iterum quæ opus essent misistis: non quia donū quærā, quæro enim [c] profectū, qui in uestram rationē redūdet. Habeo aūt omnia, & abūdo: cumulatus sum, acceptis ab Epaphrodito ijs quæ misistis, qui suauis odor est, sacrificiū Deo gratū atq; acceptum. Deus uerò meus, pro sua opulētia, quicquid uobis opus erit, gloriose cumulabit per Christum Iesum. Deo autem patriq; nostro gloria in perpetua secula: Amē. Salutate sanctos omnes in Christo Iesu. Salutant uos qui mecum sunt fratres. Salutant uos omnes sancti, præsertim Cæsaris domestici. Domini nostri Iesu Chisti gratia adsit uobis omnibus: Amen.

uel eis ego acceptum ferre possem.
c. ut promoueatur euangeliū, quæ res uobis sit utilissima.
Rom. 12. 4

Missa Roma per Epaphroditum.

PAVLI APOSTOLI EPISTOLA AD COLOSSENSES.

CAPVT PRIMVM.



AVLVS apostolus Iesu Christi, uoluntate Dei, & Timotheus frater, ijs qui Colossis degūt sanctis, fidentibus fratrib. in Christo gratiam & pacem à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo. Agimus Deo patriq; Domini nostri Iesu Christi gratias, semper pro uobis orātes, audita uestra in Christo Iesu fide, & amore in omnes sanctos, propter ea quæ uobis in cœlis reposita sperantur, quæ ante audiuistis in uera Euāgelij oratione, quod ad uos peruenit, quemadmodum etiā in toto orbe proficit, sicut in uobis, ex quo die Dei beneficiū uerè audiuistis ac cognouistis: queadmodum ex Epaphra didicistis, cōseruo nostro charissimo, qui fidus est pro uobis minister Christi, qui idem nobis B uestram [a] in spiritu charitatem exposuit. Itaque nos ex quo die id audiuimus, non desinimus pro uobis orare, ac poscere, ut eius uolūtatis cognitione repleamini, cum omni sapientia prudētiaq; diuina, quò sic uos geratis ut Domino dignū est, ut ei omnino placeatis, in omnibus rectè factis fructū ferentes, & in Dei cognitione crescentes, summa ui cōualescentes per eius gloriosum robur, ut summa sitis patiētia & clementia cum lætitia prediti. Agimusq; patri gratias, qui nos idoneos reddidit ad participandam sanctorum sortem [b] in luce, qui nos ex tenebrarum potestate uindicatos, transtulit in regnum sui charissimi filij, in quo filio liberationem habemus per eius sanguinem, peccatorū ueniā, qui imago est inaspectabilis Dei, totius rerū naturæ primogenitus, utpote per quē condita sunt omnia, tum quę in cœlis, tū quæ in terra sunt: tum aspectabilia, tum inaspectabilia, & solia, & dominatus, & principatus, & potestates. C Omnia & per eum & propter eum cōdita sunt, & is est ante omnia, & per eum cōstant omnia, & is corporis Ecclesiæ caput est. Is est principiū, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus princeps, quoniā per eum uisum est patri omnem uniuersitatem inhabitare, & per eum omnia sibi recōciliare, pacificādo per eius crucis sanguinē, hoc est, per eū, tum terrestria, tum cœlestia. Et uos aliquando mentibus alienos atq; hostes in prauè factis, nunc reconciliauit eius humano corpore per mortē, quò uos in suo conspectu sanctos, inculpatos, & criminis expertes redderet: si modò permanetis fide fundati atq; fixi, neq; de Euangelij spe dimouemini, quod audiuistis, quod in omni creatura subiecta cœlo prædicatum est, cuius ego Paulus factus sum minister. Nunc lætor in eis quæ pro uobis patior: & quæ desunt Christi calamitates, meo corpore suppleo, pro eius corpore, quæ ecclesia est, cuius ego factus sum minister, D diuina dispensatione, quæ mihi ad uos cōmissa est, ut diuinam doctrinam impleam. Quod mysterium ab omni seculorum æuo celatum nunc patefactum est eius sanctis, quibus uoluit Deus declarare quæ sit huius gloriosi mysterij opulētia apud exteras gentes: qui Christus est in uobis gloriæ spes, quem nos nūciamus, omnem hominem admonentes, omnē hominem cum omni sapientia docentes, ut omnem hominem reddamus in Christo Iesu perfectum: in quod ego elaboro, eius ui certādo, quæ fortiter in me uiget.

a. Christianam & spiritualem.
1. Thess.
b. in eius filij regno; ut mox dicitur.
1. Cor 15. d

CAPVT II.

Volo enim scire uos, quantū pro uobis & Laodicensibus, & quicunq; me corpore præsen-

præsentem non uiderunt, certamen habeam, tum ut cōfirmentur eorum animi, charitate cōnexorum: tum ut tam diuite, tam plena abundent peritia, ut Dei patrisq́ & Christi mysteriū percipiant, in quo sunt omnes sapientiæ ac sciētiæ opes reconditæ. Hoc ideo dico, ne quis uobis probabilibus uerbis imponat. Quamuis enim corpore absim, at animo quidē apud uos sum, gaudens spectansq́ uestrum ordinem, & habendæ Christo fidei firmitatem. Quàobrem quemadmodum Christum Iesum Dominum accepistis, sic in eo uos gerite, ut in eo radicati ædificemini, & in fide (ut docti estis) cōfirmemini in ea cum gratiarum actione excellētes. Videte ne quis sit, qui uos philosophia, fallaciaq́ uana prędetur, ex hominum institutione mundiq́ rudimentis, non ex Christo, in quo tota diuinitatis plenitudo corporaliter habitat: & uos in eo estis perfecti, q caput est omnis principatus & potestatis: in quo etiam circumcisi estis circumcisione non manufacta, exuto humanorum peccatorum corpore in Christi circumcisione, unà cum eo sepulti in baptismate: in qua etiam simul resurrexistis, per collatam in Dei ui fiduciam, qui eum ex mortuis suscitauit. Qui idem uos delictis & [b] uestri corporis præputio mortuos, in uitam unà cum eo reuocauit, omniaq́ nobis delicta condonauit, obliterato placitorum chirographo, quod nobis aduersabatur, contrariumq́ erat. Id ille de medio sustulit, [c] affixum cruci, per quā in spoliatos principatus ac potestates palàm exemplum edidit, eosq́ triumphauit. Quare nemo uos damnet ob cibum, aut potionem, aut festorum discrimen, aut nouilunia, aut Sabbatha, quæ sunt futurorum umbræ, quarum corpus Christus est. Nemo uos supplātet, in modestia angelorumq́ cultu sibi placens, in ijs quæ non didicit sese iactans, sua humana mente temerè tumens, neque caput tenens, à quo totum corpus, dum commissuris copulisq́ compactum regitur, diuino crescit incremento. Quod si unà cum Christo, quod ad mundi rudimenta attinet, mortui estis, cur tanquam in mundo uiuentes, utimini placitis? Ne tetigeris, néue gustaueris, néue attrectaueris: quorum omnium is usus est, ut usu pereant, & ad corporis expletionem pertineant, non ut in aliquo sint honore. Ista uerò placita sunt ex hominum præceptis atque doctrinis, quæ quidem sunt eiusmodi, ut orationem habeant sapientiæ, ob religionis speciem atq́ modestiam, & corporis uexationem seueram.

1.Cor.5.a
B
C
Ephes.2.a
b. humanis peccatis, quæ tollenda esse declaratur, dum in circumcisiōe detrahitur præputiū.
c. per Christi crucem.
D
Matt.24.a
Mar.13.a
Luc.21.b

CAPUT III.

SI igitur cum Christo surrexistis, supera studete, ubi Christus est, Deo dexter assidens. Supera sentite, nō terrestria. Interijstis enim, uestraq́ uita cum Christo latet apud Deum. Cum Christus uita uestra patefiet, tum uos quoq́ unà cum eo patefietis gloriosi. Quamobrem necate uestra membra terrestria, impudicitiam, obscœnitatem, libidinem, cupiditatem malam, & auaritiam, [a] quæ deastrorum cultus est, propter quæ inuadit ira Dei cōtumaces homines: in quibus uos quoque uersati estis aliquando, cum in eis uiueretis. At nunc uos ijdem omnia deponite, iram, odium, malitiam, maledicentiam, & orationis turpitudinem ex ore uestro. Nolite alij in alios mentiri, exuti ueterem hominem cum suis actionibus, induti'q́ nouum, qui cognitione renouatur ad imaginem cōditoris sui: ubi nō est Græcus aut Iudæus, circumcisio aut præputium, Barbarus, Scytha, seruus, liber, sed & omnia & in omnibus Christus. Induite igitur, ut Dei electi, sancti amatiq́, affectum misericordiæ, benignitatem, modestiam, mansuetudinem, patientiam, alius aliū ferētes, & inuicem condonantes, si quis habet quod de aliquo expostulet: quēadmodum Christus uobis condonauit, sic uos quoq́ facite. Sed super hæc omnia [b] charitatem, quæ perfectionis uinculū est; uigeatq́ diuina pax in uestris animis, ad quam estis [c] in uno corpore uocati: & este [d] grati. Christi sermo largè in uobis habitet, summa cum sapientia. Docete & cōmonefacite, alius alium, carminibus Deiq́ laudationib. & diuinis cantionibus Dominū animis gratè canētes: ac quicquid uel uerbis uel re facitis, id in Domini Iesu nomine facitote, Deo Patriq́ per eum gratias agentes. Vxores parete uestris uiris, ut [e] Dominicis dignum est. Viri amate uxores uestras, néue in eas sæuite. Nati obedite parētibus in omnibus: hoc enim Domino gratum est. Patres ne uestros irritate natos, ne despondeant animos. Serui obedite in omni re uestris, quod ad carnem attinet, dominis, non ad oculum seruiendo, ut hominum captantes gratiam: sed cum animi simplicitate, metuentes Deum: ac quicquid facitis, id ex animo agitote, tanquam Domino, nō hominibus seruientes: scientes fore, ut à Domino hæreditatem præmio accipiatis, quippe cum Domino Christo seruiatis. Qui uerò iniuriam facit, is quam fecerit iniuriam luet, nec habebitur ulla ratio personarū. Domini ex iusto æquoq́ cum seruis agite, scientes uos quoq́ dominū habere in cœlis.

1.Cor.6
Ephes.5.b
Heb.2.a
1.Pet.1.a
a. q̄ auari pecuniā cōlunt, ut Deum.
Ephes.2.a
B
Rom.6.a
Ephes.4.f
6.b
C
b. scilicet induite.
c. in eo quod estis ecclesia, q̄ unum corpus est.
d. beneficiorum memores
1.Cor.10.g
Ephes.5.e
1.Pet.3.a
D
e. Christianis.
Ephes.6.a
f. ne este nimis in uos morosi.
1.Pet.2.e
1.Tit.2.c
Rom.2.b
Actor.10.d
1.Pet.1.e

CAPUT IIII.

SVpplicationi incumbite, in ea cum gratiarum actione uigilantes: orantes simul pro nobis quoq́, ut Deus nobis portam sermonis aperiat, quo Christi mysterium eloquamur, propter quod uinctus sum, ut id ita patefaciam, ut loqui debeo. Sapienter uos erga alienos gerite, tempus redimentes. Esto semper oratio uestra gratia prædita, sale condita, ut sciatis quomodo cuiq́ respondere debeatis. De me omnia uobis exponet Tychicus, charus frater, fidelisq́ minister & conseruus in Domino: quem ideo ad uos misi, ut [a] uestrarum rerū statum cognoscat, uestrosq́ confirmet animos, cum Onesimo fido charoq́ fratre, qui uestras est. Ii uos de omnibus, quæ hic gerantur, certiores facient. Salutat uos Aristarchus, meæ captiuitatis socius; & Marcus Barnabæ consobrinus,

Ephes.5.d
B
a. aliàs, nostrarū rerū statum cognoscatis.
2.Tim.4.c

nus de quo mãdata accepiſtis, ſi uenerit ad uos, C ut eum excipiatis: item Ioſua nomine Iuſtus, qui ſunt ex circumciſis, & ij quidem ſoli ad diuinum regnum adiutores, qui mihi ſolatio fuerunt. Salutat uos Epaphras, ueſtras Chriſti ſeruus, aſsiduis pro uobis precibus certans, ut perfecti abſolutiq; ſtetis in omni uoluntate Dei. Nam eum teſtor magno ueſtri & Laodicenſiũ ac Hierapolitanorum ſtudio teneri. Salutat D uos Lucas medicus, mihi chariſsimus, & Demas. Salutate Laodicenſes fratres, & Nimpham, & eius domus eccleſiam. Cumq; lecta fuerit apud uos epiſtola, facite ut etiam in Laodicenſium eccleſia legatur, itemq; ut Laodicenſem epiſtolam uos quoq; legatis: & Archippo dicite, ut quod munus à Domino accepit, id curet implẽdum. Salutatio mea manu Pauli. Mementote meorum uinculorum. Adſit uobis Dei gratia: Amen.

Scripta eſt Romæ, miſſa per Tychicum & Oneſimum.

PAVLI APOSTOLI EPISTOLA AD THESSALONICENSES *prima.*

CAPVT PRIMVM.



AVLVS & Syluanus & Timotheus Theſſaloniſcẽſium eccleſiæ, quæ Dei patris eſt, & Domini Ieſu Chriſti, gratiam & pacẽ à Deo patre noſtro, et Domino Ieſu Chriſto.

1.Cor.1 Galat.1 1.Pet.1

Agimus immortales gratias Deo de uobis omnibus, ueſtri mentionem facientes in noſtris precibus, continenter coram Deo patreq; noſtro B recolentes [a] opus fidei ueſtræ, charitatiſq; laborẽ, & ſpei in Domino noſtro Ieſu Chriſto ſitæ corã Deo & patre noſtro tolerantiã: ſcientes, fratres chariſsimi, uos eſſe diuinitùs electos: quandoquidẽ euangelium noſtrũ nõ fuit apud uos in uerbis dũtaxat poſitũ, ſed cum potentia, ſanctoq; ſpiritu, & certiſsimis argumentis coniunctum. Scitis enim & quales nos iſtic ueſtra cauſa fuerimus, & ut uos noſtri Domi- C niq; fueritis imitatores, admiſſa doctrina cum multa calamitate, cum ſancti afflatus lætitia, adeò ut exemplo fueritis omnibus in Macedonia & Achaia fidentibus. Non ſolũ enim à uobis Dominica doctrina Macedoniã Achaiãq; perſonuit, uerùm etiam in omnia loca permanauit ueſtra erga Deum fides, adeò ut nos D quicquam loqui non ſit opus. Ipſi enim de uobis prædicant, qualem ad uos aditum habuerimus, utq; uos à deaſtris ad Deum cõuerteritis, ut uiuenti ueroq; Deo ſeruiretis, & eius filiũ ex cœlis expectaretis, quem ex mortuis excitauit, Ieſum, qui nos à futuro ſupplicio defendit.

a. quantum & fide operemini, & charitate laboretis, & ſpe toleretis.

CAPVT II.

SCitis enim ipſi, fratres, noſtrũ ad uos aduentum non inanem fuiſſe: quin quamuis antè Philippis (ut ſcitis) mala contumeliaſq; paſsi eſſemus, tamen per Deum noſtrum, auſi ſumus diuinũ Euangeliũ uobis libere, multo cum certamine, eloqui. Non eſt enim noſtra cohortatio (Actor.16.b) erroris, aut obſcœnitatis, aut fraudis: ſed, quemadmodũ nobis diuinitùs probatis creditum eſt Euangelium, ſic loquimur, non ut hominibus placẽtes, ſed Deo, qui noſtros explorat animos. Nec enim unquam aſſentatoria oratione uſi ſumus, ut uos ſcitis: nec per auaritiam quicquam fecimus, teſtis Deus: nec ab hominibus gloriam expetiuimus, nec à uobis, nec ab alijs. Et licet oneri eſſe poſſemus, ut Chriſti Apoſtoli: B tamen adeò mites inter uos fuimus, ut quemadmodum nutrix ſuos fouet alumnos, ſic nos præ ueſtri cupiditate libenter uobis non modò diuinum Euangelium, uerùm etiam noſtras ipſorum animas impertituri fuerimus: tã chari nobis eratis. Recordamini enim, fratre, noſtrum laborem ac defatigationem: quippe qui noctes & dies operando (ne quem ueſtrûm grauaremus) apud uos diuinum Euangelium publicauerimus. (2.Theſſ.3.b Actor.20.g 1.Cor.4.b) Vos teſtes eſtis, & Deus, quàm piè, quàm iuſtè & inculpatè nos erga uos fidentes geſſerimus: quemadmodum ſcitis, ut unumquenque ueſtrûm, ſicuti pater liberos, ſic cohortaremur ac conſolaremur, moneremuſq;, C ut ita uos gereretis, uti Deo dignum eſſet, qui uos ad ſuum regnum ac gloriã uocaret. Itaq; nos Deo continenter gratias agimus, quòd uos, accepto Dei ſermone, quem à nobis audiuiſtis, admiſiſtis non hominum ſermonem, ſed (ut uerè eſt) Dei ſermonem, qui in uobis fidentibus uiget. Vos enim imitatores fuiſtis, fratres, diuinarum eccleſiarum, quæ ſunt in Iudæa, quod ad Chriſtum Ieſum attinet: ſiquidem eadem uos quoq; paſsi eſtis à ueſtris tribulibus, quæ nos à Iudæis, qui etiam Dominum Ieſum ſuoſq; uates interfecerunt, D & nos exegerunt: neq; Deo placent, (Mat.5.b,g) & omnibus ſunt hominibus contrarij, uetantes (Iohã.15.c) ne alienigenas, quo ſeruentur, alloquamur, ut eorum peccata ſemper expleantur: adeò extrema Dei ira infeſtantur. Nos uerò, fratres, uobis aliquandiu præſentia, non animo, orbati, magna uehementique ueſtri coràm uidendi cupiditate flagrauimus: itaq; ad uos uenire uoluimus, ego quidem Paulus ſemel atque iterum ſed impediuit nos Satanas. Etenim quæ nam noſtra ſpes eſt, aut lætitia, aut gloriationis corona? nónne uos corã Domino noſtro Ieſu Chriſto, in eius aduentu? Vos enim noſtra eſtis gloria, atque lætitia.

CAPVT III.

ITaq; cum iam durare non poſſemus, uiſum eſt nobis Athenis relinqui ſolis, Timotheumque mittere, fratrem noſtrum, & Dei miniſtrũ, ac noſtrum in Chriſti euangelio collegam, ad

uos

uos confirmandos, & de uestra fiducia cõmonefaciendos, ne quis ob has calamitates percellatur. Scitis enim ipsi, nos huic esse rei destinatos. Nam dum apud uos eramus, uobis prædicabamus, fore ut affligeremur: quemadmodũ & accidit, & uos scitis. Propterea ego me iam non tenui, quin uestram fidem cognitum mitterem, ne fortè uos tentasset tentator, atq; ita labor noster perijsset. Verùm cum modò Timotheus istinc ad uos uenisset, nobisq; uestram fidem & charitatem nunciasset, uosq; nostri bonam semper tenere memoriã cupientes uidere nos, ut nos quoq; uos: propterea de uobis recreati sumus, fratres, in omni calamitate nostra ac rebus aduersis, per uestram fidem, adeò ut nos nunc uiuamus, si uos statis in Domino. Ecquã enim Deo de uobis referre gratiarum actionem ualemus, ob tantam lætitiam, quam propter uos percipimus coram Deo nostro, noctes & dies summopere orantes uidere uos coràm, & quæ uestræ fidei desunt, supplere? Ipse Deus paterq; noster, & Dominus noster Iesus Christus, nostrum ad uos iter secundet: uos uerò Dominus & mutua inter uos, & erga omnes charitate abundè cumulet, quali nos erga uos sumus: ut animi uestri inculpata sanctitate confirmentur in Dei patrisq; nostri conspectu, in aduentum Domini nostri Iesu Christi cum eius sanctis omnibus.

CAPVT IIII.

Quod superest igitur, fratres, oramus ac hortamur uos per Dominum Iesum, utquemadmodum à nobis didicistis, quomodo uos gerere, Deoq; placere debeatis, in eo præcellatis. Scitis enim, quæ mãdata uobis per Dominum Iesum tradiderimus. Hoc enim & Dei uoluntatis & uestræ sanctitatis est, ut ab impudicitia uos abstineatis, sciatq; quisque uestrûm suum uas cum sanctimonia ac honestate, non (ut alienigenæ Deum ignorantes) cum cupiditatis libidine, possidere: ne quis suum fratrem in negotijs circumueniat, aut circumscribat. Siquidem horum omnium ultor est Dominus, ut etiã antea uobis diximus, testatiq; sumus. Non enim uocauit nos Deus ad obscœnitatem, sed ad sanctimoniam. Itaque qui [a] repudiat, non hominem repudiat, sed Deum, qui uos suo sancto spiritu donat. Quod ad fraternum amorem attinet, nihil opus est ut uobis scribatur, cum uos ipsi mutuò amare, diuinitùs didiceritis: quippe cum id erga omnes fratres, qui sunt in tota Macedonia, faciatis. Hortamur autẽ uos fratres, ut in dies præcellatis, ac quiescere, & uestras res agere, uestrisque manibus operari contendatis, quomodo nos uobis præcepimus, ut honestè uos ad alienos geratis, nec ulla re indigeatis. Nolo autem ignorare uos, fratres, de ijs qui obdormiuerunt, ne cruciemini, ut cæteri qui spem nõ habent. Si enim credimus, Iesum mortuum esse & resurrexisse: ita Deus eos etiam, qui per Christum obdormiuerunt, ducet cum eo. Hoc enim uobis Domini uerbis dicimus, fore ut nos uiui, qui ad Domini aduentũ supererimus, non anteuertamus eos qui obdormiuerint. Nam ipse Dominus in præconio, in summi ãgeli uoce inq; diuina tuba descendet de cœlo, & mortui in Christo resurgent primùm, deinde nos uiuentes, qui erimus superstites, unà cum eis rapiemur in nubibus obuiam Domino, in aerem, atque ita semper cum Domino erimus. Quamobrem consolamini alius alium his sermonibus.

Margin notes: B; C; D; Rom.12.d; Ephes.5.d; B; a. scilicet nos.; Ioã.13.b; 1.Ioã.4.d; D; 1.Cor.15.e

CAPVT V.

De temporibus uerò, tempestatibusq;, fratres, non est opus ut uobis scribatur, cum ipsi præclarè sciatis, Domini diem uenturã esse ut furem noctu. Cum enim dicent homines, pacem esse & securitatem, tum repentè, ut dolor uterum ferenti, sic eis instabit interitus, quem non effugient. Vos fratres nõ estis in tenebris, ut uos dies illa tãquam fur opprimat omnes enim lucis dieiq; homines estis. Non sumus noctis aut tenebrarum, ne dormiamus ergo, ut cæteri: sed uigilemus, sobrijq; simus. Nam qui dormiunt, noctu dormiunt: & qui inebriãtur, noctu ebrij sunt. At nos cum diei simus, sobrij simus, induti fidei charitatisq; loricam, galeamq; spei salutis: siquidem non destinauit nos Deus supplicio, sed saluti partę per Dominum nostrũ Iesum Christum, pro nobis mortuum, ut siue uigilamus, siue dormimus, unà cum eo uiuamus. Quamobrem cohortamini inter uos, & alius alium instruite, ut & facitis. Rogamus autem uos fratres, ut eos qui in uobis laborãt, uobisq; præsunt in Domini negocio, & uos castigant, agnoscatis, & maximi faciatis, charosq; habeatis, propter eorum opus. Præbete uos eis pacatos. Hortamur item uos, fratres, castigate incompositos, solamini parum magnanimos, infirmis opitulamini, clementes este in omnes. Videte ne quis cui malum pro malo rependat. sed semper beneficia & inter uos & in omnes exercete. Semper gaudete, continenter orate, in omnibus Deo gratias agite: nam [a] ea est Dei de uobis, qui sitis Christi Iesu, uoluntas. Spiritum ne extinguite, uaticinationes ne contemnite: omnia probate, bonum tenete, ab omni maleficij genere abstinete. Ipse Deus pacis uos sanctos reddat & absolutos, integriq; uestri spiritus, & animæ, & corpora criminis expertia in aduẽtum Domini nostri Iesu Christi conseruentur. Ita fidelis est is qui uos uocauit, ut id facturus sit. Fratres, orate pro nobis. Salutate fratres omnes osculo sancto. Obtestor uos per Dominum, ut hæc legatur Epistola omnibus sanctis fratribus. Adsit uobis Domini nostri Iesu Christi gratia, Amen.

Margin notes: 1.Pet.3.c; Apoc.3.a; B; Esa.59.c; Ephes.6.c; C; 1.Pet.3.b; Eccles.18.c; Luc.18.a; Pro.17.c; a. id uos facere uult Deus, qui Christiani sitis.; 1.Cor.1.b

Ad Thessalonicenses prima scripta est Athenis.

PAVLI APOSTOLI EPISTOLA AD THESSALONICENSES SECVNDA.

CAPVT PRIMVM.



PAVLVS & Syluanus et Thimotheus, Thessalonicensiū ecclesiæ, quæ Dei patris nostri est, & Domini Iesu Christi, gratiam & pacem à Deo patre nostro, et Domino Iesu Christo. Deo gratias age-
B re debemus immortales de uobis, fratres, ut dignum est, quòd adeò crescit uestra fides, adeòq; exuberat uestrûm omnium mutua charitas, ut nos ipsi de uobis gloriemur in diuinis ecclesiis, de patientia atq; fide qua præditi estis in omnibus, quas sustinetis, uexationibus ac calamitatibus: quod indicio est fore, ut iusto Dei iudicio
C diuinū regnū consequamini, pro quo patimini. Siquidem æquū est, ut à Deo reddatur, ut affligentibus uos afflictio, sic uobis qui affligimini, requies unà nobiscū, tum cùm existet de cœlo Dominus Iesus, cum potestatis suæ āgelis, in igne flammante, suppliciū irrogaturus[a] nescientibus Deum, & Domini nostri Iesu Christi Euangelio nō obedientibus, qui æterno exitio pœnas dabunt Domino, eiusq; gloriosæ poten-
D tiæ, cum uenerit, ut in illa die in sanctis suis illustretur, inq; cunctis fidentibus admirādus esse uideatur, quòd nostro ad uos testimonio creditum fuerit. Eam obrem nos semper pro uobis oramus, ut uos Deus, eo in quē uocati estis, statu dignos reddat, perficiatq; ut bonitatē ac fidei opus & libentissimè & fortiter persequamini atq; absoluatis, quo Domini nostri Iesu Christi nomē in uobis celebretur, & uos in eo, pro Dei nostri & Domini Iesu Christi beneficentia.

a. Dei contemptoribus.

CAPVT II.

ROgamus autē uos, fratres, quod attinet ad aduentum Domini uostri Iesu Christi, & nostri ad eum aggregationē, ne citò de sententia dimoueamini, neue turbemini nec spiritu, nec oratione, nec epistola, cuius nos authores esse uideamur, quasi instet Christi dies. Nemo uos ullo modo decipiat: nam non prius id futurum est, quàm uenerit defectio, & patefactus fuerit homo flagitiosus, homo ille perditus, qui aduersatur, & se supra quicquid dicitur Deus
B aut numem, extollit: adeò ut in Dei templo tanquam Deus sedeat, sese Deum esse ostendens. An non meministis, me, cum adhuc apud uos essem, hæc uobis dicere? Et nunc scitis quid obstet, quo minus[a] existat ille suo tempore: sceleris enim mysteriū iam agitur. superest tantùm, ut qui nunc tenet, è medio tollatur: tum demū existet ille scelerosus: quē Dominus oris sui spiritu cōficiet, aduētusq; sui claritate delebit: cuius scelerosi aduentus, Satanæ opera, erit cum
C omni falsorum prodigiorū, portentorū, miraculorumq; genere, cumq; omni scelerū fraude cō iunctus, apud perituros quidem: quoniā ueritatis amorē, quo salui fierent, nō admiserint. Propterea mittet eis Deus uim erroris tantam, ut credant mendacio, quò damnētur quicunq; ueritati non crediderint, sed sceleribus delectati fuerint. Nos uerò debemus Deo gratias agere immortales de uobis, fratres Domino dilecti, q̄
D uos principiò Deus elegerit ad salutem, per spiritus sanctimonium, uericq; fidem, ad quod uos uocauit per Euangeliū nostrū, quærendæ Domino nostro Iesu Christo gloriæ causa. Quamobrem, fratres, perstate, & instituta tenete, quæ ex nostra uel oratione uel epistola didicistis. Ipse uerò Dominus noster Iesus Christus, & Deus pater noster, qui nos pro suo fauore adamauit, æternoq; solatio & bona spe donauit, uestros stabiliat animos, & uos in omni bono & sermone & opere confirmet

Mat.23.a Marc.13.b Luc.21.b Ephes.5.b

a. iam existat, iamq; sit eius tēpus.

Esa.11.a

CAPVT III.

QVod superest, orate, fratres, pro nobis, ut Domini doctrina currat ac illustretur, sicut apud uos, utq; defendamur ab importunis & malis hominibus: [a] nec enim omnium est fides. Sed Dominus, ut est fidelis, uos cōfirmabit, & à malo tuebitur. Atq; equidē de uobis per Dominū confidimus, uos quæ uobis præcipimus, ea & facere & facturos esse. Dominus uerò uestros dirigat animos ad diuinam charitatē, Christianamq; patientiā. B
Denunciamus aūt uobis, fratres, per Domini nostri Iesu Christi nomen, ut uitetis omnē fratrē intemperanter se, non ex institutione, quā à nobis accepit, gerentē. Nā uos ipsi scitis, quomodo simus imitandi: quippe qui nos adeò nō intēperanter gesserimus apud uos, ut ne uictū quidem gratis à quoquā acceperimus, sed operoso labore noctes & dies functi fuerimus, ne cui uestrûm graues essemus. C
non quia nobis id non liceret, sed ut nos uobis imitādos exemplum proponeremus. Etenim dum istic eramus, hoc uobis edicebamus, si quis operari nollet, eum ne comedere quidē debere. Audimus enim quosdam apud uos immodeste uiuere, nihil agētes, sed supervacanea agētes. Iis nos edicimus eosq; per Dominum nostrū Iesum Christum hortamur, ut quietè operantes sibi uictum quærant. Vos
uerò, fratres, nolite rectè agēdo fatigari. D
Quòd si quis dictis nostris non obtemperat, eum per epistolam significate, & ab eius commercio abstinete, ut eum pudeat: neue eum pro inimico habete, sed ut fratrem castigate. Ipse pacis Dominus, pace uos & semper, & omnino donet. Dominus uobis adsit omnibus. Salutatio mea manu Pauli, quod signum est in omnibus epistolis. Sic scribo: Adsit uobis omnibus Domini nostri Iesu Christi gratia:

Amen

Scripta Athenis.

a. non sunt omnes fidētes & uere Christiani

Gal.6.b

PAVLI

PAVLI APOSTOLI EPISTOLA AD TIMOtheum prima.

CAPVT PRIMVM.



AVLVS apostolus Iesu Christi, ex mādato Dei seruatoris nostri, & Domini Iesu Christi, spei nostræ, Timotheo germano in [a] fide filio, gratiam, misericordiam, pacem à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo, Domino nostro. Quemadmodum ego te in Macedoniam proficiscens cohortatus sum, maneto Ephesi, ut quibusdam denūcies ne aliam sequantur doctrinam, neue fabulas attendant, & antiquitates infinitas, quæ potius quæstiones pariunt, quàm diuinam in fide instructionem. Atqui præceptionum finis est charitas, ex animo puro, bonaq; conscientia, & fide non

a. religione christiana.

B ficta proficiscens: à quibus abberrantes quidam, in eam orationis uanitatem deflexerunt, ut uelint legis esse doctores, cum nesciant quid dicant, neq; de quibus affirment. Scimus sanè bonam esse legem, si quis ea legitimè utatur: hoc intelligens, [b] iustis non esse latam legem, sed sceleratis & contumacibus, impijs & improbis, irreligiosis & profanis, patricidis & matricidis, homicidis, impudicis, pædiconibus, plagiarijs, mendacibus, periuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ contrariū est, quæ sita est in glorioso beati Dei Euangelio, quod mihi commissum est. Et gratiam habeo ei qui mihi uires dedit, Christo Iesu Domino nostro, qui mihi tantum fidei ha-

Rom.7.c Gal.4.d Exod.10.d 21.d Leuit.18.d

b. nam sua spôte recte faciunt: & si lex lata nô esset, nihilo minus recte uiuerent.

C buerit, ut me huic ministerio præficeret, qui prius essem in Deum maledicus, & infestus, & contumeliosus. Sed mei misertum est, quoniam ignarus feci, expers fidei: uerùm Domini nostri beneficium fuit excellentissimum, cum fide & charitate in Christo Iesu posita. Certa res est, & omni approbatione digna, Christum Iesum in mundum uenisse seruatum sontes, quorum uel primus ego sum. Sed ideo mihi tributa mi-

D sericordia est, ut in me in primis exereret Iesus Christus summam clementiam, ad eorum exemplum, qui ei fidem essent habituri ad uitam æternam. Regi autem seculorum immortali, inaspectabili, soli sapienti Deo honos & gloria in perpetua secula: Amen. Hoc tibi præceptum commendo, fili Timothee, secūdum præsgressa de te oracula, ut quemadmodum ea postulant, præclara fungare militia, fidem habens, bonamq; conscientiam: qua repulsa, quidam fidei naufragium fecerunt, quorum est Hymenæus & Alexander, quos ego Satanæ dedidi, ut dediscant impiè loqui.

CAPVT II.

EXhortor igitur primum omnium, ut fiant supplicationes, preces, interpellatiōes, gratiarum actiones, pro cunctis hominibus, pro regibus & omnibus potestate pollentibus, ut tranquillam quietamq; uitam agamus, cum omni B pietate ac grauitate. Hoc enim honestum est, Infra.5.a nostroq; seruatori Deo acceptū, qui omnes homines seruari uult, & ad ueri cognitionem uenire. Vnus enim Deus est, unus item sequester Dei, & hominum, homo Christus Iesus, qui seipsum, liberationis precium pro cunctis dedit: quam ad rem suis temporibus testandam, ego præco sum & Apostolus constitutus. Verùm dico per Christum, non mentior, magister alienigenarum fidelis atq; uerax. Volo igitur ut supplicent homines quouis in loco, attollentes pias manus, citra iram prauamq; cogitationem. Itē ut se mulieres modesto habitu cum uerecundia & frugalitate comant, non cincinnis, aut auro, aut margaritis, aut sumptuoso uestitu: sed ut fœminas decet, pietatem rectè factis profitentes. Mulier quietè discat, summa cum obedientia. Mulieri quidem docere non permitto, nec authoritatem sibi uendicare in uirum, sed quietam esse. Nam prior Adamus formatus est, deinde Eua: & Adamus non deceptus est, at mulier decepta delictum admisit: seruabitur tamen per liberorum procreationem, si manserit in fide, & charitate, & sanctimonia, cum frugalitate.

1.Tim.1.e C 1.Pet.3.a 1.Cor.14.f D Genes.1.d

CAPVT III.

CErta res est: si quis episcopi munus expetit, rem bonam cupit. Debet autem episcopus irreprehensibilis esse, unius uxoris uir, sobrius, frugi, modestus, hospitalis, aptus ad docendum: non uinolentus, non percussor, non sordidus, sed æquanimis, à iurgijs & auaritia alienus, suam domum bene administrans, liberos habens dicto audientes, summa cum grauitate. Quòd si quis suam ipsius domum administrare nescit, quo pacto Dei ecclesiam procurabit? Ne sit nouitius: ne inflatus, in Diaboli criminationem incurrat. Debet etiam honesto [a] alienorum testimonio commendatus esse, ne in probrum Diaboliq; laqueum incidat. Itidem ministri sint graues, non bilingues, non uino nimis dediti, non sordidi, [b] in fidei arcano sibi bene conscij. Atque hi prius probentur, deinde ministrent inculpati. [c] Vxores item graues, non calumniatrices, sobriæ, fideles in omnibus. Ministri sint singularum uxorum uiri, liberos domosq; suas bene regentes. Nam qui rectè ministrant, ij præclarum sibi gradum faciunt, magnamq; in fide in Christo Iesu collocanda libertatem. Hæc tibi scribo, sperans me ad te uenturum esse breui, ut, si tardem, scias quomodo sit in Dei domo uersandum, quæ est D Dei uiuentis ecclesia, ueritatis columen atque firmamentum. Et profectò magnum est [b] pietatis arcanum: Deus extitit in corpore, per spiritum commendatus est, conspectus angelis,

Tit.1.b B a. nô Christianorum. b. in Christiana religione, quæ arcana res est. C c. scilicet eorum. d. Christianæ religionis.

prædicatus gentibus, creditus in mundo, receptus in gloriam.

CAPVT IIII.

1.Tim.3.d 2.Pet.3.a Iudæ.1.f

SPiritus autem disertè dicit, fore ut ultimis tēporibus deficiant quidam à fide, spiritibus addicti fallacibus, dæmonioru͂q́ doctrinis, per simulationem hominum falsiloquorum, iniustā habentium conscientiam, uetantium matrimonia contrahere, abstinere cibis, quos Deus creauit, ut eis cum gratiarum actione uescantur fidentes, qui uerum intelligunt: uidelicet omnia à Deo condita esse bona, nihilq́ reijciendum, B quod cum gratiarum actione sumatur, quippe quod diuinis uerbis & supplicatione lustretur. 1.Tim.2.d Hæc tu fratribus proponens, bonus eris Iesu Christi minister, educatus in fidei uerbis, bonæq́ doctrinæ, quam assecutus es. Profanas autem & aniles fabulas euita, ac teipsum ad pietatem exerceto. Cum sit enim corporis exercitatio ad C pauca utilis, pietas ad omnia utilis est, promissiones habens & præsentis & futuræ uitæ. Certa res est, & summa approbatione digna: nam ideo & laboramus, & probra patimur, quòd spem habemus in uiuente Deo, qui cùm omnium, tum maximè fidentium hominum seruator est: hæc præcipito ac doceto. Effice ut nemo tuam iuuētutem despiciat: quin fidentibus exemplo esto, uerbis, moribus, charitate, spiritu, D fide, castitate, donec ueniam. Da operā lectioni, cohortationi, doctrinæ. Noli dotem negligere, qua præditus es, quæ tibi [a] per oraculum collata est, cum quidē tibi manus imposuisset senatus. Hæc meditare, in his esto, ut in ōnibus proficere uideare. Curam gere & tui ipsius, & doctrinæ, in ijsq́ perseuera: hoc enim faciens, & teipsum seruabis, & auditores tuos.

a. Diuino instinctu atq; iussu.

CAPVT V.

SEniorem ne obiurgato, sed ut patrem exhortare: iuniores, ut fratres: seniores fœminas, ut matres: iuniores ut sorores, summa cum castitate. Viduas honora, quæ uerè uiduæ sunt. Quòd si quæ uidua liberos habet, aut nepotes, doceat in primis suam familiā pietatem colere, Suprà 2.b parentibusq́ uicem reddere. Hoc enim honestum est, & Domino acceptum. Vera quidem uidua, & deserta, habet in Deo spem, uacatq́ supplicationibus & precibus noctes & dies. At delicijs indulgēs uidua, uiuēs [a] mortua est. Atq; hæc denūciato, ut sint criminis expertes. Quòd si qua suorum, præsertim domesticorum, curā non habet, ea [b] fidem abnegauit, estq́ infidente deterior. Vidua [c] cooptetur non minor annis sexaginta, quæ unius uiri fuerit uxor, à re- B ctè factis bene audiens, si liberos educauit, si hospitalitatem exercuit, si sanctorum pedes lauit, si subuenit afflictis, si omnia rectè facta persecuta est. Iuniores autem uiduas [d] repudiato. Nam postquam Christum repudian es lasciuire cœperunt, nubere uolūt: eo dānandæ, quòd primam fidem fregerunt. Adde quòd ociosæ discunt peruagari domos: nec solum ociosæ, uerumetiam nugaces, & curiosæ, loquentes illicita. Itaque uolo iuniores nubere, liberis operam dare, regere familiam, nullam dare aduersario occasionem criminandi. Iam enim nonnullæ ad Satanam desciuerunt. Si quis, aut si quæ fidens uiduas habet, subueniat eis: neue grauetur Ecclesia, ut ueris uiduis sufficiat. Seniores, qui rectè gubernant, gemino præmio afficiantur, præsertim qui in sermone doctrinaq́ elaborant. Aiunt enim literæ: Boui trituranti os ne obthurato. &, Dignus est operarius mercede sua. Contra seniorem ne admiseris accusationem, nisi duo tresue testes sint. Peccantes coram omnibus argue, quo cæteri metu afficiantur. Obtestor in Dei, Dominiq́ Iesu Christi, & lectorum angelorum conspectu, ut D hæc sine ullo discrimine exequare, nihil per fauorem faciens. Manus nemini protinus imponito, [e] neue aliena peccata participato. Teipsum castum seruato. ~~Ne amplius aquam bibe, sed exiguo uino utere, propter tuum stomachum, & crebras infirmitates.~~ Nonnullorum hominum peccata perspicua sunt, & iudicium anteueniunt: in nonnullis uerò subsequuntur. Itidem rectè facta perspicua sunt, & quæ aliter se habent, latere nequeunt.

a. scilicet Deo.
b. Christianam religionem.
c. scilicet ad ministrādū sanctis.
d. ad ministrandū ne admittito.
Deut.25.a 1. Cor.9.b Deut.19.d
e. Si uitiosū admiseris, imputabitur tibi eius peccatū.

CAPVT VI.

QVicunq; sunt sub iugo serui, heros suos omni honore dignos existimet, ne Dei nomen & doctrina malè audiat. Qui uerò fidentes habent heros, ne ideo contemnant, quia fratres sunt: sed potius seruiant, quia fidentes, Deóque chari sunt, idem beneficium adepti. Hæc doce, & exhortare. Si quis diuersam sequitur doctrinam, neq; sanis Domini nostri Iesu Christi dictis, pietatisq́ doctrinæ accedit, is inflatus nihil intelligit, sed morbo circa quæstiones & uerborum certamina laborat: ex quibus oritur inuidia, iurgium, maledicta, prauæ suspiciones, ineptæ disputationes hominum mente corru- B ptorum, & ueri expertium, pietatem pro quæstu habentiū. A' talibus abstineto. Est uerò quæstus magnus pietas, & sua sorte contentum esse. Cum enim nihil in mundum attulerimus, profectò nihil auferre possumus: itaq; alimenta & [a] tegumenta habentes, ijs contenti simus. Qui uerò ditescere uolunt, incidunt in tentationem, & in laqueum, inq́ multas & insanas ac perniciosas cupiditates, quæ homines in perniciem interitumq́ demergunt. Radix enim omnium malorum est auaritia: cuius auidi quidam, à [b] fide aberrarunt, & sese in multos dolores induerunt. At tu, diuine uir, hæc fuge, iustitiamq́ persequere, pietatem, fidem charitatem, patiē- C tiam, mansuetudinem. Certa preclarum fidei certamen: uitam prehende sempiternam, ad quam uocatus es, & præclara professione corā multis testibus professus es. Edico tibi in Dei conspectu, uitam dantis omnibus: itemq́ Christi Iesu, qui coram Pontio Pilato præclara illa confessione uerum testatus est, ut præceptionem serues intemeratus ac irreprehensibilis, usq; ad aduentum Domini nostri Iesu Christi, quem

Eccle.5.c Iob 1.d
a. uestimēta.
Eccle.10.
b. christianā religionē.
2.Tim.1.d
Apoc.17.c

Iohã.1.b quem aduentum suis tẽporibus exhibebit bea-
1.Iohã.4.c tus ille, solusq́ potens, regnantiũ rex, & dominantium Dominus, solus habens immortalitatem, lumen habitans inaccessum, quẽ hominũ nullus neq; uidit, neq; uidere potest, cui honor & imperium æternum: Amen. Iis qui in hac ui
D ta diuites sunt, denuncia ne superbiant, neue spem habeant in incertis diuitijs: sed in uiuẽte Deo, qui nobis omnia largè suppeditat ad fruitionem: ut benefaciant, ut rectè factis diuites, ut liberales sint atque largi, præclarum sibi fundamentum in futurum cõgerentes, ut uitam assequantur uerè sempiternam. O Timothee, depositum serua, abhorrens à profanarum uocum uanitate, & dissidijs eius quæ falsò nominatur scientia: quam profitentes quidam, à fide aberrarunt. Adsit tibi gratia: Amen.

Scripta est Laodiceæ, quæ Pacatianæ Phrygiæ caput est.

PAVLI APOSTOLI EPISTOLA AD TIMOTHEVM, secunda.

CAPVT PRIMVM.



PAVLVS apostolus Iesu Christi, Dei uolũtate, secundũ uitæ in Christo Iesu positæ promissionẽ, Timotheo charo filio gratiã, misericordiã, pacem, à Deo patre, & Christo Iesu, Domino nostro. Gratiã habeo Deo, quem ritu maiorum pura conscientia colo, quòd assiduam teneo memoriam tui in meis supplicationibus, noctes & dies cupiẽs
B uidere te, memor tuarum lachrymarum, ut lætitia complear, memoria repetens tuam non fictam fidem, quæ prius habitauit in auia tua Loide, & matre Eunica, & (quomodo mihi persuasi) etiam in te. Quam ob causam summoneo te, ut suscites diuinam dotem, qua per
Rom.1.c mearum manuum impositionem præditus es. Non enim dedit nobis Deus timiditatis spiritum, sed fortitudinis, & charitatis ac frugalitatis. Quamobrem ne te pudeat testificationis
Tit.3.b Domini nostri, neque mei eius uincti: sed simul Euangelij aduersa, Dei uirtute, perpetere, qui nos seruauit, ad sanctumq́ statum uocauit,
C non ob facta nostra, sed ob suum decretum & beneficium, quod nobis in Christo Iesu ante omnem temporum æternitatem donatũ, nunc repræsentatum est aduentu seruatoris nostri Iesu Christi, qui & mortem aboleuit, & uitam
1.Tim.1.b ac immortalitatem collustrauit, per Euangeliũ, ad quod ego externarum gentium præco & Apostolus & magister constitutus sum. ob quã causam hæc patior: sed me non pudet. Scio enim cui crediderim: & persuasum habeo, eum posse [a]meum depositum custodire ad illam diẽ. a. meã uitã quã ei credidi.
Exemplum sanorum dictorum, quę ex me audiuisti, retineto cum fide & charitate in Chri- D
sto Iesu posita. Præclarum istud depositum seruato, per spiritum sanctum in nobis habitantem. Auersati sunt me (hoc tu nosti) omnes Asiani, quorum est Phygelus, & Hermogenes. Tribuat Dominus misericordiam Onesiphori familiæ: nam is me sæpe recreauit, adeóque eũ meę catenæ non puduit, ut postquam Romam peruenit, me diligẽter quæsiuerit, ac inuenerit. Faxit Dominus, ut misericordiam cõsequatur à Domino in illa die. Quãtum item Ephesi præstiterit, tu satis nosti.

CAPVT II.

QVare tu, mi fili, conualesce beneficio in Christo Iesu posito: & quæ ex me multis testibus audiuisti, ea exponito fidis hominibus, qui sint ad alios etiam docendos idonei. Tu ergo aduersa patere, ut bonus Iesu Christi miles. Nemo militans sese uitæ negotijs implicat, ut militiæ duci placeat. Iam si quis dimicat, non
coronatur, nisi legitimè dimicauerit. Laboran- 1.Cor.9.d
dum agricolæ est prius quàm fructum percipiat. Intellige quæ dico: det uerò tibi Domi- B
nus industriam in omnibus. Recordare Iesum Christum ex mortuis excitatum, Dauidis semine prognatum, ut fert Euangelium meum, in quo aduersa fero usque ad uincula, tanquam facinorosus: uerùm diuinus sermo uinctus nõ est. Propterea omnia tolero propter electos, ut ipsi quoque positam in Christo Iesu salutem cum gloria consequantur æterna. Certa res est:
si simul mortui sumus, simul etiam uiuemus. Si C
unà toleramus, etiam unà regnabimus. Si negamus, ille quoque negabit nos: si diffidimus, ille fidelis manet, seipsum negare non potest. Hæc commemorato, obtestans in Domini cõspectu, non esse uerbis pugnandum, quæ res non modò nihil prosit, uerùm etiam auditores euertat. Da operam ut teipsum Deo probes, operarium non erubescendum, rectè secantem ueritatis orationem. Profanas autem uerborum futilitates euitato: nam ad multam serpent impietatem, eorúmque sermo gangrænæ ritu
corrodet: quorum est Hymenæus, & Philetus, 1.Tim.4.b
qui à ueritate aberrarunt, dicentes resurrectio ibidem 6.c
nem iam fuisse, & nonnullorum fidem euer- Tit.3.c
tunt. Atqui firmum Dei fundamentum stat, hoc habens sigillum: Nouit Dominus qui sint sui: itaque recedat ab iniustitia, quisquis nominat Christi nomen. In magna autem domo non sunt solum aurea argenteaq́ uasa, uerùm etiam lignea, & testacea, & alia ad res hone-
stas, alia ad inhonestas. Proinde si quis seipsum D
ab [a]his expurgauerit, uas erit ad honestatem sacratum, hero utile, ad omne bonum opus paratum. a. scilicet uitijs quæ dixi.
Iuueniles cupiditates fuge: iustitiam, fidem, charitatem, pacem, unà cum ijs qui Dominum sincero animo inuocant, persequere. Stultas & indoctas quæstiones declina, quippe

... pugnas gignant: cum Domini seruus nō pugnare debeat, sed erga omnes mitis esse, ad docendū accōmodatus, iniuriæ patiens, cum mansuetudine erudiens dissentientes, si forte Deo eos ad frugem reuocante, uerū agnoscant, ad seq; redeant, & diaboli laqueum euadant, à quo capti, eius arbitrio tenentur.

CAPVT III.

1. Tim. 4.a 2. Pet. 3. a Iude 1. f ILlud autem scito, extremo æuo difficilia fore tempora: erunt enim homines sui amantes, auari, arrogātes, superbi, maledici, in parentes contumaces, ingrati, irreligiosi, inhumani, fœdifragi, calumniatores, intemperantes, immites, uirtutis inimici, proditores, temerarij, inflati, L. cæci & G. uoluptatis magis quàm Dei amantes, pietatis speciem habentes, sed qui e-

B ius uim abnegauerint. Hos tu auersare. Ex his autem sunt, qui in domos sese insinuant, captiuásque reddunt mulierculas, quæ peccatis co opertæ, & uarijs cupiditatibus actæ, semper discunt, & nunquam ad ueri cognitionem peruenire possunt. Ac quomodo Iannes & Iambres Mosi restiterunt, ita hi ueritati resistunt: homines mente corrupti, circa fidem improba

C ti. Verùm non procedent longius: nam eorum dementia erit omnibus perspicua, ut illorum fuit. Tu uerò assectatus es meam doctrinam, mores, propositum, fidem, clementiam, charitatem, patientiam, uexationes, res aduersas: qualia mihi contigerunt Antiochiæ, Iconij, Lystris: quales uexationes sustinui: ex quibus omnibus me uindicauit Dominus. Et uerò omnes qui uolent in Christo Iesu piè uiuere, infestabuntur: cum interea mali homines & impostores pergent in deterius, & fallent, & fallentur.

D Tu uerò in eis perseuera quæ didicisti, & per quæ fidens factus es, cum & scias à quo didiceris, & à puero sacras literas noueris, quæ te possint erudire ad salutem per fidem Christo Iesu habendam. Omne [a] scriptum diuinitùs inspiratum est, & utile ad doctrinam, ad reprehensionem, ad correctionem, ad iustitię disciplinā, ut compositus sit [b] diuinus homo, ad omne rectè factum bene comparatus.

2. Pet. 1. d

a. scilicet sacrū, de quibus locutus est.

b. Christianus.

CAPVT IIII.

ITaque obtestor ego in Dei cōspectu, & Domini Iesu Christi, qui aduentu regnóque suo & uiuos & mortuos iudicaturus est, publica doctrinam, insta opportunè, importunè: argue, increpa, cohortare summa cum clementia ac doctrina. Erit enim tempus cum sanam doctrinam non ferent homines, sed ad suas libidines sibi magistros cumulabunt, auribúsque prurientibus, & à uero auersis, ad fabulas se con-

B uertent. Tu uerò in omnibus esto sobrius: mala patere: Euangelistæ officio fungere: tuo munere perfungere. Nam ego iamiam immolandus sum, discessusq; mei tempus instat. Præclarum certamen certaui: cursum absolui: fidem seruaui: quod superest, reseruatur mihi iustitiæ corona, quam mihi Dominus reddet in illa die, iustus iudex: neque solum mihi, sed etiam omnibus qui eius aduentum amauerint. Da operā ut ad me breui uenias. Demas enim me, uitæ præsentis amore, dereliquit, & Thessalonicam profectus est: Crescens in Galatiam: Titus in Dalmatiam: Lucas solus est mecum. Marcum assumptum tecum adducito: est enim mihi utilis ad ministerium. Tychicum legaui Ephesum. Penulam, quam in Troade apud Carpum reliqui, cum uenies afferto, & libros, maximè membranas. Alexander faber ferrarius multis me malis affecit: reddat ei Dominus digna eius factis præmia. Eum tu quoque caueto: nam magnopere restitit nostris uerbis. In prima mea causæ dictione nemo mihi adfuit, sed omnes me deseruerunt, id quod ne eis imputetur precor. At Dominus mihi adfuit, méque corroborauit, ut per me peragatur præconium, audiantq; gentes omnes: atque ita liberatus sum ex leonis ore, meq; liberabit ab omni mala re, & ad cœleste suum regnum conseruabit Dominus, cui gloria in perpetua secula: Amen. Saluta Priscam, & Aquilam, & Onesiphori familiam. Erastus mansit Corinthi. Trophimum reliqui Mileti ægrotantem. Cura ut ante hyemem uenias. Salutat te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, denique fratres omnes. Dominus Iesus Christus adsit animo tuo Adsit uobis gratia: Amen.

Coloss. 4. b

Scripta est Romæ ad Timotheum secunda, cum se Paulus iterum stetisset Cæsari Neroni.

PAVLI APOSTOLI EPISTOLA AD Titum.

CAPVT PRIMVM



PAVLVS Dei seruus, & Iesu Christi Apostolus, quod attinet ad fidem electorū Dei, & ueritatis cognitionē quę in religione cum spe uitæ sempiternæ coniuncta sita est, quā Deus qui nunquā mentit, ante æterna tēpora promiserat, & suis temporibus exhibuit, uidelicet suū sermonē præconio promulgandum, quod prę coniū mihi seruatoris nostri Dei mandato commissum est, Tito germano, quod ad communem fidem attinet, filio, gratiam, misericordiam, pacem à Deo patre, & Domino Iesu Christo seruatore nostro. Ego B te iccirco in Creta reliqui, ut reliqua componas, & oppidatim seniores constituas, ut ego tibi præcepi: si quis est inculpatus, unius uxoris uir, liberos habens fidentes, non luxu infames aut

1. Tim. 3. a

mes aut contumaces. Decet enim episcopum inculpatum esse, ut Dei dispensatorem, non audacem, non iracundum, non uinolentum, non percussorem, nõ auarũ: sed hospitalem, uirtutis amantem, frugi, iustum, pium, temperantẽ, fidi sermonis, qui in docendo adhibetur, defensorem, quo posit & sana doctrina cohortari, &
C contradicentes refellere. Sunt enim multi refractarij, & uaniloqui, atq; uafri, præsertim circũcisi, quos refutare oportet: qui totas domos euertunt, docentes illicita, turpis lucri causa. Dixit eorum [a] quidam, proprius ipsorum uates: Cres semper mendax, mala bestia, uenter iners est. Hoc testimonium uerum est: quamobrẽ argue
D eos seuerè, ut sint in fide sani, nõ addicti Iudaicis fabulis, hominumq; præceptis, ueritatẽ auersantium. Puris quidẽ pura sunt omnia: sed pollutis & infidelibus nihil purũ: quin polluta est eorum & mens & conscientia. Deum se scire profitentur, & eundem factis negant, nefarij, & contumaces, & ad omnem rem bonã inepti.

a. Epimenides, qui fuit ipse Cretensis.

Rom. 14.d

CAPVT II.

TV uerò loquere quæ sanam deceãt doctrinam. Senes ut sint sobrij, graues, frugi: fide, charitate, & patientia sani. Anus item habitu augustæ, non calumniatrices, nõ nimis emãcipatæ uino, bene institutæ, ut iuuenes fœminas doceant suorum uirorũ ac liberorum amãtes esse, frugi, castas, domi manẽtes, bonas, suis uiris obedientes, ne diuina doctrina malè au-
B diat. Iuniores itẽ exhortare ut sint frugi: in cunctis teipsum rectè factorum exemplũ præstans, in doctrina [a] integritatem, grauitatem, orationem sanam, & quæ damnari nequeat, ut aduersarij moueantur, nihil habentes de uobis dicere uitiosum. Serui suis heris pareant, in omnibus
C obsequiosi, non responsatores, non furaces, sed summam fidem bene præstantes, quo seruatoris nostri Dei doctrinam cohonestẽt in omnibus. Extitit enim diuina beneficentia, cunctis hominibus salutaris, quæ nos erudiat ut impietati mundanisq; cupiditatibus uale dicto, fruga-
D liter & iustè pieq; uiuamus in hoc seculo, expectantes speratam beatitudinem, aduentumque gloriosum magni Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi, qui seipsum pro nobis dedit, quo nos ab omni scelere uendicaret, & sibi peculiarem populum purgaret, rectè factorum cupidum. Hæc loquere & exhortare, & argue summa cũ authoritate, ita ut nemo te contemnat.

a. scilicet præstans.

Ephes. 6.a
Coloss. 3.d
1.Pet. 2.c

CAPVT III.

EOs comonefacito ut magistratibus & potestatibus pareant, & imperata faciant: ad omne rectè factum parati sint: nemini maledicant: ne sint contentiosi, sed æquanimes, summam erga omnes homines comitatem exerentes. Fuimus enim aliquãdo nos quoq; dementes, contumaces, errantes, uarijs seruientes cupiditatibus & uoluptatibus, in prauitate inui-
B diaq; degẽtes, odiosi, alij alijs infensi. Sed postquam benignitas & humanitas extitit seruatoris nostri Dei, nõ ob iustitiæ opera, quæ fecerimus nos, sed pro sua misericordia seruauit nos, lauacro [a] renascentiæ, renouationisq; spiritus sancti, quo nos largè perfudit, per Iesum Christum seruatorem nostrum, ut eius beneficio iusti facti, fiamus hæredes uitæ, quæ speratur, æternę. Certa res est. Hęc te asseuerare uolo, quò C
curent rectè factis fungi, qui Deo confidunt. Hæc sunt præclara, & hominibus utilia. Stultis autem quæstionibus, & antiquitatibus, & litibus pugnisq; legalibus, supersedeto: sunt enim inutiles atq; futiles. [b] Sectarium hominem post unam atque alteram admonitionem declinato, sciens eum peruersum esse, & ita peccare, ut [c] ipse à seipso damnetur. Cum ad te Artemã aut Tychicum misero, cura ut ad me uenias Nicopolim: illic enim hyemare statui. Zenã legisperitum, & Apollo sedulò deducito, ne quid eis D
desit. Discant & nostri rectè facta obire, ad usus necessarios, ne sint infructuosi. Salutant te mei comites omnes. Saluta eos, qui nos amant in fide. Adsit uobis omnibus gratia: Amen.

2.Tim. 1.c

a. quo renascimur, & à spiritu sancto renouamur.
b. uitiosæ sectæ addictum.
c. sua culpa pereat, qui in errore perstet.

Scripta Nicopoli Macedoniæ.

PAVLI APOSTOLI
EPISTOLA AD
Philemonem.



PAVLVS IESV Christi uinctus, & Timotheus frater, Philemoni charo amico, adiutoriq; nostro, & Appiæ charissimæ, & Archippo commilitoni nostro, & ecclesiæ domus tuę, gratiam & pacẽ à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo. Ago Deo meo gratias, semper tui mentionem faciens in meis supplicationibus, audiens qua charitate & fide præditus sis tum in Dominum Iesum, tum erga sanctos omnes, quo ista liberalitate tuæ in Christo Iesu collocatæ fidei fiat, ut intelligatur quantum sit in uobis boni. Magna quidem lætitia & consolatione affici- B
mur ex charitate tua, quòd sanctorũ animi per te, frater, recreati sunt. Proinde cum magnã in Christo authoritatem habeam imperandi tibi officium, propter charitatem potius rogo, talis ego, hoc est Paulus senex, & nunc etiam Iesu Christi uinctus. Te, inquam, rogo de meo filio, quem in meis uinculis genui, Onesimo, eo qui tibi aliquando fuit inutilis, nunc & tibi & mihi utilis, quem dimisi. Tu uerò eum, hoc est mihi intimum, recipe: quem ego uolebam apud me retinere, ut mihi tua uice ministraret in Euãge- C
lij uinculis: sed iniussu tuo nihil uolui facere, ut non coactum, sed uoluntarium esset tuum beneficiũ. Fortassis enim ideo ad tempus abfuit, ut eum reciperes æternum, non iam ut seruum, sed plus quàm seruum, fratrem etiam mihi charissimum

rissimum, nedum tibi, & carnis & Dominicæ religionis nomine. Quare si me socium habes, accipe eum, ut me. Quòd si quid te læsit, aut tibi debet, id mihi imputato. Ego Paulus scripsi mea D manu, ego dissoluam: ut interim illud tibi non dicam, quod tu mihi etiam teipsum debes. Age frater, gratificare mihi per Dominum, recrea meum animum per Dominum. Fretus obedientia tua scripsi tibi: sciens te plus etiam, quàm peto, facturum. Præterea para mihi hospitiũ. Spero enim fore, ut uobis per uestras preces condoner. Salutant te Epaphras, meæ in Christo Iesu captiuitatis comes: & Marcus, Aristarchus, Demas, Lucas, collegæ mei. Domini nostri Iesu Christi gratia adsit animis uestris: Amen.

Missa est Roma, per Onesimum seruum.

IACOBI APOSTOLI EPISTOLA.

CAPUT PRIMUM.



IACOBUS DEI & Domini Iesu Christi seruus, duodecim tribubus ultro citroq; dispersis, salutem. Summopere gaudendum existimate, fratres mei, cũ in uarias incideritis periclitationes, intelligentes fiduciæ uestræ exploratione patientiam gigni. Rom.5.a Patientia autem perfectam actionem habeat, ut perfecti integriq; nulla re careatis. Quòd si quis uestrũ sapientia caret, postulet à Deo, qui omnibus planè donat, nec exprobrat: & ei donabitur. Postulet autem cum fiducia, nihil dubitans. Qui enim dubitat, similis est fluctui maris, uentis acto ac excito. Neq; uerò se putet is homo quicquam à Domino impetraturum, homo duplicis B animi, in omnibus suis actionibus inconstans. Glorietur autem frater humilis in sublimitate sua, & diues in humilitate sua: nã ut herbæ flos, sic peribit. Vt enim exortus cũ ardore sol herbam arefacit, eiusq; & flos decidit, & decora species interiit: ita diues cum suis copijs marcescet. Eccle.14.c 1.Pet.1.d Iob.5.c Esa.40.b Felix homo qui tentationem sustinet: approbatus enim, uitæ coronam accipiet, quam promisit Dominus suis amatoribus. Nemo dũ tentatur, dicat à Deo tentari se: Deus enim nec malis unquã tentatur, nec tentat ipse quenquã. Sed à sua quisq; cupiditate allectus ac inescatus, tentatur. Deinde cupiditas cõceptum parit peccatum: peccatũ porrò perpetratũ, gignit mortẽ. Nolite errare, mei fratres charissimi. C Omne bonum donum, omneq; perfectum munus, supernẽ est, descendens à patre luminum, apud quẽ nulla est mutatio, aut ulla cõuersionis[a] umbra. Is consultò nos genuit, [b] ueritatis oratione, ut essemus quędam quasi primitiæ suorum operũ. Proinde, mei fratres charissimi, esto omnis homo ad audiendum celer, ad loquẽdum tardus, ad irã tardus. Pro.17.d Eccles.5.a Nam hominis ira diuinæ iustitiæ non paret. Quamobrẽ, fratres, omnibus uitiorum sordibus excrementisq; depositis, comiter accipite satiuũ sermonẽ, qui uestras animas seruare potest. D Este autem ij qui sermoni pareatis, Rom.2.b non eum duntaxat audiatis: alioquin uosipsos decipitis. Nam si quis sermonem audit, nec exequitur, is perinde est ac si quis corporis sui faciẽ contempletur in speculo, deinde seipsum speculatus abeat, ac protinus qualis sit obliuiscatur. Qui uerò in perfectam [c] libertatis legẽ penitus introspexerit, & in ea manserit, is, qui nõ sit obliuiosus auditor, sed operis effector, suo facto beatus erit. Matt.5.c 1.Pet.3.b Si quis sibi uidetur esse religiosus apud uos, neq; tamen linguam suam frænat, sed animũ suũ fallit, huius uana est religio. Religio pura & impolluta apud Deum & patrẽ hęc est: curam gerere pupillorum & uiduarũ in eorum calamitate, & intaminatũ se custodire à mũdo.

a. species. b. Euangelio. c. quæ liberos facit.

CAPUT II.

FRatres mei, nolite ita fidem habere in glorioso Domino nostro Iesu Christo collocatam, ut personarum habeatis rationem. Nam si quis aureos gestans anulos, in ueste splendida, in uestrum conuentum ingrediatur, eodemq; intret etiam pauper in obsoleta ueste: & uos in eum, qui uestem gestat splendidam intueamini, eiq; dicatis, Tu sede hic pulchrè: pauperi autem dicatis, Tu istic sta, aut hic sub meo subsellio sede: nõnne discrimen apud uos fecistis, & malè cogitantes iudices fuistis? Audite, mei fratres charissimi: Nõnne Deus elegit huius mũdi pauperes, fide diuites, hæredesq; regni, quod suis promisit amatoribus? & uos pauperem despicatui habetis? B Nõnne diuites uobis imperant, & ijdem uos in ius trahunt? Nõnne ijdem pulchro nomini maledicunt, à quo uos nuncupamini? Siquidem legi paretis regiæ, quæ sic literis est prodita, Alterũ ut teipsum diligito: rectè facitis. Leuit.19.c Rom.13.b Ephes.6.d Coloss.3.d Actor.10.f 1.Pet.1.c Sin personis indulgetis, peccatum committitis, & à lege, ut qui contra eam faciatis, arguimini. Qui enim, quamuis alioquin totam legem obseruet, tamen in uno delinquit, is omnibus tenetur. Nam qui dixit, Ne adulterato: idem dixit, Ne occidito. Quòd si non adulteras, sed occidis, contra legem committis. Sic loquimini, & sic agite, ut libertatis lege iudicandi. C Nam iudicium erit inclemens in eum, qui misericordiam non exercuerit: at misericordia[a] iudicio insultat. Quæ est utilitas, mei fratres, si quis se fidẽ habere dicat, & opera nõ habeat? Num potest eũ seruare fides? Si frater aut soror nudi sint, quotidianoq; alimento destituti, & eos uestrûm aliquis bona cũ pace abire, calefieriq; & satiari iubeat, nec eis detis quæ corpus requirit, quid prodest? Ita fides eiusmodi per se est, ut si opera nõ habeat, mortua sit. Itaq; dicet aliquis: Tu fidem habes, ego opera habeo: ostende mihi tuã fidem sine tuis operibus, ego tibi ex meis operibus

a. iudicium nõ metuit, utpote innocẽtia tuta aduersũ pœnas.

operibus fidem meam ostendam. Tu Deum u-
D num esse credis. Rectè facis: & dæmones credunt, atq; horrent. Vis autem intelligere, ô homo uane, fidem sine operibus mortuam esse? Abrahamus parens ille noster, nónne operibus factus est iustus, Isaaco filio suo in ara libando?
Genes. 22.a Vides, ut fides eius opera adiuuaret, utq; operibus fides perfecta fuerit. Atq; ita comproba-
Ibid. 15.b tum est scriptum illud, quod sic habet: Credidit
Rom. 4.a Abrahamus Deo, idq; ei iustitiæ ductum est,
Gal. 3.a & Dei amicus est appellatus. Videtis ergo operibus iustum reddi hominem, non solum fide.
Ios. 2.b Itidem Rachaba meretrix, nónne operibus iustificata est, admissis nuncijs, & alia uia emissis? Vt enim corpus absque spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est.

CAPVT III.

Mat. 23.a Nolite multi esse magistri, fratres mei, scientes [a] nos grauiores esse pœnas daturos. Multa enim delinquimus omnes. Si quis in uerbis nō delinquit, is perfectus homo est, qui possit etiam totum frænare corpus. Frænos quidē equorum oribus adhibemus, ut nobis pareant, eorúmque totum corpus agimus. Itemq; tantæ naues, tam uehementibus impulsæ uentis, tantulo gubernaculo, quocunq; uult gubernatoris impetus, aguntur. Sic & lingua, quæ paruum membrum est, magnas uires habet. En quantulus ignis quantam materiam incendit? Et lingua ignis est, scelerum [b] mundus. Sic se habet in nostris membris lingua, totum corpus contaminans, & æui cursum inflammans, & ipsa à Gehenna inflammanda. Omnis enim & ferarum natura, & uolucrum, serpētumq; & aquatilium, humano ingenio domatur, domitaq; est: at linguam nemo potest hominum domare, effrænatum malum, mortifero refertam ueneno.
C Ea Deum & patrem collaudamus, eádem homines execramur, ad Dei similitudinem factos: prodeunte ex eodem ore laudatione & execratione. Non decet mei fratres, hæc ita fieri. Num fons ex eodem foramine dulci aqua manat, & amara? Potést ne, mei fratres, aut ficus oleas, aut uitis ficus edere? Sic nullus fons & salsam & dulcem aquam emittere. Qui in uobis sapiens est, & intelligens, ostendat bonis moribus sua ope-
D ra, cum sapientiæ mansuetudine. Quòd si amaram inuidiam, & simultatem habetis in animo, nolite contra uerum [c] iactare uos, atque mentiri. Non ea est ista sapientia, quæ supernè proficiscatur: sed terrestris, humana, dæmoniaca. Vbi enim inuidia est & simultas, ibi est inconstantia, omnisq; uitiosa res. At supernè oriens sapientia, primùm casta est, deinde pacifica, æqua, obsequiosa, misericordia bonisq; referta fructib. seuera, & minimè simulatrix. Fructus uerò iustitiæ in pace seritur, colentibus pacem.

a. Magistros, si suo officio nō fungantur.

De lingua.

b. Fons & mater: ut si dicas scelerum mare, scelerum oceanus.

c. ita loqui, quasi istis uitijs careatis.

CAPVT IIII.

Vnde apud uos bella & pugnæ? nonne hinc, ex uestris libidinibus, quæ militant in uestris membris? Concupiscitis, nec obtinetis: inuidetis & æmulamini, nec assequi potestis: pugnatis & belligeratis: non obtinetis, quoniam non postulatis. Postulatis, & non adipiscimini, quia malè postulatis, ut in uestras impen- B
datis libidines. O degeneres & uiri & fœminæ: nescitis mundi amicitiam, Dei esse inimicitias? Qui uult amicus esse mundi, inimicus efficitur Dei. An putatis illud inaniter esse literis proditum? Scilicet ad inuidiam propēsus est is qui in uobis habitat, spiritus? at maius confert benefi-
cium. Itaque Deus, inquit ille, & superbis aduer- 1. Pet. 5.b
satur, & modestorum fautor est. Quamobrem parete Deo, resistite diabolo, & is uos fugiet: accedite Deū, & accedet uos. Purgate manus, ô improbi, & animos lustrate: qui estis animo C
duplici afflictate uos, & lugete ac plorate. Risus uester in luctum conuertatur, & gaudiū in mœrorē. Summittite uos Domino, & uos euehet. Ephes. 4.f
Nolite alius alij detrahere. Qui fratri detrahit, fratremq; suum damnat, legi detrahit, legémque damnat. Quòd si legem damnas, non legis executor es, sed condemnator. Vnus est legis-
lator atque Iudex, qui & seruare potest, & per- Rom. 14.b
dere. Tu uerò quis es, qui alterum damnas? A- D
ge iā, qui dicitis: Hodie aut cras proficiscemur in illam urbem, & illic unum annum agemus, & mercabimur, & lucrabimur: cum nesciatis quid sit cras futurū. Qualis enim est uita uestra? Vapor est, qui paulisper extat, deinde euanescit. Cum dicere debeatis: Si uolet Dominus, & si uiuemus, hoc aut illud faciemus. Nunc in uestris insolentijs uos iactatis. Omnis eiusmodi iactantia praua est. Ergo qui rectè facere nouit, neque facit, is in uitio est.

CAPVT V.

Iam uerò ô diuites plorate, eiulantes ob uestras miserias, uobis euenturas. Diuitiæ uestræ putruerunt: uestimenta uestra à tineis erosa sunt: aurum & argentum æruginosum, eorūq; ærugo contra uos testimoniū dicet, uestrasq; carnes ignis in morem cōsumet, L. Pœnam G. uobis congessistis in ultimum tempus. Merces ipsa mercenariorum qui uestros messuerunt agros, à uobis retenta, quiritatur, messorúmque querelæ in Domini armipotentis aures penetrarunt. Luxuriastis ac lasciuijstis in terris: ge-
nio indulsistis, tanquam ad laniēnæ diem: con- B
demnastis, occidistis insontes, uobis non resistentes. Quamobrem durate, fratres, usque ad Domini aduentum. Ipse agricola expectat eximium terræ fructum, & quidem in eo durat, dum primorem serotinamq; pluuiam accipiat. Durate uos quoque, roborate uestros animos: nam Domini aduentus instat. Nolite alius aduersus alium gemere, fratres, ne damnemini. En iudex pro foribus adest. Exemplum capite,
fratres mei, tolerātiæ ac patiētiæ, de uatibus, qui C
Domini nomine locuti sunt. Equidē beatos iu- Matt. 5.f
dicamus eos, qui patiuntur. Iobi patiētiā audiuistis, & quē ei finē Dominus (quippe misericors & clemens) dederit, uidistis. In primis autē, mei fratres, ne iuratote neq; cœlum, neq; terrā, nec aliud ullum iusiurandum; sed esto eiusmodi

a. simpliciter cōstanterq; & uera affirmate, & falsa negate.

sermo

sermo uester, ut etiam sit etiam, & non non, ne in simulationem cadatis. Affligitur uestrûm aliquis, supplicet. Lætus est quis, psallat. Aegrotat uestrûm aliquis, aduocet ecclesiæ seniores, qui eum in Domini nomine ungant oleo, pro eoq; supplicent, & fidei supplicatio laborantem seruabit, eumq; alleuabit Dominus, & si peccata commiserit, ignoscentur ei. Confitemini inuicem delicta, & supplicate alius pro alio, ut sanemini. Multum ualet efficitque iusti precatio.

D Elias homo erat iisdem, quibus nos, obnoxius: & tamen cum precibus petiisset ne plueret, non pluit in terram per annos tres & sex menses. Eodem rursum precato, & cœlum dedit imbrem, & terra suum fructum germinauit. Fratres, si quis uestrûm à uero aberrauerit, & eum quispiam reuocauerit, intelligat eum, qui sontem ab erroris sui uia reuocauerit, animam ex morte uendicasse, [c] multitudinémque texisse peccatorum.

1.Reg.17. Luc.4

c. in causa fuisse ut illi multa peccata ignoscantur.

PETRI APOSTOLI EPISTOLA prima.

CAPVT PRIMVM.



PETRVS IESV Christi Apostolus, sparsim peregrinantibus in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia & Bithynia, Dei patris prescitum secundum electis, spirituq; lustratis, ut obediant, & Iesu Christi sanguine conspergantur, gratiam & pacem plurimam dicit. Gratias agimus Deo, patrique Domini nostri Iesu Christi, qui nos pro sua singulari misericordia, Christum ex mortuis suscitando, regenuit in uiuidam spem, ad immortalem, impollutam, & inuietam hæreditatem, uobis in cœlis repositam, qui diuina potentia per fidem custodimini ad salutem ultimo tempore exhibendam. Ac in eo sanè exultatis, paululum modò ([a] si est opus) uariis tentationibus uexati, ut B explorata uestra fides, auro (quod perit, & igne exploratur) longè preciosior inueniatur, ad laudem, & gloriam, & honorē tum futurum, cùm existet Iesus Christus, quem uos non uisum amatis: de quo iam, non eum uidentes, sed ei confidentes, incredibili & gloriosa lætitia gestitis, reportaturi [b] fidei uestræ finem, salutem animorum. Quam salutem exquisiuerunt ac perscrutati sunt uates, qui de conferendo in uos beneficio uaticinati sunt, scrutantes quódnam aut quale tempus indicaret Christi spiritus, quo erant præditi, præsignificans & Christi supplicia, & deinde secuturam gloriam. Quibus demonstratum est non ipsos sibi, sed uobis ea administrare, quæ nunc uobis nunciata sunt, per eos qui uos in euangelio instituerunt, per spiritum sanctum de cœlo missum, quæ cupiunt ipsi angeli perspicere. Quamobrem succinctis mentis uestræ lateribus, sobrii, perfectè sperate afferendum uobis aduētu Iesu Christi beneficium, C ut obedientes filii, non uos superioribus ignorantiæ uestræ cupiditatibus accommodantes: sed, quemadmodum qui uos uocauit, sanctus est, ita uos quoq; sanctos uos in omni uita præbentes. quandoquidem scriptum est: Sancti estote, nam ego sum sanctus. Quòd si patrem inuocatis eum, qui seuerissimè ex cuiusque facto iudicat, uestræ peregrinationis tempus religiosè transigite, scientes non uos caducis rebus argēto aut auro, ex uanis istis patriis moribus esse liberatos, sed Christi precioso sanguine, sicut integri uitioq; carentis agni, D præcogniti ante orbem conditum: exhibiti autem ultimis temporibus, propter uos, qui per eum Deo confiditis, qui eum ex mortuis excitauit, & gloria donauit, ut sit uestra fides atque spes in Deo collocata. Lustrate obediendo ueritati uestros animos, per spiritum ad fraternum amorem nō fictum: & pura mente inter uos impensè amate, renati non ex mortali, sed immortali sēmine, per sermonem uiuentem Dei, & manentem in sempiternū. Nam mortales quidem omnes sunt herbæ similes, omnisq; hominis gloria est uelut herbæ flos. Aret herba, caditq; flos: at Domini dictum manet in sempiternum. Est autem hoc dictum illud, quod apud uos est nunciatum.

a. si res ita ferat.

Iohā.16.e

b. id quò spectat & tēdit fides.

Leuit.19.d Deut.10.b Rom.2.b Gal.2.b Actor.10.f Heb.9.d 1.Iohā.1.d Apoc.1.b Esa.40.b Eccles.14.c

CAPVT II.

ERgo deposito omni uitio, omniq; fallacia, & simulationibus, & inuidiis, & omnibus maledicentiis, ut recens nati infantes, rationale & infraudulentum lac appetite, ut eo grandescatis ad salutem: si modò sensistis Dominum esse benignum, ad quem (lapidem uiuum, ab hominibus improbatum, Deo lectum & eximium) accedentes, ipsi quoque ut uiui lapides ædificamini, diuina domus, sacrū sacerdotium, ad facieda diuina sacrificia, Deo per Iesum Christum accepta. Itaque sic in literis habetur: Positurus sum in Sione lapidem angularē, lectum, eximium: cui qui confidet, nō frustrabitur. Vobis quidem fidentibus eximius est: B at diffidentibus, quem lapidem structores improbarunt, is ad anguli caput adhibitus est, & lapis in quem impingant, & petra in quam illidant, qui in sermonem offendunt, ei diffidentes, ad quod erāt, destinati. At uos lectū genus estis, regale sacerdotium, sancta gens, populus acquisitus, ut uirtutes prædicetis eius qui uos ex tenebris in suā lucem admirabilem uocauit: qui aliquando nō populus, nunc Dei populus estis: qui misericordiam non consecuti, nunc misericordiam estis cōsecuti. Charissimi, cohortor ut inquilinos ac peregrinos: abstinete uos à corporeis cupiditatibus, quæ cōtra animum militant, C honestè uos gerentes apud exteros, ut pro eo quod uobis tāquam maleficis detrahunt, rectè facta considerantes [a] honorent Deum in die curationis. Itaque omni

Ephes.4.f Coloss.3.b Heb.12.a Esa.28.d Psal.117.e Mat.21.e Luc.10.e Actor.4.b Exod.19.a Ose.2.d Rom.9.e Gal.5.c Rom.13.e

a. Christiani fiāt, quæ res Deo gloriæ sit cum suorū curā gerit.

que omnibus parete personis humanis propter
Dominũ: & regi, ut potestate pollenti: & præ-
toribus, ut ab eo tum ad maleficorũ ultionem,
tum ad beneficorũ laudationem missis. Nam
ea est Dei uoluntas, ut rectè facientes, amen-
tium hominum ignorãtiam compescatis, ut li-
beri, non ut uitiorũ prætextum habentes liber-
Rom.12.c tatem, sed ut Dei serui. Omnes honorate: fra-
Ephes.6.a ternitatem amate, ueremini Deum, regem ho-
Coloss.3.d norate. Serui parete cum omni metu heris, non 01
Tit.2.c solum bonis & æquis, uerùm etiã iniquis. Hoc
1.Cor.7.c enim gratiam emeretur, si quis, quoniam [b] sibi
b. se Dei cultoré esse sciat. sit Dei conscius, dolores fert, patiens iniustè.
Nam quæ gloria est, si peccantes cædi uos su-
stinetis? At si rectè facientes toleretis iniuriam,
Esa.53.b hoc uerò gratiam meretur apud Deũ. Ad hoc
1.Iohã.3.a enim uocati estis, siquidem Christus quoq; pro
Esa.53.b nobis iniuriam passus est, nobis præscriptũ re-
linquẽs, ut eius uestigia subsequamini: qui pec-
catum nullum commisit, nec extitit in eius ore 02
dolus: qui conuiciãtibus conuicia non rege-
rebat, iniuriam patiens nõ minabatur, sed rem
iustè iudicaturo committebat: qui peccata no-
stra ipse suo corpore sustulit in patibulum, ut
peccatis defuncti, iustitiæ uiuamus: cuius uibi-
ce uos estis sanati. Eratis enim quasi palantes o-
ues: sed nunc ad pastorem uos, & animorum
uestrorum curatorem, couertistis.

CAPUT III.

1.Cor.11.a SImiliter uxores uestris parẽte uiris, ut qui- 03
Coloss.3.c bus oratione non persuadetur, ij per uxo-
Ephes.5.e rum mores absq; oratione lucrifiãt, uestrorum
morum castitatem cum religione coniunctam
contemplari. Esto autem uester ornatus nõ ex-
1.Tim.2.c terior ille, in capillorum cincinnis, & auri cir-
cumpositu, aut palliorum amictu positus: sed
mentis occultus homo, cum mitis & quieti ani-
mi sinceritate, quæ res magni est in Dei conspe
ctu precij. Sic enim olim sanctæ illæ fœminæ,
in Deo spem habentes, sese comebãt, obedien- 04
Genes.18.b tes suis uiris, ut Sara obediuit Abrahamo, do-
minum eum appellans: ex qua uos procreatæ,
rectè facite, & nullo pauore terremini. Viri iti-
B dem habitate scienter cum uxoribus, muliebri
uasi, ut infirmiori, tribuentes honorem, ut mul-
tiplicis beneficij & uitæ cohæredes, ne uestræ
Pro.10.c preces impediantur. In summa, este omnes u-
Rom.12.c nanimes, eodem modo affecti, fraterno amo-
re, misericordes, affabiles, nõ malum malo, aut
conuicium conuicio rependentes, sed econtra- 05
riò fausta precãtes: scientes ad hoc uocatos esse
uos, ut felicicitatẽ obtineatis. Nam qui uitæ cu-
pidus est, & felicia uidere uult tempora, coer-
ceat linguam suam à malitia, & labra sua à lo-
quendo fraudulenter: declinet malum, & faciat
Matt.5.a bene: studeat paci, eamq; persequatur. Habet
enim Dominus oculos intentos in iustos, & au-
res ad eorum implorationẽ. Faciem autem ha-
bet Dominus intentã in maleficos. Ecquis ue-
C rò est qui uos lædat, si bonitatis imitatores sitis?
quanquam etiam si propter iustitiam feratis in- 06
iuriam, felices estis. Quæ uerò metuunt illi, uos

ne metuite, ne ue turbamini, sed Dominum
Deum animis sanctè colite. Ac semper parati
este, quicunque ex uobis spei, qua præditi estis,
rationẽ petierit, ei comiter ac religiosè respon-
dere, uobis bene conscij, ut cum nũc de uobis,
ceu maleficis, maledicant, contrà fiat, ut pudeat
eos, qui uestros bonos in Christianitate mores
incessunt. Prestat enim rectè facientes, si ita fe-
rat Dei uoluntas, aduersa pati, quàm prauè fa-
cientes: siquidem Christus quoque semel pro Heb.9.g
nobis passus est, iustus pro iniustis, quo nos ad Rom.5.b
Deum adduceret, carne necatus, spiritu in ui- D
tam reuocatus: in quo etiam spiritibus, qui erãt
in carcere, prædicatum iuit, quibus olim per-
suasum non fuerat, cum expectaret Dei clemẽ-
tia, temporibus Noæ, cum extrueretur arca: in Genes.2.b
qua paucæ, hoc est octo animæ in aqua conser- Matth.24.d
uatæ sunt. Consimili forma nunc quoque ba- Luc.17.f
ptisma uos seruat, quod nõ est corporis sordiũ
detractio, sed bonæ conscientiæ testificatio ad
Deũ, per Iesu Christi resurrectionem, qui est
ad Dei dexteram, profectus in cœlum, angelis
ei & potestatibus potentatibusq; subiectis.

CAPUT IIII.

IGitur Christo pro uobis carne supplicium
passo, uos quoq; [a] eadem mente armamini, a.eodẽ modo animati este.
siquidem qui carne supplicium tulit, is pec-
care desiit, ne deinceps ad hominum cupidita
tes, sed ad Dei uoluntatem reliquum in carne
tempus uiuat. Satis est enim uobis, præterito Ephes.4.f
uitæ tempore extraneis morem gessisse, uersan Iacob.4.b
tes in libidinibus, cupiditatibus, uinolentijs, cõ-
messationibus, potationibus, & nefarijs dea-
strorum cultibus. At id sanè mirantur illi, non
concurrere uos ad eandem luxuriæ profusio-
nem, & maledicunt: redditurí rationem ei, qui B
& uiuos est & mortuos iudicaturus. [b] Nam id- b. Hunc locum nõ intelligo, ideoq; ad uerbum transtuli.
eo mortuis quoque nunciatus est, ut & secun-
dum homines carne iudicentur, & secundum
Deum spiritu uiuant. Omnium autem finis in-
stat. Quocirca este frugi, & ad supplicationes Rom.12.c
sobrij, ac ante omnia mutuam charitatem intẽ Pro.10.b
tam habete: nam charitas multa peccata [c] tegit, c. in causa est ut à deo ignoscãt: uide finem epistolæ Iac.
Este alij in alios hospitales, [d] sine murmuribus.
Prout quisque aliquo munere dotatus est, ita id
alij in alios dispensate, ut boni uariorũ Dei be-
neficiorum dispensatores. Si quis loquitur, [e] ut
diuina oracula: si quis [f] subministret, ut ex fa- Heb.13.a
cultate quam Deus suppeditet, quò in cunctis C
celebretur Deus per Iesum Christum, cuius est d.non inuiti.
gloria & imperium in perpetua secula: Amen. e.scilicet loquatur.
Charissimi nolite [g] istud incẽdium quod ue- f. subueniat alijs.
stri periclitãdi gratia uobis accidit, quasi nouũ
aliquid uobis usuueniat, admirari: sed quate- g.quod rebus aduersis & aliorum in uos odijs flagrãtis, & infestamini.
nus Christi suppliciorũ participes estis, gaude-
te, ut tum quoq;, cum existet eus glorie lætitia
exultetis. Si ob Christi nomen probris incessi-
mini, felices estis, quod gloriosus diuinusq; spi-
ritus uos insidet. Per illos quidem uituperatur, D
sed per uos collaudat. Absit enim ut aliquis ue-
strûm supplicio afficiatur ut homicida, aut fur
aut facinorosus, aut ut alieni appetens. At si ut
Chistia-

Christianus, ne pudeat eum, quin Deum hac in parte condecoret: quandoquidem eiusmodi tempus est, ut pœna à diuina h domo incipiat. Quòd si capitur à nobis initiū, quis futurus est exitus eorum, qui diuino non parent Euangelio? & si iustus i ægrè seruatur, impius & improbus ubi comparebit? Proinde qui Dei uoluntate patiuntur aduersa, ij rectè faciendo, conditori, ut fideli, suas commendent animas.

h. familia, gente. Pro.11.d i. magnis cum laboribus.

CAPVT V.

IGitur seniores uestrûm cohortor, ipse quoque senior, & Christi suppliciorū testis, & idem repræsentandæ gloriæ socius, pascite istud ouile Christi: id nō inuiti, sed sponte curantes: non auarè, sed alacriter: neque ut gregibus imperantes, B sed ut qui ouilis exēpla sitis. Ita fiet, ut cum aduenerit pastorum magister, nunquam flaccescētem gloriæ coronam accipiatis. Similiter iuniores parete senioribus, & omnes inuicem obsequendo modestiam complectemini: nam Deus & superbis aduersatur, & modestorum fautor est. Quamobrem summittite uos potenti Dei manui, (ut uos a tēpore curationis euehat) omni uestri cura in eum reiecta: quippe cui curæ sitis. Sobrij este, uigilate: nam aduersarius noster Diabolus, ut leo rugiens circuit, C quærens quem deuoret. Cui resistite fiducia firmi, scientes eadem uestris, qui in orbe degunt, fratribus usuuenire patienda. Deus uerò omnis gratiæ, qui uos ad æternam suam gloriam per Christū Iesum uocauit, is uos paulum passos componat, cōfirmet, corroboret, fundet. D Ei gloria & imperium in perpetua secula: Amen.

Iacob.5.d a. in extremo iudicio: uide marginem cap.2. Luc.12.c Rom.12.c

Per Syluanum uobis, fidum, ut arbitror, fratrem, paucis scripsi commonefaciens & testificans, istud esse uerum Dei beneficium, in quo statis. Salutat uos ea quæ Babylone est, etiam electa, et Marcus filius meus. Salutate inter uos charitatis osculo. Pax uobis quotquot estis in Christo Iesu: Amen.

PETRI APOSTOLI EPISTOLA secunda.

CAPVT PRIMVM.



SIMON Petrus, Iesu Christi seruus & apostolus, ijs qui parem nostræ fidem per Dei nostri & seruatoris Iesu Christi iustitiam sortiti sunt, gratiam & pacem plurimā dicit, in Dei & Iesu Domini nostri cognitione, ut a cuius diuina potentia omnia nobis ad uitā & pietatem largita sit, per b eius cognitionem, qui nos sua gloria & uirtute uocauit, propter c quem d ille nos eximijs maximisque promissis donauit, ut per ea fiatis diuinæ participes naturæ, & mundanam cupiditatis corruptelam effugiatis. B Vos uerò in hoc omni studio incumbite, acquirentes in fide uestra uirtutem, in uirtute scientiam, in scientia temperantiā, in temperantia patientiam, in patientia pietatem, in pietate fraternū amorem, in amore fraterno charitatem. Hæc enim si in uobis inerunt & abundabunt, nō ociosos uos aut inertes efficient ad Domini nostri Iesu Christi cognitionem. Cui uerò nō adsunt hæc, cæcus est, cecutiens, obliuione captus expiationis ueterum suorum peccatorū. C Proinde magis studete, fratres, rectè factis ratū efficere uestri uocatum ac electionem. Hæc enim facientes, nunquam delinquetis. Ita enim uobis largè suppetet aditus ad æternum Domini nostri seruatorisque Iesu Christi regnum. Itaque non negligam uos semper de his commonefacere, quanquam gnaros, & in præsenti ueritate fixos. Veruntamen æquum esse iudicō, quandiu sum in hoc e domicilio, excitare uos admonitione: sciens breui fore, ut meū domicilium deponam, quemadmodum mihi Dominus noster Iesus Christus significauit. Verùm dabo operam, ut uos post meum discessum assiduā horum mentionem facere ualeatis. Non enim f sciolas secuti fabulas, potentiam uobis & aduētum Domini nostri Iesu Christi declarauimus: D sed ipsi eius maiestatem cōtemplati, quippe qui à Deo patre honorem acceperit & gloriam, uoce delata ad eum huiusmodi g à magnifica gloria. Hanc nos uocem audiuimus de cœlo delatam, cùm unà cum eo essemus in sacro monte: Hic est meus charissimus filius, in quo me oblecto. Adde quod habemus h firmiorē fatidicum sermonem, in quem rectè facitis quod estis intenti, tanquam in lucentem in obscuro loco lucernam, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in uestris animis: dum tamen hoc primùm intelligatis, nullum fatidicum scriptū priuatæ explanationis esse. Non enim hominis uoluntate editum est unquam oraculum, sed sancti spiritus instinctu locuti sunt homines diuini.

a. Dei. b. Christi. c. Christū. d. pater. e. corpore. f. cū sapientiæ specie fictas. g. à glorioso Deo. Mat.3.d et 7.a Marc.1.b Luc.9.e h. scilicet ad persuadendū hominibus Christum. 1.Tim.3.d

CAPVT II.

FVerunt autem & falsi uates in populo, ut etiam in uobis erunt falsi magistri, qui perniciosas sectas introducent, uindicemque suum herum abnegantes, celerem sibi perniciem conciliabunt, eorumque perniciem multi subsequentur, per quos ueri institutio malè audiet, quique uos per auaritiam fictitijs uerbis nundinabuntur: quorum supplicium iamdiu non ociatur, neque pernicies dormitat. Nam si Deus angelis, qui peccauerant, non pepercit, quin eos in tartarearum tenebrarū catenas præcipitatos coniecit, ad iudicium custodiendos: & antiquo generi adeò non pepercit, ut octauo Noa iustitiæ præcone conseruato, impiorū generi diluuium B inuexit: & Sodomorum Gomorrhæque urbes in cinerem redactas, euersione puniuit, documentum statuēs eorum qui impij essent futuri: & iustum

Iob.4.d Gen.16.b

iustum Lotum, qui à libidinosis nefariorũ moribus uexabatur, tutatus est. nam iustus ille inter eos habitans, iustum [a] animum noctes & dies, scelestorũ operum & aspectu cruciabat et auditu. Sic Dominus & pios ex periculis eripere, & iniustos ad iudicij diem cruciandos custodire, maximè qui corpori obsequẽtes, in obscœnis cupiditatibus degunt, dominatũq; contemnunt, audaces, insolentes, qui de dignitatibus maledicere non horrent: [b] cum ãgeli, uiribus & potestate maiores, non ferant contra eos apud Dominũ maledicam sententiam.

C At isti, similes animalibus rationis expertibus, naturaliter in prædam interitumq; natis, de [c] eis, quæ ignorant, maledicũt, in sua corruptela perituri, & iniustitiæ præmium laturi: qui uoluptatem in quotidianis ponant delicijs, labes & maculæ, qui de uobis [d] in suis erroribus conuiuantes iocatur, oculos habentes degeneris perpetuiq; peccati plenos, inescantes infirmas animas, animum rapinis exercitatum habentes: homines intestabiles, qui relicta recta uia errant, Balaami Bosoris filij uiam secuti, qui sceleris præmium amauit, suiq; criminis conuictus est. Iumentum mutum, humana uoce locutum, inhibuit uatis amentiam. Ii sunt fontes aridi, actæ procella nubes, quibus tenebrarum caligo sempiterna reseruatur. Nam prætumida uanaq; loquendo, inescant libidinosi corporis cupiditatibus eos qui propemodum effugerant, eos qui in errore uersantur, libertatem eis pollicentes, ipsi serui interitus. Siquidem quo quis uictus est, ei emancipatus est. Si enim ex mundanis fœditatibus, domini & seruatoris Iesu Christi cognitione elapsi, iisdem rursus implicati uincuntur, fit eorum posterior conditio priore deterior. Satius enim fuisset eis, iustitiæ uiam non cognouisse, quàm ea cognita, à tradita sibi sancta disciplina retrò recessisse. eis que accidit, quod est in illo uero prouerbio: Canis ad suum uomitum regressus, & lota sus ad cœni uolutabrum.

a. animum cruciabat, hoc est, ei cruciabat animus.
b. uide Iudæ epistolã de Mosis corpore.
c. religióne Christiana.
d. putantes uos errare, cum errent ipsi.
Num.22.c Deut.23.a
Iudæ 1.f
Iohã.8.d Rom.6.c Heb.6.a Mat.12.d
Pro.26.b

CAPVT III.

HAs iam alteras uobis, charissimi, scribo literas, in quibus uestrã sinceram mentem admonitione excito, ut uetera dicta sanctorum uatum, & nostram, qui Domini seruatorisq; legati sumus, disciplinam recordemini: hoc in primis scientes, uenturos esse postremis temporibus illusores, suis cupiditatib. obsequentes, qui dicant: Vbi est eius promissus aduentus? nam ex quo maiores obdormiuerũt, omnia eodem in statu manent ab orbe cõdito. Illud enim eos uolentes præterit, cœlos olim terramq; & ex

B aqua & in aqua, Dei iussu constitisse, quibus rebus illius temporis mũdus aqua inundatus perierit. Item qui nunc sunt cœli & terra, eodem eius iussu condita reseruãtur igni, ad iudicij & impiorum hominum exitij diem. Hoc autem unum ne lateat uos, charissimi, unum diem apud Dominum perinde esse ac mille annos, et mille annos perinde ac unum diem. Non tardat Dominus promissum, ut nonnulli tarditatem interpretantur: sed lentus est erga nos, nolens quẽquam perire, sed omnes ad sanitatem redire. Veniet autem Domini dies ut fur noctu, in qua cœli perniciter interibunt, elementa ardentia dissoluentur, & tellus, & quæ sunt in ea res, conflagrabunt. Quòd cum sint hæc omnia dissipanda, quales decet esse uos? in sanctis moribus ac pietatibus expectantes, properantesq; diei aduentum Dei, per quam & cœli incendio peribunt, & elementa ardentia consumentur. Nouos autem cœlos terrãq; nouam ex eius promisso expectamus, in quibus habitet iustitia. Quapropter, charissimi, his expectandis, date operã ut ei impolluti inculpatiq; cum pace reperiamini, & Domini nostri lentitudinem pro salute ducite: quemadmodũ noster charissimus frater Paulus, pro ea qua donatus est, sapientia, uobis scripsit, & in omnibus epistolis, de hisce rebus in eis loquens: in quibus insunt obscura quædam, quæ indocti infirmiq;, ut & cætera scripta, in suam perniciẽ detorquent. D Vos igitur, charissimi, id præcognoscentes, cauete ne in nefariorum errorem abducti, excidatis ex uestra firmitate: & crescite in beneficio ac cognitione Domini nostri seruatorisque Iesu Christi, cui gloria & nunc & in diem sempitenam: Amen.

1.Tim.4.a 2.Tim.3.a Iudæ 1.f
Ezech.12.f
1.Thes.5.a Apoc.3.d
Apoc.16.c
Apoc.21.a

IOHANNIS APOSTOLI EPISTOLA prima.

CAPVT I.



QVOD FVIT à pricipio, q̃d audiuimus, q̃d uidimus oculis nostris, quod & spectauimus, et nostris ipsi manib. tetigimus, (de sermone uitæ loquor, q̃ uita patefacta est) id, inquam, & uidimus, et testamur, & uobis uitam nũciamus æternã, quæ apud patrem erat, & nobis patefacta est. B Quod & uidimus & audiuimus, id uobis annunciamus, ut & uos nobiscum cõmunitatem habeatis. Est autem nobis cõmunitas cum patre, cumq; eius filio Iesu Christo. Atq; hæc uobis scribimus, ut plena afficiamini lætitia. C Est aũt hoc nuncium, quod & ab illo audiuimus, & uobis nũciamus, Deum esse lumen, nec ullas in eo tenebras esse. Si nobis cum Deo cõmunionem esse dicimus & tamen in tenebris degimus, mẽtimur, nec uerum facimus. Si in luce uersamur, ut ipse in luce est: nobis est inter nos cõmunitas: nosq; Iesu Christi sanguis, eius filij, expurgat ab omni peccato. Si nos peccati exptes esse dicimus, fallimus nosipsos, D

Io.16.e
Heb.9.d 1.Pet.1.d Apoc.1.b 3.Reg.8.d 2.Para.6.g

nosipsos, nec est in nobis ueritas. Si cōfitemur
Pro.20.b pecata nostra, ille ita fidelis & iustus est, ut no-
Eccles.7.c bis peccatorum ueniam det, nosq; ab omni cul
pa expiet. Si nos peccasse negamus, mēdacem
facimus eum, nec est in nobis eius sermo.

CAPVT II.

Filioli mei, hæc uobis scribo, ut nō peccetis:
Heb.7.d quòd si quis peccauerit, patronū habemus
ad patrem, Iesum Christum, iustum, qui idem
piaculum est peccatorū nostrorum: nec solum
nostrorum, sed etiam totius mundi. Ac in eo
nobis eum esse notum intelligimus, si eius præ-
Infrà.4.d ceptis paremus. Qui eum sibi notum esse dicit,
& tamen eius præceptis nō paret, mendax est,
nec est in eo ueritas. Qui uerò eius dictis pa-
ret, is uerè Dei amore pfecto præditus est. Hac
Iohan.13.g re nos in eo esse cognoscimus, quòd qui se in
eo manere dicit, debet, ut ille se gessit, ita ipse se
gerere. Fratres, non nouam præceptionem uo
B bis scribo, sed ueterem præceptionem, quam à
principio habuistis. Præceptio uetus, est sermo,
Deut.19.c quem audiuistis principiò. Rursus nouam præ
ceptionē uobis scribo, quæ res & in se & in uo-
bis uera est: uidelicet tenebras præterire, iamq;
uerum lumen apparere. Qui se in lumine esse
dicit, & tamē fratrem suū odit, is adhuc in tene-
bris est. Qui fratrem suum amat, is in luce ma-
net, & is est qui nō impingat. Qui uerò fratrem
suum odit, is in tenebris est, & in tenebris gradi
tur: neq; scit quò eat, quippe quum eius oculos
occæcauerint tenebræ. Scribo uobis, filioli,
quòd uobis ignoscuntur peccata per eius no-
men. Scribo uobis patres, quòd eum qui à prin
cipio est, nouistis. Scribo uobis iuuenes, quòd
a. diabolū. a Malū uicistis. Scribo uobis nati, quia patrem
nostis. Scripsi uobis patres, quia eū qui à prin-
cipio est, nostis. Scripsi uobis adolescentes, quo
niam fortes estis, in uobisq; manet Dei sermo,
C & Malum uicistis. Ne amate mundum, neque
mundana. Si quis mundum amat, is non est pa-
tris charitate præditus. nam quicquid in mun-
do est, uidelicet carnis cupiditas, & oculorū cu-
piditas, & uitæ arrogātia, nō à patre, sed à mūdo
est. Et mundus abit, & eius cupiditas. Sed qui
Dei uolūtati paret, is manet in sempiternū. Na-
ti, ultimum tempus est. & quemadmodum uen
turum audiuistis Antechristum, nunc quoque
multi sunt Antichristi: unde ultimum tempus
esse intelligimus. A nobis profecti sunt, sed nō
erāt ex nobis. Si enim ex nobis fuissent, nobis-
cum mansissent. Sed declarandum fuit, non o-
b.Christo. mnes ex nobis esse: & uos à b sancto uncti, no
uistis omnia. Non ideo uobis scripsi, quòd ue-
rum nesciatis: sed quòd uerū scitis, & quòd ni-
hil falsum ex uero est. Quis est mendax, nisi qui
D Iesum negat esse Christum? Is Antichristus est,
qui patrem negat, & filium. Quisquis filium
negat, ne patrem quidē habet. Quod ergo uos
ab initio audiuistis, id in uobis maneat. Si in uo
bis manserit quod initiò audiuistis, & uos in fi-
lio ac patre manebitis. Ac quod nobis promi-
sit, id uita æterna est. Hæc uobis de uestris dece
ptoribus scripsi: & tamen ij estis, in quibus un-
ctio, quam ab eo accepistis, maneat: neq; uobis
opus est ut quisquam uos doceat, quippe cum
eadem unctio uos de cūctis doceat, ueraq; sit,
& falsitatis expers: ac quemadmodum ille uos
docuit, sic maneatis in eo. Et nūc, filioli, mane-
te in eo, ut cum existet, confidentiam habea-
mus, nec eum in eius aduentu erubescamus. Si
scitis eum esse iustum, cognoscite, quicumq; iu-
sta faciat, ex eo esse natum.

CAPVT III.

Videte quanto nos prosecutus sit amore pa
ter, ut Dei filij uocemur. Ideo nos mūdus
non cognoscit, quòd eum non cognoscit. Cha-
rissimi, nos nunc Dei filij sumus, tametsi non-
dum patet quid simus futuri. Scimus autē cum Esa.53.b
id patefactum fuerit, nos eius fore similes: utpo 1.Pet.1.d
te quem cernemus, ut est. Ac quisquis hanc in
eo spem habet, is seipsum expurgat, quemad-
modum ille purus est. Quisquis peccatum com
mittit, is crimen committit, & peccatum crimen
est: & scitis illum ideo aduenisse, ut peccata no-
stra auferret, nec ullū in eo esse peccatum. Quis-
quis in eo manet, non peccat: quisquis peccat, Apoc.21.e
eum non didicit, neq; nouit. Filioli, nemo uos Ioh.8.c
decipiat. Qui iusta facit, iustus est, quemadmo- B
dum ille iustus est. Qui peccatum committit,
ex diabolo est: siquidem à principio Diabolus
peccat. Ideo patefactus est Dei filius, ut Diabo
li opera aboleret. Quisquis ex Deo natus est, Genes.4.b
peccatum non cōmittit, quòd Dei semen in eo
manet: ideoq; peccare nequit, quòd ex Deo
natus est. In eo manifesti sunt Dei filij, & Dia-
boli filij, quòd quisquis iusta non facit, is Dei
nō est, itemq; qui fratrem suum nō amat. Nam
hæc est quam principiò audiuistis, denuncia-
tio, ut amemus inter nos: non ut Cainus, qui
cum à Malo esset, fratrē suum interemit. Cuius
autem gratia eum interemit? quoniā eius ope- C
ra erat mala, cū fratris essent iusta. Nolite mira Io.15.e
ri, fratres mei, si uos odit mundus. Nos scimus,
nos à morte ad uitam migrasse, quoniā fratres
amamus. Qui fratrem nō amat, manet in mor-
te: quisquis fratrē suum odit, homicida est. Sci-
tis autem neminem esse homicidam, qui æter-
nam uitā habeat in se manentē. Inde amorem
cognoscimus, quòd & ille pro nobis animam
suam posuit, & nos debemus pro fratribus ani-
mas ponere. Iam qui cum huius uitæ facultates
habeat, & fratrē suum egere uideat, tamen non
eius uicem a miseret, qui fieri potest ut sit Dei a.subuenit.
charitate præditus? Filioli mei, non uerbis aut Ioh.17.b
lingua, sed re ac ueritate amemus. Ita fiet, ut D
nos à ueritate esse intelligamus, & id in eius cō-
spectu animis persuasum habeamus. Quod si
nos damnat animus noster, b maior est Deus, b. multo magis nos damnabit Deus, ne putemus eum id latere, quod nostrū animum nō latet.
quàm noster animus, & cuncta nouit. Charissi
mi, si noster animus nos nō damnat, confiden-
tiam habemus ad Deum: ac quicquid postula-
mus, id ab eo impetramus, quoniam eius præ-
ceptis obtēperamus, eiq; morē gerimus. Atq;
hæc est eius præceptio, ut eius filij Iesu Christi
nomini

Iohan.19.f nomini credamus, et inter nos amemus, quemadmodum præceptum dedit. Ac qui eius præceptis obedit, & ipse in illo, & ille in ipso manet. Atque hinc eum in nobis manere cognoscimus, uidelicet ex spiritu, quo nos donauit. Infrà.4.c

CAPVT IIII.

CHarissimi, ne cuiuis spiritui credite, sed spiritus explorate, an ex Deo sint: nã multi falsi uates in mundum prodierunt. Hinc cognoscite Dei spiritum: quisquis spiritus Iesum 1.Cor.12. Christum corporatum uenisse confitetur, is à Deo est. Quisquis autem spiritus Iesum Christum corporatũ uenisse non cõfitetur, is à Deo non est. Atque hoc illud est de Antichristo quod audiuistis, uenturũ esse, qui iam nunc in mũdo est. Vos à Deo estis filioli, & eos uicistis: quoniam maior est qui in nobis, quàm qui in mundo est. Illi à mundo sunt, itaque à mundo loquun- Iohã 8. tur, eosque mundus audit. Nos à Deo sumus: Deum qui nouit, nos audit: qui à Deo non est, Ibidem 3.b non audit nos. Inde quis ueritatis, quis sit erro- B ris spiritus, dignoscimus. Charissimi amemus nos inter nos. Nam amor à Deo est: ac quisquis amat, ex Deo natus est, Deumque nouit. Qui non amat, non nouit Deum: nam Deus amor est. In eo patuit Dei erga nos amor, quòd filiũ suum unicum misit Deus in mundum, ut per eum uiuamus. In eo amor est, quòd Deus, non quòd nos eum amauerimus, sed quòd ipse nos Iohã.1.b amauerit, misit filium suũ, pro peccatis nostris 1.Tim.6.b piaculum. Charissimi, si sic nos amauit Deus, nos uicissim debemus amare nos mutuò. C Deũ nemo unquam uidit. Si alius alium amamus, manet in nobis Deus, sumusque eius perfecto amore præditi. Hinc & nos in eo, & in nobis eũ manere intelligimus, quòd nobis suũ spiritum impertiuit: & nos uidimus & testamur à patre legatum esse filium, seruatorem mundi. Quisquis Iesum Dei esse filium cõfessus fuerit, & in eo Deus, & is in Deo manet. Et nos amorem, quo nos Deus prosequitur, nouimus, ac credimus. Deus amor est: & qui in amore manet, in Deo manet, & Deus in eo. In eo perfecto amore præditi sumus, si [b] de iudicij die confidimus, [c] q̃d qualis ille est, tales nos simus in hoc mundo. D In amore metus non est: quin perfectus amor forás quatit metum, quoniam metus cruciatum habet: quique metuit, perfecto amore nõ est. Nos eum amamus, quoniã prior ipse nos amauit. Si quis à se Deum amari dicit, & tamen fratrem suum odit, mendax est. Qui Suprà.2.a Iohan.13.d enim fratrẽ suum, quẽ uidit, non amat: Deum, quem non uidit, quo pacto potest amare? Atque hoc ab eo præceptum habemus, ut Deum qui amat, suum quoque fratrem amet.

b. iudicij diem non reformidamus.

c. quoniam iusti uiuimus, ut Deus iustus est.

CAPVT V.

QVisquis Iesum credit esse Christum, ex Deo natus est: & quisquis genitorem amat, etiam ex eo natum amat. Hinc intelligimus amari à nobis Dei filios, si Deũ amamus, eiusque præceptis obtemperamus. Is enim Dei amor est, si eius præceptis obtemperamus, quæ sanè eius præcepta grauia non sunt. Nam quic- 1.Cor.11.g quid ex Deo natũ est, uincit mundum: & hæc uictoria est, quæ uicit mundum, fides nostra. B Quis est qui uincit mundum, nisi qui credit Iesum esse Dei filium? Hic est qui uenit per aquã & sanguinem Iesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua & sanguine. Et spiritus est qui testatur: siquidem spiritus est ueritas. quoniam tres sunt qui testãtur [in cœlo, pater, sermo, & spiritus sanctus: & hi tres unum sunt. Item tres sunt qui testãtur in terra] spiritus, & aqua, & sanguis, qui tres unum sunt. Si hominum testimonium admittimus, Dei testimonium maius est. Atque hoc est quod Deus de filio suo testimonium dixit: Qui Dei filio fidem habet, is in se Dei testimonium habet. Qui Deo non credit, Iohan.3.d mendacem facit eum: quòd testimonio fidem non habeat, quod dixit Deus de filio suo. Est autem hoc testimoniũ, quòd æterna uita donauit nos Deus, quę uita in eius filio est. Qui Dei C filium habet, uitam habet: qui Dei filium nõ habet, uitam non habet. Hæc uobis, nomini filij Dei fidem habentibus, ideo scripsi, ut uos æternam habere uitam sciatis, utque nomini filij Dei fidem adiungatis. Atque ea est quam ad eum habemus confidentia, quòd si quid ex eius uoluntate postulamus, audit nos. Quòd si nos ab eo audiri scimus, quicquid poscamus, scimus ea obtinuisse nos quæ ab eo poposcimus. Si quis fra- D trem suum peccatum non lethale cõmittere uiderit, si is Deum poscat, Deus illi uitam dabit, uidelicet peccãtibus non lethaliter. Est [b] lethale peccatum, pro quo orandum esse non dico. Omnis iniustitia est peccatũ. Est & peccatum nõ lethale. Scimus quisquis ex Deo natus est, eum non peccare, nam ex Deo natus seipsum seruat, nec eum [c] Malus attingit. Scimus nos à Deo esse, totumque mundũ in Malo iacere. Scimus itẽ Dei filiũ uenisse et nos eo ingenio donasse, ut uerũ cognoscamus deũ, sumusque in uero, in eius filio Iesu Christo. Is uerus est Deus, æternaque uita. Filioli cauete deastros: Amen.

Hæc [ ] in quibusdã exemplarib. non extant.

b. in spiritũ sanctum.

c. diabolus.

IOHANNIS APOSTOLI EPISTOLA secunda.



ENIOR electæ dominę eiusque liberis, quos ego uere amo: nec ego solus, sed etiam omnes qui ueritatẽ nouerunt, propter ueritatem, quæ & in nobis manet, et nobis aderit in sempiternum. Adsit uobis gratia, misericordia, pax, à Deo patre, & à Domino Iesu Christo, patris filio, cum ueritate ac charitate. Lætatus sum magnopere, quòd li- B beros tuos ex ueritate uiuere cõperi, sicut præ-

ceptum accepimus à patre. Et nunc rogo te, domina, non quo tibi nouum scribam præceptum, sed quod habuimus ab initio, ut amemus nos mutuò. Est autem in eo situs amor ut ex eius præceptione nos geramus. Hæc est præceptio quemadmodū audiuistis ab initio, [Iohā.15.b] ut ex ea uiuatis: quoniam multi impostores in mundum introierunt, qui Iesum Christum corporatum uenisse non confitentur. Hic ille impostor & Antechristus est. C Date operam ne a perdamus quæ elaborauimus, sed mercedem plenam accipiamus. Quisquis delinquit, neq; manet in doctrina Christi, Deum non habet. Qui manet in doctrina Christi, is & patrem habet & filium. Si quis uenit ad uos, qui hanc doctrinam non ferat, eum domum ne accipite, neque saluere iubete. D Qui enim saluere iubet, participat eius prauè facta. Cum multa uobis haberem scribenda, nolui charta & atramento. spero enim me uenturum ad uos, & coràm colloquuturum, ut plenam percipiatis lætitiam. [Iohan.16.f 2.Iohā.1.b] Salutant te liberi tuæ sororis electæ: Amen.

[a. frustra nos docuerimus.]

IOHANNIS APOSTOLI EPSTOLA tertia.



SENIOR Caio charissimo, quem ego uerè amo. Charissime, cupio te ante omnia feliciter agere ac ualere, quēadmodum animo feliciter agis. Lætatus sum enim uehementer, cum uenissent, fratres, & tuam ueritatem testati essent, uti ex ueritate uiuas. Maiorem lætitiam nullam habeo, quàm ut audiam meos natos ex ueritate uiuere. B Charissime, a fideliter agis, quicquid erga fratres & hospites facis, qui tuam charitatem in ecclesiæ conspectu testati sunt: quos, rectè facies, si ut Deo dignum est deduxeris. Nam pro eius nomine profecti sunt: nihilq; ab extraneis acceperunt. Nos uerò tales accipere debemus, ut ueritatis simus adiutores. C Scripsi ecclesiæ: sed qui uult eorum esse primarius, Diotrephes, nō admittit nos. Itaq; si uenero, commemorabo qua ista patret facinora, qui in nos uerbis improbis garriat: nec his contentus, nec ipse fratres admittat, & b uolētes prohibeat, exq; ecclesia eijciat. Charissime, ne imitare malū, sed bonum. D Qui bene facit, à Deo est: qui uerò male facit, Deum non nouit. Demetrius & omnium & ipsius ueritatis testimonio cōmendatus est: & nos idē testamur, & uos uerum esse testimoniū nostrū scitis. Multa habere scribēda tibi, sed nolo tibi charta & atrammēto scribere. Breui te, ut spero, uidebo, et pręsentes colloquemur. Vale. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.

[a. ut fidentem Christianumq; decet.]
[b. scilicet admittere.]

IVDÆ APOSTOLI EPISTOLA.



IVDAS IESV Christi seruus, Iacobi frater, sanctificatis in Deo patre, & Iesu Christo reseruatis, uocatis, misericordiam, & pacē, & charitatem plurimam dicit, Charissimi, cum uobis de cōmuni nostra salute scribere summo studio contenderem, necesse habui uos scribendo cohortari, ut fide, quę semel sanctis est tradita, certetis. Irrepserūt enim homines quidam, olim ad hoc ipsum supplicium designati, impij, Dei nostri beneficiū transferētes in libidinē: & solum uerū Deum, B dominumq; nostrum Iesum Christum negantes. Illud autē uobis, quod semel didicistis, commemorare uolo, quod Dominus, cum populū [Num.14.f] ex Aegypto seruasset, rursum eos qui non confiderāt, perdidit: angelosq;, qui suam originem [Esa.14.c] non retinuissent, sed suum domiciliū reliquissent, ad magni Dei iudiciū æternis uinculis sub tenebris seruandos curauit. ut Sodoma & Gomorra, [Genes.19c] finitimæq; urbes, quoniā consimili modo meretricatæ, impudici corporis libidinibus obsecutæ sunt, iacent ad exemplū, pœnas igne luentes sempiterno. Similiter hi quoque somniantes, corpora habent polluta, & d dominatū repudiant, dignitatibusq; maledicunt. [d. scilicet Dei.] Atqui Michael ille princeps āgelus, cum disceptans cum diabolo, de Mosis corpore disputaret, non ausus est sententiam ferre maledicam, sed dixit: Increpet te Dominus. Isti uerò & quę C ignorant, de ijs maledicunt: & quę naturaliter, brutorum animaliū more intelligunt, in ijs corrupti sunt. Vę eis, quoniam Ciniana uia grassantur, D & erroris Balaamici mercede profligati sunt, Coranaq; cōiuratione pereūt. [Num. 16.a 26.b] Hi sunt in uestris charitatibus labes, irreligiose conuiuantes, seipsos pascentes, siccæ nubes uentis circumactæ, arbores autumnales infructuosæ, bis mortuæ ac eradicatę, feri fluctus maris, spumātes suas fœditates, stellæ errātes, quibus reseruatur caligo sempiterna tenebrarū. De his etiam uaticinatus est septimus ab Adamo Enochus, dicens: Vēturus est Dominus cum suis sanctis E legionibus, ut in omnes iudicium exerceat, omnesq; eorum impios cōuincat omnium quæ patrauerint, impiè factorū, omniumq; quę contra eum atrociter dixerint sontes impij. Hi sunt [Apoc.2.b Esa.3.b] oblocutores, queruli, cupiditatibus suis obsequentes, & ore loquentes prętumida, personas admirantes utilitatis gratia. Vos uerò, charissimi, recordamini ea quæ à Domini nostri Iesu [1.Tim.4.a] Christi apostolis prædicta sunt, qui uobis dixerunt, [2.Tim.3.a 2.Pet.3.a] futuros postremo tēpore illusores, ex suis

impijs

impijs cupiditatib. uiuetes. Hi sunt qui seipsos
f. terrestres,& à diuinitate alieni. secernunt, f animales spiritum non habentes.
Vos uerò, charissimi, in sanctissima uestra fide
uosipsos exædificantes, sacro afflatu Deo supplicantes uos in Dei charitate cōseruate, expectantes Domini nostri Iesu Christi misericordiam, ad æternam uitam, & alios miseramini, delectum habentes: alios religiose seruate, ex igne rapientes, exosi etiam carne coinquinatā uestem. Ei uerò qui uos expertes delicti seruare, & in gloriæ suæ conspectu inculpatos cum lætitia sistere potest, soli sapienti Deo seruatori nostro gloria, & magnitudo, imperium, & potentia, nunc & in omnia secula: Amen.

EPISTOLA AD HEBRÆOS.

CAPUT PRIMUM.



VLTIFARIAM & multipliciter olim Deus maiores, per uates
Sap. 7. d alloquutus, postremis hisce tēporibus allocutus est nos per filiū, quem omniū statuit hęredē, per quem
Psal. 2. b etiam mundum fecit. Qui cum sit eius gloriæ
Actor. 13. c splendor, & forma expressa substantiæ, feratq;
cuncta suo potenti sermone, facta per semetipsum expiatione peccatorum nostrorum, con
3. Reg. 7. b sedit ad dexterā maiestatis, in sublimi, tanto an
B gelis factus præstātior, quāto excellentius quā
illi nomē obtinuit. Cui enim dixit unquam angelorū? Filius meus es tu, ego hodie genui te?
Psal. 96. c Et rursum: Ego ei pater, & ipse mihi filius erit.
Item cum in orbem inducit primogenitum, di-
Ibidē 103. a cit: Eūq; adorent omnes diuini angeli. Et de an
gelis quidem sic dicit: Qui angelis utitur spiri-
Ibidē 44. b tibus, & ministris ignea flāma. Sed de filio: So
liū tuū, ô diue, in omnē permanet ęternitatē: sce
Ibidē 101. d ptrū ęquitatis, sceptrum regni tui est. Iustitiā amas, perosus improbitatē: ꝓpterea Deus, tuus Deus, oleo te lætifico potius inunxit, ꝗ tuos so
Ibidē 109. a cios. Et: Tu principio Domine terrā fundasti, & opera manuū tuarū sūt cœli: Et illi quidē peribūt, te permanēte, omnesq; tāꝗ indumētū inueterascent, &, te tanꝗ amictū eos inuoluente, obsolescent. At tu is es, qui annorum sis infinitorum. Item cui unquam angelorum dixit, Sede ad meam dexteram, donec ex tuis hostibus faciam pedum tuorū subsellium? Nonne sunt
a. pluralis est numeri. omnes procuratores a spiritus, qui ad ministerium leguntur, propter eos qui salutem adepturi sunt?

CAPUT II.

b. obliuiscamur. PRopterea eò magis nobis attendenda sunt audita, ne forte b perfluamus. Si enim habitus per angelos sermō ratus fuit, & omne delictum ac cōtumacia dignas luit pœnas: quomodo effugiemus nos, tanta salute neglecta? Quæ sumpto à Domino eius eloquendę initio, ab ijs qui audierant, apud nos est cōfirmata, attestante Deo ostentis & miraculis, uarijsq; prodigijs, & spiritus sancti donationibus, suo arbitratu.
Non enim angelis subiecit orbem futurum, de B
quo loquimur. Sic autem testificatus est alicu-
bi quidam: Quid est homo, ut eius memineris? Psal. 8. c
quid est homine natus, ut eum cures? Eum paululo angelis minorem fecisti: eum gloria & honore coronasti, & operibus pręfecisti manuum
tuarum. Omnia eius pedibus subiecisti. Nam 1. Cor. 15. d
omnia ei subijciendo, nihil reliquit non ei sub- Matt. 28. c
iectum. Nunc nōdum uidemus ei omnia sub- Philip. 2. b
iecta, sed paulò angelis minorem factum uide-
mus Iesum, propter necis supplicium gloria & C
honore coronatum, ut Dei beneficio pro cunctis pateretur mortē. Decebat enim, ut is, propter quem & per quem fiunt omnia, tot filijs in gloriam ducendis, eorum salutis authorem supplicijs perficeret. Nam & qui sanctos reddit, & qui sancti redduntur, omnes sunt ab uno. Quā ob causam eum non pudet eos uocare fratres,
dum ait: Prædicabo nomen tuum meis fratri- Psal. 21. c
bus, in medio te cœtu collaudans. Item: Ego ei Psal. 17. d
confidam. Item: En ego & pueri, quos mihi tra Esa. 8. d
didit Deus. Iam cum pueri carnem & sangui- D
nem habeant, ipse similiter ijsdem pręditus fuit, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habe-
bat imperium, hoc est Diabolum: eosq; libera- Ose. 13. d
ret, qui mortis metu, per omnem uitam serui- 1. Cor. 15. g
tuti erant obnoxij. Non enim angelos, sed Abrahami semē assumpsit: & proinde debuit per omnia fratrib. esse similis, ut misericors fieret, fidusq; pontifex in rebus diuinis, quo populi peccata expiaret. Quoniā enim passus est ipse periclitando, potest periclitantibus subuenire.

CAPUT III.

PRoinde fratres sancti, cœlestis uocatus participes, cōsiderate legatum & pontificem professionis nostræ Christum Iesum, fidelem erga eum à quo factus est, ut Moses in tota eius domo fidelis erat. Hic enim tāto maiore, quàm
Moses, gloria affectus est, quanto maiorem ha Num. 12. b
bet quàm domus honorem is, qui eam condidit. Omnis enim domus ab aliquo conditur: qui autem omnia condidit, Deus est. Et Moses quidem fidelis erat in eius uniuersa domo, ut
famulus, ad ea testanda, quæ erant dicenda. At B
Christus ut filius est eius domui præpositus, cuius domus sumus nos, si modò confidentiam & spei gloriationem ad extremum firmam te-
nemus. Quamobrē ut ait spiritus sanctus: Ho- Psal. 94. b
die si eius uocem audieritis, nolite mentes ob- Infra. 4. b
firmare uestras, ut in iurgio, die tentationis, in solitudine, ubi me tentauere maiores uestri, cū me probauerunt, & opera mea uiderunt annos quadraginta. Itaq; pertæsus illius nationis,
cogitans eos semper animis errare, meorumq; C

institutorum ignaros esse, iratus iuraui non esse in meam requietem ingressuros. Videte fratres, ne fortè sit in aliquo uestrûm praua diffidentiæ mens, deficiendo à uiuente Deo: quin uos inter uos quotidie cohortamini, quandiu hodie dicitur, ne quis uestrûm peccati fraude occallescat. Etenim Christi consortes facti sumus, si modò hoc argumentum ab initio ad finem firmum tenemus, in quo dicitur: Hodie si eius uocem audieritis, nolite mentes obfirmare [D] uestras, ut in iurgio. Nam pars eorum qui audierunt, iurgati sunt, non omnes ex Aegypto ductu Mosis egreßi. Quorum ergo pertæsus est annos quadraginta? nonne eorum qui peccarunt, quorum membra ceciderunt in solitudine? Quibus autem iurauit, non esse in suam requietem ingressuros, nisi contumacibus? quos uidemus ingredi non potuisse, propter diffidentiam.

CAPVT IIII.

QVamobrem metuamus, ne, si fortè desinat ingrediendi in eius requietem promißio, aliquis nostrûm [a] tardasse uideatur. [a. tardet, & serò ueniat.] Etenim nobis denunciatum est, quemadmodum illis. Sed illis nihil auditus sermo profuit, [b] non coniunctus cum eorum fide qui audiuerant. [b. quoniam fidem non habuerût.] Ingredimur enim in requietem, qui fidem habemus: quemadmodum dixit, [Psal. 94. d] Iratus iuraui, non esse in meam requietem ingressuros: cum tamen eæ res iam ab orbe condito fuissent. Nam quo[B]dam in loco de die septimo sic dictum est: Requieuitque Deus die septimo ab omnib. suis operibus. [Gen. 2. a] Atqui hic rursum: Non esse in meam requietem ingressuros. Ergo cum superſit ut aliqui in eam ingrediatur, & quibus antè denunciatum est, non ingreßi sint propter contumaciam, rursum quandam statuit Dauid diem, Hodie dicens, tanto post tempore, ut dictum est: [Psal. 94. d] Hodie si eius uocem audieritis, nolite mentes obfirmare uestras. Si enim eos Iosua quietos reddidisset, nunquam ille postea de alio loqueretur die. [Supra 3. b] Superest ergo Sabbatismus diuino po[C]pulo. Qui enim in Dei requietem ingressus est, is à suis requieuit operibus, quemadmodum Deus à suis. Quamobrem demus operam, ut in illam requietem ingrediamur, ne quis eodem contumaciæ exemplo cadat. Est enim diuinus sermo uiuus & efficax, & quouis ancipiti gladio acutior, ac penetrans usque ad diuisionem animæ [D] & spiritus, compagumque & medullarum, & animi cogitationum, consiliorumque iudex: adeoque nulla res ei obscura est, ut omnia nuda ac resupina sint eius oculis, de quo loquimur. [Eccles. 15. d] Habentes ergo summum pontificem, qui cœlos penetrauit, [Psal. 33. c] Iesum Dei filium, [c] teneamus professionem. [c. respondeamus professioni nostræ.] Non enim eum habemus pontificem, qui nostris infirmitatibus affici non poßit: sed qui sit in omnibus [d] similiter periclitatus, citra peccatum. [d. ut nos.] Accedamus ergo confidenter ad gratiæ solium, ut misericordiam adipiscamur, & gratiam inueniamus [e] ad opportunum auxilium. [e. per quam nobis suo tempore feratur auxilium.]

CAPVT V.

OMnis enim pontifex ex hominib. desumptus, pro hominibus præest rebus diuinis, ut munera uictimasque libet pro peccatis: potestque facilis esse ignorantibus & hallucinantibus: utpote cum ipse sit infirmitate circundatus, & propter hanc debeat, ut pro populo, sic etiam pro seipso libare piacula. Neque sibi quisquam eum honorem arrogat, nisi qui uocatur à Deo, quemadmodum Aharon. Sic Christus [B] quoque non ipse sibi eum honorem uendicauit, ut fieret pontifex, sed is qui sic eum alloquutus est: Tu meus es filius, ego te hodie genui. Sicut alibi quoque dicit: Tu es sacerdos in perpetuũ [Psal. 2. b] ad rationem Melchisedechi. Is Christus quum [1 Pet. 2. b] mortalis ageret, precibus ac supplicationibus [Psal. 109. b] ei, qui se à morte seruare poterat, libatis, cum uehementi questu ac lachrymis, & pro sua pietate exauditus, quamuis filius, didicit tamen ex ijs [C] quæ passus est obedientiam: & perfectus, omnibus sibi obedientibus salutis æternæ causa fuit, appellatus à Deo pontifex ad rationem Melchisedechi. De eo nobis multa dicenda sunt, eaque explicatu difficilia, quandoquidem uos [a] auribus segnes estis. [a. auditores.] Etenim cum per tempus magistri esse debeatis, rursum docendi estis quæ prima diuinorum oraculorum elementa sint: & ij estis quibus lacte sit opus, nõ solido cibo. Cuicunque enim cum lacte res est, is orationis iustitiæ rudis est, quippe infans. Adultorum autem est solidus cibus, qui propter habitũ, sensus habent ad boni malique discretionem exercitatos.

CAPVT VI.

QVapropter omisso rudimentorum Christi sermone, ad perfectionem tẽdamus, non denuò fundamentum iacientes correctionis mortuorũ operum, fidei Deo habendæ, doctrinæ baptismorum, impositionisque manuũ, & resurrectionis mortuorũ, supplicijque sempiterni. Atque id faciemus, si permiserit Deus. Fieri enim non potest, ut qui semel collustrati cœleste donum gustarunt, & participes fuerunt sancti spiritus, præclaraque Dei dicta & æui futuri uirtutes gustarunt, & tamen relabuntur, ij iterum uitæ correctione renouentur: qui sibi Dei filium [B] iterum crucifigant, & in eũ exẽplũ edant. [Infra 10. e] Nam terra quæ imbrem sæpius in se uenientem combibit, & herbam parit illis accommodatam, propter quos colitur, ea Dei fauore felicitatur. At quæ spinas effert, & tribulos, improba est, & affinis execrationi, ad extremumque exurẽda. Quanquam de uobis, amici, meliora nobis, & saluti uicina psuasimus, licet ita loquamur. Nec enim ita iniustus Deus est, ut oblitus sit opus uestrũ, laboremque charitatis, quã exeruistis in eius nomen, dum sanctis & ministrastis & ministratis: uerùm optamus, ut uestrûm quisque idẽ studiũ, [C] ad spei plenitudinẽ præstet ad extremũ, ne sitis ignaui, sed eorũ imitatores, qui per fidem & patientiã obtinẽt promissa. Nam Abrahamo pro[Gen. 22. c]mittens Deus, cum per nullum maiorẽ iurare posset, iurauit per seipsum, dicens: Ni ego te felicitabo

licitabo atq; amplificabo. Atq; ita, cum ille patiens fuisset, promissum consecutus est. Homines enim per maiorem iurāt, eisq; omniū controuersiarū finis est iusiurandū, ad rem confirmandam. Itaq; uolens uehemētius demonstrare Deus, [a] hæredibus promisi, immutabilitatē sui consilij, iusiurandū interposuit, ut per duas immutabiles res, (in quibus ut Deus mētiatur fieri non potest) ualidam consolationē habeamus, qui ad tenendā spem propositam confugimus, quā uelut ancorā habemus animi tutam atq; firmā, & intra siparium intrantē, quò præcursor pro nobis intrauit Iesus, ad Melchisedechi rationem pontifex factus in sempiternum.

a. promissæ felicitatis. D

CAPVT VII.

IS enim Melchisedechus Solymæ rex, summi Dei sacerdos, qui Abrahamo à regum cæde redeunti occurrit, eumq; faustis ominibus prosecutus est, cui etiam decumas omnium dedit Abrahamus: qui Melchisedechus primū iustitiæ regem sonat: deinde Solymę rex, hoc est pacis rex, sine patre, sine matre, sine maioribus, nec æui principium, nec uitæ finem habens, ac Dei filio consimilis, manet sacerdos in perpetuum. Videtis autem quantus sit hic, cui etiam decumas dederit Abrahamus ex manubijs, summus ille pater. Et quidē q à Leui genus ducentes sacerdotiū ineunt, in mandatis habent, ut populum ex lege decimēt: hoc est, suos consanguineos, quamuis ex Abrahami lumbis egressos. Is uerò qui ad idem cum eis genus non refertur, Abrahamū decimauit, & habentē promissa prosecutus est faustitate. Iam uerò sine ulla cōtrouersia, minori à præstantiore impertitur faustitas. & hic quidē decumas morituri homines accipiūt: at illic, is quē uiuere traditur. Atq; ut ita dicam, in Abrahamo etiam Leuis, qui decumas accipit, decimatus est. Adhuc eīm in patris lumbis erat, cum illi Melchisedechus occurrit. Quod si in Leuitico sacerdotio sita foret perfectio (nam sub eo sacerdotio lata lex est populo) quid iam opus esset ad rationē Melchisedechi alium existere sacerdotē dici, ac nō ad Aharonis rationē? Transferendo enim sacerdotio, etiam legis translatio fiat necesse est. Nam de quo hæc dicunť, is aliæ tribus est, ex qua nullus [a] astat aræ. Perspicuū est eīm, à Iuda exortū esse Dominū nostrum: ad quam tribum quòd pertineret, nihil de sacerdotio locutus est Moses. Atq; id eo etiam magis manifestū est, si ad Melchisedechi similitudinem existit sacerdos alius, qui non ex humani præcepti lege factus sit, sed ex ui indissolubilis uitæ. Sic enim testatur, Tu es sacerdos in æternum, ad rationem Melchisedechi. Fit eīm præcepti superioris abrogatiò, propter eius infirmitatē & inutilitatem. quandoquidem nihil perfecit lex, sed [b] adiectio melioris spei, per quam ad Deum accedimus: melioris inquam, quatenus non abest iusiurandū. Nam illi sine iureiurando facti sunt sacerdotes: hic uerò cum iureiurādo, per eum qui de eo sic dicit: Iurat Dominus non mutaturus sententiam, Tu sacerdos es in ęternum ad rationē Melchisedechi. tanto præstantioris testamenti sponsor fuit Iesus. Et illi quidem plures fuere sacerdotes, quòd morte prohiberentur permanere. At hic quia durat in sempiternū, nunquā transiturum habet sacerdotium: & iccirco planè seruare potest eos, qui per ipsum Deum adeant, quippe qui semper uiuat ad supplicandum pro eis. Talis enim nobis cōueniebat pōtifex, pius, uitij expers, intemeratus, à sontib. alienus, cœlisq; sublimior factus, qui non habet quotidie necesse, sicuti pontifices, prius pro suis peccatis uictimas libare, deinde pro populi. Hoc enim semel fecit, dum seipsum libauit. Lex enim homines constituit pontifices, imbecillitate præditos: at iurisiurandi legem secuti sermo, filium in perpetuitatem perfectum.

B

Iosu. 4. a

a. sacerdotio fungit.

C

Psal. 109. c

b. sacerdotiū Melchisedechianū perficit hominem.

D

CAPVT VIII.

HVius autem orationis summa est, quòd eiusmodi habemus pontificem, qui consedit ad dexteram solij maiestatis, in cœlis, sanctuarij sacrificus, & ueri tabernaculi, quod fixit Dominus, non homo. Omnis enim pōtifex ob munera uictimasq; libandas constituitur: ideoq; necesse est, ut hic quoque aliquid habeat, quod libet. Nam si foret in terris, ne sacerdos quidem esset, quum sint sacerdotes qui ex lege munera obmoueant, qui quidem [a] cœlestium exemplo & umbra ceremonijs operantur, quemadmodum oraculo monitus est Moses, absoluturus tabernaculum. Vide, inquit, ut omnia facias ad exemplum tibi in monte demonstratū. Nunc hic tanto præstantius sortitus est munus, quanto melioris est testamenti sequester, quod melioribus adhibitis promissis compositum est. Si enim primum illud uitio careret, non quæreretur secundi locus. Atqui ille eos accusans sic loquitur: Futurum est (inquit Dominus) ut faciam cum Israëlis Iudæq; domo nouum testamentum, nō quale testamentū feci cum eorum maioribus, tum cum eos manu prehensos ex Aegypto eduxi. Nam illi in meo testamēto nō manserunt, & ego eos neglexi, inquit Dominus. Sed hoc est testamentū quod cum Israëlis domo faciam post illud tempus, inquit Dominus: Indam meas leges in eorum mentes, inq; eorum animos eas inscribam, & ego eis Deus, & ipsi mihi populus erūt. Neq; iam inter sese & alij alios Dominū cognoscere docebunt: nam omnes ab eorū minimo ad maximū me cognoscent: quoniā eorū uitijs ueniā dabo, nec eorū peccata & scelera deinceps recordabor. Dum nouum dixit, prius antiquauit. Quod autē antiquatur ac senescit, id est prope interitum.

Supra. 4. d

B

a. eorū cultus exemplum & umbra est rerū cœlestium.

Exod. 25. d

Actor. 7. f

C

Iere. 1. e

Apoc. 21. b

D

Ierem. 31. f

CAPVT IX.

HAbebat autem prius testamentum institūta ceremoniarum, [a] mundanumq; sacrarium. Fuit enim cōditum primū tabernaculū, in quo erat candelabrum, & mēsa, & appositio panum, quæ sacra dicitur. Post secundū uelum erat tabernaculū, quod sacrariū sanctius appellatur, auream habens aram suffitoriā, & arcam

a. humanā & terrestre.

Exod. 26. a & 36. a

testamenti, undiq; tectam auro: in qua erat ur-
na aurea, habens manna, & Aharonis uirga,
Num. 17.b quæ germinauerat, testamentiq; tabulæ. Super
eam erant splendidi Cherubi, propitiatorium
inumbrantes, de quibus non est nunc dicendũ
B singulatim. His autem ita cõpositis, in primum
tabernaculum semper ingrediuntur sacerdo-
tes, ceremonias obeuntes: at in secundũ semel
in anno solus pontifex, non absque sanguine,
quem & pro seipso, & pro populi impruden-
ter cõmissis libat: hoc declarante sancto spiri-
tu, nondum patefactam esse sacrarij uiam, ad
huc priore tabernaculo statum habente: quæ
eiusmodi res erat, ut præsens in tempus aliam
rem indicaret, quo tempore munera & hostiæ
libarentur, quæ immolatorẽ, quod ad conscien
tiam attinet, perficere non possent, posita tantũ
C in cibis & potionibus, diuersisq; lotionibus, &
humanis institutis, usque ad correctionis tem-
pus. At Christus aduenit, futurorũ bonorũ põ-
1.Pet.1.d tifex, qui per maius perfectiusq; tabernaculũ,
1.Iohã.1.c non manufactum, hoc est non huius structuræ,
Apoc.1.b neq; per hircorũ & uitulorũ sanguinẽ, sed per
suum ipsius sanguinẽ, ingressus est semel in sa-
D crarium, æternã liberationem adeptus. Si enim
taurorum & hircorũ sanguis, iuuencæq; cinis,
pollutos aspergens, lustrat ad corporis purita-
tem: quanto magis Christi sanguis, qui per æ-
ternũ spiritum seipsum libauit innocentissimũ
Deo, purgauit nostram cõscientiam à mortuis
operibus, ut uiuentem colamus Deum? Atque
ideo noui testamenti sequester est, ut mortis in
teruentu ad expiationem cõmissorum in pri-
mum testamentum, uocati consequantur pro-
missam hæreditatem sempiternã. Nam ubi est
E testamentũ, testatoris mortem consequi neces-
Gal. 3.b se est. Testamẽtum enim post mortem ratũ est:
siquidem nõdum ualet, dum uiuit testator. Ita-
que ne primum quidem sine sanguine sancitũ
est. Effatus enim omnia mandata ex lege Mo-
ses uniuerso populo, sumpto uitulorum & hir-
corũ sanguine, cũ aqua et lana coccina ac hysso
po, ipsum librum & uniuersum populum con-
Exod.24.b spersit, dicens: Hic est sangnis testamenti, quod
ad uos mandauit Deus. Tabernaculũ quoq;, et
omnẽ ceremoniarum supellectilem sanguine
F similiter omnia conspersit. Et ferè sanguine o-
mnia ex lege purgãtur, nec absq; sanguinis fu-
b. rerũ spiritualium. sione datur uenia. Necesse est ergo, [b] cœlestiũ
exempla hisce purgari: ipsa autem cœlestia po-
tioribus sacrificijs, quàm sunt hæc. Non enim
in manufactum sacrarium ingressus est Iesus,
quod ueri sacrarij exemplar foret: sed in ipsum
cœlum, ut nunc Deo coràm appareat pro no-
bis. Neq; ut sæpe seipsum libaret, quemadmo-
dum pontifex ingreditur sacrariũ quotannis,
adhibito sanguine alieno: alioquin fuisset ei sæ-
G pe patiendum suppliciumab orbe cõdito. Nũc
semel sub seculorum exitu, ad obliterãdũ suo sa
crificio peccatũ, extitit. Ac quomodo homini-
bus semel moriendum est, deinde subeundum
iudicium: ita Christus semel ad multorum tol-
lenda peccata libatus, iterum sine peccato con Rom. 5.
spicietur expectantibus se ad salutem. 1.Pet.3

CAPUT X.

Umbram enim habens lex futurorum bo-
norum, non ipsam rerum repræsentatio-
nem, anniuersarijs ijsdem sacrificijs, quæ iugi-
ter fiunt, nunq; potest accedentes pficere. Alio
quin nonne fieri desiissent, quòd semel purga-
ti immolatores, nullius iam sibi peccati essent
conscij? Atqui per ea fit quotãnis peccatorum
cõmemoratio. Fieri enim non potest, ut tauro-
rum caprorumq; sanguis peccata tollat. Itaq; in
mundum ingrediens dicit: Sacrificium & fertũ
tibi nõ placet, corpus autem perfecisti mihi: Vi Psal.40.b
ctimis & piaculis nõ delectaris. Tunc dixi: En B
adsum: in capite libri scriptum est de me, ut exe
quar Deus uoluntatem tuam. Cũ superius di-
xisset, sacrificium, & fertum, & uictimas, & pia
cula ei non placere, nec accepta esse quæ ex le-
ge fiunt, deinde dicit: En adsum, ut exequar
Deus uolũtatem tuam. Tollit prius, ut alterum
statuat: in qua uoluntate semel lustrati sumus
per corporis Iesu Christi libationem. Cúmque
omnis sacerdos pergat quotidie ceremonijs fũ C
gi, & eadem sæpe sacrificia facere, quæ peccata
adimere nunquam possunt: ille uno pro pecca
tis functus in perpetuum sacrificio, consedit ad
Dei dexteram, deinceps expectans, donec eius Psal.109.a
hostes fiant eius pedum subselliũ. Uno enim li-
bamento perfecit in perpetuum lustrandos, id
quod nobis testatur etiam spiritus sanctus, qui
ita prædixerit: Hoc est testamentũ, quod cum
eis faciam post illud tempus, inquit Dominus:
Indam meas leges in eorũ mentes, inq; eorum Ier.31.f
animos inscribam, nec eorum peccata & scele Suprà 8.c
ra deinceps recordabor. Ubi autem est pecca- D
torũ uenia, nulla superest pro peccato libatio.
Quamobrem, fratres, cum ad sacrarium aditũ
habeamus liberum, per Iesu sanguinem, quam
uiam nobis lustrauit recentem atq; uiuam, per
uelum, hoc est per suum corpus: cumq; pontifi-
cẽ habeamus, Dei domui præfectum, acceda-
mus cum uero animo, plenaq; fide, & animis à
mala consciẽtia ablutis, & corporibus aqua pu E
ra lotis, [a] teneamus spei professionem immobi a. speremus firmissime felicitatẽ, quam nos sperare profitemur.
lem (fidelis enim est qui promisit) & uideamus
ut alij alios ad charitatẽ & rectè facta prouoce-
mus: neue nostram consociationẽ deseramus,
ut solent nonnulli: sed cohortemur, idq; eo ma
gis, quòd uidetis instare diẽ. Nam si, postq; ue Suprà 6.a
ri cognitionẽ assecuti sumus, data opera pecca-
mus: non iam superest ullum pro peccatis sacri
ficium, sed horrenda quædam expectatio iudi-
cij, ignisq; sæuitia aduersarios consecturi. Si qs Deut.17.b
cõtra Mosaicã legẽ cõmisit, is citra ullam miseri Matth.18.b
cordiam, ex duorũ triũ ue testimonio morit: 2.Cor.13.a
quãto grauiore putatis afficiendũ pœna, q Dei
filium proculcauerit, testamẽtiq; sanguinẽ, per
quẽ lustratus est, p profano habuerit, & gratiæ
spiritũ affecerit contumelia? Scimus enim quis
dixerit: Mea est ultio, ego repẽdam, inqt Domi Deut.32.e
nus. Item: Dominus uindicabit suum populũ.

Horribile

Horribile est in uiuentis Dei manus incidere. Recordamini uerò superiora tempora, in quibus collustrati magnum aduersorũ certamẽ sustinuistis, partim dum ipsi per cõtumelias & calamitates ostentui fuistis: partim dum socij fuistis eorũ, cum quibus sic actũ est. Nam & meorum uinculorũ uicem doluistis, & facultatũ uestrarũ direptionẽ cum lætitia tulistis, intelligentes habere uos penes uosipsos meliores opes in cœlis, & durabiles. Quapropter nolite uestram projcere confidentiã, quæ magnum est habitura præmium. Nam patientia uobis opus est, ut Dei uoluntatem executi, promissa reportetis.

Abac. 1. a Rom. 1. b Galat. 3. b

Etenim per paulo pòst qui uenturus est, ueniet, neq; tardabit. Iustus autem fide uiuet: quòd si se subtraxerit, non est acceptus animo meo. Nos uerò nõ ij sumus, qui nos subtrahamus, ad perniciem: sed qui fidamus, ad uitã cõparandam.

CAPVT XI.

Gene. 1. a. 4. a

EST autem fides speratorũ subiectio, rerum demonstratio quæ non cernuntur: atq; in ea explorati sunt antiq. Fide intelligimus mundum esse Dei iussu conditum, ita ut ex ijs quæ non extabant, facta sint ea quæ cernuntur. Fide præstātiorem rem diuinã facit Abel, quàm Cainus, Deo: per quam eum iustum esse testatum est, eius muneribus testimoniũ dāte Deo: & per eandem [a] mortuus adhuc loquitur.

Gen. 5. c Sap. 4. b Eccl. 44. c

Fide Enochus ita translatus est, ut mortem passus non sit: & à Deo translatus, nusquam extitit. Nam ante eius trãslationem, testatum est eum placuisse Deo: cui ut sine fide placeat, fieri non potest. Credendũ est enim ei, qui ad Deum accedat, Deum esse, & sui studiosis prēmia rependere.

a. cum eius sanguis ad Deum conqueri dicitur, Ge. 4 vide infrà cap. 12.

B Fide admonitus oraculo Noa de rebus, quæ nondum cernebantur, ueritus Deum, extruxit arcam ad suæ familiæ salutem, per quam damnauit mundum, & positã in fide iustitiam obtinuit.

Gene. 6. b Eccles. 44. c Gen. 12. a. 13. a

Fide uocatus Abrahamus obediuit, in locum proficiscendo, quẽ hæreditate obtenturus erat: & profectus est, nesciens quò uaderet. Fide migrauit in promissam terram, ut alienam, & in tabernaculis habitauit, cum Isaaco et Iacobo, eiusdẽ cum eo promissi cohæredibus.

C Expectabat enim fundamenta habentẽ urbem cuius artifex opifexq; Deus est.

Gen. 21. a

Fide ipsa quoq; Sara uires ad iactum seminis accepit, præterq; tempus ætatis peperit, quandoquidem fidum existimauit promissorem. Itaque ex uno, eoq; emortuo, tam multi nati sunt, quantus est cœlestium stellarum numerus, aut arenæ marini littoris, quæ est innumerabilis. Fide prædi'i, mortui sunt omnes hi, non adepti promissa, sed ea procul conspicati crediderunt, et amplexi sunt, seq; in terra hospites & peregrinos esse confessi. Qui enim dicunt [b] talia, patriam se requirere declarant. Quòd si eam recordarent̃ ex qua profecti sunt, haberent reuertendi tẽpus. Nunc potiorem desiderant, hoc est cœlestem. Itaque

b. se esse peregrinos.

D Deum non pudet eorum, quo minus eorum Deus appelletur: quippe quibus urbẽ parauerit.

Genes. 22. a Eccles. 44. d

Fide libauit Abrahamus Isaacum, cum tentaretur: unigenitum obtulit, is cui illa promissa fuerant, cui dictum fuerat, eius progeniem ab Isaaco denominatum iri: cogitans Deum uel ex mortuis excitare posse: unde eum uidetur quodam modo recepisse. Fide in futurum fausta precatus est Isaacus Iacobo & Esao. Fide Iacobus moriens, utrique filio Iosephi bene precatus, & Iosephi uirgæ caput ueneratus est.

Gen. 27. d 48. c. 49. a 50. d

Fide Iosephus decedens, Israëlitarum exitum memorauit, deq; suis ossibus mandata dedit. Fide Moses natus tres menses à parentibus occultatus est, qui puerum elegantem uidentes, [c] regis edictum ueriti non sint.

E

c. regi non paruerint. Exod. 2. a

Fide Moses postquam adoleuit, filiæ Pharaonis filius dici recusauit, maluitq; cum diuino populo mala pati, quàm breuem habere peccati fruitionem: maiores diuitias esse ratus [d] Christi probrũ, quàm Aegypti thesauros, utpote qui præmium spectaret. Fide reliquit Aegyptum, non ueritus regis iram: tanquam enim [e] inaspectabilem aspiceret, sic durauit.

d. pro Christo patiendum.

e. Deum.

Fide Pascha sanguinisq; fusionem fecit, ne primogenitorum interfector illos tangeret. Fide item illi mare rubrum tanquam terra sicca traiecerunt, quod experti Aegyptij, exhausti sunt.

Exo. 12. d 14. e

F Fide Hierichuntis mœnia collapsa sunt, per septem dies circundata.

Ios. 5. c

Fide Rachaba meretrix nõ perijt unà cum diffidentibus, quæ exploratores amicè accepisset.

Ios. 2. 6. a. d

Denique quid multis? deficiet me tempus narrantem de Gedeone, Baraco, Sampsone, Iephtha, Dauide, Samuele, & uatibus, qui per fidem regna expugnauerunt, iustitia functi sunt, adepti sunt promissa, obthurarunt fauces leonum, uim ignis extinxerunt, gladiorum mucrones effugerunt, conualuerunt ex morbis, fortes in bellis fuerunt, agmina uerterunt hostium, receperunt fœminæ reuocatos in uitam suos mortuos.

Iud. 4. 9. 11. 13. Dan. 3. 14. G

Alij autem cruciati sunt, neque se liberari siuerunt, quo [f] meliorem assequerentur resurrectionem. Alij ludibria, & scuticas, itemq; uincula & custodias experti sunt, lapidati, secti, tentati sunt, gladij cæde interierunt, ouinas caprinasq; pelles gestarunt, egentes, calamitosi, ærumnosi, quibus dignus non erat mundus, per deserta & montes antraq; & terræ specus errantes. Atque hi omnes fide explorati, non obtinuerunt promissum, Deo de nobis quiddam melius prouidente, ne illi sine nobis perfecti redderentur.

3. Re. 17. 19

f. quæ melior esset, quàm illa liberatio.

2. Para. 24 4. Reg. 1.

CAPVT XII.

Ephes. 4. f. Coloss. 3. b 1. Pet. 2. a

PRoinde nos quoq; tanto circumsepti nimbo testium, deposito omni fastu, tenaciq; peccato, patienter decurramus propositum nobis certamen, spectantes in fidei ducem perfectoremq; Iesum, qui pro lætitia sibi proposita, sustinuit cõtempto pudore crucem, et ad dexteram solij Dei cõsedit. Considerate uerò eũ, qui tantos ptulit improborũ aduersum se insultus, ne defatigati animos despondeatis. Nondum usq; ad sanguinẽ restitistis, aduersus peccatum decertantes, & obliti estis cohortationis, quæ uos ceu filios alloquitur: Fili mi, ne contemne

B

Domini

Prouer.3.b Act.3.d

Domini castigationem neue desponde, eo te corrigente. Quem enim amat Dominus, castigat: & uerberat, quemcunq; filium acceptum habet. Si castigationem sustinetis, ut filijs uobis utitur Deus. Quis est enim filius quem non castiget pater? Quòd si castigationis expertes estis, cuius participes fuerunt omnes, ergo spurij estis, nō ueri liberi. Ergò ne cum corporum nostrorum patres haberemus castigatores, reuerebamur? non multo magis parebimus spirituum patri, ut uiuamus? Nam illi ad tempus exiguum, prout eis uidebatur, castigabant: hic uerò ad utilitatem, quò eius sanctitatem participemus. Omnis quidem castigatio in præsentia non uoluptatis, sed doloris esse cernitur: uerùm tandem salutarem iustitiæ fructum reddit ijs, qui per eam sunt exercitati. Quocirca remissas manus dissolutasq; genua porrigite, & rectas pedibus istis orbitas imprimite, ne claudū quod est, cōtorqueatur, sed potius sanetur. Pacem cum omnibus persequimini & sanctimoniam, sine qua nemo Dominum uidebit: dispicientes, ne quis Dei fauore careat, ne qua radix acerbitatis sursum pullulans, noceat, per eamq; multi contaminentur, ne quis sit impudicus, aut profanus, ut Esaus, qui pro uno cibatu ætatis suæ prærogatiuā addixit. Scitis enim, cum postea felicitatem obtinere uellet, repudiatum fuisse, [a] neq; pœnitentiæ locum inuenisse, tametsi felicitatem cum lachrymis requisierit. Non enim accessistis ad [b] palpandum montem, ardentemq; ignem, & caliginem, & tenebras, & procellam, tubæq; sonitū, & illam uerborum uocem, quam qui audiuerant, orarunt ne sibi plura uerba fierent. Non ferebant enim præceptū illud: Etiam bestia si montem tetigerit, lapidetur, aut missilibus configatur: cum adeò horribile foret illud spectaculum, ut se Moses ipse præ timore tremere dixerit. Verùm accessistis ad Sionem montem, & Dei uiuentis urbem, Hierosolymam cœlestem, angelorum legiones, cōuentum cœtumq; primogenitorum in cœlis cōscriptorum, & iudicem Deum omnium, & ad spiritus iustorum perfectorum, & noui fœderis sequestrum Iesum, & lustralem sanguinem, meliora loquentē quàm sanguis Abelis. Videte ne loquentem repudietis. Nam si illi non effugerunt, qui oracula dantem in terris detrectarūt: multo magis nos non effugiemus, si cœlestem auersamur, qui & tum sua uoce terram concussit, & nunc ita denunciauit: Adhuc semel ego cōmouebo nō solum terram, uerùm etiam cœlū. Hoc uerbum, Adhuc semel, concutiendorum mutationem declarat: quippe conditorum, quò maneant non concutienda. Proinde regnum capessentes inconcussum, [c] habeamus gratiam, per quam ita reuerenter & religiose Deum colamus, ut ei simus accepti. Est em̄ Deus noster [d] ignis edax.

Rom.12.d — Gen.25.d — a. nihil ei profuisse pœnitentiam. — Ibid.27f — b. tam densis tenebris obductum, ut tactu, nō uisu adeundus esset. — Exo.20.c. 19.b — Agge.2.b — c. scilicet Deo. — Deut.5.d — d. ideoq; religiose & solicite colendus. — Rom.12.c — 1.Pet.4.b

CAPVT XIII.

DVret fraternus amor. Hospitalitatē obliuioni ne mandate: per hanc enim nonnulli insciēter āgelos hospitio acceperunt. Mementote uinctorum, perinde ac si essetis ipsi simul uincti: & calamitosorum, [a] ut qui sitis ipsi quoq; in corpore. Honestū esto matrimonium in omnibus, intemeratusq; lectus. Impudicos uerò & adulteros puniet Deus. Moribus este à pecuniæ studio alienis, cōtenti ijs quæ adsunt. Dixit enim ille: Non deseram te, neq; derelinquam. adeò ut nobis confidenter dicere liceat: Dominus mihi defensor est, non metuam ne quid mihi faciat homines. Mementote eorum B qui uobis præsunt, qui uobis diuinam exposuere doctrinam, quorum intuentes [b] euentum morum imitamini fidem. [c] Iesus Christus & heri, & hodie, & idem est in sempiternum: uarijs peregrinisq; doctrinis nolite ferri. Præclarum uerò est gratiarum actione firmari animum, non cibis, quibus nihil adiuti sunt *qui eis* uixerunt. Habemus aram, ex qua cibū capiendi potestatem non habent qui tabernaculo seruiunt. Quorum enim piaculorum sanguis in sacrarium infertur à pontifice, eorum corpora cremantur extra castra. Itaq; Iesus, ut suo sanguine populum lustraret, extra portam supplicium pertulit. Proinde exeamus ad eum extra castra, eius dedecus ferentes. Non enim habemus hic durabilem urbem, sed futuram requirimus. Per eum igitur libemus assiduum laudationis sacrificium Deo, hoc est labiorum fructum, eius nomen celebrantiū. Beneficentiam autem & liberalitatem obliuisci nolite: talibus enim sacrificijs propitiatur Deus. Parēte uerò gubernatoribus uestris, & obsequimini (nam ij pro animis uestris uigilant, ut rationem reddituri) ut id cum lætitia faciant, non gementes: nam id ē re uestra non esset. Orate pro nobis, qui nos bene nobis esse conscios confidimus, D præclarè nos in omnibus gerere uolentes. Ad id autem faciendum eo uehementius exhortor, ut celerius uobis restituar. Deus uerò pacis, qui ex mortuis reuocauit magnū illum ouium pastorem, per æterni testamenti sanguinē, Dominum nostrum Iesum, uos ritè componat in omnibus rectè factis, ad exequēdam suam uoluntatem, uobis, ut ei uisum fuerit, faciens, per Iesum Christum, cui gloria in omnem perennitatem: Amen. Quæso uos, fratres, boni consulite hunc exhortatorium sermonem: nam paucis scripsi uobis. Scitote fratrem Timotheū solutum esse: cum quo, si quamprimùm uenerit, uidebo uos. Salutate omnes rectores uestros, omnesq; sanctos. Salutant uos Italici. Adsit uobis omnibus gratia: Amen.

a. quod uobis eadem possūt usū uenire. — Psal.117.d — b. quales efficiatur eorū mores, quorum in causa sit fides. — c. ut Christus idē perpetuò manet, ita debetis eandē doctrinam perpetuò tenere. — Num.19.d — Mic.2.c

Missa ex Italia, per Timotheum.

Apocalypsis

APOCALYPSIS IOHANNIS THEOLOGI,

Hoc est, Patefactio.

CAPUT I.



a. oraculũ. IESU CHRISTI [a] patefactio, quam dedit ei Deus, ut seruis suis ostenderet quæ breui futura sunt, et misso angelo suo per eum significauit seruo suo Iohanni, qui Dei sermonem & Iesu Christi testimoniũ, ac quæcunq; uidit testatus est.
Infrà 22.b Felix q legit, quiq; oraculi dicta audiunt, & quæ in eo scripta sunt exequuntur: nam tempus instat.
Iohannes septẽ Asianis ecclesiis. Iohannes septem Asianis ecclesiis gratiam et pacem, ab eo qui est & qui fuit, & qui uenturus est: & à septem spiritibus, qui sunt ante eius soliũ: & à Iesu Christo,
B teste illo fideli, primogenito ex mortuis, & regum terræ principe.
Heb. 9.d Esa. 3.e Matt. 24.d Ei q nos amauit suoq; sanguine à peccatis abluit, & reges ac sacerdotes Deo & patri suo fecit, ei gloria & imperium in perpetua secula: Amen. Venturus est cum nubibus, eumq; cernet omnis oculus, & qui eum compunxerunt, deq; eo plangent omnes terrarum nationes. Etiã profectò.
Infrà 22.c Ego sum α & ω, principiũ & finis, inquit Dominus qui est, qui fuit, & qui uenturus est, Omnipotens. Ego Iohannes, qui & frater sum uester, & socius in calamitate, inq; regno & patiẽtia Iesu Christi, cũ in insula nomine Patmo, propter Dei sermonem, propterq; Iesu Christi testimoniũ essem,
C diuinitùs afflatus die Dominico, audiui post me magnam quasi tubæ uocem dicentis:
Infrà 4. Ego sum α & ω, primus, & ultimus. Tu quod cernis, scribe in libro, & mitte Asianis ecclesiis, Ephesum, & Smyrnã, & Pergamũ, & Thyatira, & Sardes, et Philadelphiã, et Laodiceam. Tum ego me cõuerti, ut uiderem quæ uox esset allocuta me. conuersusq; uidi septem aurea candelabra, & in medio septẽ candelabrorũ similem hominis filio indutum ueste talari, & ad mammas cinctũ aureo cingulo. Eius autem caput et
D crines erant albi, ut alba lana, aut nix: oculi ut ignis flamma: pedes chalcolibano similes, tanq;
Infrà 2.e 17.c in fornace igniti. Vox eius, qualis est aquarum multarũ uox. Habebat in sua manu dextera se-
Matth 17.a ptem stellas, exq; eius ore gladius anceps acutus prodibat. Eius aspectus erat, qualis micat
b. tum cum maximè splẽdet. b cum sua uirtute sol. Eum conspicatus ego, ad eius pedes penè mortuus cecidi. At ille dextera
Esa. 44.a sua manu mihi imposita dixit: Ne metue: ego sum primus & ultimus, q uiuo & fui mortuus, & iam sum uiuus in perpetua secula: Ita est: &
Esa. 22.f habeo Orci claues atq; mortis. Scribe quæ uideris, quæq; sunt, & quæ sunt posthac futura. [c] Arcanum septẽ stelarũ, quas in mea dextera uidisti, & septẽ aureorum candelabrorũ, est hoc: Septem stellæ, ãgeli sunt septẽ ecclesiarũ. Septem aũt candelabra, quæ uidisti, septẽ ecclesiæ sunt. c. id quod stellæ obscurè lucent.

CAPUT II.

EPhesinę ecclesię ãgelo sic scribito: Hæc dicit qui septẽ stellas sua dextera tenet, qui in medio septem aureorum candelabrorũ ambulat. Literæ ad Ephesinũ angelum.
Noui tua facta, laborem, & patiẽtiam utq; malos ferre nequeas: & eos exploraueris, qui se profitent apostolos, nec sunt: quos tu falsos deprehendisti, & tolerasti, patiẽtiaq; uteris, & propter meũ nomen laboras indefessus. Sed habeo de te quod expostulẽ, quòd charitatem tuam pristinam omisisti. Quamobrem memento unde excideris, & ad sanitatem redi, ac priora opera facito. B
Alioqn adoriar te breui, tuũq; candalabrum ex suo loco transmouebo, nisi ad sanitatem redieris. Luc. 13.a
Quanquam id habes, quod Nicolaitarum facta odisti, quæ ego quoq; odi. Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat ecclesiis: Victori dabo uesci arbore uitali, quæ in medio est diuini pomarij. Item angelo ecclesiæ Smyrnęorum scribito: Hæc dicit primus & ultimus, qui fuit mortuus, & reuixit. Ad Smyrneum.
Noui tua facta & calamitatem ac pauperiem (cum tamen diues sis) eorumq; impium dictum, qui se Iudæos esse dicunt, nec sunt, sed Satanæ caterua. C
Noli metuere quæ passurus es. Daturus est quidem Diabolus uestrũm nonnullos in custodiam, ut exploremini: feretisq; decem dierum afflictionem. Esto fidelis ad mortem usque, & tibi dabo uitæ coronam. Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat ecclesiis: Qui uicerit, D
non lædetur à secunda morte. Item Pergamensis ecclesiæ angelo scribito: Hæc dicit qui gladium habet ancipitem, acutum: Ad Pergamensem.
Noui tua facta, & ubi habites, ubi Satanæ solium est: tenesq; meum nomen, nec meam fidem negasti: meisq; temporibus Antipas, fidus ille testis meus, apud uos interfectus est, ubi Satanas habitat. Sed habeo contra te pauca, quod habes istic qui Balaami doctrinã teneant, qui propter Num. 24. a
Balacum docebat Israëlitis detrimentum afferre, quod immolata deastris uescerentur, ac scortarentur. Item habes tu idem qui Nicolaitarum doctrinam teneant, id quod ego odi. Corrige te: alioquin aggrediar te breui, & cum E
istis oris mei gladio depugnabo. Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat ecclesiis: Victori dabo occultò manna uesci: eiq; dabo calculum album, & in calculo nouum nomen scriptum, quod nullus nouit, nisi qui accipit.
Item angelo Thyatirensis ecclesię scribito: Hæc dicit Dei filius, qui oculos habet igneæ flammæ similes, cuiusq; pedes similes sunt chalcolibano: Ad Thyatirensem.
Noui tua facta, & charitatem, & administrationem, & fidem, & patientiam, & postrema plura prioribus. Sed habeo cõtra te pauca, quod mulierem Iesabelem, quæ se uatem esse dicit, docere sinis, seruósque meos decipi, & scortari, & deastris immolata uesci. F

Cui

Cui quum ego tempus dederim, quo ab impudicitia sua recederet, nō uult recedere. Ego uerò eam in lectum, & cum ea adulterātes in magnam calamitatem prosternam, nisi à suis operibus destiterint: eiusq; liberos morte mulctabo: & efficiam, ut intelligant omnes ecclesiæ, eum esse me qui renes & corda scruter, & uos pro suis quemq; factis remunerabor. G Vobis autem dico, reliquisq; Thyatirensibus, quotquot hanc disciplinam non habent, & qui Satanæ calliditates non norunt, ut aiunt: nō imponam uobis aliud onus: ac quod habetis, tenete, donec ueniam. Qui uerò uicerit, [a] operaq; mea ad extremum retinuerit, huic ego dabo in gentes eam potestatem, ut eos uirga ferrea pascat, quomodo fictilia uasa conteruntur, ut & ego à patre meo [b] accepi: eiq; stellam dabo matutinam. Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat ecclesiis.

Iere. 17.b *Psal. 7.c* — a. quæ ego iubeo fecerit. — *Psal. 2.c* *Infrà. 9.c* — b. scilicet potestatē in gentes.

CAPVT III.

Ad Sardensem.

ITem āgelo Sardensis ecclesiæ scribito: Hæc dicit qui septem Dei spiritus & septem stellas habet: Noui tua facta, qui cum uiuentis nomen habeas, mortuus es. Præsta te uigilantem, & cætera moritura confirma. Non enim inueni tua opera erga Deum officiosa. Reminiscere igitur, quomodo [a] acceperis audiuerisq;, & [b] serua, ad frugemq; redi. Quod nisi uigilaueris, adoriar te ut fur, neque scies qua te adoriar hora. Sed habes pauca [c] nomina etiam Sardis, quæ sua uestimenta non cōtaminarunt: ij mecum in albis uestib. ambulabunt, utpote digni. Qui uicerit, is albis induetur uestibus, nec eius B nomen ex libro uitæ delebo: & eius nomen coram meo patre, coramq; eius angelis, cōfitebor. Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat ecclesiis.

a. institutus fueris. — b. tene quā accepisti doctrinā. — *1. Thes. 5.a* *2. Pet. 3.c* — c. homines.

Ad Philadelphiensem. *Esa. 22.f* *Iob. 12.a*

Itē āgelo Philadelphiensis ecclesiæ scribito: Hæc dicit sanctus, uerus, qui Dauidis clauem habet, quo aperiente nullus claudit, claudente nullus aperit. Noui tua facta. Ego tibi apertam proposui portam, quam claudere nullus queat: quoniam exiguas uires habens, meis dictis paruisti, neq; meum nomē negasti. Ego cogam nōnullos ex Satanæ caterua, qui se Iudæos esse dicunt, nec sunt, sed mētiuntur: eos inquam, eò adigam, ut te ante pedes tuos ueneratum ueniant, teq; mihi charū esse intelligant, quoniam meum [d] patientiæ sermonē conseruasti: ego quoq; te aduersus tentationis horam conseruabo, euenturā toti orbi, quo tententur incolæ terrarum. Ego breui uenturus sum: C tene quod habes, ne quis tibi coronā præripiat. Qui uicerit, eum ego columnā faciam in templo Dei mei, quæ deinceps inde nō exibit: eiq; Dei mei nomen inscribam, & nomē urbis Dei mei, nouæ Hierosolymæ, de cœlo à Deo meo descēdentis, itemq; meū nomen nouum. Qui habet aurē, audiat quid spiritus dicat ecclesiis.

d. quo aduersa patiēda docui.

Ad Laodicensem.

Item āgelo Laodicensis ecclesiæ scribito: Hæc dicit, [e] Amen, testis fidus atque uerus, opificij Dei caput. Noui tua facta, q neq; frigidus sis, neq; feruidus. Vtinam aut frigidus esses, aut feruidus. Ergo quia tepidus es, neq; frigidus, neq; feruidus, euomam te ex ore meo: quoniā te diuitem ditatūq; esse dicis, nec ulla re indigere: D neq; scis te esse ærumnosum, & miserū, & pauperem, & cæcum, & nudum. Suadeo tibi, ut à me aurum igne candens emas, quò ditescas: & uestimenta candida, quo induare, ne appareat tuæ nuditatis obscœnitas: & collyrio illine tuos oculos, ut cernas. Ego quos amo, arguo & castigo. Quamobrem uehementior esto, teq; corrige. Equidē pro foribus asto, atq; pulso. Si quis audita uoce mea ianuā aperuerit, ingrediar ad eum, & cū eo cœnabo, & ipse mecū. Qui uicerit, ei dabo mecum in meo sedere solio, ut ego quoq; uictor cōsedi cū meo patre in eius solio. Qui habet aurē, audiat quid spūs dicat ecclesiis.

e. hoc est fidus atq; uerus, ut mox declarat. — *Pro. 3.b* *Heb. 12.b*

CAPVT IIII.

POstea animaduerti apertam in cœlo portam, uoxq; illa prima (quam perinde ac si mecum tuba loquerer, audiuerā) dixit: Ascende huc, & tibi ostendā quę posthac futura sunt. Hic ego continuò diuinitùs afflatus, uideo positum in cœlo solium, & in solio sedentē quendam. qui sedēs, aspectu similis erat iaspidi gem B mæ, & sardio. Solium circūdabat iris, aspectu smaragdum referens: idemq; solium circumstabant uigintiquatuor solia, in quibus solijs uidi sedentes uigintiquatuor senatores, uestibus indutos cādidis, qui in capitibus coronas habebant aureas. Ex solio prodibant fulgura, et tonitrua, & fragores, & septem faces igneæ, et ante solium ardentes, quæ sunt septem Dei spiritus. Ante solium erat mare uitreum, crystalli simile: & in medio solij, circumq; solium, quatuor animalia, oculis & à frōte & à tergo referta. Primum animal erat leoni simile: alterum animal C erat uitulo simile: tertium animal faciem habebat hominis: quartum animal simile erat aquilæ uolanti. Hæc quatuor animalia habebāt singula senas alas, per circuitū, & intus erant oculis referta. Ea sine ulla intermissione dies & noctes dicunt: SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS Dominus Deus armipotens, qui fuit, qui est, & qui uenturus est. D Cum autem tribuūt animalia gloriam, & honorem, & gratiarum actionem sedenti in solio, uiuenti in perennia secula: procumbunt uigintiquatuor senatores ante sedentem in solio, et adorant uiuentem in perennia secula, abijciuntq; suas coronas ante solium, dicentes: Dignus es, Domine, qui gloriam, & honorem, & potestatem accipias, quoniam tu omnia condidisti, eaq; tua uoluntate & sunt, & condita sunt.

Suprà 1.e — *Deus in solio sedens.* — *Quatuor animalia.*

CAPVT V.

Liber obsignatus.

ITem uidi ad sedentis in solio dexteram, librum intus & extra scriptum, septem sigillis obsignatum. uidiq; ualidū āgelum magna uoce pronunciātem: Quis dignus est qui librum aperiat, & eius sigilla resignet? Sed nullus nec in cœlo, nec in terra, nec sub terra, librum aperire aut inspicere poterat. Ego uerò multū plorare, quòd nullus inuentus esset dignus qui librum

brum aperiret, & legeret, aut inspiceret. Tum B senatorum quidam me alloquens: Ne plora, inquit: en uicit leo qui est ex tribu Iudæ, Dauidica stirps, qui librum aperiat, eiusq; septem sigilla reseret. Tum ego aspiciens, animaduerti in medio solij, & quatuor animalium, inq; medio senatorũ astantem agnum, tãquam mactatum, habẽtem septem cornua, septemq; oculos, qui sunt septem Dei spiritus in omnes dimissi terras.

Agnus mactatus. *Infrà 6.a*

Is uenit, accepitq; librum de dextera sedentis in solio. Postquam is librũ accepit, quatuor animalia, & uigintiquatuor senatores procidere C ante agnum, habentes singuli citharas, aureasq; phialas suffimentorum plenas, quæ sunt sanctorum supplicationes, nouũq; carmen canere, dicentes: Dignus es qui librum accipias, eiusq; sigilla reseluas, quoniam mactatus es, nosq; Deo sanguine tuo comparasti ex omni natione, lingua, populo, gẽte, nosq; fecisti Deo nostro reges & sacerdotes regnaturos in terris.

Infrà 7.d *Suprà 1.b* *Dan.7.c*

Deinde aspiciẽs audiui multorum angelorum uocem, circum solium, & animalium ac senatorum, quorum numerus erat distributus in millies centena millia, & decies centena millia, qui D magna uoce dicebant: Dignus est mactatus agnus qui potestatem accipiat, & diuitias, & sapientiam, & uim, & honorẽ, & gloriam, & laudem. Tum omnem rerum naturam, quæ & in cœlo est, & in terra, & sub terra, & in mari, hæc & quæ in eis sunt omnia audiui dicere: Sedenti in solio & agno laus, & honos, & gloria, & imperium in sempiterna secula. Et quatuor animalia dixerunt: Amen. Et uigintiquatuor senatores procubuerunt, & uiuentem in sempiterna secula, uenerati sunt.

CAPVT VI.

Deinde aspiciens, quum aperuisset agnus unum de septem sigillis, audiui unum de quatuor animalibus dicẽs, quasi uoce tonitrui: Veni spectatum.

Quatuor grassatores equites. *Suprà 5.b*

Ego aspiciens animaduerti equum album, cui qui insidebat, arcũ habebat, eiq; data corona est: isq; prodijt uincens, & ut uinceret. Deinde ubi sigillũ secundum aperuit, audiui secundum animal dicẽs: Veni spectatũ. Tum prodijt alius equus rufus, quem insidenti cõmissum est ut ex terris auferret pacem, ita ut alij alios necarent: eiq; datus est magnus gladius. Postq; tertium aperuit sigillum, audiui tertium animal dicens: Veni spectatum. Hic ego B aspicio nigrum equũ, cui qui insidebat, librã habebat in manu, audiuiq; uocẽ in medio quatuor animalium dicentẽ: Chœnix tritici denario, & tres chœnices hordei denario, & oleum & uinum ne læseris. Vbi quartum aperuit sigillum, audiui uocem quarti animalis dicentem: Veni spectatum, animaduertiq; pallidũ equũ, cui qui insidebat, nomen habet Mors, quam simul comitatur Orcus. His data potestas est interficiendi ad quartam partem terræ, gladio, fame, letho, ferisq; terrestribus. Deinde ubi quintum E aperuit sigillum, uidi sub ara animas necatorum propter Dei sermonem, propterq; testimonium quod habebant, qui ingenti uoce sic clamabãt: Quousq; tandem, ô Domine sancte atq; uere, nõ ulcisceris ac uindicas sanguinem nostrum de terræ incolis?

Infrà 19.a

Sed eis singulis datæ sunt albæ stolæ, eisq; dictum est ut quiescerent adhuc paulisper, donec plenus esset numerus etiam conseruorum eorũ atq; fratrum, qui interficiendi essent, ut & ipsi. Deinde aspiciente me, ubi sextum sigillũ aperuit, extitit magnus terræmotus: factusq; est sol tam ater, quàm est saccus cilicinus: & luna facta est sanguinea, & cœli stellæ ceciderunt ad terram, sicut ficus abijcit suas grossos, cum uehementi uento quatitur: & cœlum recessit, perinde ac si scheda conuoluatur: omnesq; & montes & insulæ ex suis locis motæ sunt. & terrarum reges, & summates, & diuites, & tribuni, & potentes, & omnes tum serui, tum liberi, seipsos in specus rupesq; montium abdere, & montibus rupibusq; dicere: Obruite nos, & abdite ex conspectu sedentis in solio, & ab ira agni, quoniã uenit magna dies eius iræ, quam quis possit subsistere?

Sextum sigillum aperitur. D *Matt.27.f* *Esa.2.d* *Ose.10.c* *Luc.23.c*

CAPVT VII.

Postea uidi quatuor angelos, stantes ad quatuor terræ angulos, tenentes quatuor terræ uentos, ne uentus terrã, aut mare, aut ullam arborem afflaret. Item uidi alium angelum ab ortu solis ascendẽtem, habẽtem uiuentis Dei sigillum, qui ad quatuor angelos (quibus ut terrã & mare læderent, commissum erat) magna uoce clamauit his uerbis: Ne læditote terram, nec mare, nec arbores, donec Dei nostri seruos in eorum frontibus consignemus.

Infrà 9.c

Audiui autem consignatorum numerũ, qui consignati erant centum quadragintaquatuor millia, ex omnibus Israëlitarum tribubus.

Consignatorum numerus.

Ex tribu Iudæ consignata erãt duodecim millia. Ex Rubenis, duodecim millia. Ex Gadi, duodecim millia. Ex A B seris, duodecim millia. Ex Nephthalis, duodecim millia. Ex Manasis, duodecim millia. Ex Simeonis, duodecim millia. Ex Leuis, duodecim millia. Ex Issacharis, duodecim millia. Ex Zabulonis, duodecim millia. Ex Iosephi, duodecim millia. Ex Beniaminis, duodecim millia. Postea animaduerti tantam turbam, ut eam numerare nullus posset, ex omnibus gentibus, C nationibus, populis, & linguis, qui ante solium & agnũ stabant, stolis amicti candidis, palmas gestantes in manibus, & magna uoce clamantes in hunc modum: Salus sedenti in solio Dei nostri, & agno. Omnes autem angeli, solium senatoresq; & quatuor animalia circumstantes, procubuerunt ante solium proni, Deumq; uenerati sunt, dicẽtes: Amen. Faustitas, & gloria, & sapientia, & gratiarũ actio, & honos, & potentia, & uires, Deo nostro in perpetua secula: Amen. Tum unus de senatoribus sic me affatus est: Hi stolis albis amicti quinam sunt, & unde uenerunt? Cui ego: Domine, tute scis. Et ille: Hi sunt, inquit, qui ex magna calamitate ueniunt, D stolasq; suas agni sanguine perluerũt ac dealbarunt: propterea sunt ante Dei soliũ, eiq;

Suprà 3.b

dies & noctes in eius templo colũt, apud eosq; deget is qui sedet in solio. Nõ amplius esuriẽt, nec amplius sitient, nec eos sol aut ullus æstus feriet: quoniã agnus, qui est inter solium, pascet eos, & ad uiuos aquæ fontes ducet, abstergetq; *Esa.25.c Infrà 21.a* Deus ex eorum oculis omnem lachrymam.

CAPVT VIII.

Septimũ sigillum aperitur. VT autem septimũ aperuit sigillum, extitit in cœlo silentium ferè dimidiam horã: uidiq; septem angelos, qui in Dei conspectu astiterant, quibus septem tubæ datæ sunt. Alius itẽ angelus uenit, & ad aram constitit, thuribulum habens aureum, eiq; data sunt multa suffimenta, ut sanctorum omnium supplicationes ad aureã arã ante soliũ positam obmoueret. ascẽditq; fumus suffimentorum supplicationũ sanctorũ, ex angeli manu in Dei cõspectũ. Deinde sum- B psit angelus thuribulũ, & altaris igne repleuit, ad terramq; deiecit: & extiterunt fragores, & tonitrua, & fulgura, & terræmotus. Itemq; septẽ angeli, qui septem tubas habebant, sese ad clan- *Angeli clangunt.* gendum pararunt. Cumq; primus angelus clãxisset, *Primus.* extitit grando & ignis permixta sanguini: quibus ad terram deiectis, tertia pars arborũ combusta est, & omnes uirentes herbæ conflagrarunt. *Secundus.* Deinde ubi secundus clanxit angelus C quidam quasi mons ingens, igni flagrãs, in mare deiectus est, conuersaq; est pars tertia maris in sanguinem: & mortua est tertia pars rerum quæ in mari animatę sunt, tertiaq; nauium pars corrupta. *Tertius.* Vt tertius clanxit angelus, cecidit de cœlo magna stella, facis in morem ardens, qua in tertiam fluuiorũ partem, & in aquarum fontes delapsa (est autem stellæ nomen Absinthium) conuersa est tertia pars in Absinthium, multiq; hominũ ab aquis interierũt, quòd amaræ factæ essent. *Quartus.* Ad quarti angeli clangorẽ icta D est solis tertia pars, & lunę tertia pars, & stellarũ tertia pars, adeò ut offuscata eorũ parte tertia, dies tertia parte sui non luceret, itidemq; nox. Tum aspiciens audiui quendam angelũ uolantem per mediũ cœli, magna uoce dicentẽ: Væ, uæ, uæ, terræ habitatoribus, à reliquis turbarũ sonis trium angelorum, qui iam clangent.

CAPVT IX.

Quintus. TVm ubi clãxit quintus angelus, uidi stellã de cœlo delapsam ad terram, cui data clauis *Infrà 14.c 19.d* est putei Tartari: qua postquã Tartareũ puteũ aperuit, exhalauit ex puteo talis fumus, qualis est magnæ fornacis, quo putei fumo, sol est & aer obscuratus. *Locustæ.* Ex eo fumo prodierunt in terram locustę, quibus talis est data uis, qualem habent terrestres scorpij: eisq; præceptũ est, ne terrestres herbas lęderent, néue ullam uiriditatem ullám ue arborem, sed solos homines, qui Dei signum in frontibus suis non haberent. Est autem mandatum eis, ne eos interficerent, sed ut B quinq; menses cruciarẽtur: ita ut essent eorum *Esa.2.d* cruciatus, qualis scorpij cruciatus est, cum ho- *Ose.10.c* minem punxit. Atq; illa tempestate quærẽt ho- *Lucæ 23.e* mines mortem, nec inuenient: cupientq; mori, *Sap.16.b* & eos fugiet mors. Erat autem locustarum ea species, ut similes essent equis ad prælium paratis: erantq; in earum capitibus quædã quasi coronæ, auri similes. Vultus erant, ut uultus hominum: capillos habebant muliebrium similes: dentes erant quales sunt leonum. Habebant & loricas, cuiusmodi sunt ferreæ loricæ: eratq; earum alarũ sonitus qualis est curruum sonitus multorum equorum, ad pugnam currentium. Caudas habebant scorpiorum similes & in caudis erãt aculei. Earum potestas est, homines lædere per quinq; menses: habentq; sibi præfectum regem, angelum Tartari, cui nomẽ est hebraicè [a] Abbadon. Græco autem sermone Apollyon. *a. perditor.* Vna miseria præterijt, uenturæ sunt adhuc posthac duæ miseriæ. Deinde ubi sextus clanxit angelus, C audiui ex quatuor altaris aurei cornibus, ante Deũ positi, uocẽ quandã dicẽtem sexto angelo, qui tubam habebat: *Sextus angelus clãgit.* Solue quatuor angelos ad magnũ flumen Euphratẽ colligatos. Itaque soluti sunt quatuor angeli, qui ad horam, & diem, & mensem, & annum parati erant, ad hominum tertiã partẽ necandam. Erat autem exercitus equitum numerus bis millies centena millia, eorumq; numerũ audiui. Atq; ità uisus sum uidere equos, & in eis equitãtes, qui loricas habebant igneas, & hyacinthinas ac sulphureas. Equorum capita erant leoninorum capitum similia, exq; eorum oribus manabat ignis, & fumus, et sulphur. Ab his D tribus cladibus interfecta est hominum pars tertia, uidelicet igne, & fumo, & sulphure ex eorum oribus: si quidem eorum caudæ erant anguium similes, capita habentes quibus nocerent. Reliqui hominum, qui his calamitatibus occisi non sunt, non destiterunt à suis actionibus, ne dæmonia uenerarentur, & simulacra aurea, argentea, ærea, lapidea, lignea, quæ nec uidere possunt, nec audire, nec ingredi: nec sua homicidia, nec ueneficia, nec stupra, nec furta omiserunt.

CAPVT X.

DEinde uidi alium angelum ualidũ, de cœlo descendentẽ, indutum nube, cuius capiti iris incumbebat. *Angelus in mari & in terra stans.* Facies erat soli similis. pedes ut igneæ columnæ. Habebat autem in manu libellum apertum, posuitq; pedem suum dextrum in mari, sinistrum in terra, & magna uoce clamauit, quomodo rugit leo. Postquam clamauit, locuta sunt septem tonitrua suas uoces, B quibus septẽ tonitruis suas uoces locutis, cum ego scripturus essem, audiui uocem dicentem mihi: Consigna quæ locuta sunt septem tonitrua, & ea ne scripseris. Tum angelus, quem in mari & in terra stantem uiderã, sublata in cœlum sua manu, iurauit per uiuentem in perpetua secula, qui cœlum & cœlestia, terram & terrestria, mare & marina condidit, futurum esse ut tempus deinceps nõ sit, uidelicet diebus uo- C cis septimi angeli, quum clanxerit, peractumq; fuerit arcanum Dei, ut suis seruis uatibus nunciauit. Atq; eadem uox, quam de cœlo audiueram, rursus mecum locuta est in hunc modum: I, sume

I, sume libellum apertum, qui est in manu angeli, mari terraq; stãtis. Tum ego angelum aggressus: Da mihi libellum, inquam. Et ille: Accipe, inquit, eumq; degluti, & tibi uentrẽ amaritudine torquebit, quanquam in ore tuo erit tam dulcis quàm est mel. Hic ego sumptum de angeli manu libellum deglutiui, qui mihi in ore quidem tam dulcis fuit, quàm est mel: sed ubi id comedi, amaruit mihi uenter. Et ille me alloquens: Vaticinandum tibi rursus est, inquit, super populis, & gentibus, & linguis, regibusque multis.

Ezech 3.a D *Iohannes libellum deglutit.*

CAPVT XI.

Dei templum.

TVm datus est mihi calamus uirgæ similis. Et angelus stans: Surge, inquit, & Dei metire templum, aramq;, & adorãtes in eo. Ac exterius atrium templi, foris exclude: neq; id metire, quippe datum extraneis, qui sanctam urbem conculcabunt menses qnadraginta duos. Mãdaboq; duobus meis testibus, ut uaticinentur dies mille ducentos sexaginta, centonibus amicti. Hi sunt oliuæ duæ, duoq; cãdelabra in conspectu Dei terræ stantia. Quòd si quis eos lædere uult, manat ex eorum ore ignis, qui eorum hostes conficit: & si quis eos lædere uult, sic interficiendus est. Hi potestatẽ habent claudendi cœli, ne pluat imber tempore suæ uaticinationis: habentq; in aquas potestatem, eas in sanguinẽ conuertendi, & terræ quamlibet cladem infligendi, quoties uelint. Quum autem suum testimonium peregerint, bestia ex tartaro ascendet, quæ eos aggressa, bello uincet ac interficiet: iacebuntq; eorum corpora in urbis magnæ foro, quæ uocatur [a] spiritualiter Sodoma, & Aegyptus, ubi etiam Dominus noster crucifixus est: & aspiciet homines de populis, & nationibus, linguisq; & gentibus eorũ corpora tres dies & dimidium, nec sinent eorum corpora monumẽtis mandari. Gaudebunt autem terræ incolæ super eis, lætiq; dona mittent inter sese, quòd hi duo uates cruciauerint incolas terræ. Verùm post dies tres & dimidium, uitali spiritu à Deo in eos ingresso, cõstiterunt in pedes suos, magno timore correptis ijs qui eos spectabant. audiuiq; uocem magnam de cœlo dicentem eis: Ascẽdite huc. Atq; illi in cœlum in nube ascenderunt, spectãtibus eos hostibus eorum. Ac eadem hora tantus extitit terræmotus, ut collapsa sit urbis pars decima, occisis in eo motu humanorũ capitum septem millibus. Reliqui timore perculsi, tribuerũt cœlesti Deo gloriam. Miseria secunda præterijt, ecce te. tia miseria mox aderit. Deinde septimus clãxit angelus, extiteruntq; magnę uoces in cœlo dicentes: Facta sunt mundi regna Domini nostri, eiusq; Christi, qui regnabit in omnem perpetuitatem. Et uiginti quatuor senatores, ante Deum suis in solijs sedentes, proni procubuerunt, Deumq; uenerati sunt, dicentes: Agimus tibi gratias, Domine Deus omnipotens, qui es, qui fuisti, quiq; futurus es: quòd magnã tuam potestatem adeptus, regnum inijsti, & gentes iratæ sunt, & uenit ira tua, tempusq; quo mortui iudicentur, & merces detur tuis seruis uatibus & sanctis, tuumq; nomen reuerentibus, tum paruis tum magnis, & corrumpantur corruptores terræ. Tum aperto Dei templo in cœlo, uisa est arca fœderis eius in eius templo, extiteruntq; fulgura, & sonitus, & tonitrua, & terræmotus, & magna grando.

Duo Dei testes. B *Dan.7.d.* *a. cũ aliud dicit, aliud intelligendũ est, quæ allegoria uocatur.* C *Septimus angelus clãgit.* D

CAPVT XII.

Mulier amicta sole.

VIsumq; est ostentum ingens in cœlo, mulier amicta sole, cius pedibus subiecta luna, capiti autem imposita duodecim stellarum corona. Ea in aluo gestans uociferabat, & parturiens pariẽdi doloribus cruciabat. Item conspectum est aliud ostentũ in cœlo: Draco erat ingens, rufus, habens septem capita, & decem cornua, & in capitibus diademata septem, cuius cauda tertiam cœlestiũ siderum partem detraxit, ad terrãq; deiecit. Is draco stetit ante mulierem, quæ paritura erat, ut cum ea suũ filium peperisset, ipse eum deuoraret. Peperit autem filium marem, qui gẽtes omnes ferreo sceptro recturus est: qui eius filius raptus est ad Deum, eiusq; solium. Mulier autem fugit in solitudinem, ubi locum habet à Deo paratum, ut illic alatur dies mille ducentos sexaginta. Factum est autem in cœlo prælium, Michael & eius angeli aduersum draconem pugnabant: & draco eiusq; angeli pugnãtes uicti sunt, nec ullus extitit iam eorũ locus in cœlo. Itaq; deiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui Diabolus & Satanas appellatur, qui totum orbem decipit: deiectus est, inquã, ad terram, eiusq; angeli deiecti sunt. Deinde magnã uocem audiui dicentem: In cœlo nũc facta est salus, & potestas, & regnum, Dei nostri, & potentia Christi eius: quoniam deiectus est fratrum nostrorum accusator, qui eos apud Deum nostrum dies & noctes accusabat. Eum illi, agni sanguine, suiq; testimonij sermone uicerunt: animamq; suam usque adeò non amarunt, ut mortem oppetierint. Propterea lætamini cœli, & cœlicolæ. Væ terræ & maris incolis: quandoquidem descendit Diabolus ad uos, magno furore percitus, sciens habere se breue tempus. Vbi draco se ad terram deiectum uidit, mulierẽ persecutus est, quæ marem pepererat. Sed mulieri datæ sunt alæ duæ ingentis aquilę, ut in solitudinem in locum suum auolaret, illic alenda tempus, & tempora, & dimidium temporis, ad uitandum serpentem. Iecit autem serpens post mulierem, ex ore suo, aquam fluminis instar, quo eam flumine summergeret. Verùm terra mulieri succurrit, apertisq; suis faucibus, flumen hausit, quod draco ore suo eiaculatus erat. Tum iratus mulieri draco, iuit illatum bellũ reliquis eius seminis, qui Dei præceptis obedirent, & Iesu Christi testimonium haberent.

B C D

CAPVT XIII.

Bestia septiceps.

EGo in maris arena stans, uidi ascẽdentem ex mari bestiam, habentem capita septem, & cornua decem, & in cornibus diademata decem,

cem, & super capita nomen contumeliosum. Erat autem bestia, quam uidi, pardali similis, pedibus ursinis, ore leonino simili. Ei draco sua uires suumq; solium, & magnam dedit potentiam. Deinde uidi unum eius capitũ penè morte extinctum, sed cuius lethiferum uulnus sanatum est. Itaq; tantæ fuit per totam terrã admirationi bestia, ut draconẽ uenerarent, qui potentiã dedisset bestiæ, & bestiã itẽ uenerarẽtur, dicentes: Quis par est bestiæ? quis cũ ea pugnare posit? B Ei autem datum est os magna & infanda loquens, & potestas agendi menses quadraginta duos, eaq; os suum aperuit in contumeliam aduersus Deũ, in eius nomen, inq; tabernaculũ & cœlicolas contumeliose loquens. Item ei datum est bellum cum sanctis gerere, eosq; uincere: eidẽq; potestas est data in omes nationes, & linguas, atq; gentes, ita ut eam adoraturi sint omnes terrarum incolæ, quorum nomina ab orbe condito scripta non sunt in uitæ libro agni mactati. Si quis aurẽ habet, audiat.

Infrà. 20. d
Gen. 9. a
Matt. 26. e

C Si quis captiuos abigit, in captiuitatem abit. Si quis gladio occiderit, eum gladio oportet occidi. Hic est patientia, fidesq; sanctorum. Item uidi aliam bestiam ex terra ascendentẽ, quæ duo cornua habebat agni similia, & loquebatur ut draco. Ea omnem prioris bestiæ potestatẽ exercebat in eius conspectu: efficiebatq; ut terra & eius incolæ priorem bestiam, cuius mortiferũ uulnus erat sanatum, uenerarentur: magnaq; ostenta faciebat, adeò ut etiam ignem de cœlo ad terram deuocaret in hominum conspectu, & terræ incolas ostentis (quæ ei in bestiæ conspectu facere datum erat) fallebat, D iubens terræ incolis ut simulacrum facerent bestiæ, quæ gladio uulnerata reualuerat. Atque ei datum est, spiritu donare simulacrum bestiæ, adeò ut loqueretur simulacrum bestiæ, efficeretq;, ut quicunq; non uenerarentur bestiæ simulacrum, occiderentur. Atq; eò adigebat omnes, paruos iuxtà ac magnos, diuites ac pauperes, liberos ac seruos, ut eorum manui dextræ, aut frontibus, notam inureret: néue cui emere liceret, aut uendere, nisi qui notam aut nomen haberet bestiæ, aut eius nominis numerum. Hic est acumen. Qui habet ingenium, computet bestiæ numerum. numerus enim hominis est, estq; eius numerus sexcenti sexaginta sex.

Bestiæ numerus.

CAPVT XIIII.

Agnus stans in Sione

Deinde animaduerti agnũ stantem in Sione monte, & cum eo centum quadragintaquatuor millia, patris eius nomen in suis frontibus scriptum habentia: audiuiq; de cœlo sonitum, qualis multarum aquarum ingentisq; tonitrui sonitus est: itemq; uocem audiui citharœdorum, citharis suis canentium, qui ueluti nouum carmen canebant ante solium, & ante quatuor animalia ac senatores, quod carmen nullus discere poterat, nisi illa centum quadraginta quatuor millia redempti à terra. Hi sunt qui cum fœminis nõ sunt polluti: sunt enim uirgines. Hi sunt qui agnum, quocunq; uadat, sequuntur. Hi ex hominibus redempti sunt primitiæ Deo & agno, quorum in ore nulla reperta fraus est: sunt enim inculpati coram Dei solio. B Vidi item alium angelũ medio cœlo uolantem, euangelium æternum habentem, quod terræ incolas, gentesq; & nationes, & linguas, & populos omnes doceret, dicentẽ magna uoce: Timete Deum, eiq; gloriam tribuite: nam uenit hora eius iudicij: & adorate cœli, terræ, maris, & fontium aquarum conditorem. Item alius angelus secutus est dicens: Cecidit cecidit Babylon urbs illa magna, quoniã sæuo impudicitiæ suæ uino gẽtes omnes potionauit. Item tertius angelus eos secutus est, magna uoce dicens: Si quis bestiam, & eius imaginem ueneratur, notamq; in frõtem manúm ue suam admittit, is etiam sæuum Dei uinum mixtum merumq; potabit in eius iræ poculo, & igne ac sulphure torquebitur in sanctorum angelorum agniq; conspectu: C eorumq; tormenti fumus exhalabit in omnem perpetuitatem, nec ullã die nocte ue requietem habebunt, qui bestiam & eius imaginem uenerantur, aut si quis eius nominis notam accipit. Hic est sanctorum patientia: hic sunt qui Dei præcepta, Iesuq; fidẽ tuentur. Tum uocem audiui de cœlo dicentem mihi: Scribe, Beati mortui qui in Domino moriuntur. Ii deinceps (affirmat spiritus) à suis requiescent laboribus, & sua eos comitantur opera. Præterea animaduerti nubem candidam & nubi insidentem quendam filio hominis similem, habentem in capite coronam auream, & in manu falcem acutã. Tum alius angelus exijt ex fano, magna uoce clamans ad eum qui nubi insidebat: Immitte falcem tuam, & mete: nam tibi uenit hora metendi, quandoquidem aruit terræ seges. Itaq; immisit, qui in nube sedebat, falcem suam in terram, messaq; terra est. Item alius prodijt ex fano, quod in cœlo erat, angelus, habens & ipse falcem acutam. & alius prodijt angelus ex ara, ignipotens, D qui magna uoce clamans, eum qui falcem habebat sic allocutus est: Injice tuam istam falcem acutam, & terræ uuas uindemia, quoniam eius maturuerunt racemi. Ita angelus ille, sua falce in terram iniecta, terræ uineã uindemiauit, & uuas in ingens sæuitiæ Dei torcular coniecit: quo torculari extra urbem calcato, manauit ex torculari sanguis usque ad frenos equorum, per mille sexcenta stadia.

Acto. 14. c
Esa. 21. c
Hier. 51. a
Infrà. 18. a
Cecidit Babylon.
Suprà. 9. a
Infrà. 19. a
Beati qui in Domino moriuntur.
Metitur terræ seges.
Ioel. 3. c

CAPVT XV.

Vidi & aliud in cœlo ostentum ingens, ac mirabile, angelos septem, habẽtes septem clades ultimas, in quas Dei sæuitia absumatur. Itemq; uidi quasi mare uitreum, igne mixtum, & ex bestia eiusq; simulacro, & nota, & nominis numero, uictores, stãtes super mare uitreũ, diuinas habentes citharas, & Mosis Dei serui carmen, B agniq; carmen ita cantantes: Magna & mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens: iusta ueraq; sunt instituta tua, sanctorũ rex. Quis te non metuat, Domine, tuũq; nomẽ

Mare uitreum.
Heb. . . .

nomen celebret? nam tu solus sanctus: nam te
C gentes omnes coràm adoratum uenient, quòd tua iura patefacta sint. Postea uidi fanũ aperiri oracularis tabernaculi in cœlo: & ex fano prodire septem ãgelos, septẽ ultimas clades habentes, puro nitidoq; uestitos lino, & pectora cingulis aureis cinctos. His septem angelis dedit unum quatuor animalium septem phialas aureas, plenas sæuitia Dei uiuentis in omnem seculorum seriem estq; fanum tanto fumo, præ
D Dei splendore atq; potentia, completũ, ut nullus posset in fanum intrare, donec septẽ angelorum septem clades peractæ forent.

Septem ãgeli septem ultimarum cladium.

CAPVT XVI.

TVm magnam ex fano uocẽ audiui, dicentem septem angelis: Ite, effundite phialas sæuitiæ Dei in terrã. Itaq; primus abijt, & phialam suã in terram effudit, diroq; tetro uulnere affecti sunt homines, bestiæ notam habẽtes, & eius simulacrum colentes. Deinde secũdus ãgelus effudit suam phialam in mare: idq; in cruorem, qualis mortuorũ esse solet, mutatum est, omnesq; animantes mortuæ sunt in mari. Item tertius angelus phialã suam in fluuios & aquarum fontes effudit, ijq; mutati sunt in sanguinem. Tum aquarum angelum audiui dicẽtem:
B Iustus es Domine, qui es, quiq; fuisti, quiq; augustus es, qui hęc ita faciẽda iudicaueris, ut qui sanctorum uatumq; sanguinem effundebant, eis sanguinem potandũ dederis, ut digni sunt. Deinde alium audiui ex ara dicentem: Etiam, Domine Deus omnipotens: uera iustaq; sunt tua iudicia. Item quartus angelus effudit phialã suam in solem, eiq; mandatum est ut homines igne ureret. Itaq; magno ardore usti sunt homines, Deiq; nomini cotumeliam dixerunt, qui haberet in eas clades potestatem: nec ad frugẽ redierunt, ut ei gloriã tribuerent. Deinde quintus angelus phialam suam effudit in bistię soliũ: adeoq; obscuratũ est eius regnum, ut ipsi suas præ dolere linguas mãderent, cæliq; Deo, præ doloribus uulneribusq; suis, conuiciarentur, nec à suis actionibus desisterẽt. Deinde sextus
C angelus phialam suam effudit in magnum flumen Euphratem, & aruit eius aqua, ut pararetur uia regum, qui essent à solis ortu. Item uidi ex ore draconis, & ex ore bestiæ, & ex ore falsi uatis, tres spiritus immundos, ranarum similes. Sunt autem dæmonum spiritus, qui spiritus efficiunt ut edantur ostenta ad terrarum et totius orbis reges, quò eos congregent in prælium illius magnę diei omnipontentis Dei. Venturus sum ut fur. Felix qui uigilat, suaq; uestimenta seruat, ne nudus incedat, eiusq; obscœna cernantur. Congregauit autem eos in locum, qui Hebraicè uocatur [a] Armageddon. Deinde se
D ptimus ãgelus phialam suam in aërem effudit, & prodijt magna uox ex cœli fano, ex s lio, dicens, Factum est: extiteruntq; sonitus & tonitrua, ac fulgura: tantusq; terræmotus factus est, ut post homines in terris natos tantus, tam ingens terræmotus nullus extiterit: diuisaq; est urbs magna in tres partes, & gentiũ urbes corruerunt: & Babylon magna Deo uenit in mentem, ut ei poculum daret uini suæ sæuæ iracundiæ: & omnes insulæ fugerunt, & montes nusquã extiterunt, & ingens grando ad talenti magnitudinem de cœlo delata est in homines, feceruntq; homines conuicium Deo, ob grandinis cladẽ: tam grauis erat illa clades grandinis.

Primus ãgelus suam phialam effundit. Secundus. Tertius. Quartus. Quintus. Sextus. Matt.24.d Luc.12.e 1.Thes.5.a 2.Pet.3.c a. mons eximius. Septimus.

CAPVT XVII.

VEnit autem unus septem ãgelorũ, septem phialas habentiũ, qui me sic allocutus est: Ades, ostendam tibi supplicium meretricis magnæ, sedentis in multis aquis, cum qua scortati sunt reges terræ cuiusq; impudicitiæ uino inebriati sunt incolæ terrę. Deinde me diuino afflatu abstulit in solitudinem, ubi mulierem uidi incidentem beluæ coccinæ, nefarijs nominibus plenæ, habenti septem capita, & decem cornua. Erat ea mulier induta purpura et coccino, auroq; deaurata, & gemmis ac margaritis, habens aureum poculum in sua manu, flagitijs et B
turpitudine eius stuprorum refertum: & inscriptum suæ fronti nomen, Mysterium Babylon magna, meretricum flagitiorumq; terræ mater. Eam ego mulierem uidi sanguine sanctorum testiumq; Iesu ebriam. qua uisa, cum uehementer admirarer, ãgelus sic mecum loquitur: Quid miraris? ego tibi mulieris mysterium eloquar, & portantis eam beluæ, habentis septem capita, & cornua decem. Belua, quam uidisti, fuit, & non est: & ascensura est ex Tartaro, & in perniciẽ abitura: mirabunturq; terræ incolæ, quorum nomina in uitæ libro ab orbe condito scripta non sunt, uidentes beluã fuisse, nec C
esse, tametsi est. Hic est sententia, quæ acumen habet. Septem capita, septẽ sunt montes, in quibus sedet mulier: septemq; reges sunt, quorum quinq; ceciderunt, & unus est: alius nondũ uenit, & cum uenerit, paululum duraturus est. Bestia autem quæ fuit, & non est, is est octauus, et ex septem est, inq; perniciem abit. Decem autem, quæ uidisti, cornua, decem reges sunt, qui regnum nondum adepti sunt: sed potestatem, ut reges, eadem hora adipiscẽtur cum belua. Ii eundem animũ habebunt, suasq; uires ac potestatem beluæ tradent. Ii cum agno bellum ge- D
rent, eosq; uincet agnus, utpote dominorũ Dominus, & regum Rex: necnon uocati cum eo, electiq;, ac fidentes. Quas aũt aquas uidisti (inquit me alloquens) ubi sedet meretrix, populi sunt, & plebes, & gẽtes, & linguæ. Item decem cornua, quæ super belua uidisti, ij meretricem oderint, eamq; desertã ac nudã reddent, et eius carnes comedent, & eam igne comburent. Eis enim Deus eam mentẽ iniecit, ut eius sententiam exequantur, eodemq; animo agant, & regnum suum beluæ tradant, donec Dei mandata peragantur. Mulier autem, quam uidisti, est urbs magna, regnum in reges terræ obtinens.

Magna meretrix. Meretricis interpretatio. 1.Tim.6.c Infrà.10.

CAPVT XVIII.

POstea uidi alium ãgelum de cœlo descendentem, magna potestate præditum, cuius

Babylonis supplicium

 splẽdore

splēdore collustrata terra est. Is uehemēter, magna uoce clamās, dixit: Cecidit, cecidit magna Babylon, factaq́ est dæmonum domicilium, & omnium impurorū spirituū, omniumq́ obscœnarum & inuisarū uolucrum custodia: quoniam tetro stuprorum suorum uino gentes omnes potionauit, regesq́ terrarū cum ea scortati sunt, & terrarum mercatores eius deliciarum copia locupletati. Item aliam uocem audiui de cœlo dicētem. Migrate ex ea, mi populus, ne sitis eius peccatorum participes, neue eius cladibus afficiamini: quoniam eius peccata ad cœlum usq́ pertigerunt, eiusq́ scelera recordatur Deus. Afficite eam ut et ipsa uos affecit, eiq́ duplicem pro eius factis gratiam referte: eodem poculo quo miscuit, miscete ei duplum: quantum ipsa se honorauit & luxuriata est, tantum ei cruciatum luctumq́ date, quoniam ipsa sic cum animo suo cogitat: Sedeo regina, neq́ uidua futura sum, neque luctu afficiar. Propterea uno die uenient eius clades, mors, luctus, fames, eaq́ igni cremabitur: quoniam potēs est Dominus Deus, qui eam ulciscetur: eamq́ terrarum reges, qui cū ea scortati luxuriatiq́ fuerint, deplorabunt, ac lamētabuntur, cum eius incendij fumū uidebunt, procul metu eius cruciatus, absistentes, ac dicentes: Eheu urbs illa magna Babylon, urbs illa potens, cuius supplicium una uenit hora. Item eam terrarum mercatores deflebunt ac lugebunt, quòd eorū mercem nemo iam emet, mercem auri & argenti, & gemmarum, & margaritarū, & byssi, & purpuræ, & serici, & coccini, & omnis generis lignum thymum, eburneaq́ & ex preciosissimis lignis confecta uasa, & ære, & ferro, & marmore, & cinamomum, & odores, & unguentū, & thus, & uinum, & oleum, & similam, & triticū, & iumēta, & oues, & [a] equorum & rhedarum & corporum, & animas hominum. Discesserunt à te cupita animo tuo poma, omnia deniq́ opima & præclara à te discesserunt, nec ea amplius inuenies. Horum mercatores ab ea locupletati, procul, præ eius cruciatus metu, astabunt, plorātes ac lugentes, & ita dicētes: Heu, heu, urbs illa magna, induta byssino, & purpureo, & coccino, & auro deaurata, gemmisq́ & margaritis. Vna hora depopulatæ sunt tantæ opes. Item omnes nauicularij, omnisq́ copia naualis, & nautæ, & quicūq́ in mari negociantur, procul astiterunt, & eius incendij fumū spectantes, ita uociferare instituerunt: Ecquæ par fuit urbi illi magnæ? Tum sparso super capita sua puluere, flentes ac lugentes ita quiritari: Heu, heu, urbs magna, in qua omnes habētes in mari nauigia, ditati sunt eius precijs: ea una hora depopulata est. Lætare super ea cœlum, sanctiq́ apostoli atq́ uates, quoniam Deus uestras iniurias in eam ultus est. Deinde sustulit robustus quidam āgelus saxum ingens, ut molam:, & in mare deiecit, dicens: Tali impetu iacietur Babylon urbs illa magna, nec amplius extabit, nec amplius in te citharœdorū & musicorum & tibicinū & tubicinū uox audiet: nec amplius in te ullius artis artifex extabit, nec amplius in te molæ sonus audiet, nec āplius in te lucernę lumē lucebit, nec āplius in te spōsi spōsæ ue uox audietur. Tui mercatores erant hominum optimates: tuis ueneficijs deceptæ sunt gentes omnes, & in eadem te uatum sanctorumq́ cruor inuentus est, & omnium in terris occisorum.

Esa.21.c Hier.51.a Suprà.14.b | B | Esa.47.b | Hier.51.a | E | a. scilicet mercem. | Ier.51.b | F | Ier.51.c | G

CAPVT XIX.

Postea audiui magnam ingentis multitudinis uocem in cœlo, dicentis: Helleluia. Salus, & gloria, & honos, & potestas Domino Deo nostro, cuius uera iustaq́ sint iudicia, qui magnam illam meretricem (quæ terram impudicitia sua corrumpebat) damnauerit, & ab ea pœnas sanguinis suorum repetiuerit. Iterumq́ dixerūt, Halleluia. Eius autem fumus exhalat in omnia secula. Tum uigintiquatuor senatores, & quatuor animalia procubuerunt, Deūq́ in solio sedentē uenerati sunt, dicentes: Amen, Halleluia. Et uox ex solio prodijt, dicens: Laudate Deum nostrum omnes eius serui, eumq́ metuentes, parui iuxtà ac magni. Item audiui quasi ingentis multitudinis uocē, quasiq́ multarum aquarum, & uehementiū tonitruorum sonitum, qui dicebant: Halleluia, regnū enim adeptus est Dominus Deus omnipotens: Gaudeamus et exultemus eiq́ gloriam tribuamus, quoniam agni uenerunt nuptię, eiusq́ coniux sese parauit, eiq́ mādatum est ut byssino puro splendidoq́ induatur. Est autem byssinū, uirtutes sanctorū. Scribe (inquit me alloquēs) Beati qui ad nuptiarū agni cœnā uocati sunt. Hæc sunt (inquit mihi) uera dicta Dei. Hic ego ei ad pedes accidi, eius uenerandi gratia. Sed ille: Caue, inquit, ne facias: conseruus tuus sum, tuorumq́ fratrum, Iesu testimonium habentium. Deum uenerator: nam Iesu testimoniū, oraculi spiritus est. Deinde uidi apertum cœlum: & ecce albus equus, cui qui insidebat, uocatur fidelis & uerus, iusteq́ & iudicat & belligerat. Eius oculi sunt igneæ flammę similes: in capite insunt multa diademata: habet nomen scriptum, quod nullus nouit, nisi ipse. Indutus est pallio tincto sanguine, & nomine uocatur Sermo Dei: eumq́ sequuntur in equis albis exercitus, candido mundoq́ byssino induti. Ex eius ore ꝓdit gladius acutus, quo gentes feriat, quas ipse ferreo baculo reget: idemq́ calcabit torcular uini sæuitiæ iræq́ Dei omnipotētis. Habet autem in pallio & femore suo scriptum nomē: Regum Rex, & dominorū Dominus. Præterea uidi alium āgelum in sole stantem, qui magna uoce clamans, omnes medio cœlo uolantes aues sic allocutus est: Adeste, & coite ad magni Dei cœnam, ut regum, ut tribunorū, ut potentum, ut equorū equitumq́, ut omnium tum liberorum tum seruorum, tum paruorum tum magnorū carnes comedatis. Vidi & beluam, terræq́ reges, & eorum exercitus congregatos, ad bellum gerendum cum equi equite, ac eius

Halleluia. | Suprà.6.c | Suprà.9.a 14.c | B | Matt.22.a Luc.14.d Infrà.22.b | Nō uult adorari sāctus āgelus. | Sermo Dei. | Supr.1.c.d | C | Esa.63.a | Suprà.1.d | Psal.2.b | Suprà.2.g | 1.Tim.6.c | Supr.17.d | D

eius exercitu. Verùm comprehensa est belua, & cum ea falsus uates, qui in eius conspectu fecerat ostenta, quibus deceperat eos qui bestiæ notam acceperant, quiq́ eius uenerabãtur imaginem. Duo illi uiui coniecti sunt in stagnum ignis ardẽs sulphure. Reliqui gladio necati sunt sedentis in equo, qui gladius ex eius ore prodibat, eorũq́ carnibus satiatæ sunt omnes alites.

CAPVT XX.

Deinde uidi angelum de cœlo descendentem, clauem habentem Tartari, & ingentem catenam in manu sua. Is cæpit dracone͂, serpentem antiquũ, qui est Diabolus & Satanas, eumq́ colligauit in mille annos, & in Tartarũ coniecit, conclusitq́, & insuper obsignauit, ne deinceps gẽtes deciperet, donec peracti forent mille anni, post quos soluendus est ad exiguum

Satanas mille annos uinctus.

B tempus. Tum sellas uidi, in quibus consessum est, illisq́ iudicium datum est: itémque uidi animos decollatorũ propter Iesu testimoniũ, propterq́ Dei sermone͂, & qui neq; bestiã, aut eius imaginem uenerati sunt, neque notam in suam frontem aut manum accepe rũt. Ii reuixerunt, & cum Christo mille annos regnarũt. Reliqui mortuorũ non reuixerunt, donec transacti forent mille anni. Hæc est prima resurrectio. Felices sanctiq́ sunt, qui sunt primæ resurrectionis compotes. In eos secũda mors potestatem nõ habet, quin erunt Dei & Christi sacerdotes,

C & cum eo regnabunt mille annos. Peractis ijs mille annis soluetur Satanas ex suo carcere, & proficiscetur ad decipiendas gentes, quæ quatuor terræ angulis continebuntur, Gogum & Magogum, ut eos ad bellum cõuocet: quorum tantus erit numerus, quantus est arenæ maris. Hi facta, [a] quàm latè tellus patet, expeditione, sanctorũ castra & urbe͂ amatam circũsederunt. Sed eos delapsus à Deo ignis de cœlo, cõsecit: & Diabolus, qui eos decipiebat, deiectus est in igneum, sulphureũq́ stagnum, ubi erat belua, falsusq́ uates: cruciabunturq́ dies & noctes in omnem perennitate͂. Item uidi soliũ album, ingens, & quendam in eo sede͂tem, cuius ex conspectu terra cœlũq́ fugit, nec ullo iam loco ex-

Ezec. 38.c & 39.a

Gog & Magog.

a. tanto militũ numero, ut terrã omnem occuparent.

D titerunt. Vidi ite͂ mortuos, paruos iuxtà ac magnos, ante Deum astantes, apertiq́ sunt libri, & alius liber apertus est, qui est uitæ liber, & iudicati sunt mortui ex librorum scriptis, pro suis factis: redidítq́ mare suos mortuos, & mors & Orcus mortuos reddidere suos: de quibus ut erant cuiusq́ facta, ita iudicatũ est. Mors autem & Orcus coniecti sunt in stagnũ igneum. Hęc est secũda mors. Quòd si quis in uitæ libro scriptus inuentus non est, is in igneum stagnum coniectus est.

Suprà. 13.b

CAPVT XXI.

Vidi autem nouum cœlum, nouamq́ terram. nam prius cœlũ, priorq́ terra perierat, nec usquam iam erat mare. Ego Iohãnes uidi urbem sanctam, Hierosolymam nouam, à Deo de cœlo descendente͂, paratam ut spõsam uiro suo ornatam. Audiuiq́ magnã uocem de cœlo dicentem: Ecce Dei apud homines tabernaculum, qui apud eos habitabit, & ipsi eius populus erũt, & ipse Deus, erit apud eos Deus eorum: abstergetq́ Deus omnem lachrymam ex eorum oculis, nec amplius mors erit, neque luctus, neq; quiritatus, neque labor erit amplius,

Esa. 65.c
2.Pet. 3.c
Nouum [cœ]lum.
Esa. 25.b
Suprà 7.d

C quod [a] priora abierint. Ego (inquit is qui in solio sedebat) facturus sum omnia noua. Tũ me alloquens: Scribe, inquit, hæc dicta, uera fidaq́ esse. Tum mihi dixit: Factum est. Ego sum α & ω, principiũ & finis: ego sitienti dabo de fonte aquę uitę, gratis. Victor possidebit omnia, eiq́ ego Deus ero, & ipse mihi filius erit. Sed ignauos, & infideles, & execrabiles, & homicidas, & impudicos, & ueneficos, & deastricolas, & omnes mendaces, hos inquã, sua sors manet in stagno, quod igni ardet, & sulphure, quę secunda mors est. Tum uenit ad me unus septem

a. superior rerum status.

Esa. 43.c
2.Cor. 5.d
Esa. 44.a
Infrà 22.c

C angelorum, qui septem phialas habebãt, septe͂ postremarum cladium plenas, qui me sic allocutus est: Ades, monstrabo tibi sponsam, agni uxore͂. Deinde me diuino afflatu in magnum arduumq́ montem sustulit, & mihi mõstrauit urbem magnam, sanctã Hierosolymã, de cœlo à Deo descendentem, diuina gloria præditam. Eius luminare simile erat lapidi preciosissimo, uelut iaspidi crystallũ imitanti, habebatq́

Sancta Hierosolyma.

D murum ingentem & altum, & portas duodecim, superq́ portis angelos totide͂, & inscripta nomina, uidelicet duodecim Israeliticarum tribuum. Ab oriente tres erãt portæ: à borea tres: ab austro tres: ab occidente tres. Vrbis murus habebat fundamenta duodecim, & in eis nomina duodecim apostolorũ agni. Qui autem mecum loquebatur, calamũ habebat aureum, quo urbem eiusq́ portas & murum metiretur: cuius urbis is situs erat, ut esset quadrata, tãta longitudine, quanta latitudine. Hanc urbem cala-

E mo dimensus est ad stadiorum duodecim millia, pari longitudine & latitudine ac altitudine. Eius murum centum quadraginta quatuor cubitis dimensus est, hominis, hoc est angeli mensura. Eius muri structura erat ex iaspide: urbs

F ipsa ex auro puro, puri uitri similis. Muri urbis fundamẽta omnibus ornata gemmis. Primum fundamentum erat iaspis, alterũ sapphirus, tertium chalcedon, quartũ smaragdus, quintum sardonyx, sextũ sardius, septimũ chrysolithus, octauum berillus, nonum topaziũ, decimum chrysoprasus, undecimum hyacinthus, duodecymum amethystus. Duodecim portæ duodecim erãt uniones, ex singulis unionibus singulæ constantes. Vrbis area erat aurum purum,

G pellucida ut uitrum. In ea fanum nõ uidi: nam Dominus Deus omnipotens eius fanum est, & agnus. Vrbs sole non eget, neq; luna, qui in ea luceant: nam Dei splendor eam collustrat, eiusq́ lucerna agnus est. Atq́ in eius urbis lumine gentes seruatorũ ingredientur, in eamq́ conferent terrarum reges suam gloriam ac honorem: nec eius portæ claudentur interdiu (nam nox quidem illic nulla erit) & in eam

Esa. 60.d

Esa. 60.c

conferetur

conferetur gentiū gloria & honos: nec in eam intrabit quicquam profanum, quód ue scelus committat, aut mendacium, sed duntaxat scripti in agni libro uitæ.

CAPVT XXII.

Deinde mihi monstrauit uitalis aquæ purum fluuium, limpidum ut crystallum, ex Dei & agni solio manantem: & in medio eius areæ & fluuij hinc atque hinc uitalem arborem, fructus duodecim parientem, singulis mensibus suum fructum edentem. Arboris folia ad gentiū curationē pertinēt: in ea nec ulla deinceps erit deuotio, & Dei agniq; soliū erit, eūq; sui serui colent, & eius faciem uidebunt, & eius nomen gestabunt in suis frontibus: nec erit ibi nox, nec lucerna solis ue lumine indigebunt, quippe quos collustrabit Dominus Deus, & regnabunt in omnia secula. Hæc sunt (inquit me alloquens) certa ueraq; dicta: & Dominus, sanctorum uatum Deus, angelum suum misit, ad monstrandū suis seruis quæ breui futura sunt. Ego breui uenturs sum. Felix qui uerbis paret oraculi huius libri. Ego uerò Iohannes, qui hæc & aspexi & audiui, cum audiuissem aspexissemq;, angelo qui hæc mihi monstrabat, ad pedes accidi, ut eum uenerarer. Sed ille: Caue ne facias, inquit: tuus enim cōseruus sum, tuorumq; fratrum uatum, & eorum qui istius libri dictis parent. Deum uenerator. Tum illud addidit: Oraculi istius libri dicta ne obsignato: C nam tempus in propinquo est. Qui nocet, nocentior fiat: & qui sordet, sordidior fiat: & iustus iustior fiat: & sanctus sanctior fiat. Equidem breui uenturus sum, meam mecum mercedem ferens, ut pro suo quemq; merito remunerer. Ego sum α & ω, principium & finis, primus & ultimus. Beati qui eius præcepta obeunt, ut potestatem habeant in arborem uitæ, & per portas intrent in urbem. Foris quidem erunt canes, & uenefici, & impudici, & D homicidæ, & deastricolæ, & quisquis falsa amat atq; facit. Ego Iesus meum angelum misi, qui uobis hæc super ecclesiis testaretur. Ego sum Dauidis stirps atq; genus, stella clara & matutina. Et spiritus & sposa dicūt, Veni: & qui audit, dicat, Veni: & qui sitit, ueniat: & qui uult, sumat aquam uitæ gratis. Testificor autem omnibus oraculi huius libri dicta audietibus, si quis ad hæc addiderit, addet ei Deus clades in hoc libro scriptas. Et si quis de uerbis libri huius oraculi ademerit, adimet Deus sortē eius de libro uitę, deq; sacra urbē, & scriptis in hoc libro. Dicit, qui hęc testatur: Etiam, ueniā breui: Amen. Etiam ueni Domine Iesu. Domini nostri Iesu Christi gratia adsit uobis omnibus: Amen.

[Margin notes: Vitæ fluuius. — Esa.60.d — B — Suprà 1.a — Suprà 19.b — Esa.44.a — Suprà 1.b & d — Esa.55.a]

NOVI TESTAMENTI FINIS.



HIC institutū meum est, meæ translationis (sicubi res postulare uidebitur) rationem reddere: tum quorundam difficiliorum locorum sensum breuiter aperire. Meminerint autem lectores, quæ semel annotauerim, eadem si rursum inciderint, me non solere repetere: neq; uulgata, & omnibus confessa, aut quæ facilè à mediocriter docto possunt intelligi, annotare: neq; cuiusquam erratum (nisi res cogat) refellere: neq; ita uerbis astrictum esse, ut non sæpe pronomina nominum loco ponam, & sententiæ magis quàm uerborū rationē habeam, prout postulat Romani sermonis consuetudo: sic tamen, ut ab autoris sententia sciens nunquam deflectam. In primis uerò meminerint, me directam orationem in obliquā sæpe mutare. Directam uoco, quam Græci μιμητικὴν: obliquam, quam ἐξηγητικήν. Directæ erit hoc exemplū, Deuter. 18. Quemadmodum à Ioua Deo uestro postulastis in Horebo, die concionis, dicentes: Ne amplius audiamus uocem Iouæ Dei nostri, aut magnum illum ignem amplius uideamus, ne moriamur. Ita ad uerbum legitur. Atqui si uerba spectes, non ita dixerant Israelitæ Exod. 20. sed ita: Loquere tu nobiscum, & audiemus: ne'ue loquatur nobiscum Deus, ne moriamur. Vides hic sensum eundem, uerba diuersa. Itaq; licet sententiam sequentem, illud superius ita ad latinam consuetudinem obliquare: Quemadmodum postulastis, cum peteretis ne amplius Iouæ Dei uestri uocem audiretis, aut ingentem illum ignem uideretis, ne moreremini. Item Exodi 32. sic ad uerbum legitur: Memento tuorum, Abrahami, Isaaci, & Israelis, quibus per temetipsum iuratus ita promisisti, Aequabo uestram progeniem stellis cœlestibus, &c. Atqui nunquam illos tres, uel eorum duos simul allocutus est Deus, ut usus sit numero plurali. Itaq; oratio illa necessariò est in obliquam mutanda. Quod idem in multis alijs utroq; in fœdere accidit. quæ res facit, ut multi loci uideātur obscuri, qui si nostro more efferrētur, essent perspicui. Quamobrem patiantur æqui lectores, quemadmodum qui Hebraice scripserunt, Hebraico more locuti sunt: ita nos quoq; latinè scribentes, Latinis auribus inseruire. *Oratio directa & obliqua.*

Propria nomina. Quod ad propria nomina attinet, in his ferè secutus sum ueterem interpretem, qui ea nonnihil ad Latinam consuetudinem molliuit: tum quia ita iam usurpata sunt, ut si mutentur, obscuritatem pariant, & indignationem: tum quia decet latinè scribentem, Latinos imitari, quibus si licuit ex Heracle Herculem, ex Asclepio facere Aesculapium, profectò & nobis licebit ex Zeppora Sephoram, & ex Zebulun facere Zabulonem. Atq; hac quidem in re, ut & in multis alijs, uetus interpres mihi uidetur fuisse non malus interpres. Nam cur potius Sedom, quàm Sodoma? Amora, quàm Gomorra? Iehudæus, quàm Iudæus dicatur? Siue enim quis est Hebraicæ linguæ ignarus, is tam nescit quid sit Iehudæus, quàm quid Iudæus: siue hebraicè scit, is hæc in Hebræis, non in Latinis libris didicerit. Ita fit, ut hæc Hebræorum uerborum peregrinitas, præterquàm quòd dura est, & Latinis insolens, sit etiam inutilis. Adde quòd isti, qui sic Hebraisant, ne Hebræos quidem imitantur. Illi enim ex Romanis Romijm faciunt: id est, aliena uerba suæ linguæ accommodant. quod nostros imitantes decebat uicissim ex Philistim Palæstinos facere: & latinè loquentes, Latinarum aurium habere rationem. Neq; tamen hæc dico, ut illos uituperem: sed ut, si nos eos ferimus, ipsi nos uicissim ferāt. Sed in hoc ueterem interpretem non sequor, quòd sicubi apud eum nomina nimis ab Hebræo degenerant (præsertim si sunt eiusmodi, ut rarò usurpētur) aut si durius dicta sunt, ea ad originem reuoco, aut paulo molliora facio: & aliquando Iosephū, qui græcè scribēs ea græca fecit, imitor. Præterea cum uetus multa non declinet, ego ferè omnia declino: uel quòd ita fert Latinus sermo, uel quòd ita multa uitantur ambiguè dicta: quæ tum accidunt, cum in Latina lingua (quæ articulos, quibus casus declarentur, non habet) sæpe nescitur ad quod uerbū referri quodque nomen debeat, si omnes casus in eandem syllabam exeant. Alioquin quod ad rem attinet, nihil refert, utrum hæc nomina declines, an non declines: cum uideamus non solum quædam ab Apostolis declinari, cum omnia sint Hebræis indeclinabilia: uerum etiam apud Matthæum Mariæ nomen declinari, apud Lucam non item.

IN GENESIM.

EX CAP. I.



Extitit ex uespere & mane dies primus.) Id est, extitit dies primus, qui cōstat ex nocte & die. Hic enim pars pro toto ponitur, ut apud Danielem uesperomatutina, pro diebus: & apud poetas quatuor autumni, pro quatuor annis dicuntur. Incipit autem dies à uespere, quòd tenebræ ante creatam lucem fuerunt. eumq; ita Hebræi auspicantur: quod idem olim facere Gallos tradit Cæsar, & Germanos Cornelius Tacitus. *Dies.*

Liquidum inter aquas.) רקיע, à diducendo dictum: significat liquidum, quod tantum ab aere siue cœlo differt, quantum lux à die, aqua à mari, siccū à terra. Nam cum hoc aquam superiorem ab inferiore diuidat, & constet aquam inferiorem esse mare, necesse est, ut hoc liquidum sit aer, qui etiam à poetis Latinis liquidum uocatur, Hebraico more, quod elementum mari coniunctum est. Quod enim duo extrema uel disiungit, uel coniungit, id utrunq; tangit. Aqua autem superior, est pluuia, quæ quanquam supra totum liquidum, id est supra totum cœlum non est, tamen ut supra liquidum dicatur, satis est si habet infra se liquidum. Nec uerò cōsentaneum est, Mosem, cum hic de aquis nominatim loqueretur, nullam fecisse pluuiæ mentionem, quæ res est non parui momenti, & cuius mentionem Sibylla de mundi creatione loquens fecit. necnon Iosephus Mosem interpretans, dicit cœlum factum esse pluuium. Nec aliud est, pluuiam supra liquidū dici, quàm latinè aquam cœlestem. Itaq; Plinius principio libri 31. de aquis ita loquitur: Scandunt in sublime, & cœlum quoq; sibi uendicant, ac nubium obtentu uitalem spiritum strangulant, quæ causa fulmina elicit, ipso discordante mundo. Quid esse mirabilius potest aquis in cœlo stantibus? Hæc Plinius. Eodem modo in 2. Reg. 21. dicitur aqua de cœlo destillare, hoc est pluuia. Est autem animaduertēdum, quòd græcè aer & æther & οὐρανὸς dicitur, id ab Hebræis uno liquidi, siue cœli nomine comprehēdi. Latini quoq; totum hoc cœli nomine comprehendunt. Quod si quis peruicacius negat, hoc de quo hic Moses loquitur, id esse quod græcè aer, latinè cœlum dicitur: ostendat quid'nam sit id, quod mare à superiore aqua diuidit, & quomodo uocēt Hebræi aerem. Aliud, quod aquas diuidat nihil est. Aerem Hebræi nomine græco hodie uocant. Quid, antequā esset lingua Græca? id est, ante turrim Babel, cum sola esset Hebræa? nullum'ne rei tam uulgaris habebant nomen? aut si habebant, cur non extat in sacris literis? At extat profectò: estq; tam idem רקיע & שמים, id est liquidum, aut aer, aut cœlum, quàm siccū & terra. nec alia de causa שמים, id est cœlum ab aquis deductū nomen habet, quàm quòd pluuiæ sedes est. Itaque scribit Moses, in diluuio apertos fuisse cœli meatus. Hinc uolucres cœli, id est aereæ. Cœlum autem secūdo die fuisse creatum, ostendit Moses qui dicit, Deum iußisse secūdo die, ut existeret liquidum. atq; idem docetur 4. Esdr. 6. his uerbis: Secundo die aeris auram creasti. Nam quòd in propositione Moses cœlum terræ præponit, dignitatis, non creationis habet rationem. Idem enim cap. 2. dicit, Cum terram cœlumq; fecisset Deus: ubi terram cœlo anteponit. Ex quo patet, uerborum ordinem non semper eundem esse, quem temporis. Et uero consentaneum est, terram tanquam fundamentum, *Liquidum.*

prius esse factam. Nec necesse est cœlum, quia sit præstantius, propterea prius esse creatū. nam & bestiæ & stirpes, quæ sunt homine uiliora, tamen ante hominem sunt creata.

Appareret siccum.) *Quod Latini per neutrū, id Hebræi, qui neutrū genus non habent, aliquādo per fœmineū dicunt. Hāc ob causam uetus interpres uertit arida, & Græcus ξηρά.*

Pareret terra stirpes.) *In Hebræo est* תדשא. *quod si licet uerbum fingere, significat stirpare, id est stirpes creare: ut si dicas, Stirpet terra stirpes. quomodo dixit Aristoteles in tertio de Generat. animal.* ὠοτοκοῦσι τέλειον ὠόν. *quomodo & uiuere uitam dicimus. qualia sunt hæc Gallica, enfanter, ueler, cochonner: quæ latinè sic redderentur, puerum, uitulum, porcellum parere. Multa sunt in sacris literis talia, ut iurare iusiurādum, peccare peccatum, quæ sunt latino more dicenda: id quod semel annotasse, sit satis. Sunt autem stirpium tria genera, arbores, frutices, & herbæ: sed frutices in arboribus comprehendit Moses. Vocat autem arbores fructiferas, & herbas frugiferas, non quòd sint omnes fructuosæ, (quamuis omnes semen habeant) sed quia earum proprium est fructus ferre: ut cum pisces dicunt squamigeros poetæ, quòd pisciū propriæ sunt squamæ, non tamen omnium. Præterea his uerbis fœtifica uis datur stirpibus, eodem momento quo creantur, quæ uis animalibus separatim data est.*

ἑρπετά. Natatiles animantes.) *Græci* ἑρπετά. *Latini reptilia uerterunt. Sed eodem uerbo utūtur etiam in eis quæ ex terra quarto die orta sunt, ut reptilia & ex aqua & ex terra orta esse uideantur, id quod absurdum est. Hebræum est* שרץ, *quod Leuitic. 11. dicitur de piscibus, & de uolucribus multipedibus, deq; serpentibus. Nos tam latè patens uerbum non habemus. Sunt tamen hæc ut rei natura, ita uerbis quoq; apud Latinos etiam confinia. Nam & nare per aera aues poeticè dicuntur, & Dædalus remigio alarum Insuetum per iter gelidas enauit ad arctos. Igitur ex aqua orti sunt pisces, & uolucres tum bipedes tum multipedes: ex terra autem pecora, bestiæ terrestres, & serpentes, quæ serpentes uerbo* רמש *significantur, quod tamen alibi moueri significat, & Psal. 104. natare.*

Faciamus hominem.) *Videtur cum filio suo loqui, de quo sic Sibylla lib. 8.*

Huius consilio namq; olim primitùs usus,
Sic ait omnipotens: Faciamus imagine, fili,
Ambo de propria mortalia semina ducta.
Nunc ego curabo manibus, tu deniq; nostram
Effigiem uerbis, ut opus commune struamus.

Qui dominetur.) *In Hebræo est in plurali, Dominentur. Sed cum de toto genere loquatur, nihil refert utro numero utare, dum loquendi consuetudinis rationem habeas.*

Nam si ea uesceretur.) ביום *pro si ponitur & aliàs sæpe, & 4. Ruth. & 2. Reg. 2.*

Creauerat, feceratq;.) *Ad uerbū, creauerat faciēdo (nam lamed sæpe gerundium facit, ut 2. Reg. 19.* לאהבה *amando) ubi duo uerba eiusdem notionis ponuntur. ut in 1. Corinth. 12.* ἤγεσθε ἀπαγόμενοι, *pro* ἤγεσθε καὶ ἀπήγεσθε. *Quale est Ciceronis illud: De manibus audacißimorum ciuium delapsa arma ceciderunt: hoc est, delapsa sunt, & ceciderunt.*

EX CAP. II.

Quæ in hoc toto capite traduntur, ea ante Sabbathum suis quæq; diebus facta sunt. Sed Moses uolens operi sexti diei perpetuam historiam attexere, cum in Sabbathi commemoratione interpellaretur, sexto die creationē hominis breuiter perstrinxit, quam eandem iterum post cōmemoratum Sabbathum aggreditur maiore exordio. Non enim quod post Sabbathum commemoratur, idem post Sabbathum factum est, cum omnia sex diebus facta sint.

Ioua. Ioua Deus.) *Ioua sacrosanctū Dei nomē est, à uerbo quod esse significat, deductum (ut ipse Mosi in rubo declarat) nomen tantæ maiestatis, ut Iudæi, si quādo id legendum occurrat, Adonai legant, quod Dominum significat. Hinc factum puto, ut Septuaginta* κύριον *sint interpretati, quorum interpretationem secuti sunt Apostoli. Docebant enim religionem, non linguam. Nos autem, qui (quoniam uita breuis est) linguam cum religione coniungere conamur, nobis interdictum non putamus, ne cum illis in uita consentientes, in sermone disertos sequamur, & Dei nomen proprium Hebræum (ne quid de eius maiestate decedat) adhibeamus: quod cum in alijs proprijs nominibus quauis in lingua fieri soleat, id nobis in hoc denegari iniquum uidetur. Nam quod negant quidam hoc sacrum nomen fas esse legi, hoc superstitioni Iudaicæ relinquamus. Si enim Mosi scribere fas fuit, & nobis legere fas est. Neque enim scripsit non legenda. Qui autem dicunt, hæc puncta uocalia, quibus notatur, non esse eius propria: facilè refelluntur uerbis inde deductis, Iosaphat, Ioram, Halleluia, Esaias, &c. Quanquam nihil hoc refert. Neq; enim uerbi uis in Latino sermone sita est, quomodocunq; efferas, neq; in Hebræi sermonis punctis uocalibus, sed in etymologia, quæ manet eadem, utcunq; pronuncies. Cæterùm si quis hoc nomen reformidat, per me licet Iudæos imitetur: & ubi Iouam inueniet, legat Dominum, sicut illi Adonai. Hoc quidem commoditatis habebit in translatione nostra, quòd non dubitabit ubi Ioua, ubi Adonai scriptum sit in Hebræo. quod faceret, si Iouam interpretati essemus Dominum.*

Sed exhalauit ex terra uapor.) *uidelicet die tertio, cum iußit Deus stirpes nasci.*

Eiq; præcepit ut uesceretur.) *Vtrumq; alloquitur. Nam & cap. 1. ubi res eadem breuiter attingitur, dicitur Deus eis, non ei, esum permisisse stirpium. & cap. 3. Eua plurali numero dicit, Deus nos gustare uetuit. quemadmodum Lotus respicere prohibetur, cum tamen id ad uxorem quoq; pertinere, pateat ex pœna. Est autem hic narrationis ordo. Adamum Deus finxit: deinde adductis ad eum bestijs, Euam formauit: postea eos in pomarium intromisit, ubi fructuum esum permisit. quæ omnia die sexto facta sunt.*

Os de ossibus, & caro de carne.) *Poteram uertere (ut & primum feceram) membrum de membris, & corpus de corpore. Nam* עצם *&* בשר *non semper os & carnem, sed sæpe membrum & corpus significant. ut Psal. 6. & 37. ubi dicit uates, se oßibus & animo ægrum esse. Neq; enim ægrota sunt ossa, quæ cum neruos non habeant, non sentiunt. Et in Leuitic. sæpe iubet Deus homini lauare carnem suam, id est corpus. Quid illud quod uerterunt, Ossa mea sicut cremium aruerunt? Nam membra morbo, non ossa, arescere dicuntur. Item, Et exultabunt ossa humiliata: id est, membris & corpore exultabo. Iam mulier uiri membrum, & corpus de uiro sumptum rectè dicitur, quæ & integrum corpus est, & caput habet uirum. Itaque Paulus 1. Corinth. 6. sic interpretatur. nam & μέλη, hoc est membra uocat, quæ hic uerbo* עצם *declarantur. & σῶμα & σάρκα idē uocat:* ὁ κολλώμενος τῇ πόρνῃ, ἓν σῶμά ἐστιν. ἔσονται γάρ, φησίν, οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. *Quod ad uerbum sic sonat: Qui copulatur cum scorto, unum corpus est. Erunt enim, inquit, duo in carnem unam. Sed quia ex osse, id est ex costa, facta est Eua, malui sic transferre.* Os & Caro.

Hæc uocabitur mulier.) *Hebraici uerbi ea ratio est, quasi tu à uiro dicas uiraginem. Et paulo pòst quod uxorem uertimus, idem uerbum est. Sed quia mulier pro uxore latinè dici non solet, cum Hebræum uerbum utriusq; sit commune, alio nobis utendum fuit.* Virago.

Aerumnis.) הרן *est pariendi dolor, qui græcè* ὠδὶν *uocatur: nos eius proprium nomen non habemus.*

Viuentium omnium mater.) *Hebræis homines à uita aliquando denominātur, Latini mortales appellant. Sed hic propter nominis rationem mortales dicere non licuit. Adde quòd in nomine Viuens, siue de homine, siue de Deo dicatur, multa possunt intelligi, quæ in nomine mortalis non possunt.* Viuens.

Periculum est ne.) *Ad uerbum, Et iam ne: quæ reticentia est. Hoc modo loquuntur aliquādo Galli. Tale est illud Matth. 25.* μήποτε οὐκ ἀρκέσῃ ἡμῖν καὶ ὑμῖν, *Ne fortè non satis sit nobis & uobis. Et illud ad Roman. 9.* μήπως οὐδὲ σοῦ φείσεται. *& Aristot.* ἠθικ. νικο. *ἐν τῷ κ. cap. 2.* μήποτε δὲ τοῦτο οὐ καλῶς λέγεται. *& cap. 3.* μήποτ' οὐ λέγουσι τὸ αἴτιον.

EX CAP. IIII.

Certè si rectè facies, litabis.) *Hebraicè, Si rectè facies,*

elatio:

Qui rectè uiuit, Deo placet.

elatio: scilicet erit, id est impetratio. quę Hebraismū Galli exprimūt, cum dicunt exaltari pro litare, id est, sacrificando aut supplicãdo impetrare, esse exaucē. Est autē hæc sentētia: Certè (hoc enim significat הלא, nec semper est interrogãtis) si rectè facies, sicuti frater tuus, ego te, sicut eum, respiciã. Sin minus, noxa, & peccati pœna, & ipsum adeò peccatum tibi, tanquã foribus accubãs, imminet, quod peccatū à tuo pendebit imperio. Nam rectè faciendo id superabis, ut tuus frater, qui ab eo non læditur: prauè autem faciendo, superaberis. Quare si uis fraternæ socius esse felicitatis, esto & uirtutis. Vt enim qui peccat, seruus est peccati: ita qui rectè uiuit, peccati dominus est. Huiusmodi locutio est Num. 32. Nisi ita feceritis, scitote uos in Iouam peccare, futurumq; ut uestrum peccatum uos inueniat: id est, ut pœnas detis. Esse autē masculini generis חטאת, patet ex adiectiuo רבץ, ne quis fortè neget cum relatiuo posse conuenire.

Scenitæ.

Qui primus tabernacula habitauit.) Principiò pastores tabernaculis habitabant, & subinde locum mutabant, ex quo scenitæ dicebantur, ut est apud Plinium. Huius ergo rei autorem hunc tradit Moses.

Lamechi dictum.

Si quem ego hominem plagis.) Moses in recensendis Caini posteris, insignia eorum facta aut dicta obiter annotat. Igitur Lamechi nobile documentum narrat hoc. Homicidium ita nefarium habetur Deo, ut statuerit, si quis etiam Cainum, hominem fratricidam, occiderit, eum tanto esse supplicio dignum, ut si septies mori posit, septies sit interficiendus. Quid ergo æquum est fieri in cæde hominis non homicidæ? Si ego hominem plagis, si quem mortalem uulneribus interficerem (geminata sententia est, ut in sententiosis dictis fieri solet) id est, si quis hominem aliquem interficeret (utitur enim prima persona pro quauis, ut Paulus, ubi ait: Si linguis hominum loquerer, & geniorum, &c.) cum Cainum, hominem nefarium, occidere tam detestabile sit, ut septuplione sanciatur, profectò (sic enim literam uau interpretor, quæ sæpe est concludentis, ut Ezech. 31.) in Lamecho, id est in eo qui hominem quempiã non homicidam occideret, pœna esset multo grauior. Quod autem uerto, Si interficerem, cum sit in Hebræo præteritum: sciendum est, Hebræos præterito uti pro coniūctiuo, ut & alibi fit, & Iob. 3. & Psal. 44. & Iud. 8. & Ierem. 37. Item quod uerto mortalem, in Hebræo est ילד, à nascendo denominatum: quod quanquam ferè iuuenem significat, tamen hic non ætatis habetur ratio, sed nascendi conditionis. quemadmodum cap. 16. dicuntur omnes ילדי domus Abrahami circuncisi, id est omnes uernaculi, cuiuscunq; essent ætatis. & Num. 13. ילדי הענק, id est, Enaquini. ut sit idem quod בני הענק ut paulo pòst dicuntur. Et Esaiæ 2. ילדי נכרים, id est extranei. Nec absurdū est, omnes natos dicere, pro omnes mortales, præsertim hic, ubi cū eadem sententia diuersis uerbis iteraretur, cum uerbum significantius in priore parte esset occupatum, in posteriore satis fuit aliquod poni, quod esset cognatum: id quod fit in Psalmis frequenter. Apud Esdram quoq; lib. 4. cap. 4. sic legitur: Quis natorū poterit facere, ut me interroges de his? id est, quis mortalium? id quod ex Hebræo uidetur esse translatum.

EX CAP. VI.

Deorum filij.

Hominum potentissimi.) In Hebræo est, Deorum filij. Sed utuntur substantiuis sæpe pro adiectiuis, quæ rariora habent: ut sint Deorum filij, pro diuinis, id est, præstantibus. ut etiam in Psal. 82. dij siue diui uocantur iudices, & aliorum gubernatores. & Iob. 41. potentes: sicut Galli à Deo ea denominant, quæ in suo genere excellunt: ut ignem Dei, pro luculento: hominem Dei, pro diuino & religioso: quemadmodum & Latini diuinum Platonem dicunt. Filij autem uocabulum sæpe idem est quod homo: ut filij Israel, id est homines, aut uiri Israelitæ: filij hominis, id est homines. ut Galli dicunt, enfant de Lyon, pro Lugdunensi: enfant de uille, pro ciue: enfant perdu, pro homine profligato. & Græci, υἷες ἀχαιῶν, pro Achæis: & ἰατρῶν παῖδες, pro medicis. Sic hoc loco deorum filios putaui appellatos. Si quis tamen ueriorem aliquam interpretationem habet, nolo ut meæ hæreat: nam uerba sunt ambigua, & ego dubito.

De decurtata uita hominis.

Non perpetuò contendam.) Indignum existimauit se, qui esset animus & Deus, cum hominibus, qui essent corporei & mortales, tamdiu rixari. Propterea statuit hominum uitam decurtare. Dicitur autem cum hominibus contendere & pugnare Deus, cum eorum sceleribus (quibus nihil est diuinitati repugnantius) irritatur. Cum igitur homines essent, qui & uitam, quam ducebant longissimam, & uires, quas immensas habebant, & multitudinem, qua plurimum poterant, ad omne flagitiorum genus cōferrent, & in dies deteriores fierent: statuit Deus huic malo occurrere, præfinito breuiore uiuendi spacio, ut minus diu uiuendo, minus multa flagitia possent committere. sicuti solent quædam ciuitates suorum magistratuum tyrannidem, breuitate aut infirmitate potestatis impedire. Sed primum diluuij remedium tentauit, uita statim ad semissem ferè accisa. nam post diluuium nati, ante quingentesimum annum moriebantur, cum antè superarent nongentesimū. Deinde linguarum fecit diuortia. Postremò, cum illa non satis essent, fecit quod erat minatus. Itaq; Abrahamus sexagenarius senex est, cum eius tritauus Heber 464 annos uixerit. Habes uitæ breuitatem. Nec impedit, quòd nonnulli etiam post Abrahamum centum uiginti annos excesserunt. Nam & multi Mosis tempore octoginta annos superabãt, quem tamen uitæ humanæ modum statuit ille psalmo 90. Satis est enim, hunc esse iustum & uulgarem uiuendi modum: nec ita exiliter ad calculū reuocandi sunt anni, non magis quàm littora. Hunc locum eodem modo interpretatur Iosephus. Adde quòd hæc unius hominis ætas occultè indicare uidetur totius humani generis ætatem, si fiant anni Iubilæi.

Terebinthus.

Ex terebinthina materia.) Terebinthum tradunt materie esse lenta, & fideli ad uetustatem, in Syria proceram apud Damascum insignem: quæ materies sola ungi uelit, meliorq; oleo fiat. eiusq; baccas esse sulphurosas, id quod ad nominis rationem pertinet. nam hæc arbor gopher, sulphur autē gophrit dicitur. His rebus adductus, terebinthū uerti. Nam pinus (hanc enim putant esse quidam) aliud nomen habet. neque tamen de terebintho prorsus affirmo, sed certius nihil habeo.

Arcæ Noe mensura.

Longitudo trecentos cubitos pateat, &c.) Huius arcæ dimensionis eadem proportio est, quæ hominis supini iacentis, ut me quidam Italus docuit. Erat enim ea arca imago quædam hominis mortui iacentis, & tamen reuicturi, ac resurrecturi. qua de re uide 1. Pet. 3. ad finem. item quæ à Paulo scripta sunt de baptismo.

EX CAP. VIII.

Ararat.

Super montes Ararat.) Sibylla montem hunc tradit in Phrygia esse, his uerbis:

Hinc ubi fatalis trabs huc illucq; natauit,
Murmure cum rauco ponti iactata fluentis,
Appulit exiguæ terræ, tandemq; quieuit.
Assurgit Phrygiæ mons quidam in finibus atræ,
Arduus, alta petens, Ararat quem nomine dicunt, &c.

Corui nuncium.

Emisit coruum, qui egressus reuertit.) In Græco & Latino negatur reuertisse. Inde natum Gallicum prouerbiū, Corui nuncium: quo notatur is, qui missus non redit. Vtra sit lectio uerior, non affirmo. Sibylla quidem redijsse negat.

EX CAP. IX.

Homicidij pœna.

Vestri quidem sanguinis, &c.) Sensus est: Hominis necem & in ipsos homines, & in bruta uindicabo (id quod facit per magistratum, cum iubet etiam bestiam, si hominem occiderit, necari) brutorum autem necem in homines non item.

EX CAP. XVII.

Vtinam modò facias, ut propagetur Ismael.) Ad uerbum sic: Vtinam coram te uiuat Ismael. Coràm autem, aut in conspectu esse dicitur, quod est in potestate, & ab aliquo effici tur, effici ue potest. ut suprà cap. 13. dicebat Abrahamus Loto: Tota terra est in tuo conspectu. hoc est, tibi exposita est, tibi patet, utere ea tuo arbitratu. Item 2. Paral. 6. Non deerit tibi homo de meo conspectu, qui sedeat in solio Israelitarum: hoc est, efficiam ut nunquam desit de tuis posteris, &c. Viuendi autem uerbum hoc loco de generis propagatione dici, perspicuum fit ex ijs quæ mox ad hæc Abrahami uerba Deus respondet.

EX CAP. XVIII.

Seruus tuus.

Noli me præterire.) *In Hebræo est, Noli tuum seruũ præterire. sed hunc Hebraismum lingua Latina respuit: Gallica retinet, uotre seruiteur. Quod autem unũ salutat, id facit, quoniam dominũ salutare singulari numero solet Hebræa lingua, etiam si plures sint: quod idem postea facit Lotus.*

Facere.

Qui eum facere properet.) *Facere uitulum, pro mactare positum est: quod loquendi genus frequens est apud Catonem & Varronem.*

Anno uertente.) *In Hebræo est, Tempore uitæ, siue uitali, quod (ut arbitror) significat anno proximo: quoniam uita, id est, ætas, annis, non diebus, aut mensibus numeratur. Nam & superiore capite dixerat, Hoc proximi anni tempore.*

Tum Ioua Abrahamo.) *Animaduertendum est, hic tres esse genios, siue angelos: quorum duo Sodomã mittantur, unus cum Abrahamo loquatur, & Ioua appelletur, neq; Sodomam eat: qui quis nam sit, in* Exodi cap. 3. *Deo uolente dicemus. Homines autẽ uocantur, quòd humanas induerant figuras. Quod autem hic comedunt & bibunt, cum spiritus carnem & ossa non habeant, quæ corporeis pascantur alimentis, hoc quale sit, patebit ex* Tob. 12. *ubi sic loquitur* Raphael: *Nam quòd me, quandiu uobiscum uersatus sum, comesse & bibere uidistis, species fuit, quæ uestris oculis obuersabatur, cum reapse neq; comessem, neq; biberem.*

An spiritus comedat.

Quæso te Domine, ne ægrè feras.) *In Hebræo est, Ne ægrè ferat dominus meus. Sed hoc in uocatiuum conuerti, ut Latino more loquerer: quod idem sæpe facio.*

EX CAP. XX.

Etiam'ne insontes interficies?) *In Hebræo est, Etiam'ne gentem iustam? Eodem modo locutus est Virgilius: Vigilas'ne deûm gens Aenea? cum de uno loqueretur. Et Gallicè sic, Dois tu faire mourir les gens de bien? etiam si quis de uno loquatur.*

Mea soror ex patre est.) *Hoc est, consanguinea (sic enim loquuntur Hebræi) Thara meo patre prognata: sed non matre mea. nam non eadem matre nati sunt Abrahamus & Saræ pater Haran. Verùm ambiguitas in Hebræo sermone est, quæ in Latino non esset, si consanguinea diceretur.*

Dij.

Sed cum me Deus à domo paterna abstraheret.) *In Hebræo est, Cum me dij abstraherent. Nam quia Dei uocabulum* אלהים *pluralis est numeri, positum est etiam uerbum in eodem numero, ut & infrà cap. 35. & 1. Reg. 28. ubi sic ad uerbum loquitur saga: Video diuos ascendentes de terra. Nam eam de uno loqui, patet ex ipsa narratione, quòd dicitur Samuelẽ conspicata, & Saulus quærit quæ sit eius species. Sic loquuntur & Latini in nominibus singulari carentibus, quæ in alienam linguam per singularem numerum interdum transferenda sunt: ut si nuptias uertas* γάμον, *aut hochzcyt.*

Balantes.

Pecora & boues.) צאן *ouium & caprarum generale est, ut græcum* μῆλον, *& latinum balantes, à uoce denominatum. Sed quia durius esset, malo aut pecora dicere, ut Plinius: aut utrunq; ponere. Quanquam alicubi balantes appellabo, ut significantius interpreter.*

Qua tu tui pudoris defensione.) *In Hebræo est: Quod quidem tibi erit tegumento oculorum apud omnes qui tecum sunt, & apud omnes, & purgationi, siue defensioni. Tegumentum autem oculorum dictum est, pro defensione pudoris: quoniam pudicæ solent uelari, propter uirorum uerecundiam: ut Rebecca, cum Isaaco occurrit: cum impudicæ uirorum aspectum nihil uereantur. Est igitur hic sensus: Nummos dedi, non tibi, ne uidear precium dedisse pudoris: sed tuo uiro, homini honesto: qui eos profectò non accepisset, si te à me corruptam putaret, ne suæ coniugis pudorem uendidisse putaretur. His nummis uolo testatũ, te à me esse integram: atq; hoc tibi defensioni erit, si quis fortè te uituperet. Quod autem uerto, Apud alienos: in Hebræo est, Apud omnes. Sed quoniã iam dixerat Tuos, hic intelligendum est, Alienos: id quod sæpe fit. ut cum dicit Balaamus, Israeliticum populum non habitũ iri inter gentes: hoc intelligendum est, inter cæteras gentes. & cum iubet Christus, ea nos hominibus facere, quæ nobis fieri uelimus: intelligitur, alijs hominibus.*

EX CAP. XXIIII.

Meus, tuus, suus.

Ea sit, quam tu Isaaco tuo destinasti.) *Meus, tuus, suus, noster, uester, hebraicè dici nõ possunt, nisi uocibus quæ hæc significant, coniunctis cum nominibus substantiuis, ijsq; appellatiuis. Hinc fit, ut si coniungenda sint cum proprijs nominibus, addatur aliquod substantiuum nomen appellatiuum, quod sit capax pronominis. Itaq; si dicendũ est, Isaacus tuus (ut hoc in loco) quoniam id hebraicè dici non potest, additur seruus, aut cultor: neq; enim dici potest* יצחקך, *Isaacus tuus. Idem fit & in populus. Nam cum dicendum est, Israelitæ tui, quoniam dici non potest* ישראלך, *dicitur populus tuus. Neq; tamen nego, & Isaacum Dei seruum, & Israelitas populum & esse, & rectè dici. Sed hoc conor ostendere, posse hæc interdum ad latinam consuetudinem accommodari. Quemadmodum enim, si quod latinè dictum esset Isaacus tuus, in Hebræũ uerteretur, ita uertendum esset, Isaacus tuus seruus, aut amicus: ita quod hoc modo hebraicè dictum est, id si latinè uertatur, debet Latinorum more dici. Atq; ut ille, qui ita Latina hebraicè redderet, non esset reprehendẽdus: sic ego, dum & hunc, & cæteros Hebraismos transfero, ueniam mihi dari æquum censeo. Huiusmodi loquẽdi rationes uidere licet & in nostris linguis. nam quod latinè dicitur, Saluta Petrum nostrum: hoc Gallicè sic redditur, Recommande moy à notre amy Pierre. Item, Visit suos, Il est allé uoir ses gens: & Germanicè, Er ist zů sinem uölcklin gangen. Nec dissimile est quod dicimus, Sanguinem pauperum bibere, Boire le sang de poures gens. neq; enim Latinè rectè diceretur, Bibere sanguinem pauperum gentium.*

Si in animo habetis hoc beneficio atq; officio dominum meum demereri.) *Quod uerti Officio, in Hebræo est* אמת, *quod propriè fidem, aut uerum significat. Iam ut Latinè, uerum est, pro æquũ est, dicitur: sic etiam Hebraicè* אמת. *Atqui æquitas iustitia est, quæ in suum cuiq; tribuendo consistit: in quo inest officium, à quo officiosi dicuntur benefici, & qui quod facere debẽt faciũt. Eodẽ modo loquitur infr. cap. 32.*

EX CAP. XXV.

Cum ad obitũ usq; suis omnibus fratribus inuitis constitisset.) *Ad uerbum, Contra suos fratres omnes cecidit: hoc est, Vsq; ad casum & mortem perseuerauit atq; stetit. ut si dicas, In hac sententia moriar: id est, ad mortem usq; perseuerabo. Alludit enim ad id quod capite 16. dixerat Hagari genius, Ismaelem in fraterna simultate perduraturum.*

EX CAP. XXVII.

Anima.

Vt mihi bene preceris.) *In Hebræo est, Vt mihi bene precetur anima tua. Iam anima pro persona sæpe ponitur: ut cum dicuntur in Aegyptum descendisse animæ 70. id quod Latini dicunt, Capita. Galli Hebraismum hunc retinẽt. dicunt enim, Il ny a ame: pro, nemo adest. & ma persone, pro ego ipse.*

Et ex eadem tecum matre nati.) *Id est, fratres, qui hic à matre denominantur, alibi à patre. Est autem sublimius dicendi genus, quàm est uulgaris oratio. Itaq; geminantur sententiæ, & is adhibetur sermo, qui apud nos uel poeticus, uel certè non uulgaris est.*

A terræ pinguitudine aberit.) *Alij uertunt, In pinguitudine erit. Sed cum non possit pater Esao dare, quod Iacobo dedit, idq; ipsum Esaus ploret, & postea fratri propterea mortem minetur, necesse est ut hunc locũ aliter intelligamus. Iam pater Iacobum frumento munierat, & musto: quòd si Esaum soli ubertate, & cœli rore munit, eadem confert. Si autem eadem conferre potest, quid est quòd ille dolet? Quid doleam alterum sole frui, cum mihi nihil detrahat? Nam quod in epistola ad Hebræos scriptum est, Isaacum utriq; bene precatũ esse: fateor faustæ precationis esse, quod dicitur Esaus aliquando uicissim Iacobi iugum excussurus. Id quod factum legitur* 4. Reg. 8. *ubi Idumæi, qui antea Iudæis seruierant, defecerunt ab eis. Iam ut uerba ostẽdamus à nobis esse, legitur* משמני, *id est, ab pinguitudine, siue sine pinguitudine. quo modo Psal. 109. legitur ad uerbum: Mihi genua labant præ inedia, meumq; corpus tabescit* משמן, *à pinguitudine: hoc est, defectu pinguitudinis, & præ macie. & Ierem. 48.* מכח *sine uiribus. & eiusdem 10.* מדעת, *sine cognitione: hoc est, per inscitiam. & Lamen. 4.*

מתנובת

מחרבת שדי,frugum penuria. Latinè quoq; a aut ab significat absq;,& abesse.ut cum dicimus,Ab re.& Græcè,ἀπὸ τρόπου, ἀπὸ πατρίδος, & μελιηδέα ἀπὸ γυνῶν: & compositè amens,abesse,ἀπογίνεσθαι.

Ne fortè utroq; uestrûm orber aliquando.) Id est, Ne ille te interficiat, deinde uel aufugiat, uel capite det pœnas: quo facto,utroq; priuarer. Quod autem uerto למה ne,id sæpe faciendum est.neq; enim semper est interrogantis, non magis quàm הלא,ut & multis alijs in locis patet, & 1.Reg.20. Item quod uerto Aliquando, id in Hebræo est Vno die: quem Hebraismum habent Galli.

EX CAP. XXIX.

Quod spacium ei breuissimum uisum est, tantopere eam amabat.) Atqui nox longa,quibus mentitur amica,diesq;
Longa uidetur opus debentibus: & piger annus
Pupillis,quos longa premit custodia matrum.

Sed hic sensus est: Iacobus Rachelem præ amore tanti faciebat, ut septennij seruitutem breuem esse putaret, qua tantum præmium cõsequeretur. Nihil enim durũ est,quod fit libenter.

EX CAP. XXX.

At Iacobus ex populeis,&c.) Totius huius loci sensus est: Virgas ex parte decorticatas, & ideo uersicolores, in alueis ponebat, in quarum contemplatione pecudes salirentur, itaq; uersicolores fœtus ederent. Deinde fœtus illos ante saliendas pecudes,eadem de causa collocabat. Sed ne nihil Labani reliquum fieret, si omnis fœtura uersicolor esset,lacinias, id est, greges sibi separatim ex enato uersicolore pecore faciebat, eosq; ab unicoloribus pecoribus segregabat, quæ unicoloria pecora erant Labanis: eaq; propterea minus generosa, quòd Iacobus ad minus generosorum admissurã uirgas non ponebat, & ideo illa fœtus sui & colore & genere similes edebant.

EX CAP. XXXI.

Qui erat antehac.) In Hebræo est, Vt heri nudiustertius: euiusmodi Hebraismo etiam Græci utuntur, χθὲς καὶ πρώην. & Cato de Re rustica eo sensu dixit,pridie.

Nemo apud nos adest.) Confirmantur pacta, hominum testimonio: eadem, si nemo testis adfuit,negari possunt. Paciscitur ergo Laban cum conditione,in hanc sententiam: Si tu filias meas durius habebis, Deum contestor, hæc pacta tum perinde fore,ac si nemo hic adesset: id est, fore irrita. Non absimile est illud: Quod scis,nescis.id est,perinde age ac si nescias.

EX CAP. XXXII.

Eius cauum femoris perstrinxit.) Putaui aliquando esse poplitem. Sed mihi dixit Iudæus quidam, esse cauum femoris ad inguen,cum eum interrogassem,quo nam neruo abstineret.

Neruo contrahente.) Quidam nerui membra adducunt atq; contrahunt. Hi si quo affectu contrahũtur,ut extendi non possint,membra porrigi prohibent. Hinc est Iacobi claudicatio, ut propter neruum breuiorem factum, femur extendere non posset.

EX CAP. XXXIII.

Quesita. Centum quesitis emit.) Quesitam fuisse nummum puto non uilem: id quod tum ex hoc loco conijcio,tum ex Iobi capite ult. ubi scriptũ est,Iobo amicos singulos dedisse quesitas.

EX CAP. XXXVII.

Postea Ruben ad puteum reuersus.) Ruben (ut narrat Iosephus historicus) Iosepho in puteum demisso discesserat, neq; uenditioni adfuerat. Deinde noctu reuersus, ut fratrem subduceret,eo non inuento,conquestus est apud fratres, à quibus rem didicit.

Eunuchus. Pharaonis eunucho,magistro equitum.) Eunuchos reginis præficiebant reges,homines castratos, ne illas stupraret. Sed paulatim obtinuit usus (sicut ego suspicor) ut eunuchi dicerentur præfecti, quamuis non euirati: sicut Latinis senatores, quamuis non senes. Nam si castratus erat Potiphar, quorsum ei uxorem? Quod autem magistrum equitum uerto, non magistrum laniorum, aut coquorum, ut alij, & Iosephus, qui ἀρχιμάγειρον: in causa est,quod 4.Reg.24.hoc eodem nomine uocatur Nabuzaradan, cui incendenda Hierosolyma mandata est: quod munus profectò non est magistri laniorum, aut coquorum. Itaq; illic idem Iosephus rectius uertit στρατηγόν. Nominatur autẽ Hebræis à mactãdo שר טבחים ש,רבטבחים, fortasse quòd supplicia sontibus irrogabat.

EX CAP. XLI.

Sine me Deus tibi,Pharao,salutaria respondebit.) Ad uerbum legitur, Sine me Deus respondebit pacem Pharaonis. Sed nomen שלום non solum pacem declarat, sed etiam salutem.ut est in Daniele,in epistola Nabuchodonosoris: Nabuchodonosor gentibus,pax uobis multiplicetur: (sic enim uertunt) id est, salutem plurimam dicit. Sed de hoc aliàs. Est autem hæc sententia: Ego tibi salutaria respondebo, sed huius responsionis autor erit Deus.

Digitum contra tuam uoluntatem proferet.) Id est, quicquam audebit. In Hebræo est,manum pedem'ue mouebit. Sed eiusmodi Hebraismi sunt in nostram loquendi consuetudinem mutãdi: qualis est ille cap.14. Neq; pilum,neq; calcei corrigiam à te capiam: quod latinè dicitur,Ne pilum quidẽ. item, Neq; bonum, neq; malum: pro, Ne uerbum quidem, aut nihil omnino.& illud, Nec ad dextram,nec ad sinistram: id est,nullam in partem. & multa huiusmodi. quod ideo hic commemoro,ne deinceps eadem mihi sint subinde dicenda.

EX CAP. XLII.

Et eos numero exploratorum habuisset.) Ad uerbum legitur,Et posuit nos pro exploratoribus. Sic 1.Reg.1. Noli me ponere apud improbas: hoc est,improbã putare. Latini quoq; ponere pro existimare dicunt. ut, Voluptatem in bonis rebus ponere: &,Pone ita esse.

EX CAP. XLIII.

Liberaliter cum eo potauerunt.) In Hebræo est,Inebriati sunt. sed id uerbum non semper inebriari significat, sed ea notione dicitur in bibendo,qua satiari in comedẽdo. Et in Esa.49. ad finem dicuntur sanguine inebriari, qui sanguinem bibunt. Inebriari.

EX CAP. XLVIII.

Per uos bene precentur Israelitæ.) In Hebræo est,Per te. Sed cũ utriq; dicatur bene ominari,& Græcè legatur ἐν ὑμῖν, malui per pluralem uertere. Est autem hic sensus: Opto uobis tantam felicitatem,ut deinceps qui uolet alicui bene precari,uestra in precando nomina adhibeat.

EX CAP. XLIX.

Non excelles.) Rubenis erat,fratres ut ætate,sic etiam cæteris rebus antecellere. Sed quia patris concubinam stuprauit, ius illud amisit. Neq; hoc solum de ætatis prærogatiua intelligo,sed etiam de hominum numero,quo ab alijs superata est tribus Rubenia.quod idem Moses Deuter.33. prædicit his uerbis: Viuet Ruben,non morietur,sed erit numero paucus.

Eorum nolim aut in fidem uita mea ueniat,aut in societatem honos committatur.) Quod uerto Fidem, in Hebræo est arcanũ. Est autem hæc sententia: Nolim uitam meam eorum arcano (id est,fidei: nam quibus fidimus,eorum in arcana & penetralia intrare non dubitamus) committere. Nam mihi facerent, ut fecerũt Sichemitis, quos contra datam fidem peremerunt. Nolim item honorem meum eorum societati concredere. sunt enim perfidi, qui illis promissa non præstiterint: id quod dedecori esset etiam mihi,si essem eorũ socius. Loquitur autem per primam personam pro quauis.ut sit hæc sententia: Non est tutum,eis fidem habere uel uitæ,uel honoris. Quo modo loquitur Virgilius: Ne mihi tum molles sub dio carpere somnos, Neu dorso libeat nemoris iacuisse per herbam: id est, Periculosum est eo tẽpore sub dio dormire, aut iacere. Quod autem dicit,Murum subruerint: significat eorum nefariam in Sichemam irruptionem. Deinde quod sequitur,Eos inter Iacobeos distribuam: hoc significat: Sunt inter alios dispergendi,ut minus possint ad nocendum coire. Modus est loquẽdi,cum quis dicitur aliquid fecisse, aut facturus esse, quod factum aut futurum dicit. Vt Virgilius de Sileno,

Tum Phaëtontiadas musco circundat amaræ
Corticis,atq; solo proceras erigit alnos.

Neq; enim id faciebat Silenus,sed factum canebat. Talem figuram inuenies & apud Ezechielem,initio cap.43.

De Iuda,quòd eum catulo leonis ac leoni comparat, uaticinatur

natur de uirtute bellica eius tribus. Quòd autem dicit, non defuturum de eius interfeminio rectorem: circumlocutio est seminis, quod inter femina, id est, femora emittitur. Sed Hebræa uerba sunt significantia, מבין רגליו, de inter pedes eius (ut ita loquar, docendi gratia) nam pes significat totum crus: quo fit, ut non malè uertisse uidear, Interfeminium. Eadem loquendi ratio est Deuter. 28. ubi de menstruis loquitur, inter pedes fluentibus. Est igitur sensus, non defuturum de eius semine, qui regat, ac imperiū teneat. Hoc enim significat מחוקק, ab חקק decernere. Quod deinde sequitur, Donec ueniat sospitator: in Hebræo est שילה, quod à שלה deductum, significat sospitatem, & felicitatis autorem: id est, CHRISTVM IESVM Dominum nostrum, de Iudæ semine creatum: cuius in aduentu regnum ad Herodem, hominem alienigenā, id est Idumæum, transierat, cum semper antea Iudæa tribus aut imperium, aut certè ius imperij habuisset: id quod intelligens Herodes, conatus est Dauidicam stirpem funditus euertere.

Sospitator.

Quod de uite dicit, siue palma (quæ eadem est: est enim gemina sententia) significat immensam uini copiam, quo Iudæis oculi rubeant (id quod fieri solet ex uini potione) necnon lactis, quo bibendo dentes albeant. non quia lacte bibēdo reddantur albi dentes in perpetuum, ut uino oculi: sed quia tum cum lac bibitur, dentes eo albescunt.

Issachar asinus osseus.) Quemadmodum tardus & durus asinus pastum nactus, mauult sarcinis premi, & succumbere, dum pascat, quàm cedere: ita Issachariani malent tributarij esse, quàm bonam terram nacti deserere.

Dan populum suum ulciscetur.) Hoc uolunt de Samsone dici, qui in eo similis fuit serpentis, quòd Palæstinos ex improuiso magnis cladibus affecit. Additur autem, Salutem à te expecto Ioua: ubi Iacobus omnium Israelitarum nomine dicit, se à Samsone illo auxilium expectare. nam hoc significat plerunq; salus. Et de Samsone ita legitur Iudic. 13. Incipiet Israelitas à Palæstinis seruare: id est, defendere, aut uindicare. Sicut Matth. 1. dicitur, Christus populū suum à peccatis seruaturus: id est, defensurus & uindicaturus.

Gadus à cuneo disijcietur.) Gadus cuneum significat, quæ acies est in cunei formā instructa. Significat, Gadinos primùm uictum iri, sed tandem superaturos.

Fœcundus Iosephus.) In Hebræo est, Filius fœcundus. Sed filius sæpe dicitur pro eo quod Latini adiectiuo declarāt: ut filius iræ, pro puniendo: filius interitus, pro perdito. Atq; id nomen etiam in stirpibus dicitur, ut hic. Alludit enim ad arborem, ad fontem satam. ut sit hæc sententia: Iosephus similis est arbori ad fontem satæ, & ideo fœcundæ: adeò formosus, ut eius uidendi studio puellæ in muros ascendant, ut fieri solet, cum plenæ spectatorū uiæ sunt. Nec solum formosus, sed etiam fortis est, & continens: qui & fratrum, & uxoris Potipharis telis, quasi quodā robustißimo arcu & brachijs restiterit, non sua ui ille quidem (neq; enim potuisset euadere) sed à lacertis, id est, præsidio numinis (sic enim uerto אביר, quod fortem & inuictum declarat) Iacobi. unde, id est, à quo numine, est pastor lapis Israelis, uidelicet IESVS CHRISTVS, Israelitarum & pastor, & fundamentum firmißimum. Deinde apertius declarat, quod sit illud numen: Tui, inquit, lacertorum tori, Iosephe, corroborati sunt à Deo patris tui, id est meo, qui tibi auxiliatus est in tuis rebus aduersis: ab omnipotente, qui idem te locupletabit omnibus quæ & cœli temperie, & terræ bonitate (quorum neutrum sine altero satis est) procreantur: necnon tum mulierum, tum pecorum fœtura, atq; lacte: quæ tui patris ubertates, quæ quidē montes ubertatis superāt (quomodo Latinè dicimus, montes auri) & uoluptatē collium sempiternorum, id est diutißimorum: id est, quæ sunt quàm abundantißimæ, exundabunt in caput tuum: id est, tibi cumulatè contingent, qui es fratrum excellentißimus (eius enim fuit ætatis prærogatiua, ut est 1. Paralip. 5.) Aequum est enim, ut qui alios uirtute superas, eosdem etiam felicitate antecedas. נזיר enim ab amputando & eximendo ductum, significat eximium, & ex alijs propter excellentiam segregatum: ut positum est Nah. 3. quales erant Nazaræi (quod uerbum hinc ductum est) homines Deo deuoti, & ex aliorum numero tanquam singulares quidam sepositi.

Nazaræi.

Beniamin ceu lupus prædabitur.) Significat, fore illam tribum uenandi studiosam, atq; bellicosam.

IN EXODVM

EX CAP. III.

Christus.



VI hic Mosi apparet, idem genius, aut nuncius, & Ioua & Deus uocatur in hoc capite. Idem Gen. 18. ubi Abrahamo apparet, Ioua dicitur. Idem Hagarem in deserto errantē, & ut genius, & ut Deus alloquitur. Idē cum Balaamo in asina equitanti occurrit, genius uocatur: & tamen dicit, Balaami iter esse contra se institutū: id quod Dei, non genij loquentis est. Eundem Iacobus Gen. 48. & Deum uocat, & genium. Ac ne singula prolixius persequar, plenæ sunt exemplorum literæ. quare hæc res nobis paulo altius repetēda est. Principiò, qui hic Mosem alloquitur, non uidetur esse princeps ille, & Christi pater Deus: neq; enim nuncius dici posset, cum neminem habeat à quo mittatur. neq; item genius: nam Ioua non diceretur, cum hoc sit propriū Dei nomen, cumq; is maiore autoritate imperet, quàm geniū conueniat. Quis ergo est? Is profectò, quem Paulus 1. Cor. 10. dicit à Iudæis fuisse tentatū, ideoq; eos à serpentibus extinctos: uidelicet Christus, per quem Deus mundum & fecit, & regit: quem Sibylla uersibus illis, quos in primum caput Gen. posui, filium Dei uocat. Is est, qui Israelitas ex Aegypto eduxit, cum quo Moses & Elias in monte Taburo loquebantur, qui hoc loco Dei nuncius uocatur, quòd à patre missus est: quoniā patris ipsius præsentiā mortales non ferūt. Idem Ioua dicitur ab היה, quod esse significat, quoniā semper fuit, semper est, semper erit, sicut in Apocal. dicitur: ὁ ὢν, ὁ ἦν, ὁ ἐρχόμενος. est enim unū cum patre, eiq; coæuus, à quo omniū natura pendet. Eundem Iouam uocat & Esaias 40. cum de Iohanne baptista loquitur his uerbis: Vox clamātis in desertis, parate uiam Iouæ. & paulo pòst: Ecce Dominum Iouam fortiter uenientem, &c. Et Dauid Psal. 68. si quis eum diligenter legat, idem Deus dicitur, ut est. ut & Thomas reipsa uictus fatetur, Dominus meus, & Deus meus. & Paulus ad Ro. 9. profitetur: A quibus (inquit) ortus est Christus, quod ad corpus attinet, qui est super omnia Deus laudādus in sempiternum. Et genius Luc. 1. Israelitarum Deum appellat. & Esaias cap. 9. Deum fortem. Sibylla quoq; eum uocat Deum, his uerbis lib. 8.

Rex tibi nunc nostris descriptus in ordine summo
Versibus, hic noster Deus est, nostræq; salutis
Conditor æternus, perpessus nomine nostro.

Et in eodem libro Gabriel Mariam alloquens:
Accipe uirgo Deum gremio intemerata pudico.

EX CAP. IIII.

Cum eum Ioua peteret ad necem.) Moses uxori, ut uidetur, morem gerēs (nam ea, cum Iudæa non esset, à circuncisione abhorrebat) filium non circunciderat. Eam ob rem Deus eum, tanquam uxori magis quàm Deo obedientem, petebat ad necem. Sed Sephora causam intelligēs, filium circūcidit, eiusq; præputium ad mariti pedes abiecit, maritum sanguinarium uocans, quòd eius uitam filij sanguine redemisset.

Digitum esse Dei.) id est, manum: pars pro toto, id est opus. Sic in octauo Psalmo, dicuntur cœli opera digitorum Dei: id est, manuum.

EX CAP. IX.

Mortuo omnis generis pecore.) Ad uerbum legitur, Mortuum esse omne pecus: hoc est, pecora omnis generis, non tamen omnia, ut postea apparet in grandine, & quadrigarijs. Hoc pacto Gen. 24. dicitur Abrahami dispensator in Mesopotamiam ferre omnia bona domini sui. & Act. 10. dicuntur in illo utensili, quod uisus est sibi uidere Petrus, esse omnia terrestria quadrupeda.

EX CAP. XII.

Ab ipsius Pharaonis, qui in solio sederet, ad seruarum primogenitos.) In Hebræo sermone dubium est, utrum Pharao, an filius in solio sedere, hoc est regnare, aut (si de filio) regnaturus

regnaturus esse dicatur. Sed cum autor Pharaonem ancillis, summum infimis opponat, non dubium est, quin & Pharaonis opus (quod est, in solio sedere) ancillarum operi (quod est, molam trudere) opponat. Adde quod præsens participiũ, quod sedentem sonat, pro sessuro, non satis aptè poneretur. Quod autem uerti, in solio, in Hebræo est, solio suo, addito pronomine, quod apud nos est sæpe superfluum. sicuti quod paulo antè dictum est, Bacillos manibus tenentes, in Hebræo est, bacillos uestros. & cap. 21. Foras baculo innixus ierit, in Hebræo est, baculo suo. & 1. Reg. 18. Saulus mille, decem superauit millia Dauid: in Hebræo est, suum mille, & sua decem millia.

Agnos aut hœdos mansionatim sumant.) Hebræum uerbum unum est, agnorum & hœdorum commune: sed hic uerbi laboramus penuria.

Cum cichoreis.) Herba est Hebræis ab amaritudine dicta, ut & Græcis, qui πικρίδα uerterunt. Latini intubum, aut cichoreum uocant.

Deq; omnibus Aegyptiorum dijs pœnas sumam.) In Hebræo est, Iudicia faciam. Sed hominum iudicia sæpe ab effectu sunt separata: Dei iudicio & decreto coniunctus est euentus rei. quo fit, ut sæpe iudicium pro ultione, quæ iudicium consequitur, ponatur. quemadmodum ברך, cum de hominibus dicitur, significat bene uelle, aut precari: at cum de Deo, significat fortunare & fœcundare, quoniam cum Dei uoluntate res ipsa coniuncta est. Sumpsit autẽ pœnas Deus de Aegyptiorum dijs, cum Aegyptios, qui in eorum tutela erant, ipsis inuitis occidit. Neq; tamen dij erant, cum sit unus: sed deos humano more uocat, quicquid illud erat, quod pro Deo habebatur.

EX CAP. XV.

Iouam canto.) hoc est, cantamus: singularis pro plurali. quod sæpe fit etiã in prima persona, non solum apud Hebræos, sed etiam apud Græcos, præsertim in tragœdiarum choris: & apud Latinos, ut apud Liuium initio lib. 9. Decadis primæ.

Ioua uir bellicosus.

Ioua uir bellicosus.) In Hebræo est איש מלחמה, id est, uir belli. Sed intelligendum est, Hebræos adiectiua à substantiuis non habere, qualia habent Latini. Itaq; uectem ferreum dicunt uectem ferri, & domum ligneam domum ligni: ut & Galli, Maison de bois. Sic igitur pro uiro bellicoso dicunt uirum belli. Quòd autem uirum uocat, ostendit Iouam esse Iesum Christum, qui & Deus sit, & homo. qui etiam Deut. 33. uir appellatur. de quo in Matth. 1. Deo uolente, plura scribemus.

EX CAP. XVI.

Man hu.

Man hu? quid hoc.) Man hu interpretantur Hebræi, donum est: sed non bene, mea quidem sententia. Primùm hoc uerbum pro dono nusquam alibi ponitur, nisi quòd uolunt mutilatum à מתנה, aut זמן. Sed hoc ludere est, uel potius hallucinari. Nam hac ratione licebit quoduis uerbum de quouis deducere, modò uel unam literam habeat cum illo communem. Præterea non dicerent Hebræi, donum est, sed cibus est, & quidem cum articulo. non enim donum eis, sed cibũ promiserat Deus. Ad hæc, cum dicat Moses, Nesciebant enim quid esset: oportet in eo esse dubitationem & ignorantiam. quæ nulla esset, si dicerent, donum est. Sed bene uerterunt Græci, & Hieronymus, Quid est hoc? cuius interrogationis ratio subiungitur, Nesciebant enim quid esset. Nec obest, quòd man, non mah, legitur. est enim idem, ut in Psal. 61. legitur. Eodem modo interpretatur Iosephus, τί τοῦτ᾽ ἐστίν. Illud obiter dicam, manum ueteres Latinos appellasse bonum, teste Varrone: quod uerbum uidetur à manna deductum.

EX CAP. XVII.

Quia Iouæ manus signo admota est.) Ad uerbum sic legitur, Quia manus ad signum Iouæ: bellum est Iouæ cum Amalechitis in sempiternum. Reddit autem rationem nominis aræ, quam יהוה נסי uocauit, à נס, quod est signum, id est uexillum. Nam quod in Hebræo legitur כס, mendum est, tum quia nominis ratio non redderetur, quia nomen Iouanissi non à כס deductũ est, sed à נס: tum quia כס nihil significat, quanquam uolunt positum pro כסא, id est solio. sed & puncta mutant, & uocem mutilant, & etymologiam atq; sensum peruertunt: neq; ullum locum habẽt, ubi ita sit positum, nisi hunc: qui cum sit controuersus, testimonio esse non potest. Iam quàm facilè נ in כ degenerauerit, ex figuræ similitudine intelligi potest. Iosephus quidem mecum facit, qui dicit Deum à Mose νικαῖον nominatum, nimirum à uictoria, quæ signa comitatur: nisi fortè à נס νικαῖον dixit, ס in κ mutato: sicut à פסח πάσχα, eadem literæ mutatione, sed aspiratæ. quæ ratio meæ lectioni consentit. Est autem hic sensus: Ioua manum signo admouit, ad Amalechitas delendos in sempiternum.

EX CAP. XIX.

Certos ei terminos statuimus.) Ad uerbum sic legitur, Tu nos admonuisti his uerbis: Defini montem, eumq; lustra. Atqui non montẽ Deus definiri & lustrari iusserat paulo antè, sed populum. itaq; non ההר sed העם legendum uidetur.

EX CAP. XX.

Simulacrum ullius rei quæ extet.) Ad uerbũ in Hebræo ita legitur: Ne facito tibi simulacrũ, & ullam figurã quæ sit in cœlo. Sed hoc sensu caret: non enim fit figura quæ est in cœlo, sed fit simulacrum figuræ, id est rei aspectabilis, quæ est in cœlo. Itaq; emendatius legitur Deut. 5. ubi sine coniunctione ו legitur, לאתעשה לך פסל כל תמונה Ne facito tibi simulacrum ullius figuræ, siue rei aspectabilis: cuius uerbi uim expressimus uerbo Extet. Eodẽ modo ter loquitur Deut. 4. Nec dissimile est illud Plin. 2. cap. 3. Quoniam inde (scilicet ex cœlo) deciduis rerum omnium seminibus innumeræ, in mari præcipuè, ac plerunq; confusis mõstrificæ gignantur effigies. Hæc Plinius, effigies uocans animalia ipsa effigies habẽtia. Quod autem in Hebræo est Tibi, superuacaneum est, ut ferè fit. ut cum sæpe dicitur לך לך, I tibi, id est i: quod Galli bene dicunt, uaten. Huius autem Hebraismi simile habent Latini, sed in prima persona. ut apud Horatium, Quid mihi Celsus agit? Nonnunquam & in secunda, ut apud Ciceronem pro Sexto Roscio: Alter tibi descendit de palatio, & ædibus suis. Igitur, Ne mihi feceris simulacrum: dici posset Gallicè, Ne me fay point dimage.

EX CAP. XXI.

Fortefortuna

In eum fortefortuna incurrerit.) In Hebræo est, Deus eius manui iniecerit. Sed Deus pro fortuna Hebraicè ideo dicitur, quòd quæ putãt homines casu fieri, utpote quæ non præuiderint, ea Dei prouidentia fiunt, cui nihil fortuitum esse potest. Græci quoq; δαίμονα pro fortuna dicũt. inde εὐδαίμων, felix: & κακοδαίμων, infelix. & Cicero testatur, Deum fortunam uocari.

EX CAP. XXII.

Fruges & liquorem tuum ne auertito.) In Hebræo est, Plenitudinem & lachrymam tuam: id est, fructus siccos & humidos, ut oleum & uinum, quorum prohibet decumas retineri.

EX CAP. XXIII.

Natus ancillæ tuæ.) id est, seruus tuus. Sicuti columba natus, id est columbus: filij hominum, id est homines.

Azymalia seruato.) Sicut Latini ueteres agonalia, floralia, liberalia, & cætera dixerunt: ego mihi fas putaui, azymorum festum azymalia dicere, messis messalia, conditionis conditalia.

EX CAP. XXV.

Cedrus.

Ligna cedrina.) עצים שטים tradunt nonnulli ligna esse cedrina: & rectè, sicut ego iudico. Cum sit enim cedrus & odore suauis, & tempore æterna, & cariem nunquam sentiat, non uideo quo ligno melius hæc fieri potuerint. Græci quoque uerterunt ξύλα ἄσηπτα, ligna imputrefacta: quod idem secutus est Iosephus, quæ natura nulli magis conuenit quàm cedro. Sed quum sint eius duo genera, puto hic de cedro magna dici, quæ cedrelate dicitur. Nam altera ארז uocatur.

Oraculum.


In ea arca oraculũ, quod tibi tradam, ponito.) עד non solum testari aut testificari significat, sed etiam monere, ut est positum suprà cap. 19. Hinc διαμαρτύρεσθαι pro admonere dicitur, ut 2. Tim. 2. Cum aũt de Deo dicitur, significat oraculum reddere, quod est Dei monitum & responsum, quomodo & hic, & cap. 29. & 30. ponitur. hinc עדות, quod nos oraculum uertimus, id est, Dei præcepta, quæ in arca reposita fuerunt: hinc tabernaculum oraculi, siue oraculare.

Panis appositi-titius.

Panem apposititium.) פנים præsentiam aliquãdo significat, ut 2.Reg.17.& Exod.32. Deũ hortatur Moses, ut eius facies, id est, ut præsens ipse cum Israelitis eat. Hinc panis apposititius, qui præsens semper & præstò erat, & Iouæ appositus. nã eo propter uetustatẽ sublato, continuò supponebatur alius.

Earumq; forcipes.) Forcipes uoco, quibus emunguntur lucernæ: foculos, in quos conijcitur quod emunctum est. Sed quia in tabernaculo sunt multæ difficultates, addemus figuras, quibus quasi manu doceamus, & simul difficillima quæq; enucleabimus.


ARCA ORACVLI.



Propitiatorium.


Propitiatorium est arcæ operculum, ex quo Deus responsa dabat, & se propitium præbebat, unde & propitiatorium est appellatum: quod uerbum Iosephus quidem ἐκπωμα interpretatus est, & nos eum secuti primò transtuleramus operculum: sed postea ab amico quodam docto uiro moniti, & simul intelligentes ipsi in hoc uerbo inesse uim, reposuimus propitiatoriũ. quod uerbum tametsi minus apud Latinos autores usitatũ est, ferri tamen debet, cum & necessarium sit, & ea forma dicatur, qua apud Latinos repositorium, & alia multa dicuntur. Erant autem in utroque huius operculi extremo, singuli Cherubi, ex ipso facti: atque ipsum operculum circundabat corona, quam intelligendũ est in limbo factam, qui extra arcæ amplitudinem procurreret, ut posset operculum cingere corona, quod erat pari cum arca longitudine ac latitudine.

MENSA.




CANDE-

CANDELABRVM.




Quæ ſequuntur de tabernaculo, ſunt obſcuriora. Ea nos ſic docebimus, ut primùm de aſſeribus, deinde de linteis, & cæteris alio ordine, quàm ſcripſit Moſes, doceamus: quoniam alioquin res eſſet obſcurior. Igitur משכן *ab habitando deductũ, aliquãdo ſignificat totum quod hic deſcribitur tabernaculum, unà cum ſuo atrio: aliquando eam partem, quæ cellam & penetrale continet: ſicut apud Ezechielem* היכל *modò totum templum cum atrijs, modò ſolam ædem notat. Nos tabernaculum uertimus. Id aſſeribus circundabatur octo & quadraginta: ad latus dextrum, uiginti: ad ſiniſtrum, totidem: ad occidentem, octo. Ad orientẽ pro aſſeribus erant quinq; columnæ. Hi aſſeres cum eſſent latitudine ſingulorum cubitorum ſemis, efficiebatur ut eſſet tabernaculi longitudo cubitorum triginta: latitudinem tradit Ioſephus, duodecim. Sed hoc quale ſit, uideamus. nam ſi octo latitudinis aſſeres ita collocentur, ut ſint intra tabernaculi longitudinem, tantum de eius longitudine detrahent, quàm erunt ipſi lati: ita fiet, ut non ſit tabernaculi longitudo, præter craßitudinem aſſerum latitudinem efficientium, cubitorum triginta, & tamen latitudo erit duodecim. Quòd ſi deinde tabernaculum partitus, decem eius cubita penetrali tribuas, neque ipſum penetrale erit quadratum, neque linteorum quæ poſtea traditur ratio quadrabit, neque reliquæ partis (quam hic cellam uocamus) longitudo erit latitudinis dupla: quod tamen utrumque ſit & in Solomonis templo, 3. Regum 6. & in Ezech. 41. quod utrumque templum ad huius tabernaculi proportionem eſt conſtructum. Quamobrem ita collocandi ſunt aſſeres, qui longitudinem efficiunt, ut diſtent ſeptentrionales à meridianis decem cubitos: occidentales autem ab orientalibus columnis, triginta cubitos: ita ut eorum duo extrema cubita cõſumantur in illorum craßitudine, extra illorum longitudinem collocata: ut in ſubiecta figura uides, in qua aſſerum fundamenta delineantur.*

TABERNACVLI AREA.



A asseres longitudinis. B latitudinis. C D asseres duo angulares, quorum duo extrema cubita E F, & G H sunt contra crassitudinem asserum longitudinis, quæ crassitudo est unius cubiti, relictis decem cubitis qui latitudinem efficiāt I K. quibus si addas duos illos, E F & G H, fiet latitudo quam tradit Iosephus, uidelicet duodecim cubitorum, L M. Sed hac ratione longitudo est trigintaduorum cubitorum, N O: cui tamen tantum triginta Iosephus assignat, uidelicet exclusis duobus cubitis, quos asseres & columnæ latitudinis occupant. Igitur hac ratione intra parietes est latitudo cubitorum decem, I K: longitudo triginta, P Q: cuius longitudinis, si decem cubitos tribuas penetrali ad occidentem, erit & ipsum penetrale pariter quadratū, & cellæ latitudo dimidia longitudinis, quæ proportio est & Solomonis & Ezechielis templi. Cur autem asseribus cubitalem spissitatem tribuam, cum Iosephus tantum quatuor digitos tribuat, in causa est illa, quam dixi, latitudinis ad longitudinem ratio, quam Iosephus quoq;, sed obscurè, indicat, de angularibus asseribus loquens his uerbis: Duas alias columnas faciūt ex uno cubito diuisas, quas angulares posuerūt. quibus uerbis uidetur significare, duarū illarum columnarum C D (columnas enim uocat, quos nos asseres) singulos cubitos ad lōgitudinis asseres applicari: dimidios autē cubitos G R, & E S, accedere ad nouem cubitos sex asserū, & efficere ut sit latitudo intus cubitorū decem G E. Quod autem scribit Moses, angulares asseres in imo & in summo simul uno anulo coaptari, significat extremos latitudinis asseres, cum extremis longitudinis asseribus coniungi, D cum T, & C cum V, idq; fieri & in infima & in suprema parte, ut ita inter se firmius hærerent. X sunt quinq; columnæ. In hoc tabernaculo ponebantur ea quæ tradit Moses, sicut in sequenti figura uidere licet.


ERECTVM TABERNACVLVM,
sine tegumento.



A meridiani asseres. B septentrionales. C bases, in quarum caua inseruntur cardines siue processus asserum, singulorum bini. D asseres sex occidentales. E asseres angulares. F anuli, quibus iunguntur cum extremis longitudinis asseribus. G repagula quina, per anulos traiecta, ad coniūgendos asseres, quorum repagulorum mediana per medios asseres traijciūtur. H, siparium de quatuor columnis pendens. I arca oraculi in sanctiore sanctuario. K mensa panum apposititiorum. L candelabrum. M aulæum in foribus cellæ, de columnis pendens. N sacrum, siue cella. O sanctius sanctuarium, siue penetrale. P Q latitudo tabernaculi decem cubitorum, qua si comprehendas asserum crassitudinem, erit duodecim, R S. T V longitudo triginta cubitorum, quæ erit duorum & triginta, si ea contineatur & ab occidente, asserum: & ab oriente, columnarum crassitudo. X R asserum altitudo decem cubitorum: cui si addas bases binūm cubitorum, erit duodecim, quam tradit Iosephus. Y binæ bases à suis asseribus remotæ: quod ideo faciendum curauimus, ut apparerent processus & acetabula, quæ latent in cæteris. Hoc tabernaculum tegebatur decem linteis, quaternos cubitos latis, uicenos octonos longis, quinis inter se coniunctis, hoc pacto.


TABER-

TABERNACVLVM TECTVM.



Sed quoniam inest in Mosis oratione multa obscuritas, proponamus in plano lintea, deinde Mosis uerba declaremus.


LINTEA IN PLANO EXPLICATA.




A *lintea quinq; inter se consuta:* B *altera.* C D *longitudo duodetriginta cubitorũ.* C E *latitudo quaternûm cubitorum.* F G *ligulæ, per quas fibulæ coniungebãt lintea. Quod autem dicit Moses,* Ligulas hyacinthinas facito per oram lintei quod erit ultimum in una parte commissuræ: *significat eas ligulas, quæ signantur litera* F. *similiterq; in ora ultimi lintei* G, *quod ultimum ex quinq; est, si numerare incipias ab* M *alterius cõmissuræ, hoc est alterius partis linteorum committendorum: qualem loquẽdi modum declarabimus in* 2. *Reg.* 12. *nam una est cõmissura. Si enim essent duæ, aut non essent quina lintea (nam in duabus commissuris essent tres partes linteorum, uidelicet media, & duæ ultimæ: ita fierent quindecim lintea, si quidem essent quina) aut copularentur utrinq;, ut efficerent saccum, coniunctis* I *cum* K, *&* L *cum* M: *id quod neq; tegendi tabernaculi ratio patitur, neq; uerba Mosis.* Tradit *enim bis quinquaginta ligulas, cum fibulas siue uncos tradat*

tantum

tantum quinquaginta: ex quo perspicuum fit, singulas fibulas binis adaptari ligulis, atq; ita fieri unam linteorum coniunctionem. Cæteræ autem quinorum inter se linteorum coniunctiones quatuor, non fiebant fibulis, sed sutura. Imponebantur autem ita tabernaculo, ut linteorum longitudines essent secundum tabernaculi latitudinem: ex quibus quod redundaret, id in latera deflueret, uidelicet in utrunq; octoni cubiti. Cum enim essent lintea longa uicenos octonos cubitos, tabernaculum autem duodecim cubitos, numerata in latitudine etiam asserum crassitudine, quæ & ipsa à linteis tegebatur, redundabant in latera sexdecim cubiti, qui ex duodecim supererant, hoc pacto.




Esto tabernaculi latitudo a b, altitudo c b. si latitudini imponas linteum longum duodetriginta cubitos, supererūt ab a ad d octo cubiti in latus septentrionale dependētes: itemq; à b ad e totidē in meridianū. ut sit lintei lōgitudo d a b e. His linteis imponebantur stragula linteorum longitudinem utrinq; uno cubito excedentia, quippe longa tricenos cubitos, f a b g. Et hæc de tabernaculi latitudine. Longitudinem autem occupabant linteorum latitudines, quæ cum essent decem, lata quaternos cubitos, efficiebat uniuersorum latitudo longitudinem cubitorum quadraginta, quorum trigintaduobus in longitudine tabernaculi occupatis, superabant ab oriente quatuor, ab occidente totidem: hoc est, singula lintea, quæ penderēt. Sit enim a b tabernaculi longitudo: huic si imponas lintea longa qua-



draginta cubitos, erit linteorum longitudo c a b d. ut sint a c quatuor cubiti, b d totidem, a b trigintaduo. His linteis (ut antè dictum est) imponebantur stragula eadem singulorum latitudine, sed uniuersorū longitudine (nam de singulorum longitudine iam dictum est) maiore: erant enim unum & triginta. itaq; superabant de eis ad orientem sex cubiti, ad occidentem totidem, ut esset eorum longitudo e a b f, superarentq; linteorum longitudinem binis utrinq; cubitis: hoc est, dimidijs linteis, c e, & d f. sed ab oriente, quà frons erat tabernaculi, d f replicabatur ad g, ut pateret aditus. à tergo autem c e pendebat. Et hæc quidem de tabernaculo, ex quibus Mosis uerba possunt intelligi.


Quod sequitur capite 27. de aræ foco (sic enim uertit Iosephus & Septuaginta מכבר) cratis erat ærea, reticulata, quæ intus in altari, quod erat cauum, collocata, exciperet ligna sacrifica: & ijs exustis, transmitteret carbones ad terram (ut docet Iosephus) & subter aræ contracturam collocata, ad medium aræ pertingeret: hoc est, altitudinem haberet dimidiam altitudinis aræ: hoc est, esset alta unum cubitum & dimidium.

FOCVS RETICVLATVS.



Huic imponebatur ara, ita ut focus intus in ea lateret.

ARA.



A B longitudo cubitorum quinq;. A C latitudo totidem. B D altitudo trium. E cornua. F focus. G aræ anuli, per quos traijcerentur uectes. H aræ contractura, quæ qualis esset, ex descripta apud Ezechielem ara, capite 43. intelliges. Eam autem hoc loco in medio altitudinis spacio propterea collocamus, quòd focus (qui huic subest) eò usq; attollitur. Sed quantum recederet, ex Mose sciri non potest. Est autem כרכב à רכב deductum: hoc est, ab insidendo, aut incumbendo, quòd retractio sit eiusmodi, ut in ea quasi sederi possit.

PONTIFICIS ORNATVS.



A ephodus, habens humeralia duo: hoc est, constans ex duabus partibus, quarum una pectus, altera tergum tegit. quæ partes ideo uocantur Humeralia, quòd humeris utrinq; erant impositæ. Erant autem inter se coniunctæ extremis partibus, uidelicet sub brachijs. B C limbi ephodi. D onyches in humeris. E F catenæ, quæ duobus superioribus monilis angulis per anulos annexæ, copulabantur superiori parte cum onychum circulis. G monile. H hyacinthinæ uittæ, quæ annectebantur anulis in monilis interiore parte affixis, & anteriori parte à pectore super ephodi textum ductæ subter axillas, ibi alligabantur anulis, qui sub axillis erant in coniunctione humeralium: hoc est, ubi coniungebatur dorsi ephodi pars, cum parte pectoris.

pectoris, qui anuli prodibant sub posteriori parte ephodi. qui quidem uittarum nexus efficiebat, ut hæreret monile ephodo: quod alioqui remoueretur, & laxum propenderet, si quando Pontifex esset prono corpore: quippe tantum superius alligatum, & rectà ad terram pendens. I *prætexta.* K *mala punica tintinnabulis interiecta.* L *tunica byßina.* M *lamina.* N *infula.* O *cinctus.*

EX CAP. XXIX.

Res diuina.

Vt eo rei diuinæ odore Ioua deleniatur.) *Quod rem diuinam interpretor, in Hebræo est* אשה, *quod uerbum ab igne deductum, significat rem diuinam, siue sacrificium, ad quod adhibetur ignis. Sed nos, quod idem planè ualeat, uerbum non habemus: nec necesse est ignis nominatim facere mentionem, cum in sacrificij descriptione comprehendatur. Alicubi uerto flagrantiam.*

EX CAP. XXX.

Sacrificia.

Ne'ue solido sacrificio, aut ferto fieri: ne'ue uiuum prolibari.) עלה *holocaustum est, Græcè ita dictum, quòd tota uictima ureretur. Itaq; nos ferè solidum sacrificium interpretamur: sed ponitur sæpe pro hostia, seu uictima. Itaque pro ratione sententiæ sumus interpretati.* זבח *autem sacrificium significat, in quo uictima pollucebatur, id est comedebatur.* מנחה *munus erat dapale, à ducendo siue ferendo denominatum, sicut Latinè à ferendo fertum, quo Persius utitur, & Cato de Re rustica: unde ferto facere, aut dapem facere, fertum obmouere. Aliquando significat munus, siue id Deo fiat, ut Genes.4. siue homini, ut Genes.33. Nos, ut postulat sententia, ita uertimus.*

Casia.

Iris quingentos.) קדה *casiam interpretatur. Sed casiam Hebræi eodem nomine, quo Latini appellant, ut est in Psal.45. Itaq; malui hic Iosephum imitari.*

Honorarium.

Eo honorario.) רום *propriè attollere est, sed aliquando excipere & seponere, ut etiam Gallicè leuer: ut positum est Ezech.45. & 48. ubi terræ pars Deo excepta, uocatur Iouæ* תרומה, *hoc est honorarium, ut nos hic uertimus. Neque enim regio attollebatur, ne quis fortè contendat uerbum hoc uertendum esse superstitiosius per attollo, aut effero. Atq; eodem modo positum est & Prouerb.29. Hinc pectusculum exceptitium: hinc Exceptitia dicta sunt, quæ Deo destinabantur, atq; excipiebantur.*

EX CAP. XXXIII.

Facies.

Egomet præsens ibo.) פנים *significare præsentiã, iam suprà notatum est: hinc dicit Deus, faciem suam ituram unà, id est semetipsum. hinc Mosem alloquitur* פנים אל פנים, *id est, coram, & præsens præsentem.*

EX CAP. XXXIIII.

Fides.

Ad auxilium propensus.) אמת *fidem significat. Iam fides etiam Latinè pro auxilio & tuitione dicitur: cum dicimus implorare fidem alicuius, & fidem tuam obsecro: & in fide alicuius esse, id est in tutela.*

IN LEVITICVM.

EX CAP. IIII.



I sacerdos inunctus deliquerit in noxiam populi.) *id est, cuius delicto etiam populus teneatur. sicut capitis, aut cuiusuis membri morbus ad totum corpus pertinet: & sicut Achanis aut Dauidis peccatum toti populo nocuit.*

Respublica.

Sin autem cuncta Israelitarum respublica.) ערה & קהל, *quæ multitudinem & concionem interpretantur, ferè eandem notionem habent, significantq; rempublicam, & ciuitatem, quam Græci πόλιν uocant, quæ est (definiente Cicerone) hominum cœtus iure sociatus. atq; ita interpretatur Iosephus Antiquit.3. ubi tradit, Mosem leprosos exegisse τῆς πό-λεως, id est, ex aliorum cœtu, & ciuitate.*

EX CAP. V.

Columba natus.

Duos columba natos.) *id est, columbos. ut* בת היענה *pro struthione. Sic Varro lib.1. de Re rust. Colonus in agro surculario, ne capra natum pascat: hoc est, caprum. Id autem citat ex lege colonica, ut intelligas priscum Latinorum sermonem propius ad Hebræum accessisse.*

EX CAP. XI.

Quæcunq; diuisas ungulas habent, & bisulca sunt.) מפרסת פרסה, *id est, quod diuisis est pedibus in duas fissuras, siue in plures.* שסעת שסע *autem, quod bisulcum est. Igitur quæ bisulca sunt, & ruminant, ea ad esum permittuntur. Quod aũt hoc in loco lepus & cuniculus negatur esse* מפרסת פרסה, *hoc ita intelligendum est, si coniungas quod in propositione positum est* שסעת שסע. *ut sit hic sensus: Lepus non diuisas habet ungulas, id est, non habet id quod ego posui in propositione, ut fißis pedibus sit, idq; in duo. Hæc causa fuit, ut ego sic uerterem. Atq; ita esse facilè intelliget, qui totum hoc caput, & Deuter. decimumquartum, diligenter excutiet. Tale quid inuenies Esa.58. & Ezech.21.*

EX CAP. XIII.

Sin autem lepra effloruerit.) *Lepram uocat, id quod lepræ suspicionẽ facit, quamdiu de eo dubitatur: quamuis lepra non sit, ut paulo pòst apparet. atq; hoc modo sæpe loquitur.*

Siue in exteriore parte, siue in interiore.) ערב & שתי *uertunt stamen & subtegmen. Ego non possum intelligere, quomodo poßit macula in alterutro tantum inesse, cum ea duo ita inter se mixta sint, ut alterum sine altero lepra infici non posse uideatur. Arbitror hic significari faciem panni exteriorem, quæ oculis subiecta est: & interiorem, quæ uillosior, & minus elegans esse solet, ut uulgò in laneis pannis & mappis uidemus.*

EX CAP. XVI.

Caper caprinus.

Capros caprinos.) *Solent in Hebræa lingua uoces quædam poni, superuacaneæ illæ quidem, sed non sine antiquitatis uenustate: ut uolucres aereæ, & pisces aquatiles, pro uolucres & pisces: ut poetæ niuem albam, & glaciem frigidam uocant. Sic hoc in loco capri caprini dicuntur, pro capris. Nec dißimile est illud,* Po. Ro. *Quiritium. Ego ab antiquitatis maiestate abhorrere nolui: neq; tamen semper ita uerti.*

EX CAP. XX.

Et alter alterius uerendis fuerit potitus.) *id est, rem habuerint inter sese. Est autem in Hebræo, Verenda uiderint. Sed uidere ponitur sæpe pro consequi, aut sentire: ut, Videre corruptionem, uidere terram à Deo promissam.*

EX CAP. XXI.

Ne in principis quidem.) *Videtur in Hebræo una litera transposita, legendũq;* בבעל עמייו, *non autem* בעל בעמייו. *nam & Hieronymus ita uertit, & hoc sententia postulat, cum hic non principi, sed sacerdotibus præcepta dentur.*

EX CAP. XXIII.

Sabbathum monetum.) *Hoc adiectiuum à monendo deduxi, quomodo Latini Iunonem Monetam dixerunt.*

Perseæ fructum, palmarum spadices, &c.) *Hoc in loco secutus sum Iosephum, qui hæc etiam oculis sæpe usurpauerat. Is igitur Antiquit.3. cap.10. de his ita scribit:* φέροντας ἐν ταῖς χερσὶν εἰρεσιώνην μυρσίνης, καὶ ἰτέας σὺν κράδῃ φοίνικος πεποιημένην, τοῦ μήλου τοῦ τῆς περσέας προσόντος: *Manibus ferentes (inquit) myrti, salicisq; ramum, cum spadice palmæ apparato, adhærente perseæ pomo. Persea in Hebræo uocatur arbor generosa, myrtus autem foliosa: quòd hæc æternis est folijs, illa præterea fructibus, semper subnascentibus alijs. Quanquam idem Iosephus & citrijs usos tradit, Antiquit.13. cap.21. quod fortasse sumpsit ex 2. Esd.8. ubi citatur hic locus: in quo Esdræ loco, Hadas uidetur esse citrus: & fit ibidem mentio oleæ & cupreßi, quæ hic non commemorantur.*

IN NVMEROS.

EX CAP. XIII.



AD fluuium Escolem.) נחל non semper torrentem fluuium, sed sæpe perennem significat. Itaq; hoc nomine utitur alibi Moses, cum de Arnone loquitur, quē Iosephus ποταμὸν, id est fluuium uocat, Antiquit. 4. cap. 4. & 1. Machab. 5. idem χείμαῤῥος & ποταμὸς uocatur.

EX CAP. XXI.

Nam Ar terminus est Ammonitarum.) In Hebræo ער legitur, sed mendosè, ut ego cōijcio, tum quia hic legitur in Græco ἀρὴς, quod exit in r: tum quia Deut. 2. idem locus Ar uocatur, inter Moabitas & Ammonitas positus, his uerbis: Transiturus es hodie Moabitarum terminum, uidelicet Ar.

Ad flumina Arnonis.) id est, ad Arnonē flumen: ut apud Virgilium, Ad flumina Thermodontis, Aeneid. 11. ut Psal. 74. Iordanis uocatur flumina: quomodo poetæ sæpe ora & colla dicunt, pro ore & collo.

Perijsti Chamosi gens, cuius & mares fusi.) In Hebræo est ad uerbum: Perijsti Chamosi gens, dedit filios eius, &c. Sed est mutatio personarum, qualis est Genes. 49. ubi Iacobus Iosephum modò per secundam, modò per tertiam personam alloquitur. Præterea quod est, Dedit filios eius: singularis numerus est pro plurali, dederunt: quod est per paßiuum interpretandum, dati sunt. id quod faciunt Latini per pluralem tantum, perhibent, aiunt, ferunt: pro perhibetur, fertur. Eodem modo locutus est Moses & sæpe aliàs, & infrà cap. 23. & Numer. 35. quod idem fit 2. Reg. 11. Quod autem sequitur, Atqui lux eorum Hesebon: poeticè dictum est, pro capite regni, & urbe fortißima.

EX CAP. XXII.

Quo eius itinere irato Deo.) Dei mens erat, ut Balaamus Hebræis bene ominaretur: itaq; hoc animo eum ire iusserat. At Balaamus sperabat se illis imprecaturum esse, quemadmodum postea satis ostendit. Hoc animo susceptum iter Deo displicebat.

Nunquid tale sum tibi facere solita?) Cum hoc præter consuetudinem faciam, debes existimare grauiorem aliquam subesse causam: eamq; potius uestigare, quàm me iniuria uerberare.

Istud iter susceptum est contra meam sententiam.) Ita interpretatur Iosephus, τὴν ὁδὸν παρὰ γνώμην τοῦ θεοῦ γενομένην.

EX CAP. XXIII.

En populum seorsum habitaturum.) id est, omnium excellentißimum, itaq; ab omnibus alijs secernendum, & singularem.

Quis Iacobeorum pulueris?) id est, innumerabilis multitudinis.

EX CAP. XXIIII.

Visum. Qui ab Omnipotēte præsignificata uidit.) מחזה cum de homine dicitur, significat uisum, & rei præsensionem, atq; prænotionem: cum autem de Deo, significat prædictionem, & præsignificationem, (ut ita loquar.) atq; hoc modo sæpe in uatibus pro uaticinatione ponitur, eadem ratione qua ברך in homine bene precari est, in Deo secundare & fortunare.

Cuius de fitula.) id est, à quibus proles orietur, quæ uehementer crescet, ut arbores in humida terra: quorumq; rex superabit Agagum, id est Amalechitarum reges: sic enim appellatos aiunt, ut Aegypti Pharaones.

Cittimi. Cum clasis ex Cittimorum finibus.) Qui sint Cittimi, declarat Iosephus Antiquit. 1. cap. 7. his uerbis: Chethimus Chethimam insulam tenuit: ea nunc Cyprus uocatur, ex qua & omnes insulæ, & bona pars maritimorum Chethim ab Hebræis nominantur. Astipulatur orationi meæ una de Cypri urbibus, quæ appellationem retinere potuit. Cetios enim uocatur ab eis, qui eius nomen Græcum fecerunt, ne sic quidem Chethimi nomine uitato. Hæc Iosephus. In Esaia quoq; capite 23. à Cittimis uenturus dicitur Alexander, Tyri expugnator. & idē Alexander 1. Machab. 1. dicitur ortus ex terrà Chetim, cum fuerit Macedo. & eiusdem libri cap. 8. legitur, τὸν Περσέα Κιτιέων βασιλέα, id est, Persem Citiorum regem: quod de Perse Macedonum rege scribitur. Ex quibus patet, Cittimos Græcos aut Macedonas appellari. quanquam & Italia uidetur in hoc nomine comprehendi, quandoquidem eam hoc nomine nuncupauit Iosephus Hebraicè scribens, Antiquit. lib. 4. cap. 22. Recordor etiam, alicubi legisse me, à Cetim Macedonum esse nomen deductum, præposita syllaba, & t litera in d propter affinitatem commutata.

EX CAP. XXVII.

Eisq; in eorum oculis præcipito.) id est, præcepta dato, eumq; doceto. Hoc modo locutus est Cicero Officiorum 1. his uerbis: Vt nemini parēre animus bene à natura informatus uelit, nisi præcipienti, aut docenti, aut utilitatis causa iustè & legitimè imperanti.

EX CAP. XXX.

Omnia eius uota irrita sunto.) Si Deo factum à filia uotum pater dissoluere potest: profectò non bene sentiunt hodie, qui negant facta parentibus inscijs sponsalia posse à parentibus irrita fieri: nisi fortè homini facta promißio arctius obligat, quàm Deo. Vota.

EX CAP. XXXIIII.

Ad occidentalem terminum habebitis mare.) In Hebræo est, mare magnum, quoniam Hebræi eodem nomine mare & lacum appellant, ne de lacu intelligeretur. Nobis, qui lacum proprio nomine uocamus, non est necesse mare magnum dicere, sed satis est mare. Idem fit & alibi, & Iosue 1. Mare.

IN DEVTERONOMIVM.

EX CAP. II.



QVi uestrum iter curauisset.) In Hebræo est, Qui uestrum iter nouisset. Sed ego sensum, non uerba reddidi. Dicitur enim Deus eos nouisse, quos ut suos conseruat: quemadmodum ignorare eos, quos perire sinit tanquam alienos. Sic Psal. 1. dicitur uiam, id est mores factaq; bonorū nosse. cui contrarium est quod de impijs dicitur, eorum uiam perituram esse. Itemq; 1. Reg. 2. dicuntur Elis filij non nosse Iouam, pro contemnere, ac non curare. Nosse.

EX CAP. III.

A duobus Amorræorum regibus terram abstulimus cisiordaninam.) בעבר significat trans. Sed cum sit Moses in ea terra, de qua loquitur, non dubium est, quin eam uocet cisiordaninam: quemadmodum si nos de ea Gallia loquamur, quæ à Romanis transalpina uocatur, haud dubiè eam cisalpinam ex nostra consuetudine uocemus, non transalpinam ex consuetudine Romanorum, nisi si ex illorum libris loquamur. Sic Moses Basanam transiordaninam uocare non potest, nisi sic loquatur, quasi sit in Chananæa: quod absurdum est, cum hic ex sua persona loquatur. alioquin uocaret Libanum cisiordaninum, quem tamen paulo post hunc locum dicit esse trans Iordanem, eodem uerbo utens, quo hic. Quare necesse est, aut ut idem uerbum utrunq; significet: aut בעבר mendum sit, pro מעבר, quod citra significat: nisi cum additur והלאה, tunc enim significat trans. Idem uerbum sæpe ambiguum est in Iosua, & Deuter. 5. Ego sensum sequor.

EX CAP. VI.

Perijs eius nomen iuratote.) Iurare est, testem ueritatis religiosè adducere. Qui per aliū iurat quàm per Deum, alium sibi Deum fingit, qui sit ueritas, quiq; norit omnia. quod nefarium est, cum solus Deus ea norit, quæ iureiurando affirmamus. Per solum igitur Deum iurandum est: neq; iureiurando sancto magis offenditur Deus, quàm uir bonus, cum testis citatur: potiusq; delectatur. Sed hoc fieri non debet inaniter, id est, neq; in re falsa, nam hoc esset Deum mendacem facere: neque in re leui, nam hoc esset Deum contemnere: neq; si tibi citra iusiurandum credatur, aut si res non postulet, nam hoc esset superua- Iurare.

superuacaneum: neque si res per homines probari posit, nam hoc esset datam à Deo testimonij rationem repudiare.

EX CAP. VIII.

Eiq; sine dubio coràm digna factis præmia rependentem.) Ab alijs ita uertitur hic locus, ut dicatur Deus improbos statim ulcisci, sine cūctatione. Sed id à Dei natura est alienum, qui est ad iram tardus: & res ipsa clamat, improbos non statim puniri: id quod cùm alij multi, tum Ieremias conqueritur. Præterea uerbū אחר non propriè cunctari significat, sed id quod ὑστερῆσαι dici potest. Latinè exprimitur duabus negationibus, hoc modo: Si uotum feceris, noli non reddere: id est, redde sine dubio. ut est Deut. 23. Et Habacuc 2. ita legitur: Si cunctabitur, expecta eum, ueniet enim לא יאחר: id est, sine dubio. Sed Gallicè bene exprimitur, Et ny faudra point. Quod si ita redderetur, Veniet enim, non cunctabitur: contrarium esset ei quod antè positum est, Si cunctabitur, expecta eum: nisi fortè cunctabitur, pro cunctari uidebitur, dictum est.

Terram aquarū fluminibus, fontibus, lacubus scatentem.) Quod uerto Lacubus, in Hebræo est profundis. Vocat autē profunda, quiescentes aquas, ut sunt stagna & lacus, quos uidemus in Euangelio maria Hebraico more dici. *Profunda.*

EX CAP. X.

Celebrare. Et eius nomen celebrandum.) ברך & bene precari, & celebrare significat. Sed si hic bene precari significaret, primùm curta esset oratio. Deinde cum Leuitici muneris pars sit uel præcipua, Deum laudare, ut est in Paral. 16. non est consentaneum, hoc in loco (in quo nominatim de Leuitarum munere tractatur) nullam huius rei factam esse mentionem. Hæc causa fuit, ut ita transtulerim. Atq; in eandem sententiam transferūt etiam alij, 1. Paral. 23.

EX CAP. XVIII.

Præter si quid ille.) Si Leuita ille, uenditis bonis paternis, pecuniam inde contraxerit, fruatur ea pecunia propriè: & insuper fruatur communiter portionibus, quæ ei ex ministerio debentur. Non enim æquum est, quatenus ministrat, eum uiuere bonis paternis. Nam qui sacris ministrat, is debet ex sacris uiuere. ממכר autem significat etiam rem uenditā, ut Ezech. 7. & ponitur pro rei uenditæ precio, sicut מקנה pro rei emptæ precio, Leuit. 25.

EX CAP. XX.

Arbores. Quasi homines sint ruris arbores.) Belli lex est, Parcere subiectis, & debellare superbos. Arbores subiectæ sunt: neque uobis, ut homines, in obsidione repugnant. Debetis igitur eis parcere.

Curia. In eius loci curiam.) In Hebræo est, Ad portam. Sed quia in urbium portis erant curiæ, dicitur porta pro curia: sicut hodie Turcarum regis aulam, portam appellant.

EX CAP. XXII.

Tectum. Eius tectum lorica munito.) In Palæstina, plana tecta sunt; ea iubet ambitu quodam & septo circundari (quam ego loricam uerto) ne quis inde cadat. Nam in eis sæpe uersantur homines: quod uel ex Christi dicto intelligitur, qui iubet Apostolis, ut quæ in tenebris docentur, ea ex tectis prædicent: ut patet & in Iosua, apud Rachabam.

Miscellanea. Ne & frugum, quas seueris, reditū, & uineæ prouentum consecres.) Consecrabantur fruges, libando primitias Deo. Quod si idem fundus & uitibus esset, & segetibus consitus, eius redditus neq; messis esset, neq; uindemia: itaq; neutrius nomine posset Deo consecrari, sed mixto: qualis est in animalibus mula, quæ confusio Deo simplicitatis amanti displicet.

EX CAP. XXIII.

Aut admissuræ canis precium.) Iosephi interpretationem sequutus sum, qui uertit, ἐκ ὀχείας κυνός. alioqui ad uerbum legitur, canis precium.

EX CAP. XXIX.

Occulta Dei sunt. Occulta Iouæ Dei nostri sunt.) Quæ nobis declarauit Deus, his debemus sine cunctatione parere: eorum si causæ sunt obscuræ, aut si quid in eis altius latet, aut nobis (ut sumus tardi) absurdum uidetur, debemus tamen tantum Deo tribuere, ut quia iussit, faciamus: ne'ue aliunde eius uoluntatem sciscitemur, quàm ex eius lege. Nam si quæ sunt occultiora (arbitror hic Mosem Euangelij arcana, & alia innuere, quæ etiam in lege latent, & quæ Mosi declarauit quidem Deus, sed celare iussit, ut est in 4. Esdr. 8.) ea Deus penes se habet, prompturus cum libebit.

EX CAP. XXXII.

Et quidem statueram eos ita profligare.) Israelitarum genus propter eius scelera funditus abolerem, nisi metuerem, ne eorum hostes, per quos eos delerem, huius rei gloriam non mihi, sed sibi uindicarent. Neq; enim tantum rationis & prudentiæ habent hostes, ut cogitent fieri non posse, ut tot Israelitæ à tam paucis hostibus superentur (id quod tamen tum fiet, cum in Israelitas animaduertam) nisi essent à me Deo suo non solum destituti, sed etiam subacti, atq; fracti: præsertim cum ne ipsi quidem hostes dicere possint, Deum nostrum, id est me (est enim personæ mutatio, quasi ipse populus, non Deus loquatur) ita debilem esse, ut uideri posit, inuito me Israelitas ab hostium dijs esse deletos: cum sciant, me inuitis Aegyptiorum dijs (si tamen dijs) populum meum abduxisse, & inaudita illa omnibus inuitis fecisse. Sunt enim illorū dij, quales ex ipsorum hominum fructibus, hoc est moribus & institutis, apparet, qui quidem mores sunt non minus scelerati, quàm olim Sodomitarum. Dicet quis: Quī fit ergo, ut tuo populo ita afflicto, hostes impunitos patiare? Ego uerò scio, quid, & cur, & quousq; faciam: quod mihi nunc soli notum, tunc ab alijs quoq; intelligetur, cum & Israelitis pœnitentiam agentibus iterum fauebo, & hostes successu insolentes ulciscar. Hæc Moses: quæ facilius intelligentur, si cum superiore capite cōferentur, in quo eadem futura, eodem ordine minatur.

EX CAP. XXXIII.

Si hic meminerimus, qui hic Ioua dicitur, eum esse Christum Dei filium, quemadmodum in 3. Exod. ostendimus, hunc locum facilius intelligemus. Est igitur hæc sententia: Ioua, id est, missus à Deo Dei filius, qui unum cum patre Deo est, uenit de Sina: nam illic apparuit, & legem dedit. Ex Seire ortus est, ubi etiam Mosem allocutus est, iussitq; serpentem æneum fieri. Patuit ex monte Pharane, ubi Mosi coturnices promisit: uenitq; ob sacras legiones, id est, ob Israelitarum populum sacrum: habens eis legionibus ignem disciplinæ, hoc est, igneam disciplinam: ad dexteram suam, id est, eis afferens legem suam cum multo igne: hominum sanè amator. oportet enim mirum esse illius amorem, qui Deus inter homines uersari non sit dedignatus. cuius sancti omnes, scilicet Israelitæ, qui sunt in eius fide & tutela, sunt in manu tua, ô Deus eius pater: & quidem ad pedes tuos prosternuntur, tibi supplices sunt, & à te pendent, eo, tuo filio, de tuis dictis sumente: quam enim legem Mosi tradidit, eam à te accepit. Moses porrò legis non autor fuit, sed præceptor & magister, qui legem à Ioua acceptam, tradidit Iacobeorum reipublicæ tenendam: qui Moses fuit rex inter probos, id est, inter Israelitas Deo probatos, dum eorum capita collegit, rempublicam ordinauit, sontes puniuit, quæ sunt regis opera. Quod autem uerto, Ob legiones, in Hebræo est מרבת, quod uerbum propriè significat myriadas, id est dena millia. sed ponitur pro numero & multitudine: sicut Latinè millies dicimus, pro sæpißimè. מן autem interpretor Ob, ut significet causam & utilitatem: quomodo Latinè dicitur Ex, cum dicimus, Ex re tua est: &, Ex republica facere, id est, in reipublicæ utilitatem. Hoc modo locutus est Ezechiel cap. 45. his uerbis: וכן תעשה בשבעה בחדש מאיש שגה ומפתי וכפרתם את הבית, id est: Atque ita facies septimo die mensis, ob hominem, qui per imprudentiam peccauerit, aut per errorem, proq; domo supplicabitis. id est, hoc facies, cum hominis imprudentia lapsi causa sacrificium facies. Et Deuteron. 17. משמיר את השבע, id est, ob seruandum iusiurandum. Itemq; Esaiæ 7. & Psal. 59. & Latinè apud Ciceronem, Flere de filij morte. & apud Varronem de Re rust. 3. Eunti de controuersijs: id est, ob controuersias. Quod autem uerto, Eo de tuis dictis sumente, cum sit in Hebræo futurum uerbi, non participium, sciendum est, Hebræa uerba sæpe pro participijs poni, præsertim futura,

 cum

cum sine coniunctione ponuntur, quòd ea lingua participio futuro caret: id quod & aliàs sæpe fit, & Genes. 49. ubi Iacobus bene precatur Iosepho. Et Numer. 23. quod imitatus in Apocalypsi Iohannes dixit, ὁ ὤν, καὶ ὁ ἦν: ubi ἦν cum articulo, pro participio positum est. Quod uerto probos, in Hebræo est ישרון, singularis pro plurali, qui Hebraismus est, & significat rectos, æquos, & (ut dixi) probos: id est, Israelitas. ut etiam Esa. 44. appellantur. De Rubene quod hic dicitur, declaratum est in Iacobi testamento. De Iuda hæc est sententia: Iudæa tribus erit bellicosa, solaq; bellum hostibus inferre audebit, si speret sese Dei præsidio incolumem ad suos redituram. ut sit Deduc, pro reduc: sicut ire in Hebræo pro redire non rarò ponitur. De Leui sic loquitur: Tua integritas & claritas (alludit ad hæc uerba, quæ erant in Pontificis monili inscripta) id est, tuorum morum probitas, & doctrinæ præstantia, quibus ambobus debes hominibus prælucere, est uiri clementis tui, id est Iouæ: qui tibi, qua est clementia, præcipuè fauet, sacerdotium indulgendo: quem tu lacessiuisti apud Massam, cum quo iurgasti ad aquam iurgij (nam Moses & Aharon, qui erant Leuitæ, Deo fidem non habuerunt, cum aquam ex petra elicuerunt. cum enim deberent eius rei gloriam Deo tribuere, in eo peccarunt, quòd dixerunt: Attendite rebelles, an uobis aquam ex hac petra eliciamus. Debebant enim loqui ut Paulus, qui dicit: Non ego, sed in me Christus) qui uir clemens tuus, id est Ioua Christus, pluris facit obedientiam, quàm cognationem: eosq; pro cognatis habet, qui tuis dictis, ô Deus (est enim personæ mutatio) obtemperant. quemadmodum docet ipse Christus, Matth. 12. Qui fecerit uoluntatem patris mei, is meus frater & soror & mater est. Sed de sacerdotum claritate & integritate in Christo sita, operæprecium est quiddam considerare, quod à Iosepho Antiquit. 4. positum est in hanc sententiam: Gemmarum quas in humeris ferre pontificem, suprà dixi (erant autem sardonyches) altera, quandocunque rei diuinæ Deus aderat, lucere solebat, scilicet ea quæ dextrum humerum insigniebat, absiliente splendore, & longißimè apparente: cum tamen is antea non esset in gemma. Mirum sanè hoc est, eis qui non sapientiam ad contemptum rerum diuinarum exercuerunt: sed dicam quod mirabilius est. Nam per duodecim gemmas, quas ad pectus Pontifex insutas esseni fert, uictoriã prælio dimicaturis præsignificabat Deus. Tantus enim splendor ab eis rutilabat, nondum moto exercitu, ut toti multitudini notum esset, Deum adesse in auxilium. Vnde Græci, qui nostros in precio mores habent, quoniam nihil habent quod his contradicant, essenem rationale uocant. Quanquam desijt & essen & sardonyx lucere annis ducentis, antequam ego hoc opus composui, Deo ob leges uiolatas indignato. Hæc Iosephus. Ex quibus intelligi potest, splendorem illum sub Christi tempus (qui uera Leuitarum lux est) desijsse. Scripsit enim Iosephus anno decimotertio imperij Domitiani Cæsaris. Quod sequitur, clarum est. docet enim, Leuitarum munus esse, docere, & sacra facere. De Beniamine quod dicit, Iouam inter eius humeros habitaturum, significat, Iouæ domicilium & templum fore in Beniamitarũ finibus: id quod euenit. Iosepho sic ominatur: Felix Iouæ dono terra eius. In Hebræo est, Fortunata Iouæ terra eius: id est, Iouam habet secundum. quomodo Latinè dicimus, Felix prole puerpera: id est, quæ talem habeat prolem: Felicem te tali patrono. Deinde ostendit, ubi sita sit illa terræ felicitas: nimirum in cœli temperie, & rore, atq; pluuia: in bonitate soli: in sole, in quo est fœtifica uis: in luna, quæ frugum maturitatem iuuat, dum mol liore & imperfecta ui (ut Plinij uerbis utar) soluit tantum humorem, atq; etiam auget, quem solis radij absumant: quæq; à sole illuminata (ut ait Cicero) grauiditates & partus affert, maturitatesq; gignendi: in capite montium perennium, id est, immobiliũ (poetico more dictum) in prouentu collium, id est, in eis quæ in montibus & collibus gignuntur: in fauore habitatoris rubi, id est Iouæ, quem moriens Iacobus pastorem lapidem Israelis uocauit. Fauorem interpretor רצון, qui in nouo Testamento dici solet εὐδοκία. Quod autem eius primogenitum, decorum bouem uocat, significat, Ephraimitas fore bellicosos: ducta similitudine à boue, & monocerote. Deinde quod Ephraimi legiones, & Manaßis cohortes dicit, significanter dicit, Manaßi Ephraimum numero anteponens: quod idem Iacobus fecerat. Ego rem Latino more expreßi, quæ Græcis uerbis poterat per myriadas & chiliadas, & quidem ad uerbum exprimi. Nec refert, quòd legionis uocabulum non significat præcisè decem millia, aut cohortis unum mille. Non enim hic certus ponitur numerus: sed uerba ponuntur, quorum aliud plures, aliud pauciores significet. Zabulonij foris clarebunt, utpote maris accolæ, & nauiculariam facientes, Issacharianis domi manentibus. Populos in montem inuitabunt: erunt enim maritimi, & diuitijs maritimis abundabunt (hoc enim est, quod uocat maritimam abundantiam, & obrutos arenæ thesauros, id est littoreos) quibus inuitati exterarum gentium homines, cum eis commercia habebunt, & ea consuetudine allicientur in montem, id est Hierosolymam, ubi Sion Dei mons est, ut ibi iustitiæ sacra faciant, utpote diuinitus tradita: cum cætera sint impia atq; polluta, itaque iniusta. Grates Gadum explicanti: id est, Deo sunt agendæ gratiæ, cuius præsidio Gadini bellica ui finitimos propulsant, & suos fines amplificant. Quod autem uerto Grates, in Hebræo est ברוך, quod uertunt benedictus, Græcos imitati, apud quos est εὐλογητός. Sed hoc uerbum sæpe gratias agere significat: quod fit, cum ob aliquod benefactum laudatur, & benedicitur. ut patet ex Luca, qui quod à Marco de Christiana dictum est εὐλογήσας, dicit εὐχαριστήσας. Hi ubi primum animaduerterunt, Ogi & Schonis terras esse sibi accommodas, in ocio futuris, & imperaturis, Mosem & populi principes adiuerunt, ut terras illas obtinerent: & promissum præstiterunt, Israelitis in suas possesiones intromißis. Dan (id est, Dania tribus) erit leone generosior. Nephthalis Iouæ charus. Aser progenie diues, fratribus charus, oleo, ferro, ære abundans: uires pro ætatis ratione, ut quem locum ætatis Aser inter fratres habuit, eundem eius posteri fortitudinis obtineãt in tribubus. Quæ sequuntur, ad uniuersas tribus pertinent. Nullus est cum Deo Israelitarum conferendus: qui quamuis in cœlis habitet, non tamen ita terrena despicit, ut non in terram sua semper brachia demittat: id est, ut non Israelitis adsit, eorumq; hostibus exactis, eos in tuto collocet: efficiatq;, ut Iacobus oculum adijciat ad terram feracem, id est, terram feracem uideat, & ea potiatur (nam Videre pro potiri, etiam antea annotauimus.) Felix Israelitarum populus, & planè incomparabilis, qui talem habeas defensorem Iouam, qui est tui fastigij gladius: id est, qui te suo præsidio in istud fastigium & dignitatem euexit, ut tibi subijciantur hostes tui. Verbum Hebræum est יכחשו, quod Græcè bene exponi potest, ψεύσονταί σοι, succumbent inuiti.

IN IOSVAM



VNC librum à Iosua non esse scriptum, uno argumento conuinci potest, quod in decimo capite citatur liber Recti, ad probandam historiam, de sole consistere iusso: qui liber profectò à Iosua citari non potest, cum sit post tempora Dauidis scriptus. Nam primi Regum capite primo, citatur ex libro Recti, historia de Dauide. Alterum argumentum est, quòd capite 15. scribuntur ea de Axa Calebi filia, quæ post Iosuæ mortem gesta sunt, ut habetur in Iudicum capite primo. Ex quibus perspicuum fit, nec hunc librum à Iosua, nec librum Recti à Mose fuisse scriptum, sed pòst, aut certè non ante tempora Dauidis.

EX CAP. VI.

Septem tubas buccinas.) יובל adiectiuum est, quo tubæ sonus notatur. Inde Iubile dictum est, quòd eo anno tubæ clangore libertas promulgabatur. Indidem Iubilare uerbum Latinum uidetur deductum. Ego, cum melius non haberem, buccinas adiectiuè dixi. Nam si clangentes pro clangorijs (ut ita loquar) dixissem, ambiguitate non caruisset oratio.

EX CAP.

EX CAP. XX.

Donec causam in concilio dixerit.) *Postquam primùm in porta senatoribus causam suam solus exposuerit, recipietur ille quidem, sed ea conditione, ut si sanguinis uindex ueniat, ille se iudicio sistat, & ante id iudicium sit in urbe tutus. Quòd si uel non ueniat accusator, uel causam non obtinuerit, uiuat illic percussor usq; ad decessum pontificis.*

IN LIB. IVDICVM.

EX CAP. V.



N ualle posterior fuisti, Beniamita.) בעמלק *legitur, hoc est, in Amalechitis: sed sentẽtia cõstare non potest. Videtur* בעמק *legisse Græcus interpres, qui uertit ἐν κοιλάδι: quæ lectio sententiæ conuenit. nam paulo pòst dicitur in uallem missus esse Baracus, in qua pugnatum est. Est igitur hæc huius loci sententia: In hoc prælio non adfuere Beniamitæ, sed eorum populares Ephraimitæ, & Manassenses, ex Machire Manassis filio orti, digni qui deinceps imperent: item Zabulonij literarum proceres, & Issachariani duce Baraco.*

EX CAP. VIII.

Senatores eis contriuit.) In Hebræo legitur וידע, *nullo sensu, aut certè coacto. Paulo antè positũ erat* וידשתי, *& comminuam. Itaq; cum hic repetantur cætera eadem uerba, puto legendum esse* וידש.

EX CAP. XI.

Ea es, quæ me perturbes.) *In Hebræo est, Es in meis perturbatoribus: id est, me perturbas. De quo loquendi modo uide annotata in Psal. 54.*

EX CAP. XII.

Sepultus est in oppidis Galaaditicis.) *Quoniam oppidum nominatim non declarat, loquitur per numerũ pluralem. Sic Genes. 19. dicitur Lotus urbium incola, cum unius esset. Et Cicero dixit: Ego eram in his locis.*

EX CAP. XIIII.

Occurrit leoni.) כפיר אריות *leonem interpretor, sicut* שעיר העזים *caprum, cuiusmodi multa sunt in Hebraica lingua. Nam paulo pòst leo uocatur, uno nomine.*

Illius ipsius affinitatis conciliator fuerat.) *Secutus sum Iosephum, qui uertit νυμφοστόλον: & ueterem, qui pronubum: & Græcum, qui νυμφαγωγόν.*

EX CAP. XV.

Graui ingentiq; clade in quodam tractu.) *Ad uerbum sic legitur, Percussit eos coxã supra femur. Ego cum hinc nullam aptam possem elicere sententiam, Iosephum secutus sum, qui uertit, πολλοὺς ἐν τῷ πεδίῳ τῶν παλαιστινῶν ἀποκτείνας, Cum multos in campo Palæstinorum occidisset. Nam* ירך *non solum femur, sed etiam regionem declarat.*

Asinus asinarius. Maxilla asini, asini asinarij.) חמור חמרתים *asinus asinarius eo modo dicitur, quo caprum caprinum, & bouem bouinum dici annotauimus: & quomodo Iudic. 5.* רחם רחמתים *puella puellaris, id est puella dicitur. estq; elegãs repetitio, præsertim in sententijs. Neq; hic magistros Iudæos sequi placet, qui* חמרתי *aceruum interpretantur. Nam ita & imperfecta foret, & minus elegans sententia. neq; ijsdem uocalibus scribitur id uerbum, cum aceruum significat, nisi hoc in loco, si illis credimus. Sed ambiguus cum sit, in testimonium adduci non potest: nec propria interpretatio, coactæ locum relinquit.*

EX CAP. XVII.

Quæ sequuntur deinceps, ad finem totius libri, gesta sunt, antequam essent in Israelitis gubernatores, quos uocant Iudices. quod ex ipsa historia patet, in qua cap. 18. quærunt Danij hæreditatem: & in eodem est sacerdos Ionathan, Mosis nepos, qui non potuit uixisse tam diu & cap. 20. Phinees, Eleazari filius. Præterea cap. 19. negãtur Israelitæ habitare Hierosolymæ, cum tamen eam occupasse & incoluisse dicãtur in cap. 1. Adde quòd Iosephus, quæ scribuntur in cap. 19. antè narrat, quàm quæ superius scripta sunt.

EX CAP. XVIII.

Suorum militum abiectissimos.) בני חיל *non fortes semper, sed milites dicuntur, ut patet ex multis locis in Numeris, & secundo Regum 17. Abiectissimi autem mittebantur, ut facilius fallerent.*

Quòd procul à Sidonijs aberant.) *Hinc apparet, eos aut clientes, aut certè socios Sidoniorũ fuisse, à quibus defendi propter distantiam locorum non potuerint.*

IN RVTHAM.

EX CAP. III.



Lla in oppidum ad socrum uenit.) *Venit, in Hebræo masculinum est: sed mendum esse conijcio, tum ex sensu, tum ex uetere uersione: sicuti capite sequẽti* יגאל, *pro* תגאל *mẽdosè legitur.*

IN LIBROS REGVM.



E G V M *libri duo priores, apud Hebræos Samuelis dicuntur: posteriores, Regum. Ego Latinorum titulum retinendum putaui. nam librum de rebus post Samuelẽ gestis, Samueli adscribere, absurdum est.*

EX CAP. I.

Ad Iouam bellipotentem.) *In Hebræo est, Iouam exercitum. Vocantur autem exercitus, non solum milites, sed quicquid eiusmodi est, quo Deus utatur, ut militibus utuntur imperatores. Vtitur autem Deus rebus omnibus suo arbitratu. Itaq; Ioua bellipotens, siue armipotens est, qui rebus omnibus imperat. quod quale sit, patebit ex illo Centurione, qui Christo demonstrabat, sese in suos milites autoritatem obtinere: & quicquid illis imperaret, eos exequi.* Bellipotens

EX CAP. VI.

Aureaq; simulachra, quæ illi, &c.) *In Hebræo est* כלי, *quod uasa significat: sed latius patet, ut σκεῦος. Itaq; cum hic loquatur de simulachris, non ausus sum uasa aut utensilia uertere, quòd his uocabulis simulachra significari posse non uidentur.*

Et ad ingens illud saxum.) אבל *legitur: sed cum antè saxi mentio facta fuerit, neq; quomodo super luctu posita arca sit, intelligam, & Septuaginta λίθον uerterint, puto legendum* אבן.

EX CAP. VIII.

Hos tribunos, hos centuriones.) *In Hebræo est, Duces millenarios, & quinquagenarios. sed hic non præscribitur certus numerus: & Latinorum more, Latinis loquendum est. Sicubi certus numerus definiendus est, licet semicenturiones appellare. Audendum est enim, cum iubet necessitas.*

EX CAP. XII.

Tritici messis est, Iouam inuocabo, & tonabit.) *Tonitrus ille tempore messis, præter naturam fuit, ideoq; mirabilis: propterea quòd uere tantum & autumno fiunt tonitrua. Cuius rei causa est, quòd concitantur ex conflictu calidi & frigidi, qui conflictus neq; hyeme (superante frigore) neq; æstate (superante æstu) fieri potest, præsertim in æstuosis terris, qualis Syria est. nam apud nos non rara sunt æstate tonitrua.* Tonitrus.

EX CAP. XIII.

Iniuit autem Saulus regnum, &c.) *Apud Hebræos sic ad uerbum legitur: Natus annum Saulus, cum regnum iniuit, & duos annos regnauit. quod quidam sic interpretantur: Saulus unum annum rex fuerat, & cum duos annos regnauisset, &c. ut hic primus numerus ad spacium regnandi, non ad Sauli ætatem referendus sit. Sed hoc pacto Hebræa uerba torquentur, neque sententia satis constat. Non enim diceret, annum agens, siue natus annum in regnando, pro eo quod est, cum iam annum regnauisset: cum hæc loquendi ratio, Natus tot annos, nunquam apud Hebræos, sicut nec apud Latinos, dicatur, nisi de hominis ætate, à natiuitate numerando. Deinde non*

diceret, Natus annum: sed, Natus unum annum. Solent enim Hebræi numerum exprimere, etiam cum de uno loquuntur. Præterea supplenda essent nonnulla, id quod locum reddit suspectum. Solet autem in his libris, Regum ætas & regnandi tempus initio narrationis rerum ab eis gestarum poni. ut libri secundi capite secundo, ubi sic scriptum extat: Natus erat annos quadraginta Isbosethus Sauli filius, cum regnum in Israelitas iniit: duos annos regnauit. Quod idem fit in alijs regibus. Itaq; arbitror hoc in loco scriptum fuisse, quot annos natus Saulus regnum inierit, quotq; annos regnauerit: sed locum esse mutilatum. Neque enim duos tantum annos regnauit, sed quadraginta, ut habetur Act. 13. & apud Iosephum in fine libri sexti, ubi dicitur, Saulus regnasse uiuente Samuele, annos octo: mortuo autem, duos & uiginti.

EX CAP. XIIII.

Eosq; usq; ad lucem matutinam perimerent.) In Hebræo est, diriperent: sed ponitur pro eo quod est interficere, sicut sæpe apud Homerum ἐναρίζειν.

EX CAP. XVII.

Vir quidam immanis.) בנים à בן deductum est, ut sit, uir filiorum, id est hominum (nam filius pro homine dicitur) id est excellens: sicut Latini dicunt hominem paucorum. & Galli, enfant de maison, filius domus, pro filius locupletis aut nobilis domus: hoc est, magno loco natus.

Iam senex, & ætate prouecta.) In Hebræo legitur, בא באנשים. Prouectus uiris. si legeretur, בא בשנים. pulchrè constaret sensus, prouectus annis. Atq; hoc pacto solent loqui autores sacri.

EX CAP. XX.

Descendes autem ad summum ter.) Meminisse conuenit, quod paulo antè dictum est, cras, aut perendie. Est igitur hæc sententia: Si potero, cras ad eum locum adero. Sed si cras scire non potuero, quomodo sit meus pater animatus, operam dabo, ut id saltem perendie sciam. Descendes ergo cras. Quod si non ueniam cras, putato me nondum potuisse scire: itaq; descendito etiam perendino, aut etiam tertio ab hinc die, si fortè perendie non uenero: ut quocunq; horum trium dierum ego uenero, tu adsis. Quod autem uerto, Descendes ter, in Hebræo est, tertiabis descendere (si licet ita loqui) sicut alibi legitur, Rectabis facere (ut uerbum docendi causa fingam) pro, rectè facies. Et Ierem. 49. Profundate manere: pro, profundè manete: hoc est, abstrudite uos penitus. Gallicè, Triumphat facere: pro, triumphalia, aut triumpho digna facit: id est, magnifica. Huiusmodi est illud Horatij: Cuius octauum trepidauit ætas Claudere lustrum: hoc est, trepidè clausit. Et illud eiusdem: Negligis immeritis nocituram Postmodò te natis fraudem committere: hoc est, negligenter committis.

EX CAP. XXV.

Cum suis aduersus eam descendenti.) Cum hic tam Dauid, quàm Abigail, dicatur descēdere, cum inter se occurrant, intelligendum est, uallem interiectam esse.

Qui te comitantur.) Ad uerbum, Qui eunt in pedibus Domini mei. In pedibus autem, aut ad pedes esse, aut ire, est, in potestate alicuius esse, eiq; seruire. quale est illud Homeri, θεῶν ἐπὶ γούνασι κεῖται, ad deorum genua situm est: hoc est, in potestate & arbitrio.

Ad pedes esse.

EX CAP. XXVII.

Faciet Ioua tibi.) לך malui legere, quod est in margine, quomodo Hieronymus & Græcus uerterunt, quàm לו.

EX CAP. XXX.

Omnes omnium ætatum tum uiros, tum mulieres.) In Hebræo ad uerbum legitur, Omnes fœminas à paruo ad magnum. Sed cum sit solœcismus, dixisset enim, à parua ad magnam: cumq; non mulieres solum, sed etiam uiros abegerint, secutus sum Græcum, apud quem legitur, τὰς γυναῖκας, καὶ πάντας τοὺς ἐν αὐτῇ, ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου.

IN II. LIB. REGVM.

EX CAP. V.

Claudosq; & cæcos Dauidi inuisos.) Hunc locum mutilum esse patet, tum quòd sententia curta est, tum quòd in Paralipomenis lib. 1. cap. 11. adiectum est, quod hic desideratur. Qui sint autem hi cæci & claudi, magna controuersia est. Ego puto significari eos, quos atlantas Græci, telamones Latini appellant: quæ signa sunt uirili figura, mutulos aut coronas in ædificijs sustinentia. Atq; hanc esse huius loci sententiam arbitror: Tanta erat arcis altitudo, ut eam superari posse Iebusæi negarent: itaq; Dauidi oppugnanti dicerent, tum demum irrupturum esse in arcem, cum telamones illos, qui cæcorum claudorumq; figuram referentes, in summa arce erant, abstulisset. quod perinde erat, ac si dicerent, fieri non posse, ut eò irrumperet. Tum Dauid intelligens, præmijs & honoribus homines ad uirtutem excitari, imperatorem fore pronunciat eum, qui primus Iebusæos superauisset, & ad tecti arcis caudes (ubi erant claudi illi & cæci telamones) ascendisset, illosq; telamones abstulisset. Atq; eos Dauid propterea oderat, quòd ei ab hostibus probrosè opponebantur, quasi claudos & cæcos superare non posset, à simulachris ad homines per iocum transeunte dicterio, unde & natum prouerbium.

Claudi cæci.

EX CAP. VII.

Ecquod ulli præsidum Israelitarum.) In Hebræo est שבטי, hoc est tribuum: sed in Paralip. legitur שפטי, hoc est iudicum, siue præsidum, quæ lectio mihi uisa est uerior.

Quam tu in terris fecisti in tuorum gratiam.) [illegible] לארץ recte legit uetus interpres Latinus.

EX CAP. XII.

Cum regiā urbis partem cæpisset.) In Hebræo est, cum urbem regni. Et paulo pòst, quod uerto, Vrbis partem, in qua erat aquatio: in Hebræo est, urbem aquationis. sicut maior & minor Basilea dicitur, pro maiori & minori parte Basileæ: & reliquum corpus, pro reliqua parte corporis.

EX CAP. XIIII.

Cur igitur istam contra diuinum populum.) Cur cupienti populo non condonas Absalomum, qui mihi filium propterea condonas, quòd nullum alium habeo, qui posteritati consulat? Quis enim tibi succedet, nisi Absalomus? Dices, te habiturum alios. Sed quid, si prius moriare? mortales enim sumus: quo magis curandum est, ut genus nostrum propagemus. Dices, Absalomum homicidam esse, homicidas autem occidi debere, ex Dei præcepto. Quid tu Dauid? non uenit tibi in mentem Vriæ? quo tu occiso, non minus Deum offenderas, quàm te Absalomus, occiso fratre. Quòd si tam seuerus in te Deus fuisset, quàm tu es in filium, perijsses. Sed Deus tibi ueniam dedit: mauult enim parcere supplicibus, quàm sontes plectere: idq; quomodo fieri posit, etiam atq; etiam cogitat. Atq; ut meam rationem intelligas, cum uellem te de reuocando filio tuo orare, & metuerem, ne quod populus non obtinebat, id ego multo minus consequerer: statui simulare meam rem agi, ut cum tu mihi de filio meo concesisses, de tuo in re simili negare non posses. Hæc mulier, sed breuiter & obscure: quippe perita cum prudentia, præterea regem ad Vriæ recordationem non nisi timidè & tectè reuocans.

EX CAP. XV.

Præteritis quatuor annis.) In Hebræo legitur, quadraginta: sed facilis fuit lapsus ab ארבא ad ארבאים. & Iosephus quatuor interpretatur.

EX CAP. XVIII.

Nam tu pro decem millibus.) אחת, non עתה legendum, apparet ex sententia, & Græco & Latino interprete. Eundem errorem inuenies libro tertio, cap. 1. in oratione Bethsabe ad regem.

Fuga domum dilapsis.) In Hebræo est, Fugerunt in suum quisq; tabernaculum. Ponitur autem tabernaculum pro domo: cuius rei causa est, quòd prior fuit usus tabernaculorum, quàm domorum. Deinde cum casæ & tuguria, & porrò domus ædificarentur, manebat tamen idem uocabulum. quemadmodum Latine

Tabernacula.

Latinè libros dicimus, qui tamen libri non sunt, manente hoc uocabulo: quoniam principiò in libro, hoc est, in arborum cortice scribi solebat.

EX CAP. XXI.

In Iouæ monte.) בחר, non בחיר legendum uidetur, ut paulo pòst idem uerbum repetit. alioquin inepta est sententia.

EX CAP. XXIII.

Religiosus.

Rector religiosus.) In Hebræo est, Rector metus Dei: id est, metu Dei præditus. neq; enim uno uerbo religionem significant: sicut neq; Galli, qui dicunt, crainte de Dieu. Nec alienum est, quòd Dei metum attribuit Deo: nam de Christo loquitur, qui genus humanum à patre regendū accepit, ut est in Psalmo secundo. Quod sequitur, cōparatio est, qualis extat in Psalmo primo: Quemadmodum sol & pluuia stirpes alunt, efficiuntq; ut eorum genus nunquam intercidat, sic Dei fauor & studium meam posteritatem fouebit: cum contrà improbi (ut Saulus) à stirpe eruantur, tanquam spinæ. Quod enim כי לא sic interpretor, ut aiat, non neget: eodem modo ponitur לא כי Gen.18. ubi idem est quod imò. Nam לא non semper negantis est, ut Ezech.3. ubi עם לא positum est pro, quod si: quod etiam adhiberi solet in iurando & affirmãdo, pro eo quod Græci dicunt, ἢ μὴν, aut ἢ μάλα. Item 2.Reg.13. & 4.Reg.5. & Ezech.15. הלא confirmantis est, & alibi sæpe, sicut & Ecclesiastici 29. εἰ δὲ μὴ, significat quinctiam: & Matth.6. & Marci 2. alioquin: & 2.Timoth.2. μήποτε, si fortè: sicut Græcis οὐκοῦν una uoce, affirmantis est. Quod si hic כי לא negantis esset, dißimilitudo foret absurda, & naturæ, similitudiniq; ab eodem Dauide in primo Psalmo positæ, contraria.

Iasobeamus Hacmonis filius.) Hunc locum partim ex Paralipomenis transtuli. Nam hic ita corruptus est, ut nulla poßit deprehendi sententia. Illic trecentos, hic octingentos superasse scribitur. Illic triginta, hic trium princeps dicitur. quanquam potest utrunq; rectè dici, ut sit trium inter triginta præcipuorum princeps. Apud Græcum & Latinum filia sunt Sibyllæ. Iosephus Ißæmum Achemæi filium uocat, ab eoq; octingentos deiectos fuisse scribit: quod probabilius est, quàm trecentos, cum hic fortißimus omnium dicatur: cum tamen totidem strauisse, paulo post hunc locum scribatur Abisæus.

IN III. REGVM.

EX CAP. V.

Cedrinam pineamq; materiam.) ברוש pinum potius quàm abietem interpretor: quoniam in 2. Reg.6. scriptum est, ex ea arbore musica fieri instrumenta.

Cupressus.

Cupressina materia.) In Hebræo est, Ex arbore olei, quā quidam uolunt esse oliuam. sed 2. Esdr. 8. olea (quæ זית sine controuersia est) ab arbore olei manifestò distinguitur. Hanc ob causam ego hic cupressum uerti, secutus Græcum. Nam & ex cupresso oleum fieri, docet Plinius. Adde quòd Iosephus in aduecta templi materia cupressum nominat: cuius in his libris nulla fieret mentio, si hæc non esset.

EX CAP. VI.

Tépli mensura.

Cuius templi longitudo fuit sexaginta cubitorum, latitudo uiginti, altitudo triginta.) Quod de longitudine & latitudine dicit, intelligendum est non de toto templo, sed de cella & penetrali. Nam cella fuit longa quadraginta cubitos, penetrale autem uiginti: utrunq; latum uiginti, ut postea patebit. De altitudine controuersia est. Nam hic traditur triginta cubitorum, in Græco uigintiquinq;, in Iosepho centum uiginti, quæ eadem & in Paralipomenis uestibulo tribuitur, uidelicet inferioris ædificij sexaginta, & superioris totidem. Ex his omnibus conijcio, altitudinem hic dici non totius templi, sed cellæ & penetralis (quemadmodum de longitudine & latitudine dictum est) quæ esset triginta cubitorum, uidelicet quanta erat ædicularum altitudo, quæ essent singulæ decem cubitorum. Supra hanc altitudinem patebat templi murus triginta cubitos, infra superius ædificium, quo in spacio erant fenestræ. Huic toto ædificio impositum erat superius alterum ædificium, in altitudinem non quinq; (ut hic scriptum est, in quo mendum uidetur esse) sed sexaginta (ut tradit Iosephus) cubitorum. Sed hæc ita dico, ut affirmare non ausim. Nam tanta ædicularum altitudo, cellam & penetrale redderet obscurum. Itaq; mihi suspectus est locus. Vestibulum erat eiusdem magnitudinis, cuius est Ezech.40. sed cum sit illud à septentrione positum, ut illic ostendemus, hoc ab oriente est, ut ex eo patet, quòd dicit id esse in fronte latitudinis templi: nam latitudo est à septentrione ad meridiem. Igitur in orientali parte erat uestibulum, & templi aditus, ut apparet ex Mosis tabernaculo, ad cuius imitationem factum est hoc templū: itemq; ex Ezechielis cap.8. Adde quod Iosephus idem tradit. quod ideo dico, ne quem fallat hodiernorum templorum consuetudo, quæ omnia ab occidente habent aditum, ut etiam faciendum esse tradit Vitruuius: uidelicet ex Romanorum consuetudine, quam imitati sunt nostri.

Templum fenestris quæ apertiles & clusiles essent, illustrabat.) Hoc est, quæ aperiri claudiq; possent: hoc est, quæ fores haberent, ad earum differentiam quæ habent tantum lumina, hoc est foramina, quæ lumen admittant, nec habent fores. nam eæ clusiles non sunt, quoniam nunquam clauduntur.

Templi parieti ædiculas, &c.) Obscurus locus, & qui uix intelligi potest, sine descriptione templi quod est apud Ezechielem, ubi hæ ædiculæ, cellam & penetrale cingentes, uocantur tabulata, ut etiam hic. Hoc tantum interest, quòd illa à fundamentis quaternos, hæc quinos in latitudinem cubitos patent. nam quod apud Iosephum horum latitudo scribitur esse cubitorum εἴκοσι πέντε, hoc est uigintiquinq;, manifestū mendum est. Essent enim cella latiores, cum uocet breues domos. delendum itaq; est εἴκοσι. Quemadmodum quod ibidem de ædicularum altitudine tradit, uidelicet fuisse singulas uiginti cubitorum, uidetur esse falsum. explerent enim sexaginta cubitorum altitudinem: ita nullus superesset locus, per quem in cellam & penetrale lumen admitteretur. Vtrobique autem binorum cubitorum appendicibus crescunt, & sunt utrobiq; triginta, eaq; trinūm contignationum. nam tot illic tradit Ezechiel, hic Iosephus. Sed cum apud Ezechielem eorum longitudo tantum cellæ & adyti longitudinem expleat, ut ibi docebimus, horum longitudo extenditur etiam post penetrale: quippe cum hæc sint illis longiora tot cubitis, quot ipsa sunt, uidelicet triginta. Siquidem trigesies quinq; cubiti efficiunt centum quinquaginta: quorum cum sexaginta ad meridiem, & totidem ad septentrionem in cellæ & adyti longitudine occupaueris, supersunt triginta cubiti, hoc est sex ædiculæ: quarum quatuor post penetrale positæ, occupabunt ipsius penetralis latitudinem: duæ autem in angulis erunt contra duos sexagenarios ordines. Harum ædicularum media tabulata, hoc est mediæ ædiculæ infimis impositæ (est enim idem hoc loco ædicula & tabulatum) ianuas habebant à templi dextro latere, scilicet dextera tabulata: sinistra autem à sinistro, uidelicet in uacante loco, qui eas ambibat: quem porrò uacantem locum circundabat templi paries, tantum contractionibus recedens, quantum tabulata appendicibus procedebant. Sed hac tota de re uide nostras in Ezechielis æde figuras, sine cuius ædis intellectu templum hoc intelligi uix potest. In præsentia ponemus huius fani areæ descriptionem, & fundamentorum lineamenta, ex quibus totam templi structuram poßis intelligere.

AREA

AREA TEMPLI SOLOMONIS.

Oriens.

Septentrio.


Meridies.

Occidens.

A *cella.* B *penetrale.* C D *utriusq; latitudo uiginti cubitorum.* E F *cellæ longitudo quadraginta cubitorum.* G E *penetralis longitudo uiginti cubitorum.* H *tabulata.* I *angularia tabulata.* K *tabulatorum ianuæ.* L *uacans locus quinq; cubitorũ latitudine, quem huc ex* Ezechiele *transtulimus, quoniam hic non describitur.* M *murus templi.* N *uestibulum.* Q*uod ad atria pertinet, ea uidebis in* Ezechiele. C*æterùm cur ita figuras collocem, ut qui eas spectet, habeat à fronte orientem, à dextera meridiem, facit locus ex* P*sal.89. ubi sic legitur:* Aquilonem tu, dexteramq; creauisti. E*t item huius libri cap.7. ita scriptum est:*Lacum in dextera templi parte, secundum meridiem ponebat. N*am ibi dextera est meridies.*C*um enim ad solis ortum sumus conuersi, (quo maximè modo mundum considerare licet) habemus ad dexteram meridiem.* V*ocatur enim dextera non mundi, sed nostra.* N*am alioquin si statuas mundi frontem & quasi oculos, orientem solem, erit eius dextera polus arcticus, qua est septentrio: sinistra antarcticus, qua est nobis meridies.*

Proiectura erat quinaria.) H*unc locum non intelligo, quemadmodum neq; eum qui mox sequitur,*Proiecturam habentes ex quarta. *quod ideo moneo, ne quem hoc loco fallat mea translatio.*Q*uod autem de interiore atrio tradit, id ita intelligendum est: atrij murum constare tribus lapidum ordinibus, & uno cedrinarum trabium, scilicet interiore, qui lapides obduceret, qui quatuor ordines craßitudinem efficerent muri, hoc modo.*

A *atrium*




A atrium. B tres ordines lapidum. C unus ordo cedrinarum trabium, scilicet arrectariarum. D E muri craßitudo, cui tribuo sex cubitos, uidelicet singulis ordinibus unum & dimidium, quoniam ea est in Ezechiele atriorum craßitudo. Sed cur interius dicatur, & quomodo essent atria collocata, patebit in Ezechiele: non quia tot hic sint, quot illic: sunt enim illic octo, cum hic duo esse uideantur, ut apparet in 4. Reg. 2. sed quia hæc ipsa duo collocari uidentur, quomodo duo illorum.

EX CAP. VII.

Nemorensem Libani domum.) *Hæc domus erat Hierosolymis: sic dicta, quòd erat in nemore, quod Libani nomine uocabatur. Hanc uocat Iosephus* Δρυμῶνα λιβάνου, *id est, quercetum, aut nemus Libani: cuius, necnon eius porticus, hanc subijciemus aream.*


AREA NEMORENSIS LIBANI
domus, eiusque porticus.



A B C D *quatuor columnarum ordines.* A E *longitudo cubitorum centum.* A D *latitudo quinquaginta. His columnis imponebantur transtra, uidelicet transuersa ab* A *ad* B, *&* *à* B *ad* C, *&* *à* C *ad* D. *&* *ita in reliquis. His transtris imponebantur tabulata, hoc est ædificium ipsum: cuius ea pars, quæ quadragintaquinque columnis innitebatur, hoc est tribus ordinibus* A B C, *erat obducta cedro: reliqua non item, uidelicet secundum porticum collocata, ordinibus columnarum* C D *innixa. Nam mediani columnarum ordines, binis seruiebant tabulatis, ut essent tres ordines tabulatorum* F G H, *quorum* H *non esset obductum cedro.* I *porticus columnata, ante illas domus columnas posita, longa quinquaginta cubitos* K L, *lata triginta* K M. *De fenestris quod tradit, eæ sunt quadratæ, triplici ordine inter sese respondētes: ita ut si lineam de media qualibet summi ordinis fenestra demittas, ea duas duorum inferiorum ordinum fenestras secet per medium. Quod ad columnarum capitula attinet (nam cætera sunt perspicua) ea erant rotunda, floribus ornata, septenis circundata plagis perplexis, non à summo deorsum tendentibus, sed à dextra ad sinistram cingentibus capitula, quomodo solent tendi retia. Plagarum stamina & fila, hoc est funes, ex quibus erant confectæ plagæ, erant concatenati, hoc est, multiplicibus toris contorti, ut fieri solet. Ac per sex quidem plagarum maculas apparebāt capitulorum flores. Sed capitulorum uentres, hoc est, qua parte maximè tument capitula, quæ pars eorū media est, habebant per circuitū binos ordines malorum punicorū, quorū ordinum uterque centum habebat punica, ita ut singula capitula haberent ducēta punica, per medianas plagas opposita uētri eminētia.*

COLVMNA.

COLVMNA.




A B C D E F G *septem plagæ, quarum* D *media est, in qua sunt punica.* H *columnæ caput.* I *scapus.* K L *scapi ambitus duodecim cubitorum, qui Græcè* περίμετρος *dicitur, cuius* διάμετρος *est tertiæ partis, hoc est, cubitorum quatuor: id quod significauit autor, dicens columnas quaternos occupare cubitos.*

Lacum fusilem faciebat.) *Mare est in Hebræo. sed mare pro lacu dicitur, ut in Euangelijs uidere licet, & huiusmodi uasa Latini uocant lacus. Erat autem huiusmodi.*

LACVS.

LACVS.



BASIS DECLARATIO.

Iam autoris uerba declaremus. Singulæ bases (*inquit*) quatuor cubitos in longitudinem A B,& totidem in latitudinem patebant A C.In altitudinem tres B D.Areolas habebant clausulis interiectas E. *Quanquam quod uertimus Areolas,id in* Exodo *in mensæ descriptione significat marginem.Sed illic à claudendo dicitur,quoniam claudit: hic,quoniam clauditur.quod inde fit perspicuum,quòd dicuntur areolæ clausulis interiectæ.Clausulæ sunt ipsæ teniæ,quæ circũdant areolas quadratas, leonibus, bubus, Cherubis & palmis depictas,humana specie: hoc enim addit ad extremum,id quod est de Cherubis intelligendũ, quorum figura erat qualis hominis. Atq; hæc quidem depicta pars erat, qualis est qui ab architectis in summa trabeatione uocatur Zoophorus, ut areolæ locum obtineant oparum,clausulæ autem triglyphorum.*

Clausulis superadditi tori.) ליות *toros ne, an cymatia, an scotias,an simas significet,nondum mihi constat:ne quis erret.Interea toros appellabo.Quod si tori sunt,simos appellat, qui non perfectam habeant rotundationem,sed ad circinum delumbatam.*

Aeneosq́ asseres.) *Asseres uocat ipsam æris materiam,ex qua confectæ sunt bases: tametsi hic asserum uocabulo abutimur,cum asseres propriè sint lignei.*


Et in quatuor angulis humeros.) *Bases quatuor angulos habèbant, non reliquo plano pares, sed in humerorum mòdum protumentes, qui lauacrorum uentres exciperent, collocati contra & supra toros,quibus ambiebantur bases: qui humeri litera* F *signantur.* G *est lauacrum.* H *capitulum.*

Lauacri os Intus,&c.) *In medio basis capite assurgebat in dimidium cubitum capitulum rotundum, quod inserebatur in sinum,quem lauacrum habebat in fundo intrò protuberãtem. Ita fiebat,ut cum lauacri os ab imo fundo ad summam crepidinem in altum pateret unum cubitum & dimidium, à capituli summo ad crepidinẽ pateret tantum unum cubitum, quoniam capitulum detrahebat dimidium cubitum.* Hoc *quia obscurius est, neq; pictura,quam posuimus, propter aspectus rationem, exprimi potuit,declarabo craßiore minerua.*


Basium autem figura sic habet:

VNA BASIS.





Esto A *capitulum basis.* B *lauacri sinus.* C D *oris lauacri altitudo cubiti unius semis. Si lauacrum capitulo imposueris, ita ut capitulum condatur in sinum lauacri, patebit os lauacri supra capitulum, hoc est, ab ea parte qua sinuatur ad accipiendum capitulum, cubitum unum in altitudinem* E D, *cum alioquin pateat unum & dimidium* C D, *quoniam sinus est dimidij cubiti* C E. *Quod autem dicit, lauacri os undiq; rotundum, ostendit eius latitudinem. Si enim erat eius altitudo unius cubiti semis, latitudo erat dupla, hoc est, trium cubitorum: cum esset lauacri os undiq; rotundum, hoc est, dimidij globi figura. Sed ad hos tres latitudinis cubitos accedebat octaua pars unius cubiti, quam altitudini adimebat basis capituli, hoc modo. Sit capituli basis* A. *Si ab* A *ad* B *est unus & dimidius cubitus, à* C *ad* D *erunt tres cubiti. Sed basis* E A F *recta est, & ideo detrahit de lauacri, hoc est circuli circinatione, spacium* A G, *quod suprà in latitudine non detrahitur. Est autem id spacium pars decimasexta unius cubiti: quæ suprà latitudini ad utrunq;*



ad utrunq; diametri caput addita, eam auget octaua parte unius cubiti: ut sit oris latitudo H I trium cubitorum, & octauae partis unius cubiti: cui si addas lauacri craßitudinem, & si quid repanda (ut fit) erant labra, habebis quam tradit autor lauacrorum latitudinem, siue longitudinem: quae eadem est, uidelicet cubitorum quatuor, quanta erat mensura basium. Item quòd areolas dicit esse quadratas, hoc intelligendum est de basium areolis suprà memoratis, non de areolis sculpturarum oris: ut apparet ex eo quod continuò subiungitur, areolis subesse rotas. Non enim lauacris protinus suberant rotae, sed basibus. Et quod paulo pòst de capitulo scribitur, idipsum est quod iam declarauimus. Itemq; de proceßibus, quos suprà uocauit humeros, quorum tabulae, hoc est frontes (ut ita dicam) & partes exteriores, erant caelatae sigillis.

EX CAP. X.

Picea. Piceae lignorum.) Sequutus sum Graecum, qui ξύλα πεύκινα: & Iosephum, qui πεύκην uertit, traditq; ueram esse, non uulgari similem, sed ficulnae, quanquam albiorem & splendidiorem. Eadem 2. Paralip. 2. uocatur Algumim, nonnihil immutato uocabulo: nam hic Almugim dicitur.

EX CAP. XV.

Pan. Pana fecerat in luco.) Quo minus Priapum uertendum putem, in causa est, quòd uix credibile est, à foemina Priapum esse factum: deinde quòd hic in luco positus est, quod est Pani conuenientius, cum Priapus soleret in hortis collocari. Praeterea quòd מפלצת à terrore incutiendo nomen habet, id quod Pani congruit: unde Panicus timor dicitur.

EX CAP. XIX.

Quibus ille minis territus.) Ita malui uertere, Graecum & Latinum & Iosephum sequens, quàm ut est in Hebraeo, Et uidit: quae sententia est imperfecta. Quòd si mutetur puncta, constabit.

EX CAP. XXI.

In agro Iezraelensi comesum iri.) חל malè puto legi, pro חלק. nam & uetus agrum reddidit: & 4. Reg. 9. ubi idem repetitur oraculum, est, חלק.

EX CAP. XXII.

Ipsiusq; Achabi uestitum indueret.) Vt in Hebraeo est, iubetur Iosaphatus habitum mutare, & suo uestitu uti. Sed haec pugnantia sunt. Praeterea ea res nulla egeret admonitione, ut suo uestitu uteretur, quem alioqui non erat mutaturus. Adde quòd nullus esset quadrigariorum errori locus, qui Achabum se petere putantes, nunquam Iosaphatum peterent, nisi ueste decepti. Has ob causas hoc in loco secutus sum Graecum exemplar, ubi ita legitur, καὶ σὺ ἔνδυσαι τὸν ἱματισμόν μου.

IN IIII. LIB. REGVM.

EX CAP. III.

Misitq; ad Iosaphatum.) In Hebraeo est, Iuitq; & misit: aut, iuitq; mittere. quod Gallice bene exprimitur, Il alla mander.

EX CAP. IIII.

Illa ad pedes ei accidit.) In Hebraeo est, Venit & accidit, quem Hebraismum Galli sic exprimunt, Elle se uint ietter à ses piedz. Atq; hic loquendi modus frequenter occurrit.

EX CAP. VI.

Cabi stercoris columbini.) Quis poßit esse fimi columbini usus in cibis, non uideo: nisi quòd hic tradit Iosephus, usos esse pro sale.

Quem subsecutus rex.) Hunc locum ex Iosepho compleui, additis his uerbis, Quem subsecutus rex. Nam Iosephus ita scribit: Sed uos (inquit Elisaeus) cum uenerit is cui hoc mandatum est, obseruate ut ingressurum in ianua prematis, atq; retineatis: etenim sequetur eum ad me ueniens rex, mutato consilio. Atq; illi quidem, ubi uenit qui à rege ad perimendum Elisaeum missus erat, iussa fecerunt. Ioramus autem suae contra uatem iracundiae poenitens, ueritusq; ne eum iam occidisset, qui ad hoc missus erat, properauit caedem fieri prohibere, uatemq; conseruare. Atq; ubi ad eum uenit, conqueri de eo coepit, qui eis praesentium malorum remedium à Deo non postularet, sed eos malis illis confici spectaret.

EX CAP. XX.

Quibus delectatus Ezechias.) וישמע malè legitur pro וישמח, ut historia & translatio uetus, & liber Paralip. ostendit.

IN LIBROS PARALIPOMENON.

EX CAP. II.

Vxorem duxit Azubam & Ieriotham.) Ad uerbum legitur, Genuit Azubam uxorem, & Ieriotham. Sed ineptum est, uxorem à marito genitam dici. Azubam autem eius uxorem fuisse, mox patet: ubi mortua Azuba, dicitur Ephratam duxisse. Accedit & Graeca & uetus Latina translatio, quae conuenit cum nostra. Mendi causa fuisse uidetur, quòd toties in hoc capite gignendi uerbum repetitur.

Calebus cum Ephrata congressus est.) Et hic eosdem secutus sum interpretes.

Salmae filij Bethlehemus & Netophatitae.) Hic locus eiusmodi est, ut nihil annotare poßim, nisi, me nihil in eo intelligere.

Ex Bethsaba.) In Hebraeo est, Ex Bathsua. Sed Bethsabam & Graeci & Hieronymus uertit: & in libris Regum Bethsaba dicitur, nusquam Bathsua.

EX CAP. III.

Sex Hatus Iegaal.) Et hic locus mutilus est. Cum enim dicantur esse sex, nominantur tantum quinq;.

EX CAP. IIII.

Familiae officinae linariae.) Hic totus locus ita deprauatus est, ut neq; ex Graeco, neq; ex Latino poßit corrigi.

EX CAP. XI.

Eleazarus.) Quod hic Eleazaro tribuitur, nec id soli, id 2. Reg. 23. Sammae ascribitur, cuius hic nulla fit mentio, cum tamen

 tres esse

tres esse præcipui dicantur. Videtur hic locus esse mutilatus, ut & alij in his duobus libris multi.

EX CAP. XXIIII.

Ita ut Eleazaro binæ, Ithamari singulæ adscriberētur familiæ.) Et hunc locum in Hebræo puto deprauatum. Nam cum paulo antè duplo plures Eleazaro familiæ attributæ sint, quàm Ithamari, hic cōtrà fit. Itaq; suspicor in priore membro esse legendum, Ithamari: in posteriore autem, in quo bis ponitur אחז, Eleazaro. Significat enim hoc uerbum non semper possessionem, sed numerum, aut (ut Latini loquuntur) caput, præsertim cum de animalibus dicitur: in quo sensu positum est Num.31. ubi dicitur pro eo quod paulo antè dictum erat נפש. Est igitur hæc sentētia: Cum Ithamari euenirent familiæ אחד אחז, id est singulæ: Eleazaro eueniebant אחז אחד אחז, id est binæ. hoc enim significat geminata uox.

EX CAP. XXV.

Vaticinari. Vaticinantium in citharis.) Vaticinari uocat, diuinas res aut uatum scripta tractare, Deiq; laudes dicere: sicut à Paulo ponitur προφητεύειν. quoniam uatum interpretes, proximè ad eorum quos interpretantur, diuinationem uidentur accedere. Athenienses quoq; diuinos quosdam sacerdotes (ut scribit Cicero) mantes appellabant, hoc est, uates.

EX CAP. XXVI.

Primus, sine secundo. Natus est autor familiæ Iehielis.) In Hebræo ponitur hoc nomen in plurali numero, cum de uno dictum sit: id quod & sæpe fit, ut suprà cap.23. ubi dicūtur Eliezeri filij, quorum sit Rahabia primus, cum ibidē alios habuisse negetur Eliezer. Hoc modo loquuntur & Latini, cum liberos uocant plurali numero, etiam de uno loquentes.

IN II. PARALI. POMENON.

EX CAP. IIII.

AD dextrum latus orientale secundū meridiem.) Dextrū latus uocat, habita ratione mūdi. Nam templi quidem sinistrum latus est meridies, si ab oriente ingrediaris.

EX CAP. IX.

Scuta ex auro ductili sexcentenaria.) Ad uerbum sic, Insumptis auri ductilis sexcentis in unum scutum: id quod de siclis intelligendum est, quoniam siclis ponderant Hebræi. ut si Latinè saxum dicas cētenarium, intelligetur centum librarum, quia libris utūtur Latini. Item si hominē dicas sexagenarium, de annis dicas, quoniam ab annis numeratur ætas. Atq; eodem modo in reliquis. Iam quòd hic clypei trecentenarij dicuntur, cum in tertio libro Regum cap.10. scriptum sit, in singulos insumptas esse trinas minas, apparet minam centū ualere siclos.

A`tergo.) מאחריר legendū uidetur, ut in 3.Reg.10. Alioqui si מאחרים legas, non constabit sententia.

EX CAP. XIII.

Quadraginta militum item egregiorum millia.) In Hebræo est, Quadringenta, itemq; mox octingēta, & in uictoria quingēta millia. Sed cum sit hic numerus incredibilis, sequi malui Græcum & Latinum interpretē, & Iosephum, qui omnes in hoc conueniunt.

EX CAP. XX.

Ammonitæ, & Idumæorum pars.) In Hebræo est, Et Ammonitarum pars. Sed absurdū esset, dicere Ammonitas, & Ammonitarum partem: & historia ostendit, adfuisse Idumæos Seiris montis incolas: quorum hic mentionem omissam esse, non est uerisimile.

EX CAP. XXI.

Filij fuere Iosaphati Iudææ regis.) In Hebræo est, Israelitarum regis. Sed Iudææ legit uetus & Græci interpretes, & ita postulat historia.

EX CAP. XXII.

Descēdit ad eum uisendum Iezraele ægrotantem Ochozias.) In Hebræo est Azarias: sed in uetere & Latina & Græca interpretatione legitur Ochozias, & in 4. Reg.9. & ita habet historia.

EX CAP. XXVIII.

Ad regem Assyriæ petitum auxilium.) In Hebræo est, Ad reges Assyriæ: sed uetus & Græca & Latina uersio habet Regem, & ita fert historia: quemadmodū & paulo pòst Achazus Israelitarum rex non rectè dicitur, repugnāte historia, & ijs duabus, quas dixi, uersionibus.

EX CAP. XXIX.

Suo crimine incestauerat.) הזניח legendum est, ut ultima sit litera He. nam & ita postulat sentētia, & Græcus uertit ἐμίανεν, & Latinus pollucrat.

EX CAP. XXXVI.

Quibus fuerit moribus præditus.) Ad uerbum, Quid inuentum fuerit in eo. Iam inueniri, pro esse, aut existere, aut extare dicitur: quoniam nihil inueniri potest, quod non sit. ut ad Philip.2. Figura inuentus est ut homo: id est, Extitit homo. Et Latinè, Hic unus inuētus est qui id posset: hoc est, unus extitit. Et 2. Paralip.19. Res bonæ inuentæ sunt in te: hoc est, insunt in te quædam laudabilia. Inueniri.

IN ESDRAM.

EX CAP. VI.

INuentusq; est Ecbatanis.) In Chaldæo est, Amathæ. sed & uetus & Iosephus uertērūt Ecbatana: quo fit, ut locus ille aliter Chaldaicè, quàm alijs linguis, uocatus esse uideatur, ut fit & in multis alijs.

EX CAP. VII.

Acutè eruditus.) In Hebræo est, Literatus celer. sed celeritas pro acumine ponitur: ut etiam Latinè dicitur ingenij celeritas. Est autem ספר (qui Græcè γραμματεὺς à literis appellatur) aliquando doctus & eruditus: idq; uel coniūctè, ut paulo post hunc locū ספר דעת, idem est quod νομοδιδάσκαλος, legisperitus, aut professor, quem Plato libro de Legibus 6. uocat ἐξηγητὴν, hoc est interpretem: uel absolutè, ut Esa.33. tum nos literatum aut eruditum appellamus. Nonnunquam est scriba regis. Item Iudaica secta scribarum: tum nos scribam interpretamur. γραμματεύς.

IN NEHEMIAM.

EX CAP. IIII.

IN quibus nobis accolebant.) In Hebræo secūda persona est: sed & sentētia & uetus translatio cogit fateri, tertiam personam esse debere. Est autem alioqui multis in locis deprauatus hic liber: ut in cap.3. ubi sæpe pro Post eum, aut secundum eum, legitur Post eos: & contrà, ut item Esd.10. ubi in eo loco, quem nos ita uertimus, Omnes fœminas, & ex eis natos: pronomen Eis in Hebræo est masculini generis, cum debeat esse fœminini. Itemq; Nehemiæ 7. ubi idem repetitur, quod erat Esdræ 2. scriptum, numerus & hominū nomina sæpe dissentiūt. Quod ideo dico, ne quis me putet, cum in eiusmodi locos inciderit, hæc non uidisse. Neq; enim necessarium puto, omnia minima scribere: cum ea possint, si quis conferre uelit, facilè intelligi.

Suum quisq; telum dextra tenentes.) Et hic, ubi in Hebræo legitur ברים, legendum uidetur רמ׳ין: alioqui quoquò te uertas, absurda erit sententia.

IN ESDRAE LIB. III.

EX CAP. III.

DArij familiaris diceretur.) συγγενὴς est in Græco, quod cognatum quidem significat: sed uidetur ex רעה translatum (nam hunc librum ex Hebræo Græcum factum iudico, tametsi Hebræus interciderit) quod uerbum etiam familiarem notat, & amicum. Iam regis familiaris rectius dicetur hic, quàm cognatus. nam cognatum efficere sapientia non potest, & cognatus esse quiuis potest. At familiares non sunt, nisi qui habentur in precio. συγγενής.

IN TO-

IN TOBIAM

EX CAP. II.



Bi discessi cubitum apud parietem.) *In Hebræo est, Apud trabem. Sed malui Græcum & Latinum sequi, qui non* קרר, *sed* קיר *legerunt.*

EX CAP. IIII.

Atq; ita iustorum sepulchra pane uinoq; tuo perfundito.) *Cum iam iusserit, quicquid supererit, id in beneficētiam conferre, quo pacto iubet deinde sepulchra perfundi? nam beneficētia in uiuos exercetur, non in mortuos. Est igitur huiusmodi sententia: Vera sepulchrorum perfusio est, liberalitas in uiuos, quæ mortuis gratior est, quàm si ipsorum sepulchra uino perfunderes. Hoc pacto loquitur Dauid Psalmo 51. cum dicit, uerum sacrificium esse animum afflictum, & sibi displicentem. Et Sibylla libro octauo, eadē cum Tobia docet his uerbis:*

Liberalitas in mortuos.

Effigies mea homo est, rectæ rationis alumna:
Huic tu pone uolens puram sine sanguine mensam,
Repletamq; bonis: panem, potumq; fumenti,
Et sitienti da: nudum tege corpus amictu.
De proprio castis manibus largire labore:
Oppressum recrea: fessi solare labores.
Hæc à te detur uiuenti uictima uiuens:
Sparge piè semen, Dominus tibi donet ut ista.

IN IOBVM

De Iobi libro.



VI hanc Iobi narrationem & disputationem fictam esse putant, id mihi nulla ratione facere uidentur. Nihil enim potest esse in uera historia, quod non sit in hac: ut qui hanc neget, omnes negare possit. Quòd si putant hoc absurdum esse, quod in hoc libro Deus cum homine colloquitur: cogitent, & cum multis alijs olim collocutū, cum Noa, Abrahamo, & cæteris. Nisi fortè hoc obijcient, illos ex delecto diuinitùs hominum genere fuisse, Iobum uerò Idumæum. quasi uerò ullum sit hominum genus, quod Deus reiecerit: aut quasi non omnes rectè uiuentes amet, sicuti contrà omnes iniustè uiuentes odit, cuiuscunque sint nationis. Atq; hæ sunt rationes, quibus refellantur illi, si fortè parum mouentur Ezechielis & Iacobi autoritate: qui profectò nunquam de Iobo tam honorificam mentionem fecissent, si res fabulosa foret. Sed quo tempore uixerit Iobus, incertum est. Vixisse quidem multo tempore post Mosem, perspicuum fit ex cap. 15. ubi tanquam de re iam olim facta, mentio fit Israelitarum adductorū in Chananæam. Item ex cap. 32. ubi dicitur Deus homini olim declarasse, sapientiam esse metum Domini. quæ profectò sententia ex Deut. 4. aut ex Psal. 111. sumpta est. sicut & in cap. 12. est hæc sententia, Aspergit contemptu primates, ex Psal. 107. penè tota ad uerbum translata. Nisi si fortè dicent, non eam ex Psalmo translatam, sed contrà: quod ut dubium relinquatur, illud certè quod antè dixi, dubitari non poterit, lōgè post Mosem fuisse Iobum. Disputationis autem argumentum est hoc: Amici affirmant Iobum improbum fuisse, qui in eam inciderit calamitatē: Deum enim nullos, nisi malos, malo afficere. Iobus contrà pugnat, etiā bonos à Deo malis affici: ut se, qui fuerit innocēs. Cumq; dicant amici, uisum quidem esse innocentem, sed innocentiam illam non fuisse ueram: idq; ex euentu iudicari, quippe cum peccati det pœnas, miseriam enim esse peccati supplicium: ostendit Iobus, etiam improbis bene esse, idq; reipsa apparere. Quod cum sit, non esse absurdius, dicere aliquē bonum esse in malis, quàm aliquem malum esse in bonis. At Deus controuersiæ iudex, primùm Iobum reprehendit, qui sibi à Deo iniuriam fieri queratur, quòd causam non uideat, cur tanto malo afficiatur: ostenditq; Deus, sua opera esse tam ardua, ut homines, quicquid à Deo fiat, debeant fateri non sine causa aut ratione fieri: quòd si causam ignorent, debeant id ignorantiæ suæ tribuere, non Deum iniustitiæ accusare. Quasi hoc dicat: Quamuis insonti tibi calamitatem inflixerim, debes tamen de me, qui tantus sim, tam præclarè sentire, ut aliquam iustam, sed tibi ignotam causam esse putes, cur ego mundi arbiter & conditor ita tecum agam. Causam autem non addit, cur id fecerit: uult enim uoluntatem suam pro ratione haberi, quod in homine iniquū (quippe qui & errare, & iniustè agere possit) in Deo est æquissimum. Atq; illa causa nobis patet ex initio libri: id enim fecit, ut Iobi probitatem experiretur, idq; instigante Satane. Neq; uerò in hac contentione uictus est à Satane Ioua. nam Ioua contendebat, Iobum in integritate sua permansurum: Satan autem affirmabat, Iobum ideo probum esse, quòd eius res essent prosperæ: quòd si in calamitatem incideret, fore, ut probitas illa adeò nulla foret, ut etiam Deum, impiorū ritu, detestaretur: id quod factum non est. nam Iobus integer permansit, nec ita rebus aduersis mutatus est, ut improbos imitari uellet. Et tamen in eo reprehendendus erat, quòd sibi à Deo iniuriam fieri dicebat. Verùm id uitium non improbitatis est, sed ignorantiæ. Cum enim pugnarent eius amici, omnem calamitatem esse peccatorum pœnas, & Iobus sibi sceleris conscius non esset, putabat se à Deo iniuria affici. Ergo Deus illum Iobi errorem uerbis castigat, ut dictum est, non punit. Amicos autem Iobi grauius arguit, qui de Deo non tam rectè locuti essent, quàm Iobus. Nam in eo quod affirmabat Iobus, etiam insontibus mala à Deo importari, rectè dicebat: quod cum negarēt illi, non uerè de Deo loquebantur. Adde quòd Iobus uidebat, de Dei iusticia non esse ex hac uita iudicandum, sed ex futura, in qua & bonis bene, & malis erit malè: id quod ex cap. 19. intelligi potest, in quo de resurrectione loquitur. Itaq; Iobum rectè locutum esse, docet Ioua: nec illas, uitiosas quidē, sed doloris magnitudine expressas impatientiæ uoces, puniendas putat.

EX CAP. III.

Eam execrentur, qui detestantur dies, Leuiathanem excire conātes.) *Leuiathan balæna est, Iob. 40. & Psal. 104. Quoniam autem balæna est omnium animalium maximum, poni uidetur pro furiarum & dæmonum maximo, Esa. 27. & 4. Esd. 6. quemadmodum dracones & cete pro Aegyptijs, & Leuiathan siue balæna pro Pharaone dicitur, Psal. 74. Est igitur hæc Iobi sententia: Eam noctem execrentur, qui dies aliqua calamitate infames detestantur, atrosq; & nefastos statuunt, ut Romani Alliensem & Cannensem. qui quidem conantur excitare Leuiathanem: hoc est, diras cient, diris utentes deprecationibus: quod fit in rebus tristibus & atrocibus.*

Leuiathan.

EX CAP. V.

Vociferare sanè, si quis, &c.) *Inuoca Deum, & siquidem sanctus es, exaudiet te, & isto malo liberabit. nam si sanctos uiros cōsideres, eorum conditio talis est, ut eos semper defendat Deus. Quòd si non exaudit te Deus, sed perimit, apparet te improbum esse: nam non nisi improbos perdit Deus. Atq; hoc est totius huius capitis argumentum, quod duobus primis uersibus breuiter comprehensum, deinceps tractatur explicatius. Potest autem hoc pacto informari: Qui pij & sancti sunt, eos contra mala defendit Deus: te autem non defendit, ergo pius non es. Item, Qui Dei seueritate necantur, stulti sunt: atqui tu Dei seueritate necaris, ergo stultus es.*

EX CAP. VI.

Vtinam mea impatientia, &c.) *Videor uobis immoderatius dolorem ferre: sed si doloris magnitudo, quo premor, cum meis querelis cōferatur, inuenietur dolor tāto grauior mea querimonia, ut id uerbis exprimere nequeā. Nam Deus me premit acerrimè, id quod hinc intelligere sic licet. Cum rudit onager, profectò intelligitur eum pabulo carere: quod idem de boue dico. nec enim sunt eiusmodi animalia, ut sine causa conquerantur. Itidem cum ego nunc cōquerar, ne putate id facere me sine magno malo. Præterea cum uideatis me optare mortē, debetis existimare, magnam aliquam esse causam, quæ efficiat, ut tam acerba res (qualis est mors) mihi placeat. Nam si insubidi cibi, quale est album oui, quamuis cibi sint, tamen sine sale non placent: quāto minus palato sapiūt, qui natura sunt amari? Quòd si uideatis aliquem amari cibi cupidum esse, profectò iudicetis aliquid esse causæ, quæ cibi acerbitatē quodam quasi sale leniat atq; condiat. Atqui ego mortem expeto, qua tristius nil uidetur*

esse, & quam antea reformidabam: & ita expeto, ut solent cibos expetere qui esuriunt. Quod cum ita sit, non dubium est, quin tantus sit dolor meus, ut eo mortis acerbitas superetur, & quasi quodam sale cõdita, dulcis esse uideatur. Quòd si seuiret in me interficiendo Deus, hoc mihi esset gratissimũ: tantumq; abest ut Augusti, hoc est Dei, uerba respuam ac reformidẽ, ut cupiam eum in me nõ uerbis, sed uerberibus & letho deseuire. Quod autem interpretatus sum, Mihi pro uictu satis esset: legitur בריי pro כברי: alioquin insipida esset sententia. Neq; uerò est (inquit Iobus) quòd me putetis, cum mortem oro, nimis esse mollem & imbecillũ. non hoc imbecillitati meæ, sed grauitati doloris est adscribendũ: quo premor ita, ut quamuis quod in me est, faciam, tamen cogar succũbere. Itaq; non mirũ esset, si in tanto malo parũ religiosus essem: cum idem facere soleãt, qui magno aliquo malo torquentur, quamuis eis adsint & subueniant amici, uincẽte uidelicet dolore patientiam. At mihi ne hoc quidem adest, ut me amici consolentur. nam uos, qui mihi fratres estis, & amici, non me leuatis, sed fallitis: perinde ac si quis torrens glacie infuscetur ac tegatur, deinde operiatur niue, quæ nix efficiat, ut minus densa glacie incrustetur, ita ut uel leui calore dissolui possit, & pristinum tenere cursum. Nam ad eum torrentem si ueniant uiatores, & glaciem tangant (ut fieri solet) ac baculis aut pedibus tentent, inuenient fragiliorem, quàm ut eos ferre possit. Itaque frustra uenerint, id quod eos pessimè habebit (id est enim quod dicit, Pereunt) nec poterũt transire quò tendebant, uidelicet ad Themam, aut quòuis aliò. Vt igitur illos torrens, sic me uos fallitis: nec estis ueri amici, qui uiso meo malo metuitis, & estis inconstantes. Atqui non est quod metuatis: nihil enim à uobis postulo.

Vos'ne arguendi causa.) Quòd me excogitatis uerbis reprehenditis, id plus est quàm reprehensio: nec ista nefaria & iniusta uerba abeunt in uentum: hoc est, non sunt inania, aut innoxia: sed me pupillum, hoc est hominem destitutum ac miserum, premunt atq; labefactant. Quasi hoc dicat: Quòd contra me disputatis, id non arguendi, sed lædendi mei gratia facitis, aut certè in eo faciendo me læditis.

EX CAP. XIIII.

Cumq; labefacti cadant montes, &c.) Nihil est, quod temporis spacio fieri nequeat, cadere montes, transmoueri rupes, &c. at homo nihil melius ullo æuo post hanc uitam sperare potest, siquidem nunquam reuicturus est. Neq; uerò hoc dicit, quasi nullam speret resurrectionẽ Iobus. nam cap. 19. apertè demonstrat, se eam sperare. Sed hic ex aduersariorum sententia disputat, & eos ita refellit: Si hæc duntaxat uita spectatur (ut eam uestræ spectant disputationes, in quibus nulla habetur futuræ uitæ ratio) profectò nihil est homine miserius, qui non solum sit in hac uita calamitosus, uerùm etiam omni spe in posterum careat.

EX CAP. XVII.

Depone sanè, fac mecum sponsionem, &c.) Deum alloquitur. Si sponsione certandum sit, utrum tu mihi facias iniuriam, nec ne: ego uincam, si modò habeam idoneos sponsores, qui mihi manum dent, hoc est, pro te absente spondeant. Sed ubi tales sponsores inueniam? hos'ne meos amicos tu sponsores dabis? Non opinor. nam tu eorum mentibus ingenium detraxisti: hoc est, nihil habent ingenij, stupidi sunt, & ignari rerum: ideoq; ad hanc sponsionem parum idonei, si mihi licet liberè & citra assentationem loqui. Dicit autem Deum eis ingenium detraxisse, pro non dedisse: sicut cap. 39. dicitur Deus struthiocamelum priuauisse sapientia, hoc est, sapientiam ei non impertiuisse: ut ibidem geminata sententia patet.

EX CAP. XXI.

An mihi cum hominibus disputatio est? &c.) Vos, cum quibus ego disputo, indigni estis, qui homines appellemini. Nã si uerè homines, hoc est, si cordati & prudentes essetis, esset oratio mea breuior: hoc est, assentiremini meæ orationi, quæ uera sit. Ita fieret, ut uobis nihil contradicentibus, ego iamdudum tacerem, neq; tam multa uerba in uobis refellendis facerem. Homines autem dicit, pro uerè hominibus (sunt enim quidam uocabulo tantum homines.) sicut Solomo Prouerb. 28. & idem Prouerb. 16. reges uocat, bonos reges: & Eccles. 7. uirum & fœminam eodem modo. Tale est quod dicimus Latinam orationem, pro eleganti.

Si non habent in manu suum bonum, me præterit impiorum consilium.) Omnia bonum appetunt, & ad id suas actiones dirigunt. Quod si est, impij quæ faciunt, boni consequendi causa faciunt. Atqui si uiderent se nihil boni consequi, nihil posset esse stupidius eis, qui scientes frustra agerent quæ agunt. Itaq; ego non uideo, quo consilio ita uiuant, nisi quòd uident, se ita uiuendo potiri bonis: neq; enim sine causa faciunt, quæ faciunt. Proinde necesse est ut fateamini, improbos esse in hac uita felices.

EX CAP. XXIIII.

Cur ab Omnipotente non sunt, &c.) Dei tempora & dies uocat ea, quæ quoq; tempore & die facit Deus. & loquitur in hanc sententiam: Impij & in uita fortunati sunt, & in morte non diu torquentur: quod dum uident pij (est enim manifestius, quàm ut negari possit) torquentur, ut habetur Psal. 73. Itaq; præstitisset (ut uidetur) hæc latêre pios.

Celeres sunt in humore.) Similes sunt stirpibus in humore & uligine crescẽtibus, quæ citò pereunt, ut iuncus: neq; spectant uinearum naturam, hoc est, non sunt uitis similes, quæ etiam sine uligine uiuit in arido loco. Atq; hoc dico, felicitatis esse, citò mori, non diu languere, ut solent boni. Impij citò pereunt, ut niualis aqua æstu absumitur: & ita pereũt, ut eos obliuiscatur uterus: hoc est, ut fiant perinde ac si nunquam ex utero prodijssent, & nati fuissent: id quod eis suaue est, extingui postquam feliciter uixerunt, & se maleficijs oblectarunt, corrumpendo fœtus in utero stupratarum à se mulierum, ne flagitium pateret, & uiduis malefaciendo (adulteros notat, & uiolentos) & in homines quamuis generosos grassando, cædendo, prodendo, insidiando. Postquam aliquandiu ita uiguerunt, non dant pœnas: sed moriuntur ut omnes, & citò pereunt. Atque hæc sunt apertiora, quàm ut possint refelli.

EX CAP. XXVII.

Quid enim sperandum erit simulatori, &c.) Si simulator & impurus essem, perijsset mihi spes unà cum re: nec enim exaudiret me Deus inuocantem. Nunc religiosus sum, & ideo meliora spero. Hoc enim differt inter probos & improbos, quòd improbi tandem funditùs intereunt, nec eis spes ulla superest: at probis superest. Hanc spem uos non spectatis, in quo estis sanè futiles, qui tamen uultis oracula dicere uideri. Hoc enim etiam atq; etiam urgetis, me, nisi improbus fuissem, non fuisse futurum in malis: ego dico etiam probos affligi, & quidem sæpe grauius quàm impios, sed spe non destitui.

EX CAP. XXVIII.

Est autem ea spes in ea religione (ut dixi) posita, quæ religio est uera sapientia, omnium quæ expetuntur rerum pretiosissima, & maximè expetẽda. Sed ea quærenda non est, ubi quæruntur quæ solẽt à mortalibus expeti, qui summo labore & diligentia gemmas & aurum rimantur penitus in uisceribus terræ. Sapientia in suo cuiq; animo quærẽda est. Hoc est totius capitis argumentum. quod si clarè uis intelligere, lege Plin. lib. 33. cap. 4. nihil erit quod ad huius Iobi loci declarationem requiras. Nos tamen paucis exponemus. Inueniũt (inquit) homines metalla, argentum, aurum, ferrum ex humo erutũ, & ex lapide æs. Hoc Plinius docet lib. 34. cap. 1. Tenebris imponitur finis, penetrant sub terras, ubi tenebræ sunt, eoq; lumen inferunt, & ad lucernarum lumina abditas in tenebris perscrutantur gemmas. Deriuantur ex peregrino solo flumina, scilicet ad irrigandam egestam terram, in qua aurum quæritur: quæ flumina uocant corrugos, à corriuando. Et ignorata pedibus, & quæ caruerant hominibus uagantur, scilicet flumina: hoc est, aqua quæ sub terris fluebat, quam nulli accolebant homines, elicitur hominum labore, & docetur alium tenere cursum: ut est in Plin. 33. cap. 6. Tellus quasi igne euertitur. Agunt per magna spacia cuniculos, & terram subeunt, non secus ac ignis facit, ut in Aetna & Vesuuio. Quinetiam occursantes sub terra silices, igni rumpũt & aceto, dum illic gemmas & aurum quærunt homines, quò nunquam ullæ, quantumuis

tumuis agrestes, aut feræ, penetrauerant bestiæ, sed ne aspexerant quidem perspicacissimæ.

Ex lachryma perscrutantur fluuios.) Vbi rupes lachrymare uident, eas excauant, ad corrugos eliciendos.

EX CAP. XXIX.

Qualis eram mei ueris tempore.) Hyemis, in Hebræo legitur. Sed cum diuidat Hebræi annum in hyemem & æstatem, fit ut ueris pars prior hyemi tribuatur, sicut posterior æstati, ut est Matth. 24. Est enim ueris initium, finis hyemis. Eum aūt de uere suo, hoc est, de adolescētia loqui, patet ex tota sentētia.

EX CAP. XXX.

Cui nullus subueniat.) לבלי sicut Gen. 9. positum est pro לי, interposita litera בו: sicut Ose. 12. in עבצור literam ב interiectam docuimus. alioquin frigeret sententia.

EX CAP. XXXI.

Mea quidem cupiditas est.) תוי pro תאותי contracto uocabulo positum est, sicut Esa. 43. ברי pro בריאת. Hoc enim cogit fateri sententia, quæ alioqui inepta est. Adde quòd uertit uetus interpres, Desiderium.

EX CAP. XXXIII.

Si maior est homine Deus.) Ineptè facis, qui uelis disputare cum Deo, tanquam sis ei par. Est enim hoc eorū qui inter se æquales sunt, inter sese disputare, & inuicē rationes audire. Sed Deus tanto est homine maior, ut indignum sit, eum homini reddere omnium rationem quæ faciat. Nam rationē reddere, eius est, de cuius facto rectum nec'ne sit, dubitari potest. Deus is est, de quo dicendum sit, Ipse dixit: estq; eius autoritas pro ratione habenda. Itaq; semel quod pronunciauit, non iterat. Interim homines per somnia monet, & eorum pœnam cōcludit: hoc est, ostendit non esse disputandū, cur ita malis afficiantur: sed pœnam esse certam atq; fixam, & eius autoris, à quo non sit exigenda ratio. Quod dum facit, detrahit homini facta: hoc est, ostendit eum nocentem esse, & ea fecisse ac peccasse, propter quæ non sit superbiendum, sed oranda uenia. Ita fit, ut homo Dei magnitudinem animaduertens, sese submittat, atq; ita ueniam salutemq; obtineat. Vide eadem penè cap. 36.

EX CAP. XXXIIII.

Fieri'ne potest, ut qui, &c.) Quod interpretor, Rectè curat, quæ agit: id uerbum in Hebræo significat uulnus fascijs inuoluere, & mederi. Et quia medici est, morbos non solū abigere, sed etiam arcere, fit ut id uerbum ad alia translatum, significet non solum mederi præsenti malo, sed etiam ita aliquid agere, ut malum absit, bonumq; adsit: quod Græcè uno uerbo dici potest, ἰατορθοῦν. Est autem hic sensus: Si iniustus esset Deus, non posset quæ curat & facit, rectè facere. Nec enim dici hoc potest, eum peccare metu. Sit hoc hominum proprium, ut potentiorum metu delinquant: Deo adeò nullus est potentior, ut etiam reges pro nihilo ducat. Atqui mundum rectè administrat: est ergo iustus.

EX CAP. XXXVI.

In quas quidem suum lumen explicans, maris radices tegit.) Cum nubilum est cœlum, lux excepta latè nubibus, & impedita, nō potest in inferiora penetrare. Ita maris radices teguntur: hoc est, lux impeditur nubium tegumento, quo minus in maris fundum penetret.: sic enim appellat radices, imam partem. Per nubes autem Deus & populos ulciscitur, dum sata nimio aut intempestiuo imbre corrumpit: & uictum copiosè largitur, dum modicè & tempestiuè pluēdo fruges alit. Lucem palmis tegit: hoc est nubibus, quæ sunt quasi Dei palmæ sedentis in æthere. Curatq; ut luci occurratur: hoc est, ut eam impediant nubes: quas dum luci nunciat Deus, hoc est, excitat aduersus lucem, irascitur lux aduersus ascendentes nubes, quæ sibi obstent. Vide cap. 38. de mari.

EX CAP. XXXVIII.

Et ab ea diijciantur impij, &c.) Adulteri, fures, latrones, proditores, & cæteri, quos hic uocat impios, noctu suis flagitijs inuigilant: ijdem adueniente die, lucifugi diffugiunt: & mutato tanquam rubricæ sigillo, hoc est, discussa nocte, quæ eos tegit ac concludit, sicuti rubricæ aut cuiusuis rei sigillum, operit ea quæ eo signata sunt: fiunt uestis similes, sese contrahunt, & quasi uestes complicant, ac in latebras conijciunt. & sua luce priuantur impij: quemadmodum cap. 24. dixit Iobus, impijs matutinum esse pro tetra nocte: quòd ut cæteri homines manè ad opus prodeunt, sic illi tum sese recipiūt. ita hic Deus impiorum lucem appellat noctem, quòd noctu agant, & noctuarum ritu diem pro nocte, & noctem pro die habeant. Sublimesq; lacerti franguntur: impij orta luce uires amittunt, & audaciam, & sese pauidi recipiunt, qui alioquin noctu sunt feroces.

EX CAP. XL.

Ramosis summæ caudæ neruis.) Caudam hic appellat promuscidem. זנב autem est summa caudæ pars, adhærens spinæ dorsi, quæ à pauore ideo uocatur, quòd bestiæ dum metuunt, solent eam contrahere. Atq; eodem modo Græcè uocatur ὄῤῥος: unde fit ὀῤῥωδεῖν, reformidare. Deum autem de cauda hic loqui, patet ex eo, quòd antè comparauit caudam cedro: quam sententiam cum, ut solet, iterare uellet, iam non cedrum uocat, sed (quod proximum est) ramosos neruos. ὄῤῥος.

EX CAP. XLI.

Adeoq; spes tua sit fallax.) In Hebræo est, Spes eius. Sed cum prius usus esset secunda persona pro quauis, nempe, Consere cum ea manum, pro, Si quis cum ea congrediatur: uolui obscuritatem euitare, quæ fuisset in tertia persona. Est autem hic sensus: Frustra speres eam posse uinci: ne aspectum quidem ferre possis.

EX CAP. XLII.

Habuit & septem filios, & tres filias.) Atqui paulo antè dicitur Deus ei omnia conduplicasse: quod cum fiat in pecore, in liberis non fit: habuerat enim totidem. Sed hic intelligēdum est, latere mysteriū resurrectionis. Nam cū pecora Iobo perijssent, liberi hac uita defuncti non perierant: uiuunt enim omnes Deo. Quòd si ei duplex liberûm numerus redditus fuisset, habuisset triplicē numerum. Hanc rem me docuit Italus quidam. Resurrectio.

IN PSALMOS.



Ntequam ad singulorum locorum explicationem ueniamus, pauca in uniuersum præfanda sunt. Hic liber apud Hebræos uocatur Liber laudationum, quòd in eo Dei laudes continentur. Græcè poterat Hymnorum liber dici: sed quia psalluntur, hoc est, fidibus canuntur hæc carmina, & pleraq; Mizmor, hoc est, ψαλμὸς inscribuntur, uocauere Psalmos, aut Psalterium: quod nomen Latinis usitatum, nos retinuimus. Titulos alij habent, alij non habent. Qui non habent, hos Dauidis esse puto. Qui habent, aut habent in Græco tantum, aut etiam in Hebræo: & in Græco quidem bifariam. nam aut totus titulus Græcus est, aut tituli pars: atq; illud aliquādo in Græco indicatur his uerbis, ἀνεπίγραφος παρ' ἑβραίοις, hoc est, titulo carens apud Hebræos: aliquādo non indicatur. Quod autem de Græco dico, idem de Latino dictum uolo. nam uulgaris Latina psalmorum translatio, meo quidem iudicio, ex Græco ducta est, non ex Hebræo. Significant autem tituli aut rem gestam, quæ carmini dederit occasionem: aut autorem, aut argumentum, aut genus carminis: aut musicum instrumentum, quo canendum carmen sit: aut cantorem, à quo canendum sit: aut horum modò plura, modò pauciora. Quod ad res gestas attinet, eæ patent ex sacris historijs. Autorum præcipuus est Dauid: sed sunt & alij, ut Moses. Quod ad eos attinet, qui inscribuntur לבני קרח, hoc est, filiorum Coræ, siue filijs Coræ (est enim apud Hebræos ambiguum) eos Dauidis esse puto, sed scriptos, ut à Coranidis (sic enim nos Cora prognatos nomine patronymico appellamus) canerentur, ideoq; Coranidarum appellari: ut si puellarum cantionem dicas, non significes puellas autores esse carminis, sed cātatrices. Sed an idem de Asapho & Hemane & Ieduthune dicendum sit, an uerò ipsi autores fuerint eorum quæ ipsis ascribuntur, ego nescio. In 2. Paral. 29. laudari dicitur Deus uerbis Dauidis, & uatis Asaphi: ubi uidetur Asaphus autor esse. sicut & Ieduthun appellatur uates regius, 2. Paralip. 35. Quod ad carminum genera, musicaq; instrumenta attinet, ea hodie adeò ignota sunt, ut nihil facilè affirmari De Psalmis.

poßit. quod eo minus in Hebræo mirum est, cum etiam in Gallica lingua extent quædam carminum genera, quorum nominis ratio reddi uix, aut ne uix quidem poßit: quale illud est, quod uocatur Balade. Igitur quæ potui, ea sum interpretatus: alia Hebræa reliqui, ut Gitthith, ut Almuth Labben, donec certius quid inuenero. quod idem feci & in uoce Sela, quæ in Psalmis sæpe occurrit: quæ quidem uidetur musicæ rationis esse, sed hodie ignotæ.

EX PSAL. VII.

Falsum.

Nefas pariet.) In Hebræo est, Falsum pariet. Vt autem uerum pro æquo iustoq; tum apud Hebræos, tum apud Latinos dicitur: ita falsum apud Hebræos pro iniusto, ut & in Psalmis frequenter, & Esa. 44. quod & apud Latinos fit in aduerbio falsò, pro immeritò & iniustè.

EX PSAL. XI.

Quæ sors est eis exantlanda.) Ad uerbum legitur, Portio calicis eorum. Sed id uerbum pro sorte & conditione ponitur, ut Psal. 63. Portio uulpium erunt: hoc est, eandem cum uulpibus conditionem subibunt. Quod uerbum in nouo Testamento modò μοῖρις, modò μέρος dicitur. ut Lucæ 10. Μαρία τὴν ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξατο, Maria bonam conditionem elegit. Et Matth. 24. καὶ τὸ μέρος αὐτοῦ μετὰ τῶν ὑποκριτῶν θήσει, Faciet eandem eius sortem, quàm fictorum: hoc est, habebit eum eodem numero aut loco, quo fictos & impuros homines. Gallicè quoq; party uocatur conditio, deducto à parte uocabulo. Calix autē dicitur pro re qua fungendū est, siue læta, ut Psal. 16. siue tristi, ut hic: quæ posterior translatio Latinè exprimitur per uerbum Exantlare, quod exhaurire significans, & à calicis potione non abhorrens, ponitur pro perfungi atq; pati.

Calix.

EX PSAL. XV.

Quodq; iurauit alteri, non reuocat.) In Hebræo est, Quodq; iurauit ad malum: sed sententia non satis apta est. nam iurare ad malum, si Hebræum sermonē spectes, esset, iurare se malè facturum, aut alicui nociturum, ut licet uidere in Psal. 37. Apud Hebræos idem uerbum, & malum, & proximum significat, mutatis punctis uocalibus, in quibus facilis est lapsus. Itaq; Græcus uertit, τῷ πλησίον αὐτοῦ: & Latinus, proximo suo: quæ sententia mihi uidetur aptior. Proximus autem pro alio, non solum Hebraicè dicitur, sed etiam Græcè, ὁ πέλας.

EX PSAL. XVIII.

Ferreos ut arcus.) In Hebræo est, æneos. sed ære non fiunt arcus: & ponitur pro metallo, & porrò pro ferro, si de re ferrea agatur, ut apud Homerum χαλκός.

EX PSAL. XXII.

Cerua.

Super auroræ cerua.) Ceruam Christum uocat, quem Iudæi, tanquam ceruam canes, infestabant. Auroræ autem uocat, propter resurrectionem mox secuturam, quæ etiam Psalmo 49. uocatur matutinum, quòd ea est lucis, hoc est, beatæ uitæ initium.

A te mea laudatio.) Hoc est, Tu eris meæ laudationis autor, teq; laudabo. Quomodo dixit Virgilius:

Ab Ioue principium Musæ. Et illud,
A te principium, tibi desinet.

EX PSAL. XXIIII.

Peierare.

Qui non animo suo ad nequitiam utitur.) Hoc est, Qui non falsò & maliciosè iurat, ut continuò sequitur. nam iurantes id testamur, quod habemus in animo. ut uidere licet in Ierem. 38. ubi iurat Sedecias. Quod si falsum iuramus, abutimur animo nostro.

EX PSAL. XXXVII.

Imperatiuus pro futuro.

Bene fac, incoles terram.) In Hebræo uerbum Incoles, est imperatiui modi. sed hic ponitur pro futuro, ut in hoc eodem Psalmo: Recede à malo, & benefac, & dura in perpetuum (sic enim legitur ad uerbum) pro durabis. neque enim iubet durare in perpetuum, cum id penes hominem, cui iubet, positum non sit. Sic loquitur & Esaias capite quinto. Latini quoq;, ut Virgilius:

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si fœtura gregem suppleuerit, aureus esto.

Multo præstat tenuis res bonorum, quàm impiorum opulentia.) In Hebræo est, Præstat tenuis res bonorum, quàm impiorum multorum opulentia. Qualis Hebraismus est in illis Christi uerbis: Non'ne uos pluris estis quàm multi passeres? pro hoc, Non'ne uos multo pluris estis quàm passeres?

Improbi uerò dabunt pœnas.) Hic dimidius uersus in Hebræo desideratur: sed est addendus. nam huius carminis alij uersus omnes constant binis mēbris: quod in hoc non fieri, esset absurdum. Præterea cum sit hoc carmen ordine literarum scriptum, hic desideratur litera Ain: ex quo patet, mutilum esse locum: qui mutilus non erat, cum est in Græcum translatus, ubi ita legitur, ἄνομοι δὲ ἐκδιωχθήσονται. & in Latino, Iniusti punientur: ex quo eos coniectura est legisse עוילים.

EX PSAL. XLIIII.

Immitti.

Cæterisq; nationibus malo affectis immiseris.) Immitti siue summitti dicuntur resecces, hoc est, sarmenta, quæ cæteris amputatis relinquuntur, ut sint fructuaria. Sic hoc loco Deus excisis Chananæis, dicitur Hebræos immisisse ac propagasse. Hoc eodē uerbo שלח usus est & Ezechiel, pro comam diffundere, & materia luxuriare. cap. 31.

EX PSAL. XLV.

Parentibus tuis succedent tui liberi.) In Hebræo relatiua sunt masculini generis, sed referenda sunt ad reginam. cuiusmodi relatiuorum transitus sæpe accidit, ut in Ierem. 11. declaramus. Talia inuenies etiam Numer. 27. & 36. nam si hæc ad regem referas, erit frigida sententia: ad reginā uerò, aptissima, & ad id conueniens quod dixerat, patriam domum ei esse obliuiscendam.

EX PSAL. XLVI.

Manè.

Deo ei maturè succurrente.) In Hebræo est, Sub ortu matutini: hoc est, manè, quod sæpe ponitur pro maturè: sicut Gallicè matin, Tu nes pas uenu pro ou matin. & Germanicè fi [illegible]. & Latinè serò, pro tardè.

EX PSAL. XLIX.

Pœna calcaneorum.

Circumstante me meorum pœna calcaneorum.) Hoc est, imminente mihi morte. cuius causa est hominis peccatum: quæ propterea minus metuenda est, quòd calcem duntaxat lædit, nec hominem prorsus extinguit, cum sit in uitam à Christo reuocandus. Alludit autem ad illud Gen. 3. Vt illud tibi caput, tu illi calcem illidas. Diabolus enim, qui serpens erat, hominem non lethaliter uulnerauit, medēte Christo. Nec uideri debet hæc interpretatio longius petita. nam sic solent ænigmata: & hoc carmen ænigma uocat autor. עון autem pro pœna (ut uertimus) ponitur cùm alibi, tum 1. Reg. 28.

EX PSAL. LIIII.

Peregrinus pro hoste.

Nam hostes consurgunt in me.) In Hebræo est, Peregrini: sed peregrinus ponitur pro hoste, ut Esa. 1. ut Latinè hostis pro perduelle: cū tamē hostis olim esset idē qui peregrinus.

Dominus is est, qui hanc animam sustētet.) In Hebræo est, Dominus est in sustentantibus animam meam: cum de uno loquatur. est enim iterata sententia, idē significans quod prior, Deus mihi succurrit. Huius loquendi rationis non dißimile est quod Græci dicunt, οἱ περὶ τὸν πλάτωνα, hoc est, Plato. ut & Ioan. 11. τὰς περὶ μάρθαν καὶ μαρίαν. itemq; quod in margine Psal. 55. enotatum inuenies. & Psal. 69. Quem tu uulnerasti, insectantur, sauciorum tuorum dolorem adaugentes. Itemq; Iudic. 11. Tu es in perturbantibus me: hoc est, tu me perturbas. & Esa. 41. Cum postremis ego sum: hoc est, postremus. & Ose. 11. Eisq; fui quasi alleuantes: hoc est, quasi qui alleuaret. Gallicè quoq; dicimus, Ie ne suis pas des plus riches, Non sum ditißimorum: hoc est, non sum admodū diues. quomodo Græci dicunt, εἶναι τῶν πλουσίων, pro εἶναι πλούσιον.

EX PSAL. LIX.

Tibi uires meas acceptas fero.) Vires eius, legitur in Hebræo: sed & sententia repugnat, & Græca Latinaq; uetus interpretatio: ex quibus apparet, non עזו, sed עזי legendum: ut etiam legitur in ultimo uersu.

EX PSAL. LX.

Ad arcus effugiendos.) Malè קשט legitur, cum debeat קשת per Tau ultimam legi: ut & sententia, & ueteres Græcus & Latinus interpretes ostendunt.

EX

EX PSAL. LXII.

Homo pro ipso.

Quousque in me iniuriosi eritis?) Latinè, Noui hominem, pro noui eum, dicitur. Hebraicè fit hoc etiam in prima persona: quo modo dicit sæpe Christus filium hominis, pro homine, de seipso loquens. Igitur quod hic uertimus, In me: in Hebræo est, in hominem. qui Hebraismus, quia huic loco obscuritatē afferret, locum ad Latinam cõsuetudinem traduximus. Eum autem de se loqui, apparet ex eo, quòd & antè & pòst dicit, se in Deo acquiescere, eoq; niti, sic ut eorum conatibus labefactari nequeat. Quod interpretor, Perimere conantes, in Hebræo unum est uerbum, quod significat perimere: quanquam paßiuū esse, notæ uocales indicant: sed actiuum esse, & uetus interpres, & sententia ostendit. quomodo & uerbum חלף positum est Proverb. 11. Est autem animaduertendum, Hebræorum uerborum notiones latè patêre, ut idem uerbum & primarium sit, & frequentatiuum, & desideratiuum, quando his figuris carent Hebræi. Itaq; hic Perimere ponitur pro peremptiurire (ut ita loquar) hoc est, uelle perimere. qualis Hebraismus est etiam Act. 7. his uerbis: καὶ συνήλασεν αὐτοὺς εἰς εἰρήνην. non enim reduxit rixantes in gratiam Moses, sed id facere conatus est. & Matth. 23. εἰσερχομένους, pro εἰσελθεῖν θέλοντας. Atq; eodem modo obiter dico de uerbis apud Latinos compositis, quibus carentes Hebræi, unò uerbo multa significant. ut לחם sit pugnare, propugnare, oppugnare, repugnare, & expugnare: & ita in multis alijs.

EX PSAL. LXIIII.

Nihil tale metuentes.) In Hebræo uocabulum antecedens est singularis numeri, sed pro plurali positum. itaq; uerbum sequitur plurale, id quod sæpe fit: & contrà, ut Psalmo 62. & 63. & 68.

EX PSAL. LXVIII.

Quoniam carmen hoc obscurum est, id pluribus explicabimus: sic tamen, ut nihil affirmãtes, iudicium alijs relinquamus. Moses proficiscẽte arca oraculi, solebat ita præfari: Exurge Ioua, & dißipetur hostes tui, &c. à quibus uerbis cum Dauid carmen hoc exordiatur, intelligendum est, in hoc illius declarationem contineri. Sed hoc intelligi non potest, nisi sciamus, eũ qui & illic, & hic Ioua, & Genius, & Deus, & Dominus appellatur, esse Christũ, ut in 2. Exod. cap. declarauimus. Certè hoc ignorato, necesse est in præcipuis Christianæ disciplinæ locis hallucinari. Igitur carmen hoc ita declarabimus: Exurget Deus, Christus, idem qui Mosis tẽpore ducebat Israelitas: cum ueniet in terras, & uictis sua uita & disciplina atq; resurrectione hostibus, diabolo, eiusq; seruis improbis, bonos perducet ad felicitatem. Hoc est totius carminis argumentũ. Deinde iubet huius rei gloriam ad Deum Christi patrem referri, cuius mandato filius ea facturus sit, qui pater filio suo nomen suum Iouam, & porrò potestatem accommodauerit. Hoc enim est quod dicit, cuius nomen est in Ioua: hoc est, cuius Dei nomine præditus est Christus. ut est Exod. 23. ubi Deus sic populum alloquitur: Ego sum tibi præmissurus Genium, qui te tuetur in itinere, & perducat in locum à me præparatũ. Ab hoc tibi caueto: huic pareto: hunc ne irritato. neq; enim ignoscet criminibus uestris, quoniam meo nomine præditus erit. Vides eum genium Christum esse, qui idem cum Ioua nomen habeat: cui Deus nomen dedit, quod est supra omne nomen: ut bene dixisse uideatur, qui ostẽdit, Iesu nomen à Ioua esse deductũ. Ergo huius salutis nobis per Christũ partæ laudẽ Deo tribuit, qui cœlestẽ sacrãq; domũ incolens, humiles euehit, & superbos deprimit. Mox totum argumentum fusius repetit, hunc in modum: Quemadmodum tu Deus Israelitas ex Aegypto eductos, collocasti in promissa terra, superatis eorum hostibus: sic Christus est ueros Israelitas in regnum cœleste intromissurus, cuius regni terra illa Chananæa umbra quædã fuit. Christus inquam Dominus, suppeditabit argumentũ fœminis magni exercitus nuncijs: hoc est, morte deuicta reuiuiscet, & sese mulieribus ostendet, quæ eius resurrectionem discipulis (qui magnus uocatur exercitus) nunciabũt, qui nuncius erit lætißimus: quippe uictis morte, diabolo, mundo, & hominis praua natura, tanquam quibusdam militiæ ducibus: & ita uictis, ut domi resides & imbelles Christi discipuli, de eis per Christũ triumphẽt. Itaq; etiamsi iacueritis inter atra ahena: ô discipuli Christi, quãuis mortuo Christo, squalore & mœrore deformati fueritis, deinceps iam eo uiuente nitebitis: & ea, scilicet terra, hoc est Ecclesia, deinceps erit niue candidior. Vocat autẽ Ecclesiam montem Dei, in quo Ioua Christus sit semper habitaturus, multas habẽs copias (hoc est enim quod dicit, Non semel decem millia: hoc est, multa decem millia: ut Latinè, Non semel, pro sæpe dicimus. & ut Psal. 62. Bis, pro nõ semel, hoc est, pro sæpe positum est) inter quas copias est ipse in sacro suo loco, qui idem in monte Sinai legem dederat. Deinde sermonem ad Christum conuertit: Tu, inquit, deuicta morte ascendis in cœlum, tuos abducens, qui fuerant captiui (nam multi cum Christo reuixerunt) & inde donis fungeris, mittens scilicet Apostolos, & cæteros Ecclesiæ magistros: idq; inter homines ei rei repugnantes, quorum magistrorum opera fiat, ut Christus agnoscatur, Deusq; colatur. Laudetur igitur Dominus Christi pater, nostræ salutis autor, dum Iouæ Domino Deus est ad mortis exitum: hoc est, dum Christum, Iouam & Dominum, in uitam reuocat. Legitur autem hic, לבות תרצאות, pro לתרצאות חמות. sicut Esaiæ 58. משבת עשות, pro מעשות חשבת & Amos 5. ומספר אל ידעי נהי, pro ולא מספר ידעי נהי. Sanè Deus caput truncabit hostium eius, scilicet Christi: hoc est, subiget improbos. nam ita promittit: Retraham & liberabo Dominum, scilicet Christum, ex morte & capitali periculo: quale posset esse ab Ogo Basanæ rege, aut in mari rubro: ita ut tuos pedes (personæ mutatio est) in hostium sanguine laues Christe. & tui canes eum lingant: hoc est, ut plenam assequare uictoriam, atq; ita triumphes, magno cum carminum & laudum apparatu. Collaudate Deum ex fonte Israelis: hoc est, Israelitæ. quod Græcè significantius dici potest, οἱ ἐκ τῆς πηγῆς. & Gallicè, Ceux de la fontaine. (ut Psalmo 148. Laudate Iouam de cœlis: hoc est, cœlestia.) præcipuè Beniamitæ, & Zabulonij, atq; Nephthalenses, apud quos scientia præstantes, Christus in primis innotuit: de qua re plura in Esa. 9.

Deus constituit tuam, Christe, potentiam: quam opto, ut nobis confirmet, ut cæteræ gentes ad Christum accedant: hoc est enim, munera afferre Hierosolymam. Perde rempublicam eorum qui cæteras nationes turbant, ut tauri uitulos, demersam in argenti segmentis: hoc est, auaram, & habendi cupiditate bella gerentem. hoc est, Dele, Christe, regnum Romanorum: ut cùm à cæteris gentibus, tum ab Aegyptijs & Aethiopibus agnoscaris. Nam Romano imperio succedit Christi regnũ, ut uidere licet in statua illa, à Nabuchodonosore in somnis uisa apud Danielem, quam delapsus lapis perfringit. Quod hic dicitur, Aethiopia Deo manus suas curret: hoc est, cursim præbebit. ut illud Virgilij,

Talia secla suis dixerunt currite fusis.

Hoc est, talia secla properate, aut properè afferte. Igitur cantate Deum, qui quamuis in cœlo sit, habet tamen terrarum tantam curam, ut efficacißimam Euangelij uocem sit ad homines missurus, quò ad salutem uocentur cùm cæteri, tum uel in primis Iudæi.

EX PSAL. LXIX.

Qui nam indurentur.

Eorum uitia uitijs accumula.) Nõ hæc Christus (de quo scriptum est carmen hoc) omnibus imprecatur, à quibus afficitur iniuria. nam moriens eis ueniam orauit, à quibus actus erat in crucem: sed addita causa, Quia nesciunt (inquit) quid faciant. ex quo intelligi conuenit, eum in hoc carmine peruersis, & ob ingenij prauitatem peccantibus imprecari. Pergant sanè peccare, postquã sunt adeò scelerati, ne tua utantur æquitate: hoc est, ne te eorum miserescat. de qua re plura in Esa. 6. & Matth. 12.

EX PSAL. LXXII.

Hactenus precationes Dauidis.) Sunt quidẽ in his duobus primis libris carmina etiam aliorum quàm Dauidis. Sed quia Dauid eorum præcipuus autor est, adscribũtur ei: quemadmodum Ciceronis epistolas uocamus, cum quibus tamen sunt & aliorum. Quanquam autem etiam in tribus sequentibus libris

libris sunt & Dauidis, tamen hic dicuntur finitæ preces Dauidis: uel quòd sequentia plurium sunt autorum, uel quòd prioribus iam conclusis libris, reliqua postea condidit.

EX PSAL. LXXVIII.

Tam nobilem panem comederunt homines.) *Ad uerbum est, Panem nobilium. ut Iud.8. phiala nobilium, pro nobili phiala dicitur. & Zachar.9. asinus uocatur filius asinarum: hoc est, asinarius, aut asina natus.*

EX PSAL. LXXXI.

Subduxi uestros humeros oneri.) *In Hebræo multa est & personæ & numeri mutatio. Nos perspicuitati seruiuimus, ut & in multis alijs.*

EX PSAL. LXXXIIII.

Qui si per flebilem transeant uallem, eam reddent fontalem.) *Hoc est, ubicunq; uersantur, Deus eis necessaria suppeditat: adeò, ut si natura ea neget, potius contra naturam faciat: ut olim in æstuosa illa solitudine, ubi fontem suis ex rupe elicuit. Quod autem dicit uallem flebilem, significat siticulosam. Nam si in uallibus, quæ natura fontibus abundare solent, aquam non inuenias: quid superest, nisi ut fleas? De piscinis quod dicit, hæc est sententia: Si piscinas aut cisternas habeant, ut fieri solet in locis montanis, eas ita replebit Deus pluuia, ut prætexãtur & cõuestiantur herbis, ne quid eis uel in ualle desit, uel in mõte. Nec obest, quòd non ipsi boni fontes excitat, ut hic dicũtur: hoc est, nõ ipsi sibi, sed Deus necessaria suppeditat. Dicuntur enim poetico more id facere, quod ipsorum causa fit.*

EX PSAL. LXXXVII.

Ille ibi natus est.) *Hoc est, pauci. & quod sequitur, Alium atq; aliũ: hoc est, multos, qui repetitione significãtur, ut etiam apud Latinos. Non absimile est, quod Esa.61. dicitur duplex pudor, pro magno: & Psal.8. lachrymæ* שליש *tergeminæ, ut ita loquar, pro grandibus: & Prouerb.22.* שלישים *tripliciter, pro magnopere, aut etiam atq; etiam.*

EX PSAL. XC.

Quod si quis iræ tuæ uim norit, &c.) *Si quis intelligat, quæ sit istius iræ causa atq; uis, qua uitã nostram tam breuẽ facis, intelliget te sæuire prout metueris: tantoq; breuiorẽ uitam efficere, quanto minus te reuerẽtur homines. Quod si ritè perpenderemus, quàm sit uita nostra breuis, & huius breuitatis causam intelligeremus esse peccata nostra, atq; tui contemptũ: mentem adhiberemus sapientẽ, hoc est, te reuereremur (nam sapientiæ caput est, tui metus) atq; ita uitã & longam & felicem obedientia consequeremur, quam peccatũ & contumacia breuem reddidit, & miseram. Sed ad hoc consequendum, uires nobis adimit noxa nostra: superest, ut tu hoc in nobis efficias, nosq; hanc rectè uiuendi rationem doceas: id quod non nisi placatus facturus es: neq; porrò placandus, nisi per Meßiam, uitæ nostræ restitutorẽ. Mitte igitur cito Meßiã, cuius opera nobis pro tua clemẽtia plenam perpetuamq; felicitatẽ conferas: idq; facias manè; hoc est, cum reuiuiscemus. Nam hæc uita nox est, tot malorũ tenebris inuoluta. Illa uita dies erit, plena lucis & gaudiorum. Vt igitur in hac uita perpetuis malis afficimur, affer nobis alteram uitam, in qua bonis fruamur sempiternis: & istud tuum tam præclarum opus nobis nostrisq; natis exhibe, ut diuinam istam felicitatem adipiscamur. & opus nostrarum manuum nobis perage: hoc est, id perfice, quod nos frustra conamur. Conamur ad uitam peruenire (id enim est omnibus ingeneratum, ut bonum cupiant: est autem bonum Deus, uitam agens beatam, cuius nos adipiscendæ causa laboramus, & ad cuius similitudinem sumus creati) sed quia nihil efficimus, hoc à te expectamus. Confer hunc locum cum Esa.26.*

EX PSAL. CVII.

Descendere in mare.

Qui nauibus in mare descendunt.) *Latini dicunt conscendere, scilicet in nauem. Vergilius ita: Bis denis Phrygium conscẽdi nauibus æquor. Sed hic noster autor dicit, in mare descendere: hoc est, nauigare in mari, quò ex terra descenditur, sicut & Ionas scribitur in nauẽ descẽdisse: sic enim ad uerbum legitur Ionæ 1. Nam mare inferius esse hac nostra terra, quæ colitur, inde patet, quòd undiq; per terras in mare decurrunt flumina: neq; possis ex terra in mare uenire, quin descendas. Hinc est quod Psal.24. dicitur Deus super mari fundasse terrã. Nam quòd mare altum Latini uocant, intellige altũ dici profundum. Quod autem ex littore spectantibus apparet altum mare, id fit propter rotunditatẽ aquæ, cum oculorum aspectus non ad globi rationem incuruetur, sed rectà tendens, offendat in globi tumorem. Si enim mare esset altum, naues in tranquillo mari penderent, utpote in accliui loco, in quem ex littore ascenderetur: & ex mari ad littus sine uento sua sponte (ut ad inferiorem locum) tanquam secundo flumine descenderent: & ex littore in altum ægrius ferrentur, quàm ex alto ad littus. Denique maris aqua, si esset altior quàm terra est, in terrã deflueret. Nisi fortè placet aquæ inuertere naturam, ut ea non sua sponte defluat.*

EX PSAL. CX.

Ros iuuentutis.

Ex utero auroræ habebis rorem tuæ iuuentutis.) *Rorem iuuentutis uocat innumerabilitatem iuuenum, sicut Num. 23. Balaamus puluerem Iacobeorum dicit, pro infinito numero. Vterum auroræ uocat matutinum: quoniam ros manè cadit, & ab aurora paritur.*

EX PSAL. CXI.

Caput.

Sapientiæ caput.) *Hoc est, summa primaq; sapientia. Atq; hoc Græcis quoq; declarat* ἀρχὴ, *quo uerbo interpretari solent* ראשית. *ut Isocrates in Nicocle uocat* τὰς ἀρχὰς τῶν τιμῶν, *summos honores. Et Latini prima uocant, quæ summa sunt, & excellentißima.*

EX PSAL. CXVII.

Qui alta incolens, humilia uidet: cœlos incolens, uidet terras.) *Sic ad uerbum legitur: Qui habitat altè, uidet depressè, in cœlo & in terra. ut In cœlo refertur ad uerbum Habitat, & In terra ad uerbum Videt. Huiusmodi loquendi ratio est in Deut.32. ubi sic ad uerbũ legitur: Inebriabo tela mea sanguine, & gladius meus comedet carnem: sanguine cæsorum, captiuorumq;, capitali supplicio hostis. ut Sanguine cæsorũ refertur ad Inebriabo tela: & Capitali supplicio, ad gladium. Item Matth.7. sic legitur: Ne date sacrũ canibus, ne'ue obijcite margaritas uestros porcis, ne fortè conculcent eos pedibus, & conuersi lacerent uos. Quæ oratio, mutato ordine, clara fiet sic: Ne date sacrum canibus, ne conuersi lacerent uos: ne'ue obijcite margaritas porcis, ne eos conculcent. Aut repetitione, qua utuntur Latini, sic: Ne date sacrum canibus, ne'ue porcis obijcite margaritas: porcis, ne conculcent eos: canibus, ne lacerent uos. Talem figurã inuenies & Mich.1. Tale est & illud de Virgilio: Pastor, arator, eques, paui, colui, superaui: Capras, rus, hostes: fronde, ligone, manu. Huiusmodi repetitione in hoc Psalmi loco, perspicuitatis causa usus sum.*

EX PSAL. CXXXVII.

Quando te sumus obliti.) *Causam reddũt, cur canere nesciant: postquam Hierosolymã amisimus, omnem & fides pulsandi, & ore canẽdi scientiã amisimus, hæretq; nobis lingua palato: hoc est, muti sumus (nam hic loquẽdi modus est Iob.29.) neq; magis cãtare possumus, quàm si nobis lingua palato adhæreret: propterea quòd Hierosolyma nostræ lætitiæ caput est: qua priuati, caremus lætitia: ut aues libertate priuatæ, canere nesciunt. Quod autem est, Sumus obliti, uerbum hoc significat hoc loco amittere. ut Gen.41. ubi sic ad uerbũ legitur: Existent septem anni famis post illos, & obliuioni dabitur omnis ubertas. Non enim ubertatis obliuio est, uigente fame, sed potius memoria & desideriũ. Ex quo apparet, id uerbum hic significare perdi, & obliterari. ut & Deut.31. ponitur, & Iob.9. & 28. & Lam.3. ubi alio, sed eiusdem notionis uerbo, Hierosolymitana respublica dicit se oblitam esse bonum: hoc est, iam nescire bonum, & id amisisse: non enim oblita erat eam rem quam desiderabat. Atq; eodẽ modo locutus est & Virgilius: Pomaq; degenerant, succos oblita priores: hoc est, amisso priore sapore. Et Iuuenalis, Vinum toto nescire Decembri: hoc est, non uti. Hæc causa fuit, ut in hoc Psalmo uerbũ quod meminisse significat, uerteremus Compotem esse, contrarij secuti rationem.*

EX PSAL. CXXXVIII.

Dei promissa.

Qui promissa tua facias maiora quàm est tuũ tantum nomen.) *Hoc est, qui maiora præstes, quàm de te fama est, quæ tamen est magna. Est autem intelligendum, quemadmodum*

Dei

Dei iudicium pro actione sæpe ponitur: quoniam quicquid agendum iudicat, id agit, quippe qui nulla re poßit impediri: ita etiam uerbum, siue promissum, in hoc Psalmo poni pro promißi præstatione: quoniam nihil promittit, quod non præstet. quemadmodum in Psal. 56. ubi dicit, sic in Deo promissa laudare. nam ita demum laudantur promissa, si præstantur. Eiusdem generis est & illud Esa. 44. Qui Hierosolymā incoli, urbesq; Iudææ refici impero, &c. nam ibi imperare, pro eo quod est faciendum curare, atq; adeò facere, ponitur. ut & illud Christi: Vtrum facilius est dicere, Remittūtur tibi peccata: an dicere, Tolle grabbatum tuum, & ambula? Nam ibi Dicere, pro iubendo efficere ponitur. alioquin iubere uel quiuis poßit: sed confidenter, & ideo efficaciter iubere, non poßit. Eodem modo locutus est & Iuuenalis sat. 6. Minus ergo nocēs erit Agrippinæ boletus. siquidem unius præcordia preßit Ille senis, tremulumq; caput descendere iußit In cœlum. hoc est, Coegit Claudium mori. & Virgilius:

Hectoris ad tumulum Troiæ sub mœnibus altis
Iussa mori. —— hoc est, iussu occisa.

IN ECCLESIASTEM.

De Ecclesiaste libro.



HIC liber est de finibus bonorum, siue de uitæ uanitate scriptus: in quo docetur, hanc uitam esse totam uanam ac miserā, nec ullam eius partem beatam. Atq; hoc in totius libri propositione, & idem in conclusione ponitur. Quod si quis interroget, quid in hac uita sit bonū? respondet Solomo, nihil: sed omnia esse uana ac misera. Sed tamen si in hac ipsa miseria quæras, quid sit bonum, hoc est, minimè malum: respondet, esse uoluptatem. Cætera omnia molesta & mala esse: in uoluptate saltem aliquod esse quasi uitæ condimentū, diuinitùs concessum hominibus. Dicet aliquis: Ergo'ne indulgebo uoluptati? Profectò (inquit Solomo) si quidem huius uitæ friuolo bono frui uelis. Sed uidendum est, ne inani bono sectando, uerum bonū amittas. Nam quamuis in hac uita omnia temerè agi uideantur, scio tamen, & religiosis bene, & impijs non bene fore, omniumq; opera quamlibet occulta iudicatum iri. Quod cum in hac uita non fiat, quippe in qua & bonis malè, & malis bene sit, ut apparet: expectanda altera uita est, in qua & bonis bene, & malis erit malè. Quamobrem si alterius uitæ nullam rationem habes, epulare, pota, dum uita est, post mortem nulla uoluptas. Sin alterius uitæ felicitatem sectaris, ita te gere, ut illo bono sis dignus: hoc est, Deum metue, qui suis cuiq; digna factis præmia repēdet. Hoc est huius argumentum libri: quod ideo attingere uolui, ne quis hic fallatur. Sunt enim, utinam pauci, qui non librorum finem & scopum spectant: sed unum aliquem locum nacti, qui cum ipsorum libidine facere uideatur, eum arripiunt, & eo suæ patrocinantur licentiæ: perinde ac si talem habituri sint iudicem Deum, quales sunt ipsi de se iudices.

EX CAP. III.

Vbi querēdum bonū.

Sua cuiq; rei tempestiuitas.) Cum omnia suo tempore fiant, & hic quæratur quid sit bonum, uidendum est, ne id alieno tēpore quæratur. Vt enim aliud serendi, aliud metendi, &c. sic aliud infelicitatis, aliud felicitatis tēpus est. In hac uita, tempus est miseriæ. quod si quis in ea bonum quærit, perinde facit, ac si uelit sementis tempore metere. Expectanda meßis est: hoc est, futura uita, in qua non, ut in hac, pro iure regnabit iniuria, sed sola dominabitur iustitia & ueritas, sublatis erroribus. Quod si uitam illam non curas, indulge uoluptati.

In eorum corda ita uitam indiderit.) Nam cor uitæ fons est. Quod autem uerto Vitam, in Hebræo est Seculum, siue æuum, quod pro uita ponitur. Nam cap. 7. de eadem re ponitur nomen, quod uitam significat.

EX CAP. VIII.

Commendari in urbe.) וישתבחו lego cum Græco & Latino interprete: non וישתכחו, hoc est, obliuioni tradi.

IN ECCLESIASTICUM.

EX CAP. XV.



AT ueraces per eam tantū consequuutur, &c.) Hæc sententia in Latina translatione (nam Græcè uersus hic nō extat) ita legitur: Et uiri ueraces inuenientur in illa, & successum habebunt usq; ad inspectionē Dei. quam sententiam ita fuisse scriptam puto, εὑρεθήσονται ἐν αὐτῇ: quod uerbum etiam Græcè adipisci & consequi significat, sicut Hebraicè נמצא. atq; ita positum est Philip. 3.

EX CAP. XLIII.

Deniq; per eum succedit eius opificium.) εὐοδοῖ ὁ ἄγγελος αὐτοῦ. Videtur in Hebræo fuisse מלאכתו, id est, opus eius: quod uertit interpres, quasi legeretur מלאכו, hoc est, genius eius, una detracta litera.

IN ESAIAM.

EX CAP. I.



ORaculum Esaiæ.) חזה non solum uidere, sed etiam prouidere, & ad animum translatum, præsentire est: sicut & alia Hebræa uerba sæpe simplicia ponuntur pro compositis, ut alibi declarauimus. Hinc חזון non modò uisum quod oculis cernatur, sed etiam quod animo perspiciatur, denotat: quod Latinè dici potest præsensio. Sed quia hoc uerbo utuntur uates, quo declarent, se, quæ diuinitùs præsentiant, ea hominibus prædicere: propterea ego aliquando oraculum aut prædictionem interpretor, nonnunquam etiam fatum. ut Danielis 8. ubi sic ad uerbum legitur: Quousq; uisio perenne inexpiatum in calamitate? hoc est, Quousq; significaretur illa prædictione & oraculo id quod in fatis esset, uidelicet perenne sacrum uastatum iacere. Fatum autem uoco, certam fixamq; Dei uoluntatem atq; decretum. quod ideo dico, ne quis fortè fati nomine fallatur, ut dicat (quod solent multi) si fatale est damnari me, non possum seruari. Ego non ita fatum in hac parte intelligo, sed ita: Si fatale est (ut est) damnari contumaces, & seruari obedientes, non potest nec obediens damnari, nec contumax seruari: proinde obediendum Deo est, si saluus esse uelis. Aliud ego fatū in uniuersis sacris literis non inuenio, quod ad hominum salutem attinet.

Visum.

Fatum.

Lauamini.) In Hebræo est, Lauate: sed uerbum actiuum ponitur sæpe pro paßiuo, aut neutro: ut Latinè fit in mouere, lauare, præcipitare, uertere, & alijs multis.

Agite corrigamus nos.) id est, corrigite uos. nam ita ponitur eleganter prima pluralis persona, pro secunda utriusuis numeri. id quod fit etiam in capite secundo, his uerbis: Iacobea stirps agite, gradiamur in luce Iouæ. Et hoc modo sæpe Gallicè loquimur. Latinè quoq; Cicero ita dixit in Verrem, actione tertia: Verùm si causam cognosci opus est, parum'ne cognita est? Dißimulamus, Hortensi, quod sæpe in dicendo experti sumus? id est, Dißimulas'ne Hortensi?

EX CAP. IIII.

Videlicet elapsi Israelitæ.) In Hebræo litera lamed articulus est casus nominatiui. ut in 1. Paral. 22. & 2. Paral. 1.

EX CAP. VI.

Audite, & ne intelligite.) Imperatiuus pro indicatiuo. quod fieri solet, ubi est oratio uehemens & concitata. ut illud, Implete mensuram patrum uestrorum: id est, implebitis, aut oportet ut impleatis. Et in Ezechielis 20. Ite, seruite suis quisque stercoreis diuis. Ita quod hic dicitur, Stupefac istorum animos: perinde est ac si dicat, Stupent & torpent eorum animi. Itaq; Græci hanc Esaiæ orationem uerterunt per indicatiuum. Atq; hoc pacto loquuntur etiam Latini. ut apud Liuium quartæ Decadis 10. sic filios suos alloquitur rex Philippus: Agite, conscelerate aures paternas, decernite criminibus, mox ferro decreturi: dicite palàm quicquid aut ueri potestis, aut comminisci libet.

EX CAP.

EX CAP. VII.

Quod si non creditis, ut estis increduli, pete tibi signũ, inquit, &c.) Ad uerbum sic legitur: Quod si non creditis, ut estis increduli, pergit Ioua sic alloqui Achazum: Pete, &c. quæ oratio Latinè per parenthesim clarior fit, cuiusmodi est illa Marc.2. Vt autem sciatis hominem habere potestatem remittendi in terris peccata, dicit siderato, Tibi dico surge. quæ sic fiet illustrior: Iubeo te surgere, inquit siderato.

Parum'ne uobis est, hominibus exhibere negocium.) Non solum mihi, qui homo sum, facessitis negocium, dum propter improbitatẽ uestram uos cogor admonere: sed etiã Deo, quem uestra diffidentia impellitis ad edendum uobis signum aliquod, quo faciat uobis huiusce promissi fidem. Hoc ergo signum accipite. Est puella quædam iam prægnans, quæ filium pariet, eumq; uocabit Emmanuelem, à Dei auxilio, qui nobis sub eius pueri ortum aderit. Is puer butyro melleq; uescetur, discẽdo (sic enim uerto infinitiuum subiunctum literæ lamed, per gerundium, ut fit sæpe, ut 4.Reg.19. & Dan.9.) hoc est, ea ætate, qua discitur, quid inter bonum malumq; intersit, uidelicet infantia: hoc est, antequã possit is puer bonum à malo per ætatem discernere, erit hæc urbs obsidione liberata, Samariaq; & Syria (quarum uos reges obsident) in tantam per Assyrios redigentur solitudinem, ut etiam culta loca uepribus & uirgultis præ uastitate repleantur, ita ut pecora ubiq; liberè pascantur, & ideo pinguescant: tantumq; lactis reddant, ut si quis buculam unam, aut duas oues habeat, is lacte abundet. Ita fiet, ut butyrum eo lacte confectum, & eadem ratione mel (nam & mellis copia est, cum est pabulum, quippe abundantibus floribus) in hanc urbem importentur (id quod nunc prohibet obsidio) iisq; nutriri possit is puer, qui est adhuc in utero: ut intelligatis, quàm breui sit uobis adfutura salus. Quod autem interpretor, Puella prægnans, per præsens tempus, est & alibi, & Gen.16. eiusmodi loquendi modus, ubi grauidam Hagarem alloquitur genius. Sed cur hunc locum de Christo citauerit Matthæus, dicemus in cap.9.

EX CAP. VIII.

Adhibitis fidis testibus.) Qui scilicet adessent in partu: ne quis calumniari posset, editam esse fœminam, in eiusq; locum clàm suppositum marem.

Sic enim me Ioua quasi manu prehensum.) Ioua me, inquit, quasi manu prehensum, hoc est, seorsum & de re arcana allocutus est. quasi ita diceret: Quod uobis contra Assyrios salutem nato Emmanuele promitto, intelligite, non me de isto Emmanuele tantum, aut de Senacheribo loqui. nam futurus est alius uerus Emmanuel: hoc est, Messias seruator & Deus inter uos habitaturus, qui uos à longè grauioribus defendat periculis. Quod si quæritis, quo pacto possit is, cum uenerit, agnosci, dicam, sed obscurè. Erit eiusmodi, ut eum populus iste seditiosum dicat, fugiendumq; putet. Sed uos mei nolite cum populo sentire, aut uobis ab isto Messia metuere: potiusq; metuite, ne Messiam repudiantes, offendatis Iouam, qui Messiam miserit. Is autem Messias erit sanctus quidem, & salutaris eis à quibus agnoscetur: sed multi eum non agnoscentes, offendent, & per eum sua culpa peribunt. Quod dico, oraculum est, obscurum sanè, & clausum, quippe à meis solis intelligendum. Ergo ego (inquit Esaias, & quiuis piorum) Iouam Messiam expectabo, qui ita uenturus est, ut Israelitas lateat. Sed quo pacto cũ agnoscẽt sui discipuli? Hoc pacto, inquit, Ecce me & iuuenes, &c. Hoc est, quidam erit, qui iuuenes discipulos habebit, sibi attributos à Ioua, cum quibus ostenta miraculaq; edet apud Israelitas. Hunc agnoscite seruatorem, & ei paretote. Quòd si qui uobis suaserint magos, aut Apollinem consulendos: respondetote, debere suum cuique deum consuli: Iouam uestrum esse Deum, itaq; ab eo consilium petituros. Nam absurdum esse, pro uiuis consulere mortuos: id quod faciãt magi. Eundum ad legem, hoc est, ad Mosis libros, in quibus sint de Christo oracula, cuius aduentu silebit Apollo, obmutescet Pan, facessent errores. Itaque magi illi & harioli deos eiusmodi cõsulere soliti, cum uidebunt oraculorum esse famem, Delphos, Dodonam, omnia silere, nihil usquam certi quod respondeant esse, incerta dicent: & ea difficultate irati, & deos & reges detestabuntur suos, in quibus nihil sit eis præsidij. Vide Mich.3. Eripitur igitur à Christo petenda doctrina, postquam ea alibi nusquam inuenietur.

EX CAP. IX.

Quanquam quod dico angustiam fore, expugnatis uidelicet à Christo magis, falsisq; diis, ea angustia erit de astricolis quidem & impiis perniciosa, ad Christi lucem cæcutientibus: sed erit electis, Christumq; admittentibus, salutaris. erit enim doctrina clarior in iis terris, in quibus docebit Christus, quàm fuerit ante eius aduentũ apud Zabulonios & Nephthalenses: quæ duæ tribus doctrina claruerunt, quemadmodum apparet ex Iacobi & Mosis nouissimis uerbis, Gen.49. & Deuter.33. & ex Deboræ carmine, Iud.5. Sed illorum doctrina leuis obscuraq; fuit, præut futura est Christi lux illa, qua aliquando Galilæam, cæterasq; gentes indoctas ita illustrabit, ut magnus eorum numerus Christianus fiat. quæ res lætitiam, tanquam præda parta, pariet: quippe Christo de suis hostibus triumphante, suosq; in libertatem asserente, ut olim à Gedeone contra Madianitas factum est. Sed & Gedeonis, & aliorum certamina ferro geruntur: at Christi certamen igni geretur Euangelico, quo totus incendetur orbis terrarum. Nam puer nobis nascitur, Christus Dei filius, nostra causa mittendus in terras, qui humero suo, hoc est, sua potentia & autoritate, principatum gerit: qui uocatur, hoc est, qui est admirabilis cõsiliarius: ideoq; consulendus: non magi, aut harioli, aut Zabulonii, & reliqui, si qui docti habentur. Deus, ut sit uerus Emmanuel, id est, nobiscum Deus. Nam puer iste, qui in obsidione Hierosolymæ nascitur, non est Deus, sed huius Christi Dei significatio. Potens, ut intelligatur, ab eo facilè superatum iri hostes, ut fuerunt à Gedeone Madianitæ. Pater æternitatis, ut speretur eius regnum perpetuum. Princeps pacis, ne eo regnante bella metuantur. qui in Dauidis solio regnet æternus, sed regno diuino, ut erit ipse Deus. Vides, lector, Esaiam ita super Emmanuele uaticinari, ut nos sensim ad uerum adducat Emmanuelem Christum: quod idem postea à cap.45. facit in Cyro. ut Ezech. cap.16. fit transitus à Sodomitanis ad gentes Sodomitanorum similes. & in 20. à simulachricolis Israelitis ad ueros Israelitas. & Ezech.31. & Dan.4. ab arbore ad hominem. Cuiusmodi transitus nisi intelligemus, necesse erit nos in magnis erroribus uersari. Sed hoc magnopere animaduertendũ est, quod dicit Esaias: Puer nobis nascitur. Nam si puer est, homo est: si nascitur, ex muliere nascitur, cum non nisi ex muliere nasci possit homo. Rursum quod dicit, Deus potens, pater æternitatis: ostendit, non esse à uiro procreatum. Nam uir mortalis Deũ immortalẽ procreare nequit, ut docet his uerbis Sibylla:

Christus uirginis filius.

Quod si progenitum est, prorsum interit, exq; uirili
Fœmineoq; nequit membro Deus esse creatus.

Atqui si à uiro procreatus non est, & tamen natus est, necesse est uirgine natum esse, quemadmodum Sibylla dicit:

Accipe uirgo Deum gremio intemerata pudico.

Quod si ita est, apparet, hic Esaiam de Christo ex uirgine gignendo uaticinari. Itaq; Matthæus, cum Christi describeret originem, ritè adduxit huius de Christo uaticinationis initium, Ecce puella prægnans. Nam dum initium uaticinationis adducit, remittit nos ad ipsum uatem, ut totam hanc uaticinationem consideremus. Non enim hoc sic intelligi debet, Esaiam uerbis illis, Puella prægnans, uirginis prædixisse partum: sed hac tota uaticinatione, cuius initiũ est, Ecce puella prægnãs. Nec refert quòd apud Matthæum uirgo dicitur, non puella. Nam siue scripsit Hebraicè (ut tradit in eius uita Sophronius) adduxit ipsa Esaiæ uerba: siue Græcè (neutrum enim affirmare possum) secutus est in hoc uerbo Græcum interpretẽ, apud quem uirgo est. & hoc non ineptè fecit, cum de uero Emmanuele uerba faceret, quem ex uirgine gignendũ Esaias non uerbo, sed re ipsa & sentẽtia prædixisset. Quod autem suprà transtuli, Tantaq; afficiente lætitia, intellige לא pro לו positum, ut & alibi factum deprehenditur: ut infrà cap.49.

EX CAP. XV.

Per eius cõpita saxis induti sunt.) In Hebræo relatiuum Eius, masculini generis est: refert enim Moab, hoc est Moabitam.

tam. sed alia sequuntur relatiua fœminina: referũt enim Moab, hoc est, Moabitidem terram. Hæc mutatio animaduertenda est. nam & alibi fit idem, ut Ierem. 11. & Ezech. 32. & suprà initio cap. 9.

EX CAP. XVI.

Cecidit æstatis mésſisq́ tuæ celeuſma.) In Hebræo est ad uerbũ, In æstatem messemq́; tuam cecidit celeusma: hoc est, iubilum & lætus cantus, quo solent uti qui metunt aut uindemiant, perijt tibi, uastatis agris. ut sit celeusma in æstatem, pro adiectiuo æstiuum, iungaturq́; nomen celeusma cum æstatem: id quod Græcè melius per articulũ exprimi posset, τὸ ἐπὶ τὸν θερισμὸν κέλευσμα. & uerbum Cecidit positum sit (ut sæpe fit) pro perijt, ut declarant sequentia. Confer cum Ierem. 48.

EX CAP. XVII.

Illo tempore autem attenuabitur.) Vt hoc & sequens caput intelligas, lege diligenter Ezech. 36. 37. 38. & 39. & inuenies eundem sententiæ tenorem, qui hic sic habet: Ego Damascenos & Syros (inquit Ioua) sic imminuam, ut Iacobeorum nobilitatem, hoc est, ut Iacobeos nobiles: quos quidem Iacobeos ita diminuam, ut pauci restent, sicut facta messe paucæ spicæ supersunt ad spicilegium, &c. Sed ne putent Syri, aut alij, id fore perpetuum. nam Israelitas reuocabo, futuros postea in sua patria, & ibi me uerè adoraturos. Sed antequam id fiat, diruentur eorum urbes, ita ut in eorum aduentu uix tenues earum reliquiæ supersint: sicut excisa sylua supersunt uirgulta quædam, quæ ibi fuisse syluam testentur. Atq; hæc calamitas tibi, gens Israelitica, accidet, quòd tuum Deum non colueris. propterea cum tibi uideberis instaurata, cum à Cyro reuocata consederis in tua patria, & te ibi perpetuò futuram sperabis: quoniam tamen ne tum quidem me coles, aliæ super alias calamitates te prement: neq; quicquam proficies, quin postremò (qui dolor erit grauissimus) à Romanis delebere, atq; ita diu manebis deserta. Deinde post illam calamitatem reuocaberis, & me tum demum uerè coles. Hunc locũ confer cum ijs quæ scripsimus in cap. 31. Quod sequitur, O' nationum multarum turbam: oraculum uidetur esse de Gog & Magog, de quibus quinq; uideor animaduertisse oracula, præter Sibyllina: quorum primum est hoc, alterum est Esaiæ 56. tertium Ezech. 38. quartum Mich. 5. quintum Apoc. 20. Atq; horum postremum quodq; apertissimum est, ut & in alijs oraculis fieri solet. Sed declaremus quæ de eodem Gogo sequuntur.

EX CAP. XVIII.

O' alis umbrosa tellus.) Telluris alæ dicuntur extrema & oræ. estq; alis umbrosa tellus, spaciosa: ut si alis umbrosam auem dicas, significes grandem, atq; amplam. Alloquitur gentem positam trans Aethiopiæ fluuios, uidelicet trans Nilum, qui antequam defluat in Aegyptum, spacia immensa terrarum peragrat. cuius accolæ, ut docet Plinius, utuntur scirpeis & arundineis nauigijs. Ad hanc gentem postquam exclamauit, alloquitur eius gentis nuncios: Ite, inquit, uos eius gentis nuncij, qui res nouas nunciare soletis, ferte hunc nuncium ad gentem uestram, **ad populum omnium qui ulterius habitant formidabilissimum, ad gentem distractam direptamq́:** hoc est, magnis fluminibus accolentem, quæ flumina eius terram atterunt, & depopulantur, & alluuionibus, circumluuionibus, declinationibusq́; distrahunt & dirimunt, atq; ita sæpe limites mutant, & alios atq; alios reddunt. Deinde declarat, cur gentem illam appellet. quasi hoc dicat: Quòd remotissimam gentium appello, hoc significare uolo, facturum esse me rem, quæ sit remotissimæ genti, hoc est, toti orbi nuncianda: hoc est, rem maximam. Nam quæ remotis nunciantur, ea & magna sunt, & propinquis multo etiam magis nunciantur. Aspicite igitur omnes mortales elatum montanum signum, & audite tubam: hoc est, nuncio uobis bellum, quod fiet in montibus Israelitarum, in quo bello ego quietus spectabo, & meos Israelitas aduersus hostes mollissimè fouebo ac tuebor, **tanquam æstus post pluuiam, & tanquam roscida nubes in calore:** hoc est, eos recreabo suauiter, & contra uim omnẽ protegam. Hostes autem, cum se putabunt propè iam adeptos uictoriam, peribunt, eisq; perinde accidet, ac si segetes ante messem, aut uineæ ante uindemiam uastentur, spemq́; agricolarum frustrentur. Atq; ita interfecti iacebunt humi, à bestijs deuorandi. Cuius uictoriæ adeò clara erit fama, adeoq; Iouæ nomen formidabile, ut ultimi gentium afferant in Sionem munera supplices.

EX CAP. XXIX.

Acquirentq́ inopes in Ioua lætitiam, & pauperes in Augusto exultabunt.) In Ioua, hoc est in Iouanitate, ut ita dicam, quòd erunt Iouani. Hic loquendi modus est in sacris literis frequentissimus. ut apud Paulum, In Christo gloriari, in Christo mori: hoc est, Christianum gloriari, Christianum mori. Neque non Latini sic loquuntur. ut Horatius, Disces laborãtes in uno Penelopen, uitreamq́; Circen. In uno, scilicet Vlysse: hoc est, in Vlyssitate. Et Terentius: In isthac finem faciat. Apud Plinium quoq; lib. 2. in fine cap. 25. Augustus se in eo sidere (quod mortuo Iulio Cæsare uisum est) nasci interpretatus est. quæ uerba non ita sunt intelligenda, quasi in ipso sideris corpore nasci se putet: sed in ipsa sideritate, ut ita dicam. In Ioua.

EX CAP. XXXI.

Fugæ se mandabit non ob gladium.) לא, non לו lego, cum uetere Latino & Græco interprete.

EX CAP. XXXII.

Donec spiritu perfundemur.) Loquitur de uastitate Iudææ gentis, à Senacheribo incipienda, & sub Christi tempus absoluenda. Quanquam Senacheribus urbem non cæpit, sed Iudæam peruastauit, & eam calamitatem inchoauit, quam aliæ super alias secutæ sunt calamitates, donec tandem per Christi tempora deletum est genus Iudæorum. Nam Senacheribum secuta est Babylonica captiuitas, ex qua reuersos continua infestauere mala, ita ut urbs à Ptolemæo Lagi filio, deinde ab Antiocho capta, uastataq́;, deinde à Pompeio, deinde ab Herode & Sosio, & postremò à Tito funditùs euersa sit, & æquata solo. Atque interea uenit Christus, qui suos sacrò spiritu desuper afflauit, incultumq́; locum redegit in Carmelum, & contrà: hoc est, extraneos, qui inculti, & à uera religione erant alieni, coluit Euangelio: Iudæos autem, qui erant Carmelus, hoc est, legis oraculorumq́; disciplina culti (nam Carmelus locus erat cultus) redegit in syluam, dum ab eis regnum transtulit ad gentem quæ fructum ederet. Atq; ita manet, tum inculto tum culto loco, iustitia: hoc est, siue quis barbarus, siue Iudæus sit, huic ad Christum patet aditus, ut per fidem iustus innocẽsq́;, & porrò felix fiat. Huic autem Carmelo, hoc est, Christianorum ciuitati, non erit metuenda malorũ grando: iacebit enim urbs in humili planoq́; loco: erunt Christiani humiles, modesti, Christiq́; præsidio tuti. Quæ autem mala accident, ea accident in deiectu syluæ: hoc est alienis, & Euangelij cultura non æquatis.

Felices uos qui in omnem seminatis humorem.) Sic enim interpretor במים, quod hic eam aquã significat, qua madens terra stirpes alit: ut positũ est Num. 24. & Ierem. 51. Hoc est, Felices qui Euangeliũ toto publicatis orbe, ubicunq; est humor: id est, ubi spes est fore ut crescat & alatur, tanquã humore stirpes. idq́; facitis immittentes bouis asiniq́; pedem: id est, nullo Iudæorum aut exterorũ discrimine. Alludit enim ad Mosis præceptum, quo uetat arari boue & asino. hoc est, si præcepti uim penitius cõsideres, uetat Iudæis commercium esse cum reliquis nationibus, tanquam cum dispari genere: quemadmodum Paulus præceptum illud de non obthurando bouis ore triturantis, refert ad rem diuiniorem, uidelicet ad eorum alimoniam, qui docent Euangelium. Igitur illud discrimen Euangelio sublatum est: felicesq́; sunt Euangelij magistri, qui omnes, nullo neq; docentium, neq; docendorum gentis discrimine docent. Boue & asino arare.

EX CAP. XXXIII.

Quorum tu brachium esto maturè.) Relatiuũ quorum, in Hebræo tertiæ personæ pronomen est, eorum, quod sæpe quamlibet personã refert, ut apud Latinos Qui. ut paulo pòst, quod interpretamur, Tu cuius thesaurus, &c. in Hebræo est Eius, quod pro relatiuo frequenter ponitur. ut Psalmo 15. ubi sic ad uerbum legitur, Israel confide Iouæ, adiutor & defensor eorum est: hoc est, Israelitæ confidite Iouæ, quorum, scilicet uestri, adiutor est. Talia inuenies & initio capitis 54. & alibi sæpe.

EX CAP. XXXVIII.

Non tuam fidem prædicabunt humati.) ישברו pro יבשרו *transposita litera scriptũ uidetur: ut sint hic tria uerba eiusdem notionis, gratias agere, laudare, & fidem prædicare, quæ respondeant tribus nominibus eadem item de re positis, quæ sunt, Orcus, mortui, & humati.*

EX CAP. XLI.

Conticescite mihi insulæ.) *Superiore capite promisit aduentum Christi, in falsos inuectus deos: nunc Israelitas ad Christum expectandum confirmat his rationibus. Quod de Meßia promitto, nolite dubitare, quin id præstiturus sim, quippe qui primus postremusq́; Deus sim: hoc est, solus. sicut caput & caudam, proram & puppim, & similia dicimus, pro toto, aut omnibus. & Liuius Dec.1.lib.1. Vt illa palàm prima postrema ex illis tabulis, cera'ue recitata sunt: hoc est, omnia. Quid ergo (dicet quis) nulli sunt alij dij? Videamus quales sint. Dici est magna facere, nedum prædicere. At isti non solum non faciunt, sed ne prædicunt quidem. Prædicant enim aduentum Cyri Persarum regis. Non possunt. At ego non modò eum prædico, sed etiam adduco: eiq́; gentes ita subijcio, ut eum etiam insulæ & Græcia formidet. Ite nunc, & interrogate istos manu & arte factos gentiũ deos, de hac futura re. Quod si neq; prædicere, neque nocere lædere'ue possunt, nolite eos colere, sed me: & sperate seruatorem Christum, quem promitto. Cumq́; hic aduenerit, quem dico, Cyrus Persarum rex, qui uos in patriam reuocet, sperate eum quoq; uenturum, qui deserta colat: hoc est, alienigenas doceat, uidelicet Christum. Vocat autem Cyrum, iustitiam: hoc est, iustum (ut Latinè scelus pro scelerato dicimus) quoniam erat Iudæos liberaturus: & Christum seruatorem non solum re, sed etiam nomine significabat. Nam Cyrus solem significat Persica lingua, ut docet in Anaxerxe Plutarchus. & Christus est lux mundi. Hactenus argumentum. Illud autem, Et cum postremis ego idem, perinde est, ac si diceret, Ego sum postremus. de qua loquendi ratione uide enotata in Psal.58.*

Primus Sioni ea.) *Alludit ad id quod suprà dixerat,* Ego Ioua, & primus, & cum postremis ego idem. *quasi hoc dicat: Ego Ioua, qui me suprà primum postremumq́; hoc est, solum dixi, hæc præsignifico.*

EX CAP. XLIII.

Mittam Babylonem demolitum claustra.) *In Hebræo est, Mittam & demoliar. Cuiusmodi est illud Matth.14.* πέμψας ἀπεκεφάλησε: *hoc est, misit decollatum. Est autem hæc sententia: Mittam Cyrum & Persas Babylonem, qui eius repagula & claustra demoliantur: hoc est, qui eam expugnent, captiuosq́; uendant Chaldæos, qui nauibus in diuersas terras portentur, atq; ita in nauibus eiulent.*

Nec id uerò quia me inuocauisses.) *Coniunctio Quia, in Hebræo est in posteriore membro, quæ tamen intelligẽda est in priore. Argumentatur autem, ut Paulus, qui ostendit, Abrahamum non esse iustitiam consecutũ propter circuncisionem, aut legem, quippe quæ nondum esset lata, cum iustus est habitus. Itidem hic Deus ita docet: Eduxi uos ex Aegypto, Israelitæ (nam paulo antè hac de re loquutus est) & per deserta tutò perduxi tanquam meos. Cur tandem hoc feci? An propter uestras supplicationes & sacrificia? At nondum sacrificaueratis: nondum enim ego sacrorum leges tradideram. An propter uirtutem uestram? At eratis contumaces & improbi. Cur igitur uobis benefeci? Propter meipsum, gratis. Quod si tum ita feci, idem expectate futurum in salute, quam sum uobis per Christum allaturus, ut eam non uestro merito, sed meo beneficio adscribatis, meq́; ideo collaudetis.* Salus gratuita.

EX CAP. XLIIII.

Futura uenturaq́ indicet.) *In Hebræo est, Sibi indicent, numero plurali, quæ numeri mutatio in Hebræa lingua frequenter occurrit. Quod autem additur uox Sibi, ea superuacua est etiam in plurali, ut in singulari fieri docuimus in Mose. Atq; ita ponitur Psal.80. ubi sic legitur ad uerbum: Tu nos finitimis certamen exposuisti, & hostes nostri derident sibi: hoc est, derident. quod Gallicè sic exprimitur, sen mocquent.*

Se falso agere.) In Hebræo est, Se habere falsum in dextera. Quoniam autem manu agunt homines, præsertim dextera, fit ut manus, aut dextera, pro actione dicatur. Falsum autem apud Hebræos pro iniusto ponitur, sicut uerum pro iusto. de quo uide in Psal.7.

EX CAP. XLVI.

Nec onus perferre ualeant.) *Quod perferre interpretor, Hebræum uerbum significat liberare, & efficere ut euadat. Sed aliquando significat ad exitum perducere: ut Esa.34. ubi sic ad uerbum legitur: Ibi nidificabit bubo, & liberabit: hoc est, impunè nidificabit, & pullos ad exitũ perducet, prorsumq́; nutriet. Eodem modo locutus est & Mich.6. Atq; hoc loquendi modo Gallicè dicimus, euasisse pullos, nihilq́; iam metuere, cum eò usq; nutriti sunt, ut iam iniuriam (cui obnoxia est tenera ætas) non metuant. Idemq́; dicimus & in uuis, reliquisq́; terræ frugibus. Igitur hic tueri, aut liberare onus, est eò perferre, quò destinaueris. Quod idem intelligendũ est in uerbis quæ paulo pòst sequuntur: Idem & feram, & perferam.*

EX CAP. XLVII.

Nec mihi quisquam hominũ occurret.) *Hebraicè est, Nec cuiquam hominum occurram: quod idem est, sed obscurius. Tale est illud Marc.14.* ἀπαντήσει ὑμῖν ἄνθρωπος κεράμιον ὕδατος βαστάζων, *Occurret uobis homo, &c. hoc est, Occurretis homini, aut incurretis siue incidetis in hominem.*

EX CAP. XLVIII.

Quod si audieras, uaticinare.) *Si, in Hebræo non est, sed sæpe subticetur. sicut apud Plinium Iuniorem: Dedisses huic animo par corpus, fecisset quod optabat: id est, si dedisses. Item* חזה, *pro eo quod est prædicere & uaticinari, non rarò ponitur. Vtriusq; exemplum & alibi sæpe, & Esa.1. inuenies. Ceterùm hæc sententia est obscurißima, propter orationis breuitatem. & uidetur prima fronte parum apta & coniuncta: quam tamen, si diligenter attendas, inuenies conuenientißimam. Sunt autem consideranda, quæ antè dicta sunt, in hunc modum: Prædico uobis (inquit Deus Israelitis) aduentum Cyri: & ideo prædico, ut cum euenerit, eius rei laudem mihi tribuatis, non uestris statuis, falsisq́; dijs: qui tantum abest ut tale aliquid facere ualeant, ut ne prædicant quidem. Nam si prædicunt, uobis prædicunt, qui eos colitis: & si uobis prædicunt, eaq́; nos ex eis audiuistis, prædicite eorum instinctu, hæc quæ uobis de Cyro à me significantur. At non potestis: sunt enim ignota uobis. Ex quo perspicuum est, eorum gloriam non dijs esse uestris tribuendam, qui uobis, quamuis suis cultoribus, ne prædicant quidem: sed mihi, qui etiam contumacibus, tamen hæc præsignificem: ut cum euenerint, ei tribuatis qui prædixerit, hoc est mihi. Cur autem hæc significem, causa est hæc, quòd scio uos, quæ uestra est perpetua improbitas, huius rei laudem tributuros esse dijs istis, nisi fueritis à me præmoniti. Quod si feceretis, ego ob tam ingratum animum & perfidiam in uos sæuirem ad internecionem. Nolo autem uos funditùs extirpare: sed genus seruare uestrum, mei nominis causa: hoc est, ut ea res mihi sit laudi, promissumq́; seruem. Hanc ob causam, præcludam uobis meam laudem: hoc est, hæc uobis præsignifico, ut cum acciderint, non uos inde, uestros'ue deos laudetis, cum per eos ne præscieueritis quidem, nedum ut horum autores esse uideantur: sed intelligentes eam laudem in uos non cadere, eam mihi adscribatis: atque ita fiat, ut ego à uobis laudatus, iram meam cohibeam, neque uos euertam. Atque hoc uidemus accidisse. Nam post Babylonicam captiuitatem, à simulachris abstinuere Iudæi: sicut & nos (si quidem uerè Iudæi sumus) postquam ex uera Babylone nostri ueteris hominis prauæq́; naturæ emigrauerimus, nulla deinceps habebimus simulachra nostrarum effrenatarum libidinum, quibus seruiuimus tanquam dijs alienis, nostra manu factis, ut prædictum est in Ezech.36. Igitur non excidam uos, inquit, sed explorabo: & rebus aduersis exercitos, ac tanquam metallum in fornace probatos, eligam: non quidem ob pecuniam, ut solent qui metalla igne probant: sed id faciam gratis, & mea causa, ne quis sibi posit huius rei laudem uendicare. quod esset indignißimum. Hoc in loco nobis etiam atque etiam animaduertendum est, quando fiat hæc* Vera Babylon.

fiat hæc hominis electio, uidelicet in fornace calamitatis.

Non tectè quondam locutus sum.) *Hoc est, Senacheribi casum non obscurè prædixi: & nunc postquam id euenit, non latito (quod facerem præ pudore, si non euenisset quod prædixeram) sed me præsentem exhibeo, ut ostendam me uerè prædixisse, atq; ita fidem merear de futuris quæ præsignifico: hoc est, de Cyro, quem meo spiritu præditum mittam. Sed hoc intellige de uero Cyro, hoc est Christo, qui erit diuino spiritu præditus, ut est in capite 42.*

EX CAP. XLIX.

Et Israelitas ei allegendos.) לא *pro* לו *legitur, ut & alibi: quemadmodum & uetus uersio ostendit, & ea quæ præcedunt, queq; mox sequuntur. Est enim gemina sententia, ut sit idem, Iacobeos ad ipsum reducere, & Israelitas ei allegere. Quod autem paulo antè dixit, se frustra laborare: non significat, nullum Israelitarum fieri Christianum, sed paucissimos: adeò ut tātillus profectus non uideatur Christi labore dignus, nisi accedant & reliquæ nationes.*

Captus ferocem elabetur.) עריץ, *non* צדיק *legit uetus, qui uertit robustum: & rectè, ut uidetur. est enim gemina sententia, eaq; iisdem uerbis repetita: nec consentaneum est, in repetitione non idem, aut certè affine uerbum poni. Adde quòd, ut legitur, non est apta sententia. Nihil enim facit iustitia ad retinendam prædam, at ferocitas facit. Est autem hæc sententia: Poteris ne nos, ô Ioua, eripere ex Babyloniorum potestate, hominum tam potentum, tamq; ferocium?*

EX CAP. LVI.

Item præter eos, colligam ad eorum collectitios, bestias agrestes.) *Hoc est, cum Israelitas in sacrum montem per Christum collegero, oppugnabuntur à Gog & Magog: quos ego uincam, eorumq; corpora bestiis comedenda tradam. Vide Ezech. 38. & 39. & Esa. 18. Breuis est sentētia, in qua ex sequentibus intelligenda sunt præcedentia.*

EX CAP. LVII.

Non enim semper contendam.) *Hæc sunt ita cum antecedentibus coniungenda: Dixi me reducturum meos in meum sacrum montem Hierosolymam. Dicent Israelitæ, ut est Ezechiel. 37. Quo pacto nos in Sionem reduces, cum ossa nostra aruerint, nec ulla spes supersit? tanta est tua in nos sæuitia. Respondeo:* Non erit æterna *hæc sæuitia: nam* induetur profectus à me spiritus, & animantes ego faciam: *hoc est, placatus meis per Christum, eorum corpora spiritu animabo, eosq; in uitam reuocabo, & in promissam à me felicitatē perducam. Nunc quidem eorum uitio eis irascor, eosq; sino præcipites in suas ferri libidines. Sed medebor aliquando eorum malis, mittamq; nuncium, quo omnibus, ubicunq; sint, pax nuncietur. Sed ne putent, quicunq; sunt humana natura Israelitæ, hanc se pacem consecuturos, hoc denuncio, hanc impiis non parère. Ex hoc loco apparet, pios esse ueros Israelitas. Cōfer cum Ezechielis 37.*

EX CAP. LVIII.

Libidini satisfacitis.) *In Hebræo legitur, libidinem inuenitis. sed inuenire pro consequi & potiri, aut indulgere & obsequi, ponitur: ut in hoc eodem capite ad finem, ubi ponitur, libidinem facere: & paulo pòst eodem sensu, libidinem inuenire. Iam hoc pacto loquitur & Paulus ad Philipp. 3. ἵνα χριστὸν κερδήσω, καὶ εὑρεθῶ ἐν αὐτῷ: hoc est, Vt Christum lucrer, & in eo satis habeam, aut mihi satisfiat.*

Inuenire.

Isto pacto ieiunaueritis.) *In Hebræo est, secundum diem. Nam quod paulo antè uertimus,* Tum cum ieiunatis: *ad uerbum legitur, Quo die ieiunatis. quod idem uerbum hic repetitur, Ne ieiunaueritis secundum diem: hoc est, isto modo quem dixi. Nec dissimile est quod paulo pòst uertimus,* Isto modo loquendo, *uidelicet quem suprà dixi. Dixerat autem,* iniquamq; orationem remoueris.

IN IEREMIAM.

EX CAP. II.



Quid tuam rationem componis ad amorem captandum?) *Cur te componis ad peregrinorum deorum cultum? & ideo doces alias ciuitates tuam defectionem: atq; ita in causa es, ut peregrinos colant deos, quod sit eis perniciosum? Id quod perinde est, ac si insontes interficias, & eorū sanguine uestem tuā cruentes. Neq; uerò istud occultè facis, ut solēt latrones: sed palàm, sub opacis arboribus tuos colens deos. Cæterùm quod uerto aliàs, & paulo pòst, quercus, in Hebræo paulo aliter habēt puncta uocalia: sed ea nōnunquam immutata sunt, ut aliàs ostēdimus. Certè mecum facit sentētia, que alioqui non cōstat: in posteriore etiā uerbo Græcus interpres, qui uertit δρυὶ, ut sit in priore legendū reoth, proximas, hoc est alias: ut & Græci dicūt ὁ πέλας, pro altero: in posteriore aūt elah, aut allah, quod iisdē scribitur literis, quibus elleh.*

EX CAP. III.

Videns ut ego.) *Hoc uerbum in tertia persona legendum puto, ut legit uetus interpres.*

EX CAP. IX.

In omnes qui circunciso sunt præputio.) *Quas hic gentes commemorat, hæ omnes circuncidebantur: id quod ignorantes quidam, hunc locum, quem bene transtulerat uetus (ut & multos alios) deprauarunt, non autorem sequentes, sed trahentes: uidelicet Iudæos magistros suos, cæci cæcos, sequuti, qui arbitrantur solos Iudæos circuncidi: cum non solum Aegyptii præter Iudæos circuncīderentur, sed & Aethiopes, & Colchi, & Macrones, & Syri, ut docet in Euterpe Herodotus.*

EX CAP. X.

Cosi gli direte.) *Ieremias Hebraicè scribens, hunc uersum scripsit Chaldaicè, ut Chaldæos ipsorum lingua alloqueretur. Id ego imitari conatus, eundem scripsi Italicè. Est autem hæc eorum uerborum notio: Qui dii cœlum & terram non fecerunt, ii ex terra & locis cœlo subiectis tollentur.*

EX CAP. XI.

Quid meo dilecto est in templo meo, cum ea tot committat flagitia?) *In Hebræo uerbum* Committat, *& sequētia, fœminina sunt, cum nomen* Dilecto *masculinū sit. Vocat enim dilectum, Iudæū: deinde fœminino genere alloquitur Iudæam, quod idem est, & eodem nomine utrunq; dicitur Hebraicè, cuiusmodi mutationem enotauimus Esa. 15. Est autem in hac sententia, multa in Hebræo mutatio. nam* Tot *pluralis numeri est, &* flagitia *singularis, &* facessant *pluralis, &* carnes *singularis. & paulo pòst,* Cuius folia, *masculini generis: &* Cuius rami, *fœminini. id quod & alibi sæpe animaduerti, sed ubique indicare non est necesse.*

Facessant à te sacræ carnes, qui malefaciendo exultes.) *Hoc est, frustra uictimas immolas. nam eæ mihi non placent, cum à sceleratis immolantur. Vide Esa. 1.*

EX CAP. XV.

Vestras copias & facultates.) *In Hebræo singularis numerus est pro plurali. Nam hæc de Ieremia nō dici, apparet ex eo quod dicitur de finibus, quasi multos fines haberet Ieremias, quibus omnibus finibus paterent eius peccata. id quod non de Ieremia, sed de Iudæis dicitur: qui quot oppida, tot habebāt deos, ut ait idem Ieremias. Præterea ad extremam sententiam pluralis est numerus. Adde quòd cap. 17. eadem ponitur sententia: ubi perspicuum est, hæc in Iudæos dici. Itaque ego duos hos locos cōtuli, & ex utroq; alterū nonnihil iuui, quoniā uidetur uterq; nonnihil deprauatus. Quod enim hic legitur* והעברתי, *id illic rectius uidetur legi* והעבדתיך, *facili mutatione literæ daleth in res, propter figuræ similitudinem. Est enim eadem sententia, quæ cap. 16. ponitur his uerbis:* Exigam uos ex ista terra, in terram & uobis & maioribus uestris ignotam. *Conferantur diligenter hi duo loci.*

EX CAP. XVI.

Neq; panis in luctu distribuetur.) לחם *lego: ut & uetus & Græcus interpres legit, & sentētia ostēdit: & cū eo con-*

gruit, quod paulo pòst sequitur, Sumēdi cibi potionisq; gratia.

EX CAP. XVII.

Atqui non ego te sequēs incōmodare conor.) מרעה à רעה ductū, significat incōmodare, & capitur pro eo quod est malū nunciare. ut cap. 1. dicitur mitti Ieremias ad destruendum, &c. hoc est, ad nunciandam ruinam. & saepe in Leuitico, purgare aut polluere, pro purum pollutum'ue pronunciare. Est autem gemina sententia: ut sit idem, incommodare conari, & saeuam diem auere.

EX CAP. XVIII.

Verbi gratia.) רגע Graecè ad uerbum redditur αὐτίκα, aut τάχ' ἄν.

Niuem'ne relinqui subdialis rupis Libani?) Qui uult niuem, petat Libanū, qui perpetuò niualis est: qui uult aquam, petat iugem fontem, unde gelida, hoc est, ex profundo oriens, manat aqua, nihil aestum metuens. Ita qui sibi bene esse uult, me petat, bonorum fontem uiuum. At mei Israelitae, omissō me, suffiunt falsis dijs: quod perinde est, ac si quis omisso iugi fonte, pertusas aridasq; cisternas adeat.

Neq; sacerdoti lex.) Vt nunquam sacerdoti lex, aut sapienti deest consilium: sic Ieremiae, qui uates est, nunquam deest quod dicat. Est ergo compescenda eius loquacitas. Comparatio est sic posita, ut illa Virgilij:
Nec lachrymis crudelis amor, nec gramina riuis,
Nec cytiso saturantur apes, nec fronde capellae:
Hoc est, Vt gramina non saturantur riuis, &c. sic amor non saturatur lachrymis.

EX CAP. XXII.

Galaadus.

Tu mihi Galaadus es, ô Libani caput.) Alludit ad rationem nominis Galaadus, quae posita est in Gen. 31. ubi Galaadus dicitur tumulus testimonij. Est igitur haec sententia: O' caput Libani, hoc est, ô domus regis Iudaeae: hoc est, Hierosolyma Iudaeae caput: tanquam syluae (nam & ad extremū superioris capitis syluā uocat Iudaeam gentē) tu mihi Galaadus es, hoc est, tumulus testimonij: hoc est, te testor, ut apud Mosem testatur Laban Galaadum tumulum. Ita Galaadi nomine in affirmando ac iureiurando utitur, propter celebre illud Galaaditicum iusiurandum: quo modo Romani in connubijs solebant uti nomine Thalassij, quo sponsus indicabatur.

EX CAP. XXVIII.

Bellum aut malum.) Considera num pro רעה sit legendum רעב, hoc est famem.

EX CAP. XXXI.

Cui Ioua procul apparuit.) In Hebraeo pro לי uidetur legendum לו, ut & sententia ostendit, & Graecus interpres legit, qui uertit ὀφθήσεται αὐτῷ. Loquitur enim Deus, non populus: nisi fortè est personae mutatio, qualis est in Psalmo 91. & sic quoq; conueniet cum re translatio mea.

Ploratus Rachelis.

Auditur apud Ramam lamentabilis.) Rama oppidum erat in Beniamitarum finibus, ut habetur Iosuae 18. Plorat Rachel, hoc est, Beniamitides foeminae, à Rachele Beniaminis matre prognatae. Itaq; posset & sic uerti, Vox Rachelidarū suos natos deplorantium. Dicitur enim Rachel pro Rachelidibus, ut paulo pòst Ephraim pro Ephraimitis: qui loquendi modus apud Hebraeos frequentissimus, etiam apud Latinos extat, qui nonnunquam Romulum pro Romano dicunt. ut Persius, An Romule ceues? Quod autem locum hunc citat Matthaeus cap. 2. de occisis ab Herode infantibus, sciendum est, uatum dicta saepe spectare longius, quàm uideantur. Esaias cum de Emmanuele & de Cyro loquitur, ad Christum uenit: de qua re scripsimus in eius cap. 7. & 8. & 9. Item cum de inferenda per Senacheribum calamitate scribit, eam ad Titum Vespasiani filium extēdit. qua de re uide quae scripsimus in Esaiam cap. 32. Itidem quod hic scribit Ieremias de Ephraimitarum calamitate, id extendendum est ad usq; Christi tempora: id quod ex eo patet, quod etiā & quae paulo post hunc locum, & quae capite superiore de reuocandis captiuis dicit, planè ad Christum referenda sunt. Ex quo patet, cum uno calamitatis nomine cōprehendat ea quae Iudaei passuri erant, donec reuocarentur: cumq; reuocādi essent per Christum, rectè hunc locū adduxisse Matthaeum de infantibus, qui primi propter Christum occisi sunt.

Ambibit foemina marem.

Ambibit foemina marem.) Nouum & insolitum est, ut marem ambiat in matrimonium foemina, cum contrà fieri soleat. Atqui ego tot Israelitas interficiam (inquit Ioua) ut prae paucitate uirorum, ambiant foeminae uiros, & tamen ex tanta paucitate erunt qui euadant. Vide Esa. 4. & deprehendes eandem sententiam.

EX CAP. XXXIII.

Pacis fideiq; ornamentum aperiam.) עטרת legendum uidetur, teth secunda litera, ut coronam & ornamentum significet: cuiusmodi translatio est Psalmo 5. alioquin friget & cogitur sententia.

EX CAP. XXXVII.

Panis.

Eiq; quotidie panis unus dabatur.) ככר tortam uertit uetus: uerè ille quidem, sed parum Latinè. Significat enim Hebraeum uerbum, rem ita conformatam, ut solent panes. Itaq; si pecunia est, uocatur talentum: si alia res est, uocatur massa. ut apud Virgilium, Massam picis urbe reportat. Aut gleba, ut Caesar glebas picis appellat. Sed panis massam aut glebam dicere uix ausim. Itaq; malui dicere unum panem, quod idem est: significat enim integrum panem, qui erat, ut uidetur, eius magnitudinis, ut homini satis esset in diem. Galli ad uerbum bene exprimunt. dicunt enim alijs in rebus, pain: ut, ung pain de miel ou de cire. In pane dicunt, une miche de pain. id quod Latinè dici non potest.

EX CAP. XLVI.

Quam inuadet ab aquilone impressio.) Videtur legisse Hieronymus בא בה, qui uertit, Veniet ei: & Graecus interpres, qui ἦλθον ἐπ' αὐτήν: quae lectio mihi uidetur uerior.

EX CAP. LI.

Lebcamai.

Ego in Babylonem & incolas Lebcamai.) Hoc uerbum significat, cor infestorū meorum: qua uoce Chaldaeam terram innuit, tum significatione (nam ea erat Deo contraria & infesta) tum uerbo: nam hae literae, לבקמי, si alphabetum praepostere numeres, in eodem sunt numero, in quo כשדים, si rectè numeres: quod in Hebraeo elegāter dictum, in alijs linguis dici non potest. Itaque Graeci uerterunt χαλδαίους. Eiusmodi aenigmate dictum uidetur & suprà cap. 25. ששך, pro בבל. Hic animaduertendum est, ex qua Babylone uelit Deus migrare nos: uidelicet ex Lebcamai, hoc est, ex corde nostro, quod est Deo contrarium. Sed hoc nemo intelliget, nedum praestabit, nisi qui uolet retrogredi (ut postulat huius uerbi natura) hoc est, omnia & intelligere & facere contrà quàm facit caro.

Vera Babylon.

EX CAP. LII.

Reliquis hominum, qui in urbe supererant.) Hunc locum redundantem emendaui ex 4. Reg. 24. Alioqui plebeij ijdem, & relicti & relegati uiderētur. Et sanè caput hoc multis in locis discrepat ab illo.

IN LAMENTATIONES.

EX CAP. III.

In beth.



Elle & fatigatione circumuallans.) Fatigatio cum felle non bellè coniungitur. Vide num legendum sit, ולענה, ut fel cum absinthio coniungatur, duae res amarissimae: ut fit & paulo post hunc locū in zain, & Deu. 29.

In zain.

Miseriae & acerbitatis.) מרודי legendū uidetur, daleth penultima, qui facilis est lapsus, indiscreta penè literarum similitudine. Est enim gemina sententia, eleganter composita. Alioqui quale esset, Mem̄eto meae miseriae & rebellionis? cum sit potius Deo obliuiscenda rebellio, ut misereatur.

EX CAP. IIII.

In mem.

Falsi doctores sunt causa malorum.

Ob eius & uatum peccata.) Falsi uates & sacerdotes fuerunt tantae calamitatis autores, qui Hierosolymis effuderunt innocentum sanguinem: hoc est, falsa uaticinati sunt, quae secutus populus, incidit in haec mala. Ibant enim caeci (neq; enim

Deo

Deo afflati) per uicos urbis, ita sanguine illo, quem dixi, contaminati, ut eorum uestes tangi non possent: quippe adeò sanguine imbutæ, ut in eis nihil præter sanguinem tangi posset. hoc est, erant magnæ cædis causa. Repellebant autem alios à se, tanquam sacri profanos (uide Esa. 65.) & passim iurgabantur uaticinantes.

IN EZECHIELEM

EX CAP. I.





Forma quatuor animalium, quorum ea erat facies, ut hominis formã haberẽt.) Atqui dicit, ea singula quaternos habere uultus. Sed corporis status & forma erat humana. Est autem intelligendum, in hoc capite multam esse generis mutationem apud Hebræos. Nam quod uertimus, Quorum ea erat facies: relatiuum illic fœmininum est, ut postulat nomen Animantis. In sequentibus masculinum, & rursus fœmininum. Item numeri: nam quod de rotis uertimus, rotas quasdam humi apud animalia ad quatuor eorum facies, relatiuũ Eorum in Hebræo singulare est, cum antecedens plurale sit. & ad uerbum ita legitur: Apud animalia ad quatuor eius facies, scilicet animalis, hoc est, animalium. Quanquam relatiuum hoc in Hebræo est masculinum, cum animal sit fœmininum. Sed & paulo pòst, ubi uertimus, Rotæ secundum ea attollebantur: Ea in Hebræo est masculinum, cum tamen referat animalia. Ac quæ hic animalia dicuntur, eadem capite decimo animal unius numero uocantur. Quod idem & de rota dico, quam hic unã uocat, quo nomine significat unam rotarum quadrigam, ut continuò pòst apparet. Itaque nos per pluralem sumus interpretati. Huiusmodi mutationem & Iere. 11. declarauimus. Vt autem facilius possit hæc quadriga intelligi, ponemus ob oculos uisum utcunq; depictum, hoc modo:

EZECHIELIS VISVM.


Verùm intellige æthere͂, in quo ſedet homo, ſupra ipſa quatuor animalia, ſublime͂ pendêre, ſicut pendêt nubes ſupra montem: id quod nos pictura exprimere nequiuimus. queadmodu͂ & igne͂ intelligendu͂ eſt eſſe in medio animaliu͂, cu͂ in cap. 9. dicatur inde ſumi carbones. Sed quia in hac figura, quæ uolumus, no͂ ita perſpicuè oſte͂dere poſſumus, ſubijciemus alia͂ rudiore͂.


Oriens.





Septentrio. **Meridies.**





Occidens.

H hominis facies eſt. L leonis. B bouis. A aquilæ. 1 primum animal. 2 ſecundum, &c. quanquam reipſa nullum primum eſt, ſed ita pono docendi gratia. Iam declaremus difficiliora uerba. Erant eorum facies ea figura, ut illa quatuor haberent, dextera parte humanam leoninamq́ue faciem, ſiniſtra bouinam & aquilinam. *His uerbis intelligenda eſt dextera aut ſiniſtra pars, non uniuſcuiuſq; animalis, ſed uniuerſoru͂, ut uides in figura. Nam ſi in ſingulis hoc fieret, exempli gratia, ut primum animal haberet ab auſtro (quæ dextera pars eſt) faciem hominis & leonis, à ſeptentrione autem bouis & aquilæ: ſequeretur, ut nullam ab oriente aut occidente haberet. quod idem & in alijs fieret. Atqui ſecundum ea animalia rotæ incedebant: rotæ autem tendebant in quatuor ſuæ quadraturæ partes, ut eſt in capite decimo, ubi eadem res apparet: id eſt, in oriente͂, occidentem, meridie͂, & ſeptentriones. Quod ſi animalia ad orientem & occidentem non haberent facies, ſe quereretur ut in has partes tende͂te quadriga, nullæ facies eſſent aduerſæ. quod falſum apparet ex his capitis primi uerbis:* Ibant autem eorum ſingula prorſum tendentia: *hoc eſt, in anteriorem partem, obuerſa illuc facie, ut quamcu͂q; in partem tenderent, haberet ſemper unumquodq; animal unam faciem eò ſpectantem: ut ſi tenderent in ſeptentrionem, aduerſa eſſet facies in primo bouis, in ſecu͂do aquilæ, in tertio bouis, in quarto aquilæ. Ita fiebat, ut quòcunq; tendere͂t, ſemper eſſent quatuor aſpectus aduerſi, & totidem auerſi: totidemq́; dextri, & totidem ſiniſtri. Quod autem dicit,* Nec inter eundum conuertebantur: *& tamen paulo pòſt ſequitur,* Currebant redibantq́ue: *ſignificat, non circumflecti hanc quadrigam, ut ſolent aliæ, ut temo ſemper antecedat: ſed ita moueri, ut quæ facies ante͂ fuerint anteriores, eo redeunte ſint poſteriores: ut ſi in orientem pergat, aduerſi ſint aſpectus bouis & aquilæ, auerſi autem hominis & leonis. Sin autem in occidente͂ redeat, non id faciat circumflectendo, ut ſemper bos & aquila præcedant: ſed retrò gradiatur, antecedente homine & leone, illis autem ſequentibus: ut ſi nauigij puppis & prora eadem forma fiant, & ita nauigium ſine conuerſione agatur, ut quæ pars fuit eundo prora, eadem redeundo ſit puppis. Atq; eadem eſt & rotarum ratio, ut in omnes ſimiliter partes ferantur, ut quæ pars earum eundo in orientem fuit anterior, eadem eundo in occidente͂ ſit poſterior. quod idem de ſeptentrione & meridie intelligo.* Electrum, Haſmal. *Quod ad electrum attinet, eſt in Hebræo Haſmal: quod quia antiqui electrum interpretati ſunt, nos eos ſecuti ſumus, cum nihil de eo certius haberemus. nam in Hebræo ſermone id uerbum nihil, quod ſciatur, ſignificat: niſi fortè literas ordine præpoſtero collloces (ſunt autem in ſacris literis talia quædam ænigmata, ut in Ierem. 51. docuimus) erit enim* למשח, *hoc eſt, ungendus, qui Græcè Chriſtus, Hebraicè Meßias appellatur: ut ſit litera Lamed eodem modo poſita, quo Ieremiæ tertio, & Iohannis 13. ἵνα, ubi ἵνα πληρωθῇ dictum eſt pro πληρωτέον, aut πληρωθῆναι δεῖ. Qua de re lege quæ in 2. Corinth. 8. ſcripſimus. Ita eſſet Haſmal ungendus, quomodo ſi Latinè pro ungendus dicas ſudnegnu: aut pro Ieſus, Suſei. Iam occurrit aliud arcanum. ut enim ſi Haſmal Hebraico more legas, nihil ſignificat: ſin Græco, aut Latino, hoc eſt, præpoſtero ordine literarum (nam nos ſcribimus à læua in dexteram, cum Hebræi à dextera ſcribant in læuam) ſignificat Meßiam: ita ſi, quæ de Chriſto in Hebræoru͂ oraculis ſcripta ſunt, intelliges ut Iudæi, Chriſtum crucifiges, tantum aberit ut cognoſcas. Sin ut Græci, hoc eſt Chriſtiani, qui ex extraneis potißimum nationibus aſciti ſunt: Chriſtum diſces, & ex Saulo Paulus fies. Item ut hoc nomen Haſmal in Hebræo autore, uidelicet Ezechiele, ſcriptum, tamen non eſt Hebraico more legendum, ſi ſententiam uelis elicere: ita de Chriſto prodita ab Hebræis oracula, ſi Hebræorum more excutias, habebis meras literas, & ſine mente ſonum. habent enim obuelatam faciem, cum hæc legunt. Sed hæc de Haſmal ut propoſita uolo, ſic affirmata nolo, ne incerta pro certis habeamus.*

EX CAP. III.

Iſtiſq́ue uiſceribus conficies.) *Hebræum uerbum ſignificat perficere & abſoluere, quod pro concoquendi uerbo ponitur: ut apud Plinium ſæpe perfici cibus dicitur, pro confici, ſiue concoqui.*

EX CAP. XIIII.

Tamen ſuperſunt in ea qui elapſi educantur.) *Cæterarum quidem nationum ſontes omnes punio, ſolis parcens inſontibus. At in Iſraelitas ſum clementior: id quod inde licet intelligi, quòd cum ſint omnes Iſraelitæ nocentes, & ideo omnes interficiendi, ſi ſummo iure uti uelim: tamen euadent nonnulli, mea uidelicet clementia conſeruati: qui cum ad uos peruenerint, capietis inde conſolationem, & intelligetis, me, quòd Hieroſolymam ita affecerim, meritò feciſſe: quod autem nonnullos reliquos fecerim, feciſſe miſericorditer, cum eorum ſcelera auerſionem mererentur Sodomitanæ ſimilem. Vide Amos nono, & Abdiam.*

EX CAP. XV.

Quid fiet ligno uitis ex omnibus ramoſis arboribus.) Vitis. *Ramoſas arbores, uocat arbores, ſuperuacaneo adiectiuo, quod tamen in Hebræo eſt ſubſtantiuum, ſed adiectiui loco poſitum: ſicuti ſæpe uolucres aereæ, & piſces marini ſiue aquatiles dicuntur, adiecto uerbo non neceſſario. Item, quòd interpretor,*

pretor, In arborum sylua: est in Hebræo, In arboribus syluæ. sed sylua significat arborum multitudinem, siue syluestrium, siue domesticarum: sicut Genes.3.dicitur herba agri, pro agris terrestribus, siue agrestes sint, siue domesticæ. Nec refert, *quòd uitis magis frutex est, quàm arbor. nam apud* Hebræos *etiam frutices appellantur arbores, omissa illa subtiliori partitione, quæ frutices medios facit inter herbas & arbores.* Est *autem hæc* Vatis *sententia: Vt uite (quæ alioqui stirps est utilissima) nihil est inutilius, si est sterilis: ita & Israelitis nihil est inanius, si rectè factorum fructu carent.* Idem dixit Christus, *cum sale suos comparans.*

EX CAP. XVI.

Et in ijs etiam tuos.) *Meus, tuus, suus, noster & uester, Hebraicè dici non possunt, nisi coniunctis alijs, quemadmodum in Genes.24. scripsimus. Vt si uelis, quod Latinè dicitur, Meus pater & tuus, Hebraicè reddere, ita cogaris dicere, Meus pater, & tuus pater. Hac de causa cum hoc in loco in Hebræo sermone captiuitatis nomen sæpe iteretur, cogente linguæ natura: ego in Latino, ubi non est ea necessitas, id nomen semel posui, in sequentibus satis habui pronomina ponere.* Ac *quod hic admoneo, id uolo & alibi animaduerti: nam sæpe occurrit. Cæterùm quod de reuocandis Sodomæ captiuis dicit: sciendum est, uerbum hoc loco positum, non solum captiuitatem indicare, sed etiam miseriam: ut Iob 24. & in Gallico sermone, ubi ductum à captiuitate uocabulum, miseriam declarat, chetiueté. Iam quoniam Ezechiel de Samariæ & Hierosolymæ captiuis loquitur, etiam in Sodoma, quam cum illis coniungit, eodem utitur uocabulo, quamuis Sodomitani non fuerint captiui. Sed quid est, quòd dicit se restituturũ eas in pristinum statum? Nam si Sodoma & Samaria restituentur in pristinum statum, in malum statum restituentur. Semper enim uitijs abundarunt, præsertim Samaria, cuius & primordium & progressus malus fuit. Ita fiet, ut si in pristinum reponentur, perpetua fiat uicissitudo & peccandi, & pœnas dandi. Quamobrem intelligendum est hoc loco transitum fieri à Sodoma illa, ad aliam Sodomam: hoc est, ad gentes Sodomitarum similes: quemadmodum capite uigesimo fit transitus à simulachricolis Israelitis, ad ueros Israelitas. ut sit hæc sententia: Sodoma & Samaria, hoc est, gentes illarum similes, restituentur in pristinum statum: hoc est, stabunt aliquando per Christum, cum nunc iaceant in Satanæ tyrannide: quemadmodum stetit aliquando Sodoma & Samaria, quæ nunc iacent. (loquitur autem de Sodomæ mutatione ex casu in statum) idemq; tibi accidet inter eas: ut cum tu te uidebis restitutam, pudeat te tuorum scelerum, adeò fœdorũ, ut ijs faciendis illas consolata sis: hoc est, effeceris ut minus nocentes apparerent, si tecum compararentur: quæ res solet esse solatio. Sed cuiusmodi futura sit ea restitutio, scietur suo tempore.*

EX CAP. XVII.

Euasit in luxuriantem uitem, statura humilem.) *Non pugnant hæc duo.* Potest *enim uitis luxuriare fertilitate soli, & tamẽ humilis esse: quippe recens pacta, necdum adulta.* Est *autem idem quod paulo pòst dicitur,* Emisit *sarmenta.*

EX CAP. XIX.

Vbi in leonem adoleuit.) אריה & כפיר *differunt, ut* אדם & איש*: hoc est, ut homo & uir. Atq; ut idem homo & uir dici potest, ita utrunq; illorum de eodem leone dicitur, Iudicum 14. de qua re uide à nobis in eum locum animaduersa. Sed in leone* Latina *lingua minus habet multa uocabula, quàm* Hebræa. *Itaq; intellige, adolescere in leonem* [illegible] *dici, quasi tu dicas uitulum adolescere in taurum.*

Et eorum arces populatus est.) וידע *legitur, hoc est, & cognouit. Sed quid est, cognouit arces?* Alij *uertunt, cognouit uiduas. Sed non rectè dicetur leo cognouisse uiduas, cum pergendum sit in eadem figura, nec leones hominum uiduas cognoscant.* Deinde, *non cognoscendi uerbo uteretur, quod lenius est: sed stuprandi, aut uiolandi.* Ego *suspicor legendum esse* וירש*, quod uerbum leoninæ uiolentiæ cõuenientissimum est.* Nam & Græci *uerterunt* ἐνέμιτο, *quod depopulari significat. & idem erratum obrepsit etiam in* Iudicum *octauo, ubi eadem litera erratum est, posito* ע *pro* ש*. de qua re lege quæ nos illic scripsimus.*

Tua mater tanquam uitis.) *Est omnino in hac allegoria talis numeri generisq; in Hebræo sermone confusio, qualem & in primo capite indicauimus, & sæpe alibi animaduertimus, ne sit ubiq; declaranda.* Est *autem eadem sententia, quæ prioris allegoriæ. Tua mater* Hierosolyma, *similis fuit uitis ob humoris copiam lætæ. Ea uirgas habuit, hoc est homines, qui sceptra tenuerunt, uidelicet reges: qui cum ita creuissent, ut inter alios, tanquam inter palmites eæ quæ uocantur sagittæ, extarent, ipsa Hierosolyma diruta est: & si quid in ea excellebat, id perijt, regesq; interfecti sunt. Nunc deserta iacet, fuerunt eius reges causa & principium eius calamitatis, nec iam in ea supersunt.*

EX CAP. XX.

Promisissemq; stirpi Iacobeæ domus.) *In Hebræo est, Manum sustulissem: quoniam is in affirmãdo & promittendo mos erat. quæ figura à uerbo promittere non abhorret: est enim promittere, porrò aut altè mittere.* Et *quia promissis, ut uidetur, manibus pollicebantur homines, inualuit usus, ut promittere manus, deinde detracto uocabulo, promittere dicerent, pro polliceri. sicut uidemus & in alijs, solere detrahi uoces quasdam: ut dicimus decies, pro eo quod est decies centena millia sestertiũ: quomodo in sacris literis dicitur aliquando nomen, pro Iouæ nomen: & traijcere, prò per ignẽ traijcere.* Hæc *eò dico, ut animaduertantur linguarum naturæ, neu quis offendatur, si* Latinè *loquens, multa peregrina ad* Latinorum *consuetudinem traduco.* **Promittere.**

Quod'nam esset sacellum, ad quod irent.) *Reddit nominis rationem.* Quoniam *enim eos interrogauit, quod'nam esset illud* במה *ad quod ibant, postea nomẽ obtinuit: ut quæ ibi fiebant sacella, eo uocabulo dicerẽtur.* Est *autem* Bamach*: quasi tu dicas excelsum, aut editum (quod* Latinè *templum dici potest) quoniam in editioribus locis fieri cœpta sunt sacella. Sed postea fiebant & in alijs locis. itaq; capite 16. dicuntur fieri in omnibus uicis: ubi alio quidem, sed eiusdem notionis uocabulo nuncupantur.* **Sacellum.**

EX CAP. XXI.

Scilicet lætemur.) *Obscurissimus est totus hic locus usque ad finem capitis.* Iussus *erat paulo antè* Vates *ingemiscere, & gemendi ratione reddere. Mirũ ni lætemur. Quæritis, ô Israelitæ, cur ingemiscam? quasi uerò gaudendi causam habeamus, ac non dolẽdi, cum mei nati sceptrum, omne lignum repudiet: hoc est, nullum inueniat lignum, ex quo fieri possit: hoc est, cum meo nato sceptrum & imperium auferatur, ut postea declarabitur. Vocat autem suum natum, Israelitam: non quia sit ipse* Vates *pater Israelitarum, sed est imitatio loquentis* Dei, *qui uocat Israelitas suos natos. qualis loquendi modus est & in Cantico, capite 7. & in Gallico sermone, & in Italico, cum monsieur & monseigneur, misser, & mon signor dicunt, hoc est, meus dominus, quamuis de alienis dominis loquatur: quẽadmodum magistros, uulgò magistros nostros appellamus, quàmuis nihil minus quàm nostros. Auferetur autẽ sceptrum Israelitis acuto* Dei *gladio, quem tradet interfectori: hoc est,* Deus *id auferet per* Babyloniæ *regem, cui eius rei potestatem tradet: quæ res est digna, propter quam eiuletur, & femora pulsentur. quod fieri solebat etiam apud* Græcos *in rebus tristibus: ut apud* Homerum Achilles, *uiso nauis incendio,*

Cum femorum planctu Patroclo *talia fatur.*

Quæritur, ex quo ligno sceptrum fieri possit. est enim exploratio, quis possit esse rex Israelitarum. Nemo inuenitur, aufertur Israelitis regnum. Quanquam etiamsi sceptrum non repudiaret, scilicet omne lignum, hoc est, si maneret rex aliquis: nihil tamen proficeret, neq; malum impendens uitare posset.

Tu uerò ô rei capitalis damnate.) *Tu* Sedecia, *qui capitale crimen commisisti, cuius supplicij dies uenit, postquam crimen peregisti (nam ante perfectum crimen non soleo punire) detrahe cidarim: hoc est, regno priuaberis. &* quod est, non erit: & quod non est, id erit: *fiet tanta rerum mutatio, ut humilia extollantur, & contrà. Qui nunc regnant, priuabuntur*

buntur regno: qui uerò erit humilis, is regnabit, uidelicet Christus. Nam quod ad istam coronam attinet, eam ego ad nihilum redigam prorsus, (hoc enim significat tertiatum uerbum, eademq; est sententia, quæ suprà declarata est, sceptrum omne lignum repudiat.) sed id nondum fiet. Licet enim Babylonis rex uos seruitute premat, redibit tamen regnum post captiuitatem, ut non sublatum, sed interpellatum esse uideatur: ne me putetis idem uerbum ter ponentem, de hac interpellatione loqui. Sed id fiet, cum uenerit is cuius erit iudiciū, uidelicet Christus, de quo moriens Iacobus uaticinatur, Iudæis sceptrum non defore, donec ueniat Sospitator.

EX CAP. XXIIII.

In medio. **Nam eius sanguis est in ea.)** In Hebræo est, In eius medio: sed id ponitur pro in, ut alibi sæpe. & cap. 26. ubi ad uerbum legitur, Tyrum fore expandendis retibus in medio mari: cum Tyrus à medio mari abesset longißimè.

EX CAP. XXVI.

Nunc pauent naues diem tuæ ruinæ.) אין uolunt quidam esse pro אים insulæ. Sed mihi placet uetus translatio, in qua est naues. Nam sententia magis quadrat, & tam ex אני, quàm אים potuit fieri אין.

Te ita in nihilum redigam.) Et hic idem dico, melius uertisse ueterem, qui In nihilum redigam te: & Græcum, qui ἀπώλειάν σε δώσω, reddit: quàm nostros, qui Terrores. Ductum est enim בלהות à בלה, quod obsolescere & antiquari est: cuius significatio huic loco est aptißima.

EX CAP. XXIX.

Eorum tota latera perforaueris.) Latinus uertit, Dissoluisti: Græcus, συνέθλασας. unde conijcio, eos non חעמדת legisse, quæ lectio non quadrat: sed חעמקת, quod cauare & perforare est, atq; huic loco aptißimè conuenit.

EX CAP. XXXI.

Vt habeat inter nubila cacumen.) Hunc locum bene uertit Græcus. Est enim eadem sententia, quæ Danielis quarto, ubi hæc arbor dicitur capite cœlum tangere, ut sit hic idem עבתים, quod עבים.

Deus gentium. **Ego eum deo gentium in manum tradam.)** Deum gentium uocat Cyrum regem Persarum, Assyrij regni euersorem. quomodo Psal. 45. Solomo uocatur Deus, siue diuus. & Ciceronem dicunt oratorum deum. & Latini suos imperatores uocauere diuos: ut diuum Iulium, diuum Traianum. Quod autem sequitur, Vt postulat eius impietas: loquitur de homine. Deinde ramos nominans, loquitur de arbore, miscendo rem comparatam cum ea, cum qua cōparatur: quoniam principio allegoriæ utrunq; posuit, scilicet Assyrium & cedrum. Sed in Hebræo sermone utrunq; est masculini generis: quod cum Latina lingua non ferat, mutaui genus: & ubi de arbore sermo est, usus sum fœminino: ubi autem de homine, masculino.

EX CAP. XXXII.

Facere pro nunciare. **Deprime cum descendentibus in tartara.)** Facere dicitur Vates more poetico, quòd factum aut futurum nunciat, ut in Gen. 48. declarauimus. Est autem in hac oratione ad finem capitis, crebra generis & numeri mutatio, qualem in Ierem. 11. & Esa. 15. explicaui.

EX CAP. XXXIII.

Faciunt ore suo cantica.) Ore bene loquuntur, & ut est in Esaia, me labijs honorant. sed eorum dicta sunt cantica: hoc est, non sentiunt idem quod loquūtur. sicut qui cantica canunt, aliud sæpe dicunt, aliud cogitant. Ita isti ore bene loquentes, animo sectantur auaritiam: & te tuaq; dicta perinde habent, ac si carmen aliquod elegans & modulatum cantes, quod eos delectet, non moueat.

EX CAP. XXXVII.

Simplicia uerba pro compositis. **Ego in uos immittam spiritum, quo reuiuiscatis.)** Et aliàs declaraui, simplicia uerba sæpe esse per composita Latinè uertenda, quòd cōposita non habeant Hebræi. Ita hic חיה est reuiuiscere, ut interpretatus est antiquus interpres. Atque ita positū est uerbum ζῆν, Matth. 9. & Ioan. 5. & 11. pro ἀναζῆν, Hebræo more: sicut בנה pro reficere & instaurare ponitur. Atq; huiusmodi uerborum significatio ex sententiæ tenore perspicitur.

EX CAP. XXXVIII.

De Gog & Magog. **Compone faciem tuam ad Gog, terram Magog.)** Iosephus Antiquitatum lib. 1. cap. 7. tradit, à Magoge conditos esse Magogas, quos Græci Scythas appellent: à Mescho Meschinos, qui Cappadoces appellentur: à Thobelo Thobelos, qui Iberi: à Phute Phutos, qui Libyes: à Gomaro Gomarenses, qui Galatæ: à Thygramma Thygrammanos, qui Phryges à Græcis nominentur. Addit alios: sed ego eos tantum pono, qui ad hunc locum faciant, & de quibus dubitari poßit. Iam quæ nomina ponit, ea sunt ad Græcam deflexa linguam. Sic enim in Hebræo leguntur: Magog, Mesech, Thubal, Phut, Gomer, Thogorma. Et in cæteris quidē eum sequor, nisi quòd nomine Magog, propter huius oraculi nobilitatem, Hebræo utor: tantum Meschum aliter interpretor. Nam cum Cappadoces Genesis 2. Caphthorim appellentur, & quod hic legitur Mesech, Græcus & Latinus interpretes Mosoch dixerint: probabilius est, Moschos significari, cum & nomen conueniat, & id cum Iberis tum hic, tum cap. 27. coniungatur, quæ utraque gens est in regione Themiscyra. Nam hos Iberos, non Hispanos, hoc loco intelligi uolo: sunt enim alij Iberi in Hispania. Sed quale sit hoc de Gog & Magog oraculum, ego nescio. hæc quidem nondum euenisse suspicor. Qua de re lege diligenter Esa. 17. 26. 56. & 57. & Ezech. 37. &c. & Apocal. 20. Adde, si placet, Sibyllæ librum tertium, in quo hæc omnia abundè tractantur.

EX CAP. XL.

Circundabat autem murus templum.) Sequitur templi descriptio, quæ quia perobscura est, eam non solum uerbis, sed etiam figuris declarabimus, sine quibus hæc uix poßunt intelligi. Igitur hoc templum muro cingebatur quadrato, qui patebat quaquauersus quingentos cubitos: quod totum spacium erat sacrum. Erat autem templum in monte collocatum, ita ut quacunq; parte adiretur, ascendendum esset. Eius partes sunt nouem, eæq; omnes quadratæ, centenos cubitos longæ, & totidem latæ: uidelicet ædes ipsa, & circum eam octo atria, à singulis cœli regionibus bina: quorum ea quæ sunt ædi coniuncta, uocantur interiora, reliqua quatuor sunt exteriora. Per exteriora aditus est ad interiora, & porrò ad ædem. Atq; hæc nouem membra in alia item membra diuiduntur, ut in descriptione uidere licet. Hæc autem particulatim describuntur ab Ezechiele, quo ordine ei à Genio ostēsa sunt: quo fit, ut sit obscurior. Nos, quò res sit dilucidior, singula membra delineabimus. Vtar autem ichnographia, hoc est, areæ, & soli, & quasi fundamēti pictura, quò poßint omnia spacia perspici: id quod in orthographia, id est, in erecti & stantis ædificij pictura fieri non posset.

Vir ille habens in manu decempedam.) In Hebræo est, mensoriam cannam, hoc est perticam: cuius longitudinem describit, uidelicet sex cubitorum, scilicet sacrorum: hoc enim declarat, dum dicit, eos cubitos alijs esse maiores uno palmo. Ego cannam mensoriam propterea non appellaui, quòd decempedæ nomen est huius rei proprium. Est & Carcassone in Aquitania quædam mensura octo palmorum, quam Gallicè cannam appellant, ut Hebraismi affinitatem agnoscas.

Mensus est ædificij crasitudinem.) Aedificiū dicit pro muro, quod ædificium sepit. Hic murus sex cubitorum craßitudinem habet, pari altitudine.


Ad portam obuersam ad orientem.) Portam uocat totum ædificium, quod erat in ingressu, quod habebat circundantem murum, & duas ianuas, & sex cellas, cum appendicibus, hoc pacto:

ATRII

ATRII AREA.

a *murus ſex cubitos craſſus, qui totam portam circundat.* b *oſtia lata denos cubitos.* c d, *quorum liminum craßitudo eſt ſex cubitorum: uidelicet quanta eſt muri craßitudo ab* e *ad* f. *Altitudo ianuæ (quæ hic longitudo uocatur, propterea quòd altior eſt, quàm latior) eſt tredecim cubitorum.* g *cellæ utrinque trinæ, longitudine & latitudine ſenorum in fundamento cubitorum, quadratæ.* h *cellarum appendices, ſingulos cubitos patentes: ſcilicet in ſuperiore parte cellarum, ubi erant cœnacula, ſub quibus appendicibus ad perpendiculum eſt eiuſdem latitudinis ſpacium ante cellas, quod ipſis cellis, non ueſtibulo, tribuitur.* i *ſpacia quinorum cubitorum inter cellas, quæ ſpacia intelligenda ſunt in ſolo. Nam ſuperiore parte detrahunt appendices de iјs ſpacijs utrinq; ſingulos cubitos. Ita fit, ut cum cellarum fundamenta diſtent inter ſeſe quinos cubitos, à* k *ad* l, *appendices diſtent trinos, ab* m *ad* n.

Sint enim cellæ A B, *appendices* C D. *Cum ab* A *ad* B *ſint quinq; cubiti, à* C *ad* D *ſunt tres.*



Sed intelligenda ſunt eadem quinorum cubitorum ſpacia etiam inter cellas & portæ murum, ab o *ad* p, *ut patebit in portæ longitudine.* q *ueſtibulum eſt latum octo cubitos, ab* r *ad* ſ: *quod ueſtibulum abeſt à portæ limine, hoc eſt, ab exteriore liminis linea, ſex cubitis,* e f. *nam liminis craßitudo non tribuitur*


buitur uestibulo. Id uestibulum appendices habebat duorum cubitorum, hoc est, quorum proiectura patebat in utraque ianua unum cubitum, intrò procurrens, ab t ad t. nam si interpretaremur ita, ut utrique binos cubitos attribueremus, efficeretur, ut uestibuli appendices proiecturas haberent duplas, quàm sint cellarum appendices: deinde ut eæ uestibuli appendices propius distarent à cellarum appendicibus, quàm ipsæ cellarum appendices inter sese, quæ utraq; inæqualitas deformem haberet aspectum. Erant autem appendices cubitorum sexaginta. quod intelligi debet de toto appendicum spacio: nam singulæ patebant octo cubitos, ab u ad x (hoc enim ponimus in una appendice, quod tamen idem de omnibus dictum uolumus) qui sexies ducti, efficiunt octo & quadraginta. Ostiorum autem appendices sunt longæ senos cubitos, ab y ad z: ita fiunt cubita numero sexaginta. Cur autem hæ reliquis sint breuiores, in causa est, quòd non augetur earum longitudo processu earum quæ sunt à lateribus, sicut in cellis. Nam si in cellis nullæ essent à lateribus appendices, ea appendix quæ est in fronte, esset quanta est ostij, uidelicet senûm cubitorum, ab A ad B. Igitur huius portæ ædificij latitudo intus sine muro, est uigintiquinque cubitorum, à C, quà desinit cellarum tectum, ad D, quà est tectum portæ, hoc est muri portam ambientis. Nam uestibulum patet octo cubitos, cellæ hinc atque hinc octonos, qui numerus est uigintiquatuor. Deest unus cubitus, utrinque dimidius, quem occupant cœnaculorum tecta ad tergum procedentia, tectumq; muri scandentia utrinque in dimidium cubitum, & ibi se cum muri tecto coniungentia, ubi sunt literæ C D, à quibus tectorum coniunctionibus numeratur latitudo portæ. Longitudo autem ab initio liminis exterioris ianuæ, ad extremam lineam liminis interioris ianuæ: hoc est, ab e ad alterum e, est cubitorum quinquaginta, uidelicet dupla latitudinis. Nam cellarum longitudo est cubitorum octodecim à fundamentis, singularum sex. Inter cellas & cellas, & inter cellas & murum latitudinis portæ, sunt spacia quater quinûm cubitorum: qui numerus cum illo coniunctus, efficit octo & triginta: cui si addas bis sex cubita liminum, fiunt quinquaginta. Atque ipsa ostia respondent inter sese: nam à b ad alterum b est recta regio. Ad hanc orientalem portam ascendebatur septem gradibus: atque ea circundabatur atrio. Vocatur autem atrium, reliquum huius totius quadrati loci centenos in longitudinem & latitudinem cubitos porrecti spacium: & exterius dicitur, quoniã inter id & templum erat aliud atrium interius. Igitur in hoc exteriore atrio erat pauimentum à latere portarum. Portas autem uocat plurali numero, quoniam uult idem & in septentrionali porta intelligi, quod hic de orientali tradit, ut paulo pòst apparet. Id pauimentum erat depreßiore solo, quàm porta, idq; secundum portæ longitudinem, ab E ad F. ad quod pauimentum erant cœnacula triginta, quæ quomodo collocata essent, ex hoc intelligi non potest, sed petendum est ex capite 42. ubi huius collocationis rationem ex hac eadem figura docebimus.

Latitudinem mensus est à fronte inferioris ianuę, ante interius atrium foris centum cubitis.) Inferiorem ianuam uocat, priorem ianuam interioris atrij. nam ab ea per gradus in atrium interius erat ascensus, quo fit ut dicatur inferior. Hinc apparet, quod postea docetur de gradibus, eos non esse extra sui muri craßitudinem: alioqui non posset inferior dici ianua, si esset supra gradus collocata. Deinde ipsi interiorum atriorum gradus partem occuparent longitudinis exteriorum atriorum. Neque non animaduertendum est, eundem murum duobus atrijs interiectum, non seruire utriq; atrio: sed duos ibi esse muros, alterum alterius atrij. si enim unus esset, non constaret neque atrijs centenorum, neque uniuerso sacri spacio quingentorum cubitorum longitudo ac latitudo. Igitur latitudinem mensus est à fronte inferioris ianuæ, quæ est ante interius atrium, ubi est litera G, centum cubitis, foris, ab H ad I. Nam intus à K ad L essent tantum octo & octoginta, muri craßitudine senos utrinq; occupante. idq; fecit tum ad orientem, tum ad septentrionẽ: hoc est, & in orientali & in septentrionali atrio: ut intelligamus hic atria duo describi, quæ sint eiusdem generis.

Item portæ quæ erat septentrioni ad atrium exterius obuersa, &c.) Hoc est, portam interioris atrij septentrionalis, quæ foràs ad exterius atrium septentrionale spectabat, eadem ratione metatus est, qua portam exterioris atrij orientalis, quam modò descripsit: & porrò septentrionalis, cuius simul mentionem fecit. Atque ad eam interiorem portam septentrionalis atrij septem gradibus ascendebatur, ante quos erant appendices portæ. Cum pateant enim gradus in limine decem cubitos, quæ portæ est latitudo c d, (ut superius posita figura seruiat utrique, quoniam portarum est eadem ratio) & appendicum frontes inter se octo cubitos distent, quæ uestibuli latitudo est, r s, fit ut appendicum proiecturæ, quæ sunt singulorum cubitorum hinc atq; hinc, respondeant utrisque ultimo graduum cubito, cum à c ad M, & à d ad N rectæ sint regiones, quæ appendices interius exponant ante graduum extremitates. Erat autem porta interioris atrij e regione portæ alterius: hoc est, exterioris atrij: distabantq; altera ab altera, hoc est, initium portæ interioris atrij, ab initio portæ exterioris atrij, centum cubitos, ab e primi liminis ad G. Quod sequitur de meridiana porta, ea est cæterarum similis. Quod autem dicuntur ei circumiectæ accessiones, ea sunt cœnacula, quæ portæ accessiones appellantur, quòd ei adduntur extrinsecus, quæ erant etiam in alijs atrijs exterioribus, ut capite quadragesimosecundo declarabimus, ubi hunc locum exponemus. Quæ sequuntur, partim ex superioribus conspicua sunt, partim in totius templi figura apparebunt. De sacerdotum cœnaculis quod dicit, id declarabimus in capite quadragesimosecundo. Iam ueniamus ad templi descriptionem, cuius hanc aream subijciemus.

TEMPLI

TEMPLI AREA.



a cella. b *sacrarium.* c *tabulata.* d *uacans locus.* e *ædis paries.* f *uestibulum.* g *conseptum.* h *murus templi.*

Igitur hoc templum ita collocatum erat, ut eius uniuersum spacium esset quadratum, patens centenos in longum & in latum cubitos. Ipsius templi lōgitudo erat ab oriente ad occidentem. Cella, hoc est ea pars templi, quæ est ante penetrale, erat longa quadraginta cubitos, lata uiginti. Ei ad occidentem adiacebat sacrariū, longum uiginti cubitos, pari latitudine. Cellam & sacrarium ambibant dextra sinistráq; singuli ordines tabulatorum, latitudine quaternûm cubitorum: quæ porrò tabulata ambibantur utrinq; uacuo loco, quinos cubitos lato: quem uacuum locum cingebat murus senos cubitos crassus. Ita fiebat hæc latitudo cubitorum quinquaginta. Ad latus autem septentrionale erat ædis uestibulum uiginti cubitorum longitudine, quæ uestibuli longitudo erat secundū ædis latitudinem. Ita ædis latitudo, aucta uestibuli longitudine, fiebat cubitorum septuaginta: quod non esset, nisi uestibulum esset à septentrione. A' meridie pro uestibulo erat locus uacuus, tāta latitudine, quanta erat uestibuli longitudo, uidelicet cubitorum uiginti: quibus si addas muri crassitudinem, quæ est utrinq;, superiore ipsius muri parte, quinq; cubitorum, fiet totius templi latitudo centum cubitorum. Longitudo ita erat, ut cella esset longa quadraginta cubitos, sacrarium uiginti. Ab occidente & ab oriente erat spacium quatuor cubitorum, in quo in oriente erat porta: post id spacium erat uacuus locus, cubitorum quinq;. Adde utrinq; ædis murum sex cubitos crassum: deinde templi murum, quinq;, scilicet in fastigio, propter contracturam: nam quod muro detrahitur, id templo attribuitur. Ita fit longitudo centum cubitorum. Iam ueniamus ad uatis interpretationem.

Vestibulum quinis utrinq; cubitis dimensus est.) Hoc *est, uestibuli limē utrinq; erat crassum quinq; cubitos, ab* i *ad* k, *& ab* l *ad* m. *Cum autem murus templi, & murus ædis, sint à fundamento crassi senos cubitos, detrahuntur liminibus singuli cubiti, qui tribuantur appendicibus transuersis, quarum appendicum spacium non tribuatur uestibulo: alioquin uestibulum esset longitudinis uigintiduorū cubitorum.* Ianua utraq; parte, *hoc est, & interior & exterior:* lata trinos cubitos, n o, & p q. Vestibuli longitudine uiginti cubitorum, k l: latitudine decem, r s. *quanquam in* Hebræo *legitur undecim. Sed non esset latitudo dimidia longitudinis,*


quod

quod tamen fit in omnibus uestibulis. Adde, quòd hic impar numerus non admodum cæteris dimensionibus responderet. Has ob causas hoc loco secutus sum Græcũ exemplar, ubi est Αἰλά. Ad quod decem gradibus ascendebatur: hi sunt in liminis exterioris craßitudine. Lego autem hic non אשר, sed עשר. nam & ita legit Græcus, & sententia aliter non constat: quanquam Latinus uertit, octo. Ad appendices. Appẽdices enim dextra ac sinistra erant in tecto muri proiecturæ singulorum cubitorum: id quod ex eo intelligitur, quod de limine dictum est, ut sint longitudinis appendices paris proiecturæ cum latitudinis, hoc est, cum transuersis liminum appẽdicibus: id quod in atrij figura ostẽdimus fieri. Hinc una, & inde altera erat columna. Vtrum eæ columnæ essent in initio, an in fine uestibuli, non addit. itaq; nos earum locũ non signauimus. Nam & 4.Reg.7. ubi sunt huiusmodi columnæ, eæ dicũtur esse in pronao, siue templi uestibulo: sed quo loco, non exprimitur. quanquam à Iosepho dicuntur ad antas collocatæ, id quod uidetur ita esse: quemadmodum in Mosis tabernaculo duæ in ingressu angulares columnæ respondent asseribus, unde & antarum nata uidetur ratio. Quod attinet ad craßitudinem muri uestibuli, non facit eius mentionem Ezechiel: sed cum omnes alij huius extructionis muri sint craßitudine sex cubitorum, eandem huic tribuimus.

EX CAP. XLI.

Appendices dimensus est utraq; parte in latitudinem senûm cubitorum.) *Cellæ appendices uocat tabulata, de quibus paulo pòst disputabimus. Earum infima erant latitudinis quaternûm cubitorũ, summa senûm. Quatenus autem summa sunt, uocantur appendices. Volo autem hoc loco appendices intelligi, non solum eam structuræ partem, quæ extra fundamẽti spacium proijcitur, quomodo aliàs poni solet: nam hac ratione essent appendices hæ tantum singulorum utrinq; cubitorum: sed totum ipsum cœnaculum, quod habet appẽdicem. Hoc est, quod dicit appendices latas esse senos cubitos, quasi hoc dicat intelligendum esse de suprema parte. Itaq; addit:* Quæ latitudo erat operimenti: *hoc est, summæ partis, quæ cætera operiebat.* אהל *enim non solum tabernaculũ significat, sed etiam operimentum.* Exod.26. & Psal.132.


Ostij latitudo decem cubitorum.) *A' uestibulo per uacuum locum uenitur ad ostium cellæ ad orientẽ, ab* m *ad* t u. *Nam quo minus cellæ ostium sit è regione uestibuli, facit tabulatorum ratio, quæ postea declarabitur. Erat igitur ostij latitudo decem cubitorũ,* x y. *Humeri autem, id est, portæ latera, quæ de cellæ latitudine dextra sinistraq; supererant, ea erant* quinûm cubitorum, y z, *&* x A. *Cellæ longitudo quadraginta cubitorum,* B C: *latitudo uiginti,* D E. Tum ingressus in penetrale, *hoc est in sacrariũ,* mensus est ostij appẽdicem, *hoc est appendicis proiecturã:* duobus cubitis, C F. *Ostium sex, scilicet in latitudinem,* G H. Humerorum latitudinem septenis, H I, *&* G K. Penetralis longitudinem uiginti cubitis, latitudinem totidem terminauit. *Quàm spissum esset septum, quod à cella penetrale diuidit, non addit: sed hoc intelligendum est, id septum in penetralis longitudine numerari, sicut fit apud Mosem in tabernaculo. Alioqui esset cellæ & penetralis longitudo plusquam sexaginta cubitorum: cui repugnat & tota hæc templi descriptio, & Solomonij, cuius eadem & longitudo traditur, & latitudo,* 3.Reg.6. Aedis parietem sex cubitis mensus est, *scilicet in craßitudinem.* Tabulata autem: *Tabulata uocat cœnacula trinûm cõtabulationum, quæ in Solomonis templo uocãtur ædiculæ.* Vndiq; per ædis ambitum: *hoc est, hinc atq; hinc: non enim poterãt undiq; esse, alioqui nullus esset portæ locus.* Et ea trina, alia alijs imposita, idq; tricies: *hoc est, triginta mansiones (ut ita dicam) trinarum contignationũ: quæ cum singula quatuor occupent cubitos, & sit cellæ & penetralis longitudo sexaginta cubitorum, fit ut sint utrinq; quindena, atq; ita hanc longitudinem expleant: nam quindecies quatuor efficiunt sexaginta.* Quæ prodibant ad ædis parietem ipsis tabulatis undiq; circumiectum: *hoc est, habebant proiecturas, quibus porrigebantur ad ædis parietem, uidelicet media dimidio cubito, suprema tantundem.* Ita ut essent ipsa inter sese continua, *ut apparet ex numero: explent enim totam longitudinem.* Nec ædis parietem attingerẽt: *intercedebat enim uacuus locus.* Quanto aũt tabulata erant altiora, tãto erant & latiora: *scilicet in meridiem & in septentrionem. nam in ortum & occasum appendicibus crescere non poterant, cum infima parte inter se contingerent.* Et maioris circuitus. *nam quo latius quidq; est, eo latiorem habet ambitum.* Quòd ædis ambitus quanto altior erat, tanto patebat latius: *hoc est, ædis murus ita contrahebatur intrinsecus, ut cum in fundamento esset cubitorum sex, in fastigio esset quinq;: quæ retractio faciebat, ut ædes summa parte esset tanto latior, quantus erat tabulatorum processus. Esto enim* a *tabulatum,* b *murus,* c *locus uacuus,* d e *tabulati proiecturæ,* f g *muri retractiones contra proiecturas.*



Quantum est inter h *&* i, *quæ fundamenta sunt, tantum est inter* d *&* f, *itemq; inter* e *&* g, *quòd tantum foras recedit* g *ab* i *(quæ res facit latiorem ædem) quantum procedit* e *ultra* h *ad perpendiculum, qui processus facit maiorem ambitum tabulati.*

Atq; ita infima ascensum ad summa habebant per media.) Hoc ex 3.Reg.6. patet, *ubi dicũtur esse ab imis cochleæ, quæ ad media tabulata ferant, à quibus sit ascensus ad summa.*

Cumq; domus altitudinẽ, &c.) *Hoc est, ab imo quidem tabulata erant quaternos lata cubitos: sed cum eorũ fastigium contemplarer, animaduertebã, si ab extimis appendicibus demitteretur perpendiculum, & quod spacium esset inter infimum perpendiculum, & infima tabulata, tribueretur tabulatorum fundamento, id spaciũ esse utrinq; unius cubiti: ita esse tabulatorum fundamenta senûm cubitorum.*



Esto enim a b *tabulati fundamentum, quatuor patens cubitos.* c d *fastigium sex cubitorum. si à* c *ad* e *lineã demittas, & à* d *ad* f: *& quod est inter* e *&* f, *fundamento tribuas (quippe quod ædificio subiaceat) quantum est à* c *ad* d, *tantum erit ab* e *ad* f: *quoniam ab* e *ad* a *est unus cubitus, & à* b *ad* f *item unus: qui illis quatuor adiuncti, efficiunt sex.*

Parietis autem, qui erat extra tabulata, *hoc est, parietis ædis,* crasitudo erat quinq; cubitorum, *scilicet in fastigio: nam à solo erat sex cubitorum. Hinc apparet, tabulatorũ proiecturam esse partim intrinsecus. nam si tota esset extrinsecus, cum sit duorum cubitorũ, plus procederent proiecturæ, quàm recederet ædis paries.* Quod ædis spacium uacabat inter tabulata. *Hic legitur* בית, *pro* בין, *ut & res & Græcus interpres ostendit: sicut & Prouerb.8. & Iob.8. ut illic ibi etiam uertit uetus.* Inter tabulata spacium, *est cella & sacrarium. Id spacium est uiginti cubitorum, quo spacio distant tabulata, scilicet meridiana à septentrionalibus. Intelligenda est autem hæc intercapedo ab imis tabulatis. nam summa minus distant, propter appendicum procursum.*

Ostia tabulatorum erant in uacante loco, *qui erat inter tabulata & ædis parietem.* Spectantia altera septentrionem, *scilicet septentrionalia, in litera* L: *altera meridiem, in litera* M.


Locus per circuitũ uacans erat latitudinis quinq; cubitorum.) *An is locus etiam penetrale ambiret ab occidente, non addit:*

non addit: ſed hoc ex tota deſcriptione intelligendum eſt. An autem ea quoq; parte eſſent tabulata, non docet. Quòd ſi tabulatorum numerum ſpectes, cum eſſent tantum triginta, nullum eorum à laterum longitudine ſupererat. Sed quia hæc tabulata ad rationem fiunt aſſerum tabernaculi, quod Moſes cõſtruxit, (circundant enim ædem, ut & illi) & erant illic etiam ab occidente aſſeres, uidentur & in hoc templo fuiſſe ab occidente tabulata, quamuis inter triginta non numerentur: quanquam hoc affirmare non auſim.

Ita ædificium ipſum.) Aedificium uocat templum, cuius conſtructionem oſtendit, In fronte conſepti collocatum. A' meridie locus erat latus uiginti cubitos, lõgus nonaginta, nullo ædificio occupatus: quem Vates Hebraicè à ſeparando nominat, quòd eſſet à toto ædificij corpore ſeparatus. Nos conſeptum interpretamur. Secundum id conſeptum erat ædificium, hoc eſt templum, patens in latitudinẽ occidentali parte ſeptuaginta cubitos, ab N ad O. nam ueſtibuli longitudo in ædificij latitudine ponitur. In longitudinem nonaginta, à P ad Q. cui numero ſi addas muri craßitudinem quinûm utrinq; cubitorum, ſcilicet in faſtigio, fit longitudo cubitorum centum, R S. Item conſepti & ædificij, unà cum eius parietibus, longitudinem centum cubitis, T V. Itemq; latitudinem frontis templi, unà cum conſepti parte orientali, centum cubitis, X Y. Menſus eſt & ædificij longitudinem in fronte conſepti pòſt ædificiũ collocati: intrabatur enim à ſeptentrione. Hinc fit, ut conſeptum quod eſt à meridie, dicatur eſſe poſt templũ. Vnà cum eius utrobiq; acceſsionibus: hoc eſt, muri craßitudine, quæ ad nonaginta cubitos accedebat: centum cubitis, z α. Additamẽtaq; circũm trinis illis inerãt: hoc eſt, appendices cellarum, quas ſuprà oſtendit in atriorũ ueſtibulis: quæ additamenta erant e regionè liminum, hoc eſt, ſpectabant limina exteriorũ oſtiorum, ut ſuprà demonſtrauimus. Erant undiq; ligno obducta: interiora erant lapidea, tectorium ligneũ. Solo feneſtris adæquato. Feneſtræ inferiorum cellarum, quæ erant in atrijs, erant ita depreſſæ, ut earum infima pars æquè librata eſſet ſolo: hoc eſt, non eſſet altior, quàm ſolum. Feneſtriſq; tectis, ſcilicet appendicum proiectura: quæ cum uno cubito inferiores cellas excederent, tegebant infra ſe poſitas feneſtras: hoc eſt, ultra eas procedebãt. Idq; mẽſuris, &c. hæc tota, quam cõmemoro, extructio templi, facta ad menſuram eſt, ut docui. Erat extrinſecus coaſſatio: hoc eſt, erat ueſtibuli frons obducta ligno, ut ſuprà dictum eſt.

EX CAP. XLII.

Sequitur locus ualde confuſus, & multò impeditißimus, in quo quæ cap. 40. breuiter de cœnaculis atriorũ dixerat, ea repetit, & cœnaculorũ ſitum & rationẽ pluribus explicat. Memineris autem, eandem eſſe omnium atriorum deſcriptionem: ſed hic interiora deſcribi, quoniam exteriorũ in cap. 40. facta mentio eſt. Itaq; atrij, quam poſuimus illic, figura eſt huc adhibenda, & orienti, & ſeptentrioni, & occidenti, & auſtro accommodanda. Eduxit me in atrium exterius, qua uia erat ſeptentrionalis: & ad cœnacula duxit, quæ erant contra conſeptum, contraq; ædificium. Conſeptum hoc intelligo duas loci partes, quæ ad ſeptentrionem intra templi murum ad dextram ſiniſtramq; ueſtibuli uacabant, ubi eſt litera β in templi area: ædificium autem, ipſum templum eſt. Contra eum locum patebat atrium interius in longitudinem centum cubitos, O P: in latitudinem quinquaginta, Q interius, & G, quoniam reliqua quinquaginta erant occupata conſtructione portæ. Contra uiginti interioris atrij, contraq; pauimentũ exterioris atrij. Cœnacula erant in interiore atrio, inter ſpaciũ uiginti cubitorum ipſius interioris atrij, R S, (fingamus enim hanc figuram eſſe interioris atrij, quæ antè fuit exterioris, ut omnia in eadem figura appareant: quoniã eſt eadem omnium atriorum ratio) & pauimentum exterioris atrij, in quo pauimento erant cœnacula, ſcilicet triginta, ut cap. 40. dictum eſt: quæ ſignantur literis T & γ. Quæ quidem cœnacula proceſſus habebant altera alterorũ proceſsibus oppoſitos. Proceſſus uocat eas cœnaculorũ partes, quæ alias excedebant: quæ partes alteræ alteris, hoc eſt, dextræ ſiniſtris, in utroque portæ latere reſpondent. Ante cœnacula erat ambulatio decem cubitorum latitudine, V X: tendens ad interius atrium, ab E ad F. & uia unius cubiti, ſcilicet latitudinis, Z. habebantq; oſtia ad ſeptentrionem, ſcilicet quibus adirentur ab exteriore atrio, ab Y ad E: quæ quàm lata forent, non addit. Vidẽtur fuiſſe trium cubitorũ, quoniam tanta ſunt oſtia ueſtibuli ædis. Erant autẽ ſuprema cœnacula cõtractiora. hoc quid ſit, continuò declarat: quippe quæ excederentur, &c. Infima cœnacula erant latiora, media anguſtiora, & ſuprema item medijs anguſtiora: erant enim trium contignationum, non columnata. Nam ubi in atrijs ſuper columnas extruuntur cœnacula, ea ad lineam extruuntur: ut ſuo fundamento, hoc eſt columnis, innitantur. At hæc columnas non habebãt, itaq; ſuprema à ſolo recedebant infra quàm media atq; infima: hoc eſt, erant cõtractiora, & remotiora à terra, quæ erãt ante cœnacula, quàm inferiora, ad perpendiculum, hoc pacto:



Eſto ſolum a b. cœnaculorum frontes c d e. ſi ab e lineam demittas ad f, fiet ut linea e f, (quæ recta regio eſt ſupremi cœnaculi) ſit remotior ab a b, quàm linea d g, aut c h. Hæc eſt cœnaculorũ ratio, cõtraria & ueſtibulorũ cellis, & ædis cellæ tabulatis.

Quod ſeptum.) Huius ſepti craßitudinem non tradit: ſed ea colligenda eſt ex tota deſcriptione, ſicut & cœnaculorũ latitudo. Igitur cap. 40. tradit in exteriore atrio orientali, & item ſeptentrionali, eſſe cœnacula, & pauimentum factum per atrij circuitũ, quæ cœnacula ad pauimentum eſſent triginta, idq; pauimentum eſſe à latere portarum, ſecundum ipſarum longitudinem. Et paulo pòſt de meridiana porta loquẽs, dicit ei circumiectas acceßiones in longitudinem quinquaginta cubitorum, in latitudinem quinq;: acceßiones uocans cœnacula, quod idẽ in omnibus atrijs intelligi debet. Si ſunt igitur cœnacula triginta, eaq; ſecundũ portæ longitudinẽ, longa quinquaginta cubitos, neceſſe eſt ea in quatuor uerſus eſſe digeſta, utrinq; binos. nam duobus uerſibus longius occuparent ſpacium: deinde ſupereſſet in atrio locus, qui Vatis deſcriptione non occuparetur. Sed cum in binos ordines digerantur, fit ut ſit impar numerus. Itaq; cum quindecim ad latus unum ponantur, neceſſe eſt in uno ordine eſſe octo, in altero ſeptem: nec enim unum in duos ordines diuidi poteſt. Vt autem unus ordo ſit longus quinquaginta cubitos, (nam hæc longitudo tribuitur eis) tribuenda erunt in longitudinem ſingulis cubita ſex (ſicut portarũ cellis) quæ in eo ordine qui habet octo cœnacula, efficiunt 48. Cui numero addentur duo cubiti, unus itineris, alter ſepti ante procurrẽs cœnaculum reflexi ad α, ut ſeptum quoq; ad longitudinem acceßionis portæ pertineat. Latitudo autem quanta ſit, quærendũ eſt: atq; in faſtigio quidem eſſe quinq; cubitorum, patet ex ſecundo loco, quem paulo antè ex cap. 40. citaui. Sed imorum cœnaculorum quanta ſit latitudo (nam latiora eſſe ſupremis, oſtẽdit Vates) ſic inueniemus. Veſtibuli latitudo unà cum cellis eſt cubitorũ 24. (nam quòd ei 25. tribuuntur, hoc fit propter cellarũ tectum, quod murum ſcandit) muri utrinq; ſenûm, ambulationum item utrinq; denûm cubitorũ: uiæ, quæ quatuor ſunt, habent ſingulos cubitos: muri atrij ſenos: quorum omnium ſumma eſt 72. Supereſt ad complendum centum cubitos, ut ſinguli cœnaculorum ordines habeant in latitudine ſex cubitos, ita efficiẽtur 96. Deſunt quatuor, qui totidem uiarum ſeptis tribuentur: quæ ſepta litera β notantur. Sed cur potius longiores ordines portis appoſuerim, quàm breuiores, cauſæ ſunt duæ: una, quòd in illo ſecũdo loco, quem ſuprà ex cap. 40. adduxi, dicuntur acceßiones portæ circumiectæ longitudinis cubitorũ 50. quod non fieret, ſi hic eßet breuior ordo. Altera, quòd in eodem capite dicuntur eſſe duo cœnacula extra ianuam interiorem γ, quorum ſeptentrionale ſpectet auſtrum, auſtrale ſeptentrionẽ δ. Quòd ſi hæc cœnacula ſunt extra portam interiorem, oportet hic maiorem eſſe ordinem. Sunt autem hæc de cœnaculis orientalis atrij intelli-

genda: alioqui non conueniret descriptio. Itaq; locum hunc in capite quadragesimo in Hebræo deprauatum, nonnihil ex Græco emendaui. Quod enim est שרים, hoc est cantorum: legit Græcus שנים, hoc est duo: rectius, ut puto: ut patet ex cœnaculorum usu, quæ mox non cantoribus, sed sacerdotibus tribuuntur. Et pro אשר, legit אחר. & pro מביחם, legit מביה, relatiuo singulari generis fœminini, cum illud masculinum sit, & discrepet in genere à nomine לשכה. Et pro הקדים, legit הדרום, ut opponatur septentrioni: ut mox genij declarat oratio. Quòd si hæc cœnacula uis in septentrionali atrio intelligi, necesse erit, quæ hic de meridiana & septentrionali parte dicuntur, ea de orientali & occidentali dici. Quod septum autem foris erat, hoc est, extra cœnacula: secundum cœnacula, scilicet in longitudinem: uersus exterius atrium, uersus Y. Id erat longitudine cubitorum quinquaginta R utrobiq;: tantum enim procedebat extra portam, quanta erat muri ad exterius atrium crassitudo. Nam cœnaculorum exterioris atrij longitudo erat cubitorum quinquaginta. Hinc perspicuum est, eum loqui de interiore atrio, & id comparare cum exteriore, cuius sit eadem ratio. Cum secundum cellæ faciem essent centum cubiti, H I. Vocat autem hic cellam, ipsum templum. Infra illa uerò cœnacula erat aditus ab oriente. Iam loquitur de cœnaculis orientalis atrij interioris, ad quæ erat aditus, per quem adirentur ab exteriore atrio, in litera Y, ut sit hæc figura nunc orientalis. Dicit autem, infra cœnacula: quoniã is aditus erat in exterioris atrij muro. quod declarat, dum dicit, In latitudine septi atrij, septum uocans murum, Y E. Aditus erat inferiori solo quàm ipsa cœnacula, utpote per quem adirentur ab exteriori atrio, quod erat inferius interiore: ut patet in portis, ubi docet, ab exteriore atrio ascendi ad interius per gradus. Quæ cœnacula ad consepti ædificijq; frontem. nam eorum longitudo sinistrorum, tendebat ad conseptum: dextrorum autem, ad ædificium, hoc est, uersus templi uestibulũ, quod est pars ædificij. Et ante ea iter eadem forma, qua erant cœnacula uersus septentrionem. Hinc apparet, eum iam de orientalibus loqui, quæ cum septentrionalibus comparet. Vocat autem hic iter, quod antè uocauerat ambulationem. Et ostijs quæ tum illis similia erant, scilicet septẽtrionalibus: tum ostijs cœnaculorum quæ erant meridiem uersus. hinc apparet, eadem fuisse & in atrio meridiano. Ita ut ostium esset in itineris capite, in Y E: nam ibi caput est itineris. Et iter esset ante accommodatum septum, B F, uersus orientem. In atrio orientali uergit hoc iter ab occidente in orientem, ab F ad E. Mensus est regionem orientalem decempeda, quingentis decempedalibus cubitis. Ad uerbum legitur, quingentis decempedarum, scilicet cubitis. Non enim uertendum est, quingentis decempedis: nam totum templi spacium repugnat. & Græcus interpres, alioqui non bonus, tamen hoc loco bene reddidit, πήχεις πεντακοσίους. est enim oratio, in qua taceatur cubiti nomen, quoniam summa sit totius superioris dimensionis, in qua cum omnia sint metata cubitis, hic tacentur: & additur, decempedales esse cubitos, hoc est eius mensuræ, quæ superius est posita. Atque ita taceri mensuræ nomen, apparet etiam ex fine huius capitis, ubi dicitur longitudo & latitudo esse quingentorum, nec additur, cubitorũ: quod tamen ibi Latinus rectè addidit uetus interpres. Quod autem dicitur, eam regionem mensus in ambitum, non ita capiendum est, quasi ea una regio ambiat: sed quòd est pars ambitus fani, quod hic per circuitum metitur. Ad disiungendum sacrum à prophano. Atqui paulo antè dixit, interiora atria, in quibus uersaturi essent sacerdotes, esse sacra, quasi reliqua sacra non essent. Sed hoc sciendum est, totum quidem locum quingentorũ cubitorum muro circumseptum, esse sacrum: sed ita, ut intima quæq; sint maximè sacra. quo fit, ut cum eis collata exteriora, uocẽtur prophana, cum interiora non nisi consecratis sacerdotibus sint peruia. Igitur hic locus quingentos in longitudinem, & totidem in latitudinem cubitos porrectus erat, templo ita collocato, ut à quatuor cœli regionibus haberet bina ordine atria: quæ cum essent paris cùm ipso mensuræ, uidelicet centenûm cubitorum, fit, ut si ab oriente duo, ab occidente totidem ponas, ipso inter ea collocato, sint quingenta cubita, ut in prima sequentis paginæ figura uides.

a murus quingentos cubitos in longum & in latum patens, qui totum templum cingit. b exteriorum atriorum portæ. c exteriorum atriorum uestibula, trinis utrinq; domunculis circundata. d exteriora atria. e ambulationes denos cubitos latæ in exterioribus atrijs, utrinq; cœnaculis hinc septenis, hinc octonis circundatæ, intercedentibus angustis itineribus & septis, quæ itinera ab ambulationibus & cœnaculis dirimant. f aditus, per quos gradibus ascenditur in interiora atria. g interiorum atriorum uestibula exterioribus similia. h interiora atria, quæ unà cum cœnaculis & cæteris sunt exteriorum similia. i ostia, per quæ ab exterioribus atrijs ascenditur ad cœnacula, quæ sunt extra portas interiorum atriorum. k aditus ad templi uestibulum. l templi uestibulum. m loca uacua comprehensa muro, quorum nulla fit in templi descriptione mentio: sed in eorum angulis erant culinarum atriola longa quadragenos cubitos, lata tricenos: quæ signantur litera n. Ea describit Vates in fine cap. 46. Cætera nota sunt. Habes lector explicatam templi descriptionem, sed terrestrem, & qualis intelligi ex nuda uatis oratione potest. Verùm quæ sit huius templi ueritas & spiritus, & quid sub hoc uerborum tegumento lateat, cupio ab alio cognoscere: nam hanc totam rem planè ignoro.

FIGVRA.

FIGVRA, QVAE TOTVM SVPRA *descriptum ædificium continet.*

Oriens.


Septentrio.

Meridies.

Occidens.

EX CAP. XLIII.

Aræ autem dimensiones.) Aram describit, cuius hæc erit figura.



A *sinus cubitalis: hoc est, altitudine cubitali: qualis loquendi modus positus est suprà in altitudine lauacrorum, & paulo pòst ponetur in Arielis altitudine. Est autem sinus eadem latitudine, qua altitudine.* B *spacium dodrantale, quod sinum ad labrum, hoc est, ad crepidinem ipsius sinus, circundat. Atq; hic* quidem est deiectus Aræ: *hoc est, sinus ad imam aræ partē.* *Ab hoc sinu ad inferiorem aream, hoc est, ab* A *ad* C, *sunt duo cubiti. Vocat autem aream, aræ retractionem, latitudine unius cubiti* C D. *Ab hac arca ad superiorem, sunt quatuor cubiti* D E. *Vocat autem inferiorem aream minorem, non longitudine (est enim superiore longior duobus cubitis) sed toto eius spacio, quippe quæ sit latitudine unius cubiti: cum superior area, hoc est, aræ tectum, ut ita loquar, pateat in longitudinem & latitudinem duodenos cubitos. Nominat autem superiorem aræ partem, hoc est, quicquid est supra inferiorem aream, Ariel: quod uerbum in 2. Reg. 23. & 1. Paral. 11. immanem leonem significat. Sonat autem leonem Dei, siue diuinum: quo nomine dicta est ea pars aræ, quòd in ea uictimæ comburantur, & tanquam à leone consumantur. Itaq; nos Leodeum sumus interpretati. Patet Leodeus in altitudinē quatuor cubitos* D E, *in latitudinem duodecim* E F, *in longitudinem totidem* G H, *quadratus quatuor suæ quadraturæ partibus: hoc est, lateribus & costis, ut ita loquar, habensq; in fastigio cornua quatuor. Area est Leodeo duobus cubitis longior, uidelicet quanta est retractio, quæ est eius latitudo: ut sit longa & lata quatuor denos cubitos* I K *&* I L, *circundata spacio dimidij cubiti, hoc est dodrantali, ut suprà nominauit. Circundat enim spacium hoc, quod litera* A *signatum est, totum inferioris areæ corpus, quod ad terram usq; pertinet. Atq; hæc ara scanditur gradibus ad orientem spectantibus, signatis litera* M, *quoniam templum quoq; ad orientem conuersum est.*


EX CAP. XLVI.

Erant in singulis atriorum angulis singula atriola.) *Quod uerto atriola, in Hebræo est numeri singularis, sed pro plurali ponitur: quomodo cap. 1. rota dicitur, pro quatuor compositis rotis. Et Exod. 27. lucerna, pro lucernis. Ponūtur enim apud Hebræos sæpe deriuata pro primitiuis: ut sit atriolum hic positū pro atriatura, ut ita loquar: quod quia Latinè dici non potest, utendū est plurali. Loquitur autem de quatuor angularibus atriolis, quæ in templi figura signata litera* n *reperies, quorū quidem longitudinē feci ab ortu in occasum, cuiusmodi est templi lōgitudo. Erant autē* קטרות, *quod uerbū à suffiendo ductū, fumosa, hoc est, fumo denigrata significat, quoniam in eis erāt culinæ. Quod autē uerto mansiones, in Hebræo est* טור, *quod aliàs ordinē aut uerbū significat: sed paulo pòst eadem dicūtur* טירות, *quod uerbū uidetur māsiones significare, aut cubicula super culinas posita. Græci uerterunt exedras.*

EX CAP. XLVIII.

In hoc capite est totius regionis distributio, quam hac figura subiecta declarabimus.

Tota regio diuisa est in partes tredecim, quæ omnes pari sunt longitudine & latitudine, uidelicet uicenūm quinūm millium cubitorum, quadratæ. Est autem singularū longitudo ab ortu ad occasum. Sed totius regionis lōgitudo est à septentrionibus ad meridiem, trecentorum uigintiquinq; millium, cum latitudo sit tantum uigintiquinq; millium, quāta est singularum partium lōgitudo. Media pars tota uocatur exceptitium, quòd ab alijs excepta est. Ea porrò diuiditur in partes tres, quarum una secundum Iudæam tribum posita, patet in longitudinem uigintiquinq; millia A B. *in latitudinem decem* A C, *&* B D. *In eius medio est templum* E. *Atq; hæc tota pars Sadocianis sacerdotibus est tributa.* F *altera pars est eiusdē magnitudinis, tributa Leuitis ædis administris, ad uiginti cœnaculorum possessionem, ut scribitur cap. 45. hoc est, quæ sit possessio Leuitarum, qui degant in uiginti cœnaculis. Superest spacium latum quinq; millia* G H, *longum uigintiquinq;* H I, *is locus est profanus urbis. Cuius in medio est urbs quadrata* K, *patens cubitorum quatuor millia quingentos, cui supersunt de quinque millium latitudine quingenti, qui pomœrijs tribuuntur, utrinque ducenteni quinquageni, & totidem ad ortum & occasum.*



Restant de longitudine ad ortum decem millia L M, *ad occasum totidem* N O, *quæ tribuuntur colonis urbis. Atq; hoc totum uocatur exceptitium: cuius pars urbi tributa, est profana, reliquæ sacræ. In utraq; princeps habet possessionem: in sacra secundum* Iudææ *latus, in Leuitarum Sadocianorum parte longam uigintiquinq; millia* A B. *In profana autem in urbis possessione, secundum* Beniamitidis *latus,* H I: *quæ principalis possessio est inter Iudæos & Beniamiticos fines. Sed quanta sit eius principalis possessionis latitudo, non addit autor. Est autem animaduertendum, Ioue exceptitium non esse in totius regionis medio. Nam à septentrione sunt septem tribus, cum à meridie sint tantum quinq;.*

IN DANIELEM

EX CAP. III.



Quod si tamen adhuc protinus.) *Imperfecta sententia est, qualis est* Luc.13. *Et si quidē fructum ediderit: sin minus, postea excindes eā. Plena foret sententia hoc pacto:* Si adhuc *colossū ueneramini, bene est: sin minus, &c.*

Quorum quartus formam habet Deo nati similem.) *Deo natus, ponitur pro Deo, aut diuino: sicut homine natus, pro homine: de quo nos alibi. ut sit, forma similis* Deo *nati, forma augustior humana forma, diuini generis, aut diuinæ similis. quomodo* 2.Reg.28. *dicebat illa saga Saulo, uidere se ascendentes ex terra deos: hoc est, augustam quandam, & diuinæ similem personam.*

Deo natus.

EX CAP. IIII.

Hæc res decreto uigilum, &c.) *Ad uerbum sic: Ex decreto uigilum res, ex pronunciatione sanctorum rogatio. quæ sententia est gemina. Nam idem est uigil & sanctus: ut suprà dictum est, Quidam uigil & sanctus, de eodem. Item decretum & pronunciatio, idem est: item res & rogatio, idem. Vocat enim rogationem, legem perferendam, quomodo & Latini loquuntur: quoniam priusquā perferretur lex, rogabantur quorum erat sancire legem, utrum eam uellent admittere, cuius rogationis formula erat huiuscemodi: Velitis iubeatis, ut Marco Tullio Ciceroni aqua & igni interdictum sit. Huiusmodi rogatio perlata est inter deliberātes de* Nabuchodonosore *genios: Velitis iubeatis ut Nabuchodonosor, &c. non quo uelim hanc formulam ad diuina trāsferre: sed ut intelligatur, cum hic fiat decreti & rogationis Geniorum mentio, significari, inter eos fuisse de Nabuchodonosore deliberatum. cuiusmodi deliberationem uidebis 3.Reg.22. ubi inter Iouam & Genios consultatur de Achabo in fraudem pelliciendo. Sed hæc humano more dicuntur.*

EX CAP. VI.

Si nulla alia in re, saltem in eius dei religione crimina rentur.) *Animaduerte eorum naturam, qui pios persequūtur. Cum mores reprehēdere nequeunt, religionem reprehendunt: & eos bonis quidem moribus esse confitentur, sed errare in doctrina. quasi uerò non proficiscantur à doctrina mores: aut quasi fieri possit, ut impia sit doctrina, quæ pios mores pariat.*

EX CAP. XI.

Facietq; ut mulierem, &c.) *Antiochus Magnus filiā suam Cleopatram Ptolemæo Epiphani nuptum locabit, ut ea corrupta, patri regnum Aegypti conciliet. Sed ea id non præstabit: nec patri, sed uiro studebit. Deinde ille Antiochus, multis debellatis, Ptolemæum Alexandriæ obsidebit. Verùm rector, hoc est, populus Romanus, Antiochum ab obsidione cohibebit, & ita Antiochi in Romanos contumeliam (erat enim turpe Romanis, Ptolemæum, qui ab eis opem petierat, obsideri) coercebit, ut Antiochus deinceps idem non faciat. Antiocho succedet Seleucus Philopator, Seleuco Antiochus Epiphanes. Quæ sequuntur, ego non intelligo. Videtur enim fieri transitus ab Antiocho, ad nescio quem spiritualem Antiochum: cuiusmodi transitiones solere fieri, scripsimus in Esa.9. Itaque & hæc, & septimum Danielis caput, & alia in Vatibus innumera omittimus, ne cæci cæcos.*

IN OSEAM

EX CAP. II.



Ostendente me, an sit in Israelitarū tribubus fidelitas.) *Ad uerbum legitur, In Israelitarum tribubus ostendente me fidelitatem. Est enim uerbum id reddendum per participium: id quod solet fieri, cum uerbum cum antecedente uerbo nulla coniunctione copulatur. ut paulo ante hunc locum, ubi ita uertimus, Ibunt quæsitum Iouam, nec inuenient, quippe declinantem eos: ita legitur, si reddas ad uerbum, Nec inuenient, declinauit eos: hoc est, eo declinante eos. Est autem huius loci sensus hic: Ostendam non esse in Israelitarum tribubus fidelitatem, dum eos tanquam perfidos ulciscar. Huiusmodi loquendi modus est & Psal.69. ubi sic ad uerbum legitur: Deus tu nosti meam uesaniam, siue uitium. hoc est, Tu nosti an sim in uitio, scis me esse extra uitium. nam in eo Psalmo defendit Dauid suam innocentiam.*

EX CAP. VI.

Tu quoq; Iudæe, compara tibi messem, &c.) *Hoc est, Vos quoq; Iudæi peccaturi estis, & ita pœnam uobis conflaturi, quæ sit uestri peccati messis atq; fructus: quam pœnam uobis irrogabo tum, cum meos captiuos reuocabo, scilicet bonos. Nam uos qui improbi estis, meam pacem non cōsequemini, sed soli mei: hoc est, boni. de qua re uide quæ in Esa. 57. scripsimus.* Quod *autem dicit,* Compara *tibi messem: imperatiuo utitur pro futuro. ut Christus, cum dicit, Implete mensuram maiorum uestrorum: sicut alibi docuimus. De messe autem quæ pœnam significet, uide cap.8. & 10.*

EX CAP. VII.

Ephraimita panis est depstititius, non inuersus.) *Depstititius panis est, qui in foco ex tempore coqui solet: qui nisi inuertatur, comburitur, ea parte qua focum attingit. nec enim coquitur æqualiter, ut in furno. Sic Ephraimitæ uruntur & atteruntur ab hostibus.*

EX CAP. VIII.

Scripserim ei.) *Scripsi equidem de aris in lege: sed non magis obediunt, quàm si non ipsis scripsissem.*

Libandarum mihi.) *Eorum sacrificia Ioue non placent, quia ei non obediunt.*

EX CAP. IX.

Eorum daps.) *Non erunt in Iudæa, ut possint Ioue dapem facere Hierosolymis, suæ salutis gratia.*

Quid facietis solenni die.) *Extorres eritis, nec poteritis Iouæ solennia Hierosolymæ celebrare.*

Apud Deum meum uates.) *Qui se profitetur esse uatē, & cum Deo meo habere commercium.*

Ad interfectorem.) *in Aegyptum, ubi interficiantur.*

EX CAP. X.

Vbi steterunt illi non attingendi, &c.) *Hoc est, Vbi Israelitæ adsteterunt eo animo, ut Beniamitas punirent, nec ipsi bello cladem ullam acciperent: quippe causæ æquitate freti, & bellum contra improbos gerentes. Et Beniamitas quidem ego puniui: sed ita puniui, ut idem passi sint & reliqui Israelitici populi, quorum plurimi in eodem bello ceciderūt. id quod feci, quoniam ambo erant nocentes, & suo utriq; crimine constricti. Nam Israelitæ, qui illos tam cupidè puniebant, ne ipsi quidem erant insontes.*

Equitans in Ephraimita.) *Et Israelitas & Iudæos perdomabo.*

EX CAP. XII.

Iudæo adhuc dominante cum Deo.) *Cum Iudæi adhuc Deum colant, ideoq; imperium retineant.*

Portatur.) *scilicet ab Ephraimitis, Aegyptiorum auxilium petentibus.*

Et ibi cum eo collocutus.) עמנו *positū est pro* עמו, *interposita litera nun: ut fit in* במנו. *& in fine Psalmi quinti,* תעטרנו *pro* תעטרו. *nam ita postulat hæc historia: & Græci uerterunt,* πρὸς αὐτοὺς, *plurali utentes pro singulari, sed eadem persona.*

Ioua Deus armipotens erat.) *Iouam in memoria habebat,colebatq́; uos quoq; illius religionē debetis imitari,si uultis eandem cum illo felicitatem consequi.*

Te in tabernaculis collocabo.) Ex *posterioribus intelligenda sunt antecedentia: Ego te captiuum reddam: deinde reuocabo,& domū reducam lætum,ut fieri solet diebus festis.*

EX CAP. XIII.

Qui hominem immolauerint.) *Tantum tribuunt suis fictis uitulis,ut ad eorum oscula eos demum admittant,qui filios suos immolant.*

In angustia natorum.) *In dolore,qualis est parientis, cum fœtus est in uteri faucibus.*

EX CAP. XIIII.

Accipe bonum.) *Bonas gratasq́; uictimas: hoc est,gratiarum actionem,quam tibi nos pro tauris libabimus.*

IN IOELEM.

EX CAP. I.

Gens.



Otens & innumerabilis gens.) *Gentē uocat locustas: ut Prouerb. 30. formicarum & cuniculorum populi uocantur. Hoc pacto loquitur & de apibus Maro Georg. 4.*

Magnanimosq́; duces,totiusq́; ex ordine gentis
Mores,& studia,& populos,& prælia dicam.

IN AMOSVM.

EX CAP. IIII.



Ompone te in occursum Dei tui.) *Postquā pœnis non sis melior, uideris cum Deo certare uelle. Vide igitur, ut te ad congrediendum pares cum eo qui est,&c.*

EX CAP. V.

Num mihi uictimas.) *Quòd uos annis quadraginta defendi, non id feci propter uestra sacrificia, quippe cum nulla adhuc feceretis: ne forte putetis nunc profutura,quæ tum non profuerunt.*

EX CAP. VI.

A'se triste tempus amouent.) *Voluptati indulgent, & iniusti sunt.*

Num per rupes, &c.) *Tam absurdè facitis, quàm si quis rupes bubus aret,&c.*

IN ABDIAM.



T enim potaueritis in meo sacro monte, &c.) *Vt uos extranei, deleta Hierosolyma, lætati fueritis, & in Sione præ lætitia conuiuati: ita gentes uicissim potabuntur, hoc est, delebuntur: ita ut de eis, sicut de Hierosolyma,potari poßit: & ita absorbebuntur, ut ne uestigiū quidem supersit,nec ullus earū euadet. At ex Sione,erunt qui euadant. Significat autem se reliquas gentes ob ipsarum peccata deleturum: sed Israelitas duntaxat puniturum, non etiam deleturum. quam sententiam in Amosi 9. declaratam inuenies. Legitur autem hic ad uerbum,* Potabunt cunctas gentes: *quod est per paßiuum interpretandum, ut sæpe accidit. qualia sunt illa Christi,* Nunquid accendunt lucernam,&c. *pro,* Nunquid accenditur lucerna? *&,* Non ponunt uinum nouum in ueteribus utribus: *pro,non ponitur.*

IN MICHAEAM.

EX CAP. II.



Erditi sumus,&c.) *Periimus (inquit populus,aut quiuis ex populo) Deus aufert nobis, qui populus sumus, agrum nostrum, & possessiones: quas non modò non reddit nobis, uerùm etiam eas hostibus diuidit, tanquam à nobis alienatas,ne forte speremus nos esse recuperaturos. Itaque non habebitis (inquit uates populo) qui uobis terram sorte diuidat in Israelitarum ciuitate,ut olim diuisit Iosua:hoc est, perdetis uestram patriam. Dicetis hoc oraculū esse triste, quo uobis calamitatem prænunciem: aut non esse uaticinandum: aut non ita uaticinandū,ut uobis tristia minemur,& probrosa. Quid ergo? uultis ut uobis læta nunciem? Non possum,nisi mentiri uelim: nam* Deus *tristia minatur. nec ideo minatur, quasi læta & fausta promittere ac præstare uel nequeat, uel nolit. Cur enim minus poßit uobis esse bonus, quàm Iacobo, à quo genus ducitis? Nec enim est contractus aut debilitatus eius spiritus, ut uobis conferre non poßit,quod potuit illi: neque rursum mutata est eius bonitas, ut nunc nolit, quod tunc uoluit: atque ita & debilis sit, & inconstans. Quid igitur obstat, inquietis, quo minus læta promittat? Ille uerò læta promittit, sed probis, ut paulo pòst dicetur. Sed uobis quo minus læta promittat,facit improbitas uestra: qui cum antea eius populus fueritis,nunc facti estis eius hostes (hoc enim significat, surgere in hostem: ut si dicas fruticem surgere in arborem, hoc est, arborescere) quippe qui uiatores despolietis,eisq́; uestes honestas detrahatis, nihil tale metuentibus, sed à bello securè redeuntibus. Qui enim hostem euaserunt, nihil iam timent: at uos eis hostes estis. Nec solum foris tales estis, sed etiam domi in eum sexum, cui maximè parci oportebat: uidelicet in mulieres, quas per uim ex suis charis domibus eijcitis, fœnore & alijs iniquitatibus oppressas. Quinetiam earum natos spoliatis: & uestitu, quo erant à me donati atque ornati, priuatis: ita ut crudelitate ista oppreßi, nunquam poßint ex miseria ac egestate emergere. Ista scelera, quibus polluta terra est, in causa sunt, ut ego uobis exilium, diramq́; calamitatem denunciem. Scio hæc uobis non placere, utpote qui læta postuletis. Itaq; si quis uentosus & uanus homo esset,qui mentiretur, & uobis multum uini promitteret, huic quamuis mentienti crederetis potius quàm uera dicenti: hoc solo nomine, quòd læta prædiceret. Ego quoq; bona prædicam,sed bonis futura. Memineritis enim quod suprà dixi, mea dicta bona esse rectè gradientibus: ne forte improbi sperent hanc, quam iam dicturus sum, felicitatem. Prædicam autem non de uino,sed de re omnium maxima,quæ est huiusmodi. Postquam uos in exilium (ut suprà minatus sum) relegauero, inde uos reducam, qui superfueritis: & tanquam generosas oues Hierosolymis, quasi in caula,collocabo,tanto numero, ut uix poßit eius iniri ratio,præ hominum multitudine. Dux autem uester erit Meßias,rex uester,qui irrumpet,hostesq́; uincet: atq; ita uiam uobis ad beatum regnum patefaciet, ibi deinceps liberè futuris, præside Meßia rege & capite uestro, in quo capite erit Ioua ipsius pater: quoniam & in filio pater, & in patre filius est. Atq; hæc bonis probisq́; promitto.*

EX CAP. III.

Nam malis quidem calamitatem, falsisq́; uatibus cæcitatem & oraculorum uacuitatem denuncio.

EX CAP. V.

Iam impreßionem facies in hostes, tu puella Sion, in quam nunc fit impreßio.) *Hoc est, Israelitæ (qui sunt Christiani) uincent Gogum & Magogum (de quibus uide Ezech. & Apocal.) qui nos Israelitas obsidebunt, à quibus Israelitis fuerit Israelitarum iudex Christus uerberatus, & in crucem actus: quo tamen duce uincentur illi. Nascetur autem is Bethlehemæ,sed erit eius ortus ab æternis temporibus. Hoc loco significat Michæas Meßiam,quod ad humanitatem attinet,nasciturum Bethlehemæ: quod ad diuinitatem autem, non esse nasciturum,quippe qui sit sempiternus.*

Itaq; dedet eos.) *Causam reddit eius quod antè dictū est, de uerberato Christo. Quoniam Christum, inquit,repudiauerint ac interfecerint Iudæi, deseret eos, donec mater Ecclesia (sic enim uocatur & Apoc. 12.) Christum pariat: hoc est, donec Christus reliquis gentibus prædicetur. Atq; ita peracto gentium tempore,reliqui Christi fratres,hoc est Iudæi,redeant ad Israelitas,hoc est, ad Christianos, qui ueri sunt Israelitæ: hoc est,fiant Christiani. id quod fiet, cum Christus creuerit ad extrema terrarum: hoc est,cum fuerit Christi disciplina toto orbe publicata. Est autem eadem sententia Lucæ 21, his uerbis: Conculcabitur autem Hierosolyma à gentibus,donec cōpleantur tempora gentium. quod idem docet & Paulus ad Rom. 11.*

Erit autem is.) *uidelicet Messias, pax: hoc est, tuebitur nos, si nos hostis inuaserit. Vocat enim Assyrium, quemuis hostem. ut est illud Maronis:*

Alter erit tum Typhis, & altera quæ uehat Argo
Delectos heroas. —

IN NAHVMVM.

EX CAP. II.



Recordatur suorum nobilium.) *Niniue rex, audito hostium aduētu, iubet nobilibus suis, ut properent in muros, ad propugnandum: quod quamuis uelocissimè faciant, tamē offendūt iam paratas ab hoste machinas, & urbs statim capitur, hostibus per fluminum ostia ingressis.*

EX CAP. III.

Vade per lutum.) *Abibis in exilium, & ibi seruies in figulina.*

Explicabunt se bruchi.) *Abibunt tui, ut solent auolare bruchi.*

IN HABACVCVM.

EX CAP. I.



Orto ex ipsa eius iure.) *Ea sibi uendicauit imperium, nec ex alterius autoritate pēdet.*

Faciem habentes.) *Omnia aduentu suo perurentes.*

Eum ad puniendum fundasti.) *Ideo tanta potentia Assyrium fulsisti, ut eum gloriosè perdas.*

EX CAP. II.

Contra teipsum magnam, &c.) *Quæ congeris, non magis tibi proderunt quàm cœnum, quinimò nocebunt.*

Lapis ex pariete occlamabit.) *Excitabit Deum, ad sumendum de te supplicium iniuriæ: quam tu facis ijs, quibus sua extorques, ad construenda tua ædificia.*

Vomitus infamis.) *Cogeris turpiter uomere, ac amittere quæ rapuisti: dabisq; pœnas crudelitatis, qua usus es in Libanum, hoc est, in Israelitas. & homines quos terruisti, tibi erunt perniciosi: hoc est, propter eos dabis pœnas. Vocat homines, beluas, ut perstet in translatione: quoniam Israelitarū patriam uocauerat Libanum, Libaniam crudelitatem dicens.*

IN ZACHARIAM.

EX CAP. XI.

Heu pastorem stultum.) האריל *uidetur legendum, ut paulo antè, non* האליל.

EX CAP. XIIII.

Comitantibus eum sanctis.) *In Hebræo est, Comitantibus te. Sed melius legisse uidetur uetus.*

Non erit chara dies aut concretio.) *Nulla erit diei noctisq; uicissitudo, quæ efficit, ut dies post noctem sit charior.*

Vespertino tempore erit lux.) *Hoc est, cum nunc uespera & nox est. Vide Sibyllæ lib. 2 ad finem prioris partis, de bonorum præmijs.*

Illi uerò clade afficientur.) *Aegyptijs non ut cæteris minatur pluuiæ penuriam, quippe qua premi non possent: utpote Nilo, non pluuia utentes.*

IN MALACHIAM.


EX CAP. II.



Quod si unus fecit.) *Abrahamus, qui unus est parens uester, ut suprà dictum est, duxit quidem peregrinam in matrimonium, Hagarem Aegyptiam: sed id fecit instinctu Dei, nec ideo fuit in priorem uxorem perfidus.*

IN ESDRAE LIB. IIII.

EX CAP. V.



Sed si tu Domine ijs adfuturus es.) *Si eos seruabis, qui tum erunt, cum ueniet ultimi iudicij dies, non uideris seruaturus eos qui antè perierint.*

EX CAP. VI.

Edidit'q; aqua stupida.) *In Latino est, Muta: sed translatum uidetur à κωφὸν, quod & surdum & mutum & stupidum significat.*

EX CAP. VIII.

Hauri ergo, ô anima mea.) *Si pauci seruandi sunt, ego in paucis non ero, quippe non iustus. Itaq; mihi in hac uita discendum est. nam de futura actum est.*

Nisi mihi permittas.) *Nisi tu nos bonos reddas, non potest hominum quisquam seruari, cum sint omnes sontes.*

Ei assimilaris.) *Comparas te cum homine agricola, qui homines seras, sicut agricola semen.*

Alia in præsentia agenda sunt.) *Miserebor quidem, ut tu postulas: sed nondum tempus est. Et suo quidque tempore agendum est.*

EX CAP. IX.

Tunc enim quisq;.) *Videtur hoc uelle dicere, Tunc omnia parebant: ut sit masculinum pro neutro, ab Hebræo Chol.*

EX CAP. XI.

Quod tamen cum eis quiescebat.) *Legitur, Sed & ipsa. Qui error ex eo uidetur manare, quòd in Græco sermone caput est fœminini generis, κεφαλή.*

EX CAP. XVI.

Quomodo animata est.) *Sic in Latino legitur, Zelatur fornicaria mulierem idoneam. Sed uidetur legendum, Zelatur fornicariam mulier idonea: ut uitium quod sese exornat, comparetur cum meretrice fucata. Aut si uera est lectio, fefellit interpretem uel Græcum uel Latinum Hebræus sermo, in quo nullum est casuum discrimen.*

IN SAPIENTIAM.

EX CAP. XVII.



Cum autē minus est intus expectatio, plura opinatur, &c.) Hoc est, *Cum accidit inexpectatum aliquid, animus, qui intus est, non potest seipsum subitò colligere: sed repentina re perculsus, metuit grauiora quàm sunt: quoniam ignorat quæ causa sit, quæ id malum afferat. Exempli gratia, si quis de improuiso sonitum audit bombardicum, terretur: quòd eius animus non potest tam subitò ratiocinari, nihil inde esse periculi, atq; ita occurrere timori. At si idem prouisum audit, non terretur: quippè subueniente ratione, & periculum abesse ostendente. Est autem hic legendum,* διὰ τὴν ἄγνοιαν: *ut sit eadem sententia, quæ suprà posita est,* ἡγούντο χείρονα τὰ μὴ βλεπόμενα. *Ita enim legendum esse, docet & sententia, & Latinus interpres uetus. Item quod est paulo pòst,* ἀπροσδόκητος φόβος ἐπῆλθον.

IN NOVVM TESTAMENTVM.



SCIENDVM *est, ita nouum fœdus Græcè scriptum esse, ut Hebraica sit dictio: quo fit, ut pleraque, quæ in Hebræo sermone essent facillima, eadem in Græco ijs qui Hebraicè non didicerint, non solum sint obscura, sed etiam aliud interdum, quàm quod uult autor, significare uideantur. Hinc fit, ut multis uerbis exponendæ sint pleræque sententiæ, ad quas (si Latino more Latinè dicerentur) nulla opus esset interpretatione. Adde, quòd ut quæque gens suis moribus, sic quæque lingua sua delectatur loquendi consuetudine: peregrinitatis insolentiam refugit. Hæ duæ causæ mihi & circa perspicuitatem & circa Latinitatem elaboranti, satis magnæ uisæ sunt, quamobrem hoc opus sic conuerterem, ut Hebraismos euitarem.*

IN MATTHAEVM.

EX CAP. I.

De Hebraismis.



Numeratio generis.) Hoc prima frōte non nemo iudicabit insolens: clamabit malle se, Liber generationis: quippe assuetus. Sed si quis Latinè doctus, hæc uerba nunc primùm legat, agnoscet ille quidem uerba Latina, sed ex quibus rem aut nō intelliget, aut perperàm intelliget. Nam his uerbis hæc suberit sentētia: In hoc libro scribitur, quomodo generatus sit Iesus: quæ non est Matthæi sentētia. Deinde si uis significantē & perspicuam esse orationem, Liber nō declarat enumerationē, siue nomenclaturā, aut librarium, quod Hebræi uocant ספר, id quod interpretās hic autor, uocat βίβλον: neq; generatio est maiorū series & genus, sed Latinis est gignendi actio, quam γενέσεως uerbo non significat Matthæus: declarat enim eam quam Græci γενεαλογίαν appellāt. Vides hic nō parum interesse, quibus quamuis totidem uerbis quamq; rem dicas. Item quod mox sequitur, υἱὸ Δαβὶδ, filiū uertunt Dauidis. At uerbū בן, unde id ductum est, cōmune est & natorum & prognatorū: sicuti sæpe significāt Hebræi simplici uno uerbo, quod nos multis cōpositis. ex quo fit, ut in uertendo habēda sit sententiæ ratio. Item filius Latinè dici non solet pro eo qui per multos generis gradus ab aliquo ortus est. Item quod toties repetitur ῆ & ἐγέννησε, Hebraicæ cōsuetudinis est, quam nobis (cum ea nihil ad rem faciat) in Latino sermone retinere non est necesse. Itē illud, ἐπὶ τῆς μετοικεσίας, positū est pro αἰχμαλωσίας: ut sæpe fit in uetere testamēto, ex גלות, quod exilium est. Et illud, πᾶσαι αἱ γενεαὶ, pro τὸ πᾶν. Et μνηστευθείσης γὰρ, superuacuū est γὰρ in Latino sermone. Item illud, υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ, pro, οὗ καλέσεις τὸ ὄνομα. Itē, τὸν λαὸν αὐτοῦ, suos. Deniq; innumerabiles sunt huiusmodi loci, quales hic aliquot breuiter perstrinxi: non ut idem deinceps ubiq; faciam (nam id esset infinitum) sed ut, cum tales passim deinceps occurrent, intelligatur, me, quod hic fecerim, idem illic potuisse, ut omnium rationē redderem: sed partim propter prolixitatem noluisse, partim minus necessarium iudicasse.

Exemplum edere.

Nec in eam uellet exemplum edere.) Hoc est, publicè supplicium sumere, quod fieri lex iubebat in adulteras. Quod si cum ea clam diuortium fecisset, putaretur uitiata cœlebs. Nam sponsalia (quæ fieri solent intra priuatos parietes) poterant celari. Ita uitasset Iosephus Mariæ non infamiam (nam cœlibem comitaretur infamia stupri) sed mortem. Malebat autem uir clemens, eam uitiatam cœlibē uideri, quàm ut adulteram capite plecti. De Esaiæ autem loco qui hic adducitur, uide quæ Esa. 7. & 9. scripsimus.

De nomine Iesu.

De nomine autem Iesu, idem sentio quod Andreas Osiander (sic tamen, ut affirmare nolim) uidelicet ductum esse à nomine Ioua, interposita litera sin. Qua de re ne mihi plura scribenda sint, uide Osiandri Annotationes in Harmoniam Euangelicam. Sed cur in hoc nomine interponatur litera sin, cum multum diuq; considerarem, neq; cur hæc litera hic interposita foret uiderem, quippe cum non sit seruilis, hoc est, eius literarum generis, quæ solent in deductis aliunde uerbis ad primigenia adhiberi: cœpi cogitare, uerbum hoc cōpositum esse oportere: tandemq; Dei beneficio comperisse uideor, quemadmodum Iesus & Deus & homo est, ita nomen eius ex Dei & hominis nomine esse conflatum. Id autem didici ex Exod. ca. 15. ubi dicitur יהוה איש מלחמה, Ioua isch milehamah: hoc est, Ioua uir belli. ubi uir bellicosus dici uidetur, quoniam de Christo sermo est, qui uir futurus erat. Est igitur Iesus nomen cōpositum ex יהוה, & איש, interposita litera ש ex nomine איש: reliquis autē duabus reiectis, quippe quæ seruiles sint, & addi adimiq; sæpe soleāt: ut fit יהושוה, Iesus, idē quod Ioua uir, siue homo (nam hominem etiam significat איש) ut intelligamus, Iesum esse non Iouam (nam hoc de eius patre dicitur) sed Iouam hominē: hoc est, corporatū Iouam, hominēq; factum: id quod uidetur Exod. 3. illa uerba prædicere, Ero qui ero. Itē, Ero misit me ad uos. quasi hoc diceret: Quidā, qui est ille quidem, sed nondū est quod erit; est enim Deus, sed futurus est etiā homo. Atq; hoc est quod indicare uidetur idem Iesus nondum homo factus, Iacobo, Gen. 32. cum nomen suum exquirere uetat, quippe quod sit mirabile. Hoc enim de admirabilitate in Græco & Latino scriptū extat, non sine causa, quamuis in Hebræo desideretur. Sed idem etiam in Hebræo est, Iud. 13. Quid enim admirabilius est, quàm eundē & Iouam & hominem esse? Quod autem in hoc nomine, quæ pars hominem significat, ea in medio uerbo ponitur, cum id in alijs compositis fieri non soleat, in eo uidetur arcana res latere. Significatur enim, ex Ioua factum hominē, & rursus ex homine factum Iouam: quemadmodū uides nomen יהושוה à Ioue nomine incipere, & in idē desinere, interposito uiri nomine. Et quoniam est hoc Iesu nomen Seruatoris nostri proprium, neq; cum ullo mortaliū cōmune, nos eos qui Græcè Iesus uocātur, maluimus Iosuas appellare. Nec enim יהושוה sed יהושע dicuntur.

EX CAP. II.

Quotquot erant infra bimatum.) Ad uerbum legitur, A bimatu & infrà. qui Hebraismus est, qualis 2. Reg. 20. legitur his uerbis: Si puero dixero, Sagittæ sunt à te, & citra, cape eas, & ueni, &c. Et mox: Sin ita adolescenti dixero, Sagittæ sunt à te, & ultrà, &c. ubi à te et citra nihil aliud est, quàm citra te: & à te & ultrà, quàm ultra te. Item Leuitici 22. Ab octauo die & ultra litabit: hoc est, cum octauum diem excesserit.

EX CAP. III.

De aspiratione.

Iohannes Baptista.) Quod secundam syllabam in Iohannis nomine aspiro, hoc facio, quoniam in Hebræo nomine aspiratur: quod ideo in Græco non fit, quoniam non habent Græci aspirationem, nisi in uerborum principijs, excepta litera ῥ. Idem puta de gehenna, Abrahamo, & multis alijs, in quibus tamen per me suo quisq; utatur arbitrio. nam uideo hæc in sacris literis passim mutari, ut Hierosolymæ prima syllaba in Græco aspiretur, in Hebræo non item: quod contrà fit in Anna.

EX CAP. IIII.

Diabolus.

Vt tentaretur à diabolo.) Diabolus calumniator & criminator est. Nam διαβάλλειν non solum calumniari, sed etiam criminari notat. Itaq; in Apocal. 12. uocatur κατήγορος, quòd sanctos apud Deum dies & noctes accuset. Tentatorē autem quod uerto, participium est ὁ πειράζων: sed participijs utuntur Hebræi pro deductis à uerbo nominibus. ut Marc. 6. ἰωάννης ὁ βαπτίζων dicitur, qui aliàs βαπτιστὴς appellatur.

Itē de aspiratione.

Capharnaum profectus.) Quædam uerba Græcis non aspirata, Latinis aspirantur: ut ἰώσηπος, καλπούρνιος, quos Latini Iosephum & Calphurniū dicunt: & τρόπαιον, trophæum. Huius generis sunt καπερναοὺμ & κλεόπας, quæ uetus interpres rectè Capharnaum & Cleopham dixit.

EX CAP. V.

De uerbis impersonalibus.

Vobis conuiciabuntur homines.) Quod apud Latinos fit in paucis uerbis, ut personalibus actiuis utantur pro impersonalibus, aiunt, ferunt, perhibent, scilicet homines, pro fertur, perhibetur: id fit apud Hebræos in quibuslibet uerbis, quæ cum actiua sint, interpretanda sunt per passiua, aut impersonalia, aut est aliquid addendum. Tale est quod paulo post hunc locum ponitur, οὐδὲ καίουσι λύχνον. quod si ad uerbū uertas, addendum erit, homines: Neq; accendunt lucernam homines. aut per passiuum sic: Neq; accenditur, aut accendi solet lucerna. Talis est & hæc locutio, Vobis cōuiciabuntur: addendum est enim, homines, ut Latinus sermo postulat, & uetus interpres rectè addidit: aut passiuo utendum, Vobis fient conuicia.

Minimum numerari.

Minimus numerabitur.) Latinè, Nullus dixeris, pro non dixeris, dicitur: ita hic, Minimus numerabitur, siue uocabitur, pro minimè uocabitur, positum est. Vocari autem pro esse dicitur. ut cum dicit Esaias, Messiam uocatum, siue nominatum iri admirabilem consiliarium, Deum fortem, &c. significat, cum non solum dicendum esse, sed re ipsa fore. Itidem cum in Luca dicit genius, Iesum uocatum iri Dei filium, non solum de nomine, sed etiam de re loquitur. Est igitur hæc sentētia: Nullo loco habebitur, siue nullum locum habebit in regno cœlesti. Nec longè aliter loquitur Cicero, cum dicit, Inter uiuos numerari, pro uiuum esse, in oratione pro Sexto Roscio.

Ubi sita sit iustitia.

Nisi iustitia Scribis & Pharisæis excellueritis.) *Attende lector diligenter hanc sententiam, ut sequentes intelligas. Docet hoc loco Iesus, ubi sita sit uera uirtus & iustitia, uidelicet in parendo legi. Sed quid sit uerè parêre legi, ostendit. Vetabat lex occidere & adulterare, &c. Scribæ & Pharisæi non occidebant, non adulterabant, itaq; uidebantur esse iusti: quoniam legi parêre, iustitia est. At Christus negat eos legi parere. Non est enim satis, re ipsa non occidere, nisi animum habeas ab homicidio alienum. Cum sit enim animus tãto corpore excellentior, ut ab animo nominentur homines (siquidem* אנש *Hebræi pro homine dicunt, & Latini animas. quale est illud: Felices animæ, quibus hæc cognoscere primùm, Inq; domos superûm scandere cura fuit) is uerè homicida est, qui homicidam habet animum. Atqui, qui sine causa alteri irascitur, aut conuiciatur, huius animus est homicida. Nam qui sine causa & ratione potest irasci, idem sine causa & maledicere, & pulsare, & occidere potest. Neq; enim longius abest maledictum ab ira, aut pulsatio à maledicto, aut cædes à pulsatione, quàm iniusta ira à ratione: ut qui rationem ira opprimat, idem facilè ad conuicia cædemq; impellatur. Nam ubi semel rationis limites transieris, nullus est peccandi modus. Dicet aliquis: At lex non tam seuera est, nec enim iram aut conuiciũ capite sanxit. Credo. Commisit enim supplicij irrogationem magistratibus, qui cum homines sint, facinora, non uoluntatem, & illata damna, non cogitata puniunt. nec enim possunt hominum animos conuincere duorum aut trium hominum testimonio, sine quo quenquam punire non licet. Itaq; ut sis tutus à magistratu, satis est hominem non occidere, etiamsi animus tuus sit homicida. Hac quidem ratione iusti sunt Pharisæi. Quòd si Christi regnum terrestre foret, non haberet quod aliud doceret: sed cum sit id regnum cœleste, iudex erit cœlestis, testimonia cœlestia, cœleste iudicium, in quo nullus ignorantiæ locus erit. Ibi non solum corpus homicida (ut fit apud homines, apud quos corporeum regnum est) sed etiam animus homicida punietur. Itaq; si uis æternam uitare pœnam, non in speciem, sed uerè & ex animo obediendum legi est, conscio & teste Deo, qui facinoris cupiditatem pro facinore habet atq; punit. Hæc est Christi sententia, ex qua perspicuum fit, non eum hoc dicere, qui sine causa succẽseat, debere à magistratu puniri. nam id fieri iuberet, quod fieri non posset. Sed hoc docet, eum qui sine causa irascitur, esse animo homicidam, & cœlesti Christi cœlitumq; iudicio atque consessu damnatum iri, & æternas in ignis gehennæ pœnas daturum. Ac quod hic de homicidio diximus, idem deinceps de adulterio & cæteris intellige.*

Frater.

Quod autẽ dicit, Fratri suo: fratrem uocat, quemuis hominem: quoniam omnes ab eodem Adamo generis humani parente prognati, fratres sumus. Et quanquã frater pro altero dici Latinè non solet apud ueteres, tamen id nunc licere puto, & hoc in consuetudinem, ut & alia quædam, uocandum: ne dum in sermone sumus religiosiores, in re parum simus religiosi.

Gehenna.

Gehenna significat Hinnomi uallem, de qua Ierem. 7. Ea ponitur pro æterno supplicio etiam apud Sibyllam, his uerbis: —Suppliciumq; Ignis inextincti iussi perferre gehennæ.

Raca.

Raca, quod nos balatronem uertimus, conuicij uerbum est, à רק *deductũ, quod propriè uacuum significat: & trãslatum ad alia, significat nequam. Græci eodem nomine uocant ῥάκος: Latini balatronem, nebulonem: Galli belitre, coquin, babouin.*

Cõpone cum aduersario tuo.) *Cum ad cœleste regnum uiam doceat Christus, & ante hunc locũ locutus sit de offerendis Deo, non homini, muneribus: non hic suos instruit, quo pacto se debeant in humanis cõtrouersijs gerere: sed docet, quod prudenter faciunt in humanis controuersijs, idem in diuino negocio faciendum. Quemadmodum malunt prudentes homines cum aduersario decidere, quàm ad iudicẽ uenire: quoniam aduersarius potest agere mitius, iudex autem est seuerissimus, & summo iure agit: ita præstat, si quem offendisti, aut si odio ab aliquo dissides, cum eo componere, & inimicitias maturè, dum in huius uitæ cursu licet, deponere, quàm in seuerum Dei iudicium incurrere, in quo sera futura sit pœnitẽtia: Quod autem imperatiuo utitur, similitudinẽ breuiorem facit, & elegantiorem: qualis est illa, Aut facite arborem bonam, & eius fructus bonos, &c. Nec enim iubet arborem fieri bonam: sed docet, ut arbor bona malum, aut mala bonum fructum ferre nequit, sic nec probum hominem improbè, nec improbum probè agere. Item illa, Purga prius interiora poculi. Item illa de accubando in inferiore parte mensæ in conuiuijs. Nec aliter loquuntur Latini, cum dicunt, Noli irritare crabrones. Nec enim de crabronibus præcipiunt: sed perinde est ac si dicant, Vt crabrones irritare periculosum est, ita hominem illum lacessere, aut aliquid tale. Huius generis est illud, Ne date rem sacram canibus.*

Malus.

Quod præter hæc est, id à Malo est.) *Malum uocat diabolum. ut 1. Iohan. 3. cum dixisset, Qui peccatum committit, à diabolo est. paulo pòst eius rei exemplum adducens, dicit: Non ut Cainus, qui cum à Malo esset, fratrem suum occidit.*

Non esse resistendum iniuriæ.) רע, *quod hic* πονηρὸν *uocat, apud Hebræos sæpe significat iniuriã, ut & apud Græcos* κακὸν, *ut apparet in uerbo* μνησικακεῖν: *hoc est, iniuriæ memorem esse. Atq; ita transferre maluimus, quàm malum, ne quis esset ambiguitati locus. Nam malum est pestis, malum fames, frigus, feræ, peccatũ, & talia multa: quibus resistere non uetat Iesus, sed iniurijs, quales commemorat. Quod si locum hunc uoles intelligere, lege 1. Corinth. 13.*

Proximus.

Proximum tuum amato.) רעה *modò proximum aut amicum, modò quemuis alium significat. Itaq; cum præcipitur ut ames* רעך, *ambiguus est apud Hebræos sermo, utrum amicum, an omnes, amare iubearis. quæ ambiguitas, si Latinè interpreteris Alterum, nulla est. Sed ut esset ambiguitati locus, hic nobis Proximũ dicendum fuit, ut etiam Luc. 20. Igitur cum in Dei præcepto uerbum id significet alterũ, hoc est, quemuis hominem: erant qui in altera notione acciperent, & se amicos amare iuberi interpretarentur: ex quo consentaneum esse uidebatur, odio contrà habendos inimicos. Igitur magister hoc loco, ut errorem illum tollat, docet, eo præcepto iuberi ut amentur omnes, etiam inimici cuiusq;: ut intelligatur illic* רעה *non amicum, sed alterum significare, quicunq; sit.*

EX CAP. VI.

ἑστῶτες.

Amant in collegijs esse.) ἑστῶτες. *Verbum hoc non semper stare significat, sed aliquãdo esse, aut adesse: sicut Hebraicè* עמד, *ut ponitur Matth. 16. & 10. 12. Atq; ita ponitur Luc. 19.* σταθεὶς ὁ Ζακχαῖος, εἶπε πρὸς τὸν κύριον. *nec enim significat illic statum corporis. Hoc pacto intelligendum est hic de Deum precãtibus simulatoribus. Nec enim docet, quo corporis statu precarentur: & credibile est, eos in genua potius, quàm stantes orare, ut Act. 20. Idem dico de uerbo* καθίζεσθαι, *quod non semper sedere, sed aliquando manere est, ut Lucæ ultimo.*

Gentes.

Ne garrite ut extranei.) *Hebræi, omnes non Hebræos uocant gentes: hoc est, extraneas gentes, siue alienigenas: Latini Græciq; barbaros. Itaq; quæ* גוים ἔθνη *dicuntur, Latinè duobus uocabulis dici possunt exteræ gẽtes. quale est illud, Vt sint hominibus conspicui: hoc est, alijs hominibus. Inde* ἐθνικοὶ, *exteri aut barbari.*

Fiat uoluntas tua.

Fiat uoluntas tua.) *Hoc est, Fiat quod tu uis. Est enim apud Latinos quoq; usitatus hic loquendi modus. Itaq; & Quintilianus Facere uoluntatẽ dixit: & Cicero, Conseruare uoluntatem: hoc est, id facere quod quis uoluerit. Et idem Cicero, Chaldæorum promissa cõsequi: hoc est, res promissas, & propositum assequi: hoc est, id quod tibi proposueris. Quale est illud Maronis, —Sua nunc promissa reposci. Sic sæpe* γραφὰς *pro* τὰ γεγραμμένα, *&* ἐλπὶς *pro* τὸ ἐλπιζόμενον, *&* ῥῆμα *siue* λόγος *pro* τὸ λεγόμενον.

ἐπιούσιος.

Victum nostrum alimentariũ.) ἐπιούσιον, *alij* מחר *apud Hebræos, hoc est, crastinũ: alij* תמיד, *hoc est cõtinuum, legi testantur. quæ uarietas indicare uidetur, Hebræos non ita in sua lingua legisse (constaret enim sibi lectio) sed ex Græco alios aliter in Hebræum trãstulisse: ut appareat, etiam apud eos, sicut & apud nos, de huius uerbi notione dubitari.* ἐπιούσιος, *ut ab* ἐπιούσαν *ducatur, nec uerbi ratio patitur, nec sententia. Nam nec huiusmodi nomina à fœmininis participijs deducuntur. & si uictum crastinum hic petendum Christus doceret, pugnantia doceret, cum paulo pòst uetet in crastinum esse*

esse sollicitos. ἐπιούσιος igitur dicitur παρὰ τῆς οὐσίας. Nec refert, quòd non ἐπούσιος, sicut ἐπουράνιος dicitur. nec enim semper amittit præpositio ἐπὶ ultimam literam in compositione, ut uidere licet in ἐπίορκος, ἐπίουρος, & multis alijs. Est autem οὐσία in sacris literis, idē quod τὰ ὑπάρχοντα, aut βίος, hoc est facultates, aut uictus: ut apparet Lucæ 15. Hinc ἄρτος ἐπιούσιος est, quod ad uictum pertinet. Vetus interpres in Matthæo quotidianum interpretatus est, in Luca supersubstantialem. Quod si substantialem reddidisset (nam ἐπὶ non ubique in huiusmodi uocibus est super. est enim idē ἐπουράνιος, quod οὐράνιος: sicut Latinè inalpinus, idem est qui alpinus) parum Latinè ille quidem, sed & uerè & planè sententiā reddidisset, si quidem substantiam interpretere non ὑπόστασιν, sed οὐσίαν. quod tum faciendum est, cum οὐσία facultates significat.

Tentatio.

Ne nos in tentationem inducito.) πειρασμὸς aliquando periculum significat, ut Luc. 22. & 1. Tim. 6. aliquando tentationem, & ad malum solicitationem, ut hoc loco, & alibi sæpe. Atq; in hac notione Latinè dici posse tentationem deprehendet, qui hoc diligenter considerauerit: ut à Cicerone tentationes morborum dicūtur, cum morbus nos tentat & inuadit. Inde tentator dicitur diabolus, qui hoc loco Malus appellatur.

γάρ. ἀφανίζειν.

Qui uultus suos deformant.) כי quod hic, ut paulo antè, est γάρ, sæpe relatiuum est. ἀφανίζειν autem, quod deformare interpretor, significat aliquid ad nihilum redigere, & corrumpere, ita ut nusquam appareat. unde ἀφανίζεσθαι, perire, ut Actorum 13. & euanescere, Iaco. 4. Itaq; ἀφανίζειν τὸ πρόσωπον, est uultum squalore deformare. quod Gallicè significanter exprimitur, cum dicitur aliquis habere le uisage desfaict, uultum infectum: hoc est squalidum, & macie deformem.

EX CAP. VIII.

Filius.

Cum interea regij.) In Græco est, filij regni: ut & capite nono, filij thalami, pro ijs qui nuptias agunt. de quo Hebraismo uide quæ scripsimus in Gen. cap. 49. in Iosepho. Nec dissimile est quod Christus paulo pòst se uocat hominis filium, hoc est hominem. nam eodem modo sæpe nominatur Ezechiel. Sed quia nominatim sic uocari solet Christus, & possent hoc loco offendi multi, nolui mutare.

EX CAP. IX.

Noua nouis.

Neq; uerò quisquam adhibet rudis panni pittacium, &c.) Si rudis & nondum detriti panni particulam ueteri tritæq; assuas, ut laceram uestis partem resarcias, ea particula quam uesti addideris, erit rigidior quàm uestis: itaque assuta non diu hærebit, sed usu agitata diuelletur, & eam uestis partem auferet, cui per suturam adhærebit. Ita fiet, ut quam uis obstruere rupturam, eam imperitia reddas maiorem. Quod dicit autem τὸ πλήρωμα αὐτοῦ, nominatiui casus est. τὸ πλήρωμα, idem significans cum illo antè posito ἐπίβλημα, ut sit uestimenti supplementum, particula adhibita ad id supplendum ac resarciendum, quod est uetustate consumptum. Vocat autem ueterem uestem, tritam: sicut contrà Lucæ quinto nouam uocat, non tritam, quomodo uulgò loquimur. De utribus quod dicit, loquitur ad Syriæ consuetudinem, ubi uinum conditur in utres. Nam in nostris finibus uinum nouum in uetera dolia condi, nec absurdum est, & uulgò fit. His autem duabus de ueste & uino similitudinibus significat, quod antè docuerat de nuptias agentibus: scilicet tam ineptum esse, discipulos ipso adhuc præsente ieiunare (quæ tristitiæ res est, cum magis lætari debeant) quàm si quis ita uestem resarciat, ut dicit, aut uinum nouum in ueteres utres recondat. Quemadmodum prouerbio dicimus, In lente unguentum: quo rem significamus absurdam.

Dauidides.

Miserere nostri, Dauidide.) Scio durum uisum iri hoc patronymicum. Sed certè eo propriè exprimitur, qui Hebraico more dicitur Dauide natus. Qua de re uide quæ scripsimus principio animaduersionum in Psalmos. Neq; tamen mihi interdictum puto, quo minus modò Dauididem, modò Dauide prognatum aut ortum, aut Dauidis filium interpreter. In uerbis enim debemus esse faciles, dum res ipsa intelligatur. Et quidem statim initio Matthæi, Iesum Dauididem & Abrahamidem uocassem, nisi metuissem, ne uocabulorum nouitas lectorem in ipso statim limine offenderet.

ἐκβάλλειν.

Vt operarios emittat in messem suam.) ἐκβάλλειν non semper eijcere aut extrudere significat, sed etiā emittere, aut depromere: ut Iohan. 10. ὅτ' ἂν τὰ ἴδια πρόβατα ἐκβάλῃ. & Matth. 12. ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ τῆς καρδίας ἐκβάλλει τὰ ἀγαθά. Nec enim uel ille oues ex caula, uel hic bona ex cordis sui repositorio extrudit, sed emittit atq; promit: hoc est, προφέρει, ut est apud Lucam.

EX CAP. X.

Tempus pro tempore.

Dimisit Iesus, eis ita præcipiens.) Et hoc bene ab antiquo interprete uersum erat. nec refert, quòd παραγγείλας præteriti temporis est. Nam huiusmodi præterita sæpe per præsentia reddenda sunt: quale est illud, ἀποκριθεὶς εἶπον, respōdens dixit, aut respondit & dixit. nec enim prius respondit, quàm dixit: quin ea responsio, ipsa dictio est: ut sit ἀποκριθεὶς pro ἀποκρινόμενος. Similiter quod hic dicitur ἀπέστειλεν παραγγείλας, idem est quod ἀπέστειλεν παραγγέλλων, dimisit præcipiens, aut dimisit & præcepit. Nam ea missio, ipsa præceptio est, cum iubet eos ire ad perditas oues Israeliticas. Iisdem enim uerbis & mittit & præcipit. Hoc moneo, ne quis miretur, non semper uerbi tempus respondere. Sæpe enim tempus pro tempore ponitur: ut ἔρχεται & ὁ ἐρχόμενος, pro uenturus est. & ὁ μαθητὴς ἐκεῖνος οὐκ ἀποθνήσκει, Discipulus ille non est moriturus: & alia innumera. qualia sunt etiam illa apud Latinos, Tityre, dum redeo: id est, donec redeā. &, Quid agimus? pro, quid agemus? Item, Non cœno domi: pro, non sum cœnaturus. Quod idem moneo etiam de propria uerborū significatione, sicubi fortè minus propriè reddere uidemur: ut cū ἐκεῖνος pro αὐτός, & ὅτι pro γάρ ponuntur, & alia huiuscemodi multa.

Ne'ue in ullam Samaritanorum urbem.) εἰς πόλιν μὴ εἰσέλθητε, pro εἰς μηδεμίαν πόλιν εἰσέλθητε, Hebraismus est: qualis & ille Iohan. 19. ὀστοῦν οὐ συντριβήσεται ἀπ' αὐτοῦ, Nullum eius os confringetis. Eodem modo loquuntur Galli, Il n'y a ame, non est anima: pro, nulla est anima, hoc est homo. N'entrez en uille de Samarie: pro, en aucune uille.

Salutatio.

Salueat hæc domus.) שלום, quod hic εἰρήνη dicitur, uerbum est salutantis, quod etiamnum retinent Turcæ. Salutantes enim dicunt Schalamalech, quod est שלום לך, pax tibi, hoc est salue. Et sanè pacis & salutis uocabula cognatæ sunt significationis. Nam & qui in pace est, saluus est: & qui saluus non est, pace caret. Nec enim bellum uoco id solum, quod uulgò hoc nomine notum est: sed qui ægrotat, dolet, esurit, huic cum morbo, dolore, fame bellum est: neque potest (quamuis absint hostes homines) dici pace frui, cui cum tam molestis hostibus confligendum sit. Itaq; apud Liuium sæpe pacem deûm exposcere dicuntur, qui à dijs salutem & omnium rerum prosperitatem postulant. Sed in salutationibus saluere, & salus, aptiora & apertiora uerba sunt, deducto inde etiam salutandi uerbo. Itaq; Gabriel Mariam salutans, quod est Hebraicè Pax tibi, dixit χαῖρε, hoc est salue, aut aue. Quod autem dicit, Si quidem erit digna domus, eueniat ei uestra salus: imperatiuo utitur pro futuro, in hanc sententiam: Si salute digni erunt, eueniet eis uestra salus, hoc est felicitas, quam eis optabitis salutando. Sin minus, non magis eis proderit uestra salutatio, quàm si non salutauissetis.

εὑρίσκειν.

Animam suam qui inuenerit, perdet.) εὑρίσκειν & reperire & parere, siue quærere ac comparare est. Sed neq; hic parere aut comparare animam suam rectè dici potest (dicendum enim esset, seruare animam suam, aut uitæ suæ consulere) & propter perdendi uerbum, fuit utendum uerbo quod contrariæ notionis esset. Gallicè pulchrè exprimi potest hoc, uerbis gaigner & perdre.

Vatem nomine uati accipere.

Qui uatem nomine uatis accipit.) Idem quod antè dixit: Qui missum accipit, tantum meretur, quantum si mittentē acciperet. Qui uatem aliquem nomine uatis alterius, hoc est, quoniam à uate missus est, accipit, is mercedem uatis adipiscetur: hoc est, idem præmium habebit, quod haberet, si uatem illum, à quo is missus est, accepisset. Verbi gratia, Qui Elisæū uatem nomine Eliæ uatis accipit, eandem habebit mercedē, quam, si ipsum Eliam uatē accepisset. Dicit aūt mercedē uatis breuius; & ideo

& ideo obscurius, pro mercedem ob acceptum uatem. Sicut cap.12.est, βλασφημία πνεύματος, pro κατὰ τοῦ πνεύματος.

EX CAP. XI.

σκανδαλίζεσθαι. Felix est qui in me non offenderit.) σκανδαλίζεσθαι aliquando ledi est: ut ad Romanos 14. ὁ ἀδελφός σου προσκόπτει ἢ σκανδαλίζεται. est enim illic idem ferè προσκόπτειν & σκανδαλίζεσθαι, hoc est ledi, & detrimentum accipere, quod Latini offendere dicunt. Est igitur hæc Iesu sententia: Ego sum lapis, in quem offenditur: Beatus est, qui ita se gerit, ut ego ei sim utilis, non detrimentosus.

Simile esse. Perinde est, ac cum manentes in foris pueri.) ὁμοία ἐστὶ παιδαρίοις, similis est pueris, scilicet clamantibus. Atqui non erat clamantibus pueris similis Iudæa natio, sed audire nolentibus. Christus autem & Ioannes Baptista erant clamantibus pueris similes. Itaq; sic intelligendum, & sic interpretandus est hic locus, ut intelligamus similiter accidere in Iudæis, atq; accidit in eo quod pueri uulgari cantilena cantant: hoc est, Iudæos nec facilitate Christi, nec seueritate Baptistæ moueri, quemadmodum canunt illi pueri, suos æquales nec læto carmine ad saltandum, nec nænia ad plangendum excitari. Idem dico de multis alijs locis: ut cum Matth.13. dicitur cœleste regnum simile esse homini serenti. Non enim satori simile est, sed sationi. Itaque tota res, non unum uerbum, confertur.

Δικαιοῦσθαι. Estq; suis aliena sapientia.) Epiphonema, & antè dictorum conclusio. Israelitæ, ad quos propriè pertinebat Euangelium, id repudiant. Eandem sententiam posuit suprà, cum dixit, regios in imas detrudēdos tenebras: regios uocans Iudæos, quorum erat regnum. Δεδικαίωται autem significat liberum esse, & nihil rei habere cum aliquo. ut ad Rom. 6. ὁ γὰρ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, Qui mortuus est, absolutus est à peccato. quod antè dixerat, ἵνα καταργηθῇ τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας, τοῦ μηκέτι δουλεύειν ἡμᾶς τῇ ἁμαρτίᾳ, Vt aboleatur peccati corpus, ne amplius peccato seruiatis. ut idē sit δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, et οὐκ ἔτι δουλεύει τῇ ἁμαρτίᾳ, & κατήργηται αὐτῷ ἡ ἁμαρτία, aut κατήργηται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας. sicut ad Rom. 7. de uxore, ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ ὁ ἀνήρ, κατήργηται ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ ἀνδρός: hoc est, δεδικαίωται, si mortuus uir fuerit, ea liberata est à lege uiri: hoc est, ὁ νόμος τοῦ ἀνδρὸς ἐστὶν αὐτῇ ἀργός, Viri lex est ei ociosa, nihilq; ad eā pertinet. Igitur ἡ σοφία δεδικαίωται, hoc est, κατήργηται ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς, hoc est, αὐτοῖς ἐστὶν ἀργός, nihil ad eos pertinet, ab eis repudiatur, tanquā aliena. Quod autem addit Lucas, hac eadē de re loquens, πάντων, omnibus, non ita accipiendum est, quasi omnes Iudæi Christum repudiarent, sed ferè omnes. Quemadmodum cum dicit Christus Iohannem nec comesse, nec bibere, non significat nihil omnino comesse, sed ferè nihil: hoc est, parcissimi esse cibi. Neq; uerò me latet, alios sic hunc locum exponere, ut dicant sapientiam à suis δικαιοῦσθαι, hoc est, approbari atq; admitti: sed neq; aduersatiua coniunctio præponitur, neq; est ὑπὸ, sed ἀπὸ τῶν τέκνων.

EX CAP. XII.

ἔλεος. Pietatem malo quàm sacrificium.) חסד apud Oseam plus est, quàm quod hic ponitur ἔλεος. Deinde quod hic est καὶ οὐ, illic est quidem ולא, sed quod pro מן ponitur. nam hæc præpositio in altero sententiæ membro ponitur, quod idem tamen significat. Sic enim in Osea legitur ad uerbum: Pietatem uolo, & non sacrificium: & Dei cognitionem, quàm uictimas. ubi uolo pro malo positum est, ut apud Homerum,

βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι.

καὶ οὐ autem, siue καὶ μή, pro μᾶλλον ἤ, dicunt etiam autores profani. ut Isocrates ad Nicoclem, ἐλλείπειν αἱροῦ, καὶ μὴ πλεονάζειν: hoc est, Parum malis, quàm nimium facere. Sic enim loquuntur Latini, ut Cicero: Valere malis, quàm diues esse. ὑγιαίνειν αἱροῦ, καὶ μὴ πλουτεῖν.

Peccatum in spiritum sanctum. Omne peccatum ac maledictum, &c.) Quid sit peccatum in spiritum sanctum, ex hoc loco apparet. Qui enim diuinis operibus, & sacri spiritus numine factis, adeoq; claris & perspicuis, ut contradici non possit, tamen contradicit, & resistit, nec sibi persuaderi patitur, id quod refelli non potest: is est pertinax, durus, indocilis, cui nulla re posit unquā persuaderi. Is in pertinacia semper manet, nec unquā fit melior, ideoq; nunquam ei uenia datur. Tales fuerunt Scribæ & Pharisæi. Hoc est peccare in spiritum sanctum. In hominem autem, hoc est, in Christum ut hominem, peccare dicuntur, qui in eo nondum spiritualia uident opera. Talis erat Paulus nondum Christianus: peccabat in hominem Iesum. At idem si agnitum persecutus esset, nunquam ei uenia data fuisset. Hic illud obijciet aliquis: Quoties ingemuerit nocēs, non amplius recordabor. Est ita. Sed nunquā nisi serò & clausa porta ingemiscunt, qui tales sunt: de quibus scriptū est ad Heb.6. & 1.Ioan.5. ubi hoc peccatū lethale dicitur. Hoc optimè intelligi potest, si diligenter consideres illud ex Esa.6. oraculum: Stupefac istorum animos, eorumq; aures obfirma, & oculos hebeta, ne oculis uideant, & auribus audiant, & animis intelligant, & ita mutati sanentur. Quasi hoc dicat: Quoniam adeò pertinaces sunt, & improbi, uolo eos punire. Sed tāta est mea clemētia, ut quamuis sint sceleratissimi, tamen si mores corrigant, ueniamq; petant, daturus sim. Ne igitur ueniam orent, uolo ut in pertinacia permaneant, ut eos puniam. Quod autem dicit, Nec in hoc seculo, nec in futuro: scio quosdam ita exponere, ut putent nihil aliud esse, quàm quod apud Marcum eadem de re scriptum est, Nunquam. Sed non Matthæus hac in re per Marcum, sed contrà Marcus, qui breuius, per Matthæum, qui copiosius scripsit, est explicandus: ut quod apud Marcum est Nunquam, id significet, Nec in hoc seculo, nec in futuro. Sed quid sit id futurum seculum, ego ignoro. Potest enim dubitari, utrum de nostro hoc seculo loquatur, quod tum erat futurū, & quod Paulus uocat ultimū tempus, dum dicit, ultimo tempore futuros homines pessimos: an de æterna uita, quæ seculū hoc sequetur.

Facere. Aut facite arborem bonam.) Facere pro affirmare ponitur: ut Ioan. 8. Quem tu te facis? Est igitur hæc sententia: Hoc pro certo habete, necesse esse, quæ arbor sit bona, eius fructum esse bonū: & qui fructus sit malus, eum arboris esse male. Atqui ista uestra uerba malus fructus est: ex quo cōsequens est, uos stirpem esse malam.

EX CAP. XIII.

σκανδαλίζεσθαι. Statim descīscit.) σκανδαλίζεσθαι est aliquando deserere, desciscere, aut deficere. Itaq; pro eo ponitur apud Lucam cap.9. ἀφίστασθαι.

EX CAP. XV.

Si quis suo patri matri'ue dixerit.) Iudæi sacerdotes pelliciebant homines ad cōferenda in templum donaria, idq; non Dei, sed sua causa, quoniam ea ad ipsos redibant. Ac ne quis filius ideo minus cōferret, quòd sua in parentum alimoniam (ut præceptum erat) uellet impendere, illi eam religionem praua legis interpretatione sic eleuabant: Demonstra patri tuo, id quod tu in templum confers, ei esse profuturum apud Deum: nec esse necesse ut eam pecuniam in eum impendas, cum tam eum honores libando pro te & pro ipso, quàm si alioquin in eum insumeres. Etiamsi non aliter parentes honores, non tamen contra legem feceris.

EX CAP. XVIII.

Vnus paruorum, pro paruus. Quisquis uerò uel minimo horum mihi fidem habentium incommodauerit.) Ad uerbum, Vnum paruorum horum. de quo Hebraismo uolo hic adducere exempla. Matthæi quinto talis Hebraismus est, in superlatiuo gradu, Qui fecerit contra unum præceptorum horum minimorū: hoc est, contra uel minimum horum. nec enim erant illa minima præcepta, ne in speciem quidem. Et Prouerb.26. in positiuo: Sapientior sibi uidetur piger, quàm septem respondentes prudenter: hoc est, sibi uidetur septies, hoc est, longè sapientior. Et Matth. 10. Multis passeribus antecellitis uos: hoc est, multò antecellitis passeribus. Et paulo pòst in eodem cap. Qui bibere dedit uni paruorum horum: hoc est, uel minimo horum. Itemq; cap.25. Quod autem est, In maris æquor, idem significantia uerba duo posita sunt: ut Genesis 14. ubi cœli liquidum pro cœlo positum est, ut sit maris æquor pro mari positum. Malui autem maris æquor Latina consuetudine dicere, quàm alieno à Latinis loquendi more maris pelagus, ut est in Græco.

EX CAP.

EX CAP. XIX.

κάμηλος.

Facilius esse rudentem.) κάμηλος & camelum animal, & nauticū funem declarat, qui rudens appellatur: quod Græcum nomen paulum, ut fit, immutatum, manet adhuc in Gallica lingua, in qua uocatur cable. quanquam tum per iota secundam syllabam scribi, uult Phauorinus. Sed siue κάμιλος scribi debet, siue illud utrunque declarat, non est dubium, quin in ea notione accipi debeat, quæ sit sententiæ conueniētior, ne Christum cogamus hic ineptissima similitudine uti, cum ea possit esse aptissima, & cæterarum, quibus uti solet, simillima. Nec est quod quisquā dicat, Iesum alicubi absurdis uti similibus: quale est de illo qui trabem habeat in oculo. Nam illud absurdū esse qui dicit, absurdè dicit: nec intelligit, aliud esse absurditatem, aliud immensam exaggerationem, quam Græci uocant hyperbolen. Absurdè nec Christus, nec quisquam bene loquens locutus est. Sed hyperbolis & alij utuntur, & Christus illic usus est aptissime. Nam si festuca crescat, fiet trabs. At filum (etenim per foramen acus solet filum traijci) quantumuis crescat, nunquam camelus fiet: at rudens fiet.

EX CAP. XX.

ἀλλά.

Non est meum dare, nisi quibus id paratum est à patre meo.) ἀλλά dictum est pro εἰ μὴ, nisi. ut Marc. 9. οὐκ ἔτι οὐδένα εἶδον, ἀλλὰ τὸν ἰησοῦν, μόνον: Iam nullum uiderunt, nisi Iesum. Atq; eodem modo ponitur 2. Corinth. 2. etiam interprete uetere ita transferente.

EX CAP. XXI.

Hosanna.

Hosanna Dauidide.) Hosanna significat, serua age. estq; cantionis genus, quæ sub festum tabernaculorum cani solebat, in qua subinde repetebatur Hosanna: sicut in Gallia circa Christi natalicia canuntur uulgò de Christo nato carmina, in quibus subinde repetitur Noel. Sed de Hosanna uide Andream Osiandrum, in Harmonia.

EX CAP. XXII.

Positiuus pro superlatiuo.

Quod nam præceptum est in lege maximum.) μέγας dictum est pro μέγιστος, ut ad Hebr. 4. ἀρχιερέα μέγαν, pontificem maximum. & Luc. 9. ὁ μικρότερος ἐν πᾶσιν ὑμῖν ὑπάρχων, οὗτος ἔσται μέγας. Nam idē Matth. 23. dicitur μείζων, hoc est, μέγιστος. Sic hoc loco dicitur hoc præceptū esse magnum, scilicet præ cæteris: hoc est, omnium maximum, ut etiam paulo pòst uertit uetus interpres Latinus. Alioquin absurdū esset, hoc dici magnū, quasi alia parua forent. Est autē Hebraismus, qualis & alibi sæpe occurrit, & Genesis sexto, ubi sic ad uerbum legitur: Noa uir iustus erat, integer in suo seculo: hoc est, sui seculi integerrimus.

EX CAP. XXIII.

Facere pro habere.

Vtuntur autem latis.) Græcè est, dilatant. quale est illud Leuit. 11. ubi dicuntur bestiæ diuidere ungulas, hoc est, diuisas habere. & Latinè, Fregit crus: pro, Crus ei fractum est.

τίς.

Quod si quis est fidelis seruus.) τίς non semper interrogantis est. ut Iac. 1. τίς σοφὸς καὶ ἐπιστήμων ἐν ὑμῖν, δειξάτω: Si quis inter uos sapiens est, atq; prudens, ostendat, &c. sicut Hebræum est, quod sæpe sine interrogatione ponitur: ut in fine Psalmi 107. ubi sic ad uerbum est: Quis sapiens hæc obseruabit. id quod citra interrogationem intelligendum est: sicut & in Gallico sermone, ubi Qui est sage, & interrogantis, & non interrogantis esse potest.

Offenderit suum officiū facientem.) Vt Latinè æquum & par, pro eo quod iustum est, & fieri debet, ponuntur: sic Hebraicè aduerbiū כן, hoc est, sic, aliquando significat officium. ut 4. Reg. 17. Designarunt Israelitæ res אשר לא כן, quæ non sic, hoc est nefarias, & quæ fieri non debebant. In hac notione

οὕτως.

posuit hoc loco Matthæus οὕτως: ut & Paulus ad Philipp. 4. οὕτως στήκετε ἐν κυρίῳ, Persistite, ut fieri debet, in Domino.

EX CAP. XXVI.

Vt in urbem irent ad quendam.) In Græco μιμητικὴ, hoc est, directa est oratio, Ite in urbem ad quendam: quæ Latinè est διηγητικῶς, hoc est, obliquè & ex autoris persona interpretanda. Nec enim dicebat Christus, Ite ad quendam: sed eum nominabat. In Gallica quidem lingua liceret directè loqui, Allez uous en a un tel: sed idem Latina loquendi consuetudo non patitur. Atq; ex hoc quidem loco, ut & ex alijs multis, perspicuū fit, sacros autores non semper totidem, iisdem uerbis eorum, de quibus narrant, dicta referre: sed ita narrare, ut nos solemus, cum eandem rem si bis aut ter referamus, sæpe totidem adhibeamus genera dicēdi, neq; tamen ideo falsum dicamus. Exempla ex innumeris adducam pauca. Exodi cap. 20. præcepta Dei scripta sunt, ipsius Dei digito exarata: & tamen eadē Deut. 5. ita repetūtur, ut quædā non re, sed uerbis, paulo aliter dicantur. Atqui & res est maximi momenti, & semel à Deo pronunciata, & bis ab eodem Deo scripta uerbis Hebraicis, & ab eodem Mose eadem lingua relata. Alterum exemplum erit paulo post hunc, qui nobis est in manibus, Matthæi locum, ubi sic legitur: Hic est enim sanguis meus noui fœderis, pro multis effundendus, ad ueniam peccatorū. At idem Luc. 22. paulo aliter dicitur: Hoc poculum est nouum fœdus in sanguine meo, pro uobis effundendum. Atqui non hæc alio atq; alio modo pronunciauit Christus, sed semel & uno modo. Idem dico de precatione Dominica. Ex quibus planum fit, non esse uerba semper nimis tenuiter ad calculos reuocanda.

Rem, non uerba esse spectanda.

Et triduo instaurare.) οἰκοδομεῖν pro ἀνοικοδομεῖν positum est, sicut fieri solet in בנה. Est enim hoc uerbum ex eorum genere, quæ sæpe simplicia pro cōpositis ponuntur: quoniam cōpositis carent Hebræi. qua de re scripsimus in Psal. 62.

Simplicia uerba pro cōpositis.

EX CAP. XXVII.

Tum Iudas uidens eum esse damnatū.) Hoc est, à pontificibus dignum morte iudicatum, mortiq; destinatum. Sic enim ponitur damnandi uerbum, Marc. 10. Homine natus, inquit, tradetur pontificibus atq; scribis, qui eum morte damnabunt, extraneisq; tradent. Itemq; Mar. 14. Atq; hoc pacto Verris cōdemnator dicitur à Tacito, Cicero, nō quòd eum condemnarit, sed q. accusarit, ac damnandū esse pronūciarit.

Damnare.

Si ei fauet.) θέλει, ab חפץ, ex Psal. 22. quod fauere, & alicuius studiosum ac cupidum esse significat.

θέλειν.

IN MARCVM.

EX CAP. VI.

συμπόσια συμπόσια.

Discumbere cateruatim.) συμπόσια συμπόσια, conuiuia conuiuia, Hebraismus est: pro, in singula cōuiuia distributos: sed ita, ut conuiuium significet conuiuas, siue cōuiuarum classem: sicut Latinè ciuitas pro ciuibus, & iuuentus pro iuuenibus dicitur. Cum igitur neq; Latinè conuiuiatim, neque significanter in conuiuia distributos dici possit (nam aliud significari uideretur) malui cateruatim interpretari: quo uerbo quamuis illud plenè non exprimatur (possunt enim cateruatim ad aliud, quàm ad capiendū cibum, collocari) tamen quoniam hic ponitur discumbēdi uerbum, quo epularum accubatio significatur, quo fit ut de sententia dubitari non possit, putaui ita mihi uertere licere. Quod idem dico de πρασιαὶ πρασιαί: sunt enim πρασιαὶ hortorum puluini, siue areæ. quæ uerba cum hic Latinè non satis aptè poni possint, malui classes, latius patente uerbo, dicere.

EX CAP. XII.

Duos teruncios contulit.) Quod hic, & Lucæ 12. λεπτὸν dicitur, id Matth. 5. quadrans. Quadrantem autem eundem esse quem teruncium, docet Budæus.

Quadrás.

EX CAP. XIIII.

Spicata nardus.

Spicatæ nardi.) Quod scribit Erasmus, fieri posse ut Marcus uulgari more loquens, Latinam uocem corruptè posuerit, pisticam appellans, pro spicata: id mihi uerisimile uidetur, & cum uetere interprete congruit, qui (ut est in nonnullis exemplaribus) uertit, nardi spicati. Atq; idem dico de eodem uerbo apud Iohan. 11. Idemq; uidemus & in libra fieri, quam ibidem Iohānes (ut & cæteri Græci) litram appellat, simili uerbi mutatione, siue à libra litra, siue contrà dicitur. & in penula, quā Paulus 2. Tim. 4. φαινόλην appellat. Cætera quæ de πιστικῆς dicuntur, mihi uidentur absurda, siue à loco dictam putes, siue à fide. Nam nec ullus, quod sciamus, locus, qui sit à nardo nobilitatus, ita dictus est: & à fide non πιστικὴ, sed πιστὸς appellaretur.

retur. Illud obiter dicam, ueterem interpretem, quod à Marco dictum est fœminino genere, id neutro dixisse spicati, data opera, ut opinor: ut eandem in Latino sermone (in quo etiam nardum neutro genere dicitur) uerborum ambiguitatem retineret, quæ est in Græco, in quo πολυτελὴς & ad νάρδον & ad μύρον referri potest. Nos de industria ambiguitatē uitauimus, quòd omnino preciū putamus unguenti, non nardi, appellari. Quod nisi uocabulū spicatæ adderetur, liceret ita uertere: Alabastrum unguenti nardini preciosi. ita nulla foret ambiguitas.

IN LVCAM

EX CAP. I.

Sicera.



Nec uinum, nec temetum bibet.) Sicera est omne uinum facticium: quale est quod fit ex frumentis, piris, malis punicis, cornis, mespilis, sorbis, moris, nucleis pineis, &c. itemq; ex herbis, asparago, cunila, origano, & multis alijs. Nos proprium uerbum non habentes, temetum uertimus, à quo temulenti dicuntur: sicut sicera Hebræis à uerbo deductum est, quod temulentum fieri significat. Quod si temetum idem significat quod uinum, etiam illa omnia Latinis uina dicuntur. & sicera Psal. 69. pro uino quouis ponitur, ut nihil ferè inter hanc uocem & Hebræam interesse uideatur.

Domino ipsorum Deo reconciliabit.) Dominū Iouam dicit, hoc est, Iesum. (de cuius nomine uide in Matth. 1.) Nam id de eo dici, apparet ex eo quod sequitur, Eumq; antecedet. Quem enim antecedet Iohānes? Eum nimirum, de quo genius antè locutus est: uidelicet Israelitarum Deum, qui Christus est. nec enim patrem Deum antecessit. — Iesus Ioua.

Salue accepta.) scilicet Deo. est enim idē quod paulo pòst declaratur, εὗρες χάριν παρὰ τῷ θεῷ, Inuenisti gratiam apud Deum: hoc est, accepta grataq; Deo es, eumq; habes propitiū. qui Hebraismus frequenter occurrit in ueteri fœdere.

Aperto protinus eius ore, solutaq; lingua.) In Græco non est Soluta: sed id facilè intelligitur. nec enim aperitur lingua: & ad loquendum quod est ori aperiri, id est linguæ solui. Quod si quis neget uinctam fuisse linguā, negabo & ego clausum fuisse os: alioquin cibum capere non potuisset. Verum clausum dicitur, quòd non magis loquebatur, quàm si clausum fuisset. quod idem de lingua dicendum est.

Eum corām piè iusteq; colamus.) In Græco est, Cum pietate & iusticia: more Hebræorum, qui huiusmodi aduerbijs carentes, utuntur nominibus. Cæterum ὁσιότητα & ἁγιότητα, siue ἁγιωσύνην, solent nostri eodem sanctitatis nomine interpretari, cum non sint eadem. Nam ὁσιότης ea est, quæ Hebraicè dicitur חסיד quæ si homini tribuitur, pietas est: sin Deo, clementia. quanquam & in Deo Latinè pietas dici potest: ut apud Virgilium, — ὁσιότης.

Di, si qua est cœlo pietas, quæ talia curet.

Ea alio uerbo ἔλεος & in Deo & in homine dici solet. Itaq; nos & hoc in loco, & alijs multis, non tam Græci uerbi, quàm Hebraici naturam interpretantes, pietatem reddimus. ἅγιον uerò Hebraicè קדוש est: quod uerbum modò sanctum, modò sacrum significat. — ἅγιον.

EX CAP. II.

Et in terra pax, erga homines beneuolentia.) Pax, ut alibi declarauimus, omnes felicitatis numeros complectitur. εὐδοκία autem (quam nos beneuolētiam interpretamur) ea est, quæ Hebraicè רצון appellatur, significatq; studium, fauorem, cupiditatem, beneuolentiam, quæ aliàs χάρις appellari solet: à uerbo εὐδοκεῖν, bene uelle, aut acceptum gratumq; habere, & alicuius cupidum ac studiosum esse, eiq; fauere. Quod autem dicit, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, idem est quod εἰς ἀνθρώπους, erga homines. Nam ἐν pro εἰς sæpe scribunt autores sacri. & εὐδοκεῖν utroq; modo ponitur. nam & εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου. &, ἐν ᾧ εὐδόκησα: illud Matth. 12. hoc 3. & 17. Itaq; tam potest dici εὐδοκία ἐν ἀνθρώποις, nomini eadem tribuendo quæ uerbo, quàm Latinè domum reditio dicitur, sicut domum redire. Est igitur hæc huius loci sententia: Esto pax in terris, quæ pax est Dei erga homines amor, studium, atq; fauor: hoc est, quæ felicitas est Dei muneris ac liberalitatis. Lege diligenter primum caput ad Ephesios, & inuenies totam hanc sententiam copiosissimè explicatam. — εὐδοκία.

Tulerunt eum Hierosolymam.) ἀνήγαγον pro ἀνήνεγκαν positum est: sicut contrà ἐνέγκειν siue φέρειν pro ἄγειν sæpe ponitur in sacris literis. Itaq; locum hunc bene uertit uetus interpres. Nam adducendi quidem uerbum ponimus in eo qui pedibus eat: id quod de Christo ea ætate dici non potest. — ἀνάγειν.

Erat tum.) ἰδοὺ & ἴδε non semper en aut ecce significat, sed sæpe temporis est. ut Marc. 4. ἰδοὺ ἐξῆλθεν ὁ σπείρων: hoc est, Aliquando profectus est sator. Nonnunquam demonstrantis est, ut sit idem quod scito, aut scitote. ut Luc. 1. καὶ ἰδοὺ ἔσῃ σιωπῶν, Scito te fore mutum. Aliquādo idem est quod μέλλω, futurum tempus significans. ut Matth. 11. ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου, Ego missurus sum geniū meum. Est & cum, Luc. 15. ἰδοὺ τοσαῦτα ἔτη δουλεύω σοι, &c. Cum tot annos tibi seruiā. Item, cum tamen, 2. Cor. 6. ὡς ἀποθνῄσκοντες, καὶ ἰδοὺ ζῶμεν, Perinde ac morietes, cum tamē uiuamus. Atq; hæ tot huius uocis notiones non sunt Græcæ uocis ἰδοὺ propriæ, sed Hebraicæ הן, siue הנה, quæ præter ea quæ diximus, significat esto sanè, aut finge, pone ita esse, Psal. 78. & Exo. 3. scilicet, Esa. 58. Interea, Ezech. 9. Si, aut quid si? Ezech. 15. Iam, Luc. 13. — ἰδού.

Scito hunc multorum uel casui, &c.) Christus improbis perniciosus est, eorum culpa: probis salutaris. Est item quoddam quasi uexillum populis expositum, ad quod confugiant, si salui esse uelint. Sed id uexillum oppugnabunt multi, uerumq; negabunt esse. Tu quoq; Maria graues dolores perferes, dum hic in crucem agetur: quod dum fiet, apparebit quali quisque mente sit. nam secundis rebus multos sectatores habebit: sed rebus aduersis paucos. ex quo apparebit, paucorum sinceram esse mentem: amicos enim aduersa declarant.

Præclarè cum quoq; agitur.) κατηρτισμένος conditum & bene compositum significat, ita ut nihil ei desit. Hoc loco idem significat, quod in eadem sententia Matth. 10 dictum est, ἀρκετὸν τῷ μαθητῇ, Satis est discipulo, boni consulere debet, & nihil amplius postulare, sed bene secum agi putare. Est autem in Græco curta sententia: quæ plena foret, si εἰ ἔσται interponeretur, hoc pacto, κατηρτισμένος δὲ πᾶς ἔσται, εἰ ἔσται ὡς, &c. Atq; ita legisse uidetur uetus interpres, qui uertit: Perfectus omnis erit, si sit sicut magister eius. Nec fuit difficile, alterum ἔσται excidere. Sed ut ita non legerit, sic quoq; manet eadem sententia. — κατηρτισμένος.

EX CAP. VII.

Accidit postridie.) ἐν τῇ ἑξῆς uerius legi puto, quàm ἐν τῷ ἑξῆς, ut est in quibusdam exemplaribus. Nam cap. 9. illud plenè habetur, ἐν τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ.

EX CAP. IX.

Eius assumptionis dies.) Dies, cum temporis spacium significat, Latinè singulari numero dicitur, Hebraicè plurali. Hac de causa, quod hic plurali numero dixit Lucas τὰς ἡμέρας, ego per singularem reddidi: quod & alibi feci. — Dies.

EX CAP. X.

Ad eos diuinum regnum uenisse.) ἐγγίζειν in præterito significat aliquando uenisse. ut Lament. 4. קרב. Itaq; quod est hic ἤγγικε, idem est cap. 11. ἔφθασεν, hoc modo: ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ. & cap. 12. ἐγγίζειν accedere est. — ἐγγίζειν.

EX CAP. XII.

Quicquid in tenebris dixeritis.) εἴπατε præteritū indicatiui, pro futuro coniūctiui, more Hebræorū, qui coniūctiuo carent, & pro eo utūtur indicatiuo. ut in Gen. 4. indicauimus. — Indicatiuus pro coniunctiuo.

Quæ uerò parasti, cuius erunt?) τίνι ἔσται, Hebraismus est, pro τίνος ἔσται. למי יהיה. Nam apud Hebræos litera ל non solum datiui, sed etiam genitiui articulus est. — Datiuus pro genitiuo.

Ne'ue pendete.) μετεωρίζεσθαι est sublimem esse, ut sunt nubes, & uolantes aues. Iam quæ sunt in sublimi, ea nullo firmo solo & fundamento nixa, nutant & agitantur. hinc fit, ut id uerbum dubitare, & incertum atq; anxium esse significet. quo sensu Latini pendēre propriè dicunt. In eadem notione dixit Demosthenes ἄνω καθῆσθαι, in oratione de Corona. — μετεωρίζεσθαι.

Vehementer angor.) πῶς à מה non semper interrogan- — πῶς.

tis est, (ut etiam alibi de מה *&* הלא *docuimus) sed etiam sine interrogatione augentis, ut Latinè quàm. ut Prouerb. 16.* מה טוב*, multo melius: & alibi sæpe. Atq; eodem modo utuntur* πῶς*, etiam autores profani.*

Cur ex uobisipsis non iudicatis ex æquo?) *Cur nõ uosipsos imitamini, & quam in humanis litibus adhibetis prudentiam, eadem in diuinis utimini? Soletis cum aduersario potius componere, quàm ad iudicem uenire, qui seuerius sit iudicaturus. Cum igitur uidere poßitis ex his quæ fiunt, instare Dei iudicium, cur non reditis ad frugem, dum licet? Nam ad iudicem cum uentum erit, sera erit pœnitentia. Quòd autem dicit, Da operam: non præcipit, quomodo sit in litibus agendum. nam ea in re satis sapiunt homines. Sicut cum Matth. 23. dicit: Pharisæe cæce, purga prius interiora poculi & scutellæ, ut eorum exteriora quoq; pura sint. non docet, quomodo lauãda sint pocula, nam id satis sciebant illi: sed perinde est ac si dicat, Vt qui calicem exterius, non interius purgat, ineptè facit: ita uos præposterè facitis, qui in paruis religiosi, in magnis estis dissoluti. Sic hoc loco Christus docet, quod fit in litibus, id faciendum esse in regni cœlestis negocio. sed id per imperatiuum breuius docet.*

EX CAP. XIII.

Si fortè fructum edat: sin minus.) *Græcè est ad uerbũ, Et si quidem fructum ediderit, sin minus. eadem prorsus, sed curta sententia: sic tamen, ut in ea facilè aliquid tacitum intelligas, Rectè est, aut (ut Cato loquitur) optimè est. Talis est apud Platonem libro de Legibus nono,* καὶ ἐὰν μέν σοι δρῶντι ταῦτα, λωφᾷ τι τὸ νόσημα. εἰ δὲ μή, καλλίω θάνατον σκεψάμενος, ἀπαλλάττου τοῦ βίου. *Et si quidem tibi hæc facienti, nonnihil mitigabitur morbus: sin minus, elige meliorem mortem, & ex uita discede. Sed de hoc loquendi modo plura scripsit Budæus in Pand.*

Postquam intrauerit paterfamilias.) *In Græco est* ἐγέρθῃ*, surrexit: sed parum quadrat. non enim de iacente aut dormiente patrefamiliâs loquitur, sed de eo qui foris intrat. Deinde, qui surrexit, non claudit fores, sed potius aperit, cum eæ ante cubatum claudi soleant. His de causis ueterẽ secutus sum interpretem, qui uertit intrauerit, unde legisse uidetur* εἰσέλθῃ.

EX CAP. XIIII.

Reddetur enim tibi in resurrectione iustorum.) *Vt ambulatio, cœnatio, gestatio, non actionẽ semper significant, sed locum ubi ambuletur, cœnetur, &c. sic hoc loco (ut & alibi) resurrectio non resurgendi actionem declarat, sed eum uitæ statum, qui futurus est, cum resurrexerint boni.*

EX CAP. XV.

De articulis. Proferte priorem stolam.) τὴν στολὴν τὴν πρώτην. *Articulus ostendit, eum non de quauis stola loqui, sed de certa. ut paulo pòst,* τὸν μόσχον τὸν σιτευτόν*, de certo uitulo loquitur. Sed articuli uis illa Latinè exprimi non potest, & tamen intelligitur. ut cum dicimus, Ait poeta,* φησὶν ὁ ποιητής*: nõ de quouis loquimur, sed de certo & celeberrimo, scilicet Marone: & tamen nõ necesse est dicere, Ait ille poeta. nam id minus esset, & de alio posset intelligi. Itidem cum dicebant Vrbem antiqui, Romam dicebant (* τὴν πόλιν *) nec tamen addebant Illam: nam id quiddam aliud esset. Sed quæ linguæ articulos habent, hoc melius exprimunt.*

EX CAP. XVI.

Homines lucis. Homines lucis.) *Durum fortasse uidebitur: qualia sunt & illa, Spiritus debilitatis, spiritus consolationis. sed & Latini sic loquũtur, ut cum Amorem uocant deum pacis. Item cum dicunt hominem trium literarũ, & hominem paucorum.* υἱοὺς *autem pro hominibus dici, alibi docuimus.*

EX CAP. XVIII.

Ne me asiduè uentitans obtundat.) εἰς τέλος *est* לנצח.

ὑπωπιάζειν. ὑπωπιάζειν *est sugillare: sed non ad famam & ignominiam refertur, (cum ille homines non reuereretur, ideoq; nullam famæ rationẽ haberet, id quod uerbo* ἐντρέπεσθαι *significatur) sed ad illud, Ne mihi negocium facessat, ne asiduitate & improbitate sua me quasi feriens obtundat.*

Et tam erit in eos difficilis.) μακροθυμῶν *legitur:* μακροθυμεῖ *legit Chrysostomus:* μακροθυμήσει *legisse uidetur interpres uetus, qui uertit, patientiam habebit. Atq; hæc lectio magis conuenit uerbo* ποιήσει*, ut coniunctio* καὶ *futurum uerbum cum futuro coniungat. Quanquam utrum legas, manet eadem sententia. Est autem* μακροθυμεῖν*, patientem & tolerantem esse. ut sit hæc sententia: Erit'ne tam patiens Deus, tam durus & inexorabilis, ut se potius suorum precibus obtundi patiatur, quàm eos citò ulciscatur?* μακροθυμεῖν.

Sæpe conduplicata.) πολλαπλασίονα, *multecupla, ut ita dicam. Itaq; si interpretere, Multo plura, non satis uerbi uim exprimes. Qui enim pro centum consequitur centum septuaginta, is multo plura consequitur, nec tamen* πολλαπλασίονα. *Itaq; dixit Matthæus,* ἑκατονταπλασίονα. πολλαπλασίονα.

EX CAP. XIX.

Quidam uir, qui nomine Zachæus uocabatur.) *Quod dicturus sum, id notius putassem, quàm ut memorandũ esset: nisi uidissem in eo quosdam labi, qui putent Zachæum non fuisse Israelitam: opinor, quoniam publicanus erat. quasi uerò non & Matthæus publicanus esset. Certè Iudæum fuisse Zachæum, multa sunt quæ fateri cogant: primum, quòd eius nomen Hebræum est. Deinde, quòd contra Iesum non eò fremunt Iudæi, quòd ad Romanum aut barbarum, sed quòd ad famosum diuertisset: non prætermissuri profectò, si Zachæus nõ Iudæus fuisset. Tertiò, quòd se dicit Zachæus reddere quadruplũ: id quod ex Mose didicerat, tametsi & Romanus idem in Iudæa discere potuisset: sed illud uero propius est. Quartò, quòd cum dicit Iesus Abrahamidem, siue Abrahamo prognatum esse. Id enim significat* υἱὸς Ἀβραάμ*, id quod de Zachæo, nõ de domo dicitur. nam hoc durum, & contra loquendi consuetudinem esset. Nec obest, quòd personæ fit mutatio: est enim oratio obliquè reddenda, id quod indicat uox* ὅτι*: quæ etiamsi abesset, tamen non esset absurdum, personam mutari, cum Christus non solum Zachæum alloquatur, sed etiam alios qui aderant. id quod apparet ex eo quod sequitur, Illis autem hæc audientibus. & solet alioquin sæpe personæ fieri mutatio. Nec placet, quòd Abrahamidem ideo uocari putant, quòd Christo fidem haberet: nam id esset insolentius obscuriusq; dictum, quàm ut eo tempore ab illo posset intelligi. Sed Abrahamidem uocat hominem Iudæum: cui ideo salus allata sit, quòd esset Abrahamo (cui salus promissa fuerat) prognatus. Quemadmodum Lucæ 13. dicit Christus, sanandam fuisse illam fœminam incuruam, quæ Abrahamo prognata foret. Itaque bene hunc locum uetus reddiderat interpres.* An Zachæus fuerit Israelita.

EX CAP. XXII.

Quiq; eis imperãt, gubernatores appellãtur.) נדיבים*, qui in sacris literis* οἱ ἄρχοντες *dici solent, sunt duces, gubernatores, principes. Itaq; idem est,* οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτῶν ἄρχονται καλοῦνται, *ac si iisdem prioris membri uerbis usus esset hoc pacto,* οἱ καλοῦντες τῶν ἐθνῶν βασιλεῖς καλοῦνται. *Est autem hæc sententia: Inter gentes ut quisq; plurimum opibus ualet, ita maximè rex est, & potentißimus quisque facillimè principis nomen obtinet.* ἄρχοντες.

Perinde fit ac minimus.) νεώτερον *opponit* μείζονι, *à* צעיר*, quod non ætatis, sed rei est: & tamen ideo ætatis esse potest, quòd ætas magnitudinem addit.* νέος.

At nunc qui crumenam habet, adhibeat.) *His uerbis instare aduersa & pericula ostendit, ad quæ solet crumenæ & gladij adhiberi. Hoc pacto loquitur Ieremias cap. 9. Videte ut euocandas præficas, sapientesq; accersendas curetis, quæ næniam de nobis editum properè ueniant. Non enim iubet Vates præficas accersi: sed luctum instare docet, ad quem solent adhiberi præficæ. Quòd autem dicit Christus, duos gladios esse satis, sic loquitur, ut si quis pater dicat emendam esse domum: & filius ignarus, ad eam rem dicat habere se duos teruncios: tum pater respondeat, Satis est: hoc est, scilicet duobus teruncijs potest emi domus.*

EX CAP. XXIII.

Erat autem ea dies præparatio, qua sabbathum illucebat.) *Quid sit illucere sabbathum, itemq; alia multa super hoc & sequenti capite, uide Osiandrum.*

IN IO-

IN IOHANNIS EVANGELIVM.

EX CAP. I.

Verborum collocatio.

GRatiæ ueritatisq́ plenus.) Hoc à fine sententiæ huc perspicuitatis causa transtuli, id quod & in uetere & in nouo fœdere sæpe faciendum esse deprehēdi. ut Iohan. 17. Illustra me tu pater gloria, qua præditus eram, antequàm mundus esset apud te. Sic enim ad uerbum legitur: & uidetur Apud te, ad Mundum referri, cum sit coniungendum cum Præditus eram, & eò transferendum, Qua apud te præditus eram. Item Apocal. 13. Quorum nomina scripta non sunt in libro uitæ agni mactati ab orbe condito. ubi Ab orbe condito referendum uidetur ad, Scripta non sunt: non ad Mactati. Talem figuram reperies & Gen. 25. de Ismaelis morte.

δόξα.

Eiusq́ splendorem.) δόξα Hebraicè כבד dicitur, quod uerbum non solum gloriam, sed etiam splendorem declarat. Atq; ita positum est uerbum δόξα cùm alibi, tum Lucæ 2. & Act. 22. Latinè splendorem dicere (cum hoc uerbum utramq; rem Latinis indicet) & alijs locis licet, & in hoc huiusq; similibus necesse est. Loquitur enim de illo Christi splēdore, quem ipse huius libri autor unà cum alijs uidit in Christi transfiguratione.

Vt unigenæ à patre splendorem.) Vt, non semper similitudinis est. ut si dicas, Obiurgaui filiū meum, ut pater: hoc est, ut me decet, & pro mea autoritate, qui sim pater. Sic hoc loco dicitur splēdor ut unigenæ, hoc est, unico Dei filio dignus.

Gratiā pro gratia.

Et gratiam pro gratia.) Hoc est, aliam gratiam pro alia. quale est illud Iob 2. Pellem pro pelle: scilicet aliam pro sua. & clauum clauo, scilicet alium alio. &, Legitq; uirū uir, &c. Gratiam autem uocat beneficium, ut etiam Latinè dicitur. & est hæc sententia: Quòd à Mose lata lex est, id diuini beneficij fuit. Pro eo beneficio (quoniam alioquin nobis usui esse non poterat) aliud beneficium & gratia nobis per Christum confertur: & quidem ea gratia, quæ est uerè gratia nominanda. Hoc enim est quod dicit, Gratia & ueritas. Nec enim Moses non uerum tradidit. Sed Iohannes hoc loco ueritatē uocat rem ipsam: ut sit gratia & ueritas, gratia quæ re ipsa & uerè gratia est. Sic Cicero pro Q. Roscio dicit, Quod est ueritate falsum: hoc est, reipsa. Hoc pacto loquitur Iesus infrà 6. cum negat à Mose mannam fuisse datā Israelitis: hoc est, negat illam mannam fuisse ueram mannam.

Elias es tu.

Elias es tu? Non sum. Vates es tu? Non.) Quod erat oraculis prædictum, uenturum esse Eliam, antequam ueniret Meßias: id ita erat intelligendum, uenturum esse uatem Eliæ similem, & Eliano spiritu præditum. Sicuti quæ in Apocalypsi de Babylone dicuntur, non de illa Babylone Chaldæorum intelligenda sunt. Quale est illud Maronis,

Atq; iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles: hoc est, Erunt adhuc bella & heroes, quale fuit Troianum, & Achilles. At Iudæi putabant ipsum Eliam uenturum: itaque rectè se eum esse negat Iohannes. Quòd autem etiam uatem se esse negat, sunt qui putent intelligendum esse de uate à Deo per Mosem promisso, hoc est, de Christo: idq; propter articulum, quòd non προφήτης, sed ὁ προφήτης dicatur. Sed cum antè de Christo interrogauerint, id esset superuacaneum: nisi fortè alium putabant fore uatem illum, quàm Meßiam. Sed si ita putarent, adderent profectò aliam interrogationem: Si uates ille non es, es'ne alius uates? id quod non faciunt, sed ita cōcludunt: Quid ergo lauas, si neq; Christus es, nec Elias, nec uates? idq; colligunt ex eius responsis, non habentes amplius quod nominent. Itaq; hoc posteriore loco non additur articulus, tametsi in quibusdam exemplaribus additur: sed uidentur, qui addunt, secuti esse Theophylacti autoritatem, qui se addidisse testatur. Ego neq; in priore detrahendum, neq; in posteriore addendum puto: sed idem esse illic ὁ προφήτης, quod hic προφήτης: quoniam autores sacri in Græco sermone sæpe articulum addunt superuacaneum. ut Apoc. 3. οὐκ οἶδας, ὅτι εἶ ὁ ταλαίπωρος. Cuius rei causa est, quòd habent Hebræi duos articulos: quorum unus,

De articulis Hebræis.

qui est ה, sæpe cum alijs coniungitur, & tamen Græcè declarari non potest: ut, Creauit Deus אתהשמים ואת הארץ: hic uides duos articulos, quorum prior את Græcè declaratur, τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν: sed alter exprimi non potest. At hi autores, qui sæpe in Græco sermone hebraisant, eum exprimere conantur. Itaq; qui Hebraicè dicitur הנביא, eum Iohannes, ut articulum exprimat, sic appellat, ὁ προφήτης. quanquam ה per ὁ aliquando exprimi potest. Sed id quando faciendum sit, ex sententia conijciendum est. Hoc autem loco Germanicè & Gallicè & Italicè articulus uel omitti potest, uel sic exprimi: ein prophet, un prophete, uno profeta, si Græcū articulum omittas. Sin autem addas, & propriè loquaris, ὁ προφήτης erit, der prophet, le prophete, el propheta. qua de re nonnihil Lucæ 15. scripsimus. Et hæc de uerbo. Quod ad sentētiam attinet, non se negat esse uatem Iohannes: erat enim uates. sed ita loquitur, ut si Persarū regem ita roges, Es'ne rex? Non sum. Quid ergo? Regum rex. non se neget esse regem. Atq; hoc pacto loquitur Deus Num. 11. Dabit uobis Ioua carnem, inquit, quam comedatis: & comedatis non uno die, non duobus, non quinq;, non decem, non uiginti, sed ad menstruam diem. Non negat comesuros esse uno die, aut duobus, &c. sed plus dicit. Tale est quod dicimus, Non semel: hoc est, plusquam semel. Sic hoc loco Iohannes se non uatem, sed maximū uatem, & (ut Iesus de ipso loquitur) plusquam uatem esse ostendit. Atq; ita esse, apparet ex eo quod dicit, Ego sum uox in solitudine clamantis, Corrigite Domini uiam.) Nam id esse uatis officium, apparet ex eius patris Zachariæ carmine, ubi sic legitur: Et tu puer Supremi uates uocabere. Subijcitur deinde ratio: Præibis enim Domino, paratum uias eius, &c.

Equidem eum non noueram.) Sciebat Iohānes Meßiam esse natum, & se ei præmissum: alioquin ignoraret suum ipse munus, & Zachariæ patris sui carmē. Sciebat etiam suum esse cognatum, ex Maria natum, quippe quem iam in utero matris agnouisset. Quòd si uel non agnouerat in utero, uel postea per ætatem oblitus fuerat: at certè id à parentibus aut alijs didicerat, nec poterat tantam, tam recentem, tam sibi cognatam coniunctamq; rem ignorare. Sed cum unà cum Iesu non uixisset, eum de facie non nouerat. Verùm cum primùm uenientem uidit, agnouit, uidelicet afflatus diuinitùs, quemadmodū eius mater Elisabeta Mariam Domino esse grauidam eius aduentu intellexerat. id quod ex eo patet, quòd dicit se ab eo debere lauari. Acceßit deinde ad hanc diuinitùs inspiratam cognitionem, etiam spiritus in Iesum columbæ forma delatus, quibus rebus Iesum Iohannes agnouit. Itaq; quòd dicit eum sibi non fuisse notum, intelligendum est de facie, idq; antequam ille ad eum lauandus uenisset.

EX CAP. II.

Quid tum postea?) Ad uerbum, Quid mihi & tibi? quæ sanè loquendi ratio aliquando sic uertenda est: Quid mihi tecum rei est? nonnunquam, ut nos interpretati sumus. ut 2. Reg. 16. ubi sic ad uerbum legitur: Quid mihi & uobis filij Saruiæ, si conuiciatur? &c. ubi inepta erit sentētia, si sic uertas: Quid mihi uobiscum rei est, si conuiciatur? At si sic, Quid tum postea, si conuiciatur? erit aptißima. Aliquando est, Quid istud? ut 4. Reg. 17.

EX CAP. III.

Nicodemus Iudæorum primarius.) Tota hæc Nicodemi & Iesu collocutio obscura & abrupta est. Eam quia in Dialogis sacris fusius explicaui, hic supersedeo.

Voluptatem ex sponsi uoce capit.) χαρᾷ χαίρει, gaudio gaudet: si ad uerbum uertas, quomodo locutus est Plautus. Sed id mihi nimis Plautinū uisum est. Significat autem nihil aliud, quàm gaudet: ut uitam uiuere, & seruitutē seruire, nihil aliud est quàm uiuere, & seruire. Sed licet huiusmodi Hebraismos ita explicare, ut quod est morte mori, dicamus mortem oppetere: cupiditate cupere, cupiditate duci, aut teneri: aut si res ita ferat, uno uerbo, quæ erant duobus dicta, reddamus.

Terrestria loquitur.) ἐκ τῆς γῆς, pro τὰ τῆς γῆς: quem Hebraismum ostendimus in Psal. 68.

Et messor mercedē accipit, & sator fructum cōgerit.)

In Græco deest uox Sator: quæ ideo subijcienda est, quòd non messoris est, sed satoris, fructum percipere. Adde quod sequitur, Vt & sator simul gaudeat, & messor: sator scilicet fructu percipiendo, messor autem mercede. id quod intelligi non potest, nisi satoris nomen ex orationis conclusione, intelligas etiam in propositione. Huiusmodi curtæ sententiæ extant etiam in profanis literis: ut in 1. Timoth. 4. Deo uolente, demonstrabimus.

EX CAP. V.

Bethesda.

Apud ouiaricam piscinam.) κολυμβήθρᾳ in datiuo duas ob causas lego: primùm, quòd προβατικῇ sine substantiuo non bene poneretur: deinde, quòd piscina diceretur Bethesda, quod uerbum non piscinam, sed domum sonat. est enim à beth & he sed deductum uerbum: hoc est, domus benignitatis, in qua benignè fit pauperibus, quæ πτωχοδοχεῖον dicitur.

EX CAP. VI.

Carnem Christi comedere.

Quid si uideritis filium hominis eò ascendentem, ubi erat anteà?) Vobis absurdū uidetur, inquit, quòd dixi meam carnem comedendam, sanguinem'que bibendum, ei qui saluus esse uelit. Atqui id tum multo absurdius uidebitur, cum in cœlum (id quod uobis spectantibus facturus sum) ascendero. Sic enim tum dicere licebit: Iussit suum corpus comedi Christus, & tamen in cœlum ascendit. Quomodo nunc id comedemus in terris, quod in cœlo sit? O' tardi: facit ista tarditas, ut mea uerba absurda esse uideantur, cum non sint. Nam caro quidem nihil prodest: non enim comedetur, sed in crucem uestra causa tolletur, mortuaq; resurget, & in cœlum ascendet. Sed quia uestra causa crucifigetur, atq; hac ratione uobis uita conferetur, dixi eam uobis esse comedendam, quæ mea uerba spiritus & uita sunt: hoc est, meus de uita per carnem meam consequenda sermo spiritualis est. nam & meum regnum spirituale est. Sed quia uos homines mortales alloquor, humano more loquor: & cum indicare uolo, me uobis esse uitam daturum, dico meam carnem uobis esse comedendam, sanguinemq; bibendum: quoniam mea caro & sanguis ob conferendam uobis uitam pœnas dabunt. ut comedere me, conueniat cum eo quod suprà dixi, Ego sum panis uitalis: qui uenit ad me, nunquam esuriet: & qui mihi fidem habet, nunquam sitiet. Vide 1. Paral. 11. quod ad sanguinem bibendum attinet.

EX CAP. VIII.

Verborum resolutio.

Vt qui sit mendax, mendacijq; pater.) Ad uerbum sic legitur, Vt qui sit mendax, & eius pater: quæ oratio resoluenda est, quomodo illa apud Ezechielem cap. 33. ubi sic ad uerbum legitur, Et iustus non poterit uiuere per eam, si peccauerit: scilicet per iustitiam, quæ in iusti nomine intelligitur. est enim iustus is, in quo inest iusticia. ut sic orationem resoluamus: Is in quo inest iusticia, non poterit uiuere per eam. Et Prouerb. 14. In Ioue metu tuta est potentia, eiusq; filijs erit perfugium: eius scilicet, Iouam metuentis. Hoc pacto hanc orationem resoluemus: In diabolo inest mendacium, isq; mendacij pater. Nec obstat, quod patris nomini additur articulus ὁ. nam & eum aliquando superuacaneum esse, alibi ostendimus: & hoc loco potest nullo discrimine uel adhiberi, uel adimi: quemadmodum Gallicè utrunq; dici potest, Il est le pere, aut, Il est pere de mensonge. Ab hac loquendi ratione non abhorret quod est apud Plinium lib. 28. cap. 9. de lacte: Stomacho, inquit, accommodatißimum caprinum, quoniam fronde magis quàm herba uescuntur: scilicet capræ, quæ in uoce Caprinum intelliguntur. ut sit lac caprinum, lac caprarum, quæ capræ, &c.

Præsens tempus continuationem significat.

Antequam Abrahamus esset, ego sum.) Quòd uerbo præsentis temporis utitur, significat continuationem. ut cap. 14. Tamdiu uobiscum sum: hoc est, fui & sum: quod utrunque præterito tempore non declararetur. Sic Latinè, Iam quatuor dies ægrotat.

EX CAP. IX.

κρίνειν.

Ad eiusmodi discrimen ego, &c.) κρίνειν est aliquando, cum ratione & delectu discernere. ut suprà cap. 8. Multa habeo de uobis λέγειν καὶ κρίνειν: hoc est, λέγειν μετὰ κρίματος, dicere cum iudicio ac ratione. Atque hoc modo loquimur Latinè, cum aliquid dicimus nullo iudicio factum, hoc est, imprudenter, & absq; delectu ac ratione. Sed hoc loco quoniam iudicij uocabulum parum quadraret, Discrimen reddidi.

EX CAP. XIII.

Nunc filius hominis illustratur.) ἐδοξάσθη præteriti temporis est, quod Hebræo more pro præsenti subinde ponitur: cuius exempla quoniam infinita sunt, adducere non est opus. Hoc etiam apud Latinos fieri in nonnullis uerbis uidemus, memini, noui. item in alijs, Profuit id facere: pro prodest, aut prodesse solet. Atque ut semel hoc admoneam, tempus pro tempore poni, in his libris est usitatißimum. Tēpus pro tempore.

EX CAP. XVIII.

Trans torrentē Cedronem.) Cum Cedron sit Hebræum nomē singularis numeri, aut articulus τῶν superuacaneus est, aut τοῦ legendum est: quod facilè potuit ab aliquo Græculo deprauari, qui cum κέδρων cedros esse putaret (ut esset, si uox Græca foret) uoluit solœcismum euitare, & ex τοῦ κέδρων fecit τῶν κέδρων. Video enim quædam huiuscemodi ignoratione Hebraicæ linguæ fieri: ut in Ierusalem & Ierubaal, quæ uerba Græca arbitrati Græci, fecerunt ἱεροσόλυμα & ἱεροβάαλ, quasi παρὰ τὸ ἱερὸν ducta forent. unde factum est, ut cum ea apud Hebræos non aspirentur, apud Græcos, & porrò apud Latinos aspirentur. Hæc ego non mutandi, sed indicandi causa dico. nam utrum huiusmodi nomina aspires, an non aspires, nihil referre arbitror. Cedron.

EX CAP. XXI.

Iuuenes nunquid pulmentarij? &c.) παιδία uocat, quod Hebræi נערים quod uocabulum puerorum est & iuuenum commune: sicuti Gallicum, enfans. παιδία.

Trahentes rete piscium.) Hoc est, in quo pisces erant: eo modo dictum, quo dixit Cicero scutellam dulciculæ potionis, & calicem mulsi.

IN ACTA APOSTOLORVM.



Voniam etiam acta pro gestis Latinè interdum dicuntur, & hoc nomine liber hic uulgò citari solet, nolui mutare titulum. Acta.

EX CAP. I.

Quæ Iesus & facere & docere instituit.) Ad uerbū, Quæ Iesus cœpit facere & docere: hoc est, quæ fecit & docuit. Vt 4. Esd. 4. Quàm magnam aream incipient facere? & 6. Cœperunt dominari nostri. & 9. Inchoaui dicere coram altißimo. &, Initium uerborum Esdræ: hoc est, Sequuntur uerba Esdræ, quorum initium hoc erit. Tale uidetur illud Marc. 1. Initium Euangelij.

EX CAP. II.

Quædam quasi ignis linguæ.) Mollius esset, Igneæ linguæ: sed quia uerbum sequens, quod ad ignem refertur, est singularis numeri, si dixissem Igneæ, aut Insederunt fuisset dicendum, aut Insedit ad nomen ignis referendum, quod in Igneæ tacitè subesset: quomodo in Iohanne dicitur diabolus mendax, & eius pater, scilicet mendacij. Sic hoc loco dictum esset, Igneæ linguæ qui insedit, scilicet ignis: sed id obscurius esset.

Et diuersis loqui linguis cœperunt.) Hoc loco tenere me nequeo, quin eos redarguam, qui putant discipulos sua lingua locutos: sed miraculo factum, ut nemo non intelligeret, perinde ac si suam quisq; linguam audiret. Vt si diceret discipulus, uerbi gratia, elohim, audiret alius σιὸς, alius θεός, alius Gott, alius Deus, alius dieu, alius dio. Qui ita dicūt, quæso quid aliud dicunt, quàm mentitum esse Lucam, qui disertis uerbis dicat, eos loqui diuersis linguis? id quod fore promiserat Christus? At id non esset loqui linguis, sed lingua: & tamen subditur, Prout eis spiritus fari dabat. Quid est fari? est'ne idem quod audiri? Deinde non esset in loquentibus miraculum, sed in auditoribus. Itaq; non essent ebrietatis accusandi loquentes, sed Iudæi, qui ea audirent quæ non dicerētur. Præterea mentitus esset Paulus 1. Corinth. 14. qui dicit: Qui lingua (scilicet peregrina) loquitur, non homines alloquitur, sed Deum: nemo enim audit, hoc est, intelligit. Huic enim responderi posset, audire De apostolorum linguis.

dire omnes suum uernaculum sermonem, nec ulla opus esse interpretatione, quam tamen adhiberi iubet. Linguam enim diuinitus inspiratam (de cuiusmodi loquitur) ab omnibus intelligi. Ad haec imperfectum mancumq; foret hoc discipulis tributum munus: minusq; eis, quàm auditoribus, datum esset. Non enim tantum loquendum erat, sed audiendi etiam, qui interrogare colloquiq; uellent. Quòd si Petrus (exempli causa) cum aliquo Partho colloqueretur, Parthus Petrum intelligeret. Quid Petrus, Parthum non intelligeret? Quomodo ergo interroganti Partho responderet? Necesse esset, ut aut Parthus Hebraicè loqueretur, (ita Parthus, non Petrus, linguã ex tempore didicisset) aut Petrus Parthicè loquentem intelligeret. ita fieret, ut Petrus Parthicè & sciret, & quia posset, loqui deberet: aut ut Parthicè loquens Parthus, Hebraicè loqui putaretur: ita nihilo plus in Petro, quàm in Partho foret. Aut ut interpres adhiberetur: ita inutile linguarum munus esset. Neq; uideo quae res hunc errorem pepererit, nisi quòd non putant eundem hominẽ eodem tempore diuersis posse loqui linguis: neq; uident se, dum monstrum fugiunt, in monstrum incidere. Nec enim minus est monstrosum, te, cum ego dicam samaijm, audire coelum, aut οὐρανὸν, quàm me eodem momento utrunq; sonare. Sed neutrum horum monstrorũ inuehere necesse est. Non scribit Lucas, aliquem uno tempore tot linguis locutum esse, id quod fieri non potest: sed diuersis linguis locutos esse, ut cuiuscunque nationis homines nacti essent, eos ipsorum sermone affarentur: ut hic Petrus Asianos nactus, Asiaticè alloqueretur: illic Iohãnes Aegyptios, Aegyptiacè, aut idem quosuis quouis sermone, prout in quosq; incidisset. ita quòd diuersis loquuntur linguis discipuli, id contra naturam non est: sed quòd ex tempore didicerunt linguas, id diuinum, contraq; naturam est. quemadmodum Lazarum in uitam reuocatum uiuere, mirum non est: sed in uitam reuocari, mirum fuit. Quòd nisi haec sic interpretemur, faciemus ex diuinis operibus praestigias, ut res non agatur, sed agi uideatur: ut si quis circulator ensem deuorare uideatur, cum non deuoret. Certè non aliud esset, si discipuli peregrinis loqui linguis & dicerentur & uiderentur, cum id non ita esset. Hoc loco mirabitur non nemo (cui hic locus primo aspectu fuerit apertissimus) me tantum chartae in explicanda re tam perspicua impẽdere: & sanè cum totum intactum praeterijssem, nisi ueritus essem, ne rudibus imponeret alicuius autoritas.

De summo patre Dauide.) Quomodo ἀρχιερεὺς summus sacerdos dicitur, & ἀρχίατρος summus medicus, & caetera deniq; ab ἄρχειν composita: sic πατριάρχης Latinè summus pater appellari potest, & est dignitatis uocabulum. *πατριάρχης.*

EX CAP. V.

Summus sacerdos, & fani antistes.) τὸν ἱερέα uocat, quem paulo antè uocauit ἀρχιερέα: sicut Hebraeis הכהן idem saepe dicitur, qui הכהן הגדול. Non habent enim Hebraei nomen unum, quo summum sacerdotem à sacerdote distinguant. Itaq; pontificem, sacerdotem summum appellant, nonnunquã etiam sacerdotem: quemadmodum Latini summum poetam, appellant poetam. *ἱερεύς.*

Iesum Christum nunciare.) Est quidem εὐαγγελίζεσθαι propriè laetam rem nunciare: sed aliquando pro nunciare dicitur, sicut בשר quod cum idem declaret, ponitur aliquando etiam in re tristi: ut 1.Reg.4. *εὐαγγελίζεσθαι.*

EX CAP. VIII.

Nam tibi acerbam imminere bilem.) In Graeco est, χολὴν πικρίας, hoc est, bilem acerbitatis: quem Hebraismũ Latinè sic reddere licet, ut nos reddidimus, aut inuersione dicere bilis acerbitatem: quomodo Latini dicunt montium proceritatem, pro montibus proceris. quod Hebraeo more diceretur, montes proceritatis. Quod autẽ Imminere interpretatus sum, animaduertendum est, praepositionem εἰς aliquando futurum aliquid notare. ut Luc.2. οὗτος κεῖται εἰς πτῶσιν καὶ ἀνάστασιν πολλῶν: hoc est, Hic multis uel casui uel resurrectioni futurus est. hoc est, Ab hoc multis uel casus imminet, uel resurrectio futura est. Et quod paulo pòst interpretor, Te scelere constrictum esse: cum sit eadem praepositio, εἰς σύνδεσμον ἀδικίας ὄντα: alius tamen est praepositionis usus. sicut in eodem, quem modò adduxi, Lucae loco, ubi sequitur, εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον: quod non iam licet per uerbum imminendi conuertere. Est autem haec Petri sententia: Video tibi acerbam bilem, hoc est, graues à Deo poenas imminere, propter tuum scelus: ut patet ex sequenti Simonis responsione, qui eas deprecatur minas. Bilem autem, siue iram, pro poenis & Dei in homines animaduersione dici, notissimum est ex sacris literis. *Substantiuum pro adiectiuo. εἰς.*

EX CAP. X.

Qui erant à circuncisione fidentes.) A' circuncisione esse, est ex circuncisis esse: quomodo dixit Cicero, Qui sunt ab ea disciplina. πιστοὶ autem qui dicuntur, eos malo fidentes dicere, quàm fideles. nam πιστὸς in utraq; notione dicitur, ut πιστὸς ὁ θεὸς rectè fidelis aut fidus dicetur. Sed πιστὸς, cum de Christiano dicitur, fidentem significat, non cui habenda sit fides, qui fidelis Latinè dicitur: sed qui fidẽ habeat, scilicet Christo. Volo autem Fidens nomen esse, sicut κλητὸν in Paulo, qui uocatus aut euocatus ita dici potest, ut sit nomen, nõ participiũ: quasi tu dicas, uocatiuus. Atq; huiusmodi nominibus utuntur etiam Latini, cum accensos, & euocatos, & legatos dicunt: ne nobis idem, urgente necessitate, facere nefas putemus. *Esse à. πιστός.*

EX CAP. XIII.

Dabo uobis fidelem Dauidis benignitatẽ.) Locus est ex Esa.55. ubi חסדים (sicut & alibi saepe) beneficia sunt, siue beneficẽtia. quae hic minus propriè ὅσια uocantur, quoniam illud idem uerbum apud Hebraeos pietatem significat, quae in his libris ὁσιότης appellatur. Sic autem habet Esaiae locus: Feriam uobiscum foedus aeternum, fideli Dauidis benignitate (siue beneficentia) quem populorum monitorem, quem ducem praeceptoremq; populorum daturus sum. Hunc locum rectè de Christi resurrectione citat Paulus. Cum enim Christus hic Dauid appelletur, necesse est ut sit homo, & porrò ut moriatur. Atqui hic promittitur, eius fidelem fore beneficentiam, hoc est, ratam, firmam, certam, durabilem: hoc enim declarat uerbum fidelis, aut fidus, etiam apud Latinos, cum fidam pacem, aut fidelem ad perpetuitatẽ materiam dicunt. Quòd si durabilis futura est, & aeterna Dauidis nostri benignitas atq; foedus, necesse est ut sit ipse sempiternus. nam si desijsset ipse, eius quoq; foedus finem haberet. Quòd si sempiternus est, & tamẽ homo, hoc est mortalis, necesse est ut moriatur, deinde in uitam infinitam redeat, atq; ita in suos Israelitas conferat beneficia sempiterna. *ὅσια.*

EX CAP. XVII.

Omnia denique conferat.) καὶ τὰ rectè legitur, non κατά.

EX CAP. XVIII.

Et cum eo Priscilla & Aquila, cum caput totondisset.) Paulus an Aquila caput totonderit, certò affirmari non potest ex sermone Graeco. Vero tamen propius uidetur, hoc de Aquila dici, ex eo quòd Lucas uxorem uiro praeposuit. cuius ordinis (cum aliàs non soleat) quae causa fuerit, non uideo, nisi ut intelligeretur participium κειράμενος ad Aquilae nomen, cui protinus coniungitur, referri: quod non fieret, si Aquilam anteposuisset.

EX CAP. XIX.

Vel potius ne eius.) μᾶλλον δὲ, non μέλλειν τε, legendum est.

EX CAP. XXVII.

Quòd trãquillitas praeterijsset.) διὰ τὸ καὶ τὴν νηστείαν ἤδη παρεληλυθέναι, Quòd ieiuniũ iam praeterijsset. Sed quid ieiunium ad nauigandi periculum? Nam si ieiunium uoces inediam, ea esse quae poterat? cum essent in portu, & posset amplissima insula suppeditare commeatum, & paulo pòst dicantur nauem exonerare frumento. Adde quòd neq; νηστεία dicitur pro λιτία, neque id cum uerbo παρεληλυθέναι quadrat: oporteret enim inediã non praeterijsse, sed instare: neq; id inedia, sed commeatus penuria dici deberet. Sin ieiunium dicas ieiunandi tempus, id neq; nauticae rei conuenit, neq; quicquam ad rem facit. Equidem dum diligentius narrationem hanc considero, suspicor non νηστείαν, sed γαλήνην legendum esse, hoc

est, à uentis tranquillitatem. nam id & cum narratione conuenit, & facilè deprauari potuit à mediocriter docto, qui uerbi ὀλιγωρίας uim ignoraret.

IN PAVLI EPISTOLAM AD ROMANOS.

EX CAP. I.

σάρξ. Vod ad carnem attinet.) σάρκα in sacris literis aliquando corpus esse, declarauimus in Genesi. Nonnunquam significat rem corporatam: unde πᾶσα σάρξ, omnes homines, aut etiam omnia mortalia. Inde in Iohan. 8. κατὰ σάρκα κρίνειν, quod solet dicere Paulus κατ' ἄνθρωπον. Itaq; poßis hoc uerbum Latinè humanitatem, aut humanam conditionem, siue naturam appellare, aut etiam corpus. Nam in huius epistolæ cap. 7. Paulus dixit, τὰς πράξεις τοῦ σώματος, pro τῆς σαρκός. Hinc σαρκικός, idem qui humanus, terrestris, corporalis: cui opponitur πνευματικός, qui Latinè diuinus, à diuino spiritu ritè dici potest. Sed cum omnibus artibus permittantur sua uocabula, nobis permitti debet, ut saltem in translatione carnem & spiritum, sicubi uidebitur, appellemus, ne quem offendamus: sic tamen, ut id citra superstitionẽ faciamus. Cum enim Paulus ipse eadem de re non semper idem uerbum ponat, nos quoque in uerbis cogi non debemus, modò de re constet.

Omnibus qui Romæ estis, gratiam & pacem.) Ad uerbum sic legitur, Gratia uobis & pax: qui Hebraismus est in accusatiuum Latino more mutandus. Pacis autem uocabulum in salutationibus apud Hebræos poni, & salutem Latinè dici posse, aliàs ostendi. Sed id fieri non semper necesse est, præsertim ubi cum alijs coniungitur.

καρπός. Vt profectum aliquem apud uos quoq; faciam.) καρπὸν uocat προκοπήν, scilicet Euangelij: ut ad Philip. cap. 1. ubi utrunq; eadẽ de re ponitur. Inde καρποφορεῖσθαι, hoc est proficere, dicitur Euangelium, Coloss. 1.

σοφός. Doctis ac imperitis debeo.) σοφὸς etiam Græcis, ut חכם Hebræis, nõ solum sapientẽ, sed & doctum declarat. & apud Latinos olim, teste Cicerone, ijdem erant docti, qui sapientes.

EX CAP. III.

Iustificare. Fidem habentes iustificet.) Verbum hoc etiam Ciceronianis ferendum uidetur: nec enim durius est, quàm turpificare. Idem dico de propitiatorio, & præputiato. quæ cur minus quàm decretorius, & capitatus, & hastatus, & clypeatus dici poßint, non uideo: præsertim cum huiusmodi uerba & sæpe occurrant, & ad rem significantius exprimendam pertineant.

Fides. Iam fidei uocabulum, ut nos in hoc argumento utimur, etiam Latinè poni, docuit Budæus, adductis ex antiquitate exemplis. Si enim fidem habere Christo, rectè dicitur: cur ea res fides dici non poßit, nulla causa est. ne eorum superstitioni obtemperemus, qui uolunt persuasionem appellari: cum id uerbum nec ubiq; quadret, nec prorsus idem declaret.

Persuasio. Nec enim idem planè est persuasio, quod fides, aut fiducia. nec poßis dicere, Persuasionem habeo Christo: quomodo, Fidem habeo Christo, aut, Fiduciam habeo in Christo collocatam. Neque, Magna est tua persuasio: quemadmodum, Magna est tua fiducia, aut fides. Deniq; paucis locis persuasionem pro fide rectè dixeris, & ea proprio nomine πεποίθησις appellatur, & cum fide coniungitur, ad Ephes. 3. Iam uerò, si autoritate utendum est, non uideo cur hac in re sit repudiandus Iacobus Sannazarius, poeta uel cum paucis antiquorum conferendus, & idem in uerborum delectu etiam ad superstitionem diligens, apud quem sic discedentem Gabrielem alloquitur Maria:

Iamiam uince fides, uince obsequiosa uoluntas.

Substãtiuum pro adiectiuo. Qui & circuncisionem fide, & præputium per fidem, &c.) Hoc est, circuncisos & præputiatos: quomodo academia & iuuentus pro academicis & iuuenibus dici solet. Quòd autem aliter uertimus in cap. 2. in causa fuit sententiæ conditio. Sic enim illic ad uerbum legitur: Quòd si præputium legis instituta conseruet, nimirum eius præputium pro circuncisione habebitur. Vbi relatiuũ Eius, masculinum est in Græco sermone, cum præputium ἀκροβυστία sit fœmininũ: ex quo apparet, præputium pro præputiato dictum, ut cum relatiuo conueniat. id quod Hebræorum more factum est, qui rara habent huiusmodi à substantiuis adiectiua: itaq; substantiuis utuntur pro eis. Idem fit sæpe in nomine ἔθνος, quod gentem significans, ponitur pro extraneæ gẽtis hominibus. ut Act. 15. Et gentes omnes qui à nomine meo denominantur: ubi Græcè Gentes neutrum, Qui masculinum est.

EX CAP. IIII.

Qui sontem iustificat.) רשע quandoq; sontem, & qui alteri facit iniuriam, declarat: ut Exod. 2. In ea notione positum est hoc loco uocabulum ἀσεβής, ut & cap. 5. ubi idem est ἀσεβὴς & ἁμαρτωλός. ἀσεβής.

Verborum trãspositio. Non ijs solũ, qui sunt à circuncisione.) τοῖς οὐκ ἐκ περιτομῆς μόνον, dictum est, pro, οὐ μόνον τοῖς ἐκ περιτομῆς, ut rectè uertit uetus interpres. sicut ad Thess. 1. ἀφ' ὑμῶν γὰρ ἐξήχηται ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, οὐ μόνον ἐν τῇ μακεδονίᾳ, ἀλλὰ καὶ ἐν παντὶ τόπῳ ἡ πίστις ὑμῶν ἐξελήλυθεν: pro, οὐ μόνον γὰρ ἀφ' ὑμῶν, &c. Talem uerborum transpositionem inuenies & 2. Tim. 2. ubi nos uertimus: Laborandum agricolæ est, &c. & ad Hebr. 11. Est autem apud Paulum paulò perturbatior sententia, quæ sic enucleari potest: Abrahamus pater est omnium fidentium. Sunt autem fidentium duo genera, præputiati, & circuncisi. Non solum circuncisorum fidentium pater est, sed etiam præputiatorum fidentium. Eadem sententia paulo pòst sequitur: Non solum quæ à lege, uerùm etiam quæ ab Abrahami fide fit, qui noster omnium pater est.

Quomodo Abrahamus sit pater noster. Sed quomodo pater est, (dicet aliquis) cum sit mortuus? An patrem habemus mortuum? aut is pater dici potest, qui non est? Nam hæc pugnantia sunt, eundem esse & non esse. Interijsse, est non esse: patrem esse, est esse. Ergo idem qui interijt, pater esse non potest. Ad hæc respondet Paulus: Pater est noster non apud nos, quibus non uiuit: sed apud Deũ, cui uiuit, (ei enim uiuunt omnes) & à quo reuocandus est in uitam. Itaq; Deus eum iam uocat Multiparentem (hoc enim declarat Abrahami nomen) perinde ac si iam esset multiparens, cum tamen nondum sit nobis, sed futurus est: nam à Deo reuocabitur in uitam. Nunc iam est Deo, cui sunt omnia præsentia. Similis est & illa Luc. 20. Christi sententia: Viuentium Deus est, non mortuorũ: quippe cum ei uiuãt omnes. de qua ibi ideo nihil scripsi, quòd eam nondum intelligebam: uidebatur enim animorum immortalitatem ostendere, cum de resurrectione disputaret. Quanquam ne nunc quidem de ea affirmabo: tantum dicam, quid mihi uenerit in mentem.

Quomodo uiuant omnes Deo. Cum dicatur Abrahami, Isaaci & Iacobi, necesse est ut aut illi uiuant, aut Deus sit mortuorum Deus. Atqui mortuorum esse Deum, est nullius esse Deum, cum mortui nõ sint. Necesse est ergo, ut illi uiuant. Sed non uiuunt. Fateor, non uiuunt hominibus: quibus tantum præsens uita, præsens est: sed uiuunt Deo, qui eos in uitam reuocabit: quæ uita nobis futura, Deo præsens est. Ergo erit mortuorũ resurrectio. His Christus Sadducæos refellit. Sed quid sit omnes Deo uiuere, & ei omnia esse præsentia, adhuc manet obscurius. Nos sic conabimur exponere. Formicæ præsens est terra in palmi longitudinem: quoniam humili corpore, non cernit longius. Homini præsens est (exempli gratia) in decem palmorum longitudinem. Ita quicquid est intra unum palmum, id formicæ præsens est, nouem palmi sunt absentes. At homini & unus ille palmus, & reliqui nouem, præsentes sunt. Ita fit, ut idem & formicæ absens, & homini præsens sit. Adducam aliam similitudinẽ. Fluit aqua Rheni. Eius paruula portio mihi nunc præsens est, quæ paulo antè præsens erat Schafusianis, eadem paulo pòst præsens erit Argentinensibus. At sol totum hoc spacium præsens habet: tamq; ei præsens Argentina est, quàm Basilea. Sic tẽpus fluit, ut aqua: temporis pars ea, in qua sumus, nobis præsens est: at Deo, qui maximus est & sempiternus, uniuersum tẽpus, & quod fuit, & quod est, & quod erit, præsens est. Ita quòd reuiuiscet aliquando, & uiuet Abrahamus, id nobis absens & futurum est. At Deo id tempus, & proinde ea res, præsens adest. Vide 4. Esd. 5. ubi Dei iudicium circuli simile dicitur. Hæc ego caligantibus animi oculis dico, non affirmo.

EX

EX CAP. V.

Nam pro uiro bono fortasis aliquis mori sustineat.) *Rationem reddit, cur dixerit Vix. quasi hoc dicat: Quòd dico uix quenquam pro insonte mori, ideo uix dico, quoniam non omnino nego fieri posse, ut aliquis (tametsi rarus) insontis bo niq; uiri causa mori sustineat: fieri enim hoc potest. Sed sontis causa mori nemo sustinet: hoc Christi proprium est, & amoris inauditi. Vocat autem eundem* δίκαιον *iustum, quem* ἀγαθὸν *bonum. Nam* δίκαιος *à iusticia dicitur, à qua uiri boni denominantur: & eum opponit* ἀσεβεῖ, *siue* ἁμαρτωλῷ.

EX CAP. VI.

εἰς χριστὸν βαπτισθῆναι.

Quicunq; sumus Christi Iesu nomine baptizati.) εἰς χριστὸν *dixit, quomodo* εἰς τὸ ὄνομα, *aut* ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ χριστοῦ *aliàs dici solet. sed durius dixit, Hebraico more: sicut 1. Corinth. 10.* εἰς τὸν μωσῆν ἐβαπτίσαντο. *Mollius cohæret cum re, quàm cum persona. ut 1. Corinth. 12. dicitur, Vnum in corpus loti sumus: hoc est, ut unum corpus efficeremur. Sed & in persona propterea dici solet, quòd apud Hebræos personæ nomen sæpe pro re ponitur. ut sit in Christum, aut in Mosem lauari, idem quod, ad Christianitatem, aut ad Mosaitatem: hoc est, ut Christianus aut Mosaicus fias. Sic in Christo esse, aut mori, aut uiuere, &c.*

Vt peccati corpus aboleatur.) *Hoc est, ut peccatum aboleatur, quod corpus est: id est, quod similitudinem habet corporis, in eo, quòd quemadmodum corpus morte, ita peccatum uitæ renouatione aboletur. Vide animaduersa ad Coloss. 1.*

διά.

In paterna gloria resurrexit.) *Hoc est, gloriosus. Dixit autem* διὰ τῆς δόξης, *pro* ἐν τῇ δόξῃ. *ut cap. 4.* τῶν πιστευόντων δι' ἀκροβυστίας, *pro* ἐν ἀκροβυστίᾳ. *quomodo* διὰ βίου, *in uita dicitur. Atque ut idem est, Per omnem uitam, & In omni uita: sic idem hoc loco est,* διὰ δόξης, *&* ἐν δόξῃ. *Sed Latinè per gloriam, quomodo per uitam, eadem notione dici non potest.*

εἰς.

Cui uosipsos seruos præbetis obediẽdo.) εἰς ὑπακοὴν, *Hebræorum more dictum est, apud quos Lamed litera gerundij uim habet.*

Ei doctrinæ rationi, quæ uobis tradita est.) εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον, *pro,* εἰς τύπον ὃς ὑμῖν παρεδόθη. *Sicut ad Gal. 2.* πεπίστευμαι τὸ εὐαγγέλιον, *pro,* τὸ εὐαγγέλιον ἐμοὶ πεπίστευται. *Atq; ita loquuntur Græci & in hoc uerbo, & in alijs.* ἐγχειρίζομαι ὑπό σου τὴν βίβλον, *pro,* σὺ ἐγχειρίζεις μοὶ τὴν βίβλον. *Tale quiddam in 2. Corinth. 11. declarabimus.*

EX CAP. VII.

Vos quoq; perempti estis legi.) *Cum legem uiro, & homines mulieri comparauerit, uidetur hic dicendum fuisse, Vobis perempta lex est. ut conueniat similitudo hunc in modum: Vt mulier, uiro mortuo, libera est: sic uos, lege mortua, estis à lege liberi. Sed intelligendum est, hæc sic inter sese conuerti, ut sit idem: Vos estis legi mortui, &, Vobis mortua lex est: ut uos nihil rei cum lege habeatis, & lex nihil uobiscum rei habeat, non magis quàm uiui cum mortuis, aut contrà.*

EX CAP. VIII.

Per eum qui eam spei submisit.) διὰ τὸν ὑποτάξαντα, *pro* διὰ τοῦ ὑποτάξαντος *dictum est: ut paulo antè* διὰ ἁμαρτίαν, *quod ex sententia patet. Declarat enim quod dixit, Non sua sponte: hoc est, ab alio. quòd si diceret, Propter alium, posset id & sua sponte, & tamẽ propter alium fieri. Iam* διὰ *cum accusatiuo in hanc sententiam poni, etiam apud autores profanos, uideo. ut in Isocratis Panegyrico, ubi* δι' ἣν ἐσώθησαν, *pro* δι' ἧς ἐσώθησαν *dici, annotauit Hieronymus Vuolfius, eius interpres. Atq; idem mihi ostendit, bis eodem modo locutum Demosthenem in fine orationis pro Megalopolitanis.*

EX CAP. IX.

Maior seruiet minori.) *

EX CAP. X.

Et peccato peccatum damnauit.) *Admonuit me quidam, cum iam hucusq; imprimendo uentum esset, locum hunc rectius sic transferri, Et pro peccato: hoc est, ad delendum peccatũ: sicut alibi dicitur mortuus Christus pro peccatis nostris.*

EX CAP. XI.

Insitio.

Et tu oleaster in eos insitus es.) *Atqui non oleaster in oleam, sed in oleastrum olea inseri solet. Verùm cum Paulus radicem cum stirpe gentis Iudaicæ conferat, calamum autem insititium cum homine extraneo, si ab usitata inserendi consuetudine similitudinem duxisset, hoc erat incommodi, quòd Iudæi cum oleastro, extranei cum oliua fuissent comparandi. Quod cum esset absurdum (præstat enim Iudæa gens) maluit simile ducere ab insitione, non usitata illa quidem, sed quæ non minus fieri posit. Nam si oleastri insitum in oliuam inseras, uiuet oleastri insitum, & oliuæ humore nutrietur. Nec refert, quòd fructus non ferat urbanos, sed agrestes (semper enim talis est fructus, qualis est insiti flagelli natura) non enim de fructu loquitur Paulus, sed de inserendi ratione, & calami nutritione. Atque hactenus quadrat similitudo, quæ non est longius persequenda, quàm quoad pertinet ad id de quo agitur.*

EX CAP. XII.

οἰκτιρμός.

Per Dei misericordiam.) οἰκτιρμῶν *pluralis est numeri. Sed intelligendum est, quæ uerba apud nos habitum declarant, ea apud Hebræos & de habitu dici, & de actione: sed de habitu per pluralem numerum, de actione autem per utrumuis, prout uel una est, uel plures. Exempli gratia, si uolunt beneficium dicere, dicunt* חסד: *sin beneficentiam, utuntur eodem uerbo, sed in plurali numero. atq; idem faciunt, si beneficia significare uolunt. Exempla legendis sacris libris, quàm uoles multa inuenies. Igitur* οἰκτιρμὸς *est miseratio. At plurali numero, misericordia est, Hebraico more, ut rectè interpretatus est hoc loco uetus interpres.*

Seculum.

Ne'ue similes uos huic seculo præstate.) *Hoc est, huius uitæ hominibus. Ego ab hoc loquendi genere ideo recedere no lui, quòd & significanter dicitur, & Latinus sermo patitur. Nam & secla ferarum, pro genere ferarum, sæpe dixit Lucretius: & antiquorum quidam dixit, auaritiam aut ambitionem nunc tenere seculum.*

εἰς pro διά.

Et propter eum omnia.) εἰς αὐτὸν, *pro* δι' αὐτόν. *ut 2. Corinth. 2.* ἐλθὼν δὲ εἰς τὴν τρωάδα εἰς τὸ εὐαγγέλιον. *& Coloss. 1.* πάντα δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται. *Neq; non sic loquuntur Latini. ut Cicero, Ad memoriam aliquid notare: hoc est, ob memoriam. & Columella, In hoc factum est: pro, ob hoc ipsum,* εἰς αὐτὸ τοῦτο. *Sed Latinè cum personæ accusatiuo durius esset & obscurius, si diceremus omnia esse ad Christum. Itaq; malui dicere, propter Christum.*

EX CAP. XIII.

ἤγγικεν.

Discessit nox, dies adest.) *Scio* προκόπτειν *esse progredi, &* ἐγγίζειν *propinquare. Sed non dixit Paulus,* ἡμέρα ἐγγίζει: *sed,* ἤγγικεν. *Quod autem propinquauit, id iam non propinquat, sed adest. Atque hoc pacto ponitur hoc uerbum & aliàs sæpe, & Lucæ 10. Neq; uerò me præterit,* ἐγγικέναι ἀντὶ τοῦ ἐγγίζειν *sæpe dici. Sed id quomodo sit interpretandum, ex sententia discendum est. Hoc quidem loco Paulum non de futura luce loqui, sed de præsenti, ex eo apparet, quòd hortatur, ut honestè se gerant, ut in die: hoc est, ut nunc facere decet, cum dies est. Quòd si diem hanc uocaret resurrectionem hominum olim futuram, frustra hortaretur, ut honestè se gererent post mortem. Loquitur autem de luce Euangelij, qua exorta, cesserunt ignorantiæ tenebræ.*

EX CAP. XV.

In Christo.

Itaq; habeo quod in Christo Iesu glorier.) *Hoc est, in Christi Iesu negocio, siue in Christianitate, aut in re Christiana. qualis loquendi modus & suprà capite octauo, & infrà capite ultimo, sæpe occurrit. Ego non semper, sed tamen aliquando hunc loquendi modum retinere uolui, quòd ab eo ne Latini quidem abhorrent, ut in Esaiæ 29. declarauimus.*

IN PRIOREM AD CORINTHIOS Epistolam.

EX CAP. I.



NOn multi quidem sapientes.) *Ex uerbis his certò sciri non potest, an de ijs qui uocarunt ac docuerunt, an de ijs qui uocati sunt, loquatur. Sed tota disputatio ostendit, eum de Apostolis & Euangelij doctoribus loqui.* Quod enim paulo antè dixit, Quod Dei stultum est, id sapientius est quàm homines: *dixit profectò de Euangelica doctrina, quæ sit perituris stultitia, ut antè docuerat. Quod deinde subiungit,* Videtis enim quomodo sitis uocati: *rationem reddit eius quod de stultitia dixerat, ut ostendit coniunctio* Enim. *quasi hoc dicat: Quòd dico Dei stultitiam (ut ita loquar) esse sapientiorem quàm sunt homines, id ipsi uidetis in ijs, à quibus estis ad Euangelium uocati, qui sint ferè indocti, inopes, ignobiles: per quos tamen docti, potentes, nobiles cōfutantur. Itaq; quod hoc loco dicit Paulus,* Mundi stultissima elegit Deus, ut sapientes confutaret: *idem est quod antè dixerat,* Visum est Deo, per prædicationis stultitiam seruare fidentes. *Non enim confutantur sapientes ab ijs qui docētur, sed ab ijs qui docent. Considera lector totum orationis Pauli tenorem, & caput secundum, ubi idem in conclusione repetit, quod (ut fieri solet) in propositione dixerat: inuenies rem ita se habere. Quod autem* Mundi stultissima, &c. *uertimus* τὰ μωρὰ τοῦ κόσμου, *Hebræorum more dictum est, qui positiuis uti solent pro superlatiuis, quibus carent. ut,* συλλογισμένη σοὶ γυναιξίν, *pro* συλλογιστάτη τῶν γυναικῶν. & 1. *Corinth.* 12. τὰ ἀσχήμονα ἡμῶν εὐσχημοσύνην περισσοτέραν ἔχει, Nostri inhonestissima quæq; *maximam honestatem obtinent. Talia sunt & illa poetica,* δῖα θεάων, & ἤπιε πάντων. — Positiuus pro superlatiuo.

EX CAP. II.

Sapientiam autem loquimur apud perfectos.) *Sapientiam uocat reconditiorem doctrinam, & de rebus magis arduis. Perfectos autem, Christianos in doctrina prouectiores, & arcanorum capaces. Quasi hoc dicat: Quòd uos simpliciter Christum, eumq; crucifixum, docui, id non ideo feci, quod non haberem perfectiora, & longè maiora quæ docerem. Sed cum uos in Christi doctrina infantes, neque maiorum capaces essetis, docui rudimenta, & lacte uos (ut ita dicam) paui: quēadmodum dicit capite sequenti. Hæc sententia ex Pauli uerbis ita aperta est, ut nihil apertius: neque ego de ea uerbum fecissem, nisi uiderem in ea quosdam ita hallucinari, ut in luce uideantur oculos claudere & suos, & aliorum. Putant perfectos hoc loco dici Christianos quosuis, quibus Euangelium sit sapientia. Sed repugnant Pauli uerba. Non enim dicit,* σοφίαν λαλοῦμεν τὴν ἐν τοῖς τελείοις, *ut* ἐν τοῖς τελείοις *referatur ad* σοφίαν: *sed refertur ad uerbum loquimur,* σοφίαν λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις. *Dicet quis: Quid, inter imperfectos & rudes Christianos non loquitur sapientiam? Non loquitur. Sapientiam enim uocat, perfectiorem & magis arduam ac difficilem doctrinam. sicut in Apocal.* 13. σοφία *uocatur, acuta quæstio & ænigma de bestiæ numero. Et Demosthenes in Epistola de Lycurgi liberis,* ταῦτα μὲν σοφώτερα ἢ καθ' ἑαυτὸν εἶναι: *Hæc acutiora esse, quàm ut ea consequi posit. Hæc ergo Pauli reconditior doctrina inter rudimenta tradi non potest. de qua loquens Paulus paulo pòst, dicit:* Sed quæ nec oculus uidit, &c. *quæ oratio refertur ad uerbum* λαλοῦμεν. *Loquimur non humana, neque uulgaria: sed quæ nec oculus uidit, &c. scilicet cum sumus inter perfectos, & horum arcanorum capaces. Itaque ibi bis ponitur articulus* ἃ, *hoc est quæ: quorum prior ad* λαλοῦμεν, *posterius ad* ἡτοίμασεν *referendum est: quæ oratio aliter intelligi, aut apta esse non potest. Itaque qui aliter interpretantur, alterum articulum uel omittunt, uel superuacaneum putant: id quod non est faciendum, nisi ubi aliter sententia constare nullo modo potest. Quòd si uerba etiam ad illorum sententiam duci se, non trahi, paterentur, tamen sententia inepta foret. nam neq; perfectos dicere potest Paulus Corinthios, quos capite sequenti uocat* σαρκικούς, *hoc est, humanos & rudes: &* νηπίους, *hoc est, infantes ac imperfectos: causam reddens, cur eos sapientiam, hoc est perfectiora, docere non potuerit: & si perfecti uocarentur quicunque Christiani, imperfecti dici possent qui non sunt Christiani. Atqui imperfectus dici non potest, nisi qui est inchoatus, & in quo aliquid iam factum est: id quod in non Christianos cadere non potest, neque unquam de eis, quod sciam, dici comperies. Neque est quòd abhorreas ab hac Pauli sententia, quasi nihil maius aut abstrusius solitus sit apud perfectos loqui, quàm ea sunt, quæ extant in eius scriptis. Nam si Paulo (qui perfectus erat) maiora ostendit Deus, quid uetat Paulum ea declarasse perfectis? An indigniores erant illi audire, quàm Paulus uidere? Cur ergo ea non retulit in literas? Quoniam literas pleriq; legunt imperfecti, qui tam ardua capere non magis possunt, quàm puer abecedarius intelligere, quæ sunt in dialecticis difficilima. Lege 4. Esd. 14.* — Sapiētia apud perfectos.

Nisi hominis spiritus, qui in eo est.) πνεῦμα & *animum & spiritum declarat, Hebræorum more, apud quos est* רוח. *Ego cum in hac sententia, Dei animum dicere non auderem, præsertim cum in sequentibus non conueniret, & tamen in utroq; membro idem nomen ponendum esset, spiritum hominis dixi, pro animo.* — πνεῦμα.

EX CAP. IIII.

Quis enim de te iudicaturus est?) διακρίνει *dicit, quod antè dixerat* ἀνακρίνειν, *iudicare, & sententiam ferre. & præsenti utitur pro futuro, ut ferè solet: ut suprà,* ὁ ἀνακρίνων με κύριός ἐστιν. *Estq; eadem sententia: Quis de te iudicium laturus est, utrum sis cæteris excellentior? Dominus Christus. Cur ergo tu teipsum præfers alijs, quasi sis ipse iudex: id'que facis ante tempus, cum sit expectandum Domini iudicium?* — Διακρίνειν.

Sine nobis regnatis.) βασιλεύειν, *sicut* מלך, *& regnare, & regnum adipisci est. Iam qui regnum adeptus est, is regnat. Itaque rectè præteritum* ἐβασιλεύσατε *per præsens Regnatis, reddidit uetus interpres, sicut &* ἐπλουτήσατε. — Βασιλεύειν.

EX CAP. V.

Cum uobis sit de uestris iudicandum.) κρίνετε *indicatiui modi est, qui sæpe sic declarandus est, ut nos reddidimus: quale est illud Matth.* 11. σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἕτερον προσδοκῶμεν: *An nobis alius expectandus est? Atque ita loquuntur Latini: Quid agimus? pro, Quid nobis agendum?*

EX CAP. VI.

Idq; sub infidentibus.) ἀπίστοις, *si de homine Christiano dicatur, potest Latinè diffidens appellari. Sed hoc loco cum de homine à Christi religione alieno positum sit, non satis propriè diffidens dici potest. Est enim is, qui est fidei, hoc est religionis Christianæ expers. Hanc ob causam putaui audendum mihi, & nouo uerbo in re noua utendum. Quòd si Ciceroni indolentiam dicere fas fuit, & alia quædam in rebus antea Latinè non tractatis fingere uocabula, quid uetat & nos inopiæ nostræ succurrere?* — Infidens.

Quiduis mihi licet, &c.) *Pergit ab impudicitia dehortari, per dissimilitudinem, hoc pacto: Non eadem est libertas utendi qualibet uenere, quæ est utendi quolibet cibo. Nam cibo quouis licet uti, modò id non officiat cuiquam: quod fieret, si quis adhuc in fide infirmior, offenderetur me uescente. Nam ubi hinc periculum sit, ego nolim ita obnoxius esse ulli rei, uerbi gratia, meo uentri aut appetentiæ, ut non potius à carne me abstineam, quàm quenquam lædam. Cæterùm quod ad cibos attinet, licet quouis cibo uesci. nam ciborum nullus est usus, nisi comedantur: & uentris nullus est usus, nisi comedat. Ita alterum alterius causa creatum est. Cur ergo non licet quauis uti uenere, sicut quouis cibo? Quoniam cum uenter cibo seruiat, corpus non libidini, sed Christo seruire debet. Venter enim ita abolebitur, ut in altera uita, ad quam nos præparat Euangelium, nullus sit uentris usus futurus. Ita fit, ut uentris ratio habenda sit tantum ad hanc uitam degendam: ideoq; nihil refert, quo cibi genere alatur.* — Impudicitia.

At cor-

At corpus à Christo in uitam reuocandum est, & cum eo in æterna uita futurum: quo fit, ut in illam uitam purum seruari debeat. Itaq; quemadmodum cibus uentri, & cibo uenter seruit, quoniam alterum alterius est: ita debet corpus Christo seruire, ut & Christus corporibus nostris seruiuit, dum eorum causa mortuus est, & resurrexit, ut sint corpora nostra membra Christi, non scorti. Sed quod de abolendo uentre & dapibus ex Pauli argumentatione collegi, idipsum quomodo sit intelligendum nescio. Neq; enim ex Pauli uerbis colligi potest, nihil comesuros nos in altera uita. Nam quemadmodum alibi scripsit, in Christo neq; marem esse neq; fœminam, cum tamen Christiani mares sint & fœminæ, sed nulla habetur sexuum ratio: ita ex his uerbis intelligi posset, in altera uita nullam haberi uentris aut escarum rationem. Sed an ea sit Pauli mens, ego ignoro.

Omne peccatum extra corpus est: sed qui scortatur, is intra suum corpus peccat.) Quod dicit, ἐκτὸς τοῦ σώματος, huic opponit εἰς τὸ σῶμα: ex quo apparet, εἰς τὸ σῶμα dictum pro ἐντὸς τοῦ σώματος, siue ἐν τῷ σώματι. sicut Lucæ 11. τὰ παιδία μου μετ' ἐμοῦ εἰς τὴν κοίτην εἰσίν, pro ἐν τῇ κοίτῃ εἰσίν. Sicut dixit Plautus: Mihi in mentem fuit, pro in mente. Est autem hæc sententia: Cætera peccata sedem habent in animo: animus homicida est, animus maledicus, falsus testis, inuidus, &c. in his peccatis corpus animi dictantis ministrũ est.

Libidinis sedes. At libido in ipso penitus corpore sedem habet: & quamuis ab animo oriatur (ut cætera omnia) tamen intus in corpore committitur, cum alia extra corpus committantur. Ex quo consequitur, non ut stuprum sit omnium peccatorum maximum (nam homicidium & alia quædam maiora sunt) sed ut sit corpori intimum, ideoq; corpus magis quàm alia turpificet: quo nihil fœdius & indignius esse potest, idem corpus & turpissimæ libidinis, & purissimi spiritus diuini domicilium esse, atq; templum.

EX CAP. VII.

Sanctus enim fit uir infidens, &c.) Fit aliquando, ut uir infidens ab uxore fiat Christianus, (nam Christianos uocat sanctos) & contrà. quam eandem sententiam paulo pòst alijs uerbis repetit: Qui scis autem mulier, &c. Alioquin si inter Christianam uxorem & non Christianum uirum fiat diuortium, natos abducet uir: ita fiet, ut nati sint impuri, hoc est, patris similes, qui eos docebit non esse Christianos. At si simul maneant, mater eos Christum docebit, ita fient Christiani.

Atque ita diuisus est. Item mulier cœlebs, aut uirgo.) Secutus sum Colinæi exemplar, in quo sic legitur: καὶ μεμέρισται. καὶ ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος καὶ ἡ παρθένος μεριμνᾷ τὰ, &c. Diuisum autem uirum dicit, cui sit & Deo & uxori seruiendum. Cœlibem mulierem uocat uiduam, aut etiam quæ meretrix fuerit (nihil enim uetat has quoq; seruire Deo) cui uirginem adiungit. nam harum eadem est conditio, quod ad colendum Deum attinet, quòd utrisque marito carentibus, uacat omnem operam in Dei conferre cultum. Hanc lectionem secutum esse ueterem interpretem apparet. Altera lectio est, μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος. ἡ ἄγαμος μεριμνᾷ τὰ, &c. in quo uitij hoc est, quòd μεμέρισται pro διαφέρει malè positum esset. Deinde quòd hanc diuisionem oportuisset ante priorem partem poni ita, μεμέρισται ὁ ἄγαμος καὶ ὁ γαμήσας. Tertiò, γυνὴ pro γαμήσασα minus bene dictum esset, & ἡ ἄγαμος pro ἡ παρθένος, quod non quadrat, cum & uidua sit ἄγαμος, & repudiata paulo antè eodem nomine appelletur. Adde quòd uiduis, & repudiatis, & meretricatis hoc negaretur: cum tamen eæ non minus à uiro liberæ sint, quàm uirgines.

EX CAP. VIII.

εἴδωλα. De ijs autem quæ sunt sacrificata deastris.) εἴδωλα uocantur, quæ Hebræi אלילים dicunt, Latini diuos appellant, ut Iouem, Neptunum, &c. Sed quoniam id ambiguum esset (solet enim diuus in laude poni) nos uerbum deastros finximus, quo non ueri dij significarentur: qua forma Latinis philosophaster, oleaster, & alia dicuntur. Tametsi idola dici solent etiam eorum simulachra. Sed Paulum non hic de simulachris loqui, ex eo patet, quòd eos paulo pòst uocat θεοὺς, hoc est deos: ut intelligas, quæ εἴδωλα uocat, ea esse quæ deorum nomine nuncupantur. Adde quòd, qui Ioui sacrificabant, non dicebantur Iouis simulachro sacrificare, sed ipsi Ioui.

Charitas alijs prodest.) οἰκοδομεῖ dicit, quod cap. 6. & 10. συμφέρει, ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει. cui opponitur σκανδαλίζειν, nocere, obesse, lædere, incommodare: quod paulo post hunc locum ponitur. Sed hæc ad alios referuntur: ut sit οἰκοδομεῖν, prodesse alijs. οἰκοδομεῖν.

Spirituali cibo usos fuisse, &c.) Atqui & manna, & aqua fluens ex petra, res erant humanæ: cum manna comederetur, & corpus hominis aleret, ac per excrementa ciborum eijceretur, nec homines à morte uindicaret, non magis quàm alij cibi: quod idem dico de aqua. Sed spiritualem siue diuinum cibum appellat eum, qui cum humanus esset, rem aliam significabat: ut nihil aliud sit hoc loco cibus spiritualis, quàm τυπικὸς, & aliud indicans, ut paulo pòst declarat Paulus, ut Apoc. 11. Idem in petra intellige, ex qua fons manabat, quæ petra hic Christus appellatur, quòd Christum indicaret, perennis uitæ fontem. Hæc ideo dicit Paulus, ut intelligi possint, quæ mox de pane (qui Christus est) dicet, ut similia cum similibus conferantur. Atq; his paucis Pauli uerbis (si quis ea diligenter consideret) explicatur ea quæstio, quæ doctos homines hodie tantopere uexat. Spiritualis cibus.

Nihil sciscitantes propter conscientiam.) Huius loci declarationem inuenies in capite octauo, & hæc est sententia: Si de empto aut apposito cibo percontabere, respondebitur esse deastrorum uictimam, aut fertum. Tum si tu uescêris, is qui id tibi indicauerit, Christianus ille quidem, sed in doctrina parum adhuc confirmatus, impelletur ad uescendum eodem cibo, quo tu uesceris: & quia id dubitans, an rectè uescatur, faciet, peccabit, quoniam incertò faciet, atque ita læseris eius conscientiam: hoc est, in causa fueris, ut aliquid faciat contrà quàm se facere debere putet. Quod ergo te propter conscientiam uesci ueto, de conscientia loquor alterius, ut dixi. Nam quod ad tuam, qui rem tenes, conscientiam attinet, ea lædi in eo non potest, neq; damnari: cum scias, quæcunq; terra nascuntur, ea esse ad hominum usum creata diuinitùs, ideóque homini tanquam suis uesci licere. Neque potest in eo tua libertas ab altero, qui sit infirmior, damnari, si tu tibi quouis cibo uesci fas esse putes, cum te Deo præbeas non ingratum. Itaque non in eo peccas, quòd uesceris: sed quòd in causa es, ut alter cum dubitatione uescatur, atque ita peccet. Propter alterum igitur debes abstinere, ne cui officias. Ex hac Pauli doctrina liquet, eos peccare, qui homines mulcta, aut minis, aut alia quauis ratione cogunt diebus festis operari, aut quouis die quouis cibo uesci, aut in aliquam religionis formam iurare, aut aliud quiduis facere, contrà quàm sibi fas esse putent. Hoc est miseros & imperitos homines ad peccandum cogere. Consciẽtiam alterius non esse cogendã.

EX CAP. XI.

Omnis uir operto capite supplicans.) Turpia uitiosaq; tegi debent: honesta contrà, & uitio carentia, detegi ac ostendi. Quòd si uir operto capite preces agit, ostendit suum caput esse uitiosum, & proinde tegendum. Atqui uiri caput Christus est, qui uitij est expers. Itaque debet uiri caput detegi, quo Christum (qui uiri caput est) uitij expertem esse indicetur. Mulieris uerò caput uir est, qui cum sit nocens & uitiosus, debet mulier suum caput tegere: ut caput suum, hoc est, uirum, sontem esse fateatur. Hanc esse Pauli sententiam, mihi dixit Italus quidam. De capite uiri & fœminæ.

Quod si cui contentiosum esse libet.) Quoniam dixerat comam natura uiro turpem, fœminæ decoram esse, poterat quis contendere, id non natura fieri. Nam æquè uiris ac fœminis comam natura tribuit. Ad hoc ita respondet Paulus, ut id propemodum sic esse fateatur, sed consuetudinis esse neget: quæ sit in eiusmodi rebus, quæ sint indifferentes, tenenda. Consuetudini quantum tribuendum.

EX CAP. XII.

Scitis, cum extranei essetis, &c.) Ad uerbum sic legitur, Scitis, ut cum extranei essetis, ad mutos deastros ut duceremini.

mini. οἴδατε ὅτι ὅτε ἔθνη ἦτε, πρὸς τὰ εἴδωλα τὰ ἄφωνα ὡς ἂν ἤγεσθε ἀπαγόμενοι. *ubi* ὅτι *&* ὡς *idem ualent. Itaq; sic Latinè posset utrunq; exprimi: Scitis, ut cum extranei essetis, ut inquam ad mutos, &c. Sed quia huiusmodi particulas cum uerbo Inquam non solent Latini repetere, nisi post interiecta multa uerba, ne quod uerbum iam positum est, & adhuc pendet, memoria excidat, nisi iteretur: quoniam inquam id fieri solet memoriæ gratia, ego hoc loco, ubi memoriæ nullum erat periculum, quippe paucis uerbis interiectis, eam particulam iterandam non putaui.* ἂν *autem hoc loco superuacaneū est, ut sunt nonnulla apud Paulum,* ἤγεσθε ἀπαγόμενοι, *pro* ἤγεσθε καὶ ἀπήγεσθε, *quod idem est: de quo Gen. 1. scripsimus.*

Animi interpres est os.

Neminem esse, qui diuino afflatu loquens, &c.) *Quēadmodum quisquis Iesum uerbis execratur, nec dominū agnoscit, is diuini spiritus expers est: ita quisquis dominum agnoscit, is sancto spiritu præditus est: ut intelligatis, non eos solum diuinitus afflari, qui peregrinis linguis loquuntur, & cætera prodigiosè faciunt. Est autem huiusmodi argumentatio: Ex animi abundantia os loquitur: Si malus est animus, malè loquitur os: itidem si bonus, bene. & contrà, Si malè loquitur os, malus est animus: sin bene, bonus, & diuinitùs impulsus. Hinc apparet, Paulum de ea oris oratione loqui, quæ dicitur ab animo, cum id dicatur quod sentitur: non quæ simulata sit, & ab animo dißidens.*

De spiritualibus donis.

Quod autem de diuinis & spiritualibus rebus loquitur, adhibenda distinctio est. Quicquid præclarè agunt homines, id agunt diuinitùs, ut apparet apud Mosem in Bezelele tabernaculi fabricatore, quem dicit Deus se impleuisse suo spiritu ad id opificium. Item Esa. 28. ubi agricolam dicitur docere Deus. Ita si quis domum bene ædificat, agrū egregiè colit, aut quiduis aliud prudenter facit, id habet diuinitùs. Sed hoc loco Paulus non de his loquitur spiritus sancti donis: nec enim hæc diuina dicuntur, cum industria humana & labore comparentur, & fuerint etiam uulgaria ante effusum à Christo spiritum in Christianos. Itaq; si quis lingua peregrina loquitur, quam longo labore didicerit, huius ego loquendi scientiam non uocabo diuinam & πνευματικὴν: *non magis quàm regis Mithridatis, aut Cleopatræ, aut aliorum qui multas linguas didicerant. Sed diuina uocat Paulus ea, de quibus loquitur in Iohannis 7 Christus, ubi dicit Iohannes, Nondum erat spiritus sanctus: hoc est, nondum homines afflauerat, ut ea facerent, quæ hic commemorat Paulus: quæ quia docet spiritus ex tempore, & fiunt diuinitùs, ac contra naturam, diuina dicuntur. Igitur si quis medicus morbum herbis aut alia ratione naturali curat, eam scientiam humanam dixeris, cuius tamen dator sit Deus, quippe omnium autor bonorum. Sin Petrus aut Paulus ægrotum nominato Iesu curat, id contra naturam & diuinum dicito. Item si Cicero Græco sermone, in quo discendo multum elaborauit, loquitur, humanum est: at si Petrus, homo piscator & parum literatus, Latinè aut Germanicè loquitur, cum nunquam didicerit, id diuinum est.*

Ecclesiæ corpus.

Vnum in corpus loti sumus.) *Hoc est, ut unum corpus efficeremur. Vocat autem unum Christianæ reipublicæ corpus, cuius caput est Christus: quomodo unum reipublicæ corpus dicitur, cuius caput est magistratus, aut populi rex, aut coniugum maritus. Itaq; paulo pòst dicit,* Vos uerò aliquatenus Christi corpus estis: *ut intelligatur, figuratam esse locutionem.*

EX CAP. XIIII.

προφητεύειν.

Sed in primis ut uaticinemini.) προφητεύειν, *si uerbi uim spectes, est prædicere: sed dicitur pro eo quod est Hebraicè* נבא, *Græcè* μαντεύεσθαι, *hoc est, arcana ignota, magna diuina, denique oracula dicere, siue quid sit præteritum aut præsens, quæ* ὑποφητεία *dicitur: siue futurum, quæ propriè* προφητεία *uocatur. Itaque ad Timotheum 1. Cretensium* προφήτην *Paulus appellat Epimenidem, non quia futura, sed quia certa ueraq; dixerit, qualia sunt oracula. Hinc ille uersus: Qui bene coniiciet, hunc uatem puto optimum. Itaque uates olim apud Hebræos dicebantur* Videntes, *quòd ea uiderent, quæ alijs ignota forent.*

Qui peregrina lingua loquitur.) ὁ λαλῶν γλώσσῃ. *idem est, qui paulo pòst dicitur* ὁ λαλῶν γλώσσαις: *de quo item paulo pòst,* ἑτερογλώσσοις, καὶ ἐν χείλεσιν ἑτέροις, *ut homines pro alijs hominibus, & gentes pro externis gentibus dici, aliquando ostendimus.*

Animo aut lingua loqui.

Sed animo loquatur arcana.) *Hoc est, ita loquatur, ut ipse se intelligat, non item ab alijs intelligatur. Cum sit enim is orationis usus, ut animi sensa declaret alijs: qui ita loquitur, ut alij non intelligant, is animo magis quàm ore loquitur, cum nihil intersit, utrum sic loquatur, an tacitus cogitet. Loqui autem arcana, idem est quod uaticinari. Sed cum uaticinatorem hoc loco Paulus opponat ei qui peregrino sermone utitur, intelligendum est, uaticinatorem ab eo dici eum, qui id noto auditoribus sermone faciat. ut sit lingua loqui, lingua aliena loqui: & uaticinari, lingua sua uaticinari.*

Patefactio.

Nisi infit in oratione mea patefactio, &c.) *Hoc est, Nisi uos sic alloquar, ut aliquid discatis quod mihi patefactum sit, aut cognitum, &c. Patefactionem autem uocat, cum aliquid declarat & patefacit Deus homini, ut Iohanni ea quæ continentur in eo libro, cui titulus est Apocalypsis, hoc est, patefactio. Ad eam si mentis accedat permotio ac incitatio, uocatur uaticinatio.*

Vaticinatio.

Qualem uidemus in septuaginta senatoribus apud Mosem, item'que in Saulo, & alijs: quæ aliquando tanta est, ut bacchentur extra se rapti homines.

Cognitio.

Cognitionem uocat, quæ ex uisa aut audita re proficiscitur, qualis est Iohannis & Lucæ historia: qui narrant, hic quæ audiuit, & ab alijs cognouit: ille quæ uidit, & nonnulla ex parte geßit.

Doctrina.

Doctrinam autem appellat, eam quæ literis & ratione comparatur: qualis est Pauli de Abrahami fide disputatio, qui quod docet, id sacrarum literarum authoritate & rationibus confirmat. Atque hæc postrema ratio, si sit à superioribus destituta, est maximè periculosa: propterea quòd homines sacris literis non seruiunt, sed eas suis adfectionibus & libidinibus seruire cogunt. Hinc nascitur illa inter hodiernos magistros discordia, quæ profectò nulla foret, si in omnibus essent quæ esse deberent.

Orare.

Oret ut posit interpretari, &c.) *Orare dixit, pro Deum orare. ut Latini dicunt salutantes, pro ijs qui principes & diuites manè salutatū eunt: ut conturbare, pro fortunas conturbare: & facere, pro carmina facere. Itaq; nihil refert, utrum dicas orare Deum, an tantum orare, quomodo Liuius etiam Latinè locutus est: sicut paulo antè docuimus, lingua loqui, & aliena lingua loqui, idem esse. Cæterùm ex hoc loco apparet, eos qui linguis loquebantur, non omnes omnibus linguis loqui (nec enim uni dabat omnia Deus) sed alios alijs: alioquin non esset orandus Deus ob interpretationem.*

Nō omnes omnibus linguis locutos.

νοῦς.

Quod ad sententiam attinet.) νοῦς *mens est, & pro mentis sententia ponitur etiam in 2. Thessal. 2. & Apoc. 17. Sic & apud Latinos mens alicuius scriptoris appellari solet. Hinc orare νοΐ est, significāter orare, & ut antè locutus est,* λόγον εὔσημον διδόναι, *efficereq; ut auditor posit* νοεῖν, *uidere & intelligere quid dicatur.*

Malo quinque uerba sic eloqui.) *Quinq; pro paucis, &* λόγους *pro* ῥήματα *dixit: id quod fieri solet in numero plurali. ut huius Epistolæ 2.* διδακτοῖς λόγοις, *doctis uerbis, aut docta oratione. Hoc quidem loco sermones dicere per Latinam consuetudinem non licet. Non enim dicunt Latini, Absoluam tribus sermonibus (nam alia sententia foret) sed, Absoluam tribus uerbis.*

EX CAP. XV.

Duodecim pro undecim.

Deinde duodecim.) *Quoniam duodecim fuerant lecti Apostoli, etiam post sublatum Iudam retinent duodenarij nomen, cum essent undecim: ut si quis decem millia militum habeat, deinde post aliquod prælium desideratis aliquot militibus, tamen decem millia appellare pergat, quòd non tanta facta sit diminutio, ut debeat prius illud & celebre nomen amitti. Aut si Romæ decemuirorum unus moriatur, reliqui tamen non nouemuiri, sed decemuiri appellentur.*

Abortus.

Quasi abortui apparuit etiam mihi.) *Abortus nō solum dicitur*

dicitur partus mortuus, sed etiam fœtus paruus, & non iustæ magnitudinis, quamuis uiuat. Atque ita uulgò loquuntur mei conterranei, uocantes auorton. Sic Plinius loquitur lib. 12. cap. 2. Namq; & chamæplatani uocantur coactæ breuitatis, quoniam arborum etiam abortus inuenimus. Hoc quoque ergo in genere pumilionum infelicitas dicta erit. Hæc Plinius. Hinc se Paulus abortum uocat, ut minimum Apostolorum, & pumilionem, ac quasi nanum.

Pro mortuis baptizari. Alioquin quid facient, qui pro mortuis baptizantur.) Ludent operam, dicet aliquis. Atqui hoc ipso ostendunt, se sperare mortuorum resurrectionem. Frustra sperant (dicet is, qui resurrectionem esse negat) nam si in eo quod pro mortuis baptizantur, delirant (quid autem tam ineptum esse potest, quàm uiuentem pro mortuo baptizari?) non est absurdum dicere, eos in eo etiam desipere, quòd resurrectionem sperant. Vides quàm nihil ualeat hoc Pauli argumentum aduersus eos qui resurrectionem esse negant, si quidem hæc uerba intelligas, ut uulgò interpretantur, dicentes, eo tempore fuisse qui pro alijs mortuis baptizarentur: quod neque fiebat, sicut ego puto: & si fiebat, debuit à Paulo reprehendi, non in exemplum adduci. Vt igitur hunc Pauli locum intelligas, considera baptismi rationem atque naturam, quæ describitur in Epistola ad Romanos capite sexto, his uerbis: Quotquot in Dominum Iesum baptizati sumus, in eius mortem baptizati sumus, &c. Et paulo pòst: Si enim eius mortis similitudine sumus insititij, etiam resurrectionis erimus. Est igitur hoc Pauli argumentum: Christiani dum baptizantur, in hoc baptizantur, ut cum Christo moriantur, deinde resurgant. Hoc est baptizari pro mortuis, id est, pro seipsis, in spem rei quam post mortem assecuturi sint, uidelicet resurrectionis: id quod stultum esset, si nulla futura esset resurrectio. Hunc sententiam me docuit quidam Italus.

IN ALTERAM AD CORINTHIOS EPISTOLAM.

EX CAP. I.

ἐκ. VT à multis personis.) ἐκ pro ὑπὸ positum est: sicut capite sequenti, ὁ λυπούμενος ἐξ ἐμοῦ, pro ὑπὲρ. ὑμῶν autem in secunda persona legendum est in secundo loco, ut habent nonnulla exemplaria, ut respondeat uerbo συνυπουργούντων: ut sit, Beneficium uestra opera atq; causa collatum.

Hominum deliberationes. Hoc igitur deliberās, nunquid leuitate usus sum, &c.) Leuitatis est, certò aliquid promittere, quod fortasse præstiturus non sis. Si ego me certò ad uos uenturum promisissem, leuis essem, cum non uenerim. Nunc non certò promisi: dixi enim uenturum me, si Deus uoluerit (sic enim scripsit superiore Epistola, capite quarto, & ultimo) quæ exceptio me à leuitatis & inconstantiæ crimine uindicat. Non enim ita delibero, ut solent homines, suæ fragilitatis immemores: ut Etiam sit apud me Etiam, & Non, Non: hoc est, ut cum aliquid me facturum dico, id certò affirmem, quasi omnino facturus: aut cum nego, id certò negem, quasi omnino non facturus. Nam apud me fit aliquando, ut Etiam sit Non, & Non sit Etiam. ut quod dixi uenturum me ad uos, id erat Etiam: at idem nunc factum est Non, quoniam non ueni: non enim permisit Deus, penes quem sunt actiones nostræ, ut nihil ipsi de nobis certò affirmare aut negare possimus. Non enim certæ sunt nostræ promissiones, quemadmodum Dei. Nos homunciones impedimur: Deus non potest impediri, sed quod semel promisit, id fideliter præstat. Itaque quæ nos de Christo uos docuimus, non ita docuimus, ut modò affirmaremus, modò negaremus, sed idem semper & constanter de Christo affirmauimus: quippe cum non nostra, sed Dei promissa forent, qui quæ de Christo promisit, certò, & nulla cum conditione aut exceptione promisit. Nec mirum: est enim Deus, qui impediri non potest: itaq; eius promissa nobis certa sunt, eius afflatus pignore confirmatis. At ego homo sum: quòd si ad uos non ueni, non certò promiseram, & non ueniendi iusta causa fuit. Id enim feci, ut uobis parcerem. Nam si uenissem, cum uirga uenissem (ut in priore Epistola minatus sum) hoc est, uos grauius propter illud incesti flagitium castigassem. Dicet quis: Ergo'ne nos tam parue fiduciæ & constantiæ esse putas, ut tuam præsentis castigationem ferre nequeamus? Ego uerò non puto. Scio enim, uos in fiducia constantes esse: nec eam uobis derogo, sed gaudij uestri rationem habeo. Nam si uos præsens castigassem, ea res uobis (ut de me taceam) dolorem fecisset, qui dolor nunc aberit. κυριεύειν autem, quod derogare uertimus, est non solum dominum esse, sed etiam dominum fieri & potiri. sicut antè de βασιλεύειν scripsimus: ut sit κυριεύειν τῆς πίστεως, dominum se facere fiduciæ alterius: hoc est, alteri fiduciam & robur detrahere, & esse negare. κυριεύειν.

EX CAP. II.

Non me contristauit nisi aliquatenus, ne uos omnes onerem.) Hoc est, Non solum mihi dolorem fecit, sed etiam uobis. Quod si dicerem, me solum id flagitium doluisse, onerarem & crimine grauarem uos omnes, quasi non & ipsi dolueritis eius flagitio, id quod esset in uobis uitiosum.

Id feci propter uos in persona Christi, &c.) Hoc est, Vt Christi personam gerens, eiusq; uicarius, qui docuit, quicquid nos in terris soluerimus, id fore solutum in cœlo. Quod si id faceremus in nostra persona, hoc est, nostra authoritate atque nomine, circumueniret nos Satan, & in peccatum conijceret: peccaremus enim, si quod Dei est (uidelicet peccata alteri condonare) id nobis usurparemus. πρόσωπον autem pro persona dici, si quis dubitat, inueniet & alibi, & ad Galatas secundo. In persona Christi.

Nec enim sumus ut multi, &c.) Quoniam dixerat, suum officium eiusmodi esse, ut nemo ad id esse posset idoneus, posset aliquis ita obijcere: Quasi uerò difficile sit istud facere, quod tu facis, hoc est, Christum docere. Fateor (inquit Paulus) de Christo garrire, & eum perfunctoriè docere, ac quæstui habere, non esse difficile: atq; id faciunt multi. Sed id sincerè diuinitùs facere, & suum munus Deo probare (id quod nos facimus) hoc uerò est omnium maximè arduum, & humanis uiribus maius.

EX CAP. V.

Domicilium nostrum cœleste superinduere cupientes, &c.) Hoc est, cœleste corpus, quod habituri sumus in altera uita. Id corpus cupimus superinduere, si modò induti, non nudi reperiemur: hoc est, si in Christi aduentu erimus adhuc in uita, necdum nudi, & hoc corpore exuti. Nam uellemus exui hoc corpore, si fieri posset: hoc est, nollemus mori, sed uellemus aduentu Christi subitò confecta mortalitate mutari, & immortalitatem superindui. Loquitur autem Paulus de cunctis Christianis, qui immortalitatem optantes, à morte natura abhorrent: & cuperent, si fieri posset, eorum esse, de quibus superiore Epistola dictum est, non omnes obdormituros esse. Superinduere.

Non in ipsa re uersamur.) τὸ εἶδος dixit, τὸ εἰδόμενον καὶ φανερόν: sicut Latini Iurisconsulti speciem uocant rem ipsam, quæ accidit. Sic שכית, Esaiæ primo. & תמונה, Exod. 20. ut ibi annotauimus. Isocrates in Helenæ laudatione ἰδέαν uocat, de pulchritudine loquens his uerbis, τῶν γὰρ κάλλους ἀπεστερημένων οὐδὲν εὑρήσομεν ἀγαπώμενον, ἀλλὰ πάντα καταφρονούμενα πλὴν ὅσα τῆς ἰδέας ταύτης κεκοινώνηκε. At eorum quæ pulchritudine carent, nihil amari comperiemus, sed omnia contemni, nisi quæ hanc speciem habeant: hoc est, hanc rem. Idem paulo pòst eodem modo usus est. In Epistola ad Hebræos, capite decimo, uocatur εἰκών. Non dissimile est, quod Marci decimo scriptum est, οἱ δοκοῦντες ἄρχειν, qui uidentur imperare: hoc est, quos uidemus imperare, qui imperant. εἶδος.

EX CAP. VI.

Vos non erga nos, sed erga hominem, cui estis intimi, estis angusti.) Ego uobis largè meum animum aperio, officiumq; præsto. Quod si uos uestrum officium angustè & parcè præstatis, id non mihi, hoc est, non Paulo facitis, sed uestri amantissimo, & planè uestro patri. Proinde uidete, ut mihi uestro patri officiosè & liberaliter pareatis, quemadmodum

ego

ego uobis, ut filijs, officiosè ac liberaliter præcepta do. Quod uertimus, Erga hominem cui estis intimi: ad uerbum sic legitur, Erga uestra uiscera. qui Hebraismus sic explicandus ac inuertendus est: Erga nos, quorum uos estis uiscera. hoc est, cui uos estis charißimi, & qui estis in animis nostris: ut dicit capite 7. ad hunc locum alludens.

EX CAP. VIII.

Vt nos Titum hortati simus.) scilicet ut uos moneat, urgeatq́;, quò Deus pro sua benignitate uobis eam det mentem, ut quod iam facere cœpistis, id perficiatis, uidelicet de benignitate in egentes.

Non solum facere, sed etiam uelle.) Non rerum magnitudinem inter se comparat: alioquin diceret, Non solum uelle, sed etiam facere: cum facere plus sit quàm uelle. Sed res inter sese coniungit: ut sit, Non solum facere, sed etiam uelle, idem quod, Et facere & uelle, ut utrunq; ab anno superiore cœperit. Eodem modo locutus est ad Rom. 1. Non solum ea faciunt, uerùm etiam facientibus consentiunt. hoc est, & faciunt, & consentiunt.

Ἵνα pro δεῖ.

Non enim alijs laxitatem, uobis angustiam esse oportet.) ἵνα pro δεῖ aliquando ponitur. ut Ioan. 13. ἐγὼ οἶδα οὓς ἐξελεξάμην: ἀλλ' ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ. hoc est, ἀλλὰ πληρωθῆναι δεῖ. Et idem in Epist. 1. cap. 2. ἀλλ' ἵνα φανερωθῶσιν, quod Hebraico more dicitur, ut Ierem. 3. לאמר hoc est, ἵνα λέγηται, pro λεκτέον: hoc est, quæritur, aut respondeatur.

EX CAP. X.

Arma Christianorum.

Arma enim militiæ nostræ non carnalia sunt, sed diuinipotentia.) Pauli militia erat, oppugnare & deturbare cogitationes hominum: hoc est, tanta uirtute loqui & docere, ut hominum animi, rei ueritate uicti, cogerentur ita cogitare: Vera dicit, & quæ refelli nequeant. Ad eam spiritualem pugnam utebatur telis non carnalibus, sed spiritualibus. Vt enim insanus sit, si quis gladium aut mißile uelit uincere cogitatione: sic insanus sit, si quis cogitationem uelit uincere gladio. Atqui Christiani præconis uirtus posita est in uincenda cogitatione: ex quo consequitur, eum non posse uti nisi ijs telis, quibus uinci poßint cogitationes hominum. Exemplum habemus insigne in Nerone. Is Græciam peragrans, edebat obibatq́; ipsemet certamina musicæ. Si alios musicos uincebat, coronabatur: hoc erat legitimum certamen. Sin ab eis uincebatur, curabat ut interficerentur: hoc uerò non erat musicum uincere, sed hominem occidere. qua inepta iniquitate illud consequebatur, ut hominum ficta uoce, tanquam uictor in præsentia laudaretur: & cæteri musici deinceps data opera malè canerēt, ne eum offenderent: cogitationes quidem hominum (quamuis princeps esset omnium potentißimus) non uincebat, quin eum pro insano & illi tunc haberent, & nos nunc habeamus. At cæteri musici, qui eum artis peritia superabant, uincebant non solum aliorum, sed etiam ipsius Neronis cogitationē: ut ita eius animus, quamuis inuitus, loqueretur: Hi melius canunt quàm ego. Similiter accidit & in religione. Disputatur de multis rebus: si quem uerbis uincimus, coronamur: & hoc est legitimum certamen. Si quis à nobis uinci non potest, hæreticus appellatur, & interficitur: hoc uerò non est hæreticum uincere, sed hominem occidere. qua inepta iniquitate illud consequimur, ut in præsentia ficta hominum uoce uictores pronunciemur, & cæteri deinceps minus bene dicant quàm possent, ne pereant. cogitationes quidem hominum (quamuis potentes simus) non uincimus, quin nos pro insanis, & nunc qui cæci non sunt habeant, & posteri habituri sint: atq; ita de nobis iudicaturi, ut nos nunc de Nerone & cæteris Christianorum persecutoribus iudicamus. Nihil enim tam tectum est, quod non sit detegendum. Promisit Deus obedientibus uirtutem tantam, ut unus centum, & centum decem millia fugare poßint. Sic pugnauit Paulus, qui unus poterat diuinis illis suis armis deturbare non centum, sed omnium hominum cogitationes. At nunc centeni singulos interficimus, & Christum carnalibus armis defendimus: ut intelligatur, nos carere spiritualibus, & Christum habere carnalem. Si enim Apostoli, qui nobis Ecclesiam plantarunt, contenti fuerunt armis spiritualibus: apparet eos qui carnalia adhibent, non satis confidere spiritualibus: quibus tamen confiderent, si ea haberent, quippe quæ sint omnipotentia. ut apparebit in aduentu Domini, qui Antichristum, hoc est Christi hostem summum, non alijs armis debellabit, quàm spiritu oris sui. Scriptum est Exod. 35. tabernaculum factum esse ex populi donis ultrò oblatis, nemine coacto: quod idem de Ecclesia intelligendum est, ut patet in Psal. 110. in quo dicuntur Christi copiæ esse uoluntariæ: itemq; in Lege, in qua iubetur, ut timidi discedant, ne in acie cæterorum animos emolliant. Sic est gerendum bellum Christi militibus uoluntarijs, & solo Dei uerbo coactis. Aliter qui militant, alij quàm Christo militant. Itaq; ostendit euentus, moresq; nostri, quis sit fructus coactæ militiæ.

EX CAP. XI.

Vtinam paululum aliquid stultitiæ meæ ferretis.) μικρόν τι ἀφροσύνης, rectè in quibusdam legitur, & ita legit uetus interpres. Stultitiam suam uocat gloriationem, quam ab eis ferri optat: deinde, quod plus est, ut ferant petit. Itaq; ἀνέχεσθε imperatiui modi est. Deinde causam reddit, cur ferre debeant: Quoniam uobis (inquit) obtrecto: hoc est, de uobis sum zelotypus, sed diuina obtrectatione: despōdi enim uos Christo. sic enim rectè uertitur ἡρμοσάμην à uetere interprete, ut & sententia postulat (hic enim agitur de Christi & Ecclesiæ coniugio) & uerbi ἁρμόζεσθαι natura patitur. nam eo sic usus est Plutarchus.

Ἁρμόζεσθαι.

A' simplicitate corruptæ deflectant.) φθαρῇ ἀπὸ τῆς ἁπλότητος. Breuis & obscura oratio, in qua uerbum φθαρῇ per duo uerba, ut nos fecimus, declarandū est: id quod aliquando in sacris literis fieri animaduerti. ut Genes. 45. Ego sum Iosephus frater uester, quem uendidistis in Aegyptum. & Act. 7. τὸν ἰωσὴφ ἀπέδοντο εἰς αἴγυπτον, Iosephum uendiderunt in Aegyptum: hoc est, uendiderunt, isq; ab eis uenditus, ductus est in Aegyptum.

Quo sibi in quo glorientur suppetat, &c.) Simulatores illi, inquit, quærunt occasionem gloriandi, ut nos gloriamur. Quòd si Euangelium non gratis doceremus, possent gloriari idem se facere quod nos. Nunc cum nos gratis doceamus, non habent eam occasionem: nec enim gratis docere sustinent, cum suo seruiant abdomini. εὑρεθῶσι autem positum est, ut in Hebræo sermone נמצא, quod sæpe in passiuo est extare & suppetere. & in hiphil est suppeditare & suggerere. Iam hic εὑρεθῶσι ἐν ᾧ καυχῶνται, dictum est pro εὑρεθῇ αὐτοῖς ἐν ᾧ καυχῶνται. quemadmodum ad Philip. 3. ἵνα χριστὸν κερδήσω, καὶ εὑρεθῶ ἐν αὐτῷ: Vt Christum lucrer, & in eo mihi satis suppetat. Itemq; Ecclesiastici cap. 15. in Latino (nam Græcè non extat is uersus) sic legitur: Viri mendaces non erunt illius memores, & uiri ueraces inuenientur in illa, (scilicet sapientia) & successum habebunt usq; ad inspectionem Dei. hoc est, ueracibus tantum conferet sapientia, ut, &c. Simile est quod ad Rom. 6. declarauimus, εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς. Nec admodum discrepat illud Horatij, Equitem grauatus Bellerophontem: hoc est, Fuit ei grauis eques Bellerophon. Et illud Matth. 13. Qui secundum uiam satus est: hoc est, semen accepit.

Εὑρεθῶσι.

Indecorè dicam.) Quomodo κατ' ἄνθρωπον & κατὰ σάρκα humanè, ita hic κατ' ἀτιμίαν indecorè. Hoc est, Dicā contrà quàm me deceret loqui. Dedecet enim me gloriari: sed gloriabor, ut insipiens. Quasi uerò nos nequeamus scilicet idem de nobis gloriari, quod illi de se. ἠσθενήσαμεν autem indicatiuus est pro coniunctiuo, ut sæpe ponitur à Paulo Hebræorum more, quorum lingua coniunctiuo caret.

Indicatiuus pro cōiunctiuo.

EX CAP. XII.

Appositus est mihi stimulus carni.) Hoc est, ad carnem. quomodo solet Cato loqui de Re rustica: Ornamenta bubus, instrata asinis, opercula dolijs, cētones pueris, & multa talia.

Christi fortitudo.

Mea fortitudo in imbecillitate perficitur.) Hoc est, homo Christianus, qui à me Christo nomen habet, fortißimus euadere non potest, nisi certando cum hoste, in quo certamine sentiat se imparem esse, nisi meus adsit fauor: atq; ita mihi confidens, perfectè fortis, & me dignus fiat.

Multosq; deplorem, qui antè peccauerint.) καὶ πενθήσω

θήσω πολλοὺς τῶν προημαρτηκότων: hoc est, πολλοὺς προημαρτηκότας. ut cap.10. συγκρῖναι ἑαυτούς τισι τῶν ἑαυτοὺς συνιστανόντων: hoc est, τισὶν οἵ τινες ἑαυτοὺς συνιστάνουσι. Nec enim est diuisio, ut cum eorum alijs se conferre audeat, cum alijs non item. Tale quiddam declarauimus in Psalmo 54.

IN EPISTOLAM AD GALATAS.

EX CAP. II.



Voniam reprehendendus erat.) κατεγνωσμένος participium, pro nomine: ut εὐλογημένος, pro εὐλογητὸς: & ὁ περάζων, pro ὁ πειραστής.

Si tu Iudæus alienigenarum more uiuis, &c.) Si liberè quouis cibo uesceris, ut solent alienigenæ, & ita tibi facere licere sentis: cur nunc abstines, & ista simulatione in causa es, ut non modò Iudæi non uescantur quouis cibo, sed etiam extranei te imitentur, cibisq; abstineant, atq; ita iudaizent? Cur Christiani facti sumus ego & tu, cæteriq; Iudæi? Nimirum ut iusti fieremus. Quòd si id per legem consequi poteramus, cur ad Christum nos conferremus, causa nulla fuit: cum id in lege haberemus, quod in Christo quærimus. Sed quia id nobis præstare lex nõ poterat, ad Christum, qui posset, confugimus. Ex quo sequitur, nos nunc, qui Christiani sumus, esse insontes. Atqui si Mosaicæ legi paremus (id quod tu nunc facis) cum ideo pareamus ut iustitiam cõsequamur: sequitur, nos esse sontes, qui Christo contenti non simus. Ita fit, ut à Christo peccatũ, non iustitiam, cõsequamur: id quod absurdũ est. Atqui si quis quod demolitus est, idem instaurat, hoc est, ad legem (quam ad Christum transiens repudiauerat, eiq; ualedixerat) recurrit, & ab ea rursus præsidium petit, is se nocentem fatetur esse, qui à lege petat innocentiam. Qui enim ad Christum se contulit, is legi ualedixit, cumq; ea nihil iam habet commercij: sed uiuit, iustusq; & insons est Christi fide, id quod Dei beneficium est. Quòd si ad legem redit, repudiat hoc beneficiũ, qui nolit à Christo, sed à lege, insons fieri. Ita fit, ut ei Christi mors (quam ob delenda suorũ peccata oppetijt) nihil prosit. Hactenus Petrum reprehendit Paulus. Quod autem uerto, εἰ γὰρ διὰ νόμον, Atqui si, &c. sciendum est, γὰρ quandoq; aduersatiuam esse, ut apud Latinos At enim. ut ad Rom.3. εἰ γὰρ ἡ ἀλήθεια τοῦ θεοῦ, &c. At enim si Dei ueritas, &c. παραβάτην autem dixit pro ἁμαρτωλῷ, ut patet ex uerbo ἁμαρτία, protinus antè eadem de re posito.

γάρ.

παραβάτης.

EX CAP. III.

Delictorum causa adiecta est, &c.) Lege lata effectum est, ut delicta cognoscerentur (nam cupiditatẽ non nouissem, nisi lex uetaret: ad Roman.7.) duratura, donec ueniret semen Abrahami Christus, cui promissum erat, fore ut in eo bearentur omnes nationes: instituta per genios, ut intelligatur diuinam esse: lata ac administrata & promulgata per sequestrum, scilicet Mosem. Sequester autem internuncius est duorum, qui inter sese aliquid pacisсuntur. Atqui Deus unus est, non duo: itaq; necesse est Mosem Dei & Israelitarũ internunciũ fuisse. Nec enim potest Dei & Dei internuncius fuisse, cum duo dij non sint. Quòd si est, oportet in eo fœdere faciendo aliquid ab utraq; parte promissum esse. nam ea est fœderũ natura. Quid promisit Deus? Vitam. Nam qui ista præstiterit, uiuet, inquit. Quid promiserunt Israelitæ? Obedientiam. Cum enim pronunciaretur, execrabiles esse qui essent contumaces, responderunt Amen: & se omnia Ioue imperata facturos spoponderunt. Nunc quoniam legi parere nequeunt, supplicio sunt obnoxij. Ita fit, ut lex eorum peccata patefaciat, pœnaq; dignos ostendat. At si ita est, uidetur lex Dei promissis esse contraria: cum Dei promissa iustitiam & felicitatem cõferant, lex autem peccatum & pœnam, quibus nihil potest magis esse contrarium. Verùm tantum abest ut sit lex contraria promissis, ut idem conetur efficere quod promissa. Promittit enim lex uitam & iustitiam obediẽtibus. Quòd si non obediunt homines, per legem non stat, sed per hominum infirmitatẽ, qui obedire nequeant. Nam si obedirent, uitam consequerentur per eam obedientiam, atq; ita iusti fierent per legem. Sed quia (ut literis proditum est) omnes peccant, omnes egent Christi iustitia, qui legi obediens, iustus fuit, & nobis suam iustitiam impertit, quæ in eo iustitia legis est (ut appareat, in lege sitam esse iustitiam, cum Christus legis iustitia iustus sit, quippe qui legi paruerit) eademq; in nobis fidei iustitia est, quòd fidendo Christo, simus eius iustitiæ compotes.

EX CAP. IIII.

Nam eæ sunt duo fœdera, &c.) Agar & Sara, inquit, sunt, hoc est, significant (animaduerte diligenter lector hoc uerbum) duo fœdera. Agar significat unum fœdus, quod ictum est in monte Sina, uidelicet legem: quod legis fœdus gignit in seruitutem. hoc est, qui à lege sunt, serui sunt, sicut Agaris filij serui sunt. Nam Agar est Sina, hoc est, significat Sinam Arabiæ montem, quo in monte lata lex est. Quemadmodum enim serua erat Agar, ita mons Sina, qui ab Agare significatur, seruit, uidelicet Romanis: in quo sanè congruit cum hac terrestri Hierosolyma, quæ & ipsa cum suis ciuibus Romanorum imperio subiecta est. Igitur Agar serua, notat Sinã, & porrò terrestrem Hierosolymam, quæ serua est. At Sara libera notat cœlestẽ Hierosolymam, quæ libera est, cuius nos filij sumus. Quod si est, sumus liberi ut mater nostra: sumus promissionis filij, ut Isaacus. Itaq; non debemus seruire legi, quasi serui simus. τὸ γὰρ ἄγαρ dixit τεχνικῶς, per neutrum genus. σινᾶ ὄρος ἐστὶ, hoc est, notat ac significat. δουλεύει γὰρ legendũ est, ut est in Colinæi exemplari, non δουλεύει δὲ. reddit enim rationem, cur Sina sit Hierosolymæ similis, in eo scilicet, quòd Hierosolyma seruit ut Sina. Nam δουλεύει de Hierosolyma dicitur, ut patet ex pronomine αὐτῆς, quod ad τὸ ἄγαρ referri non potest.

Agar & Sara.

EX CAP. VI.

Exploret autem suum quisq; opus, &c.) Eos reprehendit, qui sibi ideo placent, quòd sint alijs præstantiores. Nemo est, quin, si se cum alijs conferat, deteriores inueniat, aut certè æquè malos. Misera est gloriatio, quæ ab aliorum improbitate pendet. Ergo si alij non essent improbi, tu de te gloriari non posses? Ego fœnerator non sum: igitur si fœneratores non essent, tu tibi placere non posses. Præclarum uerò, posse nunquam talem esse, ut eo reperiatur aliquis deterior. At non ita de nobis feret iudicium Deus: non faciet hominum collationem. Tu niger es, damnaberis. Sed sunt & alij nigri. Et alij damnabuntur, nec eorum nigror te faciet album. Quamobrem inspice, non an sis alijs melior, sed an sis bonus, & Deo obedias. ita fiet, ut tua gloriatio tibi propria sit, nec ab alijs pendeat. Est autem εἰς ἑαυτὸν dictum, pro ἐν ἑαυτῷ, quale est quod in 2. Corinth.6. scripsimus.

Probitas in re, non in collatione.

IN EPISTOLAM AD EPHESIOS.

EX CAP. I.

In rebus Christicœlestibus.) ἐπουρανίοις χριστῷ dixit, quomodo in 2. Corinth.10. arma sua uocat δυνατὰ θεῷ, hoc est, diuinipotentia, siue Deipotẽtia, ut ita loquar, id est, diuinam uirtutem habentia. Ita hic uocat ἐπουράνια χριστῷ, Christicœlestia, hoc est cœlestia, & ad Christum pertinentia. Est autem hæc epistola obscura, & in immensas uerborum complexiones extensa: quas nos, ubi licuit, secuimus, & quoad eius fieri potuit, perspicuitati seruiuimus.

EX CAP. III.

Legatione fungor.) πρεσβεύω additur in Colinæo, & rectè, ut ostendunt sequentia. alioquin deest uerbum. Quod si dicas, in ὁ δέσμιος intelligi uerbum εἰμὶ, primùm non addidisset articulum ὁ. Deinde sequentia legationis, non uinculorum rationem explicant. Adde quòd initio sequentis capitis τὸ ὁ δέσμιος coniungit cum uerbo παρακαλῶ, & in cap.6. πρεσβεύω ἐν ἁλύσει.

In uestris animis, & sitis in charitate radicati.) ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, ἐν ἀγάπῃ ἐῤῥιζωμένοι: pro ἐῤῥιζωμένων, mutatione casus, quæ in Paulo frequẽs est, & apud profanos autores extat aliquando: ut in Isocrate in Panath. id quod annotauit

Hieronymus Volfius. δοκεῖ γάρ μοι ζῶν μὲν, &c. τελευτήσαντα δὲ τὸν βίον, pro τελευτήσας. Neq; uerò dici potest, inscienter Isocratem fecisse: cum traditum sit, eum in illo tam paruo opere componendo duodecim annos consumpsisse.

EX CAP. V.

Substãtiuum pro adiectiuo.

Tenebricosi, nunc lucidi.) σκότος & φῶς, pro σκοτεινοὶ & φωτεινοὶ dixit, substantiuo utens pro adiectiuo, ut sæpe: ut cum præputium pro præputiatis dixit. & 2. Corint. 3. δόξα pro δεδοξασμένον. & 5. ἁμαρτίαν pro ἁμαρτωλὸν. & alia infinita, qualia sunt apud Latinos scelus pro scelerato, pernicies pro pernicioso: &, Quanti conducis tenebras: pro, obscuram domum, apud Iuuenalem.

Est autem lucis.) φωτὸς rectè legitur in Colinæo, & ita postulat sententia, non πνεύματος.

Antonomasia.

Diuinis uerbis.) ἐν ῥήματι, per antonomasiam dictũ est, pro ἐν ῥήματι θεοῦ: ut in capite sequenti scriptum est. Dicit autem ῥῆμα, quod alibi magis propriè solet uocare λόγον. Eodem modo paulo antè dictum est, Pleni spiritu, pro pleni spiritu sancto: sicut ibi non malè reddidit uetus interpres. Sic Leuitici 24. dicitur quidam nomini conuicium fecisse, hoc est, Dei nomini. Latini quoq; solent Bonam dicere, pro bona Dea: & rectam, pro recta cœna: & Flaminiam, pro uia Flaminia: & id ita liberè facere, ut modò utrunq;, modò alterũ duntaxat ponant. Quod idem nobis quoq; licere puto, dum sententiæ & perspicuitatis habeatur ratio.

EX CAP. VI.

Spiritualem malitiam.) τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας dixit: quomodo Latini plana camporum, & ardua montium, pro planis campis, & arduis montibus. In rebus cœlestibus intelligo, in Euangelij & religionis negocio, quæ in Euangelio cœlum dici solet.

IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES.

EX CAP. I.

Nam mihi & uiuere Christus est.) Hoc quid sit, mox declarat, cum dicit: Quod si mihi in eo situs est profectus operis, si uiuam in corpore. καρπὸν ἔργου, hoc est, profectum operis quid uocet, patet paulo pòst, ubi dicit, εἰς τὴν ὑμῶν προκοπήν: ut sit idem καρπὸς, quod προκοπή, ut & ad Roman. 1. hoc est, profectus Euangelij, qui ei in eo situs est, si uiuat in corpore. Nam mortuus Euangelium promouere non posset. Igitur mihi uiuere Christus est: hoc est, si uiuam, docebo Christum. ita fiet, ut promoueatur Christianitas.

ἀναλύειν.

Et migrare quidem cupio.) Sic ponitur uerbũ ἀναλύειν Luc. 13. & Iudith. 13. & Sapien. 2.

EX CAP. II.

Christus sibi ipsi renunciauit.

Qui cum in Dei forma foret, &c.) Cùm Christus, antequam factus homo est, esset Deus, æqualisq; Deo, eandem cum Deo uitam ageret, non retinuit eam cum Deo æqualitatem tenaciter, ut faciunt rapaces, qui nihil sibi detrahi patiuntur: sed sua sponte factus est Deo minor, seruilemq; hominis formam sumpsit: hoc est, homo factus est, &c. In Dei forma esse dicit, Deo similem esse, hoc est, Deum. Item hominum similem esse, hominem esse cæterorum similem, excepto peccato. Item inueniri ut hominem, hoc est, inueniri & esse hominem. μορφὴν, ὁμοίωμα & σχῆμα, hoc est formam, similitudinẽ, & figuram, pro eodem ponit. Rapinæ habere, siue rapinam, aut pro rapina ducere, dicit, pro rapaciter uti & retinere: ut Latini dicunt, In hostium numero habere, pro occidere ut hostem. Sic enim poni solet uerbũ ἡγεῖσθαι, ut non solum cogitationis sit, uerum etiam rei. ut in capite sequenti, ἀναγκαῖον ἡγησάμην Ἐπαφρόδιτον πέμψαι, Necessarium putaui Epaphroditũ mittere: hoc est, misi, quod ita necessarium & operæpreciũ putaui. Et Gen. 31. Alienæ putatæ sumus: hoc est, tractatæ ut alienæ.

Prauisq; cogitationibus.) Verbum διαλογισμὸς medium est. Sed si uituperatur, aut uetatur, intelligitur praua cogitatio, ut Latinè ualetudo. Quòd si dicas, Non licuit per ualetudinem, intelligitur aduersa ualetudo. Sin dicas, Gratia, fama, ualetudo contingat abundè, intelligitur bona ualetudo.

EX CAP. III.

Videte concisos.) Alludit ad circũcisionis nomen. & concisos uocat, non uerè circumcisos: hoc est, Iudæos, qui cum circumcisionem & Iudaismum iactarent, non erant uerè Iudæi, cum uerus Iudaismus sit in Christiana religione positus.

EX CAP. IIII.

Vere socie.) Verum sincerumq; socium uocat, aliquem suum in Euangelico labore sociũ. Neq; me fallit, esse quosdam, qui putent σύζυγε γνήσιε, Attica esse fœminina, eumq; uxorem suam alloqui. Sed cum uerba plana sint in masculino genere, neq; quicquam ambiguitatis habeat sententia, ea detorquere, & Paulum cum sententiæ obscuritate Atticum facere, nihil aliud est, quàm in scirpo nodum quærere. Vt interim taceam, quòd res ipsa reluctatur. Cum enim de cœlibatu loquens Paulus ad Corinth. dicat, cupere se, eos sui esse similes, hoc est cœlibes, quo essent ad Dei cultum expeditiores: non est credibile, eum id postea fecisse, à quo alios dehortatur. Nisi fortè dicat quis, cum libidinis stimulis uictum, postea duxisse, & se maximo ad Euangelicum negocium impedimento implicuisse. Sed neq; libidine uinci potuit, cui sic à Deo responsum fuerit: Satis est tibi meus fauor (nam cui fauet Deus, is inuictus est.) & si uictus fuisset, oportuit eum uxorem circumducere: quam si circumducturus non erat, stultum erat ducere. Atqui non circumduxit, ut ipse de se prædicat.

Paulus cœlebs.

IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES.

EX CAP. I.



Per eum uisum est patri omnem rerum uniuersitatem inhabitare.) Erit Deus omnia in omnibus per Christum. Alij sic putant interpretandum: Visum est patri collocare in Christo omnem plenitudinem, scilicet diuinitatis. Tum κατοικῆσαι erit positum pro collocare. Vtra sententia sit uerior, nescio.

EX CAP. II.

Exuto humanorum peccatorum corpore.) Hoc est, exutis peccatis, quæ corpus sunt: hoc est, per corpus in circumcisione significantur. ut cap. 3. ἀπολήψεσθε τὴν ἀνταπόδοσιν τῆς κληρονομίας: hoc est, τὴν κληρονομίαν, ἥ τις ἐστὶ ἀνταπόδοσις. Eodem modo loquuntur etiam profani, ut Plin. lib. 2. cap. 5. Huius (scilicet aeris) ui suspensam cum quarto aquarum elemento librari medio spacio tellurem. Aquarum elementum uocat aquas, quod elementum est.

Datiuus pro genitiuo.

Obliterato placitorum chirographo.) ἐξαλείψας χειρόγραφον τοῖς δόγμασι, sic datiuo utitur, ut is per genitiuum reddi possit. quale est illud 2. Corinth. 12. Appositus est mihi stimulus carni: hoc est, carnis & corporis: aut, ad corpus stimulandum, quod idem ualet. ut Apocal. 8. καπνὸς τῶν θυμιαμάτων ταῖς προσευχαῖς, pro τῶν προσευχῶν. Est enim Hebraismus, quem nos in Psalmorum titulis declarauimus in τῷ Δαβὶδ, pro τοῦ Δαβίδ. Talia sunt & illa Catonis, quæ in 2. Corinth. 2. citauimus, Ornamenta bubus, opercula dolijs: quæ possunt ita dici, Ornamenta boum, opercula doliaria. Ita hic χειρόγραφον τοῖς δόγμασι, est placitorum chirographum: hoc est, ipsa placita decretaq; diuinæ legis, quibus nos, tanquam chirographo, tenebamur obstricti: quippe cum pronunciatum sit, execrabilem esse, quicunq; legi non paruisset, idq; nostra, hoc est, populi acclamatione sancitũ, cum uniuersi responderent, Amen: Deut. 27. Eo chirographo cogebamur parere legi: quod quia non poteramus, Christus pro nobis paruit, pœnasq; dedit, atq; ita chirographum quasi acceptilatione deleuit.

Quarum corpus Christus est.) Christus res est illis umbris adumbrata. Est autem in Græco, Quarum corpus Christi est: quod idem est. ut Latinè idem est, Summa miseria est belli ciuilis: &, Summa miseria est bellum ciuile. Sed ego perspicuitati seruiui.

Nemo

καταβραβεύειν. Nemo uos supplantet,&c.) καταβραβεύειν eo modo dixit,quo καταπαλαίειν dicitur,supplantare,atq; ita impedire, quo minus brabium & palmam assequaris: quod faciunt, qui Christianos à uera doctrinæ uia abducunt. Modestiam uocat, quæ modestia uidetur esse.quale est illud Terentij,Terram intuens modestè: hoc est, cum specie modestiæ. Et Iuuenalis,

— Cum iam uertigine tectum
Ambulat,& geminis exurgit mensa lucernis.

Loquitur enim de ebrijs,quibus hæc fieri uidentur. Atq; idem paulo pòst eadem sexta Satyra Clodium uocat psaltriam,quòd psaltriæ uestitum gestaret. Sic igitur Paulus hoc loco modestiam uocat, cum se eò demittit homo, ut à certis cibis modestè abstineat: ut mox declarabit. Quod uerto,Sibi placens,Græcè est θέλων, ex uerbo חפץ translatum,quod alias εὐδοκεῖν dici solet. ut Matth.27. ῥυσάσθω νῦν αὐτόν, εἰ θέλει αὐτόν: hoc est,εἰ εὐδοκεῖ ἐν αὐτῷ.est enim in Hebræo,Psalmo 22.unde is locus translatus est, כי חפץ בו. Item Psal.1. ἐν τῷ νόμῳ τοῦ κυρίου τὸ θέλημα αὐτοῦ, חפצו. Geniorum cultum uocat,eorum qui genios colebant. ἑώρακε,pro μεμάθηκε. ut Iohan.8. καὶ ὑμεῖς ὃ ἑωράκατε παρὰ τῷ πατρὶ ὑμῶν, ποιεῖτε. θέλων.

Neq; caput tenens,à quo.) In Græco caput est fœminini generis. A' quo autem, masculini: refert enim rem,non uerbũ: ut sit caput Christus,à quo Christo,&c.

Quod ad mundi rudimenta attinet mortui.) Hoc est, Nihil iam rei habetis cum mundi prima institutione, quæ rudimenta sunt pueris necessaria,adultis (adulti sunt autẽ Christiani) inutilia. ἀπεθάνετε ἀπὸ τῶν στοιχείων,dixit,quomodo Latini, Paratus à pecunia, hoc est,quod ad pecuniam attinet.

Ne contigeris.) scilicet immunda. Ne gustaueris.) hoc est,uesci noli:ut Cæsar Britannos leporem non gustare tradit. Ne tetigeris.)Non modò non gustandum,sed ne tangendum quidem. Est autem imitatio orationis eorum qui hæc uetabant. Sequuntur Pauli uerba: Quorum omnium, inquit, is usus est,ut usu pereant.sic enim uerto,ἅ ἐστι πάντα εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει.ut Act.8.εἰς χολὴν πικρίας ὁρῶ σε ὄντα: hoc est, Video eum esse te, cui bilis immineat, quiq; sis pœnæ destinatus. Ita hic: Hæc omnia (inquit Paulus) hoc est, cibi omnes (quos illi gustare uetant) eò destinati sunt,ut utẽdo pereant: alioquin nullus eorum usus esset, & sine usu perirent, atq; ita Deus aliquid inutile fecisset. Eandem sententiam ad Corinth. posuit: Venter escæ,& esca uentri. ἀποχρήσει posuit pro χρήσει: ut Cato solet abuti dicere,pro utendo consumere.& Isocrates in Paneg.dixit καταχρήσασθαι,eadem notione. ἀπόχρησις.

Et ad corporis expletionem pertineant,non ut in aliquo sint honore.) Hæc uerba à fine capitis in hunc locum, perspicuitatis gratia transtuli: ut & Iohan. 1. feci, in πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. Est enim adiectio ad ea quæ de cibis dixit, qui ut usu consumantur, expleantq; corpus & uentrem, comparati sunt:non ut sint in honore,non ut ijs tantum honoris præstetur,ut sit contingere nefas.

Ista uerò placita sunt.) Ad uerbum est, Quæ sunt: quod ego clarius explicare uolui, alioquin futurum obscurius, propter interiecta.

Vt rationem habeant sapientiæ.) Vt eorum, tanquam sapienter factorum,ratio reddi posse uideatur, quòd uidentur modestè & religiosè fieri, & quòd ea continentia corpus seuerè aspereq; tractatur. ἐν autem posuit pro propter: ut suprà, μηδεὶς ὑμᾶς κρινέτω ἐν βρώσει. Et ad Ephes.3. αἰτοῦμαι μὴ ἐκκακεῖν ἐν ταῖς θλίψεσί μου. ἐν.

EX CAP. IIII.

Redimere tempus. Redimentes tempus.) Quæ emuntur,chara sunt: ideoq; damus operam,ut ea diligenter seruemus, ne ue ijs abutamur. Est igitur tempus redimere, magni facere tempus, & cauere ne perdatur, aut malè collocetur: hoc est, toto tempore bene uti,nec ullam rectè agendi occasionem prætermittere.

IN EPISTOLAM AD THESSALONICENSES PRIMAM.

EX CAP. IIII.



Ore ut nos uiui,qui ad Domini aduentum supererimus.) Hoc est, ut Christiani, qui supererunt. Nec enim ita loquitur,quasi sit ipse superfuturus. Talis est illa Mosis ad Israelitas oratio,Deut.1.Per id tempus proposui nobis, me solum non posse regere uos, &c.hoc est, proposui patribus uestris. Cum enim ea diceret populo Moses, mortui erant ij,quibus illa proposuerat.

IN EPISTOLAM AD Thessalonicenses secundam.

EX CAP. I.

Poenas dabũt Domino.) ἀπὸ προσώπου, Hebraismus est מפני,quod sæpe ponitur pro מן: ut Græcè,οἵτινες, pro οἱ.ut sit δίκην τίσουσιν,&c.hoc est,punientur à Domino, siue pœnas dabunt Domino. ut δίκην τίσουσι pro passiuo ponatur: sicut Latinè dicitur,Interijt à ualentiore,hoc est,interfectus est. ἀπὸ προσώπου

Cuius scelerosi aduentus,&c.) Hoc est, Qui scelerosus cum aduenerit, edet falsa prodigia,&c. Falsa autem prodigia uocat, quæ prodigia uidentur esse, cum sint præstigiæ ac mendacia.

IN EPISTOLAM AD TIMOTHEVM primam.



Ntiquitates infinitas.) γενεά,ut דור, non solũ genus,sed etiam seculũ est. Inde γενεαλογία Paulo, quæ à Iosepho & alijs ἀρχαιολογία uocatur. Plinius in præfatione sua Antiquitatem dicit. γενεά. γενεαλογίαι.

Mendacibus, periuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ contrarium est.) Hic animaduerte Lector, quid sit sana doctrina. Ea est uidelicet,quæ animi morbos,hoc est uitia,sanat: ut si quem uideas ex mendaci ueracem, ex contumaci obedientem, ex libidinoso castum esse redditum: non debeas dubitare, quin quæ doctrina eos morbos sanauerit,ea sana sit. Nam insana sanare animos non posset, non magis quàm insana medicina corpus. Rursum quæ doctrina animos eorum à quibus admittitur, non sanat, sed aut tales relinquit, quales inuenit, aut etiam superbiores reddit, & dissolutiores: ea quin insana sit, nemo sanus negabit. Sana doctrina.

EX CAP. II.

Seruabitur autem mulier.) Hoc est, mulieres seruabuntur (nihil enim refert,utro numero utare, cum de toto genere loquare) per liberorum procreationem: hoc est, quandoquidem sui peccati pœnas dat in hac uita, dum natos cum dolore parit.ut sit τεκνογονία totius generis, non unius fœminæ. Nam malè cum mulieribus ageretur, si steriles aut cœlibes seruari non possent. Seruabuntur igitur mulieres, sed ita demum, si permanserint in officio. μείνωσι enim de mulieribus dicitur, mutato numero, quòd Hebræis usitatum est: ut in huius epistolæ cap.5. εἰ δέ τις χήρα τέκνα ἢ ἔκγονα ἔχει, μανθανέτωσαν, scilicet uiduæ. Itaq; rectè uerterat utrobique uetus interpres, per numerum singularem. Seruabitur mulier.

EX CAP. III.

Vnius uxoris uir.) In Oriente habebant aliquãdo uiri singuli plures uxores simul: quod etiam hodie fit à Turcis & Iudæis. Igitur Paulus maiorem in episcopo requirit temperantiam,quàm in alijs.itaq; uetat eum duas habere simul. Vnius uxoris uir.

Per spiritum commendatus.) ἐδικαιώθη dictum est, quomodo Luc. 7. οἱ τελῶναι ἐδικαίωσαν τὸν θεόν, Publicani Deum commendarunt atq; collaudarunt. Est autem commendatus comprobatusq; Christus per spiritum, cum spiritus sanctus in eum columbæ specie descendit in eius lotione: item conspectus genijs,qui eum pastoribus nunciarunt. Δικαιοῦν.

EX CAP. IIII.

Per simulationẽ hominum falsiloquorum.) Hominum addidi, ne Falsiloquorũ & sequentia referrentur ad dæmonia.

Vetantium matrimonia contrahere, abstinere cibis.) Hæc oratio curta est, & ita resoluenda, ut pro Vetantium dicas, Præcipientium ne. hoc pacto: Præcipientium ne matrimonia cõtrahantur, præcipientiũ ut à cibis abstineatur. Ego propterea nihil addidi, quòd sic Latini quoq; loquuntur autores. ut Plin. lib. 25. cap. 5. de Elleboro: Vetant dari senibus & pueris, item mollis ac fœminei corporis animi'ue, exilibus aut teneris, & fœminis minus quàm uiris. Hæc Plinius. ubi uerbum Vetant non est cum ijs uerbis, fœminis minus quàm uiris, coniungendum, sed ita resoluendum: Præcipiunt non dari senibus, & præcipiunt minus dari fœminis quàm uiris. Item Cicero de Finib. lib. 2. Rectè ergo is negat unquam bene cœnasse Gallonium, rectè miserum, &c. quod ita resolui debet: Rectè ait, nunquam bene cœnasse Gallonium, rectè ait miserum. Nec enim negabat esse miserum, sed affirmabat Lælius: ut ostendunt carmina paulo antè posita, in quibus sic apud Lucilium loquitur Lælius:

O' Publi, ô gurges Galloni, es homo miser, inquit,
Cœnasti in uita nunquam bene, &c.

EX CAP. V.

Doceat in primis suam familiam.) Pluralis est numeri μανθανέτωσαν, cum χήρα sit singularis: qui Hebraismus est, ut in cap. 2. indicauimus. Est autem μανθανέτωσαν pro διδασκέτωσαν, minus propriè, ut solet Paulus aliquando loqui. ut & Gallicè apprendre: & Germanicè leeren, docere est & discere. Itaque idem est, μανθανέτωσαν τὸν ἴδιον οἶκον, siue τὰ τέκνα, ἢ ἔκγονα (quod idem est) εὐσεβεῖν, quod τεκνοτροφείτωσαν, quo uerbo paulo pòst utitur. & εὐσεβεῖν, idem quod ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς προγόνοις. Estq; hæc sententia: Quæ uerè uiduæ sunt, ne nubant (ut in 1. Corinth. 7. docuit) sed suam cœlibes, non alienam nuptæ familiam doceant, & liberos educent. Quòd si qua uidua suorum curam non gerit, ea fidem abnegauit: ut dicit Paulus paulo pòst, ubi τοὺς ἰδίους & οἰκείους eosdem uocat, quos hic ἴδιον οἶκον. Quòd si μανθανέτωσαν referas ad liberos aut nepotes, uidebitur non uiduis, sed filijs præcipere Paulus, cum hoc loco uiduis præcepta det. nisi dicas idem esse, discant nati, & doceat mater: sed οἶκος de parentibus diceretur, cum nunquam ad maiores (quod sciam) referatur, sed semper de familia aut posteris dicatur: sicut Latinè domus, aut familia.

[Margin: μανθάνειν pro διδάσκειν.] [Margin: οἶκος.]

Postquam Christum repudiãtes lasciuire cœperunt.) στρηνιᾶν est gestire, lasciuire, incire, ὀργᾶν. κατὰ autem est contrà: ut sit καταστρηνιᾶν τοῦ χριστοῦ, Christum, cui sese addixerat, detrectare, eiq; fidem fallere, & alium procire. Est autem καταστρηνιᾶν hoc loco lasciuiscere, ut ita dicam: sicut βασιλεύειν, non solum regnare est, sed etiam regem fieri, ut alibi declarauimus.

[Margin: στρηνιᾶν.]

Vt hæc sine ullo discrimine exequare.) πρόκριμα est, cum alius alij προκρίνεται, hoc est præfertur: cum persona, non res spectatur, quæ aliàs προσωποληψία dicitur, & eadem hoc loco πρόσκλισις, cum sumus in aliquem propensiores. Ego, Sine ullo discrimine uerti: quomodo loquitur Maro,

Tros Italus'ue fuat, nullo discrimine habebo.

[Margin: πρόκριμα.]

Nonnullorum hominũ peccata perspicua sunt, &c.) Rationem affert, cur uetuerit cuiquam protinus imponi manus, eumq; ad docendi munus cooptari. Homines, de quibus ad id munus admittendis agitur, aut improbi sunt, aut probi. Improborum alij apertè improbi sunt, eorumq; improbitas iudicium anteuenit: hoc est, antè perspicua est, quàm de eis admittendis deliberetur. Et ij quidem repudiandi sunt. Aliorum improbitas latet, uidenturq; uiri boni. Ii non protinus admittendi sunt: sed cunctandũ est, expectandumq;, dum pateat si quæ latet improbitas. Nam ut eorum rectè facta perspicua sunt, ita si quid aliter se habet, hoc est, si quod in eis uitium occultum est, id quoq; patebit aliquando, si expectetur. Nihil enim est tam occultum, quod non patefiat. Ita efficitur, ut cunctari sit tutissimum: quoniam si pergent esse boni, satis maturè admittentur: sin erunt mali, non debent admitti.

IN EPISTOLAM AD Timotheum secundam.

EX CAP. III.

ET per quæ fidens factus es.) Hoc est, Christianus. Animaduerte autem, non esse scriptum ἐπιστώθης, sed ἐπιστώθης, hoc est, πιστὸς ἐγένου. qua forma dicitur δικαιωθῆναι, ὑψωθῆναι, &c.

IN EPISTOLAM IACOBI.

EX CAP. I.



CVm suis copijs.) πορείαις, non πορείαις legendum uidetur: ut diuitis opes cum herbæ flore comparentur, non itinera.

EX CAP. II.

Qui in uno delinquit, is omnibus tenetur.) Hoc est, æquè damnatur, ac si in omnibus deliquisset: nec ei prodest in alijs obediuisse, quo minus eius peccati det pœnas: nec possunt eius uirtutes id abolere peccatum. Vt si quis regi fideliter seruiuerit, si quid capitale committat, det seuero regi pœnas, non minus quàm si multa peccasset. Vide Ezech. 3. & 33.

Ostende mihi tuam fidem sine tuis operibus.) χωρὶς τῶν ἔργων, rectè legitur in quibusdam, & ita legit Vetus, ut sit hæc sententia: Tu habes fidem, ut dicis: ego opera habeo. Fateor me, si fide carens, opera habeam, non satis habere. Sed dico me, cum opera habeam, habere etiam fidem. Cum enim à fide proficiscantur opera, necesse est, in quo sint hæc opera, in eodem esse fidem: alioquin unde proficiscerentur? At tu qui fidem iactas, & operibus cares, ne fidem quidẽ habes. Cum enim fides opera pariat, & sine eis mortua sit: necesse est te, qui operibus careas, fide quoq; carere. Alioquin ostende eam sine operibus. Non potes. Ergo ea nulla est, nisi adsint opera.

[Margin: Fides sine operibus.]

EX CAP. III.

Aeui cursum inflammans.) τρόχος rota est, à uerbo τρέχειν currere. Hic uitæ orbis & cursus est. γένεσις autem propriè est natiuitas, aut origo. Sed ut Hebræi ילדים, siue בנים, hoc est natos, siue filios uocant homines: ita hoc loco γένεσις pro hominis ætate dictum est: cum cap. 1. pro corporis figura & statura positum sit, quæ Matth. 6. ἡλικία dicitur.

EX CAP. IIII.

Degeneres & uiri & fœminæ.) μοιχοὶ καὶ μοιχαλίδες dixit, quomodo Christus, γενεὰ μοιχαλίς. Quòd uitijs indulgetis, inquit, estis amici mundi, qui in uitijs demersus est: atq; ita degeneratis à Deo, & estis eius inimici. At istud quidẽ non proficiscitur à sancto spiritu, qui maius conferre solet beneficium, quàm ut sit ad inuidiam, cæteraq;, quorum mentionem feci, uitia pronus, & ad ea inducat homines. Ab eo uos degeneratis, cum inuidetis, nec alios uobis excellere pati potestis: id quod non solum inuidiæ, sed etiam superbiæ est. Superbis autem aduersatur Deus: quamobrem summittite uos, ut uobis ille faueat. Hic uides Lector hunc locum, διὸ λέγει ὁ θεὸς, &c. non frustra & in Græcis quibusdam, & in Latino uetere, esse additum. Pertinet enim ad id quod sequitur, ὑποτάγητε.

[Margin: μοιχοί.]

Proficiscemur in illam urbem, &c.) Et hic πορευσόμεθα, cæteraq; per ο paruum rectè legit uetus. Nec enim reprehendendum est, si quis dicat, Eamus. Sed si quis dicat, Ibimus, reprehendendus est, cum incertum sit ei, quid sit futurum. Itaque addendum est, ἐὰν θεὸς ἐπιτρέπῃ, ut loquitur Paulus ad Corinth. si Deus permiserit, uolente Deo, & talia.

IN EPISTOLAM PETRI PRIOREM.

EX CAP. III.



VT multiplicis beneficij & uitæ.) ποικίλης χάριτος καὶ ζωῆς. ita in Colinæi exemplari legitur, & rectè, meo quidem iudicio: ut & in aliquot deinceps locis, in quibus emendatius est quàm alia. quod ideo moneo, ut id exemplar cõsulatur, sicubi ab alijs uidebor discrepare. Nam id multis in locis ea habet, quæ nullum eorum habuit, quibus usus est Erasmus.

IN EPISTOLAM PETRI posteriorem.

EX CAP. II.

NAm si Deus genijs, &c.) *Imperfecta oratio. Nihil enim sequitur, quod uoci Si respondeat, quasi autore post enumerata tot exempla oblito. Sed in eo propterea nihil est incommodi, quòd facilè intelligitur hæc sententia: Si Deus illis non pepercit, ne istis quidem parcet.*

Degeneris perpetuiq; peccati plenos.) *Degener peccatum uocat, hominum degenerum.* ἀκαταπαύστου *autem in genitiuo rectè legit uetus, & ita habet exemplar Colinæi.*

Libidinosi corporis.) σαρκὸς ἀσελγείας, *corporis libidinis legendum puto. Alioquin parum quadrat, si* ἀσελγείαις *legas in datiuo plurali. Tale est quod legitur in Epistola Iudæ,* σαρκὸς ἑτέρας, *pro* ἑτέρας.

Propemodum effugerant.) ὀλίγως *& Colinæi exemplar habet, & legit uetus. Quòd si* ὄντως *mauis (ut est in alijs) sic interpretare, Qui uerè effugissent.*

EX CAP. III.

Diluuium. Cœlos olim terramq; & ex aqua & in aqua cõstitisse.) *Hoc est, tantam fuisse aquæ eluuionem, ut & cœlum, hoc est aer, & terra, nihil aliud essent quàm aqua, hoc est, aqua summergerentur, adeò ut sola aqua extaret. quod Sibylla sic dixit:*
Nabit humus, nabunt montes, innabit & æther:
Omnia pontus erit, corrumpet & omnia pontus.

δι' ὕδατος *dixit, pro* ἐν ὕδατι: *sicut & nos alibi de* διὰ *scripsimus. & Latinè Per montes, idem est quod in montibus.* συνεστῶσα *participium repetendum est: ut sint* οὐρανοὶ συνεστῶτες, *&* γῆ συνεστῶσα. *Atque hoc uerbum pro esse positum est. ut apud Ciceronem de Amicitia, Constare uerbum sic ponitur: Quæ in omni rerum natura, totoq; mundo constarent, ea contrahere amicitiam, dissipare discordiam.* δι' ὧν, *quibus rebus: hoc est, qua eluuione.*

Illius temporis mundus.) *Hoc est, homines, & cætera animalia. Est autem hæc Petri argumentatio: Putabunt impij homines semper duraturum hunc rerum statum, sicut semper idem uidetur fuisse. Sed nec idem semper fuit, nec idem semper erit: nam aliquando & aqua perijt mundus, & idem igni peribit.*

IN EPISTOLAM IOHANNIS PRIMAM.

EX CAP. II.



Quod nobis promisit, id uita æterna est.) τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον, *accusatiuus est, propter uerbum* ἐπηγγείλατο: *sed qui refertur ad* ἐπαγγελία, *& ideo Latinè sit per nominatiuum reddendus. Eodem modo loquitur autor Apocal. 1.* τὸ μυστήριον τῶν ἑπτὰ ἀστέρων, οὓς εἶδες ἐπὶ τῆς δεξιᾶς μου, καὶ τὰς ἑπτὰ λυχνίας: *pro,* καὶ τῶν ἑπτὰ λυχνιῶν. *Sed accusatiuo utitur, propter uerbum* εἶδες.

IN EPISTOLAM AD HEBRAEOS.

EX CAP. IIII.



Ne si fortè desinat, &c. promissio.) *Tum desinet promissio, cum iam in eius requietem intrabitur. Itaq; dãda opera est, ut dum licet, pareamus: ne si simus ad eam rem tardiores, opprimamur de improuiso, atq; ita tardasse uideamur: hoc est, tardauerimus. Nam* δοκεῖν *Græcis, & uideri Latinis, aliquando cum re ipsa coniunguntur: ut quod ait Aristoteles, omnia* τοῦ ἀγαθοῦ ἐφίεσθαι δοκεῖ, *bonum expetere uidentur: hoc est, apparet omnia bonum expetere, omnia bonum expetere uidemus. Talia multa reperies apud Isocratem, necnon apud Ciceronem. quale est illud Officiorum primo: Nunquam omnino periculi fuga committendum est, ut imbelles timidiq; uideamur: hoc est, simus.* — δοκεῖν.

Non cõiunctus cum eorum fide, qui audierant.) μὴ συγκεκραμένος τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασι, *pro* τῇ πίστει τῶν ἀκουσάντων. *de quo loquẽdi modo uide quæ scripsimus ad Colos. 2.*

Ingredimur enim in requietẽ, qui fidem habemus.) *Hoc est, Non nisi qui fidem habent, in requietem ingrediuntur. Est autem huiusmodi argumentatio: Quod Dauid de Domini requiete loquitur, necesse est, ut aut de Sabbatho loquatur, in quo quieuit Deus: aut de quiete, quam adepti sunt Israelitæ in Chananæam ingressi: aut de alia quiete, quæ sit adhuc futura. Atqui de duabus prioribus loqui non potest, cum earum altera iam à principio conditi mundi fuerit, altera multis seculis ante Dauidem. Necesse est igitur, ut de futura dicat.* — Requies Domini.

EX CAP. VI.

Qui per fidem & patientiam.) μακροθυμία *aliquando dicitur ab* ארך אפים, *ad uerbum* μακρὸς θυμῷ, *tardus iræ, qui Latinè lentus appellatur: unde lentitudo est* μακροθυμία, *quæ eadem nonnunquam clementia, aut facilitas dici potest. Atq; ita solet Paulus hoc uerbo uti. Nec me fallit, lentitudinem in uitio aliquando poni: sed potest & in laude dici, cum eam laudes, quam alij uituperent. Nonnunquam* μακροθυμία *dicitur pro* ὑπομονή, *hoc est patientia: atq; ita loquuntur Euangelistæ, & hic autor, ut ostendit sententia, cum ea cum spe coniungatur: ut 1. Thessal. 1. dicitur* ὑπομονῆς τῆς ἐλπίδος. — μακροθυμία.

EX CAP. IX.

Vbi est testamentum, testatoris mortem consequi necesse est.) ברית *fœdus siue pactum est, quod Græcè* συνθήκη *dici posset. Verùm autores sacri pro* συνθήκη *appellant* διαθήκην, *quod uerbum propriè testamentum sonat (nisi quòd rarò etiam apud profanos ponitur pro pacto, sicut obseruauit Ioachimus Camerarius) unde libros sacros Vetus & nouum testamentum solemus dicere: cum, si Latinè loqui uelis, uetus & nouum fœdus dicendi sint. At hic autor Hebraici uerbi uim non perpendens, cum Græcè scriberet (nam Græcè scriptam esse hanc epistolam, uel ex hoc loco euinci potest: siquidem Hebraicè nemo sic argumentari possit, ut ex pacto testamentum faciat, & ideo testatoris mortem inuehat) à Græco* διαθήκης *uerbo duxit argumentum. quale fecit etiam in cap. 2. ubi pro Deo posuit genios. Hæc res in causa fuit, ut nos in hac epistola* διαθήκην *testamentum interpretaremur, contrà quàm solemus: alioquin si fœdus uertissemus, non haberet locum hæc autoris disputatio.*

EX CAP. XI.

Est autem fides, speratorum subiectio.) ὑπόστασις *est substantia, & ipsa res atq; materia, ut in huius epistolæ cap. 1. Transfertur ad alia, ut 2. Corint. 11.* ἐν ταύτῃ τῇ ὑποστάσει τῆς καυχήσεως, *In hac gloriandi materia, siue argumento Nec ab ea notione recedit, quod in hac epistola cap. 3. ponitur pro disputationis argumento, & autoris loco, quem sibi tractandum proposuit. ut sit* ὑπόστασις, *cum res* ὑφίσταται, *proponitur, subijcitur, & præsens statuitur. Itaq; hic dicitur, eorum quæ sperantur, subiectio, quòd absentia nobis subijciat ac proponat, efficiatq; ut præsentia esse uideantur. estq; idem hoc loco* ὑπόστασις, *quod* ἔλεγχος: *&* ἐλπιζομένων, *quod* οὐ βλεπομένων, *geminata sententia: ut ex eo apparet, quòd hæc nulla coniunctione copulantur. Itaq; liceret ita coniungere: Fides est rerum quæ non cernuntur, sed sperantur, subiectio ac demõstratio.* — ὑπόστασις.

Ita ut ex ijs quæ non extabant.) εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων, *pro* εἰς τὸ ἐκ τῶν μὴ φαινομένων.

Vnde eum uidetur quodammodo recepisse.) παραβολή, *comparatio est & similitudo.* ἐν παραβολῇ *recepit ex mortuis filium Abrahamus, quo modo paulo antè dicitur eum mactasse. Nam neq; mactauit, neq; recepit ex morte. Sed cum id facturus fuerit, perinde est ac si mactasset, & rursum in uitam reuocatum recepisset. Hoc est quod dicit* ἐν παραβολῇ, *quòd res ipsa non facta sit, sed facta esse uideatur.* — παραβολή.

EX CAP. XIII.

Gratiarũ actione.) χάριτι *dixit, pro* εὐχαριστίᾳ, *quam mox uocat laudationis sacrificium.* — χάρις.

Libemus assiduum.) *χωρ* ἔχωμεν, *scriptũ cũ ω magno, rectè legit uetus. Est enim cohortatio, ut indicat orationis tenor.*

IN APOCALYPSIM.



E huius autore libri dubitatur. Titulus Iohannem Theologum nominat. Quis fuerit, aut quando fuerit, non magis sum sollicitus, quàm de uini dolio, aut tempore, dum unum sit bonum. Fuisse quidem huius libri autorem uerum uatem, Deiq; discipulum, persuasum habeo: nec de eo magis dubito, quàm de Iohannis Euangelio. Et tamen huius libri uix millesimam partem intelligo.

EX CAP. I.

Ab eo qui est, & qui fuit.) ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν: pro, ἀπὸ τοῦ ὄντος, *&c. Sed quia ab imperfecto* ἦν *(quod pro præterito poni solet) nullum ducitur participium, ipso uerbo usus est pro participio: id quod ab Hebræis fit nõnunquam. Quod ad solœcismum attinet, (qualis paulo pòst sequitur,* ἀπὸ ἰησοῦ χριστοῦ ὁ μάρτυς, *pro* τοῦ μάρτυρος*) noli moueri. Talia sæpe occurrunt etiam in Paulo. Tu à bonis mores, à disertis sermonem discito.*

EX CAP. III.

Ego cogam nõnullos.) δίδωμι *Hebraico more dictum* אתן*, quod idem paulo pòst dicit,* ποιήσω αὐτοὺς ἵνα, *&c.*

Opificij Dei caput.) *Hoc est, omnium Dei operum excellentißimum atq; primum.* ἀρχὴ *Hebraismus est à* ראשית*. ut Iob 40. dicitur de elephanto,* ראשית דרכי אל הוא*: hoc est, præcipuum operum Dei. & ut Galli loquuntur, un chef doeuure, caput operis: hoc est, summum & præstantißimum opus.*

EX CAP. V.

Quorum numerus erat distributus in millies centena millia.) μυριὰς μυριάδος *sunt millies centena millia.* μυριάδες μυριάδων *(ut hic scribitur) est hic numerus in plurali numero. Quòd si, uerbi gratia, essent* τρεῖς μυριάδες μυριάδων*, uertissem, ter millies centena millia. Sed quia, quoties hic numerus ponendus sit, certò non scribitur, ego ita uerti, ne putaretur hic numerus semel duntaxat ponendus: sed hoc intelligeretur, illos Dei laudatores fuisse distributos in classes, quarum aliæ constarent singulæ ex millies centenis millibus, aliæ ex decies centenis millibus. Quot autem essent eæ classes, non additur. Atq; hanc eandem rationem intellige in Daniele, cap. 7.*

EX CAP. VIII.

Vt sanctorum omnium supplicationes, &c.) ἵνα δώσῃ ταῖς προσευχαῖς. opinor τὰς προσευχὰς *legendum: & huius errati causam fuisse, quod mox sequitur,* ταῖς προσευχαῖς*, arbitrato scriba, idem utrobiq; legendum esse.*

Suffimentorum supplicationũ sanctorum.) ταῖς προσευχαῖς, *Hebraico more, pro* τῶν προσευχῶν *dictum est. de quo uide animaduersa in Epistolam ad Colossenses, cap. secundo.*

Habes, Lector, quæ nos in præsentia potuimus. Quòd si quid bene dictum est, Deo tribui laus debet, omnium bonorum datori: sin quid erratum est, ignosce nobis, ut ipse tibi uelles ignosci. Deinceps, si uoluerit Deus, ut plura & meliora discamus, plura & meliora dabimus, uolente Deo.

FINIS.

LOCORVM INTER EXCVDENDVM OPERARVM incuria deprauatorum emendatio.

Primus numerus columnam, secundus uersum indicat. m uerò, marginem.

1.8 offusum profundum 2.9 aereisq; 6.43 plenus 53.13 Gadus 124.21 stiterit 189.25 adhibeto 207.59 Sin autem 234.55 confodit 284.61 qua hodie 285.31 transcendunt. Tum 291.23 petierunt 324.57 meo 334.8 controuersiam 335.31 Absalomo 357.24 filorum 362.27 uiginti 371.8 Abiamum 375.44 annuerit 393.28 dixit uisurum 529.11 diligenter 541.33 liberalitatem 546.44 mactandos 555.23 Iudæam 556.53 G.in 558.35 G.Dixi 563. Domini uerberationē, 564.37.& tui 565 (ubi falsò est 595) 19 rectà 568.16 tabernaculo 573.5 trochleas 576.35 accumberent 51 misit 688.38 imperio est confirmata, idq; literis mandatū est 589.61 Lysimachum 590.16 boum 594.59 si quidem 595.38 quis eum 596.44 tetræq; 597.39 id non 598.20 exanimatus 52 itidem hom. 599.19 Hominum'ne 600.49 sapientem 602 (ibi falsò est 606) 15 collocatus in terris homo, impiorum 35.m. quæ sibi 604.29 apud eum 605.37 lux in 59 teretem 609.6 exererere 610.19 nec ulli hom. 612.59 si iniusto 613.28 uoce. Intonat 32 opera, sub 46.m. cōficietur 614.57 ad insidias 615.30.m. naribus 616.13 confidat 617 (ibi falsò est 607) 4 exposui 31 fortunatiorem 35 Ieminam 39 germanos 625.27 digno 629.6 exuber. 30 Attollite 51 æquus est 630.40 miserere 637.39 frangentur 45 saturabuntur 639.34 libera 42 omnis 51 speraui 646.1 inuocato 647.26 Præcinenda 649.3 calces 22 corrumpe, 34 & lingua 51 corrumpe, 650.13 corrumpe, 651.12.m. infimam 38 fideiq; 62 mortale 652 (ibi falsò est 625) 43 homines int. 45 abscondendis 47 Comminisc. 53 perculsis 653.3 negociū superauerat 655.18 sanguine pedes 19 linguam 659.39 exitum 662.36 pręcepit 664.37 excitus 665.38 tergeminarum cibo potuq; 666.23 inuocantes 667.18 Iabini 47.m. elicuit 53 proficient 669.39 exempti 670.54 Et eius, &c. & osores 56 nomine 672.9 cōsumimur 678.36 sic 682.28 tabernaculis, Iouæ dicto 691.55 tui 695.42 iunip. 696.14 tribunalia 54 mōtis 710.7 alteri 45 malè 712.37 præcepta 715.24 affert 717.8.m. uideatur 38 deuia 720.23 perbonum 49.m. uers. 21. b. certò 721.3 eiusdemq; 723.5 germanus est 28 fructu 724.29 cupienda 725.46 mendaci 731.60 eius 733.21 benefico 59.m. respicit egentes 734.53.m. student 54. nequā 736.47 in margine sunt omissæ hæ duæ annotationes, g. non metuit, ne in posterum uestitu indigeat. h. impigra est. 738.6 quicquam 741.53 Atq; 742.8.m. sciat 744.40.m. sint 745.59 sistet 746.33 assimilo 754.8 Dementes 755.12 delinquatis 757.26 bonus ipse 759.26 causa 760.1 acciperet 56 uani sunt 761.9 hi 46 eo ipso 765.35 murmur aquæ 45.m.a Reg. 766.3 d sacr. 33 calamitatis 769.50 & uobis 773.6 detegat 774.12.m. & te der. 777.30 ob eius 778.13.m. calamitoso 779.24 confringetur 25 iniuriam 30 & pulchrè 781.18 proficiant 45 delectare 782.20 Dei, 38 & eis 57 sermonem 787.17.m. perniciem construit 790.46 quæ el. 792.11 scrupulosus 62 ornamēto 797.61 in tinctu 799.25 repugnet 800.8 insomnia 801.28 lætos 43 Instaura ostenta, 802.1 Aharonis 18.m. uxore 803.4 ominibus 16 omnis animus 803 (debet ibi esse 805) 17 neq; 61 quieti 806.42 Impudentis 807.40 sociorum 809.34 hi suis 813.59 tenuitq; 814.40 reposita 43.m. Sethus 816.44 uestri 817.60 candidiora 821.43 aspicias 822.56 & eligere 825.4 necdum 52 obesis 57 sit quasi 828.34 inclementer 60 inuisus 830.35 pronunciat, 831.49 remollescēt 832.36 fertumq; 52 calceosq; sibi 28.m. uos quos 33.m.c tre pid. 42 g ut 834.46 id quod 835.1 deturpandos 838.46 credet 840.62 pernices 843.1 turbæ 844.1 agnorū 845.38 uos defendere 47 feracem: ne'ue 848.17 re tam 35 suum, 849.58 habent, 850.47 indic. 852.47 laudes 854.18 regumq; 19 aduentum 857.33 formauit, ad red. 860.24 Quocirca 862.2.m. cudunt, & 867 (falsò signatum est 847) 31 uel ei int. 870.30 deligunt 51 solatiorum 872.56.m.c deum 873.41 Iudææ 875.44 obstupescent 51 euallendū 880.49 armipotens 50 cit Ioua 881.3 alijs 882.42.m. Cedarianos 883.12 multitudinem 886.3 decoriq; 888.57 doleto 890.1 sed horridè 903.20 aucupantes 57 necabo 904.41 tuarum 61 & æquum 906.4 Siquidem 17 incolæ 30 Iouæ 909.6 siquidem 10 edet 911.39 & lacu 912.45 regina 917.6 uallis 23 Iudææ rex 49 emptionis 55 fictili 918.3 Deus magne 18 omnia quæ 19 hoc omne 20 urbi, ad 45 faciem 919.4 prosequendis 921.2 In quam 33 spadones 922.26 pàtris 923.5 recitabis 924.22 quod 925.41 studet huius 928.9 relegati 929.45.m. faciendū sit, 931.61 legi 932.44 incultū 933.33 Charcamis 935.10 pudes fractam 936.3 fortè tibi 937.59 Ad eorum 941.48 fallax 942.3 non ad 35 uenam 943.43 perlecto 949.8 uinctos, 950.23 diritate 27 mutatum 951.13 ad inane 30 animaduertet 953.14 apponant 48 Siquidem 954.17 perflat 955.12 reportāda 57 Israelitisq; 957.43 defecerint 60 eis 958.15 mari 25 omnem sci. 38.m. posteri 962.1 melleum 42 iustus à iust. 45 peccato 965 (ubi debet esse 963) 55 urbe 965.2 fractis 48 siquidem 966.44 affatur 56. ille 968.19 præpotentis 970.32 perfossum 45 affatus 972.25 Ergo 58 ij demum 974.20 esset 23 famam 26 sacella 975.12 Quoniam tuum 24.m. ab iratis 32 à meretricādo 976.17 tempore 19 despicantur 977.17 factus rex 980.11 illis 981.47 per suaues 985.62 qui tecum 987.10 frustatim, frustatim 992.39 deseram 993.40 à turri 994.53 diuini 996.6 ungulæ 50 in uiuentium 999.21 pascens 1000.7.m. peracto 42 uenistis, hanc 61 Israelitis 1007.56 solidæ 1008.18 sacerdotum est, 1009.26 factis 1019 (ibi debet esse 1010) 26 a uulgaria 1012.28 ipsis 1013.40 cubitorū 49 ad minist. 1014.38 imprudensq; 1015.7 taurus bos 47 distrahatur 53 ferta 1016.20 per aquā 38 paludes & 48 sors 52 Hethalonem 1017.24 ad Occid. 34 excipietis 1018.31.m. Vrbis 61 m. In ea est 1019.61 regis 1022.22 undeuigesimo 1032.2 constitit 61 Atque 1033.45 in modum 1034.21 constiterunt 24 inhumanus 1036.45 statuit 1037.11 collegi 1039.55 hæc uerba 1043.62 in locum 1044.46.m. Christiani 1047.48 messem, quæ erit reu. 1051.6 Ioua tuus 35 extulerunt 1052.44 leoninis 56 omnes 1053.2 propinquat 1057.62 areret 10 in nares 32 uiuetis, ne ipse 1059.31 iniustitiæ 44 superfuerint 48 commemorandum 1061. tuus, Dan 54 denominatarum 1065.14 Ionæ 1067.33 & ex spic. 5 discent 1068.18 defendet 1070.43.m. euertet 1071.26 scymnosq; 1072.24 iniustitiam 50.m. innumer. 59 quasi 1073.22 quousq;? 43 dexteræ 1076.8 in incultam 10 erinacei 1077.2.m.h tuis 40 Spectatur 1078.56 Zorobabelem 1079.56 c adiuuere 1089.4 Quæ'nam 34 in te hab. 1081.44 Quid uides 1083.25 æui 44 fruges 1084.13 Comitabimur 44 terræ 1085.15 Iudaicumq; ac 54 altera alterius 1086.9 fractis 1087.31 diripientur domus 39 permagna 1088.3.m. conspirent 21 erit Aegyptiorum 1089.3 præsidi tuo 1090.28 uobiscum 49 uosq; 1092.32 relinquam: 1093.49 egenti 1098.6 uel quam 50 ex omnibus 1099.44 & ab eo 1100.4 terrarū 1102.17 suam 1103.8 terraq; 28 orarunt illi 1104.42.m. calore & humore 1106.12 est cum 1109 (debet esse 1107) 52.m. Mulier Sionis 1108.12.m. discessissemus 1110.11 aurium 1111.24 quendā 1112.16 c secundus 25 subalares 1116.61 noctu, me 1151.10.m. necat 1158.5 collatis 53 filiā 1159.31 ego propter 1163.47 tamen 59.m. Oniam 1165.25.m. Simon populum 1166.3 faceret 49 qui ascr. 1173.12 ex ara 15 aliquot annis 1176.17 statutum 20.m. diuinitùs 1177.21 gerens 1192.18 conuenarum 1195.64 hoc recens 1197.7 apparuisse 1204.12 obsidione 1219.40 indemnem 1228.62 facere 1246.39 uinctos 1248.5 arduam 1267.31 constitui 1269.50 extinctus 1272.4 Ita 36 Trachonitidem 1276.1 habuit 1280.4 cæteroquin

IN NOVVM TESTAMENTVM.

1287.21 Achazus 28 Sadocus 1289.24 Edite 1290.19 in tetræ 37 afferrentur 1291.42 Et si 1292.30 habere 40 qui occulta 1293.52 Aut 1294.15.m. Cauendi 55.m. obtulissent 1269 (ubi debet esse 1296) 53.m. luctu 55 prehēdit 57 Digredientem 60 adière 1300.32 At Phar. 1301.14.m. Austri regina 31 ille 35.m. sint 1302.56 quod à uate 62.m. explicātur 1304.28 precandi 40 adiret 1307.4.m. postponenda 31 præcepit eis 1308.10 extrahetur 15.m. cœlesti 25 æquor 1310.33 estis; in 34 sessuros 1310 (bis ponitur idem numerus) 33 in eas 1311.25 lactentiū 27.m. ficus subitò 1313.11 Illi 49 dexterā 1315.2.m. Luatis 39 charitas 1316.40 herus 1318.1 uisitastis 1319.53 unus ex 1321.6 templi fiscum 38 mali 1322.10 sua capita 1234 (debet esse 1324) 2 emēdationis 1327.34 circunsideret 1328.52 alloquebatur 1329.51 collegij 57. premerent 1330.10 accidisset 1332.61 Si quis 1333.58 defethiscentur 1335.48 adduxi 1337.30 accurrit 1339.58 ducebant 1341.38 Est autem 44 ex sua 1343.33 cœnaculum 1348.31 mutum 1350.5 quòd eis 1351.56 autem 60 imperij 1252 (debet esse 1353) 43 instituebat 44 Herodiade 45 committebat 1353.1 Iosephi 12 Adami 1355.48 dico 53 uidisse 1356.13 ueteri 30 ingressus 1358.7 Domine Domine 1359.54 ille 1360.4 sic eis 12.m. nauis 28 correptum 1362.32 sunt autem 53 Iohanni ego caput præcidi 1365.47 patre meo 1370.15 fecerit 1371.17 uinctam 62.m.a pullos 1372.32 uoca 46 paterfamilias 1373.33 quæ si 1374.31 dispens. 1375.37 profectus 43 circuniecta 1376.14 reuersus 1378.58 metas 1379.4 omni 1381.1 Mortuos 1382.30 igitur 1385.21 morte 57 faciant 1389.9 Et ille 1392.60 in spiritu 1393.20 & rura 1395.27 æternam 1397.6 fremere

1398.16

LOCORVM DEPRAVAT. EMENDATIO.

1398.16 habebant 33 didicisset 1399.5 uenerit,num 1400.51 hæc loqui 1406.23 esset 1407.10 Andreæ 1411.2 impēdat 7 Non uos 1412.55 æternam 1413.11 at hi in mundo sunt 44 eisq; 1414.7 Malchus 9 mihi 1416.14.m.Iesus 1417.33.m. Iesus clausis 41.m.b Heb. 59 Affer huc 1421.57 baptizamini 1422.59 consecutus 1426.2 illi auditis urebantur 1427.38 ille ei 1430.54 Dei filium 1432.39 manu,eam 1433.62 personarum 1434.62 ut angelum 1437.56 Ac postquam 1439.51 absol. 1442.41.m.carceris 1444.19 cum in eo uiuamus 1446.22 effugerint 1448.25 omne uobis 1452.23 Senatores hu. 1453.60 offenderunt 1457.21 ceperunt 23 Phœnicen appulsi 1460.19 per quem 1461.16 pleni 33 lentitudinem 53.m.a Et uirtutes laudent,& uitia uituperent ac puniant,quæ eadem docet Mosaica 1462.20 literam 49 non est qui 1465.5 i multi 13 a peccato 36 sed Deo 40 absit 44 gratia 1466.18 uetere litera 47 nolo ego,id 1467.11 siquidem 1469.5 exerere 59 seruabitur 1472.24 bene facito 1473.18 quisq; 1476.44 an ullum 1478.25 Dei sanctum 43 b neq; 52 propter uos,ut in nobis 54.m.Alius 1479.58.m.Christianis c Christiani 1480.10.m.non 1482.39.m.cōtra quam 1483.33 curriculo 1486.12 per eundem 1492.31 leuitate 56.m.gaudente 1493.8 circumueniamur 40 mortis 1496.56 solatio confirmati 1497.10 effecit 55 cum multis 1500.30 Damasci 1501.40 in nos 1502.54 Syriæ 1505.59 circuncidemini 1509.18 participes 1510.10 Atq; is 1511.34 Christo 1513.16 mundipotentes 1514.49 fideiq; 1515.2 si qua 29 in uobis 33 quos inter 1518.43 factus sum 1519.24 in quo etiam simul resurrexistis,per collocatam 40 tumens 51 ut rationem 1521.11 Nympham 1522.24 fratres 1523.4 prædicebamus 10 ad nos 47 qui nos 62 qui in Christo obdormiuerint 1526.9 immortales 11 sanctimoniam 1529.7 inustam 12 condita, 1533.55 Tu uerò 1534.31 stitisset 1537.26 tribubus 1538.41 Si quidem 1539.7 adiuuerit 1540.62 a esto 1541.33 secundū Dei patris præscitū electis 1542.50 erant destinati 62 geret 1543.15 toleratis 1544.32 comess. 34 culturis.Atq; 48 subministrat 56 eius gloria 1545.20 complectimini 60.m.b Christi 1546.60 inuexerit 1547.5 Scit 1548.19 scripsit,ut in 1549.47 Antichristum 1551.48.m.iustè uiuimus 1553.10 Antichristus 11.m.frustra uos 39 ueritate 1554.14 cōmuni salute 1558.37 doctrinæ,bapt. 1559.6 Deus hæredibus a promissi 1560.7 adeūt 1563.15 tardabit 25 fecit 1565.21 accessistis 1568.3.m.indicant 19 candelabrū 1569.39 claudente 45 mentiuntur 1571.20 in terra 1573.43 tubarum 1575.2 in mari 1577.3 suas 1579.12 donec 18 diroq; & tetro 39 bestiæ 41 præ dolore 1580.17 insidentem 1582.12 Halleluia 1583.27 primæ 1584.35 habebat

FINIS.

RERVM ET VERBORVM IN VETERI ET NOVO TESTAMENTO PRAECIPVE memorabilium INDEX.

XX adul-

B

à le-

Cyri

donum

expedi-

G

I

Idumæo-

in Ma-

serpens

perfidi-

purgare

simon

superbiæ

V

 lier

Z

RERVM ET VOCVM IN *Annotationibus præcipuè obseruatu dignarum Index.*

B

FINIS.

BASILEAE, EX OFFICINA IOANNIS OPORINI, LVDOVICI LVCII, ET Michaelis Mart. Stellæ, Anno salutis humanæ M. D. LVI. Mense Martio.